
37
38 G
6

ANNALES ECCLESIASTICI VETERIS TESTAMENTI.

In quibus res gestæ ab Orbe condito ad CHRISTI Domini natiuitatem, & mortem, per annos ferè singulos digeruntur, & explicantur.

QVIBVS CONNEXI SVNT

ANNALES IMPERII ASSYRIORVM, BABYLONIORVM, PERSARVM, GRÆCORVM, ATQVE ROMANORVM.

Quantum ex sacris, profanisque Scriptoribus agnosci, atque ordinari potuerunt.

AVCTORE IACOBO SALIANO AVENIONENSI, Societatis IESV Presbytero.

TOMVS QVINTVS.

In quo Libri Esdræ, Nehemiæ, Estheris, & Vltimorum Prophetarum, cum tertio Esdræ, & Machabæorum magna ex parte explicantur.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus ANTONII HIERATI, sub signo Gryphi.
ANNO M. DC. XXIV.

Permissu Superiorum, & cum Grat. & Priuil. S. Cæsar. Maiest.



ILLVSTRISSIMO REVERENDISSIMOQVE

D. D. FRANCISCO RVPIFVCALDIO, S. R. E. CARDINALI, SVPREMO GALLIARVM ELEEMOSYNARIO, ABBATI S. GENOVEFÆ, &c.



N.I. VM *multa sunt, Illustrissime princeps, quæ homines inuitant ad laudem, & prædicationem virorum principum, totidemq́ omnino res, quot illi cæteris mortalibus antecellant; tum nihil eorumdem liberalitate, ac magnificentia potentius, præsentiusq́ duco, ad demerendos non ingratos homines, vt accepta beneficia verbo saltem, ac prædicatione rependant. Ego in ea familia numeror, ac multos iam annos viuo, in qua quocunque me oculis, ac cogitatione conuerto, plena omnia video beneficijs tuis, antiquis atq́ recentibus, & quidem eiusmodi beneficijs, quæ non modici temporis angustijs circunscripta ac definita sunt, sed in omnes annos consequentes vtilissime propagantur.*

II. *Et meritò quidem. Superiores enim causæ latius expandunt vim atq́ efficacitatem suam, quam quæ eis suppositæ sunt, atq́ subiectæ. Suprema, atque vltima causarum Deus vno verbo dixit, ac confecit omnia, & vnico potentissimæ ac beneficentissimæ voluntatis consensu eadem fouet, conseruat, amplificat. Christus Dominus,* vna oblatione, *inquit Apostolus,* consummauit in sempiternum sanctificatos; *septemq́ repleuit fontes, qui vbere gratiæ copia, in omnem hominum posteritatem exundent. Cæli, Angeli, homines, & in hominibus viri principes, quo maiores sunt, aut superiores, hoc magis certant amplissimis beneficijs, latissimeq́ patentibus, & quæ mundi ipsius, ac mortalitatis durationem exæquent, prodere beneficentiam suam.*

III. *Cumq́ bene merendi voluntas in laude sit, vt reipsa benefica esse non possit; in ea quippe virtus ipsa sedem habet: & eam vel maxime intuetur ac muneratur Deus; ille idem optimus, id est, beneficentissimus Deus, Tibi ita posse dedit, vt voluntatem etiam beneficentiorem dederit, quæ vigilet, quæ circunspiciat, quæ in omnes bene de nobis merendi opportunitates excubet, atq́ intenta sit. Id agnoscit ac prædicat Societas vniuersa, id Parisiense ac Billomese collegium, id ego nominatim agnoscere debeo, ac præ me ferre, qui tibi vni beneficium acceptum fero, quo nullum maius, aut præstantius, nullum omnino diuinius homo ab homine accipere potest. In eo explicando, Tu me, Patrum purpuratorum decus, aliquanto latius excurrere facile, vt arbitror, libenterq́ patiere, quando gloria beneficentiæ in me tuæ, ad Dei gratiam in certos homines patefaciendam, celebrandamque vehementer pertinet.*

IV. *Quod ergo est hoc tam gloriosum, tam nobile, tam diuinum beneficium? Repete obsecro memoria tempus illud, optime Præsul, atque sanctissime, quo ante annos triginta quinque, temporibus turbulentissimis, in arce tua Mosunensi sacerdotij dignitatem, mihi quamuis indignissimo contulisti. Eo enim facto, ad eum me aggregasti ordinem, quem Iesus Christus summus sacerdos & Pontifex, ad summum extulit honoris apicem, atque dignitatis; gemina simul ei potestate concessa, altera in corpus suum naturale, quod traxit ex virgine, quod pro nobis acerbissimæ, atque indignissimæ morti dedit, quod ipse prior ex pane & vino; admirabili atque inaudita metamorphosi confecit, fieriq́ deinceps iussit à discipulis suis in sui commemorationem: altera in mysticum corpus suum, ad cuius sanctificationem ac iustificationem sacerdos proxime, saluberrimeque concurrit.*

V. *Quæ est enim ista Sacerdotum potestas, vt panem & vinum in ipsius Agni Dei sacratissimum corpus, sanguinemque commutent, & quasi dij quidam creatores, ei nouum esse in Sacramento donent, illud noua quotidie veste candida aut rubicunda induant, nouo subtilissimoq́ conopeo circunfundant, illud denique & suæ, & aliorum subijciant potestati? Quid est præcipere Soli & Lunæ vt consistant in loco suo? Quid est Iordanem retroagere in caput suum, aut Rubri maris vndas bipertito diuidere, præ hac potestate? Quid est Manna de cælo, aut mel, vel aquam mellis instar dulcem, educere de saxo durissimo, aut mortuos suscitare? Hæc enim qui fecerit, mirabilia vtique circa rem creatam fecerit; ille autem eadem ipsa prodigia fecerit, circa rerum omnium architectum, ac molitorem Deum.*

VI. *Hoc nimirum est Iustitiæ Solem, in tantilla specie panis collocatum, Deo obediente voci hominis, pro arbitratu retinere, eique certos definire cancellos, extra quos, dum ipsi maneant, non sit egressurus. Fecisti reuera memoriam tuorum mirabilium, & omnia antiqua illa prodigia in maius suscitasti. Quid est enim admirabilius, aquam*

ſponte ſua defluentem retinere immobilem, aëreoq́; muro, obuallare aut continere accidentia, vt ſine fundamento ſubſtantiæ conſiſtant ipſa per ſeſe? Educere manna ex aëre, angelorum confectum manu, an educere e ſinu patris, è dextera Dei, vnigenitum Dei, & illum ſub panis ac vini ſimulacro, manibus hominum, dentibuſque committere? Educere mel de petra, oleumq́; de ſaxo duriſſimo, & late per deſertum in caſtrorum loca deducere; aut educere melliti ſſimum filium Dei de panis ac vini elemento, per os frigidi, duri, parumque religioſi ſacerdotis, & ſpecie panis velatum, per templa, per domos, vicatim, tributimque circumducere? Num maius eſt reducere animam in locum ſuum paulo ante derelictum, quam animare fruſtulum panis, & modicum vini, vt quod videtur adhuc panis ac vinum, ſit corpus ac ſanguinis Ieſu Chriſti viuum, ac ſpirans, vitamque largiens moribundis. Formauit primum hominem Deus de limo terræ, & ſpiritum in faciem eius inſtillauit, vt quod paulò ante erat modicum luti & argillæ, factum ſit in animam viuentem. Hic homo rite inauguratus, ex modico pane & vino, ſenſu omni ac vita carente, vbi paucis ea verbis afflauerit, oblatis animam largitur & ſenſum, & in ſecundum Adamum commutat.

VII. Hoc facite, ait magnus ille Pontifex, paſtorumque princeps, in meam commemorationem, quod videlicet in ſummam Dei gloriam cedat, in totius Eccleſiæ, veſtramq́; ſingularem vtilitatem. Nihil enim præpotenti Deo glorioſius eſſe poteſt, quam tanti maieſtatem eius æſtimari, vt veri Dei hominisq́; oblatione colatur; vt tali holocauſto propitius fiat, vt illi eo ſacrificio fiat ſatis, quo Deus ipſe in ſpeciebus ſuis frangitur, conſumitur, & ad nihilum prope reducitur. Sacrificio diuinæ ſapientiæ, quod rectè Sapiens præponat regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe ducat in comparatione illius, nec comparet illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Imò pluris eſt quam omnes animantes, & omnes homines, omnes reges & principes, omnes Angeli & Archangeli, pluris quam ſancti omnes & electi Dei, pluris quam vniuerſa quæ ſunt infrà Deum. Quæ tanta poteſt eſſe culpa mortalium, quæ tam acerba Numinis offenſio, quæ oblationi iſti oppoſita non euaneſcat? Quin etiam illud ſtatuendum eſt, quidquid peccati toto orbe terrarum patratum eſt hactenus, aut ab omnibus Angelis & hominibus peccari poteſt in omnem æternitatem, inſtar fore cyathi aquæ, ad Oceani Athlantici immenſitatem, vel minimæ ſtellæ, quæ inſtar puncti eſt, & aciem oculorum fugit, ad totius complexum firmamenti. Hic enim proportio quædam eſt: finiti ad infinitum nulla eſt, aut eſſe poteſt.

σκήπτρων καὶ θρόνων.

VIII. Quomodo tali munere non obtineantur omnia, & nominatim diuina in nos beneuolentia, ex qua pendent omnia, cum illud tanti ſit pretij, & ex immenſo eius amore offeratur, nec niſi pari amore repenſari poſſit? Ex quo ſimul intelligi poteſt, quam vtilis ſit ſacerdos toti Eccleſiæ Dei, quæ in cœlo, quæ in terra, quæ ſub terra verſatur. Cùm enim offert talem ac tantam hoſtiam Deo, in honorem & gloriam alicuius ſancti, vtiq; triumphat ille gaudio, videns regem ſuum occaſione ſui tanto affici honore ac cultu: de quo illi quodammodo gratulatur Deus, vſurpans illud propheticum: Seruus meus es tu Iſraël, quia in te gloriabor, id eſt, glorificabor propter te. Rex quippe eximio quodam amore proſequitur, & honorat eos de ſeruis ſuis, non ſolum à quibus honoratur & colitur, qui et ſe ſuaque impendunt omnia, ſed eos etiam per quos à populis amatur, colitur, muneribus afficitur, eoque magis quo maioribus. Ergo & Rex ille ſeculorum ſanctos vehementer amat, tum eos qui perpetuis ipſum in cœlo laudibus colunt, tum eos peculiari nomine, propter quos diuino ſacrificio honoratur: ipſiq́; viciſſim nouum quoddam gaudij, & gloriæ accipiunt incrementum.

IX. Iis autem qui nobiſcum adhuc morantur in terris, aut ſub terra peccatorum ſuorum pœnas, ad definiti temporis ſpatium luunt, quis verbis complecti queat quantum Sacerdos, hac primaria functione ſua, conferat vtilitatis? Nam illis verè pœnitentis animum, veniam peccatorum, ſatisfactionem diuinæ iuſtitiæ debitam, gratiæ incrementum, & omnium ſpiritualium bonorum copiam impetrat; fitq́; tutiſſimum in omnibus aduerſis præſidium, vt ea, iuxta paternum diuinæ prouidentiæ decretum, vel vitentur vtiliter, vel fructuoſius etiam perferendo vincantur. Vita functis quoq; hæc diuina oblatio in certam pœnarum ſatisfactionem cedit, eamque refrigerationem & conſolationem accipiunt, vt fiat illis hoc ſacrificium inſtar rorantis nubis, in medio æſtuantis Babylonicæ fornacis: fiat iucundiſſimus panis, & vinum ſuauiſſimum iis, qui fame ſitiq; confecti languent, atque extremum ſpiritum trahunt: fiat medicamentum vulneratis, vmbra frigida æſtuantibus, algentibus hypocauſtum: fiat firmamentum debilibus, requies, ſomnuſque placidiſſimus fatigatis, ſalus ægris, vita defunctis.

X. Sacerdoti autem ipſi quanta vtilitas, quantus honor, quanta delectatio? Quot virtutum actus exercet quotidie? Fidei, vt quod videt, quod tangit, quod guſtat exanimum, quod omnibus accidentibus ab humano corpore alienum, ſine forma, figuraúe externa, ſine locali diſcrimine membrorum, ſine partium differentia, vt vbique ſit caput & pedes, vbique pectus & brachia & manus; verum tamen corpus, omnibus membris diſtinctiſſimum, vita, anima, diuinitate præditum, agnoſcat, credat, ac conſtantiſſime profiteatur; & quidem paucorum verborum, quæ ipſe pro arbitratu ſuo protulit, efficacitate. Quomodo non ſperet ſemel ſibi datum iri beatam vitam ab eo, cui millies dederit eſſe nouum in ſacramento, cuius opera ille adierit dilectas animas ſuas, & ſe in earum intima corda infuderit, atq; penetrarit. Intermedius eſt Sacerdos vt ille fruatur amicis ſuis, intermedius erit Chriſtus Dominus, vt ille penitus aliquando Deo perfruatur.

XI. Eſt in naturæ legibus illa lex, haud ſcio an primaria, vt ſe quiſque ac ſua amore complectatur, reliquorum amor inde modum accipiat ac menſuram; magnos ergo atque iuſtiſſimos charitatis actus Sacerdos eliciet erga eum, quem ſingulari quodam modo dicere poteſt Dominum ſuum, ac Deum ſuum, quem modum excogitauit ingenioſa charitas diuinæ ſapientiæ. Qui cooperatur eius amori, ex quo ille quotidie ſe per manus ipſius offert Deo patri, quia hoc etiam munere fungitur, vt illi gratificetur ac placeat, & in memoriam eius, quia amor memor eſt. Quid referam religionis actus? quid obedientiæ, demiſſionis animi, cæterarumq; virtutum maximarum?

XII. Quidni autem faciat, cum videat viciſſim ipſiuſmet filij Dei incredibilem erga ſe obedientiam, patientiam, humilitatem; quo honore quid admirabilius dici aut fingi poteſt? Viuit Dominus Deus Iſraël, aiebat quondam 3.Reg.17.
Elias ille Thesbites, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba. Et ita factum eſt, Deo obtempe-

rante

rante vaticinio prophetæ: quanto hoc prodigium humilitatis, & diuinæ obedientiæ, quæ sacerdoti exhibetur, admirabilius? eius vt nutum ac vocem obseruet, vt statim adsit in Eucharistia, aut aliquanto post, aut omnino non adsit, prout visum fuerit sacerdoti. Et cum semel pro eius arbitrio adfuerit, pro eiusdem voluntate se occultari permittat, aut publice demonstrari, erigi, deprimi, disrumpi in speciebus illis, & pene in nihilum redigi. Idemq; ad eius libitum, cum sit Angelorum gloria, & splendor patris æterni, non recusat in hominum pectora descendere, id est scaturigines sordium, sterquilinium fætidissimum, & habitare in eo; vt ibi nobilissimum granum frumenti putrescat, & fructum ferat ad gloriam & honorem patris. Illum ergo virum qui tali me ac tanto affecit beneficio, qui ad tam excelsam, ac pene immensam extulit dignitatem, quomodo non amem? Non exornem? non velim fieri aliquando beatissimum? non in scriptis etiam meis si Dominus voluerit, omnem æquare posteritatem?

Transeo ad alterum caput, Antistes sapientissime, beneficentiæ in me tuæ, istam inquam præpotentem ac glo- XIII.
riosam potestatem circa mysticum Christi Domini corpus, ad cuius sanctitatem, iustitiam, beatitudinem Sacerdos summa efficacitate concurrit; corpus inquam Ecclesiæ eius, quod ille ita dilexit, vt pro illo à peccato liberando vilem duxerit vitam suam: ex quo etiam consequens est bonum sacerdotem & de hominibus, totaq; Dei Ecclesia, & de ipso etiam Deo quodammodo bene mereri. Etenim cum sine vlla dubitatione confitendum sit omnibus, qui hanc ducimus animam, qui Christiano nomine censemur, obnoxios nos esse peccatis, illudq; perpetuo iterandum, dimitte nobis debita nostra, *illud quoque concedendum est, egere nos salutis remedio, quod indulgentissimus Dominus sacerdotis potestati commisit. Etsi enim verissimo dolori de offenso Deo, quem charitas ex corde peccatoris excutit, venia conceditur, ille ipse tamen dolor, peccati quoq; confessionem, ad pedes sacerdotis requirit, si qua eius facultas dari possit.*

Quod si hæc spes veniæ & reconciliationis, quam ille in ore circunfert, peccatorem non retineret, ilicet infre- XIV.
nes mortales, desperatione duce in omne se nefas præcipites darent, omnesq; latæ regiones, vsque ad sola terrarum vltimarum, fierent latronum receptacula, sicariorum speluncæ, carceres homicidarum, lustra & ganeæ helluonum, adulterorum, cinædorum, & improbissimorum sub humana specie cacodæmonum, quales erant miseri mortales priusquam Dominus veniret in mundum; quales sunt plerique ethnicorum, improbissimis dæmonibus sub infidelitatis iugo famulantes, qualis est vita Turcarum, hæreticorum, athæorum? Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. *Quæ tibi debentur gratiarum actiones Deus meus pro tali ac tanto, tamq; inexhausto thesauro meritorum tuorum, diuitiarum tuarum, immensæ beneficentiæ ac largitatis tuæ, quæ quotidie latè profunditur, & nunquam exhauritur.*

Quam referat magno illi Pontifici gratiarum actionem sacerdos, qui instar illius saluare in perpetuum po- XV.
test, *etiam cum morte & Tartaro, in extrema vitæ periodo colluctantem; & facili auxilio à perditorum dæmonum, & damnatorum castris, in familiam filiorum Dei traducere, atq; transcribere? Adest supremus ille Iudex à quo nulla est appellatio, paratus commeritum damnationis fulmen in moribundi hominis caput intorquere. Reus tota ante acta vita accusante, tanti periculi metu, atq; horrore concutitur, Tartarus horrendum hiat, prædam deuoraturus infelicem; Angeli circumfusi contremiscunt: impurissima inferorum cohortes gaudio exiliunt, ac triumphant. Ille mortuo ac damnato propior quam viuenti, opem anxius solicitusque circunspicit; omnia clausa, surda, impervia. Donec se offert misero Sacerdos ac fluctuãti, qui iussum bene de diuina sperare misericordia duobus verbis Absolutionis, vniuersam diuini iudicij faciem conuertit, Reum absoluit, cacodæmones eiulantes confundit, prædam rapit, Angelos lætificat, iudicem in parentem, reum in filium atque hæredem conuertit.*

Estne hoc humanam aut diuinam accepisse potestatem, & sacerdotis iudicium diuino præscribere? Quid cum XVI.
Hom. 5. in verb. Es. tom. 1. hoc honore conferri possit, *ait ille aurei oris Antistes.* A terra principalem iudicandi autoritatem sumit cœlum. Nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur seruum: & quidquid hic in inferioribus iudicatit, hoc ille in supernis comprobat. Itaque medius stat sacerdos inter Deum & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, & nostras petitiones illuc perferens, Dominum iratum reconcilians vtrique naturæ, nos qui offendimus ex illius manibus eripiens. *Hæc ille. Itaq; in illis angustijs, in eo temporis ac rerum articulo, si taceat, actum est, si pacem loquatur, salua sunt omnia: & non est alius in cælo, aut in terra, aut sub terra, præter Deum & sacerdotem, qui infælicem peccatorem, extrema mortis tela pauitantem, ab æternis incendijs possit eripere, & traducere in lucem sanctam, & bonis omnibus affluentem. Quis erit aliquando vtriusque ardor charitatis in cælo, qui complexus; quæ gratiarum actio eius, qui tam opportunè ab æterno ereptus incendio dicet, Nisi quia tu adiuuisti me, nunc habitaret in inferno anima mea.*

Sed abeamus à præsentissimo periculo, & quotidiana cogitemus. Quanto sibi beneficio Sacerdos peccatorem XVII.
obstringit, dum venientem ad se, & scelerum conscientia verecũdantem, peramanter excipit ac paterne, & confitentem actus suos iuuat ac dirigit, & explicata re, eum excitat ad deploranda, ac detestanda peccata sua, & ingratissimi animi labem in patrem suum, in benefactorem suum, in Deum ac Dominum suum, infinito amore atq; honore dignissimum: dum sermonem instillat in cor eius idoneum ad conuertendas animas, & sapientiam præstandam paruulis: & ille idem qui mirabili metamorphosi panem mutat in Domini corpus, & vinum in sanguinem, hic peccatorem mutat in sanctum, mãcipium diaboli, in filium Dei, obnoxium æternis supplicijs, in hæredem æternæ vitæ. Et operibus bonis restitutis in integrum, & quasi vitali calore tepefactus, odium Dei commutat in odium peccati, & amorem carnis & sanguinis, in amorem pænitentiæ & afflictationis: studium deniq; mendacij & vanitatis, in conquisitionem veritatis, & iustitiæ sempiternæ. O mutatio non solum dexteræ excelsi, sed etiam industriæ, charitatis, & potentiæ sacerdotalis?

Et ecclesiasticus quidem Orator, qui Zelo salutis animarum, quasi subditis charitatis ignibus efferuescit, corda XVIII.
mortalium mouet, ac labefactat ad pænitentiam, malleum diuini verbi ore versans, quo saxa diffringat, ac conterat. Sed nescio quomodo dum peccata orationis aculeo confinguntur, plerique in socios, qui similibus vitijs tenentur illigati, mentis oculos à seipsis abductos, conijciunt, & illos hac orationis austera seueritate peti putant, ac dictitant. Aliena enim vitia, quam nostra libentius intuemur, quia hæc ingratam atq; iniucundam tristitiam pa-

riunt,

riunt, illa amicam superbiam in corde latentem fouent. At in sacro ac secreto Pœnitentiæ tribunali nulla negatio, nulla tergiuersatio; ex certis, & confessione ipsa vltro prolatis agitur; omnia tela verborum cadunt in corda inimicorum Regis, eaque cruentant, atque confodiunt.

XIX. *Hinc ille pudor, ille sensus, illæ lacrymæ prodigi, interrupta singultibus oratione dicentis,* Pater peccaui in cęlum, & coram te: *qui pene iustitiæ, ac seueritatis oblitus, irruit super collum eius. Et dum ille manantibus oculis, gementi pectore, offusa cordi tristitiæ caligine, stratis humi genibus, vultu pudore in terram conuerso lamentatur; Pater vice versa commiserationis lacrymas, cum lacrymis contritionis confundit, & pectore sancto calore æstuans, mœroris nubem expellit; & lætus congratulatur pastori Deo de oue recuperata, & collætatur Angelis Dei, quia hic frater eorum natu minor perierat, & inuentus est. Deinde potenti & efficaci voce, mortiferis solutum vinculis, vindicat in libertatem filiorum Dei, vt verè dicat cum Propheta,* dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. *Mox cœlesti refectus conuiuio, peccato mortuus, iustitiæ viuere incipit, & illud iterare atque integrare propositum, leuiorem sibi deinceps minusque formidabilem fore pestem, mortemq; certissimam, ipsumque etiam malum dæmonem, atq; æterna supplicia, quam mortiferæ culpæ admissionem. Et iure quidem ac meritò, neque enim pestis aut mors, aut tortor ille tartareus, aut æterna fornax tormentorum, carenti culpa lethali nocere multum potest. Nulla enim nobis, ait Ecclesia, nocebit aduersitas, si nulla nobis dominetur iniquitas.*

XX. *Quis hic non videt Sacerdotem etiam ipsi cœlo, ac Deo quodammodo fructuosum? Etsi enim Deus noster est, & bonorum nostrorum non eget; idem tamen ipse pater est, nec potest in filiorum suorum restitutione, ac reconciliatione non lætari, non gratam habere restaurationem regni sui; non summo amore complecti sacerdotem, qui non patitur irritum fieri sanguinem dilectissimi filij eius, qui obstruit ora, quæ Deum Opt. Max. sempiternis conuitijs, & quasi morsibus, tanquam rabidi canes, peterent: qui execrandas illas voces in cantica laudum diuinarum conuertit, qui spes & conatus capitalissimi hostis ipsius, irritos reddit atq; inanes, & pretiosissimam prædam eripit, atque excutit de faucibus eius.*

XXI. *Hoc ergo tantum, tamq; multiplex beneficium in me tuum, magnificentissime Præsul, hac oratione, quam non dicendi ars perpoliuit, sed gratus animus expressit, atq; dictauit, vtcumque explicasse sufficiat. Beneficium inquam; ab eo præsertim viro collatum, quem viri sanctitate, doctrina, atq; ista ipsa purpura illustrissimi, summo Pontificatu dignissimum, pene iurati censuere: ab eo viro, quo, etsi tanta in familia nato, eductoque, nihil moderatius fingere ad conciliandos sibi homines Humanitas ipsa possit: ab eo viro in cuius fide, prudentia, sanctitate, spectata iampridem ac cognita,* LVDOVICVS *ipse Rex Christianissimus mirificè acquiescit; & quem cæteri viri principes, regnique proceres, tanti Regis iudicio sensuq; excitati, meritissimo mirantur & colunt. Quæ si explicanda sint sigillatim, aut decurrenda etiam, infinitam postulent orationem; & hæc nostra iamdudum abutitur patientia tua. Itaque illud vnum addo huic commemorationi beneficij in me tui, id esse huiusmodi, vt nisi illud tanti fecero, quanti res ipsa est, meritò ignarissimus habear, iureq; illud mihi, cæterisque sacerdotibus suæ dignitatis ignaris, occinatur.*

O fortunatos nimium sua si bona norint?

Nisi te propterea omni officio, obseruantiaque coluero, amaro vt parentem, hoc enim loco ac numero Episcopi sunt sacerdotibus, prosecutus fuero, istiusque Quinti voluminis prædicatione, posteritati, quæcunque futura est, prædicaro, iure gratia indignus sim, ac gratiarum omnium inimicus. Vale, Parisiis, ipso assumptæ in cœlum Virginis Die, Æra Christianæ CIƆ. IƆC. XXIII.

ADDICTISSIMVS IN CHRISTO
IESV seruus,

IACOBVS SALIANVS
è Societate IESV.



OPERIS TOTIVS DIVISIO.

TOTVM OPVS IN SEX TOMOS, SIVE PARTES DISTRIBVTVM EST.

Primus Tomus ab Orbe condito ad ortum vſq; Moſis, annos bis mille quadringentos & ſexaginta tres complectitur, totamq; Naturæ legem, libro Geneſeos comprehenſam.

Secundus à natiuitate Moſis, ad Pontificatum Heli, & Samuëlem Prophetam progreditur; geſta Moſis, Ioſue, Iudicumque duodecim comprehendit; & annis ſex & ſeptuaginta, ſupra quadringentos circumſcribitur. Ab Exodo vſq; ad libros Regum.

Tertius habet regnum Iſraëlitarum ſub Saüle, Dauide, & Salomone; Heli & Samuële præmiſſis: centum & ſexaginta annorum decurſu: ex libris Regum, & Paralipomenon.

Quartus à diuiſione regni Iſraëlitici ſub Roboamo, vſque ad Nabuchodonoſorem, & captiuitatem Babylonicam exeuntem protenditur, ex ijſdem libris; additis Tobia, Iuditha, & Prophetis eorum temporum.

Quintus hic Tomus ab Imperio Cyri orditur, & Perſarum Monarchiam, magnamque partem Imperij Græcorum amplectitur. Ibi Eſdras, Nehemias, Eſther, & vltimi Prophetæ.

Sextus & poſtremus à regno Antiochi Epiphanis, ad Chriſti Domini mortem decurrit; eoque libri Machabæorum elucidantur, Euangelici libri in ſuos annos digeruntur.



CANDIDO LECTORI S.

Habes in hoc opere, erudite Lector, non solùm vniuersam veteris scripturæ historiam, per annos suos digestam (nam id in Euangélica quoque præstitimus) sed etiam enarratam, cum expositione quamplurimarum, grauissimarumque difficultatum.

In eodem Fl. Iosephi infinita errata ex Scriptura ipsa, & certiore historia corriguntur. Emendatoris etiam temporum vis ingens errorum, parachronismorum, & supputationum erronearum demonstratur.

Scriptores fere omnes, qui historiam sacram, profanamve, aut ex professo tractarunt, aut obiter attigerunt, in annos suos digeruntur, traduntur que compendio; vt propemodum quæcunque ab iis narrata sunt, paucis comprehensa ad sua tempora reuocari possint.

Stemmata familiarum illustrium, sacræ, prophanæque historiæ, disposita, suisque auctoribus testata proponuntur.

Pontifices Hebræi ad mille quingentos annos, ab Aarone scilicet ad Christi Domini passionem, per annos singulos annotantur.

Addimus denique [illegible] illustrium quarumque personarum veteris Testamenti cum Christo Domino, & illustrium fœminarum cum B. Virg.



PRÆ-



PRÆFATIO AVTHORIS IN QVINTVM VOLVMEN ANNALIVM ECCLESIASTICORVM VETERIS TESTAMENTI.

CANDIDO ATQVE ERVDITO LECTORI S. P. D.



NE nunc quidem nobis ad portum contento cursu, secundoque vento pro- I.
perantibus, à contra luctantibus Euris, piratisve dabitur quies, beneuole, Succrescunt æmuli.
atque erudite lector: à contra sentientibus, inquam, adeoq; contra dicen-
tibus æmulis, scriptoque prodentibus mentem suam: quod mihi quidem
certè in placido historiarum sacrarum vel profanarum æquore, & iucun-
da nauigatione non admodum videtur admirandum. Illud potius nouum
esset atque admirabile, si in tanta ingeniorum ac iudiciorum diuersitate,
quantam hæc ætas pene vbique gentium fudit, in hac plurimarum rerum
non exploratissima veritate, esset eruditorum omnium conspirans con-
sensus, & pene conflata sententia, &, vt Scriptura loquitur, *cor vnum, & a-
nima vna.* Pleriq; enim omnes fauent inuentioni propriæ, eamque tanquam filiolam osculantur suam;
eoq; trahunt iudicium, alioqui non hebes aut impolitum, quædam vt putent esse pulcherrima, quæ
longè absunt ab illa absolutione, quam illi animo suo depinxerunt. Vrsis quippe catuli sui, fœdi licet
& informes, pulchri admodum, atque amabiles æstimantur.

VERVM si Christiani sumus, vt profitemur, & rectè tam sancto, tamque illustri nomine gloriamur, II.
si in sacrosancto Ecclesiæ Catholicæ iudicio, tanquam in columna & firmamento veritatis, acquiesci- Qui licenter scribant.
mus, vt debemus, ea nobis debet esse regula dicendi, atque sentiendi; eaque omnia repudianda plane,
ac mature abiudicanda sunt, quæ cum illius sensu non plane, atque omni ex parte congruunt; neque
licenter scribendum, & vulgi præsertim auribus, oculisve permittendum, in omnem euentum, quasi
pertentandi, explorandique, vt aiunt, vadi causa, quod iuste vel paruulis, vel sapientibus offensionem
afferre possit. Rectè quippe minore in negotio monebat ille,

Membranis intus positis delere licebit *Quod non edideris; nescit vox missa reuerti.*

PRODIIT enim nuper Scriptor quidam, cuius nomini iustis de causis parcendum putaui, etsi ille non III.
pepercit meo, qui, ex Latini sermonis insolentia, vel vt aliqui suspicantur, imperitia, materna lingua Noua commenta.
vulgo dederit Melchisedechum nouum ex antiquo, ex mortuo rediuiuum, imò si superis placet, tribus
iam quatuorve annorum millibus superstitem; denique confusum cum Enocho Melchisedechum; Ca-
tholicorum omnium auribus, tot iam annorum centurijs, tot ætatum decursu penitus inauditum.
Cùm eo mihi viro, quamuis vltro fuerim, neque sine contumelia lacessitus, nolim sane longiorem esse
disputationem; præsertim cum tota res paucis confici, ac concludi posse videatur. Neq; enim viro Ca-
tholico licet in Scriptura sacra nouam aliquam, & sanctis patribus ignotam cudere opinionem, in e-
iusque confirmationem Scripturæ verba proprio ex sensu, atque interpretatione trahere. Id enim fue-
rit gladium ancipitem in perniciem veritatis conuertere; & hæreticos homines in pestem animorum
natos imitari, quorum nemo vnquam tam fatuam, tam insanam, tam portentosam finxit Hæresim, cui
ipsa Scripturæ verba apertè patrocinari non mentiretur.

ITAQVE Catholici omnes, ex decreto sacrosancti, & œcumenici Concilij Tridentini, & formula IV.
professionis fidei, quam edidit Pius IV. Ecclesiæ Catholicæ Antistes, quoties ex ritu Ecclesiæ fidem Contra fidei professionẽ.
profitentur, spondent, vouent, aciurant sacram se Scripturam *iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet
Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admittere;
neque eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum patrum, accepturos, aut interpretaturos.* Agnoscis opi-
nor verba ipsa Pontificis, aut agnoscere certè potes, neque enim arbitror in ea quandoque incidisse
te, ne malitiosè te potius, quod non arbitror, quam ex ignorantia peccasse cogar confiteri: nemo

certe argumenti vim ex ijs verbis petitam vlla tergiuersatione possit eludere. At quem tu mihi obsecro proferre potes antiquorum patrum, aut doctorum Græcorum, Latinorum, Hebræorum, qui huic tuo figmento ac vanitati proluserit?

V. *Nullo authore, vel patrono.*

NVM quos tu mihi Areopagitas, Tertullian. Origenes proferre potes? Num quos Iustinos, Irenæos, Athanasios, Cyprianos excitare testes? num quos laudare Hieronymos, Ambrosios, Augustinos, Chrysostomos, Gregorios, Lactantios, Saluianos, aut recentioris memoriæ scriptores eruditos, ingenioq; præstantes, quorum innumerabilia extant ingeniorum monimenta, in quibus inuestigata, inuenta, excussa, explorata sunt omnia, quibus occurrerit, aut arriserit tam subtilis, tam elegans, tam erudita interpretatio? Sed quid patronos requirimus commenti huius, cum habeamus confitentem reum, ac propemodum dicentem,

Libera per vacuum posui vestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede ——

Et omninò id sibi gloriæ vertentem, quod homini modesto pudori esse debeat, timori etiã Christiano.

VI. *Qui Paulũ propria interpretatione depravet.*

TESTEM inuocat Deum homo Christianus, & sacrosancti Euangelij contactu spondet ac iurat, se iuxta vnanimem consensum patrum diuinam Scripturam interpretaturum: hic audacter fatetur se ab omnibus retro scriptoribus ac magistris dissentire, & quidem ijs in locis, in quibus Apostolus ipse abstrusam se rem, & interpretatu difficilem, & ipsis Hebræorum doctoribus imperuiam scribere profitetur; quibus tamen ipse vnis vel maximè nititur ad stabiliendam inuentionem suam. Appello enim iudicium omnium non dico Theologorum, Philosophorum, aut Rhetorum, sed omnium plane, qui Latinè norunt, quis tam hebes aut vecors esse potest, qui hæc omnia verba, quæ ex Paulo proferam, ad vnum eundemque Christum non intelligat pertinere? *Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit; Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido ac lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex ijs quæ passus est obedientiam, & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.* Heb. 5. 1. & c. 7. 3.

VII. *Contra apertam rationẽ.*

HAEC, inquam, omnia nemo est tam elementarius, qui non videat ad Christum vnum pertinere, sicut omnes ad vnum interpretes scripto prodidere. Iste autem verba illa intermedia ad Melchisedechum referenda concedit; ita vt Melchisedechus cum clamore valido ac lachrymis orauerit, vt à morte saluus fieret, exauditusque sit pro sua reuerentia: vt scilicet immunis à morte ad finem vsq; mundi perseueraret. Quasi clamore valido ac lacrymis à Deo exprimendum esset, vt ad quina, aut sena annorum millia diuino conspectu priuaretur, & non eisdem cum lachrymis tantum exilium deprecandum foret, dicendumque. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* & *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius!* Rom. 7. 24. Cùm ergo priora ac posteriora verba ad filium Dei clarissimè, vel te confitente, pertineant, quo iure, imò quo ore tam importuna parenthesis inseratur? Non negamus quidem non seruari aliquando sententiarum colligationem, & huiusmodi parentheses nonnunquam, in Prophetis præsertim, admittendas esse, sed tum demum dicimus admittendas, cum locus ipse, & alioqui absurditas aliqua consequens, id requirit: sicut & figurata verba merito admittuntur, cum verba propriè sumpta inuehunt absurditatem; neque enim propriè Iudas diabolus, aut cæteri Apostoli sal terræ, aut lux mundi dici possunt.

VIII. *Cui nihil fauet Salianus.*

AT ENIM etiam Salianum in suam sententiam quamuis repugnantem trahit, qui in suo Melchisedechiano Epitaphio verba illa, *qui in diebus carnis suæ*, Melchisedecho accommodarit; nec videt eas voces in sensu accommodatitio vsurpatas esse, vti à sanctissimis patribus, & nominatim à mellito Bernardo videmus factitatum; qui tertio quoque verbo Scripturæ verba, rei plane dispari, ac disparatæ accommodat, Ecclesiam ipsam imitatus, quæ verba illà, *Et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, non ipsi Noëmo, de quo scripta sunt, sed omnibus sanctis Pontificibus tribuit. Eccl. 44. 17. Solus ergo ita sentit scriptor ille: solus se vidisse, atque intellexisse gloriabitur, quod nemo omnium sanctorum, & sapientum viderit hactenus, aut cogitauerit. Tanta est hominis sanctitas atque doctrina, Paulo vt Apostolo impune repugnare possit, cuius verba Ecclesia Catholica, quę ore doctorum suorum loquitur, de solo Christo dicta esse profitetur. Quo posito ruunt omnia, quæ tam ruinoso, ac male materiato nituntur fundamento, vt ea sigillatim euertere, inane, ac pene puerile sit.

IX. *Alium Apostoli locũ malè interpretatur de Melchisedecho.*

Ac ne ille quidem alter locus Apostoli, quo iste nititur, quidquam eum iuuat, *Appellatus à Deo*, inquit de Christo Paulus, *Pontifex iuxta ordinem Melchisedech, De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Ad Hebr. c. 5. 10. 11. Copiosum hunc sermonem, quem sibi superesse fatetur Apostolus, quique interpretatu difficilis sit, hic Scriptor ait de Melchisedecho intelligendum; quod si negauerimus, hominem illico obmutescere necesse sit. Infelicis causæ infelicior patronus, cui si verbo restiteris, digitum progredi non possit. Nec sine causa tamen negauerimus, cum necesse sit, vt Grammatici dictitant, vocem quæ præcedentia referat, primarium antecedens, nisi quid obstet, referre. Quod si liber, vt ratio postulat, sanctorum patrum, doctorumque interpretum autoritate certare, & eorum testimonia pene solitario noui hominis sensui anteferre, affirmare certè possumus eos ferme omnes copiosum illum sermonem, & inexplicabilem, non de Melchisedecho, sed de Christi Domini mysterio Eucharistico, diuinoque sacerdotio interpretari.

X. *Qui de Christo est, Patrũ & interpretum iudicio.*

QVOMODO enim non explicatu difficile sacerdotium, in quo sit idem sacerdos & hostia, & ea hostia, quæ quotidiè sumpta non consumatur? Rudibus præsertim Hebræis, qui iam dudum Christo ipso de mysterio incarnationis, & diuinæ Eucharistiæ disputante, dicebant, *durus est hic sermo, & quis* Ioan. 6. 61. In epist. ad Hebr.

potest

potest eum audire? De Melchisedecho autem, qui pane & vino offerendo, figuram eius expressit, quid erat quod à Iudæis capi non posset? Rectè itaque S. Ambrosius, illud, *de quo nobis grandis sermo*, de incarnato Dei filio, non de Melchisedecho interpretatur. *Causam reddit*, inquit, *cui sermo quem de filio incarnato instituit, difficilis ad interpretandum esset.* [Ep. 126.] S. Hieronymus refert ad sacramentum, quod cum Apostolo appellat mysterium ineffabile, in quo duo sacerdotia prioris & posterioris populi inter se comparantur. S. Chrysostomus, etsi loquitur paulo obscurius, ad Christi tamen humanitatem refert. Theophylactus ad discrimen sacerdotij cum S. Hieronymo. S. Anselm. ad Christi Pontificium. De quo *Christo*, inquit Oecumenius, *multa forent dicenda.* Idem sentit Lyranus cum interlineari glossa, idem Caietanus, ac Iustinianus, idem Francisc. Ribera, alijq; viri doctrina ac sapientiæ laude præstantes, qui prædictorum patrum secuti vestigia, Christum hoc loco ab Apostolo, non Melchisedechum intelligi voluerunt. [Sa. & Mariana.] Et vt de Melchisedecho intelligeretur locus, quod nonnulli cum dubitatione dixerunt, num propterea his verbis effici potest, quod Scriptor hic tanta molitione conatur? Num propterea in Enochi non solum sedem, sed personam etiam transferri potest? Iacet ergo totus ille verborum laciniosus apparatus, de re noua atque inaudita, quam de Melchisedecho Apostolus videatur esse dicturus.

XI. [Paulus negat Melchisedechum fine vitæ habere.] RVDIBVS pugnatum est hactenus, & ludicro pene certamine: adest alius Pauli locus, de quo seria in primis, ac decretoria pugna est, ex quo si depulsus fuerit aduersarius, vt spero, plane debellatum est, herba ab eo porrigenda est. Machina ergo potissima ex eodem Pauli armamentario depromitur. Capite enim septimò sine vlla controuersia Melchisedech rex iustitiæ, & rex pacis ab eo dicitur; idemque *sine patre, sine matre, sine genealogia:* addit etiam *neq; initium dierum, neque finem vitæ habens: assimilatus autem filio Dei; manet sacerdos in perpetuum.* Hic nimirum est grandis ille sermo, & inexplicabilis, ab Apostolo ante promissus, in quo sine vlla ambiguitate verborum conficitur, Melchisedechum, qui patre & matre & genealogia, & initio dierum, & maximè fine vitæ careat, esse Enochum, quem omnes Catholici in viuis adhuc esse, cum Elia profitentur. Verum hæc quoque machina euertenda, & bene propitio Numine, in ruinam propellenda est.

XII. [Qui intelligendus Apostol. ex Hieronymo.] FACILE omninò id factu est, si antiquos illos Ecclesiæ proceres, doctrina & sanctitate præstantes, quasi eodem in Senatu collectos, admora foris aure placet audire; in primisque magnum Hieronymum. [Epist. 26. ἀπάτωρ. ἀμήτωρ.] *Iste Melchisedech*, inquit, *id est, rex iustus, rex fuit Salem, id est rex pacis, sine patre, sine matre, & quomodo hoc intelligendum sit, vno statim verbo explicari* ἀγενεαλόγητος: *non quod absq; patre & matre fuerit, cum Christus quoque secundum vtramque naturam, & patrem habuerit, & matrem; sed quod subito introducatur in Genesi, occurrisse Abraham à cæde hostium reuertenti, & nec antea, nec postea eius nomen feratur adscriptum.* Eodemque modo initio ac fine dierum carere dicatur, quod vtrumque Scriptura prætermiserit. [Ambros.] Quæ non vnius est S. Hieronymi sententia, sed Hippolyti, Irenæi, Eusebij Cæsariensis, & Emisseni, Apollinarij & Eustatij, quos ille huius expositionis laudat authores. [In c. 7. ad Hebr.] Eadem sensit S. Ambrosius, totidemque pene verbis, ab ipso vt apparet mutuatus, tradidit. [Ioa. Chrisostom.] Non possum prætermittere etiam pluscula verba aurei Ioan. Chrysost. quæ Scriptoris istius lapidei figmentum apertè confodiant, vt accepto mortifero vulnere, reuelascere omnino non possit.

XIII. QVONIAM *ergo*, inquit, *ei aduersabatur quod dictum est, Tu est sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedech, ille autem erat mortuus, & non fuit sacerdos in æternum, vide quomodo hoc sit contemplatus. Et quis hoc de homine dixerit? Non re ipsa*, inquit, *dico. Hoc est, nescimus quemnam patrem habuerit, aut quam matrem Nunquam accepit initium, nunquam est mortuus. Et quid tum? inquit. Non enim quoniam nescimus non est mortuus, nec habuit parentes Rectè dicis, & mortuus est, & habuit parentes. Quomodo ergo sine patre, & matre? Quomodo neque initium dierum, neque finem vitæ habens? Quomodo? eo quod non afferatur. Et quid hoc est? Quomodo hic, quoniam non recensetur genealogia, ita Christus ipsa rei natura. Ecce initium non habens, ecce non habens finem, sicut huius nescimus, neque initium dierum, neque vitæ finem, propterea quod non scripta sint: ita Iesu nescimus, non quod non scripta sint, sed propterea quod non sint Nam ille quidem est figura, & ideò propterea quod non sit scriptus, hic verò veritas, & ideo eo quod non sit.* Et mox, *Assimilatus autem filio Dei Vbi est similitudo? quod & huius & illius finem ignoramus, & initium: sed huius quidem, ex eo quod non sint scripta,* [Hom. 35. in Gen.] *illius vero, ex eo quod non sint.* Hæc scriptor ille aureus: quę alibi quoque in eandem omnino sententiam, præclare confirmat.

XIV. [Theophylacto.] QVID clarius dici potest ad obstruendum os figmenta loquentium, & vaticinantium de corde suo? Quoties hic audis mortuum Melchisedechum, quoties prætermissam genealogiam? quoties ignotos, & non scriptos parentes? si quem pietatis, vt spero, sensum habes, si quid timoris Domini, hæc te profecto lacerat, hæc te sancti Patris cruentat oratio. Addamus & Theophylactum. *Aliam*, inquit, *hic similitudinem habes. Quemadmodum enim Melchisedech sine patre est, & sine matre, non quod non habuerit patrem aut matrem, habebat enim etiam ipse, vt mortalium vnus, sed quia generis eius ratio, ac deductio non est contexta apud Scripturam, neque introducitur nomen parentum eius. Hunc ad modum Christus sine patre est, secundum inferiorem & humanam generationem: ex sola namque diua Virgine Maria genitus est.* Et infra. *Christus igitur reuera sine patre ac sine matre est: Melchisedech verò sine patre & sine matre, non reuera, fieri enim hoc non potest, sed quatenus haud inferantur Scripturæ eius parentes. Itaque quod ait sine genealogia, veluti interpretatur quid sit sine patre, ac sine matre. Perinde quasi Apostolus diceret, Hanc ad rationem dixi Melchisedech patre ac matre vacare, quod genealogia eius in Scriptura non exprimatur, nec mentio generis eius in illa fiat.* Hactenus ille præsul: quasi dicat parentum est generatio, genealogia verò Scriptoris; quod Hieronymus quoque indicauit.

XV. [Theodoreto. alijque multis.] POSSVMVS & Theodoretum proferre, qui in secundo dialogo communem hanc expositionem affert; eamque omnino esse Apostoli mentem ex eo confirmat, quod addiderit, [Inconfusus.] *cuius generatio*

non

non annumeratur in eis,ſicut Abrahæ ſcilicet,Iſaaci,Iacobi,& cæterorum;imò etiam addit, ſi reuera eſ- *In or. eiuſdem 38. & 36.*
ſet ſine patre & ſine matre,non fore illum imaginem,ſed veritatem.Poſſumus,ne longior ſiam,in eo-
dem Senatu numerare Oecumenium,Nicetam,& Eliam Cretenſem interpretes Nazianzeni Gregorij,
Rupertum l.5. de victoria verbi Dei, qui ait idem ab Apoſtolo de Elia dici potuiſſe, ſi ſe præbuiſſet oc- *Hom.7. de Paſcha.*
caſio.Cæſarium Arelatenſem,S.Anſelmum,& Hugonem à S.Victore,vtrumque in Epiſtolam ad He-
bræos.Poſſumus Syrum quoque paraphraſtem,Suidam,Lyranum,Hugonem Cardinalem,& vtramq;
Gloſſam. His autem ſubſcribunt longo ordine recentiores,viri in primis eruditi,Caietanus Cardina-
lis,Emanuel Sa. Robertus Bellarminus, Dionyſius Carthuſianus,Guillelmus Eſtius,Ioannes Mariana, *In ep. ad*
Benedictus Iuſtinianus,Franciſcus Ribera,Cornelius à lapide,Gabriel Vaſquez non vno in loco.Fran- *Heb.& t.1*
ciſcus Suarez, alijque haud dubie non pauci,quos nobis videre non licuit;ſed cui ſatis erit teſtium,cui *in 3.p.diſp.*
triginta quinque non ſufficient ? præſertim cum aduerſarius noſter tam infelici ſorte natus ſit, vt ne *86.c.1.in 3.p.d.46.*
vnum quidem proferre poſſit. *ſect.4.*

XVI. Ineptiæ libelli de Melchiſedecho.

Sed vide quæſo Hominis acumen,erudite lector:cum ſine controuerſia tota quæſtio de facto ſit, il- *l.3.c.7.de*
le,à ſcopo ac ianuis aberrans,contendit à Deo fieri potuiſſe vt Melchiſedech, vt de primis mortalium *amiſ. gratia.*
omnium parentibus conſtat,ſine patre ac matre naſceretur : & cum tanquam pro aris ac focis certa- *p.89.& 90*
rit, vt proprie ac rigide Pauli verba de Apatore atq; Ametore ſumerentur,de initio dierum non pro-
priè ac rigide ſumenda putat,ſed ad Scripturæ ſilentium confugit. Rurſus finem dierum ſine vlla figu- *p.97.*
ra ſumi vult;& ſunt tamen omnia in vnius eiuſdemq; tractu, textuque ſententiæ. Vide rurſum egre-
giam argumentationem.Melchiſedech eſt reuera Enoch,Melchiſedech propriè,ac ſine vlla figura,ca-
ret patre & matre. Vtraque propoſitio ipſius eſt ſtudioſiſſimè confirmata;at recta conſecutio. Ergo *Gen.5.17.*
Enoch caret patre & matre,contra Scripturam directò pugnat,quæ Enochi patrem Iaredum nominat.
Quis Catholicus ita ratiocinetur?

XVII. Rurſum aliæ.

Longvm eſt iter ad omnes libelli iſtius ineptias,& patent ipſæ per ſeſe;excutiamus tamen quoniam
cœpimus nonnullas,illas præſertim quæ ipſum petũt ſuſceptæ ab eo diſputationis caput:*Finem*,inquit,
vitæ non habere creditur Enoch,cur non & Melchiſedech ? Quis ſtramineo telo moueatur?Cui non ſit in
promptu dicere,pro Enocho Scripturam ipſam ſtare,cum omnium Patrum certiſſimo conſenſu;Mel-
chiſedecho fauere neminem,imò Scriptores omnes repugnare,quorũ,Scripturam vnanimi conſenſu
interpretantium,ore,Eccleſia Catholica loquitur.*Cur non dicatur ſemper viuens,vt ſit figura Chriſti?*Cur
non etiã Dauid,& Abraham,& Noë,& Ieremias ſemper viuere dicantur,quos Chriſtum figuraſſe con-
ſtat?*Si eſt ſacerdos in æternum,ergo ſemper viuit,non ſacerdotium animæ,conuenire non poteſt*.Corrige ergo,
ſi audes,Eccleſiam Catholicam,quæ in honorem ſanctorum Pontificum, quorum ſolæ animæ in cœ-
lis viuunt,quotidiè canit, *Ecce ſacerdos magnus,qui in diebus ſuis placuit Deo :* num aut illam errare , aut
iſtos omnes in viuis eſſe affirmabis?

XVIII. Qui Sacerdos in æternum Melchiſedech.

Disce autem ex mente Apoſtoli,Chriſtum Dominum ſacerdotem dici in æternum , qui etſi habet
in terris,qui vicaria pro eo poteſtate fungatur,ſucceſſorem tamen non habet, vtpotè *ſemper viuens ad*
interpellandum pro nobis.Melchiſedech autẽ, cui nemo in ſacerdotio ſuo ſucceſſiſſe perhibetur, dicitur
etiam ſacerdos in æternum : contra quam Leuitici ſacerdotes,quibus demortuis alij eiuſdem ordinis
ſufficiebantur, mortui ſacerdotio pauculis tantum annis circunſcripto. Fortius videatur id telum ex *ca.7.8.*
Apoſtolica pharetra depromptum, cum ait,in lege Moſaica homines morientes accipere decimas,*ibi*
autem conteſtatur quia viuit.*Nimirum*,inquit iſte,*Apoſtoli tempore erant qui teſtificarentur Melchiſedechum*

Alius Pauli locus deprauatus.

viuere. Quid eſt Scripturam auſu temerario deprauare,& propria interpretatione,quod vetat Petrus, *2.Pet.1.*
pro humana voluntate in priuatam ſententiam trahere,ſi hoc non eſt?Imò verò prędicti omnes 35.te- *20.21.*
ſtes hanc tuam aſſertionem & interpretationem falſi conuincunt, & mortuum nominatim cõteſtan- *Chryſ.ſup. n.13.*
tur; & conſequenter affirmant, videri Scripturam teſtari eum viuere,cuius mortem ſilentio prætterit.

XIX. Reſtitui turà Theophylacto.

Avdi Theophylactum Archiepiſcopum doctiſſimum,hunc locum præclare expendentẽ,cuius ex-
poſitioni,cum omniũ patrum interpretatione congruenti, ſi tuam vnius expoſitionẽ oppoſueris,me-
ritiſſimò,vel Petro Apoſtolo iudice,vapulabis.*Aliud eſt argumentum*, ait ille Præſul, *quo demonſtrat ma-*
iorem ſacerdotibus legis Melchiſedechum;hic enim,hoc eſt in lege,decimas accipientes moriuntur; *illic autẽ,hoc*
eſt in cauſa ſecundũ Melchiſedechũ,decimas accepit, cui teſtimoniũ ſcriptura dicit quod viuat.*Tu enim*,inquit,
es ſacerdos in æternum ſecũdum ordinem Melchiſedech.Viuere autem ſemper Melchiſedechum ſic intellige,per-
inde ac ſupra memoratum eſt,quod Scriptura non faciat mentionem obitus eius. Sic ipſe:eademq; ante ipſum
Oecumenius,cæteriq; omnes,quos ſupra laudauimus, ſibi ipſis conſentientes: quibus omnibus vnum
aliquem priuatum hominẽ contradicere, eumq; non doctiſſimum,ferrei profectò oris ſit,aut lapidei.

XX. Num Catholici pares Origeniſtis.

Illvm autem quis ferre poſſit,qui audeat dicere , non minus videri ſibi excuſabiles Origeniſtas,qui *p.118.*
Melchiſedechum voluerunt eſſe Angelum, quam Catholicos omnes , qui prædictam expoſitionem
Pauli verbis attribuant,quæ figuram tantum in eis,& allegoriam agnoſcat,non veritatem. At mi ho-
mo figuræ iſtæ Rhetoricæ,ſi neſcis, non tollunt ſententiæ veritatem.Reuera enim Reſpublica floret,
etſi planta non ſit,neque flores producat ? Et Dauid maledicenti Semei reſpondere potuiſſet , *Ego vir*
ſanguinum,& vir Belial,non egrediar ad te,vt fundam ſanguinem tuum,qui ſcilicet talis dicor in exprobra-
tione tua:ſic ille patre caret in hiſtoria,quæ de eo ſcripta eſt, etſi reuera patrem habuerit,ſicut Dauid in
oratione Semei vir ſanguinum eſt,licet fuerit reuera mitiſſimus. Porrò æque Origeniſtas & Catholi-
cos errare neceſſe eſt,ſi æquè excuſari vtrique,aut accuſari poſſunt; At Origeniſtas eſſe hæreticos tute *P.128.*
paulo ante dixiſti:Iudice ergo te Catholici omnes hæreticis accenſendi ſumus. O præclarum Eccleſiæ
Doctorem,& ſapientem fidei,morumque cenſorem.

XXI.

At melior fortaſſe Chronologus in ſacra illa ſua Chronologia , in quâ Melchiſedech Semo æqualis
eſt, quem nos totis quadraginta duobus annis ante Iacobi ortum mortuum eſſe dicimus , temereque

Hebræos in ratione temporum accusamus; imò in ortu Abrahæ ab aperto Scripturæ textu disced- Inepta eiusdem Scriptoris accusatio.
mus, eique plane contradicimus, secuti nescio quos huius ætatis sectarios. Nos autem in fraudem in-
duxit iunior ille Cainan, quem liber Geneseos, aut Paralip. non agnoscunt. Neque satis tecti sumus
Lucæ testimonio, qui genealogiam scripsit personarum, non temporum, vt Moses, qui propterea il-
a p.111. & seq. lum reiecit *Sed hac*, inquit, *Salianus videre non potuit, magnis Annalium voluminibus occupatus*.[a] Hæc il-
le pluribus, quæ in suo lobo inculcauit propemodum insultando: quæ licet non è re sit diligentius ex-
cutere, præsertim cum tota hæc siue querela, siue criminatio duobus iam locis perquam accurate à
b tom. 1. an. 1694. & in præf. tom. 3. nobis refutata sit:[b] ratio tamen postulat vt nunc saltem hominis aliquot errata, circa hunc ipsum lo-
cum numeremus.

Errat itaque primo, quod studio quærendi aduersarij, quicum litigare posset, aut gloriola inue- XXII. A scopo aliena.
niendi nomen suum in scriptis alienis, controuersiam inseruit, quæ nihil plane ad rem faciat, de qua
disceptatur. Est enim apud eum ex Hebræis petita quæstio, an Melchisedech sit idem cum Noëmi fi-
A. M. 2118. n. 18. lio Semo; atque plerosque ita existimasse, quod Sem Abrahamo æqualis esse potuerit, & in eadem in-
currere tempora. Qua ille arrepta occasione præceps in nos irruit, quasi contra sentientes. Nec videt
asseruisse nos veram Chronologiam non repugnare sententiæ, quæ Melchisedechum eundem cum
A. M. 2158. init. Semo esse velit: Nec obseruauit in nostra Chronologia Semum 120. totos annos cum Abrahamo vi-
xisse: quid ad rem, ad Isaacum ne Semus, aut Iacobum viuendo peruenerit? Quid ad rem istam, an A-
brahamus serius ocyusve, hoc vel illo patris anno natus fuerit? Quo iure ab eo, qua lege, quo iudicio
mentio fit hoc loco Cainæ iunioris?

Errat secundo, vt mihi quidem videtur, contra modestiam Christianam, qui ignotum de facie XXIII. Inurbana atque immodesta.
hominem, sacerdotio, & ætate pene patrem, &, vt nihil aliud dicam, nihil de se male meritum, iuueni-
li quadam licentia nominatim inuadat; accuset que quod cogitationes suas coniecturasque, perspicuæ
sacri voluminis sententiæ, scriptoque anteferat; imò etiam sententiam illi plane contrariam sequatur:
quod vtique incredibilis superbiæ est, & hominis, si verum fateri volumus, parum Christiani. Ipse ve-
rò Hebraicam Chronologiam, & videlicet etiam suam, nostræ præfert, quæ Scriptores hæreticos, nul-
lo examine, iudiciove adhibito, sequatur. Denique quod magnis Annalium voluminibus illudat, qui
libellum latine scribere fortasse nequiuerit; in eoque etiam tam multa peccarit, vt si serio examinen-
tur ab homine, qui otio abundet & literis, errataque singula refutentur, ingentia volumina scribenda
sint.

Errat tertio, simulque calumniatur, nos Scripturæ contraria dicere, nimirum in ortu Abrahæ; XXIV. Calumniatur super ortu Abrahæ.
hoc enim ille vulnus Chronologiæ suæ impositum patienter ferre non potest. De quo tamen ortu, si
legit & intellexit, quæ nos tam illo anno legitimo, quam septuagesimo primo Tharæ scripsimus, non
Gen. 11. 32. poterit quin se ipse arguat vanissimæ calumniæ. Scriptura quippe apertè testatur Thare quinto & du-
centesimo vitæ suæ anno esse defunctum: inde statim subiicit egressum Abrahæ ex diuino mandato,
Gen. 12. 1. 4. cum esset annorum 75. Atqui hinc apertè consequens est, natum Abrahamum anno patris centesimo
trigesimo absoluto. Quid hic Scripturæ aduersarium? quid non cum ea bellissimè concinit? Illud scili-
cet, quod ea dicat Thare vixisse 70. annis, & genuisse Abram, & Nachor, & Aran. Quid tum? ergo ge-
nuit illo anno; nugæ. Satis est enim Scripturæ veritati, vt nemo illorum trium genitus fuerit ante an-
num septuagesimũ Tharæ, vt autem eodem anno geniti fuerint, nihil est necesse. Et habes exemplum
simillimum, & quasi geminum in Patriarcha Noëmo, quem Scriptura dicit quingentorum fuisse an-
Gen. 5. 31. norum, cum genuit Sem, Cham & Iapheth; cui assertioni nihil repugnat aliquem istorum longius
postea esse natum. Quin etiam Semum Noëmi, vt communis fert sententia, primogenitum, biennio
Gen. 11. 10. post natum esse constat, vt qui biennio post diluuium centum annorum fuerit. Et hanc esse Scripturæ,
A. M. 1979. n. 1. & 2. ex S. Augustini interpretatione sententiam, docuimus anno Tharæ septuagesimo primo.

Nam quod Hebræorum Chronologiæ venisti patronus, eamq; sine vlla probatione antetulisti meæ, XXV. Hebræorũ Chronologia.
satis, opinor, factum putasti vernaculis tuis, quibus domestica scripsisti lingua, quibus Hebræum no-
men religioni, ac propemodum horrori est: ne quo modo scripturæ sacræ, quæ magna ex parte ex He-
bræis est, repugnare videantur: nec norunt Hebræos, qui posterioribus seculis à Christo vixerunt, bipe-
dum, ac pene quadrupedum stupidissimos esse, atque indoctissimos. Audi enim Hebræum ex Hebræis
2. Cor. 3. 14. 15. Paulum Apostolum. *Obtusi sunt*, inquit, *sensus eorum. Vsque in hodiernam enim diem velamen in lectione ve-
teris Testamenti manet non reuelatum, quoniam in Christo euacuatur: sed vsq; in hodiernum diem, cum legi-
tur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Et quoniam non placet actum agere circa parachronis-
mos illos quos tu memoras, quos tu ne labefactare quidem vlla ratione potuisti, vel certe noluisti age,
p. 132. agnosce mecum specimen Chronologicæ eruditionis magistrorum tuorum, circa id tempus, in quod
incurrit quintum Volumen, cui hanc scribimus prolusionem.

Apud Mũst. p. 15. Genebr. p. 1540. Regusta obsecro effata illa ineptissimæ Cabbalæ Abrabami Leuitæ, vbi Cyrum ait regnasse trien- XXVI. Longe ineptissima.
nio, ei Assuerum Estheris filium successisse, eundemque & Darium esse, & Artaxerxem; eiusque anno
secundo extructum esse templum. *Darius iste*, inquit, *agebat annum vitæ septimum, cùm regnare cœpit,
imperauit q; triginta duobus annis. Nam Alexander Macedo percussit eum, anno structuræ templi trigesimo:
tum accisum est imperium Persarum, & instituum habuit regnum Græcorum.* Sic ille. Numera, si potes, quot
Vide a. m. 3724. n. 11. & 3568. n. 1. mendaciorum portenta hic nugator in pauca verba coniecerit. Imperium Persarum, si imperitissimo
isti Chronologo credimus, summum annis duobus supra quinquaginta stetit, non vltra ducentos,
vt placet Dionysio, non ad 230. vt Quint. Curtio, aut 250. vt Seder Olam maiori. Deinde
Dan. 6. 11. 2. Persarum reges non fere decem vt cæteri, sed tres omnino fabricatur, non intellecto Daniele,
cum quo saltem 4. memorare potuisset. Darium Hystaspis cum Dario Arsamida confundit, centum

& 50.

& 56. annorum parachronismo. Quid Seder Olam minor? *Post Zorobabelem*, inquit, *stetit Mesulam filius ipsius. Eius autem diebus incepit imperium Græcorum.* Ridicule, Nam Zorobabelem constat cum Cyro vixisse, filius ergo eius ducentis minimum vixit annis. Apage ista delirantium somnia, aut somniantium & parum sobriorum deliramenta. Redeo ad amicum nostrum.

XXVII. Et authoribus eiusdem sententiæ.

ERRAT ille quarto, quod nos duorum Sectariorum de ortu Abrahæ quasi discipulos comminiscitur: nec intelligit nos illo primo anno Abrahæ docuisse, ac plane nisi valde fallimur euicisse, hanc esse Mosis, D. Stephani, & Apostoli Pauli sententiam. Nec vidit laudasse nos quoq; eiusdem Chronologiæ assertores Theodoretum, Procopium, & Chronicum Alexandrinum; Lyranum, Caietanum, Tornielium; Naclantum, Marzillam, Pontacum; quibus addo etiam Baradium tomo primo Concordiæ Euangelicæ, homines, vt videtur, ipsi magna ex parte ignotos; habes certe notatos à nobis, laudatosque anno illo primo Abrahami, viros omnes non solum Catholicos, sed doctrina etiam, ac pietate præstantes: quibus ille sectarios, si videtur, adijciet. *l. 8. c. 3. n. 9.*

XXVIII. Inepta distinctio Chronologiæ.

ERRAT quinto, sibique ipse quodammodo gratulatur, in quadam distinctione genealogiæ, acuta videlicet ac sublimi, quam nos hebetes, atque humi strati videre nequiuimus; quam rursum in Iobo suo, quasi phalaricam in nos intentat, quæ nũc eadem opera infringetur. Distinguit ille genealogiam duplicem, personarum scilicet ac temporum; nec videt se ineptam temporum genealogiam introducere, quæ nulla est, & non nisi personarum quæ generantur, esse potest, itaque duo membra diuisionis in vnum incidunt. In illo porro Iobo, non est quod à me expectet vt excutiam, quæ reprehendenda videantur; siue quia id cumulate, atque erudite factu iri speramus à R.P. Iacobo Bolduc viro in religiosa Capuccinorum Patrum familia doctissimo, in egregio illo opere, quod de Iobo conscribit; siue quod responsione non satis digna videri possit scriptio, quæ tota ferme vel Annij Viterbiensis commentis nitatur, quæ homo minimè malus pro germanis amplectitur, licet ea iam à 40. annis viri doctissimi, atque antiquitatis scientissimi, tanquam meras fabulas irriserint: vel certè traditionibus Hebraicis, quas S. Hieronym fere satis habuit colligere: non item explorare quam multa in illis insulsa, & cum Scriptura ipsa pugnantia dicerentur, quod non semel in primo nostro volumine demonstrauimus, vt nihil necesse sit hoc loco actum agere, aut falcem in alienam messem immittere.

XXIX. Error in iuniore Cainam.

ERRAT sexto, quod nullo nixus authore, cum magna probabilitate mentiendi, ait Cainam illum iuniorem socerum fuisse Sale, quem S. Euangelista vocat patrem; additque audacter eundem Cainam fuisse mortuum, ante patrem suum Arphaxad. Quæ sanè tum credemus, cum nos de facta sibi diuinitus reuelatione docuerit. *p. 134.* Illud tamen interea rogauerim: Si Cainam fuit filius Arphaxad, ergo Salæ fuit frater Cainæ, non gener, vt retis. Sed quoniam non desunt viri graues, & in primis eruditi qui

Num fuerit pater legalis Salæ.

authoritatem S. Lucæ duce Naclanto subterfugiant, dicantque Arphadax patrem fuisse naturalem Salæ, eiusdem autem legalem Cainan, qui ab ipsis quoque Septuaginta interpretibus in libris Paralipomenon sit prætermissus, age videamus quid probabilitatis habeat ista sententia, quæ verbo quidem aliquid dicit, re autem ipsâ nihil dicit. Nam vt omittam ante legem latam, nullos fuisse legales patres, certè vt omnem se in partem versent qui ista sentiunt, duo incommoda vitare non possunt. Alterum est, quod legales patres introducebantur, ad supplendum defectum naturalis parentis, qui sine liberis abijsset è viuis, quod de Arphaxado dici non potest, qui Scriptura teste genuit Sale, & præter eum filios & filias. Quid ergo fuit opus legali patre, qui semen suscitaret defuncto, qui multos liberos superstites reliquisset? Alterum est, quòd si Cainan est pater legalis Sale, ergo est etiam frater Arphaxad, fratres enim assumebantur ex lege, qui semen defuncti sine liberis suscitarent, quod est contra S. Lucam, qui eum filium eius vocat, non fratrem. Redeo ad coniecturas & diuinationes.

XXX. Noui prophetæ vaticinia.

NAM alia quoque non pauca sunt, quæ diuinat hic minorum gentium propheta, timideque pronunciat, quæ nullo modo probare potest. *p. 161.* 1. Henochum egressum de Paradiso, vt homines doceret sacrificium panis & vini. 2. Assumpsisse sibi gloriosum Melchisedechi nomen; parum consentaneè Sancti viri modestiæ, cum verius sit, quod affirmant aliqui, id fuisse commune nomen regum illius ciuitatis. *p. 168.* 3. Post colloquium illud cum Abrahamo, reuersum in Paradisum non vltra comparuisse; temere scilicet abdicato tam Regis, quam Sacerdotis officio. 4. Abrahamum sanctitate, & perfectione Henocho cessisse. Hunc enim acquisitam habuisse perfectionem, constantem opinor dicere voluit atque inuariabilem; illum autem erraticam atque incertam. Neque admodum fortasse curat repugnantem Chrysostomum, qui ait Abrahamum fide, patientia, humilitate, hospitalitate, omnibus denique virtutibus cæteros antecessisse; & nominatim contendit eum fidei perfectione Noëmo, Abele, & Enocho fuisse longe præstantiorem. *Hom. 42. in Gen. Hom. 25. ad Hebr.*

XXXI. Et ineptæ argumentationes.

VIDE autem non solum Prophetam, sed eximium etiam in argumentando dialecticum. *Melchisedech non habuit finem dierum, Enoch qui viuebat tempore Abrahami, non habuit finem dierum; sequitur necessario*, inquit, *Enoch esse Melchisedechum.* *p. 170.* Adducetur obsecro aliquis ex imò subsellio logicus, qui insusurret, ex meris negantibus nihil sequi. Placet ei nihilominus argumentatio, ideoq; eam subinde versat. *Paulus in vna eademq; Epistola ait alterum finem vitæ non habuisse, alterum translatum ne videret mortem, atque ita rectè colligeretur*, inquit, *solideque defendi posset vnum eundemque esse Enochum & Melchisedechum.* *p. 173. 175. 176.* Rursum. *Qui caret maioribus & posteris est sine genealogia, Enoch caret maioribus & posteris?* *Ca. 7. 3. p. 68.* Quid ais? An ignoras eius parentem Iaredum, & filios Mathusalem, & Lamech, & Noë: *Nati sunt*, inquit, *isti ante diluuium.* Quid ergo, ante diluuium non erant generationes hominum? non ortus interitusque mortalium? Nonne ante & post eluuionem, eadem perseuerat vicissitudo dierum atque noctium? Denique ab ortu rerum ætates prætereunt succeduntque sibi, vt formæ in materia, terra autem immobilis perseuerat. *Eccl. 1. 4.*

ITAQVE

XXXII. Conclusio aliū esse à Melchisedecho Henochum.

Heb 7.6. a.m.987. n.17.& 3119.n.28. vid. Abul. q 24.& 25. in c.2. 4. Reg.p.201.

ITAQVE veriorem ex dictis, longeque diuersam eliciamus conclusionem. Cum nulla quæ probari possit conditio Melchisedechi conueniat Henocho, non regia dignitas, non sacerdotium, non ætas, non filij, non parentes, non posteri, non maiores: Cum hic virgo fuerit, Irenæo teste a c Suida, ille liberos susceperit vtriusque sexus; cum Abraham sit in recta serie posterorum Enochi, quod de Melchisedecho negat Apostolus; cum Enoch neque comederit, neque biberit, ex quo abductus est à conuictu ac societate mortalium, vt ex Augustino, Hieronymo, ac Tertulliano docuimus, quod hic de suo Melchisedecho inde egresso fatetur: cum ille viuat, hic à viuis abierit, necessario dicendum est, alium omnino ab Enocho esse Melchisedechum, nec aliud sine temeritate, & peruersione Scripturarum, & contra totius Ecclesiæ Catholicæ sensum affirmari posse; eamque opinionem, eiusdem Ecclesiæ iudicio, insolentis ac periculosæ nouitatis esse damnandam.

XXXIII. Eum non transl. tū in Paradisum.

l.5.c.5.& 6 c 4.6x17.

QVONIAM verò si ab hac statione depulsus fuerit, vt planè depulsum puto; illuc se confugere profitetur, vt dicat Melchisedechum translatum in Paradisum, sicut Eliam & Enochum, ibique cum alijs iustis viuere, age hominem ex ista quoque perfugij arce detrudamus, vt ab vtroque propugnaculo reiectus, non doctoris immeritum munus accipiat; sed humilis discipuli, ac religiosi Christiani ordine se contineri patiatur. Hoc porrò alterum commentum se ex S. Irenęo confirmare putat, cuius verba dum pro arbitratu suo interpretatur, eò trahit, quò ille adire non cogitat. Volens enim carnis resurrectionem confirmare, eam credibilem esse docet, ca.5. tum ex eo, quod olim homines multis sęculis in corporibus suis viuebant, posset autem Deus efficere, vt corpora viuant, quandiu ei placuerit: tum ex eo quod ex ipsa Scriptura constet Enochum eo ipso in corpore translatum, in quo placuerat Deo, translationem iustorum præmonstrando.

XXXIV. Neque illū Irenæum fauere.

HIC ille translationem iustorum Melchisedechi, & aliorum interpretatur, cum Sanctus ille doctor de translatione iustorum cum corporibus suis, quæ post iudicij diem futura est, disputet; id enim erat in quæstione cum hæreticis carnis resurrectionem negantibus; nec plurium iustorum translationem quærebat, quam eorum, qui in Scriptura translati memorantur; quoniam æquè ex duobus, atq; ex pluribus veritatem Catholicam aduersus hæreticos confirmabat. Idem etiam de Elia constare ait, qui ipse quoque in proprij corporis substantia assumptus est, *Assumptionem*, inquit, *Patrum prophetans* Quos vocarat iustos, eosdem patres vocat, fortè propter iustos, qui in Veteri Testamento sanctitate floruerunt, iuxta illud Dauidis: *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij*. Itaque ex pari argumento parem infert conclusionem; neque alios paradisi colonos ab his duobus agnoscit, sicut nec Euangelista in Apocalypsi, neque vniuersus antiquorum, recentiorumque doctorum chorus. Nam qui Moysem illis, Ieremiam, aut si quem alium adiecerunt, iampridem à sana doctrina aberrasse conuicti sunt, quibus iste se socium adiungit.

XXXV. Antiquus error de iustorum locis.

l.5.c.36. Li.5.c.36.

QVOD autem iustis hominibus, & spiritum habentibus paratum ait paradisum, in quem & Paulus Apostolus asportatus est, ibique manere eos qui translati sunt, vsque ad consummationem, auspicantes incorruptionem, Scriptorem istum non iuuat, qui animaduertere debuit, id S. Martyrem non ex propria mente dicere, sed Presbyterorum, qui fuerunt Apostolorum discipuli, puta Papiæ, Aristionis, & Ioann. cuiusdam senioris, quorum discipulus fuerat, vt notauit Feuardentius; ex quorum etiam doctrina, eadem distinctius sub finem libri quinti tradidit. Post mundi scilicet renouationem, cum erit cœlum nouum & terra noua, quosdam in cœlum transituros, alios tuto Paradisi delicijs vsuros, alios ciuitatem sanctam, puta Ierusalem possessuros, vbique autem Deum esse visuros. Sed hæc ille retulit, vt dixi, ex magistris suis, quæ iampridem à Catholicis explosa & reiecta sunt, qui Eliam & Enochum agnoscunt esse superstites, præterea neminem. Denique Ecclesia Catholica in synodo Florentina, in literis vnionis, ipsius summi Pontificis Eugenij ore pronunciauit, iustorum animas hinc decedentes, si plane purgatæ fuerint, in cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum & vnum sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius; cæteras quæ in lethifero aut originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Nullus ergo alius est, futurusve est locus, in quem iusti vel ad tempus aliquod, præter illos duos, vel in perpetuum recipiantur. In Concilio damnatus.

XXXVI Monitio.

Ca.6.16.

ITAQVE etiam atque etiam vide, ne qui næui sunt aliquorum patrum, cum res ab Ecclesia definitæ nondum erant, fiant errores tui, qui illotis, vt aiunt, manibus, nec Theologicis tinctus literis, lectione Scripturæ, ac Patrum inducaris in fraudem, neve per scripta parum cauta, fias imperito populo petra scandali, & lapis offensionis. Tu verò, candide atque erudite lector, cui meritò suspecta sunt atq; ingrata noua dogmata, recensque nata commenta, qui semitas potius antiquas, tot sanctorum, doctorumq; patrum vestigijs pressas adamasti, audi Ieremiam dicentem, Deique iussu admonentem. *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea*; simulque laboribus nostris, pro tua æquitate faue, & tuis apud Deum precibus iuua, & Vale. Parisijs in Collegio Claromontano Societatis IESV, 4. Cal. Augusti, anno Æræ Christianæ, 1623.

TVVS IN CHRISTO SERVVS,

IACOBVS SALIANVS
è Societate IESV

FACVL-



FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ FRANCIÆ SOCIETATIS IESV.

EGo IGNATIVS ARMANDVS *Præpositus Prouincialis Societatis* IESV *in Prouincia Franciæ, potestate ad id mihi facta, ab admodum R. P. Nostro Mutio Vitellesco Præposito Generali eiusdem Societatis, facultatem concedo vt Quintus Tomus Annalium Ecclesiasticorum veteris Testamenti, à P. Iacobo Saliano compositus, & grauium eiusdem nostræ Societatis, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem hasce literas manu nostra subscriptas, sigilloq; nostro munitas dedimus. Parisiis, primo Die Ianuar. Anno à Christi Domini ortu* 1624.

I. ARMANDVS.



ANNA-




ANNALIVM ECCLESIASTICORVM VETERIS TESTAMENTI TOMVS QVINTVS.

SEXTA MVNDI ÆTAS, QVÆ EST Principum, & Sacerdotum Hebræorum.

ANNVS MVNDI 3517. SEXTÆ ÆTATIS 1. SOLVTÆ IVDÆORVM CAPTIVITATIS. 1. ZOROBABELIS DVCIS 1. IOSVE PONTIFICIS 1. CYRI, ET IMPERII PERSARVM 1. OLYMPIADIS. LX. AN. 4. VRBIS CON. 216. SER. TVLLII. ROM. REGIS 41.

ANNVS ANTE CHRISTI NATIV. 589.

N. I. *Prolusio in 5. tomum.*



OVVM Perſarum imperium, nouaque forma reip. Iudæorum, nouo huic Annalium noſtrorum tomo initiũ dabit. Quę ſimul vides, erudite lector, vt ordine quintum, ita quinque illuſtribus epochis inſignem: ſic enim vocant certas quaſdam temporum notas fixas atq; conſtantes, à quibus plures deinceps anni decurrentes notantur, ordinemq; ſuum, & nomen accipiunt; à quibus ego viciſſim ſuauiter hoc loco, taciteque moneor, vt diuiniſſimæ Triados, vt ſacroſanctæ Ieſu Chriſti humanitatis, vt diuinæ parentis in eius exordio, nouum auxilium, nouas animi, corporiſque vires, nouum magnis hiſce nominibus famulandi deſiderium humiliter efflagitem, infimiſque precibus implorem. *Et auxilij cælestis imploratio.* Quidni enim à maximo illo Rege ſeculorũ, & antiquo dierũ, Mundi principe ac rectore Deo *a*, *Boët. de consol. Phil. 3. met. 9.*

—— Qui tempus ab æuo
Ire iubet, ſtabiliſque manens dat cuncta moueri?

Quidni ab æterna Dei Sapientia, per quam Reges regnant; quæ ſedens in throno noua facit omnia? Quidni à diuino Spiritu, qui immiſſus in mundum renouauit faciem terræ? Implorem etiam enixius, ac familiarius à Chriſto Ieſu Domino noſtro, generis noſtri principe, ſolutæ diabolicæ captiuitatis authore, veriſſimo duce, ac Pontifice noſtro. Efflagitem & à beata Virgine, magna matre religioſorum omnium, cuius iamdudum auos, atauoſque recenſemus, & quantum per infirmitatem noſtram, & ſcriptorum ſacrorum penuriam licet, res ab eis præclarè geſtas, quamuis ſtylo parum culto, perſequimur; vt quæ laborem noſtrum ineuntem aſpirando præuenit, & progredientem adiuuando proſecuta eſt, nunc propius aliquanto finem intuentem, ad eundem ipſum profuſa benedictione perducere non grauetur.

II. *Ratio temporis.* Vt autem in hoc renouati ſtadij chronologici limine, rationem aliquam temporis, more inſtitutoque noſtro Lectori beneuolo reddamus, Sextã hic mundi ætatẽ inchoamus, iuxta eã diſtributionẽ, quã initio quintæ ætatis, anno mundi bis milleſimo nógenteſimo quadrageſimo, qui eſt primus Samuelis Prophetæ, digeſſimus; à qua nihil eſt hoc loco cur diſcedendum putemus. Annus quoque mundi, quem vides, recte nobis adhuc conſtat, *a* conflatus ex annis quintæ ætatis, & ijs, qui illam anteceſſerunt. Vides *b* quoque annos ante Chriſti natiuitatem, cum annis mundi copulatos, in illam conuenire ſummam, quæ primum ab ortu Chriſti domini annum exhibeat, quater milleſimum quinquageſimum tertium. Cætera, atque adeo hæc ipſa clara ſunt, &, ſi recte ſtabilitæ ſunt ſuperiores temporum notæ, neceſſaria, & ex ſequentibus etiam illuſtriora reddentur.

a 2940.	577.
3517.	
b 3517.	536.
4053.	

Hoc ergo anno nouum Perſarum imperium, Cyro principe, ac Monarcha, exortum eſt; Nam extincto nuper Balthazare, poſtremo Babyloniorum Imperatore, & Chaldæis Medorum, atque Perſarum iugum, iam anno præterito, viuo Dario Medo ſubire edoctis, nunc tam illo æmulo, quam hoc conſorte imperij morte ſublatis; ad vnius Cyri arbitrium & dominationem, omnia orientis regna ceſſerunt, ſicq; imperium Balthazaris, quod iuxta Danielis oraculum, Medos inter ac Perſas anno præcedente diuiſum fuerat, totum in Cyrum tranſlatum ac tranſfuſum eſt. III. *Initia imperij Cyri.* Cæterum de rebus Babylonicis ita diſpoſuit nouus Imperator, vt eius vrbis nimium glorioſæ faſtum comprimere, atque elationem deijcere mallet, eamque ſibi reddere obſequentem, quam ipſam, indulgendo nimium iracundiæ, profligare, ac funditus perdere. Itaque poſtea quam belli reſedit furor, quo pleraque Babylone conquaſſata fuerant, vt ex Iſaia, & Ieremia demonſtratum eſt, Cyrus, ſi Iuſtino credimus, compoſitis in Babylonia rebus, bellum transfert in Lydiam: contra Crœſum videlicet Lydorum Regem. Exiſtimat enim Iuſtinus Crœſum, dum contra Babylonios bellum gereret Cyrus, illis in auxilium veniſſe, victumque, iam de ſe ſollicitum, in regnum refugiſſe, Cyrum autem iam Babyloniorum dominum, arma in illum, eiuſque regnum mouiſſe; ibique fortuna prioris belli

percussum iam Crœsi exercitum, nullo negotio fudisse, Crœsumque ipsum viuum cepisse. Verum in hac re Xenophontem l. 7. atque in primis l. 1. Herodotum ducem sequimur maximus, qui Crœsi calamitatem victoria Babylonica priorem facit. Et certe si Crœsum Astyagis totus ad bellum contra Cyrum mouit, vt vult Herodotus, parum probabile est hæc Lydorum auxilia tanto tempore fuisse dilata; Cum Astyages ante 23. annum regnare desierit.

IV. *Soluta captiuitas.* IAM vero quod ad res Iudaicas attinet, hoc primum anno soluta est Babylonica Iudæorum captiuitas, libertate tot votis, ac precibus, & corporis afflictionibus, à Danielein primis, piis omnibus, populoque vniuerso, à Deo aliquando impetrata, ac redempta, vt superiore anno ea c. 9. Danielis demonstratum est. Deus autem ipse, qui sæpius per Ieremiam, aliosque Prophetas hanc libertatem pollicitus fuerat, eam etiam mentem Cyro dedit, vt se facilem Iudæorum precibus, atque exorabilem præberet. *Deo inspirante.* Id perspicuè in fine 2. Paralipo. traditum est, *Anno primo*, inquit, *Cyri Regis Persarum ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Ieremiæ, suscitauit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum, qui iussit prædicari in vniuerso regno suo, etiam per scripturam dicens; Hæc dicit Cyrus Rex Persarum &c.* Sed quæ sunt priora videamus.

V. *Eiusque mandato.* *c l. 11. ant. c. 1.* SCRIBIT Iosephus, c Cyrum ex lectione libri Esaiæ cognouisse destinatum se fuisse diuinitus, ad restaurandū templum Hierosolymitanum; ideoque & edictum, de dimittendis ad illud ædificandum Iudæis, perscripsisse. Idem affirmat Theodoretus in cap. 1. Daniel. & rursus in fine commentariorum, ait Danielem fuisse Cyri conuiuam, & omnibus illius familiaribus præclarum, eaque familiaritate bene vsum, illi ostendisse, quæ de eo Esaias longe ante prædixerat. *d c. 44. 28.* Verba Esaiæ hæc sunt. d *Ego sum Dominus suscitans verbum serui sui*, seipsum videtur intelligere iuxta ea, quæ sequuntur, vel Ieremiam, vt ostenduntea, quæ ex 2. Paral. iam retulimus; licet Ieremias ne centum quidem post annos natus fuerit. Sed pergit Esaias. *Et consilium nunciorum suorum*, Prophetarum scilicet, *complens. Qui dico Ierusalem, habitaberis, & ciuitatibus Iuda, ædificabimini, & deserta eius suscitabo; Qui dico profundo*, id est, Babyloni, vt interpretatur Chaldæus, copiis innumeris abundanti, vt propterea mare dicatur à Ieremia; itaq; ibi interpretatur Theodoretus, *e c. 51. 36.* e *desolare, & flumina tua arefaciam*, vt scilicet vado transeant, & inuadant te hostes tui. *Esaia vaticinium.* *Qui dico Cyro, Pastor meus es*, id est, princeps meo nutu constitutus, *& omnem voluntatem meam complebis*; quæ sit autem eius voluntas, subditur, *Qui dico Ierusalem, ædificaberis; & templo, fundaberis*, vtrumque enim, eo permittente, inchoatum est: d etsi in edicto Cyri de templo duntaxat facta sit mentio. *d vt patet ex 1. Esd. c. 4. v. 12.* Subdit deinde Cyri victorias, quibus Persarum fundauit imperiū.

VI. *Daniela cum Cyro familiaritas.* CYRVM porro Danielis opera ad vaticinij Esaiæ cognitionem venisse, facile coniectare licet. Cum enim Daniel Dario Medo Cyri socero, & imperij consorti charissimus fuerit, summoque apud eum magistratu functus, non potuit Cyro ignotus esse; imo illi plane venerationi, atque admirationi fuit. Quis enim dubitet Cyrum, vel priuatis Darij literis, vel publico eius decreto, aut saltem rumore nuncio didicisse, quid Danieli nuper contigisset, cū inuidorum artibus in lacum leonum fuisset coniectus? Didicit etiam, res enim erat cognitione dignissima, quid illi in conuiuio Balthasaris, quod in rem Medorum, atq; Persarum faceret, & diuinam erga ipsum prouidentiam patefaceret, paulo ante contigisset. Nec minus præcedentia quoque de fraude, quæ ad Belis idolum exercebatur, de dracone interfecto, de septiduo commorationis innoxiæ inter famelicos leones, libenter audiuit. De Nabuchodonosoris etiam septennij inter bestias commoratione, & restitutae ei forma, humanoque iudicio: de visa ab illo statua quadripartita, & forte etiam de quatuor animalibus à se visis, quæ quatuor imperia portenderent, de socijs suis in fornacem flagrantissimā coniectis, & multiplici prodigio liberatis. Hæc, inquam, aliaque Danielem Cyro studiosè retulisse, credibile est; quod intelligeret eorum cognitionem, multum ad Idolorum contemptum, multum ad veri Dei venerationem, & cultum esse valituram.

AVDIEBAT itaque Daniel apud Cyrum mirabilium patratorem, coniectorem somniorum, reuelatorem arcanorum, interpretem mysteriorum Dei. Audiebat autem vicissim apud Danielem Cyrus, quid Deus nunc ab illo exigeret, illic, inquam Deus, qui eum ad tantum imperium euexisset; qui eius apprehendisset dexteram, vt subijceret ante faciem eius gentes, & dorsa Regum verteret, qui ante eum progressus in prælium, gloriosos terrarum humiliasset, portas æreas contriuisset, & vectes ferreos confregisset. VII. *Ab eo discit Dei voluntatem.* Qui dedisset ei thesauros absconditos, & arcana secretorum patefecisset; nimirum vt filios Israëlis de seruitute liberatos in patriam dimitteret; Itaque eodem loco Esaiæ subditur, e *Propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum, & vocaui te nomine tuo*; *e c. 45. v. 4.* id est, nominatim te elegi, antequam notitiam vllam haberes mei; imo tot ætatibus, & propemodum seculis antequam nascereris, vt cum ego dixerim Ierusalem, ædificaberis, & templo, fundaberis, tu Cyre omnem voluntatem meam completes.

VIII. *Eamque exequi parat.* HÆC ergo cum probè teneret Cyrus, & Deus in dies maiorem erga Danielem beneuolentiam, totamque illius gentem illi instillaret, maioribus natu Israëlis annitentibus, statuit publico decreto notum facere omnibus, ac statuere quid fieri placeret in hoc genere; quidque sibi diuinitus esset imperatum. Decretum autem ipsum initio primi lib. Esdræ. in hæc verba perscriptum est. f

f c. 1. v. 2. Decretum Cyri. *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi, vt ei ædificarem domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa. Quis est in vobis de vniuerso populo eius? Sit Deus illius cum ipso, ascendat in Ierusalem, quæ est in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Israel, ipse est Deus, qui est in Ierusalem. Et omnes reliqui in cunctis locis vbicumque habitant, adiuuent eum viri de loco suo, argento, & auro, & substantia, & pecoribus, excepto quod sponte*, & præterea quidquid *voluntariè offerunt templo Dei, quod est in Ierusalem.* Sæpius hic ponitur vox, *est*, præsentis temporis, pro imperfecto, *erat*, in Hebræo verò vbique subintelligitur. Cæterum quamuis prisco se nomine Regis Persarum appellet, noua tamen dignitate nunc se vehementer auctum apertè docet, cum omnia regna terræ sibi à Deo tradita esse dicit; in quo si Regum more, paulo ambitiosius fines imperij sui expressit, religiosè tamen & modestè ea se diuinitus accepisse protestatus est, vt pene diceret;

Consortem imperij valuit, quia conditor orbis,
Astra Deo cedant; subdita terra mihi est.

IX. *Quo sit de obseruanda erga* VIDE quoque, quanta cum veneratione de Deo loquatur. Primo agnoscit eum totius mundi principem, ac moderatorem; nam & Deum cœli vocat, & regnorum omnium dominum agnoscit, qui ea pro arbitrio distribuat hominibus, atque dispenset. Secundo se eius subditum profitetur, qui humiliter eius præceptis obsequatur, longe aliter quam olim Pharao in Ægypto, & Nabuchodonosor Babylone. Tertio agnoscit peculiarem eius prouidentiam, circa populum vnum, quem sibi in populum singulariter elegerit. Quarto postposita omnium, qui vulgò appellantur dij, memoria, de populi istius Deo dicit, *Ipse est Deus*: vt non Persarum Regem, commentitius diuinitatum, sed Iosiam aliquem, vel Ezechiam audire videamur. Tanta est diuini numinis in corda hominum potestas! tanta regis regum in Principum voluntatibus, omnem in partem inflectendis, vis, atque authoritas.

X. *Eiusque populum.* *a l. 11. c. 1.* PARHVMANITER etiam cum populo agit. Neque enim eum à suis sedibus expellit, ait enim Iosephus, a multos maluisse manere apud Babylonem, non sustinentes possessiones suas relinquere. Hebræi quoque dicunt istos qui remansere creasse, sibi principem, quem vocarunt *Rosh baggaluth*, id est, principem exulum, cuius videtur meminisse Orig. b non expellit, inquam, sed abire permittit, *b tom. 2. in Ioann. Cyrus in Hebræos benefactor.* omnibus bene precatus. Quin aliorum etiam excitat liberalitatem erga eos, qui penuria impediti, longinquum iter suscipere non possent, vt scilicet geminam exerceant benignitatem, aliam in viaticum pauperum transmigrantium; aliam in donaria in templum Dei. Neque verbo contentus pius princeps, etiam præiuit exemplo. Nam vo-

luit templum suis sumptibus ædificari, vt ex sequentibus c apertè constat, vnde hoc decretum supplendum est.

c Esd. 6. v. 4

XI. *Aliud exemplar decreti Cyri, circa templi constructionem.*

ANNO *primo*, inquit, *Cyri Regis, Cyrus Rex decreuit vt domus Dei ædificaretur, quæ est in Ierusalem, in loco vbi immolent hostias, & vt ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta & latitudinem cubitorum sexaginta, ordines de lapidibus impolitis tres, & sic ordines de lignis nouis: sumptus autem de domo Regis dabuntur.* Pagninus, Montanus, Vatabl. legunt de lapidibus marmoreis ex Hebræo; Tigurina, de lapidibus ingentibus, Græca basilææ, & regia, fortibus, Sixti, politis; sicut habet & Iosephus: d quo modo etiam quidam in vulgata legendum putant, vt notauit Sà. Quod certe videtur exigere tanti monarchæ magnificentia; & concepta de Dei maiestate opinio, & gloria Salomonieæ domus, quam Iudæi Cyro sedulo repræsentabant. Spopondit etiam eodem decreto Cyrus, se vasa sacra templi Domini restituturum, vt patet ex eodem loco. e Sic enim ibi legitur. *Sed & vasa templi Dei aurea, & argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo Ierusalem, & attulerat ea in Babylonem, reddantur, & referantur in templum, in Ierusalem, in locum suum: quæ & posita sunt in templo Dei.* In Hebræo est & *ponito*, oratione ad Zorobabelem conuersa: nec sane prohibet Cyrus domum hanc fieri ampliorem, sed sumptus offertè suo, ad prædictam amplitudinem duntaxat; Iudæis, si maiorem velint, reliquos sumptus suppleturis.

d L. 11. ant. c. 2.

e L. 1. c. 6. 1.

XII. *An Cyrus permiserit extrui Ierusalem.*

AT quid de vrbe Hierosolyma dicemus? An eius extruendæ Cyrus Iudæis potestatem fecit? Non desunt rationes in vtramque partem. Nam primum in Cyri decreto, tam quod l. 1. Esdræ c. 1. recitatur, quam quod habetur c. 6. v. 3. nulla plane fit vrbis mentio, sed templi duntaxat. Secundò quia constat eam permissionem factam ab Artaxerxe Longimano, anno vigesimo regni sui; vt perspicuè habetur 2. Esdræ c. 2. post annos abhinc nonaginta tres. In contraria sententia est Iosephus. f *Conuocatis*, inquit, *clarioribus apud Babylonem Iudæis, ait se illis permittere vt proficiscantur in patriam, vrbemq; Hierosolyma, & Dei templum ædificent denuo*; & rursum paulo post inducit eundem Cyrum scribentem ad Præfectos Iudæorum. *Iudæis*, inquit, *qui regionem meam habitant, permisi vt quicumque vellent in propriam patriam reuerti, vrbem denuo conderent, & templum Dei Hierosolymis ædificarent, eodem quo prius loco.*

Ita videri ex Iosepho. f L. 11. c. 1.

XIII. *Et probatur ex Isaia.*

QVOD si Esaiæ vaticinium excitauit Cyrum, non modo ad soluendam captiuitatem Iudæorum, sed etiam ad templum ædificandum Deo cœli, certe ibid. de ciuitate quoque ædificanda legitur. *Qui dico Cyro*, inquit, *pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis*, hæc est autem voluntas eius. *Qui dico Ierusalem ædificaberis; & templo, Fundaberis*; Quid est opus distrahere temporibus, quæ ita sunt narratione coniuncta? Clarius etiam Propheta: a *Ipse ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non in pretio, neque muneribus, &c.* Quæ plerique omnes interpretes de Cyro dicta contestantur. b Verum dubitationem omnem tollere videtur, quod legimus apud Esdram, c Iudæos ciuitatem ædificasse, quod sine dubio, nisi impetrata à Cyro potestate, non ausi essent. Sic enim legitur. *Notum sit Regi, quia Iudæi, qui ascenderunt à te ad nos, venerunt in Ierusalem ciuitatem rebellem, & pessimam, quam ædificant, extruentes muros eius, & parietes componentes.* Hæc scribunt inimici Iudæorum ad Cambysem Cyri successorem; vtique prius quoque ad Cyrum scripturi, nisi intellexissent, id eius fieri voluntate. Accedit etiam necessitas. Quomodo enim templum ipsum, & tot eius donaria, & preciosa supellex, & tot Iudæorum millia inter inimicos infensissimos, nisi clausi mœnibus, tuti esse potuissent?

a C. 45. 13.

b Vide ibi Sanctium.

c L. 1. c. 4. 12. Et Esdra.

XIV. *Soluitur obiectio.*

QVOD autem Cyrus non vrbis, sed templi tantum meminerit, id videtur in causa fuisse, quod non suggereret ille sumptus in restaurationem ciuitatis, sed templi duntaxat; idque Iosephus innuit. Cum enim dixisset à Cyro dictum, Iudæis se permittere, vt vrbem & templum ædificarent, subdit. *Nam & ipsum Deum futurum illis auxilio. & se scripturum vicinis Iudææ ducibus, ac satrapis, vt conferrent eis aurum, & argentum ad templi fabricam, & victimas ad sacrificia.* Si vrbis quoque facta fuisset mentio, periculum erat ne etiam sumptus regios Iudæi eo vellent extendere. Nam nota est ea regula iuris. *Odia restringi, fauores conuenit ampliari.* Et illud, *Beneficium principis quam amplissime interpretandum est.* Illa autem Artaxerxis permissio facta est, quoniam cum hostes Iudæorum, mortuo Cyro, tam vrbis quam templi restaurationem impediuissent, & Iudæi à Dario Hystaspis templi tantum constructionem impetrassent, necesse fuit postea ab illo Rege, ciuitatis quoque reparationem, opera Esdræ, & Nehemiæ obtineri; vt deinceps suis temporibus dicetur. Hoc porro decretum in publicas relatum tabulas, in Ecbatanis ciuitate Mediæ conseruatum est, vt ex sequentibus perspicuum est. d Decretum vero de vrbe ædificanda, de quo loquitur Daniel, & vnde inchoantur eius hebdomadæ, longe post hæc tempora editum est.

Cur necessaria fuerit permissio Artaxerxis.

d L. 1. cap. 6 init.

XV. *Apparatus ad profectionem Iudæorum.*

HIS ergo rite præparatis, *surrexerunt*, inquit Esdras, *principes patrum de Iuda, & Beniamin*, id est, inter seniores illarum tribuum, qui dignitate, atque authoritate reliquos antecedebant. *& Sacerdotes, & Leuitæ, & omnis, cuius suscitauit Deus spiritum, vt ascenderent ad ædificandum templum Domini, quod erat in Ierusalem. Vniuersique, qui erant in circuitu*, id est, vicini eorum. e Dubium autem relinquitur, an id intelligendum sit de Iudæis remanentibus, an de alienigenis, qui Cyro forte gratificari voluerunt. Iosephus amicos regios nominat. f Isti ergo *adiuuerunt manus eorum in vasis argenteis, & aureis, in substantia, & iumentis, in supellectili, exceptis his, quæ sponte obtulerant*, id est, præter donaria, quæ templo Dei consecrarunt, & quæcumque restaurationi Hierosolymorum addixerunt. *Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Ierusalem, & posuerat ea in templo Dei sui. Protulit autem ea Cyrus Rex Persarum per manum Mithridatis filij Gazabar, & annumerauit ea Sassabasar principi Iuda.*

e Vat. & Sa.

f L. 11. c. 1.

Cyrus reddit sacra vasa.

XVI. *Quis Sassabasar qui ea tradantur.*

SASSABASAR hic princeps Iuda, erat omnino Zorobabel, filius Salathielis, & nepos Iechoniæ Regis, qui Babylone natus, nomen habuit à spe parentis, quod alienus à confusione futurus esset. Babylonij autem eum Sassabasarem appellauerunt; Lyra. Dionys. Sà. Torniel. Vatablus, imo & Iosephus semel atque iterum, g Illi Mithridati adiungit Zorobabelem. Eiusque rei signum est, quod Sassabazar tantum dicitur in hoc lib. cum res est cum Chaldæis, vel Persis; alioqui enim Hebræo vocabulo Zorobabel appellatur: & in catalogis, vbi nominatur Zorobabel, nulla est mentio Sassabasaris. Denique 1. Esd. 3. 8. dicitur Zorobabel fundasse templum, Cap. autem 5. dicitur Sassabasar posuisse fundamenta templi. Et constat magnam partem nominum variatam esse in Babylone, vt Danielis, & sociorum eius, & Nehemiæ, qui 1. Esdræ h dicitur Athersata, vt volunt Vatabl. & Sà, cæterique interpret. Mithridates autem, qui dicitur filius Gazabar in vulgata, à Pagnino vertitur thezaurarius, sicut & à 70. Sixti, & Tigurina, Iosephus quoque ærarij regij præfectum vocat. Græca tamen regia, & Basil. tanquam proprium nomen accipiunt, in eoque Vulgatæ consentiunt.

g L. 11 c. 1.

h cap. 2. 63.

XVII. *Vasorum numerus.*

FVIT autem numerus vasorum tam aureorum, quam argenteorum quinque millia, & quadringenta, quorum partem aliquam in specie Scriptura recensuit, nimirum 2499. In Græco Sixti numerantur omnino per species suas 5469. Ioseph. a habet diuersos omnino numeros; & vasorum species, quorum omnium summa est tantum quatuor millium, 210. *Vniuersa hæc*, ait scriptura, *tulit Sassabasar, cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Ierusalem.* Personarum quoque summa ponitur 42 millia 360. cum tamen particulares omnes summæ efficiant tantum 28. millia 818. In Græco autem Sixti, b vbi hic Catalogus habetur, eadem summa ponitur, sed particulares summæ non parum differunt ab iis, quæ in Vulgata, & Hebræa leguntur: & efficiunt 30. millia 143. Iosephus c habet 42. millia 462. Chronicon Hebræorum significat, neque enim clare loquitur, reliquos, qui huic numero desunt, ex aliis tribubus fuisse; At Esdras clare ostendit init. cap. 2. se tantum agere de iis, qui erant in captiuitate Babylonica, quos vocat prouinciæ filios,

a L. 11. c. 1.

Et personarum.

b L. 1. c. 3.

c Io. cit.

rident, [...] patrum eius tuculas. Nihilominus l. 1. Paralip. v. 3. dicitur hoc tempore commoratos fuisse in Ierusalem de filiis Iuda, & de filiis Beniamin, de filijs quoque Ephraim, & Manasse. Varius quoque est in diuersis animalibus numerus, varius & in oblatione pecuniaria. Nam Vulgata sic habet. d *Et de principibus patrum cum ingrederentur templum Domini*, id est, ruinas eius adiissent, *sponte obtulerant in domum Dei, ad extruendum eam in loco suo, secundum vires suas, &c.* At cum iam diximus Cyrum spopondisse se sumptus de suo ærario præbiturum? Nimirum intelligi hinc potest, & confirmari, quod ante diximus, Cyrum ad 60. tantum cubitos altitudinis, & totidem latitudinis templum erigi, & fundari de suo voluisse; Iudæos autem, omnes mensuras templi Salomonici voluisse renouare, ideoque sponte obtulisse, secundum vires suas auri solidos, siue drachmas, vt alij volunt, 60. millia, & mille: argenti minas quinque millia, & vestes sacerdotales centum. I.

XVIII. VENERVNT ergo prædicti omnes in Iudæam, & habitauerunt in ciuitatibus suis. e Si quis quærat quando Babylone exierint, quantum temporis in itinere posuerint; facile intelligi potest eos sub veris initium mense Martio, vel Aprili sese in viam dedisse, & quatuor circiter mensibus hoc iter confecisse. Nam Esdras cum suis septimo anno Artaxerxis, primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, & in primo die mensis quinti venit in Ierusalem. f Non potuit breuius tanta multitudo, tamque multiplex omnis ætatis, atque sexus, cum tot impedimentis vasorum, pecorum, variæque supellectilis, illud iter peragere. Oportuit autem eos vnum vel alterum mensem disponere domui, & habitationi suæ; dum interea septimus mensis adueniret, destinatus solemnitati tabernaculorum. Conuentus ergo indictus est Hierosolymis in septimum mensem ad dedicandum altare domini. De quo priusquam dicamus, nonnihil hoc loco de Iosepho monendus est lector, ne illum, non bonum vtique ducem, secutus, per absurdo errore labatur.

XIX. IOSEPHVS enim per absurdo errore lapsus est, dum quæ Darij Hystaspis erant, & secundo regni eius anno contigerunt, vt ex 1. Esdræ 5. & 6. patet, ea Cyri anno primo attribuit; & quæ diuersis temporibus, & à diuersis regibus gesta sunt, permiscet, atque confundit; quo vno errore quam multi alij contineantur nemo non videt. Non enim Cyrus scripsit ad Sisinnem, & Sarabasarem Syriæ, & Phœniciæ Præfectos, sed Darius Hystaspis sedecim ab hinc annis, g quos Græca Sixti vocant Sisinnem subregulum Syriæ, & Phœnicis, & Sathrabuzanem; Vulgata vero Thathanai, & Starbuzanai. At ne promisit quidem Cyrus se scripturum ad Præfectos Iudææ, quod Iosephus affirmat, sed, vt scriptura tradit, in decreto suo, vniuersos monuit omnes, vt iuuarent Iudæos. Nec dona data sunt Hierosolymis à regiis amicis, postquam eo Iudæi peruenissent, sed antequam Babylone, & aula Cyri discederent, in varijs Chaldææ locis. Id enim ea verba significant. *Et omnes reliqui in cunctis locis vbicumque habitant, adiuuent eum viri de loco suo argento, & auro.* Quod si dona data sunt Hierosolymis, vt vult Iosephus, certe ea scriptura tacuit; Quid ergo Iosepho venit in mentem, vel alia pro alijs narrare donaria, vel quæ scriptura tradit omittere, quæ non tradit recensere?

XX. ERRAT quoque, quod ait, accepto à Cyro mandato, principes duarum tribuum, cum sacerdotibus & Leuitis propere Hierosolymam se contulisse, cum 1. Esdr. c. 2. legamus vniuersam multitudinem captiuorum, cum omni substantia sua, ducibus Zorobabele, & Iosue, & Nehemia, & aliquot alijs principibus populi, Hierosolymam, aut potius in suam quemque ciuitatem venisse. Nec sane tutum fuisset duces à populo separari, & tot vasa aurea, atque argentea, cum tam multis armentis, & imbellem multitudinem in tam longo itinere, prædæ interiacentium prouinciarum obijcere; nec potest Iosephus docere geminam Iudæorum hoc primo anno Cyri profectionem, sed fefellit Iosephum ille locus. h *Et surrexerunt principes patrum de Iuda, & Beniamin, vt ascenderent ad ædificandum templum. &c.* Non enim ibi ait fuisse profectos, vt ipse putauit, sed cœpisse parare profectionem ad ædificandum. &c.

XXI. IAMQVE venerat mensis septimus, a inquit Esdras, *& erant filij Israel in ciuitatibus suis. Congregatus est ergo populus quasi vir vnus in Ierusalem*, nimirum accersitu Zorobabelis & Iosue pontificis, *& surrexit Iosue filius Iosedech, & fratres eius sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres eius, & ædificauerunt altare Dei Israel, vt offerrent in eo holocaustomata, sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei.*

Magna prouisione, ait Beda, *primo altare ædificauerunt, vt quia templum nondum erat fundatum, haberent tamen vbi sacrificantes deuotionem suæ mentis ostenderent.* pergit scriptura; *Collocauerunt autem altare Dei super bases suas, deterrentibus eos per circuitum populis terrarum, & obtulerunt super illud holocaustum Domino mane & vespere.* Iuge sacrificium intelligit, quod in libro Numerorum b præceptum est. Porro isti populi terrarum intelliguntur, præsertim Samaritæ, de quibus apertius init. cap. seq. Non est autem dubium collocatum fuisse hoc altare eodem loco, quo ante steterat, id est, in medio atrij Leuitici.

XXII. FECERVNTQVE *solemnitatem tabernaculorum, sicut scriptum est, & holocaustum diebus singulis per ordinem, secundum præceptum opus diei in die suo*, id est, suo quodque tempore. *& post hæc holocaustum iuge, tam in Calendis, quam in vniuersis solemnitatibus Domini, quæ erant consecrata, & in omnibus, in quibus vltro offerebatur munus Domino.* Significant antiquum holocaustorum, & sacrificiorum vsum fuisse plane restitutum, sumpto initio à primo die mensis septimi. Sequitur enim, *A primo die mensis septimi*, is in Septembrem magna ex parte cadit, *cœperunt offerre holocaustum Domino.* Habetur eadem historia tertio Esdræ, c cum exigua diuersitate, vt quomodo conuenerint in atrium, quod erat ante portam orientalem: nisi quod vbi in textu sacro legitur, *deterrentibus eos per circuitum populis terrarum*, in dicto loco legitur, *& conuenerunt illis ex alijs nationibus terræ, & erexerunt sacrarium*, id est, altare *in loco suo omnes gentes terræ*, quod videtur per absurdum. Itaque Tigurina paraphrastice sic exponit. Et quamuis conueniretur aduersum eos, ex alijs gentibus terræ, quæ inimicitias haberent cum eis, omnesque gentes terræ, vim in eo facerent, aram tamen loco suo erigebant. Deinceps autem & de templo ædificando actum fuit; nondum enim fundatum fuerat, conueneruntque cum latomis, & cæmentarijs de precio lapidum, atque operæ precio; dederuntque eis pecunias, cibum quoque, & potum, & oleum Sidonijs, Tyrijsque, vt deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Ioppe, vbi scilicet portus erat, estque etiam nunc, totius Palæstinæ celeberrimus. Et hæc quidem hoc anno in Babylone, & Iudæa contigerunt.

XXIII. CÆTERVM hoc primo anno restauratæ quoquo modo Reip. Iudæorum, aliquid de eorum statu dicendum est: Et primo statuendum est Hebræos nunquam deinceps plane fuisse liberos, sed primum Persis, tum Græcis, postremo Romanis seruiuisse; Ita vt qui Babylone ante seruierant, postea in patria sua alienigenarum serui facti sint, & in eius rei testimonium tributa pependerint, idque patet ex 1 Esdræ, d vbi inimici Iudæorum scribunt ad Cambysem Cyri filium. *Nunc*, inquiunt, *notum sit regi, quia si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri eius instaurati, tributum, & vectigal, & annuos reditus, non dabunt*: dabant ergo antea. Clarissimum est Nehemiæ apud Deum orantis testimonium a *Ecce nos ipsi hodie serui sumus, & terra quam dedisti patribus nostris, vt comederent panem eius, & quæ bona sunt eius, & nos ipsi serui sumus in ea. Et fruges eius multiplicantur regibus, quos posuisti super nos propter peccata nostra, & corporibus nostris dominantur: & iumentis nostris secundum voluntatem suam, & in tribulatione magna sumus.* Hæc ille, anno vigesimo Artaxerxis, quo beneuolentissimo vtebantur. Sed aliud etiam seruitutis argumentum est, quod non nisi ex eorum arbitrio, duces, aut principes in repub. sua habuerunt, vt mox planum fiet.

Marginal notes: d 1. Esd. 2. 68. 69. — 2. 12. — 1. Esd. 2. 70. & ca. 3. v. 1. (Tempus itineris) — f Vt dicitur 1. Esd. 7. 8. — Iosephi lapsus ingens. — g 1. Esd. c. 6. — Duces à populo non separati. — h 1. Esd. 1. 5. — a c. 3. v. 1. Restitutum Dei cultum Hierosolymis. — b Num. 28. v. 3. — c c. 5. 47. — Paratur templi ædificatio. — Qui hoc tempore Iudæorum status. Nunquam deinceps plane liberos fuisse. — d c. 4. 13. — a 2. Esdr. 9. 36.

XXIV. *Magistratus à Persis ac reperunt.* b 2. Esdr. 5. 14. c 1. Esdr. 5. 14. d c. 2. 22. e l. 11. c. 3. & 4. f 1. 1. c. 7. 14. g c. 5. 14.

DICIMVS igitur secundo, Hebræos, duces ac magistratus habuisse in Iudæa ex alienigenatum voluntate, aut permissione. De Nohemia id patet. b *A die illa*, inquit, *qua præceperat Rex* (Artaxerxes Longimanus) *mihi vt essem dux in terra Iuda, ab anno vigesimo &c.* De Zorobabele, c *protulit Cyrus Rex vasa de templo Babylonis, & data sunt Sassabasar vocabulo, quem & principem constituit*; Aggæus d ducem Iuda vocat, quem & Iosephus e passim principem Iudæorum; De Esdra f quoque patet eum accipere à Rege Artaxerxe, anno 7. imperij sui, potestatem visitandi Iudæam, & constituendi iudices; quin & principem populi egit, vsque ad annum eius 20. De aliis ducibus vniuersè; *per annos duodecim*, inquit, *Nehemias*, g *ego & fratres mei annonas, quæ ducibus dabantur, non comedimus, duces autem primi, qui fuerunt ante me, grauauerunt populum &c.* Dum eos nominatim accusare noluit, ignotos nobis reliquit. De minoribus autem, h accepit Esdras ab Artaxerxe potestatem constituendi magistratus. *Tu autem Esdra, inquit, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue iudices, & Præsides, vt iudicent omni populo, qui est trans flumen.* Inutilis erat ista permissio, si primarij duces sine ea minores magistratus constituere potuissent.

h 1. Esd. 7. 14.

XXV. *Pontifices plurimum potuerunt.* i l. 11. c. 4[?]. 216. fin.

DICIMVS tertio, fuisse deinceps in ea rep. Pontifices, qui sæpe summam auctoritatem in ea exercuerunt. Iosephus i certe ait institutam hoc tempore in Iudæa eam formam Reip. quæ per optimates administratur. *Penes Pontifices enim*, inquit, *fuit summa authoritas, donec Asamonæorum gens, mutato rerum statu, regnum obtinuit.* Satis constat, vt dicemus, Asamonæos, qui & Machabæi, non fuisse Reges: sed temporum necessitate cogente, sacram administrationem cum profana iunxisse, quod alias quoq; videtur contigisse. Ideoque Ptolemæus Philadelphus Ægypti Rex, requirens Scripturæ interpretes, ad Pontificem scripsit: res enim erat pontificis. In re quoque profana, Alexander Magnus, cum Tyrum oppugnaret, commeatus causa, Hierosolymam ad Pontificem scripsit, vt ait Iosephus. k

k l. 11. c. 8. XXVI. *An plus quam duces, & qui hi fuisse dicantur.* l vide 1. Esd. 2. 2. & c. 4. 3. Agg. 1. 12. 14. c. 2. 3. 5. m 2. Esd. 12.

AN verò dux pontifici, an vice versa pontifex duci subordinatus esset, vix potest ex scriptura definiri. Nam quod ad ducem primum, primumque Pontificem attinet, modo Iosue nominatur ante Zorobabelem, modo Zorobabel ante Iosue. l Notiores tamen Scriptura pontifices reliquit, quam duces. Nam sex pontifices ordine nobis suggeruntur, m aliquot etiam alij in libb. Machabæorum:

Duces autem plerosque significatos, vix autem tres nominatos habemus, Zorobabelem, Esdram, Nehemiam, donec ad tempora Machabæorum ventum est. Annius, qui Philonis breuiarium cudisse dicitur, & ab omnibus passim refellitur, duces Hebraici populi huius temporis ex tertio capite Euangelist. Lucæ expressit: neque id tantum, sed & certos cuique annos probabiliter assignauit. Illum in ea re Genebrardus, Henricus Samerius, Gordonius, Mercator, Functius, aliique secuti sunt: quia nec certiora dare poterant, & melius existimarunt ea, qualiacunque tandem forent, referre, quam planè tacere, & vacuos annos relinquere. Vide eundem Gordonium capit. 15. suæ Chronolog. numer. 2.

XXVII. *Chronologia deinceps ad Persarum Reges dirigenda.*

VERVM cum certior multo sit hoc tempore Persarum, & demum Græcorum, quam Iudæorum Chronologia: adeo vt ad illorum annos, vt vulgo notissimos, scriptura sese accommodet, vt ex libb. Esdræ, & Machabæorum perspicuum est, sicut stante regno Iudæorum; Regum annos habebat, quasi regulam Chronologicam, ad quam cæteras narrationes dirigebat: Idem nos quoque institutum sectabimur, & qui Iudæorum regum annos cum Scriptura secuti sumus: & ad eos tam Prophetas, quàm Pontifices aptauimus, eandem deinceps sequentes, ad Persarum & Græcorum an. duces & Pontif. Iud. & res ab eis gestas accommodabimus; lucem & perspicuitatem temporis, vndecumque eam haurire poterimus, mutuantes.

Pontificatus Iosue.

QVONIAM ergo Zorobabel & Iosue, reliquos Cyri annos, & alios complures tenuerunt, eos simul numerabimus, donec aut nouus princeps, aut aliqua sinendi probabilitas, nouum vel ducem vel pontificem suggerere nos admonebit. Quæ causa est, cur hoc anno initium pontificatus Iesu filij Iosedechi collocemus: licet probabile admodum sit, cum annis iam aliquot Babylone egisse pontificem; quo modo pater eius Iosedech vmbratilem pontificatum ibidem nomine tenus exegerat.

XXVIII. *Romana res.*

DE Romanis rebus nihil occurrit noui, quod propriè in hunc annum cadat. Nam quod ait Dionys. Tarquinium & Tullium pertraxisse in partes suas eam patritiorum factionem, quam popularis administratio à Rege alienarat, & palam coëmisse fauorem plebeiorum, qui in extrema inopia nulla iuris cura tangebantur, æque ad hunc & sequentem annum videntur pertinere.

SCHOLIVM IN ANNVM Cyri 1.

i. N. xviii.

AT in auro Septuaginta Sixti variant. Habent enim auri minas mille, quæ duplo ferè maiorem drachmarum numerum efficiunt. Drachma verò auri, siue solidus ferè numinum vnum aureum nostratem efficit; itaque tota hæc summa simul posita iuxta Vulgatam erit 64 millium 114. aureorum; & triginta quinque solidorum. Iuxta editionem vero Sixti, mille auri minæ efficiunt decem talenta, quorum singula sunt 12500. aureorum: quæ summa decies multiplicata 125000. exhibet. Itaque aurum, & argentum simul ascendunt ad summam 125. millium 172. aureorum, & 55. solidorum.

ANNVS MVNDI 3518. SEXTAE AETATIS 2. Solutæ captiuitatis 2. Zorobabelis ducis, & Iosuæ Pont. 2. Cyri & Imperij Persarum 2. Olymp. LXI. an. 1. Vr. cond. 217. Seruii. Tullii. 43.

ANNVS ANTE CHRISTVM 534.

a 1. Esd. 1. & 1. *Prima templi fundatio post captiuitatem.* b c. 1. 15.

HABETVR hic annus notatus ab Esdra, a estque prima templi fundatione, post solutam captiuitatem Babylonicam, admodum celebris; primam, inquam, quoniam secundus Darij annus altera fundatione celebratur apud Aggæum prophetam; b de qua suo tempore dicetur, nunc de priore Esdram audiamus. *Anno secundo, inquit, aduentus eorum ad templum Dei, in Ierusalem, mense secundo* in 3. Esdr. c additur in nouilunio secundi mensis; sicut habetur etiam in Græco Sixti: Nam totus ferè 2. Esdræ, in Græcis habetur l. 1. Esdræ canonico; *cœperunt Zorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedech, & reliqui de fratribus eorum Sacerdotes & Leuitæ, omnes qui venerant de captiuitate in Ierusalem*; cœperunt inquam ædificare, aut iacere fundamenta templi: Ad id enim tempus parauerant latomi, & cæmentarij materiam necessariam, locumque perpurgarant, vt congregato populo, nulla esset mora in primo lapide rite deijciendo. Quanquam credibile est magnam antiquorum fundamentorum partem & ab incendio, & à Babyloniorum machinis incorruptam perstitisse: Nondum quippe Dominus supra vniuersam templi fabricam, tristem illam emiserat vocem. *Non relinquetur lapis supra lapidem, qui non destruatur:* d

c c. 5. 57.

d Matt. 24. 2. Mat. 13. 2. Luc. 21. 6. II. *Quam vigeat Leuita.*

CÆTERVM vt rite, celeriterque promoueretur opus, Zorobabel, & Iosue *constituerunt Leuitas à viginti annis, & supra, vt vrgerent opus Domini:* Quia verò ceremonia reparata fuerint templi fundamenta, pergit Esdras explicare; *Fundatò igitur à cæmentariis Templo Domini*, id est, dum fundaretur, vt clarius est in Hebræo, *Steterunt Sacerdotes in ornatu suo cum tubis, & Leuitæ filij Asaph in cymbalis, vt laudarent Deum per manum Dauid Regis Israel*, id est, canentes Psalmos Dauidicos. Videtur autem alludere ad Psalm. 135. cuius initium est. *Confitemini Domino quoniam bo-*

ani bonus, quoniam in æternum misericordia eius, in quo vicies & septies reperitur, *quoniam in æternum misericordia eius.* Nam sequitur. *Et concinebant in hymnis, & confessione Domino, Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius super Israel.* Vatablus putat fuisse Psalmum 117. Cuius initium est idem. *Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno, in laudando Dominum, eo quod fundatum esset Templum Domini.* Quod nimirum desideratissimam illam vidissent diem, in qua instaurationi Templi daretur initium; in Græco enim habetur, Collaudantes Dominum in suscitationem Templi Domini.

III. *Fletus, & lætitia vniuersi populi.* a L. 1. c. 3.

PLVRIMI *etiam de Sacerdotibus, & Leuitis, & Principes Patrum, & seniores, qui viderant Templum prius, cum fundatum esset, & hoc Templum in oculis eorum, flebant voce magna*: sic enim loco huic adhibenda est distinctio; ne dicere videamur seniores istos vidisse, cum prius Templum fundaretur; Nam in Græco b & 3. Esdræ c. sic habetur. *Et venerunt ex Sacerdotibus, & Leuitis, & Senioribus, qui viderant pristinam domum, & ad huius ædificationem cum planctu, & clamore magno, &c.* pergit Scriptura; *Et multi vociferantes in lætitia eleuabant vocem. Nec poterat quisquam agnoscere vocem fletus populi, commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, & vox audiebatur procul.* Mirabilis fuit iste clamor; & fletus, & lætitia, in tantum, vt est in Græco, vt populus non audiret tubas; propter planctum populi. Clamor erat ab interno exultantis simul, ac gementis animi motu; planctus propter ruinam Templi prioris; lætitia, propter spem eiusdem quasi reuiuiscentis. Clamor erat laudantium Deum, de præsenti rerum statu; & gementium de culpis, quibus Deum ad tantam contra populum suum compulerant seueritatem.

b L. 1. c. 5. c c. 5. v. 63.

IV. *Quid plangerent.*

PLANGEBANT illud Oraculum, illud Sanctum sanctorum, tanto tempore, omnibus sordibus inquinatum fuisse; in quo tot seculis steterat solium gloriæ Dei; & illud sacrarium, in quo vix semel in anno, ipsi summo Pontifici, in infulis suis, omnique sacro apparatu patebat aditus, impiorum ac prophanorum hominum cursibus, & bestiarum saltibus patuisse. Plangebant auream & marmoream illam ædem sanctam, illud vestibulum admirandæ altitudinis, atque pulchritudinis in terram deturbatum, cuius vix ipsa vestigia superessent: illa propylæa, illas turres, atque propugnacula, plangebant multiplicia illa atria, longè lateque patentia Leuitarum, Israëlitarum, & Gentium ita concidisse, vt antiquæ magnificentiæ indicia potius, quàm reliquiæ superessent: & voce lugubri Ieremiæ threnos integrabant dicentes, *Quomodo sedet sola ciuitas, &c.*

Quid laetetur.

LÆTABANTVR seniores; quod cum plurimi in captiuitate decessissent, sibi diuinitus in patriam reditus contigisset: tantoque erat maior lætitia, quo expectatio fuerat diuturnior. Lætabantur iuniores ad quorum ætatem, spes præteritæ fœlicitatis pertinebat: lætabantur omnes de propensa tanti Monarchæ erga se voluntate, & beneficentia, & quod caput est, de diuino erga se numine reconciliato. Itaque tot animi motus, magnum excitabant Iudæorum clamorem, gemitu, lætitiaque confusum.

V. *Hostes Iudæorum offerunt se ad ædificandum.* d L. 1. c. 4. 1.

VERVM non admodum diuturna fuit ista lætitia. *Audierunt d enim hostes Iuda & Beniamin, quia filij captiuitatis* ex ea scilicet *reduces; ædificarent Templum Domino Deo Israel. Et accedentes ad Zorobabel, & ad Principes Patrum dixerunt eis; ædificemus vobiscum, quia ita vt vos quærimus Deum vestrum. Ecce nos immolauimus victimas à diebus Assar-addon Regis Assur.* Fuit hic filius Sennacheribi vltimus Assyriorum Princeps, *Qui adduxit nos huc*, paulo post captiuitatem decem tribuum, cum leones nouos incolas perimerent. *Et dixit eis Zorobabel, & Iosue, & reliqui Principes Patrum Israel. Non est vobis, & nobis quicquam commune, vt ædificemus domum Deo nostro; sed nos ipsi soli ædificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis Cyrus Rex Persarum.*

Vide 4. Reg. 19. & .

VI. *Repelluntur à Iudæis.*

MIRVM prima fronte videtur istos, qui vltro se ad Dei cultum promouendum offerebant, tam facile fuisse repulsos: possitque id vel superbiæ, & inuidiæ, vel defectui zeli diuini honoris, & salutis animarum tribui. Quod si qui causetur fuisse istos cultores Idolorum, de quibus 4. Regum: *a Et cum Dominum colerent, diis quoque suis seruiebant, iuxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam.* Certe eadem videtur fuisse causa Cyri, qui sumptus Templo excitando suggerebat; eadem & multorum aulicorum, & amicorum eius, qui Israelitas discedentes muneribus, & donariis prosecuti erant. Sed cum Zorobabel dux, & Iosue Pontifex. in scriptura laudatissimi habeantur, non potest in eos merito cadere ista suspicio. Quin potius existimandi sunt illi, non syncere, vt Cyrus, sed fraudulenter hoc consilium iniisse, vt postea vel sibi templum vendicarent, vel eo sacrificulos suos, cum cultu Idolorum suorum introducerent; & præteritum idololatriæ, & querelarum scandalum renouarent. Itaque ab istis non minus, quam ab apertis hostibus, cauendum sibi censuerunt. Sed & egregium exemplum deuitandi hæreticos, quibuscum nobis nulla, ob periculum apostasiæ, debet esse communio, posteritati reliquerunt; dum ab ethnicis mendicare maluerunt, quam ab istis vltro oblata suscipere.

a c. 17. v. 33.

Et inuersi.

Vitandi hæretici.

VII. *Moliuntur impedire fabricam.*

QVI hanc ignominiam non ferentes, cum primum simulationis artificium non successisset, ad alias artes, hostilemque improbitatem, iniquiore etiam animo progressi sunt. Nam consilio inter se inito, in eo ipso vltionem sumere voluerunt, in quo se iniuriam accepisse arbitrabantur. Statuerunt enim templi ædificationem impedire; sed quia id aperta vi perfici non poterat: propterea quod Cyri extabat decretum, & de eius in Iudæos beneuolentia, certo constabat, idem clam per Regios Cyri administros, perfecerunt. *Rogarunt enim Satrapas*, inquit Iosephus, *b & eos quibus commendata erat hæc ædificatio, vt Iudæos impedirent, quo minus vrbem, ac templum instaurare valerent.* Habes hic iterum Iosephi testimonium inchoatæ ædificationis Hierosolymorum, Cyro imperante; sed pergit.

b L. 11. c. 2.

VIII. *Opera Satraparum Cyri.*

ILLI *vero pecuniis etiam corrupti, vendiderunt Cutheis suam circa demandatum officium, cessationem & negligentiam, Cyro nesciente, vtpote distracto in alia negotia.* Sic Iosephus. Sed nec tam cito querela delata est ad Cyrum; imo neque tam cito Iudæos fraudem sensisse credendum est; quæstoribus regiis, quorum erat sumptus præbere; non statim corruptelæ, & præuaricationis suspicionem præbentibus, sed alias, atque alias, vt assolet, causis prætexentibus, vt primo tardè soluerent; deinde malignè, postremo etiam planè non soluerent; sicque opera cessare cogerentur.

Et hæc plane videtur Esdræ sententia. *c Factum est igitur, vt populus terræ,* isti opponuntur filiis captiuitatis, sicut incolæ peregrinis, indigenæ aduenis; *impediret manus populi Iuda, & turbaret eos in ædificando. Conduxerunt autem consiliatores aduersus eos; vt destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri Regis Persarum*; Sic Esdras. Destruxerunt autem, viuo Cyro, iis, & id genus aliis fraudibus, quas diximus; sed eo mortuo, aperto marte pugnarunt, vt suo loco dicemus; interim Iudæos lætissimo labori operam dare permittamus.

c c. 4. v. 4.

IX. *Olympiani.*

AGONES olympici hoc anno instaurati, victorem in stadio celebrarunt Agatharchum, Principe Athenis Heraclio, vt notauit Dionysius Halicarn. Cercyræum fuisse habet catalogus Olympionicarum, ex Cercyra, siue Corcyra insula maris Ionij oriundum: additque ex Suida hac Olympiade sexagesima prima Thespim primum drama docuisse; Athenis scilicet, vbi ille floruit, primusque populo, teste Horatio, tragœdias dedit.

Thespis.

Ignotum tragicæ genus inuenisse Camenæ
Dicitur, & plaustris vexisse poemata Thespis.
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Quæ rudimenta theatrorum, & histrionum, ignata sapiunt antiquitatem.

His illum certe vixisse temporibus, & Soloni æqualem fuisse author est Laërtius, qui illum ait à Solone prohibitum tragœdias agere ac docere, ὡς ἀνωφελῆ τὴν ψευδολογίαν. Quæ pluribus in Solone apud Plutarchum leges.

ANNVS MVNDI 3519. SEXTÆ ÆTAtis 3. Zorobabelis, & Iosue Pont. 3. Cyri, & Imperii Persarum 3. Olymp. LXI. An. 2. Vrb. cond. 218. Serui Tullii. 43.

ANNVS ANTE CHRISTVM 534.

I. Visio Danielis postrema. Dan. 10. 1. & ca. 11. & 12. Theod. orat. 10.

PERTINET ad hunc annum postrema visio Danielis, quæ tribus capp. continetur: sic enim loquitur Propheta. *Anno tertio Cyri Regis Persarum, verbum reuelatum est Danieli, cognomento Balthazar*, cui chronologiæ assentitur Theodoretus orat. 10. vbi hunc annum agnoscit à soluta captiuitate, Torniell. Heluicus, & alij. Porrò quæ fuerit eius ad hanc visionem præparatio subdit. *In diebus illis, ego Daniel lugebam trium Hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum, donec complerentur trium Hebdomadarum dies.* Solemne fuit sanctis, precibus, & corporis afflictationibus, diuinam clementiam exorare. Rati sunt enim pium parentem, dilectos filios diu in luctu, & squalore non toleraturum, sed pijs artibus cedentem, dicturum; *fiat tibi sicut vis.* Quæ autem causa fuerit tanti, tamque diuturni luctus Prophetæ propè decrepiti, meritò quæritur; & cum multæ excogitari possint, duæ, tresue videntur non improbabiles.

II. Causa luctus Prophetæ. 1. ex Theod.

PRIMA est Theodoreti, quod scilicet videret complures Iudæorum, qui sibi domos Babylone construxerant, earum quasi vinculis deuinctos, neglecto in patriam reditu, externam regionem patriæ prætulisse: qui ne planè deserti, in Idola delaberentur, Daniel cum eis Babylone remanere maluit, quam cum reliquo populo in Iudæam reuerti. Voluit ergo Daniel precibus, & lachrymis, & corporis afflictatione, meliorem à Deo mentem populo suo impetrare. At sane tardior videtur ista oratio, & corporis afflictatio, ad tertium denique annum dilata, cum ea res exegisse videretur, vt si non prius, statim ab illorum discessu, eam illis mentem Daniel impetrare conatus esset. Idem iustiore etiam ratione dici potest de luctu suscepto, propter mala in 70. Hebdomadarum denuntiatione cognita; cognitione scilicet persecutionis Antiochi contra Iudæos, & occisionis Christi à Iudæis; propter quam cædem funditus perituri erant. Ideoque melius conijciunt, Maldonati sententia, cui Sanctius, & Cornelius à Lapide subscribunt, qui propterea Prophetam luxisse putant, quod templi instauratio à vicinis gentibus impedita fuisset; neque posset aliud à Rege edictum, ad continuandum opus, impetrare; quòd Cyrus ad bellum Scythicum profectus esset, & Cambyses eius filius, qui pro patre regebat imperium, Iudæos non amaret. (Improbatur.) Verum nec tam ciro Cyrus ad Scythas profectus est, cum id bellum graue admodum fuerit, & in eo mortuus fuerit Cyrus, qui tamen ad septimum annum produxit imperium; vt postea iuxta probabiliorem sententiam dicemus: nec tam citò apertè de templi impeditione constitit; quòd occultis artibus res tota transigeretur hoc tempore.

III. 3. causa in... c. maxime probanda.

MALIM cum Pererio existimare, inimicos Iudæorum, calumnijs, & criminationibus occultis, ita Cyrum labefactasse, vt ille non parum de priore erga Iudæos beneuolentia, & benignitate, remisisse videretur. Daniel autem, qui sciret cor Regis in manu Dei; & quanti ad Dei gloriam interesset, eum principem bene erga Iudæos esse animatum; omni studio id à Deo obtinere satagebat. Possumus etiam dicere, Deum magnum inspirasse Prophetæ desiderium sciendi, quid euenturum esset populo Hebræo in nouissimis diebus. Id colligitur ex verbis seq. v. 12. vbi Angelus, *Noli*, inquit, *metuere Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres, in conspectu Dei tui; exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos.* Et infra, *Veni autem vt docerem te, quæ ventura sunt populo tuo, in nouissimis diebus; quoniam adhuc visio in dies.* Vbi D. Hieronym. *Quod Daniel deprecatus est, hoc à Deo meretur audire, quid futurum sit populo Israel, non in vicino tempore, sed in nouissimis diebus*, id est, in consummatione seculi. Ita Diuus Hieronymus: qui init. cap. 2. etiam de Persarum Regibus Danielem ait scire voluisse, quid futurum esset in posterum.

IV. Quæ visionis modus.

DIE autem 24. mensis primi, vidit eam visionem, quam deinceps reliquo fere capite proponit, quamque consequenter Archangelus Gabriel exponit, & nobis breuiter decurrenda est, quoniam ad futuram historiam non parum pertinet. Cum ergo esset iuxta flumen Tigris, vidit viri specie Angelum, quem Theodoretus, alijque Gabrielem fuisse aiunt, in veste candida, in signum puritatis, & aurea zona, & facie, & oculis, & toto corpore fulgurante, voce etiam horrisona: tota denique visione, ad terrorem incutiendum composita. Vnde socij Danielis, vel sola voce audita, solus enim Daniel vidit visionem, territi fugerunt in absconditum: Sed & Daniel de se: *Et non remansit*, inquit, *in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. Et audiui vocem sermonum eius, & audiens iacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. Et ecce manus*: prædicti Angeli, vt inquit Diuus Hieronymus, quam non vidit Daniel, quia vultus eius hærebat terræ. Ad illum autem tactum cœpit se erigere, sed paulatim. manibus, & genibus nixus; & dixit ad eum Angelus, se venisse vt doceret eum, quæ ventura erant populo eius, pro cuius salute sanctis desiderijs æstuabat: in nouissimis diebus, id est, consummatione seculi; vt ait Diuus Hieronymus: sed alia etiam priora reuelauit, & interiectis nonnullis de prælijs Angelorum, pro hominibus, suæ curæ commissis. (Quam terrifica fuerit.)

V. Gabriel prænunciat aliquot Persarum Reges.

ECCE, inquit, a *adhuc tres Reges stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimiis super omnes.* Diuus Hieronymus ait Angelum quatuor post Cyrum, Regibus Persarum enumeratis, nouem præterijsse, & ad Alexandrum transiisse. Eadem autem phrasi dixit Ionas, *adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*, id est, post quadraginta dies: Sic Moses b *Adhuc & post septem dies ego pluam super terram.* Illos autem idem Hieronymus enumerat c ex Eusebij Chronologia mutuatos, de quibus ordine dicturi sumus, vt non sit opus hic operam in ea re ponere longiorem, sufficiat dicere ex communi interpretum sententia quartum illum opulentum fuisse Xerxem, qui cum infinitis copijs Græciam infœlici exitu inuasit, cuius in regno tanta diuitiarum copia fuit, vt cum multitudine flumina consumerentur, opes regiæ tamen superessent, vt inquit Iustinus lib. 2. Regem autem illum fortem, qui dominaturus esset potestate multa, & cuius regnum in quatuor ventos cœli esset diuidendum, nemo dubitat esse Alexandrum Magnum; de quo non dissimilia supra d ab hoc ipso Propheta prænunciata legimus. (Tum Alexandrum magnum.)

VI. Et diuisionem regni eius.

PERGIT autem de eo Gabriel. e *Et cum steterit*; id est, ad summum peruenerit potentiæ, *conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos cœli, sed non in posteros eius*, id est, qui de semine illius sunt, sed amici vel cognati, *neque secundum potentiam illius, qua dominatus est. Lacerabitur enim regnum eius, etiam in externos, exceptis his*, id est, præter illos quatuor primarios Alexandri hæredes, Ptolemæum Lagi, qui in Ægypto regnaturus erat, Seleucum, qui in Syria, & Babylone; Antigonum, qui in Asia & Ponto: Philippum Aridæum, qui in Macedonia; etiam alij particulas Imperij Alexandri sibi accepturi erant. *Significat autem*, inquit Hieronymus. *Perdicam, & Crateron, & Lysimachum. Nam Cappadocia, & Armenia, Bithynia, & Heraclia, Bosphorusque; & aliæ prouinciæ, de potestate Macedonum recedentes, diuersos sibi reges constituerunt.* Hæc ibi. Deinceps autem Gabriel pleraque de bellis, quæ Syriæ, & Ægypti Reges, inter se gessere, prædicit: quæ satius est in sua tempora differre, quam hic breuiter & obscurè dicere, quæ

a c. 11. v. 2.
b Gen. 7. 4.
c c. 7. Dan. 14.
d c. 8. v. 8. 21. & 22.
e c. 11. v. 4.

re. quæ postea in Machabæis essent iteranda. Illud tantum dico Angelum in Antiocho Epiphane diutius immoratum, quod is omnium maximè Iudæos afflicturus erat; qui quoniam Antichristi, piorum omnium cruentissimi persecutoris, typum gessit, iustum hoc loco à figura ad rem figuratam sermonem transfert. His ergo nos hoc loco contenti; ad alia transeamus.

VII. Tarquinius Seruium Tullium [illegible] Trucidat. HOC penultimo Seruij Tullij anno, multa Romæ contra eum ab ambitioso genero, & filia sacrilega, turbata sunt. Nam, vt fusius Dionysius Halicarnassæus, cum videret Tullius Tarquinium sibi Patriciorum plerosque minus Regi fauentes, adiungere, inopem plebem sibi largitione demereri, molestè quidem tulit, etiam sibi timens, ne imparatus opprimeretur. Verum quia vehementer indignum videbatur cum genero, & filia bellum suscipere, & pœnas quasi de inimicis sumere. sæpe coram amicis accitum in colloquium, Tarquinium incusando, & monendo, ab inferenda sibi iniuria dehortatus est: Et in Senatu cumque ille se coram Senatu causam dicere velle respondisset, coacto Senatu multa Tarquinius contra socerum criminatus est, quæ ille cum accuratissime refellisset, infecto conspiratis magno pudore, Senatum dimisit. Deinde per præcones iussit tota vrbe vocari in concionem populum.

VIII. Et apud populum [illegible] CVMQVE in Comitium concursus factus esset multitudinis, progressus in tribunal, longam & plenam affectibus orationem ad populum habuit; enumerans egregia facinora, quæ vel viuo quondam Prisco Tarquinio, vel mortuo, diuersis bellis edidisset; simulque instituta sua singula, è quibus multæ, magnæque in rem publicam vtilitates redundasse viderentur. Cumque ad singula ferme affatim plauderetur, omnibus scire cupientibus, quorsum ea tenderent, tandem ait à Tarquinio se accusari, quod regnum iniustè obtineret; illi potius debitum. Auum enim morientem ei reliquisse principatum, vna cum priuatis opibus, nec populo ius esse, aliena alteri donare. Ad quæ coorto, cum indignatione vniuersi populi, clamore; postquam silentium eis imperauit, postulabat ne his commouerentur, nec tumultuarentur: sed si quod ius pro se haberet Tarquinius vocato eo, causaque cognita, siue affectus iniuria, siue principatu dignior videretur, regimen vrbis illi traderent: se enim regnum deponere, ipsorumque potestati, à quibus acceperit, reddere. Post hæc verba descendere à tribunali paranti, acclamatum est vndique cum precibus, & lacrymis, ne cui principatum cederet, nec deerant, qui clamarent, *feri Tarquinium*. Et recte illi quidem clamabant, atque prouidè. Iam enim non semel factus reus imminutæ maiestatis, supplicium capitale meruerat: & valde intererat vniuersæ Reipub. talem pestem in apertum eius detrimentum, publicæque libertatis, iam erumpentem, ac bonorum, vt res ipsa docuit, ceruicibus imminentem, ab eo extinguit, qui esset Reip. caput & parens. Quod ille metuens, domum refugit cum socijs, Tullium vero plebs vniuersa cum gaudio, ac plausu domum reduxit. Hæc fere hoc anno Romæ.

ANNVS MVNDI 3520. SEXTÆ ÆTATIS 4. Solutæ captiuitatis 4. Cyri, & Imp. Persarum 4. Zorobab. Ducis Iudæ, & Iosue Pont. 4. Olympiad. LXI. An. 3. Vrbis conditæ 219. Seruij Tullii 6. Rom. Regis 44. & vltimus.

ANNVS ANTE CHRISTVM 533.

N. I. An a Cyro gesta contra Lydos. DVm Cyrus imperium Persarum stabilire, atque amplificare meditaretur, ei iterum cum Lydis negotium fuit. Nam hoc ipso tempore videtur Lydorum à Cyro defectio contigisse, *Interiecto deinde tempore*, inquit Iustinus, à deuictis scilicet Babylonijs, & Crœso eorum Rege in potestatem redacto, *occupato in alijs bellis Cyro, Lydi rebellauere: quibus iterum victis arma, & equi adempti, iussique contemptim videlicet permissi cauponas, & ludicras artes, & lenocinia exercere, & sic gens industria quondam potens, & manu strenua, effeminata mollitie, luxuriaque, virtutem pristinam perdidit. Et quos ante Cyrum inuictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos otium, ac desidia superauit.* Ita Iustinus. Herodotus rem fusius persecutus, ait, Cyrum occupata Lydorum Metropoli, cui nomen Sardis, eam homini Persæ, Tabalo nomine commisisse. Crœsi autem, cæterorumque Lydorum thesaurum, Pactiæ Lydo tradidisse deferendum Ecbatanam, quo ipse contendebat; at Pactiam à Cyro, & Tabalo defecisse, & quia Lydorum Thesaurum habebat consentientibus auxiliarios mercede conduxisse; maritimisque omnibus persuasisse, vt expeditionem secum susciperent: Itaque Sardis obsedisse, & Tabalum in arce conclusum habuisse.

II. Crœsi de Lydis consilium. QVIBVS intellectis Cyrum apud Crœsum expostulasse, & gentis totius interitum comminatum. At Crœsus veritus ne Sardis funditus euerteret, *Rex*, inquit, *ne patiaris antiquam hanc Ciuitatem extingui, quæ cum superiorum, tum eorum, quæ nunc acciderunt, rea non sit. Nam priorum ego author fui, quod nunc capite meo pendo, præsens factum Pactias designauit, hic tibi pœnas det, Lydis autem veniam dabis. Modo hæc impera; ne arma bellica possideant, super tunicam pallium gestent, cothurnos induant, cithara, cantibusque indulgeant, cauponentur, & cæt. Moxque comperies, ò Rex, viros in mulieres degenerasse, nihilque metuendum, vt rebelles vnquam à te desciscant.* Hæc cum Cyrus probasset, accersito continuo Mazare homine Medo, ea de Lydis imperat, quæ Crœsus suggesserat. Atque præter hæc mandauit, illos omnes sub corona venundandos, quotquot vnà cum Lydis, Sardis oppugnassent: Pactiam autem viuum ad se perducendum.

III. Aristodicus, seu Herodotus [illegible] oraculo. QVOD intelligens Pactias, sub aduentum Persici exercitus, deserta obsidione cum suis aufugit ad Cumæos; cumque à Mazare reperetur, & consultum oraculum reddendum iuberet; quidam Aristodicus templum oraculi circumiens auiculas in eo nidificantes è nidis abstulit, quo facto, vox ex adito ad Aristodicum fertur: *Hominum scelestissime*, inquit, *quænam te libido incessit, vt auderes meos supplices diripere?* Cui ille, & tu, inquit, huiusmodi auxilium fers supplicibus, quando Cumæos iubes Pactiam tradere Persis. Cui Deus respondens, *Equidem*, inquit, *iubeo, vt impij male pereatis, neque deinde oraculum hoc, de reddendis vestris supplicibus lacessatis.* Hæc & alia his similia nonnulla Herodotus; ob quæ Plutarchus in opusc. de malignitate Herodoti, eum impietatis accusat.

IV. Romæ gesta à Tarquinio. INTEREA Iudæi Hierosolymis in cœptis templi, vrbisque operibus quoquo modo progrediuntur, suis magis, & amicorum sumptibus, quam regijs, propter regiorum ministrorum præuaricationem atque perfidiam. Romæ autem Tarquinius Superbus malis artibus Seruium Tullium, optimè de se meritum Regem, & Socerum, principatu & vita spoliat; quo autem id modo contigerit, ea Dionysio compendio referemus. Postquam conatus, quem proximo anno retulimus, parum successit Tarquinio, animus se plane destitutum à Senatu, in quo plurimum habuerat fiduciæ, aliquantisper domi se continuit, amicos tantum admittens; deinde consulente vxore non esse molliter, nec segniter agendum amplius, conciliato prius per amicos Tullio, quo minus vt inimicum iam caueret, probauit eius monita; simulansque pœnitentiam, multis precibus per amicos à Tullio petebat delictorum veniam. Itaque reconciliatus viro natura facili, & abhorrenti ab insidijs, cum filia, & genero simulantibus, obseruato suo tempore, cum plebs passim per agros intenta esset colligendis frugibus, prodit cum amicis gladios sub veste occultantibus, ministris quibusdam secures capere iussis: Ipse regio amictu

...ium-pto, cæterisque principatus insignibus, vt ventum e in Comitium, fixo ante curiam gressu, iussit Patres in Senatum vocari à præconibus. Et iam ante præparati adstant in foro, conscii patrandi facinoris, nonnulliq; è Patriciis adhortantes, ad rem gerendam intrepide.

V. *Et Tullio Rege.* DVM hi conuenirent in curiam, Tullio domi tum agenti, quispiam renunciauit, Tarquinium progressum cum veste regia, Senatum cogere. Ille admiratus hominis audaciam, procurrit ex ædibus celerius, quam prudentius paucis aliquot comitatus. Ingressus in Senatum, ac Tarquinium in Regio solio cum reliquis ornamentis regiis sedentem conspicatus. *Quis,* inquit, *scelestissime hominum, hunc habitum te sumere permisit?* Ille contra, *Tua Tulli, audacia, & impudentia: qui cum ne ingenuus quidem sis, sed seruus, & serua natus, ausus es te Romanorum Regem facere.* His verbis Tullius exacerbatus, impetum in eum facit, velut hominem solio deturbaturus. Tarquinius occasione lætus, è solio prosilit, senemque corripit, & vociferantem, & frustra opem ministrorum inuocantem effert: ac mox è curia pertractum, ætate viribusque validior, medium arripit, & sublimem, per curiæ gradus, in comitium ferentes, deijcit. Senex cum è casu ægrè se collegisset, vt vidit circumquaque omnia plena fautoribus Tarquinii, & circa se magnam amicorum solitudinem, abiit gemens; paucis eum multu cruore circumquaque manantem, & toto corpore grauiter afflictum sustinentibus, ac deducentibus.

VI. *Tiara impia filia.* POST hæc graue auditu impiæ filiæ facinus traditur; cognito enim patrem iuisse in curiam, rescire cupiens, quem res habitura esset exitum, carpento in forum inuecta est. Ibi rem totam edocta, conspicataque stantem in summis curiæ gradibus Tarquinium, prima Regem magna voce salutauit, tum seorsim abducens, *Primus,* inquit, *Tarquini conatus successit*, vt debuit: Cæterum firmiter principatum retinere non poteris, si superstes maneat Tullius. Concitabit enim denuo suis concionibus in te populum, si quantulacumque vltra hodiernum diem protracta fuerit mora, quin ergo eum tu, priusquam domum se recipiat, immissis percussoribus tollis è medio? His dictis rursum conscenso carpento abijt. Tarquinius autem ratus hoc quoque recte monere sceleratissimam coniugem; quosdam è ministris cum gladijs in eum mittit, qui magna celeritate præuentum in via, non procul à regia iugulant.

Ibi occiditur.

VII. *Cadauer carpento filia conteritur.* RECANTI cadaueri, & adhuc palpitanti superuenit filia: cumque admodum angustus esset vicus, qua carpentum agendum erat, mulisque ad cadaueris conspectum territis: ipso quoque auriga commoto, & inhibente ad tam triste spectaculum progressum, mulier exacerbata, scabello pedum arrepto petit aurigam, inclamans, *non ages scelerate, vel per mortuum?* Ille ad spectaculum magis, quam ad ictum ingemiscens, vi mulos per cadauer agit, ex quo tam atroci facinore, vicus *sceleratus* est appellatus. Quæ apud Liuium quoque leguntur. *L. 1.* Hunc finem sortitus est Tullius, post exactum in regno annum quartum, supra quadragesimum: Hæc ex Dionysio ferè ad verbum, qui aliquantò post de eius funere & vxoris eius morte, ista subdit. Porro cum ob regis cædem, magnus tumultus vrbem haberet, omnibus fere mortem eius lamentantibus, veritus Tarquinius, ne si per forum,

Regis funus. funus duceret, vt mos Romanis est, cum regijs ornamentis, alijsque funebribus ceremonijs, plebs forte impetum in se faceret, nondum satis confirmato imperio, consuetos sepulturæ ritus adhiberi non est passus, sed defunctum vxor, Tarquinij Prisci filia, vt vulgaris hominis cadauer, noctu ex vrbe, paucis amicorum prosequentibus extulit, multisque lamentis suum & illius fatum prosecuta, innumeras filiæ, & genero diras imprecata, corpus humo condidit.

VIII. *Et mors vxoris illius.* A monumento domum reuersa, vnam non amplius diem superstes fuerit, sequenti nocte obijt: incertum quo lethi genere, quibusdam dicentibus, illam, abiecto præ mœrore vitæ desiderio, manus sibi intulisse; alijs extinctam à genero & filia, quod cari mariti obitu vehementius affligeretur. Idem Dionysius tribuit Bruto orationem, qua eam à Tarquinio laqueo strangulatam dicit, ante persoluta mariti luctus, & inferiarum extrema officia. Hic ille beatus, & fortunatus, Fortunæ cultor Tullius, cuius fatum funestissimum vxor deplorat, filia consulit, perpetrat gener; vxor suo funere cumulat, filia rotis mulisque proculcat, & contrucidat, gener regiæ honore sepulturæ priuat. Etsi autem significauit Dionysius sub æstatem, vel autumnum, quando colliguntur fruges, occisum Tullium, eodemque tempore regnum à Tarquinio occupatum. Eius tamen primum annum, non nisi sequenti anno cum ipso ponemus. Præsertim cum annus tum à Kal. Decembris, vt vult Dionysius, inchoaretur. *eod. l. 4.*

ANNVS MVNDI 3521. SEXTÆ ÆTATIS 5. Solutæ captiuitatis 5. Cyri, & Persarum Imperii 5. Zorobabelis & Iosuæ 5. Olympiadis LXI. An 4. Vrbis cond. 220. Lucii Tarquin. sup. 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM 532.

HOc anno L. Tarquinius Superbus per vim & scelus, vt inquit Liuius, *a* regnum Romanorum, septimus, idemque vltimus vsurpauit. Temporis notæ auctor est Dionysius l. 4. *post Tullium,* inquit, *imperium Romanum capessit L. Tarquinius, non legitime, sed armis partum, anno quarto, sexagesima prima Olympiadis: qua in stadio vicit Agatharchus; principe Athenis Heraclio.* Andiamus vero hac de re Diuum Augustinum. *a* *Seruius Tullius generi sui Tarquinij Superbi, qui ei successit in regnum, nefario scelere occisus est. Nec discessere adytis, arisque relictis dij, tanto, in optimum illius populi Regem parricidio perpetrato; quos dicunt, vt hoc misera Troiæ facerent, eamque Græcis diruendam, exurendamque relinquerent, adulterio Paridis fuisse commotos. Sed insuper interfecto à se socero, Tarquinius ipse successit. Hunc illi dij nefarium parricidam, soceri interfectione regnantem; insuper multis bellis, victorijsque gloriantem, & de bellorum manubijs Capitolium fabricantem, non abscedentes, sed præsentes, manentesque viderunt, & Regem suum Iouem in illo altissimo templo, hoc est, in opere parricidæ sibi præsidere, atque regnare perpessi sunt. Neque enim adhuc innocens Capitolium struxit, & postea malis meritis vrbe pulsus est; sed ad ipsum regnum, in quo Capitolium fabricaret, immanissimi sceleris perpetrator peruenit.* Ita Diuus Augustinus; de ipsius etiam nomine paulo post ita luquitur. *Nec tamen istum Tarquinium Romani crudelem, aut sceleratum, sed superbum appellauerunt: fortasse regios eius fastus, alia superbia non ferentes.* Videtur Augustinus alludere ad Platonem; qui dicebat Diogenem, fastum calcare Platonis, sed alio fastu.

I. Tarquinius Superbus regnum capessit a l. 4.

a L. 3. de Ciuit. c. 15. Æn.

Ex August.

II. *Eius imperii tyrannicum.* DE ipsius autem moribus, & Tyrannico imperio sic ait Dionysius. *Hic contempta plebe*, quam scilicet socer eius coluerat, *contemptis & patricijs, per quos ad regnum prouectus fuerat, confusisque legibus, ac moribus patriis, & omni decore corrupto, quo ciuitas sub prioribus Regibus floruerat, principatum in manifestam vertit Tyrannidem.* Ac primo satellitio se stipauit audacissimorum hominum, gladios, & lanceas gestantium; exterorum, & ciuium; qui noctu excubantes circa regiam, & interdiu prodeuntem, quocumque iret comitantes, tutum reddebant ab insidijs &c. Multa enim congerit, quæ improbum ac tyrannicum ingenium egregiè exprimunt. Fuit ergo in Tarquinio isto indicium tyrannidis satellitium, quod timeri mallet, quam amari; quo priores Reges, quia boni, in bono populo, non egebant. Idem apud Athenienses à Pisistrato factitatum, nequidquam ingemiscente, atque expostulante Solone, vt suo loco dictum est. Deinde vero siue consuetudine, siue necessitate, siue dignitate factum est, vt satellitio, tam boni, quam

mali principes vererentur. Nam in optimo populo, inueniuntur etiam non optimi, quibus, quantumuis bonus, atque amabilis princeps, propter morum dissimilitudinem sit ingratus.

III. Theognis. FLORVIT sub hæc tempora Theognis poëta Megarensis. Megaris enim in Achaia natus est, quemadmodum & Euclides. Suidas Megarensem eum vocat, sed Siculum secutus Platonem libro primo de legibus, qui eo nomine ab Harpocrate reprehenditur, qui Megaris in Attica natum tradit, & ex ipso Theognide confirmat, & post eum Scaliger in Eusebium. Megaram Atticam prope Sperchium flumium, ad Isthmum Peloponnesi collocat Ptolemæus, Siculam vero iuxta Alabium fluuium, & Taurum promontorium. Theognidem refert ad initia Tarquinii Superbi Eusebius; qui potius ad præcedentem Regem pertinet, cui Eusebius decem regni annos sustulit, quos isti superbo restituit, vt notauit Glareanus. Potuit tamen ad vtrumque pertinere, vt qui, eodem authore Suida, Olympiade 59. natus sit.

Annus Sabbaticus 134. Fuit porro postremus hic Annus Olympiad. primæ supra sexagesimam, apud Hebræos Sabbaticus, ordine centesimus trigesimus quartus, quem par est credere Zorobabele duce populi, & Iosue Pontifice annitentibus, quomodo hæc tempora ferre potuerunt, fuisse obseruatum. Nisi forte hic annorum sabbaticorum ordo septuagenaria desolatione, & quasi perpetuo sabbatismo perturbatus est; quod neque affirmare possumus, nec negare. In re igitur dubia inchoatam pridem horum annorum seriem retinebimus.

ANNVS MVNDI 3522. SEXTÆ ÆTAtis 6. Solutæ captiuitatis 6. Cyri, & Imperii Persarum 6. Zorobabelis, & Iosue 6. Olympiadis LXII. An. 1. Vrbis conditæ 221. Tarquinii Superbi 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM 531.

I. Cyri apparatus ad bellum Scythicum. CYRVS hoc anno expeditionem decernit in Massagetas, ac bellum præparat; quod sequenti anno ab eo inchoatum gestum est, vt dicemus; vbi etiam de temporis ratione pluribus agetur. Nunc tantum dico, nihil mirum videri, expeditioni præparandæ annum præuium assignari. Nam ducenta Persarum millia in armis secum habuisse in bello Massagetico, tradit Iustinus l. 1. Nec improbabile est eum Indos, non minus quam Semiramidem, vel Bacchum, aut etiam vlteriora cogitasse. Nam, vt ait Herodotus, duplici ea causa Cyrus hoc tempore ad bella mouebatur, primùm ob suam genituram, quæ prodigiis plena ferebatur, vt sibi maius quiddam homine esse videretur; secundò, quod hactenus magna erga omnes hostes fœlicitate vsus esset. Strabo etiam l. 15. non obscure significat, Cyrum expeditionem Indicam ambiuisse, cum in Massagetas duceret. Quod enim Iustinus ait, Cyrum subacta Asia, & vniuerso Oriente in potestatem redacto, Scythis bellum intulisse; de Asia minore, & prouinciis orientalibus, quæ Babyloniis, Assyriis, Medisque paruerant, intelligendum est; oune autem maiora etiam moliebatur.

II. Iudæi [illegible] a l. 11. c. 2. QVIBVS in rebus dum occuparetur Cyrus, Iudæis non licuit de Persarum præfectis, & Cuthæis, apud ipsum queri. Iosephus a enim ait Cyrum nesciuisse, quo se illi modo aduersus Iudæos gererent, vtpote distractum in alia negotia, Scythicæ videlicet expeditionis. Quod si, vt probabilius videtur, annitente Daniele ad Imperatorem admissi sunt; cum alia ex parte præsides illi prouinciarum, & Cuthæi multis modis Iudæos criminarentur, & suam improbitatem honestis rationibus obuelarent; Cyrus eam totam in suum reditum fortasse distulerit; aut alias etiam commiserit; quibus ius fasque non magis curæ fuerit, quam illis, qui circa Iudæam versabantur. Quos item precio fuisse corruptos, nihil absurdum est suspicari: vel si fuerunt improbi, ipsa sua malitia, bonis factis redditos iniquiores.

III Et Romanorum Tyrannis Superbi. b lib. 4. ant. Rom. AD hunc annum, & aliquot sequentes, referre licet, quæ de Tarquinio Superbo Dionysius scribit, b anno non notato. *Porro, inquit, cum iam firmatas imperii habenas existimaret, nequissimo quoque sodalium subornato, eorum opera multos illustres viros inualuit criminibus capitalibus. Primum eos, qui alienum ab eo gerebant animum, & Tullii casum ægre ferebant; post etiam alios, quibus putabat molestam status publici mutationem; præcipuè diuites; eos autem vel morte mulctabat, vel pellebat in exilium; occisorum, & pulsorum occupabat bona, nonnulla particulatim accusatores tallata; qua factum est, vt plerique sponte exilium occuparent, & sese tyrannidi eriperent, & Senatus magna ex parte vacuaretur; quem ille ita suis fautoribus expleuit, vt nudum pene Senatorum gererent nomen. Ipse pro arbitratu omnia gereret.*

IV. Et in familiam Iuniorum crudelitas. IN his autem in primis fuit M. Iunius, pater Iunii Bruti, qui postea præcipuus auctor, & assertor Romanæ libertatis fuit, qui vxorem habebat Tarquiniam, Tarquinii Prisci filiam, hunc Superbus hic, inter alios multos, occultè de medio sustulit, non ob delictum vllum, sed diuitiarum cupiditate, quas antiquæ, atque opulentæ familiæ hæres, à maioribus acceperat. Simul etiam filium eius natu grandiorem morti destinabat, quòd generosam præferret indolem patrisque interitum non inultum laturus videretur. Quo tempore L. Iunius etiam tum adolescens, auxilio cognatorum destitutus, stultitiam simulare aggressus est, eamque deinceps simulationem constanter retinuit, dum se offerret occasio prodendi, quanta sapientia præditus esset. Cum ergo fatuum publicè ageret, vulgò Bruti nomen accepit, & à Rege omnibus spoliatus bonis, quasi fatuus domi, ad filiorum suorum animi recreationem retentus est, & cum iis Delphos ad oraculum, pestilentiæ tempore missus, sapientiorem se re ipsa præbuit, quam monstrauit foris. Hæc, & id genus alia multa ex Dionysio, si quis voluerit petat. Quo autem tempore ea pestilentia Romæ contigerit, non liquet, illa, vt idem ait, non modo puerorum, & virginum magnam tollebat multitudinem, sed etiam prægnantibus infestissima, matres cum ipso fœtu passim per vicos sternebat.

V. Olympias 62. HIC porro annus Olympiadis sexagesimæ secundæ primus, victorem in Olympico stadio renunciauit Eryxidam Chalcidensem, vt est in catalogo Olympionicarum, vbi & Milonis Crotoniatæ, Athletæ roboris stupendi, palmæ ad hanc Olympiadem referuntur, quas Suidas quoque memorat, vtique ex Pausania, a quæ hic quoque legere, arbitror lectori ingratum non fore. a l. 2. p. 191. & 192. gr. Sic ergo habet, Palmas Milo Olympicas sex adeptus est, de lucta omnes; Ex his puerilem vnam. Sex Pythicas è virorum, vnam è puerorum certamine. Milonis vires. Cum septimum in Olympiam luctaturus venisset, cum Timasitheo ille quidem, Mnasitheum Suidas vocat, quod ciuis erat, & per adolescens, ac certamen recusabat, non est congressus; dicitur autem suam ipsius statuam intra Altin suis humeris deportasse. Traduntur d puniceo malo, & disco hæc memoratu digna. Puniceum malum ita manu compressum tenebat, vt neque qui conatus esset extorqueret, neque ipse tamen illud elideret. Perunctio disco eum institisset, omnes ludibrio habebat, qui se detrudere, quantouis impetu facto conarentur. Magnum etiam illud fuit roboris documentum. Frontem chorda circumligabat, perinde ac si tæniam sibi circundaret, aut coronam: intercluso deinde compressis labiis spiritu, cum venæ capitis sanguine plurimo intumuissent, robore venarum chordam quasi papyrum dirumpebat. Idem dexteræ manus eam partem, quæ ab humero ad cubitum pertingit, secundum latus demittebat, reliquam partem à cubito ad digitos recta exporrigebat, pollice sursum verso, reliquis ordine inter se iunctis, idque tanta firmitate, vt minimum digitum nemo quantouis nisu posset à cæteris abiungere, vel vt habet Suidas, deorsum incuruare.

VI. *Eius interitus.*

ADAMVS etiam, quæ idem Pausanias de illius interitu subdit, quoniam quo ille tempore contigerit, ignoratur: belli certe dux contra Sybaritas anno tertio Olymp. 67. reperitur. *Ferarum laniatu*, inquit idem author, *hunc periisse memorant. Conspicatus enim biantem immissis cuneis quercum aridam, in Crotoniatarum finibus, robore pristino fretus*, iam videlicet senescebat, *truncum illum manibus dicitur rescindere conatus. Ibi tum relaxatis cuneis comprehensus manibus Milo detineretur, à lupis, quæ fera frequens est in Crotoniatarum agro, discerptus est. Fuit illi fatalis virium suarum fiducia.* Ita Pausanias, agnoscens vtique diuinæ iustitiæ, in hominum edomanda superbia, æquitatem, quæ in robore ligneo robur carneum castigaret; & humanæ infirmitatis contemptorem, ab hominum ope destitutum, frustra contra lupos dies noctesque calcitrantem, & deorum suorum, hominumque auxilium magnis clamoribus implorantem ab iisdem feris lacerari pateretur. Adde ex Clemente Alexandrino, *b* quem S. Cyrillus l. 1. contra Iulianum sequitur, Pythagoram floruisse tempore Polycratis tyranni circa Olymp. 62. nos Laërtium secuti, ipsum ad sexagesimam retulimus.

b p. 321 græ. lat. B.

ANNVS MVNDI 3523. SEXTÆ ÆTATIS 7. Solutæ captiuitatis 7. Cyri primi Persarum Monarchæ 7. & vltimus. Imperii Persarum 7. Zorobab. Ducis, & Iosue Pontif. 7. Olymp. LXII. 2. Vrbis cond. 222. Tarquin. Superb. 3.

ANNVS ANTE CHRISTVM 530.

I. *Obitus Cyri, & ratio temporis.*

PONIMVS hoc anno regnum, & imperium, & vitam Cyri esse terminatam. Cum enim communissima scriptorum antiquorum, recentiorumque sententia illi triginta annos tribuat, non est quod in ea re probanda operam non necessariam ponamus. Cum autem non minus certum sit, eum anno primo Olymp. 55. regnare cœpisse, vt ibi tradidimus; certe necesse est hoc anno eius annum trigesimum finiri. Illud tamen in nonnulla est controuersia, an totos triginta annos in imperio fuerit, vt quidem putauerunt, an vero maiorem eorum partem Rex tantum Persarum vixerit, vt nos existimamus. Qua de re cum anno primo Cyri fuse dixerimus, eò lectorem remittemus. Cur autem non plures annos imperio, regno vero pauciores dederimus, aut vice versa; primum Xenophontem in 8. Pædiæ Cyri secuti sumus, qui ei septem annos imperij tribuit. Quod Ribera quoque capite primo in Zachariam, *a* & Torniellus, *b* vt alios missos faciam, merito probarunt. Cum enim constans esset apud antiquos opinio, Cyrum triginta circiter annis imperasse, ipseque Herodotus scriptum reliquisset, eum vndetriginta annos omnino regnasse, id est, impleuisse viginti nouem, & trigesimum non absoluisse: Quid fuisset causæ cur Xenophon ei septem duntaxat imperii annos daret, qui non ignorabat diuturnitatem imperii, ad fœlicitatem principum pertinere? nisi significare, testatique voluisset, eum de triginta annis septem in Monarchia, reliquos in regno vixisse. Qui autem ei tres tantum annos imperii tribuendos duxerunt, quòd Daniel tertii tantum anni Cyri meminerit, frigida eos niti probatione nemo non videt. Digna sane Hebræorum acumine, qui eadem ratione ducti, tres tantùm annos Balthazari assignarunt, nec plures quatuor Persarum regibus admittendos putarunt; à qua opinione Genebrardus non multum abhorret. Sed iis omissis Cyrum ad Massagetas iter habentem assectemur.

a nu. 33. *b* in 6. ætat. an. 42. n. 5.

II. *Ad Massagetas pergit Cyrus.*

MASSAGETAS constituit Herodotus, ad mare Caspium, orientem versus, in maxima planitie, quam fluuius Araxes claudit. Cum ergo hoc quoque regnum Cyrus in suam potestatem redigere statuisset, essetque eius gentis Regina Tomyris nomine, quæ regnum defuncto viro, filioque adolescente moderabatur; ad eam legatos misit Cyrus, qui suo nomine, verbo duntaxat, nuptias eius peterent. Illa vero animaduertens non se in coniugium, sed regnum Massagetarum peti, accessum Cyro interdicit. Is, cum dolus non procederet, progressus ad Araxem, flumen pontibus iungit, quibus exercitum traiiciat; Ad quem, in hoc labore occupatum, caduceatorem Tomyris mittit, qui ex eo quærat, malitne traiecto Araxe, in regno Massagetarum ferro decernere, an se venientem, in Persarum imperio excipere pugnaturam. Cum prior conditio authore Crœso placuisset, eum enim adhuc in viuis fuisse putauit Herodotus, atque adeo consilium de Massagetis, vino prius & epulis, quam ferro vincendis. Transfert exercitum, & Crœso in manus Cambysis filii sui tradito, cui regnum etiam tradebat, si quid ei in ea expeditione humanitus accidisset; captiuoque Rege maiorem expeditione humanitus accidisset; captiuoque Rege maiorem in modum commendato, progressus vnius diei itinere, quæ Crœsus admonuerat exequitur; relictaque illic imbelli parte copiarum, mox cum expedita manu ad Araxem regreditur. Imbellibus ergo Persarum, superueniens tertia Messagetici exercitus pars, eos facile delet; moxque ad potum, epulasque conuertitur, & refecta vino, ciboque soporatur. Persæ superuenientes horum multos occidunt, multoque plures viuos capiunt, & in iis Tomyridis filium Spargapisem.

Araxem traiicit.

Eosque primum vincit.

III. *Mox, ab eorum regina vincitur. Spargapisis interitus.*

TOMYRIS cognito exercitus, ac filii sui casu, exprobrat Cyro quod dolo, non virtute vicerit; tum suadet vt reddito sibi filio, in Persidem reuertatur, & in lucro ponat, quod impunè tertiam Massagetarum partem profligasset; sin minus solem testatur, se Cyrum etsi cruore insatiabilem, tamen satiaturum. Quæ verba Cyrus pro nihilo habuit. Spargapises autem cum ebrietate solutus suam calamitatem didicisset, & vt vinculis solueretur impetrasset, sibi continuo intulit manus. Inde cum ad pugnam ventum esset, & vtrinque acerrimè pugnaretur, ad extremum Massagetæ superiores extitisse feruntur; ibique cum permagnam Persici exercitus partem, tum vero Cyrum ipsum occubuisse, cum vnum de triginta omnino regnasset annos. Cuius cadauer, inter cæsorum Persarum stragem, Tomyris quæsitum cum inuenisset, caput in vtrem humano cruore plenum immisit, & insuper insultans, ait, *Tu quidem meum viuentis, & in pugna victricis filium dolo captum perdidisti; at ego te prout interminata sum, cruore satiabo.* Vel, vt habet Iustinus. *Satia te sanguine, quem sitisti;* qui eadem breuius habet, nisi quod cum aperto marte obtentam victoriam scribat Herodotus, hic etiam addit insidias. *Hostes*, inquit, *recenti victoria exultantes, pari insidiarum fraude circumdedit. Quippe simulata diffidentia, propter vulnus exceptum refugiens, Cyrum ad vsque insidias perduxit. Ibi compositis in montibus insidiis, ducenta millia Persarum, cum ipso Rege trucidauit. In qua victoria etiam illud memorabile fuit, quod ne nuntius quidem tanta cladis superfuerit.* Et huic mortis generi posteriores omnes maluerunt fidem, quam Xenophonti tribuere.

Occiso Cyro Tomyris insultat.

IV. *Cyri sepulchrum.*

Hæc si vera sunt, quæ Herodotus ait, sibi visa fuisse verosimillima omnium, quæ ea de re traderentur; Certè Persæ non Cyri sepulchrum, sed merum cenotaphium habuerunt: quod tamen ornare non destiterunt. Nam Strabo l. 15. non longe à fine ait, Alexandrum Macedonem in Pasargadas venisse, vbi erat antiqua regum sedes, *Hic Cyri sepulchrum*, inquit, *in hortis vidit, turrim non sane magnam, arborum densitate occultam, à parte inferiore solidam, superiore tabulatum habentem, & cellam perangusto aditu. Per eum Aristobulus introisse se ait, iussu Regis, atque sepulturam exornasse, vidisse autem auream lecticam, & mensam cum poculis, & aureum alueum vel vrnam, vestem plurimam, & mundum gemmis ornatum. Verum hæc vidisse affirmat primo aduentu; postea direpta fuisse, ac cætera quidem asportata, lecticam vero confractam, & alueo loco moto, cadauer nusquam comparuisse.* Sic ipse.

V. *Epitaphium eiusdem.*

INSCRIPTIONEM etiam monumenti hanc affert. *O homo, ego Cyrus sum, qui Persis imperium paraui, & Rex Asiæ fui. Ne igitur mihi monumentum inuideas.* Onesicritus an turrim decem tabulata habuisse, & in supremo Cyrum cum hac inscriptione iacuisse. *Hic ego iaceo Cyrus Rex Regum.* Hæc porro turris, quam dicti authores, aliiq; memorant, ea fuisse videtur, quam scribit Iosephus *a* excitatam à Daniele, de qua iterum in huius Prophetæ morte. Eodemque modo Arrianus, qui cum de spoliato Cyri sepulchro loquitur. *b Nonnulli*, inquit, *ne ipsi quidem corpori pepercerunt; sublato enim vrnæ operculo, corpus eiecerunt, ipsam vero vrnam & mole minorem, & latu faciliorem reddere voluerunt.* Hæc ibi; quæ maiorem mererentur fidem, si corpus à Tomyride redemptum Græci ante docuissent. Nam Curtius *c* *sepulchrum*, inquit, *Cyri, Alexander iussit aperire, in quo erat conditum eius corpus: cui dare volebat inferias. Auro, argentoque repletum esse crediderat, quippe fama Persæ ita vulgauerant. Sed præter clypeum eius putrem, arcus duos Scythicos, & acinacem nihil reperit.* Sic Curtius. Certe vel aliqua ossa ibi reperire potuisset; neque enim fures talium rerum sunt auidi.

a l. 10. ant. c. vlt.

b l. 6. extremo.

c l. 10.

VI. *Et commendatio.*

ITA mortuus est Magnus ille Cyrus, Persici fundator imperii, toties sacris literis, profanisque decantatus. Princeps non tam regnis, tantaque monarchia fœlix, quam quod in veri Dei cognitionem veniens, ea sibi tanto antequam nasceretur promissa diuinitus, præstitaque deinceps agnouit, atque professus est; fœlix quem Deus tanto honore dignatus est, vt eum Christi Domini typum, & quendam quasi liberatorem & saluatorem populi Dei esse voluerit; sed longe fœlicior, si quem Cœli, terræque dominum prædicauit, cuius cultum restituit, cui templum suis sumptibus excitari præcepit, cuius cultores beneuolentia, & fauore prosecutus est; eundem etiam ipse, deposita inanium Deorum superstitione, veneratus est; aut si serio, ac constanter coluit, quem in figura demonstrauit. Cyrum eximia omnes fortitudine, animique magnitudine celebrant; addunt etiam fœlicitatem, ac rerum gerendarum prudentiam. Ideoq; Plutarchus indignè fert Cyrum apud Herodotum à Crœso sæpius ad prudentiam moneri, et erudiri. In Deos etiam relatum docet Arrianus, *a* atque ædiculam in turris ambitu fuisse à Magis extructam, qui sepulchrum custodiebant, iam inde à Cambyse Cyri filio, custodiæ munere à patribus ad filios transmisso. Atque his quidem ouis in singulos dies à Rege dabatur, vinique, & farinæ certus modus; singulis etiam mensibus equus vnus, quem Cyro sacrificarent. Sic Arrian. At Iosephus hos magos Iudæos fuisse ait, *b* vt in Danielis morte dicemus. *c*

Cyri virtus.

a l. 6. exp. Alex. in fine.

b l. 10. c. vlt.

c An. Darii Hystaspis 4. num. 2.

VII. *Anni vitæ eius.*

DE annis vitæ Cyri, ita legimus apud Tullium, lib. 1. de diuinatione. *Quid ego*, inquit, *quæ Magi Cyro illi principi interpretati sunt, ex Dionysii Persici libris conferam? Nam cum dormienti ei sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra appetiuisse manibus, cum se conuoluens, sol elaberetur & abiret: Ei Magos dixisse, quod genus sapientum, & doctorum habebatur in Persis, ex triplici appetitione solis, triginta annos Cyrum regnaturum esse portendi. Quod ita contigit. Nam ad septuagesimum peruenit, cum quadraginta natus annos regnare cœpisset.* Ita Cic. Quod si verum esset, oporteret Cyrum primo anno Olympiadis quadragesimæ quintæ natum esse, inde enim ad hunc annum septuaginta omnino anni numerantur; quod fieri non posse ibi monstratum est. Ideo que credidere illos quadraginta annos ad initium imperii, non autem regni esse referendos, sicque non septuaginta, sed quadraginta septem duntaxat vixisset annos. Cui ætati fauet magnitudo expeditionum, quas versabat animo, cum Massagetas bello petiit, vt sexto eius anno diximus, *d* quæ parum cum septuagesimo ætatis anno congruunt. Qua de re iam in quarto volumine disputatum est. *e*

d num. 2.

e a mundo 3468. num. 2.

f l. 4. hist. Rom.

VIII. *Tarquinium regnum assi... Latinorum firmat.*

HOC tertio Tarquinii anno, cum ille adhuc sollicitus esset de stabiliendo regno, contigisse arbitror, quæ scribit Dionysius. *f Cæterum*, inquit, *Tarquinium cogitans vi non imperatam potentiam, opus habere non solum domestico, verum etiam externo præsidio, illustrissimum Latinorum, & potentissimum sibi iunxit amicitia, data in matrimonium filia. Is vocabatur Octauius Mamilius, genusque referebat ad Telegonum, Vlyssis, & Circes filium. Tusculum incolebat, reique militaris, inter paucos, habebatur peritissimus, & bellis gerendis imperator idoneus. Per hunc conciliatis oppidatim procerum respublicas tractantium, animis, cum demum foris bella aggressus est, & copias in Sabinos educere detrectantes imperium*, quod non ante annum sequentem factum videtur.

IX. *Quem sibi generum ...*

SED prius Latinos sibi conciliauit atroci scelere, occiso per proditionem, & calumniam Turno Herdonio, Mamilii æmulo. Nam è seruis Turni, qui iumentis eius impedimenta vehebant, improbissimos exquisiuit, auroque corruptos adduxit, vt sub noctem acceptorum à se gladiorum magnam vim inferrent in eius diuersorium, & inter impedimentorum sarcinas abderent. Sequenti luce eum in Latinorum procerum conuentu accusauit, quod principibus ciuitatum insidias molitetur, paratus, occiso nobilissimo quoque, inuadere Latinorum imperium. Eam rem argui posse manifestè, quam sibi vnus coniuratorum indicasset, repertum iri penes eum vim magnam armorum, in id paratorum. Quæ cum inuenta essent, non permissus amplius Turnus pro se dicere, in voraginem quandam proiectus, viuus terra est obrutus. Deiectum ait Liuius in caput aquæ Ferentinæ, crate superne iniecta, saxisque congestis submersum. Tarquinium ergo collaudatum in concilio, quasi ob seruatos tot optimates, de cunctis populis bene meritum, Latinorum principem faciunt, iisdem conditionibus, quibus quondam auum ipsius Tarquinium fecerant, ac deinde Tullium, incisoque in columnas fœdere, & iureiurando addito, solutum est concilium.

Calumnia de proditione.

ANNVS MVNDI 3524. SEXTÆ ÆTATIS 8. Solutæ captiuitatis 8. Cambysis Persarum Imperatoris 1. Imperii 8. Zorobab. Iudæorum Ducis, & Iosue Pontificis 8. Olymp. LXII. 3. Vrbis cond. 223. Tarquin. superb. 4.

ANNVS ANTE CHRISTVM 529.

I. *Cambyses Cyro succedit.* *a L. 1. init.*

CYro vita functo, inquit Herodotus, *a* regnum suscepit Cambyses eius filius, & Cassandanæ Pharnaspo genitæ, quam ante vitam defunctam, Cyrus etiam ipse ingenti luctu prosecutus est, & cæteris quibus imperabat, lugeri præcepit. Cambysem quoque Cyro sufficit Xenophon, *b* Iosephus *c* Thucydides *d* Seuer. Sulp. *e* Eusebius in chronicis, & Iustinus; & omnes plane, qui res Persarum attigerunt, Græci, Latinique. Itaque qui in primo Esdræ *f* dicitur Assuerus; & post Cyrum, & ante Darium ponitur, omnino Cambyses intelligendus est; cui Patronymicum, siue Gentilitium Assueri nomen honoris ergò tribuitur; quod ipsum nomen & marito Esther longius, post hæc tempora, attributum est. Licet Hebræis in Chronicis, *g* & Genebrardo aliter visum fuerit, vt suo loco demonstrabimus. Vocatur etiam eodem loco Esdræ *h* Artaxerxes. Etsi enim id videtur ambiguum, tamen ex 3. Esdræ, & 70. Sixti id declaratur. Quæ enim hic dicuntur scripta ad Assuerum, ibi leguntur ad Artaxerxem data. Imo in quibusdam libris *i* ita scriptum est. *In regno autem Assueri, ipse est Artaxerxes, in principio regni eius &c.* Neque enim eo nomine Smerdes, qui breuissimo tempore regnauit, intelligi potest; vt ei accusatio, quæ aduersum Iudæos ab eorum hostibus facta est, & eiusdem responsio conuenire queat; præsertim cum ille semper lateret, & ne vxoribus quidem suis se videndum præberet. At Darius, qui isto extincto, in regnum, communi suffragio euectus est, erga Iudæos beneuolus fuit, ab ipso regni principio, vt qui votum ediderat de templo ædificando, si Rex fieret; à Iudæis autem Cambyses se alienum ostendit. Nec Iosephus alium Assuerum, & Artaxerxem, ad quem scripserunt hostes Iudæorum, agnoscit præter Cambysem. Quod Scaliger in serie regum Persarum non intellexit, qui Assuerum hoc lo-

b l. 8. pædiq.
c l. 11 c. 2.
d l. 1. hist.
e l. 2. sacræ hist.
f l. 1. Esd. 4. 6.
Idem Assuerus dicitur, & Artaxerxes.
g c. 29.
h c. 4. v. 24.
i 3. Esd. 4. 6.

co Xerxem, & Artaxerxem, Longimanum interpretatur. Eadem licentia, qua hoc ipso capite 4. Esdræ extremo, Darium Nothum accipit, pro Dario Hystaspide, & Darium Longimanum cap. 7. Esdræ, & cap. 2. Nehemiæ in Darium Mnemonem commutat, contra verissimam, communissimamque sententiam.

II. Quamdiu regnarit Camb. Quamdiu autem regnarit Cambyses, non vna omniũ sententia est. Iosephus enim *k* breuissimum eius regnum facit; ait enim per sexennium regnasse. At Clemens Alexand. *l* omnium longissimum, quippe qui ei nouemdecim annos tribuat, Ctesias duodeuiginti. Medij sunt Herodotus, qui ait *m* eum annos omnino septem, & menses quinque regnasse, Eusebius, & Beda, qui annos octo, Seuerus autem Sulpitius, & Hebræi in chronico nouem. *n* Qui autem Eusebium, quem sequitur Glareanus, & Scaliger, in illis octo annis includere septem menses Magorum, magis dicunt, quid fieri oportuerit, quam quid ab eo factum sit. Nam in Chro. annos octo seorsum ab illis mensibus Eusebius ponit. Nunc tamen passim omnes Herodotum secuti, septem menses Magorum, ad quinq; vltimos Cambysis menses adiungunt, sicque integros annos octo, à morte Cyri, ad regnum Darij Hystaspis constituunt. Fregulphus, *o* Perer. Torniel. Ribera. Gordon. Samerius, Mercator, & è sectarijs Heluicus, Functius, Capellus, aliique passim.

III. Hebræi de Cambyse. Non est autem mirum Hebræos Cambysi, nomine Assuero, dare annos quatuordecim. Cum enim in ipso Assuero longe fallantur, etiam in eius annis falli necessarium fuit. Nam vt alia omittam, Assuerus in libro Esther, *p* ait beneficio maximi, semperque viuentis *a* Dei, & sibi, & patribus suis regnum esse traditum; Persicum vtique regnũ; quod Cambysi conuenire non potest, qui Cyro, imperij fundatori, immediatè successit. Nec est necesse ad opinionem Hebræorum, cum communi conciliandam dicere, Cambysem sex annis cum patre regnasse, quod facit Ribera. *b* Id enim videtur Herodoto repugnare, qui refert Cyrum *c* sub ipsum tempus prælij, quo & extinctus est, regnum Cambysi tradidisse. Sic enim ait, *Cyrus in Cambysis filij sui, cui regnum tradebat, manum prebuit Crœsum, ac maiorem in modum, vt hominem honore beneficijsque prosequeretur, præcepit, si sua aduersum Massagetas traiectio, non rectè cederet. Hac vbi præcepit, eosque remisit in Persidem, ipse cum copijs suis flumen trajecit.* Sic Herodotus. Non ergo Cambyses regnum absente patre administrabat, vt qui cum eorum regno aberat; nec sextum iam annum socius regni erat, cum regnum eodem ipso tempore, à patre in omnem euentum acciperet.

IV. Ad eum hostes Iudæorum scribunt. Mortvo ergo Cyro, Cambyses Persici imperij factus est dominus, quem statim hostes Iudæorum, qui intenti erant calumniæ, adierunt. Scribit enim Esdras *d* in regno Assueri, in principio regni eius scripsisse accusationem aduersus habitatores Iudæ, & Ierusalem, & communi nomine ad Artaxerxem Regem Persarum misisse Epistolam, sermone Syro, in hæc fere verba. *Artaxerxi Regi, serui tui, viri qui sunt trans fluuium, salutem dicunt.* Intelligunt Euphratem; erant autem etiam trans Iordanem, vt qui ciuitates Samariæ incolerent, sed ille nomine fluuij, propter magnitudinem eius, & celebritatem in scriptura passim intelligitur, præsertim in Prophetis. Pergunt. *Notum sit Regi, quia Iudæi qui ascenderant à te ad nos*, ab illis videlicet regionibus Babylonis, & Persidis, in quibus tu nunc imperas. *Venerunt in Ierusalem ciuitatem rebellem, & pessimam, quam ædificant, extruentes muros eius, & parietes componentes.* Id ex Cyri indulgentia factum supra diximus, non regijs, vt templum, sed Iudaicis sumptibus. *Nunc igitur notum sit Regi, quia si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri eius instaurati, tributum, & vectigal, & annuos reditus non dabunt, & vsque ad Reges hæc noxa peruenit*, idque regiis rationibus, & reditibus detrimentum afferet. *Nos autem memores salis, quod in palatio comedimus, & quia læsiones Regis videre nefas ducimus, idcirco misimus, & nunciauimus Regi, vt recenseas in libro historiarum patrum tuorum*, intellige Cyrum, Darium Medum, Astyagem, *& inuenies scriptum in commentarijs*, (etiam aliorum Regum Assyriorũ, vt Salmanasaris, & Sennacheribi; & Chaldæorum, vt Babylonij Nabuchodonosoris, qui eos toties rebelles experti sunt;) *& scies quoniam vrbs illa, vrbs rebellis est, & nocens Regibus, & prouincijs, & bella concitantur in ea, ex diebus antiquis: quamobrem & ciuitas ipsa destructa est. Nunciamus nos Regi, quoniam si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri ipsius instaurati, possessionem trans fluuium non habebis*, ita in Vulgat. & Hebræo. At in Græco textu, & tertio Esdræ c. 2. quæ sequitur Iosephus *e* legitur, *descensus tibi vltra non erit in Cœlesyriam, & Phœnicem.* Quod eodem redit.

V. Defertur ad Cambysem. *f* Cyrop. Habitatio diuersa regum Persarum. Ea epistola Susam, siue Ecbatanam, aut etiam Babylonem delata est. Has enim vrbes Cyrus delegerat sibi, quas diuersis anni mensibus incoleret. Tradit enim Xenophon *f* Cyrum in hyeme septem mensibus egisse Babylone, quod tepida esset ea regio, vere tribus mensibus Susis, æstatis autem menses duos æstuosos Ecbatanis, vt sic in perpetuo quodam vere ætatem transigeret; idque institutum reliquos Reges tenuisse, ex l. 3. expeditionis Cyri colligitur. Fuisse etiam antiquam Persarum regiam sedem in Pasargadis, vbi sepultus est Cyrus, supra ex Strabone diximus; Deinde vero in Persepoli, vbi Persarum Regiam combussit Alexander, Græcos vltus, quorum illi sacra, & vrbes igne, ferroque vastassent, vt ait Strabo l. 15. vers. finem. Ea igitur epistola in regiam Cambysis delata, & apud Regem lecta, & consulis commentarijs rerum gestarum inter Iudæos, & exteras nationes, cum eum imminens periculum, & imminutio prouentuum regiorum pupugisset, ita visum est respondere, vt eodem loco legitur. *g*

g 1. Esd. c. 4. VI. Opus ædificationis vetat. Accvsatio *quam misistis ad nos, manifestè lecta est coram me, & à me præceptum est* (consului videlicet veteres historias) *& recensuerunt, inueneruntque, quoniam ciuitas illa à diebus antiquis aduersum Reges rebellat, & seditiones, & prælia concitantur in ea. Nam & Reges fortissimi fuerunt in Ierusalem, qui dominati sunt omni regioni, quæ trans fluuium est, tributum quoque, & vectigal, & reditus accipiebant.* Hæc de Dauide & Salomone dicta sunt, illis enim conueniunt, præterea nemini. *Nunc ergo*, inquit, *audite sententiam. Prohibeatis viros illos, vt vrbs illa non ædificetur; donec si forte à me iussum fuerit. Videte ne negligenter hoc impleatis, & paulatim crescat malum contra Reges.* Hoc Imperatoris edictum, cum ad Cuthæos, Samaritas, aliosque Iudæorum hostes perlatum esset, atque perlectum, *abierunt in Ierusalem ad Iudæos, & prohibuerunt eos in brachio, & robore.* His verbis significatur, etiam hoc tempore non plane cessatum fuisse ab ædificatione. Idque clarius docetur in epistola hostium Iudæorum: *quam*, inquiunt, *ædificant, extruentes muros eius, & parietes componentes.* Deinceps autem allata prohibitione regia, quæ etiã vim afferre secum posset, plane intermissa est, sequitur enim, *tunc intermissum est opus domus Domini in Ierusalem* multo etiam magis opus reparandæ ciuitatis, *& non fiebat vsque ad annum secundum regni Darij Regis Persarum.* Iosephus quoque ait ab ijs prohibitum, ne vrbem, vel templum ædificare pergerent. Itaque dilatum esse hoc opus per annos nouem, vsque ad secundum annum regni Darij Persarum Regis, sic ipse, dat enim sex annos Cambysi, vnum Magis, & duos Dario. At Scaliger prodigiosa chronologia, annos hosce nouem in centum & septem commutat. *a*

a l. 6. de emend. VII. An Iudæi plane destiterint. *b* c. 5. 16. *c* 4. ætat. anno 75 n. 1. Nec tamen plane videntur destitisse Iudæi ad illum vsque annum nonum: quoniam l. 1. Esdræ *b* dicitur ex eo tempore, quo posita fuerunt permissu Cyri, à Zorobabele fundamenta, vsque ad initia regni Darij ædificatum fuisse, & necdum completum fuisse opus. Quod Torniel. *c* explicat, vt non toto illo intercecto tempore cessatum fuerit, quod eam cessationem ardens Iudæorum zelus ferre nequiuerit; sed quod Regis metu, & regiorum sumptuum subtractione, opus lente & furtiue promoueretur. Verum quia ex altera parte non minus ardens erat odium, & inuidia Samaritanorum, in obseruandis Iudæis, an forte Regis mandata violarent, potest videri ea oratio præfectorum Darij non carere amplificatione, quæ causæ seruire videretur; sicut vice versa omittunt quæ nocere poterant nam prohibitionis Artaxerxis, siue Cambysis, nulla plane; fit mentio. Dici etiam posset, & fortasse rectius, Iudæos nõ destitisse ab ædificando templo, quantum eorum tenuitas ferebat, quoniam Cambyses solam vrbis constructionem prohibuerat: & de illa duntaxat hostes Hebræorum adi-

psum querelas detulerant. Quod autem dicitur *opus domus Domini intermissum in Ierusalem*, accipi potest de ipsa vrbe, quæ propter templum extruebatur, vt esset in tuto. Verū opus sacræ ædificationis plane desertum fuisse à Iudæis, & quidem non sine culpa, pœnaque, ex primo Aggæi capite intelligi potest, vt suo loco dicemus.

VIII. *Cambyses amori Ægypti affinitate deditus.* INITIO regni sui Cambysem moltùm operæ circa patris sui sepulturā posuisse, ex ijs, quæ supra dicebamus, intelligi potest: sed affinitatibus etiam sibi adiungendis operam dedisse, ex Herodoto, Asaris constat, vnde occasio expeditionis Ægyptiacæ data fuerit. De qua idem Herod. Misso in Ægyptum legato, Cambyses petijt ab Amasi filiam; & petijt consilio vsus cuiusdam Ægyptij, qui Amasi erat infensus, quod se potissimum, ex omnibus Ægypti medicis, Amasis ab vxore, & liberis abstraxisset, amandādo in Persas, quo tempore Cyrus ad Amasim miserat, petitum medicum oculis curandis idoneum, omnium, qui in Ægypto essent, præstantissimum. Ob id infensos Amasi Ægyptius, institit suadere Cambysi, vt ab Amasi filiam peteret, vt ille aut mœrore afficeretur data filia, aut non data Cambysi redderetur inuisus. Amasis eam nec dare audebat, nec abnuere. Nam & Cambysem intelligebat non habiturum illam vxoris loco, sed pellicis, & Persarum potentiam pertimescebat.

IX. *Fraus Amasis Regis Ægypti. Καρτα μεγάλη.* HÆC reputans ita sibi faciendum statuit. Erat Aprijs superioris Regis, cui videlicet successerat Amasis, filia nomine Nitetis, vnica domi relicta, valde grandis, & speciosa. Hanc puellam Amasis vestitu pariter, & auro exornatam, pro sua in Persas dimittit: quam cum post aliquantū tempus Cambyses salutasset, filiam Amasis appellans, ipsa ad eum. *Rem, inquit, Rex ignoras, ab Amasi elusus, qui me ornatu comptam transmisit, tradens tibi pro sua, cum reuera sim Aprij filia, quem ille dominum suum, cum Aegyptiis rebellans, interemit.* Hic sermo extitit causa, quæ Cambysem Cyri vehementer indignatum, induceret aduersus Ægyptum. Hæc Herodotus, parum sane probabiliter. Nam si, vt cætera missa faciam, quæ huic fraude obijci possunt, tempus ipsum expendamus, & natam dicamus eo anno, quo mortuus est pater eius, quadragesimum nono annum, aut etiam quinquagesimum superabat. Imminebat enim hoc tempore mors Amasis, qui à morte Apriæ regnauit annos quadraginta quatuor, vt ait Herodotus, aut quinquaginta quinque, vt vult Diod. Siculus, vt infra dicetur. *Examinatur Herodotus.* Alias etiam causas idem Herodotus in Thalia, huius expeditionis loquitur; sed verām causam crediderim hominis vel ambitionem, vel auaritiam, vel si ex factis consilis elicere placet, odium Ægyptiæ superstitionis.

X. *Res in Italia gesta.* IN Italia hoc anno Tarquinius conciliatis sibi, mutuoque fœdere coniunctis Latinis populis, bellum contra Sabinos, Volscos appellat Liuius l. 1. gerere aggressus videtur. Postquam, ait Dionysius l. 4. his quoque societatibus constabiliuit regnum, decreuit in Sabinos exercitum ducere, delectis è Romana gente ijs, quos, si in armis essent, minus libertatem asserturos suspicabatur. His longe maiores sociales copias cum adiunaisset, miscuit manipulos, ait Liuius, ex Latinis Romanisque, vt ex binis singulos faceret, binosq; ex singulis. Peruastato hostico, & profligatis qui ausi essent acie congredi, contra Pometinos duxit, qui Suessam incolebant, omnium vicinorum populorum *Contra Pometinos in Suessam.* florentissimi; quos cum inito in cōmmis prælio, magna ex parte strauisset, cæterosq; in fugam versos, in oppidum cōpulisset, diu obsidione fatigatos, expugnauit. Potitus vrbe armatos occidit, vxores cum liberis seruituti addixit, cum ijs, qui se sponte dediderant; vrbem agrumq; diripuit. Argentum etiam, aurumque, quod inueniri potuit, vnum in locum collatum, decimis in templi fabricam sepositis, reliquum diuisit victoribus. *Prædæ magnitudo.* Tantum autem argenti, aurique repertum est, vt quinæ argenti minæ obuenerint singulis militibus: sacratæ verò argenti decimæ expleuerint quadringentorum talentorum numerum. Ita Dionysius, quæ vt ingens pecunia sit, probabilior tamen est, quadraginta talentis T. Liuij; præsertim cum inde Tarquinius conceperit animo Ioui excitare Capitolium, vt ait Liuius. Nec plura hoc anno gesta reperio.

ANNVS MVNDI 3525. SEXTÆ ÆTATIS 9. Solutæ captiuitatis 9. Cambysis 2. Imperii Persarum 9. Zorobabelis, & Iosuæ 9. Olymp. LXII. An. 4. Vrbis conditæ 224. Tarquinii superbi 5.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 528.

IN secundo anno Cambysis, ita scribit Eusebius in Chronico. *Cambysem istum aiunt, ab Hebræis secundum Nabuchodonosor vocari, sub quo Iuditha historia conscribitur.* Ita Eusebius, tam in Græco, quam Latino chronico. Ita quidem vocatum apparet à Iudæis principem sibi inimicum; qui quæ Nabuchodonosor euertisset, ille, eius vestigijs quodammodo inhærens, restaurari non pateretur. Sic alterū Neronem dicunt hominem crudelem; & sapientem, tertium Catonem, quod Scaligerum ignorare non decuit, *a* qui etiam docere vult Hieronymum, qui libri à Iudæis dicantur hagiographi. Innuit etiam Eusebius Cambysem nomine Nabuchodonosoris appellatum; ab ijs videlicet, qui fidem conciliare conabantur Chronologiæ, quæ ad hæc tempora historiam Iudithæ differt: in qua Nabuchodonosor vocatur, qui principem militiæ habuit Holufernem. *I. Cambyses quo dictus Nabuchodonosor. a Scal. in Euseb.*

II. *Non fuisse reuera.* CÆTERVM neque Nabuchodonosor Persicum fuit nomen, vt id Cambysi conuenire possit: neque regnauit Cambyses in Niniue, sed in Susis, & Ecbatanis; imo Niniue iampridem à Nabuchodonosore euersa erat; neque duodecimo anno regni sui pugnauit contra vllum, cum ne totos quidem octo annos regnauit; neque contra Medos pugnauit, quos sibi habuit & patri suo, à morte Astyagis, aut certe Darij Medi obsequentes: neque contra Iudæos bellum suscepit, quos tam apud se, quam in suaipiorum patria humiles habuit, atque subiectos. Neque hoc tempore Ioachim pontifex fuit, sed Iosue; qui etiam regnante Dario Hystaspis superstes erat. Nec tamen repugnandum arbitror, quominus hoc tempore ea historia conscripta sit; vt significare voluit in sua Eusebij versione Hieronymus; eius enim author dicitur sacerdos Ioachim, qui Iosue filius fuit; vt autem hoc tempore gesta sit, nullo modo dici potest. Neque id dicit Eusebius, nec fortasse D. Augustinus, *a* aut Beda in libro de sex ætat. aliud voluerunt, Eusebium enim sequuntur. Consule quæ anno Manassis octauo, & nono diximus, & quæ hac de re Bellarminus. *b* *Nisi ut Hebræi non sentiunt. a l. 18. de ciu. Dei c. 26. b l. 1. c. 12.*

III. *Tarquinius Sabinos vincit.* NVNC in Italiam remigremus. Nondum Suessa vrbe Sabinorum Tarquinius discesserat, quam ab eo superiore anno expugnatam diximus, cum nunciatum est ei Sabinorum lectam iuuentutem, duobus agminibus in eum agrū irrupisse; & prædas inde abigere. Ad quos ille adiens diuersis copijs suis, vtrumque agmen, antequam conuenire ad mutuum auxilium possent, concidit, præter eos, qui, ad supplices deprecationes versi, deditionem fecerunt. Itaq; Sabini vrbium expugnationem veriti, legatos de pace miserunt, qui se ac sua Tarquinio dederent, tributaq; in posterum promitterent. Pace his data, receptisque in fidem, qua dixi conditione, populis, Suessam reuersus est, inde assumpto præsidio, quod reliquerat, prædaq; cum impedimentis cæteris, ditatum exercitum Romam reduxit, vbi & de Sabinis triumphauit, vt Sigonius rectè suspicatur.

IV. *Initium de Capitolio hoc ipso tempore Tarquinius.* VIDETVR hoc anno Tarquinius templo Capitolino excitando initium dedisse, quod innuebat superiore anno Titus Liuius; tametsi Dionysius, qui res à Tarquinio bello gestas narratione continuauit, hæc pacis opera posterius explicauit. Nunc tamen magnū illud opus inchoatū, præda Suessana huic operi destinata suadet, vt Dionysius quoq; significat. Neque enim causa erat cur diutius differretur. Nam in hisce bellis, quæ subinde occurrebant, fere citra vllum Reip. periculum pugnabatur: & de amplificando potius, quam defendendo imperio agebatur. Propter hęc tamen bella, aut pestem, quæ vehementer Romæ eius tēpore grassata est, puto nonnunquam intermissam ędificationem.

tionem, adeo vt non nisi post exactos Reges perfecta fuerit. *Post hæc Tarquinium*, inquit Dionysius, *vertit se ad templorū fabricam, vt avi sui vota persolueret.* Nā ille vltimo bello cum Sabinis dimicans, si pugna illa vinceret, Ioui, Iunoni, Mineruæque templa vouerat; & rupem quidem sacro ædificio destinatam, ingenti sumptu, aggeribus in areæ formā complanauerat; cæterum templorum structuram morte præuentus non potuerat absoluere. Hoc igitur opus Tarquinius ex decimis Suessanæ prædæ perficere cogitans, omnes artifices adhibuit. Cum autem fundamentis ad magnam altitudinem perductis, recēs occisi hominis caput, magno prodigio inuentum esset, intermisso opere cōsultus Etruscus vates respondit legatis. *Referte*, inquit, *Romani vestris ciuibus, esse in fatis, vt locus in quo hoc caput inuentum fuit, fiat caput totius Italiæ.* Quibus cognitis Tarquinius structuræ adhibuit opifices, magnamq; templi partem perfecit, vocatusque est deinceps locus Capitolium.

V. Iudæorum ... INTER hæc Iudæi tristes, vehementerq; afflicti, tam in Iudæa, quam Babylone, & in Perside, diuinam erga se misericordiam, & Regis beneuolentiam, vt par est credere, implorabant; in primisq; Daniel, qui etiam tum viuebat, vt ex Isidoro diximus, & Aggæus, & Zacharias, qui non ita multo post, prophetico spiritu agi cœperunt, & vel maxime Zorobabel populi dux, & Iosue pontifex. Earum precum indicium est c. 1. Zachariæ, de quibus anno secundo Darij dicendum erit.

ANNVS MVNDI 3526. SEXTÆ ÆTATIS 10. Solutæ captiuit. 10. Cambysis 3. Monarchiæ Persicæ 10. Zorobabelis, & Iosuæ Pontif. 10. Olymp. LXIII. 1. Vrbis cond. 225. Tarquin. Superb. 6.

ANNVS ANTE CHRISTVM 527.

I. SVb hoc tempus apparatus expeditionis Cambysis in Aegyptum, mortuus est Amasis Aegyptiorum Rex, cū regnasset annis, vt placet Eusebio, quadraginta duobus, Herodoto quadraginta quatuor, Diodoro Siculo quinquaginta quinque. Quæ varietas ex parte pendet ex annis Vaphrea, siue Apries, cui Eusebius dat annos triginta, Herodotus viginti quinque, Diodorus duos supra viginti. Sub tempus, inquam apparatus; falluntur enim, qui putant Diodorum dicere Amasim mortuum, anno tertio Olympiadis sexagesimæ tertiæ. Ait enim circa illud tempus mortuum, quo Cambyses Rex Persarum expeditionem suscepit contra Aegyptum, qui fuit annus tertius Olympiadis sexagesimæ tertiæ. Antequem annum mortuum fuisse Amasim ex eo aperte constat, quod Cambyses in Aegyptum veniens, Regem inuenit Psammenitum, qui Amasi successerat, vt ait Herodotus in Thalia, & quidem sextum mensem regnantem, vt sequenti anno eum eodem dicemus.

II. Apparatus Cambysis ... CAMBYSES igitur hoc anno contra Aegyptios bellicū apparatum fecit, vt ex Herodoto colligitur, qui de Persarum copijs, ad hanc expeditionem coactis, agens, in ijs Iones numerat, & Aeolas, quos pro hæreditarijs seruis existimabat. In primo enim libro ait illos, cum audissent Lydos à Cyro deuictos, Sardis ad eum legatos misisse, vltro postulantes, vt ijsdem conditionibus eos admitteret, quibus Crœsi subditos in deditionem acceperat: qui repulsi mox ab Harpago Cyri duce, sub Persarum potestatē venerunt. Ait ergo Herodotus Cambysem aduersus Aegyptios fecisse expeditionem, comparato eōm ex alijs, tū vero ex Græcia, quibus dominabatur, exercitu. In eandem Crœsum secum adduxisse refert, vt ex sequentibus patebit. Phœnices item, id est, Tyrios, atque Sidonios; Cyprij quoque cum eodem Rege Persarum militarunt. Nominatim autem meminit Herodotus Phanis cuiusdam ciuis Halicarnassæi, qui videtur idem esse cum Ctesiæ Combaphæo eunucho, qui isti Cambysis expeditioni multum momenti attulit.

III. PHANES hic cum vir esset cōsilio præstans, & in rē bel[lica] [illegible], & in Aegypto habitaret, apud Amasim offendit quapiam in re, ob quā nauigio ex Aegypto profugiens, Cambysem omnino adire cupiebat. Amasis cōtra, qui sciret Phanem consiliorum suorum conscium, ad eum comprehendendum triremē dimittit, cum Eunuchorum fidelissimo, qui Phanem assecutus, cum in Lycia cepit, sed non reuexit in Aegyptum. Nam is, custodibus suis post largiorem potum interfectis, cu[gi]t in Persas, Cambysemq; ambigentem, quo pacto carentia aquis loca transmitteret, adijt, eiq; cùm alias res Amasis exposuit, tum vero qua ratione opera Regis Arabum posset in Aegyptum transmittere; per deserta scilicet Arabiæ loca, in quibus olim Israelitæ quadraginta annis peregrinati fuerant. Probato Cābyses hospitis consilio, missis ad Regem Arabum nuncijs, iterum ei precatus, obtinet. data acceptaque inuicem fide, quam Herodotus ait illos seruare omnium hominum constantissimè.

IV. Ratio loca deserta transmittendi. POSTQVAM igitur Arabs fœdus cum nuncijs iniJt, camelos omnes, posteaquam vtribus camelinis aqua completis onerauit, iussit agi in loca humore carentia, ibique Cambysis exercitum præstolari. Refert & aliam Herod. adaquandi exercitus Persici rationem. *Est*, inquit, *magnum in Arabia flumen nomine Corys, exiens in rubrum mare. Ab hoc flumine fertur Arabum Rex canalem ex bouinis, alijsque crudis corijs consutum, tanta longitudine produxisse, vt ad loca arida per illum aquam perduceret; inque ipsa arida sola, ingentes cisternas fodisse, quæ recepta aqua potum suppeditarent & cum sit à flumine ad terram aridam duodecim dierum via, per tres aquæductus in tandem partes, aquam deduxisse.* Hoc Arabum consilio, auxilioq; adiuti Persæ in Aegyptum cum Cambyse penetrarunt. Huic tamen Herodoti narrationi, quis non immerito possit obijcere, quotidianum Iudæorum, & Palæstinorum iter per Gazam in Aegyptum? Ipsius etiam Abrahæ, & aliorū Patriarcharum calcatum vestigijs. An viam hanc nouiam Regi superba temeritas persuasit?

V. Romana ... QVOD ad Romanam rem pertinet, ordo temporis, ac narrationis Halicarnassei Dionysij requirit, vt in hūc annū res à Tarquinio contra Volscos gestas referamus, quas ille summatim in hæc pauca congessit. *Fecit*, inquit, *postea multas in Volscas expeditiones, nunc totis viribus, nunc parte copiarum educta: prædaq; passim est numerosa.* Sic ipse, & quoniā Tarquinius in Capitolinorum triumphorum fragmentis bis legitur triumphasse, Sigonius vnum de Volscis, alterū de Sabinis egisse arbitratur; & merito quidem. Dionysius tamen bella contra Sabinos prius gesta, posterius autem cōtra Volscos existimauit, vt ex dictis patet. Onufrius bellum Volscum anno Tarquinij quinto ponit, initium autem Capitolij 21. quæ tamen superiore anno ea de re diximus, probabiliora sunt visa.

VI. Olymp. 63. Theagenes, Anaximenes. TERTIA Olympiade supra sexagesimam, cuius hic est annus primus, Parmenides Camarinæus in Olympico stadio victor euasit, vt Diodorus Siculus scribit in morte Amasis, & expeditione Cambysis: est quo Olympionicarū catalogus. Vbi etiam habetur Theagenē Rheginū Chronographū hac Olympiade floruisse. In eademq; Laërtius ex Apollodori sententia natum refert Anaximenem Philosophum Milesium, Anaximandri auditorem. Verum cū Suidas natum dicat Olympiade 55. cum Cyrus captis Sardibus, Crœsum regno euertit, hac potius Olympiade floruisse dicendus est, cum natus esset annos circiter 35.

ANNVS MVNDI 3527. SEXTÆ AETATIS 11. Solutæ captiuitatis 11. Cambysis 4. Imperij Persarum 11. Zorobabelis, & Iosue Pontif. 11. Olympiadis LXIII. an. 2. Vrbis cond. 226. Tarq. Superbi 7.

ANNVS ANTE CHRISTVM 526.

I. Nota Cambysem ... CAMBYSES traducta per Arabiam copia, Pelosium peruenit: quod nomine Nili ostium, & ciuitas ad illud sita appellatur. Ibi, vt scribit Herodotus l. 3. pluribus, quæ nos in pauca contrahemus, habebat castra Psammenitus, Amasis iam defuncti filius, Cambysem oppetiens; cum

Ctesias Cnidius Amyrtæum vocat. Et Persæ quidem non longè ab Ægyptijs subsedere, tanquam iam congressuri; Ægyptiorum autem auxiliarij Græci, & Cares. Phani, qui externum exercitum contra Ægyptum adduxisset, infensi, facinus ingens in eum machinati sunt. Eius enim filios quos fugiens in Ægypto reliquerat, in castra perducunt, atque in conspectum patris; dehinc posito in medio duorum exercituum cratere, productos singulos puerorum super craterem obtruncauerunt. Omnibus interfectis vinum, & aquam in craterem infuderunt, simulque sanguine epotu, auxiliares conflixerunt. Acri prælio commisso, perquam multis vtrinque cadentibus, in fugam vertuntur Ægyptij, & versus Memphim, nullo ordine iter capessunt.

Barbarum facinus.

II. *Memphitarū crudelitas.* CVM eò se recepissent, misit Cambyses aduerso flumine nauim Mitylenæam cum caduceatore viro Persa, qui eos ad deditionem hortaretur. Ingens fuit ea nauis, si vnica fuit; erant enim in ea numero ducenti, vt ex sequentibus intelligetur. Ægyptij vbi nauim aduētare Memphim vident, frequentes ea vrbe effusi, nauim corrumpunt, virosq; frustatim dilaniatos, in oppidum afferunt. Post hæc autem aliquandiu obsessi restiterunt, tandemq; in Persarum potestatem venere. Id veriti Afri, Cyrenæi, Barcæi sese citra pugnam dediderunt, tributumq; inter se partiti, dona miserunt. Capium Ægypti Regem Amyrtæum, ait Ctesias; nulloq; alio detrimento affectum, nisi quod illū in Susa, cum sex millibus Ægyptiorum, quos ipse delegit, relegauit. Addiq; desiderata fuisse in ea pugna ad quinquaginta Ægyptiorum millia, Persarum autem viginti. Sed nos cum Herodoto progrediamur.

Expugnātur alij deditione cedunt.

III. *Psammeniti ... domesticæ ... calamitas.* DECIMO die quam muros Memphis cepit Cambyses, Psammenitum Ægyptiorum Regem, qui sextum mēsem regnabat, deposuit in suburbanis ignominiæ gratia, cum Ægyptijs alijs, vt eius animum experiretur. Quo facto, filiam illius, vestitu seruili circumdatam, cum hydria ad aquam emisit, & cum ea eodem ornatu, alias primariorum Ægyptiorum filias virgines. Quæ vbi ad patres cum eiulatu, ploratuq; peruenerunt: cæteri quidem patres conspectis filiabus, vicissim vociferati sunt, atque fleuerunt, Psammenitus autem humi vultum deiecit. Prætergressis puellis aquam ferentibus; secundo loco Cambyses, ante oculos Psammeniti misit filium eius, cū duobus millibus Ægyptiorum, æqualis ætatis, vinctas fune ceruices, & frenata ora habentibus; ducebantur autem luituri pœnas ijs Mitylenæis, qui in naui fuerāt ad Memphim obtruncati. Ita enim censuerant Regij Iudices, pro suorum singulis interfectis, denos primorum Ægyptiorum interficiendos. Psammenitus prætereuntes intuens, & filium animaduertens ad mortem duci, alijs Ægyptijs qui circumsedebant, complorantibus, & indigne ferentibus, ipse idem quod erga filiam fecit. His prætergressis accidit, vt quidam familiarium eius iam natu grādior, pristinis bonis delapsus, & nihil habens, nisi quæ inops mendicabat, obiret exercitum mendicans, nec non & Psammenitum, aliosque Ægyptios, in suburbanis cōsidentes; quem vt conspexit Psammenitus ingenti erumpente fletu, compellans nomine amicum, suum caput cædebat.

IV. *Et quæ deinde ... causa.* QVÆ cum custodes Cambysi renunciassent, misit ad Psammenitum Cambyses, qui rogarent, cur ad tristissimū filij, filiæque spectaculum non eiulasset: ad amici pauperis aspectum ita fleuisset. Cui ille, *fili Cyri*, inquit, *domestica mala maiora erant, quam vt ea deflere possem; at miseria amici digna lachrymis fuit, qui olim fortunatus, in extremo limine senectutis, ad tantam inopiam deuenit.* Quæ cum à Cambyse audiuissent, misericordia motus est, & reliqui Persæ, qui aderant, Crœsos etiam dicitur illachrymasse. Itaque protinus misit Cambyses, qui filium morti eriperent, & patrem è suburbanis ad se adducerent; sed qui adierunt, filium non vitta superstitem inuenerūt, vt qui primo loco fuerat obtruncatus; patrem autem ad Regem adduxerunt, vbi sine alio damno reliquum vitæ transegit: donec deprehēsus affectare res nouas, & Ægyptios ad defectionem inducere, iussu Cambysis epoto cruore taurino contestim expirauit. Ita fere Herodotus, non memorans quādiu Psammenitus in Persarum seruitute vixerit, vt colligere possimus quo anno defunctus sit.

Mors Psammeniti, ...

V. *Cambyses in cad. mor. Amasis sæuit.* HOC quoque anno vrbem Saim adijsse potuit Cambyses, vbi sepultus fuerat Amasis, eiusque corpus sale cōditum. Simul atque autem in eius ædes ingressus est, tandem illius fortasse in vxore mutata vlturus, aut alia potius quapiam ea re exacerbatus in Amasim, eius cadauer à cōditorio educi imperauit; deinde prolatum verberibus cædi, ac vellicari, & stimulis pungi, omni denique contumelia infestari. Quod qui faciebant cum frustra defatigarentur, nam cadauer, vtpote salitum, resistebat, nec quicquam omnino elidebatur, cremari iussit, cōtra Persarum, atque Ægyptiorum ritum, quorum illi nefas ducūnt Deo suo cadauera humana præbere depascenda. Illi autem ignem esse vorax animal, animalibus nolunt humana corpora tradere, quin etiam ideo saliunt, ne à vermibus consumantur. Et hæc quidem sunt, quæ hoc anno quarto Cambysis in Ægypto gesta videantur.

Cadauera neque Persæ, neque Ægyptij cremant.

VI. *Bellum contra Gabinos ...* REFERT Dionysius à Volscorum bello confecto, rebusque è sententia fluentibus, bellum natum esse finitimum, *quod cum septem annis continuis*, inquit, *gestum sit, diuturnis regem laboribus, difficilibusque, & inopinatis casibus inuoluit.* Id gestum fuit contra Gabinos, vrbem Latini nominis, Albanorum quondam Coloniam, via Prænestina, ad centesimum ab vrbe stadium. Eo confluxerant Pometinorum pars, qui de Suessa, cum diruerет eam Tarquinius, profugerant: præterque hos, multi Romani exules, qui Gabinos orando, obtestandoq; vt vlciscerentur suas iniurias, multaq; dona pollicendo, si ope ipsorum restituerentur in patriam: facileq; Tyrannum opprimi posse ostendēdo, vrbanis quoq; libenter operam suam consociaturis; tandem persuaserunt, vt arma contra Tyrannum sumerent. Præsertim cum Volsci quoque promptis ad id essent animis, qui & ipsi per legatos, ad belli societatem contra Tarquinium Gabinos inuitarant. Post hæc igitur, magnis copijs in hosticum vtrinque irruptiones factæ sunt, & strages, dum modo Gabini profligatos Romanos vsque ad portas persequuntur, multisque captis agros intrepide populantur; modo vice versa Gabini propulsati, & in vrbem suam compulsi, captiuos, & prædas ex agris suis abactas è mœnibus spectare coguntur.

ANNVS MVNDI 3528. SEXTÆ ÆTATIS 12. Solutæ captiuitatis 12. Cambysis 5. Imperij Persarum 12. Zorobabelis, & Iosue 12. Olymp. LXIII. An. 3. Vrbis conditæ 227. Tarquinii superbi 8.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 525.

I. *Ratio temporum contra Scaligerum ...* CESSARAT hunc annum, qui est Sabbaticus 135. Diodorus Siculus, à tertiō Olympiadis sexagesimæ tertiæ, & ex eo Olympionicarum catalogus quo ait Cambysem bello adortum fuisse Ægyptum. Celebrat & Eusebius in Chronico, qui hunc ipsum annum quintum Cambysis ponit occupatæ, ac deuictæ Ægypti; quem annum Scaliger malè in sextum mutari cupit, eo quod octo solidos annos Cambysi tribuat, quem triennio Ægyptum tenuisse auctor est idem Eusebius, in Chronico Græcō. Itaque non recte queritur annum vnum abundare in vigesima septima Dynastia Ægypti, quæ Persarum fuit. Si enim Magi ad octauum Cambysis annum referantur, vt communis est sententia, hinc vsque ad vndecimum Darij Nothi, eorum & vndecim, vt vult Hieronymus, non duodecim supra centum reperientur. Hieronymi autem hæc notatio ita supplenda est. *Obtinuit Ægyptum Cambyses in anno quinto regni sui, quam Persæ vsque ad Darium filium Xerxis, annis CXI. tenuerant.*

II. *Tres expeditiones à Cambyse susceptæ.* AD hunc porro annum, vt ex consequenti Herodoti narratione patet, pertinent tres simul à Cambyse expeditiones susceptæ, aduersus Carthaginenses, Ammonios, & Æthiopes longæuos, qui Africam ad australe mare incolunt,

sunt, aduersus quidem Carthaginenses, nauticis copijs, aduersus autem Ammonios peditatu agere statuit: aduersus vero Æthiopes prius exploratores mittendos censuit, per speciem dona ferendi illorum Regi, & Solis mensam inuisendi. Eam mensam explicat Herodotus: In suburbanis pratum, omnium quadrupedum assa refertum carne, quam per noctem singuli ciuium magistratus properant ponere, ad eamque, vbi illuxit cuilibet epulatū, licet accedere. Eos nuncios ex Elephantina vrbe Ichthiophagos accersit, quos ad Æthiopas mittat, Æthiopicæ linguæ benè peritos. Qui dum veniunt, interea nauales copias Carthaginem versus nauigare iubet, quod se facturos Phœnices negauerunt, quod dicerent se cūm illis magno iureiurando esse deuinctos. Præterea non facturos sanctè, si aduersus liberos suos militarent: Carthago enim Tyriorum, & Phœnicum colonia fuit, vt vel ex Virgilio b notum est. Cæteri, Phœnicibus ita detrectantibus, haud idonei erāt nauali bello. Ita Carthaginenses euaserunt, quo minus in Persarum redigerentur seruitutem. Quoniam Cambyses haud æquum ducebat, vim afferre Phœnicibus, qui se ipsos Persis dediderant, & ea quibus nauticus omnis constabat exercitus. Cyprij quoq;, qui aduersus Ægyptum in militia erant, sese etiam ipsi dediderant.

III. Postquam ex vrbe Elephātina venerunt Ichthiophagi, Cambyses eos ad Æthiopes misit, iussos cùm ea dicere, quæ oporteret, tum dona ferre, amiculum purpureum, aureumque torquem tortilem, & armillas, atque vnguenti alabastrum, cadumque vini Phœnicei. Ad hos cum venissent, oblatis muneribus ita locuti sunt. *Cambyses Persarum Rex cupiens amicus tibi fieri, atque hospes, nos misit iubens, vt in colloquium tuum veniremus, tibique has dono daremus, quarum vsu maxime delectatur.* Ita legati Cambysis.

IV. Ad quæ durius respondit Æthiops, vt qui non ignarus esset, quorsum illi ad se venissent. Iniustitiæ Cambysem accusat, qui suo imperio non contentus, homines, à quibus nihil esset violatus, seruitute opprimere conaretur: Simulque arcum ingentem ad eum per nuncios mittit, cū his mandatis. *Rex Aethiopum Regi Persarum consilium dat. Quando Persa tam facile tantæ magnitudinis arcus intendent, tū aduersus Macrobios Aethiopes, cum maioribus copijs bellum moueant.* Feruntur autem hi Æthiopes esse omnium mortalium maximi: & quem è popularibus maximum, & valentissimum habent, eum in Regem eligunt. Ita quidem Herodotus; quibus valde consentanea sunt, quæ historiæ nauigationum Indicarum superioris seculi referunt; prægrandes scilicet homines pedū decem altitudinis, in Chica præsertim, ad fretum Magellanicum reperiri, quibus Europæi comparati, instar pumilionum erant. Pergit autem Æthiops apud Herodotum. *Interim dijs gratias habeat, qui non inducant in mentem filijs Aethiopum, vt præter suam, aliam velint comparare regionem.* Hæc locutus arcum laxauit, eique dedit: eorum autem munera, tanquam dolosa, & dolosorum hominum, contempsit, sicut & aurea vincula, quibus fortiora apud se haberet, eisque reos in carcere vinctus teneret, quòd apud eos æs, vt rarissimum, ita preciosissimum foret. Vino delectatus, fontem vicissim eis ostendit, in quo neque lignum, neque aliud quidquam innatare possit, sed omnia demergantur; & quo loti, perinde atque inuncti, violam oleant, & eiusdem potu longæui, ad centum & viginti annos viuant.

V. Hæc, aliaque id genus reuersi Ichthiophagi cum Cambysi renuntiassent, cōtinuo ira percitus, aduersus Æthiopes exijt in expeditionem cum omni peditatu, sine vlla cura commeatus, quam temeritatem mox egregiè luit. Arcus autem Æthiopum admirationi fuit, quem ad duos digitos Smerdis frater eius adduxit, quod Persarum alius nemo potuit; quo facto liuore commotus Cambyses, eum remisit in Persas, mox que etiam, vt sequenti anno dicemus, interficiendum curauit. Fuisse autem istum Cyri mādato, dominum Bactriorum, Parthorum, Carmaniorum, & Chorasmniorum, affirmat Ctesias, eumque vocat Tanyuxarcem. Vbi ad Thebas ventum est, delegit de exercitu quinquaginta circiter millia, quibus præcepit, vt Ammonæos diriperent; deinde oraculum Iouis incenderent. Ipse cum reliquis copijs aduersus Æthiopes contendit: sed antequam quintam itineris partem confecisset exercitus, protinus eum commeatus omnis, quem secum habebat, defecit; mox & iumenta ad vescendum defecerūt. Cum vlterius etiam procederet, & ad arenas deuenientibus herbæ quoque deficerent, ex seipsis sortiti, decimum quemque comedarunt. Quæ audiens Cambyses, relicta expeditione in Aethiopes, retro redijt, Thebasque peruenit, multis de suo exercitu amissis. Cumque Thebis Memphim descendisset, Græcos missos fecit, vt illinc enauigarent. Agnosce deinceps hominem prophanum, ac mente captum.

VI. Cambyse Memphim regresso, cum forte tum Aegyptijs Apis eorum Deus apparuisset, omnes festum diem celebrare cœperunt; quos Cambyses interpretatus de clade sui exercitus lætari, quamuis accersiti ab eo præpositi eorum, Dei sui apparitionem, quæ longo interuallo fieri soleret, contestarentur, tanquam mendaces interfecit. Inde etiam sacerdotes Apis iussit in conspectum venire, & ad se Apim adducere. Est autem Apis vitulus è vacca genitus, toto corpore niger, in fronte habens candorem figuræ quadratæ, in tergo effigiem aquilæ, cantharum in palato (ea nota quædam est, siue nodus) duplices in cauda pilos, quem mater fulmine icta pepererit. Postea quam Apim sacerdotes adduxere, Cambyses educto mucrone cum ei ventrem ferire vellet, femur percussit; cachinnansque ad sacerdotes dixit. *O capita nequam! huiusmodi dij sunt, sanguine, atque carne præditi, & ferrum sentientes?* Simul & Sacerdotes flagris cædi iussit, & vt quisque Aegyptiorum occurreret ferias agentes, occidi. Ita festum solutum est, sacerdotes mulctati, Apis sauciatus femore, in téplo iacens extabuit: quem è vulnere extinctum, inscio Cambyse tumulauere Sacerdotes. Ob quod scelus aiunt Aegyptij Cambysem continuo insanisse. Addit Iustinus Cambysem, offensum superstitionibus Aegyptiorum, Apis, cæterorumque deorum ædes diruiussisse. Nam Herodotus de templorum euersione nihil, Strabo autem cū de Heliopoli ageret, a *nunc omnino*, inquit, *vrbs deserta est; habet autem peruetustum templum Aegyptio more structum, quod multis manifesta indicia Cambysis insaniam, ac sacrilegia demonstrat; qui templa partim igni, partim ferro deuastauit, mutilans, exscindens, comburens, quemadmodum & obeliscos:* sic ipse, vide de obeliscis Plinium. b

VII. Iam verò quod ad copias aduersus Ammonios missas attinet, ea de re Iustinus hæc pauca. *Ad Ammonis quoque nobilissimum templum expugnandum exercitum mittit, qui tempestatibus, & arenarum molibus oppressus interijt.* Paulo plura Herodotus. Copiæ, inquit, illæ è Thebis mouentes duces itineris sequebantur, vsque ad vrbem Casim. Cumq; illi ex vrbe Casi per arenas iter facerent, iamque medio ferè spatio inter Casim & Ammonios prandetent, magnum ac validum Austrum ingruisse Ammonij referunt, & ingestis arenæ cumulis, eos obruisse, atque hunc in modum illos è viuis, atque è conspectu fuisse sublatos. Ipse nihilominus Cambyses diutius in Aegypto substitit, vbi eum nos sequenti anno reuisemus; nam in Italia nihil habet hic annus proprium, & suum.

Margin notes: Mensa Solis. — b 1. Æn. acid. — Caput ... Carth. ... — Legatio ad Æthiopes. — Ad ... responsum. — Earum ... & ... — Temeraria Cambysis profectio ad Æthiopas. — Ammonios ... — Redit Memphim. — Reuertitur Memphim. — Apis Aegyptiorum Deus. — Ex Cambysis vulnere moritur. — a l. 17. Geogr. Aedes diruit Cambyses. — b l. 36. c. 9. — Res gesta apud Ammonios.

ANNVS MVNDI 3529. & 30. SEXTÆ Ætatis 6 & 7. Solutæ captiuit. 13. & 14. Cambysis 6. & 7. Imperij Persarum 13. & 14. Zorobabelis, & Iosuæ Pontif. 13. & 14. Olymp. LXIII. an. 4. & LXIV. an. 1. Vrbis cond. 228. & 229. Tarquin Superb. 9. & 10.

ANNVS ANTE CHRISTVM 524. & 523.

I. Dvo sunt hi anni reliqui dominationis Cambysis, siue Persarum in Aegyptios, quorum posterior nouæ Olympiadis habet initium, in ea que Euandrum Thessalum in stadio victorem, & Miltiadem Athenis principem, vt testatur Dionys. In eorum altero Cambyses de fratre

Cambyses fratrem occidit.

AN.13. & 14.

VARIA CAMBYSIS FACINORA

suo, quem dudum amandarat in Persidem, (eum Smerdē Herodotus, Iustinus, Mergidem, Ctesias Tanyoxarcem vocat,) hac in somnis visione pulsatus est. Nūcius quidam è Perside veniens, ei nunciare visus est, Smerdem in regio sedentem solio, cœlum contingere vertice. Quo viso Cambyses veritus ne se occiso, frater regnum occuparet, Prexaspem omnium Persarum sibi fidelissimum, ad illum interimendum mittit in Persas. Cometem Iustinus appellat, & magum. *Non dubitauit,* inquit, *post sacrilegia etiam parricidium facere. Erat enim difficile, vt parceret suis, qui cum contemptu religionis grassatus etiam fuerat aduersus deos. Ad hoc tam crudele ministerium magum quendam ex amicis delegit nomine Cometem.* Pergit Herodotus; is vbi Susam deuenit, eūm eum venatum duxisset, interficiendum curauit. Quidam inquiunt Prexaspem, cum hominem in mare rubrum perduxisset, ibi eum demersisse. Sed priorem sententiam probat Herodotus, vt qui infra Prexaspem inducat Cambysi dicentem, se eum suis manibus tumulasse. Alia omnia de morte fratris Cambysis scribit Ctesias, ait enim magum nomine Sphendadatum, cum fuisset à Tonyoxarce, (eenim eum vocat, vt dixi,) verberibus ob delictum quoddam affectus, eum apud Cambysem tyrannidis suspectum per calumniam reddidisse, Regisque iussu clam interfectum fuisse hausto taurino sanguine. Cum tamen Sphendadatus, qui erat fratri Regis simillimus, publice tanquam calumniator iussus esset occidi. Itaque vero Tanyoxarce mortuo, fictitius quidam quinque annis pro vero se gessit.

II. Secretum ad nil vxorem.

NEQVE hoc scelere contentus Cambyses, alterum ei subpar, aut maius potius adnectit sororem, eandemque vxorem adiecit, non multo post tempore. Eodem patre, matreque geminam sororem in vxorem duxerat primus: quam rem cum perficere propter insolentiam vereretur, Iudices Persas, legum patriarum interpretes Cambyses percunctatur, num quæ lex sit, quæ matrimonium cū sorore permittat. Tum iudices negant se vllam inuenire legem, quæ sinat fratri sororem nubere; quandam tamē inuenire legem, qua liceat Regi Persarum facere, quidquid libeat: quam iustam & cautam responsionem vocat Herodotus; & addit; *ita neque legem vllam abrogarūt metu Cambysis, & ne legem tuentes ipsi perirent, aliam inuenerunt fauentem ei, qui sororem in matrimonium ducere vellet.* Verum adulatoria plane, & non iusta est ista responsio, quæ nefario incestui, & naturæ ipsius lege damnato patrocinetur. Quin ne lex quidem vlla Persarum fuit, aut esse potuit, qua Rex legibus omnibus solueretur.

Iudicibus ...

III. Duas ... in Thalia.

ADDIT autem Herodotus; Tunc itaq; Cambyses eam, quam dixi, accepit vxorem; sed aliquanto post etiam alteram, quæ videtur fuisse Atossa, quæ relicta in Perside mox Smerdi Mago, qui Cambysi successit, iuncta fuit: ac postremo etiam Dario Hystaspidæ. Harum iuniorem, quæ ipsum in Ægyptiaca expeditione comitata est, interemit; mortis causam hanc Græci referunt. Cambyses catulos duos, alterum leonis, alterum canis committit in certamen, & cum à leunculo catulus superaretur, alter catulus huius canis frater, rupto loro superuenit, & laboranti fratri opem tulit, & coniuncti leunculo superiores fuerunt. Cui spectaculo cum interesset mulier, & Cambyses ex eo caperet voluptatem, illa assidens collacrymabatur; vtique imprudenter, si Cambysem bene norat. Sed imprudentius etiam rogata ab eo lacrymarum causam, respondit, quod vidisset catulum suppetias fratri cōtra leonem ferentem, fratris autem sui sciret vltorem nullum fore. Quo audito illam à fratre, & marito protinus interemptam Græci tradiderunt. Ægyptij aliter mortis causam referunt, sed augent etiam Cambysis crudelitatem. Aiunt enim eum, ob aliud quidpiam à sorore dictum liberius, indignatione percitum insiliisse calcibus in prægnantem, eamque abortu edito decessisse.

IV. Et filium ...

CÆTERVM necem Smerdis fratris Cambysis, à Prexaspe, iussu eiusdem Regis perpetratam, Deus per eundem Cambysem vltus est. Cum enim à Prexaspe, quem præcipuo honore prosequebatur, & eo à secretis vtebatur, cuius etiam filius Cambysi erat à poculis, eum à Prexaspe inquam quæsisset, quemnam virum Persæ eum esse censerunt; & ille pro familiaritate dixisset eos, cætera quidem omnia magnis efferre laudibus; vino tamen nimis deditum censere. Cui ille iratus, *intellige nunc,* ait, *per te num Persæ vera dicant, an dum hæc dicunt, potius ipsi desipiant. Nam si filij tui, qui in vestibulo stat, medium cor non frustrato ictu percussero, constabit falsum esse, quod Persæ dicunt; sin aberrauero, constabit Persas vera loqui, & me esse intemperantem.* Hæc locutus intendit arcum, puerumque percussit, atque eum collapsum iussit discindi, ictumque inspici. Cumque in corde sagitta esset inuenta, eo facto lætabundus, atque cachinnans ad patrē pueri, *Prexaspes,* inquit, *facta tibi est fides me non insanire, sed Persas.* Tum miser parens adulans ei, quem trucidatum optasset, *herè,* inquit, *ego ne Deum quidem arbitror tam probe percutere.* Egregium exemplum aulicæ erga tyrannos seruitutis. Hoc ille præmium amicæ, ac beneuolæ admonitionis à barbaro, ac crudeli principe tulit. Vt non mirum sit eos à suis stultas tantum de se fabulas audire.

Diuina vltio.

Aulica seruitutis exemplum.

V. Alia crudelitas.

ALIVD exemplum nō dissimile subdit Herodotus. Altero die, inquit, duodecim Persas prioribus pares, ob nullius momenti causam necauit, viuos in caput defodiens. Quem cum Crœsus blande admodum admonuisset, libertatemque ipsam tum periculo popularis defectionis, tum à Cyro accepta iussione tempestasset; Cābyses, *Etiam tu mihi,* inquit, *dare consilium audes, tanquam bene aut tuam ipsius patriam administraris, aut patri meo consulueris, iubens eum traiecto flumine Araxe, tendere aduersus Massagetas:* simulque arcum corripiebat, tanquam hominem confixurus. At Crœsus cursu se foras proripuit; hic vbi non habet, in quē telum dirigat, mandat ministris, vt illum comprehensum interimant. Ministri, qui mores eius nossent, Crœsum abdiderunt, hoc consilio, vt si Cambyses facti pœnitens requireret Crœsum, eo perducto donis afficerentur, quod illum seruassent; si non pœniteret, nec desideraret, tunc hominem interficerent; sed illi multum à spe sua aberrarunt. Nam non ita multo post, cum Cambyses desideraret Crœsum, nunciant ministri eum adhuc superesse, quo agnito ait se quidem Crœso superstite gaudere, ijs tamen, qui iniussi seruassent, mortem allaturum; quod & fecit.

Crœsi ... in Cambysis ...

VI. Alia Cambysis facinora.

HÆC autem omnia, hisque similia in Ægypto contigisse testatur Herodotus. *Multa huiusmodi,* inquit, *tam in Persas, quam in socios faciebat Cambyses parum sana, cum Memphi moratus est. Nam & vetusta recludens sepulchra mortuos inspiciebat, & templum Vulcani adiens, multo derisu simulachrum eius cauillatus est. In templum quoque Cabyrorum inaccessum alteri, quam sacerdoti, ingressus est; & quæ illic erant simulachra, multu in ea iocatus verbis, concremauit.* Vides interim obiter pie lector, adumbratum à Dæmone Mosaicum Dei oraculum, in quod sōli Pōtifici aditus patebat quotannis semel. Horum facinorum causam Herodotus insaniam arbitratus est. Insaniæ autem geminam causam, nimirum sacrilegiū in Apim perpetratum: & corporis malam habitudinem; quoniam is ferebatur sacro morbo laborasse ab ipsis natalibus, vt non abs re fuerit, cuius corpus magna ægritudine inualidum esset, eius ne mentem quidem sanam fuisse.

VII. Romani ... & Hebræi.

HIS ipsis annis, & aliquot sequentibus, vt ex Dionysio diximus, prælia multa, cædes, prædæ, populationes inter Gabinos, & Romanos contigerunt.

Interim autem Iudæi Hierosolymis in otio molestissimo desidebant, & quasi miseri Tantali, in medio negotio inuitissimè otiabantur; dum dominarentur eorum, qui oderant eos. Nec Cambysem in Ægyptiaca expeditione moras trahentem, officijs, atque obsequio demereri poterant, qui Susis & Babylone habitabant; vbi, iuxta consilium Ieremiæ & domos ædificauerant, vineas plantauerant, variasque possessiones acquisiuerant: neque de Cananitide, patrum suorum patria, quam nunquam adierant, aut à longe salutarant, admodum solliciti videbantur.

Agg.1.

ANNVS MVNDI 3531. SEXTÆ AETATIS 15. Solutæ captiu. 15. Cambysis cum Magis 8. Imperii 15. Zorobabelis, & Iosue 15. Olympiadis LXIV. an. 2. Vrbis conditæ 230. Tarquin. Superbi 11.

ANNVS ANTE CHRISTVM 522.

I. *Magi Cambysis imperiū occupant.* RECTE cecinit mitissimus Dauid, *viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.* Id in se ipso probauit Cambyses qui ne quadrantem quidem regni paterni expleuit, intra quintum octaui sui anni mensem extinctus, vt supra ex Herod. retulimus: qui fuit finis dominationis Persarum in Ægyptios. Ex eodem nunc Cambysis mortis causam, modumq; referemus.

Cambyse circa Ægyptum commorante, & multa sæpe insanæ mentis indicia demonstrante, Magi duo germani fratres, Susis contra eum coniurarunt, quorum vni nomen Patizithes, alteri Smerdis. Illum Cambyses in Ægyptum proficiscens, rei domesticæ reliquerat procuratorem: hic & corporis habitu quam simillimus erat Cyri filio, quem Cambyses interficiendum curauerat, & eum eodem plane nomine referebat. Hunc ergo suppositium Cambysis fratrem rite commonitum, atque instructum quomodo se in regno occupando, administrandoque gerere deberet, Patizithes quasi Smerdim Cyri filium, in regium solium perducit, Regemque pro Cambyse fratre emoræ mentis viro, toto regno per præcones pronunciari curat. Quin etiam in Ægyptum dimittit ad exercitum, quem in Ecbatanis Syriæ cum Cambyse reperit, qui mādarent, vt deinceps Smerdi Cyri, non Cambysi obedirēt; fabulam iuuabat ignota mors filij Cyri; talia quippe facinora, quam occultissime perpetrantur, vitandæ inuidiæ causa, parique diligentia conteguntur. Itaque neq; Susis, neque in exercitu, quisquam fere mortis eius erat cōscius.

II. *Id addiscit Cambyses.* His auditis Cambyses, *Prexaspes, ait, itane mihi rem executus es, quam iniunxeram?* Ille vero cum etiam atque etiam affirmaret se mandata expleuisse, & suis illū manibus humasse; nec magis ab eo, quam à defunctis timendam tyrānidem; rogat etiam, vt caduceatorem interroget, à quo Smerde rege ista denunciet: cum ergo coram Cambyse Prexaspes caduceatorem rogasset, num Smerdem Cyri filium vidisset, aut ab eo hæc mandata accepisset, negauit ille se eum vidisse, ex quo Cambyses expeditionem in Ægyptum suscepisset, sed Magum, quem Cambyses rerum suarum familiarium procuratorem reliquerat, isthæc ipsi mandata perferenda, Smerdis filij nomine tradidisse. Hic Magorum, & somnij fraude cognita, à quo adductus esset ad fratris perpetrandam necem, quem occidendum mandatat, deflebat occisum. Ergo statim iubet, vt erat animo præceps, exercitum quam rapidissime Susam versus iter arripere, ipse concitus in equum insilijt, insilienti vagina *Ipse sibi mortem vulnere infert.* gladij excidit, vnde nudatus gladius in eius femur infixus est, in ea scilicet parte, in qua percusserat Apim Ægyptiorum Deum. Ita Herodotus, agnoscens diuinam in Cambysem vltionē, & manifestam sacrilegij pœnam, quæ numinis contemptorem occupasset. Beatus alioqui futurus, si omnem Ægypti superstitionem fictiamque diuinitatem, ex zelo diuini verique numinis, quod à Cyro patre, & Daniele, alijsque Hebræis discere potuerat, exterminare voluisset. Quæ cum ille ex superbia, & fastu, repugnante conscientia, perpetrasset, etiam in bono opere peccauit, nec tardam incurrit vltionem.

III. *In Ecbatanis Syriæ.* VVLNERATVS Cambyses, quodnam illi oppido nomē esset, interrogauit, illi aiunt, *Ecbatana.* Tum ille: *fatale,* ait, *est Cambysem Cyri hoc loco decedere.* Oraculum enim ex vrbe Buto, aliquando consuluerat, ex quo acceperat se in Ecbatanis decessurum: quod ipse de Ecbatanis Mediæ interpretabatur, vbi se sperabat senē, omniumq; bonorum copia circumfluentem decessurum. At oraculum *ait Herodotus,* de Ecbatanis Syriæ loquebatur. Ita cacodæmon fallacibus, ac proditorijs oraculis, & suam ignorantiā celabat, *Fraus oraculorum. a lib. 11. c. 3.* & consultores inducebat in fraudem. Iosephus *a* ait Cambysem in Damasco mortuum fuisse, ab expeditione Ægyptiaca reuertentem; fortassis Damascus Ecbatana quoque dicta est. Vigesimo dein die, accitis Persarū, qui aderant, præstantissimis, cum se moriturum videret, rem omnem gestam de somnio sibi à malo dæmone obiecto, de fratris sui nece, per Prexaspē perpetrata, & nominis fallacia dolenter enunciauit, tum adstantes per regios deos obtestatus est, ne per socordiam committerent, vt imperium rursum abiret in Medos: mandans vt si dolo occupatū fuerit, illud dolo surripiant, sin vi ereptum, vi recuperēt. *Hæc vobis facientibus, ait, & tellus fructum proferat; vxoresque, & pecora pariant, in omne tempus libertate fruentibus: secus facientibus, contraria his quæ dixi imprecor, & præterea vnicuique Persarum eum finem, qualis mihi contigit.* Simul hæc locutus Cambyses, deflenit omnem conditionem suam, vt ait Herodotus. *Cambysis postrema mandata.*

IV. *Lamentatur, & qua eius causa infelix.* HABVIT sane, quæ defleret miser Imperator, non solū quæ vulgo misera, & luctuosa æstimantur, quod in ipso ętatis flore periret, quod à suis per proditionē priuatus imperio, quod nulla suscepta prole virili, fœmineaue, quod in peregrino solo periret; sed etiā quod innumeris obstrictam sceleribus animam mox ad eterna supplicia abiecturus esset, animam Deo, hominibusq; inuisam, atq; execrabilem, quæ Deo cœli, sibi non ignoto templum, & cultū à parente decretum prohibuisset; aliorum templa, omnis diuinitatis irrisor, atq; cōtemptor, profanasset, expilasset, incendisset. Sorores incestis connubijs vitiasset, & vnius earum, fratrisq; iniustissimo parricidio seipsum contaminasset: denique amicissimos atque domesticos, beneq; de se meritos, per ludum & ebrietatem crudelissimis cædibus affecisset, exercitus suos intemperanti stoliditate delesisset. cadauer Regis demortui effodisset, omniq; contumeliarum genere vexauisset. *Crimina Cambysis.*

V. *Moritur sine vlla prole.* PERSÆ, inquit Herodotus, vt Regem lamentantem conspexere, vniuersi tum vestimenta conscindere, tum effuso ploratu vti. Post hæc vbi femoris os vitiatum est, femurque celeriter computruit, Cambysi vita erepta est, cum regnasset septem omnino annos, & menses quinque: βασιλεύσαντα μὲν τὰ πάντα ἑπτὰ ἔτεα, καὶ μῆνας πέντε; ἄπαιδα δὲ τὸ παράπαν ἐόντα ἔρσενος καὶ θήλεος γόνου. Nulla vnquam prole suscepta virili, fœmineaue. Ctesias ait Roxanem illi puerum capite carentem peperisse; quod prodigium Magi interpretati sunt, nullum regni successorem ab eo relictum iri. Ita solet punire Deus Principum libidinem, atq; intemperantiam: maxime autem incestas, sacrilegasq; nuptias; vt quo magis vel prole abundare, vel libidini potius suæ obsecundare desiderant, hoc magis fructu nuptiarum priuati, summo suo cum dolore torpescant, & stirpem suam in seipsis extinguant. *Interim ipse,* ait Iustinus, *gladio sua sponte euaginato, in femore grauiter vulneratus occubuit: pœnasque luit, seu imperati parricidij, seu sacrilegij perpetrati.* Dubitur sane, ait Pausanias, *a & alia inanima sua sponte hominibus iustam inflixisse vltionem; Et Cambysis acinaces pulcherrimum, ac nobilissimum perpetrauit facinus.* Sic ipse. Verum facinus rectius causæ, quam instrumento tribuetur, & non secundæ, quæ ex accidente egit, certe primæ, cuius prouidentiæ reges maxime subiacent. *Nisi prodigio sa. Pœna incestuosi peracta. a L. 1. p. 27. Ita.*

VI. *Mors aliter ex Ctesia.* CTESIAS autem, qui totus à cæteris scriptoribus diuersus est, apud Photium. *Cum, inquit, Babylonem accessisset, & ibi paruum lignum cultro poliens, tempus vt falleret, femoris musculum percupisset, vndecimo die mortem obijt, cum duodeuiginti annis regnauisset,* atque mox Ixabatem sumptum Cambysis corpus in Persidem deportasse. Sed chronol. Herodoti, mortisque Cambysis modus, plures habent suffragatores.

Et sane Plutarchus in vita Artaxerxis, ait Ctesiam suæ historiæ, incredibilium ac stolidarum fabularum colluuiem infercire: nec semel eum ambitionis, mendacij, & vanitatis coarguit, vt eius operum iactura minus ægre ferenda videatur.

SMERDIS MAGVS.

VII. *Successor Cambysis.* CAMBYSE mortuo nequaquam persuasum est Persis, rerū potiri Magos; interpretantibus potius Cābysem, quæ de fratris nece dixisset, ea de causa dixisse, vt ille omne

non posset. Sed alterum responsum accepit, non posse se Atossam consulere, quod Rex, cum primum regnum esset adeptus, omnes Cābysis vxores seclusisset, nec in mutuum colloquium venire pateretur. Postremo per Otha- nes à filia, vt dormientis aures exploret, etsi id non periculo fieri non possit. Constare autem Smerdem illum Magum à Cyro, non exigua de causa, auribus iampridem fuisse truncatum. Quod cum illa manifeste deprehendisset, cum primum illuxit, celerrimè patrem certiorem rei compertæ facit.

Smerdis auribus captus.

III. *Septem principes Persarū coniurant.*

Is re communicata cum duobus Persarū principibus, sibique fidelissimis, inter eos conuenit, vt quisque eorum alterum sibi adsciseeret socium. Itaque cum sex iā in eam sententiam conuenissent, vt imperium ab impuro illo hypobolimæo liberarent, superuenit Darius Hystaspis filius, qui & ipse in eiusdem coniurationis communionem admissus est; cuius etiam consilio perfectum est, ne res vel in alterum diem differretur. *Nam si res*, inquit, *dilata fuerit, dum plures fuerimus consilij huius participes, scitote vos deterrime perituros. Aliquis enim, priuati lucri ratione habita, rem ad Magum deferet. Quin etiam scitote*, ait, *si nobis hodiernus elabatur dies, non alium esse occupaturum, vt me apud Magum accuset; sed me vt vos accusem.* Cumque Othanes, qui consilij videbatur caput, quæreret, qui rem tam arduam, tam cito conficiendam putaret. Is aditum per medios excubitores non difficilem fore monstrauit, partim sui ipsorum veneratione, partim fraude, partim etiam vi, vbi ea foret adhibenda. Patefacto aditu, intrò rem generosè contra Magos perfectum iri.

IV. *Magi Prexaspem sibi conciliant.*

Hæc dum agitantur Magi fratres Prexaspem sibi conciliant, quem sibi fidelissimum fore arbitrabantur, vt qui indigna à Cambyse passus esset, occiso per lasciuiam eius filio ictu sagittæ; quique certissime sciret mortem fratris Cambysis, quem sua ipse manu peremisset; qui denique ob id facinus, maxima apud Persas flagrabat inuidia. Eum ergo cum multis promissis allectum iureiurando adegissent, vt congregatis Persarum primoribus, sub turrim palatij, quasi pro concione, viuere Cyri filium nemini diceret. Ipse contra collectis omnibus, totius rei veritatem ab initio professus est, quin & Persas multis verbis deuouit, nisi rursus imperium recuperarent, ac Magos vlciscerentur. Hæc locutus sese in caput præcipitem dedit, atque eadem ruina occubuit.

Qui veritate patefacta moritur.

V. *Coniurati in regiam adeunt.*

Etvs rei fama cum ad septem coniuratos in itinere peruenisset, nouo etiam auspicio confirmati, regiam adeunt. Custodes reueriti Persarum primarios, nihilque sinistri suspicantes, ne interrogauerant quidem. Vbi in aulam ingressi sunt, offendunt Eunuchos, qui sunt à nuncijs, & ab ijs qua gratia venirent interrogantur; simulque inter percunctandum ianitoribus minabantur, quod homines ingredi permisissent: atq; interius pergere volentes, eosdē prohibebant. Isti se mutuo cohortati, eductis gladijs, eos à quibus prohibebantur, ibidem obtruncant: inde cursu in conclaue contendunt. Intra quod tunc forte ambo Magi agebant, & de ijs, quæ à Prexaspe erant acta, consilium capiebant. Tumultu & clamore exciti; vnus arcū, alter lanceam sumit, verum arcus, cominus hoste posito, nulli vsui fuit; alter se lancea tutabatur, & duos coniuratorum, alterum in femore, alterum in oculo vulnerauit. Ille autem arcu reiecto se è pugna eripiens, è conclaui in thalamū profugit, fores occlusurus: sed illuc duo è septem cum eo irruunt, Darius, & Gobrias. Cumq; Gobrias implicitus esset cum Mago, Darius hærebat anceps, ne Gobriam per imprudentiam vulneraret, Tum Gobrias quærebat, quid vereretur manu, *Dispicio*, inquit Darius, *ne te feriam*; nam res in obscuro loco gerebatur. *Tu vero*, inquit, *vel per vtrumque exige gladium.* At Darius fœlici ictu Magum pugione transfodit.

Eunuchos perimunt. Ipsumque Magum.

VI. *Occiduntur Magi, ex Ctesia.*

Ctesias, qui horum septem procerum nomina plene diuersa habet, præterquam Darij Hystaspis, ait patefactū ipsis aditum in regiam, à quodam Bagapate, qui claues omnes regiarum ædium habebat, inuentumque Magum cum pellice Babylonia dormientem. Qui cum vidisset illos, prosilijt, inquit, & nullo instrumento bellico reperto, omnia quippe Bagapates clam subduxerat, sedile aureum confregit, eiusque pede aureo cum pugnaret, tandem à septē illis viris vulneratus, mortem oppetijt. Sed cum virumque Magum constet occisum, nimium est vnius tantum mortem ab Herodoto, Ctesiā, Iustino, distinctè explicari. Interfectis Magis capita demunt, eaque gestantes quinque eorum, duobus reliquis, qui saucij erant illic relictis, tum quod inualidi essent, tum arcis tuendæ causa (quamuis eos Iustinus referat fuisse interfectos) foras procurrunt, cum vociferatione, & tumultu; cæterosq; sibi Persas adiungunt, & quotquot sibi occurrebant, magos obtruncant, donec tenebræ magorum cædem terminarunt. Ea dies mox maxime solemnis fuit, μαγοφονία appellata Quo die nulli deinceps magorum fas erat prodire in publicum, sed omnes se domi continebant.

...ibi ... de ... inceps.

VII. *Darius Hystaspis fit rex*

Post quintum diem, vbi resedit tumultus, principes de constituendo reip. statu deliberant: in quā deliberatione Darij sententia, quæ erat pro vnius principatu, vicit; electionem vero regis ipsius, forti siue casui commiserunt. Quia enim Persæ Solem adorabant, eique equos mactabant, conuenit inter eos vt sub ortum Solis conscensis equis, dum in suburbanis vectarentur, cuius equus hinnitum primus edidisset, is regnum Cambysis obtineret, id cum Dario, famuli sui industria, obtigisset; fulgur etiam, vt inquit Herodotus, tonitruque sereno cœlo contigisset, Darium voti compotem fecerunt, statimque cæteri ex equis desilientes eum adorauerunt, & Regem declarauerunt, omnesque Cyri, atque Cambysis subditi, pró rege mox agnouerunt. Ita narrat Herodotus, de hinnitu equi consentit Ctesias, Iustinus, & cæteri posteriores. Quod si quis Herodoti fabulosum fulgur, & tonitrū dicere voluerit, non admodum repugnabo.

VIII. *Prouidentia ... ...*

Illvd tamen affirmaro, peculiarem Dei prouidentiam in huius Regis electione interuenisse, quem elegerat, vt per eum reliquiæ Israelitici populi patriam repeterent, & templum numini suo, iamdudum intermissum ædificarent. Iosephus certe testatur, *a* Darium, cum adhuc priuatus esset, vouisse Deo, si regnum adipisceretur, quidquid sacrorum vasorum apud Babylonem esset, remissurum se in templum Hierosolymam. Neque id Iosephus excogitauit, ex Septuaginta enim interpretibus, quorum est liber 3. Esdræ, rem mutuatus est. Vbi *b* Zorobabel ait Regi. *Memor esto voti tui, quod vouisti ædificare Ierusalem, in die qua regnum accepisti*, & mox: *Et tu vouisti ædificare templum, quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Iudæa à Chaldæis. Et nunc hoc est, quod postulo Domine, vt facias votum, quod vouisti Regi cæli ex ore tuo.* Dominus ergo Darium voti reum fecit, quod ille non multo post fideliter exoluit.

a Lib. c.4.

b c.4. v.3.

IX. *... Cyri ...*

Dario Hystaspis in regium Persarum solium pacificè feliciterque euecto, exitum suum sortita est illa visio, quæ Cyro apud Massagetas pugnaturo obiecta fuit, quæ ab Herodoto sub finem libri primi refertur. Trāsmisso enim Araxe, vbi nox aduenit, vidit per quietem Cyrus Darium Hystaspis filium natu maximum, habentem in humeris alas, quarum altera Asiam, altera Europam inumbraret. Is tum vigesimum ferme annum ætatis agens, in Perside relictus fuerat, tanquam nondum maturus militiæ: qui si tū affuisset, Cyri fortasse vel imperio vel manu periturus erat: vsque adeo suspicax est, impotens ac crudelis ambitio. Experrectus enim vocato Hystaspi remotis arbitris, *Tuus*, inquit, *filius mihi, ac regno meo insidias molitur.* Cuius rei, dininum videlicet argumentum, profert oblatum somnij. *Quapropter*, inquit, *tu quam citissime in Persidem reuertere, facitoque vt cum ego, subiatis Massagetis illuc rediero, filium tuum mihi sistas ad causam dicendam.* Sic ipse.

X. *Darius ... coniurata inter septem Principes.*

Ex his autem Darij ætas facile colligi potest: cum enim extremo Cyri anno Darius vigesimum ferme annum ageret, perspicuum est eum nunc vigesimum nonum attigisse. Sub hæc Darij initia facinus contigit memorabile. Sex coniurationis socij fuerunt, Othanes, qui primus coniurationis author fuerat, cuius etiam filiam Phœdimā Darius quamprimū duxit vxorē; Aspathines, & Intaphernes; quorū ille femur, hic oculū in pugna cōtra Magos vulne-



ratum habebat. Gobrias, Hydarnes, Megabyzus. Inter istos conuenerat, vt Regi non liceret, nisi è familia coniuratorum, vxorem sumere, & cuique è septem illis, liceret aulam regiam sine internuncijs ingredi, nisi forte Rex cum vxore occupatus esset.

XI. *Facinus Intaphernis.* CONTIGIT autem Intaphernem mox post oppressos Magos, regiam ingredi ad colloquium Regis: cumq; ianitor, & qui à responsis erat, rem vxoriam causaretur, ille eos mentiri ratus, educto acinace, aures vtrique, nasesq; præcidit, ac loro freni equini ad eorum ceruices alligauit, ac dimisit. Qui cum se Regi ita deformati exhibuissent, & cur id passi essent, exposuissent, Darius veritus ne aliorum quinque coniuratorum consilio id facinus susceptum esset, ab ijs quæsiuit, num id factum, aut præscissent, aut probarent. Id illis negantibus Intaphernem cum tota familia comprehensum, in vincula coniecit necidandos; ratus eum cum suis cognatis res nouas fuisse moliturum.

XII. *Sua uxoris opera.* TVM vxor Intaphernis ad regias fores accedens, assiduè plorabat, ac lamentabatur: cumque Regem ad misericordiam commouisset, misit ad eam nuncium, qui Regis nomine iuberet illam optare vnum aliquem de vinctis, quem sibi mallet indulgeri. Illa cum fratrem relicto marito, & filijs elegisset, rogata causam, *quoniam*, inquit, *nouum nuptui maritum alium, aliosque filios, si Deus voluerit, recuperare possum, fratrem alium, extinctis parentibus meis, non possum.* Qua responsione delectatus Rex, & fratrem, quem mulier optauerat ei concessit, & insuper filiorum natu maximum, cæteris omnibus interfici iussis.

Nota. Satis tamen constat mulierem non satis sapienter elegisse. Illi enim primi eligendi fuerunt, quibuscum maior ei necessitudo, & arctius vinculum charitatis intercedebat; erat autem maior cum marito, propter quem, iuxta iura naturæ, & diuinam institutionem, coniuges relinquunt patrem, & matrem, & sibi mutuo adhærent. quam cum fratre coniunctio; maior item cum filijs, qui sunt ipsius matrimonij præcipuus finis. Eius autem ratio parum est efficax, ex ea enim sequeretur, eam etiam patruum, aut auunculum, aut huiusmodi alium quempiam præ marito, & filijs eligere debuisse.

XIII. *Zorobabel ad Darium proficiscitur.* SVB hæc tempora Zorobabel Babylonem, vbi multi adhuc de Iudæis habitabant, repetijt; vtique cum illis consilium capturus, de vrbis, templiq; restauratione impetranda; vnde etiam Susam, vbi erat Persarum Regia, vt ex Herodoto constat, mox profectus est. Id Iosephus affirmat. *a* *Et forte fortuna*, inquit, *per illud tempus venerat ad eum à Hierosolymis Zorobabel, qui captiuorum Iudæorum dux declaratus fuerat; nam erat vetus Regis amicus* &c. Satis credibile mihi est Iudæos, audita morte Cambysis, quem nunquam beneuolum experti fuerant, spe meliorum incitatos, in Persidem misisse Zorobabelem, veterem, vt Iosephus ait, Darij amicum, vt eius opera fieret voti compos. Diuina autem prouidentia factum est, vt ille idem Darius in Imperium eueheretur; sicque non per ipsum, sed ab ipso tota res impetranda foret. Quod vt suauius fieret, ob veterem amicitiam tempore Cyri, tam ætatis quam morum similitudine, & aulicæ vitæ consuetudine, contractam, non ægrè impetrauit, vt cum duobus socijs, in regij corporis custodes cooptaretur. Captauit etiam rei bene gerendæ occasionem; quæ oblata est anno proximè sequenti.

a l.11.c.4.

ANNVS MVNDI 3533 SEXTAE AETATIS 17. Solutæ captiuit. 17. Darij hystaspis 2. Imperij Persarum 17. Zorobabelis, & Iosue Pontif. 17. Olymp. LXIV. 4. Vrbis cond. 232. Tarquin. Superb. 13.

ANNVS ANTE CHRISTVM 520.

I. *Summe insignis annus.* CELEBERRIMVS est hic annus, & nouis duorum Prophetarum *b* vaticinijs, nouaq; templi Hierosolymitani restauratione nobilitatus, postquam diuinitus conciliato Iudæis Dario, plurimi Iudæorum duce iterum Zorobabele, rursum Hierosolymam profecti sunt. Cuius rei occasio, ex solemni Darij conuiuio, & comitijs omnium Principum eius sumpta est. Ad hunc enim annum conuiuium illud, & concertationem trium adolescentium referendam arbitror, vt perspicue ex tertio Esdræ intelligitur, *c* vbi dicitur Zorobabel locutus sermones mirificos, in secundo anno regni Darij, mense Nisan primo; quamuis Iosephus *d* dicat primo anno Darij id conuiuium fuisse celebratum. Et Eusebius in præfatione in chronicum suum, velit annum secundum Darij, in annum sequentem, qui erit primus Olymp. 65. cadere; qua de re iterum anno 15. Tiberij dicendum erit. Nostra vero temporis distributio ex eo confirmatur, quod sic rectius cuncta conuenient; vt anno primo eius venerit Zorobabel, & se in eius gratiam, & familiaritatem insinuarit; eodem anno indictus sit à Dario conuentus omnium Præsidum prouinciarum in annum secundum, initio veris, mense Nisan. Eo tempore congregatis omnibus, habita sit illa disputatio trium iuuenum: tum dimissis comitijs, multiplices illæ literæ obtentæ sint, de templo, & vrbe ædificanda; aliaque multa, quæ 3. Esd. c. 4. in fine continentur. Inde ventum est Babylonem, ibique profectio non exiguo tempore præparata, vt patet ex initio c. 5. eiusdem libri. Denique Hierosolymam cum multo comitatu equitum, & Iudæorum turbâ venerunt, eodemque peruenerunt sub idem tempus, quo Aggæus, & Zacharias prophetare cœperunt, verum singula videamus.

b 1. Esd. 5. & l.11.c.4. Aggæi. & a Zachar. 1 vsque ad 6. c 3. Esdr. 5. d l.11.c.4. Quod tempore conuiuij Darij.

II. *Darij conuiuium, & conuentum.* SECVNDO itaque regni sui anno *Darius Rex fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis Medis, & Persidis, & omnibus purpuratis, & prætoribus, & consulibus, & præfectis sub illo, ab India, vsque ad Aethiopiam 127. prouincijs.* Ita legitur 1. Esdræ c. 3. Græco, & in Latino l. 3. c. 3. Eodem modo apud Iosephum. Duplici autem, vt arbitror, fine maximus hic conuentus Indictus est; ineptum enim fuerit existimare conuiuij causa tot principes viros è tam remotis locis fuisse congregatos; prior est, vt ab omnibus prouinciarum, & populorum præfectis, vicem ipsorum populorum agentibus Rex agnosceretur, & confirmaretur. Id contigisse Herodotus significat his verbis, *Darius itaque Hystaspis filius, declaratus est Rex, eique omnes Asiani dicto audientes fuerunt, præter Arabes, qui à Cyro, & rursus à Cambyse populos subigente, nunquam tamen in seruitutem redacti sunt, sed hospites extiterunt* &c. Posterior fuit, vt populorum suorum tributa ordinaret. Etenim vt ait idem Herodotus l. 3. *a* sub Cyro, ac deinde sub Cambyse, nihil dum fuerat circa tributa institutum; sed munera afferebantur. Ob quam tributi ordinationem, & alia huiusmodi, Persæ aiunt Darium fuisse institorem, Cambysem autem Dominum, Cyrum vero patrem; quoniam Darius res omnes quæstui habebat: Cambyses asper erat, ac morosus; Cyrus autem mitis, ac de omnibus benemerendi studiosus.

l.11.c.4. a p. 89. græ. edit. Francof.

III. *Numerus Prouinciarum, & earum subdiuisarum.* VERVMENIM vero longe distare videtur Herodotus in numero Prouinciarum à Græco, Latinoque Esdræ, & Iosepho; sic enim ille ait; *Hic apud Persas actis viginti prouincias, quas ipsi satrapias vocant, constituit, earumque singulis præsides præfecit, taxato quod penderetur tributo per nationes.* Sic ipse: Verum singulæ harum viginti prouinciarum, in alias minores subdiuidebantur. Nam prima Satrapia septem populos continebat, secunda quinque, tertia tres, & ita de cæteris; adeo vt Herodotus ad Septuaginta numeret, & tamen plerasque prætermittit. Nam exempli causa, sub vno Syriæ nomine, non solum duplicem, aut triplicem Syriam comprehendit, sed etiam Palæstinam, & eius quinq; Satrapias: Iudææ, & Samariæ regna duo; Ammonitas, Moabitas, Idumæos.

IV. *Et quod inde tributum.* EX ijs autem omnibus prouincijs, non maiorem ponit Herodotus pecuniæ vim collectam, quam duodecim millium quadringentorum & viginti talentorum argenti, nam deceptus est interpres in conuertenda aurea pecunia in argenteam; & in omnibus summis in vnam subducendis. Quod si totam illam pecuniam, ad pecuniæ Gallicæ rationem reuocare velimus, & cuiq; talento libras argenti 125. iuxta Epiphanij sententiam assignare, fient *b* quinquaginta & vnus miliones, ducenta 32. millia librarum, & insuper quingentæ; siue 17. miliones auri, & insuper 77. millia. &

b vt summa 50... 1707500 aurei.

quin-

quingenti aurei. Sed alijs atq; alijs talentorum generibus, hi prouinciales vtebantur; vt propterea certa summa cōstitui non possit. Hoc tributum, ait Herodotus, ex Asia obueniebat, & aliquantulum ex Africa procedente tempore. Ab insulis autem aliud obueniebat tributū, & ab iis, qui Europā Thessalia tenus incolebant; nec in ea summa omnium Persarum, & Arabum, & Æthiopum, & Colchorum, aliorumq; eis finitimorum, vsq; ad montem Caucasum munera, quæ sponte afferebantur, contenta fuerunt.

V. *Triam iuuenum disputatio.* *1. Esdra c. 3. v. 3.* VERVM ad conuiuium redeamus. *Cum manducassent*, inquit e author, *& bibissent, & satiati reuerterentur; tunc Darius Rex ascendit in cubiculum suum, & dormiuit, & expergefactus est. Tunc illi tres iuuenes corporis custodes, qui custodiebant corpus, dixerunt alter alteri, dicamus vnusquisque nostrum sermonem, qui* (siue quid) *praecellat*, id est, de re quæ præcellat cæteris omnibus, vt consequens historia exigit. Videtur institutū hoc ingenij, & sapientiæ certamen ad ornamentū conuiuij, vt non solum cibis corpora, sed etiam animi his ingenij pabulis reficerentur, qui ritus multarum gentium, & Græcorum in primis fuit, vt ex Athenæo, & Plutarcho liquet, qui sermones supra mensam habitos, aut quasi habiti essent scriptis prodidere. Sic olim in Samsonis conuiuio, proposuit ipse problema, quod inter septem conuiuij dies solueretur. Pergit author. *Et cuiuscumque apparuerit sermo sapientior*, donec eum Darius muneribus amplissimis; vt scilicet induatur purpura, & in auro bibat, & super aurum dormiat, infrenatis auro bigis vehatur, & cum cydari byssina, & torque circa collum, & secundo loco sedeat à Dario, propter sapientiam suam, & cognatus Darij vocetur. *Præmium victoriæ.* Id ipsi de præmio victoris, sub Regis beneplacito statuebant; imo quoniam dictum est eum euigilasse, videntur hi iuuenes ab eo petiisse, vt tale præmium victori spōdere vellet; Regem autem benignè annuisse. Et Iosephus non solum ait Regem præmia proposuisse, sed etiam quæstiones, vt mox dicemus.

VI. *Causasque eorum asserit.* TVNC scribentes singuli suum verbum signauerunt, & posuerunt subtus ceruical Darij Regis, ne scil. quisquā posset mutare sententiam, sed eam, quam in promptu excogitauerat, retineret, vt laus esset non solum maturæ sapientiæ, sed etiam solertiæ, & promptitudinis in rectè excogitando. *1. Esdr. c. 3.* *Et dixerunt, a cum surrexerit Rex, dabimus illi scripta nostra; & quodcumque è tribus iudicauerit Rex, & magistratus Persidis verbum sapientius, ipsi dabitur victoria.* Vnus scripsit; *forte est vinum*: alius scripsit, *fortior est Rex*; tertius scripsit; *fortiores sunt mulieres, super omnia vincit veritas.* *Quomodo et dicta.* Non videntur hi iuuenes scisse, quid socij scripsissent; ideoq; scripsisse etiam sine comparatione. Quomodo habet Tigurina versio, apud Vatablū. *Potentissima res est vinum; Rex res est potentissima. Res potentissima sunt mulieres; ante omnia verò vincit veritas.* Verum comparatio per occupationem adhibita est. Cum enim quisque iuuenum pro suo themate disserere cœpit, addidit comparationem. *Et cum surrexisset Rex acceperunt scripta sua, & dederunt illi, & legit. Et mittens vocauit omnes magistratus Persarum, & Medos, & purpuratos, & Prætores, & Præfectos, & sederunt in consilio, & lecta sunt scripta coram ipsis. Et dixit, vocate adolescentes, & ipsi indicabunt verba sua*; pluribus scilicet disserent de proposito argumento, illud confirmantes, coram vniuerso Principum cœtu, à quibus ferenda erat sententia de victoria. *Eruperunt ad disserendum de proposito argumento.* *Et vocati sunt, & introierunt, & dixit illis, Indicate nobis de iis, quæ scripta sunt*; quod illi ordine fecerunt, sumpto initio ab eo, qui pro vino scripserat.

VII. *Historiam Iosephus scripturæ non bene retulit.* VERVM antequam progrediamur, monendus es, erudite lector, ne Iosepho fidem habeas hoc loco; apertè enim ab Esdræ textu Græco, & Latino discedit. Sic enim habet. *Darius post breuem in lecto quietem à somno relictus, nec valens redormiscere, cæpit fabulari cum tribus satellitibus, & qui propenendam à se quæstionem, verius, ac prudentius solueret, ei præmium fore promisit vsum purpuræ, & aurei poculi &c. In cubatu quoque, ac vectatione vsurum instrumento aureo, & tiara byssina, ac torque aureo; & in consessu habiturum locum Regi proximum, annumeratum inter gentiles Regios. Post hæc promissa, quærit ex primo, num vinum maximè polleat, ex secundo num Reges, ex tertio num mulieres, an forte veritas magis, quā hæc omnia. His ad inquirendum propositis siluit.* Hic profectò Iosephus, & à lege prudentiæ, & ab historiæ veritate discessit. Neq; enim scriptura tradit à principe proposita fuisse huiusmodi problemata, sed ab ipsis iuuenibus excogitata; & prudentius longe fuit non solū copiæ orationis in dicēdo, sed etiam ingenii, atq; solertiæ in inueniendo periculū fieri, præmiumq; constitui. Deinde si Rex ipse singulis thema ad dicendū proposuit, quid opus fuit schedulam quemq; suam subsignatam, ac sigillo munitam sub Regis ceruical inserere? Propterea que non incautè Iosephus hanc historiæ particulam plane missam facit.

VIII. *Laudatio vini. Ibid. c. 4.* VERVM vt cum eo redeamus in gratiam, vini laudationem bene ab eo, ac fideliter expositam referemus. Viri illustrissimi, *b* inquit, equidem vino potentiæ palmam tribuere haud dubito, dum eius vitium hinc coniectutam capio. Animaduerto enim quod quotumuis potantium mentem subuertit, & vel Regis animum sic afficit, vt non secus, quā puer aliquis parentibus orbus, curatoris egeat. Seruum quoq; ad dicendi libertatem concitat, & pauperi addit animos diuitis: mutat enim, & regenerat animas, quas subingreditur. Nam & calamitosorum extinguit tristitiam, & ære alieno, atq; vsuris oppressos facit aliquātisper sibi videri omniū ditissimos, vt obliti sui nihil loquant humile, sed talenta crepent, & alia fortunatorū verba magnifica. Præterea tam Ducum, quam Regum illis sensum, ac merum eximit, & omnem amicorum, ac familiariū memoriam: armat enim homines vel aduersus charissimos, eosque facit videri alienissimos; cumque edormito temeto per noctē sobrij fuerint redditi: surgunt omnino inscij, quæ ab eis per ebrietatem patrata sunt: quo fit vt his argumentis persuasus, vinum ducam rem omnium longe potentissimam, simul & violentissimam.

IX. *Expenditur.* HÆC illе declamauit adolescens, cuius nomen proditū non est, ad vulgarium hominum sensum, captumq; accōmodatè. In quibus scriptor libri huius, non quam vere quidque dicatur inquirit, sed tantum hæc ab illo primo adolescente, in eo cœtu dicta fuisse testatur. Neque enim in vera laude est, quod vinum mentem subuertat, id est, hominem, propter quem creatum est, omnium præstantissimo bono priuet; & prudentissimos pueris, & fatuis æquet, quibus tutore sit opus, hominem conditionis suæ reddat immemorem; & ad ineptè se & indecore gerendum, adigat vel inuitum: in formidolosis rebus securum reddat, hilarem in tristibus, in humili fortuna gloriosum. Principum, Magistratuum, parentum, & eorum, quos tueri debeat, efficiat negligentes; Amicorum, fratrum, benefactorum tantam aliquando obliuionem inducat, vt in eos ipsos, non secus atque ignotos furiosa arma côuertat. Denique rerum gestarum, quæ pars est vna prudētiæ, memoriam eripiat. Quanquam hæc, aliaque id genus, nō videntur aut in vini laude, aut eiusdem vituperatione ponenda, sed in eius, qui eo immoderate vtatur, accusatione. Denique diceret æmulus adolescens, quam admirabilis est ista vini potentia, quam tantillum frigidæ aquæ deijciat, atque prosternat?

X. *Regum excellentia.* VENIAMVS ad alterum adolescentem, qui sibi nō immeritо victoriam potuit polliceri, qui totum consessum habebat causæ suæ vehementer fauentem, vt qui apud Reges, & Principes, de Regū laudibus, ac potestate verba faceret. Eius verba ex fideli Iosephi expositione referemus. *Postquam primus, prolata sua de vino sententia, dicendi finē fecit, tum secundus cæpit extollere potestatem regiam, huius vires asseuerans esse maximas omnium, quæ intellectu, ac potentia prædita sunt.* Omnium enim rerum penes homines esse imperium, qui & terras & maria ad quoscumque vsus seruire sibi adigunt, at ipsis hominibus Reges imperitare, eisque quidlibet pro suo mandare arbitrio: proinde qui in fortissimum animalium habent dominium, eorū vim ac virtutē metirò existimandam insuperabilē. *Quorum iussa subditi obseruant omnia.* Quid quod dum ad bella, & pericula subditos mittunt, omnes eorum imperata obsequenter faciunt, siue dum per eos obijciuntur hostibus, siue dum coguntur cum mœnibus, ac turribus, atque adeo cum montibus, ipsaq; rerū natura bellum gerere ipsorum iussu parati vel occidi, vel occidere, dum ne videan-

tui à regijs mandatis vsquam digredi? Pacata deinde victoria, belli commoda vniuersa ad Regem redeunt. Iam vero qui alienà militia dant agris colendis operam, post longos labores, & sudores comparatis fructibus, Regi tributa persoluunt. & quidquid ille iusserit, hoc necessario sine mora perficitur. Interim ille expletus omnibus delicijs, & voluptatibus dormit in cubiculo, excubantibus ante fores satellitibus, & ceu vinctis mero, nusquam discedentibus. Nemo enim audet, dormiente illo relicto, abire ad curanda propria negotia, sed vnam hanc curam putans necessariam, ... Et qui fieri potest, vt non is sit omnium potentissimus, cui tanta hominum multitudo paret per omnia?

XI. Hæc quoque ex populari hominum sensu, iudicioque dicta sunt, quæ non ægre feret lector ex ipsarum scripturarum indubitata sententia explicari. Et certè si quis mihi Regem aliquem Epicuræum finxerit, Caium, Neronem, Caligulam, Antiochum, Cambysem, Sardanapalum, nihil de Deo eiusque iudicio, nihil de futura vita, & impiorum supplicijs cogitantem; illa vtique non plane quidem vera, sed valde tamen verisimilia fuerint; etsi nemo est ad omnem licentiam tam effusus, qui non sæpe quam graue sit conscientiæ pondus persentiscat; nemo cuius ratio, & naturæ lumen, quasi Circæa quadam potione, plane sit obrutum. Quin potius eo intremiscant pœnam admissorum scelerum ob oculos versantem, & menti occursantẽ videt. Imo non defuerit in Ethnicis Imperator, qui suum diadema intuens dixerit. O diadema, si quis probe nosset quot ærumnis, molestijsque circumfluas, te ne humi quidem iacens excitare dignaretur.

XII. At qui certissimè cogitet, & credat in cœlis esse omnia tuentem, ac moderantem Deum; cuius vicariam duntaxat in terris Reges omnes, & principes potestatem gerãt; eamque potestatem, quæ reddendæ rationi longe seuerissimæ obnoxia sit, inueniet certè in supremo imperio vnde possit non triumphare gaudio, sed summi sui Regis iudicium vehementissime formidare. Quem enim vel sanctissimum principem illa verba non terreant? *Audite Reges, & intelligite, discite iudices finium terræ.* a *Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo; qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur; quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur.* Quibus non verbis, sed fulminibus territi plerique Reges, ... vt periculosissimo negotio, libentissime abdicarunt.

a Sapient. c. 6.

XIII. IMPERANT, inquit ille, omnibus Reges; sed de bene, malèue administratu imperio rationem reddunt longe exactiorem, quam minimi regalium famulorum. Et cum priuati homines de suis tantum culpis daturi sint pœnas, vtque, aut modicè alienis peccatis participent; Principes, quos tristes habent innumerabilium peccatorum fontes, qui in ipsorum capita continenter exundent, tanto largiore fluxu, quanto illi fuerint potentiores. Quam multa scilicet bona, quæ Dei honorem, & gloriam, & animarum sibi commissarum salutem promotura erant, neglexerint, impedierint, vituperarint, prohibuerint. Quã multa mala, quæ impedire poterant, & debebant, tolerauerint, auxerint, imperarint. Quam multa denique ipsi per se impunè peccarint nemine admonente, vel arguente; plerisque omnibus probantibus, atque laudantibus, & currenti ad interitum equo, calcar addentibus. Subditi populi regibus ad nutum obtemperant; ita est, sed malæ iussionis culpa in imperatorem magna ex parte deuoluitur. Belli, pacisque commoda vniuersa, ac labores in Regum vtilitatem cedunt; Verum est. Omnes eorum incolumitati magis, quam propriæ seruiunt; & merito quidem; plus enim curæ, atque custodiæ cordi, capitique, quam reliquis mẽbris debetur: sed ita, vt illis curam totius quoque corporis vtilitatem cedas; sed ita vt illa commoda, nõ ad eius vnius gloriam, & delicias, sed totius reip. vtilitatem ac dignitatem redundent.

XIV. SVPEREST tertius iuuenis, ille idem Zorubabel, de quo multa iam diximus, qui geminam sententiam capo... fuit, alteram in laude mulierum, & potestatis, quam habere videntur; alteram in verissima commendatione veritatis. Et priorem quidem ita exorsus est. *Viri non magnus Rex, & multi homines, nec vinum præcellit,* id est, non est vllius horum suprema potentia; *Quis est ergo qui dominatur eorum? Nonne mulieres genuerunt Regem, & omnem populum, qui dominatur mari, & terræ; & ex illis nati sunt, & ipsæ educauerunt eos, qui plantauerunt vineas, ex quibus vinum fit? Et ipsæ faciunt stolas omnium hominum, & ipsæ faciunt gloriam hominibus, & non possunt homines separari à mulieribus. Si congregauerint aurum & argentum, & omnem rem speciosam, & viderint mulierem vnam, bene habitu, & bona specie, omnia hæc relinquentes in eam intendunt, & aperto ore conspiciunt, & eam allectant,* id est, eoptant *magis quam aurum, & argentum, & omnem rem pretiosam.*

XV. HOMO *patrem suum relinquit, qui enutriuit illum, & suam regionem, & ad mulierem se coniungit, & cum muliere remittit animam,* id est, dimittit, Tigurini cum vxore vitam ponit. Iosephus, & ne communi quidem cum mulieribus refugimus. *Et neque patrem meminit, neque matrem, neque regionem,* id est, patriam. *Et hinc oportet vos scire quoniam homines dominantur vestri. Nonne dolens,* id est, nonne vos labore vexatis in earum obsequium, & famulatum? *Accipit homo gladium suum, & vadit in viam facere furta, & homicidia, & mare nauigare, & flumina, & leonem videt, & in tenebras ingreditur, & cum furtum fecerit, & fraudes, & rapinas amabili suæ affert: & iterum diligit homo vxorem suam magis quam patrem, aut matrem. Et multi dementes facti sunt propter vxores suas; & serui facti sunt propter illas: & multi perierunt, & ingulati sunt, & peccauerunt propter mulieres. Et nunc credite mihi, quia magnus est rex in potestate: quoniam omnes regiones verentur tangere eum. Videbam tamen Apemen filiam Bezaci mirifici, concubinam Regis, sedentem iuxta Regem ad dexteram, & auferentem diadema de capite eius, & imponentem sibi, & palma cædebat Regem de sinistra manu. Et super hæc aperto ore intuebatur eam, & si arriserit ei, ridet. Nam si indignata ei fuerit, blanditur, donec reconcilietur in gratiam.*

XVI. O VIRI, *cur non sunt fortiores mulieres?* Regibus scilicet, quos suæ subiecerunt seruituti. Verba porro quæ sequuntur (*magna est terra, & excelsum est cælum: quis ista agit?*) superflua sunt, nec in textu Græco habentur; & apparet esse translata ex ijs, quæ paulo post sequuntur. Hæc autem nõ solum cum approbatione, sed etiam cum admiratione audientium fuisse dicta, illa testantur. *Et tunc Rex, & purpurati intuebantur in alterutrum;* quippe qui hanc muliebrẽ tyrannidem experti, eam taciti fatebantur: nec desinebant tamen admirari, quænam esset illa vis, quæ naturam modis omnibus fortiorem, atque excellentiorem, infirmiori subijceret.

Sed hæc, vt dixi, tyrannis est, & ingẽs naturæ corruptæ calamitas, qua improbus quispiam, ac flagris assuetus seruulus in libera capita dominatur, eaque indignissimis operibus probrosè, atque crudeliter addicit. Tyrannis est, ex cuius manibus poëta ille a tanquam ab agresti, ac furioso domino libenter se profugisse dicebat, ac lætabatur. Tyrannis est, omniumque deterrima, atque luctuosissima. Nam cum aliæ tyrannides inuitè subeantur, & ferantur ab inuitis; homines eas perpetuo excutere satagunt, ad libertatem aspirantes, Isthæc autem voluntaria est, appetitur, ambitur, emitur, & pro ea tanquam pro aris, & focis decertatur. Itaque tantum est hoc malum, vt ad tyrannidem addat etiam insaniam; & miserum hominem duobus maximis bonis turpiter spoliet, ratione, & libertate.

a Sophocl. ... De Senect. & Plato de Rep.

XVII. AT singula cursim videamus. Mulieres genuerunt Regem, & omnem populum; imo viri potius eos genuerunt, quorum maior est, & primarius in hominum generatione concursus: Nec Regem iste vel illa genuerunt, sed infantem, cui casu aliquo forte contigit, vt Rex fieret, vt huic ipsi Dario Hystaspidæ, apud quem ista dicebantur. Quod autem illæ educarunt viros, quod vestes texuerunt, quibus homines exornarunt, seruitutes quædam ... opera

gloriosa: in quibus si quid esset gloriæ, ea vel tota esset artificum, vel maxima certe pars eius à sartoribus decerperetur. Iam quòd homines in obsequium mulierculárum multa scelera perpetrant, ingentia pericula non reformidant, & multo labore parta bona profundunt, morbus quidem animorum est, imo furor, & ebrietas mentium vehementer deploranda, non veneficis istis gloriæ tribuenda. Quamquam miseri isti mulieribus in his omnibus non seruiunt, sed cupiditatibus suis, quarum impotenti dominatu premuntur, & quarum tyrannidi coguntur illas ipsas, quas dominas appellitant, ancillari.

XVIII. *Iniqua ... Prov. 9. 17.* VERVM matrimonij honesta voluptas est, ita est; sed improba illa pellacior, quia *furtiuæ aquæ dulciores*; b & Dominus sapienter ingentes matrimonij ærumnas modico melle temperauit, ne illud mortales omnes auersarentur, qui vel vno aspectu facti ebrij, omnes poculi fæces exhauriunt. Relinquit homo patrem, & matrem, & patriam, propter mulierem, non vt ei seruiat, sed vt eam regat, & ex ea prolem suscipiat: nisi malit meliorem faciliorem que sanctæ continentiæ partem amplecti. Denique quod ipsi quoque Reges huic morbo obnoxij sunt; imo præ cæteris aliquando circa mulierculas insaniunt; vtpote qui in hoc genere non solum impunè, sed etiam cum impurissimorum adulatorum laude, vt dixi, peccare possunt; tanto miserabiliores sunt, tantoq; grauiore culpa tenentur, quanto pluribus scandalo sunt ad ruinam, quibus adiumento esse deberent ad beatam vitam; quam stulti amatores mulierum nunquam possidebunt.

XIX. *Veritatis potentia.* ET hactenus quidem intelligi potest, quantum sit in trium istarum rerum populari commendatione veritatis; nunc verissimam ipsius veritatis commendationem ab eodem Zorobabele, qui pro mulieribus dixerat, audiamus. *O viri*, inquit, *nonne fortes sunt mulieres. Magna est terra, & excelsum est cœlum, & velox cursus solis, qui conuertit in gyro cœlum in locum suum in vna die, nonne magnificus est qui hoc facit? Et veritas magna & fortior præ omnibus. Omnis* c *terra veritatem inuocat, cœlum etiam ipsam benedicit, & omnia opera mouentur metu, & tremunt eam, & non est cum ea quicquam iniquum. Vinum iniquum, iniquus Rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filij hominum, & iniqua omnia illorum opera, & non est in ipsis veritas, & in sua iniquitate peribunt: & veritas manet, & inualescit in æternum, & viuit, & obtinet in secula seculorum. Nec est apud eam accipere personas, neque differentias, sed quæ iusta sunt facit omnibus, iniustis & malignis, & omnes benignantur in operibus eius*, in Græco εὐλογοῦσι benedicunt operibus eius, quia scilicet beneficio afficiuntur per illius opera. *Et non est in iudicio eius iniquum, sed fortitudo, & regnum, & potestas, & maiestas omnium æuorum. Benedictus Deus veritatis.* Et desijt loquendo; & omnes populi clamauerunt, & dixerunt; magna est veritas, & præualet.

c lib. 3. Esd. 3. v. 36.

Veritas præ ca... ...

XX. *a est Deus ...* MERITO veritas omnium calculis supremum potentiæ locum, atque dignitatis obtinuit. Quoniam nihil aliud Zorobabel nomine veritatis intellexit, quam ipsum verum Deum, rerum omnium conditorem, vt postrema quoque eius verba significant; neque enim alioqui veritatem cœlo, & terræ, & soli, & astris; & Regibus, & mulieribus, & omnibus hominibus prætulisset. In sugillationem vtique omnis idololatriæ, quæ mera vanitas est, & mendacium omnium, quæ fingi animo possunt, longe maximum. Nominatim autem solis meminit, quoniam eum Persæ tanquam Deum venerabantur. *Omnis terra veritatem inuocat*, quia nationes omnes, in omni re, quam adorant, verum Deum se adorare putant. Denique omnes isti tituli, qui veritati tribuuntur, Deo summæ veritati summè conueniunt. Et quamuis Deus veritatis, sit idem quod verus Deus, aut veritatis omnis principium, & caput; possumus tamen primam sanctissimæ Trinitatis personam intelligere Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, qui se viam, vitam, & veritatem ore veridico pronunciauit; cuius diuina prouidentia, in tota ista iuuenum concertatione factum est, vt 127. prouinciarum principes, & magistratus, ad veri, atque viui Dei cognitionem ita manu ducerentur, vt vno omnes ore eundem illum verum Deum, sub nomine veritatis, rerum omnium maximum, potentissimum, iustissimum, sempiternũ agnoscerent, atque prædicarent.

... à tot principibus ... veritas ...

REX autem ipse in primis, intimis affectus sensibus, ad Zorobabelem conuersus. *Pete*, inquit, *si quid vis amplius, quam quæ scripta sunt, & dabo tibi, secundum quod inuentus es sapientior proximis, & proximus mihi sedebis, & cognatus meus vocaberis.* Hic ille tam egregia occasione incitatus, quod animo maxime insederat, promit. *Atque Regi, memor esto voti tui, quod vouisti ædificare Ierusalem, in die qua regnum accepisti, & omnia vasa, quæ accepta sunt, ex Ierusalem remittere, quæ separauit Cyrus, quando mactauit Babyloniam, & voluit remittere ea ibi.* Ita legitur in vulgatis, in Græco autẽ. *Quando vouit exscindere Babylonem, & vouit remittere illuc.* Itaque geminum hic votum interuenit, aliud Cyri, quando laboriosissimam, & periculosissimam Babylonis obsidionem aggressus est, quo successor imperij aliquo modo teneri videbatur: etsi reuera vota personalia sunt, nec successores, nisi illis consenserint, attingunt; alterum Darij in die, qua regnum diuino beneficio sortitus est.

XXI. *Darius dat optionem Zorobabeli.* | *Is petit restaurari Ierusalem, ex voto ...* | Supra n. ...

XXII. *Votum Iudæorum ...* HVIVS voti superius suo loco mentio facta est, initio regni Darij; id inculcans Zorobabel, quasi totius causæ suæ firmamentum, subdit, *& tu vouisti ædificare templum, quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Iudæa à Chaldæis.* Omnes vicini Iudæorum, hostili ferè semper animo contra Iudæos fuerunt, ita vt eorum hostibus semper sese adiungerent, vt ignem, vel oleum inijcerent camino flagranti, itaque incendendi templi Nabuchodonosor, & Nabuzardam præceptum dederant, Idumæi verò manum adhibuerunt, & faces. Vnde mercedis etiam loco quædam Iudæorum castella videntur obtinuisse. Vt hoc ipso capite a scriptum est, vbi iubentur à Rege Idumæi relinquere castella, quæ obtinent, Iudæorum. Denique concludit Zorobabel. b *Et nunc hoc est quod à te postulo Domine Rex*, & contendo; hæc est illa, quam abs te peto, magnificentia, ora inquam vt votum persoluas, quod te Regi cœli redditurum ore tuo vouisti.

a v. 50. | b 3. Esdr. 4. 46.

XXIII. *Multiplex Darij in Iudæos gratia.* TVNC *surgens Darius Rex osculatus est illum; & scripsit epistolas ad omnes dispensatores, & Præfectos, & purpuratos, vt deducerent eum, & omnes qui cum illo erant, omnes ascendentes ædificare Ierusalem.* Istæ literæ ad Præfectos locorum dirigebantur, per quæ Iudæi Susis, & Ecbatanis, & Babylone Hierosolymam versus iter facturi erant, vt si quando opus foret, militaria illis præsidia traderent, à quibus tutò deducerentur. Hoc iam primum beneuolentiæ indicium; subditur alterum. *Et omnibus Præfectis, qui erant in Syria, & Phœnice, & Libano scripsit epistolas, vt traherent ligna cedrina à Libano in Ierusalem, & ædificarent cum eis Ierusalem:* Trahi dixit ligna cedrina, quia scilicet ex monte Libano Tyrum vsque deuoluebantur, vbi compingebantur rates, & mari vectabantur vsque in Ioppem portum celeberrimum; inde autem curribus Hierosolymam vsque trahebantur. c Illud quoque notandum est non de solo templo ædificando agi, sed de ipsa quoque ciuitate Ierusalem; ad quam ædificandam voluit Syros & Phœnices esse adiutores. Sed liber in Apocryphis numeratur.

Primum. | *Alterum.* | c Vide 2. Paral. 2. 16.

XXIV. *Tertium beneuolentiæ eiusdem argumentum.* SEQVITVR tertium non beneuolentiæ tantum, sed liberalitatis quoque argumentum. *Et scripsit omnibus Iudæis; qui ascendebant à regno in Iudæam pro libertate*, id est, immunitate à vectigalibus, & id genus oneribus, vt mox sequentia docent: subdit enim, *omnem potentiam, ac magistratum, & præfectum non subiuenire ad ianuas ipsorum*; tributi scilicet causa: & omnem regionem quam obtinuerant immunem esse eis, vt scilicet neque personæ, neque agri quidquam tributi penderent. Huic additur quartum, vt Idumæi è Iudæorum castellis, quæ occupabant decedere cogerentur, siue in ea ipsi sponte sua, quasi à dominis derelicta, siue Chaldæorum consensu inuasissent. Addit Iosephus d idem imperatum Samaritis, & Cœlesyriæ habitatoribus. Quintò verò decreuit vt *in structuram templi per singulos annos viginti talenta de reditibus regis darentur, vsquedum perædificaretur*, id est, ducenta quinquaginta millia aureorum nostratium, si ea talenta auri fuerunt; quod quia neque in textu Græco, neque Latinò, neque à Iosepho exprimitur, de argenteis explicari possunt, etsi Principis beneficium

Quartum. | d l. 11. c. ... | *Quintum. 250000. aur.*

neficium quam amplissimè dicitur interpretandum. Viginti autem argenti talenta efficiunt summam viginti septem millium, & quingentorum aureorum, vel octoginta duorum millium, & quingentorum Francorum.

27500. aur. 82500. Franc. a 1. Esd. 4. 32. 33. &c.

XXV. *Sexto sibi talitur sumptum sacrificiorum.*

SEXTO decreuit *a*, vt in sumptus sacrificiorum, & holocaustorum quotidianorum alia talenta decem Iudæis suppeditarentur, id est, tredecim millia, septingenti, & quinquaginta nostrates aurei nummi, vel Franci triplo plures. In textu Græco habetur Iudæis præceptum esse, vt septenadena quotidie immolarent, vt septendecim non referatur ad talenta, sed ad holocaustomata. Septimo decreuit, vt quoniam omnes Iudæi, tanquam bello capti seruituti additi fuerant, eorumque filij in parentum seruitute nati, ad eosdem dominos pertinebant, omnes libertatem consequerentur. *Et omnibus*, inquit, *qui procedunt à Babylonia condere ciuitatem, vt esset libertas tam ipsis, quam filiis eorum, & omnibus Sacerdotibus, qui procedunt.* Videtur nominatim meminisse exeuntium à Babylonia, quia inde maior pars profectura erat, ad condendam ciuitatem, & templum. Necdum beneficiorum finis.

Septimum.

XXVI. *Alia Darii munificentia in Iudæos.*

OCTAVO *scripsit & quantitatem*, in Græco est, χορηγίαν, quam quidam contributionem, alij sumptum vertunt, estque propriè erogatio sumptuum, quæ fit in ludos choricos: & vniuersè sumitur pro quauis suppeditatione sumptuum, & pro ipsis sumptibus. Scripsit ergo Darius sumptum, *& sacram stolam iussit dari, in qua deseruirent; & Leuitis scripsit Darius præcepta vsque in diem, qua consummabitur domus, & Ierusalem extruetur*: quæ sic Varabl. Perscripsit autem & sumptum, sacrumque sacris obeundis vestitum Leuitis, donec templum absolueretur, & Hierosolyma extrueretur, suppeditandum. Iosephus autem sic. *Ipsis autem iuxta patrias leges sacra facere permisit; & quæ in hunc vsum essent necessaria, sacrasq. vestes, in quibus pontifex, & cæteri sacerdotes rem diuinam faciunt, de suo præberi voluit, nec non etiam organa, quibus Leuitæ sacros hymnos accinunt.* Verum de his organis nulla est in textu mentio. Nono præcepit, vt omnibus custodientibus ciuitatem darentur sortes, id est, prouisiones, & stipendia. Sed eas sortes terræ portiones interpretatus est Iosephus, sic enim habet. *Et custodibus vrbis atque templi certas terrarum portiones assignari iussit, atque in singulos annos pro alimentis certam pecuniam.*

Nonum.

Denique dimisit omnia vasa, quæcumque separauerat Cyrus à Babylonia, & omnia quæcumq; Cyrus edixerat, & ipse præcepit fieri, & mitti Hierosolymam.

XXVII. *Deus in Darium gratus, & remunerator.*

Ex quibus omnibus apparet, quam cumulate optimus princeps votum suum exoluere studuerit. Pro qua eius tam pia, ac propensa in se, populumque suum voluntate, Deus optimus maximus, Deus veritatis, quem ille benedixit, copiosa eum beneficentia remuneratus est, & in primis diuturno sex & triginta annorum imperio.

Ioseph. Darij beneficentiam non fideliter exponit.

Cæterum Iosephus in ista Darij percensenda liberalitate, parum syncere versatus est; multa pro arbitrio addidit, multa detraxit, quæ breuitatis causa prætereo. Illud tamen præterire non possum, quod ait Darium Idumæis, & Samaritis, atque Syriæ cauæ habitatorib. imperasse, vt agros, qui aliquando Iudæorum iuris fuissent, antiquis possessoribus redderent; atque insuper quinquaginta talenta in fabricam templi conferrent; nam in textu tam Græco quam Latino, Idumæorum fit mentio, Samaritanorum, & Syrorum nulla. Illa vero quinquaginta talenta planè vana sunt, è Iosephi cerebro, non ex veritate deprompta; quæ ipse maluit fingere, quam vicena illa talenta annua, ad templi fabricam & dena ad sumptus sacrificiorum, ex Darij munificentia collata, commemorare. Quæ neque gratus animus, neque rei magnitudo taceri volebant.

XXVIII. *Gratiarum actio Zorobabelis, & reditus.*

HÆC omnia cum Zorobabel à Rege munificentissimo impetrasset, ad suos Babylonem versus profectus est; postquam ingenti cum lætitia Deo gratias egisset, vt authori omnis huius fœlicitatis. *Et cum processisset*, inquit, *ille adolescens*, puta Zorobabel, *eleuans faciem in Ierusalem*, id est, versus Ierusalem ad occidentem, *benedixit Regem cœli, & dixit, abs te est victoria, & abs te sapientia, & claritas, & ego seruus tuus sum. Benedictus es, qui dedisti mihi sapientiam, & tibi confitebor Domine Deus patrum nostrorum. Et accepit epistolas, & profectus est in Babyloniam. Et venit, & nunciauit fratribus suis omnibus, qui fuerunt in Babylonia; & benedixerunt Deum patrum suorum, quoniam dedit illis remissionem, & refrigerium, vt ascenderent & ædificarent Ierusalem, & templum, vbi nominatum est nomen eius in ipso, & exultauerunt cum musicis, & lætitia diebus septem.*

XXIX. *Vnà cum maiore populo.*

POSTQVAM dies septem lætitiæ impleti sunt, de profectione cogitandum fuit. Et quoniam multa turba Iudæorum Babylone succreuerat, ab ipsa prima profectione, quæ initio Imperij Cyri contigerat, electi sunt communibus suffragijs principes pagorum, per domos, & tribus suas, & vxores illorum, & filij, & filiæ eorum, & serui, & ancillæ ipsorum, & pecora eorum; vt dicitur in 3. Esdræ. *a Et Darius Rex misit vnà cum eis equites mille, donec deducerent eos in Ierusalem cum pace, & cum musicis, & tum tympanis, & tibiis, & omnes fratres erant ludentes, & fecit eos ascendere simul cum eis.* Ex quib. intelligitur hanc profectionem instar habuisse ouationis, vel triumphi, vt merito conijcere liceat, eos tardius Hierosolymam peruenisse: sub idem scilicet tempus, quo Dominus Aggæum Prophetam, & Zachariam suscitauit, vt vaticinijs clarescerent, & populum ad templi ædificationem incitarent.

a c. 5. v. 2.

XXX. *Aggæus vaticinatur de templi ædificande.*

NAM vt cap. primo Aggæi scriptum est, *in anno secundo Darij Regis, in mense sexto, in die vna mensis*, id est, prima. *factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ*, id est, per Aggæum prophetam. De anno sacro porro loquitur semper Aggæus, qui incipit à Martio, idque probatur ex sequentibus, *b* vbi nono mense nihil apparet, ex quo anni vbertas colligi possit, mense videlicet Nouembri, copiosum tamen prouentum pollicetur. At si de anno prophano ageret, nonus mensis erat maius, quo messis peragebatur. Et sic annum interpretatur Varab. ex Rab. Kimhi, & Ribera, Sà, Tornlel. Factum est autem hoc verbum Domini *ad Zorobabel filium Salathiel ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum dicens, hæc dicit Dominus exercituum; populus iste dicit nondum venit tempus domus Domini ædificandæ?* Cum multis iam annis intermissa fuisset ædificatio templi, simul & multorum zelus, pietasque refrixerant; & ad studium rerum priuatarum conuersi, domos sibi splendidas ædificabant, agriculturam colebant, vineas, agros, olíueta; sed ita vt, Deo minimè operibus ipsorum benedicente, rerum victui necessariarum penuria premerentur, vt suprà significauimus. *c* Quæ fusius Propheta persequitur, atque eius rei causam esse, quod domum Domini deseruissent.

b c. 2. v. 20.

c a. m. 3532. n. 10. & 11.

XXXI. *Eius causa, & occasio.*

HÆC querela domini ad Zorobabelem relata, sine vlla ipsius reprehensione, sed populi duntaxat, tacitè innuit Aggæum diuinitus monitum de statu rerum Iudaicarum in Perside, monuisse populum vt vacarent ædificando templo Domini, illosque neglexisse. Nisi enim præmoniti fuissent, intempestiua videretur tam præsens Prophetæ castigatio, quam præcedens annonæ caritas diuinitus immissa. Reuerso autem Zorobabele Aggæus Domini querelam ad principem populi retulit, qui literis regijs munitus, annuente etiam Aggæo, & dicente ex ore Domini, *ego vobiscum sum*; consurrexit vno animo populus vniuersus ad templum Domini ædificandum. Sequitur enim, *d Et suscitauit Dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel ducis Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedech sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo, & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui, in die vigesima quarta sexti mensis, eiusdem anni secundi.* Nam hæc notatio temporis, quæ initio cap. 2. legitur, ad finem primi pertinet; vt consentiunt omnes antiqui, recentioresque interpretes; quamuis in Hebræis Græcisque codicibus eadem transpositio reperiatur. Ille ergo vigesimus quartus dies sexti mensis, fuit dies primus redintegratæ restaurationis; qua cœpta est parari lapidea, ligneaque materia trium mensium spatio. Nam vigesimo quarto tantum noni mensis iacta sunt fundamenta, super illa priora, quæ Cyri tempore iacta fuerant; vel in alia quapiam templi parte, in qua nondum cœpta fuerant, vt notarunt Emmanuel Sà, *e* & Ribera in Aggæum Prophetam. *f* A Castro autem non putat iacta

d Agg. 1. v. 13. 14.

Redintegratur, templi opus.

e c. 2. v. 1. & 19.

f c. 1. Agg. n. 21.

hoc

hoc tempore vlla fundamenta, sed hanc vult eius loci esse sententiam. Considerate ab hoc die 24. noni mensis superiores omnes annos, exorsi à die, quo cœperũt iaci fundamenta templi, nempe à nouilunio secundi mensis, anni secundi regni Cyri. g Commoda vtrique interpretatione: durum quippe videtur aut nondum iacta tot annis templi fundamenta, aut exædificationem dici templi fundationem.

g 1. Esdræ c. 3. 8.

XXXII. Quomodo reditus Zorobabelis à Dario tacetur.

AT mirum profectò videtur nullam fieri, in hoc reditu Zorobabelis, mentionem regiarum literarum, & singularis illius in Iudæos beneuolentiæ, atque beneficentiæ: imo ne profectionis quidem Zorobabelis, non solum apud Aggæum, & Zachariam, quos facile dicere possemus historicos non agere, sed prophetas; sed ne apud Esdram quidem, a vbi res id maxime videbatur exigere. Nam cum auditum esset à vicinis Regis Persarum præfectis Iudæos ædificare, venerunt ad eos, & quæsierunt, quis eis consilium dedisset, vt domum Dei ædificarent, & muros eius instaurarent. Quibus cum illi vno verbo satisfacere potuissent, regias eis literas exhibendo; imo reddere oportuisset, quæ ad eos dirigebantur. Illi tamen responderunt, quæ essent nomina hominum authorum ædificationis illius. a Verum per hæc nomina authorum, ædificationis nõ male intelligi possunt, tam Darius Rex, quam principes Persarum, qui ei erant à consilio. Quin etiam illa verba Aggæi. b *Et dixit Aggæus nuncius Domini, de nuncijs Domini populo dicens; Ego vobiscum sum, dicit Dominus,* de Zorobabele & socijs eius accipi possunt; qui nuncij Domini dici possunt, quia bonum nuncium de domo Domini ædificanda attulerunt populo Domini, quibuscum ædificaturis Dominus se fore pollicebatur. Nec alienum est illud, quod in Hebræo nunc legitur; *dixit Aggæus nuncius Domini, de legatione Domini.* Iuit enim Zorobabel ad Darium quasi delegatus à populo suo, ad impetrandam à nouo Rege templi ædificationem. Sed hæc omnia & mox Darij literæ, quæ mox, capite 6. c referuntur, vt dicemus anno sequenti.

a 1. Esd. c. 4. v. 3.

a Qu'on auoit bons garents.

b c. 1. 13.

c 1. Esd. c. 6.

Agg. 11. 19.

XXXIII. Præfecti Darij Iudæos adeunt.

d 1. Esd 5. 3. et 1. c 6. & in 3. Esd. ca. 6. vnde Iosephus l. 11. c. 4.

CVM ergo Iudæi ædificare cœpissent sub finem noni mensis, aliquãto post venit Thathanai, qui erat dux trans flumen, & Stharbuzanai, & consiliarij eorum, vt dicitur in 1. Esd. ca. 5. d Et habetur in textu e Græco. Vbi vocantur Sisennes subregulus Syriæ, & Phœnicis, & Strabuzanes. Hi ergo venerunt cum alijs Syriç, & Phœnicis Præsidibus socijs suis, qui dixerunt eis. *Quo præcipiente vobis domum hanc ædificatis, & tectum istud, & alia omnia perficitis?* quod Iosephus in alium sensum trahit, vt potius de modo ædificij, quam de ædificatione inquirere videantur. *Rogauerunt,* inquit, *Iudæorum Principes, cuius permissu templum sic ædificarent, vt arx potius, quam fanum existimari posset; & cur tam firmis mœnibus, & porticibus vrbem cinxissent;* sed hæc non sunt consentanea textui citato, in quo nulla est vrbis mentio; neque humilitati templi, de qua mox ex Aggæo dicemus, imo ex Iosepho ipso. Quid autem responsum fuerit, in epistola ad Darium missa, quam modo referemus, continetur. Hic tantum dicitur oculum Domini, id est, diuinam prouidentiam, & fauorem propitium fuisse Iudæis, vt non prohiberentur ab ædificatione, donec nouum à Dario responsum acciperetur, sed vt nihilominus pergere permitterentur. Regiorum porro Præfectorum epistola ad Darium fuit huiusmodi.

Nec impediunt ædificationem.

f 1. Esd. c. 5. v. 8.

XXXIV. Sed Regem mouent.

DARIO *Regi pax omnis.* f *Notum sit Regi isse nos ad Iudæam prouinciam, ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito, & ligna ponuntur in parietibus; opusque illud diligenter extruitur, & crescit in manibus eorum.* In textu Hebræo legitur, ædificatum de lapidibus ingentibus, aut etiam marmoreis, vt alij vertunt, vocem ילל ielal. In Græco διὰ λίθων ξυστῶν πολυτελῶν, id est, ex lapidibus politis, preciosis, magnificis. Certiorem tamen esse lectionem vulgatam, quæ etiam repetitur cap. sequent. h colligimus ex Aggæo, quæ prophetia ad hunc ipsum annum, & septimum eius mensem pertinet, vt idem Propheta testatur: i vbi iussu Dei alloquitur eos, qui priorem domũ extructam à Salomone viderant, & nunc eam videbant, quæ construebatur, quibus hæc videbatur cõtemptibilis, & nihili præ illa. *Quis in vobis est derelictus,* inquit, *qui vidit domum istam in gloria sua prima: & quid vos videtis hanc nunc? Nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?* Chald. quasi res nihili? & eandem sententiam Hebræa, & Græca, & Latina omnia exprimunt.

g c. 2. v. 3. & 4.

h v. 4.

i c. 2. v. 2.

Humilitas præsentis templi ætate.

XXXV. Ex Iosepho. Promissio Christi.

k l. 11. c. 4.

IOSEPHVS quoque k *Sacerdotes,* inquit, *& Leuitæ, cognationumque principes ætate prouectiores, qui & illud prius templum videre meminerant magnum, & opulentum, & hoc recens pro præsentium fortunarum tenuitate, deterius fieri animaduertebant, reputantes quantum ab illa prisca fœlicitate abesset, oborta inde mœstitia, temperare à lacrymis non poterant. Vulgus autem contentum erat præsenti templo; & quod nulla priorum temporum comparatione seipsum cruciabat, nec vllum detrimentum factum quibat animaduertere.* Et nihilominus hortatur Dominus per Prophetam, Zorobabelem principem populi, & Iesum Pontificem, vt constanter promoueant opus inchoatum, & custodiant legem Domini, spondens se redditurum hanc domum gloriosiorem priore; propterea quod eam glorificaturus esset is, qui est *desideratus cunctis gentibus.* Sed placet ipsum audire Prophetam: *Nolite timere; quia hæc dicit Dominus exercituum, adhuc vnum modicum est.* Id tempus definit Vatablus trecentis annis; nimium vtrique timide; ducentis enim & viginti annis à vero distat. Quingenti autem & viginti anni modicum quid sunt, ad ter mille, quingentos & triginta tres; à quorum initio promissus est ille idem, qui promittitur hodie.

Agg. 2. 7. 8.

XXXVI. In quo posita est gloria secundi templi.

PERGIT autem Propheta. *Et ego commouebo cælum, & terram, mare, & aridam;* id est, vt statim explicat, omnes mundi nationes, tanti mysterij nouitate, atque admiratione commouebo, cum eis annunciabitur aduentus eius, qui est desideratus cunctis gentibus, per quem implebo domum istam gloria. Is enim eam præsentia sua corporea sanctificaturus est; doctrina, & miraculis illustraturus, & redditurus Salomonica multis partibus gloriosiorem. Illa enim auro & argento clarescebat, hæc æterna Dei sapientia, cuius est omne aurum, atque argentum; & sacrosancta eius humanitate gloriari poterit, quibus nihil habet gloriosius empyreum ipsum cœlum. Et cum marmorei lapides, & columnæ æneæ, & conuestiti argento, atq; auro parietes, & lapilli fulgurantes, & exquisitissimum totius structuræ, candelabrorum, mensarum, altarium, vasorum omnium artificium, templis idolorum communia esse possint, & hæc ipsa vasa, domum dei Babyloniorum exornarint: a quin etiam ipsa arca Dei, qua nihil erat tunc in toto orbe terrarum sanctius, & qua vna nihil habebat templum Salomonis augustius, etiam in templo Dagonis, & in regione Philisthinorum septem mensibus prophanata fuerit: b *Desideratus* hic *cunctis gentibus,* in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, tantum ornamentum isti templo afferet, vt eo nihil magnificentius, aut diuinius possit excogitari: cuius etiam intaminata sanctitas verissimam cunctis mortalibus, qui sunt templum sanctum Dei, conferet sanctitatem.

a Dan. 1. 2. 1. Esd. 1. 14.

b 1. Reg. 6. 1

XXXVII. Quod dicitur, fuisque venera nouissimum.

CÆTERVM perspicuum est ex ipso textu, Aggæum promittere isti domui, quæ à Zorobabele ædificabatur, incomparabilem illam gloriam, quæ in eam ex præsentia Christi Domini redundabat, idque verba illa necessario exigunt, *magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ,* quæ digito demonstrant ædem, quæ ædificabatur, & eam nouissimam pronunciant; eaque est communissima Doctorum sententia; Et ratio ipsa docet superfluam esse mentionem Christi Domini, ex quo gloria ista dependeat; si gloria hæc ex ipso ædificio peti debet, etiamsi nunquam Christus Dominus in illud fuisset ingressus. Nonnulli tamen secuti Iosephum, templum in quo Christus versatus est, non Zorobabelis, sed Herodis esse contendunt, qui templum Zorobabelis è fundamentis eruerit, & nouum Salomonico magnificentius excitarit. Eam sententiam tuetur Torniel. c cum Ribera, d quem refellit studiose Villalp. l. 2. in Ezech. e & Christophorus à Castro in c. 2. Aggæi: qua de re in decimo quinto anno Herodis dicendum erit, nunc ad literas præfectorum Darij redeamus.

Templum Herodis non improbatur.

c Ann. 37 6 vt. n. 4

d in c. 2. Aggæi.

e Disp. 4. c 77. & seqq

INTERROGAVIMVS *ergo*, inquiunt, *senes illos, & ita diximus eis; Quis dedit vobis potestatem, vt domū hanc ædificaretis, & muros hos instauraretis? Sed & nomina eorum quæsiuimus ab eis, vt nunciaremus tibi; scripsimusque nomina eorum virorum, qui sunt principes in eis.* Subdunt deinde longiorem responsionem; quæ innuit nouos fuisse hos Persarum Præsides; Addunt & primam Cyri permissionem Zorobabeli factam, qua ille munitus *venit*, inquit, *& posuit fundamenta templi in Ierusalem; & ex eo tempore vsque nunc ædificatur, & necdum completum est.* Iam supra non semel diximus tenera intermissam fuisse templi ædificationem. g Istos autem Præfectos vti aliqua amplificatione, quæ causæ faueat. Facilius enim conceditur, vt aliquid immodum inchoatum, quodque continenter promotum est, absoluatur, quam vt recens inchoëtur. Id enim innuunt illa verba, *& necdum completum est.* Vnde nec prohibitionis Cambysis meminerunt, sed tantum iussionis Cyri patris eius. Arbitror autem istos Præfectos nequaquam de Darij voluntate in hoc negotio dubitasse, cuius literas à Zorobabele accepissent, vt ratio postulat; sed politica prudentia etiam Cutheis hostibus Iudæorum nonnihil gratificari voluisse; vt hac de re tota ad Darium scriberent; sed tamen, in gratiam Iudæorum ita scriberent, vt eorum causæ fauerent potius, quam nocerent. Conclusio epistolæ hæc fuit.

XXXIX. Conclusio epistolæ. NVNC *ergo si videtur Regi bonum, recenseat in bibliotheca Regis, quæ est in Babylone, vtrumnam à Cyro Rege iussum fuerit, vt ædificaretur domus Dei in Ierusalem; & voluntatem Regis super hac re mittat ad nos.* Sic ipsi, in quo Iudæis manifestè fauent; simulant enim se ignorare Cyri decretum, de quo apertè constabat, quod vnum, causam Iudæorum valde tuebatur. Nec improbabilis est ignorantia, ab eo enim tempore jam septemdecim anni abierant, & Rex quartus iam regnabat. Cæterum cum extremo anno hæc scripta fuerint, videtur responsio ad sequentem omnino pertinere. Nam & via longinqua erat, vsque in Persidem, & Babylonem, & Mediam, nihilque erat quod missionem vrgeret, cum nihilominus interea vrgeretur ædificatio.

XL. Iosephus hanc historiam deprauat. FINGIT Iosephus alias literas, Samaritanorum ad Darium accusantium Iudæos, quod vrbem munirent, templumque arcei quam fano similius extruerent, asseuerantes non esse hoc in rem Regis. & ostendentes Cambysis epistolam, per quam eam ædificationem impediuerat. Sed harum literarum nulla est omnino mentio in vllis libris Esdræ, Hebræis, Græcis, vel Latinis. Nec vera est illa fani magnificentia; quam Iudæi *a* quasi rem nihili ducebant, vt paulo ante diximus. *b* De Cambyse autem nihil Dario significatum fuisse, ex eo colligi potest, quod in eius responsione ampla fit decreti Cyri mentio, Cambysis nullum verbum. At si obiectum fuisset Cambysis rescriptum, posteriores Darij literæ, ei vtique apertè derogassent.

XLI. Vaticiniorum Zachariæ ordo meminisse huius temporis. DVM à sexto mense vsque ad nonum paratur templi materia, vt dixi, *c mense octauo factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ. d* De quo antequam dicamus, non inutile fuerit considerare, quam crebra fuerint hoc anno diuina oracula. Primum fuit sexto mense die primo apud Aggæum. *e* Secundum die vigesimo quarto mensis eiusdem. *f* Tertium septimo mense vigesima prima mensis. *g* Quartum octauo mense apud Zachariam. *h* Quintum mense nono, die vigesimo quarto apud Aggæum. *i* Sextum eodem mense, & die. *k* Septimum mense vndecimo, die vigesimo quarto, apud Zachar. *l* Vbi nominatim fit mentio secundi anni Darij, sicut & in c. 1. 4. 5. In quarto igitur vaticinio hortatur Zacharias Iudæos, vt qui diutius iratum Dominum experti essent, in Patrum suorum, & falsorum Prophetarum castigatione, nunc ad illum, cum incipit fieri placatior, serio conuertantur: eorum quoque exemplo, qui Prophetis Dei obtemperarunt, & diuinæ iustitiæ erga se æquitatem agnouerunt.

XLII. Quintum & sextum vaticinium. QVINTVM vaticinium noni mensis eò refertur, vt intelligat populus sacrificia, quæ Deo oblata fuerunt, nō fuisse illi accepta, quandiu templi ædificationem negligebant. Cum enim ipsi ex hac negligentia polluti essent, eorum quoque opera polluta à Deo censebantur; tantum abest, vt ab eis sanctificari possent. Deinceps autem spondet omnium terræ frugum vbertatem, in testimonium Deo acceptæ structuræ templi.

Sextum eodem ipso vigesimo quarto die noni mensis, vbi Aggæus finem imponens prophetiæ suæ, de Christo venturo sub nomine Zorobabelis, qui fuit vnus de progenitoribus eius, vaticinatur; eius scilicet regnum cæteris corruentibus sempiternum fore, vtpote à Deo singulari cura conseruatum, quasi annulum signatorium in manu sua. Neque enim ista Zorobabelis personæ conueniunt, sed ei, de quo Daniel nō ita pridem dixerat. *Regnum eius regnum sempiternum, & potestas eius in generationem, & generationem.* Dan. 3. 100.

XLIII. Vaticinium septimum. POSTREMVM editum est in die vigesimo quarto vndecimi mensis, quod duas visiones continet; alteram equitis stantis inter Myrtos, id est, Angeli conquerentis apud Dominum de diuturnitate afflictionum Iudæorum; cui respondit Dominus *verba consolatoria*, de templo, & ciuitate iterum ædificanda. *Reuertar*, ait Dominus, *ad Ierusalem in misericordiis, & domus mea ædificabitur in ea, & perpendiculum extendetur super Ierusalem*, vt à latomis fieri solet, & architectis. At, inquies, quid promittit Dominus futura, quæ iam præsentia erant? Nam à duobus iam mensibus templum ædificabatur, & quidem summa diligentia. Sic enim ait Iosephus. *m Iudæis autem sollicitis, & metuentibus, ne Regem pœniteret iussisse reparari Hierosolyma, duo Prophetæ, qui tum erant in populo, Aggæus & Zacharias bono animo eos esse iubebant, nec à Persis quicquam timere, quandoquidem ipsi compertam haberent, super hac re, Dei voluntatem: quibus creden. populus assiduus erat in opere, nulla die id intermittens.* Deinde quomodo, ait Angelus, *Domine exercituum vsquequo tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est*, cum septimus sit supra octogesimum.

XLIV. Iacunfis obiectio. PRIORI dubitationi facile satisfieri potest, dicendo Deum promittere hanc ædificationem non interruptum iri, sicut priorem; sed ad suam perfectionem, & consummationem deducendam esse, quod & factum est. Quamquam ædificatio hæc de futurorum bonorum affluentia sumi potest, sicut cum *a* dicitur Dominus ædificasse obstetricibus domos. Et in hoc ipso Zachariæ loco, ita sumi posse confirmant verba sequentia, *Adhuc*, inquit, *affluent ciuitates meæ bonis, & consolabitur adhuc Dominus Sion; & eliget adhuc Ierusalem.* Quod ad septuagesimum annum attinet, iam alio loco diximus, non significari ab angelo hunc annum præcisè esse septuagesimū, vt ex Hebræo patet, in quo est, *iratus es iam septuaginta annos*, non significans quamdudum illi elapsi essent, à quo Ierusalem, & vrbes Iudæ desolatæ erant, sed quasi conquerendo dici eum iamdudum elapsum esse; cùm tamen 70 annorum spatium desolatione definitum esset. Itaque tempus esse miserendi eius. Hanc expositionem, quæ grauium virorum est, quia Torniellus non admittit, cogitur excogitare initium istorum annorum à vigesimo quarto regni Nabuchodonosoris: cum tamen iam ab eiusdem Regis decimo nono inchoata esset desolatio, & illo trigesimo quarto anno nihil Iudæis insigne contigerit. Vide quæ diximus, in fine anni 34. Nabuchodonosoris. Quamquam iam ab ipso primo anno Cyri, quo finita erat septuagenaria calamitas, & templum, & ciuitas reparari quoquo modo, & habitari cœperant. Iudæi autem ad pristinum vtriusq; splendorem suspirabant, sicut & Angelus eorum protector, qui eorum personam sustinebat.

XLV. Zachariæ alia vaticinia. ALTERA fuit visio Zachariæ de quatuor cornibus, & quatuor fabris, qui ea summouturi erant; quibus aduersarij Iudæorum, à quibus à quatuor cœli plagis afflicti fuerant, designantur & Iudæorum protectores, & defensores Angeli.

Inde ca. 2. & reliquis vsque ad septimum, sine vlla temporis designatione, prophetiæ de futura Ecclesiæ fœlicitate sub typo Ierusalem, de Christo venturo, de fructu passionis eius, de Iudæorū excæcatione, de Antichristo, &

Christi

Marginalia (left): g Ve pater ex 1. Esd. 4 fin. & 5. Esd. 2. fin. & apud 70. 1. d. 2. fin — a c. 2. Aggæi, v. 4 — b n. 38. — c n. 1. — d Zach. 1. 1. — e c. 1. v. 1. — f cap. 2. 1. — g c. 2. 2. — h c. 1. v. 1. — i c. 2. 18. 19. — k ibid. v. 21. — l c. 1. 7.

Marginalia (right): m Iudæa ant. l. 11. c. 2. — a Exo. 1. 21. — Septuagesimus annus Zachariæ 1. — non probatur Torniello.

Christi regno alijque subinde congeruntur: quæ cum meræ prophetiæ sint, ad nostrum iam tutum hactenus pertinent, vt dicamus eas ab extremo anno secundo Darij, vsque ad eiusdem annum quartum contigisse.

XLVI. *Defectio Babylonis a Persis.*

NON differam vltre hunc annum initium expeditionis Darij contra rebellantem Babylonem; Herodotum secutus, qui licet annum inchoati belli non nominet, initio tamen regni Darij gestum esse non obscure demonstrat. *Nam quandiu*, inquit, *Magus imperauit, & septem coniurati rem aggrediuntur, per hoc omne tempus, & per occasionem rerum turbatarum Babylonij se ad ferendam obsidionem instruxerunt, & in hoc apparandu vsque latuerunt*, consilium scilicet defectionis dissimulantes, dum se modis omnibus paratos ad bellum viderent. Tum demum aperte à Persis desciscunt. Matres deinde vrbe expellunt, *b* mulierem vnam, quam sibi quisque voluit è domesticis, delegit, & hanc ad panem sibi faciendum, cæteras in vnum contractas strangulant, ne illæ rem frumentariam ipsorum absumant. His rebus cognitis Darius aduersus eos, contractis omnibus copijs, contendit. Ita Herodotus, barbarum referens facinus, quod illi postmodum in patibulo pependerunt.

Crudele facinus Babyloniorum. *b l. 3. p. 96. & 97. gra.*

XLVII. *Obsidetur à Dario.*

BABYLONIORVM ergo apparatus, & dissimulatio vltimum annum Cambysis, & Magi menses, & primum Darij annum tenere potuit, secundo autem aperta manifestata est. Expulsæ enim matres, rem vbique, vt assolet, quiritando declamarunt. Accesserunt negationes tributorum, præsidiariorum militum, & magistratus Persiæ cædes, & alia id genus, quæ à rebellantibus vrbibus fieri solent. Cum esset autem magni momenti hæc ciuitas, & quæ alijs exemplo esse posset defectionis, existimo Darium hoc statim anno exercitum contra Babylonios duxisse, quos vigesimo demum mense sibi subiugauit, vt tradit Herodotus, & nos sequenti anno dicemus. Quantum autem illi munitionibus suis, & rebus omnibus necessarijs, ad diutissime tolerandam obsidionem instructi essent, ex eo patet, quod licet se obsidione cinctos viderent ab ipsomet Imperatore Persarum cum innumeris copijs; illi tamen conscensis propugnaculis, tripudiare, probra ingerere Dario atque eius exercitui non dubitarunt; quorum quidam, ita inquit, *Quid istic desidetis Persæ? Quin potius abscedistis? tunc expugnaturi nos cum mula pepererit?*

XLVIII. *Finis belli Gabini.*

HOC anno bellum in Italia Gabinos inter, & Romanos finitum est. Hic enim est annus septimus, ad quem vsque illud fuisse productum scripsit Dionysius l. 4. ex quo eiusdem finem compendio referemus. Quod in diuturnis, inquit, bellis solet, tum quoque accidit, vt dum continuis hostium irruptionibus agri vastantur, nec vllos fructus ferunt, ambo populi annonæ penuria laborarent, nec in futurum spes esset melior. Maior tamen caritas Romæ, quam Gabijs fuit, qua pressi pauperes clamitabant, componendam esse cum Gabinis pacem, & bellum quibuscumque conditionibus finiendum. Quamobrem cum anxius Tarquinius esset, qui neque ignominiosam pacem admittere vellet, neque longiores belli moras sustinere valeret: Sextus eius filius insignem fraudem, solo patre conscio, & cooperante commentus est, qua Gabinorum Dominus factus est.

XLIX. *Fraus Tarquiniorum.*

FINGIT se offendisse patrem, quod bellum finiendum contenderat, virgisque in foro à patre cæsus, quo laruas sa fatis spargeret, & alijs contumelijs affectus, primum fidelissimos amicorum sub transfugarum specie ad Gabinos misit, qui clam indicarent velle eum ad ipsos transire, & contra patrem bellum gerere, si fidem ab illis acciperet, sicut cæteri Romani exules, eos nunquam in Tarquinij potestatem eum traditurus. Quæ cum Gabinij probassent, ac promisissent, venit ad eos Sextus Tarquinius magnum secum trahens amicorum transfugarum, magnum etiam auri & argenti numerum; qui etiam auctus est postmodum, plerisque alijs tyrannidem se fugere dictitantibus. Cumque iam validam apud se haberet manum, excurrebat quotidie in agrum Romanum, vnde multam referebat prædam, patre clanculum colludente; qui cum præsciret, in quæ illa loca esset irrupturus; præsidia nudabat, & eo mittebat, quos ab illo vellet necari. Atque ita ab omnibus amicus fidus, & dux egregius habitus, redemptus etiam nonnullorum fauoribus, Imperator Gabiniorum eligitur.

Sex. Tarq. ... transfugit ad Gabinos ... dux eligitur.

L. *Patris ... Gabinos ...*

QVOD cum ille patri denunciasset, ab eo etiam didicit, quid facto opus esset; præcipua scilicet hostium capita, sicut ille coram nuncio summa papauera decerpserat, esse præcidenda. Id consilium videtur tyrannus hic Romanorum à Thrasybulo Mileti tyranno didicisse, vixit is iuxta Eusebium regnante Anco Martio 4. Roman. Rege. Cum enim Periander, vt refert Herodotus, *a* missu præcone Thrasybulum interrogasset, qua ratione suis ipse rebus optime consuleret, suamque ciuitatem administraret, ille præconem foras aductum spectatorem habuit, dum segetem inambulans, optimam quamque spicam, & inter alias eminentem detruncat, atque abijcit; ex quo didicit Periander, quid sibi esset in sua ciuitate faciendum. Tacitum ergo patris consilium, Sextus tali patre dignus filius, per summam improbitatem egregiè præstitit. Nam composita in Antistium Petronem de proditione calumnia, quasi & cum Rege Tarquinio conuenisset, de Sexto in manus eius tradendo, eaque fictis literis comprobata, lapidibus obruendum populo præbuit. Quin & in cæteros consilij socios inquisitionem, & animaduersionem infœlices Gabini Sexto commiserunt. Ille amicis tradita portarum custodia, ne qui reorum possent effugere, missis ad illustriorum domos satellitibus, multos fortes viros de medio sustulit.

a l. 5. *Prim. Gra. ... Periander.*

LI. *Tarquinio Rex Gabijs potitur.*

INTERIM tumultu Gabijs exorto, Tarquinius per literas monitus, cum exercitu iter ingressus, intempesta nocte in vrbem admissus est, eaque potitus præter omnem ciuium, minime hostiliter se gessit; sed omnibus & vitam, & bona sua conseruauit, vt eo beneficio illi populo Romano fideles essent. Quin etiam scripto fœdera, eos in fidem, & amicitiam Romanorum recepit. His ita gestis, Sexto Gabinis Rege imposito, reduxit exercitum. Atque hunc finem habuit bellum Gabinum.

Et fœdus ... cum eisdem.

ANNVS MVNDI 3534. SEXTÆ ÆTAtis 18. Solutæ captiuitatis 18. Darij Hystaspis 3. Imperij Persici 18 Zorobabelis & Iosue 18. Olymp. LXV. An. 1. Vrb. cond. 233. Tarquin. Superb. 14.

ANNVS ANTE CHRISTVM 519.

HOc anno *a* rescripsit Darius Rex Præsidibus Syriæ, & Phœnicis de causa Iudæorum. Neque enim ante hunc annum responsio vel facta, vel reddita esse potuit, vt iam superiore anno probauimus. Iis ergo literis acceptis, iussit Darius perquiri *in bibliotheca librorum*, siue scripturarum regiarum, & thesaurorum, *qui repositi erant in Babylone*, decretum Cyri in gratiam Iudæorum aditum. Babylonem possumus interpretari arcem aliquam regiam in Babylonia sitam, ne Herodoti chronologiam, quæ fert hoc tempore obsessam Babylonem, desererecogamur. Nisi potius placet eam perquisitionem sub anni finem, recepta iam vrbe, esse factam. Cum ergo decretum Cyri ibi non esset inuentum; quæsitum, & *inuentum est in Ecbatanis, quod est castrum in Medena prouincia*. Ita fere in vulgatis, & Græco, & in tertio *b* Esdræ. Quidam tamen vocem Hebræam Ahmatha, non Ecbatanam oppidum, sed *scrinium* scripturarum verterunt, vt Montanus in bibliis regiis, & Vatabl. Pagninus, *Lagenam*. In eo ergo scrinio bibliothecæ Ecbatanicæ inuentum est volumen vnum; talisque scriptus erat in eo commentarius.

a ... *b c. 6. v. ...*

ANNO *primo Cyri Regis: Cyrus Rex decreuit, vt domus Dei ædificaretur, quæ est in Ierusalem, in loco vbi immolent hostias; & vt ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta, ordines de lapidibus impolitis tres, & sic ordines de lignis*

1. ... Esd. ...

no ni: sumptus autem de domo Regis dabuntur. Ex his quoque literis apparet quanto ignobilior esset hæc domus priore. Quamuis enim in vtraque triplex futura esset contignatio, prior tamen domus erigebatur ad altitudinem nonaginta cubitorum, porticus autem adhærens templo ad 120. vt alibi ex Script. cum Villalp. diximus: hæc autem non debebat assurgere vltra sexaginta cubitos: nisi forte Iudæi magnificentiora proprijs sumptibus molirentur. Sed mirum est latitudinem dici cubitorum sexaginta. Nam c ex scriptura constat templum viginti tantum cubitos latitudinis habuisse, longitudinem autem sexaginta. Itaque vt notauit Sà, quidam nomine latitudinis intelligunt latitudinem areæ, in qua accipiebatur longitudo templi. Lyranus latitudinem pro longitudine positam putat. De lapidibus impolitis iam supra diximus.

c 3. Reg. 6. & al. 3.

III. Reddi autem vasa... PERGIT in decreto Cyrus, *sed et & vasa templi Dei aurea, & argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo Ierusalem, & attulerat ea in Babylonem, reddantur, & referantur in templum, in Ierusalem, in locum suum, quæ & posita sunt in templo Dei*; siue, sermone ad Zorobabelem conuerso, *quæ & ponito in templo Dei*, iuxta Hebræum, vt iam supra notatum est. Hactenus Cyrus. Cætera Darius, quæ Iosephus e memoria, aut imprudentia lapsus, non recte Cyro attribuit. Ait ergo Darius, *nunc ergo Thatanai dux regionis, quæ est trans flumen*, accipi id potest non solum de Euphrate, sed etiam de Iordane: nam trans vtrumque habitabant hi Persarum Præfecti) *Stharbuzanai & consiliarij vestri Apharsachai, qui estis trans flumen, procul recedite ab illis, & dimittite fieri templum Dei illud a duce Iudæorum, & à senioribus eorum, vt domum Dei ædificent in loco suo.*

e l. 11. c. 4. & 5.

IV. SED *à me præceptum est*; vtique in literis, quas secum tulit Zorobabel, cum secundo venit in Iudæam, alioqui enim nusquam apparet vbi, aut quando hoc præceperit Darius, *præceptum*, inquam, *est quid oporteat fieri à Presbyteris Iudæorum illis, vt ædificetur domus Dei, scilicet vt de arca regis, id est, de tributis, quæ dantur de regione trans flumen studiosè sumptus dentur viris illis, ne impediatur opus. Quod si necesse fuerit, & vitulos, & agnos, & hædos, in holocaustum Deo cœli, frumentum, sal, vinum, & oleum, secundum ritum sacerdotum, qui sunt in Ierusalem, detur eis per singulos dies, ne sit aliqua querimonia. Et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita Regis, & filiorum eius*: Erant autem Dario, iam antequam regnaret, liberi tres, è priore vxore Gobriæ filia Suscepti. Euectus autem in regnum, alios quatuor genuit ex Atossa Cyri filia. Superiorum natu maximus erat Artabazanes, posteriorum Xerxes, vt ait Herodotus init. l. 7.

Liberi Darij è duabus vxoribus.

V. Pœnam decernit impedientibus. ET quoniam intelligebat Darius improbitatem, & odium Samaritanum in Iudæos, & cacozeliam in templi, vel vrbis extructione impedienda; & fortasse etiam magistratuum illorum in priore Darij decreto dissimulando, eos apposita pœnæ magnitudine deterret his verbis. *A me ergo positum est decretum, vt omnis homo, qui hanc mutauerit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo; domus autem eius publicetur. Deus autem, qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna & populum, qui extenderit manum suam vt repugnet, & dissipet domum Dei illam, quæ est in Ierusalem. Ego Darius statui decretum, quod studiosè impleri volo.*

VI. Iosephi lapsus. LAPSVS autem Iosephi, quem dixi, aperte patet. Nam Cyri decretum recitando, illud ita concludit. *Quicumque autem contra mandatum hoc facere ausus fuerit, is vt comprehensus in crucem agatur, & facultates eius fisco addicantur.* Addit ipse; *Insuper etiam addita erat execratio, vt quicumque eius templi ædificationem vetare voluerit, Deus eum feriat, atque hoc modo iniquitatem eius cohibeat. Hæc cum Darius in Cyri commentarijs inuenisset, rescripsit Sisini, & collegis eius hoc modo. Rex Darius Sisini magistro equitum, & Sarabazani, cæterisque magistratibus, salutem. Mitto ad vos exemplar epistolæ Cyri, quam ipsius in commentarijs inueni, voloque vt omnia fiant, quemadmodum in ea continentur. Valete.* Quis non admiretur hic Iosephi in tractandis sacris literis fidem? Vt enim minutiora, cæteraque omittam, duas epistolas, quarum altera octodecim annis ante aliam scripta fuerat, & à diuersis Regibus editæ erant, in vnam consarcinat, & nouam alteram totam è suo cerebro exsculpit; & tamen palam profitetur, & scribit, se tantum hebraicorum voluminum in græcam linguam interpretem, & quæ illic continentur, bona fide referre, nec addentem quidquam de suo, nec auferentem etiam. Quis huius hominis, cum impune errare potest, aut fallere, fidem sacrosanctam puter? Cæterum ne austeriores nos arbitretis, amice lector, qui pro eadem culpa Iosephum bis castigemus, ea gemina est, duorum enim summorum principum decreta corrupit, & bis lectorem fefellit.

Decretum in quo epistolas duas in vnum conflat.

RESCRIPTVM DARII PRO IVDÆIS. a l. 10 c. 11

VII. Vaticinia Zachariæ. REFERT ad hunc tertium Darij annum Zachariæ vaticinium, quinto eius capite comprehensum, Christophorus b à Castro: in quo volumen maledictionis, & amphora punitionis in terram Sennaar, quæ est Babylon, defertur. Quod apte, ac congrue in hunc annum cadit. Quin etiam quadrigæ sexti capitis, & nominatim equi nigri huc pertinent. Nam, interprete Hieronymo, & Theodoreto, equi nigri, qui egrediebantur in terram Aquilonis, Angeli sunt furibundi, & vltores missi contra Babylonem, exitium illi allaturi. Confirmatur autem ratio temporis, quoniam, quæ cap. 7. sequenti subduntur, notam habent quarti anni Darij: quatuor autem priora capita, ad annum secundum eiusdem Darij pertinent, iuxta eiusdem Christophori Chronotaxim. Cui sententiæ non parum lucis, & firmitatis affertur ex Herodoto. Nam iuxta ea quæ superiore anno de re Babylonica posita sunt.

b l. 4. de Proph. c. 1.

VIII. Babylonis expugnatio. SVB huius anni finem, vigesimo mense, ab obsidionis initio mirabili Zopyri fraude Babylon in Darij potestatem deuenit, vt tradit Herodotus sub finem libri tertij. Anno, inquit, ac septem mensibus in obsidione consumptis, iam Darium, atque vniuersum exercitum tædere cœpit, quod Babylonios expugnare non posset: etsi aduersus illos omnia machinamenta, atque omnes insidias expertum; cum alias, tum illas, quibus eos Cyrus expugnarat. Omnia hæc frustra fuerunt, quia Babylonij vehementer excubijs incumbebant. Denique vigesimo quam circumuallati sunt mense, Zopyro Megabyzi filio vnius è septem, qui magum Smerdem sustulerant, hoc contigit portentum, vt quædam mularum eius, quæ frumentum subuectabant, pareret. Quod ei renunciatum cum non crederet, ipse fœtum inspicere voluit. Eo viso vetuit seruos cuiquam rem aperire, reputans illius Babylonij verba, quæ inter initia dixisset, c postquam mula pareret fore vt muri expugnarentur. Visum est igitur Zopyro aduenisse fatale tempus, quo Babylon expugnaretur; diuino enim numine, & illum locutum, & suam mulam esse enixam, sibique tam gloriosum opus esse destinatum.

Mula parit.

c An. Dñi 2. n. 47.

IX. Zopyri in eam rem facinus. ITAQVE consilio apud se capto, se illi negotio suffecturum, si, seipsum cum mutilasset, ad hostes transfugeret; sese deformissima mutilatione affecit; nares quippe sibi, auriculasq; præcidit, comam deformiter circumtondit, & se flagris cecidit, atque ita ad Darium perrexit. Quem ille virum spectatissimum sic truncatum intuens, adeo grauiter tulit, vt exiliens è solio exclamaret interrogando, quis eum, quodue ob facinus mutilasset. Ad eum respondens Zopyrus. *Nemo*, inquit, *præter te, ô Rex, cuius est tanta potentia, ita me mutilare potuisset inuitum. At ego ipse id in me ausus sum, quippe qui indigno animo fero Assyrios Persis illudere*: Cui Rex, *ô virorum miserrime, nunquid te tam fœde mutilato, protinus hostes deditionem facient?* Zopyrus autem, *si tecum*, inquit, *communicassem, quæ eram facturus, tu me non permisisses; nunc memet ego adhibens in consilium, id feci.*

X. Et consilium... ITAQVE iam Babylonem capiemus, nisi per tuos steterit. Ego enim ita deformatus, ad muros vt transfuga fugiam, dicamque ad illos, me hæc abs te esse passum; & vt opinor, ex hoc corporis habitu fidem eis faciens, consequar exercitus præfecturam. At tu decimo die quam muros fuero ingressus, mille milites ex eo genere, cuius amissione nihil admodum damni fiat, colloca aduersus portam, quæ vocatur Semiramidis. Rursus interiectis septem diebus, colloca duo millia ad portas, quæ dicuntur Niniorum.

tum. Atque tertio, viginti diebus interiectis, è regione portarum, quæ dicuntur Chalcidensium, alios statue, numero quatuor millia; dum neque priores, neque posteriores habeant, quo se defendant, præter gladios. Post diem vigesimum reliquas copias iube recta muros vndique subire. Verum ad portas, quæ Belides & Cissiæ dicuntur, Persas mihi statuito. Etenim, vt ego sentio, Babylonij mihi, qui magna opera ediderim, committeut, cum alia, tum vero portarum claues; tum mihi curæ erit Persis operam nauare. Hæc vti dixit, ita perfecit.

XI. *In rem de ducitur.* NAM dum murum subijsset, excubitores eius rogatu eum ad domum ciuicam adducunt. Ille detestari Darium, à quo hæc passus esset, quod ei fuisset anchor obsidionis soluendæ, expugnatione desperata. Sed non impune laturum hanc calamitatem suam, si ei adesse velint Babylonij; sibi quippe explorata esse Darij consilia. At Babylonij virum cernentes apud Persas spectatissimum, miserè naribus, atque auribus, labijs etiam, ait Iustinus, priuatum, vibicibus, ac sanguine conspersum, vera dicere crediderunt; talibusque probationibus inducti, ei permiserunt, quæcumque postulasset. Sic fere Herodotus, addit nonnihil Iustinus lib. 1. quod ad rem faciat. *Queritur*, inquit, *crudelitatem Regis, à quo in regni petitione, non virtute, sed auspicio, non iudicio hominum, sed hinnitu equi superatus sit. Iubet illos ex amicu exemplum capere, quid hostibus cauendum sit; hortatur ne mœnibus magis, quam armis confidant, patianturque se commune bellum recentiore ira gerere.* Ita Iustinus, ratus Zopyrum fuisse vnum de septem vindicibus Persicæ libertatis, cum fuerit tantum filius vnius eorum, nomine Megabysi, vt scribit Herodotus, cui potius credendum videtur. Qui pergit explicare quomodo decimo die eductis Babyloniorum copijs, mille Darianos, ex condicto neci obiectos, circumuentos trucidarit; tum altero die duo millia; quo gemino facinore perpetrato, nihil aliud Babylonij quam Zopyrum in ore habere, eum laudibus tollere. At postquam tertia eruptione, circumuenta quatuor millia occidit, Zopyrus omnia erat apud Babylonios: Itaque dux exercitus, & murorum custos declaratur.

XII. *Vrbs à Persis capitur. Ingeniis...* VBI vero è composito Darius copias vndique muris admouit, ibi Zopyrus omnem dolum patefecit. Nam cum Babylonij conscensis muris copias Darij arcerent, ipse apertis Cissiis ac Belidibus portis, Persas in vrbem introduxit. Ita Babylon iterum capta est. Qua potitus Darius muros eius circumcidit, & portas omnes amolitus est, quorum neutrum fecerat Cyrus, prius eidem à se captæ. Qua de re nos quoque pluribus supra egimus, anno septuagesimo Babylonicæ captiuitatis. Addit Herodotus Darium tria millia procerum Babyloniorum patibulis afflixisse, data cæteris venia vrbem incolendi; quibus *Et quid à Dario passa.* etiam de vxoribus, vt succrescerer soboles, prouidit. Ferturque hoc dictum sæpe numero vsurpasse, præoptaturum se Zopyrum nihil esse cladis passum, quam viginti sibi Babylones, vltra illam, quam habebat, acquiri. Eum tamen egregiè remuneratus est, cum dando ei singulis annis, quæ apud Persas sunt honorificentissima; tum tradita *Zopyri pramia.* Babylone immuni, quoad viueret, in peculiarem portionem.

XIII. *Romana res.* QVOD ad Romanas huius anni res attinet, Rex Tarquinius, vt ait Dionysius l. 4. data populo bellorum, & expeditionum requie, vertit se ad templorum fabricam, vt aui sui vota persolueret. Quæ Liuij quoque mens videtur, qui explicata Gabina re, de inchoata Capitolini templi ædificatione incipit agere; quam tamen prius inchoatam ex Suessana præda, supra probabilius existimammus. Itaque hoc tempore potius in ea constructione, fortasse intermissa, propter belli diuturni molestias, diligentius progressum esse arbitramur.

XIV. *Olym. 65. a L. 5. p. 335. græc.* OLYMPIAS porro sexagesima quinta, quæ hoc anno inchoatur Acocham Tarentinum cursorem nobilitauit: quo primum tempore, vt Pausanias a prodidit, grauis armaturæ pedites cursu contendentes, in stadium cum plausu accepti sunt, quod idonea ad res bellicas exercitatio videretur. Qui cum scutis decurrerent, eos primus vicit *...indari ...* Damaratus Heræensis. Hac ipsa Olympiade natum Pindarum tradit Suidas, probatque, quoniam sub expeditionem Xerxis, quæ in Olypiadem septuagesimam quintam cadit, natus erat annos 40. indeque eodem authore, quindecim vixit annos. Ille idem Suidas Hecatæum Milesium *Hecatæus histor.* Hegesandri filium Olympiade 65. floruisse ait, eius Darij temporibus, qui Cambysi successit. Quo tempore, inquit, etiam Dionysius Milesius fuit historiographus, vnde *Dionys. Miles.* iunctum cœpit Herodotus Halicarnassæus, illo iunior. Protagoræ auditor fuit Hecatæus, ac primus soluta oratione historiam dedit, vt alia scripta Pherecydes. Hactenus Suidas. Ex quo intelligi potest quanto sacra Hebræorum historia, sit profana Græcorum antiquior, cum primus illius scriptor historiæ Moyses, ante annos 950. mortuus fuerit, annos centum, ac viginti natus.

ANNVS MVNDI 3535. SEXTÆ ÆTATIS 19. Solutæ captiuit. 19. Darij hyst. 4. Imp. Persarum 19. Zorob. & Iosue 19. Olympiad. LXV. an. 2. Vrbis cond. 234. Tarquin. Superb. 15.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 518.

CVM Isidorus scribat Danielem ad centesimum, & decimum ætatis annum peruenisse, quem nos primo Ioacimi Regis anno natum cum Torniello censuimus, oportet eum hoc anno viuendi finem fecisse. Huic chronologiæ non immerito subscribit Sanctius in Danielem, Prolegom. 3. & Cornelius à Lapide in eundem Prophetam: totidem enim ab illo initio, ad hunc diem anni numerantur: nimirum tres ante initium regni Nabuchodonosoris, cum 18. eiusdem regis ante desolationem Ierusalem, à qua septuaginta anni Babylonicæ captiuitatis fluxerunt: item Cyri septem, octo Cambysis, & quatuor Darij. Nec recte refutat Isidorum Pererius in præfatione in Danielem, quod scilicet si ad Darium vsque vixisset Daniel, oportuisset eum etiam centesimum trigesimum octauum annum attigisse. Nam primo sine vlla probatione ponit Danielem annum egisse decimum, anno 3. Ioacimi, quo anno nos tres tamum egisse contendimus. Secundo quod grauius est, annos regni, & imperij Cyri eosdem facit, quos tamen admodum diuersos fuisse suo loco diligenter probauimus. *I. Obitus Daniel... I. de vita et ob... Zach c. 17. &c.* 3. 18. 70. 7. 8. 4. — 110.

II. *Chronol. Tostati improbatur.* NEC certior est Abulensis chronologia, qui Danieli ad 81. annum vitæ tribuit, quos conflat ex 70. captiuitatis annis, & vndecim, qui generalem illam captiuitatem antecesserunt, cum scilicet Iechonias qui & Ioachimus, Babylonem translatus est. Verum diminuta est non parum ista chronologia. Dicimus enim eum cum Ioacimo patre Iechoniæ abductum in Chaldæam, octo an. is ante Iechoniam; ibique tanquam obsidem substitisse, quamuis puerulum, vt eum vocat Epiphanius. Addendi ergo sunt à principio vndecim, duodecim anni, in fine autem, anni Cyri, Cambysis, & qui iam fluxerunt anni Darij.

III. DIES autem mortis sanctissimi Prophetæ in martyrol. Rom. proditur 21. Iulij. *Babylone*, inquit, *S. Danielis Prophetæ*; cui consentiunt Beda, ac cæteri Latinorum; Græci autem, vnà cum tribus pueris ad 16. Cal. Ianuarij in Meneiogio referunt.

Turris... Iosephus a turrim quandam à Daniele constructam celebrat minime vacantem prodigio, si vera ille celebrauit. *Cum ab omnibus*, inquit, *Deo carus existimaretur, & propter hanc de se opinionem esset illustrißimus, ædificauit apud Ecbatana Mediæ turrim, opus pulcherrimum, & singulari admiratione dignum, quod in hodiernum vsque durat, & spectantibus recentißima structura videtur, ac si ea ipsa die, qua spectatur, esset absolutum; tantam nouitatis speciem, & tam integram pulchritudinem habet, nihil omnino à tam longo tempore læsam, præter aliorum ædificiorum consuetudinem, quæ æque atque homines vetustatis iniuriam sentiunt, nec firmitatem solum, sed etiam decorem sensim deperdunt. Mos autem durat vsque in præsens tempus, vt in ea turri sepeliantur Medorum Reges, & Persarum, atque Parthorum, eiusque custodia Iudaici generis sacerdoti hodieque concreditur.* *Regum ... pulchra...*

IV. De eodem Daniele sepulchro.

HACTENVS Iosephus, cui nonnullam fidem conciliant, quæ vltimo Cyri anno ex Strabone, aliisque retulimus. Ad Iosephi narrationem videtur allusisse Dorotheus in synopsi. *Edidit*, inquit, *& aliis Persarum Regibus multa portenta, quæ scripta non sunt. Mortuus est autem Daniel in terra Chaldæorum, & in sepulchro regio solus cum honore sepultus.* Videtur significare eum in ea ipsa turri sepultum; quod etiam clarius tradit Genebrardus, *b* cum ait eum senio confectum, in Ecbatanis Mediæ ciuitate sepultum fuisse. Libro tamen secundo Babylone conditum ait. Ast Epiphanius in vita eiusdem, *humatus est*, inquit, *in angusta caverna* forte augusta, *honorifice, extatque monumentum eius ad hoc seculum cunctis notissimum.* Refert idem Epiphanius, & post eum, totidem fere verbis Dorotheus, & Isidorus, Danielis quandam Prophetiam, de montibus super Babylonem fumigantibus, & ardentibus, & rursum aqua, vel sanguine fluentibus; quæ rabinicum furfurem sapiunt, & passim contemnuntur.

b in l. 1. chronol.

V. Daniel figura Christi Domini. 1.

FVISSE porto hunc quoque Prophetam Christi Domini typum, apud antiquos Patres satis constat, & vt nullum esset testimonium, id tota pene Danielis probat historia.

Danielis tribum Iuda, & genus regium, Iosephus, cum Hebræis omnibus, & Hieronymus in c. 39. Isaiæ, Epiphanius item, & Isidorus affirmant, quod de Christo Domino Matthæus, cæterique omnes Euangelistæ, dubitare non sinunt.

2. *a in c. 1. Dan.* Infantulus in Babylonem, vt Christus in Ægyptū descēdit.

Daniel, qui propter peccata maiorum suorum ductus est in captiuitatem, vt ait Diuus Hieronymus, propter virtutum suarum magnitudinem statim mercedem recepit. Theodoretus in c. 10. Dan. *Quemadmodum*, inquit, *non propter propria peccata permisit illum Deus bello capi, sed populi prospiciens vtilitati, & veluti quendam curatorem, & magistrum simul, cum ipsis mittens; ita etiam reditus tempore, eum plures Babylone remanerent, cum illis Propheta remanet, vt ne spiritali cura prorsus destituti, in impietatem penitus labantur.* Denique alij obsidem missum Babylonem dixerunt. An hic obscure proditur Christus Dominus, qui in huius mundi Babylonem, propter hominum peccata venit, & propter infinitæ charitatis suæ magnitudinem, & obedientiam, hominum salutem in mercedem accepit, *c in qua voluntate sanctificati sumus.* Sed & diutius apud nos mansit, vt verbo atque exemplo doctorem ageret, ac magistrum.

c Ad Heb. 10. 9. 10.

VI. In decore, & sapientia.

QVIS puer, in quo nulla sit macula, decorus forma, & eruditus omni sapientia, præter agnum Dei immaculatum, speciosum forma præ filiis hominum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Qui reuelat mysteria, & eructat abscondita à constitutione mundi: sicut & Daniel mysteria somniorum, & arcana futurorum, vsque ad Iudaici populi, totiusque mundi dissolutionem tanto ante prænunciat.

Duodennis Daniel contra senes disputat, eosque conuincit: Duodennis Christus in medio doctorum cum eis disputat, indeque circiter ad trigesimum vsque annum, sicut & Daniel, conticescit. Vterque animo & corpore tota vita purissimus, vt propterea Daniel ab Hebræis Eunuchus fuisse putetur, vt docet Hieronymus l. 1. contra Iouinianū.

Et adoratur.

Nabuchodonosor non tam Danielem, quam in Daniele adorauit Deum, qui mysteria reuelauit, vt inquit Diuus Hieronymus. *a* Quis est Deus reuelans mysteria præter Christum Dominum? qui ea, quæ didicit à patre, nota fecit nobis, vt quasi figura Christi Daniel à Nabuchodonosore adoratus videatur, in figuram regum terræ, qui Christum adoraturi erant.

a in c. 2. Dā.

VI. Et odiosus sacerdotibus.

FACTVS est Daniel improbis sacerdotibus Belis odiosus, quia eorum impostutas detegebat. Dan. 14. Quin etiam inuidia optimatum, vim Regi Dario facientium morti obijcitur. Sacerdotes, & Pharisæi, & Principes populi odio, atque inuidia in Christum flagrabant, quod eorum peccata coargueret, eius vitæ sanctitas eorum nequitiam condemnaret, qui Proregi Pilato vim fecerunt, vt eum morti traderet.

Spiritus amplitudine & innocentia. *b Dan. 5. 1.* *c v. 4.* *d Ioan 3. 34.*

Quis est is, in quo spiritus Dei erat amplior, *b* in quo neque culpa, neque suspicio reperiri poterat *c* præter Christum, *cui non ad mensuram dedit Deus spiritum.* d Quique coram hostibus suis, populoque vniuerso dicere potuit: *quis ex vobis arguet me de peccato? e*

e Ioan. 8. 46.

VII. Daniel figura resurrectionis.

DANIEL in lacum leonum proiectus, ibi incolumis permanet, lapis obstruens speluncam munitur Regis Darij sigillo; & ex eo post aliquot dies egreditur liber: & qui eius perditionis causa fuerant, ab eodem Dario leonibus traduntur deuorandi. Christus sepulchro morti datus immittitur; & sepulchrum Proregis Pilati sigillo communitur; at ibi ille liber permanet, mortis habens, & inferni, & leonum tartareorum potestatem; & redit victor, & incolumis, qui mortuus putabatur, & inimicos suos morti dat per eosdem Romanos, per quos ille morti datus fuerat. Scribit Baron. in Martyrol. antiquum fuisse Christianorum morem, vt in suis sepulchris, inter alia resurrectionis symbola, Danielem in lacu inter leones liberum stantem sculperent, extareque eius rei in veteribus lapideis sepulchris complura exempla. Forte eo respexit Constantinus magnus, quum Constantinopoli, in media fori platea, rum insigne boni pastoris erexit, tum etiam Danielē cū leonibus ex ære efformauit, aureisque bracteis exornatū posuit.

VIII. Et euersione idolorum.

DANIEL antiquissimum Beli idolum destruxit, & draconem absque gladio, & fuste interfecit. Christus euersor Idololatriæ fuit; non gladios, & armatas acies in Idololatras educens, sed sua, suorumque martyrum passione vtens, quos dum illi deuorant, disrupti sunt.

Ac postrema Christi exaltatione.

Quo denique modo rectius adumbrari potuit Christus Dominus mundi victor, factus Rex Regum, & Dominus dominantium: & sedens ad dexteram patris: Quam cum Nabuchodonosor Rex Danielem in sublime extulit, & munera multa & magna dedit ei: & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis, & Præfectum magistratuum, super cunctos sapientes Babylonis, denique etiam collegam suum appellauit, vt pene illi diceret, *Sede à dextris meis*; & Daniel ipse. *Data est mihi omnis potestas.* Daniel etiam postulauit à Rege, vt socios quoque suos in sublime eueheret, eiusque voluntate eos constituit super opera prouinciæ Babylonis. Postulauit à Patre Christus Dominus, vt nos quoque, qui eum secuti fuerimus, acciperat ad se, & constituat super opera manuum suarum; qui iam super hanc Babylonicam confusionem euexit, ne eius operibus mancipemur. Sed placet Sanctissimi Prophetæ speluncam hoc epitaphio cohonestare.

Dan. 2. 48. 49.

EPITAPHIVM DANIELIS.

CLAVDIT SPELÆVM HOC VIRVM MAGNVM, VIATOR, VIRVM REGIO DAVIDIS SANGVINE ILLVSTREM, REGIA PLVRIMORVM REGVM, ATQVE IMPERATORVM FAMILIARITATE, ATQVE HONORIBVS CLARVM: REGIS MESSIÆ VIVIDO TYPO, AC SPIRANTI FIGVRA CLARISSIMVM. VIRVM DICO PROPHETAM DANIELEM, POTENTEM OPERE, AC SERMONE, QVI DVODENNIS PROPHETICÆ LVCIS RADIOS ORSVS ACCIPERE, VLTRA CENTESIMVM VATICINIIS CLARVS EVASIT. QVI, ET MOX, MARTYREM QVOQVE DIXERIM, EXPONENDO SOMNIA, AFFLATVSQVE COELESTES, LONGINQVOS IMPERIORVM PROGRESSVS, LONGAQVE SERIE FVTVROS PRINCIPES, XERXES, ALEXANDROS, ANTIOCHOS, PTOLEMÆOS, TITOS, AC VESPASIANOS; VLTIMVMQVE MVNDI PORTENTVM ANTICHRISTVM OCVLO PERSPICACI VIDIT, ATQVE PERSCRIPSIT. QVI SEPTVAGINTA IPSOS ANNOS POPVLI EXILIVM DEPLORANS, POSTREMAM EIVSDEM POPVLI REPROBATIONEM, ATQVE INTERITVM, TANTO ANTE AGNOVIT, EXHORRVIT, RENVNCIAVIT: POPVLI SVI, CHRISTVM, AC MESSIAM SVVM AD SE MISSVM NEGANTIS, ET DIEM VISITATIONIS SVÆ EXCÆCATIS MALITIA LVMINIBVS, NON AGNOSCENTIS, CHRISTVM, CVIVS IPSE DIEM, ANNIS, HEBDOMADISQVE STVDIOSE NVMERATIS INDICARAT.

PRO-

PROPHETAM DIXI, MARTYREM DICERE OPORTVIT: QVI SEPTEM LEONIBVS RABIDA FAME FVRENTIBVS OBIECTVS IN CIBVM, SEPTENOS IPSOS DIES LATRANTEM BESTIARVM STOMACHVM, ARENTES FAVCES, HIANTIA ORA, VNGVES HVMANO SANGVINI ASSVETOS FRENAVIT, ATQVE COMPESCVIT: SVSCEPTOQVE CVM IMMANI DRACONE CERTAMINE, EVM MEDICATA FRVGE DISRVPIT, ATQVE DISTRAXIT. MARTYREM DIXI. NON SATIS EST; ADDO ERGO DOCTOREM POPVLI IDOLORVM TENEBRIS CIRCVMFVSI: ADDO CONFESSOREM IN EXILIO SECVLARI: ADDO VIRGINEM IN EO POPVLO, IN QVO STERILITAS ERAT PVDORI: ADDO EVERSOREM IDOLORVM, VERÆ PIETATIS PROPVGNATOREM, AC FIRMAMENTVM: MIRACVLVM SAPIENTIÆ, FORTITVDINIS, PVDORIS, ET INTEGRITATIS. VITAM IN EXILIO AD CENTESIMVM DECIMVM ANNVM PRODVXIT: QVINGENTIS, ATQVE OCTODECIM ANNIS ANTE CHRISTI DOMINI NATIVITATEM. ABIIT E VIVIS ANNO AB ORBE CONDITO CIↃ CIↃ CIↃ IↃ XXXV.

X. *Proph. tia Zachariæ promittitur Iudais felicitatem.* Hoc eodem anno quarto Darij regis factum est verbum Domini ad Zachariam Prophetam, vt septimo capite eiusdem Prophetiæ scriptum est, in quarta die mensis noni, *qui est Casleu.* Cum enim consulerentur sacerdotes, & Prophetæ, an etiam tunc quinto & septimo mense ieiunandum esset, sicut fiebat tempore captiuitatis. Eius quæstionis occasione docet Dominus displicuisse sibi ieiunia Iudæorum, quia mandata ipsius contemnebant: & vt præsentes corrigantur, commemorat, quæ præceperat Iudæis ante captiuitatem, quæ quia neglexerant, in mala grauissima, quæ per Prophetas priores comminatus fuerat, inciderunt. Capite autem octauo ait ieiunia ipsorum, si legis præcepta diligenter obseruent, commutatum iri in gaudium, & lætitiam, & solemnitates præclaras.

ENVNCIATVRVS enim Dominus futuram Ecclesiæ felicitatem, sub typo Sionis, & Ierusalem, de ipso primo typo primum dicit se magna indignatione à pluribus iam annis commotum Sionem afflixisse; nunc autem redintegrata cum ea beneuolentia, habitaturum in medio eius, in templo nimirum, in medio eius iam restituto: & ei tributurum ciues ætate longæuos, & multitudine innumerabiles, vt infantibus pueris ac puellis plateæ ciuitatis compleantur. Qua promissione pax, & rerum abundantia, quæ his consentanea sunt, promittuntur.

a c. 8. v. 6 XI. *Qua de Christi Ecclesia intelliguntur.* INDE autem delabitur ad rem figuratam, vt diximus, cum ait. a *Hæc dicit Dominus exercituum, Si videtur difficile in oculis reliquiarum populi huius, in diebus illis, nunquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituum?* Designatio longinqui temporis satis indicatur per ea verba, *in diebus illis*: sed multo apertius cum subditur, Ecce ego saluabo populum meum de terra Orientis, & de terra Occasus Solis. Hæc enim de Iudæis non dicuntur, qui reducti fuerant de terra Aquilonis, sed de populis gentium spiritualibus Iudæis; de quibus apertum est illud Christi Domini vaticinium, b Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob, &c. In quam sententiam hoc loco, *& adducam eos, & habitabunt in medio Ierusalem,* spiritualis videlicet, quæ est Ecclesia Catholica, de qua dixit Ioannes Euangelista, c Iesum non tantum pro Iudæorum gente moriturum, *sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*: populum vtrique Christianum, de quo subditur apud Zachariam. d *Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum in veritate, & in iustitia.*

b Matth. 8. v. 11. c Ioan. c. 11. 52. d c. 8. 8.

XII. *Solatio proposita quæ sequuntur.* DEINCEPS autem transire Prophetam ad præsentium rerum statum apertum est, cum ait in persona Domini. *Confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermones istos, per os Prophetarum.* Vult nimirum eos excitare ad pergendum animose in suscepta inchoati templi structura, quandoquidem eum laborem ipse omni benedictione prosecuturus sit, sicut & posteritatem Iudæorum, qui Dei Ecclesiam ædificaturi sunt. Inde tandem delabitur ad propositam quæstionem, de ieiunio quinti mensis, quo mense templum cum ciuitate conflagrarat: dicens non solum ieiunia illa, sed alia quoque, quæ luctus ac doloris testandi causa suscepta erant, relinquenda esse, & vertenda in solennitates præclaras, & lætissima conuiuia; donec succedant maiores etiam causæ lætitiæ. Cum scilicet venient populi multi, e *ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi*, id est, Christiani ex Iudæis orti, & verum Deum, eiusque vnigenitum mundi redemptorem, verissimum Messiam colentis, & confitentis, *dicentes, Ibimus vobiscum*, ad deprecandum faciem Domini, audiuimus enim quoniam Dominus vobiscum est. Quod istis, qui secundum carnem sunt Iudæi, deinceps nunquam contigit, sed Christianis, quorum primitiæ Apostoli, ad quos Gentiles accessisse legimus, rogasseque dicentes: f *Domine volumus Iesum videre.*

e c. 8. 23. f Ioan. c. 12. 20.

XIII. *Cætera vaticinia Zachariæ.* CÆTERA huius Prophetæ vaticinia, quo quæque anno edita fuerint, nec notauit ipse, nec posteris firma quapiam coniectura assequendum dedit. Distinxit tamen aliquo modo noster Christophorus à Castro l. 4. de Prophetis cap. 8. extremo. Nonum enim caput, ad quintum annum Darij Hystaspis retulit; caput decimum ad annum sextum. Vndecimum ad annum nonum. Duodecimum & decimum tertium, ad annum 10. vel duodecimum: postremum autem caput ad annum 14. & sequentes, quæ suis locis obiter attingemus. Hic addo esse hunc annum sabbaticum ordine centesimum trigesimum sextum. De re quoque Persica hæc addenda sunt.

XIV. *Apparatus Darij ad bellum Scythicum.* PERACTO iam Babylonico bello, Darius Rex aduersus Scytas bellum comparauit, vt Herodotus, Iustinusque testantur. Cum enim ingens omnino fuerit ea expeditio, longinquitatem, atque difficilis, merito hic annus apparatui illi videtur assignandus: quo dimissis nuncijs ad nationes, quibus imperabat, iussit alios præbere peditatum, alios classem præstare, alios Bosphorum Thraciam ponte iungere. Suscepti belli causam assignat Herodotus init. l. 4. desiderium vlciscendi Scythas, qui iampridem in Asiam irruptione facta, duodetriginta annis eius imperium tenuerant. *Eius causa.* Iustinus l. 2. ait Darium ab eorum rege Lantino filiam in vxorem petijsse, quam cum non impetrasset, bellum Scythis intulisse, & armatis septingentis hominum millibus, Scythiam ingressum, præter classem, inquit Herodotus l. 4. quæ constabat è nauibus sexcentis: additque Artabanum Darij fratrem, Hystaspis filium bellum hoc dissuasisse, tanquam laboriosum, atque inutile, nec tamen persuasisse. p. III. Græc.

ANNVS MVNDI 3536. SEXTÆ ÆTATIS 20. Solutæ captiuitatis 20. Darij hystaspis 5. Imperij Persici 20. Zorobabelis & Iosue 20. Olymp. LXV. an. 3. Vrbis cond. 235. Tarquin. Sup. 16.

ANNVS ANTE CHRISTVM 517.

I. *Scythica Darij expeditio.* DARIVS vbi omnia ei in expedito fuere, copias eduxit ex vrbe Susis, quo tempore crudele facinus ab eo perpetratum est, vt narrat Herodotus, l. 4. quo merito iratum numen, infelicem ei reddidit expeditionem. Cum enim Oeobazus quidam Persa, cui tres filij erant, omnes in militiam abeuntes, Regem obsecraret, vt sibi vnum ex illis solatium relinqueret senectutis. Et Darius tanquam amico, & modesta obsecrati, respondit, se omnes eius liberos relicturum. Eo responso Oeobazus magnopere lætabatur, credens liberos suos missionem habere militiæ. *Acerbum facinus.* At ille mandat præposito filiorum, vt eos omnes interimeret. Ita filij Oeobazi obtruncati, in patrio solo relicti sunt, barbaro plane scelere: cui non dissimile postea Xerxes eius filius perpetrauit, vt infra 7. Xerxis anno dicetur.

II. *Bosphorum Thraciam ponte iungit.* SVSIS ergo mouens Darius, peruenit ad Bosphorum Thraciæ, vbi pons opera Mãdroclis Samij cõstruebatur, vbi & duos

& duos cippos erexit è lapide candido, literis incisis, vnis quidem Assyriis, alteris Græcis. *Monumentum Asia cum Europa connectit*, & maris pontium ad eam diem insolentis, ad quatuor stadiorum, vt ait Herod. latitudinem, ferme docti. In iis autem incidit nomina diuersarum gentium, quas secum ducebat in bellum. Vbi sic traduxit exercitum in Europam, iussit Iones, cum Æolibus, & Hellespontiis, nauigare in Pontum, vsque ad Istrum: quo cum peruenissent, se illic præstolari, & fluuio pontem imponere. Ipse per Thraciam iter faciens, ad amnem Teatum habuit triduo statiua, ibidemque erexit alterum expeditionis suæ in Scythas monimentum. In itinere, antequam ad Istrum perueniret, subegit Getas, & in seruitutem redegit, victis populis se illi vltro dedentibus.

Istrum ponte iungit.

III. *Istrum transmittit.* POSTQVAM ad Istrum peruenit Darius, & cuncti flumen transmiserunt, iubebat Rex solui pontem, omnesque sequi se pedestri itinere cum nauticis copiis. Verum dissuasus à Præfecto Mitylenæorum, vt tutus esset reditus, siue hoste superato, siue non inuento, passus est stare pontem ad 60. dies, relictis ad eius tutelam iis custodibus, qui eum compegerant. Inde tridui iter emensus, inuenit Scytharum equitatum, quem sese subducentem, & in regionem eorum Scytharum, qui reliquorum belli societatem detrectarant, Persarum exercitum trahentem, perpetuo sequebatur.

Scythas sese subducentes sequitur.

Id cum diu factitaretur, misit Darius equitem ad Indathyrsum regem Scytharum, cum mandatis, vt fugiendi finem faceret, sed prælium iniret cum Persis, si se resistere posse confideret; sin minus, Persam agnosceret Dominum, eique terram & aquam, in signum subiectionis, offerret.

IV. *Cur ad fauorem.* ILLA respondet se nequaquam metu fugere, qui non habeant oppida, coltosue agros, quorum vastandorum metu prælium ineant, sed nunc quoque præsente hoste, consuetam oberrantium vitam ducere. Quod si paterna sepulchra ipsorum violare tentent, tum sensuros, an pro iis pugnaturi sint, necne. Se Dominum præter Iouem agnoscere neminem, pro aqua & terra missuros munera, quæ eum decerent. Cumque inopia laborare Persæ in desertis Scytharum regionibus cœpissent, miserunt isti ad Darium caduceatorem cum muneribus, aue, mure, rana, & quinque sagittis, iubentes eos, si solertes essent, interpretari, quid illa significarent. Cumque Darius interpretaretur Scythas velle facere deditionem, Gobryas, vnus è septem, qui Magos sustulerant, hoc dicere dona rectius verique coniectabat. *O Persæ nisi aues effecti subuolet is in cælum, aut mures subeatis terram, aut ranæ tansiliatis in paludes, non remeabitis, vnde venistis, his sagittis confixi.* Quæ magis ea Herodoti faceto ingenio, quam ea historia petita crediderim.

Cura sepulchrorum apud Scythas.

Earum munera hieroglyphica.

V. *Curant Istri pontem solui.* HÆC dum fiunt, pars Scytharum ad Iones, qui ad Istrum erant, profecti, eis suadent, vt euolutis iam sexaginta diebus, quibus pontem custodire iussi erant, eo dissoluto abirent: sicque & libertatem ipsi adipiscerentur, & gratiam à Scythis inirent: quod cum illi se facturos recepissent, Scythæ retro raptim abiere. Denique cum Scythæ ad pugnam expediti, quasi conflicturi, etiam leporem hoste præsente sectari non timerent, videntes Persæ plane se haberi contemptui, hostesque, quasi explorata victoria, ludere, statuerunt retro ad Istrum iter facere, & clam noctu se subducere, paucis derelictis in castris, ad aliquam exercitus speciem, & quidem inualidis, in certam vtique perniciem.

Hostem contemnunt.

VI. *Persæ retro abeunt ad Istrum.* CVM ergo abiissent, pontem Istri fere solutum inuenerunt, vt Ionibus authores fuerant Scythæ, qui se Persis deleturos spoponderant; sed naues in vlteriore ripa rei euentum præstolabantur. Darius vt pontem solutum vidit, ratus Iones abiisse, animo concidit; sed cum apud se haberet Ægyptium hominem vocalissimum, iussit eum, quam maxima voce posset, Histiæum Milesium, qui erat vnus è primariis ducibus Ionum, inclamare septies. Neque frustra, audit, adducit naues, pontem iunxit, exercitui transitum præbuit, alioqui funditus vtique periturus. Darius vero per Thraciam iter faciens, Sestum Chersonesi peruenit, atque illinc in Asiam nauibus ipse traiecit, relicto in Europa exercitus duce Megabyzo viro Persa, cum octoginta millibus militum, qui reliquam Græciam subiugarent.

Darius redit in Asiam.

Et hunc finem habuit Darii temeraria in Scythas expeditio, in qua Iustinus ait eum nonaginta hominum millia amisisse, eamque iacturam, abundante multitudine, non fuisse inter damna numeratam. Tantus est Barbarorum principum subditarum animarum contemptus, vt capienda nuper, captaque à Dario Babylone animaduersum est.[a]

Amissio tanto[rum] hominum multitudinem.

VII. *Duæ Romanorum coloniæ.* SVB hoc tempus, quiescente à bellis Romana Republica, & ciuibus abundante, videntur duæ illæ deductæ Romanorum Coloniæ, quas memorat Dionysius, l. 4. è quibus alteram Signiam nomine, non de industria, sed casu fortuito deduxit, cum belli tempore in eo campo milites hybernantes, castra ita communiissent, vt nihil ab vrbe differrent: Circeios vero data opera, quod in Cometino campo, totius Latii maximo, locus is opportune ad mare situs esset, vbi quondam Circe Solis filia habitasse fertur, & vtrique coloniæ condendæ duos è filiis suis præfecit, Circeis Aruntem, Signiæ Titum. Sextus autem Gabiis imperabat.

a Ab 3. Daniel 10. 11. & 12.

Signia.

Circeia.

VIII. *Iudæorum in ædificando diligentia.* INTEREA Iudæi Hierosolymis templi constructionem, annitentibus Prophetis, adiuuantibus Darii præfectis vehementer vrgebant. Testatur id Esdras, b *Seniores*, inquit, *Iudæorum ædificabant, & prosperabantur, iuxta Prophetiam Aggæi Prophetæ, & Zachariæ filii Addo*, à quibus eorum industria, zelus, & diligentia acuebatur in dies, *& ædificauerunt, & construxerant iubente Deo Israel, & iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe regibus Persarum.* Coniecit in vnum locum omnes principes Persarum, qui res Iudaicas promouerunt à soluta captiuitate. Etsi enim nunc solus Darius Iudæis fauebat, Cyrus tamen per repetitionem, Artaxerxes per occupationem recensentur. Itaque templi ædificatio adeo promota est, vt sequenti anno res tota perfecta legatur. a

b 1. Esd. 6. 14.

IX. *Zacharia Prophetia.* REFERT ad hunc quintum Darii annum à Castro caput 9. Zachariæ Prophetæ, in quo ad consolationem populi sui, è captiuitate reuersi, pollicetur Deus omnem circa regionem, illi subiectum iri: quæ promissio ad gentium quoque vocationem pertinet. Inde ad eum celebrandum delabitur, per quem tanta, tamque desiderabilis rerum mutatio futura est, Christi videlicet Domini, de quo est illa vox iubilationis. *Exulta filia Sion, iubila filia Ierusalem, ecce rex tuus veniet tibi*, &c. Inde etiam prædicit eductionem Patrum è locis subterraneis, & institutionem sacramenti Dominici corporis, verbis illis. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

a 1. Esd. 6. 15.

ANNVS MVNDI 3537. SEXTÆ ÆTAtis 21. Solutæ captiuitatis 21. Darij hyst. 6. Imperij Persarum 21. Zorobabelis, & Iosue Pontif. 21. Olympiadis LXV. an. 4. Vrbis cond. 236. Tarq. Superbi 17.

ANNVS ANTE CHRISTVM 516.

I. *Templum Zorobabelis quando absolutum.* CELEBRATVR apud Esdram b hic annus, vt in cuius exitu completa sit templi ædificatio. Sic enim legitur. *Et compleuerunt domum Dei istam, vsque ad diem tertium mensis Adar*, is est duodecimus anni sacri, *qui est annus sextus regni Darij regis*, ita editio Vulgata: cui consentit Hebr. & Græca regia, & Chron. Hebr. c. 29. At Græca Xisti, & 3. Esdræ c in die mensis variant; ponunt enim 23. loco tertii. Iosephus autem multo longius abit. Nam d sic habet. *Magno omnium studio proficiebat templi ædificatio, iuxta mandata Cyri, & Darij; prophetantibus interim Aggæo, & Zacharia, absolutumque est intra septennium. Anno autem regni Darij nono, vigesima tertia die mensis vndecimi, qui nostris dicitur Adar, Macedonibus Dystrus, Sacerdotes, ac Leuitæ, cum reliqua Israelitarum multitudine, obtulerunt sacrificia, pro renouata post captiuitatem pristina felicitate, proque recepto nouo templo, tauros centum &c.*

b 1. Esd. c. 6. 15.

c cap. 7. 5.
d lib. 11. c. 4. sub fin.

II. *Dedicatio noui templi.* QVÆ priusquam examinamus, quæ de huius templi dedicatione Scriptura dicat audiamus. *Fecerant autem filij Israel*

Israel Sacerdotes, & Leuitæ, & reliqui filiorum transmigrationis dedicationem domus Dei in gaudio. Et obtulerunt in dedicationem domus Dei vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israel duodecim, iuxta numerum tribuum Israel. Qui numerus à Iosepho præter consuetudinem fideliter descriptus est. Dicitur totus populus fecisse dedicationem, quia voluntates suas ac sacrificia Deo per legitimos ministros obtulerunt, cum omni labore ac sumptu, in domo ipsius construenda, hactenus tolerato. Sic in sancto Missæ sacrificio dicimus. Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus &c. Cumque omnibus operibus bonis commune sit, gaudium afferre authoribus suis, sicut operibus malis conscientiæ angorem: & magnitudinem desiderij magnitudo lætitiæ consequatur, nihil mirum hunc populum magnam percepisse lætitiam, opere sanctissimo, desideratissimoque aliquando perfecto, quod tam diu multorum impiorum ac potentium studijs impeditum fuerat, & nonnullorum de ipsis Iudæis, vt ex Aggæi reprehensione constat, negligentia retardatum.

III. (*margin:* ... pa... pro...) In hac porro publica lætitia persequenda facile principes extitere tum Zorobabel, qui hanc à Dario veniam obtinuerat, tum Aggæus & Zacharias Prophetæ, qui authore Deo populum ad hoc opus incitarant. Hinc illud apud Epiphanium in Aggæi vita, *Babylone*, inquit, *profectus est Hierosolymam, & aperte de reditione populi vaticinatus est, & oculis structuram templi Ierusalem vidit. Idem ibidem omnium primus cecinit Alleluia, quod est, laudibus afferamin viuentem Deum. & Amen, quod fiat, fiat interpretatur.* & mox. *Proinde etiam bodie psallimus Alleluia, quod hymnum Aggæi & Zachariæ perhibetur.* Hæc ibi. (*margin:* Paraphr.) Hinc videtur ortus ille titulus psalmi 111. *Alleluia conuersionis.* siue vt habet Augustinus, *conuersionis Aggæi & Zachariæ*, quem Arnobius Esdræ tribuit. Nec significat Epiphanius huius psalmi authores esse hos Prophetas, sed eos illum magna cum deuotione in hac dedicatione templi aliquoties cecinisse. Credit Lorinus in eum locum, Dauidem in spiritu prauidisse Aggæum & Zachariam, post Babylonicæ captiuitatis expletum tempus, ad populum reuersurum fuisse, atque illum admoniturum, quanta sit viri iusti ac timentis Deum felicitas, etiam temporalis, vt hac doctrina exemploque permotus, similem captiuitatem, aut cladem vitaret.

IV. (*margin:* Corrigitur Iosephus) IAM verò Iosephus primùm corrigendus est, quòd textum sacrum corrigere videatur, in quo habetur constructum templum iubente Cyro, Dario, & Artaxerxe; ipse autem sustulit Artaxerxem, siue quòd putaret hunc Artaxerxem esse illum supra *a* memoratum, quem satis constat esse Cambysem, quemque sciret impediisse templi ædificationem, non iuuisse. Quam ille difficultatem dissimulans, Cyri tantùm & Darij voluit meminisse. Existimamus autem Artaxerxem hunc esse Xerxis successorem, qui dictus est cognomento Longimanus, de quo deinceps est mentio: *b* cuius anno vigesimo Nehemias missus est Hierosolymam, cùm ampla post stare eius ædificandæ, vt suo loco dicetur. Sed grauius etiam peccat Iosephus, cùm tribuit septennium absolutioni templi. Nam à die 24. mensis noni anni secundi Darij, qua die iacta sunt fundamenta templi, vt scriptum est ab Aggæo *c* vsque ad diem 3. mensis Adar anni sexti eiusdem Darij, qua die consummatum est templum, *d* non nisi 4. anni, mensis vnus, & 9 dies inueniuntur. Propterea que Eusebius in Chron. semel atque iterum, & Chronicum Hebræorum, & Genebrar. aiunt 4. annis hoc templum excitatum fuisse. Sulpitius quoque Seuerus l. 2. *Ita templum*, inquit, *quadriennio consummatum est, sexto post anno quam Darius regnare cœperat.* Est minimè probandus Sulpitius in eo, quod Darium Ochum, pro Dario Hystaspis sumpsit.

(*margin:* a 1. Esdr. c. 4. 7. — b 2. Esdr. 2. — In tempore ædificandi templi. — c Agg. 2. — d 1. Esdr. 6. 15.)

V. (*margin:* Et anno Darij.) HVIC autem culpæ Iosephus alteram etiam, vt constaret sibi, necessariò coniunxit: cum ait templum nono Darij anno absolutum, cùm Scriptura, sine vlla dubitatione, aut varietate, dicat id sexto anno contigisse. Non ignoro Euseb. l. 8. de demonstratione euang. *e* excusare Iosephum, & dicere templum ipsum perfectum fuisse hoc quadriennio: reliquo autem triennio exteriora templi atria, porticus, peribolum, & alia, quæ templi nomine comprehenduntur, fuisse perfecta: quod video Torniello, anno 94. sextæ ætatis, P. Gordono, *f* Christophoro Castrio, *g* non improbari. At hæc distinctio nullum habet hoc loco in Scriptura, imo ne in Iosepho quidem fundamentum. Oporteret enim alterutro in loco vtriusque temporis fieri mentionem: at Scriptura sexti duntaxat anni meminit, Iosephus autem noni, & nihilominus quæ illa sexto attribuit iste assignat nono, videlicet templi dedicationem; quam absurdum est dicere fuisse factam, cum templum vix dimidia parte dici posset absolutum: cum nullus esset omnino locus, in quo Israelitæ, ne dicam gentes, sub tecto esse possent, sed omni precum, & sacrificij tempore, omnibus cœli iniurijs expositi essent. Certe Iosephus in hac dedicatione ait ianitores constitutos fuisse; ex ordine suo, per singulas portas. *Ædificauerant enim*, inquit, *Iudæi porticus quoque, quibus templum circumquaque includebatur.* Quod Iosephus addidit ex suo. Qui legit quod in Septuaginta legerat, *& ostiarij per singulas ianuas*, & rectè, sicut quoque. vel textum Hebræum sequendo, in sexto anno Darij, quam proprium iudicium sequi maluisset. Certè dedicatio à Salomone nō prius suscepta est, quam omnia, quæ ad templum pertinebant, peracta essent. *h* Suspicor autem Iosephum alludere voluisse ad illam Salomonis ædificationem, quæ intra septennium perfecta est, vt eodem loco scriptum est. *i*

(*margin:* e Demonst. 8. fub med. — f cap. 18. Ne recte ab Eusebio, adiutorio fu... — g Chron. 22. — g l. 4. de prophetis c. 8. — h 2. Par. 4. & 3. Reg. 8. 12. — i 3. Reg. 6. 38.)

VI. (*margin:* Annorum 46 templi ædificationem.) NEC illud dissimulabo, ne quis fallatur, quod typographi, vel memoriæ errorum est, dictà Iosepho, tam in Græcis, quam Latinis codicibus, mensem Adar vndecimum, cum duodecimus dici debeat; sicut revera duodecimus fuit, & duodecimus appellatur. Cum autem ex dedicatione templi colligamus templum totum hoc anno fuisse perfectum, & quidem cum suis etiam porticibus, & atrijs, vt Iosephus explicat: sequitur illud non potuisse perfici vel ab Artaxerxe, vel à quoquam sequentium regū, nisi forte instaurandi causa, aut ornatus non necessarij. Superest nihilominus solennis illa à dubitatio, cum Iudæi Christo Domino dicunt, *quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Nam id verū esse non potest, non solū sumendo annos Darij, quibus id perfectū est, sed eos à primo Cyri anno inchoando.

(*margin:* e Ex Ioan. 2. v. 20.)

VII. (*margin:* Prima solutio.) AB hac difficultate aliqui se expediunt, posita solutione captiuitatis in primo anno, non imperij, sed regni Cyri, quod 30. annorum fuit; quibus si addas annos Cambysis, & Darij, ad eum ferè numerum peruenietur. Sed cum fundamentum huius responsionis supra funditus euersum sit, ea constare non potest. Aliqui id de templo ab Herode constructo interpretentur, quod Christi Domini tempora extabat, & à Romanis 40. post annis euersum est. Verum illud ipsum templum valde dubium est, vt supra iam diximus & suo loco pluribus disseremus, & vt id admittamus; certè Iosephus, *b* nouem annis cum dimidio id planè perfectum fuisse fatetur.

(*margin:* b L. 15. c. vlt.)

VIII. (*margin:* Verior 46 annorum interpretatio.) ALII denique, qui rectius mihi sentire videntur, existimant vulgo creditum, atque iactatum templum id, quod tunc extabat, & ab Herode magnificè varijs in locis instauratum fuerat, 46. annis extructum fuisse. Fama enim, longinqua præsertim, & missa per manus, sine vllo scripturæ fundamento, facile res super modum amplificat. Cum ergo 4. regum tempore constaret templum ædificatum, nec certi essent anni singulorum, Cyri præsertim, qui credi potuit, vt nunc à plerique etiam creditur, anno primo regni tricenarij, non imperij, soluisse captiuitatem, & templi extruendi facultatem dedisse, Facile fuit existimare eam fabricam supra 40. annos tenuisse: cum tamen reuera quadriennium tantum tenuerit, quo continenter ædificatum est. Quibus annis si reliquos annos, quibus fundamenta iacta sunt, secundo anno Cyri, & quibus cessatū est, addiderimus, viginti annis templū ædificatū esse dicendū erit.

IX. (*margin:* Zacharias prophetia.) ZACHARIAS capite 10. quod Christophorus à Castro ad sextum annum Darij pertinere putat, interprete Ribera, Iudæos hortatur, vt doctrinam euangelicā, quam nomine serotinæ pluuiæ intelligit, à Deo postulent, quia ab omnibus erroribus, & superstitionibus liberandi sunt

Multa etiam de dignitate populi Iudæorum, ex quo Christus nasciturus erat, & Apostoli omnium credentium magistri, qui orbem Deo subiugaturi erant, ibidem recenset. Postremo de conuersione, & salute decem tribuum aperte vaticinatur.

X. *Darius Megabyzum Thraces subigit.*

QVOD ad res Persicas attinet, cum Susis esset Darius, Megabyzus, qui anno proximo à Rege in Europa quasi prorex fuerat relictus, per Thraciam arma circumferens, omnes eius vrbes atque omnes nationes pacatas Regi reddebat: à Dario enim illi fuerat imperatum, omnem vt Thraciam subigeret, vt ait Herodot. init. l. 5. & addit gentem Thracum, secundum Indos, omnium maximam esse, quæ si aut vnius imperio regeretur, inquit, aut idem sentiret, vt mea fert opinio, inexpugnabilis foret, & omnium gentium multo validissima. Sed quia id arduum illis est, & nulla ratione contingere potest, ideo imbecilles sunt. Sic Herodotus; aperte docens quantum possit corporum animorumque consensus, atque conspiratio, ad fortitudinem inexpugnabilem.

XI. *Darius Histiæum munerat.*

INTERIM autem dum Megabyzus Hellespontios, Perinthios, Pæonios reliquosque Thraces Dario subiugat, Darius Histiæo Milesiorum Principi, qui tutum ei è Scythis reditum, conseruato Istri ponte præbuerat, optare iussit quid præmij mallet. Is locum petiit ad flumen Strymonem situm, nomine Myrcinum, non procul ab Hellesponto, in quo vrbem conderet. Quo impetrato abiit, & vrbem strenue ædificare, & muris cingere instituit: donec Megabysi opera à Dario in Persidem reuocatus est. Quod existimamus non ante sequentem annum contigisse, vnde primaria extitit origo Ionum defectionis à Persis, ex qua bella omnia inter Persas, & Græcos enata sunt, donec tandem Imperium Persarum armis Græcorum euersum concidit.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3537.

1. N. VI. Esther c. 3. 7. 13. c. 8. 12. c. 9. 1. c. 13. 6. c. 16. 20. & vice versa mensis vndecimus vocatur Sabath Zachar. 1. 7. 1. Machab. 16. 14. sicut decimus Tebeth. 2. Esther. 16. ducta est ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth. respondetque nostro Decembri, sicut Nouembri mensis nonus, qui dicitur Casleu. Zachar. 7. 1. in quarta mensis noni, qui est Casleu. sic & 1. Machab. 4. 12. Octauus Marchesuan, qui non memoratur in Scriptura, sed Bul dicitur octauus, 3. Reg. 6. 38. Septimus Tisri, qui 3. Reg. 8. 2. dicitur Ethanim. Sextus Elul qui Sextilis, vel Augustus. 2. Esdr. 6. 15. 1. Machab. 14. 28. Quintus Ab; Quartus Tammuz, quorum neuter in Scriptura nominatur. Tertius autem maxime Esther 8. 9. erat autem tempus tertij mensis, qui appellatur Siban, siue Siuan, Baruch 1. 8. qui est apud nos Maius, Aprilis autem Iiar, pro quo in Scriptura legitur Zio, 3. Reg. 6. 1. Primus denique Nisan, qui respondet Martio, Esther 3. 7. Mense primo, cuius vocabulum est Nisan. Sed hæc nomina recentiora sunt, scilicet à captiuitate Babylonica, præter Zio, Bul, & Ethanim. Primus etiam quondam vocabatur Abib, i. nouorum, siue nouarum frugum.

ANNVS MVNDI 3538. SEXTÆ ÆTATIS 22. Solutæ captiuit. 22. Darij hystaspis 7. Imperij Persarum 22. Zorobabelis, & Iosue Pontif. 22. Olymp. LXVI. 1. Vrbis cond. 237. Tarquin. Superb. 18.

ANNVS ANTE CHRISTVM 515.

I. *Pascha celebritas.*

INITIO anni huius, quo anno Ischyrus Imeræus, & Cleosthenes Epidamnius in Olympicis, ille cursu, hic curru victor fuit, post vnum alterumque à dedicatione mensem, accessit ad cumulum lætitiæ Paschale tempus atque celebritas, de qua subdit Esdras. a *Fecerunt autem filij Israel transmigrationis Pascha, quartadecima die mensis primi. Purificati enim fuerant Sacerdotes & Leuitæ, quasi vnus*, non minore scilicet cura ac diligentia, quam si vnus aliquis duntaxat fuisset purificandus. *Omnes mundi ad immolandum Pascha vniuersis filiis transmigrationis*, qui nimirum Ierosolymam confluxerant, vbi fas erat ex lege celebrari Pascha. *Et fratribus suis Sacerdotibus, & sibi. Et comederunt filij Israel, qui reuersi fuerant de transmigratione*, tam sub Cyro, quam sub Dario Hystaspis. *Et omnes qui se separauerant à coinquinatione Gentium terræ ad eos, vt quærerent Dominum Deum Israel.* Hæc erat non vulgaris causa lætitiæ, quod plerique desertis Idolis ad verum Deum facti proselyti conuerterentur, & cum ijs qui origine Iudæi erant, ritus Hebraicos celebrarent. Forte in ijs erant etiam, qui tempore captiuitatis ad vicinas gentes peregrinati, sordibus idolorum cum ijs coinquinati fuerant, & ad Iudæorum reditum resipiscentes, ad eos sese aggregauerunt.

a 1. Esd. 6. 19.

Iudæi & proselyti.

II. *An & Israelitæ.*

NON desunt qui putent non eos tantum Israëlitas, qui erant de tribubus Iuda, & Beniamin, ad hanc celebritatem conuenisse, sed plerosque de aliis tribubus, de quibus etiam vsurpatur transmigrationis vocabulum. a Idque ex eo etiam confirmatur, quod Cyrus non solis tribubus Iudæ & Beniamin potestatem fecit repetendæ patriæ, sed omnibus de vniuerso populo suo, vbicunque gentium habitarent; Assyria videlicet, Media, Babylonia, Perside, quæ eius imperio iam tum parebant. Sed nec Darius, cum alios Israëlitas anno secundo regni sui, cum Zorobabele honorifice dimisit, & mille equites præsidio dedit, quemquam prohibuit eo nomine reuerti, quod non esset de regno Iuda, aut de captiuitate Babylonica. Idemque de tertia remigratione, quæ sub Artaxerxe contigit dicendum, vt patet ex 1. Esdræ c. 7. b Quamuis enim maxime celebrentur, qui erant de regno Iuda, reliqui tamen non excluduntur, sublata iampridem distinctione regnorum. Plerique tamen de vtroque regno aucti bonis, vxoribus, liberis, amicis in loco peregrinationis suæ, exilium patriæ antetulerant. Quorum ergo Deus corda tetigit, subduxerunt sese ab alienigenis, & fidelis populi lætitiam geminarunt.

a 2. Par. c. 5. v. 22.

b v. 13. & colligitur ex 1. Esdr. 10, 25.

III. *Persarum in Hebræos beneuolentia.*

OMNES itaque Israëlitæ, qui conuenerant Hierosolymis, *Fecerunt solennitatem Azymorum septem diebus in lætitia; quoniam lætificauerat eos Dominus, & conuerterat cor regis Assur ad eos.* Id est, regis Persarum Darij Hystaspis, cuius imperio parebant Assyrij, & Babylonij. Conuerterat autem, non solum vt liberos dimitteret Iudæos, sed etiam, *vt adiuuaret manus eorum in opere domus Domini Dei Israel*, iuxta ea, quæ promiserat Darius Zorobabeli. Hæc confirmat Iosephus. b Epulati sunt, inquit, per continuos dies septem, nullis sumptibus parcentes, holocaustomata etiam offerentes; & agentes gratias Deo, qui eos tandem antiquæ patriæ & eius legibus, ac ritibus restitueret, deflexo ad benignitatem Persici Regis animo. Atque ita summa liberalitate in re diuina vsi, incoluerunt Hierosolyma, instituta ea Reipub. forma, quæ per optimates administratur. Penes pontifices enim fuit summa autoritas, donec Assamonæorum gens, mutato rerum statu, regnum obtinuit. Ita Iosephus, quæ sic intelligenda sunt, vt se nihilominus Iudæi seruos regis Persarum, etiam coram Deo profiterentur, quamuis ab iis non seruilem in modum, sed humanissime tractarentur. Sed omisso nunc Iosepho reuertamur in Persidem.

a supra an. 2. Darii n. 21. & seqq.

b l. 11. c. 4.

c 1. Esd. 9. 9.

IV. *Megabyzus regem ab Histiæo auertit.*

CVM Megabyzus, qui erat vnus è septem, qui Magos sustulerant, Sardis Lydorum metropolim, vbi tum erat Darius, venisset è Thracia, Pæonas eiusdem iussu, à patriis sedibus in Asiam transferens, & quid Histiæus Milesius à Dario impetrasset, & quid ille iam ageret didicisset, Regem libere admonuit minime esse è re imperij Persici, locum dedisse ad vrbem condendam in Thracia viro Græco, eidemque solerti & industrio; vbi affatim lignorum esset ad ædificandas naues, vbi multi remiges, multæque pecuniæ, vbi multi Græci, barbarique habitarent, qui nacti ducem, facturi essent quidquid ille præcepisset, sicque domesticum sibi bellum ipsemet pararet. Itaque suasit vt Histiæum ad se suauiter euocaret, eoque accepto daret operam, ne vnquam in Græciam reuerteretur.

V. *Eum ad se rex euocat, & apud se detinet.*

DARIVS probato consilio Histiæum ad se accersiuit, Qui se honorifice à rege euocatum videns, ad eum adiit, relicto Mileti procuratore Aristagora, genero, ac consobrino suo. Quo maxime administro vsus est Histiæus ad defectionem. Eum ergo Rex secum vt consiliarium, conuictorem, & amicum fidelissimum habuit, & secum duxit, Susam iter intendens, relicto Sardibus Artapherne fratre suo præfecto, Otane vero præfecto oræ maritimæ, cuius patrem Sisamnem, vnum è regiis iudicibus, quod

Sisamnis iniustitiæ pœna.

iniuste ob pecuniam iudicasset, Rex Cambyses interemit, interemptoque detractum corium in lora concidit, quibus tribunal intendit, in quo ille sedens iudicarat; ibidemque eius filium Otanem sedere iudicem præcepit, atque in memoria habere, in quo tribunali iudicaret. Ita Herodotus. *d* Non fuit hic Otanes vnus è septem, qui Magos sustulerant, hic enim filius Pharnaspis fuit, ille Sisamnis. Hic ergo Otanes in eo tribunali sedens, tunc Magabyzi successor, exercitus Byzantios, ac Chalcedonios, aliosque plerosque Persarum imperio adiecit.

VI. CÆTERVM cum Aristagoras, Mileti pro Histiæo socero Gubernator, apud Persas offendisset, & ab eis Mileto priuari timeret, trepidus de defectione consultabat. Cum contigit ad eum venire Susis ab Histiæo quempiam compuncto notis capite, quibus Histiæus Aristagoram commonefaciebat, vt à rege deficeret, sperans eo facto se ad mare cum rege venturum, & eo relicto Ionibus contra Darium ducem futurum; alioqui se Mileto perpetuo cariturum. Re intellecta Aristagoras retulit ad seditiosos, tam de sua sententia, quam de Histiæi mandatis; & non ægre vicinos populos ad libertatem quærendam induxit. Deinde etiam Lacedæmonios in belli contra Persas societatem inducere conatus est; sed id à Cleomene eorum rege cum non impetrasset, ad Athenienses sollicitandos meliore successu transiuit, quod non nisi sequenti anno arbitror fieri potuisse. Scribit autem Thucyd. l. 4. Aristagoram Milesium, cum regem Darium fugeret, coloniam ad Strimonem fluuium condere tentasse, vbi postea Amphipolis condita est, sed ab Edonis expulsum fuisse, deinde vero Athenienses, post duos & triginta annos, decem millia colonorum eo misisse.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3538.

Quod autem ibid. Iosephus addit Iudæorum Remp. sub regibus stetisse per annos 532 menses sex, & dies decem: & sub Iudicibus plusquam quingentis annis, post Moysis, & Iesu imperium, facile aperta falsitas arguitur. Nam ab exitu Israelitarum ex Ægypto, vsque ad iacta à Salomone templi fundamenta, 480. annos tantum numerat 3. Reg 6 ex quibus 3. anni Salomonis, & 40. Dauidis, & 18. vel 20. Saulis auferendi essent, quia non censentur in Iudicibus, sed in regibus. Tantum abest vt plusquam quingentis annis Iudices illi Rempub. gubernarint. A Saule vero ad vltimum Sedechiam, non 532. sed 485 reperiuntur, vt fusius alibi contra Iosephi Chronologiam vnd que vacillantem disputauimus. an. 3446. n. 49. & 3447. n. 2. & seqq.

ANNVS MVNDI 3539. SEXTÆ ÆTATIS 21. Solutæ captiuitatis 23. Darij hyst. 8. Imperij Persarum 23. Zorobabelis, & Iosue Pontif. 23. Olympiadis LXVI. an. 2. Vrbis cond. 238. Tarqu. Superbi 19.

ANNVS ANTE CHRISTVM, 514.

I. MILESIVS Aristagoras à Cleomene rege Lacedæmonio Sparta reiectus, Athenas venit, vbi eadem quæ in Sparta, commemorauit, de commodis, quæ essent in Asia, deque Persici belli facilitate, quod Persæ neque scutum, neque lanceam in vsu haberent, facilesque essent ad capiendum. Addebat etiam Milesios esse Atheniensium colonos, quos æquum esset ab eis liberari, qui præ cæteris multum possent. Denique nihil non pollicebatur, omnibus precibus obsecrans, donec eos denique in suam sententiam induxit. Ad quod non leue momentum attulit præsens apud Athenienses rerum status, quem refert idem Herodot. *e* Cum enim Hippias Pisistrati filius, & Hipparchi frater, Atheniensium dudum Tyrannus Athenis pulsus in Asiam profectus esset, ibique apud Artaphernem Darij fratrem, omnem moueret lapidem Athenienses criminando, vt Athenæ sub illius, & Darij venirent potestatem, Ea re comperta misêre Sardis Athenienses nuncios, qui Persis dissuaderent fidem habere Atheniensium exulibus. Verum Artaphernes præuentus verbis Hippiæ, ad Athenienses scripsit, vt si salui esse vellent, suis Hippiam reciperent. Athenienses eam conditionem recusare, malleque se Persarum hostes profiteri.

II. INITIA BELLORVM INTER PERSAS, ET GRÆCOS. HIS ergo superueniens Aristagoras, facile persuasit Atheniensibus, belli vt societatem cum Ionibus inirent, quibus vel solitarium contra Persas bellum suscipiendum erat. Decreuêre igitur viginti naues Ionibus auxilio mittendas, Melanthio illis præfecto, viro inter populares suos eximio. Ea classis, inquit Herodotus, initium malorum extitit Græcis pariter & Barbaris. Ante cuius egressum Aristagoras Miletum reuectus, Pæonios fugam è Phrygia in patriam persuasit spe recuperandæ libertatis, vt Dario, à quibus diligebantur, afferret molestiam. Interea Atheniensium classis ad Milesios appulit, cum quibus, aliis etiam belli sociis adiunctis, Ephesum peruenêre. Vbi relictis nauibus, cum ingenti manu, Caystro & Tmolo fluminibus superatis Sardis aduenerunt, easque occurrente nemine capiunt, & præter arcem, quam Artaphernes ipse tutabatur, vniuersam incendunt; quo incendio templum quoque Cybeles deflagrauit: quo prætextu postea vsi Persæ, templa Græciæ cremauerunt. Græci ergo re ita gesta, cum viderent Persas ad arma concurrere, & sensim conglobari, fugæ sese dedere, multisque è suis amissis, in pugna Ephesi commissa, ad propria euasere.

III. VBI nunciatum est Dario Sardis captas, incensasque ab Atheniensibus, atque Ionibus, quæsiuit qui essent Athenienses. Quod cum didicisset, arcum poposcit, eoque sumpto, sagittam quam imposuerat in cœlum excussit, & simul. *O Iupiter*, inquit, *contingat mihi vt Athenienses vlciscar.* Atque hæc locutus cuidam famulorum præcepit, vt sibi semper apposita cœna ter diceret, *Here memento Atheniensium.* Tum ascito ad se Histiæo Milesio, de eo, tanquam participe defectionis, & conscio, conqueritur. Ille contra tergiuersari, & dicere si quid à suis commissum esset mali, id ob absentiam suam contigisse, sed si à rege dimittatur, facile omnia in pristinum statum repositurum: imo & maiora adiecturum Persico imperio. Quibus persuasus Darius Histiæum dimisit, hostium deinceps contra se ducem futurum.

IV. QVOD Artaphernem Sardium præfectum non latuit. Cum enim, vt inquit l. 6. scribit Herodotus, à Dario commeatum adeptus, Sardis venisset è Susis, interrogatus ab Artapherne, quidnam ei videretur Iones ad defectionem induxisse. Negauit ille se id scire, quin imo mirari quod actum esset ab Aristagora. Cui Artaphernes. *Hunc calceum*, inquit, *tu consuisti, Aristagoras autem sibi induit.* Quo audito Histiæus tanquam rei gnarum veritus, prima statim nocte fuga se ad mare proripuit, primasque partes subijt Ionici belli aduersus Darium gerendi. Sic Herodot. Nec plura hoc anno inter Persas & Græcos gesta, si recte Herodoti narrationem dimetiri potuimus.

V. ROMANÆ res his annis conticescunt. Nihil enim memoriæ proditum reperio vsque ad bellum Ardeatinum, quod nonnullam dedit occasionem Romanæ libertati, quod non videtur vltra biennium, aut ad summum triennium perdurasse. Quo autem tempore Tarquinius tres emerit libros Sibyllinos de nouem, cæteris ab eadem muliere combustis, quæ eos venales obtulerat, proditum non est quod sciam. Rem Dionys. fusius enarrat l. 4. atque eam fuisse de libris illis apud Romanos opinionem, eos vt diuinitus ad Vrbis felicitatem datos arbitrarentur, & ijs consultis, à grauissimis periculis multoties conseruatam faterentur. Etiam tum Tarquinius duos è ciuibus viros illustres elegit, additis duobus ministris publicis, quibus eorum custodiam commisit. Expulsis postea regibus, ciuitas suscepta Sibyllinorum cura, clarissimos viros numero 10. custodiæ eorum creauit, qui toto vitæ tempore eo munere fungerentur, liberi ab omnibus militaribus ac ciuilibus oneribus, qui eos, cum aliquis Reipub. casus id exposceret, studiose, ac religiose inspicerent. Ij postea cremato Capitolio, cum aliis Iouis donariis, post 173. Olympiadem igne absumpti sunt.

ANNVS MVNDI 3540. SEXTAE AETAtis 24. Solutæ captiuit. 24. Darij Hystaspis 9. Imperii Persarum 24. Zorobabelis, & Iosue Pontif. 24. Olymp. LXVI. 3. Vrbis cond. 239. Tarquin. Superb. 20.

ANNVS ANTE CHRISTVM 513.

HVNC annum nonum celebrem reddere conatus est Iosephus absolutione templi, licet Scriptura repugnante; sed eum anno sexto, quo res contigit, refutauimus. Nunc autem quoniam non occurrit alius commodior locus, referenda videtur illa legatio, quam Iosephus a mox à templi absolutione recensuit, quoniam nulla ab eo temporis notatio fuit adiecta. *Samaritæ autem, inquit, infensa gens & inuida, multis molestiis eos afficiebant, puta Iudæos, fretiopibus, & affectantes cognati Persarum videri, quod inde essent oriundi. Nam quæ iussi erant, ex tributis in sacrificia conferre grauabantur, magistris equitum interim conniuentibus: & quacumque in re vel per se, vel per alios poterant nostram gentem lædere, nullam occasionem prætermittebant. Visum est itaque Senatui, populoq. Hierosolymitano legationem ad regem Darium mittere, & Samaritas accusare, cuius legationis caput fuit Zorob. assumptis aliis quatuor collegis.*

II. CÆTERVM *rex cognitis criminibus, quæ per legatos Samaritis obiiciebantur, dedit eis literas perferendas ad magistros equitum eius prouinciæ, & ad senatum Samaritanum, in quibus hæc continebantur. Rex Darius Tangaræ, & Sambabæ magistris equitum apud Samariam: & Sadracæ, ac Bobeloni, reliquisque eorum conseruis. Zorobabel, Ananias, & Mardochæus Iudæorum legati accusauerunt vos, quod molesti fueritis templum ædificantibus, quodque non præbeatis impensas in sacrificia, quas me iubente præbere illis debueratis. Volo igitur vt lecta hac epistola præbeatis eis ex regio ærario, in quo tributa Samariæ seruantur, quidquid sacrificiorum vsus postulat. vt non desinentes quotidie sacrificare, tam pro me, quam pro Persarum gente deprecentur.* Ita Darius Imperator apud Iosephum.

III. HVIVS legationis cum nullum vestigium in scriptura aut sacra, aut apocrypha, Latina, Græca, vel Hebræa reperiatur, & aliunde iure nobis Iosephi suspecta sit fides, non leuis est suspicio, eam totam à Iosepho, qui neminem laudet autorem, esse compositam; affirmante factum esse, quod ille existimauit fieri tum oportuisse. Sed ne satis quidem probabiliter excogitata videtur. Nam querela illa, de Samaritis tributa in sacrificia non conferentibus, inanis est: neque enim ad ea Darius eos obligauerat. Vt patet ex 3. Esdræ, a vbi diligentissimè perscriptum est, quidquid Darius Iudæis gratificabatur: quæ nos anno 2. Darij non negligenter distinximus, vbi Iosephus, licet alia multa peccauit, (& nominatim in 50. talentis, quibus Samaritas ad templi fabricam suo decreto damnauit, cum Rex 10. tantum talenta in templi fabricam destinasset, eaque non à Samaritis, sed à præfectis & magistratibus suis pendi voluisset) huius tamen tributi, cuius causa nunc idem ipse legationem instituit, ne meminit quidem.

IV. DEINDE quam probabile est hoc nouum Darij rescripti m? Nam cum decreuisset ante, vt constat ex 1. Esdr. 6. b vt darentur tributa ex arca regis ad ædificandum templum; & vt vituli, & agni, & hædi, & alia necessaria quotidie darentur in sacrificia, & quidem ea pœna proposita, vt qui iussionem regis mutaret, de domo eius erigeretur patibulum, in quo reus configeretur, domusque eius publicaretur; nunc demum violata multis modis, vt ipse ait, iussione, nullam de sontibus vindictam sumi decreuit, nihil de præfectorum negligentia queritur, sed ipse quoque sui decreti negligens, frigide iussionem eandem repetit. Præterea quomodo verum est præfectos Darij, vel omnino Samaritas accusatos à Iudæis, quod molesti fuissent templum ædificantibus, cum Iosephus idem paulo ante scripserit, post Darij rescriptum, quod 1. Esdr. 6. continetur, suscepta citra sacræ fabricæ, illos adiumento fuisse Iudæis, & magistratibus illorum, & magnis omnium studiis templi ædificationem, iuxta mandata Darij & Cyri, profecisse. Certe Scriptura eodem loco c tradit præfectos Darij diligenter executos esse, quod Darius rex præceperat. Nimirum Iosephus patrio, & suo in Samaritas odio, hoc loco nonnihil indulsit.

V. ATHENIENSES præcedente in Persas expeditione cum Ionibus perfuncti, sese ab iis seiunxerunt, & nihilominus vtrique hostiliter sese deinceps contra Persas gessere. Nam Iones, quamuis Atheniensium societate fraudati, Hellespontum inuecti, Bizantium, ac cæteras circa vrbes in potestatem redegerunt. Inde euecti magnam Cariæ partem in belli societatem asciuerunt. Cyprii quoque omnes, exceptis Amathusiis, defecerunt à Persis, & eandē belli aleam cum Ionibus iecerunt, & cū eis infeliciter contra Persas duce Onesilo pugnauerunt: deniq; in seruitutē, post longam obsidionem, redacti sunt. Contra Athenienses vero non tam cito à Persis pugnatum est; ad eos enim sibi parare iter, per deuictos Iones studuerunt. Interea cū Histiæus in Chium transmisisset, ab iis in vincula cōiectus est, existimantibus à Da[rio] missum, ad res nouas moliendas. Verum vbi rem omnem didicere, hominem soluerūt. Qui non destitit Persas, qui Sardib. habitabant, ad rebellandum per literas sollicitare, quę res cum Artapherni innotuisset, de multis Persarum, Sardibus suppliciū sumpsit.

VI. AD nonum annū Darii refert à Castro, quæ Zacharias c. vndecimo vaticinatus est. Vbi Ribera interprete, Propheta lætis subiungens tristia, excidium Hierosolymitanum, & Iudaicæ gentis abie[cti]onem prædicit, propter perpetratum scelus in Christum Dominum, quem 30. argenteis empturi erant, vt eum supremo supplicio afficerent. In cuius facinoris pœnam excæcati, aliquando idolum quoddam Messiæ pro vero Messia amplexuri sint, Antechristum; cuius etiam supplicium indicatur.

ANNVS MVNDI 3541. & 42. SEXTÆ ÆTAtis 25. & 26. Solutæ captiuit. 25. & 26. Darij Hyst. 10. & 11. Imp. Persarum 25. & 26. Zorob. & Iosue Pont. 25. & 26. Olympiad. LXVI. an. 4. & LXVII. an. 1. Vrbis cond. 240. & 41. Tarquin. Sup. 21. & 22.

ANNVS ANTE CHRISTVM 512. & 511.

I. ZACHARIÆ circa hos Darii annos, vt à Castro probabiliter censuit, vaticinia capitis duodecimi referuntur, vbi sub nomine Ierusalem prædicit Ecclesiæ prosperitatem, & calamitates quibus eius hostes opprimendi erant, & perpetuam Dei erga eam protectionem atque prouidentiam, missionem Spiritus sancti, confusionem, ac lamenta Iudæorum in Dei iudicio, cum videbunt iudicem viuorum atque mortuorum à se cruci affixum, ob quod facinus, malitia, atque infidelitate perseuerante, æternis suppliciis addicendi sunt. Hæc ferme Ribera.

II. HISCE annis duobus, quorum posterior Sabbaticus fuit, ordine 137. & Olympiadi 67. dedit initium, qua Phanas Pellinæus vir fortissimus triplici certamine victor fuit, stadii, diauli, siue iterati cursus, & armorum, siue armatæ exercitationis, quam Olympiade 65. introductam diximus. His inquam duobus annis Persæ contra Cares & Milesios non incruenta bella gesserunt, quæ pluribus persequitur Herodotus sub finem lib. 5. & initia sexti. Quando victus Aristagoras in Thraciam fugiens à Thracibus cum suis interfectus, pœnas susceptæ Ionicæ defectionis exoluit. Histiæus autem exoratis Chiis, à quibus dudum fuerat coniectus in vincula, Miletum reductus est. Sed Milesii libenter etiam Aristagora liberati, nullo pacto animum inducebant ad alium tyrannum recipiendum, vipote degustata libertate.

III. AT Histiæus conatus sub noctem Miletum introire, à quodam Milesio in femore vulneratus est. Ita reiectus à patria sua, rursus se recepit in Chium, atque illinc, quoniam Chios ad tradendas sibi naues inducere non poterat, traiecit Mitylenem, Lesbiisque, vt sibi naues traderent, persua-

Marginalia: LEGATIO FICTITIA. | Legatio Iudæorum contra Samaritas. | a L. 11. c. 4. | Rescriptum Darij. | Improbatur ista legatio. | a c. 4. v. 47. ad 8. & apud 70. in 2. lib. c. 4. | Principisque rescriptum. b v. 8. & seqq. | c 1. Esdr. 6. 13. | Iones in Persas hostiliter agere pergunt. | Et alia ad defectionem adducunt. Et vincuntur. | Zacharia cap. 11. | Zacharia Prophetia cap. 12. | Res à Persis gesta contra Cares & Milesios. | Histiæus vagatur, & piraticam exercet.

persuasis, octo illorum triremibus armatis Bisantium remigauit, ibique subsidens nauigia, quæ in Pontum prodibant, intercipiebat, eorū, qui ipsi assentiebantur, nauibus parcens.

Histiæo, & Mitylenæis hæc agentibus, aduersus ipsam Miletum ingens exercitus hostium, classiarius pariter & terrestris, in expedito erat. Duces enim Persarum, coactis in vnum copijs, cuncti in eam contendebant, minoris cætera oppida facientes. Inter classiarios promptissimi erant Phœnices, cum quibus militabant, & Cyprij recens subacti, & Cilices, & Ægyptij.

IV. *Iones classem in Persas instruunt & vincuntur.* HOS aduersus Miletum, & cæteram Ioniam venturos cum accepissent Iones, miserunt suos quique primores ad commune concilium; cui visum est nullas debere aduersus Persas terrestres copias contrahi, sed oportere Milesios mœnia per seipsos tutari pro viribus, cæteros classem instituere, quam possent maximam, instructaque classe, primo quoque tempore contractos apud Ladam, quæ parua est insula Mileto obiacens, nauali pugna decernere. Itaque factum est: conuenere Ionicæ triremes trecentæ sexaginta tres, Barbaræ vero numero sexcentæ. Pugnatum est, victi Iones, fugatique, alij aliò profugere. *Miletus obsidetur.* Persæ victores Mileti obsidionem aggressi sunt. Quæ ad sequentem vsque annum tenuit.

ANNVS MVNDI 3543. SEXTAE AETATIS 27. Solutæ captiuitatis 27. Darij Hyst. 12. Imperij Persarum 27. Zorobabelis, & Iosue Pontif. 27. Olympiadis LXVII. an. 2. Vrbis cond. 242. Tarqu. Super bi 23.

ANNVS ANTE CHRISTVM 510.

I. *Miletus expugnatur.* SEXTVS est hic annus, ex quo rebellauerat Aristagoras, quo expugnatam Miletum tradit Herodotus. Persæ, inquit, victis pugna nauali Ionibus Miletum à terra atque mari obsederunt, suffossisque muris, & omni genere tormentorum admoto, eam funditus euerterunt, sexto quam rebellauerat Aristagoras anno, atque diripuerunt, vt defuncta sit ea calamitate, quam Delphicum oraculum prædixerat, quo ferebatur, Milesiorum vxores tanquam ancillas crinitorum Persarum pedes ablutūras, & delubrum, quod erat in Geminis, deflagraturum. Milesiorum pars cæsi à Persis, pars Susam in seruitutem abducti, nonnulli in Siciliam effugere: vxores, ac liberi, bonaque omnia in prædam cesserunt, templa conflagrarunt. Statim autem expugnata Mileto, Persæ Cariam cœpere, ciuitatibus partim se vltro dedentibus, partim vi adactis. Videtur hoc anno Tarquinius Superbus bellum contra Ardeates suscepisse, causam prætexens, vt scribit Halicarnas. l. 4. quod Romanos exules excepissent; eosque in obtinendo reditu adiuuarent. Sed reuera inhiabat eorum diuitiis, quod essent omnium Italorum locupletissimi. Itaque cum hostis fortiter resisteret, diu durauit obsidio.

ANNVS MVNDI 3544. SEXTÆ ÆTATIS 28. Solutæ captiuit. 28. Darij Hystaspi[illegible] Imperij Persarum 28. Zorobabelis, & Io[illegible] [illegible]ntif. 28. Olymp. LXVII. an. 3. Vrb. cond. 243. Tarquin. Superb. 24.

ANNVS ANTE CHRISTVM 509.

I. *Reliqua Zachariæ Prophetiæ. a I. 4. de Prophet. c. 8.* AD hæc circiter tempora refert Christophorus à Castro a reliquam Zachariæ Prophetiam, capitis decimi tertij, ac decimi quarti, vbi redit Propheta ad eandem Christi Domini passionem & mortem plenius exprimendam, cuius merito detur remissio peccatorum, peccata abluantur, Idololatria pessum eat. Exprimitur autem ipsa affixio cruci, & percussio pastoris, & dispersio gregis, per quendam dialogismum inter ipsum Christum, & patrem æternum: quod passionis tempore duæ futuræ sint partes hominum in omni terra, Iudæorum scilicet & gentilium; ex quibus coalescet tertia, quæ Christianorum est, quam Dominus [illegible] aduectus, sicut aurum in fornace, probaturus est. Hic populus inuocabit nomen Domini, & exaudietur ab eo, & erit populus eius, & Dominus erit Deus eius. Et quod ad Iudæos quidem attinet capite vltimo eorum excidium sub Tito & Vespasiano prænunciat, in pœnam mortis illatæ Christo Domino, qui partim in captiuitatem abducendi erant, partim in ipsamet vrbe peste, gladio, fame interituri. Quod autem ad Gentiles, præliabitur Dominus contra eorum errores & superstitiones, & aggregabit eos ad Ecclesiam suam, donec veniat ille iudicij dies soli Domino cognitus. Sed hæc obiter dicta, pluribus à Ribera, Castro, & Sanctio explicantur, quæ nos, in horum temporum ieiunitate rerum factarum, atque inopia, non duximus prætermittenda.

II. *Clades Sybaritarum. Histiæus Chios subigit. a I. 6. g. 149.* CROTONIATÆ Milone Athleta duce maximo prœlio Sybaritas vicerunt hoc anno, direptaque eorum vrbe, eam plane desolatam reliquerunt. Catal. Olymp. vtique ex Herodoto, a nec tamen satis fideliter; quippe qui nec Milonis ducis meminerit, nec tempus notarit, & Budæus interpretes recte olim contigisse memorat. Nam hoc tempore illa vrbe amissa, Laon & Scidron incolebant. Histiæus Milesius dum circa Byzantium agit, & Ionum onerarias naues, quæ è Ponto cursum tenebant intercipit, nuncium de rebus ad Miletum gestis accipit, & cum Lesbiis Chium proficiscitur, eosque ex nauali prælio afflictos subigit; inde, cum multa Ionum & Æolum copia, aduersus Thasum contendit. Cui obsidenti Thasum cum esset nunciatum Phœnices à Mileto in reliquam Ioniam profectos esse, Thasum inexpugnatam relinquit, atque in Lesbum traijcit cum omnibus copijs.

III. *Ab Harpago Persa victus occiditur.* CVMQVE frumentandi gratia egressus esset in terram, incidit in Harpagum Persam non parui exercitus ducem, & commisso certamine, maior exercitus eius pars cæsa, & Histiæus ipse captus, & Sardis perductus, iussu Artaphernis, & Harpagi capite truncatus, in crucem sublatus est. Hunc finem sortitus est Histiæus Ionici belli contra Persas, defectionisque primarius artifex; quo non multo feliciorem postea nactus est Hippias, qui Persas contra Athenienses incitauit. Caput sale conditum, Susam ad regem Darium detulerunt. *Dario improbante.* Qui facti authores obiurgauit, quod hominem viuum in conspectum suum non adduxissent; iussitque eos caput elutum atque obuolutum sepelire, tanquam viri de ipso, ac de Persis bene meriti, in Scythico videlicet Istri traiectu, vt non immerito sperauerit Histiæus se, si ad regem viuus esset perductus, veniam impetraturum, & gratiam redintegraturum.

IV. *Bellum Ardeatinum.* QVOD ad bellum Ardeatinum attinet. Cum Ardeates viris fortunisque abundarent; & se suaque fortiter propugnarent, longius protrahebatur obsidio. Itaque & in castris milites lentum bellum fatigabat; & in vrbe ciues continua tributa exhauriebant, spectabatque res ad defectionem, si modo quis præberet initium, quod anno sequente datum est, quo regno exutus est Tarquinius. Nam in celebri illa controuersia, de anno primorum consulum, Varroni, Dionysio, & Liuio, optimis scilicet authoribus, qui eum esse aiunt 244. Vrbis conditæ, merito acquiescendum existimaui.

ANNVS MVNDI 3545. SEXTÆ AETATIS 29. Solutæ captiuitatis 29. Darij Hyst. 14. Imperij Persarum 29. Zorobabelis, & Iosue 29. Olympiadis LXVII. ann. 4. Vrbis cond. 244. Tarqu. Superbi 25. & vlt.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 508.

I. *Tertio Iones [illegible].* PERSARVM nauticæ copiæ, vt scribit Herodotus, circa Miletum hybernantes, altero à profectione anno, haud difficulter insulas continenti adiectas cœperunt, Chium, Lesbum, Tenedum: vrbes quoque in continente; sicque tertio Iones sunt in seruitutem redacti,

primum à Lydis, bis deinceps à Persis. Profectusque ab Ionia naualis exercitus, omnia quæ ad læuam sunt in Hellespontum nauigantibus, subegit. Nihilominus Artaphernes Sardium præses, Ioniam per parasangas diuisit, ita enim Persæ tricena stadia appellant, & regionatim vectigal imposuit, quod Regi penderent, quod vectigal Iones, ad ætatem vsque Herodoti, penderunt.

II. IAM vero quod ad rem Romanam attinet, hic est annus electi ex vrbe ac regno Tarquinij Superbi, & mutatæ in nouam formam Reip. De anno, vt id primum dicamus. Aliqui antiquorum certo id tempus definire noluerunt, vel non potuerunt, vt L. Florus, qui in prolog. historiæ Rom. ait primam ætatem sub regibus fuisse prope 250. per annos: vt Aurelius Victor, siue Cornel. Nepos qui à numero annorum prorsus abstinuit: vt Euseb. in Chron. qui ait septem reges imperasse Romæ annos 240. siue, vt quibusdam placet 243. vt Solinus cap. 2. ducentis quadraginta & vno, seu potius, vt ex singulis regum annis quos posuit colligitur, 240. Diminuit enim annos Seruij Tullij, & Tarquinij Prisci, & vnum illum annum ex interregno, Romuli addit: vt Cassiodorus qui 240.

III. AT Dionys. quem maxime sequimur, vt exactissimum, atque diligentissimum, communi doctorum iudicio, ita l. 4. rem terminat. *Regium ergo imperium cum annos ab Vrbe condita ducentos quadraginta quatuor numero perdurasset, & sub postremo rege in tyrannidem degenerasset, euersum est:* Sic Dionys. qui eadem totidem fere verbis, init. l. 5. repetit; & sub lib. primi med. & probat ea singulorum regum subductis annis: imo ex eo quasi indubitato principio, elicit primum Romuli, & vrbis annum. Liuius quoque a *L. Tarquinius Superbus*, inquit, *regnauit annos quinque & viginti. Regnatum Romæ, ab condita Vrbe ad liberatam, annos* 244. Cum ergo bi duo primi summique in historia Romana consentiant, facile cæterorum iudicia contemni possunt. Sed accedunt etiam multi alij, de quibus seorsim dicemus aliquid: hic addo Varronem & Messalam Coruinum in libello de Augusti progenie, vbi de Tarquinio. *Iam Bruti*, inquit, *opera pulsus, exulatam tum sceleste coniuge, ac filiis fuga periit, anno regni trigesimo quinto, ab Vrbe vero condita* 244.

IV. FACINVS porro cuius occasione regiæ dominationi impositus est finis, ex fusiore Dionysij narratione sic habet. Cum belli Ardeatini tam milites in castris, quam ciues in vrbe tæderet, & illi diuturno labore, isti sumptibus, nullo vtrique fructu grauarentur, Sex. Tarquinius fratrum natu maximus Collatiam à Patre missus, ad exequenda quædam negotia militaria, diuertit ad cognatum suum, L. Tarquinium cognomine Collatinum, qui tum ad Ardeam agebat in castris. Vxor eius, Lucretij nobilis Romani filia, hominem, vt viri cognatum, benignissimè accepit. Eam ille matronarum eximiæ inter Romanas formæ, ac pudicitiæ, occasione absentis mariti vitiare constituit. Cumque noctu in cubiculum eius cum gladio penetrasset, subito experge factam iacere, & in cubiculo manere iussit, cædem minitans si aufugere, aut vocem tollere conaretur.

V. SIC peteretrix fœminæ optionem proposuit vtrum mallet mortem cum turpitudine, an vitam cum fœlicitate coniunctam. Nam consentienti stuprum flagitium, regnum Romanum sibi iure debitum pollicebatur, coniugi, ac reginæ futuræ. Reluctanti autem primum mortem offerebat, deinde infamiam. *Iugulato enim vno è famulis compenam*, inquit, *vestra corpora, & fingam vos in stupro deprehensos, pœnas mihi dedisse, non ferentem gentilis iniuriam; vt præter probrosam interitum etiam sepultura, cæterisque solennibus careatis.* Denique effecit vt Lucretia, metu ignominiosæ mortis territa, perferret, quæ illi patrare libuisset. Imprudens, & misera, quæ gloriam pudori prætulit, nec in Deum, vt S. Susanna, cum fiducia, tanquam pudicitiæ protectorem confugit. Quanquam infelix non habuit ad quos confugeret pudicitiæ propugnatores, sed expugnatores deos. Sed hæc culpa Lucretiæ, nec vltima fuit, nec maxima. Nam qui cruentum persuaserat dæmon, eius etiam tantum intulit dolorem, vt, præ illius impatientia, etiam ipsius longe criminosiorem cædem persuaserit.

VI. NAM vbi illuxit, conscenso carpento Romam properat, amictu atro, & cultro sub vestem abdito, neminem neque intuens, neque alloquens, sed lachrymis vultum rigans, donec in paternas ædes ventum est, vbi genua patris complexa, coram cognatis aliquam diu tacita fleuit, tandem à patre subleuata, rogatusque quid ei triste accidisset, supplex à patre postulat, vt quotquot amicos, aut cognatos posset; conuocaret, in quorum conspectu & iniuriam exponeret, & remedium flagitaret. Quibus propere conuocatis, vbi in ædes confluxere, denarrat eis rem omnem ordine. Dein complexa prius patrem, multisque tum ipsum obtestata, tum cæteros, comprecataque deos, & dæmonas, vt se cito è vita eximerent, strictum cultrum in præcordia alte demisit, & in paternis vlnis palpitans luctantem animam emisit.

VII. IS omnibus, qui aderant tam graue ac miserandum visum est, vno vt ore vociferarentur, satius esse pro libertate vel millies emori, quam tales à tyrannis iniurias perferre. In ijs erat P. Valerius vir prudens, & industrius, qui ad exercitum ab eis mittitur indicaturus viro casum Lucretiæ, & cum illo ad defectionem à tyrannis sollicitaturus multitudinem militarem. Vix portam egressus erat Valerius, cum ei Collatinus è castris in vrbem tendens fit obuius, domesticæ calamitatis inscius, & cum eo L. Iunius cognomento Brutus, qui audita nece Lucretiæ, ad ædes reuersi, post communem omnium complorationem, rogat Brutus, vt dilatis in aliud tempus lachrymis, de vlciscenda eius iniuria meditentur, & remota famulorum, & mercenariorum turba, præfatus causam simulatæ stultitiæ, hortatus est vt vnanimes consociata opera Tarquinium, & filios vrbe pellerent.

VIII. QVOD cum omnes æque sentirent, primus ipse arrepto gladiolo, quo se illa confoderat, accessit ad cadauer, quod etiam tum propalam iacebat spectaculum miserabile, & imposito ei cultro iurauit Martem, deosque cæteros, se quidquid posset, ad subuertendum Tarquinij dominatum moliturum esse, & nec se cum tyrannis in gratiam rediturum esse, nec alijs reconciliandæ gratiæ copiam facturum, diuersumque sentientes pro inimicis habiturum, & cum tyrannide, tyrannidisque socijs perpetuas simultates exerciturum. Quod si iusiurandum violaret, talem sibi, suisque liberis exitum vitæ imprecabatur, qualis miseræ illi contigisset.

IX. CVMQVE singuli eodem se iureiurando obstrinxissent, Bruti sententia fuit, ante omnia custodiam portis adhibendam, ne quid Tarquinius sentiret eorum, quæ in vrbe agitabantur contra tyrannidem, rebus nondum paratis. Deinde prolato in forum corpore mulieris, vt erat cruore fœdatum, Lucretius pater, & Collatinus coniux progressi in medium deplorarent suum infortunium, & rem omnem ordine exponerent, reliqui deinde alius post alium accedentes accusarent tyrannidem, & ciues vocarent ad libertatem, ad quam iampridem aspirarent: moxque à populo suffragia, de abrogando Tarquinio imperio, eliciendo, & super ea re plebiscitum ad castra quamprimum mittendum, vt exercitus totius vrbis iudicium, & consensum sequeretur.

X. DEINDE in consilio de forma Reipubl. eodem imprimis autore deliberant; ac definiunt Regni nomen in Republ. mutandum esse: Regis quoque nomen, nisi in Rege sacrorum, abrogandum, introducto mitiore; potestatem regiam in duos, qui annuo magistratu pari iure atque autoritate fungerentur, esse diuidendam, vt alter alterum vereretur, & continere posset in officio, si quando res ita ferret. Ea sententia cum ab omnibus probata esset, eodem etiam modo populo probata est. Reprobata est enim ab omnibus Tyrannis, decretum Tarquinij exilium, & capitale supplicium ei, qui illis fauturus esset, decreti duo consules annui cum potestate regia. Tum Brutus, qui dudum erat Tribunus celerum, Interregem, ad peragenda more patrio comitia, dixit Sp. Lucretium, qui coacto in campo Martio populo, nominauit Brutum & Collatinum, qui regia munera loco Regis obirent, quibus populus, si videretur, eum honorem ratum faceret, quod & fecit.

XI. *Rex Tarquin. non admissus.* DVM hæc in vrbe geruntur, Tarquinius Rex vbi ex primis nuncijs, qui per vrbis portas, priusquam clauderentur, euaserant, hoc solum cognouit Brutum concionibus sollicitare populum, ciuesque ad libertatem vocare; se nemini communicata, filijs tantum, & amicorum fidissimo quoque comitatus, effusis in cursum equis properat, immaturam defectionem præuenire cupiens. Cumque portas clausas reperisset, tectaque armatis propugnacula, *Vrbe exclusus, & castra.* quantocius castra gemens, seseque afflictans repetebat, sed illuc quoque rebus iam perditis peruenit. Consules enim celerem eius aduentum animo prouidentes, diuersis itineribus literas ad milites in castra miserant, expositoque vrbanæ multitudinis decreto, hortati eos erant, vt à tyranno deficerent. Qui, scum accepissent, qui à Tyranno in castris relicti erant, T. Herminios, & M. Horatius pro concione legerunt, perquisitaque per singulas centurias militum sententia, cum omnes decreta ciuitatis approbarent, Tarquinium redeuntem admittere noluerunt.

XII. *Fugit Gabios ad filium.* ATQVE ita hac quoque spe frustratus Rex, fugit cum paucis Gabios, ex quo facto *Regifugij* vocabulum ab antiquis Romanis factum, à Rege scilicet fugiente, vel à fugatis regibus. Fugato enim Tarquinio rege, tam Sextus Tarquinius regni candidatus, quam tota Tarquiniorum posteritas fugabatur, regiaque dignitas omnibus penitus interdicebatur. Fugit ergo Tarquinius non iam Superbus, sed plane abiectus & humilis, & fugit Gabios, quibus Sextum filiorum maximum regem imposuerat; iam canus ipse, quippe vigesimo quinto imperij anno, ad quod pene quinquagenarius adierat, vt idem eodem l. 4. testatur Dionysius, à quo ista libauimos: paulo fortasse pluribus, sed tanta res in tanta Repub. non debuit nimia breuitate obscurari.

CONSVLES PRIMI.

XIII. *... cum ... Ardea ... tempore.* REGIVM ergo apud Romanos imperium, vt idem ait l. 5. cum ab Vrbe condita ducentos quadraginta quatuor ferme annos perdurasset, & sub vltimo rege in tyrannidem versum esset, his de causis ab his viris euersum est, initio sexagesimæ octauæ Olympiadis, qua in stadio vicit Ischomachus Crotoniensis, gerente Athenis annuum principatum Isagora. Et ratio Olympiadum facile constat. Ab ineunte siquidem Olympiade septima, quando Vrbs *Primi consules.* condita est, ad ineuntem sexagesimam octauam, quæ hic à Dionysio memoratur, sexaginta & vna integræ Olympiades numerantur, quæ ducentos & quadraginta quatuor annos exactè conficiunt. Introducto igitur optimatum imperio, cum 4. circiter menses anno illo explendo deessent, consules primi regiam potestatem sumpserunt, L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus, ambo patricij: nā hoc tempore vniuersa resp. in patriciorū potestate fuit.

XIV. *D... ...* SED quid est, quod 4. menses illi anno defuisse ait? quemue annum intelligit? Non potest vtique intelligi annus Vrbis conditæ. Is enim xi. Cal. Maij inchoabatur, ad quem vsque diem non intercesserunt 4. menses ab exactis regibus, id est, à 6. Cal. Martij. Rectè igitur videtur Onuphrius in Fastorum com. existimare Dionysium agere de annis Græcis, siue Olympicis, per quos historiam suam deducit: qui anni cum ab æstiuo solstitio inchoarentur, vt alibi diximus, si inde per 4. menses retrocedamus, ad 6. Cal. Martias perueniretur; quo die in fastis lapideis Regifugium notatum reperitur, quasi festus Ciuitatis Romanæ dies, de quo Ouid. 2. Fastorum.

Tarquinius cum prole fugit, capit annua Consul
Iura, dies regnis illa suprema fuit.

Aliud autem Regifugium, aut alio tempore, Romæ nullum fuit, vt erudite probat idem Onuphrius, & Plutarchum, atque Macrobium, quos secutus est Sigonius, refellit. Ex quo etiam sequitur primos consules sedecim mensibus in magistratu fuisse, aut potius primum annum consularem sedecim mensium fuisse, & proximi anni consules 6. Cal. aut ipsis Cal. Iulij inijsse consulatum. Nec obstat, quod alijs alius temporibus adijsse hunc magistratū reperiantur: nam multis non solum annis, sed etiam seculis initium consulatus valde inconstans fuit, vt Sigon. & Onuph. annotarunt.

XV. *Dionysius non ... annos vrbis, non Olympicorum rationem habuisse.* VERVM ab Onuphrio dissentire cogimur in expositione Dionysij. Neque enim possumus intelligi annum Olympicum, sed annum Vrbis conditæ 44. supra ducentesimum, tum quia hunc ipsum Vrbis annum proxime semel iterumq; nominarat, annum autem Olympicum nullum plane nominauit, sed tantum Olympiadem 68 à qua non deerant 4. menses, sed redundabant; deerant autem sexagesimæ septimæ, quæ post 4. menses finienda erat, cuius tamen Olymp. Dionysius nullum verbum facit. Tum quia cum vbique annorum Vrbis conditæ rationem habeat, vt decet historiæ Romanæ scriptorem, & ad illius annos, aliquando duntaxat Olympicos accommodet, non videtur hoc loco tam celebri, annos vrbis neglexisse, Græcorum autem rationem habuisse. Quid ergo dicemus? non enim à Regifugio, quod tam constanter 6. Cal. Mart. notatum est, vsque ad Palilia, quæ xi. Cal. Maij celebrabantur, qui dies erat vrbis conditæ, vnde & inchoabantur anni, non inquam menses 4. intra duos illos dies reperiuntur, sed tantum duo menses, & dies quinque.

XVI. *Esse textum mendosum videri.* ITAQVE dicendum videtur, nisi quis melius aliquid suggereret, mendum in numerum irrepsisse, & quartum pro secundo, Δ pro 6. positum fuisse: sicque non sedecim, sed plurium etiam mensium primus annus fuerit: non enim male colligit Sigonius hoc tempore Calendas Octobris secundo consulatui fuisse destinatas. Mendosi textus suspicionem haud obscuram præbet, quod in Græco textu legitur, πλείονων τινῶν μηνῶν, quatuor aliquot mensium. Nimirum scripserat Dionysius τινῶν, moxque in margine additum, πλείονων explicandi causa, quæ vna postmodum in textum irrepsit. Nec absurdum existimandum est tot menses primo illi anno fuisse datos, cum quinque consules habuerit, quorum nullus annum integrum in magistratu fuit. In vltimorum autem gratiam fortasse dilata est creatio nouorum Coss. in Cal. Octob. Sed de his hactenus.

XVII. *Induciæ cum Ardeatibus.* NONVM tamen finis rerum hoc anno Romæ gestarum. Nam T. Herminius & M. Horatius, qui paulo ante exercitui pro Rege præerant, in quindecim annos inducias cum Ardeatibus pacti, domum reduxerunt copias, vt ait idem Dionysius: ijsdemq; in vrbem reuersis, Coss. vocato in concionem populo, cum prolixe pro concordia disseruissent, nouo decreto confirmarunt ea, quæ prius in vrbe sancita fuerant, perpetuoque exilio Tarquinios mulctarunt. Post hæc lustrata vrbe, cæsisque victimis, primi *Iuratum ...andum contra Tarquinios.* ipsi super cæsis stantes iurauerunt, nunquam se reducturos ab exilio Regem Tarquinium, neque eius filios, neque illorum posteros. Regem Romæ posthac creaturos neminem, neque creari passuros; atque hæc pro se, proque suis liberis, ac posteris iurauerunt.

XVIII. *Regis nomen ... antiquatum. Rex sacrorum.* SED quoniam reges multorum, magnorumque bonorum Reip. authores extitisse videbantur, propterea vt quandiu staret vrbs, regium nomen conseruaretur, iusserunt vt pontifices, & augures designarent vnum è senioribus, qui diuinis rebus duntaxat præesset, Rex sacrorum appellaretur, primusque hunc honorem Romæ accepit Manius Papirius. Ita Dionys. Addit Liu. eos id sacerdotium Pontifici maximo subiecisse, qui tum fuisse traditur C. Papirius ab Onuphr. in fastis. Quibus non admodum videntur consentanea, quæ scribit Paul. Oros. *a* Quarta *a l. 2. c. 4.* mala, inquit, Romani per 245. annos continua illa regum dominatione pertulerunt, non solum vnius Regis expulsio, verum etiam eiuratio regij nominis, & potestatis ostendit. Nam si vnius tantum superbia fuisset in culpa, ipsum solum oportuisset expelli, seruata regia dignitate melioribus, quæ Freculphus quoque retulit. *b*

b ... l. 4. c. 2. 212 ... in Coss. ... DENIQVE a veteri Coll. ne tamen vulgus de innouata Rep. conciperet opinionem, quasi pro vno duos vrbi Reges præfecissent, instituerunt terroris minuendi gratia, vt alterum consulem duodecim secures præcederent, alterum duodecim lictores cum solis fascibus, & collegæ singulis mensibus secures sibi vicissim traderent. Brutus priore mense, concedente Collega, fasces cum securibus habuit, vt ait Liuius. Ad inuidiam quoque declinandam

Brutus de suo Collegæque imperio populum rogauit, ne sine authoritate Senatus, populique iussu, sicut nuper Superbus, regnare videretur.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3545.

N. III. Sic ibi, forte non sine menda. Nam si subducamus annos, quos singulis regibus idem Messala tribuit, non nisi 242. anni reperientur, & addito vno anno interregni, fient 243. & vice versa Eutropius in vniuersa summa 241 annos ponit, & si 7. regum annos, quos ipse ponit, in vnam conflemus, 245 reperiemus. Verum si 24. annos Tarquinio Superbo tribuit, vt in quibusdam M S. habetur 244. annis hoc spatium circumscribet, cum Liuio & Dionys. vt notat Sylburg. Procedem Dionysij & Liuij sententia affert Onufrius in comm. Fast. Varronem, & Censorinum.

Eandem ipse amplectitur in fastis, & comment. Ioan. Funct. in Chrono. Torniel. anno 6. ætat. 99. Henricus Sawerius in breu. profanæ Chronol. Henricus Glareanus chronol in Dionys. & in notis in Liuium Ioachim. Giel. in Chronol. in histor. Liuij. & ibidem Fr. Robortellus, & Carolus Sigonius, licet aliter in Fastis. Casaubon. apud Polyb. Cuspinian. in Cassiodorum. Altera sententia, quæ 243. annos tantum regiæ dominationi attribuit, non paucos habet authores, atque fautores. Verrium Flaccum in tabulis Capit. vt affirmat Sigonius, & sequitur Onophrius Sext. Rufum in breuiar. histor. Rom. Eutropius autem in hanc classem referri non potest, vt diximus, sed potius ad superiorem: potest autem Iornandes, qui lib. de succes. semel iterumque huic primæ ætati, & quasi infantiæ populi Rom. 243. annos attribuit. Potest etiam Paulus Oros. l. 2. c. 4. & 5. Diuus Augustinus l. 3. de ciuit. c. 15. fin. hæc fuit Romanorum vita sub Regibus, vsque ad expulsionem Tarquinij Superbi, per ducentos ferme, & 40 & tres annos &c. vt Freculphus, qui Paulum Orosium fere transcribit. t. chron l. 4. c. 1. & tamen non nominat. In hac ipsa classe sunt Sigonius in Fastis, quem sequitur P. Gordonius in Chronol. cap. 15. n. 14. Genebr. l. 2. Chron. & si qui alij.

ANNVS MVNDI 3546. SEXTÆ ÆTAtis 30. Solutæ captiuitatis 30. Darij Hystasp. 15. Imperij Persici 30. Zorobabelis & Iosue 30. Olymp. LXVIII. an. 1. V.C. 245. L. Iunio Bruto, & L. Tarq. Collat. Cos. Primis.

ANNVS ANTE CHRISTVM 507.

I. *Res Persica. Olymp. 68.* PRÆTORE Athenis Isagora, vt Dionys. Halic. l. quinto refert, Ischomachus Crotoniates in Olympico stadio victor fuit, quando res Persica maiora in dies incrementa capiebat. Ita enim scribit Herod. *lib. 6. p. 212. græ. edit. Steph.* *Ineunte statim vere, aliis ducibus ab rege abdicatis, Mardonius Gobryæ filius adhuc adolescens, & recens in matrimonium accepta Darij filia Artozostra, ad mare descendit, permagnas ducens peditum, classiariorumque copias.* Quo cum exercitu postquam in Ciliciam peruenit, ipse conscensa naue cum classe abijt, aliis ducibus pedestres copias in Hellespontum ducentibus, vbi prætervectus Asiam multis ciuitatibus potitus est: quorum dominis, siue tyrannis, in ordinem redactis, statum popularem in ciuitatibus constituit, hæc autem omnia eo tendebant, vt vniuersam Græciam, in primis autem Athenas sibi Persæ paulatim subijcerent: sed res lente festinabat.

II. *Tarquinius mouetur reducem fieri.* ROMÆ autem feruebant omnia, Tarquinio mouente omnem lapidem, vt amissa recuperaret: Consulibus contra, Brutoque in primis, omni ope certantibus, vt acquisitam libertatem tuerentur, & constabilirent. Cum enim Tarquinius Gabijs aliquandiu substitisset, ibique perfugas aliquos, ex suis amicis, ac clientibus collegisset, Latinas ciuitates sollicitauit, vt bellum contra Romanos ad se reducendum susciperent: quod illæ cum se facturas negarent, in Etruscam vrbem se recepit, vnde mater eius ducebat originem, vbi tantum oratione, lachrymis, precibusque profecit, vt legatos impetraret, qui reditus Romæ agerent: quos egregie consiliis literis, pecunia, rebus omnibus instructos Romam misit. *Legatos Romam mittit.* Qui admissi à Patribus, aiunt postulare Tarquinium, vt ipsi cum paucis tuto venire liceat, siue in senatum, siue concionem: paratum omnium, quæ toto regni tempore gesserit, rationem reddere, & *... postulat* si accusetur, totius populi Romani subire iudicium. Quod si dicta causa probauerit omnibus, se nihil exilio dignum perpetrasse, regnum se denuo si reddatur, quibuscumque ciues voluerint conditionibus, administraturum: sin regibus, vt hactenus, parere amplius nolint, mansurum in vrbe patria sua, & æquo cum cæteris ciuibus iure vsurum; exilium tantum deprecari.

III. *Negatur ei reditus.* QVÆ cum illi magna vi tam Tarquinij, quam suæ ciuitatis nomine vrgerent, assurgens Brutus negat fieri posse, quæ postularent; quod Tarquiniorum exilium totius populi decreto editum, & iureiurando firmatum esset. Tum legati postulant Tarquinio bona sua, ab auo legitime accepta, restitui, vt si ei in patria non liceat, alibi liceat honeste vitam ducere. *Pro bonorum restitutione certatur.* In hoc explicando nodo non parum certatum est. Nam Brutus bona retinenda censebat, tum mulctæ nomine, quod tyrannus Rempublicam multis damnis, iniurijsque affecisset, tum publicæ vtilitatis gratia, ne ijs arma contra se laturis opes subministrarent. Collatinus autem opes reddi volebat, dicens, non opes tyrannorum, sed personas læsisse Rempublicam, cauendaque duo crimina, ne incurrant infamiam publicam, quasi propter diuitias expulsis Tarquinijs; neve videantur iustam eis belli causam præbuisse, dum eos suis facultatibus spoliant. 5

IV. *Vincit pars quæ restitutionem iubebat.* CVMQVE Senatus anceps esset, res populi suffragijs permissa: tam multosque vtraque sententia fautores habuit, vt ij, qui retinenda bona censebant, ab alteris, qui reddi iubebant, vno tantum calculo victi sint.

Neque iuste, neque sapienter. Etrusci post acceptum à consulibus responsum, multum laudarunt ciuitatem, quod maiorem iustitiæ, quam vtilitatis rationem habuisset. Itaque videtur sensisse Dionysius ipse, cum tamen Bruti sententia non vtilior tantum esset, sed etiam iustior. Iustissimum enim erat damna à tyranno illata Reipublicæ, ipsius qui intulerat, bonis reparari: nec ea retinendo Romani alienum retinebant, sed suum. Ideoque non solum nihil peccabant retentis ijs bonis: sed vice versa, non recte faciebant ea tum bona Tarquinijs reddendo, quibus illi iniuriam Romanis facerent, bellum in eus inferendo. Quæ si dono dare voluissent, alio potius tempore minime periculoso Reip. danda erant.

V. *Rationes contrariæ diluuntur.* QVÆ autem Collatinus afferebat valde infirma erant. Nam opes quidem non læserant, sed tyranni; ideoque illi, qui etiam corpore proprio pœnas dare merito poterant, saltem in opibus, quibus illi ad iniuriam faciendam abusi fuerant, puniendi erant. Infamia porro vitari facile poterat, e vulgaris exilij, priuationisque bonorum causis. Nec iusta belli causa dabatur, dum tyrannus ea, quæ rapuerat, exsoluere cogebatur, & simul ei male agendi facultas eripiebatur. Ita olim Israelitæ iussu Domini Ægyptios, à quibus vexati, spoliatique fuerant, bonis suis vicissim spoliarunt, neque obnoxij fuerunt restitutioni. Nihilominus vicit, vt dixi, sententia, quæ iudicium populo iustior, & magnitudini animi propior videbatur; sed non sine magno detrimento.

VI. *Quærebant Romani hac indulgentia Reipub. ... .* NAM Etrusci in vrbe restiterunt, simulantes se occupari in componenda portatili supellectile, & distrahendis, quæ agi ferrique non possent, cum interea & Tarquinium per literas certiorem fecerunt, recepturum esse bona, & literas ab exulibus reddiderunt eorum necessarijs, & alias ab eis acceperunt, remitterendas ad exules, crebrisque colloquijs nunc horum, nunc illorum explorabant animus, & quotquot idoneos turbandis rebus offendebant, partim spe ostentata, partim præsenti pecunia in partes suas pertrahere conabantur: nec sine effectu vllo. *Plerique à lege a de ... .* Nam duos Iunios Titum & Tiberium, filios Bruti consulis, vix tum puberes, & duos Gellios, Vitellios vocat Liuius, & Paulus Oros. ... M. & Man. fratres vxoris Bruti, iam maturos tractandæ Reip. & Collatini alterius consulis duos ex sorore nepotes, L. & M. Aquilios, æquales Bruti filijs, ad suas partes pertraxerunt.

VII. *Tanta ... pro reductione Tarquinij.* CVMQVE apud Aquilios congregatis omnibus, qui de reducendis Tarquinijs consentiebant, pincerna quidam nomine Vindex, vel Vindicius, vt eum Liuius vocat, obseruasset, quæ illi in eam sententiam dicerent, ac scriberent per Etruscos legatos ad Tarquinios mittenda, intempesta nocte domo egressus, quasi ob aliquod negotium missus à dominis, ad Consules quidem ire non est ausus,

veritus

veritus ne propter affectum erga cognatos, rem celare volentes, indicem coniurationis tollerent: sed P. Valerium, qui vnus erat è 4. primis libertatis publicæ assertoribus. adijt, fideq; cum iureiurando ab eo accepta, fraudi sibi id non fore, indicauit, quæ audisset, ac vidisset.

VIII. *Comprehenduntur.* ILLE re cognita confestim, cum magna clientum, & amicorum manu, ad ædes Aquiliorum aduolat appetente iam die, ipsosque cum literis omnibus comprehensos apud Consules statuit. Brutus cum filiorum signacula, & manum agnouisset, conscenso tribunali iussit primum literas publice à scriba recitari, tum filijs dicēdi si quid vellent, potestatem fecit; illi in manifesto crimine deprehensi, vterque flebant. *Filij Bruti capite plectuntur.* Pater paululum cunctatus surrexit, indictoque per præconem silentio, capitalem sententiam in filios protulit, omnibus nequicquam reclamantibus, & patris orbitatem, & filiorum ætatem commiserantibus. Ille nihilominus nec clamore motus, nec eiulatibus, adduci eos à lictoribus iussit, & in suo populique conspectu, probris affectos, & virgis fœde laceratos, securi percuti iussit.

a l. 2. c. 5. IX. *An vtroque cum Orosio.* DE hoc supplicio ita loquitur, Paul. Orosius. a *Brutus primus apud Romanos consul, primum conditorem. Regemque. Romæ non solum exæquare parricidio, sed & vincere studuit. Quippe duos filios suos adolescentes, totidemque vxoris suæ fratres Vitellos iuuenes, reuocandorum Regum placito insimulatos, in concionem protraxit, virgis cecidit, securique percussit.* Diuus Augustinus, b qui Brutum vehementer accusat, ob expulsum Collegam Tarquin. Collat. hanc tamen filiorum, & nepotum cædem non damnat, contentus locum afferre Virgil. l. 6. *Quod factum*, inquit, *postea quam laudabiliter commemorauit, continuo clementer exhorruit. Cum enim dixisset natosque pater noua bella mouentes, Ad pœnam pulchra pro libertate vocauit, mox deinde exclamauit, & ait. Infelix vtcunque ferent ea facta nepotes. Quo modo libet*, inquit, *ea facta posteri extollent, qui filios occidit, infelix est, & tanquam ad consolandum infelicem subiunxit.*

b l. 3. de ci. c. 16.

Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido.

Sic Augustinus, vtique Poëtæ consentiens.

X. *Iuste factum videri.* IN qua dubitatione dicendum profecto videtur, si nec defuit in puniente autoritas, neq; in punito culpa, ex accidente est quod idem fuerit & Iudex, & pater. Certe Senatus, populique Romani consensu mutata ex causa legitima Reipublicæ forma, oportuit Magistratum eius decreti propugnatorem, ac vindicem esse. Præsertim cum illi non solum vrbe prodita exules reducere, sed Consules etiam interficere, in quibus alter pater, alter auunculus, statuissent, vt inquit Dionysius; qui hæc Bruti facta magna & mira vocat. & maxime à Romanis iactata, vereri se tamen ait, ne apud alios, vt nimis dura, fidem non inueniant, dictum fortasse oportuit, approbationem. Damnandi tamen certe ratio non apparet, sed miserandi potius, si non laudandi, qui cum pater esset, coactus fuerit vltimum de filijs supplicium sumere, & orbitate sua Rempublicam præsenti malo, & futuro periculo liberare, & sua ipsius calamitate, exemplum statuere adamatæ libertatis, in quod omnis posteritas intuens obstupesceret.

XI. *Collatinum Brutum pro nepotibus orat.* NECATIS filijs Brutus mox vocauit Aquilios collegæ sororis filios, apud quos coniurati comprehensi fuerant, iussoq; scriba horum quoq; literas recitare, illis causæ dicendæ potestatem facit. Illi ad auunculi Collatini genua accidere, improuidæ ætati veniam poscere, eius opem implorare. Cumque Brutus lictores iuberet abstractos eos ducere ad supplicium; Collatinus seductum collegam prolixis pro adolescentum salute precibus labefactare adortus est. Quod cum persuadere homini non posset, postremo non capitalem, sed mitiorem pœnam in eos statui, deniq; vel dilationem supplicij postulabat. *Nequicquam orat.* Cumque nihil impetraret. *Ergo*, ait, *quia tu durus & austerus es, ego adolescentes absoluo, eadem qua tu potestate præditus.* Tum Brutus exacerbatus; Certe me viuo, Collatine, nunquam patriæ proditores supplicio eripere valebis; imo tu quoq; breui pœnas, quas par est, lues.

XII. *Eum Brutus apud populum fautorem Tyrannorum accusat.* HIS dictis, & custodia reis addita conuocauit in concionem populum, plenoq; foro (iam enim rumor casum filiorum eius per totam vrbem vulgauerat) progressus in medium cum Senatorum honoratissimis, collegam Collatinum, vt fautorem Tyrannorum accusauit, eisdem vt cognatione, sic & voluntate coniunctum, qui in manifesta proditione patriæ deprehensos nepotes eripere supplicio velit, quo filios ipse suos, eiusdem proditionis participes, affecisset. Vnde ne in cæteros quidem coniuratos liceat animaduertere; qui nuper eis bona reddi iussisset, quibus illi contra Rempublicam vterentur; nunc etiam veniam coniuratis dari velit, ad eos sibi in omnem euentum demerēdos. *Itemque magistratum abrogat.* Itaq; ei pro potestate magistratum abrogat, & alio migrare iubet, eiusque sententiæ populum autorem fieri petit.

XIII. *Collatinus ... quo vrbe cedat.* Qui cum in Bruti sententiam propenderet. Sp. Lucret. Lucret. extinctæ parens. & populo, & vtriq; consuli Charus perfecit, vt sine tumultu, & ignominia, sed publice etiam 20. talentis donatus, magistratu & vrbe cederet. Tarquinius ergo Collatinus, fortuna sic ferente, profectus est Lauinium, Latinæ gentis metropolim, vbi senex fato functus est. Huic Dionysij sententiæ Fasti Capitolini consentiunt, in quibus legitur coactus abdicasse. Liuius aliter de causa abdicationis sensisse videtur. *An iniuria ex Liuio, & August.* *Ac nescio*, inquit, *an nimis vndique libertatem minimis quoque rebus muniendo, modum excesserint. Consulis enim alterius, cum nihil aliud offenderit, nomen inuisum ciuitati fuit*, & infra, *Nescire Tarquinios priuatos viuere, non placere nomen, periculosum libertati esse. Non credere populum Rom. solidam libertatem recuperatam esse, regium genus regium nomen, non solum in ciuitate, sed etiam in imperio esse, id officere, id obstare libertati, ideoque ex vrbe, ac magistratu abire iussum.* Quam sententiam D. Augustinus secutus, a sic ait. *Sed Tarquinium videlicet similitudo nominis pressit, quia Tarquinius vocabatur. Mutare ergo nomen non patriam cogeretur. Postremo si in eius nomine hoc vocabulum minus esset L. Collatinus tantummodo vocaretur. Sed ideo non amisit, quod sine vllo detrimento posset amittere, vt & honore primus consul, & ciuitate bonus ciuis carere iuberetur. Etiamne ista est gloria, Iunij Bruti detestanda iniquitas, & nihilo vtilis Reip. &c.* hæc & plura in eandē sententiam Diuus Augustinus: qui etiam addit huius Tarquinij innocentiam Iunij Bruti morte, Deo scilicet id agente vindicatam. Possumus nihilominus Dionysij narrationē amplecti, quem fortasse Diuus Augustinus non legerat.

a l. 3. de c. c. 16.

XIV. *Brutus collegam assumit.* AT Brutus nolens solus imperare, ne ciues suspicarentur eum regni cupiditate collegam expulisse patria, conuocato in campum Martium populo, Collegam assumpsit P. Valerium; cuius consensu continuo suppliciū sumpsit de omnibus coniuratis, super exulibus reducendis. *Præmia seruo.* Seruum coniurationis indicem non modo libertate, multisque pecunijs donarunt, sed etiam iure ciuitatis honorarunt, præcipuos ex plebe in patriciorum ordinem allegerunt, & ex his Senatum suppleuerunt ad trecentorum numerum, pridem à L. Tarquinio Prisco constitutum, & inde cædibus, & eiectionibus sub Superbo imminutum. Festus scribit defuisse 164. & hanc lectionem P. Valerio consuli tribuit. Bona tyrannorum ambo ciuibus auferenda permiserunt; agrum eisdem agro carentibus dimiserunt: Ciuibus, qui cum Tyranno profugerant, reditum in patriam, cum præteritarum noxarum obliuione, præstituto viginti dierum spatio, intra quod si quis non redijsset, perpetuo exilio mulctaretur, & bona eius in publicum ærarium referentur: quibus rebus tyrannorum factio valde imminuta, atque infracta est.

XV. *Tarquinius armis ... capit.* CVM ergo Tarquinius nihil hisce artibus profecisset, ad apertam vim progressus est, & collectis ex omnibus Etruscorum oppidis militibus, additis etiam Veientibus & Tarquinijs, exercitum contra Romanos duxit. Romani contra hosti occurrunt, & priores traiecto flumio, copias & numero, & pugnandi cupiditate hostibus pares instruunt. Congressuris aciebus, cum Valerius dextro cornui præesset oppositus Veientibus, sinistro Iunius Brutus ex aduerso Tarquiniensium, prouectus ex Etrusca acie Aruns Tarquinius, animi ac corporis robore fratrum præstantissimus, conuitiis Brutum incessens, eum ad singulare certamen vocat. Ille probrorum impatiens procurrit extra ordines etiam ipse, tantoque vterque impetu

equi exaduerso committunt, vt dum neuter quid passorus, sed quid acturus sit cogitat, sarissis per clypeos & thoraces adactis, certo vterque ictu sit confossus, cuspide alterius in coxas alterius illapsa. Equi etiam collisis impetus vehementia pectoribus, in posteriores pedes eriguntur, sublataque ceruice sessores excutiunt. Prid. Cal. Mart. vt Plutarchus & alij tradunt, vt ait Dionys. 16. annis ante pugnam Marathoniam, quod Chronologiæ nostræ exactè respondet.

XVI. DVETAVA ita iacentibus & luctantes animas multo cum sanguine effundentibus, reliquæ copiæ magno clamore, ac strepitu concurrere, paribusque fere damnis sub solis occasum in castra rediere. Sed cum Valerios, voce quapiam animatus, profunda adhoc nocte in Etruscorum vallum irruisset, cæsis, fugatisque hostibus, vel vt alij scribunt, per nocturnum terrorem fuga lapsis, castra ipsorum cepit. Postridie spoliatis hostium cadaueribus, suisque humatis, in vrbem rediere. Venientibus obuiam iuit Senatus, ducemque triumphali pompa decorari iussit, populus vniuersus epulis exercitum excepit. Vt ventum est in vrbem, consul. vt post victorias soliti erant reges, deducta pompa triumphali, factaque re diuina, & dedicatis spolijs diem illum sacrum duxit, nobilissimosq; ciues epulo excepit. Plutarch. in Public. scribit primum eum fuisse, qui quadrigis vectus triumphauerit.

XVII. Bruti funus. POSTERA die pullatus ipse, Bruti corpus in foro proposuit, in lectica ornatissima, aduocatoque in concionem populo, & conscenso tribunali, funebrem habuit orationem. Sed multo maius morti decus fuit publica mœstitia. quia matronæ integrum annum, vt parentem eum luxerunt, quod tam acer vltor violatæ pudicitiæ fuisset. vt tradit Liuius l. 2. Qui mos funebrium orationum, publicique luctus, deinceps in posteros propagatus est: quam etiam honorifice Brutum fuisse sepultum dubitari non potest. Negat Dionysius, ex quo ista desumpsimus, eum liberos vllos, siue mares, siue fœminas reliquisse superstites, itaque proditum esse à Romanorum diligentissimis; posteriores enim Iunios, atque Brutos è plebeis familijs prodijsse.

XVIII. Suffectus Bruto ... Poplicola gesta. PORRO cum P. Valerius collegam sibi adsciscere cunctaretur, & nihilominus in eminentiore vbis loco ædificaret, in suspicionem venit affectati regni. Qua de re ille ab amicis admonitus, indicto comitijs die Sp. Lucretium consulem legit. quo post paucos dies defuncto, in eius locum subrogauit M. Horatium quintum hoc anno consulem; propterea que hunc annum D. Aug. a vocat funerealem, atque tertium, quem quinque consoles compleuerint. Deinde domum è summo tumulo, Veliam Liuius vocat, in imum cliuum transtulit, vt ciues eum, sicut ipse pro concione dixit, è superiore loco lapidibus obruere possent, si in aliquo delicto deprehenderent. Deinde ... è populi sententia institutis, & nominatim ... Coss. secures intra vrbem vterentur, sed solis fascibus ... atque ad versus quemcumq; magistratum ad populum ... possent; gratiosus populo factus, etiam Poplicolæ nomen inuenit. Illa vero eius lex plena sapientiæ, ... vt Quæstores duo quotannis à populo ex Patriciis ... curatores crearentur, ne boni Consules hac sollicitudine a grauioribus negotijs auocarentur, neue malorum potentia hoc etiam subsidio augeretur, vt notauit Plutar. in Poplicola.

a l. 3. de ci. c. 16.

XIX. ... POLYB. l. 3. scribit primum fœdus Romanos inter & Carthaginenses ictum esse, consulatu Iunij Bruti, & M. Horatij, primorum post exactos reges consulum: qui tamen simul consules non fuerunt, cum Bruto demortuo suffectus sit Lucretius, & Lucretio M. Horat. Forte illo anno cœptum est fœdus, & hoc magistratum agente terminatum. Apparet Romanos, cum regium nomen germanitus proscriberent, & libertatem suam probe stabilire conarentur, ad transmarina etiam præsidia respexisse, si forte ad populum iam tum potentem, Tarquinius auxiliorum causa confugeret. Sic Merodach ab Assyrijs desiciens, Ezechiam regem studuit sibi amicitia copulare. Verum id fœdus, quod descripsit Polyb. si quis consideret, cum neq; Tarquiniorum, neq; nouæ Romanorum libertatis meminerit; sed nauigationes Romanorum in Siciliam memoret, quæ non videntur ante Olymp. b septuagesimam secundam contigisse, vt ex septimo Dion. colligi potest, non iniuria existimabit ad posteriora tempora pertinere.

b An. V. C. 262.

XX. Æd. Iouis Capitolini quando dedicata. ADDIT etiam Polyb. iisdem consulibus Iouis Capitol. ædes fuisse consecratas, annis priusquam Xerxes in Græciam traiiceret duodetriginta, sioe 7. Olymp. tot enim anni ad initium 75. Olym. quando ea expeditio cœpta est, numerantur. Cuius rei T. quoque Liu. author est. *Nondum, ait, dedicata erat in Capitolio Iouis ædes, Valerius, Horatiusque Coss. sortiti vter dedicaret, Horatio sorte euenit, Publicola ad Veientium bellum profectus. Ægrius quam dignum erat tulere Valerij necessarij dedicationem tam inclyti templi Horatio dari. Id omnibus modis impedire conati sunt, cumque iam postem inter precationem teneret, funestum ei nuntium afferunt, mortuum eius filium esse. Ille nihil à proposito auersus, cadauer efferri iussit, & dedicationem peregit.* At Dionysius hanc dedicationem merito in alterum annum distulit: nec sane video qui constare possint, quæ dicuntur à Liuio. Nam cum Valerius Publicola ad Veientium bellum profectus est, viuebat adhuc Iunius Brutus collega Valerii: nec quisquam tradit hoc anno post Bruti mortem bellum in Veientes redintegratum. Quomodo ergo iuerit ad bellum Veientium Consul Valerius, quod iamdudum fuerat absolutum? Itaq; Sigonius & Onopht. Dionysium, quam Liuium sequi in hac templi dedicatione maluere.

ANNVS MVNDI 3547. SEXTÆ ÆTATIS 31. Solutæ captiuitatis 31. Darij Hystasp. 16. Imperii Persarum 31 Zorobabelis & Iosue 31. Olymp. LXVIII. An. 2. V. C. 246. Coss. P. Valerio Poplicola II. T. Lucretio Tricipitino.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 506.

I. Res Persica duce Mardonio. HOc anno Persæ duce Mardonio non exiguum bellum inceperunt: Refert enim Herod. l. 6. eum cum in Hellespontum venisset, ingentem ibi vim nauium ac peditatus coëgisse, easq; copias Hellespontum traiecisse, perque Europam iter habuisse Eretriam versus, atque Athenas: his enim ciuitatibus Darius præ se ferebat se bellum inferre, cum tamen in animo haberet quamplurimas posset Græcorum ciuitates sibi subiicere. Nam & classe Thasios, ne manum quidem ex aduerso leuantes, subegit; & peditatu Macedonas, vltra eos, qui iam seruiebant, in seruitutem redegit, & apud eos statiua habuit.

II. Noui Roma. Coss. Hoc ipso anno profert Coss. Dionys. (illo enim fideliorem testem in historia Romana, aut diligentiorem habemus neminem) P. Valerium Publicolam iterum, & T. Lucretium Tricipitinum, cui assentitur Liuius; sed in eo dissentit, quod bellum Etruscum cum Porsena rege, in antiqua Romana historia, Horatii Coclitis, & Mutii Sceuolæ virtute longe celeberrimum, Liuius in hunc annũ conijcit, Dion. in seq. Rectius etiam fortasse Plutarchus in Publicola, qui bellum id vtrique anno tribuit, vt scilicet hoc inchoatum sit, sequenti absolutum; quod video etiam Carolo Sigonio probari, nec Onuphrio displicere: imo ea mens omnino est Eutropii, & Dionysii, vt ita dicam. Paulus tamen Oros. a ait Porsenam tribus continuis annis trepidam vrbem terruisse, conclusisse, obsedisse: & Freculphus b totidem verbis.

a l. 2. c. 5.
b t. 2. l. 2. c. 4.
Census.

Dionys. ergo, ait, nihil hoc anno memorabile actum, præter censum, & bellicorum tributorum ordinationem, ex instituto regis Tulli, quæ toto Tarquinii regno intermissa, tunc primum ab his consulibus in vsum reuocata

f

sunt, ita tamen, vt omnia ad diluendos, imminente Etrusco bello pauperes, dirigerentur, ne oneribus grauati, prodita repub. ad tyrannos omnia pollicentes transirent. Itaque immunitatem eis decreuerunt ab omnibus muniis publicis, quæ sub regibus obibantur, & à tributis in bella impendendis: amplum Respub. emolumentum esse rati, si pauperes corpora tantum ad patriæ defensionem offerrent. Addit repertum censu ciuium Rom. qui pubertatem attigissent 130. millia.

III. Porsena pro Tarquiniis legatos.

EODEM anno cum Tarquinij ad Lartem Porsenam, Clusinorum in Etruria regem, confugissent, ab eo hospitio sunt excepti, non iniuria existimante consuetudinem pellendi reges, quod sæpe iam in Græcia factitatum fuerat, in Italiam introduci minime è re sua esse. Itaq; etiam promissionem impetrarunt effecturum illum duorum alterum, vt aut reconciliati suis ciuibus restituerentur in patriam, & imperium; aut saltem adempta bona reciperent. Itaque misit hoc anno, vt ait Dionys. Romam legatos, qui minatas nimis preces afferrent: qui tamen neque reconciliationem eis, & reditum impetrarunt, senatu imprecationes, & iusiurandum causante, neque bonorum restitutionem, ijs, quibus ea obtigerant, restituere detrectantibus: præsertim cum id eo tempore in magnũ Reip. damnum redundaret.

IV. Rex irritus bellum parat in Romanos.

Rex grauem sibi iniuriam hac repulsa illatam interpretatus, qui neutrum è postulatis obtinere valuisset, ratus se nactum præclaram occasionem subuertendi Romanorum imperii, quod iam ante animo destinarat, bellum eis indixit. In cuius belli societatem se, maxima studij significatione, obtulit Octauius Mamilius Tarquinij gener, è Tusculo eductis copijs, & plerisque Latini generis populis, quos idem Mamilius ad se pellexerat. Quibus rebus cognitis Romani quoq; se ad bellum magno studio præpararunt: vt fusius tradit Dionys. & quidem longe probabilius, quam Liuius, qui legationem missam de restituendis Tarquinijs, post pacem cum Porsena initam tradit. Ratio exigit, vt verbo prius agant, qui impetrare aliquid volunt, quam ferro decernant.

ANNVS MVNDI 3548. SEXTÆ ÆTATIS 32. Solutæ captiuit. 32. Darii Hyst. 17. Imperii Persi. 32. Zorobabelis, & Iosue Pontif. 32. Olymp. LXVIII. An. 3. Vrbis cond. 245. Coss. Pub. Valer. Public. III. & M. Horatio Puluil. II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 507.

a Herod. l. 6. p. 111. gra. I. Clades classis a Mardonio accepta.

APPARATVS vero classis Persica, quæ ducem habebat Mardonium Darij generum, & apud Thasios hyemauerat, è Thaso transmittens, ac terram legens, ad Acanthum vsque processit; & ex Acantho soluens, dum Athon circumuertit, ventus Aquilo vehemens, atque admodum atrox, & intolerandus, dicitur in classem ingruisse, nauiumque plerasque in Athon propulsas, ad trecentas afflixisse, vt supra 20. hominum millia interierint; partim quod à feris rapti; partim quod natare nescirent, partim quod petris allisi, mare enim circa Athon seuissimum, partim frigore consumpti. Et cum nautico quidem exercitu ita actum est. Mardonium autem cum pedestrib. copijs in Macedonia statiua habentem, Thraces Brygi sub noctem inuasere, & cum alios multos ex eis occiderunt, tum ipsum Mardonium vulnerauerunt: sed non idcirco seruitutem Persarum vitare valuerunt. Nam Mardonius non prius ex iis locis decessit, quam illos in suam redegit potestatem. Propter cladem tamen ab ijs acceptam, in exercitu terrestri, & eam quam circa Athon classis eius acceperat, re male gesta, cum reliquo exercitu in Asiam recessit.

Redit in Asiam.

II. Res cum Porsena gesta.

ROMANI imminentis belli contra Porsenam, eique adiunctos Latij populos, magnitudine territi, tum alia studiosè parauerant, quæ ad vulgus agrestium malo eripiendos, & vrbanam multitudinem demerendam pertinebant, tum Ianiculum montem excelsum, non procul ab vrbe trans Tyberim situm, firmioribus præsidijs communierant, bellique apparatus ibidem reposuerant, quod intelligerent maximi interesse vrbis saluti, eum in hostium potestatem non venire.

Ianiculum capit.

AT Porsena cum exercitu veniens, Ianiculum primo impetu capit, exterritis loci præsidiarijs, suumque ibi præsidium collocat; ad vrbem deinde pergens. Vbi ad manus ventum est, & diu acriter vtrimque pugnatum, neutris cedentibus, quod Romani Latinis Etruscisque præstarent animi robore, reique militaris peritia; Etrusci vero, & Latini Romanis numero longe superiores essent. Tandem post multam vtrinque cædem, Romani, quod vidissent duces Valerium, & Lucretium ex acie referri saucios, ille erat consulis frater, hic superioris anni consul, metu correpti in vrbem, per ligneum quendam pontem confugiunt: hostes magna vi à tergo instant, parumque abfuit, quin vrbs eo die caperetur.

III. Præstantia quorundam Romanorum virtus.

TRES maxime viri hostis impetum sustinuerunt, Sp. Largius, & T. Herminius, qui seq. anno consulatum gessere, & è iunioribus Publius Horatius, consulis ex fratre nepos, cui ex amisso in pugna oculo, Coclitis nomen est additum. Hi enim soli ante pontem stantes, transitum hostibus diu præcluserunt, dum totus exercitus fluuium transiret, qui cum iam in tuto esse videretur, Herminius, & Largius, armis iam ictuum multitudine vitiatis, paulatim retulerunt pedem. Solus Horatius stetit, omnibus nequicquam eum reuocantibus, & tantum virum patriæ seruare cupientibus; donec à tergo pons dissolutus, transitum hostium prohiberet. Tunc enim in amnem sese, vt erat armatus, deiecit, & ægrè quidem (nam & femur lancea perfossum habebat, & fluuius erat incitatior) tamen ad suos, etiam saluis armis omnibus, enatauit: cum incredibili sua gloria, & totius populi gratulatione, qui ei armatam ex ære statuam in præcipuo fori loco posuit.

Præstans Horatij Coclitis.

IV. Romani ab hoste vexantur.

POST hoc prælium Rex Etruscorum, positis in Ianiculo castris, in potestate habebat quidquid erat agri vltra Tyberim, & Tarquinij iuuenes, cum affine suo Mamilio, impositas ratibus & scaphis suas copias in ripam Romanam traiecerant, & loco munito castra fixerant, vnde excurrendo agros vastabant, villas diruebant, pecora intercipiebant, vt via quicquam commeatus in vrbem importaretur, vnde ciuitas magna cœpit inopia fatigari. Multi ad hostes transfugere, à quibus Rex, vrbis penuria cognita, per caduceatorem postulauit, vt Tarquinium reciperent, si bello, & fame liberari vellent.

Nec sollicitatio.

V. Mutij Scæuolæ facinus.

CVMQVE Romani extrema omnia pati mallent, C. Mutius Cordus, quem Scæuolam Liuius appellat, bellum terminare, illata Regi morte, statuit. Ergo in castra Etruscorum dissimulanter ingressus, vbi in forum, & ad prætorium venit, conspicit hominem corporis proceritate, ac robore insignem, purpura indutum, & pro tribunali sedentem, circumstante magno armatorum numero. Is erat scriba Regios, qui militi stipendia diuidebat. At Mutius Regem eum arbitratus, conscenso tribunali, stricto ferro hominem interficit, statimque comprehensus, & ad regem ductus, fatetur se eius interficiendi causa venisse, certum mori, siue res ex animi sententia successisset, siue spem suam casus aliquis fefellisset. Tum autem cum Rex ei minitaretur ignes, vt conscios & coniuratos proderet, vt ait Liuius (Nam Dionys. facinus ambustæ sponte dexteræ prætermisit) ille dexteram in foculum ad sacrificium accensum inijcit, tandiuque ardere permisit, dum Rex prope attonitus rei miraculo, iussit amoueri ab altaribus iuuenem, & eum in præmium tantæ fortitudinis liberum dimisit.

Scribam pro Rege interficit.

VI. *Et regem constantia, & metu coniuratorum terret.*

DIONYS. dies aliquot in custodia detentum putat, vterque tamen affirmat Mutium, quasi rependentem gratiam, significasse trecentos Romanę iuuentutis principes, in ipsius caput coniurasse, & se primum sorte facinus aggressum, reliquos ordine affore, pari animo, ac fortitudine, & gloriæ cupiditate. Itaque sibi etiam atque etiam caueret. Cumque Rex anxiè quæreret, quomodo id fieri posset, & plerique stulta securitatis consilia protulissent, Regis filius adhuc iuuenis spectandum censuit, non quibus custodijs se contra insidias illas muniret, sed quo pacto custodijs non indigeret. *Cuius filius pacem suadet cum Romanis.* Tum percontante patre, quomodo id fieri posset. *Si,* inquit, *istos viros amicos ex hostibus feceris,* quod paucos post dies fecit. Nam Romam misit amicorum intimos, pacemque æquissimis conditionibus petijt, atque impetrauit. In quibus illa fuit, vt amicitiæ firmiter constituendæ gratia, obsides sibi ex clarissimis familijs darentur, qui & dati sunt, pueri nobiles numero viginti, & in primis consulum liberi M. Horatij filius, & P. Valerij filia iam nubilis, aliæque virgines cum ea.

VII. *Virgines obsides natatu effugiunt.*

INTEREA cum Romani, Tarquinijque oratores apud Porsenam, quem causæ arbitrum vtrique elegerant, studiosè agerent, Virgines obsides, cum à custodibus lauandi in amne licentiam petijssent, ac impetrassent, iussis viris tantisper à flumine secedere, dum se abluissent, & vestimenta recepissent, ne illi nudas conspicerent, illæ, hortante ac præeunte Clœlia, natatu superato flumine, in vrbem per media hostium tela se receperunt. Hic Tarquinij regem exacerbare in Romanos: Valerius contra excusare, & priuato id consilio puellarum factum fuisse, non publico ciuitatis affirmare, eiusque rei se fidem facturum Regi, illis mox ad eum reducendis. Quod cum Regi placuisset, Tarquinij & Mamilius Superbi gener, aggressi sunt eas in reditu per vim rapere, ac retinere, dum eis bona sua redderentur, lite nondum per Porsenam cōposita. Quamobrem indignatus Porsena Romanos absoluit, Tarquinijs & Mamilio renunciat hospitium, iubetque eodem die castris excedere. Deinde obsidibus Romanis ad tribunal adduci iussis, Consuli eos restituit dicens pluris se facere fidem populi Romani, quam vllos obsides.

VIII. *Clœliam fugæ auctorem laudat ac remuneratur.*

VNA deinde virgine, quæ reliquis tranandi fluuium autor fuerat, laudata ob præstantiorem, quam pro sexu, atque ætate indolem: admiratus insuper felicitatem ciuitatis, quæ non solum fortes viros, sed virgines quoque viris similes produceret, donauit puellam equo bellatore, ornato insignibus phaleris; tum icto cum Romanis legatis fœdere pacis & amicitiæ, dono per eos remisit ciuitati captiuos vniuersos. *Amicitia muneribus ac fide firmatur.* Paulo aliter Liuius; Laudatam, inquit, virginem parte obsidum se donare dixit, ipsa quos vellet, legeret. Productis omnibus elegisse impuberes dicitur, quod & virginitati decorum: & consensu obsidum ipsorum probabile erat, eam ætatem potissimum liberari ab hoste, quæ maxime opportuna esset iniuriæ. Sic ipse: qui ait etiam à Romanis donatam Clœliam equestri statua in via sacra, quod Dionys. quoque refert, sicut & mutua regis, & Romanorum inter se munera.

IX. *Templum Capitolinum dedicatum.*

HOC quoque anno Templum Capitolini Iouis absolutum est, & à M. Horatio consule dedicatum, dum Valerius non contra Veientes, vt putauit Liuius, sed ad tuendum agrum cum exercitu profectus esset, eo quod Mamilius immissis prædatorijs globis, magna inferebat agricolis detrimenta: sed ea de re iam in fine primi consulatus egimus. Hæc autem tertio consulatu gesta fuisse Dionysius affirmat, cui Sigonius & Onuphrius merito assentiuntur.

†

ANNVS MVNDI 3549. SEXTÆ ÆTATIS 33. Solutæ captiuitatis 31. Darij Hystaspis 8. Imperii Persarum 33. Zorobabelis & Iosue 33. Olymp. LXVIII. An. 4. V. C. 248. Sp. Largio, siue Lartio Flauo, & T. Herminio Esquilino Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 504.

HOc anno, quem Hebræi Sabbaticum 138. numerabant, cum Mardonius re infeliciter gesta redijsset in Asiam, Darius ante omnia Thasios à vicinis insimulatos, tanquam defectionem molientes, misso nuncio iussit diruere muros, & naues in Abdera recipere, quod vtrumque illi præstitere. Inde tentandum ratus quid in animo Græci haberent, pugnarent secum, an sese dederent, legatos per Græciam dimittit, alios alio, iussos petere terram & aquam; hoc enim deditionis apud Persas erat indicium, cuius sæpe meminit Herodotus. Hos in Græciam, alios item tributarias sibi maritimas ciuitates mittit, imperans longas naues, & hippophoras fieri, qui omnes passim imperata fecere, etiam Æginetæ: quæ res Atheniensium contra ipsos & suspicionem, & iram excitauit, quæ sequenti anno in apertum erupit. I. *Darius Græcorum constantiam tentat per legatos. Deditionis indicium.*

HIC quartus annus Romæ à bellis quietus fuit, ex Dionys. quo Romani cum perhumaniter se erga Etruscos amicos, male in bello Aricensi acceptos, gessissent: plerique eorum deuincti beneficijs, abiecto patriæ desiderio, apud benefactores suos Romanos residere maluerunt, quibus Senatus locum in vrbe ad ædificandum dedit, vallem 4. ferme stadijs protensam, inter Palatinum & Capitolinum colles, qui deinceps vicus Tuscus appellatus est. Quam benignitatem Rex Porsena magnifice populo Romano rependit, transtyberinis agris ei restitutis, quibus cessarat, cum pacem cum Rege faceret. Hic annus est, quo Aristodemus Cumis tyrannidem per multas cædes ac flagitia occupauit, cum rem pro Aricinis contra Etruscos præclare gessisset: temporis, reique totius testis, atque enarrator est Dionys. II. *Romanorum erga Etruscos humanitas.* *Quam fructuosa.* *Tyrannis Aristodemi. l. 7. sub init.*

ANNVS MVNDI 3550. SEXTAE AETATIS 34. Solutæ captiuit. 34. Darii Hyst. 19. Imperii Pers. 34. Zorobabelis, & Iosue Pontif. 34. Olymp. LXIX. An. 1. Acestoride Athenis Prætore. Vrbis conditæ 249. Coss. M. Valer. & P. Posthumio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 503.

ANNO post eiectos reges quinto, inquit Dionys. Olympias erat nona supra sexagesimam, qua vicit in stadio Ischomachus Crotoniensis: Athenisq; annuo imperio iterum functus est Acestorides: & consulatum Romæ gesserunt M. Valerius, Valerii Poplicolæ frater, & P. Posthumius, cognomento Tubertus, in quorum consulatum cadit initium belli Sabini, de quo priusquam dicamus, Persas primum, sub quibus tum erat orbis imperium, in Græcia inuisamus. Cum enim Æginetæ, qui Æginam insulam incolebant, in sinu Saronico inter Peloponnesum & Achaiam sito, Persarum legatis professi essent se imperata facturos, veriti sunt Athenienses ne vna cum eis in se arma ferrent, propter antiquas Æginetarum in se inimicitias, quas Herodotus l. 5. describit. Itaque Athenienses hanc occasionem nocendi Æginetis libenter amplexi sunt; & Spartam profecti illos insimularunt, quasi eo facto Græciam prodidissent. Quod argumentum est Æginetas hoc tempore Lacedæmoniis fuisse subiectos, quod certius etiam docent sequentia. I. *Olympias 69.* *Athenienses contra Æginetas commouentur.* *Et Lacedæmonios accendunt.*

Ad hanc enim delationem Cleomenes Spartiatarum Rex Æginam transmisit, animo præcipuos eius autores comprehendendi. Conanti illos comprehendere, cum alii Æginetæ intercessere, tum præcipue Crius quidā Poly- II. *Cleomenes reos frustra conatur comprehendere.*

criti filius, mala ei comminatus, si quem abduceret Æginetarum. Nam id eum facere sine communi consilio Spartiatarum, ab Atheniensibus pecunia corruptum: alioqui cum altero rege venturum fuisse ad se comprehendendos. Erant hoc tempore Reges Lacedæmone, Cleomenes & Demaratus, sed illius artibus Demaratus regno pulsus, in Asiam ad Darium traiecit, à quo magnifice acceptus, etiam agro, atque vrbibus donatus est, vt dicemus an. sequenti: in eius autem locum Spartæ Leutychides suffectus est. Porro Cleomenes ab Ægina discedens interrogauit Crium, quod ei nomen esset. Cum is respondisset, Crios, id est, Aries, tum Cleomenes, Crie, inquit, iam nunc præferato cornua, tanquam occursurus magno malo, quod in Æginetas Sparta venturum est. Et cum his minis in Spartam vela fecit, proximo anno reuersurus. Interea quæ domi machinatus sit contra Demaratum, sequenti anno, quo videntur contigisse, dicemus.

III. Bellum Sabinum feliciter à Romanis gestum.

Quod ad bellum Sabinum attinet, eum quidam illorum existimarent debilitatam Etrusca clade Remp. nec pristinam dignitatem vnquam recepturam, emissis latronum globis, agrestes è castellis in prædia sua reuertentes infestabant. Cumque Romani missis legatis querelas detulissent, & ab eis superbe responsum esset, bellum eis indictum est. Ac primum contra hos prædones profectus est alter consul; qui cum equitibus, & velitum robore palantibus de repente superueniés, magnam eorum stragem edidit. Deinde cum Sabini magnum in eos exercitum emisissent, cum perito belli duce, Romani rursum exierunt obuiam eum omnibus copijs. Cumque ad Anienem fluuium acriter vtrimque pugnatum esset, tandem victoria Romanis cessit, ac nisi nox superuenisset, omnes Sabinorum copiæ circumclusæ à Romanis, atque internecione deletæ fuissent; desertis hostium castris Romani potiti sunt, quorum prǫda copiosa militi permissa est.

Tunc primum Respub. Romana ex Etrusca se clade collegit, resumptisque viribus antiquum sibi in finitimos imperium vindicare ausa est, ac decreuit vt simul ambo Coss. triumpharent.

ANNVS MVNDI 3551. SEXTAE AETATIS 53. Solutæ captiuit. 35. Darii Hystaspis 20. Imperii Persarum 35. Zorobabelis, & Iosue Pontif. 35. Olymp. LXIX. An. 2. Vrb. cond. 250. P. Valerius Poplic. IV. & T. Lucret. II. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 502.

I. Duorum regum Spartanorum contentio.

DVM apud Æginam insulam esset Rex Cleomenes, communique Græciæ bono daret operam, Demaratus non tam Æginetis studens, quàm odio & inuidia ductus, Cleomenem insimulabat. Quem vt vicissim regno summoueret Cleomenes operam dabat: quod vt perficeret, eum Aristonis Regis filium, ac propterea legitimum successorem esse negauit, & consiliorum suorum socium assumpsit Leutychidem, ex eadem qua Demaratus familia virum, Demarati nihilominus, ob sibi præreptam coniugem inimicum; ea pactione, vt si eum regem in locum Demarati constituisset, se aduersus Æginetas comitaretur. Ergo Leutychides, Cleomene sollicitante, contra Demaratum iurauit, negans eum rite Spartanorum esse regem, quod Aristonis filius non esset, vt qui olim, cum ei famulus nunciasset filium ipsi esse natum, negasset eum esse filium suum.

Vid. Herod. lib. 6. p. 156. e dit. Francf.

II. Pythonissa corrupta falsum edit oraculum.

TANDEM re in contentionem adducta, visum est Spartiatis oraculum Delphicum consulere super ea re. Ibi Cleomenes per Cobonem quendam persuadet Pythonissæ Periallæ, eá quasi diuino impulsu dicere, quæ Cleomenes volebat dici. Ita mulier, sciscitantibus ijs; qui ad oraculum erant missi, negauit Demaratum Aristonis filium esse. Quæ fraus cum postea palam facta esset: & ille Cobon à Delphis profugit, & Periallahonore abdicata, & mox Cleomenes misere perijt, vt suo loco dicetur. Interea regno depositus est Demaratus, eique subrogatus Leutychides, à quo eum insuper derideretur, in Asiam spirans minarum & cædis, ad Darium profectus est, ab eoque honorifice acceptus; deinde multo post tempore, cum Xerxe apud Thermopylas, contra Lacedæmonios pugnauit. Sed ne Leutychides ipse in regno consenuit. Nam pecuniariæ corruptelæ reus, è Sparta profugit, & in exilio diem obijt, domo eius excisa. Vsq; adeo Deus hostis sacrilegij videtur fuisse, vt etiam in sacrilegis ipsis simulacris, quos illi vnos agnoscebant deos, sacrilegia seuere vindicarit. Quod rursum annó Darij 22. clarius agnoscetur; vigesimi autem meminit Ptolemæus, l. 4. c. 9. in quem eclipsim Lunæ incidisse notat.

Deus vltor sacrilegij.

III. Bellum Sabinum renouatur.

ROMÆ porró hoc quarto Valerij, & secundo Lucretij consulatu, Sabinorum gens vniuersa bellum decreuit cum Romanis communi consilio gerere. Extimularat eos Sex. Tarquinius, qui eis persuaserat proximi anni cladem acceptam ob copiarum imbecillitatem, & ducis imperitiam. Cumque ad reliquas ciuitates, etiam Fidenas, & Cameriam à Romanorum societate in Sabinorum partes pertraxisset, imperator ab omnibus electus est, data facultate habendi delectus ex omnibus populis. Interea vit quidam Sabinæ gentis, homo nobilis & potens, Appius Claudius, ab oppido dictus Regillensis, suis suspectus redditus, & iudicij timens (etsi paulo aliter Liuius, qui prius Appium Clausum dictum fuisse tradit) sese cum omnibus clientibus, & amicis Romanis dedidit, in quibus erant armis idonei ad quinque millia, quod magnum Romanis ad victoriam momentum attulit. Quamobrem S.P.Q.R. eum in patriciorum ordinem ascripsit, & vrbis parte ad ædificandum concessa, etiam agrum attribuit, è quibus deinde tribus Claudia effecta est.

Appius [illegible] Romanis se dat.

IV. Sabini vincuntur iterum.

DENIQVE eum Sabini copias suas bipertito diuisissent, & in binis castris collocassent, consiliis ipsorum per transfugam, & captiuos patefactis, in fo[illegible]am, quam Romanis parabant, Romanorum prudentia ac virtute inciderunt. Tarquinius enim Romanorum audaciam veritus, statuerat noctu rem aggredi, & superato vallo improuisum hostem inuadere; sed ita paratum inuenit, vt antequam ipse suos interfici sentiret, iam aceruí cadauerum congesti essent: vnde terror, & fuga, & apertæ cædes editæ, adeo vt nocturnis pugnis perierint Sabinorum atque sociorum ad 13. millia, capti ducenti super 4. millia, vt pluribus narrat Dionys. l. 5. Liuius autem vix attigit. Fidenæ vero, vbi pars vna Sabinorum castra locarat, post paucorum dierum oppugnationem captæ sunt. Nec tamen in prædam cesserunt ciuium corpora, nec vrbs ipsa est diruta. Satis pœnæ visum est consulibus, ciuitatis gentilis peccatum, bonorum, & mancipiorum direptione mulctari, & præter amissos in pugna ciues, supplicium de autoribus defectionis sumere, quos palam virgis cæsos securi percusserunt, & Romam regressi, ex SC. triumpharunt.

Et pœnæ defectionis.

V. Ludi seculares.

Hoc anno qui P. Valerium Poplicolam habuit quartum consulem Ludi seculares Romæ ab eo videntur instituti. Id Plutarchus in eius vita haud obscure significat. Sequens annus, inquit, Poplicolam quartum Consulem habuit, expectabaturque bellum à Sabinis & Latinis, qui societatem coiuerant. Sed & religio populi animos incesserat, quod omnes tum grauidæ mulieres mutilos partus abortu edebant, neque quidquam perfectum pariebatur. Quamobrem Poplicola cum ex præscripto Sibyllinorum librorum Ditem placasset, & edidisset quædam iussu Pythiæ spectacula, vrbe in meliorem de diis spem reducta, etiam terrorum ab hominibus oblatorum curam habuit. Sic ipse. Censorinus autem cap. 17. de die natali. *Primos, inquit, ludos seculares exactis regibus, post Romam conditam annis ducentis quadraginta quinque à Valerio Poplicola institutos esse Valerius Antias ait.* Apparet hunc Valerium Antiatem existimasse reges fuisse exactos anno Vrbis 240. eum quibusdam aliis, de quibus vltimo Tarquinii anno diximus: aut certe credidisse hosce ludos non quarto, sed primo Valerii consulatu fuisse institutos,

quæ

l. 2. c. 4.

quæ fortasse mens fuerit etiam Valerij Maximi, capite de Spectaculis. Institutus tamen ordo temporum exigit, vt Plutarcho potius, qui tum Valerij consulatum notanti, assentiamur. In commentarijs tamen xv. virorum legit Censorinus primos seculares ludos anno Vrbis conditæ 298. M. Valerio, & Sp. Virginio consulibus fuisse celebratos.

ANNVS MVNDI 3552. SEXTAE AETAtis 36. Solutæ captiuit. 36 Darii Hystaspis 21. Imperii Pers. 36. Zorobabelis, & Iosue 36. Olymp. LXIX. An. 3. Vrbis conditæ 251. Coss. P. Posth. Tuberto II. & Agrippa Menenio Lanato.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 501.

I. *Res gestæ à Spartanis contra Æginetas.* Cvm Cleomeni res in Demaratum ex animi sententia successisset, sumpto secum Leutychide contendit aduersus Æginetas, maiorem in modum illis, propter præcedentem ignominiam à Crio acceptam, infensus. Ita Æginetæ viriusq; regis contra se aduentu, non repugnandum iam sibi esse putauerunt. Itaque Spartani reges, *Decem primarios ex Æginetis Athenas deponunt.* decem ex Æginetis elegere, diuitijs, & genere eminentissimos, in quibus Criuiu illum Polycriti filium, & Casambum Aristocratis, qui plurimum potentia valebant. Eos in Atticam adductos, penes inimicissimos Æginetis Athenienses deposuerunt, vbi non exiguas traxere moras.

II. *Et a Sabinis contra Romanos.* Sabini vero prioribus cladibus non satis edomiti, hoc anno Romanis Coss. triumphum de se tertio præbuerunt, non tamen sine clade aliqua Romanorũ, per Posthumij consulis imprudentiam recepta. Nam instaurato clam exercitu, tertiò Romanum agrum peruasere, vsque ad vrbis mœnia, multosque tam de rusticis, quam de vrbanis nec opinantes interemere. Cum posthumius non ferendam ratus hanc insolentiam, collectis tumultuariè, quos sors obtulerat, promptius quàm prudentius hosti occurrit, qui ex composito retrocedens, persequentem nullo ordine militem Romanum in insidias adduxit, in quibus collectus erat Sabinorum exercitus; vbi ita pugnatum est, vt tantum non Consul ipse cum suis captus fuerit *Superimento obsidetur.* atque deletus. Nam plerisque cæsis, intercepto cæteris in vrbem refugio, eos in aspero atque inculto montis dorso conclusere, eosq; circumpositis excubiis, tota nocte custodiunt. Ea re audita Romæ, tota nocte, metu hostis victoria insolentis, peruigilatum est.

III. *Sabini obsidionem relaxare coguntur.* Postera die consul alter Menenius omnes iuniores armatos, ad soluendam montis obsidionem, eduxit, seruatis decenter ordinibus. Sed Sabini eos aduentantes nõ expectauere, sed præsenti felicitate contenti, reuocato Imperatore suo à monte, in sua sese gloriabundi recepere.

At Romani ægrè ferentes cladem & ignominiam, decreuerunt quam primum totis viribus expeditionem in agrum Sabinũ facere: præsertim cum superbis, & contumeliosis legationibus, extimulata vtrinque ferocia, vim atque vindictam spiraret. Itaque Romani exhausta fere ciuitate, relictis ad vrbis custodiam, qui militarem ætatem excessissent, cum seruitiorum turba, in bellum egressi, castra ad Eretum Sabinorum oppidum collocarũt. Vndequamuis longe numero impares, ostentis animati ad pugnam prodiere.

IV. *In quo Romanis victis.* Ac primum Posthumius in sinistro cornu, abolendæ ignominiæ cupidus, dextrum hostium cornu impulit, nulloque vitæ respectu dummodo vinceret, veluti insanus & mortem appetens, se in medios conijciebat hostes. Quo factum est, vt qui cum Menenio alterum cornu tenebant, fracti iam, & de suo statu exturbati, cognita Posthumianorum victoria, receptis animis impressionem in aduersarios facerent. Ita vtroque Sabinorum cornu inclinante, fuga fit omnium, neque enim media acies, vtroque latere nudata subsistit amplius, sed vi Romani equitatus turmatim irruentis, reiecta cessit. Tum vero effusè in castra refugientibus omnibus, Romani tergo hærentes, & simul irruentes, vtraque illorum munitione potiti sunt; plerosque nox, & semitarum in patrio solo peritia, morti eripuit. Postridie consules collectis spolijs domum cum splendida victoria, alter ouans, alter triumphans inuecti sunt. Ouationem enim Posthumius, propter priorem culpam, qua Romana res in periculum, per eius imprudentiam adducta fuerat, duntaxat obtinuit. Et quidem primus, vt author est Plinius. li. 15. ca. 29.

V. *Discrimen ovationis a triumpho.* Differt autem, inquit Dionys. quod in ouatione dux non curru vt ille, sed pedib. in vrbem præcedit pompam militum; deinde pro picta, auroque intertexta trabea, induitur toga prætexta, quod vsitatum Consulum, & Imperatorum gestamen est; nec sceptrum gestat, vt triumphantes, sed tantum coronam lauream, in cæteris nullo discrimine. Vide ea de re Cuspin. in hunc annum, Sigonium autem in præcedentem, & Plutarch. in Marcello. Hoc etiam anno T. Liuius scribit duas colonias Latinas Pometiam, & Coram ad Auruncos defecisse. Cum Auruncis bellum initum esse, fusoque ingenti exercitu, *Romana in victos seueritas.* qui se ingredientibus fines consulibus ferociter obtulerat, magna seueritate in victos actum fuisse, quippe post prælium passim trucidatos, & ne à trecentis quidem obsidibus abstinuisse. Quæ res sequenti anno Pometianos rabie, ac desperatione compleuit.

VI. *Valerij obitus, & elogium.* Incidit in hunc annum P. Valerij Poplicolæ obitus. Id enim affirmat Dionys. quamuis Plutarchus dicat eum acto triumpho, consulibusq; sequentibus, siue designatis Reip. cura tradita, statim obijsse. Id enim de hoc anno, sed ineunte facile intelligi potest. Eius autem tanta continentia, ac frugalitas celebratur, vt qui patricius, cum tribus primis patricijs reges expulerat, qui intra septennium quater consul fuerat, & duobus maximis bellis victor de Sabinis, & Etruscis triumpharat, totque honestas parandæ pecuniæ occasiones habuerat, moriens non haberet vnde, pro tanti viri dignitate, sepeliri posset. Qua re cognita Senatus gloriosam eius egestatem admiratus, *Publico sumptu sepelitur.* impensas ex ærario in sepulturam decreuit; quam præter consuetudinem intra vrbem prope forum assignauit: solum illum ex omnibus illustribus viris, vsque ad meam ætatem, inquit Dionys. honore isto dignatus. Id quasi sacrarium gentis patet ad sepulturam eius posteris: res omnibus opibus & regnis potior, si quis honestate felicitatem, non voluptate metiatur.

VII. Addit nonnulla Plutarchus, quæ libet hic lectori describere. Populus inquit, tanquam viuo nihil eorum, quæ meritus fuerat, persoluisset, sed omnem adhuc deberet gratiam, decreuit vt corpus eius publica sepultura afficeretur, quadrantemque vnusquisque honoris ergò, ad eam rem contulit (quadrans vnciæ argenteæ 14. fere solidis Turon. in ære Gallico valet, pergit.) Mulieres quoq; cõmuni sententia seorsim inita, totum annum eum luxerũt; quæ res magno ei honori, ac decori fuit. Sepultus est ipse quoque, ciuibus ita decernentibus, intra vrbem apud Veliam; iisque sepulturæ honor toti eius genti concessus est. Sed nunc eorum quidem nemo ibi humatur: funus tamen eo ducitur, feretroque ibi deposito, facem aliquis accensam accipiens, vt primum subiecit, mox aufert: ostendens licere quidem eo in loco illud terræ mandari, se tamen huic honori cedere; eoque facto mortui cadauer inde aufertur.

VIII. *Ac luctus, & laudes.* Ita Valerius Poplicola, ait Dionys. qui nihil præter sumptus necessarios possidere voluit, vt opulẽtus aliquis Rex splendide à Republ. sepultus est. Matronæ quoque vniuersæ, communi consensu eum, sicut prius Iuniũ Brutum, deposito auro, & purpura, per integrum annum, vt solent singulæ coniunctissimos, luxerunt. Sic Dionysius, non immerito celebrans diuitiarum insignem meo viro contemptum, quem deinceps postea plerĩq; Romæ imitati sunt, aut etiam superauerunt. Felices vtique si meliore illustrati luce, hæc non ad ostentationem, sed ex veræ virtutis amore, ad summi Numinis gloriam attulissent: Itaq; Augustino attestante, & Christo Domino proferente sententiam. *Receperunt mercedem suam.*

ANNVS

ANNVS MVNDI 3553 SEXTAE AETATIS 37. Darii hystaspis 22. Imperii Persici 37. Zorobab. & Iosue 37. Olymp. LXIX. an. 4. Vrbis conditæ 252. Coss. Sp. Cassio Vscelino & Opit. Virginio Tricosto.

ANNVS ANTE CHRISTVM 500.

I. Cleomenis sacrilegium manifestatum.

AD quingentos adhuc annos absente diu... in humano corpore veritate, temporis, vt aiunt, filia ...tas fraudem sacrilegam Cleomenis patefecit. Ideoq; cum metus Spartiatarum, vt ait Herodotus, eius animũ subijsset, iam manifestus maleficij in Demaratum excogitati, in Thessaliam subterfugit, atq; illinc in Arcadiã profectus, res nouas moliebatur, sollicitans Arcadas aduersus Spartã, eosq; iureiurando per aquam Stygiam volebat adigere ad se sequendum, quocunq; ipsos duceret. Quod cum Lacedæmonij accepissent, timentes sibi ipsis, Spartam ad pristinam dignitatem eum reuocarũt. Sed eum reuersum statim morbus insaniæ cepit, etiam iam antea subinsanũ. Nam vt cuique Spartiatarum obuius erat, sceptrum in eius faciem infligebat; quæ cum ille, & id genus alia faceret, eum propinqui soleis ligneis illigauerunt.

Fugit, & furore percitus, insanit.

II. Se ipsum crudeliter dilacerat, atque interficit.

Is autem custodem, alijs aliò digressis, solum remansisse cernens, petijt ab eo gladium, & minis territans tãdem impetrauit. Eo accepto Cleomenes à turis incipiens sese dilacerabat. Carnes enim in longum discindebat, è tibijs ad femora procedens, & inde ad coxas, & ilia, quousque ad ventrem peruenit, in quo rescindendo expirauit; idque, vt plerią; Græcorum memorant, quia Pythiam corruperat ad ea dicenda, quæ circa Demaratum acta sunt: siue quod, vt aiunt Athenienses, adortus Eleusinam, fanum deorum depopulatus fuerat; siue denique, vt Argiui affe-tunt, quod eos, qui à pugna fugerant in templum Argiuorum, inde abstractos obtruncarat, & eius lucum contemptui habitum incenderat. Sic Herodotus; ostendens hominem, siue vno, siue pluribus sacrilegijs reum, diuina ira persequente male perijsse.

In poenam sacrilegij.

III. Cum Sabinis debellatum.

HIS Consulibus bellum contra Sabinos, à quatuor iam annis inchoatum, absolutum est, Spurio duce; commisso ad Cures magno prælio, in quo cæsa sunt hostium circiter decem millia, & trecenti, capta fere quatuor millia. Qua vltima clade perculsi Sabini, legatos miserunt ad consulem de pace, atque amicitia, quos ille ad Senatum remisit, à quo pacem ægre impetrarunt, magno frumenti numero, agroque, & insuper certo argenti pondere in singula capita, mulctati. Ex hoc bello Sp. Cassius triumphans redijt in vrbem.

IV. Camerini victi, seuerisque puniti.

ALTER Consul Virginius contra Camerinos, qui belli tempore à Romanorum societate defecerant, duxit dimidiam partem exercitus, & noctu iter emensus, aduentus sui ignaros oppidanos oppressit, oppidum militi diripiendum permisit, ac diruit, autoribus defectionis ad vnũ interfectis, reliqua turba sub hasta vendita. At Liuius his similia non de Camerinis, sed de Pometinis, & Auruncis recitat, quos ait quadam rabie efferatos, pluresque igne quam ferro armatos in Romanos irruisse, cæde atque incendio cuncta compleuisse: consulum quoque alterum, graui vulnere ex equo deiectum, prope interfecisse. Paulo tamen post vrbe dedita, Auruncos principes securi percussos, cæteros sub corona venijsse. Consules autem magis ob iras grauiter vltas, quam ob magnitudinem perfecti belli triumphasse: ergo & culpam potius, quam virtutem honore affecisse. Dionysio potius assentitur Sigonius, & quia in hac colligenda historia diligentior est Liuio, & quia cum Capitolinis fragmentis consentit. Vide eundem Sigon. in an. 250. vbi affirmat se Dionysium præ Liuio sequi, tanquam certiora afferentem. Eademque est Onuphrij sententia, *a* & Cuspiniani, *b* quam & nos superius amplexi sumus.

Pometinorum, & Auruncorum furor.

Dionysius Liuio certior.

a in ann. 244. ab Vrb cond
b in an. seq.

ANNVS MVNDI 3554. SEXTÆ ÆTATIS 38. Darii Hystaspis 23. Imperii Persici 38. Zorobabelis, & Iosuæ Pontif. 38. Olympiadis LXX. An. 1. Prætore Athenis Myro. Vrbis condit. 253. Coss. Posthumo Cominio, & T. Largio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 499.

I. Ortus Abiud ex Zorobabele.

VIGESIMO tertio Darij anno putat Tornelius probabiliter Zorobabelem, anno circiter vitæ suæ quinqu...gesimo primo, genuisse Abiud, per quem propagata est gen...logia Saluatoris. Cuius ille rationem affert, quod non possint ...loqui commode exhauriri anni 634. inter Iechoniæ & C...i ortum, per quatuordecim generationes, quas S. Matth...s initio Euangelij sui commemorat. Quandiu autem præ...a vixerit, nemo probatæ fidei tradit. Nam Annij comme...a, & quatuordecim duces de stirpe eius, qui ei successerint, ... Euangelio S. Lucæ depromptos omnes eruditi respuunt: præ...im cum Iosephus hoc tempore Iudæorum Remp. à Pontifi...s administratam fuisse tradat. Nam *c penes pontifices*, inquit, *fuit summa autoritas, donec Assamonæorum gens mutato rerum statu regnum obtinuit*. In chronico quidem minore Hebræorum legitur Zorobabelem redijsse Babylonem, ibique mortuum fuisse, postquam Esdras ædificauit murum vrbis, aptauitque ædem sanctuarij. Sed ille liber totus scatet erroribus. Nam ibidem subdit, post Zorobabelem stetisse Mesulam filium ipsius, qui in Scriptura *d* vocatur Mosollam, cuius diebus Græcorum imperium cœperit, & 12. Alexandri anno mortuus fuerit. At cum eum Scriptura ponat Zorobabelis primogenitum, si vel hoc anno tantum natus fuisset, oportuisset eum 177. annis vixisse, quod merito absurdum videatur.

Eius posteri.

c Lib. ante c. 4. sub fin.

d 1. Paral. 3.19.

II. Æginetæ obsides suos petunt.

QVOD ad res Persicas, vel Græcas illis connexas attinet, vbi defunctum Cleomenem Æginetæ audiere, Spartam nuncios misere vociferatum contra Leutychidem de obsidibus, qui Athenis tenerentur. Leutychides autem cum eis Athenas venit, ac depositum repoposcit. Illi tergiuersati cœperunt, quod dicerent duos in deponendo reges fuisse, ideoq; iniquum esse id alteri sine altero reddi. At Leutychides eis exemplum proponit Glauci cuiusdam, qui cum in reddendo deposito tergiuersaretur, primo ab oraculo durius reprehẽsus, deinde etiam post redditum depositum, ita diuinitus castigatus est, vt post breue tempus nulla ei domus, neque soboles superfuerit in vrbe sua, sed ex Sparta radicitus extirpata fuerit.

Retentoris depositi diuinitus castigati.

III. Athenienses retinent obsides. Quos Æginetæ vlciscuntur.

NEQVE tamen Atheniensibus persuasit, vt Æginetarũ obsides redderent, propter antiquum odium Atheniensium in Æginetas, qui Thebanis contra se auxilio fuerãt. Æginetæ igitur Athenienses vlturi, biremem quandam eorum, Atheniensium primoribus plenam, quæ Delum quotannis proficiscebatur, insidijs intercepere, virosque in vincula coniecerunt. Ea clade accepta, Athenienses omni studio in vltionem contra Æginetas incubuerunt, cuius eis occasio, per proditionem cuiusdam Nicodromi, data est, anno, vt arbitror, sequenti. Interea vero quid à Persis ageretur, ex Herodoti narratione non satis apparet: perpauca enim ante Marathoniam pugnam gesta refert, quam tamen constat non nisi post septem annos contigisse.

IV. Olymp. 70. Zeno Eleates quando floruerit, &c.

Hoc ipso anno, qui septuagesimæ Olympiadis initium est, vt scribit Dionys. in stadio vicit Nicæas Locrus ex Opunte, cum Myrus Athenis Prætor, siue Archon, aut Princeps esset. Qua in primis floruisse Zenonem Eleatem author est Laertius, vt ex Græco textu constat, licet in Latino sexagesima nominetur, quem Aristoteles inuentorem Dialecticæ, sicut Empedoclem Rhetoricæ testatur. Eius in Nearchum, siue Diomedontem tyrannum audaciam, quem etiam dentibus inuaserit, & linguam in os eius expuerit, post illius amicos per calumniam, tanquam coniurationis secum socios, morti datos, apud Laertium & Suidam leges: quem tamen ad Olymp. 78. differt Eusebius

sebius hac Olympiade septuagesima floruisse ait Hellanicum Historiographum, & Democritum Philosophum, Heraclitum cognomento Tenebricosum, & Anaxagoram Physicum: ex quo S. Cyrillus l. 1. contra Iulianũ. Qui cum Hellanicum omiserit, significat eum posteriorem fuisse. Ex Gellio a colligitur cum sequenti Olympiade ineunte esse natum, nedum septuagesima floruisse; vt qui initio belli Peloponnesiaci, id est Olymp. LXXXVII. an. 2. natus fuerit annos 65.

V. Quod ad Democritum attinet, scripsit Laertius in eius vita, natum Democritum anno tertio Olympiadis septuagesimæ septimæ, & vno anno natu maiorem Socrate, quẽ ex Apollodoro in chronicis, anno quarto Olympiadis eiusdem natum ait in vita Socratis. Cum autem idem Laertius asserat Democritum ad centum & no... annos vixisse, ad centesimam & quartam Olym... eidem viuendo peruenerit. Cum ergo natus non ...it nisi Olympiadis 77. an. 3 quomodo recte ab E...bio dicitur Olympiade septuagesima claruisse? ...tius de Heraclito, quem Diogenes idem flor... ait circa Olympiadem nonam supra sexagesim... Fuit is patria Ephesius, animo elato ac contemn... omnes, adeo vt eorum odio vitam in montib... duceret, olera atque herbas comedens. Librum scripsit de natura tres in partes distributum, de Vniuerso primam, alteram de Republ. tertiam de Theologia. Illum vero in templo Dianæ deposuit, de industria scriptum obscurius, vt soli eruditi illum legerent, ne si à vulgo passim legeretur, contemptibilis esset. Hæc de illo, aliaque plura Diogenes; apud quem est Epistola Darij Hystaspis Heraclitum ad se inuitantis, cum responsione Philosophi sese excusantis. Eundem fastum illud indicat, quod cum iuuenis esset, nihil se dicebat scire, vir autem factus, nihil ignorare, omniaque se à semetipso didicisse. Anno ætatis sexagesimo intercute laborans excessit è viuis.

VI. ANAXAGORAS autem Clazomenius cum 40. annis maior fuerit Democrito, vt semel iterumque in huius vita affirmat Laertius, natus fuerit anno tertio Olympiadis sexagesimæ septimæ. Sic enim habet. *Erat autem, vt ipse in paruo Diacosmo refert, iuuenis eo tempore, quo iam senior viuebat Anaxagoras, illo minor natu annis* 40. Paruum vero illum Diacosmum à se compositum refert anno post Troiæ excidium quingentesimo trigesimo. Imo vero, vt est in Græco textu, septingentesimo trigesimo. Est autem præteritus annus ab illa clade 684. scriptus ergo fuerit post annos ab hinc 46. Verum hæc Laertij chronologia parum consentanea est illi, quam idem habet in vita Anaxagoræ. Fertur inquit in Xerxis transitu annum ætatis vigesimum egisse; at is contigit ineunte Olympiade 75. ergo septuagesima natus fuerit, non sexagesima septima. Vixisse annis septuaginta duobus ibidem scriptum est. Suidas autem ait illum 70. annos natum sibi inedia necem consciuisse. Illud de Anaxagora egregium memoratur, quod cum in speculanda rerum natura totus esset, rei publicæ, priuatæque negligens, cuidam dicenti; nullane tibi patriæ cura est? *Mihi vero*, inquit, *patriæ cura, & quidem summa est*, digitum in cœlum intendens.

VII. Hoc anno Romæ Consulatum inierunt Posthumus Cominius, & T. Largius; quorum cognomina sunt Auruncus, & Flauus, siue Ruffus apud Cuspin. Sigon. & Onuphr. Hoc anno Latini populi à Societate Romanorum desciuerunt, Octauio Mamilio Tarquinij genero, vniuscuiusque oppidi proceres, partim pollicitationibus, partim precibus impellente, ad iuuandos in obtinendo reditu exules Romanos; coierunt que in commune concilium Ferentinum omnes Latij vrbes, præter vnam Romam, vt bellum communi consilio decernerent; quod cum M. Valerius vir consularis agnouisset, qui legatus pop. Romani finitimas obibat ciuitates, pacis firmandæ gratia, in publico conuentu questus est iniuriæ factæ Romanis, quod ad eum conuentum vocati non essent, in quo primi omnium sententiam dicere debuissent. Vbi eum vice versa ab alijs accusarentur, denique ab vniuersis decretum est fœdus à Romanis esse violatum, ac Valerio responderunt, cognationis nexus, illorum iniurijs solutos esse, & deliberaturos se per otium quomodo eas vlcisci oporteat.

VIII. T. Liuius ait triginta populos, concitante Octauio Mamilio, contra Romanos coniurasse: ex quo data sit occasio Dictatoris primum creandi. Verum cum Liuius id non plane asseueret; & Dionys. in tertium ab hinc annum Dictatorem differat, ei potius assentiendum est, quod Onuphrius, & Sigonius quoque fecerunt. Et Liuius ipse fatetur hoc ...tum in aliquot annos dilatum, & idẽ anno seq. Dionys. significat. Eusebius in Chron. ait nono anno post exactos reges, eam dignitatem fuisse creatam.

Præterea dum hæc aguntur, ait Dionys. coniuratum fuisse Romæ, à non paucis seruis de occupandis arcibus, & vrbe aliquot locis incendenda. Quod consilium vbi à cõscijs detectum est, confestim portis clausis, omnia munitiora loca, consulum iussu, ab equitibus occupata sunt, ac mox sontes partim in priuatis ædibus comprehensi, partim è foris adducti, omnes in crucem acti sunt; sunt qui dicant eos è scopulo fuisse præcipitatos.

ANNVS MVNDI 3555. SEXTAE Ætatis 39. Darij Hystaspis 24. Imperij Persici 39. Zorobab. & Iosuæ 39. Olympiadis LXX. an. 2. Vrbis conditæ 254. Coss. Ser. Sulpicio Camerino, & Manio Tullio Longo.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 498.

I. CVM Æginetæ Athenienses, occupata eorum triremi, vlti essent, eosque ad reddendos suos obsides, captis Atheniensium primoribus, cogerent: Nicodromus quidã Ægineta commodum affuit, qui ad vindictam de Æginetis, quibus erat infensus, capiendam Atheniensibus famularetur. Itaque cum illis composuit de prodenda Ægina ad certum diem, quo esset rem aggressurus ipse, & illos oporteret venire subsidio. Quo die cum ille ex composito vrbem occupasset, Athenienses ad condictum diem non affuere, classe nondum comparata, quæ Æginetarum classi par esset. Dumque à Corinthijs commodari sibi naues rogant, interea res corrupta est. Nihilominus cum 70. nauibus in Æginam nauigarunt, perueneruntq; postridie eius diei, qui erat destinatus. Qui cum ad diem non adessent, conscenso nauigio Nicodromus ex Ægina profugit, alijs nonnullis Æginetarum eum comitantibus, quibus Athenienses Sunium incolendum dederunt; quo ex loco isti Æginetas multis dãnis sæpenumero afficiebãt.

II. AT proceres Æginetarum, cum conuitatos superassent, qui cum Nicodromo tumultum fecerant, septingentos de plebe interfecerunt; quorum vnus è vinculis elapsus, cum ad Cereris legiferæ vestibulum profugisset, eiusque cardinibus apprehensis adhæreret, illique eum auellere non possent, hominem inde abscissis manibus abstraxeruut. Propter quod sacrilegium, vt significat Herodotus, in cladem, ex qua paulo ante, patefacta cõiuratione, euaserant, reciderunt. Nam classe nauium septuaginta, cum Atheniensibus, qui superuenerãt, congressi, superati sunt. Verum innuit idem Herodotus, bellum inter Æginetas & Athenienses non tam cito fuisse terminatum, sed alia quoque maritima certamina intercessisse, quæ deinceps contigerũt, ante quam ad Marathunem pugnaretur: quæ non videtur operæ pretium exactius persequi.

III. Hos Coss. quos præfert index anni huius, decimo anno ab exactis regibus hunc gessisse magistratum scribit Cic. in Bruto: sed annum non nominat, vt possit intelligi, quem ille primum annum cõsularem existimauerit. Hoc ergo anno Fidenates aliquot, ascitis à Tarquinio militibus, & arce occupata, eiectis ciuibus, qui in fide cum Romanis perstabant, ab eis defecerũt, & Romanorum legatus super ea re, ne auditos quidem à se erecerunt. Quibus cognitis Senatus vniuersæ Latinorum genti nondum quidem bellum inferre volebat, quod intellexisset non omnibus Latinis probari decretum Concilij, sed plebeios per

ios per omnes vrbes bellum detrectare, ac plures esse qui ratum, quam qui irritum fœdus vellent. Contra Fidenates autem alterum consulem Manium, cum valido exercitu mittendum decreuerunt, qui agro eorum impune vastato, & castris ad ipsa mœnia positis, omnem commeatum, & sociorum auxilia interclusit.

IV. Illi trepide à Latinis auxilium petunt. Qui coacto concilio Romam legatos mittunt, qui postulent Tarquinios exules recipi, & obsidionem solui, alioqui se belli consilium inituros: annum porro integrum se eis ad deliberandum dare. Hi legati Romæ plebem obæratam contra diuites incitant, & seruos spe libertatis alliciunt, præsertim qui, propter socios superiore anno supplicio affectos, male erga dominos animati erant; itaque promptas aures insidiarum hortatoribus præbuerunt.

Coniurationis consilium fuit huiusmodi. Duces facinoris obscura nocte arces, & munitiora vrbis loca occupare oportere: seruos vero, cum primum illos opportunis locis potitos sensissent, quod illi sublato clamore significaturi erant, necare oppressos somno dominos; quo facto, direptisque diuitum ædibus portas tyrannis aperire.

V. Sed affuit vrbi diuina prouidentia; quæ visis conterritos duos è coniuratis fratres, P. & M. Laurentinos ad patefaciendam coniurationem alteri consulum impulit. Is fuit Sulpitius, qui tum in Vrbe aderat, qui re cognita, eosdem laudatos, promissisque oneratos domi continuit. Tum Latinorum legatis in curiam introductis, ex sententia Senatus respondit, Romanos nihil eorum, quæ peterent, facturos; quod si propterea cognationis vincula soluere cogitarent, nihil amplius cunctarentur.

Tum legatis dimissis, & extra vrbem deductis, exponit Senatui, quæ ab indicibus de coniuratione didicerat, acceptaq; plenissima potestate prouidendi, ne quid Respub. detrimenti caperet, modum inuenit, quo primum ipsi arcanæ conspirationis duces sponte in vnum locum cogerentur; deinde indubijs argumentis conuincerentur, vt nullam sibi defensionem reliquam facerent.

VI. Ergo delectis è Senatorum numero, qui ætate & viribus maxime valerent, iussit eos, cum primum signum à se datum accepissent, cum fidissimis amicorum occupare munita vrbis loca, domicilijs suis proxima. Equites quoq; præmonuit, vt in foro circa ædes opportunissimas præsto essent cum gladijs, & iussa, quæ daturus esset, peragerent. Ac ne in sontium comprehensione, & supplicio cognati ciuitatem turbarent; per literas obsidenti Fidenas collegæ significauit, vt initio noctis è castris ad vrbem, cum meliore exercitus parte, profectus, in montano loco mœnibus proximo consisteret.

His ita præparatis iussit indices coniurationis ducibus edicere, vt circa medium noctis in forum venirent, cum sociorum fidissimis, illic accepturi ordinem, locum, & tesseram rei gerendæ. Quod cum ab eis factum esset, signo illis ignoto statim arces, & loca vrbis editiora, armis pro defensione patriæ complentur, totoque circumfusæ equitum custodiæ impediunt, ne quis inde possit elabi; eodemque tempore alter consul Manius à Fidenis in campum cum copijs aduentat.

VII. Cvm primum autem illuxit, Coss. pro tribunali cum armatis adstant, & conuocato per præcones populo, exposuerunt ei coniurationem de reducendo tyranno initam, productis coniurationis indicibus; deinde facta potestate contradicendi, nemine ad inficiationem refugiente, digressi è comitio in Curiam, in Senatu rogarunt sententias, & SC. in tabulas retulerunt, reuersique in concionem populo id recitarunt. Fuit autem huiusmodi; conspirationis indicibus dari ius ciuitatis, & vtrisque argenti decies millenas drachmas, & agri ex publico vicena iugera: socios autem coniurationis comprehendi, & necari, si idem populo videretur. Cumque collecta multitudo ratum faceret SC. Ministros cum gladijs immiserunt, qui sontes armatis vndique cinctos, omnes ad vnum confecerunt. Quo facto Coss. contra neminem amplius admiserunt indicium, sed quotquot è conspiratis præfugientem pœnam effugissent, omnibus veniam dederunt, vt omnis turbarum materia in vrbe aboleretur.

VIII. Conivratis hoc pacto deletis, SC. factum est, vt tota lustraretur ciuitas, quod necessitate coacta esset ciuilis cædis autor fieri. Quanquam ciuitas impio sanguine effuso, leuata potius, quam inquinata censenda erat; vt postea in simili causa Catilinaria eleganter dixit Romanus orator. Tum ad agendas dijs gratias, ludos triduo celebrari iussit; in quibus dum Man. Tullius Consul cum pompa deducitur, è sacro curru in ipso circo prolapsus, & tertio post pompam die defunctus est. Reliquum anni spatium, quia perparum fuit, Sulpitius solus magistratum obtinuit. Hæc fere Dionys. quamuis Liuius nihil dignum memoria his consulibus actum dicat.

Margin notes: Accensis de seditione. — Consiglium ad Latinos, qui Romam legatos mittunt. — Vbi coniurationi fauens. — V. Ea patefit duobus è coniuratis. — Qui legatos dimisit. — Et Senatum monet. — VI. Eius consilia ad comprehendendos coniuratos. — Qui in forum conueniunt. — Ibi q; armatis circumfunduntur. — VII. … — Senatus … de … — Et supplicio afficiuntur. — Ludi gratulatorij & mors consulis.

ANNVS MVNDI 3556. SEXTÆ Ætatis 40. Darii Hystaspis 25. Imperii Persici 40. Zorobabelis, & Iosuæ Pontif. 40. Olympiadis LXX. An. 3. Vrbis condit. 255. Coss. P. Veturio & T. Æbutio Elua.

ANNVS ANTE CHRISTVM 497.

I. De rebus Hebræorum iamdudum nihil certi habemus. Torniel. an. 110. sextæ ætat. probabiliter existimat Esdram sacerdotem magnum, qui postea fuit scriba in lege doctissimus, vt Scriptura loquitur, natum fuisse, circa 25. Darij annum, vt ad Iaddum pontificem, cuius facit mentionem in libro suo peruenire potuerit: si tamen is fuit author libri Nehemiæ, in cuius cap. 12. v. 11. meminit Ieddoa pontificis, quem Iosephus Iaddum appellat. Qui cum ad centesimam quartam Olympiadem cepetit agere pontificem, oportebit Esdram minimum centum, & 33. annos vixisse, vt illum viderit vel vno anno pontificem.

De rebus Persicis, & Græcis iam superiore anno significaui horum temporum inopiam, vel copiam leuiorem.

De Romanis scribit paucis Dionys. l. 5. T. Æbutio res vrbanas commissas esse, quod diligenti opus habere videretur custodia, ne quid rerum nouarum pauperes molirentur. At Veturius cum dimidio copiarum ad Fidenarum obsidionem continuandum profectus est. Nam, vt ex anno quoque superiore patet, & mox sequenti, alter consulum domi res vrbanas curabat, alter foris bellicas, nisi si quando res ferret, vt vterque Coss. domi retineretur, aut vterque prodiret foras.

II. Vetvrivs porro cum oppidum assidue tentatum expugnare non posset, vallo ac fossa circumquaque cinxit, fame ad deditionem coacturus. Sed Fidenatibus magna iam difficultate laborantibus, venit Latinorum auxilium à Sex. Tarquinio summissum, quo freti prodiere foras, & prælio contra Romanos, sed infelici exitu decertarunt. Nam in vrbem, propter quam pugnatum fuerat, repulsi ad priores difficultates redacti sunt.

Eodem tempore Sex. Tarquin. duxit Latinorum exercitum contra Signiam Romanorum coloniam, cuius pater ipsius autor fuerat, eique T filium primum præfecerat. Sed cum eum locum præsidiarij egregiè defendissent, & noua subinde subsidia à Coss. summitterentur, re infecta, Tarquinius copias suas reducere coactus est. Romani autem in obsidione Fidenatum constanter in sequentem vsque annum, quo ijs potiti sunt, perdurarunt.

Addit Liuius Crustumeriam hoc anno captam, Præneste autem à Latinis ad Romanos desciuisse, cum tamen anno sequenti Prænestini, inter fœderatos Latinorū populos, à Dionysio numerentur. Certe post annos 120. anno secundo centesimæ Olympiadis, qui fuit ab vrbe condita trecentesimus septuagesimus quartus, ijdem in armis sunt contra Romanos, suique metu eos impellunt ad creandum Dictatorem T. Quintium Cincinnatum, à quo & victi sunt, vt suo loco dicetur.

* * *

Margin notes: Ortus Esdræ. — Res gesta contra Fidenates. — Ercitus … contra Signiam Tarquinius.

ANNVS MVNDI 3557. SEXTAE AETAtis 41. Darii hystaspis 26. Imperii Persici 41. Zorobab. & Iosue 41. Olymp. LXX. an. 4. Vrbis conditæ 256. Coss. T. Largio Flauo II. Q. Cloelio Siculo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 496.

I. *Fidenates sunt damnati.* CLOELIVS domi Remp. curare à Senatu iussus est, cum dimidio exercitus retento ad cauendas res nouas, quia miti esse ingenio videbatur, & popularis. T. autem Largius, quem Liuius Lartium vocat, ad debellandos Fidenates duxit exercitum, omnibus rebus ad obsidionem instructum, quam Fidenates ægerrime tolerabant; spe Latini subsidij: sed neque singulæ ciuitates obsidionem soluere poterant, neque adhuc conuenerant vniuersæ. Ergo cum præter alia mala, fames intolerabilis premeret, multosq; mortales quotidie conficeret, legatione ad Consulem missa, inducias certorum dierum petunt, quibus de pacis conditionibus deliberarent, sed cum nihilominus illi ad Latinos pro auxilijs legatos misissent, nec ijam vrbem regredi à Romanis permitterentur, desperatis auxilijs, sese Romanis, quibus vellent conditionibus, dediderunt. At Consul, consilio à Senatu capto, nobilissimos Fidenatium defectionis autores, virgis cæsos capite truncauit, bona ærario addixit; reliquos omnes permisit suis bonis frui, & patria; agri dimidium ademit, quem sorte interse diuiserunt præsidiarij Romani, qui ibi ad arcis custodiam relinquebantur.

II. *Latini turbantur, ac sumque conspirant.* HVIVS deditionis fama, vt perlata est ad Latinos, turbatæ ac territæ sunt vrbes vniuersæ, coactique omnium apud Ferentinos concilij præsidibus, belli hortatores in armorum dissuasores multis verbis inuecti sunt, quasi socios prodidissent, præcipue Tarquinius, & gener eius Manilius, Aricinorumq; proceres, qui suis concionibus perfecerunt, vt omnes Latini nominis populi, commune bellum contra Romanos susciperent. Et ne quis populus Societatem proderet, neue sine communi consensu pacem priuatim faceret, graui iureiurando se mutuo deuinxerunt. Numerat Dionys. nominatim populos 24. Liuius 30. fuisse refert. Imperatores creati Octauius Mamilius, & Sex. Tarquinius; quibus data potestas tantum vt copiarum contraherent, quantum ipsis satis esse videretur. At Romani cum amicorum auxilia tentassent, varia tergiuersatione spe frustrati, omnem spem in domesticis viribus ponere coacti sunt.

III. *Egeni, & obærati tumultuantur.* CÆTERVM dum res ad bellum necessarias comparant, & copias conscribere incipiunt, non parum difficultatis interuenit, non omnibus pari alacritate operam suam offerentibus. Nam egeni & obærati ad arma vocati non parebant, remitti sibi debita SC. flagitantes; imo non deerat, qui se vrbem deserturos minarentur, ad idque se mutuo hortarentur. Hanc egenorum, & obæratorum multitudinem nisi aut dubiam mihi fatear, aut certe mirabilē videri, profecto mentiar. Præsertim in continentibus bellis atque victorijs, hostilis agri depredationibus, oppidorū castrorumq; direptionibus. Vt quamuis proprijs sumptibus ex Seruij Tullij institutione militarent, *a* abundare tamen omnes, valdeq; locupletes esse conuenirent. An dicendum est non fuisse hanc virorum militarium egestaté, sed infimæ plebis, quæ eiusdem regis instituto, non militabat? At hæ turbæ ab ijs excitabantur, qui euocabantur ad militiam. Itaq; dicendum videtur, Romanos hoc tempore amicorum auxilijs destitutos, & nihilominus contra 24. aut 30. populos pugnaturos, ciues omnes ad militiam vocasse, vt grauissimis Reipub. temporibus non deessent: idemq; de sequentibus aliquot annis dicendum videtur. Adde etiam prædam aut omnem, aut magnam certe eius partem, in publicum ærarium his temporibus referri solitam, quæ causa fuit Appio Claudio consuli criminationis aduersus Seruilium collegam. *a*

a Dionys. l. 4 p. 121. 9 ... lat.

a ... v. c. 119.

IV. CVM res in Senatum delata esset, & cōsultaretur quonam honesto modo ciuitas vacare posset à turbis: mediocris census, & æquioris ingenij patres suadebant remittēda inopibus debita, redimendamq; paruo dispendio beneuolentiam ciuium, ex qua maximum emolumentum, tam priuatim quam publice percepturi essent, & grauissimum periculum defectionis ad Tyrannos, & in Patricios insurgendi vitaturi. Cuius sententiæ princeps erat M. Valerius, M. filius, vnius eorum, qui tyrannidem sustulerant. P. frater, qui ob populi studium dictus est Poplicola, qui elegantem habuit orationem, quam recitat Dionys. In qua inter alia contendit prouidendum Romanis ne cum periclitentur, ne rursum in potestatem veniant immanis tyranni, & nunc ter damnis suis cuiusque efferati, negligant exigua quadam humanitate, egenos ciues pro inimicis reddere sibi belli socios. *Deliberatio fuerit ea ... Manu ... ...*

V. *Appij ... ... dulgendam ... ...* ALTERA sententia fuit Appij Claudij Regillensis priori contraria, negantis debitorum remissionem esse faciendam; neque ea seditionem ex vrbe excisum iri, imo eam periculosius ab inopibus ad diuites migraturam, nec optimis ciuibus, & qui onera Reip. ferant iniuriam faciendam, vt à nequissimis, & ingratissimis ciuium gratia colligatur. Non ab inopibus perdi Rempub. quando hi necessitate in officio continneantur, sed a diuitibus, & gerendæ Reip. idoneis, si à deterioribus iniuria affecti, ius suum obtinere nequeant. Quin etiam eam gratiam in maximum Reip. detrimentum redundaturam, quippe quæ emptiones, venditiones, commercia, nauigationes de medio sublatura sit, omnibus cessantibus ea tractare laboriose, quorum vulnus in ignauos, ac decoctores ciues transferatur. *Id Reipub. perniciosum.*

VI. *Inde ... exemplo nocituram.* QVOD si istimalo semel pateat aditus, exemplo vehementissime nociturum, non solum in eadem, sed in multis alijs huiusmodi causis. Infinitas enim, & insana esse populi cupiditates: quibus cum semel obtemperatum fuerit, illico ad alia atque alia extorquenda insurgere, & nisi impetrent insanire; itaque principijs obsistendum esse. Addebat etiam ne multum quidem interesse Reip. si isti obærati, qui præter fundas, nihil telorum gestent, nō militent; satiusque Latinorum imperata facere, vt minus iniqua, & ita nullum subire belli periculum, quam istiusmodi hominibus concedendo quæ postulant. Fidem à maioribus templo, & anniuersarijs sacrificijs honoratam, ex vrbe tolli, vt funditorum ad bellum societas acquiratur. Quin potius negligendi, ac valere sinendi sint, mox vltro venturi, & bene Reip. consulentibus obsecuturi; quod stultorum id sit ingenium, vt si quis eis aduletur, magnos assumant spiritus; & contra si terreat, sese præbeant moderatiores. *Contemptus in ... ... Tenuiorum ingenium.*

VII. *Res dilata ad bell. finem, cum suspensione exactionum.* MVLTÆ aliæ sententiæ fuere mediæ, quarum ea vicit, quæ negabat vllum hoc tempore SC. esse faciendum, sed bello bene finito, Coss. super ea re ad Senatum relaturos; suspensis interim omnibus exactionibus, vt magistratus à reliquis negotijs vacui, bellicis tantum rebus animum intenderent. Sed cum illa exactionum suspensio plebi non satisfaceret, dispiciens Senatus quo pacto effici posset, ne quas amplius res nouas populus moliretur, decreuit consulari potestate in præsens sublata, alium magistratum creare, penes quem belli pacisque plena potestas esset, & à quo consiliorum factorumque rationem reposcere non liceret. Ei semestre spatium præstitutum; quo exacto consules Reipub. gubernacula reciperent. Quo facto legi Valeriæ de prouocatione ad populum clā derogabatur, vt eius iniussu ciuem morte afficere non liceret. Accedebat quod in vnico Dictatore, vt hactenus in Consulibus, spes in collega pari potestate prædito esse non poterat, sed necessario parendum erat. *Creatur Dictator & quanta eius potestas.*

VIII. *T. Largius ... Dictator.* ID SC. cum factum esset, & populo placuisset; data est potestas consulibus, vt antequam magistratu abirent, vnus eorum collegam nominaret, qui ea potestate fungeretur, cumque alter alteri sponte cederet, & eo collegam præferret sibi, tandem omnibus, præter ipsum T. Largiū, consentientibus, Cloelius assurgens in publico patrum coetu T. Largium Dictatorem denunciat, ipseq; se Consulatu abdicat.

DICTATOR mox vt magistratum inijt, equitum Magistrū creauit *... Magi...*

creauit Sp. Cassium, qui consulatum quarto ab hinc anno gesserat; qui mos asciscendi sibi Magistrum equitum perpetuus deinceps fuit. T. Liuius eundem cum Dionysio Dictatorem primum, eundemque Magistrum equitum pronunciat, sed alterio tempore. Quæ enim in secundo Largij Consulatu contigisse Dionysius tradit, ipse ad primum retulit, sed ordinatior est Dionysij historia, fideque dignior omnibus doctis visa. Liuij autem perturbatior, quod vltro fatebitur, quisquis vtramque contulerit. Liuium tamen hoc loco sequitur Pighius, Dionysium Onuphrius, & Sigonius.

IX. *Reformat securis ad populi terrorem, & censet populum.* DEINDE huius magistratus quanta esset potestas populo ostendere volens, ad terrorem magis quam ad vsum, lictores iussit cum fascibus secures sibi per vrbem præferre, renouato more, qui à Coss. agente Publicola, intermissus fuerat. Quo facto nouarum rerum studiosis perterrefactis, iussit vniuersum populum ex Ser. Tullij Regis instituto tributim vnumquemque fortunarum suarum censum offerre, graui pœna detrectantibus proposita. Reperta sunt 150. millia eorum, qui puberes essent, & insuper septingenti. Deinde militari ætate separata à senioribus, digestaque per centurias, tam pedites quam equites quadrifariam distribuit, & è quatuor præcipuam partem circa se habuit, alteram Clœlio dudum collegæ attribuit, quam ipse maluisset. Tertiam Sp. Cassio Magistro equitum. Postremæ Sp. Largium fratrem præfecit. Hæc vrbi præsidiu fuit, manens cum senioribus intra mœnia.

X. BELLO satis apparato, productisque sub diuum copijs, terna castra metatus est; qua maxime venturos Latinos suspicabatur. Vt autem etiam hostium vires debilitaret, & minore damno vinceret, studuit inter Latinorum præcipuos spargere de pace consilia: sic enim facile effecit, ne omnes æque procliues essent ad id bellum.

At Latinorum Imperatores Sextus, & Mamilius intra Tusculum copias continebant, dum reliquus exercitus conueniret. Interea pars quædam, à reliquo diuulsa exercitu, Romanum agrum populabatur. Qua re cognita Dictator immittit in eos Clœlium cum fortunissima equitum, & velitum manu, qui necopinantibus superueniens, paucos aliquot repugnantes interficit, viuos capit reliquos. Eos Dictator curatos ex vulneribus, cæterisque humanitatis officijs deuinctos, vniuersos Tusculum sine pretio remisit; & cum his legatos misit Romanorum nobilissimos, per quos effectum est, vt dimisso Latinorum exercitu, induciæ in annum fierent.

XI. HIS gestis domum reduxit exercitum, & antequam totum Imperij tempus expleuisset, designatis prius Coss. Dictaturam deposuit: nemine ciuium à se occiso, aut in exilium acto, aut grauiori aliquo malo affecto.

Hæc de primo Romanorum Dictatore Dionys. Quæ si vera sunt, vt valde probabiliter credi possunt, huc T. Largium Flauum fateri necesse est virum in paucis, non dicam Barbaris, sed Græcis etiam & Romanis, pene etiam dixerim Christianis ducibus clarissimum, si meliore eum religione viuere contigisset. Quomodo enim virtutem illam expressit, quæ Euangelij propria censetur, animi inquam demissionem atque modestiam, in contentiola illa summi honoris fuga, ipsum inter & Collegam: dum vterque contendit Socium sibi præferre, sese subijcere, sese indigniorem eo honore demonstrare. Mirandum quiddam, inquit Dionys. fecerunt, & vix vlli credibile: neuter enim se imperio digniorem censuit, sed Collegam; & totus ille dies consumptus est in mutua virtutum enumeratione, & honoris deprecatione. In qua tanto magis apparebat Largij modestia, quo is, omnium senatorum, populique iudicio, erat tanto magistratu dignior.

XII. ET ne simulatam eam Dictaturæ deprecationem arbitremur, &, ad captandam modestiæ opinionem, in publico patrum conuentu, compositam; Dimisso Senatu, vt idem ait, cognati vtriusque, & reliquorum senatorum honoratissimus quisque Largium conuenientes, vsq; ad noctem obtundebant precibus, docentes in illo sitam totam spem Senatus; & istum honoris contemptum esse Reip. perniciosum. Ille vicissim eos constanter ingeminatis precibus, atque obtestationibus pergebat repellere. Mitto singularem prudentiam in seueritatis imagine, sine vllo cuiusquam damno assumenda, in hostium viribus & contumacia frangenda, ingerendo inter ipsos pacis & concordiæ voluntatem. Quis non miretur illam eius in hostes humanitatem, clementiam, beneficentiam, qui nunquam ex Euangelio audierat, *benefacite iis qui oderunt vos*. Vt minus mirum sit eum in domesticos fuisse tam mitem, qui in prædones vltro lacessentes, non se inimicum gesserit, sed parentem. Felix vtique hoc suo tanto, tamque singulari bono, qui etiam felix dici possit alieno.

XIII. *Dictatura perdiu modeste administrata.* IN enim exemplum, vt scribit idem Dionysius, omnes postea Dictatores pari æmulatione secuti sunt, vsque ad ætatem ab hac nostra tertiam. Intelligit autem L. Cornelium Syllam, qui odium Dictaturæ conflauit, ea crudeliter, atque tyrannicè vsus, vt ipsemet paulo post fatetur, sed pergit. Nusquam enim in omni historia proditum reperimus, aliquem in hoc magistratu immodeste, vel inciuiliter se gessisse, sed domi forisque in tam multis insolescendi occasionibus, omnes quotquot tantam potestatẽ acceperunt, inculpatos sese, primique Dictatoris similes præstiterunt: vt hæc omnino in esset opinio, Dictaturam vnicum esse cuiusuis insanabilis mali remedium: & extremam hanc salutis spem reliquam esse, vbi cæteras omnes iniuria temporis præcidisset. Hæc fere Dionysius, qui deinceps de Cornelij Syllæ Dictatura questus, qui inuisam malis moribus eam reddiderat dignitatem, ita concludit.

XIV. *Male refertur a Dionys. in naturam.* OMNIA enim honesta & vtilia videntur esse, dum vsus eorum rectus est: quo per eos, qui illis præsunt deprauato, eadem turpia habentur, & inutilia; hactenus rectè, vt qui damna rerum bonarum in hominum culpã referat. Quid ergo subdit? *Eius autem rei causa est Natura, quæ cum omnibus bonis fatales pestes subolescere voluit.* τούτου δὲ ἡ φύσις αἰτία, προσφύσασα τοῖς ἀγαθοῖς ἄτας, καὶ κῆρας συμφύτους. His sane verbis authorem Naturæ Deum non solum impiè, sed etiam inconstanter, & imperite calumniatur, quasi æque vitia virtutesque fouerat, & mala bonis permixta succrescere velit. Quod cum infinita eius bonitate & sanctitate pugnat. Inconstanter loquitur, qui verissimè paulo ante dixerat, res bonas, atque vtiles abutentium culpa fieri noxias; & imperite, qui non intellexerit mala pœnæ à Deo iusto iudice peccatoribus infligi propter culpas, quas ille detestatur admissas. His similia apud eundem Dionysium leges l. 8. vbi de C. Marcij Coriolani vitijs, virtutibusq; disserit.

ANNVS MVNDI 3558. SEXTÆ ÆTATIS 42. Darii Hystasp. 27. Imperii Persici 42. Zorobabelis, & Iosuæ 42. Olymp. LXXI. An. 1. Prætore Athenis Hipparcho. V. C. 257. à Sempron. Atratino, M. Minu. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 495.

I. *Olymp. 71. Annus Romanus quartus.* HIc annus Coss. habuit A. Sempronium Atratinum, & M. Minucium, cui Cassiodorus cognomen dat Augurini. Dionys. l. 5. extremo, & initio sexti, ait Coss. fuisse Olymp. 71. qua in stadio vicit Tisicrates Crotoniata, principe Athenis Hipparcho. Eratosthenes in Olympionicis ait Metonis patrem Empedoclem Agrigentinum, auum Empedoclis poetæ, Olympiade 71. vicisse, vt est apud Laertium in Empedocle. Qui mox subdit. *Satyrus autem in vitis Empedoclem ait filium fuisse Exaeneti, reliquisse autem illum filium Exaenetum, eademque Olympiade ipsum equestri cursu, filium vero eius lucta victorem euasisse.* Addit Dionysius nihil hoc anno memorabile vel in bello, vel domi in Rep. gestum; eo quod & induciæ cum Latinis dabant ab externis bellis otium, & suspensa ex Senatusconsulto fœnorum exactio, donec imminens bellum ad rerum peruenisset extrema, cohibebat in vrbe motus in-

opum publicam debitorum remissionem flagitantium.

II. *Senatusconsultum de matrimonio.* QVONIAM vero Senatus prouidebat in imminente contra Latinos bello, multas turbas, ex affinitatibus matrimonio contractis, Latinos inter & Romanos otium iri, edidit Senatusconsult. vt si quæ Latinæ mulieres viris Romanis nuptæ essent, aut Romanæ Latinis, penes ipsas esset arbitrium vellentne remanere apud Coniuges, an patrias repetere; è liberis mares apud patres suos manerent, fœminæ innuptæ cum suis matribus proficiscerentur. Qua accepta ex Senatusconsulto licentia, satis indicarunt mulieres quanto vrbis Romanæ desiderio tenerentur. Nam & Romanæ, Latinis oppidis, maritisque relictis, pene omnes ad parentes reuersæ sunt, & Latinæ in vrbe nuptæ duabus exceptis, maritos patriæ prætulerunt: felici vrbis bello superaturæ augurio.

III. *An matrimonium solui possit.* QVA in dissolutione matrimoniorum, si culpa aliqua contra ius naturæ, quod coniugij inseparabilitatem requirit, admissa est, haud dubium est, quin apud Senatum magna ex parte resederit, qui author fuerit iuris naturæ, atque diuini violandi. Dixit enim Dominus de lege naturæ agens; *quod Deus coniunxit homo non separet.* Et illud satis constat istam dissolutionem in graue damnum prolis redundare: sed possunt aliquo modo ignorantia excusari, licet alioqui contractus ex contrahentium consensu dirimi soleant & initi: cum perpetuus coniugum nexus non sit de primis naturæ principijs, & per se notis, sed de secundarijs, in quibus ratiocinatio & opinio, & ignorantia locum habet: a præsertim cum prolis educatio parentum perpetuam vitæ societatem necessario non requirat. Et hæc obiter dicta sunto.

Matth. 19. 6

a Vide Abul. in c. 19. Matth. q. 46.

IV. *Dies Saturnaliorum.* HIS Consulibus ferunt, vt ait Dionysius, templum Saturno dicatum in cliuo, quo è foro in Capitolium ascenditur, & ferias publicas cum sacrificio decretas in annos singulos. Dubium id fuisse vidit Dionysius. Nam paulo inferius ait quosdam id tribuere T. Largio superioris anni consuli; & Macrobius b ait T. Largium dictatorem eandem ædem Saturnalibus dedicasse, qui etiam aliam ea de re opinionem ex Gellio recitat. At Dionysij sententiam sine vlla dubitatione Liuius confirmat, & diem festum Saturnalia dicta. Verum cum hic diem vnum festum nominet; ille ferias plures, dubium est vter verum dicat. Certe Macrobius, qui de Saturnalibus fuse disputauit, c hanc controuersiam dirimere videtur.

b 1. Satur. c. 8.

c 1. c. 10.

V. *Vno die an pluribus, & quo sacra eorum.* APVD maiores nostros, inquit, Saturnalia die vno finiebantur, qui erat ad quartum decimum Calen. Ianuar. Sed postquam C. Cæsar, huic mensi duos addidit dies, sextodecimo cœpta celebrari. Ea de re factum est, vt cum vulgus ignoraret certum Saturnaliorum diem, plures dies Saturnalia numerarentur. Et in fi. cap. Abunde iam probasse nos existimo, Saturnalia vno tantum die, id est, 14. Calend. solita celebrari; sed post in triduum propagata, primum ex adiectis à Cæsare huic mensi duobus diebus, deinde ex edicto Augusti, quo trium dierum ferias Saturnalibus addixit. A decimo sexto igitur cœpta in 14. desinunt, quo solo fieri ante consueuerant; sed Sigillariorum adiecta celebritas, in 7. dies discursum publicum, & lætitiam religionis extendit. Sic ipse, qui ibid. ex antiquissimis autoribus probat, iampridem septem diebus peragi solita Saturnalia, quibus bellum sumere nefas habitum, aut pœnas à nocente exigere, quibus serui cum dominis vescebantur &c. quæ pluribus apud illum vide, & Lucianum, qui ea etiam de materia scripsit dialogum.

Eius autem rei vmbram aliquam, varijs in locis, festo die sanctorum Innocentium conseruatam, suspicari licet.

* * *

ANNVS MVNDI 3559. SEXTAE AETAtis 43. Darii hystaspis 28. Imperii Persici 43. Zorobab. & Iosue 43. Olymp. LXXI. an. 2. Prætore Athenis Philippo. Vrbis conditæ 258. Coss. A. Posthumio. & T. Virginio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 494.

I. *Latinum bellum renouatur. Dictator secundus creatur.* INDVCTÆ annuæ cum Latinis à T. Largio Dictatore initæ, cum hoc anno terminatæ essent, bellum vtrimque magno apparatu instauratum est. Cumq; rursum omnes vno consensu iudicarent esse è Repub. vt Dictator iterum crearetur, iunior consul Aul. Posthumius cognomento Albus, qui in hoc honore Regillensis, ob rem ad lacum Regillum contra Latinos bene gestam, appellatus est, à Collega Virginio Tricosto Dictator est dictus. Is, vt superior Dictator, Mag. equitum assumpsit T. Æbutium Eluam, qui an. 255. consul fuerat, simulque exemplo primi Dictatoris Largij Romanas copias quadripertito diuisit, vnam partem sibi: alteram Virginio Consulatus Collegæ attribuit, tertiam Æbutio Magistro equitum, quartam Aulo Sempronio anni superioris consuli, quem vrbi tuendæ præfecit.

II. *Vtriusque populi copiæ.* IAMQVE omnibus rebus ad bellum instructo exercitu, speculatores nunciant Latinos iter ingressos cum totis copijs: ac mox alij primo eos impetu occupasse munimentum, quod Corbionem nominant, à paucis custoditum præsidiarijs, quos illi ad vnum occiderunt, immemores gratiæ, & humanitatis Largij Dictatoris: & eum locum fecerunt belli receptaculum. Latinorum duces erant S. & T. Tarquinij, & Octauius Mamilius, Tarquinij Superbi gener. Liuius etiam bello interfuisse scribit Tarquinium Superbum, quod ex Licinio & Gellio refert, & reprobat Dionysius, quod id de homine pene nonagenario credibile non sit. In acie Romana 24. peditum millia, & mille equites stetere. In Latina 40. peditum, & equitum tria millia, qui ad Regillensem lacum castra posuere.

III. *Acceleratur prælium.* ROMANI vero cum tribus ex locis Latinos conclusissent, induxerant animum bellum sine prælio conficere, idque sibi Dictator per aduersariorum inopiam, interclusa à Magistro equitum Æbutio via deuehendi commeatus, facile futurum sperabat. Sed cum ab interceptis Volscorum ad Latinos nuncijs didicisset, magnas sociorum copias affore circa diem tertium, & alias item ab Hernicis, prælium accelerari iussit, præmissaque vtrimque ad rem fortiter pro libertate gerendam cohortatione militari, datoque signo prælij, acies concurrere. *Diriguntur acies.* Sex. Tarquinius præerat sinistro Latinorum cornui; dextro Octauius Mamilius, mediam aciem tuebatur T. Tarquinius, cum Romanorum transfugarum, atque exulum manu, equitatu quoque trifariam diuiso, in vtrunque cornu, & mediam aciem. Romanorum vero dextrum Cornu tenebat Magister equit. T. Æbutius, & oppositus Sex. Tarquinio, sinistrum T. Virginius Consul, ex aduerso Octauij Mamilij, mediam aciem Posthumius Dictator explebat.

IV. *Conseruntur manus.* VTRIMQVE præter vtrorumque opinionem acerrime pugnatum est, T. Tarquinius in dextrum humerum pilo impacto grauiter saucius, cũ manu amplius vti nõ posset, è prælio educitur: quo facto media acies turbata Dictatoris militibus cedebat, donec fratre succurrẽte resumptis animis pugnã redintegrarunt. Parte alia T. Æbutius, & Octauius Mamilius oppositi, ex prouocatione inter se concurrentes, vterque hostem vulnerat, Equitum Magister in pectus Mamilium hasta per thoracem adacta: Mamilius contra transfixo illius dextro brachio, ambo ex equis defluunt. Vtroque ex acie relato, M. Valerius sumpto equitum ducatu, in oppositos hostes præit, à quibus oppressus fortissime pugnans cadit, moxque P. & Marcus Poplicolæ filij, cum patruum adhuc spirantem in castra referri curassent, & in hostes alacriter ambo irruissent, à circumfusa exulum caterua, multis confecti vulneribus vnà occubuerunt. *Tres Valerij Pop. a cæsi.*

Qvo

Qvo facto cum in sinistro cornu acies Romana laboraret, à Dictatore tanto animi ardore inclinantibus in fugam subuentum est, vt Latini Romanos furentes sustinere non possent. Moxq; Herminius legatus cum Mamilio congressus, viro omnium ætatis suæ statura ac robore præstantissimo, & illum interfecit, & ipse dum cadauer spoliat, gladio in ilia à quodam impacto interijt. Aut, vt ait Liuius, victor in castra relatus, inter primam curationem expirauit. Qui etiam ait equites rogatu Dictatoris ex equis desilientis pugnam inijsse, dum pedites fessi nonnihil respirarent. Verum Dionysius id gestum tradit anno sequenti, cum Posthumius non esset vltra Dictator, sed sub P. Seruilio consule militaret. At Sex. Tarquinius sinistrum Latinorum cornu regens, dextrum Romanorum cornu Æbutio spoliatum loco summouet; sed vt Posthumium cum delectis equitibus superuenientem vidit, desperata salute coniecit se in medios, vbi à Rom. circumuentus, vndique feræ in modum impetitus, non inultus occubuit. Huic prælio affuisse Cneum Marcium, qui postea Coriolanus dictus est, in eoque fortiter pugnasse, & coronam ciuicam meruisse, author est Plutarchus in eius vita.

VI. Cæsis ducibus, mox omnes Latini confertim fugam arripiunt, & castra à custodibus deserta Romani capiunt, vbi luculenta præda militi cessit, & Latinorum clades maxima fuit. Nam è 40. millibus peditum, tribus equitum, vix dena millia domum incolumes rediere. Scribit Dionysius eam victoriam Romanis Idibus Quintilibus contigisse, quo die sacrificium splendidum per proceres equestris ordinis quotannis agebatur. In eo prælio duo iuuenes humana specie augustiores, dicuntur pro Romanis pugnasse, eisque maximum momentum ad victoriam attulisse. Quos illi Castorem & Pollucem opinati sunt, rectius angelos tam vrbis, quam Romanæ prouinciæ custodes credituri, & pro meritis veneraturi. Iul. Front. a dicit hoc de Castore & Polluce à Dictatore excogitatum, ad suos milites contra hostes animandos. Valerius tamen Maximus b id pro miraculo numerat. Lactantius, c *Castor & Pollux*, inquit, *bello Latino apud Lacum Iuturnæ visi sunt equorum sudorem abluentes, cum ædes eorum, quæ iuncta fonti erat, sua sponte patuisset.*

VII. Posthvmivs illa nocte in castris acta, sequenti luce coronauit eos, qui præclaram in prælio operam nauassent, in quibus fuit Marcius Coriolanus, & captiuis custodiæ traditis, sacra immortali victoriarum largitori Deo debita, inscios alienis dijs pro victoria fecit.

Cui etiamtum coronato, & sacrificanti, nunciatur aduentare Volscorum exercitum, qui tardius auxilio venerat Latinis, quorum clade accepta, dubitantes an in fessos, & semiarmatos integri recentesque irruerent, an victoribus impares retro cederent, tandem speculatores sub specie legatorum ad Romanos mittunt, qui se eis auxiliu venisse mentirentur. Sed deprehensi, & nihilominus Dictatoris humanitate dimissi, ad suos, iideque cum eis in patriam, re infecta rediere. Romanus autem Imperator cum victore exercitu, ingenti præda, & quinque captiuorum millibus ac quingentis, Romam triumphans magno populi gaudio ingressus est.

VIII. Post aliquot dies legati totius Latini nominis, ex ea factione, quç bello reclamauerat, oppidatim delecti, supplicum ritu cum oleæ ramis, & infulis Romam aduenerunt, petentes vt se, vltro deditionem facientes, reciperent: spondentes se posthac semper futuros socios, subditosque; suis autem calamitatibus recensendis lamenta, & fletus addebant, totique Senatui ad genua procidebant, positis ad Posthumij pedes supplicum insignibus: ita vt totus patrum consessus ad lachrymas eorum, & preces emolliretur. Cumque variæ fuissent sententiæ, Largij nuper Dictatoris in primis probata est; cuius summa fuit, renouari oportere pristinum cum nomine Latino fœdus, nec vllius ciuitatis delictum memoria retinendum, modo captiuos dimittant, perfugas dedant, exules eijciant: quod cum fecissent, à Senatu in pristinam amicitiam, societatemque renouato iureiurando recepti sunt. Hic finis fuit belli, quod cum tyrannis, post eorum eiectionem, per quatuordecim annos gestum est.

IX. Tarqvinivs Rex solus suo generi superstes, nonagesimo ferme ætatis anno, liberis orbatus & affinibus, senectamque vel inimicis miserabilem tolerans, nec Latinis eum amplius intra oppida recipientibus, nec Etruscis, neque Sabinis, neque vllo alio propinquo, & libero populo, in Campaniam Cumas se contulit ad Aristodemum cognomine Molleiu, Cumanorum tyrannum: apud quē cum dies non ita multos superuixisset, mortuus, ab ipso sepultus est. Exulum vero, qui cum eo erant pars Cumis mansit, pars per alias ciuitates dispersi, in exilio vitam finierunt. Idem de Tarquinij morte scribit Liuius l. 2. nisi quod ad sequentem annum nuncium mortis eius refert, quo nunc erecta plebs, patresque fuerint. Sed nos Dionysium sequimur. At Diuus Augustinus, a ait in oppido Tusculo Romæ vicino, quatuordecim annos priuatam vitam quietum traduxisse, & cum vxore consenuisse. *Optabiliore fortassis exitu*, inquit, *quam Socer eius, Generi sui facinore, nec ignoti ante filia, sicut perhibetur extinctus.* Sic ipse. Recte meo iudicio suspicatur Viues, Tarquinium aliquot annos Tusculi apud Generum vixisse, donec eo in pugna Regillensi extincto, Cumas venit, ibique mortuus est.

X. Romæ autem post bella finita, & obtentam de tot populis victoriam, post ingentem prædam, post quinq. millia captiuorum supra quingentos, mirum dictu, Romæ persecuta est inopia, & æs alienum tantum, vt ad seditiones inuitet. Cum ergo plebecula hæc memor esset hanc totam controuersiam ad finem Latini belli triennio ante fuisse dilatam, ideoque nunc domesticæ turbæ, debitores inter & creditores recrudescerent, à quibus plus periculi, quā ab externis prælijs esset. A. Posthumius Dictator eos bello implicandos censuit. Itaque priusquam se Dictatura abdicaret, cum Collega Consule solennes magistratus constituit, Claudium atque Seruilium.

Sophoclis Tragici poetæ ortum in hunc annum refert Catalogus Olympionicarum, sed satius est eum cum Suida ad septuagesimam tertiam Olymp. differre.

ANNVS MVNDI 3560. SEXTAE AEtatis 44. Darii Hystasp. 29. Imperii Persici 44. Zorobab. & Iosuæ 44. Olympiad. LXXI. An. 3. Vrbis Conditæ An. 259. Coss. Ap. Claudio Sabin. & P. Seruilio Prisco.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 493.

I. Scribit Dionys. lib. 6. Coss. hoc anno probe animaduertentes, quod A. Posthumius Dictator ante iam viderat, nihil esse magis è Republica, quam vrbanas turbas abstrahi in externa bella, ne otio torpentes tumultuarentur domi, expeditione in Volscos, cuius alter ipsorum dux esset, apparabant, vlturi quod contra se, Latinis superiore anno auxilia misissent. Sed cum plebæi, sæpius ad sacramentum militare citati, non obtemperarent, censebat Seruilius, alijque populares persuadendos potius, quam adigendos ad sacramentum, decreta si fieri posset, remissione, aut diminutione debitorum, sin minus, non permittendo, vt qui præstitutum solutioni diem excessissent, in neruum tunc abducerentur. Appius contra, rigide, ac seuere omnia volebat agi, ex quo toto consulatus tempore sibi inuicem aduersati sunt. Cumq; nullus esset contētionū finis, Seruilius, cui expeditio sorte obtigerat, multis precibus, & obsequijs plebe ad belli societatem adducta, conscriptis voluntarijs copijs, contra Volscos profectus est, adhuc in apparatu bellico occupatos. Quippe qui existimabant Romanos domi tumultuantes, vix sese defensuros, nedum cum exercitu contra se venturos.

Itaqve Volsci hac Romanorum celeritate perculso, senum honoratissimi ex oppidis supplicum ritu pro-

gressi, se in fidem, & arbitrium Seruilij permittebant. Qui accepti in vsum exercitus cibarijs, ac vestibus, trecentisque obsidibus delectis ex nobilissima quaque familia, tertio abijt, finem belli credens, quæ verius erat dilatio. Nã cum primum Romanus exercitus abijt, denuo Volsci bellum instaurarunt, loca sua firmius communierunt. Ad cuius belli societatem propalam se Hernici, & Sabini adiderunt; clam vero, etiam alij nonnulli. At Latini legatos eorum, societatis petendæ causa ad se missos, cum vinxissent, Romam perduxerunt, seque ad belli contra Volscos societatem obtulerunt. Quibus Senatus pro firma fide, & prompto iuuandi studio, vt gratiam referret, eis captorum proximo bello ferme sex millia, sine pretio reddidit, & vestitu insuper ingenuis digno excoluit. Sicque inter vtrosque egregie certatum est, inde fide atque constantia, hinc gratitudine atque liberalitate.

III. Inde ad priores angustias, & militis conscribendi difficultates reditum est Patribus enim in Curia consultantibus, quas contra hostem copias educerent, Grandæuus quidem se in forum proiecit pannosus, promissa barba, ac capillitio squalidus, magno clamore hominum opem implorans. factoque concursu, ille ex conspicuo loco ait ad circumfusam multitudinem, se ingenuum ciuem, post expleta omnia munera militaria, post duodeuiginti prælia, post reportata aliquoties fortitudinis præmia, coactũ æs alienum fecisse, vt tributum imperatum conferret, deinde agello ab hostibus populato, bonisque vrbanis per annonæ caritatem absumptis, cum soluendo non esset, ductum se à fœneratore, vna cum duobus filijs in seruitutem: & quia domino grauius aliquid imperanti, respondisset, indignis modis vapulasse. His dictis, pannisque abiectis ostentabat pectus cicatricibus conspersum, tergumque verberibus recens cruentatum.

IV. Vbi coorto circumstantium clamore ac lamentis, Senatus solutus est, totaque vrbe discurrebant inopes, deplorantes suum infortunium, & catenas, pedicasque ostentãtes, nemine eos retinere audente, Appius Claudius, qui unus hoc tumultu peti videbatur, cernens forũ istiusmodi prologis à creditoribus plenum, trepide fugit è comitio, sed & plurimi patrum, vt inquit Liuius, alij alio diffugêre. At Seruilius abiecta prætexta, procumbens cum lacrymis curam singulis eorum, ægrè persuasit eis, vt illo die se cõtinerent, vt redirent postero, promittens causam eorum curæ fore Senatui. His dictis præconem iussit proclamare, nemini creditorum licere, ciuium corpora in priuatum vsum abducere, donec Senatus super ea re statuisset: & præsentes posse abire secure quocunque liberet, atque ita tumultus sedatus est, discedente è foro populo.

V. Cvm postridie coactus esset Senatus, & Consules inter se altercarentur, ecce Latini equites trepide nunciant magnum Volscorum exercitum exisse, iamque Latij fines attigisse. Hoc nuncio turbati ciues ad arma concurrere, præter inopes illos, atque obæratos, quorum magnus erat numerus, qui etiam cum gaudio bellum externum accipiebant, quasi per id præsentium malorum finem inuenturi, & si quis eus hortaretur ad defendendam patriam, catenas ostentantes ac compedes, cum iurgio rogitabant, ecquid ad tutanda ista bona bellum gerere par esset. Exultare gaudio plebes, ait Liuius, ac dicere vltores superbiæ patrum adesse deos: alius alium confirmare ne nomina darent, cum omnibus potius, quam solos perituros, patres militarent, patres arma caperent, vt penes eosdem pericula belli, penes quos præmia essent. Nec deerant, qui dicere auderent, aut Dionys. satius esse Volscis seruire, quam perferre patriciorum iniurias: totaque vrbs exulatu & lamentis complebatur.

VI. Cvm Senatus orare instititSeruilium, vt patriæ consuleret. Qui aduocata concione, cum alia, quæ præsens necessitas exigebat, disseruit, tum etiam suo nomine rogauit, pro sua in ipsos constanti beneuolentia, ne se in expeditionem profecturum, desererent: addens pollicitos sibi patres ratum fore quidquid ipse plebi promissurus esset, seque vicissim promisisse, persuasurum plebi, ne patriam hostibus proderent.

His dictis iussit præconem proclamare, quotquot Romanorum contra Volscos profecturi essent, nihil interea contra eos, aut eorum domos, familiam, &c. creditoribus licere, contra reliquos, actionẽ oẽm esse creditoribus. Ea vox flexit omnes inopes, & ad bellum gerendum magna alacritate repleuit.

VII. Assvmpto ergo exercitu Seruilius, hosti agros Latinorum iam deprædanti occurrit, manum conseruit, Volscos fudit, fugauitque, castrisque spoliauit, quæ maximis bonis referta, militi diripienda tradidit, nihil in publicum retulit. Quæ causa mox fuit iniustæ contra ipsum criminationis App. Claudij Collegæ. Tum ducto exercitu cõtra Suessam vrbem opulentam, noctes diesque sine intermissione oppugnatam cepit, prædam totam militi concessit: quo factum vtique videtur, vt deinceps querelæ obæratorum incredibiles iudicandæ videantur. Et tamen eadem inopia mox Secessioni causam dedit. Denique tota Volscorum prouincia perdomita, victor in vrbem dum redit, Appius trecentos Volscorum virgis cæsos securi percussit; quin & Senatum in eam pertraxit sententiam, vt Triumphum Seruilio negaret, quem seditiosum appellabat, & Reipublicæ deprauatorem, in primis vero accusabat, quod ex eius belli præda nihil in publ. ærarium retulisset. Neque mirum est Senatum Appio potius quam Seruilio fauisse. Maxima enim pars eorum, plebeios inopes vsuris, & sæua dominatione vexabat. Verum Seruilius extra vrbem aduocato populo, eo comitante coronatis fascibus, coronatus & ipse, sumpta triumphali veste, iniussu patrum in vrbem triumphans inuectus est, Capitolium de more adijt, vbi votis redditis spolia dedicauit. Quo facto & populi fauorem, & patrum inuidiam sibi conciliauit.

VIII. Itervm etiam Seruilius cum Sabinis, ad ipsa prope vrbis mœnia, ad quæ illi improuisi accesserant, Romanis dies festos agitantibus, & cum Auruncis ad Ariciam feliciter pugnauit. Id bellum nocte vna auditum, perfectumque est, vt inquit Liuius: hoc autem difficilius fuit. Pugnatum est enim cum gente tum bellicosa, quæ statura, & robore, itemque oris aspectu, ferum quiddam, & terribile præ se ferebat. In hoc prælio laudata est equitum Romanorum virtus, & in primis ducis eorum A. Posthumij Albi, qui Dictator superiori anno fuerat. Cum enim locus in quo pugnabatur confragosus esset, & saxeis tumulis, ac fossis angustis interruptus. Posthumius iussis equitibus descendere, & pediter pugnare, facto sexcentorum globo, qua maxime parte legiones laborabant, ea hostes inuasit, confestimque repressit illorum impetum. Tum reiectis semel barbaris, Romanos audacia subijt, accensis equitum æmulatione peditibus: tandem non sine sanguine & sudore, victoria, castrisque hostilibus potiti sunt. Quod equitum factum Liuius ad Latinum bellum retulit; tantus quod constabat à Posthumio factum, ideo Dictatore potius, quam priuato contigisse.

IX. Pythagoram Philosophum his consulibus extinctum fuisse scribit Marianus Scotus in chronico. Eusebius autem in chronico Græco, Latinoque, triennio ante, vltimo videlicet Olympiadis septuagesimæ, Largio Flauo, & Q. Clœlio Coss. Laertius & Suidas mortis eius tempus silentio, de qua nos aliquid alio loco diximus. Hic addiderim suspectum eum à Suida reddi Magiæ, qui de eo ex Philostrato referat, vsum illum fuisse deorum consuetudine, ex eisque didicisse, quatenus hominibus delectentur, & quatenus eosdem auersentur, ex eoque de natura disseruisse. Et alios quidem ex coniectura loqui de dijs, & opinionibus inter se dissidentibus vti. Ad ipsum vero venisse Apollinem profitentem nomen suum, &c. Et infra ait eum censuisse omnem diuinationem esse bonam. Ipsumque diuinatione vsum omnium, & augutiorum, & ea quæ thure fiebat in ignem iniecto.

* * *

Nequaque bellum parant Latinorum Romanos fides seruant. *Obæratorum exemplum.* *Vrbanus ob eos tumultus, App. Claudij fuga.* *Seruilij prudentia.* *Trepidatio ab imminente hoste. Cum obæratorum lamentis.* *Seruilij ad armandos ...* *Tradens de Volscis praedam.* *Accusatur ab Appio.* *Triumphat inuito Senatu.* *Exitus genus de Sabinis, & Auruncis victoria.* *Posthumij virtus & industria.* *Mors Pythagoræ.* *Magus fuit.*

ANNVS MVNDI 3561. SEXTAE AEtatis 45. Darii Hystaspis 30. Imperii Persici 45. Zorobab. & Iosuæ 45. Olympiad. LXXI. an. 4. V. C. Prætore Themist. 260. Coss. A. Virgin. Cœlimont. & T. Veturio Gemino.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 491.

I. PERSÆ hoc anno copias contra Eretriam & Athenas congregarunt: & Eretrienses quidem hoc anno vicerunt, sed postea vero ab Atheniensibus apud Marathonem deuicti sunt. Est autem Eretria vrbs in Eubœa quæ magna est in mari Ægeo insula, in tabulis Ptolemæi. Cum ergo famulus ille Darij, crebro ei Atheniensium memoriam renouaret, & Hippias, alijque Pisistratides eius animum contra Athenienses exacerbarent, & ipse sponte sua hunc prætextum subigendi Græciam vniuersam libenter amplecteretur, Mardonium, qui male rem naualem gesserat, præfectura amouit, aliosque designatos duces aduersus Eretriam & Athenas mittit, Datim genere Medum, & Artaphernem Artaphernis fratris sui filium, datis prius mandatis, vt vtramque vrbem diriperent, captiuos in conspectum afferrent.

II. Hi duces postquam à rege digressi ad planiciem maritimam Ciliciæ deuenere, cum ingenti exercitu, eo nauticæ omnes copiæ, prout singulis populis imperatum fuerat, cum Hippagogis nauibus confluxere, in quas introductis equis cum terrestri peditatu, seacentis cum triremibus in Ioniam contenderunt. Et Samo insula maris Icarij soluentes, inter Cycladas insulas, quæ Achaiæ, in qua Athenæ, & Eubœæ, in qua Eretria obiectæ sunt, cursum tenuere, studio præsertim inuadendi Naxon, vnam è Cycladibus. Ad quam posteaquam ex Icario pelago appulsi sunt, Naxij non ausi resistere, fuga se in montes proripuerunt: qui autem deuenerunt in Persarum manus, in seruitutem redacti sunt, vrbs & delubra incensa.

III. QVÆ dum fierent vicini Delij, relicta & ipsi Delo, fuga in Tenum insulam abeunt. At Datis missu ad Delios caduceatore, amice eos reuocat, ac tutos fore loci religione pollicetur. Cumque inde Eretriam versus digressus esset, Delos insula contremuit, vt ferunt, tremore suo impendentia Græciæ mala significans, vt ait Herodotus, à tribus Persarum Imperatoribus Dario, Xerxe, & Artaxerxe. Inde reliquis insulis peruagatis, ex quibus tum copias sumebant, tum liberos insulanorum obsides, Carystum Eubœæ portum sunt appulsi; vbi cum eadem postularentur, negarunt Carystij se vel obsides daturos, vel militaturos aduersus vicinas ciuitates, Eretriam videlicet & Athenas. Ergo Persæ ipsorum vrbem tandiu obsederunt, eorumque agrum vastauerunt, donec in deditionem Persarum venerunt.

IV. ERETRIENSES autem, qui eiusdem insulæ erant incolę, audito Persarum exercitu aduersum se venire, auxilia ab Atheniensibus implorauere, & 4. hominum millia subsidio accepere, quibus tamen non sunt vsi, vel ipsorum Eretriensium consilio, qui Rempub. suam perditam videbant. Denique cum aduecti Persæ naues ad oram Eretricam applicuerunt. Vrbe obsessa, acriter ad eam pugna per sex dies certatum est, multis vtrimque cadentibus, septimo die duode primarijs ciuibus hosti vrbem prodidere. Quam ingressi Persæ, templa spoliata incenderunt, in vltionem eorum templorum, quæ Sardis deflagrauerant: hominibus iussu Darij in seruitutem raptis, sic Herodotus; qui tamé supra ... nius tantum ... illic ... Aliquot illic dies morati, in Atticam nauigarunt, Prætore Athenis Temist... vt author est Dionysius, eiusque magnam partem deuastarunt. In Marathone autem non nisi insequenti anno pugnarunt, vt dicemus.

V. SVB huius anni Coss. Sabini, vt refert Dionysius, rursus contra populum Romanum maiorem quam antea parauerunt exercitum quibus se Medullini adiunxerunt. Cumque Patribus videretur eos totis viribus inuadendos, plebs nolebat obsequi, memor sæpius irritis pollicitationibus fuisse lactatam, & res plane ad seditionem, & vim prona erat: & intus nihilominus seditione gliscente, hostes multis in locis sequebantur, dum iter in vrbem facerent. Quibus malis, vt remedium adhiberetur, Patres Dictatorem creandum censuerunt. Coss. vnanimi consilio Manium Valerium, P. Valerij primi Consulis fratrem, non Marcum, qui Latino bello in acie cecidit, creauerunt, qui iampridem militiæ annos expleuerat, vtpote annos natus amplius septuaginta. Is Q. Seruilium Sp. fratrem, qui consul cum Appio fuerat, Mag. equitum elegit.

VI. ET concione ad plebem habita, multis eam verbis, promissisque ad arma sumenda perpulit; quod persuasum haberent Valerium, & gente maxime popularem, & ætate senem, & dignitate Dictatorem, remissionem debitorum promittentem, sine vlla dubitatione effecturum, quod promittebat. Itaq. decem legiones conscriptæ sunt, singulæ quaternorum millium; è quibus ternæ vtrique consuli attributæ, & equitum quantum eis tribueret æquo partitio. alteræ 4. legiones, cum reliquo equitum numero, Dictatoris auspicia sequebantur. In hoc delectu, vt Valerius ipse postea apud populũ pro concione dixit, quadringenti & amplius è plebe ciues fortonis aucti, in equestrem ordinem allecti sunt, patricijs licet frementibus. Confestim instructi maturauerunt iter, T. Veturius in Æquos; A. Virginius in Volscos; ipse Dictator Valerius in Sabinos. Ad Vrbis custodiam cum senioribus, & pauca iuniorum manu, relictus est T. Largius.

VII. CVMQVE breui tempore bellum à singulis feliciter confectum esset. Nam Virginius Volscis prælio victis, Velitras, nobile gentis illius oppidum, expugnauit: Æqui à Veturio consule lacessiti, pugnam detrectauere, iugis montium sese continentes. Dictator ipse Sabinos aggressus, prælio fudit, & castris exuit, & videlicet præda militem ditauit. Ergo re vbique feliciter gesta, Valerius triumphauit, & populum militia liberauit, cum nondum Senatui tempus esse videretur, ne tam cito inopes promissa repeterent. In agrum Veliternum de Volscis captum colonos misit, delectos ex egena multitudine, qui & contra hostem essent præsidio, & seditiosam in vrbe turbam minuerent.

His ita ordinatis petit à Senatu, vt cum promptam plebis in prælijs experti sint operam, ipsi quoque stent promissis. Verum illi periculo liberati cõtempserunt audire, imo acerbius in eum, vt plebis deprauatorẽ inuecti sunt.

VIII. INDIGNATVS Valerius, multa questus, multaq. deplorans, quæ videbat imminere, aduocata concione, populo gratias egit, de eius erga se studio, & quod stare promissis non posset, bonam partem iuniorum Senatorum accusauit, à quibus sibi, plebique fucus factus sit. Purgauit se de ijs, de quibus à Senatoribus accusabatur, & coram populo magistratu deposito se eis permisit, si forte persuasum haberent se ab eo deceptos. Quibus auditis tota plebs ad miserationem flexa, & foro discedentem domum deduxit. quod factum Senatum etiam magis exasperauit. Liuius tamen hæc non in concione, sed in Senatu dicta vult, quæ ad populum relata sint, cui apparuit eum, sui causa indignantem, magistratu abijsse. Itaque persolutam sibi ab eo fidem censuerunt. Et nihilominus inus deserta vrbe secessionem à Patribus fecerunt, quæ res à Dionysio hoc modo narratur.

IX. CVM inopes de secessione consilia inter se agitarent, Senatus, vt id prohiberet, iussit Coss. nondum exercitus dimittere, quorum legiones adhuc sacramento tenerentur, nec quisquam, ante datam missionem, signa deserere auderet; tantum pollebat tunc apud vnumquemque militiæ iurandi religio. Prętexebatur autem militiæ causa Æquorum, & Sabinorum conspiratio. Cum ergo Coss cum copijs egressi essent, castraque non longe à se inuicẽ posuissent, milites armis & signis potiti, instigante quodam Sicinio Belluto, à Coss. defecerunt, creatisque nouis centurionibus, & rei summa delata ad Sicinium, montem quendam prope Anienem fluuium, non longe ab vrbe occuparunt, tria millia passuũ numerat Liu. qui deinde

mons

13. monis facri appellatus est. Nec vllis aut precibus, aut lacrymis, aut promissis à Coss. & Centurionibus tunc reuocari potuerunt. Qui autem in vrbe erant omnia comploratione replebant, & partim aperta vi, partim clam ad ipsos perfugiebant, qui commeatum à vicinis agris petentes, abstinebant à maleficijs.

X. *Patrum in plebem et in eam legatio.* INTEREA domi consolationes crebræ, & accusationes eorum, qui causam secessioni præbuerant: & foris hostes, harum turbarum non ignari, prædabundi vsque ad mœnia excurrebant, quibus ne se illi adiungerent, & cum illis in vrbem irruerent, ingens patres incessebat timor. A quo metu non liberati, de rationibus reconciliandæ sibi plebis deliberant, & ad eam legationem mittunt, sed irritam. Nam plebs legatis exprobrauit Senatus superbiam, morositatem, & perpetuam simulationem: multas insuper, & graues addidere minas.

Quo responso cognito, multo magis in vrbe tumultuatum, & trepidatum est quam prius, nec tamen vllum his malis remedium in Curia reperiebatur, sed toti dies altercationibus, mutuisque criminationibus consumebantur.

XI. *Coss. maturius magistratu abeunt.* *a l. 6. p. 378. græ. lat.* INTEREA Coss. cum breue superesset imperij tempus, & sese ab impeditissimo secessionis negotio quamprimum expedire cuperent, diem comitijs paulo maturius indixerunt, adeo vt Calendis Septembribus magistratum inirent, vt inquit Dionysius, a *qui ante omnia*, ait, *ad patres de plebe reditu retulerunt*, ergo iam discesserat. Quomodo ergo idem Dionysius aliquanto post b ait plebem secessisse, μετὰ τὴν μετοπωρινὴν ἰσημερίαν, post æquinoctium autumnale, quod totis 20. diebus posterius est Calend. Septembribus? Oportet igitur vel Dionysium lapsum fuisse memoria, vel illum annum intercalationibus vehementer fuisse luxatum: aut, quod magis placet, illud μετὰ pro πρὸ positum fuisse, sicque secessio non post, sed circa æquinoctium facta sit, sub ipsum sementis initium, vt ibidem dicitur, quod æquinoctium multis diebus antecedit.

ANNVS MVNDI 3562. SEXTÆ ÆTATIS 46. Darii Hystaspis 31. Imperij Persici 46. Zorobab. & Iosuæ 46. Olympia. LXXII. An. 1. Vrbis conditæ 261. Sp. Cassio II. & Postumo Cominio II. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 491.

I. *Olymp. 72.* INEVNTE Olympiade septoagesima secunda Tisicrates Crotoniates iterum in stadio palmam tulit. Nimirum patria fuit athletarum & Olympionicarum, præ cæteris vrbibus, ferax. Victoriæ huius testea Dionysius, & Pausanias, sexto vtrique libro. Sed hic addit memoriæ proditum hac Olympiade *Cleomedes.* Cleomedem Astypalæensem in pugilatu Iccum Epidaurium interemisse: eo crimine erepta palma damnatum ab Ædilibus, animi ægritudine impotem animi factum. Inde Astypalæam reuersum, cum in ludum literarium introisset, in quo pueri erant ferme 60. columnam, qua tectum fulciebatur, conuellisse, quare oppressis ruina pueris, cum ciues ipsum lapidibus insectarentur, in Mineruæ confugisse, mox que se in arcam, quæ in templo erat, conclusisse. Eius arcæ operculum cum nemo posset attollere, postremo arcam effregisse, & Cleomedem, neque viuum, neque mortuum, intus inuentum, oraculi iussu tanquam Heroem à ciuibus honoratum. *Aeschylus.* Hæc ibi. Florebat hoc tempore tragœdiarum scriptor Æschylus, nec minus fortis miles; quem Suidas tradit, vna cum fratre Cynegire, fortiter pro patria in pugna Marathonia depugnasse. Legitur in eius vita obijsse anno ætatis 65 à Suida vero 58. cum aquila testudinem in eius caput ex alto deiecisset.

II. *Marathonia pugna tempore in Dionysio. b l. 6. c. 9.* TRIGESIMVS primus imperij Darij Hystaspidæ, in quem Ptolemæus b eclipsim Lunæ incidisse tradit, celebris est Marathonia clade Persarum, cui astipulatur Dionys. qui lib. 5. vbi de Iunij Bruti funere, ait Marathonensem pugnam sedecim annis funere Bruti esse posteriorem, at ab anno 245. ad 261. sedecim omnino numerantur anni. Nam quod l. 6. sub præsentis anni Coss. dicuntur septemdecim anni, amplificatorie dicuntur, numerato ipso 45. quo loquendi modo vtitur etiam Iust. n. a Eadem est omnino Herodoti *Herodoti. a l. 7. Olymp. ... de Orig. ...* sententia, qui in l. 7. scribit post cladem Marathoniam tribus tribus annis paratam fuisse in Asia expeditionem contra Græciam, 4. anno Ægyptum à Persis defecisse, deinde cum rebus apparatis conaretur exire in expeditionem, altero ab defectione Ægyptiorum anno, supremum diem obijsse sex & triginta annis regni expletis. Ex quibus plane sequitur 31. regni Darij anno ad Marathonem pugnatum esse. Eusebius quoque in Chron. anno 1. Olymp. 72. *Eusebius.* ait bellum in Marathone gestum fuisse.

III. *A Gellius. b l. 17. c. 21.* IDEM sensit A Gellius. b Ducentesimo, inquit, & sexagesimo anno post Romam conditam, aut non longe amplius, victos esse ab Atheniensibus Persas memoriæ traditum est, pugna illa inclyta Marathonia, Miltiade duce, qui post eam victoriam damnatus à populo Atheniensi, in vinculis publicis mortem obijt. Seuerus quoque Sulpitius *Seuerus Sulp.* Gellium secutus, ait id prælium gestum post Romam cond. anno fere 260. Cum hic dicat, *fere*, ille, *non longe amplius*, satis hunc annum amplectuntur. Cum autem Sulpit. ait Darium apud Marathonem pugnasse quadriennium antequam decederet, non numerauit extrema. Denique hanc sententiam amplectuntur recentiores, Torniel. c Gordon. *Et recentiores. c in 4. etat. an. 11. d ... c. 1. 9. n. 8.* in Chronicis, d Pontac. in notis in Euseb. Author Olympionicarum in Olympiade 72. & alij passim.

IV. *Athenienses ad ... opponunt.* CVM ergo Persæ, vt pluribus narrat Herodotus, Eretria capta in Atticam nauigassent, & in ea populabundi versarentur, Hippias Pisistrati filius, qui Athenis pulsus ad Persas auxilij causa confugerat, eos ad Marathonem Atticæ locum ad equitandum opportunissimum deduxit. Eodem Athenienses etiam ipsi re audita, ad vim arcendam processerunt, decem præfectis sibi ducibus, qui singuli singulis diebus imperitabant, quorum decimus erat Miltiades. Miserunt autem Spartam Philippidem, oratum Lacedæmonios, vt sibi opem ferrent, nec ciuitatem inter Græcas vetustissimam, in discrimine barbaræ seruitutis desererent.

Verum Lacedæmonij, etsi placebat opem ferre Atheniensibus, tamen negabant, nisi plenilunium aduenisset, se posse per legem ad eos progredi, erat autem tum nonus mensis dies; vnde Iustinus l. 2. ait eos quatriduj religione detentos, auxilium socijs non tulisse: quod tradit etiam Paulus Orosius eum secutus, e & Orosium Freculphus. f Atheniensib. *e l. 2. c. 8. f l. 4. c. 1. ... eisdem verbis. ... Platæenses.* porro apud Herculis fanum instructis, superuenere auxilio Platæenses, qui sese dudum Atheniensibus dediderant.

V *Athenienses de pugna deliberatio.* INTER duces Atheniensium varijs sententijs dissidebant. Plerique enim negabant cum Persis confligendum, quod eis tanto impares numero essent. Nam Atheniensium tantum decem millia censebantur, & Platæenses mille; Persæ autem ad sexcenta millia, vt refert Iustin. l. 2. & Paulus Oros. g Pausanias autem horum numeros valde diuersos edit. *g l. 2. c. a. h l. 4. p. 125. ... Numerus copiarum vtrimque.* Nam de Messenijs loquens, h *Meminerant*, inquit, *Atheniensium in Marathonicis campis strenuum facinus, qui trecenta Persarum millia deleuerant decem ipsi millibus pauciores*, ὅτε μυριάδας τριάκοντα ἐπεξέργασαν τῶν Μήδων ὑπὸ ἀνδρῶν οὐδὲ ἐς μυρίους ἀριθμόν. Et alibi. i *Athenienses ad Marathonem hosti occurrerunt, non maiore numero quam nouem millibus hominum, in quo & inutilis ad pugnam ætas, & serui censebantur.* *i l. 10. p. 336.*

VI. *Miltiadi defertur imperium à sociis.* ALIJ autem, in quibus Miltiades, ad pugnam hortabantur. Itaque bipertito diuisis sententijs, cum Miltiades Callimachum Polemarchum adduxisset ad pugnandi voluntatem, pugna decreta est, & inita, quo die Miltiades imperabat. Plutarchus in Aristide. *Cum per interualla dierum*, inquit, *inter duces diuisum esset imperium, Aristides, cum ordo ipsi summam rei deferret, Miltiadi potestatem suam tradidit, docens collegas suos honestum ac salutare esse prudentibus obtemperare. Sicque ambitione sedata Miltiadem perpetuo imperio roborauit.* Nam vt cuiusque dies imperandi veniebat, vicem suam Miltiadi dabant; ille tamen non nisi die, quem illi suus ordo tribuebat, pugnam iniit. Callimachus Polemarchus dextrum cornu obtinuit, deinceps cæteræ tribus, suo quæque ordine; nouissimi collocati sunt Platæenses in sinistro cornu, ad formam aciei Persicæ.

ERAT inter vtramque aciem spatium non minus octo stadiorum, cum Athenienses, vbi sacrificatum est, cursu auidè pugnam inuadunt, mirantibus, atque insaniæ tribuentibus barbaris, quod pauci numero, neque equitatueque sagittis fulti, in hostem irruerent. Cumque diu fortiter vtrimque pugnaretur, Barbari circa mediam aciem vicerunt, in qua Persæ stabant, & Sacæ, eamque perrumpentes Græcos in mediterranea persequebantur. At in vtroque cornu vicere Athenienses, & Platæenses; ac barbaris qui terga dederant fugere permissis, coniabunt cornua, & cum iis, qui mediam ipsorum aciem perfregerant, dimicantes superant. Accidit autem in ea pugna, ait Pausanias in Atticis, vt vir quidam specie atque habitu agresti opem tulerit, qui cum è barbaris quamplurimos aratro interemisset, repente euanuit. Neque vero quærentibus Atheniensibus quisnam ille fuisset, aliud respondit oraculum, quam vt Echetlæum heroa colerent.

VIII. GRÆCI ergo diuinitus adiuti fugientes Persas vrgent, ceduntque, donec ad mare peruenientes, petito igne naues eorum corripuere, septem obtinuere. Persarum occubuere sex millia trecenti; vt habet Herodotus; at in Græco legitur sex millia, & quadringenti viri, in quibus Datis ipse militiæ princeps, eiusque cadauer petentibus Persis denegatum est, vt ait Ctesias. Atheniensium vero cecidere centum & nonaginta duo. At hunc numerum, vt cætera omnia, vehementer auxit Iustinus, ait enim Persas eo prælio ducenta millia sine naufragio amisisse, multas suppressas naues, multas captas. Cynegirum militem Atheniensem, post prælii innumeras cædes, cum fugientes hostes ad naues egisset, onustam nauem dextra manu tenuisse, nec prius dimisisse, quam manum amitteret, tum quoque amputata dextra, nauem sinistra comprehendisse, quam & ipsam cum amisisset, ad postremum morsu nauem detinuisse. Tantamque in eo virtutem fuisse, vt non tot cædibus fatigatus, non ambabus manibus amissis victus, ad postremum truncus, veluti rabida fera, dentibus dimicarit.

IX. Hæc forte Iustinus, ex aliqua laudatione declamatoria mutuatus sit, quibus historiam mendaciorem factam fuisse testatur Cic. Certe Herodotus, ex quo reliqui oẽs hanc historiam didicere, de Cynegiro tantum dicit, eum dum summam puppim apprehendit, manu bipenni abscissa cecidisse. Cecidit & Hippias tyrannus Atheniensis, inquit Iustinus, autor & concitator eius belli, diis patriæ vltoribus pœnas repetentibus. Scribit etiam Herodotus amisso prælio Persas circumuectos Sunium Atticæ promontorium, quod Cretam insulam ad meridiem respicit, Athenas ante reditum Atheniensium, occupare voluisse. Quare animaduersa, illi ad vrbem suam tuendam celeriter regressi, Persas præuenerunt, & consilium eorum irritum fecerunt. Persæ igitur circa ea loca aliquandiu propter tempestatem morati, cum præda Eretriensium, sursus in Asiam abierunt. At Lacedæmonii post plenilunium, parta iá victoria, triduo venerunt Athenas, cum duobus millibus militum, deridendi potius de sua superstitione, quam de auxilio sero, atque inutili commendandi.

X. ROMÆ porro prædictorum consulum magistratus incidit in secundæ & septuagesimæ Olympiadis initium, vt ex Dionysio diximus, qua stadio vicit Tisicrates Crotoniensis, principe Athenis Diogneto. Hi cum maturius solito Calend. Septemb. magistratum iniissent (ex quo Sigonius, & Onoph. colligunt hoc tempore consulatum initum fuisse Calend. Octob.) ante omnia Senatu conuocato, ad Patres de Plebis reditu retulerunt. Censuit Menenius Agrippa legatos ad plebem mittendos plebi gratiosos, cũ potestate componendi, quibuscumque ipsis visum fuerit conditionibus. Cui sententiæ cum M. Valerius assensus esset, & in dicenda sententia App. Claudium perstrinxisset. Ille seuerrimam sententiam, eamque valde probabilẽ, contra plebem more suo tenuit, suosque omnes in sententia confirmauit, & Valerium acerbe refutauit, vnde turbis in senatu à iunioribus contra seniores concitatis, nihil eo die definiri potuit.

XI. SED Consules dimiserunt Senatum, postquam iuniores grauioratiuue coercuissent, ostendentes quantum in populo ipso, seorsim à patriciis, esset potestatis; cum ab eo in rebus maximis decreta Senatus confirmanda sint, irrita aliqui futura, qualis est Magistratuum creatio, latio legis, belli pacisque arbitrium. Cum ergo nunc de bello, aut pace, inter duas Reipubl. partes agatur, nihil posse hac de re à Senatu constitui, sine populi consensu.

Itaque indictis in diem certum comitiis, & per nuncios omni ex agris & castellis multitudine aduocata, eodemque die coacto à Coss. Senatu, moderatius sententiæ in plebis gratiam, dictæ sunt, præterquam ab Appio Claudio, qui ferreus in sententia perstitit, multa ominans, atq; contestans. nec leue fuit in omine pondus.

XII. NIHILOMINVS decem legati electi sunt, cum ea potestate, quam diximus, iique omnium seniorum nobilissimi cõsulares omnes. Quæ cum iam præsensisset plebs, quæ secesserat, eis processit obuiam. Interea L. quidam Iunius, qui & Bruti nomen assumebat, præfectum castrorum Sicinium induxit, consultum fore vt Plebs se difficilem præberet in suis postulatis, seque eius causam, si videretur, diligenter acturum. Quod cum placuisset, M. Valerius legatorum natu maximus orationem ad plebem habuit, qua eam de potestate sua certiorem facit, & optare iussit, quod eos æquum esset à Senatu impetrare. Cui Iunius ille Brutus longa oratione respondit, fœneratorum iniurias, culpam patriciorum & fraudem, & plebis vicissim merita exaggerans: & spem rerum meliorum ex illis de infringẽs, plebem hortabatur, vt tam multorum exemplo nouas sedes quærerent, redditis sibi paruulis liberis ac parentibus, atque vxoribus, si quæ ipsis fortunæ comites esse voluerint.

XIII. CVI cum T. Largius, qui & ipse legatus erat, & bis Cõsul, & primus Dictator cum summa laude fuerat, graui & seuera oratione respondisset, plebem præeunte Sicinio exacerbauit: postremoq; à legatis postulauit, quibus Plebem conditionibus reuocare vellent. Hic Menenius Agrippa celebratam illam habuit orationem, in qua fabulã dissidii inter membra intexuit, obtulit debitorum remissionem, & à pœnis liberationem, quod ad præteritos cõtractus, de futuris vero ratum fore, quidquid ipsi cum Senatu statuissent. Hæc cum ille animi humana, diuinaq; fide confirmaret, & in fine orationis ad lamenta conuersus, proponeret calamitates vtrisq; imminentes, deplorareque tam manentium in vrbe, quam expulsorum miserias, effusi in lacrymas omnes vna voce conclamarunt, duceret se in vrbem, nec tempus tereret.

XIV. Nec multum aberat quin è concione abirent, re tota legatis commissa, nihil amplius de securitate laborantes, ni Brutus in medium progressus eum impetum cohibuisset. Is plebis nomine, Concedite, inquit, nobis aliquot annuos magistratus ex nostro ordine, qui nullam aliam potestatem habeant, nisi vt plebeiis iniuriam, & vim patientibus succurrant, nec patiantur quemquam suo iure fraudari. His auditis plebs virum diu magnis acclamationibus laudauit, ac legatos rogauit vt hoc quoque sibi concederent.

At Menenius collegarum etiam nomine, à plebe petiit, vt quando res maximi esset momenti, & quæ duas in vna ciuitates factura videretur, vt liceret ea de re Senatum consulere, quod cum plebi placuisset, pars legatorum remansit in castris, pars in vrbem abiit; & de re tota Senatũ docuit. Valerius cẽsebat concedendam plebi & hanc gratiam. Appius contra, qui ab initio pacificationi contradixerat, tum quoq; palam se opponebat vociferans deos attestans, prædicensque quantorum Reipub. malorum semen iaceret; sed nihil proficiebat, quod maxima pars ad pacem esset procliuior.

XV. FACTVMQVE EST SC. quod & cætera legatorum pollicita plebi confirmabat, & hanc securitatem, quam peterent, promittebat. Eo modo pace cõposita, primi Tribuni plebis creati sunt L. Iunius Brutus, & C. Sicinius Bellutus, quos antea duces plebs habuerat, & præter hos C. & P. Licinii, & Sp. Icilius Ruga. De his incerta omnia Liuius tradit, & ne de nominibus quidem cum Dionys. cõsentit. Hi quinq; primi tribunitiam potestatẽ acceperunt, quarto die ante idus Decembres, quemadmodum fit & nostro

tempore,

47. *Tribunatus inuiolabilis.* tempor, inquit Dionys. Cumque omnia plebi, legatisq; iure habere viderentur, Brutus concione aduocata suasit Plebi, vt eum magistratum sacrosanctum, & inuiolabilem esse lege decerneret, & iureiurando cōfirmaret; quod & impetratum est. Imo præter ius etiam addiderunt, vt ne in posterum plebi potestas esset hanc legem abrogandi; præterius inquam, & fas. Nam paris in parem nulla est auctoritas, futura vero plebs non minorem habitura erat autoritatem ad legem abrogandam, quam præterita ad ferendam habuisset. Adacti sunt nihilominus omnes ciues iurare per sacra omnia, se ac posteros hac lege in perpetuum victuros.

XVI. *Aediles plebis vocati a L.17.c.21.* ADDIT postremo hac de re Dionys. Tribunos creauisse, quos tunc ministros, & collegas, ac iudices Tribunorum appellabant, qui postea sacratum ædium curatores, siue Ædiles plebis vocati sunt A. Gellius *a* numerum Tribunorum non assignat, sed Tribunos & Ædiles hoc tempore per seditionem à plebe creatos affirmat. At cum Liu. duos primum Tribunos creatos dicat, qui tres sibi collegas asciuerint, dici posset, ex vtriusque fere sententia, duos illos tantum L. Iunium & C. Sicinium fuisse Tribunos pleb. reliquos autem tres, sine Tribuni nomine, assumptos esse quasi socios eorum & administros. Et sane ex *Eorumque numerus.* varijs Dionysij locis satis colligitur, hos quinque Collegium Tribunorum fuisse, quorum è numero duo quotannis Tribunorum gererent dignitatem; & primo quidem L. Iunius & C. Sicinius, cæteris ad utoribus remanentibus, siue Ædilibus. Nam secundo anno Sp. Icilius collegij Tribunorum princeps erat, Sicinius autem & Brutus Ædiles, vt idem Dionys. autor est. Anno 3. C. Sicinius tribunatu iterum fungebatur, L. autem Iunius & Iulius Ruga ædiles erant, ex eodem Dionys. quo ipso anno videtur auctus numerus collegarum. M. enim Decius in Tribunis ab eodem numeratur; qui tamen in illis quinque non reperitur. Sicque pacatis rebus Respub. in pristinum ordinem restituta est. Quæ omnia paulo ante brumam contigisse autor est Dionys. init. l.7.

XVII. *Expeditio in Volscos.* DEINCEPS vero externorum bellorum causa delectus sunt habiti, magna plebis alacritate; & Consf. ex more munia sortitis, Sp. Cassio cura rerum vrbanorum obtigit, relictumque militum quantum ad vrbis præsidium sufficere videretur; reliquum exercitum eduxit Posthumus Cominius, & in Volscos profectus, singulis diebus singula fere oppida illorum occupauit, præter Coriolos, vbi diutius paulo, aut certe laboriosius gemino prælio certatum est; in quibus C. Marcius admirabili se fortitudine *C. Marcius Coriolanus.* virum præbuit, vt fusius tradit Dionys. vbi, præter alia præmia, Coriolani nomen est consecutus.

Menenij Agrippæ mors, & funus honorificum. Interea in vrbe Consul Cassius fœdus cum Latinis renouauit. Cumque Menenius Agrippa eodem tempore obijsset, neque eius facultates sufficerent, ad hominē pro ipsius dignitate tumulandum, plebs rogantibus Tribunis sumptus suppeditauit. At Senatus voluit eum ex publico ætario magnifice sepeliri. Plebs nihilominus, quæ patri mortuo destinarat, viuis filijs elargita est.

ANNVS MVNDI 3563. SEXTÆ ÆTATIS 47. Darii Hystaspis 32. Imperii Persici 47. Zorobab. & Iosuæ 47. Olympia. LXXII. An. 2. Hybrilide Prætore. Vrbis conditæ 262. T. Gegamio Macerino, & P. Minucio Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 490.

I. *Gelonis tyrannis. a L.6.p.186. gra.* OLYMPIADIS septuagesimæ secundæ annum alterū, qui fuit Sabbaticus 140. notat Pausanias, *a* vt insignem occupata à Gelone tyrannide Syracusis: quo itidem anno apud Athenienses Hybrilides summæ rerum præfuisse reperitur. Successit Gelo Dinomenis filius Hippocrati fratri, & ei vicissim demortuo Hiero frater alter successit. Hoc ipso anno in Græcia initæ sunt induciæ tricennales inter Athenienses & Lacedæmonios, quibus bella ad Eubæam gesta terminata sunt, quæ decimoquarto anno, id est, Olymp. 75. anno 3. ruptæ sunt, cum bellum Peloponnesiacum inchoatum est. Thucyd. l.1. *Induciæ inter Græcos.*

Darius vehementer infensus bello incumbit. Postea vero quam nuncius pugnæ ad regem Dariū allatus est, inquit Herod. l.7. Cum antea vehementer infensus esset Atheniensibus, quod Sardis inuasissent, longe infensior factus est, ac propensior ad bellum Græciæ inferendum; missisque continuo nuncijs ad ciuitates, edixit vt singulę multo quam antea maiores copias, naues nauigia, equos, rem frumentariam compararent; quibus nuncijs Asia triennium exagitata est.

II. *Miltiadis expeditio in Parum.* MILTIADES autem cum antea probatus apud Athenienses, tum vero post rem bene gestam in Marathone, maioribus incrementis auctus, petit ab Atheniensibus Septuaginta naues, cum propugnatoribus & pecunia, non promens eis, cui regioni bellum esset illaturus, sed tantūmodo se illos locupletaturum, si se sequerentur. Quæ cū impetrasset, in Parum nauigauit, quæ insula est in medijs Cycladibus, iuxta Naxum; priuatas inimicitias obtegens, specie vlciscendæ iniuriæ, quam Parij Græciæ intulerant, quod triremi in Marathonem vna cum Persis venissent. Sed eo appulsus, cum centum talenta postularet, etsi sacrificulam ad proditionem patriæ subornasset, minime voti compos effectus, Athenas regredi compulsus est, femore interim grauiter vulnerato, cum maceriam, qua templum Cereris sepiebatur, horrore præoccupatus transiliret. Vrbe tantum per sex & 20. dies obsessa, & agro populato.

III. *Accusatur Athen. & moritur.* MILTIADEM è Paro reuersum, plerique Atheniensium varie traducebant, præcipue Xantippus quidam, qui eum apud populum accusauit, quod Athenienses circumscripsisset. Cui accusationi Miltiades non per se ipse respondit (neque enim poterat, quippe qui computrescente femore iaceret in lecto) sed pro eo amici sui; allegantes prēclara eius multa facinora, tum maxime rem nuper in Marathone gloriose gestam. Interuentu tamen populi ne capitis damnaretur, quinquaginta talentis eius ea culpa mulctata est. Post hæc Miltiades cum ei femur marcidum & emortuum factum esset, decessit, & nihilominus honorifice sepultus est. Nam *a* Pausanias de campis Marathonijs agens, Seorsim, inquit, monimentum est Miltiadis Cimonis filij, cuius virtuti cum non satis secunda fortuna, dum Paron obsideret, respondisset, non ita multo post, quam inuidia populi damnatus est, è vita decessit. *a L.p.49.* Pecuniam vero Cimon filius, cuius vitam scribit Plutarchus, ingrato populo exoluit. Ex his quæ de Miltiadis morte scribit Herodotus, ea quæ superius ex Gellio recitauimus, de morte in vinculis publicis obita, licet eā Plutarchus in Cimone confirmet, in dubium reuocari possunt. Quod autem ad putrescens femur attinet, significat *In pœnam sacrilegij.* Herodotus eam sacrilegij fuisse pœnam, quod quadam sacrificula vsus esset ad patriæ proditionem. Quò etiam mors Cambysis filij Cyri, & Cleomenis regis Lacedæmonum, quas supra suis locis ex Herodoto retulimus, aggregari possunt.

IV. *Fames ex plebis secessione. a L.m. 321 n 11.* HOC anno magna annonæ caritas, vt scribit Dionys. init. l.7. vrbem inuasit, ex secessione orta. Plebs enim à patricijs atque vrbe, vt ante explicauimus, *b* secesserat circa æquinoctium autumnale, sub ipsum sementis initium; agerque per hos motus à colonis desertus est, dum ditiores Senatum & Patricios; at mercenarium vulgus plebis partes sequitur, manseruntque ita separatim, donec pacata ciuitas rursus in vnum coiret, quod paulo ante brumam contigit; ex quibus Dionys. verbis aperte colligitur, Secessionem trium circiter mensium spacio durauisse. Huic caritati, atque adeo fami, vt Liuius ait, qualis contingere solet obsidione clausis, Senatus Consulesq; prouiderunt, dimissis in Etruriam, & in Campanos, atq; Pomerinos campos ad coemēda frumenta. In Siciliam quoque missi sunt P. Valerius Poplicolæ filius, & L. Geganius Geganij consulis frater; qui aduersis tempestatibus iactati, & circumnauigare insulam coacti, sero ad tyrannum Gelonem, qui tum ibi regnare cœperat, vt diximus per

ouenerunt: exactaque ibi hieme, in Italiam æstate demum reuersi, multum commeatum aduexerunt.

V. Qui vero in Pometinum campum missi sunt, parum abfuit quin à Volscis interficerentur, pro exploratoribus falso delati ab exulibus Romanis, ægreque hospitum suorum studio seruatis corporibus, amissa pecunia, reque infecta, in vrbem reuersi sunt. Idem accidit ijs, qui Cumas venere. Cum enim in ea vrbe multi Romani exules degerent, qui cum Tarquinio rege ex vltimo prælio euaserant, primo ad capitis supplicium eos viros à Tyranno deposcebant: quo non impetrato, postulabant vt sibi liceret eos detinere vt pignora, donec ipsi bona sua reciperent. (Erat hic annus decimus quartus tyrannidis Aristodemi cognomento Mollis.) At legati cum negarent sibi potestatem esse de hac causa litigandi à Senatu datam, & nihilominus viderent exulibus tyrannum fauere, petito ad defensionem spatio, & vadati pecunijs, dum causa pendet, clam sese in viam dederunt; famulitium eorum, & iumenta, allatasque frumentationis gratia pecunias tyrannus detinuit. Legati domum re infecta redierunt.

VI. *In Etruria. Fames magna Romæ.* At qui in Etruriam obierant, exiguum milij, & farris commeatum Romam detulerunt; quo breui assumpto, tanta laborabatur inopia, vt nullum cibi genus intentatum relinqueretur: ex quo etiam factum est, vt morbis tota pene vrbs affecta langueret. Volscos autem nescio quid mali in Romanos ea occasione meditantes tanta pestilentia inuasit, vt Velitras vrbem eorum populosam, vix decima ciuium parte relicta, absumpserit. Quo mox ipsorum rogatu missa est ex vrbe colonia, quò iam ante biennium Man. Valerius Dictator aliam coloniam miserat, tum vt famem vrbis ea parte releuarent, tum vt gliscentem propter eam in plebe seditionem contra patricios tollerent. Nec multis diebus post aliam etiam coloniam Norbam, Latini nominis vrbem non ignobilem, eisdem ex causis miserunt.

VII. *Ex Tribunatu.* Multæ nihilominus in vrbe fuerunt turbæ, Sp. Icilio tum tribuno plebis eas concitante; post nonnullam autem contentionem Consulem inter & Tribunum, postridie legem tulit Icilius, Bruto maxime agente, & plebe approbante. Ne concionanti apud populũ Tribuno quisquam contradiceret, aut dicentem interpellaret, graui pœna proposita. Paulo post facta est in Antiates excursio, duce C. Martio Coriolano, qui in magna erat apud omnes gloria & beneuolentia. *Coriolanus in Antiates.* Qui mox exercitum rebus omnibus locupletatum domum reduxit, ita vt qui manserant in vrbe, seditiosis Tribunorum concionibus obsecuti, ipsi mœsti obloquerentur, quorum culpa videbantur pari felicitate fraudati.

ANNVS MVNDI 3564. SEXTAE AETAtis 48. Darii Hystaspis 33. Imperii Persici 48. Zorobabelis, & Iosue Pontif. 48. Olympiadis LXXII. An. 3. Vrb. cond. 263. Coss. M. Minucio Augurino, & A. Sempronio Atratino.

ANNVS ANTE CHRISTVM 489.

I. Hic est annus secundus apparatus Persici aduersus Athenienses, & Græciam vniuersam: quo Romæ cõsulatum adepti viri annis & consilio clari, magnam operam dederunt, vt ciuitas omni commeatuum genere abundaret; quasi in annonæ vilitate populi concordia consisteret. Verum saturitatem comitante petulantia, quando minimè putabatur, maximum Romæ periculum exortum est: sicque Romanis tam copia, quam inopia damno fuit. Cum enim legati in Siciliam missi frumentandi causa redijssent, cum quinquaginta millibus medimnûm Siculorum, quorum dimidium emerant admodum vili pretio, reliquum Tyrannus dono miserat, suoque sumptu aduexerat; qui in patricijs æquissimi erant, plebisq. amantissimi, pane cum miserti, donum tyranni suadebant diuidendum plebeijs hominibus; quod autem pecunia publica emptum fuerat, eis paruo pretio reuendendum, prudenter existimantes hoc potissimum beneficio plebis iras in opulentos posse mitigari. At arrogantiores in plebem omni studio affligendam, & necessitate ad modestiam compellendam, neq. dandum quidquam arbitrabantur, & insuper quod venderetur, carissime vendendum.

II. *Coriolanus infensus plebi, & cur. Item cum Tribunis dissidium.* In hoc numero erat Marcius ille Coriolanus, plebi etiam nominatim infensus, quod proximis comitijs in petitione consulatus, cum non deessent patriciorum studia, repulsã passus esset, timente plebe ne vir claritate & audacia formidabilis, Tribunitiam potestatem è Rep. tolleret conaretur. Hac igitur offensa irritatus, & mutata Remp. in pristinam formam restitui cupiens, sententiam in Senatu dixit contra Tribunos in plebem longe seuerissimam. At Tribuni cum pestam, ac perniciem Reip. nominabant, quem plebi male loquentem, & ciuile bellum in vrbem importantem nisi cohiberent patres, & capite, vel exiliu mulctarent, ipsi se id facturos minabantur. Cumq. Marcius minas minis rependeret, Tribuni proripuerunt se Curia, & coacta in concionem plebe, indicauerunt quid in Senatu locutus esset Marcius, eumque ad causam apud populum dicendam arcessiuerunt. Quos cum ille contemneret, atque etiam viatores eorum cum contumelia verborum reijceret, magisque exasperati Tribuni, assumptis Ædilibus & aliquot alijs etiam vim pararent, qui aderant Marcio Patricij, pugnis eos abegerunt. Indeque quasi bipertito diuisa est ciuitas, & iam prope accensa erat seditio, sed consulum monitis & precibus res in posterum diem dilata est.

III. *Tribunorum contio turbulenta.* Quo die conuocato populo Tribuni vehementer de Senatu conquesti sunt, quasi parum syncere plebi reconciliatos; tum de Marcij dictis, factisque, contra Tribunorum socios ac viatores, toto spectante populo. Interea de ea re in Senatu perquam studiose actum est. Quo dimissi Coss. processerunt in Comitium, tum publicas pro Senatu diluturi calumnias, tum pro Marcio intercessuri apud populum, ne quid in eum grauius statueret. Quod à Minucio fortiter atque eleganter factum est. *Præsertim in Marcium.* Præclaram eius repræsentat orationem Dionysius, & legi dignã. Ea oratione cum Tribuni flecti multitudinem viderent, C. Sicinius qui omnium collegarum maxime auersabatur ciuitatis concordiam, & statum pristinum, vt minime sibi vtilem, præ se tulit se ad reconciliationem pronum, & ad Marcium conuersus, cui plebem infensam reddere cupiebat, quasi insultans monebat, vt plebi fieret supplex, non ignorans virum magnanimum non inducturum in animum vt id faceret, sicque voti compos ipse fieret, quod & factum est.

IV. *Marcij animus ferox.* Præbito enim silentio, & pene omnibus inclinantibus ad absoluendum hominem, is se accommodasse tempori, tam arroganter, & contemptim eos affatus est, vt neque vllam præ se ferret pœnitentiam, neque veniam, aut miserationem peteret: imo negaret se Plebis iudicio velle submittere sese, quæ nullam haberet legitimam potestatem; aliaque id genus pleraque generosius, quam cautius diceret, plebem vehementer offendit, quæ & eum hostem suum proclamabat; nec deerat quibusdam animus ad eum interficiendum, quos Sicinius exstimulabat, qui acerbissimè in hominem inuectus, accensu furore populi, accusationem clausit capitali sententia, quam latam aiebat à Tribunorum Collegio, ob contumeliam Ædilibus illatam; quos pridie pulsatos abegerat. *A Tribunis ...* His dictis iussit eum abduci, & è vasta rupe præcipitem dari. Cumque accessissent Ædiles, vt eum comprehenderent, inter eos, ac repugnantes patricios coorta est rixa, se inuicem impellentibus, nec manus cohibentibus, donec superuenientibus Coss. & per lictores turbam summouentibus, compressus est tumultus. Ibi Sicinium anxium atque hærentem monet Iunius Brutus, vt ab incepto desistat præferuido, ac periculoso, nec indemnatum virum nobilissimum ad supplicium rapi velit, sed ei diem ad populum dicat, vt ab eo legitimis suffragiis damnatus pereat.

V. *Eius causa & iudicium differtur.* Paruit Sicinius, quod nihil videretur consultius, & pleba

plebe præmonita, breui eius suffragijs hominem committendum, dimisit concionem. Consules interea S. C. annonæ vtilitatem quam maximam à Senatu impetrarunt: à Tribunis autem iudicij remissionem obtinere non potuerunt, dilationem tamen, vt interim ira populi deferuesceret, impetrarunt. Donec Sicinius vocato in concionem populo, diem dixit Marcio, in qua lis decideretur. At Consules, communicato cum Senatu consilio, existimarunt non permittendam eam populo potestatem, vt sine prævio de more decreto Senatus, de capite, præsertim viri patricij, plebs suffragia ferret. Itaq; contenderunt, & ægre à Tribunis impetrarunt, vt ea de re fieret SC. prius tamen auditis in Senatu Tribunis.

VI. Ergo postridie in frequenti Senatu Decius Tribunus contendit datam legibus populo iudicandi libertatem, quam sibi à Senatu eripi nollent, eamque vnam viam esse concordiæ. Marcium autem fœderum iureiurando firmatorum violatorem, & suasorem Tribunitiæ potestatis abolendæ, pulsatorem etiam ministrorum eius, & Tyrannidis appetentem, totius populi tributim congregati permittendum suffragijs. Deinde etiam et insultans iubet, vt supplicum ritu populo se submittens, exemplo ipsius Senatus, salutem petat.

Inde autem in Senatu dictæ sententiæ, quam Appius Claudius de more dixit vehementem; plebem temerariæ in patricios ingratitudinis arguens, & saluis fœderibus, eius cupiditatibus fortiter resistendum asserens; nullam legem esse contendens, quæ contra patricios scripta sit, sed pro plebeijs tantum vim patientibus, quos non liceat in propria causa ferre sententiam: neque ex eorum voluntate S.C. de Marcio ferendum esse.

VII. AT M. Valerius homo popularis censebat hoc iudicium populo permittendum, & Senatum aduocatorum, & deprecatorum officio fungi oportere. Maxime autem Marcium monebat, ac rogabat, vt quandoquidem ipse haberetur causa dissidij, Senatum inter & plebem; & propter ingenium arrogantius, tyrannici animi opinione grauaretur, sumpto reorum habitu, eorum se permitteret potestati.

Hæc sententia cum pluribus probata esset; & iam scribendum esset S.C. breuiter conquestus Marcius, petijt à Senatu, vt iuberet Tribunos coram dicere, quod ei crimen velint intendere. At Tribuni, communicato inter se consilio, crimen tyrannidis affectatæ obiecerunt, iubentes, vt de eo responsurus, veniret ad iudicium. Tum Marcius, si ad hanc calumniam respondendum est, permitto me iudicio populi, nec in mora sum, quin SC. scribatur. Fit ergo de hac quæstione SC. & spatium Reo ad defensionem meditandam prorogatur in trinundinum, id est 27. dies, nundinæ enim nono quoque die celebrabantur. Tribuni accepto SC. progressi in forum, populum in concionem aduocarunt, prolixeque laudato Senatu, lectoque eius decreto, diem dixerunt qua decidenda lis esset, ad eamque iusserunt omnes ciues adesse, cognitutos de rebus maximis.

VIII. Vbi affuerunt tertiæ nundinæ aggrestium turba maxima confluxit: & Tribuni consultò ad tributa comitia loca fori funiculis distinxerunt, reclamantibus maxime patricijs, qui centuriatis de more comitijs litem decidi volebant: in quibus patricij plurimum, plebæi parum poterant: quem morem in sua primum causa violatum Marcius postea apud Volscos conquestus est. Ergo id ægre Tribuni à patricijs obtinuerunt. In quo tamen videtur nullo modo cedendum, sed constantissime hærendum patricijs, atque insistendum fuisse, quandoquidem in eo victoria posita erat. Cumque parum probabile videatur hanc prudentiam in hac causa, in tanto Senatu desideratam fuisse, vereor vt hoc loco Dionysio assentiri possim, rem ita fuisse transactam; præsertim cum hactenus inusitatum fuisse fateatur, vt populus Romanus tributis comitiis virtim ferret suffragia. Sed cesserit tamen, & in eo Senatus gratificatus populo fuerit, quod vi extortum iri videbat, crediderítq; eum noua hac gratia, in gratiam Senatus, mitiorem aduersus marcium fore. Nam Minucius Consul ascenso suggestu ea posuit, quæ à Senatu in mandatis habebat. Summa porro orationis eo tendebat, ne suffragia ferrent contra Marcium, sed vel viri virtuti, aut quisque meritis, vel Senatus vniuersi precibus iram concederent, nec propter vnius inimici pœnam, tot amicorum preces repellerent.

IX. AT Sicinius Tribunus postulat vt Patricii hominem solo ad populi iudicium sistant, eiusq; eum calculis permittant: consentit Minucius, ea tamen conditione, vt de affectata duntaxat tyrannide eum accusent. Quod Sicinius facere aggressus est, & quidquid vnquam reus fecerat, aut dixerat contra plebem, ad tyrannidis affectationem retulit: quod & reliqui Tribuni, pro sua quisq; virili, præstiterunt.

At Marcius exantlata pro Rep. certamina, & diloricato pectore cicatrices coram ostentauit, & ciues, quos periculis eripuerat, quos præmio fortitudinis ergo affecerat, nominatim protulit, qui omnes pro eo populo supplices fiebant. Denique parum consentaneam hostium accusationem demonstrauit, qui tyrannidis accusent, & simul Plebem eum ex vrbe velle pellere criminentur, cum plebis ope soleat tyrannis coalescere & foueri; bona pars plebis acclamabat hominem absoluendum; pudendum existimans eum virum in vitæ discrimen adduci, qui toties vitam suam pro salute omnium contempsisset. Reliqui autem non satis causæ reperiebant, ad eum tyrannidis affectatæ condemnandum.

X. QVOD vbi animaduertit Decius, criminatus est quod nuper prædam ex hostibus relatam non ex lege, & more cæterorum Imperatorum, in ærarium retulisset, sed in socios, atque amicos suos, fautores tyrannidis diuisisset. Hæc accusatio Marcium maxime perturbasse dicitur, vt ait in eius vita Plutarchus, improuisa videlicet, & cuius probabilem excusandi ad populum orationem in promptu non haberet. Etsi autē erat iniusta, & calumniæ plenissima, magnam tamen fecit animorum inclinationem in partem alteram. Quamobrem clamoribus, ac tumultu totum forum perstrepebat, nec quisquam respondere poterat. Ergo Tribuni, decreta perpetui exilij pœna, calculum tribubus permiserunt, cumque vna & 20. tunc tribus essent, quibus datus erat calculus, à nouem absoluebatur, à reliquis damnatus est. Plutarchus quoque trium duntaxat Tribuum suffragio victum ait, sed dubium Tribuum numerum silentio pressit.

XI. Quo facto dimissus est populus, magnos assumens spiritus, existimans se iam potentiam optimatum conuulisse. Tanto gaudio elatum populū hac victoria tradit Plutarchus, quanto nulla vnquam de hoste victoria. Patricij vero deiectis vultibus & animis, incusabant Valerium, cuius suasu id iudicium plebi permiserant, & simul de amisso propugnatore ordinis sui, & de patefacta plebi ianua ad Patricios vexandos, & eorum fastum deprimendum, lamentabantur. Marcius autem, in multis comitantium lachrymis, ipse ne gemitum quidem edidit: & domesticis matre, vxore, liberis, omnia comploratione & vlulatu replentibus, ipse summa constantia vale dixit, & forti animo infortunium ferre iussis, commendauit filiolos, quorum grandior expleuerat decennium, alter in vlnis etiam tum gestabatur, & ne sumptis quidem rebus vllis ad exilium necessariis, properauit ad portam, nemine sciente quo tenderet. Hæc fere ex Dionysio sumpta compendio, quorum maximam partem omisit Liuius, qui nec cū sentit quidem in omnibus Dionysio, vt cum negat Marcium die dicta iudicio affuisse, (quod tamen Plutarchus quoque affirmat,) propterea que in ira perseueratum, & damnatum absentem, in Volscos exulatum abiisse, patriæ minitantem, hostilesq; iam tum spiritus gerentem.

* † *

ANNVS MVNDI 3565. SEXTÆ AETAtis 49. Darij Hyst. 34. Imp. Pers. 49. Zorob. & Iosue 49. Olympiad. LXXII. An. 4. Vrbis cond. 264. Coss. Q. Sulpicio Camerino, & Sp. Largio II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 488.

I. Prodigia Romæ hoc tempore.

TERTIVS annos agitur Persici apparatus, quo anno Roma multis ostentis diuinitus territa est. Nam & spectrorum insolitæ facies multis obuersatæ sunt, & exauditæ voces, nemine apparente qui loqueretur: hominumq; ac pecudum fœdus è naturali forma in plane monstrosam, atque incredibilem speciem degenerabant, vt ait Dionys. Qui addit quoque venisse ad Senatum quendam T. Latinum, plebeium illum quidem, ac rusticanum, nec tamen inopem, qui in somnis à Ioue Capitolino monitus esset, vt Romanis suo nomine iuberet proximos ludos instaurare, quod ingratum sibi præsultorem dedissent. Cumque experrectus Latinus somnium neglexisset, allatisse secundo minacem Iouem: se secum pudore eum à referenda in Senatu re, ob quam vulgò derideretur, retinuisset, paucis diebus amisit filium. Iterumque monitos quam ob causam filium amisisset, etiam maioris doloribus toto corpore affectus est, quibus coactus in Senatum, de amicorum consilio lecticā delatus venit, vt hæc ipsa narraret; simulque cum eet narratione inchoata, dolores minui cœpisse, perfecta narratione doloribus liberatum fuisse.

Iupiter ludos instaurari iubet.

II. Si quo de ore à Dæmone in medium.

QVÆ à Dionysio, Plutarcho in Coriolano, Liuioque narrata, nihil habent absurdi. Turpissimos enim ludos Cacodæmon reparari voluit incitamenta nequitiæ. Nec difficile ei fuit tam necare nec opinantem filium, quam patrem multis toto corpore cruciare doloribus; eisque paulatim remittere, tandemque plane tollere. Nam his similima à maleficis facta, multis certissimisq; experimẽtis cognouimus. Idq; probabilius multo est, quam quod præsultore ludorum, quod Iupiter iste fabulabatur, aut vlla erga ipsum sæuitia fuisset offensus; sed eam potius ille occasionem arripuit ludificandi homines, ostentis terrendi, vexandi plagis, & omnino exerendæ malitiæ suæ, & odij in humanum genus.

III. Quis hic fuerit Præsultor ludorum.

QVIS autem ingratus illæ pompæ præsultor fuisset exponit Dionys. Seruum cuiusdam à Domino ad flagra damnatum, quem conserui ad supplicium abduxerant, expansis ambabus manibus, ligno que ad pectus eius, & humeros alligato, quod vsque ad iuncturas vtriusque manus pertingeret, quem reliqui serui nudum sequentes flagris lacerabant. Is in tali necessitate constitutus, & diras voces, ac clamores emittebat, quos dolor exprimebat, & gestus ad flagra dabat indecoros: quo facto funestatam pompam Iupiter querebatur. Rem paulo aliter narrat Plutarchus in Coriolano. Seruum quidam suum, inquit, alijs seruis tradiderat flagris exigendum per forum, atq; inde necandum. Hoc illos agentes, hominemque flagris proscindentes, ipsumque præ dolore varie se hinc inde torquentem, indecorisq; motibus corpus iactantem, fortuito pompa ludorum subsecuta est. Ac multi quidem informe spectaculum atq; insolens indigne ferebant, nemo tamen inhibebat, sed cum tantum conuitijs, atq; execrationibus impetebant, qui seruum tam acerbè mulctaret. Additq; mox seruum morte affectum; de more videl. actum in crucem: Herum tamen ipsum, post hanc Latini denunciationem, pœnas dedisse, ludosque instauratos fuisse.

IV. C. Marcij tempora.

NEC plura his Consulibus gesta Dionys. aut Liu. tradidere. Satis tamen constat ex Plutarcho Marcium, cum primũ Roma expulsus est, per paucos dies in quadam villa substitisse, deliberantem apud se, & de inimicis suis vltionem meditantem, moxq; ad Tullum Attium, principem apud Volscos virum, fuisse profectum, & ab eo percupide, perque amanter acceptum. Sed res tota rectius in annum sequentem, quò maxime foras erupit, differetur.

ANNVS MVNDI 3566. SEXTÆ ÆTAtis 50. Darii Hystaspis 35. Imperii Persici 50. Zorobabelis, & Iosue 50. Olymp. LXXIII. An. 1. Anchise Athenis Prætore. Vrb. cond. 265. C. Iulio, & P. Pinario Ruso, Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 487.

I. Ratio temporum ... Persis ...

QVARTVS hic annus à pugna Marathonia Persis & Romanis in primis luctuosus fuit. Nam, vt in lib. 7. refert Herodotus, quatuor annis, ex quo nuncijs de bello contra Græcos apparando Asia tota personabat, Ægyptij, qui fuerant à Cambyse subacti, post annos 40. à Persis defecere. Tot enim anni à 3. Cambysis, vsque ad 35. Darij numerantur; & ab initio Olymp. 63. vsq; ad initium 73. in qua versamur. Quo magis aduersus vtrosq; Darius expeditionem vrgebat, Ægyptios, inquam, & Athenienses; eadem opera acceptas ab vtrisq; iniurias vlturus, & imperio suo firmitatem, & incrementum daturus.

II. Inter Darij liberos ... contentio.

INTEREA vero inter Darij liberos de regni successione orta decertatio, expeditionem aliquandiu distulit, quæ fortasse maturius etiam inchoata, sequenti anno definita est. Cum enim grandæuum iam Darium longinquam, ac periculosam suscipere expeditionem viderent liberi eius, vnde vix spes erat eum incolumen rediturum in patriam; & suæ, & regni totius quieti consulentes, morem etiam Persarum secuti, voluerunt à patre regni successorem declarari. Erant autem Dario, iam antequam regnaret, liberi tres, è priore vxore Gobryæ filia suscepti, & post partum regnum alij quatuor, ex Atossa Cyri filia. Superiorum natu maximus erat Artabazanes, posteriorum Xerxes. Ille ius suum natiuitatis antiquitate tuebatur. Xerxes matris nobilitatem prætendebat, quæ filia Cyri esset, qui Persis imperium peperisset. Verum Darius cunctatus est ferre sententiam, vt ait Herodot. ne quid temere in re tanta ageret, & nimium cum fratres, se viuo, totere se committeret. Itaq; neq; ante vltimum vitæ, ac regni annum rem definiuit, vt dicemus.

Eam causa...

Darij liberi ...

III. Noua pompa ...

ROMÆ porro cum duplo maiore sumptu alia pompa, alijque ludi apparerentur, ad propitianda numina, quæ eã celebritatem nominatim exegerant, & alijs prodigijs iram ostentarant, res ad nouos vsque Consules protracta est, qui Olymp. 73. qua vicit in stadio Astylus Crotoniensis, Anchise Athenis principe, Romæ creati sunt. Qua ipsa Olympiade Gelo quidam Dinomenis filius, curru victor exitit. Eum aliqui, vt notauit Pausanias, a cum Gelone Siciliæ tyranno confuderunt, quod vterq; Gelo, vterque Dinomenis filius diceretur. Sic enim intelligendum arbitror eo loco Pausaniam. Nisi enim patres fuissent cognomines, frustra is ad ostendendum eos esse diuersos ad patriæ diuersitatem, relicta patrum differentia confugisset. Creati ergo sunt C. Iulius Iulus, & P. Pinarius Rufus, quos Liuius prætermisit, vt Sigonius, & Onuphrius notarunt, viri, ait Dionys. minime bellicosi, & ob hanc præcipue causam à populo creati, quorum cõsulatu exortum bellum Romanam Rempub. in tot & tanta pericula coniecit, vt eam pene funditus euerterit.

a l. 8. p. 266.

IV. Reliqua ... Marcij historia.

CÆTERVM reliquam C. Marcij historiam quæ in hunc annum, atque in hos Conss. cadit, etsi Cuspiniano visum sit Liuium eam in consulatum Minucij, & Sempronij, propter duorum annorum Coss. ab eo prætermissos, retulisse: reliquam in quam historiam Marcij Dionysius nõ minus eleganter, quam copiose persecutus est, vt reliqua omnia, quam more nostro ita contrahemus, vix vt quicquam, quod alicuius momenti sit, ab æquo lectore desiderari possit, nisi quid ex Plutarcho, qui eum sequitur, addendum videatur.

Marcius ergo Coriolanus, qui ob suspicionem iniustam Tyrannidis exilio perpetuo à populo mulctatus fuerat, dispiciens quomodo inimicos vlcisceretur, vidit quidem id Volscorum ope confici posse, si eum ipsi Imperatorem elegissent. Sed hominem ab ea spe non parum deterrentis, quam in odium verteret, sed timor iustissimos

Infrmo ... Attij Tulli gratiam.

deterrebat, quippe qui tot eis clades hactenus intulisset. Non tamen conatu destitit, sed spreta periculi magnitudine, observata nocte obscura Antium venit, urbem Volscorum nobilissimam, & ingressus ædes Attij Tulli, viri apud Volscos potentissimi, supplex ad focum sedenti accidit. Plutarchus ait eum capite velato apud focum consedisse, domesticosque, Tullo tum forte cœnanti, ignoti hospitis, ac taciturni adventum indicasse, eumque relicta cœna ad Marcium venisse; qui enarrata necessitate qua compulsus esset ad hostes confugere, orat ut moderato & humano affectu de supplici statuat, neve subditum pro hoste amplius habeat, pollicens se Volscis, si in eius gentis amicitiam recipiatur, tantum allaturum boni, quantum antea mali inimicus intulisset.

V. *Quo se ciuium ... faciat.* COMITER eum accipit Attius, & pollicetur se ei Volscos omnes conciliaturum, immo à suis ciuib. facto, quod & præstitit. Nec ita multo post Marcius & Tullus inter se consultarunt de bello Romanis inferendo. Obtinuit Marcius ne prius inferretur, quam iusta aliqua belli causa esset inventa, præsertim cum induciæ in biennium paulo ante factæ essent. Iustam autem causam, ut ipsi videbatur, per fraudem excogitavit huiusmodi: ex occasione ludorum, de quibus anno superiore dicebamus. Hoc expectatu tempore, inquit Marcius, & tu ilius, & Volscorum quantam maximam poteris frequentiam ad visendum id spectaculum excitabis. Ubi vero in urbe fueris, fidissimum aliquem amicum ad Consulem mitte, qui occulte moneat cavere Volscos noctu urbem invadere, & in hoc venisse iam multos. Certo scito Magistratus, si hoc audierint, sine cunctatione vos eiecturos ex urbe, præbituosque iustam iræ materiem. *Belli contra Romanos causam Marcius excogitat.*

VI. *Volsci Romæ opprimuntur.* QVÆ omnia uti dixit ita contigerunt. Nam denunciatione Consuli callidissime facta, Senatusconsultum factũ est, quo Volscis omnibus denunciatum est, ut ante solis occasum omnes urbe excederent. Primus Tullus exivit, occupatoque non longe ab urbe loco idoneo, omnes sibi colligebat. Ubi omnes convenerunt, coacta concione acriter in Romanos invectus est, qui cum insigni iniuria solos omnium hospitum Volscos ex urbe, & quidem proditionis nomine insimulatos, eiecissent, postulabatque ut quisq; in suam patriam id renunciaret; daretq; operam ut compesceretur Romanorum insolentia, & violati iuris pœnæ ab illis repeterentur. Quibus ubiq; non sine exaggeratione divulgatis, nulla civitas ab ea se continuit, missisq; oppidatim legationibus, totius gentis indictum est Concilium, ut de bello in Romanos decernendo ageretur, cuius vehemens instigator erat Tullus. obtinuitque eorum sententia qui bellum suadebant, quandoquidem per Romanos priores fœdus violatum erat. *Propterea quod bellum parant.*

VII. *Dubius consilij author.* DE excogitata à Marcio fraude, tã perniciosa, atq; impia, etsi res parum probabilis est in magnanimo, ac generoso viro, eamque ex quorundam opinione refert potius Plutarchus, quem sequitur; de ea tamen Dionysius, Liviusque consentiunt. Talium certe virorum vindictæ appetitus, qui solet esse implacabilis, & ad comminiscendas obtinendæ ultionis vias ingeniosus, probabilem facit; præsertim cum fidem facere hosti vellet, se hostili esse animo in cives suos, idque sequentia postmodum confirmabunt. Minus tamen probabiliter Livius rem scribit denunciatam Consuli ab ipsomet Tullo: qui cum Volscorum caput esset, non erat credibile commenticium ab eis ipso ignaro, aut tentatum iri ingens aliquod facinus in urbe à confusa multitudine, quam nemo ad destinatum finem dirigeret; nec potuisset occulta esse Volscis, quamuis clam facta denunciatio, si à tali viro profecta esset.

VIII. *Marcius consilium suum apud Volscos agit.* CVM autem apud Volscos de bello suscipiendo iam constaret, de modo deliberaretur, progressus in medium Tullus, suasit acciri Marcium, & ex illo quæri, quo modo Romanorum vires convelli possent: hunc enim omnium optime scire quã laborarent res Romanæ, quã valerent. Placuit consilium, vocatur Marcius. Is mœstus, ac lachrymabundus prodit, ac data publice fandi copia, Reipub. Romanæ statum, & iniurias acceptas ab inimicis recenset, laudat Volscos, è quibus tanta humanitate sit acceptus, obliteratis bellicis offensionum causis, & spem facit; si eorum opera possit, graves de Romanis pœnas repetiturum, à quibus tam insigniter violatus esset; & Volscis non minora commoda allaturum, quos pro hostibus amicos, benefactoresque repererit. Hortatur deinde ut belli occasionem ambiant, repetendis rebus sibi prioribus bellis à Romanis per vim ademptis, quas nunquam inducturi essent animum ut redderent: sicque legitimum, & omnibus probatum bellum susceptum iri. Facile autem habituros belli socios omnes populos, quibus res item suæ à Romanis, eadem iniurie sublatæ sunt. Accedere temporis opportunitatem, dum illi ob seditionem suspecti sunt invicem, & duces habent militiæ imperitos. Postremo studium suum quam humiliter, prolixeq; defert: qui apud suos rigentem animum inflectere humilitate nequiverat. Nimirum vindictæ appetitus, amore patriæ ac suorum potentior apud Marcium fuit. *Eosque suadet ut belli occasionem quærant.*

IX. *Quo inventa legatio Romam mittitur.* QVÆ omnia cum à Volscis vehementer probata fuissent, missa est Romam legatio, ut ille suaserat: eique Senatoria dignitas, omniumque honorum ius decretum, cum potestate habitandi quacunque in Volscorum civitate placeret. Dum legatio redit bellum ab omnibus studiose paratum est; persuasum enim omnibus erat Romanos nihil facturos eorum, quæ requirebantur. Quietem legatis responderunt, se quæ belli iure acquisierant, optimo iure possidere, & iniuste repeti, quorum dominium eodem iure amissum esset. Turpissimum enim fore, inquiunt, res virtute, fortitudineq; partas, per stultitiam & formidinem amittere. Bellare autem vos, nec, si piget, cogimus, nec, si lubet, deprecamur; sed si inceperitis, nos defendemus, priores arma sumpturi estis, nos posteriores deposituri. *Res in infecta remittuntur.*

X. *Iusto bello res alienas recte acquiri.* NON existimarunt, opinor, Romani, aut Dionys. virtutem & fortitudinem bellicam, ius Romanis possidendi aliena tribuisse, vel legitimum dominium rerum à prioribus dominis ad posteriores recte transtulisse. Sic enim ius à vi penderet, & ius esset omnibus potentibus in reliquorum fortunas omnes, quod iniquissimum est; sed ea iusto bello iuste acquisita censuerunt, in quo qui iniuste aliena invadebat, iuste amisit sua; quæ victori cesserint, sive in damnorum acceptorum reparationem, sive in mercedem laborum, sive in pœnam iniuste lacessentis, sive in exemplum coërcendæ cupiditatis aliena rapiendi. Illud autem vel maxime Ethnicorum cæcitatem prodit, quod Marcius apud Dionysium inducias violari prohibet, quæ cum Volscis ad biennium paulo ante factæ fuerent, alioqui, ait ille Tullo, non habebis Numen propitium. Nec tamen se iniuste facturum putat, si per fraudem & calumniam deceptos Romanos ad fœdere frangenda compellat. Sed militari viro ignoscamus licet. Nam *Et quibus initio.*

Marcius arma magis, quam iura ac fœdera norat.

XI. *Volsci bellum apparant, Tullum & Marcium imperatores legunt.* ACCEPTO responso, Volsci communi consensu Romanis bellum decernunt, Imperatores Marcium & Tullum legunt, omnia bello necessaria studiose præparant. Interea uterque Imperator cum electa manu agros Latinorum, ac Romanorum populantur, & ingentes auehũt prædas, utque magis dissensio Romæ Plebeiorum cum Patriciis foveretur, horum bonis parcebat, illorum armenta abigebat, villas incendebat, agricolas in servitutem abducebat. Postquam autem præsidio fuit totos exercitus, ita Marcium inter & Tullum convenit, ut alter domi remaneret, agrum & oppida tueretur, ne forte incautos hostis invaderet, & appetentes aliena caverentur propriis; alter cum validissima, & promptissime militum manu, hostem peteret, & pugnæ copiam faceret. Cumque Marcius Tullo dedisset optionem, Tullus, qui perspectã habebat Marcij felicitatem, & industriam, illi permisit ducendum exercitum. Et certe prudentius erat novum civem ac ducem foras emittere, quam domi armatum relinquere, Romanam sibi pacem nefario aliquo facinore redempturum. Ut Philisthæi olim de Davide dicebant. a *Res negotium bello dividunt.*

AT Marcius non amplius cunctatus Circeios petijt, eoque oppido deditione facta, facile potitus est, & ut *a1. Reg. 29. XII. Marcius Romanis infestus.*

ait Liu. primum coloniam, inde Romanos expulit, liberamque eam vrbem Volscis tradidit. Dionysius contra: Neminem, inquit, ex oppidanis Imperator vel occidit, vel in exilium expulit, vestes tantum, in vsus militum, & cibaria in mensem vnum imperauit, & aliquantulum pecuniæ, relictoq; modico præsidio abduxit copias. Tum vero maior in vrbe terror ac tumultus extitit, patricijs plebem incusantibus, quod virum bellicosum, industrium, ac magnanimum, falso implicitum crimine, ex vrbe eiecissent, Volscisque ducem dedissent: contra vero plebis magistratibus crimen in Senatum regerentibus, quasi dolo illorum res gereretur, & bellum non peteret totum populum, sed plebem Romanam duntaxat: cumque inter mutuas criminationes publicæ rei non prouideretur, plebs hac cogitatione à maiorib. natu cohibita est. Quod si vnius viri nobilis exilium in tantum discrimen Remp. adduxisset, quid expectandum sit, si plerique patricij, plebis petulantia exasperati, eundem cogantur animum inducere? Perspicuum enim esse iam, ait Liuius, rem Romanam ducibus validiorem esse quam exercito. Atque ita coërcita plebis immodestia, & sedato tumultus terrore, mandauit Senatus Consulibus delectum habere, vrbem custodijs firmare, auxilia sociorum accersere, exercitum autem non prius educere, quàm probe parata essent omnia. Sed quoniam viciosa erant consularia conuitia, res inchoata nouis Consulibus tradita est.

Turba Romæ intestina.

Plebs metu cohibetur.

ANNVS MVNDI 3567. SEXTÆ AETATIS 51. Darij Hyst. 36. & vlt. Imperii Pers. 51. Zorob. & Iosue Pontif. 51. Olymp. LXXIII. An. 2. Vrbis cond. 266. Coss. Sp. Naucio & Sex. Furio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 486.

I. POSTREMVS est hic annus imperij Hystaspide Darij, iuxta Herodoti omnibus probatam chronologiam, Eusebioq; in primis, nisi quod trigesimum sextum Darij, in annum sequentem huius Olympiadis retulit, eò quod Cambysi cum Magis 9. annos assignauit: qui octo duntaxat fuerunt. Nostræ porro huius anni chronologiæ Paulus Orosius aduersarius est, *b* cum ait. *Cum autem instauraret bellum Darius, & vlcisci in victores moliretur, in ipso apparatu concidit, Olymp. 74. hoc est, post V. C. 275. quo tempore Romæ Popilia virgo ob crimen stupri viua defossa est.* Verum hæc Orosij chronologia ipsa se destruit, nisi vrbis initia aliquot annis anteuertat. Nam nullus est annus Olympiadis 74. qui in annum 275. Vrbis incidat: sed hic annus vrbis respondet anno tertio Olymp. 75. Deinde damnatio illius mulieris, teste Dion. & Liuio, in Coss. M. Fabium, & L. Valer. incidit, an. V. C. 271. non 275. Deniq; Darius regnasset annos non 36. vt omnes cum Herod. fatentur, sed 45.

Mors Darij, & ratio temporis.

b l. 2. c. 8.

II. DARIO non statim dirimente litem, nec ferente de successore sententiam, aderat forte Demaratus, inquit Herodotus, qui per id altercationis tempus Spartano regno Cleomenis opera, vt supra diximus exutus, ac Lacedæmone profugus Susam ascenderat. His vir audita liberorum Darij controuersia, Xerxem adijt, eumq; monuit, vt ad suam causam adderet, se primum ex rege natum, ideoque regni primogenitum: Artabazanem vero ex Dario homine tum priuato primum natum, ideoq; priuati hominis, non regia successorem esse oportere: idq; in Spartano regno solenne esse. Quædum Xerxes apud Darium pro se afferret, eum Darius Regem declarauit. Quamquá etiam citra admonitionem Demarati, Xerxes, vt mea fert opinio, inquit Herod. regnauisset; eò quod omnis potentia penes Atossam esset: *a* significans eam rerum habenas tenuisse, & gubernatores ac principes sibi coniunctos, ac fauentes habuisse.

Lis diremitur inter Xerxē, & Artabazanem.

a ἐνεῖχε τὸ πᾶν κράτος.

III. SCRIBIT Iustinus l. 2. scribere hanc contentionem ortam Dario mortuo, eamq; à patruo Artapherne in Xerxis fauorem diremptam fuisse. Verum nihil video esse causæ, cur non potius Herodoto assentiamur, à quo alij, nonnúquam oscitanter mutuati sunt, quæ scripserunt. Sed egregium plane est ad exemplum, quod de modo contentionis huius idem Iustinus subdit. Adeo fraterna contentio fuit, vt nec victor insultauerit, nec victus indoluerit: ipsoq; litis tempore inuicem munera miserint, & iucunda quoque inter se, non solum credula conuiuia habuerint; iudicium quoq; ipsum sine arbitris, sine conuicio fuerit. Tanto moderatius tum fratres inter se regna maxima diuidebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur.

Quod in de hac Iustinum.

IV. DECLARATO Darius rege, & successore imperij Persici Xerxe, cum conaretur rebus apparatis exire in expeditionem, altero ab defectione Ægyptiorum anno, supremum diem obijt, sex & triginta annis regni expletis, haud compos voti, vt Ægyptios, & Athenienses vlcisceretur. Sic Herodotus. Cui Ctesias more suo repugnat. Darius, inquit, ad Persas reuersus est, vbi celebratis sacrificiis, cũ 30. dies morbo laborasset, mortuus est, qui annos ante regnum vixerat. *Excedit ille numerum, pergit,* & annos vnum & triginta regnauerat. Bagapates autem, qui claues omnes ædium regiarum habebat, cùm septem viris ad ædem Magicam aditum dedit, cum sex annos sepulchro Darij assedisset, mortuus est, eximio in regem suum obseruantiæ, atque amoris argumento. Nihiluminus chronologiam Herodoti retinendam putamus, quæ mutari sine magna multarum rerum perturbatione non potest. Nam Abraham ille Cabbalæ scriptor ineptissimus est, qui hunc Darium Hystaspidam cum Dario, quem vicit Alexander, confundit; eumque ait anno vitæ septimo regnare cœpisse, & triginta duobus regnasse. Cum constet eum fuisse vnum de septemuiris, qui Magos in Persida sustulerunt.

Imperij Darij duratione.

V. AD Darii vsque exitum Zorobabelem, & Iosue produximus, quod non constaret, quando illi finem aut sacerdotio, aut Reip. administrationi imposuissent. Nouum tantum sub Xerxe pontificem, à Iosepho *b* nominatum Ioacimum Iosue filium reperiemus, vt sequenti anno dicetur. Nam Philoni Anoni non plus fidei, quam ineptis fabulis tribuendum, cum doctis omnibus censemus. De Zorobabelis autem, aut Iosue Pontificis morte, illud vnum reperimus ab Hebræis traditum, Zorobabelem ædificato muro vrbis, aptataq; æde sanctuarij, redijsse Babylonem, ibique esse mortuum. Et quidem, vt par est credere, pie, ac religiose, vt qui de pietate, ac Dei cultu, totaq; Hebræorum gente bene meritus fuerat: & suum in diuinam veritatem amorem, ac venerationem, in conspectu regum professus fuerat; eamque regibus, & omnibus rebus creatis antetulerat; quam confessionem videtur Dominus non solum Darij gratia, ac munificentia, sed æterna quoq; vita remunerasse.

Mors Zorobabelis & Iosue.

b l. 11. c. 5.

VI. ROMANI porro huius anni Coss. omnia domi diligenter ad bellum pararunt, vt scribit Dionys. spes autem de socijs concepta, labante eorum fide, Romanos fefellit. Primi defectionis initium fecerunt Æqui, qui ab initio Marcio copias miserunt, quorum exemplo mox & alij multi, clam Volscos iuuabant, breuique tantum virium Volscis accreuit, quantum nunquam ante habuerant. Quibus fretus Marcius rursus Romanos agros populabundus adijt, & amplissima collecta præda, nemine audente congredi, per otium domum repetit; vnde Volsci, agnita Romanorum timiditate, magnos sumpsere spiritus, & spem imperii non exiguam concepere: Martij peritiam, & felicitatem, omnibus omnium gentium Imperatoribus superiorem, laudibus in cœlum efferentes, decretisq; ad agendas dijs gratias sacrificijs, templa sua, foraq; ornabant suspensis hostium spolijs, epulis cum nouo suo Imperatore, hilaritatibusq; effuse vacabant.

Rei bellicæ rerum sub Marcio successu, Romanorum metuentur.

VII. ITAQVE Marcius Volscorum alacritate confirmata, agro iam late peruastato, exercitum contra socias Romanorum vrbes duxit, & in Tolerinos Latini nominis populum, non imparatum ad resistendum, impetum fecit: eum nihilominus breui expugnatum, multis iam interfectis, & ferro tutti mancipatis diripuit, & copias Bolam duxit, vbi non sine suorum damno, expugnatum oppidum, & spo-

Quibus modis à ... capiat.

liatum incendit. Idem fuit conatus, eademq; sors Labicorum, Pedanorum, Bouillanorum. At Corbiani, & Cariolani sine pugna deditionem fecerunt: sic vt quacunq; iter faceret, nullum se oppidum ei opponeret, præter Lauinium, apud quod crebro frustra pugnatum, cum primi impetus ex animi sententia non successissent, statuit Marcius oppidum vallo & fossa cingere, viasque obsidere, vt tum auxilia, tum commeatus excluderet.

VIII. *Legati Romæ ... dati.*

QVÆ omnia cum Romæ personarent, & quotidianis legationibus opem implorantium sociorum, Senatus, Consulesque obtunderentur; vererentur etiam ne capto Lauinio recta bellum in vrbem conuerteretur, vociferabatur vniuersa plebs Marcio reditum in vrbem decernendum. paratique erant Tribuni de irritanda mulcta ad populum referre, obsistentibus Patriciis, nec quidquam in re iudicata mutari permittentibus. Quibus cognitis Marcius diuiso exercitu partem ad continuandam obsidionem reliquit, partem ad vrbem deduxit, & ad fossas Cluilias, quinque ab vrbe passuum millibus, castra posuit. Ad cuius aduentum tantus in vrbe tumultus exortus est, ac si iam iam instaret oppugnatio: cunctique ad arma temere atque iniussi concurrebant, mulieres passis crinibus templa vlulatibus complebant; pauloque post Marcio propius non accedente, Plebs concursu in forum facto, Patres ad Curiam vocauit, & nisi Senatusconsulto decerneretur homini reditus, minabantur seipsos sibi consulturos, vt proditos.

Marcij ad vrbem accessus.

IX. *Senatus ad eum legationem mittit.*

QVA necessitate coacti patres decreuerunt, vt quinq; è suo numero, quos ille maxime diligeret, eligerentur, qui legati de pace atque amicitia cum Marcio agerent. Quo in numero fuerunt M. Minucius, Sp. Largius, & tres alii, omnes iam consulatu functi. Cumque in castra venissent, Marcius cognito illorum aduentu, cum Volscorum nobilissimis consedit, quo loco maxime possent exaudiri omnibus quæ dicerentur: eosque aduocari iussit. Tum Minucius, qui in suo Consulatu plurimum pro ipso laborauerat, perelegantem habuit ad eum orationem, in qua captata ex iniuriæ confessione beneuolentia, illud primum agit, vt ne in hac non iniusta offensione sua, & insito à natura vindictæ appetitu, noxios simul innoxiosque, amicos inimicosq; vlciscatur; Patricios præsertim, à quibus tanto studio semel, iterum, tertio in capitali causa defensus sit. Deniq; ne excurram longius nullum artificium, nullum argumenti genus intentatum reliquit, vt Marcium à sententia deductum patriæ reconciliaret.

X. *Eam refellit Marcius.*

QVÆ ille vicissim mira ingenii felicitate refutauit, ostendens inter alia se Romam ad certissimum interitum vocari, & vel ob hæc ipsa, quæ nunc gererentur, cuipiam Icilio, aut Decio prædæ fore: vnde hunc reditum, non reditum vocari vult, sed compendiosam ad exitium viam, à quo eum Senatus vniuersus, ne si velit quidem, possit eripere. Addit & fidem Volscis datam, quibus omnia debeat, à quibus, præter omne meritum, amantissime exceptus, honorificentissime tractatus sit; non Romanis, à quibus indignissimè, atque ingratissimè fuerat bonis omnibus spoliatus. Postremo ne ferreus patriam plane exscindere velle videatur, hoc responsum dat legatis. Si pop. Rom. redditis agris, & oppidis quæ occupauit, reuocatisque colonis, Volscos in perpetuam amicitiam, & æquale cum Latinis ius ciuitatis, interposito iureiurando recipiat, pacem se cum eo facturum; nonnullisque ad Senatum mandatis superbe additis, abire iubet, datis ad deliberandum 30. diebus, quo interea spacio longius sit abducturus exercitum.

Quas pacis conditiones exigat.

XI. *Cur non postulauerit Tribunitiam potestatem.*

QVA de re cogitanti libet admirari: Qui factum sit, vt Marcio, vel Dionysio certe, aut T. Liuio non venerit in mentem postulare ab his legatis, & per eos à Senatu, populoque Romano vniuerso, vt Tribunitia potestas, quam ille habebat vehementer exosam, etiam antequam ab ea violatus vlla in re fuisset, nunc autē etiam detestabatur, è Republica tolleretur, cum eo facto iniuriam suam gloriosissime vindicasse videri posset; & vniuersam nobilitatem, ac Patricios in primis in pristinam dignitatem, atque autoritatem reuocasse, sibique vehementissime in perpetuum conciliasse: certe eam rem populus vrbis ex... non antetulisset. An forrasse Deus illam ei mentem non dedit, vt optimatum superbia, quam ille odit in primis, semper in posterum hoc in festo pondere comprimeretur; & pauperes, quorum ille gemitus libenter exaudit, potentiorum tyrannico dominatu non opprimerentur? An præuidit plebem id non passuram, aut mox promissa impune rescissuram?

XII. *Recedit ab vrbe Marcius ad dies 30. occupat oppida septem.*

SEQVENTI nocte Marcius circa vltimam vigiliam, motis castris duxit ad reliqua Latinorum oppida, siue quod reuera audisset ventura inde Romanis auxilia; siue ipse rumorem eum finxerat, ne bellum in hostium gratiam intermisisse videretur: & subactis intra dies triginta septem Latinorum oppidis, Romam petiit, cum multo maiore quam prius exercitu, & trigesimo ferme stadio ab vrbe, in via Tusculana castra posuit.

Redit cum maioribus copiis. Responsum Senatus.

INTEREA vero dum Marcius Latinas vrbes exscindit, & quotidianis sociorum vociferationibus Romanorum pulsantur aures, & parium calamitatum timidam ciuitatem vrget metus, nihil tamen à Romano Senatu impetrari potuit, quod timidum animum, & infractum saperet: sed & nunc, & deinceps diligenter cauit, ne quidquam iussus faceret, aut hostium metu concederet. Itaque ad Marcium referri iussit: Si deductis ex agro Romano, vel Latino copijs, armisque positis Volsci legatos de amicitia mitterent, rem transigi Romæ posse; tantisper autem dum hostiliter se gererent, nihil mite, aut amicum decerni posse.

XIII. *Quo acceptū à Marcio.*

HÆC cum decem alij legati consulares Marcio quam poterant blandissime retulissent, seruata interim populi Romani dignitate. Ille nihil aliud respondit, nisi vt melius sibi consulerent, & reuerterentur intra triduum, non enim se ampliores daturum inducias. Liuius qui hanc historiam vehementissime contraxit, ait primos oratores atrox responsum accepisse, iterum deinde eosdem missos, non receptos in castra. At Dion. vt diximus; & diuersos, & plures duplo, missos ait, & receptos; breue etiam responsum tulisse, & addit. *Cumque illi nescio quid ad hac vellent dicere, non permisit, sed iussit è vestigio castris excedere, minatus ni facerent, se tractaturum vt exploratores: ita illi silentio se dederunt in viam.* Nec tamen ad iam minacia responsa deterriti Romani, aut iussa fecerunt, aut etiam exercitum in aciem eduxerūt contenti vrbem diligentius communire, & hostem, si accederet propius, è propugnaculis arcere.

Romana constantia.

Tertia ad Marcium legatio sacra.

DVM hæc aguntur, & apparantur, nondum abiecta omni spe flectendi Marcium, si maior, & honoratior legatio mitteretur, decretum est vt pontifices, augures, & quicunq; honorem, munusue sacrum publico sumptu gererent, quorum erat ingens numerus, sacro induti amictu, præferentes deorum insignia, vno agmine castra hostium peterent, eadem quæ legati proximi petituri; qui nihilo magis flexere animum Marcij, sed eis suasit, vt irent & imperata facerent, alias bellum ad vrbis mœnia expectarent, edixitque ne posthac ad se verba fierent.

Irrita.

Quarta matronarum, & in primis matris & vxoris.

Romani desperata pace, omni ope se ad obsidionem sustinendam parabant, cum Matronæ ad delubra deorū, omnis decori immemores, procurrebant, & maxime ad Iouis Capitolini, vbi Valeria Publicolæ qui vrbem liberauerat soror, & genere illustris, & annis grauis, & alioqui prudens fœmina consilium diuinitus suscepit legationis Matronarum, omnibus rebus instructarum, quæ animum ferreum, non solum inflectere, sed frangere etiam possent.

XV. *Eadē promotor per Valeriam.*

ITAQVE reliquis matronis, quæ tunc frequentes aderant, huius legationis autor fuit. Censuit autem eam maxime à Veturia, ipsius Marcij matre, ac Volumnia eiusdem vxore suscipiendam, (Plutarchus matrem Volumniam, vxorem Vergiliam vocat,) magna nobilissimarum matronarum parte illas comitante, persuasa ad earum lamenta, & preces hominem misericordia motum iri; nec tam ferreo esse, ac impenetrabili pectore, vt matrem ad genua sua volutari sustineat. Id consilium vt omnibus placuit, simul etiam adierunt domum Veturiæ; apud quam etiam Volumnia eius nurus, cum filijs habitabat.

lis conuiuium exponunt, rogantque vt legationem ad filium & coniugem suscipiant, patriæ impendentes calamitates miseratæ.

XVI. *Et primum renuisse.* At Veturia, in qua maxime hæc spes vertebatur, accurate contendit ostendere exilem eam spem atque infirmam esse, Marcium ex quo triste illud iudicium de eo fecit populus, totam familiam cum patria exosam habere, quæ se, nunquam abiens siccis, immotisque oculis repulerit, omnem earum opem, subsidiumque neglexerit, & quartum iam annum, inquit, familiam totam alienam duxerit, nihil scripserit, nihil mandarit, nec quid rerum ageremus scire curauerit. Apud tam durum, & impenetrabilem animum, quid efficient preces nostræ, quas nec amplexu dignatus est, nec osculo, nec vlla alia comitate digrediens extremum ex ædibus? Postremo contendit, nec iuste, nec pie peti posse à Marcio, quod matronæ peti desiderabant. Num rogabo, inquit, vt parcat suis ciuibus, à quibus patria pulsus est innocens? vt misereatur populi, qui nec miseratus est ipsius, nec condoluit? vt deserat, & prodat eos, qui licet ante multis ab eo, grauibusque affecti cladibus, tamen receperunt exulem, & tractarunt non maligne, vt hostem, sed benignè, vt amicum & cognatū? Quo animo rogabo filium, vt exinij sui autores amet, & iniuriam faciat seruatoribus suis? Sinite itaq;, inquit, iacere miseras, sicut afflictæ sumus à fortuna, nec dedecus insuper addite.

XVII. *Et vt precib. denique persuadetur.* Finita oratione cortus est tantus mulierum ploratus, tantus ædes persunuerunt eiulatibus, vt longe per vrbem exaudiretur clamor, & turbis vici proximi opplerentur. Tum Valeria rursus alias prolixas, & affectu plenas ingeminauit preces, cæteræque matronæ, vt quæque erat alterutri amicitia, coniunctioneve coniunctissima, ad ipsius genua prouoluentes sese. Tandem Veturia obnixis earum precibus, ac lamentis victa, legationem suscepit pro patria, pollicita se ituram cum vxore Marcij, liberisque, & cæteris quotquot cumitari vellent coniugibus ciuium.

Et a Senatu probatur. Hæc legatio diu in Senatu vtrimque iactata, tandem permissa est, magna cum laude tum Senatus prudentiæ, qui optime in futurum prospexisset, nihil deterritus periculi magnitudine, tum pietatis Marcij, de quo hoste fuisset opinio, nihil patraturum impium in imbellem ciuitatis partem, quæ se illius potestati permitteret, qui vitam nullo vnquam impio, & iniusto facinore, ad huius vsque temporis calamitatem polluisset.

XVIII. *Suscipitur a ... cum vxore ... ...* Sva luce m igitur Matronæ plurimæ puerulos secum habentes, cum facibus ad ædes Veturiæ accesserunt, eaque cum nuru, & nepotibus assumpta, processerunt ad portam, & in parata vehicula conscenderunt, multis eas ciuibus omnium ordinum comitantibus. Cum autem eo processissent, vnde è castris prospici possent, Marcius mittit aliquos equites qui cognoscant, quænam ex vrbe egressa sit turba, & ad quid veniat. Recognita mulierum audaciam, quæ tam periculosum facinus aggressæ essent, admiratus est. Deinde cum prope essent, occurrere Matri extra castra cum paucis decreuit, iussis lictoribus Imperatorias secures deponere, & fasces, vbi prope matrem veniretur, summittere; sic enim Romanis mos est quoties minores magistratus maioribus obuii fiunt. Tanta ei pietatis in matrem, & reuerentiæ cura fuit.

XIX. *Quomodo à Marcio accepta.* Vbi vero conuenere, prior mater accessit ad salutandum, sordidata in morem lugentium, oculis lachrymatione tabidis, admodum miserabilis. Qua visa Marcius immotus hactenus ac rigidus, & velut obfirmatus ad eluctandas quascunque molestias, non potuit tamen in proposito persistere, sed abreptus humanis affectibus amplexus est eam, salutauit, blande compellauit, ac fleuit, & labantem, mœroreque exanimatam sustentauit, ac refouit: tum vxore, ac filiis salutatis, ac complexu dignatis, ad *... ...* matrem conuersa iussit dicere quę vellet. At illa publicum postulauit auditorium, non inuito Marcio, qui se honestius putaret responsurum coram multitudine, nec defuturas sibi rationes, quibus matris precibus responderet. Ergo ad Imperatorium tribunal progressus, primum iussit lictores inde Sellam in pauimentum transferre, indignum ratus è sublimiore loco, & pro potestate cum matre agere. Salomonis etiam in matrem pietate superata, qui ei thronum iuxta se posuerat.

XX. *Orat Veturia.* Hic Veturia post multas lacrymas, causam, aut occasionem potius aduentus exponit, preces reliquarum matronarum, quas omnes Marcio conciliat, dum earum erga ipsas officia, humanitatem, ac beneuolentiam commemorat; quarum victæ precibus ausæ essent ad ipsum venire, ac deprecari pro patria. Hic Marcius orationem eius interrumpens. Rem, inquit, impossibilem petis mater, vt illis qui me expulerunt, meque meis omnibus exuerunt, prodam hos qui me exceperunt, bonisque inter homines maximis affecerunt; aliisque deinceps id genus pertexuit, inculcans quæ à Romanis pro Volscis postularet. Addens etiam vt relicta iniusta petitione, & hominibus, inquit, *Nec impetrat.* vtrique nostrum inimicis, mecum mane, vt æquum est, & eandem mecum patriam incole, meisque bonis, & honoribus mecum fruere: quod si fuero consecutus, nihil mihi ad summam felicitatem defuturum est. Eadem vxori non dixit, aut filiis, satis intelligens, eos Veturiam, sine vlla dubitatione secuturos.

XXI. *Iterata vero dum orans* Eam orationem cum multiplex Volscorum acclamatio secuta esset. Tum Veturia resumpta oratione aperte demonstrat, qui salua fide præsentibus malis possit occurrere. Volscos ad æquas pacis conditiones adducendo, pactis prius in annum vnum induciis; quas si illi feroces facti victoria nolint admittere, palam imperium deponendo: ne vel proditor eorum fiat, qui eius nituntur fide, vel hostis eorum, quibuscum summa necessitudine coniunctus sit. Nec formidandum ne apud benemeritos ingratus audiat, qui acceptum ab eis beneficium infinito meritorum numero cumularit, quorum Rempublicam ad florentissimum statum eduxerit. Tum transit ad dicendum de iniusto odio, quo patriam persequatur, vbi sapienter inimicorum vocabulum in dulce patriæ nomen commutat, quæ ex morbo miserationem, non odium mereatur, quamuis tunc iniuriam verbis factisque irroget. Venia ergo digna est, quæ morbo laborabat, quando iniqua de eo tulit suffragia, cui aliquid exemplo proborum hominum, & nominatim Tarquinij Collatini, in non dissimili causa, iniuriaque indulgendum sit: maxime cum ea non omnium, sed paucorum culpa fuerit, qui populi partem contra ipsum dementarant.

XXII. *Alia persuadendi ratione ... iam vtitur.* Præsertim etiam cum ab ea, si quid nocuit, satis hactenus pœnarum exegerit, qui agros fertilissimos vastarit, socias vrbes euerterit, & tertium iam annum intra mœnia cohibitos afflixerit: & quasi hæc modica vindicta sit, ad Vrbem ipsam euertendam, aut ad seruitutem redigendam furibundus accedat: & cos ipsos qui læsi sunt, & nihilominus humiles pacem quærunt, superbis & imperiosis responsis à se reijciat, viros sacros, profanosque contemnat: quem è contrario æquum sit diuinam placabilitatem æmulari, & patriæ pœnitenti iam, & in gratiam redire volenti, reconciliari. *Et ... ...* Inde firmissimam ac valentissimam adhibet machinam ad expugnandum hominem, ius videlicet maternum in ipsum, quo iure eo diligentius, ac prolixius in ipsum vtitur, quo magis agnouerat à principio, eum facilius ex hac parte expugnari posse.

Quid ergo filius matri debeat, quanisque eum sibi beneficiis obligarit, diligenter enumerat, quibus omnium mortaliū merita præponderare, aut parari non possint.

XXIII. *Quid ... ...* Qva *freta*, inquit, *Marci fili, ego te oro ne bellum inferas patria, & obsisto tua violentia. Aut igitur me priorem resistentem tibi matrem, tua manu furibundus interfice, & tunc bellum infer patria; aut matricidium exhorrescens, cede, & vltro fili dona hanc gratiam matri tuæ.* Addit etiam deplorabilem præsentis vitæ statum, & vtilitatem, quæ ex hac gratia in vtrumq; tam in hac, quā in futura vita redundatura sit. Infelix Veturia! quam libenter in subsidiū causæ tuę vsurpasses ęterna pręmia, quæ eos manent, qui iniurias suas Deo cōdonant: Dei ipsius exemplum, qui sese quotidie inimicis suis tam placabilem, atq; exorabilem præbet: denique ipsius filij Dei, qui pro sibi reconciliandis hostibus ... crucis suppliciū dire nō dubitarit. Sed hęc abscondita ... ab oculis tuis.

& nouiſ-

& nonnullis retentuata temporibus, in maiorem hominum implacabilium condemnationem.

XXIV. *Formidolo terrore magis inflectit.* INGERIT postremo Veturia terrorem filio longe violentissimum, audiamus eum. *Quod si repuleris,* inquit, *matrem tuam, & inhonoratam dimiseris, quid tibi propterea mali venturum sit, non possum dicere, auguror tamen certe nihil euenturum prosperi. Illud sat scio, etiamsi catera omnia tibi feliciter succedant, certe vindex dolor, qui meo, mearumque calamitatum nomine te comitabitur, nec animum tuum vnquam relinquet, non sinet te vllius boni fructum in hac vita percipere. Nam Veturia si coram tot testibus contumeliosam patiatur repulsam, non sustinebit, vel minimum temporis spatium superuiuere, sed in conspectu omnium vestrum meipsam interfectam, dirasque, & furias tibi per me vindices, atque vltrices relinquam.* Hæc elocuta humi se abiecit, & ambabus manibus Martij pedes amplexa, deosculabatur, simul vim intolerabilem marcio pectori afferens: *Ad eius se pedes abijcit.* accessit quasi ex composito, ingens & longus vniuersarum matronarum eiulatus. Volsci vero qui assidebant, nouitatem eius spectaculi non ferentes, auerterunt oculos. Ipse Marcius prosiliens è sella, correptam matrem semianimem erexit, eamque complexus post multas lachrymas exclamauit. *Vicisti mater, quod nec tibi bene vertet, nec mihi. Nam patriam quidem seruasti, pium vero, & indulgentem filium perdidisti.* *Vincitur Marcius.*

XXV. *Et consultat cum suis de dirimendo negotio.* HÆC effatus iuit in tentorium, ductis matre, vxore, liberis, vbi reliquam diei partem cum eis consultauit, quid facto opus foret. Tandem in ea consensum est, quæ sæpius fuerant postulata; vt reductis, non secus quam per amicorum terras, copiis, à Volscis petat, vt cum Romanis de pace agatur, quæ ex æquo & bono fiat, quod illi si negligant, imperio deposito fidem suam liberet. Etsi terrebat eos illa suspicio, quæ vtique vana non fuit, ne Volscorum vulgus frustratum spe sua, in effrenem iram rueret, & ipsum, antequam causam diceret, suis manibus vt proditorem interimeret. Visum est tamen, inquit Dionysius, & id, & si quod esset grauius periculum, virtute ac fide incolumi subire. O virum magnanimum, & si non præstantiore patria, certe meliore fide dignum, pro qua si idem discrimen capitis pari constantia adiisset, vtique beatissimus erat futurus.

XXVI. *Mulieres honore, ac præmio afficiuntur.* SVB vesperam mulieres in vrbem reuertuntur. Marcius pro concione causa reddita, cur à bello desisteret, & obnixe rogatis militibus, vt sibi ignoscerent, ac domũ reuerti, beneficiorum memores, sibi contra vim aliorum adessent, iussit eos parare se in protectionem, castris nocte proxima excessuros. Romani mulieres reuertentes maxima gratulatione recipiunt, eisque publicè honores decernunt, laudationem, & præmium quod liberet postulare. Petierunt autem vt liceret sibi templum Fortunæ muliebri ædificare, in quo sumptu publico sacrum anniuersarium celebraretur, cui præesset matrona, quam ipsæ elegissent. Quibus à Senatu decretis, prima creata est sacerdos Valeria, à qua totum consilium de legatione muliebri profectum fuerat; qua præeunte primum sacrificium mulieres pro populo peregerunt, super ara in fano facta, anni sequentis mense Decembri, eiusdem mensis Calendis, quo die bellum solutum est. Anno deinde post primum sacrificium altero, ædes publicis impensis ædificata, & absoluta, ac dedicata est, pridie non. Quintil. altero consulum Virginio Proculo dedicante.

XXVII. *... ...* MARCIVS autem sub diluculum motis castris, copias velut per socialem agrum abduxit, & postquam Volscorum fines intrauit, totam prædam, quæ ipsi contigerat, largitus militibus, domum rediit. Et illi quidem ditati opibus, quietem à bello libenter accipiebant, & duci fauebant, tum etiam ignoscebant, quod maternorum affectuum, & precum reuerentia, finem bello imposuisset. Attius *Odium Volscorum in eum.* autem, quæ domi remanserat, frustrata spe Romanorum spoliorum, vehementer contra eum exasperabatur; cui se ducem Attius Tullus præbuit, qui iamdudum inuidia perculsus decreuerat Marcium, si subiugata Roma victor reuerteretur, per insidias clam è medio tollere: sin frustratis conatibus, re infecta rediret, vt proditorem factioni suæ interficiendum obijcere, quod & factum est.

XXVIII. *A quibus, & interficitur.* COACTA enim non mediocri manu accusauit hominem è veris falsa coniectans, & ex futuris non futura colligens, iubebatque vt deposito imperio, rationem administrationis redderet. Cumque Marcius vim à Tullo veritus, differret imperium ad publicum Volscorum concilium deponere, vt ait Plutarchus, & ad dicendam causam in suggestum ascendisset, Tulli factio magno clamore obstrepuit, interficiendum dictitans, simulque circumsistens lapidibus interemit: cui narrationi consentit Plutarchus. Fabius tamen Pictor scriptor antiquissimus, apud Liuium affirmat eum in hoc exilio consenuisse, & hanc sæpe vocem exacta ætate vsurpasse. *Multo miserius seni exilium esse.* Qui sub eius auspiciis militarant, ornatum imperatorio cultu honorificentissime sepelierunt. Romani, publice priuatimque luxerunt, & eorum Matronæ vt in domesticorum & necessariorum luctu moris est, posito auro & purpura, cæteroque ornatu, atro amictu sunt vsæ per annum integrum, siue vt ait Plutarchus per menses decem. Hunc exitum habuit Marcius vir ætate sua bello maximus, vt & fusius disserit Dionysius, multis virtutibus, nonnullisque etiam vitiis insignis. Bellum certe illatum patriæ, & tot non solum personis, sed etiam populis illatæ clades, in vltionem exilij ob perturbatam Rempublicam decreti, violatumque magistratum, nemo iuste prudenterue probauerit; vt omittam illam in quærendo bello fraudem, & asperam in admittenda reconciliatione duriciem. *Eius funus, vitia, virtutesque.*

XXIX. *Volsci cito pœnas dederunt.* CÆTERVM Volsci non diu facinore in Marcium admisso lætati sunt. Nam cum vna cum Æquis agrum Romanum inuasissent, rati temporis opportunitate vtendum, hoste adhuc metu consternato, orto inter ipsos dissidio, vtri darent belli ducem, Volsci, an Æqui. Nam Æqui, vt scribit Liuius, Actium Tullum ducem habere nolebant: ergo inter se correptis armis concurrere, & plurimis vtrinque cæsis, nisi superueniens nox pugnam diremisset, sese mutua internecione deleuissent. Romani nihilominus, qui contra eos exercitum eduxerant, re cognita domum exercitum reduxerunt, siue contenti fortunæ beneficio, siue tyronibus suis diffidentes; qua de re in vrbe ignominiæ probro notati sunt. Prælio à Romanis victos Volscos ait Plutarchus, quo in prælio Tullus obierit: sed id ad proximè sequentem annum pertinet.

ANNVS MVNDI 3568. SEXTÆ ÆTAtis 52. Xerxis 1. Imperij Persarum 52. Ioacimi Pontificis 1. Olympiadis LXXIII. an. 3. Vrbis Conditæ 267. Coss. C. Aquilio, & T. Siccio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 485.

I. *Tempus mortis vltimorum Prophetarum.* BREVE chronicum Hebræorum tradit anno quinquagesimo secundo regni, siue imperij Persarum & Medorum, mortuos esse Aggæum, Zachariam & Malachiam, eoque tempore Prophetiam in Israële cessasse: quod habet etiam Abraham Dauidis filius, scriptor Cabbalæ apud Genebrardum. Sed is per summam historiæ exoticæ imperitiam, Darium Hystaspidem cum Dario Arsamida, quem magnus Alexander vicit, confundit; & quod consequens est hoc tempore accisum esse ait Persarum imperium, Græcorum vero inchoatum; centum & quinquaginta sex annorum parachronismo. De morte autem Prophetarum illorum consentit Hebræis Christophorus à Castro, *a* cum ait circa trigesimum sextum Darij Aggæum iuuenem, & Zachariam senem decessisse. At vereor, vt dici recte possit Aggæum iuuenem decessisse. Nam si 30. annorum fuit, cum Propheticum munus exercere cœpit, sub Darij Hystaspidæ annum secundum, nunc sexagesimum quintum agebat annum, quamuis iuuenis Babylone in Iudæam ab Epiphanio & Dorotheo rediisse dicatur. At Malachias ad regnum pertinet Artaxerxis. Quod autem sub quinquagesimum secundum annum imperij Persarum obiisse dicuntur, eodem modo id accipiendum est, quo modo

a Li. de Prophet. c. 8.

modo dicitur Noë cum quingentorum esset annorum genuisse Sem, Cham & Iaphet: non ante videlicet. Sic etiam Thare vixit 70. annis, & genuit Abram, & Nachor & Aran.

II. *Nominatim Aggæi.* QVOD attinet ad Aggæum, fuisse eum & Sacerdotem, & de tribu Leuitica colligit ex eo Sanctius, quod ab Epiphanio dicitur apud Sacerdotes cum gloria & honore fuisse sepultus Hierosolymis; & à Dorotheo cum honore sacerdotali. Eius mors in Romano Martyrologio 4. Nonas Iulij ponitur, qui est quartus eiusdem: in Menologio autem Græcorum decimo sexto Decembris. Scribunt quoque prædicti, Aggæum habuisse cum Zacharia commune sepulchrum.

Et Zacharia. ZACHARIÆ autem mortem Martyrologium Romanum cum reliquis Latinis in sextum Septembris refert, Menologium vero Græcorum in præcedentem diem. Fuisse etiam ipsum de tribu Leuitica, atque etiam sacerdotem author est Dorot. in Synopsi, vbi illum Hierosolymis sacerdotio functum scribit. Propheta ipse filium se Barachiæ appellat, & nepotem Addo. Ideoque cum ab Esdra *a* dicitur filius Addo, filij nomen pro nepote, vt alias sæpe, vsurpatum est. Sic Iehu rex Israëlis vno in loco *b* filius Namsi, alio *c* filius Iosaphat filij Namsi appellatur. Eius mortem plerique censuerunt à Christo Domino in Euangelio describi, qua de controuersia actum est à nobis anno Ioas 36. Eam recens Sanctius noster commentariis in Zachariam amplexus est. Primum quia Christus eo loco de Prophetis loquitur, *d* & quidem de ijs, qui Iudæis noti erant, qualis erat is, cuius extabat Prophetia, & erat in omnium manibus. Alij autem neque numerabantur in Prophetis, neque ita vocabantur. Secundo quod in Euangelio Prophetæ pater exprimitur Barachias, quod aliis ab hoc Propheta non conuenit: & oportuit nomen esse proprium viri vnius, non commune multis, ne Barachiæ nomen personam confunderet, non distingueret ab aliis, denique Ioiadæ filius in atrio, non inter templum & altare legitur interfectus. Ita fere doctissimus Sanctius. *e*

a 1. Esdræ 5. v. 1.
b 3. Reg 19. 16.
c 4. Reg. 9. 2. n. 17.
d Matth. 23. 35. & Luc. 11. 51.
e c. 1. n. 9. & seqq.

IV. *Non fuisse occisum inter templum & altare.* VERVM his satisfieri potest. Neque enim concedendum est Christum de Prophetis duntaxat loqui, *f* cum ipsemet de sapientibus quoque, & scribis, & omnino de iustis, & eorum sanguine impie effuso se agere profiteatur. Neque enim quidquam est causæ cur sanguis Prophetarum, & non etiam cæterorum iustorum requiratur ab vltore Deo. Nam & Abel Propheta non numeratur. Et Zacharias Ioiadæ filius Propheta à Iosepho appellatur. *g* Quin & Zachariam, inquit, pontificis Ioadi filium rex in ipso templo saxis iussit obrui, oblitus patris eius beneficiorum: tantum quia Propheta diuinitus constitutus, pro concione populum, & regem adhortatus ad iustitiam, graues pœnas illius pronunciauit, si moniti parere contemnerent. *Ac ne occisum quidem.* Deinde historici libri sacrorum bibliorum, non minus populo noti erant, quam Prophetici, qui obscuriores sunt, minusque populares, quod nunc quoq; in Christ. populo cernimus. Secundo autem argumento respondemus Zachariam istum non patris nomine, quod erat commune cum multis & passim appellatiue, sicut Azarias accipiebatur, sed genere mortis, de qua tunc agebatur, & loco distingui. Quod mortis genus nunquam aduersarij probabunt, huic Prophetiarum scriptori conuenire. Cum vice versa sanctus Epiphanius, & Dorotheus satis aperte significent, eum cum esset valde senex, naturæ necessitati cessisse. Illud autem sane quam frigidum, quod ille Ioiadæ filius in atrio dicatur *h* occisus, non inter templum & altare. Id enim totum spatium, in quo erat altare holocaustorum, & luteres, & mare æneum, fuisse atrium Leuitarum, & extra templum, siue domum sanctam, nemo recte dubitare potest. Fuit enim hoc atrium, quod Scriptura vocat interius, & ratio postulat, vt hæc extra templum essent, & sub dio, ne domus sancta perpetuo holocaustorum fumo, assiduisque ablutionibus contaminaretur. Sed de his iam satis, abeamus in Persidem.

f c. 23. v. 34. 31.
g l. 9. c. 8.
h 2. Paral. 24. 21.

V. *Initium regni Xerxis.* DEFVNCTO *Dario*, inquit Iosephus, *i* *successit Xerxes filius, sicut regni, ita & pietatis paternæ heres: nihil enim ex patris institutis circa diuinum cultum mutauit, & Iudæos summa beneuolentia prosecutus est.* Sic ipse. Ex quo colligitur Darium toto vitæ tempore sacrificiorum sumptus Hierosolymis, magna saltem ex parte suppeditasse, vt ex iis literis apparet, quas in gratiam Iudæorum à principio regni sui miserat in Iudæam. At quæ de Xerxe dicit, in filium eius quadrant, vt mox dicetur. *Et pontificatus Ioacimi.* De Pontifice sic pergit Iosephus. *Hoc regnante Pontifex erat Ioacimus Iehu filius; apud Babylonem vero degentium Iudæorum primarius sacerdos erat Esdras vir iustus &c.* pergit enarrare quæ 1. Esdræ 7. sub Artaxerxe contigerunt, in eo vehementer hallucinatus, quod eundem Xerxem cum Artaxerxe fecerit, patrem scilicet cum filio, toto regno Xerxis, quod viginti & vnius minimùm annorum fuit, per imprudentiam prætermisso. *Iosephus tribuit patri, quæ filio conueniunt.* Vnde etiam cogitur inferius anni 25. & 28. eius regni meminisse, quæ filio eius recte conuenire luce clarius est. Hunc Iosephi errorem notauit etiam Torniellus anno 122. sextæ Ætatis: quo vno ex errato, si quis eum in chronologia sacra sequi velit, quam turpiter falli necesse sit, nemo non videt.

i l. 11. c. 5.

VI. *Confirmatur Ioacimi pontificatus.* NIHILOMINVS Ioacimum sub Xerxe fuisse pontificem aperte suadet longinquitas prioris pontificatus, & quod filius eius Eliasib, sub huius Xerxis successore pontifex fuerit, vt ex 2. Esdræ *k* perspicuum est; ex quo etiam *l* libro constat Ioacim fuisse filium Iosue, patrem autem Eliasib. Genebrard. qui priori pontifici 28. annos tribuit in pontificatu, huic assignat 42. nemine demonstrato, quem sequeretur ducem, nec alium potuit, quam fictitium Annii Philonem. *Genebrard. confusa hic chronologia.* Sed omnia apud eum his temporibus perturbata sunt, & confusa, ex quo Darium Medum cum Dario Hystaspis confudit, & Cyri successorem non Cambysem posuit, sed Xerxem, siue Artaxerxem; & quidem si superis placet, primum Darij Medi filium: quæ cum Herodoto, Iustino, aliisque innumeris optimæ notæ historicis apertissime pugnant. Nos Ioacimo annos Regis Xerxis de more tribuemus, quando nec initium, nec finem, nec diuturnitatem pontificatus eius scire possumus, sed illud duntaxat, Ioacimum regnante Xerxe fuisse pontificem.

k c. 2. 1. & c. 3. 1.
l c. 12. 10.

VII. *Xerxis de bello consilia.* SCRIBIT Herodotus Xerxem nequaquam à principio animatum fuisse ad bellum Græciæ inferendum, sed Ægypto, quæ paulo ante ab imperio Persarum defecerat. Quod cum animaduerteret Mardonius consobrinus eius, suasit quidem vt Ægyptum primùm domaret, & in pristinam seruitutem redigeret, quoniam eo videbat Regem vehementius propendere. Postea omnino ei author erat, vt de Atheniensibus vindictam sumeret, in quo Regis dignitatem prætexens, suam ipse quærebat, vt postea dicemus. Cæterum idem Herodotus ait, secundo à morte Darij anno Xerxem in Ægyptum expeditionem suscepisse: agemus ergo de ea anno sequenti. Hoc autem anno regnum suum circumquaque recte stabilire conatus est, ne quid postea in eius absentia turbaretur.

VIII. *Bellum contra Hernicos & Volscos.* INTEREA Consules viri bellicosi, vt scribit Dionysius, de bello contra Hernicos, & Volscos gerendo ad Senatum retulerunt. Placuit patribus primum legatos mitti ad Hernicos, qui velut ab amicis, & fœderatis res iure repeterent. Nam bello Volsco iniurias ab eis acceperant, excursionibus, & latrociniis in finitimos agros factis. Interim vero dum responsum expectatur, Coss. quam maximum exercitum compararunt. Et quoniam Hernici nihil moderati, iustiue responderant, in eos exercitum duxit Aquilius: alteram copiarum partem in Volscos Siccius, quem Sicinium Liuius appellat: cum tertia Sp. Largius suburbana custodire à Coss. iussus est. Vrbem denique A. Sempronius Atratinus, cum iuuentute quæ nomina militiæ non dederat.

IX. *Qui agre vincuntur.* AQVILIVS Hernicos diu fortiter repugnantes ægrè superauit; ægrius etiam Volscos, & Tullum eorum ducem Siccius. Reperit enim eos ex Marcij disciplina probe exercitatos. Itaque ad multam diei horam vtrimque æquo marte certatum est, donec pene omnes tam in acie, quam in propugnatione castrorum confecti vulneribus, in quibus & Attius Tullus, non inulti ceciderunt: *Attius Tullus moritur.* quamuis Liuius dicat cum Volscis æquo marte discessum esse, improbante Sigonio, & Cuspiniano, qui Dion. sequuntur, & ex triumpho confirmant. Nã, vt ait idẽ Dionysius, his Romę

cogni-

cognitis, permissos à Coss. nuncios, ingens gaudium fuit, & Aquilio Ouatio, Siccio Triumphus maximo apparatu decretus est, quia maiore vrbem terrore liberasse videbatur, insolente Volscorum exercitu delero, & duce ipso cæso. Rem fuse, ac splendide apud eum leges.

X. Claret Epicharmus poeta.

In hunc annum refert Suidas Epicharmum poëtam. Ait enim docuisse Athenis sex annis ante bellum Persicum, eundemque vna cum Phormo Comœdiæ inuentorem extitisse, edidisse fabulas duas supra 50. aut, vt Lycon ait, 35. Quidam eum Syracusanum fuisse dicunt, vel ex vrbe Sicanorum Crasto. Quidam eum fuisse Coum tradunt, ex ijs qui cum Cadmo in Siciliam migrarunt; alij Samium. alij Siculum Megarensem, Siraculis certe fabulas edidit, cum se Athenis Euætes, Euxemides, & Mylus ostentarent. Hæc Suidas, ex quo Scriptor catalogi Olympionicarum, tacito, vt solet cæteris in omnibus eius nomine.

ANNVS MVNDI 3595. SEXTAE AETATIS 53. Xerxis 2. Imperij Persici 53. Ioacimi Pontif. 2. Olympiadis LXXIII. an. 4. Vrbis Conditæ 268. Proculo Virginio, & Sp. Cassio III. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 484.

I. Aegyptiaca expeditio.

DISSIDET à Dionysio Halicarnass. Diodorus Sicul. qui hos Coss. initio Olymp. quintæ & septuagesimæ ponit. Sed accurata Dionysij dilig. Liuio præsertim ei consentiente facit, vt Diodoro fidem potius derogemus. Hic porro annus Persis lætus, Ægyptijs funestus fuit, Romanis vero turbulentus. Nam Xerxes, autore Herodoto, altero à morte Darij anno primam expeditionem fecit aduersus Ægyptios, qui rebellauerant; quos subactos, & in arctiorem, quam sub Dario fuerant, seruitutem redactos, tradidit gubernandos Achæmeni, fratri suo Darij filio; quem præsidem Ægypti, interiecto deinde tempore, interemit Inarus quidam natione Pœnus. Nec plura de nobili, vt apparet, expeditione Herod. Euseb. in Chron. an. 2. Xerxis Ægyptum captam, vel receptam potius ponit, sed nihil amplius.

II. [illegible]

CONSTARE tamen potest ex ijs, quæ aliquanto inferius scribit Herodotus, intra quantum tempus Ægyptus in potestatem redacta sit. *Xerxes, inquit, ita copias suas contraxit, vt omnem continentis locum scrutaretur. Siquidem à debellata Aegypto, per totum quadriennium comparauit exercitum, atque eius apparatum quinto anno ineunte mouit, cum ingenti copiarum manu.* Cum ergo quintus ille annus sit primus Olymp. 75. vt dicemus, sequitur ex eius sententia, vt bellum Ægypti vno tantum anno Persas tenuerit. Quod autem Iustinus, & eum secutus Paul. Oros. a quinquennium illi apparatui tribuunt, in eo etiam expeditionem Ægyptiacam includunt. Et hæc videtur probabilior, quam Diodori Siculi l. 11. sententia, quæ triennium tantum huic apparatui assignat, nisi malis pro triennio legere quadriennium. Quæ temporis ordinatio recte congruet cum communi sententia de bello inito ab Xerxe contra Græciā initio Olympiadis 75. quæ duces habet Dionys. Halycarn. Diodorum Siculum, Eusebium, & vt apparet, etiam Herod. præter recentiores.

a L. 2. c. 9.

III. Impletur Prophetia contra Aegyptum.

CÆTERVM implebatur hoc tempore à Persis Prophetia illa Ezechielis contra Ægyptum. *Reducam captiuitatem Aegypti, in terram natiuitatis suæ, & erunt ibi in regnum humile. Inter cætera regna erit humillima, & non eleuabitur vltra super nationes, & imminuam eos ne imperent gentibus.* Cum ergo Ægyptus eleuari rursum vellet, excusso ante triennium iugo Persarum, iterum sub iugum missa est, donec Inarus rex Afrorum eos rursum ad defectionem à Persis induxit, Olympiadis septuagesimæ nonæ an. 2. an. Artaxerxis Longimani 2. qua de re cum Tucidide suo loco dicemus.

IV. Res Coss. in bello gesta.

RES autem Romana ab anni initio satis bene habuit. Nam Coss. cum vrbanis sociorum auxilijs, in bellum profecti, Virginius Æquos, qui forte ipsi obtigerant, deuastauit, quod oppidis munitis inclusi prodire nusquam auderent, & integras copias domum reduxit. Cassius autem in Volscos & Hernicos duxit: qui primùm vastitatem & ipsi patiebantur clausi mœnibus: sed mox rerum suarum diffisi, pacem à Consule certis conditionibus impetrarunt, quam etiam Senatus probauit. Reuersus Cassius triumphum petiit, & ægrè obtinuit, vt qui nec vllas vrbes expugnauerat, nec hostem acie fuderat, nec triumphi ornamentum captiuos vllos habebat, aut spolia, quę in pompā traduceret. Quare in opinionem superbiæ, & inuidiam incidit apud optimates: quos etiam offendit, quod pacis conditiones cum Hernicis pares Latinis fecisset, pro suo vnius arbitratu, non communicato cum patribus consilio, qui rem ei liberaliter commiserant.

Cassius ægre triumphum obtinet.

V. Viam ad tyrannidem munit largitione.

SED nimia eum felicitas ad superbiam euectum perdidit. Trium enim Consulatuum, duorumque triumphorum honore ciuibus ætatis suæ præeminens, elatius se gerebat, & principalis potestatis appetens, cum animaduertisset facillimam omnium, atque tutissimam viam ad tyrannidem esse, si quis plebis fauorem beneficiis acquisitum, publicatum opum dilargitione foueret, eam viam ingressus est.

Agri, ac pecuniæ largitione.

Itaque agrum quendam publicum, cuius pars quædam à diuitibus nullo iure occupabatur, statuit plebi diuidere: cuius etiam participes esse voluit Latinos, & Hernicos ciuitate donatos, vt eorum sibi conciliaret fauorem. Voluit quoque pecuniam, quæ collecta fuerat ex frumento, à Gelone Siciliæ tyranno dono misso, nuper diuendito, ex ærario emptoribus restitui. Cui Collega, & Appius Claudius, & Sempronius Atratinus, alijque vehementer restiterunt: quin ne Tribunos quidem plebis sibi propitios habuit, propter communicationem eiusdem agri cum Sabinis, & Hernicis.

VI. Creantur decemuiri.

DENIQVE scriptum est Senatusconsultum è consularibus creandos esse decemviros natu maximos, qui definito agro publico, pronunciarent, quantum eius locandum esset, & quantum diuidendum populo. Cæterum sociis ius ciuitatis adeptis, si quis posthac ager communi militia acquireretur, suam cuique populo portionem ex fœdere dandam esse. Electionem autem decemuirorum, & agrorum distributionem, & quidquid propterea curandum foret, curaturos esse Coss. futuros. Id Senatusconsultum ad populum relatum, & populares Cassij conciones cohibuit, & gliscentem seditionem inopum non siuit vlterius progredi. Hæc ex Dionysio; quibus non plane consentit Liuius, imo dissidet vehementer. Nam nihil de Hernicorum amicitia, & adepto ciuitatis iure dicit, imo victis duas agri partes ademptas tradit, quas Cassius voluerit Latinis æque ac plebi diuidi, & Siculi frumenti pecuniam reddi populo, vt communicatio agri in Socios ea via repensaretur. Nec sane videtur hoc loco Liuius minus probabilia dixisse, quam Dionysius. Quantula enim pars agri, qui Romæ publicus esset, si diuideretur in tres populos, singulis familiis obueniret? Sed & Sigonium video hac in re Liuio adhæsisse.

Dissidet Liuius à Dionysio.

Lex agraria prima.

Tum primum, inquit Liuius, lex agraria promulgata est; nunquam deinde vsque ad hanc memoriam, sine maximis rerum motibus agitata.

VII. Ortus Sophoclis poetæ.

REFERT in hunc annum Sophoclis poetę ortum Suidas. Natum enim ait Olympiade septuagesima tertia, annis ante Socratem septendecim, quem Laërtius, ex Apollodoro in Chronicis ait, anno quarto septuagesimæ & septimæ Olympiadis natum: præsens ergo annus decimus septimus est, numeratis extremis. Fuit hic patria Atheniensis, & Tragœdiam maxime celebrauit, ex quo & Sophoclus cothurnus decantatur. Nihilominus ob orationis suauitatem Apis cognomen accepit. Primus tragicas contentiones instituit, in quibus vicies & quater victoriam reportauit. Primus chorum ex 15. iuuenibus introduxit, cum antea duodecim tantum introd[u]cerentur, qua de re contentio illi fuit cum Thespide, & Chœrilo. Exhibuisse fertur fabulas 123. aut etiam plures, vt alijs placet. Nepotem habuit ex Aristone filio, eiusdem secum nominis & instituti, de quibus plura apud Suidam leges.

ANNVS

ANNVS MVNDI 3570. SEXTÆ ÆTAtis 54. Xerxis 3. Imperij Persici 54. Ioacimi Pont. 3. Olympiadis LXXIV. an. 1. Prætore Athenis Leostrato Vrb. cond. 269. Coss. Q. Fabio Vrbulano & Ser. Cornel. Maluginensi.

ANNVS ANTE CHRISTVM 483.

I. *Ratio temporis. Mardonius Xerxi est autor in Europam ...*

INITIVM Olympiadis 74. in quod cadit annus Sabbaticus 141. vicit in stadio, authore Dionysio, Astyllus Syracusanus, principe Athenis Leostrato, quando Xerxes redacta in potestatem Ægypto, suorum monitis incitatus, bellum olim in Athenienses destinatum, vniuersæ Græciæ, atque adeo Europæ statuit inferre. Mardonius enim Persa, vt scribit Diodotus Siculus l. 11. Sobrinus erat Xerxi & affinis, in summa apud Persas, ob prudentiam & fortitudinem, admiratione. Hic sublimitate animi, ac vigore impulsus ætatis, imperium in magnas copias appetebat. Xerxi propterea autor & suasor fuit, vt Græcos nomini Persico infestissimos debellare contenderet. Addit apud Herodotum in sua suasione Mardonius, Europam esse regionem admodum speciosam, omniaque genera felicium arborum ferentem, & summæ bonitatis, ac dignam, quæ à solo inter mortales rege possideatur. Sic ipse. Quem alij Magnum regem, plerique Regem regum, hic Mardonius solum totius mortales regem appellat.

II. *... belli ... Carthag...*

XERXES, vt ait idem Diodorus, in eam sententiam adductus ad Carthaginenses de re communiter gerenda legatos misit, atque ita cum illis conuenit, vt ipse Græciæ incolas inuaderet: Carthaginenses magnis eodem tempore copiis contractis, Græcos, qui Siciliam & Italiam tenebant, bello opprimerent. Carthaginenses ergo, prout conuenerat, magna pecuniarum vi collecta, stipendiarios ex Italia, & Liguria, Gallia etiam & Iberia conducunt. Ex omni præterea Libya, & Carthagine ipsa delectu habito, ciuiles copias conscribunt. Tandem triennium, aut quadriennium potius, iuxta ea, quæ supra dixi, in apparatu occupati, exercitum coëgere ad trecenta hominum millia, & naues ducentas, &c. Mox etiam idem triennium in apparatu Persarum positum scribit, Herodoto de integro quadriennio affirmante; qui in eo quoque à Diodoro diuersus est, quod societatis bellicæ cum Carthaginensibus nihil meminit.

III. *Scribit idem ... Aleuadæ & Thessaliæ Reges.*

VICE versa tradit incitamento fuisse ad hoc bellum Thessaliæ reges, qui aduersus Græciam omne obsequium Xerxi deferebant. Pisistratidæ quoque idem pollicebantur, & Onomacritum quendam sortilegum suggerebant, qui bellum etiam suadebat, perfidè sortes occultans, quæ cladem Xerxi prænunciabant. Habuit tamen dissuasorem Artabanum Hystaspis filium, Darij fratrem, ideoque & Xerxis patruum.

Dissuadet Artabanus.

Cum enim indicto principum Persarum Concilio mentem suam, non tantum de vlciscendis iniuriis ab Atheniensibus acceptis aperuisset, sed de vniuersa etiam Europa perdomanda, cunctis denique regionibus in vnam redigendis; eique assentans Mardonius assentiretur, nec alij dissentire auderent, Artabanus prudenter grauiterque dissuasit, ea præteritis futura coniectans, maturiusque Regi rem tantam ponderandam suadet, veritus ne Deus, qui magna & superba quæque deijcere solet, nec patitur quemquam alium quam seipsum magnifice de se sentire, Persis tam magna aggredientibus calamitatem afferat. Deinde Mardonium, qui Græcorum vires verbis inepte depresserat, mendacij, & vanitatis arguit. Postremo suadet, si rex omnino Græcis bellum inferre statuit, vt ipse permaneat domi: apud Persas autem, inquit, nostrum amborum liberi deponantur, tum in expeditionem ito, cum qualibus, & quantis copiis voles; & si ex sententia tua res succedent Regi, interimantur liberi mei, & insuper ego; sin succedent vt ego dico, interimantur tui, & insuper tu, si redieris.

HÆC, & his similia cum dixisset Artabanus, Rex eius orationem conuitio excepit, & minis; nolunt quippe reges, præsertim affectibus in transuersum acti, sibi contradici. Postera tamen die in eodem Persarum concilio veniam ab eo petiit agnita culpa, eiusque sententiam se velle sequi professus est. Somniis tamen terrificis in priorem sententiam retrahebatur, quæ cum etiam Artabano contigissent, vt plane diuinitus hæc expeditio imperata videretur, ipse quoque in regis sententiam transiit. Qui omnibus Persarum satrapis ac principibus mandauit, vt quam maximas, florentissimasque copias, secum quisque ad regem, tempore ipsis assignato deduceret; qui cæteros exornaret, maximis præmiis donatum iri. Nullum quidem tempus assignatum extat apud Herodotum, omnia tamen quadriennio præparata fuisse idem affirmat, id est, tota Olymp. 74. & quinto mox anno, qui est primus 75. omnes copiæ pedestres naualesque sese in viam dedere. Hic ergo primus est illius quadriennij annus. IV. *Rex Artabani orationem respuit ... Et iterum copias cogit.*

V. *Cassius ambitiosus accusatur.*

INTEREA Romæ patricij duo iuuenes nobilissimi Consulatum adepti sunt, initio 74 Olympiadis. Iis Coss. Quæsturam gesserunt Cæso Fabius, frater Consulis, & L. Valerius Publicolæ nepos, qui Sp. Cassium, superioris anni consulem, agrariæ legis autorem, apud populum ambitæ tyrannidis detulerunt, omniaque eius facta, dicta, consilia eo relata fuisse docuerunt. Eundemque, cum graui populi Romani iniuria, eius bona alienigenis conferre voluisse, à quibus arma, vires, pecunias ad id facinus Cassio in promptu esse idoneis testibus probauerunt. Itaque non suspicio concupitæ dominationis, vt scribit Valerius, *Condemnatur. l. 6. c. 3.* sed probatio plus Cassio nocuit, quam tres magnifici consulatus, & duo speciosissimi triumphi profuerunt. Testibus ergo credens populus, & nec mediatis illius orationibus motus; nec misericordia flexus, tametsi tribus liberis, multisque aliis cognatis, & amicis cum eo sordidatis reorum habitu deprecantibus; ac ne rerum quidem bello gestarum, & honorum ratione habita, hominem capite damnauit: veritus ne in exilium missus, vt imperatoriis artibus clarus, idem faceret quod nuper Marcius.

VI. *... morte afficitur.*

ITAQVE peracto iudicio, Quæstores ductum in forum in rupem imminentem, toto populo inspectante præcipitem dederunt. Hæc Dionys. & Liuius, qui etiam innuunt alios scriptores tradidisse, etiam tum latente affectatione tyrannidis, primum Cassij patrem suspicione motum, cum rem accuratissime perquisisset, Senatum adijsse, filiumque accersitum indicasse, & accusasse, & damnatum à Senatu quoque domum reduxisse, ibique necauisse. *Alia de eius morte opinio.* Cæterum siue domesticum, inquit Liuius, siue publicum iudicium fuit, damnatur Ser. Cornelio, & Q. Fabio Coss. Verùm priorem sententiam probabiliorem putat Dionys. quia post eius necem & ædes dirutæ sunt, & area illarum ædium huc vsque sub diuo relicta, extra Telluris ædem, quam populus postmodum in areæ illius parte struxit; & bona eius fisco addicta, ex eisque variis in locis dicata donaria. *Minus probabilis.* Quæ nequaquam contigissent, si priuatim pater punitor fuisset: quod apud Romanos filius nullæ sint possessiones propriæ viuis patribus, quibus tus omne sit in corpora, pecuniasque filiorum.

VII. *... filij bona ...*

NOLVIT porro Senatus Cassij filiis vllam omnino pœnam decernere mortis, exilij, infamiæ, sed tantum priuationis bonorum publicatorum.

Fabius rem bene gerit contra Veientes & Volscos.

Extincto Cassio cum nulla vltra agrorum fieret mentio, quin potius plebs ab optimatibus despiceretur, cam iudicij sui pœnitere cœpit, & tumultuari, ac militiam detrectare. Metus tamen ne Appius Claudius Dictator crearetur, persuasit nomina militiæ dare. Fabius Veientes inuasit, abegit prædas, moxque intercedentibus legatis, captiuos pretio dimisit, inducias in annum pepigit, pecuniam in publicum redegit. Fabius quoque re bene gesta contra Volscos, tota præda, spoliisque, & captiuis per quæstores venditis, pecuniam in vrbem deferri iussit.

***

ANNVS

ANNVS MVNDI 3575. SEXTAE AETAtis 55. Xerxis 4. Imperij Persarum 55. Ioacimi Pont. 4. Olympiadis LXXIV. an. 2. Prætore Athenis Nicodemo. Vrbis cond. 270. L. Æmilio, & Cæsone Fabio Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 482.

I. *Xerxis de-fa...* XERXIS annus quartus, imo quintus quoque, ac sextus Asiam vniuersam, & quidquid regnorum, ac prouinciarum Persarum imperium in Ægypto, atque Europa possidebat, bellico apparatu militum, nauium, commeatuum, sumptuum, omnisque generis machinarum fatigabat. Carthaginenses quoque, vt ea Diodoro dicimus, eadem in Africa moliebantur. Cum Romæ Patres, qui Plebem damnationis Cassij pœnitentem videbant, prouiderunt ne rursus crearetur magistratus, qui Plebis fauorem ambiens nouas in Rep. turbas excitaret. Itaque L. Æmilium Mamercum, & Cœsonem Fabium, Q. Fabij Consulis fratrem, qui vnus fuerat ex Cassij accusatoribus, vtrunque Plebis minime studiosum, Consulatum ambire iusserunt. Quem etiam inuita plebe, atque adeo relictis comitijs è campo Martio discedente, obtinuerunt. Nam in comitiis centuriatis nil quidquam poterat Plebs, vt alio loco diximus. Iratam fuisse plebem tradit Liuius Patribus, propter priorum Coss. Fabij præsertim, parcitatem, qui deuictis hostibus militem præda fraudauerant: vnde seditionem domesticam natam scribit, sed ea iam tenuis fuit, vt Dionys. dicat nulla ciuili seditione turbante Rempub. externis bellis populum occupatum fuisse; patribus non grauate ferentibus.

II. *Populus ... tumultuatur.* ITA *certe*, inquit, *in omnibus locis tam Græcarum, quam barbararum gentium vsu venit, vt cessantibus externis periculis, intestinæ domi seditiones oriantur; in populis præsertim bellica, ærumnosaque vita assuetis, partim libertatis, partim imperij desiderio: agre namque continere se possunt ingenia cupiditatibus assueta. Et ideo prudentes Resp. præsides, semper alunt aliqua externorum bellorum seminaria, satius ducentes foris confligari, quam domi.* Sic ipse. Quæ solet esse quorundam sententia, vtilitatem status, æquitati & iustitiæ præferentium. Bellum tamen certe, si eo vocabulo eius quoque causas, euentaque comprehendamus, & rem ea recta ratione velimus æstimare, per se optabile non est, nec sine culpa desiderari potest, cum sine culpa alterutrius partis esse non possit: & Apostolo teste, non sint facienda mala, vt eueniant bona. Multo ergo minus suscitari, aut foueri possunt: præsertim subsidium ferendum parti, penes quam perspicua, & aperta sit iniustitia. Ex accidente tamen, & alterius partis posita iniustitia, desiderabile est, vel per vim, ius reddi læsæ parti, quando aliter ius suum obtinere non potest. Optabile quoque est Reip. bonum, quod inde oritur, vt scilicet male tumultuatori ciues inter sese, cum hostibus iuste confligant; eademque opera Respub. domi quieta tranquillitate perfruatur. *Rom. 3. 8.*

III. *Volscorum ... defectio.* FELICITER igitur, vt inquit Dionys. tunc accidit Volscorum defectio: qui siue domestico Romanorum motu freti, siue superioris cladis ignominia excitati, siue copiarum suarum numero elati, bellum contra Romanos redintegrarunt; sed rursum victi, priorem ignominiam posteriore cumularunt, si Liuio credimus. At Dionys. Æmilium contra Volscos infœliciter pugnasse scribit, remq; ad triarios fuisse redactam; adeo vt Consulem cum exercitu, aut vi aut deditione in potestatem redacturi essent, nisi Fabius audito collegæ infortunio, electissimas & validissimas cohortes subsidio summisisset. Denique instante comitiorum tempore Æmilium mansisse apud exercitum, pudore cladis ignominiosæ, qua validissimam militum partem amiserat. Alterum autem consulem ad habenda Consularia comitia Romam venisse. *Cum Liuio ... Romanorum.*

IV. *Aristides ... pul...* HVIVS Olympiadis anno secundo Aristides ostracismo ab Atheniensibus in exilium pulsus est. Ratio temporis constat ex Plutarcho in eius vita. Cum ait tertio post anno, quàm exulare iussus est, cum Xerxes per Thessaliam, & Bœotiam in Atticam duceret, (is fuit primus annus expeditionis eius, primusq; Olympiadis septuagesimæ quintæ, vt mox dicetur) Athenienses abrogata lege, omnibus exulibus reditum decreuerunt; maxime Aristidis metu, ne is se cum hoste coniungeret, multisque ciuium ad Barbarum deficiendi author existeret. Potest hæc electio in annum sequentem differri, cum Plutarchus dicat eam tertio anno, non post annum tertium contigisse: nisi forte quis docere possit eum Nicodemo Prætore patria fuisse pulsum, qui Leostrato in magistratu successit. *...eiectus ... Iusti.*

V. *Et quæ de causa.* EXILIJ causam Plutarchus in inuidiam mistam metu refert. Cognomentum inquit Iusti, primum amorem Aristidi, postea inuidiam excitauit; præsertim Themistocle in vulgus spargente, Aristidem dum omnia ipse iudicat, (plurimi enim controuersias suas eius arbitrio permittebant, eique quamuis pauperi, propter vitæ integritatem iniurato fidem habebant) sublatis tribunalibus, regnum sibi multo stipatum satellitio parauisse. Et iam populus victoriæ Marathonicæ causa superbiens, sibique maxima quæque arrogans, ijs erat infensus, qui gloria supra multitudinem eminerent. Itaque in vrbem vndequaque confluentes, ostracismo Aristidem in exilium pellunt, gloriæ inuidiam nomine metus tyrannidis prætexentes.

VI. *Quod ostracismus, & quo eius modus.* ERAT autem Ostracismus, vt idem ait, non improbitatis pœna, sed nimiæ potentiæ imminutio, atque inuidiæ lenimentum, quæ odium suum decennali hominis absentia exsatoraret: fiebatque in hunc modum. Quisque eius ciuis nomen, quem vrbe pelli volebat, testæ inscribebat. Eæ testæ in quendam in foro locum, septum vndique tabulis, comportabantur, quorum numerum magistratus inibat. Nam nisi essent sex millia testarum, ostracismus perfectus non erat. Deinde nominibus singulorum seorsim positis, is qui plurimis testarum suffragijs damnaretur, decennio vrbe interdicebatur, si tamen vt suis ei reditibus frui liceret. Tunc ferunt quendam plane rusticum, & literarum ignarum, ipsimet Aristidi ignoto testam obtulisse, rogasseque vt Aristidis nomen inscriberet. Miranti, & sciscitanti ecquam passus esset ab Aristide iniuriam, & num ei notus esset Aristides, vtrumque negasse, tantum se molestia affici dixisse, eum Iusti nomen vbique audiretur. Aristidem eo audito nihil respondisse, sed testam suo nomine inscripto ei reddidisse. Sed illud egregium, quod vrbe discedens precatus est, contra videlicet quam Achilles, ne Atheniensibus ea tempora vnquam contingerent, quibus populus Aristidis meminisse cogeretur. *Aristides ... precatur.*

VII. *... contemptor.* SCRIBIT Suidas eum patria eiectum in Ægina vitam egisse, vbi cum cibario pane pro sua paupertate vesceretur, Xerxes per legatos suos tria millia Daricorum ei obtulit; quos ille reiecit, negauitque se, dum ea vitæ ratione contentus esset, Persicas diuitias curare. Erat Daricus nummus Persicus Darij imaginem præferens, cuius valorem idem Suidas æstimat statere aureo, siue auri semuncia, id est, quatuor fere gallicis coronatis, nam octo respondent vnciæ, & centum, seu verius 96. libræ duodecim vnciarum. Illud quoque eiusdem faciout contemptum diuitiarum prodit, quod cum Calliam reum sibi donari petijsset, atq; impetrasset, & Callias ei vicissim non exiguam auri summam misisset, eo repudiato, *Calliæ*, inquit, *vita Aristidis paupertate indiget, sed paupertas Aristidis Calliæ opes contemnit.* Sic ille. *Daricum.*

VIII. *Amator voluntariæ paupertatis.* PAVLO aliter Plutarchus in Aristide. Ait enim Calliam, cum grauiter in iudicio vrgeretur, quod ipse ditissimus cum esset, Aristidem consobrinum cum vxore & liberis in magna rerum necessariarum inopia deseret, rogasse Aristidem vt apud Iudices profiteretur, multa sæpe numero à se oblata, ab ipso autem repudiata, quod diceret sibi potius ob paupertatem, quam Calliæ ob diuitias animum tollendum. Nam multos esse, qui diuitijs male, aut bene vterentur, qui paupertatem fortiter ferret non facile inueniri; eam vero ab ijs dedecus putari, qui inuiti pauperes fiunt. Hæc ibi. Vides religiose lector, quantus sit splendor voluntariæ paupertatis, quæ cæcos etiam ethnicorum oculos perstringat, adeo vt subdat Plutarchus, ita ab illo iudicio discessum esse, nemo vt esset, qui non mallet sibi Aristidis paupertatem, quã Calliæ diuitias contingere.

SOLVTÆ CAPTIVITATIS AN. 56.

IX. *Insignes alii qui in eo tempore vixere.* *Phrynichus.*

EVSEBIVS in hunc ipsum annum secundum Olympiadis 74. *Chœrilus*, inquit, *& Phrynichus illustres habentur*, Et anno mox sequenti. *Diagoras agnoscitur, & sectatores eius Physici philosophi.* Sic ipse, quem secutus est S. Cyrillus l. 1. contra Iulianum. Sed vtrique repugnat Suidas. *Phrynicus*, inquit, *Atheniensis Tragicus, Thespidis primi Tragœdiæ inuentoris discipulus, vixit sexagesima septima Olympiade. Hic primus muliebrem personam introduxit in scenam, & inuentor tetrametri fuit; filium habuit Tragicum Polyphradmonem &c.* Subdit de alio Phrynicho Atheniensi poëta comico, qui comœdias edidit Olympiade 86. Prioris meminit Plutarchus in Themistocle, cuius sumptibus ait Phrynichum populo tragœdiam dedisse. Est hic quoque annus Herodoto natalis, si Pamphilæ apud Gellium credimus. Cum enim initio belli Peloponnesiaci fuerit annos natus 53. id autem bellum inciderit in annum 2. Olympiadis 87. necesse est hoc anno natum esse Herodotum. Quod si verum est, consentaneum est Chœrilum non 74. Olympiade, vt habet Eusebius, aut 75. vt vult Suidas, sed serius aliquanto floruisse. Ait enim eum adolescentem, Samij cuiusdam seruum fuisse, præstanti forma præditum; Samoque profugum Herodoto historico assedisse, eloquentiam adamasse, eique etiam in deliciis fuisse. Herodoto ergo, quem hoc anno natū vidimus, iunior fuit, & Persicis temporibus aliquanto posterior. Etsi Suidæ ac Scaligero aliter visum, propter epicum, vt apparet, carmen de clade Persica.

Herodotus. L.1. c.28.

Chœrilus.

X. *Testa epicum examen.*

ETSI autem eloquentiam Herodoti adamauit, poëticam tamen amplexus est, in qua & vehementer excelluit. Adeo vt Archelaus Macedonum rex (cuius initia Eusebius refert ad Olympiadem 87. apud quem Chœrilus vixit, ac mortuus est,) eius epopeiæ, quam ille de Atheniensium victoria contra Xerxem edidit, singulos versus aureo statere donauerit, factoq; decreto statuerit, vt eum versibus Homeri recitarentur. Quæ cum Suidas testetur, merito Horatij de eo iudicium suspectum habetur, dum ridiculum eius poëma appellat, incultos versus, & male natos. Quo etiam nomine idem Horatius à Scaligero non indebitis, opinor, vapulauit plagis.

12. Ep. ad Aug. in Euseb. n. 1114.

Alius Chœrilus.

Chœrilum alterum memorat Suidas Atheniensem tragicum poëtam, qui sexagesima quarta Olympiade in certamen descendit, & fabulas edidit centum & 50. vicit tredecim: qui etiam à quibusdam putatur larvas & scenam inchoasse. Meminit huius Chœrili Pausanias l. 1. & fabulæ ipsius, cui Alope nomen dedit. Mirum est autem Diagoram Melium ab Eusebio huc referri, cum Diodorus Siculus eum ab Atheniensibus impietatis causa proscriptum referat, anno secundo Olympiadis nonagesimæ primæ, id est, annis ab hinc 69. erecta columna ærea, in qua promittebatur talentum interfectori eius, duo vero illi, qui viuum adduxisset; quod Suidas quoque refert.

12. Ol. 41. 2. An & Diagoras.

ANNVS MVNDI 3572. SEXTÆ ÆTATIS 56. Xerxis 5. Imperij Persarum 56. Ioacimi Pont. 5. Olympiadis LXXIV. an. 3. Vrbis cond. 271. Coss. M. Fabio, & L. Valerio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 481.

I. *Iudith... ad hoc tempus non pertinere. 4 c. 4.*

SVB hæc tempora putat Torniellus historiam Iudithæ contigisse; quam opinionem supra tempore Manassis refutauimus. Nunc occurrit illa ratio ex verbis illis. *a* *Tremor inuasit Iudæos, ne Holofernes hoc faceret Ierusalem, & templo Domini, quod fecerat cæteris ciuitatibus, & templis earum.* Ex quibus verbis patet tempore Iudithæ non solum templum, sed ciuitatem quoque stetisse, quæ hoc Xerxis tempore sine muris, & magna ex parte deserta erat, vsque ad 20. annum Artaxerxis, id est, annos ab hinc 37. Quin nec Samariam hoc tempore tenebant Iudæi, sed eorum hostes infensissimi, qui ædificationi templi, & vrbis quantum poterant restiterunt. Hoc potius tempore contigit, quod l. 9. Polybij legimus, à Lacedæmoniis, ad quos cum Xerxes legatum misisset, qui Regis sui nomine terram & aquam posceret, illum in puteum præcipitem dederunt, & terra insuper iniecta iusserunt, Xerxi vt referret conse cutum se quæ postularat: iure gentium & naturæ contra legatum insontem turpiter crudeliterque violato.

APPARATVS AD XERXIS EXPEDITIONEM.

II. *Græci bellum parant.*

CVM ergo tota Asia bellico iamdudum apparatu, Xerxe imperante ferueret, non fuerunt tam improuidi Græci, Athenienses præsertim, in quorum maximè perniciem ista omnia à principio parabantur, vt se illi vicissim ad resistendum publice ac priuatim non compararent. Cum enim ea sit consuetudo, & quasi lex eorum, qui recte Respub. administrant, vt vicinis populis arma parantibus, ipsi quoque in omnem euentum arma parent, & suis rebus solito studiosius inuigilent, quamuis non ignorent bellicum impetum alio destinari; quis dubitet eadem facta à Græcis, & maxime Atheniensibus? Qui sciebant ingentem vindictæ appetitum in corde Persarum viuere, non solum à tempore pugnæ Marathoniæ, sed à Sardium etiam expugnatione: eundemque à Græcorum exulibus Demarato Lacedæmonio, & Hippia Atheniensi, perpetuo suscitari.

III. *Hippias moritur.*

SI tamen Hippias hic Pisistrati filius, Atheniensium dudum tyrannus viuebat adhuc. Nam valde senex erat, cum Persas ad pugnam Marathoniam duceret, vt cui tussis tunc dentem vnum excussit, vtique iam præ senectute vacillantem, vt notat Herodotus, & Suidas, præsertim cum Iustinus dicat illum in pugna Marathonia, cecidisse. Sed libentius Suidam audio. *Victis*, inquit, *Barbaris rerum fugiens in Lemnum peruenit, atque in morbum incidit, visu amisso, sanguine per oculos effluente, acerboq; mortis genere decessit; his pœnis patriæ datis, ad quam seruitute opprimendam Barbaros adduxerat.* Demaratum vero, qui apud Xerxem exulabat, Iustinus ait fuisse amiciorem patriæ post fugam, quam Regi post beneficia. Itaque, ne inopinato bello opprimerentur, omnia in tabellis ligneis magistratibus perscripsisse, easdemque cera superinducta deleuisse, ne aut scriptura sine tegmine indicium daret, aut recens cera dolum proderet. Fido deinde seruo perferendas tradit, iusso magistratibus Spartanorum tradere. Quibus perlatis Lacedæmona, quæstioni res diu fuit, donec erasa cera belli consilia detecta sunt. Vnde rebus inter ipsos, cæterisq; Græcis cōmunicatis, indicta sunt in proximū annum comitia totius Græciæ Corinthi, vt ex Diodoro Siculo perspicue colligitur.

IV. *Coss. supplementum contrahunt.*

FACTI sunt hoc anno Coss. Romæ M. Fabius Cæsonis F. & L. Valerius M. filius, qui Cassium ter consulem tyrannidis accusarat, & damnatum Quæstor necarat an. 269. Vr. cond. Hi magistratu inito postularunt, vt supplerentur centuriarum defectus, quæ nuper bello contra Volscos non parum fuerant imminutæ; Impetratoque ad id S. C. diem præscripserunt, qua militaris ætatis homines præsto essent ad danda nomina. Cumque hi Coss. plebeiis hominibus parum grati essent, tota vrbe tumultuatum est, pauperrimo quoq; seditiose vociferante, & detrectante tum Senatus, tum Consulum imperia, quod promissa de diuidendis agris fallerentur: confluebantque cateruatim ad tribunos, proditionem eis exprobrantes, & magnis clamoribus flagitantes illorum auxilium.

Plebs vociferatur.

V. *Consilium consulum ad perficiendum.*

TRIBVNI haud segniter id negotium vrsere, contendentibus è contrario Consulibus, vt vrgenti bello prius prouideretur, qui & sapienti consilio voti compotes facti sunt. Nam cum Tribuni suam potestatem vrbe ipsa definitam habeant, Consules vrbe egressi, in adiacenti campo sellis Imperatoriis positis delectum habebant, & qui citati non parebant, eos mulctabant peculio, si qui agros haberent aut villas, excidebant arbores, villas diruebant: si qui in alterius fundis agriculturam exercebant, eorū rusticum instrumentū, boues, & pecora auferebant. Itaq; plebeij homines nihil hic tribunitia potestate adiuti, submiserunt animos, & sub suis quiq; signis nomina professi sunt.

Tribunis non in extra vrbem potestas.

VI. *Consules prouincias obeunt.*

ITAQVE supplemento legionum conscripto, Consules sortiti sunt prouincias; Fabio is obuenit exercitus, qui ad tutelam sociorum missus erat: Valerio is, qui in Volscis erat, vbi diu sine pugna vterque exercitus fuit, siue cruentis tamen excursionibus non fuit; sed eo potiore erant conditione Volsci, quod cadentium locum nouis semper

semper militibus supplere poterant, Romani non poterant. Ea fiducia elati copias in aciem eduxerunt, eduxerunt & Romani; acrisque inter eos pugna fuit, cum pari alacritate, parique vtrinque peritia, ex quo Marcium ducem habuerant, decertarent. Tandem continuato per totum diem labore, fatiscentibus omnibus, nullo memorabili fine pugna clauditur, & ambo exercitus, signo per duces dato, libentes se in sua castra receperunt. In vrbe tamen multi opinabantur, atque etiam vulgò iactabant, exercitum Romanum cum vincere posset, data opera nihil egregium gerere, odio Consulis, & indignatione in Patres, ob elusam spem agrorum diuidendorum. Ipsi quoq; milites, priuatis ad suos literis, Imperatorem imperitiæ calumniabantur. Vsque adeo verum est, *nihil recte fieri, quod ab inuitis fiat.* Nimirum teste Philosopho, *delectatio perficit actionem.*

VII INTEREA multa in vrbe obseruata sunt prodigia, diuinam iram testantia; tandemq; indicium ad pontifices delatum est, vnam Vestalium ignis sacri custodum, Opimiam nomine, amissa virginitate sacra polluere; eam Liuius Oppiam appellat, Oros. *a* Popilliam, Freculphus, *b* Pompiliam, sicut & Eusebius, qui eam historiam non recte ad primum Xerxis annum, & Olympiadem 73. refert. Cum ergo Pontifices ex quæstionibus, & aliis argumentis verum esse criminis indicium cognouissent, corruptam mulierem demptis è vertice infulis, per forum traduxerût, viuamque in specu subterraneo, intra mœnia defoderunt. Duos vero illos, quos vitium ei intulisse compertum erat, publicè verberatos confestim necauerunt; moxque vates responderunt placatam esse numinum iram. Quo facto sectariorum impudentiam, qui dicata Deo corpora sacrilega, & profana commistione temerarunt, etiam ethnici verberarunt, & iniuriæ suæ vltori Deo quodammodo præiuerunt. Nam *surgent Niniuitæ &c.*

ANNVS MVNDI 3573. SEXTÆ ÆTATIS 57. Xerxis 6. Imperij Persici 57. Ioacimi Pont. 6. Olympiadis LXXIV. an. 4. Prætore Athenis Aphepsione Vrb. cond. 272. Coss. C. Iulio, siue Tullio, & Q. Fabio II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 480.

I. ROMÆ cum tempus comitiorum adesset, magna de futuris Consulibus contentione inter plebem & Patricios certatum est. Nam Patricij, homines minime populares ad Consulatum euehi cupiebant; eorumque iussu filius Appij Claudij, qui plebeis infensissimus habebatur, Consulatum ambiebat. Plebs autem desiderabat è senioribus, & spectatæ æquitatis viris consules fieri. Itaque cum Tribuni comitia fieri non sinerent, & Coss. ea conuocarent, crebro inter sese rixabantur. Senatus interea, qui plebi cedere nolebat, considerabat quid facto esset opus. Sententiarum altera rigidior erat Dictatorem Comitiorum causa dici, qui omnia pro potestate statueret: altera mitior, quæ & vicit, interreges è natu maximis & honoratissimis eligi, vt regum tempore factum fuerat, quibus curæ esset, vt optima fieret magistratuum electio.

II. DELECTVS est interrex A. Sempronius Atratinus, abrogatis reliquis magistratibus, qui diebus quinq; Remp. de more gessit, & alium ex more designauit Sp. Largium, qui cum bona vtriusque partis gratia, designauit Coss. C. Iulium è plebis fautoribus (Tullium Liuius appellat) & Q. Fabium Cæsonis filium II. è factione optimatium. Hunc Plebs passa est iterum adire Consulatum, odio Appij, cuius repulsa maxime lætabatur. Æqui & Veientes Latinos Romanosque agros interea incursabant. Cumque Senatus bellum in Veientes decreuisset, renouata est plebi memoria agrarij Senatusconsulti: nihilominus tamen Sp. Largo id agente, suspenso adhuc Senatusconsulto, ad bellum à populo itum est, sine vllo facinore memorabili, vt ait Dionys. nec Liuius repugnat. His expeditis in Græciam, Persidemque transeamus.

ANNO, qui proxime Xerxis in Europam transitum antecedit, conciones in communi Græcorum conuentu apud Corinthum habitæ sunt, de publica Græcorum salute omni studio procuranda, & calamitate, quæ à Persis, eorumque sociis imminebat auertenda. Ei rei duo maxime profutura erant, mutua Græcorum inter se concordia, & belli cum alijs populis societas. De priore sic habet Herodotus, *c* *Coalitis autem in eundem locum Græcis, qui pro Græcia melius sentiebant,* plerique enim à Persis stabant, vt diceremus, *& inter se collocutis, interposita fide in concilio statuerunt, missas tum facere priuatas lites, & inimicitias, & hostiles animos.* Erant enim cum alia aliorum bella, tum vero maximum inter Athenienses, & Æginetas maris imperium tum possidentes; contra quos ducentas naues Athenienses authore Themistocle construxerant, quæ vsui contra Persas fuerunt. Hoc consilium Græciæ longe saluberrimum ab eodem Themistocle fuisse profectum, maximeque ab Aristide probatum, promotumque, author est Plutarchus in vtriusque vita. Maximum est, inquit, illud Themistoclis facinus, quod intestina Græciæ bella sustulit, ciuitatesque ad mutuam concordiam reduxit, persuadens eis, vt belli imminentis causa, inimicitias in aliud tempus reiicerent.

IV. ARISTIDES, qui cæteris iustitiæ nomine, ac virtutis præibat exemplo, inimicitijs publicæ, ac communi Græciæ saluti condonandis præiuit. Cum enim atroces cum Themistocle gereret inimicitias, vt qui nupertime factione ipsius in exilium ostracismo pulsus esset, cum eo tamen vltro pacem composuit. Cum enim is rebus Atheniensium summa cum potestate præfectus fuisset, omnibus eius actionibus consilio affuit, & eum, salutis publicæ causa, gloria vehementer auxit. Eius tabernaculum adijt ipse per sese, &, si sapimus, inquit, omissa tandem iuuenili & inani concertatione, contentionem de seruanda Græcia salubrem honestamque suscipiamus, tu imperando, ego consulendo, & ministri vices obeundo. Sic apud Plutarchum Aristides.

V. QVOD ad alterum caput, decretum est, vt ait Herodotus, nuncios mittendos partim Argos, ad contrahendam aduersus Persam belli societatem, partim in Siciliam ad Gelonem Dinomenis filium, partim in Corcyram, partim in Cretam, suadentes opem ferre Græciæ, eo animo, vt si fieri posset, omnis vis Græca vnum esset, & ad idem agendum omnes incumberent, tanquam calamitate cunctis Græcis impendente. Ferebantur autem res Gelonis magnæ esse, nec multo minores quam Græcorum. Sic Herodotus; idque intelligi potest ex eius in Romanos fame laborantes munificentia, quam superius *d* attigimus, & postmodum ex rebus ab ipso in Carthaginenses præclarissime gestis intellectum est. Decreuerunt denique vt qui sponte fuissent Persarum Societatem amplexi, bello feliciter confecto, dijs decimarentur, quod Diodorus quoque notauit. Hoc eodem tempore Athenienses, Argiui, cæterique Græciæ populi precibus Apollinem fatigabant, consilium ab eo accipere cupientes, quid sibi hoc rerum statu agendum esset. A quo ambigua responsa, fallaciaque recipiebant, magis vt inopes consilij quam ante consultationem redderentur, dæmone ignorantiam suam his tergiuersationibus occultante, & honori suo in omnem euentum prospiciente. Ea fuse ab Herodoto eodem libro traduntur.

VI. CÆTERVM non est mirum in hac expeditione præparanda tot annos ab Xerxe præter eos, quos dudum Darius impenderat, fuisse collocatos. Tantæ enim fuerunt istæ copiæ, vt scribit Herodotus, *e* quantæ nulla hominum memoria simul, terra mariue, congregatæ sunt, vt, *Nec marenauigiis, nec castris terra locandis Sufficeret.* Scribit Diodor. l. 11. numeratas esse in pedestri exercitu plusquam octoginta myriades armatorum, quæ sunt hominum octingenta millia; triremes mille ducentas, hippagogas, quæ sunt naues equis ducendis idoneæ, octingentas quinquaginta, & tria millia triginta remis instructas. In hoc porro numero Carthaginensium copiæ, in quibus trecenta hominû millia, & naues ducentæ fuisse à Diodoro scribûtur,

non

Marginalia: APPARATVS GRÆCORVM AD BELLVM. III. Græcorum Corinthi comitia. c l. 7. p. 187. gr. — Dissidentium a pronuntio odio. — Aristides reconciliatur Themistocli. — Populi ad belli societatem vocati. — d an. VI. con. 263. n. 2. — Apollinis oracula ambigua. — Quanta Persarum copia. e l. 7. p. 172. — Ex Diodoro. — Roma pro Consulatu contentio. — Coss. per interregem creati. — a l. 2. c. 8. b l. 4. c. — Res ad bellum.

SOLVTÆ CAPTIVITATIS AN. 57.

NVMERVS COPIARVM PERSARVM.

Iustin.

non comprehenduntur, quoniam nunquam se Persis adiunxere, sed suum ipsi per se bellum, licet eodem quo Xerxes consilio, confecerunt. Quos tamen miscuisse videtur Iustinus l.2. Iam Xerxes, inquit, septingenta millia de regno armauerat, & trecenta millia de auxiliis parauerat; vt non immerito proditum sit, flumina ab exercitu eius siccata; Græciam omnem vix capere exercitum eius potuisse. Naues quoque decies centum millia numero habuisse dicitur; verum hic numerus nauium omnem fidem modumque superat. Ideoque Paul. Oros. *a* qui in reliquo numero copiarum eum sequitur, in nauibus deserit, & Diodorum sequi mauult, sicut & Freculphus. *b* Dionys. l. 11. init. ait deuictum barbarum trecentas agentem myriades, id est, tricies centena millia, vel tres milliones, vt loquimur vulgo. Addit etiam Græcorum, & sociorum copias non superasse centum & decem millia. Adeundus nobis potius Herodotus, quem seorsim, vitandi tædij gratia, distinctius referemus. Hic illud vniuerse dico, copias eius tam classiarias quam terrestres, tam Asiaticas quam Europæas, adiectis eorumdem seruitiis ad quingentas & viginti tres myriades, & insuper quinque millia ducentos ascendisse, Eunuchis ac mulieribus prætermissis.

a l.2. c.9.

b L.4. c.6.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3573.

VII. *Eadem distinctius ex Herodoto.* *Classis quanta.*

c l.7. p. 194.

Classis, inquit ille, *c* Xerxis, quemadmodum ego supputando inuenio, fuit mille ducentarum septem ex Asia nauium. In quibus à principio inerant viginti quatuor myriades, quadringenti supputando 200. in singulis. Erant etiam 30. pugnatores Persæ, Medi, vel Sacæ, id est 36. millia 210. Adiciam huic & superiori numero eos, qui sunt ex biremibus, in quarum singulis plures fecerim octoginta potius quam pauciores; quarum nauium summa trium millium fuit; ita in eis fuerunt virorum viginti quatuor myriades, id est, ducenta & quadraginta millia. Hæc igitur erat classis ex Asia, vnius & quinquaginta myriadum in vniuersum, & præterea septem millium 610. quas omnes summas vides recte ab Herodoto supputatas. Inde autem transit ad terrestres copias.

1207
200
241400
1207
30
36210
3000
80
240000
241400
36210
240000
517610

Peditatus fuit, inquit, centum & septuaginta myriades, id est, decies & septies centena millia, equitatus octo myriades, siue octoginta millia; quibus addo Arabes, qui camelos, & Libyos, qui currus agitabant, quæ facio viginti millia. Quæ copiæ classiariæ, & terrestres in summam redactæ, ascendunt ad ter & vicies centena millia bellatorum, & præterea decem & septem millia sexcentos decem. In Græco δεκάδες δύο, id est viginti; sed recte emendauit interpres, vt patet ex subductis in margine summis. Hæ fuerunt Asiaticæ copiæ, quæ terra marique in Græciam iter faciebant, videamus ex eodem Herodoto Europæas.

VIII. *Xerxis copiæ terrestres Asiaticæ.*

1700000
8000
20000
517610
2317610

Has copias ex ipsa Asia fuisse contractas dictum est, præter seruitia quæ sequebantur, & eos qui in frumentariis vehebantur. Huic omni enumerato exercitui adiiciendus est ille qui ductus ex Europa, de quo ex opinione dicere oportet. Ij Græci qui sunt è Thracia, & ex insulis Thraciæ obiacentibus adduxerunt naues centum & viginti, quarum viri fiunt 24. millia (ducentos scilicet singulis attribuendo.) Terrestres copias sub signis habuerunt Thraces, & Pæones, & alij circumquaque populi; quarum nationum reor trecenta millia hominum fuisse, id est, triginta myriades; quæ myriades si Asiaticis adiectæ fuerint, fient virorum pugnantium ducentæ sexaginta quatuor myriades, & præterea mille sexcenti & decem. Hic vides correctam vltimam decadem, nec duas poni, sed vnicam. Sed grauius hic multo peccatur, vbi pro ducentis sexaginta & vna myriadibus, leguntur 264. errore manifestissimo. Nam ad ducentas triginta & vnam myriades, si addas 30. non plures quam ducentæ sexaginta & vna existunt. Et rursum pro mille sexcentis, legendum est septem millia sexcenti, vt ex supra posita summa Asiana constat. Sed reliqua videamus.

IX. *Copiæ Xerxis Europææ.*

2317610
300000
2617610, & non 2641610.

Nam 2641610 bis sumpta

	2641610
	2641610
efficiunt	5283220
Vera summa	2617610
	2617610
Tota summa	5235220

Στατήρων δ' ἀργικῶν habet Græcus. Quod si stateres aureos ad sicli Hebraici pondus æstimemus, quorum sunt tria millia in talento, hæ quadringentæ myriades nummorum, siue 4. miliones, valebunt mille trecentis triginta tribus talentis, cum [1] id est, sedecim miliones, sexcenta sexaginta sex millia, sexcentos [3] sexaginta sex aureos nostrates. Quod si singulos stateres, singulos tantum aureos nummos valuisse velimus, summa erit 4. milionum duntaxat.

2. N. XIV.

NIHIL igitur mirum si Xerxes, vt idem eodem l.7. retulit, postquam Abydum peruenit (id promontorium est in Hellesponto, ex parte Asiæ, vbi fretum est angustissimum) cum intueretur omnem Hellespontum nauibus obductum, omnia littora, omnemque planiciem Abydenorum hominibus refertam, ibi se beatum esse iactauit; & paulo post lachrymas fudit. Quod verumque cum Artabanus eius patruus animaduertisset. *Quam diuersa*, inquit, *inter se Rex nunc facis, & dudum dixisti? Qui te beatum esse dixeras, nunc lachrymas fundis.* Et ille, *Reputantem me*, inquit, *quam breuis est omnis humana vita, subijt horum miseratio, quorum cum tot sint, nemo ad centesimum annum superérit.*

XI. *Copias cum aspicit, & gemuit circumspectis Xerxes.*

EXCIPIENS Artabanus, Atqui, inquit, alia viuendo miserabiliora patimur. Ita tam breui vita nullus hominum adeo felix extitit, neque horum neque aliorum, cui nō crebro subeat animo moriendi voluntas, potius quam viuendi. Nam incidentes calamitates, & morbi vitam perturbant, efficiuntque vt cum breuis sit, tamen prælonga videatur. Ita mors optatissimum est perfugium ærumnosæ vitæ; quam Deus dulci gustu aspergens, ob id inuidus fecisse deprehenditur, φθονερὸς ἐν αὐτῷ εὑρίσκεται ἐών. At impie facis Artabane, aut tu potius Herodote, qui aureæ sententiæ conclusionem ferream addidisti; quasi vitæ dulcedinem amarori mixtam, velles fellea sententia repræsentare. Deum potius, rectiusque diceres læta tristibus, prosperis aduersa temperare, prout conditio mutabilitatis rerum humanarum exigit, & ipse agnoscit mortalium saluti conducere: non ex inuidia aliqua, vt tu deliras, quę in beatissimam mentem, & hominum, quos condidit, amantissimam cadere non potest, sed ex sapientissima, dulcissimaque prouidentia. Verum hic erat sensus aliorum etiam Græcorum, in atra caligine cæcutientium, sicut in Dionysio supra, semel iterumque notauimus.

XII. *Monitio Artabani pia, & profana.*

Corrigitur.

SED hæc obiter, quæ aliquanto post, sub initium sequentis anni contigerunt, quæ tamen post copiarum catalogum referenda duximus; nunc Xerxem accingentem se itineri, & iter Sardeis vsque facientem assectemur, vbi transacta hyeme, cum vere nouo in Europam transibit. Omnibus ergo ad expeditionem iam paratis, ait Diodor. l. 11. nauium præfectis mandat, vt ad Cumam, & Phocæam naues cogant, (ambæ maritimæ vrbes sunt Æolidis regionis, in minore Asia, habentque Lesbum insulam ab occidente, & Ioniam à meridie. *d* Regio tota in modum sinus conformata est. Herodotus ait classem ad Eleuntem Chersonesi stationem habuisse, illincque omnes copias per vices, cum aliis alij succederent, montis Athos, qui longius excurrit in mare, isthmum effodisse, non necessitate, sed magnificentiæ Persicæ ostentandæ causa, vt mox dicemus, pergit Diodor.) Ipse vero ex omnibus vndique prouinciis peditatu, & equitatu contracto, è Susis tandem mouit Sardeis versus. Illic enim edictum erat (ait Herod.) vt cunctæ copiæ cogerentur, quæ per continentem erant cum Xerxe ituræ. Ea est Lydiæ vrbs mediterranea ad orientem Æolidis, ad Pactolum fluuium. Ipse autem per Cappadociam iter faciens transmissoque flumine Haly, indeque Galatia occasum versus, attigit Phrygiam, & Celænas, vbi fontes Mæandri existunt.

XIII. *Xerxis iter Sardeis versus.*

d Ptol. l. 1.

Mons Athos perfossus.

X. *Seruitiorum numerus.*

Hoc tanto, inquit, pugnatorum numero, non pauciora, sed plura fuisse arbitror, quę hos comitabantur seruitia, vt eos qui frumentariis in nauigiis erant, & in aliis nauibus vna cum militaribus viris vehebantur, quos neque plures, neque pauciores facio, sed totidem. Ita æquati numero pugnatorum explebunt totidem myriadas, fientque quingentę & viginti octo myriades, & tria millia ducenti ac viginti viri. Ita in Latino legitur, & Gręco, sed errore certissimo, qui ex præcedenti necessario ortus est. At vera summa supra à nobis posita, efficit quingentas & viginti tres myriades, & insuper quinque millia ducentos & 20. viros: quos, inquit, Xerxes duxit ad Thermopylas. Hic vniuersus copiarum Xerxis numerus. Nam mulierum pinsentium, & pellicum, & Eunuchorum numerum, nemo pro comperto dicere queat. Hactenus Herodotus.

IN ea vrbe resistens Pythius Atys filius, vir Lydus omnem regis exercitum (qui scilicet terra iter habebat) atque ipsum Xerxem magnificentissimo hospitio accepit:

XIV. *Pythij opes, & magnificentia.*

spopondit que se pecuniam ei in bellum suppeditaturum Ob quam sponsionem Xerxes Persas qui aderant interrogauit, quisnam esset Pythius, qui talia polliceretur. Hic ille est, inquiunt, qui Darium patrem tuum aurea platano, ac vite donauit, quique nunc omnium hominum diuitiis princeps est secundum te. Tum Xerxes quæsiuit à Pythio quantum ei pecuniarum esset. Cui ille, Posteaquam accepi te celerrimè ad mare Græcum descensurum, volens tibi ad bellum pecuniam dono dare, subducta ratione comperi mihi esse argenti quidem duo millia talentorum, a auri vero quadragies centena millia nummum Daricorum, septem millibus minus, quæ tibi dono do.

a Quotum singulis ... [illegible]

XV. Xerxis ... gratia.

ET ne Pythium Xerxes improuidum putet, qui sibi de reliqua vita non prospiciat; Mihi, inquit, ipsi victus è mancipiis, atque ex agricolis suppetit. Quibus verbis delectatus Xerxes. Hospes Lyde, inquit, ex quo ego Persidem egressus sum, neminem adhuc nactus sum, qui in exercitum meum hospitalitatem exercere voluerit; aut qui in conspectum meum veniens sua sponte pecuniam mihi ad bellum conferret præter te; ob quæ vicissim ego te iis remunerandum duco. Hospitem meum te facio, & illas quadringentas myriades explebo, datis 7. millibus, vt summa sit solida. Cæterum possideto quæ habes, & talis semper esto. Hæc eloquutus, & quæ dixerat executus, accinxit se itineri; sed eundem non ita multo post Xerxes, crudelem & barbarum in modum remuneratus est, vt dicemus.

XVI. Xerxes mittit ... b Orosius. l. 2.

SIMVL ac Sardeis ingressus est, b præcones in Græciam cum his mandatis dimittit, vt singulas quasque vrbes adeant, & ignem terramque à Græcis, in signum deditionis deposcant. Partito inde exercitu, partem quæ ad iungendum ponte Hellespontum, partem quæ ad perfodiendum Athon montem in Chersonesi isthmo sufficeret, emittit: non tam vt tutum exercitibus, & quam breuissimum pararet transitum, quam vt operum magnitudine, prout sperabat, Græcos perterrefaceret. Quod affirmat Herod. Idem suadent Ptolemæi tabulæ, Asiæ prima, & Europæ decima. Alioqui enim breuior longe traiectus erat ex Æolide, & Ionia per Cycladas insulas in Atticam regionem, quam Hellespontum septentrionem versus, & montem Athon in Ægeo mari, iuxta Lemnon insulam, longo circuitu petere. Sed homo fastu & superbia tumidus, qui in homines ad nutum obsequentes irasci non poterat, in ipsa elementa vindictæ appetens sæuiebat. Vnde mox Hellespontū verberari, & Athon montem, ad quem multæ Persarum naues pridem naufragium fecerant, iniuriæ memor, perfodi iussit. Efficit autem Athos peninsulam, cuius isthmus c duodecim stadiorū est. Eum ergo locū adductæ à Persis copiæ, etiā verberibus adactę, aliis ceruices, aliis succedentibus perfodere cœperunt, adiuuantibus etiam in effodiendo accolis. Tanta vero fossæ latitudo fuit, vt duæ triremes pariter illac agitari possent. Aggeres quoque ad fauces fossæ, propter æstuaria maris, imposuerunt, ne ipsæ fauces aluei obstruerentur.

Perfodit montem Athon.

c Herod.

XVII. Hellespontum iungit. Quo disrupto ... Hellespontum.

HELLESPONTVM porro ponte iungere Phœnices & Ægyptii in mandatis habuere, ex Abydo Asiæ oppido, ad Sestum Europæ oppidum, qui septem stadiorum traiectus est. Quem leuiore, vt apparet, opere pontibus iunctum, ingens exorta tempestas disrupit, atque disiecit. Quod cum audisset Xerxes, inquit Herodotus, indignè ferens, iussit trecenta Hellesponto verbera infligi, & in eius pelagus par compedum demitti, simulque virgis cædentes dicere, O amara aqua, Dominus hanc tibi irrogat pœnam, quod eum læsisti, qui de te nihil male meritus erat. Te tamen Rex Xerxes velis nolis transmittet, meritoque nemo hominum tibi sacrificat, vt doloso pariter, & amaro flumini. Sic ille in mare stulte iratus est, sed inhumanè etiam in illius operis præpositos, quibus caput præscindi iussit.

XVIII. ...

AT alii artifices hoc modo iunxerunt, Actoarias quinquaginta remorum naues, triremesque trecentas sexaginta versus Euxinum pontum composuere. Item ab altero latere trecentas quatuordecim. Porro quidem transuer- ... autem secundum defluxum, quia nimirum priores illæ naues ad intima Hellesponti erant, posteriores ad finem: textus tamen Græcus, qui satis obscurus, & impeditus est hoc loco, etiam mancus videtur, posteriorem enim numerum nauium non habet, quem Valla aliunde suppleuit. Hæ autem transuersæ naues retinebantur crassissimis rudentibus iam lineis siue canabinis, quam scirpeis, vt eorum cubitus talento appenderetur; retinebantur & ipsi rudentes tam in terra ligneis machinis, quibus contorquebantur, quam in mari anchoris prægrandibus, quas de industria composuerant, deiectis tam versus Propontidem, contra ventos inde spirantes, quam versus Ægeum mare & occasum. Verum naues quæ erant ad orientem siue Propontidem, non planè coniunctæ erant vbique, sed tribus in locis relictus erat transitus, vt posset ab Hellesponto in Pontum, & à Ponto in Hellespontum breuibus nauigiis facile traiici. Spatium autem quod erat inter vtrunque ordinem nauium, primo funibus tum ratibus, ex arborum truncis inter se firmiter religatis, constrauerunt, quibus & asseres, & terram imposuerunt: sepem denique hinc atque inde prætenderunt, ne iumenta inter transeundum maris aspectu terrerentur.

ANNVS MVNDI 3574. SEXTÆ ÆTATIS 58. Xerxis 7. Imperij Persici 58. Ioacimi Pont. 7. Olympiadis LXXV. 1. Prætore Calliade. Coss. Cæsone Fabio II. Et Sp. Furio. Vrb. cond. 273.

ANNVS ANTE CHRISTVM 479.

CELEBERRIMVS est hic annus Xerxis Persarum regis transitu in Europam, constrato ponte Hellesponto. De quo & bello mox secuto, plena sunt scripta omnia Græcorum, atque Latinorum. In primis autem quod ad tempus attinet, iam supra anno Xerxis secundo diximus, illum in hunc primum septuagesimæ quintæ Olympiadis annum incidere. Nam Dionysius initio libri noni, agens de Consulibus anni huius, ait eos Olympiade septuagesima quinta creatos fuisse, prætore Athenis Calliade, quo tempore, inquit, Xerxes expeditionem fecit in Græciam. Et Diodorus Siculus de Olympiade plane consentit, & de summo Calliadis magistratu, de Consulibus tamen dissentit, vt supra notauimus. Vtrique præiuit Herodotus. A traiectu, inquit, Hellesponti, ex quo iter ingredi cœpere Barbari, vnum mensem iniuere transeundo in Europam, tres alios dum in Atticam peruenere, Calliade summum Athenis magistratum gerente, vrbemque desertam cepere &c. Idem libro 7. ait Thermopylas occupatas à Leonida & Spartanis tempore Olympiadis. Moxque Thermopylis in potestatem redactis, cum terrestri itinere ad vlteriora Græciæ penetraret, Arcades perfugæ rogati quid Græci agerent, responderunt eos agere Olympia, & spectare certamen gymnicum, atque equestre.

I. Transitus Xerxis in Græciam quando contigerit.

Ioseph ... græ.

EADEM est Polybii sententia, cum libro tertio ait fœdus initū Romanos inter & Carthaginenses primis Consulibus, duodetriginta annis profectionem Xerxis in Græciam antecessisse, id est, totis septem Olympiadibus, quæ hic exactè reperiuntur. Annus enim ducentesimus quadragesimus quintus vrbis cadit in primum annum Olympiadis 68. Eadem ratione ab anno Vrbis 245. ad præsentem 273. iidem 28. anni reperiuntur. Ex quo vice versa infertur ex Polybii sententia Consules Romæ creari cœptos anno Vrbis ducentesimo quadragesimo quinto. Eadem item Auli Gellii, qui à victo fugatoque Xerxe, quod hoc anno contigit, quatuor annos enumerat vsque ad Fabiorum gentem deletam, quæ cadit in sequentis Olympiadis initium, & Consulatum C. Horatii, & T. Menenii, iuxta Dionysii quoque Chronologiam. Aliam adhibet huius temporis notam Herodotus, cum ait Xerxi Sardibus, vbi hyemauerat, ineunte vere proficiscenti serenissimo aëre Solis eclipsim contigisse, cui quidam

II. Romanorum temporum confirmatio.

l. 7. p. 174. græ. Solis eclipsis.

coolen-

consentiunt, Buntingus negat hoc anno contingere potuisse; sed proxime præcedenti Aprilis 19. Scaliger refert in an. 3. Olym. 74. Verum cum annorum Iulianorum rationem habeamus, dicendum est eam Eclipsim ad præsentem annum pertinere. Paululum videtur Thucydides ab hac sententia discrepare, cum ait decimo anno post pugnam Marathoniam Barbarum in Græciam venisse, vt eam redigeret in seruitutem. Ea pugna incidit in Olympiadem secundam & septuagesimam ineuntem, qui est annus Vrbis 261. Nimirum Thucydides decem solidos annos numerauit, primum postremumque diminutos prætermisit. Hæc de tempore, rem ipsam videamus.

III. *Xerxes ex Asia progreditur.*

POSTQVAM Xerxi nunciatum est Isthmum circa Athon montem esse perfossum, & Asiam Europæ factam esse ponte continentem, Sardibus, vbi fuerat in hybernis, ineunte vere instructo cum exercitu Abydum versus profectus est. Id oppidum est Asiæ, vnde breuissimus est Hellesponti in Europam traiectus. Iter habenti sol apparere desiit, vt ait Herodotus, adeo vt dies in noctem versus videretur. Buntingus tamen affirmat sextam duntaxat solis diametri partem in Phrygia & Asia minore obscuratam fuisse sub horam sextam matutinam, integrum autem deliquium non nisi in India vel Æthiopia tum contingere potuisse. Eam eclipsim Magi Persarum, defectionem Græcarum ciuitatum interpretabantur, quod dicerent Solem Græcorum, Lunam ipsorum esse præsidem. Qua re audita Xerxes maiorem in modum lætatus, iter perrexit, omnibus eum copiis non exiguo cum terrore comitantibus.

Pythij pia postulatio.

Quod in Pythio Lydo ipsius hospite crudeli exemplo probatum est, cum is cælesti ostento perterritus procedentem adiisset, & pro hospitij iure ac familiaritate rogasset, vt ex quinque liberis suis, qui omnes copiis eius inscripti in Græciam proficiscebantur, vnum natu scilicet maximum, patris senis misertus, indulgeret.

IV. *Immane scelus a Xerxe patratum.*

HIC tea barbarus admodum indignatus. Homo improbe, inquit, cum ego ipse in expeditionem abeam aduersus Græciam, filiosque meos, & fratres, domesticos & amicos ducam, tune ausus es mentionem filij tui facere, qui meus es seruus, quem oportebat cum omni familia & vxore me comitari? Et paulo post: Te inquit, & 4. liberos tuos munera liberant, à præsenti scilicet interitu, vnius autem quem præcipue complecteris, damno mulctaberis. His dictis iussit Pythij filium natu maximum comprehensum discindi medium, eiusque discissi dimidium ad dexteram viæ, & dimidium alterum ad sinistram poni, mediumque exercitum transire; quod & factum est. Barbaro plane ingratissimi hominis facinore, qui iustissimam bene de se meriti hospitis petitionem, cui assentiri nullo suo incommodo, damnoue potuisset, & cuius fieri compotem patris grandæui maxime intererat, non solum repulerit, sed quasi facinus quoddam immanissimum, horribili supplicio afficere ausus sit. Quo vno fortasse ita diuinam in se iram concitauit, vt breui pro gloriosa victoria, quam quærebat, probrosam fugam inuenerit.

p. 174. lib. 7. 51.

Nota exemplum.

V. *Vt pater olim. Anno m. 3536. n. 2.*

CONIECTVRA ex simili patris facinore sumi potest, qui quinto regni sui anno aduersus Scythas expeditione suscepta, tres Oeobazi filios crudeliter iussit interfici, eo quod pater senex vnius missionem à militia postulare ausus esset; vnde & ipse infœlicem, & ignominiosam militiam expertus est. Aliud etiam facinus, non ita multo post perpetratum à Persis, arbitror diuinam in eos iram accelerasse, cuius auribus odiosissime insonat innocentum sanguis sponte ac crudeliter effusus. Cum enim ad locum, qui dicitur nouem viæ Edonorum peruenissent, audito loci nomine totidem illic pueros, totidemque virgines de indigenarum liberis, in tartarei parricidæ sacrificium, viuos defoderunt; idque tanto scelestius, quanto id crimen frequentius perpetrabatur. Persicum est enim, inquit Herodotus, viuos defodere. Nam & Amestrim Xerxis vxorem iam prouectæ ætatis audio bis septem illustrium Persarum liberos defodisse, ad referendam pro se gratiam Deo, qui sub terra esse fertur. Sic ipse. Quin & Græci ipsi tres iuuenes regios Persis ereptos, paulo ante pugnam Salaminiam, Baccho crudiuoro, auspice Euphrantida exigente,

Persarum mos defodiendi homines.

Themistocle consentiente, immolarunt. Plutar. in Themistocle.

VI. *Ordo procedendi exercitus Persici. Ante regem.*

PARASCI porro exercitus hunc fuisse è Sardibus procedendi ordinem refert Herodotus, vt primo præcederent qui sarcinas & impedimenta portabant: Tum sequerentur omnigenarum gentium non distinctæ, sed promiscuæ copiæ, v. g. Lydi, Thessali, Cappadoces, non singulis singuli distincti legionibus, sed plures in eadem permixti, numero vltra dimidium exercitus. Post has copias intercedebat interuallum; inde reliquas copias ducebant mille equites è Persis omnibus delecti. Secundum hos totidem hastati, & hi delecti ex omnibus, versis deorsum in terram spiculis. Post hos equi decem quam pulcherrimè ornati, qui Nisæi dicuntur, ex Nisæo campo Medicæ regionis, qui grandes fert equos. Hos decem equos sequebatur sacer Iouis currus, quem octo equi albi trahebant, pone auriga comitante, qui pedibus ingrediens habenas tenebat; eam enim sellam nemo mortalium inscendit.

Equi Nisæi. Iouis currus.

VII. *Locus regis, & post eum copiæ.*

POST quem ipse Xerxes vehebatur curru, equorum Nisæorum auriga præcedente, sed è curru, quoties ratio exigebat, in Essedum transcendebat. Eum sequebantur hastati Persarum optimi ac nobilissimi mille, de more pila (λόγχας) gestantes. Post hos alius delectus equitatus mille Persarum. Dehinc è cæteris Persis decem millia peditum delecta, quorum mille in lanceis, pro contis gestabant mala punica aurea, & reliqua nouem millia, quæ ferebant argentea, circumcingebant. Gerebant item aurea & ij, qui terram versus spicula spectantia ferebant, & qui Xerxem proxime sequebantur. Hæc decem millia ordine subsequebatur equitatus decem millium Persarum, qui dicebantur immortales, eo quod aliquo ipsorum aut nece aut morbo sublato, alius in demortui locum sufficiebatur, vt idem semper numerus permaneret. Relicta post hos duorum stadiorum intercapedine, mox ibat cætera multitudo promiscua.

Equitatus immortalis.

VIII. *Perueniunt Abydum.*

ITA exercitus è Lydia perrexit ad flumen Caicum, & regionem Mysiam, donec ad Phrygiam, & terram Iliensem perueniret: cui primum sub Ida noctem agenti, tonitrua, & fulgura ingruentia complures in eo exercitu exanimauerunt. Vnde quamprimum progressi Abydum venerunt, vbi Abydeni in tumulo erexerant ei thronum regium è candido lapide. Ibi conspecto terrestri simul, naualique exercitu, & beatum se dixit, & lachrimas fudit, vt ante diximus.

Artabanus dimittitur.

Inde autem sapiente cum Artabano habito colloquio, eum Susam, Proregem ibi futurum dimisit: reliquos Persarum principes ad rem bene gerendam adhortatus est, eodemque die sese omnes ad transitum Hellesponti compararunt. Postero autem die tantisper morati sunt, dum Solem exorientem cernerent, omnifarios odores in pontibus congerentes, ac myrtho iter consternentes.

IX. *Xerxes libat.*

VBI Sol exortus est Xerxes ex aurea phiala libans in mare, apud Solem vota concepit, ne quid sibi aduersi contingeret, quo prius desisteret Europam subigere, quam ad illius terminos peruenisset. Hæc precatus phialam in Hellespontum abiecit, aureumque craterem, ac gladium Persicum, quem acinacem vocant, siue Soli dedicans, siue Hellespontum, quem ante stultè verberari iusserat, placare volens.

Et transitus Hellesponti.

His actis per alterum pontium, qui vergebat in Pontum, peditatus omnis equitatusque transiuit; per alterum qui vergebat in Ægæum, iumenta, atque seruitia, præcedentibus decem millibus Persarum, coronatis omnibus, quos promiscuus omnium nationum sequebatur exercitus. Postridie cum Xerxe transierunt hastati illi omnes, equitesque, quos diximus propius Regi in progrediendo adstitisse: quem tamen postremum omnium pertransisse à se auditum refert Herodotus: vtique summo, si id verum est, timiditatis & imprudentiæ argumento; transitum autem 7. dies, totidemque noctes continenter tenuisse.

X. *Tempe ... descriptio.*

INDE circumducto per Thraciam exercitu, ad Thermaicum sinum peruenit, & loco qui Tempe dicitur potitus est. Is est Thessaliæ locus amœnissimus, circa Penei

[illegible] solua, ad vtramque eius ripam inter Larissam vrbem, & sinum Thermaicum, & montes Olympum & Ossam, inter quos Peneus excurrit, Olympum habens ab occasu, Ossam ab ortu. Tempe inquam, potitus est. Paulo quippe ante decem millia Græcorum eò venerant, Persas ingressu [illegible] Græciæ prohibituri: sed vel ingentium copiarum metu, vel consilio Macedonum adducti, locum deseruere. Aut etiam, quia, vt ait Diodorus, iam è Thessalis, aliisque Græcis, qui transitus illos accolebant, plerique terram & aquam, profectis à Xerxe nunciis, præbuerant, polliciti se imperata facturos, qui desperata ad Tempe propugnatione domum regressi sunt: præsertim cum alium quoque Persis aditum in Græciam esse didicissent, itaque Thessali à Sociis defecti se Xerxi dediderunt.

XI. Græci autem aditum Thermopylarum custodire statuerunt, quippe qui videbatur & angustior quam ille Thessalicus, & ipsorum terræ propinquior, ne Barbari aut multitudine, aut equitatu contra Græcos vti possent.

Sunt autem Thermopylæ angustiæ montium inter Thessaliam & Achaiam, ad Oetam montem, vt patet ex Europæ tab. 10. apud Ptolem. nec dissentit Herod. Thermopylarum, inquit, quod ad vesperam vergit inaccessum est & præceps, altumque ac protentum vsque ad Oetam: quod autem viæ vergit ad auroram, id à mari excipitur, ac vadosis locis. In hoc ingressu sunt θερμὰ λουτρά, id est, calida lauacra, quæ χύτρους, id est, ollas indigenæ vocant, & desuper ara Herculi extructa. Ad hos ingressus murus est ædificatus, super quem olim πύλαι, id est, portæ erant, quem tunc Phocenses metu Thessalo [illegible] ædificauerant, quemque nunc Græci contra Barbaros restaurarunt.

XII. Evm ergo locum Græci variis ex prouinciis collecti occuparunt: quorum omnium facile princeps erat Leonidas cum trecentis Lacedæmoniis armatis. Cum quo etiam aderant ex diuersis Græciæ locis quinque millia & nongenti, quos distincte numerat Herodotus. Ad eos misit Xerxes nuncios, qui explorarent, vt ait Diodorus, quo animo bellum aduersus eum gererent, simulque edicerent regem iubere, vt ab armis discederent, & ad suas quisque sedes reuersi, Persarum deinceps societatem colerent. Quæ cum à Leonida negligerentur, Rex promotis è Sperchio flumine castris, ad Thermopylarum angustias peruenit, in prima fronte Medos constitutos habens, siue quod, propter animi fortitudinem, eos præferret cæteris, siue quod vniuersos deletos cuperet. Elatos enim adhuc faciebat animos Medis principatus, non ita pridem maioribus suis ademptus. Quin etiam in Medorum tum agmine erant, quorum propinqui in pugna Marathonia occubuerant, quos vindictæ cupidos fortissime pugnaturos credebat: præsertim sub ipsius Xerxis oculos, qui locum sibi delegerat ad spectandum pugnas idoneum.

XIII. Herodotvs quoque à Medis initium pugnæ factum scribit, quibus mandatum dederat Xerxes, vt Græcos viuos caperent, & in suum conspectum adducerent; negotium dictu facilius, quam factu. Nam Græci, quos Leonidas in ea parte faucium constituerat, qua sunt angustissimæ, ruentes fortiter Medus fortius excepere. Dum enim Barbari virtutis inspectorem, & testem habent regem ipsum; Græci vero & libertatis memoria, & hortatu ducis ad certamen accenduntur, admirabile prælium committitur, pugnaque diu anceps fuit. Græcis autem virtute, & scutorum magnitudine præualentibus, vix tandem Medorum acies inclinare cœpit. Multi enim ex his cecidetunt, nec pauci vulneribus confecti erant. Proximum ergo locum in acie obtinentes Cissij, quorum insignis erat virtus, illis in pugna successerunt.

XIV. At licet recentes, & integri cum defatigatis committerentur, exiguum tamen ad tempus periculum sustinebant, sed à Leonidæ militibus cæsi, pulsique in fugam vertuntur. Barbari enim deteriori tum conditione pugnabant. Cum enim scutis, peltisque breuibus, ad expeditum corporis motum in patentibus locis vterentur, in angustiis locorum non facile c[illegible] stipata hostium corpora, magnisque o[illegible]ecta scutis vulnerare poterant, & crebriores ictus a[illegible]. Xerxes tandem cernens omnem circa ad-tus locum cadaueribus stratum, nec virtutem Græcorum à Barbaris tolerari posse, lectissimos è Persis mittit, quos immortales vocant, qui fortitudinis palmam omnibus commilitonibus præripiunt, quorum dux erat Hydarnes. & credebantur hostes facile profligaturi; verum & ipsi congressi, nihilo magis quam Medi, aut Cissij, loci & armorum iniquitate profecerunt.

XV. Ibi Lacedæmonij, inquit Herodotus, dignam memoratu pugnam edebant, cum aliis rebus ostentantes se peritè cum imperitis pugnare, tum vero quod quoties terga vertebant, conferti fugiebant. Quos Barbari dum fugientes cernerent, cum vociferatione ingruebant. At Græci rursum conuersi aduersis pectoribus eos excipiebant, tantaque vi irruebant, vt innumeram multitudinem prosternerent: adeo vt Rex ipse cum ad spectaculum adesset, in ipso congressu pugnandi, terè solio, quasi ad capiendam fugam resiluisse dicatur, quod exercitui suo timeret. Nox prælium diremit; postridie pertinacius quidem, eodem tamen euentu pugnatum est.

XVI. Ibi Regem consilij inopem quidam Epialtes Trachinius, siue Meliensis adit, pollicetur que se, cui semitę montium notæ forent, per angustum tramitem Persis ducem fore, vt Leonidæ copias à tergo circumueniant; circumuentos non magno negotio deleri posse. Quo audito Rex maiorem in modum lætatus præmiis hominem afficit, & mox viginti bellatorum millia, qui eum sequantur noctu dimittit. Qui tota nocte itinere confecto, sub exortum auroræ in cacumen montis enasere, quo in loco mille Phocensium præsidium excubabat. Hi Persis animaduersis magno metu affecti sunt, nec minori Persæ. Nam Phocenses rati à se initium totius pugnæ capi actum de se esse opinabantur, præsertim cum eos, frondibus quercuum tectos, ascendentes non sensissent. Persæ vero conspicati viros arma induentes, obstupuere, quod existimarent neminem sein vis habiturum, cum quo pugnandum esset. Ibi ergo Hydarnes perterritus ne Phocenses Lacedæmonij forent, Epialtem percontatus est, quisnam ille esset exercitus. Mox certior rei factus, Persas tanquam in aciem instruxit, quorum missilibus fugati Phocenses, in verticem montis se receperunt.

XVII. Qvi avs spretis Persæ rapide de monte descendunt, ad eos, qui ad Thermopylas erant, non ignaros. Nam & Magus quidam Megistias, extis inspectis sub noctem ait illis mortem instare, de nocte autem quidam ad Græcos transfugerant, qui consilium patefacerent: postremo speculatores albescente cœlo, animaduersis Persis in summis montium, ad Græcos procurrerant. Ibi disceptatum est inter eos, quid facto opus foret: denique reliquis Græcorum, ipsorum etiam Spartanorum iussu, ad sua dilapsis, solus Leonidas cum suis qui reliqui erant, & Thespiensibus stationem minime deserendam censuerunt: quin & rogarunt Leonidam, vt sese in hostem immitterent, antequam à Persis circumuenirentur. Leonides alacritate militum approbata, propere ita prandere iubet, tanquam apud inferos cœnaturos, & propere cum eis cibo sumpto, ipsa nocte, vt ait Diodorus, in castra hostium inexpectati prosiliunt, & Regem ipsum ad cædem quærentes, infinitam stragem edunt; donec orta luce, Persæ paucitate Græcorum conspecta, eos vndique circumuentos iaculis confecere. Herodotus ait duos Xerxis fratres contra Leonidam pugnantes, super eius cadauer procubuisse. Græcosque ter hostibus in fugam actis, eius corpus subtraxisse, denique & ipsos multitudine obrutos concidisse.

XVIII. Hic alter est Græcorum oratorum, & poetarum dicendi campus longe celeberrimus, in quo laudandis Spartanis istis heroibus; omnem illi dicendi facultatem profudere. Quod Græciæ libertatem propria morte vindicare, & gloriam fortitudinis immortalem adipisci maluere: quam cum reliquis Græcis præsenti morti eripere sese; & imminentibus Græciæ temporibus, casibusque conseruare. In quo vereor, vt fortitudinis laudem æque promereri potuerint atque imprudentiæ iniustitiæque notam videntur incurrisse: qui sine vlla vel necessitate, vel fructu, vitam suam, id est, fortissimorum virorum prodigere maluerunt,

sint, qui ne pecuniam quidem sine causa profundere debuissent. Qui propriam gloriam, vanam vtiq; atque inanem, cum magna communis boni iactura coniunctam, emere voluerint, tantoq; iniustiore iactura, quo illi erant præstantiores Reique publicæ magis tum necessarij. Cumque Spartanis isti sapiens cedendi consilium, cæteris Græcis Thermopylarum propugnatoribus, viris quoque fortissimis dedissent, quorum par erat, aut pugnandi æmulatio aut cedendi necessitas; non debuerunt ipsi, aut malum consilium socijs dare, aut bonum non amplecti.

XIX. QVID ergo faciemus, inquies, Iudæ Machabæo, eiusque socijs, in quos hæc ipsa tela torqueri videntur? Verum longe dispar est vtrorumque conditio; nec gloriam isti suam, nisi cum diuina coniunctam quærebant, quæ toties prioribus seculis, in paucorum contra multos victoria eluxit, nec proprio ad eam audaciam marte currebant, sed diuino, vt creditur, instinctu mouebantur. Et hactenus de terrestri Persarum clade ne dicam, an victoria? victoria sane, sed Cadmæa, vt ait Herodot. dictum sit: nunc de nauali certamine dicendum, quod eo tempore gestum fuisse, Herod. Diodorusque scripserunt, ad occupatum Eubœæ fretum, quo maritimum iter patebat in Achaiam, & Atticam totam: quo tempore ad Thermopylas tanta contentione pugnabatur, ad pedestre iter in Græciam, in potissimus obstruendum: & hæc quidem est vtriusque sententia. Nam Herodotus l. 8. init. Erat autem omne certamen his in mari de Euripo, quemadmodum illis, qui cum Leonida erant de transitu arcendo. Diodorus vero, Persæ, inquit, vt Græcos perrumpere, & Euripum trajcere cogitabant, Græci vero angustias illas obstruxerant. Sed prius antegressam quandam cladem nauticam, quæ sequentium quasi quoddam præludium fuit, ex Herodoto referemus.

XX. DVM Xerxes terrestri expeditione, Græciæ portas cruentissima victoria patefacit, mari quoque belli fortunam experiebatur, accitoque Megabate in nauales hostium copias Classem Persicam ducere iubebat. Quæ postquam è statione soluit, oramque Magnesiæ tenuit, primæ quæque naues ad terram habuere stationem, aliæ deinceps in anchoris stetere, ad octauum vsque ordinem intra mare procedentes, vtpote angustiore littore, quam vt classem caperet, atque ita per noctem stetere. Sub ipsum vero diluculum, ex sereno cœlo, & tranquillo, cum mare efferuesceret, atrox tempestas coorta est, vehemensque ventus subsolanus, qui quas naues exteriores nactus est, concussit, disiecit, atque confregit. Qua tempestate qui paucissimas naues perditas putant, ij non pauciores quadringentis perijsse aiunt, viros quoque innumerabiles, ac vim diuitiarum immensam, vt ait Herod. à quo non dissentit Diodorus.

XXI. PORRO non exiguum nauium numerum contra Persas Græci coëgerant, Athenienses præsertim, qui, vt scribit Herodotus, non ita pridem consilium secuti Themistoclis, ducentas contra Æginetas parauerant, quæ huic bello vsui fuere, vt supra significauimus. Accepto deinde oraculo, de Athenis muro ligneo defendendis, alias quoque naues ædificauera, eodem authore, & oraculi interprete; in quas non ita multo post, deserta patria, omnia sua Athenienses Intulere. Græcarum nauium numerum scribit Diodorus fuisse ducentarum, & octoginta, quarum 140. erant Athenienses. At Herodotus, cui potius credimus, longe plures fuisse vult, vt ex dictis aperte constat: Idem tamen init. l. 8. vniuersarum inquit nauium, præter nouem quinquagenum remorum nauigia, ad Artemisium coarctarum numerus fuit ducentarum septuaginta vnius, cui additæ illæ nouam efficiunt Diodori numerum: sed eum huic numero mox 53. atticæ naues addendæ sint, ad eam, quæ primo significata est, multitudinem nauium facile perueniretur.

XXII. CVM autem inter nauium ductores de pugnæ naualis ratione consilia tractarentur, alij quidem omnes in loco eodem persistendum, ad Artemisium scilicet insulæ Eubœæ, hostisque incursum operiendum esse censebant; solus Themistocles contrariam tuebatur sententiam, contendens vtilissimum fore instructa hostem classe inuadere, dum hostiles copiæ toto mari dispersæ, è varijs disiunctisque portubus exeant, & necessario tumultuariè pugnaturæ sint, nec sibi inuicem opem laturæ. Hæc sententia cum tandem vicisset, Græci cum vniuersa classe in hostem inuehuntur. Ibi cum Barbari ex multis hinc inde portubus se expedirent, acies Themistoclis cum dissipatis & incompositis adhuc Persis conserta, multas hostium naues demersit, nec pauciores ad continentem vsq; fugere compulsas, persequuta est. Adunata interim classe vniuersa, acriq; pugna inita, parte quadam nauium vtriq; superiores erant, plena tamen victoria neutri potiebantur, donec interuentu noctis prælium diremptum est.

XXIII. SIC fere Diodorus, multis prætermissis, quæ ab Herodoto fuit, l. 8. narrantur. Metum quippe Græcæ classis omisit, quæ Themistoclis astu, & Eubœorum 30. talentis retenta sit, tum occultam diuisionem Persicæ classis ad circumeundam orientalem Eubœæ oram, in cuius ora medio ad Artemisium erant Græcæ naues, vt à tergo, & à fronte conclusi Græci, ad vnum omnes perirent. Verum classis ista quæ Eubœam circumuehebatur, erat que ducentarum nauium selectarum, per noctem & tempestatem in saxa impingens, prope Geræstum, & Caphareum promontorium, ad caua Eubœæ tota funditus perijt. Numine, inquit Herodotus, & Diodorus, pro Græcis pugnante, vt vtriusque partis nauibus æquatis pugnaretur: aut potius, vt Barbari superbia deijceretur, & crudelitas puniretur.

XXIV. INTEREA Græcis tres & quinquaginta naues Atticæ superuenere, (Diodorus tres omittit,) quæ Græcos gemina lætitia affecerunt. Nam & nouum auxilium attulere, & nuncium nauium hostilium ad saxa allisarum. Cumque Barbari prioribus affecti malis, tantisper quiescerent, animosque colligerent, Græci renouatis animis, viribusque, eadem qua pridie hora in naues Cilicum impetum fecere. Quas vbi corruperunt, & nox aduenit, iterum se ad Artemisium receperunt. Tertia die Barbarorum duces, dum indigne ferentes à tantula se classe vexari, tum ab Xerxe supplicium timentes, non expectandum censuerunt, dum Græci priores pugnam capesserent, sed instructas naues circa meridiem eduxerunt. Cumque Græci ad Artemisium immoti manerent, illi lunata classe eos adorti, circumcingere conabantur, verum Græci acerrime sese defendentes effecerunt, vt paribus fere damnis, parique marte eo die è pugna discederetur. Etsi enim plures è Barbaris viris, nauibusque desiderabantur, multi tamen Græci, non minore ob paucitatem detrimento, cum suis nauibus peribant. Nam ex his Ægyptij, quinque Græcas naues cum suis propugnatoribus ceperant. Eos Diodorus videtur sentire fuisse Sidonios, quos ait omnium Barbarorum fortissime se gessisse, sicut Græcorum Athenienses.

XXV. DIRAMPTO superueniente nocte prælio, Græci licet multis barbaros malis affecissent, tamen quod & ipsi male affecti essent, præsertim Athenienses, quorum dimidia pars nauium admodum debilitata fuerat, de fugiendo in vlteriora Græciæ deliberant. Quæ sententia tum demum maxime persuasa est, cum res ad Thermopylas gesta illis nunciata est, neque vltra discessum differendum rati, vt quisque locati erant, abscesserunt, primi Corinthij, postremi Athenienses. Cum Themistocles operam dedit, vt è classe Persarum Iones & Cares abduceret, sicque eius semper vires imminueret, Inscriptis ad aquas potabiles ad saxa literis, quibus vel eos persuaderet à Rege deficere, si easdem priores legerent, vel certe suspectos redderet Regi, si prius ei innotuissent: sicque à classe tanquam infidi summouerentur. Idem recitat in Themistocle Plutarchus. Et lectas quidem ab Ionibus scribit Herod. quo autem euentu patuit in pugna Salaminia, vbi plerique ignauiter de industria pugnabant, alij ne pugnabant quidem.

XXVI. PERSÆ cognita Græcorum fuga, simulatque refulsit Sol, omnis classis addensata ad Artemisium contendit, vnde illi soluerant: indeque progressi Histiæam vrbem

Eubœæ cœperunt, quam Ortelius eandem esse vult cum ea, quam Plinius Oreum, Ptolem. Oræum, & non Soreum appellat. Sed huic sententiæ repugnat Herodotus, sibique habet consentientem Plutarchum in Themistocle: repugnat inquam, cum ait, Persas ab Artemisio ad Histiæam processisse, at Oræum Ptolemæo citra Artemisium esse, non vltra. Dum res ita in mari geritur, interea Xerxes Thermopylis in potestatem redactis, terrestri itinere ad vlteriora Græciæ penetrabat, cum ei Arcades perfugæ, rogati quid Græci agerent, responderunt, eos agere Olympica, & spectare certamen gymnicum atq. equestre. lib. etiam 7. aliquanto ante finem ait Thermopylas occupatas à Leonida & Spartanis, tempore Olympiadis, ex quibus superius rationem confirmauimus.

Terra marique.

XXVII. *Doridem adeunt.* *Phocidem vastant.*

THESSALIA ergo, Thermopylisque superatis, Doridem regionem ingressi sunt Barbari, quibus, vt secum sentientibus, nihil admodum iniuriæ intulerunt. Posteaquam vero è Doride in Phocidem transgressi sunt, desertam viris regionem inuenerunt, quod alij alio diffugissent: omnem tamen agrum Phocensem ducentibus Thessalis eorum inimicis, percursarunt, vrbes templaque igni, ferroque vastarunt, viros cædendo, mulieres stuprando extinxerunt. Recte porro Herodotus à Thessalia, & Thermopylis Doridem primo, itum Phocidem occurrisse scribit; talis enim est apud Ptolemæum, aliosque Geographos earum prouinciarum situs, quem neglexit Diodorus Siculus, cum ait, Xerxem à Thermopylis digressum, per Phocensium fines iter fecisse, oppida passim exscindentem, & quidquid regio illa possidebat, corrumpentem; postea vero Doriensium regionem peruasisse, & ibi ab iniuriis abstinuisse.

XXVIII. *Templum Delphicum frustra assultant.*

APVD Panopem Phocensium vrbem bifariam diuisæ copiæ, earum pars validissima cum Xerxe Athenas versus tendebat in Bœotios, qui cum Persis sentiebant. Cæteri autem cum suis ducibus Pernassum à dextra præstringentes, ad templum Delphicum, quod erat in Phocide, spoliandum progressi sunt; ex quo tamen loco cum fulminibus è cœlo, tum saxis à Parnasso ingenti fragore deuolutis repulsi, partim aufugisse ad Bœotios, partim occidisse referuntur. Et potuit malus dæmon, qui ibi sacrilege colebatur, antiquam illam mendacij, & fraudum officinam Græcis, plurimisque alijs populis dementandis idoneam, istiusmodi procella, ac tempestate, Deo permittente, tutari; quoniam nondum tempus illud aduenerat, quo Saluator dicebat, *nunc princeps huius mundi ejicietur foras.*

XXIX. *Classis Græca Salaminam versus.*

INTEREA Græcorum classis ab Artemisio profecta, rogatu Atheniensium ad Salaminam insulam substitit, vt eorum præsidio possent, liberos suos, & vxores ex Attica subducere, & quid opus esset facto in commune consultare: præsertim cum Lacedæmonij, quos spes erat Eubœam propugnaturos, ad Isthmum Peloponnesi puniendum, ac defendendum abijssent. Edixerunt igitur Athenienses, hortatore in primis Themistocle, vt est apud Plutarchum, vt sui, qua quisque ratione posset, liberos, familiamque seruarent. Itaque plurimi suos in Trœzeniam, quæ est in Peloponneso, ad Scyllæum promontorium, quidam in Æginam insulam, alij in Salaminam ipsam transmiserunt: inde omnes Salaminam ad classem nauigarunt; quo etiam classiarij, qui ad Trœzeniam erant, confluxere, & diuersis ex locis aliæ, donec triremium numerus ad 378. ascenderet: quibus duæ postea, ante pugnam ipsam accessere, vt fieret classis omnino 380. nauium, præter aliquot alias quinquaginta remorum. Ibi disceptauere duces, Eurybiade Lacedæmonio totius classis præposito rogante, quis videretur commodissimus ad pugnam locus. Et plerique Isthmum in Peloponnesi aditu eligebant, vt si male pugnatum esset, ad suos cuiq; effugium daretur.

Athenienses vrbem deserunt.

XXX. *Persæ deuastant Atticam, ipsasque Athenas.*

HÆC dum agitantur, venit quidem Atheniensis nunciatum Barbarum iam Atticam ingressum esse, eamque omnem igne vastare, & incensis Thespiensium, & Platæensium vrbibus, Athenas peruenisse (erat hic tertius mensis à transitu Hellesponti) eamque desertam cœpisse: sed & paulo post arcem expugnauit, & templum, quod & incendit. Quibus auditis tantus omnes terror inuasit, vt nonnulli quamprimum vela facturi, fugamq; ad sua quisque inituri viderentur: cæteri vero ad Isthmum pugnare statuerent. A qua tamen sententia Themistocles multa eos contentione deduxit ad tempus, donec classiariæ Xerxis copiæ ex Histæa profectæ, triduo ad Phalerum Atticæ portum, Piræeum postea dictum, 40. stadijs Athenis distantem peruenerunt: quò venit Xerxes concilium de nauali pugna initurus; eamq; omnes consulebant, quod eò regem viderent propendere, qui etiam putabat suos ad Eubœam male sponte pugnasse, quod videlicet ipse abfuisset, vna tamen Artemisia repugnabat, nihilominus pugna naualis decreta est, cui Rex ipse constituit interesse. Itaque Salaminam versus, vbi erat Græcorum classis, cursum intendunt, aciemq; per otium instruunt, pugnam nox superueniens impediuit.

Pugnam ad Salaminam parant.

XXXI. *Græcorum fugam Themistocles per fraudem impedit.*

CVM interim metus ingens inuasit Peloponuenses, pro regione sua, arbitrantes se ad Salaminam pro ea insula, aut pro Attica, quæ iam perdita esset, deserta patria, quæ adhuc intacta esset, pugnaturos. Quæ sententia quãtumuis repugnantibus Atheniensibus, Salaminijs, Æginetis, Megarensibus, cum vicisset, iamque proximum esset, vt classis diuideretur, Themistocles clam è concilio egressus, misit nuncium ad Persas, Sicinum de Persis captum Plutarchus vocat, quasi ei fauens, suadensque, vt fugam adornantes, & à terrestri exercitu seiunctos, & inter se dissidentes Græcos, in quibus etiam multi pro ipso pugnaturi sint, quamprimum inuadat. Fide temere habita Themistocleo nuncio, Persæ, omnem Græcorum classem ad Salaminam positam sua ipsi circumueniunt. Qua re animaduersa Græci, misso abeundi consilio, ad pugnam necessario se comparant.

XXXII. *Dispositio classis vtriusque. Ionum proditio an laudanda.*

DEXTRVM cornu tenebant Ionij, & contra Lacedæmonios pugnabant; sinistrum Phœnices, quibus oppositi erant Athenienses, & Iones, iuxta Themistoclis monita se, infideliter in pugna gesserunt, vt scribit Herodotus: proditionem eorum, quod in Græcorum vtilitatem cesserit, in laude ponens: qua in re Ionibus suis, non satis feliciter fauet. Nam dum sub legitimo principe pugnantes, & in bello, de cuius iniustitia eis non constaret, ei cladis non exigua causa fuerunt, non laude, sed pœna digni censendi sunt.

Pugna, & clades Persarum vndecima.

DIODORVS de Ionibus tacet, & initium cladis ex loci angustijs ortum ait, tum ex Imperatoris in prima acie forriter dimicantis interitu, quo non parum terroris, & turbarum toti classi fuerit iniectum; cum non adesset, qui haberet in omnes imperium, & mitteret opem laborantibus. Nam Xerxes in locum quendam tutum è regione Salaminis se receperat, vnde pugnam spectaret innoxius. Nihilominus solito melius se gerebãt Persæ, quod se quisque à Xerxe conspici arbitraretur, ab eo sibi male metueret, quippe qui Phœnices, à quibus præclarissime certatũ fuerat, de Ionibus merito conquerentes capite plecti iussetat. Denique Barbari fusi, fugatique in Atheniensium portum se receperunt.

XXXIII. *Xerxes de fuga cogitat.*

COGNITA sua clade Xerxes, veritus ne quis Ionum à Græcis subornatus, aut sua sponte ad pontes soluendos in Hellespontum nauigaret, vnde ipse in Europa deprehensus de salute periclitaretur, de fugiendo apud se consultabat; sed quod rem nollet vel à suis, vel à Græcis detegi, redintegrandæ pugnæ consilium præ se tulit. Interim Mardonius, qui eam fugam suspicabatur, & in se, tanquã expeditionis authorem, regiæ indignationis molem recasuram videbat, eum sponte adit, & consolatur, & spe replet; suadet tamen vt in omnem euentum ipse domum redeat, relictis sibi 30. myriadibus militum, Diodo. habet 40. à quibus quod belli supererat feliciter conficeretur. Nã vt ab Artemisia quoq. quæ concilio à rege adhibita fuerat, admonebatur si res ex sententia Mardonio successerint, Regis tamen laus futura sit, qui per seruũ suum Græcos subegerit, sin contra, non magnam fore calamitatem, Rege, req. eius incolumi, & dedecus ad seruum, non ad regem redundaturum.

Quam Mardonius ei suadet.

XXXIV. *Abiit Hellespontum versus.*

FACILE persuasum est homini meticuloso, quod ipse iam ratum in animo habebat. Itaque nocte proxima iussu regis præfecti classis è Phalero soluentes, retro Hellespontum versus abierunt, pro se quisque accelerantes, ad custodiendas rates, quibus Rex pertransiret. Qui cum ad Zosterem aduentaret, id est, Atticæ promontorium, minuta quædam continentis portenta promontoria Barbari suspicati nauigia esse, perdin illinc aufugerunt. Tempore deinde edocti non nauigia esse, sed promontoria, in agmen sese receperunt.

Græci de insequendo deliberant.

Græci vbi sub lucem aliquandiu prælium frustra expectarunt, edocti hostilem classem vela fecisse, aliquandiu insecuti inter se deliberarunt, an ad Hellespontum vsque nauigaturi essent, & Persarum pontes dissoluturi, quæ erat Themistoclis sententia, vel vera, vel dissimulata, vt ait Plutarchus in eius vita, & Atheniensium, qui gemebant sibi hostem de manibus eripi, & qui vel soli eum expugnare, & perdere cupiebant: an vero permissuri vt abirent, cum maiori vtilitate Græciæ; ne forte præter cõsuetudinem fortiter agere, & reliquam Græciam vastare cogerentur, quod Aristides & reliqui duces opinabantur.

XXXV. *Et Persarum non sequi.*

EA sententia cum vicisset, Themistoclis suis quidem persuasit, id esse ex vtilitate Græciæ, cui expediat reliquũ annum, atque hyemem imminentem in patria, quoquo modo restauranda ponere; vere autem appetente in Hellespontum, & Ioniam nauigaturos. Ipse tamen vafre id egit, necessitatem in consilium vertens, & perfugium ad Persas sibi præparans, si quid Athenis in eum tempestatis exoriretur. Itaque Sicinum contubernalem, (pædagogum liberorum suorum Diodorus vocat) quo iam vsus fuerat, in Salaminia pugna regi persuadenda, & Græcorum fuga præuertenda: hunc ergo ad eum misit, cum adhuc esset in Attica, cum his mandatis, Themistoclem, regi gratificandi gratia, retinuisse Græcos classem eius insequendi cupidos, & pontes, qui sunt in Hellesponto soluendi: itaque recte facturum, si eo quamprimum silentio recipiat sese.

XXXVI. *Pauca copiarum secum fame vexantur & morbis.*

ITAQVE Xerxes ei fide habita, maturat in Hellespontum peruenire, quod intra quinque & quadraginta dies terrestri fere itinere consecutus est, nullam propemodum partem copiarum ducens, quæ quocunque veniebant, ait Herod. & ad quoscunq; homines, direptis eorum fructibus vescebantur. Vbi nihil fructuum reperiebant, ipsa herba, vt è solo germinabat: nonnulli delibratis corticibus, & strictis frondibus arborum tam agrestium, quã mansuetarum, ad sedandam ventris rabiem vtebantur, nihil omnino relinquentes, hoc præ fame facere coacti. Quos deinde pestilentia excipiens, & dysenteria inter viam extinguebat: Xerxes ægrotos relinquebat, ciuitatibus, vt in quamque veniebat, imperans vt illos curarent, & pascerent reliquos ait Sardeis cum Xerxe ægre peruenisse. Non est autem mirum totis illis regionibus famem grassatam fuisse, in quibus tanta barbarorum colluuies fuisset debacchata. Sic enim Deus rerum profusionem, rerum penuria vindicabat, & incredibilem superbiam, turpissima fuga, & confusione castigabat.

XXXVII. *Cur pontis dissolutionem timuerit. a l. 8. p. 318. 612.*

ILLVD potius mirum videtur, qui fieri poterat, vt Xerxis fugam impediret pontis in Hellesponto dissolutio (quem reuera iam tum tempestate dissolutum) testatur Herod. a cum nauibus abundaret, & plurimos haberet tota Asia portus ad quos appelleret, plurimas Insulas sibi subditas, à quibus exciperetur. An is ita fuerat metu dementatus, vt id non animaduerteret? at multos habebat secum, à quibus ei mens reddi potuisset, si vel ausi essent, vel ille audire voluisset. Certe refert Herodotus quorundam sententiam, qui dicunt Xerxem, permisso Hydarni exercitu, quem ad Hellespontum deduceret, ipsam nauim Phœnissam conscendisse, vt in Asiam se reciperet, & dum cursum tenet, à Strymonia ingenti vento fuisse exceptum, & eo vehementius tempestate iactatum, quod nauis erat referta vectoribus. Ibi metu perculsum Regem, cum clamore interrogasse gubernatorem, num qua salus eis esset. Et cum ille respondisset, Here nulla admodum est, nisi aliqua diminutione vectorum. Tum

Tradunt nonnulli in Asiam naui aufugisse.

Xerxem eo audito ita locutum. Viri Persæ nunc aliquis vestrum declaret se curam habere regis: in vobis enim videtur sita esse salus mea. Quibus dictis, aiunt, Persas eo adorato desilijsse in mare, atq. ita leuata naui Xerxem incolumem in Asiam peruenisse. Egregia plane, vehementerque laudabili Persarum in principem suum veneratione, atque charitate. Cæterum eam sententiam minus probat Herodotus, existimans Xerxem in Asiam cum reliquo exercitu itinere pedestri reuertisse, quod eius etiam timiditati magis consentaneum est. Cæterum Mardonius paucis post pugnam diebus, mouit in Bœotios, indeq; in Thessaliam ad hyberna concessit, vt deinde in eunte vere tentaret Peloponnesum.

Persarum in principem suum amor.

XXXVIII. *Res in Sicilia gesta. Amilcar tempestate iactatus.*

DVM hæc in Græcia geruntur, Carthaginenses in Sicilia infeliciter quoque pugnarunt. Nam vt scribit Diodorus eodem die à Gelone compertum est deuictos Pœnos, & Leonidam cum suis ad Thermopylas in Xerxis castra irruptione facta strenue pugnasse. Carthaginenses, sicut inter ipsos & Persas conuenerat, de Græcis in Sicilia per idem tempus debellandis, ingentem rerum bellicarum apparatum fecerãt, cui Amilcarem præfecerant, qui dum Lybicum pelagus traijcit, tempestate afflictus nauigia, quibus equi & currus transuehebantur, amisit. Nihilominus Panormum Siciliæ portum inuectus, bellum se confecisse dicebat, veritum hactenus ne maris beneficio periculum Siculi deuitarent. Inde triduo exercitu recreato, refectisque naufragij damnis, aduersus vrbem Himeram duxit, eamque obsidione cinxit, cum Gelo Syracusis accitus, cum 50. millibus peditum, & equitum quinq; millibus venit: tum locatis ad vrbem castris, hostium, qui palabundi agros circumcursabant, decem millia capit, & captiuos in vrbem ducit. Inde egregio stratagemate, victoria potitur.

XXXIX. *Gelo egregio stratagemate Pœnos superat.*

CVM enim interceptus esset quidam tabellarius, cum literis ad Amilcarem, quib. Selinuncij spondebant se certa quadam die affuturos cum copijs, eadem die Gelo nauales suas copias mittit, quæ se à Selinuncijs venire fingerent, & tanquam sociæ in castra admissæ, obtruncato Amilcare tum sacrificante, naues incenderent. Sub idem autem tempus Gelo contra Pœnos terrestri prælio congreditur, neutram in partem aliquandiu inclinante victoria, donec flamma è nauibus exurgente, & Imperatoris morte nunciata, Carthaginenses animo fracti, & spe victoriæ abiecta in fugam conuersi sunt: & quia Gelo edixerat ne captiui acciperentur, non pauciores 150. millibus occubuerunt. Qui effugerant in locum munitum elapsi, siti ad deditionem coacti sunt, 20. naues longæ, quas Amilcar ad necessarios vsus seduxerat, periculum euasere, & solæ ex vniuerso numero reditum in patriam instituere. Sed cum multitudine fugientium repletæ essent, & aduersis insuper procellis vexarentur, omnes naufragio absumptæ sunt. Vix pauci exigua erepti scapha, Carthaginem appulsi, totam vrbem metu ac mœrore repleuerunt, quæ & legatos pacis causa ad Gelonem misit, vt fusius enarrat Diodorus.

ac dein.

Reliquiæ naufragio absumptæ.

XL.

CÆTERVM de historia Iudith, quam hoc tempore Torniellus contigisse putat, satis in Manassis regno diximus. Mirum autem esset Herodotum, qui sub hæc tempora vixit, quique tam multa minuta de Xerxe persecutus est literis, & minutas etiam singularum nauium ab eius imperio defectiones: aut Thucydidem, qui Herodotum proxime consecutus est, nullum verbum de tanta defectione Medorum, & Assyriorum facere voluisse. Nec parum etiam redditur improbabilis ista sententia hoc ipso, quod sine vllo fundamento cogitur hoc tempore excitare nouam Ecbatanam, nouam Niniuem, Medorum quoque ac Chaldæorum regna restaurare cum regibus suis; quæ mox pari felicitate euertit, & ex hominum memoria funditus delet.

XLI. *De Consulis creandis Contentio.*

ROMÆ autem de creandis Coss. orta est contentio, optimates inter & plebeios, vtrisque suæ factionis Consules designantibus: tandem inter partes ita conuentum est, vt vnaquæq; consulem daret. Itaq; à Senatu designatus est Cæso Fabius II. is qui Cassium tyrannidis reũ pere-

Tribunorum militum deliberatio impedit.

gerat, à plebe autem Sp. Furius. Hi simul atque magistratum inierunt, venit ad Senatum Latinorum legatio, petens vt ad se mitteretur alter Consulum cum exercitu, qui compesceret Æquorum insolentiam. Etruria quoq; vniuersa moueri nunciabatur, breui in armis futura. Amboigitur Consules cum suo quisq; exercitu exituri erant, alter ad opem Latinis aduersus Æquos ferendam, alter ad inuadendam cum copijs Etruriam. Sed conscribendis militibus obsistebat. Sp. Icilius Trib. pleb. quotidianis concionibus promissam agrorum diuisionem à Senatu exposcens, negansq; se permissurum, vt vllum Senatusconsult. vel in bellicis, vel in vrbanis negotijs admitteretur, nisi prius decemuiri finiendo agro pub. designati essent.

XLII. Sectorum interceptio frustratur.

HIC hærentem Senatum, nec expedientem consilium Ap. Claudius summonuit, darent operam, vt cæteri tribuni ab eo dissentirent; monebat etiam vt sequentes deinceps Consules curarent, vt semper aliqui tribunorum familiares, ipsis & amici essent. Eius enim Collegij potentiam, haud aliter infringi posse, nisi dissidium inter ipsos foueretur. Ea sententia valde probata est Coss. & Patrum primoribus, vt ait Dionys. An rectè, inquies? vtiq; rectè, si Tribunus Icilius iniustè intercessit, quod diiudicare in promptu non est. Nam vt demus agri diuisionem iustam fuisse, & promissionem Senatus in rem fuisse conferendam, non tamen apertum idcirco est eam diuisionem huic expeditioni anteuertendam, & sine vllo Reip. damno anteuerti potuisse. Illud certè constat bellicam alterius Consulis expeditionem, ex ea causa minus rectè successisse.

XLIII. Se contentis dissidia an cognitione probanda.

VNIVERSE autem loquendo dissidia, etsi prima specie male audiunt, sunt tamen ex earum rerum genere, quæ dicuntur adiaphoræ, & ex fine bonitatem accipiunt, aut malitiam. Itaq; dissidentes sententias vel spargere, vel fouere, vt boni aliquid fiat, vel malum impediatur certum est esse laudabile. Nam Diuus Paulus Act. 23. iniecit inter Pharisæos & Saducæos dissensionem: & alteram partem sibi amicam reddidit, alterius autem conatus irritos fecit. Vice autem versa improbanda est dissentio, quæ gignitur, aut fouetur, vt mali quidpiam fiat, vel bonum impediatur; aut etiam quia displiceat ipsa animorum conspiratio. Ideoq; Salomon inter alia scelera quæ odit Dominus, septimum ponit quod detestatur anima eius, eius scilic. improbitatem, qui seminat inter fratres discordias.

Prou. 6. 19

XLIV. Res à consulibus hoc anno gesta.

CONSVLES ergo Senatoresq; effecerunt, vt quatuor è tribunis in partem Senatus transirent; qui aliquandiu frustra conati Icilium à proposito abducere, eius actioni intercesserunt. Ita desolatus Icilius nihil amplius potuit. Ergo delectu habito Furius in Æquos profectus, cum esset militi carus rem bene gessit, & prædam ex hoste acceptam donauit militi, domumq; rediit. Cæso autem Fabius, etsi egregiè functus Imperatoris officio, nullam tamen rerum gestarum laudem retulit, relicta sponte à milite imperfecta victoria, ne Consul triumpharet. Quod enim militi esset exosus, eius vel monitis, vel iussis difficilem ac contumacem exhibebat sese, adeo vt propemodū inuitum media ipsa nocte castra mouere, & in vrbem redire coëgerint: vbi, præter ignominiam desertorum castrorum, periculum etiam non mediocre adierunt, dum in tenebris per hosticum nullo ordine discessere, vt pluribus narrat Dionysius.

al. p. 561. gr. lat. XLV. Euripides ortus.

EVRIPIDEM poëtam hoc ipso anno primo Olymp. septuagesimæ quintæ, quo Asychus in Olympico stadio victor memoratur, natum esse autor est Laërtius in vita Socratis. Duodecim annis ante ortum Socratis numeratis extremis. Distinctius etiam Suidas. Cum Xerxes, inquit, Hellespontum traiceret, in vtero gestatus est: eoque die natus, quo Græci Persas in fugam coniecerunt. Sed de eo rursum in eius morte, quæ incidit in Olympiadem XCIII. dicendum erit. Habetur quoq; in Olympionicarum catalogo Charonem quendam Lampascenum filium Pythoclis historicum hoc tempore celebrari cœpisse.

* * † * *

ANNVS MVNDI 3575. SEXTÆ AETATIS 59. Xerxis 8. Imperii Persarum 59. Ioacimi Pontificis 8. Olympiadis LXXV. An. 2. Vrbis condit. 274. C. Manlio, M. Fabio II. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 478.

I. Res à Romanis gesta.

PRIVSQVAM Persarum, Græcorumq; res anni huius, quæ Athenis Prætore Xantippo contigerunt, attingamus, Romanam eiusdem anni historiam paucis expediamus.

Etrusci Romanos insultant.

Cū Etrusci deserta nuper à Romano milite castra, propter odium aduersus Cæsonem Fabium, quasi victores populati essent, agrosq; hostium finitimos; ad eum tumorem comprimendum noui consules C. Manlius & M. Fabius ex Senatusconsult. exercitum contra Volscos duxerunt, & vrbanis, & sociorum legionibus conflatum, sed minime sponte militantem, propter dilatam adhuc agrorum diuisionem. Etrusci contra, validum & numerosum exercitum in promptu habebant. Consules ergo admotis prope Veios exercitibus, castra in duobus tumulis posuerunt, cumq; essent admodum solliciti, ne non satis tutum esset parum sibi consentientem exercitum in hostes educere, suis vterq; castris se continebat, nec pugnæ copiam, hoste quantumuis extimulante, Romanis à pugna auersis, faciebant, donec ipsimet varijs probris, & cōtumelijs ab hostibus affecti, vnanimes pugnam à Consulibus petierunt, &, verbis de contumacia castigati, impetrarunt. Accessit etiam iusiurandum de non repetenda patria, nisi cum victoria.

II. Insigne prælium.

ITAQVE pugna commissa est, de qua ita Dion. Ferunt nunquam ad eam ætatem Romanos pugnasse tam magno prælio, siue diuturnitas eius spectetur, siue pugnatorum numerositas, siue fortunæ, nunc his nunc illis fauentis vicissitudines. Alter consulum C. Manlius cecidit, alter immani vulnere saucius ita decubuit, vt se magistratu abdicare coactus sit. Mortuus quoq; est vnus legatorum Q. Fabius, qui bis consul fuerat, alijq; multi duces, tribuni, centuriones, quod nunquam ante. Victoria tamen penes Romanos fuisse videtur, non ob aliud, quam quod sequenti nocte Etrusci desertis castris abierunt. Oblatum triumphum superstes consul recusauit, negans vel fas vel ius esse, in fratris & collegæ amissione, lauream & pompam admittere. Cum ergo Consul decumberet, Senatus interreges elegit comitiorum gratia, cum adhuc duo menses de magistratu annuo superessent.

III. Quo statu vtriusque classis.

CLASSIS Persica, Phœnibus exceptis, post Salaminiæ pugnæ cladem, apud Cumam versabatur, habitisque illic hibernis quamprimum ver appetebat, in Samum traiecit, vt Ioniam, cuius dubia erat in Persas fides, inde obseruaret, cum quadringentis & amplius nauibus, vt ait Diodorus, vel trecentis, vt scribit Herod. nec sine causa dubia erat. Nam Iones Themistoclis artificio in pugna Salaminia exercitum suum, regemq; prodiderant, & hoc tempore legatos ad Æginam insulam, vbi erat Græcorum classis, miserant eos exoraturi, quod & antea fecerant, vt in Ioniam nauigarent, quod se ipsis dedere vellent. At Græci Delum vsq; profecti, quæ insula est in Cycladibus, Persarum metu vltra progredi non sunt ausi. Vice versa etiam Persæ vltra Samum progredi non audebant. Ita timor medium eorum spatium tuebatur.

IV. Mardonius Athenienses sibi conatur adiungere.

INTEREA Mardon. qui se terrestribus copijs facile superiorem Græcis fore arbitrabatur, Athenienses, quorum maritimas copias validas norat, earumq; opera in primis Græcos apud Salaminam fuisse victores non dubitabat, sibi adiungere, & à cæteris Græcis diuellere conatus est, vt ita sibi maris imperium vendicaret. Itaq. Alexandrum Amynthæ filium Macedonem Athenas misit, qui de societate cum Persis ineunda, serio ageret, eosq; promissis ingentibus alliceret, & minis vice versa recusantes beneuolentiam & amicitiam tanti regis territarent. At Lacedæmonij cum hæc agitari sensissent, & plane de se, totaq;

Græcia

Græcia actum esse intelligerent, si id fœdus coaluisset, sine mora illuc legatos mittunt, qui tempori adfuerunt, dum Alexander concionem haberet; & spem omnem fœderis, vehementissime ab eo Athenienses auocando, dirmecerunt. Nam responderunt Athenienses Mardonio se perpetua cum Barbaris inimicitias gesturos, vim omnẽ à Græcis propulsaturos, aliaque id genus nonnulla. Lacedæmonijs autem, qui omne auxilij genus obtulerant Atheniensibus, quorum patria nuper conflagrauerat, & gratias egerunt, & spem de tutanda perpetuo Græcia, & Xerxe arcessendo, copiosius confirmarunt; rogantes, vt quamprimum ad defensionẽ Græciæ suas ipsi copias mitterent, quod certum haberent Mardonium, cognita Atheniensium voluntate, statim in Atticam infestum prouolaturum; vt fusius ab Herodoto a memoratur.

a l. 9. extremo.

V. Mardonius iterum Athenas occupat.

HIS nuncijs acceptis Mardonius motus è Thessalia, citato cursu Athenas contendit, eamq; iterum à ciuibus desertam, cepit, 10. mense ea quo à rege capta fuerat: vim tamen nullam adhibebat, aut vrbi, aut agris; sperans fore Athenienses ad se pertracturum, quorum regionem haberet in potestate. Itaque in Salaminam eos tentatum rursum mittit, pari euentu. Interea Athenienses missis in Peloponnesum legatis, omni contentione agebant, vt copias suas quam citissime mitterent, nisi vellent se, inito cũ Persis fœdere, contra ipsos, & reliquam Græciam arma capere. Decem ipsos dies nihil responsi dederunt, quibusdã Argiuis, qui à Mardonio corrupti, ei spoponderant se Spartanas domi retenturos, eos retinentibus, & patriam tueri, Isthmumque permunire suadentibus. Tandem Ephori, præter spem, scientiamque legatorum, sub noctem quinque millia Spartiatarum, cum septenis quemq; famulis, duce Pausania miserunt Atheniensibus auxilio, quos mox secuti sunt nuncij Atheniensium, cum Lacedæmoniorum quinque millibus.

Athenienses a Spartanis ...

QVÆ vbi intellexit Mardonius, priusquam Pausanias cum copijs Isthmum egrederetur, incensis Athenis, & si quid murorum, aut priuatarum ædium, aut sacrarum extabat, eo omni diruto, atq; obruto, subduxit exercitum, quod Attica non esset adequitabilis, quodque, si ibi male pugnasset, nisi per angustias exitus non pateret, vbi à paucis transitus prohiberi poterat. Itaq; Thebas regressus est, vbi Attaginus vir Thebanus conuiuio magnifice apparato, Mardonium ipsum, & Persarum honoratissimos quinquaginta inuitauit, totidemque Thebanos, quos in singulis lectis alternos posuit, Persam & Thebanum. Eorum vnus Thersander Herodoto postea retulit, ipsi à socio Persa cum gemitu dictum vt sibi consuleret, fore vt breui omnes Persæ, quibuscum ille militabat, perirent: innuebat autem proximam cladem Platæensem Persarum exercitui imminentem. Cui cum Thersander diceret, hæc ad Mardonium, reliquosque Persarum duces esse referenda, vt & ipsi sibi consulerent. Tum Persa, hospes, inquit, quidquid à Deo fieri oportet, id homini ineuitabile est. Nam ne credibilia quidem dicentibus credere quisquam vult. Hoc præmulti Persarum cum sciamus, tamen Mardonium sequimur alligati necessitate. Est enim hoc in omnibus acerbissimum, cum qui multum sapit minime potentem esse. Sic Herodotus.

Persa præsagus cladis futuræ. l. 9. p. 225. græ.

Fati necessitas.

VII. Rectorum sapientia.

QVÆRITVR hic Persa non semper autoritatem cum sapientia esse coniunctam, vt qui plurimum possunt, plurimum etiam sapiant: quod verum est aliquando. Etsi æterna sapientia, per quam reges regnant, maiorem soleat sapientiæ lucem ijs infundere, quibus mundi gubernacula vicaria potestate commisit, ne tam necessario præsidio in officio suo recte administrando destituti, sese perdant ac suos. Cætera cæcam illam, & violentam fati vim sapiunt, homines ad mortis necessitatem inuitos trudentem, & impellentem: animum quoq; eius ad obstinationem in propria sententia, contra omnium monita obstinatiorem, sed id plane falsum est. Neque enim Deus, qui in isto Fato intelligitur, aut eius prouidentia quidquam rerum istarum, quæ ex hominis libertate pendent, decernit, aut ordinat, quin prius præuiderit, quam se in partem homo determinaturus sit, & quid deniq; facturus, & quidem libere, & non necessario facturus. Nec eum Deus obfirmat in sententia, sed ille sponte, Deo permittente, respuit, quæ eius saluti corporis, animiuè conducerẽt: quo tamen posset Deus ipsum suauiter inducere, si vellet, & omnino efficere vt vellet, quod volendum est.

VIII. Atheniensium in honore pugnæ modestia.

DENIQVE venerunt Græci ad ciuitatem Platæas dictam, vbi cum ordinandus esset exercitus, & suus cuique populo tribuendus locus, & Tegeatæ honoratissimum sibi locum vendicarent, Athenienses postquam suam causam egerunt magna animi summissione: Verum non decet, inquiunt, hac rerum conditione de loci dignitate contendere, vbicunque & iuxta quoscunque vobis Lacedæmonij videbitur appositissimum nos stare, illoc euntes obtemperabimus. Vbicunq; enim collocati fuerimus, conabimur strenui existere. Itaque edocete nos tanquam vobis parituros. Egregiu plane modestiæ, & charitatis in patriam exemplo, vt Athenienses, qui hactenus contra Barbaros facile palmam fortitudinis & prudentiæ tulerant, qui patriam in communi causa amiserant, & classe præ reliquis omnibus plurimum poterant, parati tamen essent non solum paribus, sed inferioribus etiam de dignitate concedere, & omnibus suis iuribus patriæ charitatem anteferre.

IX. Et Themistocleo, ... Ordo & dispositio Græcorum exercitus ad Platæas.

HÆC ipsa causa fuit, cur Themistocles Atheniensis, qui maxime erat idoneus, totius classis præfectus non fuerit, sed Eurybiades Lacedæmonius; quoniam plerique Græcorum Atheniensem ducem habere nolebant, vt scribit Herodot. Athenienses vero vel cuius subdi maluerunt, quam sua causa Græcorum classem in vnum non coalescere. Nec tamen nunc huctu modestiæ suæ caruerunt, acclamante vniuerso Lacedæmoniorum exercitu, alterum in acie cornu Atheniensibus concedendum esse; sinistrũ videlicet, nam dextrum Lacedæmoniorum decem millia tenebant, quorum quinq; millia erant Spartiatarum, cum 35. millibus seruorum leuis armaturæ, septenis seruis, quos Elotas vocabant, circa singulos Spartiatas collocatis. Applicauerunt etiam sibi Spartiatæ, & honoris, & virtutis ergo, Tegeates numero mille quingentos. Secundum hos stabant Corinthiorum quinq; millia, & ita deinceps donec ad sinistrum cornu, in quo erant octo millia Atheniensium, duce Aristide Lysimachi veniretur.

a. Summa copiarum Græcorum.

OMNIVM vero summa apud Herodotum peruenit ad triginta octo millia & septingentos grauis armaturæ, emendato textu Latino, in Lepreatis, quos Valla mille ponit, Hero. ante ducentos; vnde tota sum̃a recte Græcè congruit, Latine nõ congruit. His autẽ addenda sunt prædicta 35. millia leuis armaturæ, & rursus 34. millia quingenti, qui reliquis Græcis aderant: postremo Thespiensium mille & octingenti, quibus vndecim myriades expletæ sunt, vt recte numerauit Herodotus, & patet in marg. Hæ omnes copiæ ad Platæas & Asopum fluuium, qui Thebaicam regionem à Plataica diuidit, & Marathonem quoq; alluit, castra communierunt. Persæ autem ex altera parte fluminis suas copias Græcis ex certo iudicio oppositas collocarunt, ad 30. myriades, quibus & Græcorum eis fauentium accedebant, vt notat Herodotus, ad quinq; myriades; equitatus vero seorsum erat collocatus. De harum copiarum numero aliter Diodorus; nescio tamen an verius. Ait enim fuisse Græcorum in vniuersum decem myriades, Barbarorum quinquaginta, nimirum vt tanto illustrior Græcorum gloria videatur, dum singuli quinis hostibus superiores euaserunt.

38700
35000
34500
108200
1800
110000

Et Persæ.

XI. Cunctatio ad pugnam.

VTRIVSQVE exercitus haruspices prohibebant transgresso fluuio hostem inuadere, quod tamen Mardonius valde cupiebat, & plerique equites, non sine Græcorum damno, factitarunt. Itaque decem diebus perdurarunt, donec vndecimo Mardonius, neglectis suorum aliquot, vatisque monitis, iussit prælium in sequentis lucis exordium parari. Sed ea nocte Alexander Amyntæ filius Græcos adijt, monens quo statu res essent apud Persas, quid consilij caperent, & in omnem euentum pugnæ, seque suasque res Pausaniæ, cæterisque Græcorum principibus commendans. Postridie tempus in varia vtrinque locorum in castris commutatione positum est. In sequente

noctu Græci castra ad vrbem Platæensem transtulerunt. Mardonius vbi castrorum locum desertum videt, iactabundus iam se victorem putat, hoste, vt sibi videbatur, fugiente congressum.

XII. ITAQVE Asopo transmisso, Persas cursim ducit contra agmen Græcorum, tanquam fugam capessentium, Lacedæmoniosque solos ac Tegeates, tardius è castris digressos, adeptus est, eosque equitatus missilibus vehementes premere cœpit. Ibi Pausanias equitem ad Athenienses cum nuncio mittit, orans vt sibi quamprimum auxilio veniant, quod illi dum faciunt, Græci, qui regis partes sequebantur, eos inuadunt, vt ab eis se defendere coacti, Lacedæmonijs laborantibus auxilium ferre non potuerunt. Itaq; soli Lacedæmonij cum Tegeatibus numer. 53. millia, addita leui armatura, contra Persas pugnare coguntur. Et Pausanias, diuino auxilio inuocato, prælium init. Diu atrox pugna commissa est: siquidem Barbari prehensantes lanceas confringebant, nec audacia, nec robore inferiores; sed inermes erant, & imperiti, nec hostibus prudentia pares, qui etsi densiores erant, plures sue, aut pauciores in singulos irruebant, tamen quia consulti incidebant, à Spartanis conficiebantur.

XIII. MARDONIVS qua parte ipse equo albo inuectus ciebat pugnam, mille delectis Persarum constantissimis stipatus, ea maxime parte hostem vrgebat, & quoadiu superfuit, tandiu Persæ multos Lacedæmoniorum strauere. Posteaquam vero Mardonius, & agmen, quod circa ipsum erat, occubuit, tum demum alij quoque terga vertentes cessere Lacedæmonijs; sicque Leonidæ manibus Mardonij morte parentatum est: etsi Iustinus, qui hæc præpropere congerit, ab Herodoto, & Diodoro dissentit. Mardonium enim ait victum, velut ex naufragio cum paucis profugisse. Iustinum errantem secutus est Paul. Oros. a

XIIII. Fugam explicatius habet Diodorus, quam Herodotus, ait autem tripertitam eam fuisse. Maiorem enim partem in castra ligneo inclusa muro, & erectis turribus eminentia confugisse, de cætera multitudine Græcos, qui Mardonij signa secuti fuerant, intra Thebarum mœnia sese recepisse; re: quos autem ad 40. millia compendioso itinere in Phocidem, indeq; in Macedoniam, & Asiam dissimulata fuga, duce Artabazo se recepisse.

XIV. DIVVLSIS ad hunc modum in fuga barbaris, Græcorum etiam copiæ in partes aliquot diuisæ sunt. Nam Artabazum maximis itineribus iter facientem Corinthij, Sidonij, & aliquot alij frustra persecuti sunt. Athenienses, Platæenses, & alij eis institerunt, qui Thebas confugiebant; vbi atroci prælio commisso, multisq; vtrimq; amissis, tandem in vrbem compelluntur: cum qua vrbe mox bellum à Græcis gestum est, & deditione eorum, qui autores factionis cum Persis fuerant, sopitum, sontibus Corinthi supplicio affectis. At Lacedæmonij munitionem strenue oppugnabant, nec tamen eiusmodi oppugnationum admodum periti, vt ait Herodotus. Itaque Athenienses, ad Lacedæmoniorum agmen tetrogressi, castra oppugnant, alijs pro vita in summa rerum desperatione, alijs pro gloria & perfectione victoriæ acerrime decertantibus: tandem Græcorum violentiæ Barbarus cessit, castra expugnantur, fit via vi, rumpunt aditus, omnesque trucidant. Denique tanta cæde bacchati sunt Græci, vt ex 30. myriadibus, exceptis quatuor, cum quibus Artabazus aufugit, ne tria quidem hominum millia cædi superfuerint.

XV. E LACEDÆMONIIS, qui Spartani essent, nouem & nonaginta sunt omnino desiderati, Tegeatarum sedecim, Atheniensium duo & quinquaginta: ita Herodotus. Verum ab eo dissentit Diodorus, & propius, vt videtur, ab eo à veritate. Ait enim vbi à Pausania edictum propositum est, ne quisquam barbarorum viuus caperetur, breui incredibilem hominum stragem factam esse, & plusquam decem myriadibus, (sic enim corrigendus est nouus interpres, vt ex Græco patet) Barbarorum trucidatis, vix tandem cedendi finem factum esse: Inde suis qui in acie occubuerant, qui supra decem millia erant, sepeliendis, operam dedisse. Sed explicari potest Herodotus, quasi loquatur tantum de Græcis occisis, in persequendis & oppugnandis Barbaris fugitiuis; Diodorus vero addat etiam eos, qui in prælio ceciderunt.

XVI. CÆTERVM quantus esset Persarum luxus, ex eo, quam narrat hoc loco Herodot. l. 9. facile intelligetur. Nam Pausanias edicto proposito ne quis de præda quid tangeret, iussit seruos omnem comportare pecuniam. Illi per castra dispersi, inueniunt tentoria auro & argento refecta, lectosque auro & argento constratos; crateras etiam aureos, phialasque, & alia vasa potoria, nec non saccos super plaustra, intra luce ortibus intus inclusis ex auro & argento lebetibus. Quin etiam è cæsorum cadaueribus exuebant armillas, & torques, & acinaces aureos. Nam varij generis vestimenta nullius momenti habebantur: quod ne quis miretur, addit mox Xerxem, dum è Græcia fugit, omnem apparatum suum ex auro, argentoque, & parapetasmata Mardonio reliquisse. Cum ergo omnem hunc apparatum vidisset Pausanias, iussit pistores & coquos cœnam sibi, vti Mardonio solerent, instruere. Quod cum illi fecissent, Pausanias lectos intuens aureos, argenteosque probe instratos, mensas etiam aureas, & argenteas, magnificamque cœnæ apparatum, propositis bonis stupefactus, imperauit quoque suis ministris vt Laconicam instruerent cœnam: quod cum illi fecissent, accersiuit Græcorum duces, & vtriusque cœnæ apparatu demonstrato, viri Græci, inquit, hac ego vos de causa conuocaui, quod volebam vobis amentiam ducis Medorum ostendere, qui cum talem vitam duceret, ad nos subigendos venit, qui tam misere victitamus. Sic ipse, quo dicto nescio magisne ambitiosis amentiam redarguat, an luxus molliciem, & commendet frugalitatis robur: sed vide etiam pietatem.

XVII. COLLATA pecunia decimam selegerunt, ex qua, tum Deo, qui Delphis est, tripes aureus ibi repositus est, insistens super triplici ex ære colubro, proxime aram: tum Deo, qui est in Olympia, Iupiter erectus 10. cubitorum; tum Deo qui est apud Isthmum, Neptunus æreus 7. cubitorum. Ex quo apparet insitus quoque in hac gente sensus pietatis, gratitudinis, ac religionis in Deum, si tamen verum illi Deum cognouissent. Eodem pertinet, quod notat Herodotus, cum iuxta lucum Cereris dimicaretur, ne vnum quidem Persarum visum esse intrasse fanum, neque circa templum occubuisse, sed in profano duntaxat loco. Sed opinor, inquit, si quid de rebus diuinis opinari oportet, deam ipsam eos non recepisse, quia templum quod est in Eleusine Anactorium concremauerant, Sic ille, indiuinæ iustitiæ sacrilegorum vltricis commendationem. Hac prædæ parte selecta, cæteras inter se pro cuiusque merito ac dignitate distribuerunt, Pausaniæ Spartiatarum regi, dena ex omnibus, & electa omnia dono data sunt.

XVIII. NECDVM finis malorum, quæ Persæ hoc anno à Græcis passi sunt. Nam, vt scribit Herodotus, & post eum Diodorus, qua die ad Platæas Persæ maxima clade affecti sunt, eadem ad Mycalem vehementer afflicti sunt. Cum enim, vt supra diximus, Ionum rogatu Græci Delon vsq; venissent, vt eos è Persarum dominatu liberarent, & in ea insula Persarum metu aliquandiu substitissent, tandem Samiorum legati precibus, & promissis iureiurando firmatis eos perpulerunt, vt iter pro Ionum libertate susceptum, perficerent. Persuasi Samum veniunt, insulam Ioniæ vicinam, & Epheso, ibiq; se ad nauale prælium comparant. Erant autem 250. triremes, vt ait Diodorus.

QVIBVS auditis Persæ, qui hæc contra se parari intellexerunt, naues ad continentem subducunt, (Phœnicias, quæ sibi maxime præsidio esse poterant, nimium cito iam dimiserant, tam nullam sibi naualem pugnam imminere. Ideo autem subduxerunt naues, vt essent sub tutela pedestris Persici sexaginta millium, qui Tigrane duce apud Mycalem montem vicinum agebat; quem Xerxes ad custodiam Ioniæ ibi reliquerat. Addit Diodorus euocatas etiam Sardibus copias, ita vt exercitus esset centum millium. Naues autem munimento valli se, illasque circumdederunt.

Solutæ captiuitat. an. 60.

XIX. *Iones ad defectionem incitantur.*

Cvmqve proxime iam adesset classis Græca, nec pugnæ naualis copiam sibi fieri videret, Leutychides classis præfectus propius ad littus nauigio accedens, per præconem Iones libertatis admonet; siue vt eos ad defectionem in ipsa pugna induceret, siue vt eos Persæ non adhiberent ad pugnam tanquam infidos, sicque eorum vires minuerentur. Quod Persæ præcauentes Samios armis spoliant, & Milesios ad custodiam viarum, quæ Mycalem deducerent, amandarunt, tum facta ex gerris testudine, eo nomine crates vimineæ intelliguntur, aut scuta Persica ex vimine texta sese munierunt. His per Leutychidem datis monitis, secundo loco Græci naues littori admouent, & ex illis in littus egressi, sese ad pugnandum instruunt.

XX. *Rumor de clade Plataensi.*

Qvo tempore aduolauit rumor in vniuersum exercitum, Græcos acie in Bœotijs superasse Mardonij copias, quod tamen eadem ipsa die contigerat, matutino tempore, altera autem pugna ad vesperam imminebat: spatium tamen hunc rumorem à Leutychide rem nesciente, fingente tamen scribit Diodorus; animo sollicitandi Græcos, qui cum barbaris erant, ad conspirandum inter se: quo rumore Græci ad pugnam multo redditi sunt alacriores. Barbari quoque rumorem sparserunt, Xerxem cum validis copijs aduentare, quo etiam animus eis est additus. Itaque commissa est pugna, summa vtrinque virtute, pertinaciique constantia: donec diffractæ sunt gerræ, & Athenienses primam huius victoriæ laudem captantes, sese mutuo adhortati sunt. Itaque cedentes Persæ ad munitiones suas refugere, cum quibus pariter irruperunt Athenienses, Corinthij, Lacedæmonij, alijque. Vbi vero & murus captus est, ibi Barbari non pugnæ, sed fugæ memores esse, præter Persas, qui soli, ad paucos licet redacti, pugnabant. Superuenerunt etiam Samij & Milesij, qui in eis mactandis perquam hostiliter se gesserunt. Ab ijs Diodorus primum maximumq; momentum datum significat, quo Barbarorum acies inclinare in ruinam cœpit. Græci permultis barbarorum alijs in pugna, alijs in fuga interfectis, eorum naues incenderunt, totumq; murum, egesta illinc in littus præda.

Pugna naualis ad Mycalem.

Et Græcorū victoria.

XXI. *Consultatio de Ionibus in Græciam transferendis.*

Inde in Samum vela fecerunt, vbi & de Ionibus in Græciam transferendis consultarunt, ne Persarum prædæ, & crudelissimis supplicijs reseruarentur in Ionia: aut necesse esset ibi perpetuo Græcorum classem ipsis seruandis desidere. Tandem decretum est vt Samij, Chij, Lesbij, ac cæteri insulani, vnà cum Ionibus, addit (Æoles Diodorus, quos etiam vult, etsi paulo tardius, in barbaros impetum fecisse,) societatem cum Græcis inirent, & data, acceptaque fide ac iureiurando firmata, sese mutuo, cum res ferret, armis, omnique ratione protegerent. Pauci interea è Barbaris fuga lapsi Sardis, vbi Rex erat, peruenerunt. Eum Diodorus refert, vtroque accepto nuncio stragis ad Platæas & ad Mycalem, partem exercitus ad bellum cum Græcis continuandum, Sardibus reliquisse, ipsum autem trepidum, iter versus Ecbatana intendisse.

Xerxes fugit Sardib. versus Ecbatana.

XXII. *Græcorum discessus, & belli finis.*

E Græcis Lacedæmonios duce Leutychide, in patriam redijsse: Athenienses vero ad Hellespontum profectos, Sestum obsedisse, tandemque desertam occupasse, Herod. l. 9. & Thucyd. l. 1. scribunt, sed ille in autumno ibi mansisse, hic etiam hyemasse. Bellum itaq; Medicum quod vocatur, inquit Diodorus, cum per biennium durasset, hoc euentu terminatum est, in quo etiam Herodotus historiam suam terminauit. Numerat autem Diodorus biennium à transitu Xerxis in Græciam, cuius biennij priore fugit Xerxes, posteriore Mardonius cum suis interemptus est. Ideo Thucyd. l. 1. ait quidem hoc bellum superiorum omnium maximum fuisse, hoc ipsum tamen duobus naualibus, & totidem pedestribus præliis celeriter fuisse finitum. Duo illa fuerunt ad Artemisium & Salaminam: hæc autem ad Thermopylas ac Platæas: quibus etiam addi potuit quintum ad Mycalem, quod ex vtroque mixtum dici potest.

Finis belli Xerxis in Græcia.

ANNVS MVNDI 3576. SEXTÆ AETAtis 60. Xerxis 9. Imperij Persici 60. Ioacimi Pontif. 9. Olympiadis LXXV. 3. Vrb. cond. 275. Cæsone Fabio III. & T. Virginio Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 477.

I. *Mors Gelonis Syracusani.*

In annum tertium Olymp. 75. refert Diodorus Gelonis Syracusani principis laudatissimi funus, post septimum regni annum, Hieroni fratri natu maximo regno relicto. Refert & Athenarum instaurationem, Themistoclis insigni prudentia, nequicquam repugnantibus Lacedæmonijs inchoatam, atq; perfectam. In cuius rei expositione Thucydides historiam suam exorditur, cui magnā conciliat fidem, cum ait se non quælibet audita recensere, sed ea quibus ipse interfuit, & quas sigillatim ex aliis quam potuit accuratissime inuestigauit. Is huius belli causam verbo quidem rupta fœdera, quæ inter Athenienses & Lacedæmonios inita fuerant in annos triginta, fuisse dicit, quorum hic erat decimus quartus post bella in Eubœa gesta. Verissimam tamen causam, licet sermone minime celebratam, ait fuisse Atheniensium quotidiana incrementa, timentib. Lacedæmonijs ne illi totam sibi Græciam subiugarent; quam vnam causam agnoscit, & profert Diodorus Sicul. l. 1.

Causa belli inter Athenienses & Lacedæmonios.

II. *Athenienses Athenas remigrant, murosque restaurant.*

Cvm ergo Athenienses in Græciam pulsis Barbaris rediissent, nihil habuerunt antiquius, quam vt vxores, ac liberos, & quidquid supellectilis supererat, in veteres Athenarum ruinas, ex Salamina, Trœzenijs, aliisque locis, in quibus ante illa deposuerant, transferrent, seseque ad vrbis ædificia murosq; restaurandos pararent. At Lacedæmonij cum animaduerterent Athenienses magnam sibi gloriam naualibus copiis comparasse, veriti ne nimium augescerent viribus, ædificationem murorum inhibere statuunt. Confestim igitur legatos mittunt, qui postulent ab ipsis ne muros reficiant, sed potius omnium etiam vrbium, quæ extra Peloponnesum erant, quarumcunq; ambitus adhuc starent, eos secum demolirentur, ne barbar⁹ inquiebant, si rursus Græciæ bellum inferret, vllum munitum locum haberet, in quem se reciperet, sicut proximo bello Thebis sese continebat. Peloponnesum enim omnibus receptaculum, & perfugium satis tutum fore.

Prohibentib. Spartanis.

III. *Themistoclis ad eam rem industria.*

Athenienses vero, de Themistoclis sententia, Lacedæmonios, qui hæc dixerant, confestim dimiserunt, illis dato responso, legatos hisce de rebus ad eos Athenis missum iri. Tum author fuit Atheniensibus, vt se Lacedæmona primo quoq; tempore mitterent, aliosque legatos præter se electos non subito emitterent, sed tandiu retinerent, donec murum ad iustam altitudinem erexissent, vt ex eo hostē propulsare possent. Suasit etiam vt omnes omnino ciues, cuiuscunq; ordinis, sexus, vel ætatis forent, muro ædificando incumberent, quamuis necessarium esset ædificia publica, vel priuata, materiæ suppeditandæ causa, diruere; cætera vero quæ Spartæ agenda forent, se curaturum. Itaque Lacedæmona venit, nec statim adijt Magistratus, sed rem trahebat, & speciosas causas fingebat, & rogatus à summis magistratibus, suos collegas à se expectari dicebat, vtiq; aliqua occupatione in vrbe retentos, se tamen sperare eos propediem venturos.

Et communi studium erga mænia.

IV. *Res Spartanis innotescit, quam eludit Themistocles.*

Interea Athenis vrgebatur opus: cumq; plerique id in dies nunciarent Lacedæmoniis, suasit Themistocles ne se verbis falli paterentur, sed poti⁹ de ciuium suorum numero probitatis fideiq; spectatæ viros eligerent, quos ea de re Athenas mitterent, qui certa atque explorata renūciarent. Illi igitur eos miserunt. Themistocles vero Atheniensibus horum aduentum per nuncios clam significauit, suadens vt eos Athenis retinerent, nec dimitterent antequam ipse cum reliquis socijs legatis, qui iam venerant, domum rediissent: ne forte Lacedæmonij, re plane cognita, se non amplius dimitterent. Tum vero Themistocles cum sociis Magistratus adit, & vrbem suam muris iam cinctam esse fatetur, sicut à socius acceperat: ita suæ

Reip. visum conuenire, nec eam re cuiusquam vel egere consilio, vel imperium expectare.

V. Iram cohibent, & cur. QVIBVS auditis Lacedæmonij spe sua frustrati, rem iniquo animo clam tulerunt, nullam autem apertam indignationem demonstrarunt, siue quia consilij tantum causa legatos, sine vlla iussione miserant; siue quia magna hactenus, rebus simul contra Barbaros gerendis, beneuolentia iuncti fuerant, & vtrorumq; legati citra criminationem domum redierunt. Hæc ex Thucyd. quæ habet etiam Plutarchus in Themistocle, sed ea Diodorus nonnihil commutauit. Nam Themistoclem non seorsim, sed simul cum sociis missum ait ad Lacedæmonios: ibi sub custodia detentos. Legatos quoque Athenis architectos, fabrosq; aduisse, cum imperiosis mandatis, vt è vestigio ab opere manus abstinerent: quæ à Thucydide aliena sunt; cum tamen autorem Diodorus sequitur. Et nos in primis vt fidelissimum & antiquissimum merito sequimur, quamuis aliquando impeditiorem: etsi Iustinus Diodorum, minime laudabili electione prætulerit. Quidam etiam abiere longius. Nam Theopompus apud Plutarchum, ait Ephoros à Themistocle pecunia corruptos: plures tamen dolo deceptos tradidere:

VI. Noua Romæ consules. IN Italia vero, atque Romæ cum Senatus interreges elegisset comitiorum causa, vt supra dicebamus, maturius quippe consulatu abierat M. Fabius Consul ægritudine impeditus, cuius frater Cæso Fabius, qui primas fortitudinis è superiore prælio retulerat, nunc III. Consul electus est, & cum eo T. Virginius: quorum prior contra Æquos Latini agri populatores, alter contra Veientes fortiter profecti sunt. Æqui aduentu hostium cognito, propere castris ex hostico motis, receperunt se in sua oppida, agrosque suos deuastari, & prædas abigi passi sunt. At Veientes cum à principio mœnibus se continuissent, vbi effusum nullo ordine militem Romanum ad prædas vidissent, egressi instructa manu eos inuadunt, prædas eripiunt, cædunt, fugantque: & nisi T. Siccius legatus auxilio venisset, totus exercitus internecione deletus fuisset. Sed huius interuentu reliquis data est copia colligendi se, & tumulum quendam sub vesperam occupandi, vbi sequentem noctem egerunt. Eos Veientes quamprimum magnis cum copiis obsederunt, quasi Romanos in eas angustias conclusissent, vbi omni commeatu destituti, breui se cum armis dedere cogerentur.

VII. QVA necessitate ab altero Consule Fabio intellecta, properauit ad opem ferendam, qui si vno die serius aduenisset, de Romano exercitu actum erat; sed eorum aduentu veriti hostes ne recentibus copiis impares essent, relictis castris abierunt. Quorum agrum per aliquot dies populati, & ipsi nimium cito Romam reuersi sunt. Nam Veientes mox egressi Tiberim vsque, & montem Ianiculum populando progressi sunt, eo maiore damno, quo minus rustici de eorum tam repentino reditu sibi cauerant. Quæ causa fuit, vt Senatui placuerit in Veientium finibus præsidium excubare, quod perpetuo in armis esset, & agros ab iniuria tutaretur. Quod consilium cum multis esset difficultatibus obnoxium, Fabij gentiles suos conuocarunt, communicatoq; inter se consilio, Senatui promiserunt, se cum clientibus & amicis pro patria id periculum suis sumptibus sponte subituros.

VIII. QVOD cum Senatui vehementer placuisset, & ab vniuerso populo magna cum laude celebratum esset, sumptis armis in hostem perrexerunt, duce M. Fabio, qui superiore anno consul fuerat, ducebatq; ad summum 4. millia militum, in quibus ex ipsa gente Fabia trecenti & 6. viri. Quos paulo post alia Romanorum manus secuta est, ductu Cæsonis Fabii Consulis. Hi ad fluuium Cremeram castrum validum excitarunt, turres erexerunt, duplici fossa cinxerunt, & Cremeram de fluuii nomine vocarunt. Eo perfecto Consul prouectus cum copijs in vlteriorem Veientis agri partem, vbi minime expectabatur hostis, innumeras abegit prædas, quas in castrum deuexit, vt præsidiariis omnia abunde suppeterent. Consule autem in vrbem reuerso, præsidiarii quadripertitò diuisi, vnam partem in præsidio relinquebant, reliquæ Veientes innumeris malis afficiebant, vt foras prodire nemo auderet, neq; hyems illa exacta est.

Margin notes (left): V. Iram cohibent, & cur. — VI. Noua Romæ consules. — Res gesta contra Æquos. — Et damnum a Veientibus acceptum. — VII. Tamen a sponte serui [?] liberantur. — Excursio Veientium inopinata. — VIII. Gens Fabia cum clientib. in præsidio contra eos hyemant. Cremera castrum.

ANNVS MVNDI 3577. SEXTÆ AETATIS 61. Xerxis 10. Imperii Persici 61. Ioacimi Pontif. 10. Olympiadis LXXV. 4. Archonte Adimanto Vrb. cond. 276. L. Aemilio, & C. Seruilio Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 476.

I. Themistocles ambit imperium maris. HAc imperatoria arte ac stratagemate vsus Themistocles, mœnibus patriæ tuto celeriterq; reparatis, merito magnam sibi apud ciues gratiam conciliauit, & gloriam apud omnes partam auxit in dies; qua excitatus maiora etiam animo destinauit. Primus enim hoc anno Adimanto prætore, cum in Iudæa annus Sabbaticus 142. ageretur, Atheniensibus ausus est dicere, eos debere maris imperium sibi vendicare; & confestim eos in hoc imperio parando iuuare cœpit. Nam Piræum portum Athenarum commodissimum, atq; amplissimum, qui prius ædificari cœptus fuerat, dum ipse Athenis annuū gereret magistratum, [a] penitus vt ædificaretur Atheniensibus persuasit: quia existimabat locum illum ad consilia sua peropportunum, quod tres portus natura munitos haberet, ad quadringentarum nauium classem continendam, qua parte iam maxime valebant Athenienses.

[a] Olymp. 72. nu. 4.

II. Curat ex ædificari Piræum. QVI eius sententiam secuti, murum circa Piræum, ea latitudine extruxerunt, vt duo currus saxa deferentes, sibi in eo occurrerent, altero scilicet onusto, altero vacuo. Erant autem saxa ingentia ad normam incisa, ferro inter se, plumboq; extrinsecus colligata. Magnam quoq; eius altitudinem destinarat, vt paucorum, eorumq; infirmorum præsidio, omnium hostium conatus facile eludi possent, dum cæteri pugnaciores naues conscenderent. Hæc totidem fere verbis ex Thucydide. Plutarchus ait Themistoclem totam vrbem ad mare accommodasse, nec vrbi Piræum addidisse, sed totam vrbem ad Piræum, terramque mari adaptauisse, vt ciues haberet nautas pori[*] quam agricolas. Illa autem Thucydidis Diodorus locupletat; ait enim Themistoclem, dum consilia de maris imperio Atheniensibus acquirendo, & Piræo ædificando versaret, quæ negabat euulganda, ne à Lacedæmoniis impedirentur, à populo petiisse, vt duos eligeret principes viros, quibus si probasset, quæ animo destinabat, ipse re non magis declarata, ad eam se accingeret.

III. Consilium suum cum principibus communicat eisque probat. ELECTI sunt Aristides & Xanthippus, vterque gloriæ Themistoclis æmuli, qui rem edocti populo retulerunt, negotium quod susciperetur vtilissimum fore, atq; facillimum. Tum ingens viri admiratio populum cœpit; sed statim ex admiratione suspicio orta est, ne cœptis arduis tyrannidem sibi machinaretur. Itaque rem ad Senatum referri voluit. Cui etiam consilium suum probauit, & populus ei potestatem fecit agendi pro Repub. quod è re illius esse iudicaret. Docuit autem Peræum non magno sumptu extrui posse, præsidium acquirendo, retinendoque totius maris imperio. Adesse iam plurimas triremes, & naualium certaminum peritiam, indeque partam apud omnes superiore bello gloriam. Iones sibi propter generis necessitudinem, (adde ex Herodoto vetius ob initam, post victoriam ad Mycalem partam, societatem, qua etiam Samij, Lesbii, Chii, & cæteri insulani tenebantur, imo etiam Æolii, vt ipse Diodorus supra retulit,) Atheniensibus esse deuinctos: illorumque ope reliquis etiam per Asiam Græcis libertatem restitutum iri; atq; hoc beneficio illorum animos Atheniensibus perpetuo deuinctos fore, & magnitudine naualis potentiæ perculsos, incunctanter illis adhæsuros, à quibus plurimum auxilii, vel damni posset afferri. Præsertim cum Lacedæmonii terrestrib[us] copiis instructissimi, ad nautica certamina minus idonei essent.

Quæ præsidia imperij maris obtinendi.

IV. Probat & Spartanis. MITTI etiam voluit legatos Lacedæmona, qui docerent vtilitatem Græciæ postulare vt contra Barbarorum excur-

Solvtæ captivitat. an. 62.

excursiones potius idoneæ in Græcia, atq; Athenis haberetur. Qua arte cum vehemens prohibendi studium in Lacedæmoniis redudisset, rem vt diximus magna contentione aggressus est, atq; perfecit, nisi quod murum illum portus Piræi duplo maioris altitudinis destinabat. Persuasit etiam populo vt ad priorem classis numerum, viginti quotannis triremes fabricarent. Et vt inquilinos & opifices ciuitate donarent, tum vt populosa fieret ciuitas, tum vt magnam artificiorum varietatem minimo sibi negotio compararent: quod vtrunque ad maris imperium stabiliendum, & amplificandum vtile iudicabat.

V. Hæc dum Athenis fiunt, Lacedæmonij Pausaniam, quo Imperatore ad Platæas depugnatum erat, Græcas vrbes, barbaricis adhuc præsidiis occupatas, liberare iubēt. Hic ergo 50. triremibus è Peloponneso, & 30. ex vrbe Attica adiunctis, primo in Cyprum nauigat. Sic Diodorus. At Thucydides non 50. sed 20. tantum naues è Peloponneso fuisse ait. Verum reliquam nauium multitudinem, quas Atheniensium classi videtur aggregare Thucydides, Diodorus forte Lacedæmoniis annumerandas putauit: porro Atheniensium classi præerant Cimon & Aristides. Cum his ergo Pausanias primo in Cyprum nauigat, ibiq; multas ciuitates, quæ Persicis adhuc præsidiis tenebantur, seruitute exemit. Inde autem in Hellespontum & Bisantium proficiscitur, sed vt arbitror anno sequenti. Nam nec multæ ciuitates, quæ præsidiis tenebantur hostium, breui tempore videntur expugnatæ: & vt à Cypro in Hellespontum, vbi est Bisantium; nauigaretur, iuxta Atticam, & Peloponnesum cursus erat dirigendus, vbi etiam commodius hyemare potuerunt. Quæ temporis distributio etiam rebus gestis postea recensendis, apprimè congruit.

VI. Hoc ipso anno Consules habuit Roma L. Æmylium, & C. Seruilium. Quorum prior contra Veientes, & Etruscos cum exercitu profectus est, sociumq; habuit Cæsonem Fabium superioris anni Consulem, qui Gentilibus suis, in Cremerensi castro commorantibus, auxilio esse cupiebat. Posterior autem Seruilius contra Volscos parum fœliciter rem gessit, cum quibus temere ac præpropere congressus, multis suorum amissis, intra castra se cōtinere, & per excursiones bellum ducere coactus est. Tertium etiam exercitum duxit proconsul Ser. Furius contra Æquos; quos etiam fudit fugauitque. L. porro Æmilius cum Veientes cladibus fractos ad se, de pace acturos, supplicum ritu venire coegisset, & Romam ad eam à Senatu impetrandam, abire permisisset, Senatus legatis auditis, & Consulis literis acceptis, rogantis ac monentis vt bellum Etruscum celeriter finirent, hostib' pacem quam peterent dari statuit, iis conditionibus, quæ Consuli probarentur.

VII. Quo responso accepto Consul pacem cum Veientibus fecit ex æquitate magis, quam ex victoris populi vtilitate. Neque enim vel agros eis ademit, vel pecuniariam mulctam irrogauit; atq; adeo ne obsides quidem ab eis, ad firmandam pactorum fidem, accepit. Quæ res magnam ei conflauit inuidiam, effecitq; vt debita pro rebus bene gestis gratia fraudaretur. Nam triumphum petenti obiecta est arrogantia, quod leges fœderis non retulisset ad Senatum; iussusq; est in Volscos traducere copias, & Collegæ laboranti opem ferre, tum demum re bene gesta triumphaturum. At ille offensus hac repulsa, Senatum apud exercitum criminatus est, quod ægre ferret bello Etrusco finem impositum, ne plebis iniuriam, ne bellis externis leuati, promissam agrorum diuisionem postularent: sicq; exercitum suum sacramento soluit. Proconsulis quoque Furij copias, ex Æquis reuocatas domum dimisit: atque ita Tribunis rursum attulit magnam licentiam Senatum pro concionibus accusandi, & semisopita dissidia inter pauperes & diuites excitandi.

†

ANNVS MVNDI 3578. SEXTÆ ÆTATIS 62. Xerxis 11. Imperii Persici 62. Ioacimi Pontif. 11. Olympiadis LXXVI. An. 1. Phædone Archonte vrbis cond. 277. Coss. C. Horatio, & T. Menenio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 475.

Pausanias res nouas molitur.

I. Olymp. 76. Olymp. 76. vicit in stadio Scamander Mitylenæus, Phædone Athenis principe. Ita Dionys. & Diodorus: sed hic perpetuo Consules quadriennio ante magistratu functos suggerit, sicque à Dionysio integra semper Olympiade dissentit. Itaque Fabiorum mortem, quam in hunc annum Dionys. refert. Diodorus primo anno sequētis Olympiadis collocat. Verum Dionysii accurata diligentia facit, vt ab eo dissentire non audeamus. Sed Græca prius inspiciamus.

Res à Pausania Spartano in Thracia gestæ. Græcorum classis duce Pausania cursum intendit Hellespontum versus, cum primum commodum nauigationi tempus aduenit, eoq; superato, sicut & Propontide, Bisantium in Bosphoro Thraciu à Medis Persisue occupatū adiit, Barbarisq; partim cæsis, partim exturbatis, vrbi libertatem reddidit. Plutarch. in Cimone ait eum cum 4. Atheniensium nauibus tredecim hostiles cepisse, multosque magni nominis Persas ibi captos Gongylo Eretriensi in custodiam tradidisse, qui vt præ se ferebat, illos ad supplicium seruaret: sed reapse vt Xerxi restituendos curaret. Occultis enim pactis amicitiam cum rege contraxerat, & futurum erat vt filiam regis vxorem, ad prodendam ipsi Græciam acciperet. Ita Diodorus.

II. Persis fauet, & proditionem molitur. Eius ad Xerxem litera. Plenivs Thucyd. l. 1. Qui ait ex iis Medis, quos Bisantii ceperat, quosdam Regis Persarum necessarios, & cognatos fuisse, eosq; ad eum clam cæteris sociis remisisse, rumore sparso eos ex ipsius manibus effugisse. In his autem peragendis vsum esse opera & auxilio Gongyli Eretriensis, eumq; cum literis ad regem misisse in hanc sententiam. Pausanias Spartæ dux hos quos armis cepit, tibi gratificari cupiēs, remittit: habeoq; in animo, si tibi quoque placet, filiam tuam in matrimonium ducere, & Spartam, & reliquam Græciam in tuam ditionem ac potestatem redigere. Existimo autem me posse hæc peragere, si tecum consilia communicem; si quid igitur horum tibi placet, hominem fidum ad mare mittas, per quem deinceps colloquamur. Ita Pausanias. Ea epistola Rex vehementer lætatus, Artabazum ad mare misit, cum responsione, quæ ad eum Byzantium quam celerrime perferretur, quippe omnia cum Pausania quam fidelissimè conficeret. Regis autem epistola sic habebat.

III. Et Xerxis Pausaniam. Ad quē Artabazum etiam mittit. Rex Xerxes Pausaniæ sic respondet. Ob viros quos mihi trans mare incolumes misisti Byzantio, beneficii gratia in domo nostra perpetuo tibi manebit reposita, & descripta: Verba quoq; tua mihi placent; Ac te neq; nox neq; dies remoretur, ita vt remisse agas quidquam eorum, quæ mihi polliceris; neq; auri neq; argenti impensis hæc impediantur, neq; vlla copiarum multitudine, si quo sit veniendum, sed cum Artabazo viro probo ac fideli, quem ad te misi meas tuasq; res, prout è dignitate, atq; vtilitate vtriusq; nostrum maxime esse iudicaris, transige confidēter. Ita Xerxes apud Thucydidem; qui etiam addit Pausaniam, his literis acceptis, animos magis magisq; efferre cœpisse, neq; amplius consuetis ac patriis institutis viuere potuisse. Sed cultu Medico ornatum prodiisse Byzantio, eiusq; per Thraciam euntis latera, Medos, Ægyptiosq; satellites armatos stipasse. Mensa quoq; Persica vsum, nec cogitationes suas continere potuisse. Præterea se cunctis aditu difficilem præbuisse, & iracundia adeo graui in omnes pariter vsum, vt ad eum nemo posset accedere.

IV. Ea res magnum momentum attulit ad stabiliendum Atheniensium imperium, & Lacedæmoniorum potentiam deprimendam. Nam cum Pausanias insolentius ageret, & eius administratio tyrannidi propior, quam præturæ videretur, cum alii Græci rem iniquo animo ferebant, tum vero præcipue Iones, & quotquot regio domi-

natu recens fuerant liberati. Quamobrem se Atheniensibus in clientelam dederunt, à quibus perquam libenter recepti sunt. Id Aristidis prudentiæ & comitati Diodorus tribuit, qui ad eam occasionem se attemperans, in conuentibus, & dissertationibus publicis, oblata Atheniensium opera ciuitates erigebat, & sermonis comitate demulcebat, & ad populi sui patrocinium ambiendum alliciebat. Deniq; reuocato domum Pausania, omnes socii, præter milites è Peloponneso profectos, ad Athenienses transierunt.

V. *Pausanias Spartam reuocatur.*

INTEREA enim querelæ de Pausania Lacedæmonem deferuntur, qui & propterea Spartam ab Ephoris reuocatus est: sed priuatarum iniuriarum, vt ait Thucidides, damnatus est, publicarum vero, quod scilicet cum Medis sentire videretur, quamuis crimen videretur esse manifestissimum, absolutus tamen est, & innocens habitus, corruptis, vt creditur, gaza Persica iudicibus, aut quia, vt idem ait, non soleant Spartani celeriter de viro aliquo ciue suo, grauius aliquid decernere, sine manifestissimis indiciis; præsertim cum de principe Reip. & regis consobrino, ac tutore tunc ageretur. Nec erat difficile reo omnia obiecta diluere, & in meliorem partem interpretari, quod ex literis ad Xerxem datis coargui non posset. *Depreditionis absoluitur.*

Propter tamen huiusmodi suspiciones, non vltra eum Prætorem emiserunt, sed Dorcim quendam, & cum eo nonnullos alios, cum modicis copiis; quibus cum Socii imperium non deferrent, illi domum rediere, nec alios deinceps Lacedæmonij miserunt, tota Persici belli cura Atheniensibus etiam tum amicis, relicta qui studebant Persas omni plane Europa exuere, Græcos etiam, qui Asiam incolebant, eius dominatu liberare. *Belli Persici cura in solos Athenienses tenditur.*

VI. *Etrusci gentem Fabiam delent.*

ROMANIS porro hic annus, qui Coss. habuit C. Horatium & T. Menenium quorum ille Puluillus, hic Lanatus dictus est, admodum luctuosus fuit, tota gente Fabia ab Etruscis cæsa. Eam rem sic narrat Dionys. Consules à principio impediebantur, quo minus res gererent irritata plebe, & nihil aliud agi sinente, priusquam publicus ager diuideretur; sed postea hæ turbæ, domesticæ necessitati cesserunt. Nam Etruscorum vndecim populi, qui pacis à Veientibus factæ non erant participes, bellum Fabiis obtulerunt, nisi Cremerense castellum diruerctur, & præsidium Romanum inde excederet: quæ cum illi per literas Romæ nunciassent, iussi sunt ambo Consules in bellum proficisci, tum hoc ex Etruria nunc erumpens, tum illud cum Volscis adhuc durans. Horatius igitur in Volscos est profectus: Menenius autem dum se cunctantius ad profectionem parat, interim Cremera expugnata est ab hostibus, & deleta gens Fabia.

VII. *Res gesta memor.*

CVM enim etrusci, multis in locis paratis insidiis, prædam cum permodico præsidio militum aliquanto longius à Castro Romanis obiecissent, in insidias pertractos, post varia furiosaq; certamina, quæ latius à Dionysio describuntur, missilibus obruerunt: indeq; reuersi Cremeram, reliquos ad suorum vindictam progressos, eodem modo internecione deleuerunt, & castrum propugnatoribus vacuum occuparunt. Quod autem vnus tantum è gente Fabia puerulus superstes fuisse vulgo creditum est, id incredibile esse Dionys. contendit, recteque refellit. Neq; enim credibile est trecentorum & sex bellatorum vnicum tantum fuisse infantem filium, nec saltem plerosq; fratres, qui plurimum ab ætate militari aberant, sed eius opinionis causam fuisse, quod trium Fabiorum Cæsonis, Marci, Quinti, qui 7. Consulatus continuos gesserunt, soli Marco superstes fuerit filiolus, qui adulta ætate inclaruerit, cæteris in obscuro relictis. Hæc clades acerbissima Romanis fuit, ideoq; hunc diem Idibus Februariis inter atros, nefastosq; retulerunt. Et Menenium, qui 30. stadiis à loco cladis abfuerat, postea damnarunt, quasi sponte Fabiorum salutem, eorum gloriæ inuidens, neglexisset. *T. Liuius l. 2. cit. l. 17. c. 21.* *An vnus Fabius tantum superstes.*

VIII. *Menenium male Etrusci gerit.*

ETRVSCI autem cæsis Fabiis, captaq; Cremera, contra Menenium exercitum ducunt, quem iniquo loco habentem castra, nec suis recta monentibus de castris mutandis, obtemperantem, quia pudendum ducebat videri peccasse, hostis in vere pudendam cladem coniecit. Nam electo loco, ex quo Romanos subiectos habebant, Consulem multis vexatum malis ad pugnam pertraxerunt: in qua fortissimis quibusq; cæsis, reliquus exercitus in castra compulsus est, quæ illo die, nocteq; insequenti continuata oppugnatione expugnata sunt; pleriq; tamen sub ipsam noctem elapsi, dum Etrusci prædæ copia detinentur, Romam veniunt, eamq; tanto terrore complent, vt ad portas iam adesse hostis victor crederetur. Sequenti die versus Vrbem ducentes exercitum, ad sedecim ab vrbe stadia montem Ianiculum occupant, & magno Romanorum contemptu, agros, viasq; populabundi percursant, donec alter Consul Horatius è Volscis reuersus, cum eis semel iterumque ad Spei fanum, & Collinas portas feliciter pugnauit. Nisi placet Liuium potius audire, qui priore loco æquo marte pugnatum ait, posteriore vero paruo momento Romanam rem superiorem fuisse. Sicq; annus hic abijt. *Qui ad vrbem accedunt.* *Et ab altero Consule repelluntur.*

ANNVS MVNDI 3579. SEXTÆ ÆTATIS 63. Xerxis 12. Imperii Persar. 63. Ioacimi Pontif. 12. Olympiadis LXXVI. 2. Prætore Athenis Dromaclide. vrbis cond. 278. Coss. Sp. Seruilio, & A. Virginio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 474.

I. *Athen. imperium mare stabilitum.*

MARITIMVM imperium Atheniensium hoc anno vehementer stabilitum est. Cum enim Lacedæmonii bellum contra Persarum reliquias reliquissent Atheniensibus, ipsiq; sibi delatum libenter accepissent, Sociis volentib⁹, propter odium quo Pausaniam prosequebantur, statuerunt à quibus vrbibus pecunias, & à quibus naues aduersus Barbarum præberi oporteret. Eaque de causa tum primum apud Athenienses constitutus est magistratus eorum, qui vocabantur Græcorum Quæstores, qui tributum recipiebant. Primum autem tributum quod constitutum fuit, erat 460. talentorum (Diodorus habet 560. talenta) Eius vero ærarium fuit Delos, vnà è Cycladibus insulis, oraculo Apollinis celebris, in cuius templo conuentus fiebant, vt scribit Thycyd. Qui etiam addit his initiis Athenienses, cum intelligerent se liberis Sociis imperare, eos suis legibus vti, ac viuere permisisse, & cum iisin publicis consultasse conciliis. Quo factum fuerit vt eorum opera adiuti, ad magnam potentiam peruenirent, à bello contra Xerxem, & Mardonium gesto, vsque ad initium belli Peloponnesiaci, quod spatium 50. annorum fuisse idem testatur Thucyd. *a* & quæ eo spatio gesta sunt breui compendio toto eo primo libro describit. *Græcorum quæstores.* *Delos ærarium.* *a l. 1. p. 76.*

II. *Humanitate, & iustitia firmatum.*

ILLA quoque initia Cimonis moderatione, & humanitate commendabantur, sicut Aristidis integritate, ac iustitia. Quod enim summa fide tributa tractaret, & singulis exacta iustitia onus imponeret, aut leuaret, Iusti cognomen accepit, vt scribit Plutarch. in vtriusque vita, & Diodorus lib. 11. qui hanc narrationem ita concludit. Et sic vno eodemque tempore Pausaniæ malignitas ciuibus maris abstulit principatum: & Aristide contrà in omni genere virtus, imperium, quod ante nullum erat, Atheniensibus conciliauit, sed hæc initia fuerunt. Nam postmodum insolescentes Athenienses socios seruorum more tractare cœperunt, vnde variæ defectiones, & bella ciuilia, & vrbium euersiones contigerunt. *b* Scribit Diodorus hoc anno Lacedæmonios pro maris imperio, quod sibi eripi videbant, domi grauiter fuisse commotos, & magna cum iracundia bellum contra Athenienses decernere voluisse: verum à quodam suorum Hetœmarida, qui genus ab Hercule duceret, ab ea sententia esse deductos. *b Vide Thucyd. l. 1. p. 65 græ lat.*

III. *Inest in comitiatus sub mutu consulibus.*

SEQVENTI anno, qui fuit vrbis conditæ 278. solito maturius habita sunt comitia consularia, nimirum circa solstitium æstiuum Sextili mense, vt ait Dionysius:

quo tempore consulatum inierunt viri rei militaris prudentes Sp. Seruilius & A. Virginius, quorum ille Structus cognominatus reperitur, hic autem Tricostus, & Rutilus. His ergo Consulibus Romæ commeatus inopia laboratum est, quod proxima hyeme desertus, & incultus fuisset ager, propter occupatum ab hoste vicinum montem Ianiculum, & excursiones continuas, quodque ne externi quidem commeatus à negociatoribus importarentur. Itaque in maxima incolarum multitudine (nam robustæ ætatis, inquit Dionys. ciuium plus centum & decem millia erant, vt proximo censu constabat. Mulierum autem & puerorum, seruitiorum item, negotiatorum, & opificum inquilinorum; nemini enim ciui Romano, aut cauponari, aut arte manuaria victum quærere licebat; triplũ tantum quantum ciuium,) in hac ergo multitudine egena plebs in forum concurrebat, & in proceres vociferabatur, & cateruatim in ædes diuitum irruebat, & penuaria sine pretio diripere conabatur.

IV. *Tribuni plebem exasperant.* TRIBVNI præterea, quasi vnguis in vlcere, plebem in maiorem contra Patricios insaniam adducebant, omnia eorum dicta, factaq; in deteriorem partem interpretantes. At Coss. varios in diuersa loca frumentatum miserunt, & in vrbe operam dederunt, vt quisq; quod haberet frumenti profiterentur, & quod superesset familiari vsui conferretur in publicum, & honesto pretio distraheretur. Hoc modo repressa est audacia plebis, simulq; effectum vt animum ad bellum parandum iterum adijcerent, ne si cunctarentur hostem è finibus eijcere, intra mœnia obsessi, partim fame, partim intestinis seditionibus interirent.

V. *Consules in Etruscos mouent.* ITAQVE eductis copiis intempesta nocte Consul vterque, Etruscis, à quibus propemodum obsidebatur ciuitas, necopinatus apparet, & explicata acie dextrum cornu regit Virginius, sinistrum Seruilius. *Æquo marte pugnant.* Acri diuturnoq; prælio certatum est. Etrusci multis hostium cæsis, pluribus suorum amissis in castra se receperunt. Virginius, qui dextro cornui præerat, suos fugientibus instare noluit, sed præsenti successu contentos esse iussit. *Seruilius periclitatur.* Seruilius, qui alterum ducebat cornu, imprudentius hostem in editiorem locum secutus est: vbi eorum castra erant: vnde conuersi Etrusci, succurrente etiam è castris præsidio, in Romanos irruunt, & per decliuia fundunt, fugant, cædunt. *Et Virginius fert opem.* Donec Virginius superiore parte montis transuerso itinere occupata, è superiore loco hostem inuadit: tum Seruiliani resumptis animis in pugnam reuersi, Etruscos vndique circumuentos maxima ex parte contrucidarunt. *Clades & fuga Etruscorum.* At ea manus Etruscorum, quæ Ianiculum occupauerat, intellecta, vt credibile est, hac suorum clade, cum subsidia vltra desperaret, præsidio decessit, noctuq; motis castris Veios petiit, Romani castris potiti, castellum, quod illi vice Cremeræ excitarant, diruerunt. Consulibus in funesta victoria triumphare permissum non est.

VI. *Menenius exconsul accusatur.* Nec multo post repleta vrbe variis commeatibus, bellisque finitis, intestina seditio recruduit. In qua Menenio Agrippæ filio, superioris anni Consuli, duo Tribuni plebis diem ad populum dixerunt, de bello male gesto: in primis autem de Fabiorum interitu, & Cremeræ excidio. In quo iudicio tributis comitijs à plebe omnibus ferme calculis damnatus est, nec ei merita Patris, qui plebem patricijs conciliarat, nec honor eiusdem, quem defunctũ Senatus publicis impensis magnifice funeratus fuerat, & matronæ annuo luctu decorarant, prodesse potuerunt. *Et damnatus mœrore decedit.* Nec tamen capitalis mulcta fuerat, sed pecuniaria. Hæc Menenij damnatio rursus exasperauit erga plebem patritiorum animos, vt neq; agrorum diuisionem fieri permitterent, neq; aliud quidquam ei indulgerent. Nec multo post ipsam etiam plebem istius iudicij pœnituit, vbi de eius viri obitu cognouit. Nam vitata hominum consuetudine, nunquam postea conspectus est in publico, sed morte grauiorem huiusmodi calamitatem suam æstimans, domi se continuit, nemine ad se admisso, & mœrore inediaque contabuit.

* * † * *

ANNVS MVNDI 3580. SEXTÆ ÆTATIS 64. Xerxis 13. Imperii Persarum 64. Ioacimi Pontif. 13. Olympiadis LXXVI. An. 3. Archonte Acestoride. Vrbis cond. 279. Conf. P. Valerio Publicola, & C. Nautio Rufo, siue Rutilo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 473.

I. *Pausanias sponte Byzantium adit.* NON potuit dici Pausanias otiosus domi, priuatusque quiescere, excelso vir animo, & ambitioso, & rebus gerendis innutritus. Neq; existimauit è dignitate sua esse, pati tantam spem, quæ nuper enascebatur, socordia euanescere. Itaque Hermionide vectus naui, vt ait Thucydides, nimirum ex vrbe Hermione, quæ est in Argolico sinu Peloponnesi, iterum Byzantium, iniussu Lacedæmoniorum profectus est, vrbemq; ipsam vel vi vel fraude occupauit. *Lib. 1. p. 85.* Vnde ab Atheniensibus, & Byzantiis Cimone duce pulsus est. Ait enim Thucydides ipsum, ἐκ τῆς Βυζαντίου βίᾳ ὑπ' Ἀθηναίων ἐκπολιορκηθέντος, Byzantio per vim ab Atheniensibus expugnata vrbe pulsum. Cimone autem duce id factum, adiuuantibus Byzantiis, refert in Cimone Plutarchus, addita causa interfectæ casu Cleonicis nobilis virginis, quam parentibus suis per vim eripuerat. Inde autem elapsum, cum nocturnis insomniis ob id facinus perturbaretur, Heracleam ad oraculum confugisse, ibiq; obscure didicisse exitium sibi, vbi Spartam peruenisset, imminere.

II. *Inde pulsus abit in Asiam.* ILLE præcedentium culparum, & periculi Spartæ nuper aditi conscius, nequaquam in patriam reuersus est, sed in Asiam traijciens, ad agri Troiani oppidum Colonas nomine consedit, dicitur id oppidum 20. millibus passuum Ilio abfuisse, ibiq; cum Barbaris agitare consilia perrexit. Quæ cum à Cimone, & Aristide cognita fuissent, & literis Spartam delata, vt ait in Cimone Plutarchus, ab Ephoris, sed non ante annum sequentem, in vrbem euocatus est. Nec tamen desunt qui illum anno quoq; sequenti in Asia commoratum putent; quod minus probandum videtur. Tanta enim mora hominis primarij, & iam de proditione vehementer suspecti, in hostili regione, insignis negligentiæ Athenienses, qui non longè aberãt, & Lacedæmonios accusaret; si illi differre hominẽ, hi pro potestate domum reuocare tandiu cunctarentur: cum res tanti momenti, quanta erat libertas, ac salus vniuersæ Græciæ, ageretur.

III. *Seruilius exconsul à Trib. accusatur.* ROMÆ interea Sp. Seruilius superioris anni Consul in populi iudicium à Trib. plebis adductus est. A quo magis infortunij, quam peccati exigebatur ratio, quod proximo prælio Etruscos in castra refugientes audacius, quam prudentius persecutus, moxq; confecta eruptione hostiũ repulsus, robur iuuentutis amisisset. Quæ actio memo visa est Patriciis grauissima, atq; indignissima, vt qui se pro Rep. fortiter hostibus obijcerent, si aduersa fortuna reflaret, ignauiæ ab ijs accusarentur qui nunquam in acie stetissent. Itaq; omni ope pro eo iudiciis eripiendo satagebant. *Defenditur & absoluitur.* In quo Seruilius libere, fortiterq; causam suam egit. Egit & pro eo Collega eius Virginius, qui cum in magna omnium esset gratia, & Seruilio, non minus quam sibi, bene gestæ rei laudẽ deberi profiteretur, adeo vt æque vel laude, vel pœna digni essent, obtinuit vt, frustra indignante Tribuno, omnium calculis absolueretur.

IV. *Valerius Cons. in Etruria rem bene gerit.* PAVLO post Romani expeditionem susceperunt in Etruriam, ductu P. Valerij Consulis, vbi rem præclare gessit. Nam geminum exercitum Veientium, & Sabinorum fudit ac profligauit, & vtrorumq; castra expugnauit, atq; diripuit. è Sabinis innumeras prædas egit: quibus in rebus *Cui adest collega.* Seruilii Consularis, nuper iudicio populi totius absoluti virtus in primis enituit. Alter Consul C. Naueius, cui Sociorum pop. Rom. tuendorum prouincia obuenerat, aliquandiu profectionem distulit, in Veientanum bellũ intentus, vt si quid cladis accideret illi exercitui, præsto esset vrbi, agroq; præsidium, si forte hostis, quemadmodũ ante, admotis ad vrbem copijs, communire vellet propinquum aliquem locum, vnde Romæ omnia infesta redderentur.

rentur. Cæterum ne mirum sit tam sæpe, tamq; diu à Romanis contra Etruscos pugnatum fuisse, Diodorus in hunc annum scribit, eos hoc tempore dominos fuisse Tyrrheni maris; & nihilominus à Syracusanis, qui missu Hieronis subsidio Cumanis venerant, navali prælio superatos; multisq; depressis navibus fractas fuisse vires eorum.

ANNVS MVNDI 3581. SEXTÆ AETATIS 65. Xerxis 14. Imperii Persici 65. Ioacimi Pontif. 14. Olympiadis LXXVI. an. 4. Archonte Athenis Menone. Vrb. cond. 280. A. Manlio, & L. Furio Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 472.

I. Pausanias ab Ephoris revocatur.

ARISTIDES & Cimon cum Byzantii, unde nuper Pausanias in Asiam profugerat, aut in Thracia certe versarentur, & parando suæ civitati maris imperio, totiq; Græciæ Persarum reliquiis perpurgandæ, invigilarent, & sinistra quædam de illius molitionibus acciperent, quibus non solum omnis eorum labor, sed pristinæ omnes victoriæ inanes atque irritæ redderentur, sui muneris esse putaverunt Spartam rem omnem perscribere. Quod cum factum esset, neque è Repub esse videretur, ut ibi diutius permitteretur agere, Ephori misso caduceatore & scytale reversionem imperarunt, vetantes ne à caduceatore discederet: alioqui Spartanos ei, ut hosti bellum indicere significarunt. Ille vero cum quamminimum suspectus esse vellet, & crimen obiectum se pecuniis diluturum speraret, iterum Spartam rediit. Est autem Scytale genus secretioris epistolæ apud Spartanos, quæ in oblongo corio scribebatur, unde & nomen habuit. Σκύτος enim corium est, postquam tereti, & oblongo ligno circumvolutum erat, sic ut oræ tantum corii coëuntes inscriberentur, & dimidia pars characterum in ora una, reliquum in altera inveniretur: sublato autem ligno discissi characteres legi non possent, nec apta ad legendum, nisi eidem ligno, aut alteri eiusdem omnino formæ circumvolverentur. Talium ergo lignorum unum sibi magistratus reservabant, alterum belli aut negotii gerendi præfecto tradebant. (Thucyd. l. 1. p. 15. Scytala.)

II. An esset potestate ... (ἐν καλυφθέντων αὐτῶν.)

AT, inquies, cum Pausanias non fuisset tunc à magistratu missus, ut ait Thucydides, sed clam & privatus abiisset, quomodo Scytalem habuit, quæ in unius erat magistratus potestate? Respondet Græcus interpres eum tale lignum, ex quo primum Spartanis copiis præfectus fuerat imperator, apud se retinuisse. Quod si cui parum id credibile videatur, parumq; consentaneum aut communi praxi eorum qui à publico negotio revertebantur, aut Ephororum prudentiæ, circa personam quæ suspicionibus vehementer laborabat, dicere possit Scytalem hic latius sumi, pro epistola à magistratu cum imperio & potestate missa, cui non obsequi criminosum esset. Quod ex confirmari potest, quod nihil ad eum secreti mittebatur, sed tantum reverti iubebatur cum publico nuncio, qui ad eum missus fuerat. De Scytale consule eundem scholiastem, & Plutarchum in Lysandro, A. Gellium, & alios. (Lib. 17. noct. c. 9.)

III. In carcerem Spartæ coniicitur.

CVM ergo Spartam Pausanias revertisset, ab Ephoris in carcerem coniectus est. Ephoris enim regem ita tractare licet, inquit Thucydides, multo ergo magis Pausaniam, nullo tum publico munere fungentem, quamvis Regis Plistarchi Leonidæ filii cognatum, & Tutorem. Deinde vero re cum magistratibus, pecunia scilicet verbisq; transacta, purgatis utcunque suspicionibus, & videlicet data de more sponsione iuratoria, qua se ad nutum magistratus ad custodiam, vinculaque sisteret, exivit, seque reum constituit, & crimina sibi obiecta cuilibet in iudicio coarguandi potestatem fecit. Quod facile illi fuit, qui iudices haberet obligatos, & ipse alioqui potentia, ac generis splendore fretus, quasi insultans populo dicere posset. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Cum ergo Spartani nullum manifestum signum haberent, quo sine dubitatione freti supplicium de tali viro sumerent, sed tantum (Refert se iudicio arguendum.) coniecturis ex morum insolentia, & Barbarorum æmulatione niterentur, quæ suspiciones præbebant eum nolle in præsenti rerum statu acquiescere, & pari cum suis civibus iure ac conditione vivere, hominem absolverunt: cum præsertim delatio criminis ab Atheniensibus Spartanorum æmulis profecta esset.

IV. Iapygum, & Tarentinorum bellum.

SCRIBIT Diodorus Siculus hoc anno ultimo Olympiadis sextæ supra septuagesimam, Menone Athenis Præside, inter Iapyges & Tarentinos certamen primum de finibus exortum esse, tum atrox etiam bellum exarsisse. Ad quod cum Iapyges 20. hominum millia contraxissent, Tarentini civium suorum delectu habito, & Rheginis insuper fœderatis, in belli societatem ascitis, pugnam non satis feliciter inierunt, multis enim utrimque cæsis, Iapyges ad extremum victoria potiti sunt. Victi in duas divisi partes alii Tarentum, alii Reginum versus cursu abeunt, utrosq; Iapyges à tergo premunt, multisque utrobiq; cæsis, etiam cum fugientibus Rhegium ingressi, urbem occuparunt. Habitabant hi in extrema Italia, qua ortum respicit, & olim magnæ Græciæ nunc Apuliæ nomine continetur. Iapygia vero eadem olim Messapia, nunc Calabria usitatius dicitur.

V. Victoria de Veientibus. Et 40. annorum induciæ.

HOC eodem anno Manlius Consul in Veientes rursum exercitum duxit; qui à sociis Etruscis, & Sabinis deserti, cum inclusi mœnibus commeatum absumpsissent, fame urgente prodierunt ad Consulem natu maximi & honoratissimi, pacem cum supplicum insignibus postulantes. Manlius imperato unius anni stipendio, & cibariis quæ exercitui in duos menses sufficerent, pollicitus est, ubi hæc allata essent, missurum se Romam, qui de pace cum Senatu agerent. Illi representata quam primum pecunia quæ petebatur, & altera quæ in frumentum, quo ipsi carebant, emendum satis esset, Romam profecti à Senatu veniam præteritorum petierunt, pacemq; in posterum, & inducias ab eo in annos 40. obtinuerunt. Manlio post reditum, ob confectum sine pugna bellum, ovatio ut petierat, decreta est. Actus est etiam Census bis Consulibus, repertiq; sunt cives, qui censendos se obtulerunt, paulo plures centum & tribus millibus.

ANNVS MVNDI 3582. SEXTÆ ÆTATIS 66 Xerxis 15. Imp. Persar. 66. Ioacimi Pont. 15. Olymp. LXXVII. an. 1. Archonte Charete, Vrbis C. 218. Consul. L. Aemil. Mamerco III. & L. Vopisco Iulio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 471.

I. Pausaniæ cum Hilotis conspiratio.

CHARES principatum gerebat Athenis, cum Olympico stadio victor evasit Dater Argivus, ut ait Dion. quem Diodorus Dandem vocat. Ad quem ipsum annum, Spartanum de Pausania iudicium prorogatum quidam existimarunt; quod lenta essent Spartanorum iudicia, ut testatur Thucydides, quodq; res tantæ, taliumq; virorum causæ multis sint difficultatibus impeditæ, cito ut expediri non possint; & multa erant quæ verum cernere, vel profecte prohibebant. Verum cum ex Thucydide coniectura ducatur, corruptos ab eo Persica gaza iudices, præcedenti anno absolutum Pausaniam, liberéq; domi res suas agere permissum putamus; sed domi, ne nova in Asiam profectio ab eo cum publico periculo susciperetur: idq; haud obscurè probant eius literæ, de quibus mox dicemus. Huc potius pertinere existimamus eam, quam memorat Thucydides, eius cum Hilotis conspirationem. (L. 1. p. 87. 91. lat.) Audax enim animus, ac turbulentus, cum foras erumpere non posset, domi tumultuari cœpit, si quo modo posset, quod Persarum ope cupiebat, proxima, & quasi cōpendiaria ad principatum via, per Hilotas obtinere. Siquidem Lacedæmone vero sermone iactatum est, ut idem ait, eum cum servis (quorum ingens erat Spartæ numerus, adeo ut multa nuper millia contra Persas militarent) seditiosa agitare consilia. Libertatem enim, inquit, & civitatem ipsis pollicebatur, si secum in cæteros Lacedæmonios insurrexissent, summamq. rei secum transegissent.

Solvtæ captivitatis an. 67.

II. *Erumpit, nec tamen punitur.*

Ervpit ea res multis magnisque seruorum indiciis, neque enim fides, in talium virorum tanta turba, quanta necessaria erat ad opprimendam ciuitatem, aut silentium seruari poterat, aut debebat. Nihilominus tamen ne sic quidem vllis seruorum denunciationibus habita fide, quidquam noui in eum statuere voluerunt: vtentes more, quo erga seipsos vti consueuerunt, vt non sint celeres, ad aliquid grauius de viro Spartano, sine manifestissimis, ac minime dubiis indiciis decernendum, qualia aliquanto post contra ipsum deprehensa sunt, vt dicemus. Nam cum hæc via non successisset, ad priorem illam cito rediit. Scripsit enim aliquoties ad regem Persarum, & ad Artabazum, ad inchoata dudum cum ipso consilia ad rem deducenda; sed ne res tabellariorum reuertentium in vrbem sermonibus panderetur, eos Bellerophontæis literis instructos, in Asia ab Artabazo curabat interfici. Quod scelus in eius denique recidit caput, vt suo loco dicetur. Testis est earum literarum Thucydides, & ex eo alij.

Eius ad Persas literæ Bellerophonteæ.

Li. p. 56. gr. & lat.

III. *Turba domestica Romæ pro agrorum diuisione.*

Romæ vero Consules Æmilius, & Vopiscus honore functi sunt valde laborioso & inquieto. Nam cessantibus externis bellis, domesticæ seditiones Rempublicam concusserunt. Cn. enim Genucius Trib. plebis ad vrgendam agri diuisionem ante annos duodecim promissam, populum concionibus suis excitauit, & à Consulibus flagitabat illius decreti executionem. At illi negarunt ad se pertinere, quod alieno consulatu decretum esset, nec Senatus decreta perpetuæ legis vim habere, sed esse instituta vnius anni. Quam tamen responsionem ex temporis potius necessitate, quam veritate factam significat Dionysius, cum subdit. Elusus hac consulum causatione Genucius, quia non poterat illos, vt maiori potestate præditos, cogere, aliam audaciæ viam ingressus est.

IV. *Tribunus plebis ex consulatu in iudicium vocat.*

Consvlaribvs enim Manlio & Furio diem dixit, & accusationis causam eam protulit, quod plebi fecissent iniuriam, quia non creassent decemuiros, qui ex Senatusconsulto agros diuiderent; cumque iureiurando firmaret se accusationem illam persecuturum, & patricios ingens cura subiisset, incertos quomodo reos possent eripere, & audaciam Tribuni reprimere: cum vna tantum vsque ad iudicium superesset dies, Genucius in lecto suo inuentus est mortuus, nullo acceleratæ mortis vestigio; visumque est omnibus diuinitus id iudicium impeditum fuisse, & seditionem consopitam. Liuius tamen optimates mortis huius suspectos relinquit. Sed Consules turbas improuide renouarunt. Cum enim insolentius in P. quendam Voleronem se gererent, & recusantem è centurione, nulla sua culpa, fieri gregarium militem, virgis à lictore cedi iuberent, illeque se contra lictores valide defenderet, & simul Tribunorum opem inuocaret, exorta est seditio, qua & Volero ereptus, & lictores abacti, & in Consules ipsos impetus factus est, vt non sine periculo illi se è foro protipuerint: indeque in Senatu Consules inter & Tribunos multa contentione reliquo anno certatum est.

Eiusdem subita mors.

Alia turba.

V. *Thero, & Thrasydæus Agrigentini.*

a lib. 11. Olymp. 77. an. 2.

Svb id tempus, vt inquit Diodor. *a* Thero Agrigentinorum princeps decimo sexto imperij sui anno vitam clausit: qui cum singulari cum æquitate Rempublicam administrasset, magna apud ciues gratia & autoritate vixit, & mortuo tanquam heroi singularis veneratio tributa est. In eius locum Thrasydæus filius successit, moribus ferox, & parenti dissimillimus, vt qui excusso legum freno tyrannicum pro libidine dominatum exercebat, ideoque in omnium odium incurrit: & cum in Hieronem Syracusarum regem magnas duxisset copias, turpiter victus quamprimum imperio excidit, & mox sibi violentas intulit manus, capitali iudicio condemnatus.

* † *
*

ANNVS MVNDI 3583. SEXTÆ AETATIS 67. Xerxis 16. Imperii Persici 67. Ioacimi Pont. 16. Olymp. LXXVII. an. 2. Archonte Praxiergo Vrb. Cond. 282. Consul. L. Pinario Mamercino, & P. Furio Fuso.

ANNVS ANTE CHRISTVM 470.

Thucydidis ortus

Millesimvs agitur annus à morte magni legislatoris, & Prophetæ Mosis viri Dei, idemque Iubilæus Mosaicus ordine vigesimus, ex quo Iosue duce, Israelitæ, transgresso sicco vestigio Iordane, in Chananitidem sunt ingressi. *b* Eodem ipso anno Prætore Athenis Praxiergo, natum esse Thucydidem nobilem historicum belli Peloponnesiaci scriptorem superius ex Pamphila apud A. Gellium demonstratum est. Plutarchus in Cimone de ducis huius natalibus agens, etiam Thucydidis cognati eius nobilitatem ostendit. Cimon, inquit, Miltiadi filius matrem Hegesipylam habuit, Olori Thraciæ regis filiam, vt in Archelai, & Melanthij carminibus in Cimonem scriptis traditur. Propterea Thucydides etiam historiarum conditor, Cimonis cognatus Olorum patrem habuit, qui ad Olorum regem veluti progenitorem nomen referret. Hæc ibi, quæ à Suida confirmantur. Eandem nobilitatem, & ex Thracia ductam originem stabiliunt illæ auri sectnræ, siue auri fodinæ, & aurariæ officinæ, quas in Thracia se habuisse, indeq; opibus inter primores eorum valuisse non obscure significat. *c* Quod Plutarchus quoque in Cimone affirmat.

I. *Iubilaeus Mosaicus 20.*

b l. 15. c. 23. Ortus Thucydidis & genus.

Nobilitas

Diuitiæ.

c l. 4. p. 320. gr. & l.

Non omittam de huius viri, cuius opera deinceps annis aliquot non parum vtemur, ingenio atque indole ex Suida dicere. Herodotum, inquit, etiamnum puer, Olympiæ historias suas recitantem cum audisset, quasi numine percitus lacrymis est oppletus. Ibi Herodotus ingenio eius animaduerso, patri Thucydidis Olero dixit: fortunatum te ob liberos Olore iudico. Nam filius tuus natura præditus est ad disciplinas incitata: neq; eum fefellit opinio. Fuit enim vir insignis artificio, & elegantia orationis, accurata expositione rerum, imperatoria arte, consilio, & argumentis panegyricis. Hæc ibi. Accuratam autem eius in scribendo diligentiam & fidem, singulæ prope paginæ testantur.

II. *Indoles eius, & deus.*

Refert in hunc annum secundum huius Olympiadis Diodorus Themistoclem Ostracismo patria pulsum, anno post pugnam Salaminiam decimo, quem passim recentiores omnes sequuntur. Tempus certe cum reliqua Pausaniæ historia, eiusque morte satis congruit, & rebus à Cimone, qui in eius locum suffectus est, imperatore gestis, & nominatim Eiona vrbe Thraciæ expugnata, quam expeditionem Diodorus in annum ti quentem refert, Themistocle videlicet iá exauthorato. Poterat tamen tota hæc res in vnum alterumue annum non incommode differri, propter Artaxerxem, in cuius regni principium Themistoclis in Asiam migratio, Thucydide ipso teste, contigit. Satius tamen esse duximus in re non satis certa, certum ducem quam proprium iudicium sequi. Eius porro expulsionis causas tres omnino reperio. Prima illi cum plerisq; illustribus viris communis fuit, excellens nimirum gloria, quæ rebus parta præclare gestis, non exiguis opibus nitebatur: altera fuit in eius agendo seueritas: tertia suspicio occulti cum Persa fœderis, & conspirationis.

III. *Exilium Themistoclis & tempus.*

p. 90. l. 1. gr. & lat.

Cvm ergo Themistocles magna iamdudum gloria opibusque floreret, plerique eius potentiam in libero populo cœperunt habere suspectam, qui quandam amat in ciuibus æqualitatem, vt membrorum in corpore, & partium in naui, & sonorum in musica proportionem, vt ait Aristot. nec libenter fert propinquam hanc ad tyrannidem dispositionem. Nonnulli etiam eius gloriæ inuidebant, beneficiorum obliti, cum illi salutem, libertatem, victoriam, opes, patriam ipsam, ac maris imperium deberent. Spartanos autem

IV. *Prima eius causa gloria.*

Arist. 3. Pol. c. 13.

autem maxime, vt perpetuos Atheniensium æmulos, hæc adussit inuidia, quæ in eo aperte se prodidit, quod ad eum in ordinem redigendum, Cimonem Miltiadis filium extulerunt, ad moderandam Græcorum classem, quæ Persarum reliquias persequebatur. Denique autor est Diodorus omnem ipsorum accusationem ex hoc fonte fluxisse, quod viderent Themistoclem maximi fieri apud ciues suos, & magna virtutum gloria fulgere; ipsiusque maxime opera atque industria, Athenienses ad totius maris imperium, ad quod Sparta vehementius aspirabat, propemodum peruenisse. Huc pertinet illud Scholiastæ Thucydidis. Διὰ τὸ φρόνημα περὶ τῆς Σαλαμῖνος ἐξωστρακίσθη ὑπ' Ἀθηναίων.

V. *Altera causa suspicionis. l. 1. p. 65.* ALTERAM causam ex Thucydide maxime confirmare licet. Cum enim Græciæ populi duce Pausania Persas in Europa oppidatim persequerentur, & Pausaniæ fastu atque acerbitate offensi, ad Athenienses Aristidis, Themistoclis, ac Cimonis lenitate capti transissent, & in subsidium naualis exercitus naues, pecunias, viros, arma spopondissent, ea mox firmato maris imperio seuerius exigebant, & sociis quasi famulis abutebantur. Exactor autem in primis erat Themistocles. Confœderatis, ait Plutarchus in eius vita, etiam grauis erat, circum insulas nauigans, & pecunias exigens. Quod intelligi ex iis potest, quæ cum in poscendo ab Andriis argento dixisse, & audiuisse scribit Herodotus. Dicenti enim se duos secum Deos adducere, Suadelam & Vim: responderunt apud se quoque duo esse magna numina, à quibus pecuniam dare prohiberentur, Paupertatem & Inopiam. Vim ergo publice priuatimque pecuniæ causa inferebat. Hinc illa Timocreontis Rhodij apud eundem querela aduersus Themistoclem, quod is cum accepta pecunia exulibus reditum in patriam conficeret, ipsum hospitem suum amicumq;, propter pecuniam proiecisset. Imo, vt est in eiusdem carmine, multos coëgisset cedere patria, vitaque multos exuisset.

πειθώ καὶ βίαν. πενίαν καὶ ἀπορίαν.

VI. *Tertia, Suspicio.* POSTREMO minime dubium est Themistoclem suspicione amicitiæ Persicæ laborasse, vt qui, teste Plutarcho & Herodot. semel iterumque Xerxem in Græcia versantem, per Arnacem vnum de Eunuchis regiis captiuum, Sicinum vocat Herodotus, pædagogum liberorum Themistoclis, monuerit, tum de ineunda pugna Salaminia, tum de reditu in Asiam accelerando, priusquam pontes in Hellesponto, à Græcis præcurrentibus dissoluerentur. Et reuera Athenienses ab eo classe persequendo, vt ei pollicitus fuerat, retinuit. Sed anceps erat eius intentio, credebat enim, quod euenta ipsa docuerunt, vtrumque esse à re Græciæ: & tamen volebat Xerxem existimare, quod & consecutus est, se ipsius gloriæ, saluti, commodisque studere: animo, vt ait Herodotus, sibi apud Persas subsidium comparandi, vt si quid sibi aduersi apud Athenienses accideret, haberet quo se conuerteret, prout & contigit. Quod ergo tum Xerxes credidit de Themistocle, id de eodem postea Græci suspicati sunt, cum animis essent in ipsum inuidia perturbatis. Postremo suspicionem fouebat cunctatio, qua is in expugnandis vrbibus, quæ Persico præsidio tenebantur, videbatur vti. Ergo in omnem euentum eum ostracismo patria pepulerunt. Illud autem obiter animaduertendum, exilium huiusmodi non quinque annorum, vt ait Diodor. sed decem fuisse, vt sæpius affirmat Plutarchus, Plato, & alij. plerique tempus non definiunt, vt Aristocles, Thucydides, Herodotus.

In Themistocle in Cimone, in Pericle, in Aristide, in Par. Luculli, vbi etiã Platonem citat.

VII. *Habitat Argis.* PVLSVS patria ad Argiuos profectus est, vt affirmat Thucydides. *Argis, inquit, habitabat, sed tamen & per cæteras Peloponnesi partes crebro commeabat.* Quo tempore consiliorum Pausaniæ factum fuisse participem author est Plutarchus in eius vita. Pausanias, inquit, cum proditionem istam moliretur, initio clam Themistocle quantumuis amico, id consilium habuerat; cum autem eum ciuitate excidisse, idque grauiter ferre videret, ausus est eum ad machinationis huius societatem adhortari, literisque Regis ostensis, instigare contra Græcos, improbam & ingratam gentem. At Themistocles & totam Pausaniæ petitionem repudiauit, & omne commercium ei denegauit. Rem tamen ipsam neque apud quenquam euulgauit, neq; indicium eius detulit, siue destiturum eum ab incepto ratus, siue alioqui deprehensum iri, vt qui res absurdas & periculosas nulla cum ratione tentaret. Hæc ille. Nimirum similitudo calamitatis animos conciliabat inter se, & spem faciebat rem quamuis arduam facilius perficiendi. Vtrum autem hæc communicatio per literas facta sit, aut Themistocles Pausaniam, qui Spartæ morabatur, adierit, affirmare non possum.

VIII. *Prodigia, & pestilentia Romæ.* ROMÆ autem huius anni principio prodigiis quibusdam territus est populus: simulque nunciatum à sacrorum interpretibus, hæc deorum ira fieri, quod sacra quædam necrite, nec pure peragerentur: nec ira multo post pestilentia inuasit mulieres, præsertim grauidas, vt immaturos fœtus ejicerent, & cum partu simul ipsæ morerentur. Cumque nullum malo remedium inueniretur, seruus quidam Pontificibus indicauit, vnam vestalium virginum Vrbiniam virginitate amissa, impure sacra pro populo facere. Hi amotam à sacris, & in iudicio conuictam, virgis ceciderunt, traductamque per vrbem viuam defoderunt. Ex incesti vero patratoribus alter sibi ipsi manus intulit, alter à pontificibus comprehensus in foro sub furca, velut mancipium flagris cæsus, ac necatus est, sicq; muliebris pestilentia Romæ sæuire desiit. Quid ergo iudicij expectandum est sacrarum rerum profanatoribus apud vltorẽ Deũ, qui talibus malis ac suppliciis passus est affici, qui res impias, quas sanctas putabant, impure tractabant? De tempore supplicij vestalis huius Liu. tacet, nobiscum sentit Euseb. in Chron. Anno enim 2. Olymp. 77. id contigisse scribit; at de nomine non consentit, Suniam enim non Vrbiniam vocat. Dionys. tamẽ Oros. & recentiores quiq; assentiũtur.

Ob Vestalem corruptam.

IX. *Tribunatus Voleronis, eiusque lex de comitiis.* HOC anno cum P. Volero, qui se semper Consulibus præbuerat contumacem, & spem faciebat plebi se optimatibus fortiter atque animosè restiturum, ac potentiam eorum depressurum, factus esset tribunus pleb. legem promulgauit, vt tribunorum comitia non centuriata essent, (sic enim apud Dionysium legi vult Glareanus, non autem curiata) sed tributa; quod in illis patritij omnia possent, in his autem plebs in tribus segregata. Duos habebat è collegis huius legis autores, atque ita reliqui qui dissentiebant, superabantur numero, ait Dionysius. Ex quo patet hoc tempore quinque omnino fuisse tribunos plebis. Verum Patricij & Consules omni ope huic legi resistebant. Cumque diu vtrinque longis suasionibus ac dissuasionibus certaretur, superueniens pestilentia, quæ totam Italiam peruagata Romæ vehementer sæuiit, rem totam impediuit, & in sequentem annum distulit, quo idem Volero & ambiit, & obtinuit Tribunatum. Notauit ex Varrone, & Macrobio Pighius, huic anno mensem intercalarem ascriptum fuisse.

Numerus Tribunorum pleb. Satur. l. 1. c. 13.

ANNVS MVNDI 3584. SEXTÆ AETATIS 68. Xerxis 17. Imperij Persar. 68. Ioacimi Pont. 17. Olymp. LXXVII. an. 3. Archonte Demotione. V. C. 283. T. Quint. Capitol. & Ap. Claudio Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 469.

I. *Democriti ortus.* SABBATICVS 143. in hunc annum cadit, quo summum Athenis magistratum gerebat Demotio, authore Diodoro, quo ipso Thrasylus apud Laertium in vita Democriti, scribit Democritum natum, anno scilicet tertio Olympiadis septuagesimæ septimæ; atque ita anno vno maiorem natu fuisse, quam Socratem, & æqualem Archelai Anaxagoræ discipuli. Apollodorus autem apud eundem, natum ait Olympiade 80.

Cimon classis imperator. Exauctorato porro, ac patria pulso Themistocle Demotione Athen. Prætore, belli ducem eligunt Cimonem, qui dudum Imperatore Themistocle fuerat bello clarus, traditoque egregio exercitu, in Asiæ maritima traicere iubent, vt sociis vrbibus auxilium ferat, & quæ Persicis adhuc præsidiis tenebantur in libertatem vindicet. Ita Dio-

dorus. Nec fortasse Themistocles earum vrbium, quæ deinceps Persis ereptæ sunt, obsidionem, atque expugnationem distulit alia de causa, quam quod Persarum erga se beneuolentiam retinere conabatur, si forte eandem cum Pausania fortunæ aleam, in hac Græcorum inuidia, ac suspicionibus experiri contingeret.

II. *Eionem oppugnat, expugnatque.* CIMON autem assumpta classe, ac Byzantium itinere directo, Eionem vrbem, Persarum adhuc iugo pressam cepit, vt inquit Diodorus: paulo plura Thucydides. Primum, inquit, Eionem, quæ ad Strymonem est sita, quam Medi tenebant, obsidione expugnarunt, & incolas vrbe direpta in seruitutem abduxerunt, duce Cimone Miltiadis filio. Cætera ergo ex Herodoto, Plutarcho, Pausania contexamus. Cimon, inquit Plutarchus, cum in Thraciam nauigasset, audiuit Persas quosdam nobiles viros, & regi iunctos sanguine Eiona vrbem ad flumen Strymonem tenere, vicinisque inde Græcis esse molestos. Ac primum ipsos Barbaros prælio victos in vrbem compulit, deinde Thracas qui supra Strymonem habitabant, vnde Barbaris commeatus subuehebatur, regione eiecit, totamque custodiens, ipse eo difficultatis obsessos Medos compulit, vt Butes regius dux (Bogem vocat Herodotus, Pausanias Boëm) rebus desperatis vrbem incenderit, seque vna cum amicis, & opibus perdiderit. Sed vltimum huius tragœdiæ actum copiosius enarrat, ac commendat Herodotus; quæ audire iuuerit, ac fortassis ex naturæ legibus expendere.

III. *Boges Persa propugnator.* *l. 7. p. 282. græ.* AIT ergo eorum qui à Græcis expulsi sunt, Xerxem præ cæteris Eionis præfectum Bogem commendasse, eiusque liberos qui superfuerant magno honore affecisse. Siquidem magnis inquit ferri laudibus Boges meruit, qui cum ab Atheniensibus, & Cimone Miltiadis filio obsideretur, liceretque ei accepta fide egredi, & in Asiam remeare, tamen abnuit, ne regi præ metu superfuisse videretur, sed ad extremum vsque perstitit. *Eius obstinatio ac desperatio.* Atque vbi nihil intra mœnia commeatus reliquum fuit, accenso ingenti rogo interemit liberos, coniugem, concubinas, familiam, eosque in rogum deiecit: deinc omne aurum vrbis, atque argentum è muris dispersit in Strymonem. His actis etiam semetipsum coniecit in rogum. Ita hic merito à Persis ad hoc vsque tempus præconio celebratur. Sic ipse. At enimuero te in tanto errore diutius versari non patiar Herodote, ab ipsis ianuis ac naturæ principiis longissime aberrantem. A Græcis enim & à Barbaris, quorum tu iudicio acquiescis, quorum encomiis adiungis immeritam istam commendationem, præterius fasque tam multiplex, tamque cruenta ferocissimæ bestiæ desperatio celebratur; vt facinus omnium immanissimum, atque teterrimum, falso fortitudinis nomine decoratum, quamplurimos habeat imitatores.

IV. *Quanta in culpa.* QVID enim tota illa Bogis familia crudelius atque immanius, non dicam à Græcis, aut Barbaris, Phalaride, Nerone, Mezentio; imo à tygribus & pantheris, quibus à feritate nomen est inditum, pati potuisset, eo, quod ab illo passus est, à quo genus omne officij, atque beneficij expectare debuisset? Omnino non fuit, nec esse potuit vllus mortalium, à quo liberi, coniux, concubinæ, familia vniuersa maiori scelere, quam à parente, coniuge, patre familias trucidari potuissent. Nefarius, & longe inconsultissimus Boges, qui imbellem ætatem, qui innocentem, qui sibi coniunctissimam domestico gladio maluit crudeliter interire, quam hosti vitam & libertatem, quæ vltro offerebantur, debere. Immanis atque insanus Boges, qui suum in hostes odium, tanta cum rabie in se suosque exaturare conatus est, quos ea de re gaudio potius, & lucro, quam damno vel mœrore affecturus erat; insanus inquam ac vecors, qui inanem timiditatis, imo falsam, atque iniustam suspicionem existimarit, tam furiosa crudelitate abolendam. In quibus tamen facinoribus omnibus nullum iustius, & nihilominus nullum detestabilius est eo, quod sibi ipse violentas attulit manus. Iustum enim erat, vt tam barbarus suorum carnifex, cum maximo omnium scelere, in maximum æterni supplicij cumulum periret. Nulla quippe re charitas detestabilius violari in hominem potest, quam cum aliquis summa omnium iniuria afficitur ab eo, à quo summum amorem omnia diuina, atque humana iura proficisci debere testantur.

V. *Vrbs capta modo.* HOC modo vrbem cum cepisset Cimon, ait Plutarchus, quamuis nihil admodum prædæ nactus fuerit, plerisque rebus vnà cum hoste absumptis incendio, cam tamen regionem fertilissimam, pulcherrimamque Atheniensibus habendam dedisse, eoque coloniam, sicut & Amphipolim deduxisse: ideoque populum, vt Hermas ibi lapideos erigeret, victoriæ monimentum cum epigrammatis indulsisse. Vrbis captæ modum nominat ille quidem, nec tamen explicat. Audi ergo Pausaniam, referentem *l. 8. p. 242. græ. Olymp. 98. 4. apud Diodorum.* qua ratione Agesipolis Pausaniæ filius dux Lacedæmoniorum, Mantinææ vrbis mœnia deiecerit. Ophin, ait, fluuium ad muros detorsit. Quo factum est, vt muri cum essent è crudo lateréulo extructi ea alluuie resoluerentur. *Marte aqua diruta.* Vt enim structura hæc tormentorum impetum debilitet, duriores enim lapides cõcussi infringuntur, & è suis compagibus dissiliunt, ita tamen aquis diluitur, vt cera igne vel Sole liquescit. Hanc expugnandi artem non primus excogitauit Agesipolis, sed eam ante vsurparat Cimon Miltiadis filius, in Eione ad Strymonem amnem obsidenda, propugnante Boë Medo homine, cum Persarum præsidio. Ita Pausanias. Ille autem Agesipolis alterius Pausaniæ filius fuit, ab eo qui proditionem Græciæ longe ante molitus est. Cæterum cum ex Herodoto satis liqueat non fuisse exigui temporis hanc oppugnationem, vt qui dicat eo vsque fuisse toleratam, dum nihil in vrbe reliquum esset commeatus, videtur noua Cimonis in Scyrum insulam expeditio in sequentem annum differenda, Romam interim repetamus.

VI. *Appius Claudius fit Consul inuitus, & inuita plebe.* ROMÆ enim optimates animaduersis Voleronis Tribuni plebis factiosi hominis, eiusq; sociorũ studiis, eis simili machinamento opposuerunt virum austerum, & plebi infestum Appium Claudium, Ap. f. eius qui plebi reducendæ plurimum aduersarius fuerat. Appium ergo, vt in Senatu ante decreuerant, ita in comitiis & repugnantem, & absentem Consulem elegerunt: virum quem plebs non minus auersabatur, quam ille plebem. Nam, vt scribit Dionysius, pauperes audito Appij nomine, confestim è campo discesserunt: sicq; facile peractis comitiis Consulatũ inierunt T. Quintius Capitolinus, & Appius Claud. Sabinus, ingenio, moribusq; dissimiles; prior enim mitis erat, & in plebem propensior: hic, sicut & iampridem pater eius, pro Senatus autoritate, & Plebis deiectione rigidissimus.

VII. *Suauitas diuinæ prouidentiæ.* IDQVE sæpè in vrbibus, domibusque, prædulci diuinæ prouidentiæ dispositione, contingit, ad commodam ciuium & liberorum gubernationem, & ciuitatis, familiæque pacem. Nam si vterque parens seuerior fuerit, mollior ætas, saxeis parentibus vtrinque contusa, conteretur, & ipsi totos dies noctesque rixabuntur. Si vterque mitior, nimia indulgentia penitus corrumpetur proles, nec erit qui familiam, remque domesticam retineat, quin tota diffluat, atque dilabatur. Si alter asperior, mitior alter fuerit, alter ab altero attemperabitur, & puerulus male habitus à patre, ad matrem confugiet, aut vice versa. Quo etiam pertinet, vt singulares magistratus, qui suprema in Republica funguntur autoritate, non plures deinceps rigidi, atque acerbi sibi succedant; sicut nec plures hyemes vel æstates, aut res prosperæ vel aduersæ continenter; hæc est huius vitæ conditio bonis malisque mixtæ vel intercalatæ: futura vniusmodi erit, perennibus ac meris bonis, malisue circumfluens.

VIII. *Consilium Appij circa plebem.* SED redeamus ad Appium, cui placebat externa militia distineri otiosam plebem & inopem: vt victum quotidianum, quo domi careret, ex hostico suis sibi parans laboribus, Reip. commoda iuuaret, nec patribus in Reip. administratione molestiam exhiberet. Omnes quippe superioris ætatis seditiones cessantibus bellis fuisse suscitatas; non defuturam honestã belli occasionem populo, qui ad imperiũ aspirãs, inuidiosus esset omnibus. At longe honestius erat, & tutius, tantã ciuiũ multitudiné opificus vrbanis occupari, quã cõsulto bella trahere & multiplicare, ad *In probandum.* domesticas seditiones vitãdas: & singulis annis modo hos,

modo

modo illos prælijs ac rapinis atterere: denique omnia sce-lera, quæ bellis fouentur enutrire, & populum in bello ferocem, iniurium, atque inhumanum; in pace otiosum, atque seditiosum reddere.

IX. Bella nonnisi iusta suscipienda.

QVINTIO vero Capitolino collegæ non placebat vllis inferri bellum: iniuriam quippe fieri nolebat hominibus, sed propulsari: sufficere autem dicebat, ac gratum esse debere, si ad illa necessitatio repellenda, vocata plebs pareret. Et recte ille quidem, ac sapienter. Qui enim bellum bellandi, aut quasi consumendi otij causa suscipiunt, nihil aliud quærunt, quam maximis damnis, summisque iniuriis vexare homines: quod plane iniquum, & barbarum est, nec à latrociniis alienum, quam sceleris magnitudine differt. Scitum est illud piratæ cuiusdam ad Alexandrum. Ego quia vnica celoce prædas ago, Pirata dicor, tu qui totis classibus Oceanum infestum habes, salutaris Imperator. Ita leones & vrsi feruntur in prædam; ita pisces grandiores minutos in ventrem auferunt, ac vorant.

X. Rogatio de tribunis comitiis ad plebeios magistratus.

CÆTERVM Tribunus Volero cum collegis, de lege, quam superiore anno perferre non potuerant, iterum rogationem tulerunt, addideruntque vt iisdem tributis comitiis etiam ædiles plebis crearentur, & quidquid per plebem agi, decernive deberet, tributis comitiis ageretur. Id erat maximam secum potestati optimatum immittere, quæ centuriatis comitiis maxime exercebatur, plebe locum in vltimis tantum suffragijs habente. Itaque huic rogationi ad seditionem vsque Consules, cæterique patricij restiterunt. Nam cum Quintius, vir moderatus & facundus in dissuadenda rogatione verba fecisset, tanta moderatione vtus est, vt suasores legis prorsus hæserint, resque transacta erat, nisi Appius ad eam legem dissuadendam accessisset. Nam vsque adeo plebis animos orationis acerbitate, maxime cum tribunitiam potestatem antiquandam censeret, offendit, atque exasperauit, vt C. Lectorius Tribunus non dubitauerit, nomine collegij Tribunorum, iubere duci consulem Appium in carcerem. Inde rixa, & tumultus, & aperta seditio, quæ Quintij moderatione & prudentia mitigata est, tota re ad Senatum relata, vbi ea sententia vicit, quæ rogationem permittebat, sicque ea de re facto Senatusconsulto, plebs legem suffragio suo confirmauit, eaque deinceps in Republica semper obseruata est. Atque is finis eius seditionis fuit, quam Appij inconsulta seueritas excitauit.

Et e m causa sedatio Tribunorum ... Lex de tributis comitiis.

XI. Res a Consulibus gestæ.

CONSVLES vero deinceps in bellum profecti, Quintius in Æquos, Appius in Volscos, ille militibus vsus obsequentissimis, rem bene gessit, & cum gloria domum rediit. At Appius, qui in sibi infensos milites haberet imperium, proternos, ac fugaces expertus est, quique multis cum plagis & ignominia sua, ducis gloriam impedire cuperent. Ideoque ordines desererent, signa abijcerent, in castra se ignominiose coniicerent; vbi facile confici ab hoste potuissent, nisi ex re tam insueta Romanis, illi insidias suspicati fuissent. Verum vbi in agrum pacatum ventum est, Consul exprobrata ignauia, ordinum ductores, quorum manipuli fugerant, & antesignani, qui signa amiserant, partim securi percussi sunt, partim occisi fustibus. E reliqua multitudine decimus quisque neci datus est, quam pœnam solennem fuisse dicit Dionysius Romanis, qui ordines desererent, vel signa amitterent.

Appius militibus habet proteruos.

XII. Ratio temporum perperam a Diodoro seruata.

DIODORVS Siculus in hunc annum refert nobilissima illa Cimonis in Asia prælia, terra marique contra Persas depugnata: sed cum idem etiam expeditiones quæ in Eionem, & Scyrum factæ sunt, aliaque in eundem annum coniiciat, apparet eum rerum potius, quæ ad eundem Cimonem pertinent, quam distinctionis temporum habuisse rationem: eodemque modo in Themistocle proximo anno peccauerat. Iustinus quoque in fi. l. 2. ea prælia in Xerxis regnum coniicit. At Thucydides, cui potius credendum esse quisque fateatur, contra sentit, & in tempus Artaxerxis eam Cimonis expeditionem refert: ait enim l. 1. Themistoclem in Asiam venisse sub initium regis Artaxerxis. Idem quoque affirmat in traiectu ipsius in Asiam, per Ægæum mare, pene incidisse in castra Atheniensium, Naxum insulam obsidentium; eamque obsidionem priorem fuisse pugna prædicta Cimonis ad Eurymedontem flumium: ex quo aperte sequitur hanc pugnam ad initia regni Artaxerxis differendam esse. Quod fecit Eusebius in chronicis. Nec alienus est ab hac sententia Plutarchus in Cimone, quamuis rerum gestarum tempora fere nusquam notet: quod vehementer iuuisset ad faciendam fidem: quæ tamen Diodorus in vnum annum coniecit, ipse longa narratione distraxit. Non desunt qui dicant Artaxerxem viuo patre Xerxe regnare cepisse, verum vnde id probent, nec ipsi afferunt, nec ego inuenio.

ANNVS MVNDI 3585. SEXTÆ AETATIS 69. Xerxis 18. Imperii Persici 69. Ioacimi Pont. 18. Olymp. LXXVII. an. 4. Archonte Phædone. Vrb. Cond. 284. L. Valer. Poplic. II. & T. AEmil. Mamercin. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 468.

I. Ortus Socratis.

VLTIMO anno Olympiadis huius natus est celeberrimus ille Socrates, ac diuino etiam iudicio, si par est credere, omnium mortalium sapientissimus. Rationem temporis confirmat Laërtius, apud quem hæc leguntur. *Nascitur Socrates, vt ait Apollodorus in chronicis sub Apsephione,* siue vt alij legunt Aphepsione, *septuagesimæ & septimæ Olympiadis anno quarto, Thargelionis mensis die sexta*, id est, sub finem mensis Aprilis, *quo die lustrant Athenienses ciuitatem, Dianamque natam Delij tradunt.* Hæc ibi, quæ etiam Demetrij Phalerei autoritate confirmat. Diodorus tamen Siculus huius anni prætorem vocat Phædonem, quem sequitur catalogus Olympionicarum, apud quem Aphepsion hic magistratum gessisse perhibetur anno vltimo Olympiadis septuagesimæ quartæ; anno vno ante transitum Xerxis in Græciam: vbi eam ob causam, vt arbitror, aliqui ortum Socratis collocarunt. Ego de anno Socratis, & Prætore sub quo natus est, atque Olympiade Laërtio, hæc ex instituto tractanti, & Apollodorum, & Demetrium Phalereum laudanti acquiescendum puto. Præsertim cum Plutarchus, res à Cimone hoc anno ad Scyrum insulam gestas, Principe ciuitatis Aphepsione contigisse tradat, vt mox dicemus, qui Cimon moriente Miltiade parente μειράκιον παντάπασιν à Plutarcho dicitur. Illo autem anno Olymp. 74. exeuntis adhuc Cimon adolescens erat, aut gregarius miles, non totius Græcæ classis Imperator.

Qui huius anni Prætor.

II. Cimon adit Scyrum insulam.

EIONE porro in potestatem Atheniensium Cimonis auspiciis redacta, itum est in Scyrum insulam in Ægæo sitam, quam Dolopes incolebant, eamque incolis in seruitutem abstractis, diripuerunt, & colonia eo missa ipsi incoluerunt. Ita Thucid. l. 1. quæ hoc anno facta, suadet series rerum à Cimone gestarum, quem in medio victoriarum cursu otiosum quieuisse non est credibile. Plane autem persuadet Aphepsion huius anni Prætor, quo Remp. administrante Cimon Scyro insula subacta, venit Athenas. Est ea insula vna è Cycladibus, Delo & Naxo vicina. Plutarchus in Cimo. ait Dolopes eius insulæ incolas mare infestum rapinis habuisse, & ne ab hospitibus quidem, & negotiatoribus suis abstinuisse. Nam mercatores aliquot Thessalos, negotiandi causa eo profectos spoliauisse, vinxisseque. Qui cum ex custodia effugissent, curarunt apud Amphyctionas eam ciuitatem grandi affici mulcta, quam prædones illi ne soluerent, miserunt literas ad Cimonem, spondentes se ei ciuitatem tradituros, quod & factum est.

III. Ægæum potitus. Ægæum mare pacauit. a Plut. in Cim.

POTITVS ad eum modum Cimon insula, Dolopes nihilominus extrusit, & reliquo anno Ægæum mare pacauit. Sed illud maximam habuit commendationẽ, quod ex ea insula Thesei reliquias, post quadringentos ferme annos, multo labore quæsitas, inuenit. Rectius diceret *a* post septingentos & quindecim annos. Floruit enim inter Argonautas, ante bellum Troianum: à quo abierunt 431. annus ante vrbẽ conditam, & inde 284. Porro P. usanias,

CERTAMINA CAPTIVITATIS AN. 69.

a ait hæc lipsana prius inuenta, quam insula Scyrus caperetur, quod esset in fatis non posse Scyron capi, nisi sublatis inde Thesei ossibus, quæ in prætoriam nauem imposita, eaque omni magnificentia decorata in patriam reduxit: quamobrem summam sibi gratiam, apud populum comparauit. Nimirum didicerat populus Atheniensis, & Cimon Imperator, vel ipsa natura dictante, eximiorum virorum ossa, cultu, atq; honore digna esse, atque adeo illis esse præsidio, apud quos residerent. Ideoq; neque Scyrij ea dimittere volebant, nec Athenienses iis diutius carere. Siquidem, ait Plutarch. oraculum erat Athenis, quod reliquias Thesei in vrbem referri, eumque pro Heroë præcipiebat eximiè coli. At hæretici, ne in luce quidem euangelij, cernere possunt sanctorum reliquias, quæ aliquando templa fuerunt Spiritus sancti, & in cœlis gloria immortalitatis afficienda sunt, & venerationem mereri, & præsidio esse cultoribus suis.

IV. *Pro Sophocle contra Aeschylum indicat.*

QVO autem præmio Athenis affectus sit, refert Plutarchus, & simul confirmat illustratque chronologiam. Itaque ait memoriæ causa iudex in nobilissimo tragœdorum certamine constitutus est. Cum enim primam fabulam Sophocles iuuenis adhuc populo daret (agebat is tum annum 17. si Suidæ credimus) orta inter spectatores dissidio & rixa, princeps ciuitatis Aphepsion certaminis eius nullos delegit arbitros, sed Cimonem vna cum collegis in theatrum progressum, cum is Deo rite libasset, retinuit, iurameotoque adactos coëgit considere ac iudicare. Fuit id certamen, vel propter iudicum autoritatem ardentius: in quo vicisse Sophoclem tradunt, Æschylumque ægerrime id tulisse, pauloque post irato animo in Siciliam concessisse: vbi & mortuus, & iuxta Gelam sepultus est. Apparet pudori fuisse, quod ætate prouectus, sæpiusq; iam victor, ab adolescente, in prima eius fabula, à viris grauissimis victus iudicatus esset. Scribit enim Suidas eum in pugna Marathonia cum fratribus contra Persas pugnasse, & poëtico certamine vicies & octies, vel vt alij tradunt, decies & ter victorem factum esse. Subdit autem de morte ipsius. Cum autem collapsis tabulatis eo tragœdiam agente in Siciliam fugisset, testudine ab aquila in caput eius deiecta, periit, anno ætatis quinquagesimo octauo.

Eusebius Aeschylo mortem.

V. *Terræ motus Spartæ.*

MEMORABILIS hoc anno clades, atque improuisa in Spartanos incubuit, vt refert Diodorus. Ingens enim terræ motus Spartæ exortus domos funditus euertit, & Lacedæmoniorum supra 20. millia obtriuit. Eam occasionem Ilotæ ac Messenij, iampridem Spartæ infensi, corripuerunt ad eam propugnatoribus vacuam euertendam. Sed cum inuenissent Archidamum regem cum vrbis reliquiis extra vrbem progressum, & instructa acie paratum ad hostem excipiendum, à cœptis destiterunt. Munitum tamen in Messenia locum Ithomen occuparunt, vnde assiduis incursionibus Lacedæmonios vexarent. Qui sociarum vrbium, nominatimque Atheniensium opem implorarunt; à quibus cum copias Cimone suadente, ad vrgendam Ithomes obsidionem impetrassent, moxque animaduertissent Athenienses clam ad Messenios inclinare, eos dimiserunt, rati reliquos socios sibi sufficere ad præsentem necessitatem. Illi eam dimissionem contemptum interpretati, indigneque ferentes abierunt, odioque deinceps maiore in dies persecuti sunt, dum grauissimum inter eos bellum Peloponnesiacum exardesceret, cuius hanc hanc primam originem Diodorus, ac Thucydides ipse. Ilotæ autem cum Messenijs armorum societate coniuncti, contra Lacedæmonios ad decennium, alternatim victi, victoresque, bellum gesserunt. Sed hac de re iterum inferius in regno Artaxerxis dicendum erit. b Nam Diodori Chronologia festinatione laborat.

Occasio belli.

Origo belli Peloponnes.

b Olymp. 79. 2. 2.

VI. *Pausanias proditionem vrget.*

CIRCA hæc tempora Pausanias, qui priuatus animo vehementer ægro Lacedæmone viuebat, crebras in Asiam literas, vel ad Artabazum, vel ad Xerxem ipsum mittebat, quibus suscepta pridem proditionis negotia promouere conabatur, idque per certos nuncios, quos redditis literis curabat in Perside, vel in Asia interfici; quæ etiam mortis ei causa fuit. Interea vero in omnem euentum Xerxes magnas terra, marique copias contrahebat, ad alteram profectionem in Græciam, idque vt arbitror minimo strepitu, & sine vlla ostentatione, ne quod periculum capiti Pausaniæ crearetur, quas deinde copias Athenienses duce Cimone mira felicitate afflixerunt, vt suo loco dicemus.

CERTAMEN, ET MORS.

VII. *Quæstio de agrorum diuisione renouatur.*

ROMÆ autem à Tribunis diuisionis agrorum postulatio renouata est. Adiere enim Coss. postularunt ratum haberi, quod Senatus Plebi promisisset, Consulatu Sp. Cassij, & Proculi Virginij. an vrb. conditæ 268 & habuerunt fauentem vtrumque Consulem. Tib. quidem Æmilium, propter offensam veterem non omnino iniustam, quia Patri eius triumphum petenti Senatus negauerat, an. 276. Valerius autem demereri plebem cupiebat, infensam sibi propter mortem Sp. Cassij, quem ipse Quæstor tyrannidis affectatæ supplicio affecerat, qui primus legis agrariæ mentionem in ciuitatem intulerat. Cum ergo Tribuni Coss. haberent, qui se cadere ad Senatum relaturos pollicerentur, vocarunt in Senatum, & moderata oratione antiquum Senatusconsult. de agrorum diuisione ratum haberi, & decemuiros eam in rem creari postularunt.

VIII. *Consilio in sententiam Appius repugnat, & vincit.*

COSS. nihil contradixerunt, sed Patrum sententias rogauere. Primus rogatus est L. Æmilius pater alterius consulum, qui sibi è Republica videri dixit, si bona publica possiderentur potius ab omnibus, quam à paucis: In quam etiam sententiam plura coniecit. At Appius Claudius superioris anni consul contrariam dixit sententiam, & Æmilij orationem non solum accurate, sed etiam asperè, & acerbe suo more refutauit; & in plebem, instituto patrio, fusius inuectus est: iis in sua accusatione positis, quæ superiori anno à suo exercitu passus fuerat, pro quibus non præmia, vel agros, quos nunc hostis, quantum in ipsis fuit, nunc obtinet, sed pœnam, tanquam de re publica male meriti, mereantur. In eius nihilominus quamuis duriorem sententiam, cæteris ferme omnibus discedentibus, Senatus dimissus est.

IX. *Affert atque acerbus homo animi suo.*

TRIBVNI repulsam passi ita in Appium fremere, & vltionem consultare; denique, placuit ei diem apud plebem dicere, & capitis hominem accersere. Cumque ei pro concione multa crimina obiecta essent, ille antequam iudicij aduenisset dies, neque rei habitum sumere, neque populo supplicare, per se aliumue voluit, sed sibi ipse violentas attulit manus. Eius necessarij morbo extinctum finxerunt, vt ait Dionysius: eam tamen fictionem pro veritate Liuius habuit, qui etiam adiecit semel causam ab eo dictam. Trucem autem eius animum recte repræsentat: dum, ait eum & tribunos, & plebem, & suum iudicium pro nihilo habuisse. Illum neque plebis minas, neque Senatus preces perpellere vnquam potuisse, non modo vt vestem mutaret, aut supplex prehensaret homines, sed ne vt ex consueta quidem asperitate orationis, cum ad populum agenda causa esset, aliquid leniret, atque summitteret. *Idem habitus oris*, inquit, *eadem in vultu contumacia, idem in oratione spiritus erat: adeo vt magna pars plebis Appium non minus reum timeret, quam Consulem timuerat.* Et mox, *semel causam dixit, quo semper agere omnia solitus erat, accusatorio spiritu: adeoque constantia sua, & tribunos obstupefecit, & plebem, vt diem ipsi sua voluntate producerent. &c.*

Sibi manus infert.

X. *Funus laudat eius filius.*

PERLATO deinde in forum corpore, filius eius à Tribunis, & Consulibus petiit, inquit Dionysius, vt quod instituto maiorum in præstantium virorum funere soleret fieri, sibi quoque concionem de more cogerent, & funebrem super patre orationem habere permitterent. Quod cum Tribuni prohiberent, ac denunciarent adolescenti, vt cadauer è foro tolleret: non tulit hanc iniuriam populus, vt inhonoratum corpus eijceretur, sed permisit adolescentem patri extremum, & moribus receptum honorem persoluere. Imo, vt addit Liuius, laudationem mortui tam æquis auribus audiuit, quam viui accusationem audierat, & exequias frequens celebrauit. Ita insitum est hominibus non certare cum mortuis, & quantasuis iniurias, atque inimicitias eodem quo mortuos tumulo sepelire. Qui secus faciunt humanitatem penitus exuerunt.

Bellum porro quod hoc anno Consules contra Æquos & Sabinos gesserunt, nihil habet memorabile, nisi quod

Æquo-

Æquorum castra diuinitus contra Romanorum impetum tempestate prohibita sunt, agri tamen consuetæ populationi patuerunt, vt Dionys. & Liuius prodidere.

ANNVS MVNDI 3586. SEXTÆ ÆTATIS 70. Xerxis 19. Imperij Persarum 70. Ioacimi Pont. 19. Olympiadis LXXVIII. an. 1. Archonte Theagenide. Vrbis cond. 285. A Virginio Nomentano, & T. Numicio Prisco Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 467.

I. *Olymp. 78. Error tempore circa Anaxagoram.* IDEM rerum status in Græcia, & Perside perseuerat initio Olymp. 78. qua in stadio vicit Parmenidea Posidoniates, siue Pæstanus. Nam eadem Lucaniæ vrbs à Græcis Posidonia, à Latinis Pæstum dicitur. Bellum porro Argiuos inter & Mycænæos gestum, quod hoc anno Diodorus contigisse scribit, vel ipso me teste, posterius est terræ motu Spartæ, & bello à Cimone in Asia gesto, quæ iam ostendimus regnante Artaxerxe accidisse. Eodem modo autor catalogi Olympionicarum Diodorum secutus hallucinatus est. Theagenidem hoc tempore Prætorem referunt, Dionysius, Diodorus, & Plutarch. in lib. 10. orat. in vita Andocidis, quem hoc anno natum scribit. Refert autem Laërtius ex Apollodoro in Chronicis, Anaxagoram hoc ipso anno defecisse. Fertur, inquit, vixisse annos 72. Addit etiam ex Demetrio Phalereo eum sub Callia vicesimo ætatis anno philosophari cœpisse, ibique ad 30. annos esse commoratum. In Xerxis etiam transitu annum ætatis vigesimum egisse.

II. *Laertius corrigitur.* QVÆ secum aperte pugnant. A Xerxis enim transitu, & prætura Calliæ, quæ eodem anno primo Olympiadis septuagesimæ quintæ contigerunt, annus tantum agitur decimustertius, ergo non 72. annos vixerit, sed tres & 30. duntaxat; nec Athenis 30. annis commoratus fuerit, sed tredecim. Ergo in numeros irrepsit error, qui facile corrigetur, si pro septuagesima octaua Olympiade, legamus 88. Sic enim constabunt omnia, & natum Anaxagoram Olympiade septuagesima, quod ibi quoque ex Apollodoro dicitur, & 75. Olympiade annum egisse vigesimum, & pulsum Athenis fuisse propter nouam de Sole opinionē, quamuis Pericle patrono, vt ait Suidas, qui Olympiade 87. extrema mortuus perhibetur. Eademque opera corrigetur Eusebius, qui eius mortē retulit ad Olympiadē 79.

III. *Romæ seditio superuenienti bello comprimitur.* AC ne ipsi quidem Consules quidquam memoria dignum egisse referuntur. Scribit tamen Liuius Plebem Romæ non vltra laturam fuisse dilationem agrariæ legis: & vltima vis, inquit, parabatur, cum Volscus adesse, fumo ex incendiis villarum, fugaque agrestium cognitum est: ea res maturam iam seditionem, atque erumpentem repressit. Dionys. ait vni ex castellis vrbi circumfusis hostem flammas iniecisse, & direpto castello, inde se eadem ipsa nocte proripuisse. Vicem autem rependisse Numicium Consulem, oppidulo quodam maritimo eorum occupato, quod Antiatibus erat nauale simul & forum, quod totum permissu Consulis militi in prædam cessit, mancipia, pecuniæ, pecora, merces: captæ sunt etiam 22. naues longæ Antiatium, & alia nauium armamenta, instrumentaque; Incensæ ædes, diruta nauium receptacula, æquata solo mœnia. Post hæc coniunctis duobus exercitibus fines Sabinorum ingressi, agrosque depopulati, sub finem anni domum copias reduxerunt.

Quæ populationes, & prædæ cum pene quotidianæ essent, & iis omnium vicinorum opes Romam transferrentur, mirum plane videtur diuinum iudicium, quo fiebat vt perpetui isti populorum prædones, penuria tamen, atque egestate ita premerentur, vt quotannis ab ipsis Romæ seditio timeretur. Vsque adeo verum est illud. Male parta male dilabuntur. Et, De male quæsitis non gaudet tertius hæres.



ANNVS MVNDI 3587. SEXTAE AETATIS 71. Xerxis 20. Imperij Persarum 71. Ioacimi Pont. 20. Olympiadis LXXVIII. 2. Prætore Lysistrato ab Vrbis cond. 286. Coss. T. Quintio Capitol. Q. Seruil. Prisco.

ANNVS ANTE CHRISTVM 466.

I. *Pausanias proditionis conuincitur.* HOC, vt arbitror, anno Pausanias, proditionis manifestæ conuictus, mori coactus est. Eius mortem ad extrema Xerxis tempora alij quoque retulerunt, Thucydides, & Diodorus in referenda morte, rationem temporis non habuerunt, vt supra diximus.

Eam mortem ita refert Thucyd. l. 1. Cum iam Pausanias seruorum indiciis apud Ephoros proditionis argueretur, vltimum tamen supplicium in eum statuere noluerunt, donec tandem per quendam, qui postremas epistolas ad regem scriptas ad Artabazum delaturus erat, proditus est. Is fuit, vir Argilius, ex Argilio scilicet vrbe Thraciæ oriundus, non procul ab Amphipoli, & ostio Strymonis sita. Qui quondam ei fuerat in delitiis, idemque illi fidelissimus: cui cum in mentem venisset illa cogitatio, quod nullus de nunciis ante se missis adhuc rediisset, idemque sibi euenturum timeret, sigillum Pausaniæ sigillo simile fabricatus est, vt si opinione sua deceptus esset, aut etiam si quid in epistola mutare voluisset, fraus non agnosceretur, epistolam aperuit, in eaque se, vt ante suspicatus fuerat, morti addictum inuenit.

II. *Quomodo deprehensus fuerit.* CVM AVTEM ille has literas Ephoris ostendisset, & illi, si fieri posset, etiam ex ore Pausaniæ rem totam confirmari vellent, Argilius hic ex composito ad Tænarum confugit, est is locus iuxta Tænarium promontorium, quod Laconicum & Messeniacum sinum in Peloponnesu diuidit, ibique erat Neptuni templum, ad quod supplices, mortis vitandæ causa, confugiebant, ibique tugurium construxit, quod septo interposito disclusum erat, in quo quosdam de Ephoris absconderat. Cumque Pausanias ad ipsum venisset, & supplicationis causam ex illo quæreret, omnia plane audiuerunt, dum ille conquereretur de rebus in suam perniciem ab illo scriptis: aliaque sigillatim declararet, quomodo nunquam, in obeundis apud regem ministeriis, ipsum vllis periculis obiecisset; & tamen dignus habitus fuisset, qui, æque ac multi alij eius ministri, occidi iuberetur.

III. *Rem ipsemet prodit audientibus magistratu.* QVÆ cum ille fateretur, & fidem ei daret nihil illum passurum mali, sed quamprimum acceleraret iter ad regem, neque sua negotia impediret. Ephori his auditis abierunt, & eum in vrbe comprehendere conabantur. Denique cum iam in via comprehendendus esset, eaque de causa ipsum adirent Ephori, vnus eorum, pro sua in Pausaniam beneuolentia, nutu clandestino ei fugam in asylum quoddam significauit. Ille se ad templum Palladis Chalciœcæ cursu proripuit, & in templi ædicula se continuit: quam cum postea tecto nudassent, qui eum comprehensuri erant, & fores muro obstruxissent, fame hominem expugnarunt; cumque animam in ædicula iam esset efflaturus, ex ædicula eductus quamprimum mortuus est. Addit Diodorus, a Matrem Pausaniæ progressam ad templum, nihil aliud egisse, vel dixisse, quam quod laterem illuc transportatum in ipsis templi foribus deposuerit, & ita se domum receperit. Id autem iudicium matris secutos Lacedæmonios, ostium templi obstruxisse, vt hoc modo Pausaniæ, necessitas per inediam moriendi afferretur. *Fugit in asylum.* *a p. 263. gr.* *Fame necatur.*

IV. *Eius sepultura.* EPHORI cadauer in locum, in quem facinorosorum hominum cadauera deiici solent, proiecturi erant; sed mox visum est ipsis eum in propinquo aliquo loco defodere; donec oraculum Delphicum iussit eum sepeliri eo loco, vbi animam efflasset, & duo corpora pro vno Palladi reddi, cui suum supplicem abstulerant: illi vero duas statuas æneas fecerunt, quas pro Pausania deæ consecrarunt.

Qua

Solvtæ capt. 71. *Expiatio asyli violati.*

Qua in re Athenienses existimarunt eos Mineruæ Atheniensium præsidi illusisse, & Apollini Delphico, qui iusserat duo corpora, Ephororum scilicet, qui Asylū violarant; pro vno persolui, non autem duas statuas; itaque miserunt ad Lacedæmonios, iubentes vt scelus expiarent, id est, vt sceleratos, qui piaculum admiserant, exterminarent, & perderent, tanquam sacros homines, & piaculares, sicque planus fiet locus Thucydidis, alioqui perobscurus, & intelligetur quod de Lacedæmonijs subditur.

V. *Themistocles proditionis infamatur. Quæritur ad necem ab Atheniensibus, & Laced.*

Eos scilicet vice versa iussisse Athenienses Themistoclem supplicio afficere, vtpote piacularem, & eiusdem cum Pausania proditionis reum, vt ipsis compertum erat ex Pausaniæ indicijs, atque iudicio. Illi vero fidem verbis Lacedæmoniorum habentes, miserunt quosdam cū Lacedæmonijs, & mandatis, vt eum adducerent, vbicumq; terrarum esset. Erat autem iam pulsus patria propter ostracismum, & Argis quidem habitabat, per cæteras tamē Peloponnesi partes crebro commeabat. Themistocles vero cum rem præsensisset, ex Peloponneso in Corcyram profugit. Hæc fere ad verbum ex Thucydide: quem vereor vt satis intellexerit Diodorus Sicul. nisi, aliunde hanc historiam fortasse mendicauit. *a*

Mox fugit in Corcyram. — *a L. 11. in Olymp. 77. an. 1.*

VI. *Res aliter à Diodoro narrata.*

Ait ergo Spartanos dolore, atq; inuidia motos, quod Sparta propter proditionem Græciæ à Pausania susceptā, male audiret apud Græcos, parem Athenis ignominiæ notam inurere voluisse, ideoque Themistoclem magna tum gloria florentem accusasse, quod consilia de proditione cum Pausania communicasset. Addit etiam eosdem Spartanos instigasse Themistoclis inimicos, largitione etiam corrupisse: Themistoclem vero falsum esse in purgatione sui, literas quidem se accepisse à Pausania, quibus ad commune proditionis facinus sollicitaretur. Sed eo maxime innocentiam suam probare voluisse, quod diceret nunquam Pausaniam tam sollicita, tamque operosa adhortatione vsurum fuisse, nisi ipse postulatis, ac cœptis eius tam fortiter se apposuisset. Atque ita tum Athenis à proditionis crimine fuisse absolutum; rursus tamen post ostracismum fuisse redintegratam accusationem, & à Lacedæmonijs postulatum, vt ad publicum Græciæ iudiciū sisteretur Themistocles, vtique vel hoc ipso Reus, quod agnitum patriæ proditorem non detulisset: eaque re cognita Themistoclem ad Admetum profugisse.

VII. *Improbatur ex Thucydide.*

Verum Thucydides, cui nemo dubitauerit plus fidei esse tribuendum, vt qui hisce rebus pene interfuit, geminam Themistoclis accusationem non agnoscit: nec illam Spartanorum inuidiam, sed multo probabiliorem, vt ita dicam, recriminationem; nec fugam communis Græciæ iudicij prætendit, sed manifesta indicia, in accusatione Pausaniæ, contra Themistoclem deprehensa.

Existimo autem fugam eius in Corcyram recte ad annum sequentem referri posse, eumque, quod temporis reliquum fuit, in Peloponneso latuisse, de commoda, & tuta fuga deliberantem. Interea vero & Naxus insula defecit ab Atheniensibus; cuius exemplum aliæ quoque postea sunt secutæ. Defectionis vero causa ex Thucydide hæc fuit.

VIII. *Origo defectionum sociorum ab Atheniensibus.*

Athenienses reliquias Persarum è Græcia classe persequebantur, cumque pleræque omnes ciuitates socia cū eis arma coniunxissent, naues, milites, pecuniasque suppeditabant, iuxta rectissimam, laudatissimamque Aristidis distributionem. Contigit autem, vt plerique, qui domo abesse nolebant, neque labores & pericula militiæ subire, absentiam suam pecunia redimerēt: alij etiam nauium loco pecunias darent; quo fiebat vt naualis Atheniensium potentia vehementer augeretur. Eas pecunias Athenienses seuere exigebant, & molesti erant hominibus, qui sponte belli societatem inierant, nec eadem comitate qua consueuerant imperabant, sed quasi Domini famulis: eoque audacius quod viderent illos, si qui forte deficere auderent, facile in suam potestatem ac ditionem redigi posse, vt qui imparati, & rebus necessarijs ad bellum minime instructi, deficerent.

IX. *Defectio Naxiorum.*

Itaqve, vt ait Plutarch. in Cimone, breui spatio Cimon Socios populos. suis ipsorum pecunijs, & sumptibus, reddidit Atheniensium seruos. Illi enim domestica negotia vmbratili exercitatione tractantes, imbelles fiebant, & ignaui. Athenienses autem semper arma tractantes, eaque toto Græcorum mari circumferentes, fortes bellatores euadebant. Primi ergo Naxij, (est autem Naxus insula, & ciuitas in medio Cycladum, in Ægæo mari,) acerbius ab Atheniensibus tractati, militiæ societatem repudiarunt, & pecunias pendere detrectarunt, sicq; Atheniensium aduersarij facti, non ita multo post eorum arma senserunt; bello primum ab hoste in socias ciuitates populosque conuerso.

Sociorvm ab Atheniensibvs defectio.

Hoc anno secundo Olympiadis octauæ supra septuagesimam scribit Diodorus Thrasybulum Tyrannum mortuo fratri Hieroni successisse Syracusis, & anno vno regnasse, indeque redditam Syracusanis ad annos 60. libertatem, quando Dionysio patere coacti sunt. Quo ipso anno author est Plinius, *b* cometem in cœlo vissum esse, & lapidem è Sole ad Ægos flumen decidisse; quod priusquam fieret, Anaxagoras futurum prædixerat.

Thrasybulus tyrannus. — *b l. 2. c. 60. Cometes, & cælicus lapis.*

X. *Romana res contra Sabinos. Et Volscos.*

Romæ autem duce Consule Seruilio bellum in Sabinos nihil repugnantes, sed intra muros se continentes, & agrorum suorum deuastationem sufferentes, facile confectum est. At Æqui & Volsci operosius à Quintio, cui sorte obuenerant, debellari sunt. Congressi enim dubio Marte certauerunt vsque ad meridiem, multis vtrimque cadentibus; in quo melior erat hostium conditio, quod noua continenter subsidia laborantibus summittebant, Romani vero cæsis, aut vulneratis, aut fatigatis, integros sufficere non poterant. Ad vltimum mendacio victoriam quæsiuit Imperator. Nam assumptis secum fortissimis equitum, dextero cornui, vbi maxime laborabatur, succurrit; simulque dixit alterum cornu, pulsis hostibus, iam castris illorum esse proximum. Quo dicto, & credito, & suis audaciam, & hostibus pauorem attulit: simulque ex equo cum suis descendens, statariam capessit pugnam, neque destitit, donec Volscos tandem auertit in fugam, moxque conscenso equo, in alterum cornu aduolans, ostendebat fugatam partem hostium, & cohortabatur ne virtute socijs cederent, quo facto cessit tota hostium acies, & effusa fuga castra sua repetijt.

Ex mendacio victoria.

XI. *Alia rursus Æquorum, Volscorumque pugna.*

Interiectis deinde aliquot dierum inducijs, pro castris Romanis certatum est. Nam Æquorum, & Volscorum copijs auctis, supplemento misso ex circumuicinis oppidis, dux eorum fretus suis copiis, quintuplo quam hostiles maioribus, castra Romanorum circundedit, & ab ipsa media nocte multis velitationibus, vsque ad horā diei tertiam, suos magis quam Romanos fatigauit. Quando Romanus dux in hostem incompositum aperta porta erupit cum lectissimis equitum, sequētibus denso agmine peditibus. At Volsci territi hac audacia, furiosoque incursu, breui à castris repulsi, in vicinum tumulum se receperunt, vt post modicam quietem aciem instaurarent. Sed hostes in vestigijs hærentes id non permiserunt. Quinimo quamuis & numero, & loco superiores, tumulo depulsi, dum ad castra conuolant, passim cęduntur; nec prius Romani à pugna destiterunt, quam castris potirentur hostium, in quibus eam noctem transegerunt. Inde ad vrbem Antium profecti sunt, ad eam oppugnandam. Eam deditione Consul accepit ijs conditionibus, vt Æqui, qui illic erant in præsidio, fide Consulis accepta decederent; Antiades, præsidio Romano in vrbem suam recepto, imperata facerent. Quo facto militem in vrbem reduxit, obuiam Senatu procedente, moxq; triumphali pompa honoratus est.

Et victoria. — *Antium in ditionem facit.*

* * *

ANNVS MVNDI 3588. SEXTAE AETAtis 72. Xerxis 21. Imperii Persici 72. Ioacimi Pontif. 21. Olympiad. LXXVIII. an. 3. Prætore Athenis Lysania. Vrbis Condit. 287. Coss. Tib. Æmil. II. & Q. Fabio.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 465.

I. *Themistocles Corcyram fugit.* THemistocles patria pulsus ostracismo, & insuper proditionis nunc insimulatus, nullum tota Græcia tutum receptui locum inueniens, quod duæ primariæ ciuitates, quarum alterutram vniuersa pene Græcia sequebatur, in ipsum coniurasse viderentur; Asiam cogitans; iter longe diuersum Corcyram versus ingressus est, forte vt persequentibus se contrarijs quodammodo vestigijs imponeret. Ea est insula in Ionio mari non exigua, ad Epiri littora versus meridiem cognominem habens ciuitatem. Eo autem fugit, quod de Corcyræis bene meritus esset. Cum enim debellatis Persis Græci consultarent de pœna ciuitatum, quæ bello Persico non adfuissent, in quarum numero erat Corcyra, Themistocles id consiliũ omne disiecit, docens id perniciosius Græciæ fore, quam si in Barbarorum potestatem venissent: aliam causam apud Plutarchum inuenies in vita Themistoclis. *Scholiastes Thucyd. p. 21. græc. lat. fin.* Verum cum Corcyræi dicerent se vereri ne si ipsum apud se retinerent, in Lacedæmoniorum, & Atheniensium odium incurrerent, vtrique enim eum persequebantur, vt dixi, in oppositam continentem ab eis deductus est.

II. *In Epirum ad Admetum fugit.* Cvm ergo in Epirum traiecisset, & qui eum persequebantur, omni studio sciscitarentur, quonam ille iret, propter magnam consilij inopiam, ad regem Molossorum Admetum diuertere coactus est: sicut aliquanto post ad regem Persarum Artaxerxem; vt dudum Martius Coriolanus ad Volscos, & iampridem Dauid ad Philisthæos. Suorum recentem inuidiam magis metuens, quam iram Regis antiquam. Plutarch. in eius vita. Sunt autem Molossi populi in Epiro vicini Cassiopæis, & Thessalis. Ad illum inquam regem coactus confugit, quod ei amicus non esset, eo quod ei dudum apud Athenienses oranti aduersatus fuisset. Verum Themistocles consilio Phythiæ vxoris Admeti vsus, ipsius filium ad focum complexus, quod erat maximum supplicandi apud illos genus, parrẽ orauit, vt supplicis & perfugæ misereretur; nec sua maiestate dignum duceret, afflictum, ac supplicem aduersariũ dedere inimicis & præcipitantem iam in ruinam impellere: sic enim longe fore præcedentem culpam suam, præsenti eius iniuria leuiorem.

III. *A quo admittitur, & tuetur.* Acqvievit Admetus, nec Lacedæmonijs & Atheniensibus, cõ non multo post profectis, & longa oratione vsis eum tradere voluit; sed dimisit cupientem ad Regem pergere. Vtique Persarum regem, qui Rex singulariter audiebat. Scribit Plutarch. in Themist. cum apud Admetum esset, vxorẽ & liberos eius, clam Athenis exportatos fuisse ab Epicrate Acharnensi, quo nomine postea accusante Cimone, capitis damnatus sit. Addit Diodorus aliquam pecuniæ vim in subsidium fugæ illi ab Admeto suppeditatam, quo viatico accepto, noctu è Molossorũ terra cunctis ad fugiendum necessarijs à rege instructum, profugisse; duosque nactum Ligures itinerum gnaros cum eis, oneraria vectum naue, iter vsque in Asiam confecisse. *Pydnam adit, ad Alexandrum regem.* At prius Pydnam Macedoniæ vrbem diuertit, vbi regnabat Alexander Amyntæ filius, quem supra ex Herodoto diximus ita pugnasse cum Persis, vt nihilominus Græcis faueret, & Xerxis consilia eisdem patefaceret. Apud hunc ergo regem Themistocles reliquum traduxit annum.

IV. *Athenienses Naxum obsident.* Hoc anno Athenienses Naxum insulam oppugnare cœperunt: nec enim cito ea potitos arbitror. Cum enim vim ab Atheniensibus sine dubio expectarent, munierãt vtique se, quamuis alioqui potentes essent. Nam, vt libro 5. scribit Herodotus, ea præcipua erat in Cycladibus, ex eaq; Parus, & Andrus, aliæque pendebant. Et cum eam Persæ olim cum ducentis nauibus oppugnarent, irrito conatu, licet perexiguo tempore ante præmonitos, quatuor mensibus oppugnarunt. Certe constat ex Thucydide obsidionem adhuc sequenti anno perseuerasse, cum Artaxerxes iam Xerxi mortuo successisset.

V. *Controuersia de re agraria. 4 lib. 1.2.* Interea Romæ controuersia de re agraria, sub nouis Consulibus renouatur. Quorum Fabius, vt scribit Liuius, is erat, qui vnus extinctæ ad Cremeram genti superfuerat: aut potius, vt mauult Dionys. erat hic vnius trium fratrum filius, qui præsidio Cremeram misso, duces præfuerant, & cum clientibus suis ibidem occubuerant. *Tribi. fauet Aemilius.* Æmilio autem Consule, qui nuper Tribunorum postulatis, de agrorum diuisione fauerat, eam petitionem Tribuni redintegrant. Consul manebat in sententia, & plerique patres in eum reddebantur infensi, querendo quod largiendo de alieno, popularis fieri vellet, & rei inuidiam à Tribunis in Consulem auertebant. *Fabius rem componit.* Sed Fabius, consilio neutri parti acerbo, rem expediuit, vt ait Liuius. Cum enim T. Quintij ductu, & auspicio agri capti priore anno aliquãtum à Volscis essent. Antium propinquam, opportunam, & maritimam vrbem, Coloniam deduci posse: ita sine querelis possessorum, plebem in agros ituram, ciuitatem in concordia fore.

VI. *Triumuiri agro diuidendo.* Qvæ sententia cum accepta esset, triumuiri agro distribuẽdo creati sunt, T. Quintius. A. Virginius, P. Furius. Iussi sunt dare nomina, qui agrum accipere vellent. Fecit statim, vt fit, fastidium copia, adeoque pauci nomina dedere, quod mallent Romæ, quam alibi agrum accipere, vt ad explendum numerum coloni Volsci adderentur. Ita Liuius. At Dionys. ait Latinis & Hernicis S. C. permissum fuisse, vt qui vellent ei se coloniæ socios adderent. His ergo triumuiri agros diuiserunt, parte quadam Antiatibus relicta.

Aequi pacem petunt, & obtinent. Porro Fabius cum copias aduersas Æquos duxisset, pacem isti & amicitiam maluerunt, quam bellum, & pro ea obtinenda legatos ad Consulem, Consul ad Senatum miserunt. Denique Consulis interuentu fœdus his legibus initum est. Æquorum populi, saluis suis oppidis, & agris, Romanorum subditi sunto: Romanis nihil mittũto, præter auxilia quoties accita fuerint, eaque sumptu proprio. *Fœdus cum eis.* Icto fœdere Fabius reduxit exercitum, & vna cum Collega, magistratus in annum sequentem designauit.

ANNVS MVNDI 3589. SEXTÆ ÆTAtis 73. Xerxis 22. & vlt. Imperii Persici 73. Ioacimi vlt. Artabanus, & Artaxerxes regno succedunt. Olympiadis LXXVIII. an. 4. Prætore Athenis Lysitheo. Vrbis condit. 288. Coss. Sp. Postumio Albino, & Q. Seruilio Prisco II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 464.

II. *Res gesta cũ Aequis.* Romana huius anni res paucis expediri potest. Nam domi erat ab agrarijs contentionibus quies, & eam vel ipsi morbi, quibus hic annus Romæ obnoxius fuit, imperabant. Ab Æquis tamen fœdus propere violatum est, latrocinijs in agrum Latinum incursantibus. Ad eos missus Q. Fabius, qui pacem cum gente pepigerat, quæsiuit num publico consilio prædones excurrissent: quod cum illi negarent, nec tamen res ablatas repetenti, & sontes ad supplicium deposcenti acquiescerent, furtimque potius arma pararent: ille in vrbem reuersus rem Senatui exposuit: à quo missi feciales qui bellum denunciarent, nisi ea quæ Quintius poposcerat præstitissent. Illi bellum non inuiti acceperunt, quod tamen propter aduersam valetudinem, non nisi sequenti anno gestum est. Q. tamen Seruilius præsidio Latinorum modicam eduxit manum, apud quos statiua habuit.

II. *Ratio temporis.* Nonnulli 20. annos Xerxis regno tribuunt, vt Euseb. in Chron. alij 21. vt Seuer. Sulpit. l. 2. & Diodorus Sicul. qui eum ait vltra 20. annos Persarum regno præfuisse, verum cum Artaxerxis primus cadat in primum annum

Olymp.

Olymp. 79. vt postea dicetur, oportet Olympiadem 78. integram partim Xerxi, partim eius interfectori Artabano tribui. Cumq; hic dicatur ab Euseb. in Chron. septem regnasse mensibus, oportebit Xerxem priores quinque menses vltra vigesimum primum annum regnasse; itaque sentit Torniel. anno sextæ ætatis 143. & 144. Verum non inuenio, præter Eusebium, qui Artabano certum tempus regni attribuat. Certe non Diodorus, neque Iustinus, qui exactius Xerxis mortem retulere. Ac ne Thucydides quidem, aut Herodotus eius meminerunt.

III. Diodorvs anno 4. Olymp. 78 scribit Artabanum natione Hircanum, qui plurimum apud Xerxem pollebat, vtpote satellitum eius princeps, Regis necandi, regnique in se transferendi consilia iniisse. Incitatus autem est, vt ait Iustinus, tum ignaui regis contemptu, cuius maiestas deficiebat in dies, tum septem robustissimorum filiorum fiducia, cum quibus vesperi regiam ingressus est. Addit Diodorus, introductum à Mithridate Eunucho, regis cubiculario, amicitiæ & cognationis necessitudine sibi coniuncto. Ab hoc igitur in cubiculum introductus Artabanus; statim regem obtruncat, eodemque ardore filios etiam regis petit, qui tres erant: Darius natu maximus, cui Xerxes vxorem dederat Artayntam filiam fratris sui Masistis. Herod. l. 9. & Artaxerxes, qui ambo in regia versabantur. Tertius autem Hystaspes tunc absens Satrapiam Bactrianorum illa tempestate gerebat, Herodotus sub fi. l. 9. ait eam Præfecturam Masisti fratri Xerxis attributam fuisse.

IV. Tvm Artabanus profunda adhuc nocte ad Artaxerxē properans Darium parenti necem intulisse, regnumq; sibi vsurpare constituisse nunciat. Suadet idcirco vt priusquā ille summam ad se rerum traxerit, mature sibi consulat, ne per socordiam fratri seruiat, sed vltione potius de parricida sumpta, regnum ipse occupet: ad quod facinus perpetrandum regios stipatores in auxilium se adhibiturum pollicetur. Persuasus Artaxerxes, eorum opera fratrem obtruncat, & quidem dormientem, quasi somnum fingeret, vt ait Iustin. At Ælianus a ait patrem Xerxem noctu in lecto iacentem à filio iugulatum. Hic Artabanus fortunā cœptis aspirare cernens, liberis ad se vocatis, iam capessendi regni tempus venisse dictitat, & ex improuiso stricto gladio Artaxerxem ferit. Is ex vulnere accepto non magnum incommodum passus, strenue contra Artabanum se tutatur, & letali inflicto vulnere eum perimit. Ereptus ad hunc modum è periculo vitæ, præter omnem opinionem Artaxerxes, cædemque patris vltus, imperij Persici gubernacula accepit. Ita Diodorus.

V. At Iustinus paulo aliter. Nam exposita Darij maioris natu cæde, sic pergit: Deinde cum vnum ex regis filijs sceleri suo superesse Artabanus videret, (duos tamen ponit Diodorus) metueretque de regno certamina principum, assumit in societatem consilij Bacabassum; qui præsenti statu contentus, rem prodit Artaxerxi, vt Pater eius occisus sit, vt frater falsa parricidij suspicione oppressus, vt denique ipsi parentur insidiæ. His cognitis Artaxerxes verens Artabani numerum filiorum, in posterum diem paratum esse exercitum, armatumq; iubet. Itaque cum inter cæteros & ipse Artabanus armatus assisteret, Rex simulat se breuiorem loricam habere, iubet Artabanum secum commutare: exuentem se, ac nudatum gladio traijcit. Tum & filios eius corripi iubet: atque ita egregius adolescens & cædem patris, & necem fratris, & se ab insidijs Artabani vindicauit. Hactenus Iustinus.

VI. Cvivs è narratione non magis septem menses tyrannidis Artabani, quam ex præcedenti Diodori oratione colliguntur. Illud autem in Iustino, tanquam minus probabile displicet, quod ait Artaxerxem, quem paulo ante admodum puerum fuisse dixit, loricam sibi breuiorem cū Artabano commutare voluisse, viro vtique grandiore, & 7. robustissimorum filiorum parente.

Existimo igitur non longe ab huius anni fine occisum fuisse Xerxem, eiusque primogenitum Darium, & vtrique Artaxerxem successisse: qui & Longimanus dictus est, quod manum siue brachium dextrum altero longius haberet, vt est apud Plutarch. in Artaxerxe; vbi etiā ait eum lenitate, & animi celsitudine præcelluisse: siue quod vtrumque brachium cæteris hominibus longius haberet, adeo vt stans sua genua contingeret extremis digitis. Darium etiam vocat Genebr. nescio quo duce. Iosephus, l. 11. c. 6. Cyrum quem, inquit, Græci Artaxerxem nominant. Eius tamen primus annus cum Olympiade septuagesima nona inchoatur.

VII. Themistocles perueniat. Interea Themistocles cum Pydnæ aliquandiu constitisset, nauem onerariam nactus, quæ in Ioniam proficiscebatur, eam conscendit, & tempestate delatus est in castra Atheniensium, qui Naxum obsidebant. Quo casu territus, nauclero declarauit quis esset, ignotus enim erat ijs qui naui vehebantur, & qua de causa fugeret, & nisi se seruaret, minatus est dicturum, se ab eo duci pecunijs adductum: periculum autem vitari posse, si nullus ex naui exiret, donec idonea nauigandi tempestas sese ipsis offerret. Quod si sibi morem gessisset, dixit se memori animo, pro meriti magnitudine, gratiam ei relaturum. Persuasus nauclerus cum diem ac noctem in anchoris, & salo stetisset supra Atheniensium castra, postea Ephesum peruenit, vbi Themistocles nauclerum suum copiose remuneratus est. Hæc fere Thucyd. lib. 1. Qui addit eum mox plurimas recepisse pecunias, tum Athenis ab amicis missas, tum Argis, quas ibi habebat depositas. Pecunia eius, ait Plutarchus in Themist. magna ex parte furtim per amicos egesta, & in Asiam deuecta est. At deprehensam, & publicatam summam centum Theopompus, Theophrastus 80. talentum fuisse dicit: cum ne tribus quidem talentis æstimari possent eius facultates, antequam Reip. gubernationem attingeret. 80. porro talenta Attica, quæ 687. aureis cum dimidio æstimantur singula, ad 55. millia aureorum ascendunt: tria autem talenta, ad 2 [illegible] 2. cum dimidio. Naxus autem paulo post in Atheniensium potestatem deditione peruenit.

ANNVS MVNDI 3590. SEXTÆ ÆTATIS 74. Artaxerxis Longimani primus. Eliasib Pont. 1. Imperii Persarum 74. Olympia. LXXIX. an. 1. Archonte Archedemide. Vrbis condit. 289. T. Quintio Capitolino III. & Q. Fabio Vibulano II. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 463.

I. Ratio temporis. Testes habemus huius Chronologiæ Eusebium in Chronico, & catalogum Olympionicarum, Dionys. Halycarn. l. 9. & Diodorum l. 11. qui addunt Xenophontem Corinthium in stadio vicisse, Archedemidem autem Athenis principem fuisse. De Consulibus quoque consentiunt, nisi quod Diodorus more suo vna semper Olympiade tardior est, & sibi semper, aut ad multos saltem annos, in suo errore constat. Eusebio de Olympiade recentiores passim consentiunt, Tornielius, Sigonius, Gordonus, Mercator, plurimique Sectarij.

Nouus pontifex. b 2. Esdr. 3. Novvm ponimus Hebræorum pontificem, cum nouo rege Persarum, quia etsi ex Nehemia b constat Eliasib fuisse Hierosolymis sacerdotem magnum regnante Artaxerxe, quoto tamen anno pontificatum inierit, aut terminarit non constat. Ne mireris autem Lector, Nehemiam dici à Iosepho c mortuum sub regno Xerxis, licet ipsemet Nehemias scribat se vigesimo anno Artaxerxis apud eum officio pincernæ functum fuisse. Id enim ex alio eius errore prouenit, quo res Artaxerxis filij, ad Xerxem patrem retulit, vt suo loco monuimus. c l. 11. c. 5.

II. Sed de rege ipso maior est controuersia, quod pertinet ad sacram historiam cum profana copulandam, fueritne is maritus Estheris, necne. Nam vix vllus Persarum Rex fuit, cui non plerique Estheris connubio sociarint. Vt enim omittam Astyagem Cyaxaris patrem, & auum Cyri maternum, quem Gerardus Mercator asserit, Melchior

CAPT. Canus dubitat esse Assuerum, siue Artaxerxē quem quærimus, à qua sententia non alienus est Vatablus, qui ait hanc historiam contigisse tempore Babylonicæ captiuitatis. omittam & Darium Medum, quem maluit Cedrenus, cui etiam Canus æque subscribit. Petiam enim quærimus nomine Artaxerxem, siue Assuerum, hæc enim nomina pro eodem Scriptura sumit, a & regem super 127. prouincias imperantem, veri Dei cognitione præditum, quæ neque Astyagi, neque Cyaxari, siue Dario Medo conueniunt: vt ergo his omittamus.

III. Aut Cambysem. HEBRÆI in Seder Olam c. 29. non repugnante Genebrardo in Chronol & Lyrano, Cambysem Cyri filium, sine vlla probatione, imo & probabilitate intrudunt, ex eoque matrimonio genitum volunt Darium, qui Hystaspis dictus est; quod sine insigni historiæ ignoratione dici nequit. Darius enim, Hystaspis filius fuit, non Cambysis, quem constat ex 1. Esdr. 4. infensum fuisse Iudæis, & ne totos quidem octo annos imperasse, & à Perside toto fere imperij sui tempore abfuisse, & id genus alia, quæ coniugi Esthetis non conueniunt. Probabilius id de Cyro affirmarent, cui & beneuolentia erga Iudæos fauet, & tempus non repugnat. Non enim ait scriptura Assuerum Esthetis, à principio regni sui 127. prouincijs imperasse: septem anni imperij abunde sufficiunt, vt tam late imperasse dicatur. Falso tamen, quia neque tertio, aut septimo, aut 12. sedem fixerat Susis, aut ibi quietus manebat, sed Lydos, & reliquam minorem Asiam sibi cum Harpago subiugabat: neque eius tempore extabat templi, & altaris gloria, sicut tempore Esthetis: b neque eum quisquam aut Artaxerxem nominauit, aut sub Artaxerxis, vel Assueri nomine intellexit. Alterum ergo Estheri sponsum quæramus.

Aut Cyrum.

a 1. Esther c. 9. v. 6 7 8

b c. 14. v.

IV. Aut Darium Hystaspis. DARIVM Hystaspis offert Henricus Sametius in sua Chronologia, & Feuardent. in suo Comment. Ioan. Bened. in notis Biblicis, quod sectarij quoque aliqui probarunt (Functius, Carion, Buntingus.) Cui sententiæ fauet, quod Darius sub initium regni sui fecit conuiuium magnum omnibus principibus suis, sicut & Assuerus, quod vterque 127. prouincijs imperasse dicatur, vterque ab India vsque ad Æthiopiam, vt patet initio Esther, & lib. 3. Esdr. c. 3. vterque Susis habitauit, & per principes ac præfectos bella gessit, vterque Iudæis beneuolus fuit, cum sub Dario constet templum iam diu inchoatū, fuisse absolutum, eo non solum permittente, sed etiam iuuāte. De Assuero autem tota historia id testatur; deoique vterque Deum verum agnouit. At res vxoria parum conuenit. Nā Herod. l. 3. scribit Darium 4. habuisse vxores, quarum duę erant filiæ Cyri, Atossa, & Artystona: tertia eiusdem Cyri neptis, & Smerdis filia, cui nomen Parmis: quarta Phædyma, filia Othanis Persæ, qui fuit vnus de 7. qui Smerdem magum Persico regno exturbarunt. Addit & quintam Herod. lib. 7. sub fin. nomine Phratagunam, Artanis fratris sui filiam; quarum quæ Vasthi esse potuerit non apparet, nulla quippe earū repudiata est, multo minus quæ Esther. Adde quod Herodoti, qui res Darij copiose persecutus est, silentium de rebus Aman, eiusque memorando interitu, qui tam sæpe in multa minuta, & parerga studiose digreditur, valde probabile reddit alium esse Darium Hystaspis, ab Assuero Esthetis marito.

Non videtur.

Fuit 4. aut 5 vxorum.

V. Aut Xerxem amplius. NON desunt qui Xerxem tradant. Nam Genebrardus vult hunc Assuerum esse Xerxem, & genuisse ex Esthere Darium, seu potius Artaxerxem Longimanum, Xerxem etiam tradit Scaliger l. 6. de emend. & in Eusebium, & Io. Drusius in c. 2. Esth. Iunius, Caluisius, & si qui alij Sectarij. Scaliger autem sola vocabuli coodatione pugnat, Xerxē trahēs è vestigiis Assueri, siue Achasueros אחשורוש. In qua grammatica ita sibi placet, vt non solum arguat Græcum interpretem, qui Hebræam vocem non vertent Assuerum, Oxyarem, aut Xerxem, sed plumbeos etiam esse dicat, imo asinos, & cerritos, qui alium regem sub hoc nomine Hebræo hariolantur; nec posse habere aliquid hominis, qui rei tam manifestæ refragentur. Vides exemplum hæreticæ modestiæ, Caluini vt catulum facile agnoscas. Nec videt pro aureo illo suo acumine, quod nos plumbei tamen agnoscimus, non satis esse consentire nomina, si res ipsa aut tota aut magna ex parte dissentiat. Itaque licet Assuerum in equuleum tollat, vt inde Xerxem extondat, atque exprimat, nihilominus versat *Saxum sudans nitendo, nec proficit hilum*, nisi vt omnes agnoscant hominis intemperantissimæ linguæ petulantiam, qui procacium instar fœminarum, cum ratione careat, repugnantes absterrere maledictis, atque abigere `se contendat. Eum refutat etiam Capellus, licet ex eodem Caluini grege sectarius. c

a. 1152. & a. 1612.

Scaligeri petulantia. c a. m. 3122.

VI. Hæc sententia improbatur. d 4. 6. NITI autem videtur hæc sententia primo Esdræ, d vbi Iudæi dicuntur accusati apud Assuerum, qui ibid. dicitur Artaxerxes. Verum ea accusatio nec ab Aman facta est, nec pro ædificatione templi, vel vrbis, neque in principio regni. Neque possunt Hebræi vllum idoneum auctorem producere, qui alienigenam, nedum Hebræam matrem Longimani afferat. Denique ijs annis quibus Assuerus Susis cum Mardochæo, & Esthere fuisse traditur, perspicue ex Herodoto, & alijs constat, eum in Græciæ expeditione fuisse. Nam anno 6. Sardeis venit, vbi & hyemauit anno septimo, traiecit Hellespontum, & pugnauit apud Termopylas, Anno 9. Sardibus mansit. Supersunt tres Artaxerxes, Longimanus, Mnemon, & Ochus, quorum singuli non pauca collegerunt ad has nuptias suffragia.

VII. Aut Artaxerxem Ochum. e quæst. 3. f t. 1. l. 1. c. 7. OCHO dedit Serarius e in c. 1. Estheris, & Gordonus in sua Chronol. & cap. 14. n. 26. & Adrichom. in an. mundi 3544. & Gretserus in defens. Bellarm. f pro qua sententia rationes duæ afferuntur. Quod vicinus sit Ochus Macedonum imperio; ideoque hic Assuerus accusabat Aman, quod vellet Persarum imperium in Macedones transferre. Quod id matrimonium neque Longimano, neque Mnemoni conueniat. Huic sane sententiæ valde aduersatur D. Augustinus, quando ait rem gestam ab Esther in laudem Dei, non longe distare à temporibus Aggæi, Zachariæ, Malachiæ, Esdræ. Atqui, vt alios taceam à primo Artaxerxis Longimani, sub quo Esdras floruit, ex communi sententia vsque ad 1. Ochi, anni centum ab Eusebio numerantur. Eadem sententia non parum fit improbabilis ex eo, quod neminem habet antiquum patronum; quodque ne vnam quidem actionem Assueri, aut Mardochæi, aut Esthetis afferat, quæ Ocho, aut regno eius conueniat. Nec vicinitas, aut longinquitas imperij Macedonū multum huic causæ prodest, aut alijs obest. Nam qui Astyagem, aut Darium Medum volunt esse Assuerum, respondebunt cum Bellarmino, non obijci Amano ab Assuero, eum velle regnum Persarum transferre in Macedones, quasi iam Macedones cum Persis de imperio contenderent; sed contra potius, voluisse Amanum gentem suam, tunc obscuram & ignobilem, translato imperio nobilitare; sicut Cyrus Persas iampridem obscuros, translato à Babylonijs & Medis imperio, clarissimos reddiderat.

L. 18. de ciu. c. 36.

VIII. Aut Artaxerxem Mnemonem. IAM quod ad Artaxerxem Mnemonem attinet, nuptiarum eius se paranymphum exhibet Euseb. in Chron. sub Olymp. 94. Beda in lib. de sex Ætat. D. Hieronym. in Ezechielis 4. vbi tamen sententiam Hebræorum tantum refert. Isidorus item. Et è recentioribus Peter. lib 13. in Daniel. sub init. cap. 11. & lib. 10. vbi de 70. Hebdom. & Sigonius in Seuerum Sulpitium, secutus Eusebium. Torniel. anno 204. sextæ ætat. Verum ne hi quidem quidquam verisimilis rationis afferunt; nec satis respondent Bellarmino obijcienti nihil in vita Artaxerxis Mnemonis reperiri apud Plutarch. quod sapiat Assuerum Esthetis. Et præterea non fore aliquin librum Esther in canone Hebræorum, qui ab Esdra confectus est: quem tamen in eo fuisse ex Iosepho constat, in 1. contra Appionem, vbi ait à Moyse vsque ad Artaxerxem filium Xerxis duos & viginti numeratos esse sacros libros primariæ authoritatis: inde autem scripta fuisse alia, quæ non paris essent fidei. In illis autem viginti duobus D. Hieronym. in prologo Galeato ponit Esthetis librum.

Liber Esther in canone Hebræorum.

IX. Qui sint libri sacri. SICVT & Genebr. lib. 2. Chronol. sub init. vbi ex Hebræis refert editum fuisse canonem Hebræorum de sa-

Solutæ ...apt. 74.

cris scripturis in magna Synodo, cuius scriba fuerit Esras, qui eius autoritate in ordinem hodiernum veteris testamenti libros reduxerit, & tres in partes diuiserit, legem (libris quinque Moysis, Prophetas (octo, nempe 4. priores, Iosue, Iudices, Samuelem, & Reges) & totidem posteriores, Esaiam, Ieremiam, Ezechielem, & lib. minorum Prophetarum) & Agiographa, nouem, Psalmos, Prouerbia, Canticum, Ecclesiasten, Iob, Danielem, Esdram, Paralipomenon, Esther. Nam Ruth adijciunt libro Iudicum, quasi appendicem; & lamentationes libro Ieremiæ. Sicque stabilitur argumentum Bellarmini contra Tornielli responsionem. Parique modo stabilitur alterum argumentum. Non tantum enim quæ Plutarchus scribit de vxoribus Mnemonis diuersa sunt, sed reliqua etiam omnia, in quibus oportuisset Torniellum aliquam rerum similitudinem afferre, ad refellendum argumentum.

X. *Fuisse Artax. Longimanum.*

Omnibus igitur hisce procis repulsam passis, solus maritus Estheris reginæ erit Artaxerxes Macrochir, siue Longimanus; cui fauent Iosephus l. 11. antiq. c. 6. quem alij secuti sunt ante Eusebium, quos tamen ipse non sequitur. Sequitur tamen Seuerus Sulpitius l. 2. historiæ sacræ, vbi ait duos fuisse Artaxerxes, & priorem quidem prohibuisse ædificationem templi, *a* posteriorem autem potestatem dedisse ædificandi Ierusalem, & addit, mihi tamen visum est huic Artaxerxi, sub qua Hierosolyma est restituta, Esther historiam connectere, quæ ante non fuit verisimilis, vel, vt recte corrigit Sigonius, quia haud fit verisimile, si sub priore Artaxerxe fuisset, qui ea tempora complexus est (Esdras scilicet) nullam tam illustris fœminæ mentionem retulisse: neque Esther passura fuisset tum, si in illius matrimonio tum fuisset; hæc ibi: quæ idcirco ad verbum retuli, quod Serarius l. c. scribat Bellarminum cum pro hac sententia non recte retulisse, qui in fraudem inductus est, sicut & Sigonius, quod non essent memores Cambysem dici Artaxerxem, *b* vt ibi omnes fatentur, ratione cuius Longimanus dicitur posterior Artaxerxes, omisso Mnemone. Sequitur & Niceph. Constant. in Chronico, Viues, *c* Suidas, Zonatas, Sabellicus, *d* Bellarm. *e* Caietanus in lib. Esther, & alij apud Serar. l. c. quibus libenter subscripserim.

a Vt patet 1. Esdr. 4.
Quo ita sentiant.
b 1. Esdr. 4. 7.
c in c. 36. l. 18 de ciu.
d Ennead. 3. l. 1.
e t. 3. l. 2. c. 7. 6.

XI. *Maxime confirmatur.*

Nam & nomen conuenit, & beneuolentia in Iudæos; & veri Dei cognitio, & regni amplitudo, & commoratio in Perside, & regni diuturnitas, & similitudo morum, & si qua sunt alia, quæ vt singula reliquis fere conueniunt, huic conueniunt omnia, vt clarius ex historiæ totius serie, & obiectionum solutione patebit.

f l. 11 q. 4. in Dan.

Argumentatur enim Peter. *f* contendens Artaxerxem, qui misit Nehemiam Hierosolymam, non esse Mnemonem, sed Longimanum quod vltro damus, nec aliter sentit Sulpitius, cuius verba paulo ante retuli, quem tamen refutat Pererius, quasi volentem illum Artaxerxem esse Mnemonem, quæ argumenta; quia non minus Longimanum impugnant, dissoluenda sunt. Secundum ergo est huiusmodi. (Nam 1. non facit contra nos) Incredibile esse finitimos illos populos, hostesq; Iudæorum, qui Persis parebant, ausuros fuisse impedire ædificationem vrbis, & tantopere vexare Iudæos, cum scirent reginam esse Iudæam, & qui princeps omnium erat apud regem, esse Iudæum Mardochæum. Præsertim vero cum recens adhuc esset cædes innumerabilium hominum, qui, quod Iudæis inimici essent, procurante Esthere, & iubente rege occisi fuerant.

XII. *Satisfit argumento in contrarium.* *g* 2. *c*.

Respondemus hostes Iudæorum non ignorasse Nehemiam à Rege, & Regina missum fuisse, ad ciuitatem ædificandam, vt patet 2 Esdræ, *g* vbi etiam dicitur latas à Nehemia epistolas regias ad duces Regionis trans flumen; quod si illi nihilominus Nehemiæ restiterunt, non minus restitissent, propter Estherem reginam, & Mardochæum. Præsertim cum ipsi præ se ferrent non ex odio Iudæorum, aut contemptu regis se resistere, sed ex studio conseruandi imperium regium in Iudæa. Quo modo non raro Senatus regius edictis principis resistit, sine vlla eius offensione. Ideoque criminabantur Iudæos velle rebellare cum Nehemia, eumq; regem constituere. *h* Quoniam tamen sciebant Iudæos in aula plurimum posse, eis illi non præfracte, & armata manu restiterunt, sed irrisionibus, minis, & terroribus, citra cædem, & sanguinem; nec Iudæi duce Nehemia propterea ab opere destiterunt, vt olim regnante Cambyse. Ex quo patet & in Iudæis plus fiduciæ, & in eorum hostibus minus audaciæ nunc fuisse.

De hostibus Iudæos impedientibus.

Esther em nupsisse Longimano.
h 2. Esdr. 6. 6

XIII. *Cur Nehemias per reginam non petierit.*

Alterum est argumentum Nehemiam per reginam, vel Mardochæum petiturum fuisse facultatem reparandæ vrbis, quos sciret apud regem gratiosissimos. Respondeo fortasse conuenisse inter Estherem & Nehemiam, vt ipse id à Rege peteret, & Regina petitionem adiuuaret, prout expedire sibi videretur; non enim sine causa reginæ mentio est. *i* Et cum dubium esset, quam in partem rex postulationem hanc esset accepturus, non conueniebat reginam repulsæ periculum subire.

i 2. Esdr. 2. 6.

Tertium argumentum est Euseb. in Chronico, in Artaxerxe Longimano, vbi sic ait. *Ea quæ de Esther, & Mardochæo scripta sunt, quidam affirmant sub hoc rege gesta, quod ego non puto. Nunquam enim Esras de Esther siluisset, qui scribit hoc tempore Esram & Nehemiam reuersos ex Babylone*, &c. Sic ipse. Responderi potest siluisse, quia sciebat librum ex professo ea de re scriptum fuisse. Sic in libro Iudicum nulla est mentio Ruthæ, quæ tamen tempore vnius Iudicum vixit, nec Tobiæ, aut Iudithæ in libris Regum, licet eorum temporibus floruerint, saltem Tobias, quia proprijs voluminibus illæ historiæ scriptæ erant.

Cur Esdras de Esthere siluerit.

XIV. *An Longimanus præfuerit 127. prouinciis.* *k* anno 144. 6. ætat. n. 7.

Quartum argumentum affert Torniellus. *k* Assuerus initio regni dominabatur 127. prouincijs, non autem Longimanus: quoniam Xerxes plurimas amiserat prouincias, nimirum Mediam & Assyriam ab Arphaxad, & Nabuchodonosor occupatas: Ægyptij quoque eius regni initio rebellarunt. Atqui vt hæc vera ex parte sint; (nã Arphaxat, & Nabuchodon. ad longe anteriora tempora, sicut & Iuditham pertinere, alibi satis docuimus, & memorari potius potuissent, quæ tam in Asia, quam in Europa, à tempore expeditionis Xerxis in Græciam, amissa fuerant,) nihil tamen hoc argumento concluditur. Quis enim nescit Reges etiam amissorum regnorum titulos retinere, in quæ ius se habere contendunt? Sic Rex Angliæ etiam se Regem Franciæ appellat, & Rex Galliæ Regem Nauarræ, & dux Lotharingiæ regem Hierosolymorum, & ita de cæteris.

XV. *Artaxerxis Longimanum.* *l* q. 3. in c. 1.

Quinto argumentatur Serar. *l* Artaxerxis Longimani ingenium mite, & clemens fuit, Assueri autem seuerum, & immite. Respondeo, omnes Persarum principes fere austeriores fuisse natura, vsque ad mulieres ipsas, vt patet in Amestri Xerxis vxore, *m* & maxime in Parysatide Darij Nothi coniuge, & matre Artaxerxis Mnemonis, apud Plutarch. in eius vita. Nec tamen desunt in Artaxerxe seueritatis exempla, neque in Assuero mansuetudinis, vt ex sequentibus patebit. Ex sacris literis certe constat, quod maxime ad rem facit, de vtrisque in Iudæos clementia, atque beneuolentia non vulgari: quod de Mnemone, aut Ocho dici nequit. Quos neque ex sacris, neque ex prophanis literis satis probari potest, quidquam eum Iudæis habuisse negotij, nisi quod scribit Iosephus, *n* Bagosem Artaxerxis Ochi præfectum, Iudæos tributis vexasse, templum polluisse, & per septennium cædis cuiusdam pœnas exegisse ab eis.

m Herod. 9. ll.
n l. 11. c. 7.

XVI. *Maritus Estheris Longimanus.*

Positum ergo sit, atque constitutum, non alium quærendum esse Assuerum, siue Artaxerxem, vt eum 70. nominant, quam Artaxerxem Longimanum, quem scribit Diodorus, vindicato nuper imperio, & cædis paternæ reis supplicio affectis, regni sui statum composuisse, Satrapas sibi minus beneuolos abdicasse, & idoneos, ac fidos in eorum locum substituisse. Quibus consentiens Iosephus ait epulum ab eo celebratum, cum constituisset centum & viginti septem Satrapiarum principes. Quod negotium & magni momenti, & magni operis, hunc & sequentem annum tenuisse videtur; Rege præsertim contra Græcos bellis, & suorum defectionibus occupato; quibus denique rite compositis, tertio anno nobilissimum conuiuium celebratum est.

EIVS amicitiam hoc anno ambiuit Themistocles scriptis ad eum literis. Nam vt refert Thucyd. postquam traiecit in Asiam, cum quodam illorum Persarum, qui oræ maritimæ præerant, in loca mediterranea profectus, literas misit ad Regem Artaxerxem regis Xerxis filium, qui nuper regnare cœperat. Plutarchus in Themistocle scribit Ephorum, Dinonem, Clitarchum, Heraclidem, aliosque complures, in quibus Diodorus Siculus, *a* tradidisse Themistoclem egisse cum Xerxe ipso. At Thucydidem & Charonem Lampascenum prodere, in sermonem eum filio eius Artaxerxe venisse, & Thucydidem cum Annalibus magis congruere. Itaque & nos eum potius sequimur, præsertim virum grauissimum, & res sui temporis scribentem. Hoc autem in illis literis erat scriptum. *Themistocles ad te venio, qui ex omnibus Græcis vnus vestram familiam plurimis affeci malis.* valet hæc libera, & ingenua confessio ad beneuolentiam, qualis est Ciceronis in causa Ligarij; valet etiam ad commendationem, vt intelligatur posse etiam vice versa prodesse mutatis temporibus, & voluntate. Quia tamen ipsa memoria damnorum acceptorum ingrata est, ea consequenter mollit, dum subdit. *Quandiu necessitate compulsus Patrem tuum, qui mihi bellum inferebat, propulsaui; sed longe pluribus beneficiis eum affeci, postquam mihi quidem tuta, illi vero periculosa reuersio fuit, &c.*

XVII. *Themistocles cum literis.*

a Olymp. 74. 2.

XVIII. *Themistocles in Persas merita.*

FVSIVS scribebat Themistocles quomodo impedisset solutionem pontium in Hellesponto, ad tutum eius receptum. Affirmabat quoque se rem Persicam vehementer promouere posse, & velle, qui in odio Græcorum sit, propter suam in ipsum beneuolentiam; postremo se intra annum eius aditurum, & coram aduentus sui causam declaraturum. Rex vero, vt aiunt, eius consilium, & animum est admiratus, eumque ita facere iussit, vt ille se dixerat esse facturum. Hæc Thucyd. qui etiam addit istius anni spatio eum didicisse quidquid & linguæ Persicæ, & morum illius regionis discere potuit, vt suapse per se negotia tractare cum rege posset. Scribit Diodorus eum apud Lysitheidem quendam regis amicum diuersatum, (eum Plutarch. vocat Nicogenem Æolium) & ab eo postea in regiam deductum fuisse. *b* Verum vt dixi, Diodorus multas res Themistoclis, & multum temporibus distitas, in vnum & eundem coniecit annum.

Didicit linguam Persicam.

b Olymp. 77. anno 1. Olymp. 65. & 66 grat.

XIX. *Acta Cimonis in Asia gesta.*

Hoc ipso primo anno Artaxerxis Thasij ab Atheniensibus defecerunt: id enim contigisse scribit Diodor. Sicul. anno primo Olymp. 79. At Thucydides scribit priorem fuisse expeditionem Cimonis in Asiam, eiusdemq; prælium in Pamphylia ad flumen Eurymedontem, quod idem Diodorus exponit anno 3. Olymp. 77. quoniam plures Cimonis res gestas in vnum quasi fascem congessit. Omissis ergo paululum Thasijs, rem à Cimone gestam in Asia dicamus. In quam propterea transgressus est, vt Xerxis expeditionem in Europam rependeret, & Græciæ vastitatem in subditos Persarum transferret.

Erant vtrimque coactæ ingentes copiæ. Nam ab aliquot annis Xerxes expeditionem parabat in Græciam, vt diximus, desiderans priorem maculam delere, iacturamq; reparare. Græci contra & insulas, & continentem Asiæ, quantum poterant ab eius imperio auellebāt. Scribit Diodorus Cimonem cum ducentarum triremium classe, ea Piræo Atheniensium nauali & portu egressum esse: postea Ionum, & quotquot erant sociorum nauibus ascitis, trecentarum numerum expleuisse.

Copia Persarum & Græcorum.

XX. *Cimon Cariam adit.*

CVM ea classe Cariam petijsse, ea est minoris Asiæ prouincia, iuxta quam est Ephesus, Miletus, Halicarnassus, Ioniæ, & Doridi contermina, non longè à mari Myrtoo. Accidit autem in Caria, inquit, vt quidquid maritimarum erat vrbium, à Græcis illuc deductarum, à Persis subito deficeret. Cæteras ab indigenis possessas, & præsidijs adhuc Persicis obnoxias, vi summa Cimon oppugnabat. Subactis igitur vrbibus Cariæ, quæcumq; in Lycia erant, eodem victoriæ cursu in fidem recepit. Cumque subinde illis, qui ad societatem Atheniensium se adiunxerant, naues imperaret, factum est vt classis magno nauium numero augeretur. Hæc de classe Græcorum Diodorus.

Et occupat.

Et Lyciam.

Persæ autem geminum exercitum congregarant, terrestrem ea gentibus sui nominis, alijsque mediterraneis Persis, Medis, Assyrijs, Chaldæis, Armenis, Cappadocibus &c. Nauticum vero ex Phœnicia, Cypro, & Cilicia. Thucydides memorat Phœnicum naues ducentas, Diodorus omnes trecentas quadraginta: Duce Tithrauste Xerxis filio notho.

Geminus Persarum exercitus.

XXI. *Pugna naualis ad Cyprum.*

CIMON ergo exploratum habens, loquitur idem Diodorus, Persarum Classem iuxta Cyprum versari, directo illuc cursu, ducentis quinquaginta nauibus aduersus 340. prælium inceptat. Certatur animose, & fortiter, & vtraq; classe præclare rem gerente, ad extremum victoria Atheniensibus cedit; qui multis hostium nauibus afflictis, & pessundatis, plures quam centum cum ipsis classiarijs in potestatem redigunt. Thucydides ait Phœnicū triremes partim captas, partim demersas in vniuersum ad ducētas; pergit Diodorus. Reliquis nauibus ad Cyprum fuga dilapsis, milites quidem in terram euasere, at naues propugnatoribus vacuæ in manus hostium venere, quibus Cimon magna arte in hostium perniciem vsus est.

Vincunt Athenienses.

XXII. *Altera pugna terrestris.*

CVM enim pedestres copias accepisset ad Eurymedontem Pamphyliæ fluuium statiua habere, in naues paulo ante expugnatas, fortissimos quosque suorum taxis, & reliquo ornatu Persico instructos collocat, quas sub noctem venientes barbari pro suis accipiunt, figura, & apparatu nauium decepti. Nocte autem ubi tota Cimon milites exponit, & pro amico receptus, in castris barbarorum, incredibilem stragem excitat, tumultu & terrore, & cædibus replet omnia, adeo vt Pheredates, Regis ex fratre nepos, occisus sit. Vehementer quippe tam inopinata eruptione consternati erant, vt qui scirent Græcos nauali tantum exercitu instructos esse. Itaque Pisidas finitimos, sibi iampridē infensos, armata manu se adortos opinabantur. Quare cum ex continenti hanc impressionem fieri suspicarentur, ad naues, vti socias refugiebant, vbi propter densissimas noctis tenebras, & cædes, & error augebatur.

Et victoria per dolum ob tenta multorum.

XXIII. *Cimon fines victoriæ colligit.*

ERGO dum ingens, in tanta rerum confusione, barbarorum strages fieret, Cimon qui milites ante præmonuerat, vt quamprimum facem ipse extulisset, omnes eo concurrerent, signum iuxta naues edidit, veritus ne dispersis procul militibus, & ad prædam huc illucque properantibus, aliquid aduersi contingeret. Itaq; visa face omnes se ad naues recepere. Postera dein luce, tropheo illic erecto, in Cyprum renauigant, duabus pulcherrimis victorijs, altera nauali, altera terrestri certamine, potiti. Sic Diodorus. Thucydides quoque scribit eodem die vtramque ab Atheniensibus victoriam duce Cimone partam; eundemque mox etiam Cypro bellum intulisse, tum ducentis cum suis, tum sociorum nauibus, vbi & substiterunt: donec ab Ægyptijs, ab Artaxerxe paulo post deficientibus, ad belli societatem euocati sunt.

Et in Cyprum renauigat.

XXIV *Quid hac de re Plutarchus.*

CÆTERVM ijs quæ de bello ad Eurymedontem dicta sunt, similia Plutarchus habet in Cimone, vt ex ijsdem fontibus hausisse videantur, excepto tamen stratagemate. Nam aperto Marte congressos scribit, nec quidquam fraudis interuenisse. Seorsim etiam 80. Phœnicias naues, quæ prælio non interfuerant, nec adhuc rem terra marique gestam didicerant, ad Hydrum vbi stabant expugnatas, omnes in potestatem cum classiarijs venisse. Hæc tanta tamque multiplex clades adeo fregit animum Regis, inquit Plutarch. vt celebratam illam pacem iniret, vt semper à mari Græco equi curriculum abstineret, neque intra insulas Cyaneas, & Chelidonias, longam nauem, vel rostratam haberet. Cyaneæ insulæ sitæ sunt ad Bosphorū Thracium in Ponto Euxino; Chelidoniæ autem in Pamphylio mari. Addit Plutarchus ex Callisthene, id potius re ipsa factum metu Græcorum, quam ex vllo fœdere. Diodorus quoque & Thucydides huius fœderis nihil meminerunt, sed ille ait Persas triremibus alijs, & quidem ampliori numero, construendis operam dedisse; Atheniensium enim, inquit, successus subinde maiores, formidinem illis incutiebant.

Pax cum fœdere ... num Persa.

XXV. *Thasij ... ab Atheniensibus deficiunt.*

SVB hoc nihilominus tempus Thasij, qui Thalassij à Ptolemæo dicuntur, & iuxta littora Thraciæ & Nesum fluuium collocantur, ab Atheniensibus defecerunt, con-

 De Thasiis & de metallis eorũ. vide Herod. lib. nõ lõge à principio p. 152. & 153.

trouersia de metallis oborta, & emporijs quæ Thasij in aduersa Thracia obtinebant, nolebantq; de ijs Atheniensibus cedere, vt ex Thucyd. & Diodoro patet. Bellũ hoc Athenienses diu tenuit, nam 3. tantum obsidionis anno sese dediderunt, vt ait Thucydides; prius autem quã obsiderentur, nauali prælio certatum est, in quo Athenienses victores effecti, in terram descenderunt. Addit Plutarchus Cimonem, qui huic bello præerat, tres & triginta eorum naues cepisse. Inde vrbis obsessio cœpta est.

XXVI. Varia in Æquos prælia.

DENIQVE hoc anno Romani Consules contra Æquos primùm legitimo prælio diu decertarunt, & æquo marte ex acie, dato vtrimq; signo receptui, discesserunt: deinde crebris excursionibus & velitationibus, varijs se damnis affecerunt: prælio tandem deuicti, desertis castris intra mœnia se receperunt; Romani cum præda domum reuersi sunt, quoniam alijs tradendus erat magistratus. Sicque fiebat vt bella in multos annos ducerentur; quoniam re vix bene inchoata, magistratu abeundum erat Imperatoribus, & danda potestas alteri, qui gloriosius putabat nouas tentare gloriæ vias, quam tritas sequi, sicque hostes tempus respirandi, & maioribus sæpe viribus ad prælia reuertendi, obtinebant.

ANNVS MVNDI 3591. SEXTAE AETATIS 75. Artaxerxis Longim. 2. Imp. Persarum 75. Eliasib. Pontifi. 2. Olymp. LXXIX. An. 3. Archonte Tlepolemo. Vrbis Condit. 290. Coss. A. Postumio Albo, & Spurio Furio.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 462.

I. Artaxerxes Longim. Esther 11.

QVONIAM statuimus non alium esse Artaxerxem Longimanum ab Assuero Estheris, in hunc eius annum secundum cadit somnium Mardochæi, sicut & Themistoclis ad regem profectio, vt Ægyptiorum à Persis defectio, obsidio Thasiorum, & si qua sunt alia: anno Sabbatico centesimo quadragesimo quarto decurrente. Et vt ab historia sacra ducamus initium, narratur somnium c. 11. libri Esther. Nam posteriora capita huius libri, sacra & canonica esse dudum docuit, vt alios omittam, Bellarminus, & cum eo Iacobus Gretserus, & Nicolaus Serarius, qui consuli possunt; Catholicis antẽ instar omnium probationum est decretum Concil. Trid. sess. 4. quod librum Esther, cum omnibus suis particulis pro canonicis approbat, & confirmat. Adde quod etiam 16. cap. apud Iosephum pene integrum habetur.

Tota historia Esther canonica. l. 1. l. 1. c. 7. & lib. d. Gretserus & Serar. in Esther in 4. prædicãdo. l. 1. c. 7.

II. Mardochæi somnium.

PRÆMITTITVR autem ipsi somnio tempus quoid cõrigir, & persona cui contigit. *Anno, ait, secundo regnante Artaxerxe maximo, prima die mensis Nisan, vidit somnium Mardochæus filius Iairi, filij Semei, filij Cis, de tribu Beniamin filij.* Multi prætermissi sunt ex Mardochæi maioribus, qui videntur in Cis, patre Saulis regis hoc loco terminati. *Erat autem Mardochæus homo Iudæus, qui habitabat in vrbe Susis, vir magnus, & inter primos aulæ regiæ* (id per anticipationem dicitur; non enim talis erat tempore somnij, sed longe post.) *Erat autem de eo numero captiuorum, quos transtulerat Nabuchodonosor Rex Babylonis de Ierusalem, cum Iechonia rege Iuda;* ex quo corrigendum est quod habetur in synopsi D. Athanasij, vbi Sedechias pro Iechonia legitur, legitur etiam Iechonias Estheris.

cap. 2. 6. III. Quando translatus. c. 2. e. 5. ab 8. Nabuch ad 1. Cyri inde ad hunc annum. 81. 75. 156. 14. 170. l. 1. c. 7. 6.

SED difficilis est quod dicitur translatus à Nabuchodonosore cum Iechonia, siue Ioachin, cuius transmigratio habetur in 4. Reg. & contigit, vt superiore tomo dicebamus, anno 8. Nabuchodonos. ex quo ad hunc annum numerantur 156. anni, quibus si addas 14. annos, quibus, vt videtur, natus erat, fient 170. Quæ videtur præcipua causa fuisse quibusdam referendi hanc historiam ad Astyagem. Verum communis expositio est, vt dicatur translatus in auo suo, vel proauo, à quibus in captiuitate genitus est; sic 1. Esd. 2. dicuntur Zorobabel, & Iosue, & Nehemias reuersi in Ierusalem, de captiuitate quam tulerat Nabuchodonosor: qui tamen nunquam viderant Ierusalem, nec translati inde fuerant, sed eorum parentes. Vide ea de re etiam Bellarm.

HISTORIA ESTHER.

IV. Somnium Mardochæi.

Hoc autem Mardochæi somnium fuit. Apparuerunt voces, & tumultus, & tonitrua, & terræ motus, & cõturbatio super terram. *Et ecce duo Dracones magni, paratique contra se in prælium. Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt nationes, vt pugnarent contra gentem iustorum: fuitq; dies illa tenebrarum, & discriminis, tribulationis, & angustiæ, & ingens formido super terram. Conturbataque est gens iustorum timentium mala sua, & præparata ad mortem. Clamaueruntq; ad Deum, & illis vociferantibus fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit. Lux & Sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & deuorauerunt inclytos. Quod cũ vidisset Mardochæus, & surrexisset de strato, cogitabat quid Deus facere vellet: & fixum habebat in animo, scire cupiens quid significaret somnium.*

V. Eius interpretatio.

OBSCVRVM tunc somnium historia subsecuta aperte interpretata est. Aman, & Mardochæus dracones, ambo enim potentes, amboque vigiles, alter ad seruandam, alter ad perdendam gentem Hebræorum; ambo tremẽdos sibilos, per nuncios toto Artaxerxis imperio dimissos, ediderunt. Fons autem recte repræsentabat Estherem, quę non solum à paruis initijs magna facta est, sed magnum etiam restinxit incendium. Accommodantur hæc ad beatissimam Virginem, cuius typus Esther fuit, quę animi demissione paruula, creuit vsque adeo, vt diceret, *Fecit mihi magna qui potens est*, Et rursum, *Beatam me dicent omnes generationes*: & ad hanc diem magna dona gratiarum perenni fluxu in totam Dei Ecclesiam deriuat; inde Sol iustitiæ Christus exoritur, qui se mundi lucem fatetur, sed de hoc typo alius erit dicendi locus.

VI. Themistocles in regem adit.

EXACTO porro anno à traiectu Themistoclis in Asiam, is ad regem profectus est, vt ait Thucydides. Scribit antem Diodorus cum à Lysistheide, Plutarchus autem à Nicogene Æolio, vt ante dixi, in curru ornatissimo deductum, quo modo solebant pellices ad regem deuehi, ne quis quid esset in curru scrutari auderet, & ad regem introductum. Vbi cum impetrata dicendi copia illum edocuisset nulla à se Persas iniuria affectos, à discrimine capitis absolutum fuisse. Verum Thucydides non solum absolutum ait, sed insuper apud Regem tantam authoritatẽ esse adeptum, quantam nullus vnquam Græcorum assecutus fuerat. Intelligit autem Demaratum, Hippium, Histiæum, Pausaniam, & si qui alij Persas coluerunt. Addit etiam Plutarchus, tantum valuisse gratia Themistoclem apud regem, vt ea in prouerbium abierit. Memorant, inquit, subsecutos quoque reges, quorum temporibus maior communicatio Persas inter & Græcos fuit, quoties cuiuspiam Græci indigerent opera, polliceri solitos, & scribere, maiorem apud se fore Themistocle. Plures eius gratiæ causas refert Thucyd. Tum propter pristinam hominis dignitatem, inquit, tum etiam propter spem quam ei præbebat, promittens fore vt Græciam in eius ditionem, ac potestatem redigeret; præcipue vero quod admodum prudens esse videretur, de cuius prudentia pluribus ibidem Thucyd.

Eius apud eum gratia.

VII. Quomodo ab eo exceptus.

PLVTARCHVS in Themist. scribit primo die, quo regem adijt, nihil ab eo responsi accepisse, sed tamen per amicos, eius aduentum sibi vehementer fuisse gratulatum, & dijs gratulabundum sacrificasse, orantem vt aduersarijs suis eam semper mentem darent, vt pręstantissimos de medio sui summouerent. Inde mox conuiuium inijsse, ac præ gaudio nocte in medio somno ter exclamasse, habeo Themistoclem Atheniensem. E contrario aulici eius eum oderant, & probris insectabantur, Adeo vt Roxanes tribunus ei submurmurans diceret, *Serpens Græce versipellis fortuna te regis huc adduxit.* Verum vt secundò in regis conspectum venit, & denuo eum adorauit, Rex eum comiter salutauit, ipsique se ducenta talenta debere dixit, quæ promiserat ei, qui ipsum ad se adduceret, tum etiam multo plura promisisse, ac iussisse, vt libere de rebus Græciæ diceret. At illum annum petijsse, vt linguam addisceret, vt suus ipse interpres esse posset, quem & impetrauit. Hæc fere Plutarchus.

CAPUT 75. VIII. *Quando se regi conciliarit.*

Verum Thucydides priorem congressionem per literas fuisse scripsit, & annum posuisse, antequam se regi sisteret, cui maior fides adhibenda videtur, cum ipsemet Plutarchus plus tribuat Thucydidi in ijs, quæ de Themistocle narrat, quam multis alijs Græcis scriptoribus. Iuuit etiam Themistoclis apud regem gratiam præsens rerum status. Clades enim gemina eodem die ad Eurymedontem accepta, Regi optimis belli ducibus indigenti, Themistoclem facile conciliauit; qui sciret eum Græcis infensum, propter eius in Persas beneuolentiam, quā propterea etiam constantiam fore sibi persuadebat. Cæterum non desunt, qui dicant Themistoclem in acie pro Persis contra Cimonem stetisse, remque præclare gessisse: quod si verum est, attulerit etiam id non leue ad regis gratiam momentum. Quod tamen parum probabile videtur, non solum propter Thucydidis, & cæterorum nobilium scriptorum in re tanta commune silentium, sed quia ipse aliquanto post mortem sibi intulit, ne contra Græcos pugnare cogeretur.

IX. *Regibus eum liberalitas.*

Rex autem non promissis solum egit, sed eximia etiam liberalitate eum sibi deuinxit. Nam præter illa 20. talenta Plutarchi, Magnesiam Asianam ei dedit pro pane, quæ quotannis ei quinquaginta talenta pendebat: Lampsacum vero pro vino; id enim oppidum erat tunc vini feracissimum. Myuntem vero pro obsonio, earum vrbium prima erat ad oram Mæandri fluminis sita in minore Asia proprie dicta; secunda in Mysia ad Hellespontum; tertia in ora Ioniæ prope Mæandrium. Eadem refert Plutarchus, qui tres laudat scriptores, qui duas alias vrbes adijciant, Percotem, & Palæscepsin, quæ fuerunt duo Troadis oppida, in vestes & stragula: idem refert etiam Athenæus. Diodorus addit regem ei vxorem dedisse Persam, eximiam fœminam, multamque familiam, omniaq; ad magnificum vitæ cultum; vt aliquando in splendido conuiuio, sibi, filijsque gratulando dixerit, Peneramus filij, nisi perijssimus.

X. *Defectio Ægyptiorum a Persis.*

Ad hunc ipsum annum refert Diodorus defectionem Ægyptiorum à Persis. Cum enim & Xerxis, & Darij eius filij natu maximi, mortem accepissent, & affectatam ab Artabano tyrannidem, & Artaxerxis periculum, & insuper geminam ab Atheniensibus cladem Persis illatam, recuperandæ libertatis consilia inierunt; & quæstoribus regijs ex Ægypto eiectis, regem sibi creant nomine Inarum, Lybiæ Ægypto vicinæ regem, vt scribit Thucyd. lib. 1. Psammetici filium, qui ex vrbe Marea, quæ supra Pharum, iuxta Alexandriam est sita, profectus, maiorem Ægypti partem, ad defectionem à Rege Artaxerxe faciendam, impulit: & dua copiarum effectiua, ad belli societatem Athenienses acciuit: cum promissis, ait Diodorus, si in libertatem Ægyptios vindicarint, ad communes ipsorum vtilitates regnum expositum fore, & multiplicem se illis gratiam relaturum.

XI. *Non omnes defecisse.*

Cæterum non omnes Ægyptios defecisse, neque Persas omnes Ægypto pulsos testatur Thucyd. qui ait eos sub Atheniensium aduentum, expugnatis duabus vrbis partibus, ad illam Memphis partem confugisse, quæ Murus Albus appellabatur. Ibi enim, inquit, inerant Persæ, & Medi, qui eo confugerant, & quotquot de Ægyptijs à rege cum alijs non defecerant. Significat Diodorus auxilia ab Atheniensibus Athenis postulata, ibique decretum, vt cum trecentis triremibus in omnem fortunæ euentum, in auxilium Ægyptiorum, classis mitteretur. Pronior sum ad fidem habendam Thucydidi, qui ait Athenienses è Cypro euocatos, vbi à pugna Eurymedontæa, cum ducentis nauibus eam insulam oppugnabant: & relicta Cypro in Ægyptum venisse. Enauigato enim man Nilum ingressos, & flumine ipso, & duabus Memphidis partibus esse potitos, quod non ante sequentem annum contigisse Diodorus aperte docet. Ad sextum enim annum ductum fuisse hoc bellum, infra dicetur.

XII. *Artaxerxes in eos arma parat.*

At Artaxerxes nunciata Ægyptiorum defectione, vt idem ait, confestim ex omnibus regni præfecturis militum delectus agit, classemque adornat, & nullius apparatus curam prætermittit.

Interea Thasij, vt ait Thucydides, varijs prælijs victi, & obsessi, Lacedæmoniorum auxilium implorabant, eosq; hortabantur, vt irruptione in Atticam facta, opem sibi ferrent. Illi vero se hoc facturos ignaris Atheniensibus promiserunt, & fecissent; sed terræ motu impediti fuerūt. Quo tempore & Eilotes, quibus Lacedæmonij quasi seruis vtebantur, Ithomen secesserant: contra quos Lacedæmonij cum bellum suscepissent, quod eos terræ motu afflictos tenuit ad decimum annum, *a* neque Thasijs auxilio esse potuissent, illi se anno sequenti Atheniensibus dedere coacti sunt, vt ex eodem Thucyd. dicemus.

Thasij opem a Spartanis postulant. *a Thucyd. l. 1.*

XIII. *Terræ motus Spartæ. b Olymp. 77. a. 4.*

De illo Spartano terræ motu supra cum Diodoro diximus; *b* tantum eum fuisse, vt domos funditus euerteret, & Lacedæmoniorum supra viginti millia obtereret. Cumque vrbs, inquit, ad multum temporis quassaretur continue, multa hominum corpora ruentium parietum mole oppressa, misere interierunt. Nec parum supellectilis, & opum omnis generis tremor ille corrupit, vel absorpsit: quibus malis veluti numine quopiam irato, pœnasque exigente affligebantur. Et reuera scribit Thucydides *c* Lacedæmonios ipsos existimasse, hunc sibi terræ motum accidisse, quod istos Ilotas supplices ex Neptuni templo apud Tænaros abduxissent, & abductos interfecissent. Erat id quoque indicium motuum, & malorum, quæ breui Peloponnesum quassatura erant.

c Li. p. 1.

XIV. *Idem ex Plutarcho Cat. Plin.*

Plutarchus in Cimone refert hunc terræ motum quarto anno regni Archidami filij Zeuxidami Lacedæmoniorum regis contigisse, fuisseque omnis prioris memoriæ maximum, quo tota Lacedæmoniorum regio in multos hiatus desederit, tum etiam Taygetus is est, Laconiæ mons paruus, sed excelsus Spartæ, & Amyclis imminens Straboni, concussus est, & aliqui vertices eius collapsi. Ipsa vrbs conuulsa est tota, præter quinque ædificia, cætera terræ tremor labefecit. Sed vide etiam diuinæ prouidentiæ miraculum. Media porticu vbi adolescentia & iuuentus exercebant se, fama est paulo ante, quam terra quateretur, leporem percurrisse: iuuenes autem, vt erant vncti, euolasse ludibundos ad consectandum. Puberes vero qui remanserant, cunctos gymnasij ruina oppressos perijsse. Horum tumulum vocant etiam nunc Sismatiam. Hactenus Plutarchus. Anaximander etiam Milesius tunc florebat, qui & Lacedæmonios monuit, vt vrbem & tecta linquerent, armatique in agro excubarent, quod terræ motus instaret: tum cum & vrbs tota corruit & ex monte Taygeto extremo montis quasi puppis auulsa est. Ita Cic. 1. de diu. Addit Plinius *d* incidisse eam montis partem in prostratam vrbem, & cladem ruina pressisse.

Anaximander. *d l. 2. c. 79.*

XV. *Spartanorum bellum cum Ilotis & Messenijs. e a. 4. lib. 11. Diod.*

Quod autem ad hoc bellum attinet longe diuersa Diodorus à Thucydide refert. Ille enim vt supra est significatum est, scribit Eilotas, & Messenios Lacedæmonijs iampridem infensos, cognita clade Spartana, consilium Inijsse de bello eis inferendo. Cum autem rex Archidamus in ipso terræ motu se foras cum armis proripuisset, & ad id fortitudinis exemplum plerosque Spartanos excitasset; mox audito Ilotarum; & Messeniorum aduentu, suos in armis esse iussisse: quod cum Ilotæ didicissent, ab incepto destitisse. Munitum tamen in Messenia locum occupantes, assiduis inde incursibus Lacedæmoniam infestasse, & coegisse, vt ad opem ab Atheniensibus, alijsque socijs implorandam confugerent. Eadem recitat Plutarchus in Cimone, & ex dictis Plinij & Ciceronis idem confirmatur. At Thucydides scribit Ilotas, & aliquot alios finitimos Messeniæ in Peloponneso populos, Lacedæmonijs vicinos, & ex antiquis Messenijs in seruitutem redactis oriundos, Ithomen eiusdem Messeniæ vrbem secessisse, quasi libertatem quærentes, occasione cladis, quæ dominos suos afflixerat. Quo cognito Lacedæmonios Ithomen, licet exigua manu, obsidere cœpisse: moxque auxilia Atheniensium & sociorum expetijsse, quæ narratio simplicior, veroque similior videtur.

XVI *Atheniensium auxilia.*

Varum hanc controuersiam possumus ex Plutarcho componere, qui in eodem Cimone ait bis euocata hoc tempore Atheniensium auxilia. Primum quidem

statim post terræmotum, cum Ilotæ rustici venerunt Spartam, Lacedæmoniorum, qui superstites essent, oppressuri, eosque armatos offendere cum Archidamo, iuxta monita Anaximandri: & statim in oppida sua dilapsi, vt bello iusto res decerneretur, tam vicinos, quam Messenios contra eos armarunt, quo tempore venerunt Athenas Spartani opem implorantes, vbi cum Ephialtes negaret Spartæ subueniendum, neque excitandam vrbem Athenis aduersariam, sed Lacedæmonium spiritum conculcandum. Tum surrexit Cimon, qui patriæ incrementa saluti Lacedæmoniorum posthabens, Atheniensibus persuasit ne claudam Græciam redderent, neque Athenas Spartæ societate priuarent; itaque eis auxilio venit, cum frequenti exercitu. Nec satis apparet quis fuerit eius expeditionis finis. Secundo Lacedæmonij Athenienses exciuere, cum Ilotæ, & Messenij Ithomen tenebant, quod impotentius à Spartanis tractati, eo confugissent. Et de prioribus quidem auxilijs Diodorus, alijque egerunt, de posterioribus Thucydides, de vtrisque Plutarchus.

XVII. Cæterum non statim quæsita fuisse auxilia demonstrat Thucydides, sed cum bellum præter opinionem produceretur. Itaque merito suppetias istas in annum sequentem differemus.

Postremo ex eodem Thucydide a apparet Athenienses, hoc ipso tempore, quo Thasios obsidebant, ad Strymonem Thraciæ fluuium decem millia colonorum, tum suorum, tum sociorum misisse, vt sibi vendicarent oppidum, quod tum Nouem-viæ, postea Amphipolis dictum est, quod à flumine cingeretur. Et illo quidem oppido, inquit, quod Edoni tenebant, ipsi potiti sunt; sed in mediterranea Thraciæ loca progressi, ad Drabescum Edonicam profligati fuerunt ab vniuersis Thracibus, quibus infestus erat ille locus, qui condebatur; meminit Diodorus Olymp. 79. 1.

XVIII. Romani porro consules Posthumius Albus, & Furius Medullinus contra Æquos & Volscos dubia perdiu, & ancipiti victoria decertarunt, & primo quidem Antium, quod ad defectionem spectabat, validiore præsidio Romanorum, in fide retentum est. At contra Æquos profectus est Sp. Furius mediocri cum exercitu, cui Æqui obuiam iuerunt; & vt in mutuum conspectum venerunt ambo exercitus, non longe semota à se inuicem castra eo die posuerunt. Postridie Æqui Romanos, castris se continentes, leuibus velitationibus tentarunt. Cumque deinde commodiore loco Romani castra posuissent, & Æquis, Volscisque interea subsidia maiore sobmissa essent, tum demum superbius Romanis insultare cœperunt, & castra eorum oppugnare. At Consul, qui suos vtrique populo multo impares animaduertebat, Romam celeriter dimittit, qui subsidium postularent. Cumque sub ipsam mediam noctem coactus esset Senatus, iussu eius T. Quintius, qui ter Consul fuerat prima luce, cum quinque millibus voluntariorum, profectus est. Alter etiam Consul, cum primum copias aliquas coegisset, iussus est Quintium sequi.

XIX. Hæc suspicati Æqui, maiore conatu castra oppugnare cœperunt, vt ea priusquam auxiliares adessent, expugnarent. Etiam ex vtraque parte vallum conscendebatur, cum Consul & legatus, cum lectissima iuuenum manu, erumpunt, fortique hostem dimicatione repellunt. Fugientes Consul non diu persecutus in castra cum suis rediit: sed frater & legatus eius P. Furius, ardore animi euectus, vsque ad castra eorum tergo inhærendo, cedendoque insecutus est, habens secum duas cohortes quinquagenarias. Hoc animaduerso hostes circiter quinquies mille castris progressi, eos à fronte adoriuntur, equites vero circumuecti eosdem à tergo inuadunt.

Ita circumuenti, & interclusi, cum traditis armis salutem redimere possent, fortiter pugnantes omnes ad vnū occisi sunt. Tum iterum ad castra Romanorum, ad extremam pœne rerum desperationem pugnatum est. Cum sub vesperam postera diei Quintius cum suis apparuit, simulque castrorum oppugnatio cessauit.

XX. Cvmqve aliquandiu in castris vterque exercitus quiesceret, Æqui & Vulsci partem exercitus sui, in agri Romani partem admodum distitam immittunt, vbi maior securitas ab hoste putabatur, vbi multum prædæ, multumque captiuorum ab hoste corrasum est. In redeundo, in Posthumij copias inciderunt, cum quibus tanto ardore pugnauerunt, vt parum abfuerit, quin Consulis copias perderent: aliquando tamen à Romanis fracti sunt, & in fugam effusi, maxima ex parte perierunt: prædaque omnis in potestatem Romanorum venit. Eam cladem vbi audierunt, qui erant in castris, prima statim nocte in patriam redierunt. Romani, victoria non incruenta potiti, ad vrbem reuersi sunt.

Bellvm Romanorvm cvm Æqvis. Hosti ad prædam excurrit. Et opprimitur.

ANNVS MVNDI 3592. SEXTÆ ÆTATIS 76. Artaxerxis Longim. 3. Imperii Persarum 76. Eliasib Pontific. 3. Olympiadis LXXIX. An. 3. Archonte Athenis Conone. Vrbis condit. 291. Coss. L. Æbutio. & P. Seruilio Prisco.

ANNVS ANTE CHRISTVM 461.

Annvs Longimani tertius epulum illud solenne habet, quod Esthetis primo continetur, cum Reginæ Vasthi repudio: habet & Persarum in Ægyptios expeditionem, & rem ibi gestam cum Atheniensibus, deditionem item Thasiorum, & auxilia à Lacedæmonijs contracta, ad oppugnandam Ithomen: vbi iacta sunt semina futurorum bellorum, inter potentissimos duos Græciæ populos, Athenienses & Lacedæmonios. Quæ omnia partim ex Scriptura constat hoc anno gesta, partim ex Thucydidis, & Diodori assertione, partim denique ex ipsa serie narrationis. Addemus postremo quæ ad Romanam rem pertinent. I.

Et quod ad conuiuium quidem attinet, nihil est quod quis parum probabile putet, tantum tamque diuturnum conuiuiū Susis celebratum, dum expeditio maximi momenti iam sese ad iter accingeret. Nam neque Rex ipse proficiscebatur ad bellum, neque necesse est omnes omnium Prouinciarum Satrapas, vel Præfectos simul conuiuio adfuisse, sed apparet alios alijs abeuntibus successisse, sicut visum est Caietano. Adde quod videbat ista celebritas, non solum ad regiam magnificentiam ostendendam, sed ad conciliandos sibi, ac magis magisque deuinciendos recens electos Satrapas, siue quos emittebat ad bellum, siue quos in suas prouincias remittebat. Quid quod rex ipse conuiuiorum studiosior fuit? vnde infra c. 3 fin. *Statimque, inquit, in Susam pependit edictum, Rege & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis, qui in vrbe erant flentibus.* Vnde Esther ad eius se appetitum, ac propensionem accommodans, semel iterumque eum excepit conuiuio, antequam aperiret quod habebat in animo. II.

In *diebus ergo Assueri*, inquit Scriptura, *qui regnauit ab India, vsque Æthiopiam, super 127. prouincias, quando sedit in solio regni sui, Susam ciuitas regni eius exordium fuit.* Prius quidem regnare cœperat, tertius enim iam regni annus agebatur, vt mox dicitur, sed vltimum quasi complementum, acceptæ possessionis fuit, sedere Susis vrbe metropoli, in solio primario regni sui. Exordium enim hic pro prima ciuitate ponitur. *Tertio igitur anno imperij sui fecit grande conuiuium cunctis principibus, & pueris suis fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coram se, vt ostenderet diuitias regni sui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ suæ multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus.* Hoc totum est conuiuij tempus, quod principibus, & primarijs viris exhibitum est, totis sex mensibus, quos dies illi conficiunt. III.

Vltima tamen sexti mensis hebdomade, vniuersum populum regiæ ciuitatis magnificentia regia cōplexa est, non exclusis, etiam eo tempore, fortissimis Persarum, IV.

& Me-

CAPT. 75.

& Medorum inclytis, quæ videtur esse editionis vulgatæ sententia, vnde sequitur. *Cumque implerentur dies conuiuij inuitauit omnem populum, qui inuentus est in Susan, à minimo vsque ad maximum*, ex quo corrigendus est Iosephus, qui illos 7. dies postremos destinat epulo plurimarum gentium & earum legatorum. Humo fastidiosus, pauperes conuiuio eiecit, vt eorum locum legatis daret. Hic nimium erat spiritus Pharisæorum, quibus suadebat Dominus ne cum facerent prandium vocarent diuites, qui retribuere possent, sed pauperes & debiles, vt à Deo retributionem acciperent. Porro textus edit. vulgatæ non dicit, postquam impleti sunt dies conuiuij, sed *cum implerentur*, id tamen dicit text. Græcus & Hebræus: in quibus, vltra 180 dies, sex in Græco, 7. in Hebræo adduntur noui conuiuij dies, quod & significat editio vulgata, cum subdit; *& iussit 7. diebus conuiuium præparari, in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu, & manu consitum erat*; id est, in atrio hortorum regiorum. Quin & locus conuiuij diuersus significatur, vt plebæi in atrio, siue vestibulo horti regij conuiuio exciperentur, quos non decebat, aut licebat, interiora palatij penetrare: quo tamen admittebantur viri principes, aut intra ipsos hortos & lucos, vbi delitiosissimi fontes, & vmbracula, & infinitæ illecebræ voluptatum, quæ suspicari licet ex ijs, quæ de ipso atrij ornatu subduntur.

Luc. 14. 12.

V. *Ornatum atrij regij.* ET *pendebant ex omni parte tentoria aerei coloris, & carbasini, ac hyacintini*, id est, aulæa candida, viridia, & rubra, siue byssina, saphirina, & hyacintina, erant autem hæc aulæa *sustentata funibus byssinis, atque purpureis, quæ eburneis circulis inserta erant, & columnis marmoreis fulciebantur*: circulos hos textus Hebræus, & Paraphrastes Chald. argenteos facit, pro quibus cubos aureos, & argenteos habent 70. quos nihilominus intelligo circulos. Chald. habet fibulas rotundas, argenteas, vt scilicet totum atrium, ad certa interualla columnis marmoreis distinctum, atque ornatum esset, quæ in summis capitellis habebant virgas, argenteas fortasse, per quas circuli argentei decurrerent, in quibus alligata erant aulæa vittis candidis, atque purpureis.

VI. *Lecti, mensæ pauimentum.* LECTVLI *quoq; aurei & argentei*, in quibus antiquo ritu conuiuantes discumbebant: nec dubium quin mensæ ipsæ non his cessissent maieriæ excellentia, aut artis dignitate cederent: præsertim cum *pauimentum* quoque *stratum* esset *smaragdino, & Pario lapide*, id est, cădido marmore, & Porphyretico diuersicolore, ad quod exprimendum addit D. Hieron *quod mira varietate pictura decorabat*. Cæterũ quod ad smaragdinum pauimentum: *a* quidam pauimentum pro mensa fuisse putant: mox tamen mensarum fit mentio. *b* Addunt Sept. lectos fuisse stratos stragula veste pellucida varie floribus ornata, id est pictis opere plumatio varijs floribus, & sparsis circumcirca rosis, quod vernum tempus huius conuiuij probat.

a Vide Villalp. 2. tom. cap. ... line ... notis a.

VII. *Pocula aurea, argentea, gemmea.* PERGIT autem noster *Bibebant autem qui inuitati erant aureis poculis, & alijs atque alijs vasis cibi inferebantur*, cibi mentionem explicandi causa retulit Diuus Hieronymus. Non enim solum pocula, sed lances quoque pretiosæ erant, & in eis Persici apparatus, qui prouerbio celebrantur, sicut & Medicæ mensæ. Addit Iosephus etiam gemmea pocula, alludens ad id quod habent Septuag. *Pocula*, aiunt *aurea & argentea, & gemmatus calix propositus, è talentis triginta millibus*, æstimatione scilicet, non pondere. In Græco est: ἐν ἄνθρακι κυλίκιον, id est, paruus calix è carbunculo. Nam, vt alio loco ex Plinio dictum est, ex singulis gemmis sæpe calices fiebant. Nec mirum cum Theophrastus libro de lapid. scribat in Ægyptiorum cõmentarijs reperiri, regi eorum à Rege Babylonio missum smaragdum munere, 4. cubitorum longitudine, & trium latitudine. Et fuisse apud eos in Iouis delubro obeliscum è 4. smaragdis 40. cubitorum longitudine, latitudine vero in parte duorum, vt refert etiam Plin. *d* Ideoque etiam ... quod in primis ad rem nostram facit, carbunculos Indicos in sextarij vnius mensuram excauari, & c. ... Pyrrhi, qui contra Romanos bellum gessit, Achatem habuisse, in qua 9. Musæ, & Apollo cytharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, vt Musis quoque singulis sua redderentur insignia. Et c. 2. scribit Pompeium in 3. triumpho habuisse alueum, cum tesseris lusorium, è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor, & Myrrhinum trium sextariorum capacem, octoginta sestertiorum, aut vt alij legunt 70. talentorum, sed ne longiores simus plura ex eodem loco petas licet: nam redeo ad conuiuium, in quo, ne miretur Lector nos versari diutius, sacrum enim est, & rerum sacratum in hoc volumine fames nobis potius metuenda, quam satietas.

Perem. l. 37. c. ... & c. ... de pol... 117.

d Lib. 37. c. ... Plinius ... hoc prodigiosa magnitudine ... carbunculi, Achates.

VIII. *Vinum regium, & potum non coactum.* VINVM *quoque, vt magnificentia regia dignum erat, abundãs, & præcipuum ponebatur. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendũ, sed sicut rex statuerat, præponẽs mensis singulos de principibus suis, vt sumeret vnusquisque quod vellet.* Innuitur lege Persarum cogi solitos conuiuas ad bibendum, qua lege solutos voluerit rex hoc tempore conuiuas. Mandauit etiam ministris, ait Iosephus, ne quem more Persarum ad bibendum cogerent, sed arbitrato quemque suo, appositis frui sinerent: quod ipse è Septuag. mutuatus est. Nam in Hebræo res obscurior est, sicut & in versione D. Hieron. Notauit Serarius ex Athen. l. 1. & Strabone l. 15. vinum quod reges Persarum in delicijs habebant, quodque hic Hebræi vocant vinum regni, fuisse dictum Chalibonium, quod scilicet Chalibone præstantissimum gignebatur, qui etiam q. 16. de hac tyrannica ad bibendum coactione pluribus agit. Quæ autem de conuiuio regio dicta sunt, etiam de Reginæ conuiuio intelligenda sunt; quod tamen non in propatulo, sed in palatio celebratum est, eaque separatio ad modestiæ, & pudoris commendationem pertinet. Addit Iosephus, quod nec in Hebræis codicibus, neque in Græcis inuenit, dimissos fuisse per totam ditionem Artaxerxis nuncios, qui populis edicerent, vt feriati ab operibus, festum pro incolumitate regni diebus aliquot agerent.

q. 16. Conuiuium reginæ. Vide D. August. Ser. 231.

IX. *Regina Vasthi vocatur à rege.* SEQVITVR tristis conuiuij exitus, & Vasthi reginæ repudium, cuius causæ fuerunt Regis temulentia, Reginæ recusatio, regis ira, atque indignatio: singula ea texto patent. *Itaq; die septimo* vltimo conuiuij, quo rex post longã palati & ventris hilaritatem, etiam oculos conuiuarũ insigni spectaculo delectare voluit, ad totius celebritatis epilogum, *cum rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit septẽ eunuchis, qui in conspectu eius ministrabant, vt introducerent Reginam Vasthi coram Rege, posito super caput eius diademate, vt ostenderet cunctis populis, & principibus pulchritudinem illius, erat enim pulchra valde.* Sequitur reginæ recusatio, seuerioribus expressa verbis, & quæ eam haud obscure arrogantiæ cuiusdam arguant.

X. *Regina non paret.* QVÆ *renuit, & ad regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, venire contempsit.* At mollior est aliquanto phrasis hebraica, quæ habet, & renuit venire in verbo regis, quod erat in manu Eunuchorum. Græca quoque, & non paruit ei Vasthi regina, vt veniret cũ Eunuchis. At Iosephus eam vehementer excusat, vt quæ legi, & consuetudini pareret, simul etiam pudori suo consuleret. Illa vero, inquit, volens Persarum leges seruare, quæ vxores vetant ab alijs, præter domesticos conspici, non iuit ad regem, & cum non semel ad eam Eunuchos ea de causa misisset, nihilominus venire renuit. Asperiora verba posuit Gelenius in versione sua, quam sequitur Iosephi textus: qui tamen in eo præter scripturam causam regiæ grauat; quod sæpius vocatam dicit. Quanquam si semel recte non paruit, in persenerando in proposito non petulcax, sed constans fuit.

An recte, tam pertinax.

XI. *Consuetudo mulierum Persicarum.* SVLPITIVS quoque Vasthi excusat. *Stulto*, inquit, *rege consultior, pudens virorum oculis spectaculum corporis præbere iussa, abnuit.* Eam etiam excusat Persicarum consuetudo fœminarum. *Mos enim Persis erat*, inquit Diodorus Siculus, *ut qui pellicem Regi adduceret, in curru vndique obtecto eam veheret; neque in via occurrentium quisquam stratarique quod veheretur, aut contemplari audebat.* Qua commoditate Themistoclem inscijs omnibus ad regem peruenisse, supra ex eodem retulimus. Si ergo pellices ita omnium conspectu prohibebantur, quas vitæ turpitudo reddit impudẽtes, quid de pudicis matronis, in sũ... a pr...

Diodor. Olymp. 7...

fertim dignitate constitutis, existimandum est?

XII. *Rex de regina deliberat.*

HAE Reginæ constantia *iratus Rex, & nimio furore succensus est*: fecit tamen quod vehementer irati non solent; *interrogauit* quippe *sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges, ac iura maiorum.* Illud tamen iniuste atque imprudenter fecit, vt quasi eam iam magni cuiuspiam criminis ream esse constaret, quæri voluit, *cui sententiæ Vasthi regina subiaceret, quæ Assueri Regis imperium, quod per Eunuchos mandauerat, facere noluisset. Cui Mamucham vnus de septem ducibus Persarum, atque Medorum, qui videbant faciem regis, & qui primi post eum residere soliti erant, respondit audiente rege, atque principibus.* Id significat hæc coram conferta conuiuarum multitudine agitata non fuisse, sed in regio consilio. Certe Iosephus ait dimisso conuiuio, septemuiros illos à Rege conuocatos, & apud eos vxorem contumaciæ ream peregisse. Illud autem obiter inopere placet videri hos septemuiros, eosdem esse cum ijs, qui cap. septimo Esdræ memorantur, vbi dicitur à facie regis Artaxerxis, & septem consiliatorum eius Esdram mitti Hierosolymam. Ea quin non leuis coniectura ducitur Artaxerxem Esdræ, eundem esse cum Estheris Assuero, quem Septuaginta vocant etiam Artaxerxem.

XIII. *Condemnatur regno priuari.*

SED Mamucham, siue quia ita sentiret, siue quis regi, vt consiliarij solent, gratificari vellet, & ream pronunciauit, & regno priuandam decreuit; id publici boni interesse contendens. Non solum, ait, regem læsit regina Vasthi, *sed omnes populos, & principes, qui sunt in cunctis prouinciis regis Assueri. Egredietur enim sermo reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant viros suos, & dicant: Rex Assuerus iussit, vt regina Vasthi intraret ad eum, & illa noluit. Atque hoc exemplo omnes principum coniuges Persarum, atque Medorum paruipendent imperia maritorum, vnde regis iusta est indignatio.* Hoc examen est culpæ, sequitur iudicis huius sententia. *Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & scribatur iuxta legem Persarum atque Medorum, quam præterire illicitum est,* atque adeo nulla ratione reuocari, ne à principe quidem ipso qui tulit, vt de Darij lege à Daniele violata alibi dictum est: a *vt nequaquam vltra Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius altera, quæ melior est illa accipiat. Et hoc in omne, quod latissimum est, prouinciarum tuarum diuulgetur imperium; & cunctæ vxores, tam maiorum, quam minorum deferant maritis suis honorem.*

a 4.m. 1516. n.47.

XIV. *Improbatur ea sententia.*

ITA Mamucham non admodum sapienter. Nam si legem inuenit, quæ regis iracundiæ patrocinari videretur, quare eius quoque rationem non habuit, quæ reginam tutabatur? Præsertim quæ iuri naturæ, & bonis moribus esset consentanea, vt mulieres secretum ament, & solis viris suis probari pulchritudinem suam velint. Insipiens mercator, qui pecunias latronibus ostentet, & Maritus qui coniugis pulchritudinem oculis impudicis. Sed eam insipientiam, iusto Dei iudicio, aut viri zelotypia, aut vxoria incontinentia castigat, vt Lydo Candauli contigisse ex Herod. l. 1. constat.

b Genes. 12.12. c Ephes. 5.28. d Ephes. 5.

Rectum est deferri à mulieribus honorem maritis, & pro dominis eos haberi, vt Abrahamum à Sara, b & diligi, vt carnem suam, c & obtemperari eorum mandatis cum timore, & reuerentia: d at nihil à viris improbum, iniustum, flagitiosum, aut contra legem Dei, & bonos mores, imperari debet. Sed eius rei iudicium si res dubia sit, penes ipsas esse non debet, ne facile pro suo ipsarum arbitrio, & sensu potius, quam pro æquitate iudicium ferant.

XV. *Fit decretum contra mulieres, & Vasthi repudiatur.*

PLACVIT *consilium Mamucham regi, & principibus*, etsi pœna hoc ipso iniusta fuerit, quod culpæ magnitudinem longe multumq; superarit: præsertim cum delictum hoc fortasse semel tantum admissum fuerit, & à Regina, quæ forte multis alioqui virtutibus claruerit, & de ipso rege benemerita fuerit. Fecitq; Rex iuxta consilium eius, & *misit epistolas ad vniuersas prouincias regni sui, vt quæque gens audire, & legere poterat, diuersis linguis, & literis, esse viros principes, ac maiores in domibus suis; & per cunctos populos diuulgari.* Hunc exitum habuit magnificum Assueri conuiuium. Læta extrema gaudij luctus occupat, & dulcedo fluuiorum in maris amaritudine terminatur. Cæterum non videntur res hoc anno vltra progressæ, quam vt Vasthi suas sibi res habere iuberetur, & vniuersæ prouinciæ, de huiusmodi repudio, ad comprimendam muliebrem superbiam, & peruicaciam docerentur.

XVI. *Expeditio Persarum in Aegyptum.* e ex Diod. Olymp. 79. 3.

SVB hoc tempus e Persarum rex Artaxerxes ducem belli Ægyptijs inferendi constituit Achæmenem Darij filium Patruum suum, eiq; plusquam trecenta equitum, peditumq; millia tradens, Ægyptum expugnare iussit. Is in Ægyptum profectus prope Nilum castra ponit, & refectis ab itineris labore militibus, ad pugnam sese comparat. Ægyptij vero copijs ex Africa & Ægypto accitis, subsidia Atheniensium expectabant. Hi ducentarum nauium classe in Ægyptum adducta, vires cum Ægyptijs coniungunt. Dixerat ante Diod. trecentas triremes ab Atheniensibus auxilio Ægyptiorum destinatas, nunc vero cum Thucydide ducentas tantum eo profectas refert; alijs quippe etiam locis destinabantur, apud Thasios nimirum, & Lacedæmonios, vt dicemus: vt mirum sit etiam ducentas triremes in Ægyptum mitti potuisse. Verum enim eæ iam ad Cyprum, ex pugna Eurymedonthæa collectæ essent, inde in Ægyptum non magno cursu traiecerunt, vbi ab incolis magno studio exceptæ, ad pugnam se comparant.

Quæ copiæ vtrimque.

XVII. *Pugnatur, Persæ vincuntur, & fugantur.*

PVGNA conserta summis vtrimque viribus certatur. Et ad tempus quidem Persæ multitudine sua præpollebant. At cum strenue in illos Athenienses inferrentur, & aduersum sibi cornu pellerent, plurimis in acie trucidatis, reliqua etiam Barbarorum multitudo fugam arripuit. Non satis intelligo Persas multitudine præualuisse, cum ex aduersa parte innumerabiles essent Ægyptiorum, Afrorum, & Lybiorum turmæ, & insuper quiquot ducentis Atheniensium triremibus vehebantur. Sed nimirum scriptores Græci, suis malunt quam alienis fauere: pergit Diodorus. Magna tum strages inter fugiendum editur, & Persæ tandem maiore exercitus parte amissa, in Album f vti vocant, murum confugiunt. Athenienses igitur sua victoriam strenuitate adepti, cum ad munitionem illam Barbaris institissent, expugnare locum nitebantur. Eum locum aperte declarat Thucydides, cum ait Athenienses ex mari Nilum ingressos, & flumine ipso, & duabus Memphidis partibus potitos, ad tertiam partem, quæ Murus in quo albus dicebatur, bellum gessisse. Vbi reliquam anni partem obsidionem tolerasse, ex vtriusque historici narratione probabile est.

f *Albus murus, vnde sic dicatur.*

XVIII. *Thasiorum deditio, & pœna.*

HIC quoque tertius annus est obsidionis Thasiorum, qui cum Lacedæmoniorum auxilia contra Athenienses frustra expetita desperassent, ijs sese dediderunt, inquit Thucydides, ijs conditionibus, vt vrbis suæ muros demolirentur, naues traderent, & imperatam pecuniam persoluerent: tam eam, quam in præsentia eos numerare, quam eam, quam in posterum pendere oportebat; vtque ipsis & continente, & metallis cederent. Plutarchus in Cimone vim potius, quam deditionem vrbis significat: ait enim Cimonem oppidum Thasiorum expugnasse; Auri metalla in opposita continente posita, populo Atheniensi adiunxisse, & regionem quæ Thasijs parebat ademisse. Expugnatos etiam tradit Diodorus sed ambo expugnationem vocant coactionem ciuium ad deditionem faciendam.

ἐξεπολιόρκησε τὴν πόλιν. ἐκπολιορκηθέντες. l. 11. an. 1. Olymp. 79.

XIX. *Athenienses contra Ilotas euocantur.* l. 1. p. 66. & 67 lat.

QVOD ad Hilotas fugitiuos attinet, scribit Thucydides, Lacedæmonios, cum bellum aduersus eos susceptum, qui Ithomæ erant, longius produceretur, cum aliorum sociorum, tum Atheniensium etiam opem implorasse; hosque Cimonem ducem, ex Thasiana expeditione reuersum, cum non exigua copijs misisse. Athenienses autem potissimum euocatos, quod ad murorum, & vrbium oppugnationem strenui esse viderentur. Eandem Atheniensibus laudem tribuit Herodotus, lib. 9. vt qui in pugna Plateensi Persarum castra, & ligneum murum, & turres frustra à Lacedæmonijs, ignaris murorum oppugnandorum, tentatas, ipsi maiore in eam rem scientia præditi, expugnassent. Porro vbi adfuerunt Athenienses, vt inquit Plutarchus in Cimone, eorum audaciam & alacritatem veriti Lacedæmonij, solos ex socijs, pro seditiosis ablegauerunt. Qui cum indigna-

Et domum remittuntur a Lacedæmoniis.

dignatione reuersi, deinceps aperte Lacedæmoniorum fautoribus infesti fuerunt; & Cimonem ipsum, qui autor fuerat eis auxilia submittendi, leui arrepta occasione, in decennium Ostracismo exterminauere.

XX. *Eadem ex Thucidide narratio.* VERVM Thucydides non tam seueram hanc dimissionem Atheniensium facit. Lacedæmonij inquit, cum oppidum per vim non caperetur, metuentes Atheniensium audaciam, & ingenium ad res nouandas promptum, simul etiam illos alienigenas esse rati, ne quid noui molirentur, eorum suasione, qui Ithomæ erant, si diutius secum manerent, solos omnium sociorum dimiserunt; suam quidem suspicionem non declarantes; sed se illorũ auxilis non amplius indigere dicentes. Indiguisse tamen, satis res ipsa docuit, cum ad decimum annum bellum protractum fuerit, vt ex eodem Thucydide diximus: sed pergit. Athenienses vero se non bona de causa, sed aliqua suspicione orta dimitti cognouerunt. Quare facinus hoc atrox, & minime ferendum iudicantes, nec ita de Lacedæmonijs se meritos esse existimantes, vt hanc ab illis iniuriam acciperent, statim atque domum redierunt, relicta societate, quam cum illis contra Medum dudum contraxerant, nouam cum Argiuis illorum hostibus inierunt. Simul etiam vtrique adhibito iureiurando, ijsdem conditionibus societatem cum Thessalis fecerunt. Hactenus Thucydides, quæ paulo exactius exponenda fuerunt, quoniam hæc semina sunt grauissimi, valdeque diuturni belli Peloponnesiaci.

νεωτεροποιίαν. *Vltio de ipso facto ab Atheniensibus petita.* *Semina belli Peloponnesiaci.*

XXI. *Ingens Romæ pestilentia.* HOC ipso anno quo Roma Coss. habuit L. Ebutium, & P. Seruilium Priscum, neque militiæ neque domi quidquam memorabile gestum est, vt ait Dionys. pestilentia magis sæuiente, quam vnquam antea: quæ à pecoribus orsa, totum pene quadrupedum genus absumpsit. Tum contagio ad pastores & agricolas transennte, peruagatis agris, postremo in vrbem incubuit. Seruitiorum, mercenariæque multitudinis hac peste absumptæ, ne numerus quidem iniri potuit; Senatorum 4. pars extincta est; in his ambo Coss. maiorque pars Collegij Tribunorum. Cœpit is morbus circiter Cal. Septemb. durauitque annum eum continuum, non ætati vlli parcens, non sexui. Liuius hos Consules Cal. Sextilibus, vt tum anni principium agebatur, Consulatum inijsse tradit, quod Cuspin. quoque, Onuphrius & Pighius notarunt; vt intelligas variasse non raro Consulum Romanorum annos in suis initijs, vt alibi quoque ex eodem Dionys. notatum est.

XXII. *Æqui, & Volsci eam occasionem capiunt.* VBI Romana calamitas vicinis gẽtibus innotuit, quod Ilotæ contra Lacedæmonios, hoc Æqui & Volsci contra Romanos ausi sunt. Rati enim venisse tempus excidendi Romani Imperij, societatis icto fœdere, paratisque rebus oppugnationi necessarijs, quam celerrime potuerunt eduxerunt ambos exercitus, & ne Romani sociorum auxilijs subleuarentur, Latinorum, Hernicorumq; agros primum inuaserunt. Quo die cum vtriusque gentis sociæ legati Romam venissent, offenderunt alterum Consulum Ebutium mortuum, alterum trahentem animam; & cum nonnulla spe auxilij ab ægro Senatu dimissi, permissique sunt hostem sua virtute interim repellere: quod neque ignauiter, neque sine damno fecere. Denique hostes eorũ agros populati, ad Sabinos etiam, Romanosque progressi, magnum vrbi ægræ, & vtroque orbatæ Consule terrorem intulerunt. Nam alter quoque paulo ante è viuis excesserat. Vrbem quoque ipsam oppugnare aggressi sunt: sed cum modica eius pars hostibus præ cæteris esset obnoxia, supra vires armati in mœnibus vndique apparebant, sed illic maxime, vnde hostem eo tempore oppugnationum imperitum, quo necdum testudines inuentæ fuerant, aliæue huiusmodi machinæ, facile arcebant. Itaque desperata expugnatione abductæ sunt inde copiæ, & agro prius quacunque iret facerent vastato, incolumes in patriam redierunt.

* * *

ANNVS MVNDI 3593. SEXTÆ ÆTATIS 77. Artaxerxis 4. Imperii Pers. 77. Eliasib Pont. 4. Olympiadis LXXIX. an. 4. Archonte Euippo. Vrbis condit. 292. Coss. L. Lucretio, & T. Veturio Gemino siue Cicurino.

ANNVS ANTE CHRISTVM 460.

RECORDATVR hoc anno Vasthi Artaxerxes, vt Scriptura loquitur, suorumque vsus consilio, quærit quam illi substituat: insuper Lacedæmonios contra Athenienses, à quibus tam breui tempore ingentia mala terra marique, ad Eurymedontem, & Nilum acceperat, sollicitat, & ipse nouam expeditionem contra Ægyptios, & Græcos, qui eis aderant, parat: quando etiam Themistocles in Asia moritur. Et Megarenses à Lacedæmonijs deficiunt, seque Atheniensibus adiungunt. Romani Æquos & Volscos vlciscuntur. I. *Recordatur hoc anno Vasthi. Esther 2.*

ET quod ad domesticam rem Artaxerxis attinet. Iam Vasthi exclusa erat à consortio regio, & super ea re, edictum, seu decretum irreuocabile latum erat, & toto, qua cunque patebat, imperio promulgatum, vt aliæ coniuges modestiam, & obedientiam, intellecta Vasthi punitione, docerentur. *His ita gestis postquam Regis Assueri indignatio deferbuerat, recordatus est Vasthi, & quæ fecisset, vel quæ passa esset.* Sunt qui putent hanc recordationem pertinere ad sequentem à conuiuio diem; & tantam attribuendam moram ad sedandam iram, quanta erat vino concoquendo satis. Ad id supponit, statim in ipso conuiuio, aut eius fine coactum concilium, accusatam, & damnatam Reginam, factum decretum, & toto orbe euulgatum. At res tanti momenti à sapientibus non tam tumultuariè tractantur; & potuit diutius vel negligere, vel obliuisci, qui alijs mulieribus abundabat. Cæterum hoc loco Scriptura significat cœpisse regem sedato animo culpam Reginæ, cum eiusdem pœna componere, & animaduertere hanc illa longe esse grauiorem, quippe qui leuiculam mulieris, eiusdemque Reginæ clarissimæ peruicaciam, quales sæpe in familia contingunt, quamque prudenter dissimulare potuerat, regni & coniugij priuatione, in omnes annos consequentes castigarat. II. *Cogitat de Vasthi reuocanda, vel eius pœna.*

VNDE animum subijt commiseratio, cum recordatione antiquæ cum ea consuetudinis, ac beneuolentiæ: eximiæ item eius pulchritudinis, quibus animus labefactabatur, & de ea repetenda cogitabat. At huic cogitationi obsistebat decretum, quod iuxta leges patrias mutari non poterat; præsertim cum causa, propter quam decretum illud editum fuerat, perseueraret. Nimirum exemplum proponendum fuerat vxoribus, maritis vt audientes essent: qui fructus, mutato decreto, plane periturus erat. Itaque rex, quasi in medio mari nauis contrarijs quassata ventis ac fluctibus, æstuabat. *Qua in anxietate,* inquit Iosephus, a *videntes eum amici, consulunt vt inutilem mulieris amorem ex animo eyciat, & facta per totam orbem formosarum virginum perquisitione, quam alijs prætulerit optet sibi coniugem. Noua enim inducta prioris aboleri posse desiderium, & eius recenti consuetudine, amorem paulatim distractum, in totum posse euanescere.* III. *Et variis commouetur.* a Lib. 11. c. 6.

PLACVIT b *sermo Regi, & ita vt suggesserant, iussit fieri. Erat autem vir Iudæus in Susan ciuitate, qui fuit nutricius filiæ fratris sui Edissa, quæ altero nomine vocabatur Esther, & vtrunque parentem amiserat, pulchra nimis, & decora facie; mortuisque patre eius ac matre, Mardochæus sibi eam adoptauit in filiam. Cumque percrebuisset regis imperium, & iuxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Susan, & Egeo traderentur Eunucho; Esther quoque inter cæteras puellas ei tradita est, vt seruaretur in numero fœminarum.* Quadringentas fuisse virgines fidenter pronunciauit Iosephus, quas Scriptura tantum multas dixit. Nec tamen improbabiliter ex 127. prouincijs. Quæres vbi esset tunc Esther, cum ad regem IV. *Esther adducitur ad palatium.* b Esth. c. 2.

regem venire iussa est? Respondet Iosephus, a tam Estherem, quam Mardochæum Babylone fuisse commoratos, sed migrante Esthere, etiam Mardochæum Susan commigrasse. At Scriptura non dicit, eum venisse Susam abeunte Esthere, sed fuisse Susis, cum percrebuit Regis imperium, quod & ille Susis erat, vtiq; cum eo erat eius filia Esther, vtroq; parente orbata.

Illud quoq; ambiguum videtur, quo gradu consanguinitatis Mardochæus Estherem attingeret. Nam v. 7. [illegible] filia fratris Mardochæi. Sic q; Mardochæus fuisset eius patruus, illa autem eiusdem neptis. E[illegible] demq; modo [illegible] 15. dicitur filia Abihail fratris Mardochæi. Et rursus [illegible] us con[illegible] dicitur Esther regi de Mardochæo, quod [illegible] esset patruus eius. Iosephus quoque Mardochæum patruũ [illegible] heris vocat; vnde consentaneum fuit, vt ei loco patris esset, & eam in filiam adoptaret.

Verum in Hebræo dicitur filia patrui Mardochæi: in Græco etiam dicitur filia Aminadab fratris patris Mardochæi [illegible] rursus v. 15. idem perspicue habetur, Hebræo [illegible] sentit Chaldæus, consentit & Sulpitius Seuerus, qui Mardochæum vocat fratrem patruelem: qui cum vulgatam editionem sequi soleat, probabile est legisse filiam fratris patris Mardochæi, & Serar. putat vocem (patris) in [illegible] e multis pluribus deesse. Illo autem c. 8. [illegible] Hebr. & Chald. [illegible] habetur tantum. Indicauit quid esset ipsi, id est, qua propinquitate coniuncta esset. Potuit nihilominus Mardochæus [illegible] consobrinam, siue patruelem tantum ætate [illegible] dere, vt ei loco patris esset.

[illegible] redeamus ad scripturæ narrationem. *Quæ placuit ei*, [illegible] Esther Eunucho, vt Vatabl. Caiet. & Sà, licet aliter [illegible] ratius. Non enim statim ad regis conspectum admittebatur [illegible] *præcepit*, alteri cuidam *Eunucho* sibi subdito, *vt accelereret mundum muliebrem, & traderet ei partes suas*, (phrasis [illegible] Hebræa, [illegible] ipsum hoc loco significans quod mundus muliebris, qui ei pro sua parte dabatur, sicut & cæteris [illegible] *puellas speciosissimas de domo regis*, vt scilicet honoris [illegible] eam comitarentur, vnde & sequitur, *& tam ipsam, quam pedissequas eius ornaret, atque excoleret.* In Græco significatur tractatam indulgenter, atque beneuole Estherem cum puellis suis; in Hebræo transtulit cum puellis in commodissimam domicilij partem.

Quod autem subdit. *Quæ noluit indicare ei populum, & patriam suam. Mardochæus enim præceperat ei, vt de hac re omnino reticeret.* Non est ita accipiendum quasi Eunucho petenti patriam Estheris, et ipsa negauerit se dicturam: Sed eam nihil de sua cognatione vel patria dixisse, sicut nec rogata fuerat. Vnde alij ex Hebræo vertunt. *Porro Esther non indicabat populum suum, & natale solum suum.* Non rogabatur autem [illegible] cum Susis nata, vt videtur, & educata esset, omnes [illegible] Susianam, & Persam [illegible] non Hebræam putabant. Itaque [illegible] ephus ait eam nunquam à Rege interrogatam, [illegible] nata genere. Nam interrogatam nolle respondere, [illegible] grauissimam eius offensionem incidere. Quæ [illegible] huius prohibitionis causa? An ne vilior haberetur, tanquam de seruili genere captiuorum? An ne in[illegible] constaret, apud Persas præsertim, & Me[illegible] diuinitus præceptum de hoc silentio accepit, [illegible] in Hebræos prouidentia magis appareret ex in[illegible] [illegible] Mardochæus deambulabat quotidie ante [illegible] domus, in qua electæ virgines seruabantur, [illegible] Esther, & [illegible], quid ei accideret. Diuturna vero fuit hæc cura, nam vsque ad tertium an[illegible] regem admissa non est.

[illegible] dum aguntur Susis, Artaxerxes ex Ægypto de [illegible] orum edoctus, familiares quosdam cum magna [illegible] Lacedæmonem mittit, Megabazo duce, qui de [illegible] Atheniensibus inferendo Spartanos sollicitant: ratu hoc pacto Athenienses, quorum ope Ægyptij vicerant, [illegible] patriam retractum iri, & sic Ægyptios desola[illegible] [illegible] ados. At Lacedæmonij [illegible] que pecunias [illegible] neque [illegible] Persarum postulatis aures præbent, [illegible]. Forte ea integritate animi, & diuitiarum [illegible] earum præsertim, quæ ex impio quæstu, & pro[illegible], forte etiam, quia tum præ virium infirmitate, ne vicino quidem oppido Ithome potiri poterant. Erat tamen hæc Persarum postulatio non incongrua tempori, quo Athenienses societatem suam cum Spartanis abruperant, vt proximo anno diximus. Itaque Megabazus cum res ei ex sententia non succederet, & pecuniæ frustra consumerentur, cum reliqua pecunia in Asiam redijt.

IX. Desperatis Lacedæmoniorum suppetijs, ait Diodorus, Artaxerxes nouas copias instruit, quibus Artabazũ & Megabyzum præficit, viros excellenti virtute præditos, eosque in Ægyptum, & Athenienses, qui vna cum eis Persas ad Murum Album obsidebant, parare expeditionem iubet. Eam paratam hoc anno quarto Olymp. 79. scribit Diodorus l. 11. Artabazus, inquit, & Megabyzus ad bellũ Ægyptium Imperatores designati, ex patria equestres & pedestres copias, vltrà 300. hominum millia, educunt. Vbi in Ciliciam, & Phœniciam ventum erat, ab itineris molestia exercitum recreant, & mox Cyprios, Phœnices, & Cilices classem instruere iubent; trecentisque triremibus ædificatis, classiarios imponunt, viros fortissimos, rebus omnibus ad nauale certamen instructos: in quo apparatu, & exercitatione militari totum prope annum consumunt.

X. Hoc fere tempus notat Plutarchus mortis Themistoclis. Ait enim eum Magnesiæ quietas sedes perdiu habuisse, magnisq; cultum donis, atque parem honore habitum, atque Persarum primores; quod Rex superiorum prouinciarum distractus negotijs, non admodum attenderet animum ad res Græciæ. Vt vero Ægypti rebellio, inquit, adiutoribus Atheniensibus, naueque Græcorum vsque ad Cyprum, & Ciliciam prouectæ, dominanique Cimõ mari, eum ad occurrendum Græcis, & ad eorum reprimendum aduersus se incrementum reuocauerunt, iamque delectus habebatur, duces dimittebantur, etiam Magnesiam ad Themistoclem, cum mandatis regijs, veniebant nuncij, vt res Græciæ susciperet, præstaretque promissa; neque ira inflammatus in ciues suos vlla est, neq; tantis honoribus, & potentia irritatus ad bellum &c. Hæc si quis attendat, videtur velle Plutarchus mortem Themistoclis, quam mox subdit, in annum primum vel secundum Artaxerxis, quo prædicta contigerunt, referre, verum cum idem dicat eum Magnesiæ vitam securam egisse [illegible], non potuit eo tempore mors eius contigisse, cum vix tum in Asiam peruenisset, vel regis se in conspectum dedisset. Itaq; in hanc secundam expeditionem rectius differtur, cum Rex amissis iam in Ægypto copijs, & spe de Lacedæmonijs concepta fraudatus esset, omnemque moueret lapidem, adhibitis bello ducibus præstantibus viris, vt Ægyptios, Græcosque, post tot acceptas clades, vlcisceretur. Hoc tempore.

XI. Cum ergo Themistocles bellum Patriæ inferre nollet, imo ne bello quidem interesse, quod partim in Ægyptios, partim in Græcos agendum erat; forte etiam existimans se, quæ Regi promiserat præstare non posse, vt notarat Thucydides; præsertim quod ea tempestate Græcia duces inclytos haberet, & mirifica esset Cimonis in rebus Græcorum gerendis felicitas: vt Colophonem eximium, vt putabat, rebus à se præclare gestis imponeret, existimauit voluntaria morte sibi esse pereundum. Itaque sacris operatus, conuocatosque complexus amicos, hausto, vt celebris fama est, taurino sanguine, vt aliqui volunt, veneno præsentaneo sumpto, annos nams quinque & sexaginta, quos fere in Rep. administranda, & imperio transegit, Magnesiæ vitam cum morte commutauit.

XII. Plurimus eam de taurino sanguine famam, siue fabulam persequitur Diodorus. Autores nonnulli tradunt, inquit, Xerxem nouæ in Græciam expeditionis percupidum, à Themistocle postulasse, vt huius belli se ducem præberet. Illum vero ita assensum, si fidem iureiurando confirmatam daret, se Græcis absque Themistocle bellum non illaturum. Post immolatum ergo taurum, iuramento præstito, Themistoclem poculum taurino sanguine plenum hausisse, atque illico expirasse: itaque Xerxem ab illo proposito reuocatum. Verum ex communi sententia, cuius princeps Thucydides, constat mortem Themistoclis,

Suidas Cap. 77

in regnum Artaxerxis incidisse, nec eius morte expeditionem bellicam fuisse interruptam. Itaq; Thucydides taurinum illum sanguinem, tanquam declamatoriam narrationem, missum facit, sed morbo correptum vitam finisse tradit. Addit tamen quosdam dicere, eum sponte hausto veneno, quod quidam sanguinem illum intelligunt, qui hominem veneni instar extingueret, è viuis abijsse.

XIII. EAM mortem rex ipse suspexit, vt ait Plutarch. & maiore deco opinione concepta, etiam amicos ipsius & familiares perpetua benignitate complexus est, eamq;, vt pro patria vitro susceptam, passim antiqui celebrant. Quibus tamen vereor vt recta ratio consentiat: quin potius maxime damnandum videtur, quod maxime commendatur. Neque enim vel mors ipsa laudabilis est, vel causa eius. Nam si verum est illud, quod est profecto verissimum, *Vitaq; mancipio nulli datur, omnibus vsu*, Et, *non licet iniussu Imperatoris de vita statione decedere*, certe qui vitam eripit sibi, iniuste agit contra Deum, ac patriam, quibus se ipse debet, & quibus seruire in hac vita debet, quandiu fuerit visum Deo. Et vt maxime ratio exigeret hominis mortem, nulli licet in se ipsum agere tortorem. *Non videri.*

XIV. QVID quod neq; innocens mortuus est, sed ab vniuersa Græcia morti destinatus, propter susceptam cũ Paus. patriæ proditionẽ, quam etiam fuga elapsus, cũ Barbaro regẽ transegit? Quod autẽ non præstitit quod male promiserat, & in turpi voto decretum murmuit, id non valde admirandum est si fiat, sed valde culpandum ni fiat. Quod si maluisset mortẽ à Persis subire, quam stare iniustis, atq; impijs promissis suis, tum demum & pro iustitia mortuus fuisset, & vere gloriosus existimari potuisset. At eum potius in impia voluntate patriam Persarum seruituti subijciendi mortuum fuisse neq; Thucydides, neque Plutarchus dissimulant: & vitam sibi extorsisse, quod existimaret se, quæ Regi promiserat, præstare non posse. Plutarch. in Cim. fi. *Themistoclem ferunt spe abiecta belli Græci, quia diffidebat Cimonis se felicitatem, & virtutem superare posse, voluntaria occubuisse morte.* Nõ ergo eum tam atrocis culpæ pœnituit, vt quoquo modo laudari posset, sed scelerate doluit, se tantum facinus præstare non posse, & sceleratius in tanti desperatione facinoris, sibi mortem consciuit, ingentemque æternorum suppliciorum molem, omnium grauissimo parricidio sibi accelerauit. Eporo quoq; taurino sanguine Psammenitus mortuus est, quod Ægyptios ad defectionem à Cambyse sollicitasset: tradit Herod. l. 3. *Et desperatione eius ex equo est periisse.*

XV. ERECTVM est ei nihilominus Magnesiæ eximium in foro monumentum, quod Diodori Siculi ætate supererat, eique post mortem certos honores habitos, vsque ad ætatem suam testatur Plutarchus. Thucydides vero ait, eius ossa à propinquis domum ipsius iussu reportata, & clam Atheniensibus, in agro Attico humata fuisse, quod eum, qui proditionis reus erat, ibi sepelire fas non esset. Addit Andocides apud Plutarch. Athenienses peruestigasse reliquias eius, & dissipasse, eodem improbante Plutarcho. A quo minime dissentit Pausanias, qui ait Themistoclis sepulchrum non longe à maximo Piræi portu collocatum fuisse, quod ipse eius ædificandi author extitisset. Siquidẽ Athenienses, inquit, sui aliquando facti in Themistoclem pœnituisse tradunt, atque eius ossa ex Magnesia sublata, ab ipsius propinquis in patriam reportata. *Eius sepulchrum, & funus.*

XVI. Hoc ipso tempore Megarenses etiam à Lacedæmonijs defectione facta, quod eos Corinthij de agri finibus contendentes, bello premerent, Atheniensium partibus sese adiunxerunt, & societatẽ cum ipsis inierunt. Ita Thucyd. Id porro hoc anno contigisse ex Plutarcho in Cimone satis constat; etsi Diodorus rem in tertium ab hinc annum differat. Ait enim rem à mutuis populationibus & velitationibus orsam, gliscente magis subinde dissidio, ac certaminẽ, Megarenses viribus inferiores, metu Corynthiorum societatem cum Atheniensibus iniuisse. At Plutarchus refert Cimonem, cum rediret à dando auxilio Lacedæmonijs contra Ilotas, per Corinthiorum agrum adhuc amicũ transijsse, cum iam Corinthii male Megarenses tractassent. Postquam, inquit Plutarch. opem tulit Cimon Lacedæmonijs, atque in reditu iter cum exercitu per fines Corinthiorum fecit, accusauit eum Lachartus, quod priusquam ciues appellasset, inuexisset exercitum: siquidem eos qui fores alienas pulsant, non ante quam Dominus iusserit, dicebat ingredi. Cui Cimon. *Atqui vos Lacharte*, inquit, *Cleonæorum, & Megarensium non pulsatis foribus, sed refractis irrupistis armati, censentes omnia patere potentioribus.* *Megarenses Spartanos deserunt Atheniensibus adhærent.*

MEGARENSIVM A SPARTA DEFECTIO. Iurgium Cimonis, & Lacharte.

XVII. Ex quibus perspicuum est, qua de causa Megara ad Athenienses defecerit, relictis Corinthijs, & Lacedæmonijs, qui eadem societatẽ tenebantur. Tenuerunt ergo ait Thucydides Athenienses Megara, (ea metropolis est prouinciæ Megarensium ad Isthmum Corinthiacum,) & Pegas (quæ altera vrbs est Megaridis, siue emporium Megaræ vicinum,) & longos muros Megarensibus, ab vrbe ad Nisæã vsque, ædificarũt (id est, ad portum Megaricum ita appellatum: qui etiam pro ipsa vrbe apud Ptolemæum accipitur, sic portus Atheniensium dictus est Piræeum.) Cumq; eum murum Athenienses suo præsidio tuerentur, magnum inter Corinthios & Athenienses exortum est odium, quod in multos annos propagatum est. *Causa defectionis.* *Odium Corinthiorum cum Atheniensibus.*

XVIII. ROMAE porro creati sunt interreges comitiorum causa, per quos designati sunt Coss. L. Lucretius, & T. Veturius Geminus: qui vt Consulatum inierunt pestilentia desijt. Cumque nihil magis cordi esset toti ciuitati, quam pœnas sumere de ijs, qui inualidam, & male affectam insuper vexauerant, omnes sponte nemine vel iustam immunitatem causante, nomina militiæ dedere. Copijs trifariam diuisis, cum parte vna Q. Fabius vir Consularis vrbis præsidio relictus est: duæ reliquæ cum Coss. in Æquos & Volscos profectæ sunt. Cumque iam hostes in armis in Hernico agro starent, visum est Consulibus per oppida hostium circumferre bellum. Sicq; hostes ad sua tutanda reuocarunt. Sed ne seipsos quidem satis tutari potuerunt Volsci, vt qui vix primum Romanorum congressum sustinere potuerint. *Noui Consules in vltionẽ intenti.* *Volsci Victi.*

XIX. AT Æqui pari arte conati sunt Romanos ex suis extrahere finibus: aut etiam Romam robore iuuentutis vacuam occupare se posse sperauerunt. At cum Tusculum peruenissent, ibique mœnia armatis militib. oppleta cognouissent, præter 4. validas cohortes, quæ ad portam stabant, mutato consilio deflexerunt de via, & agrum superiore expeditione intactum populati sunt. Accurrit eo confestim L. Lucretius Consul, & sese ad prælium parat, Æquis minime certamen recusantibus, sed ambientibus potius, priusquam alter Consul se Lucretio adiungeret. Itaq; diu fortiter vtrimque certatum est, donec ostentante se à tergo militum manu, è quodam montano castello descendentium, existimauerunt alterum adesse Consulem, & veriti ne circumuenirentur, se in fugam dederunt, cæsis vtrisque hostium ducibus, & fortissimis quibusque vtriusque populi. Post hæc nemine prohibente, Lucretius Æquorum agrum vastauit, Volscorum Veturius, vsque ad comitiorum tempus, quo reductæ domum copiæ Lucretius triumphans, Veturius ouans vrbem inuecti sunt. *Æqui victi.*

ANNVS MVNDI 3594. SEXTAE AETATIS 78. Artaxerxis 5. Imperii Pers. 78. Eliasib Pont. 5. Olympiadis LXXX. An. 1. Phrasicle Prætore Athenis. Vrbis cond. 293. Coss. P. Volumnio, & Ser. Sulpitio Camerino siue Amentino Diod.

Diodor.

ANNVS ANTE CHRISTVM 459.

I. DEGIT Esther hoc tempore a in domo regia virginũ electa suum. Persæ rem bene in Ægypto gerunt; Athenienses bellum cum Corinthijs gerere incipiunt. Romani domi tumultuãtur. Torymbas Thessalus in stadio Olympico victor coronatur. Et de Esther quidem nihil est quod hoc primo anno prædicti nuper triennij dicamus: nam ille omnis apparatus ad cõciliandam formæ venustatẽ, in vltimum tantũ annũ videtur à Scriptura transferri. Quid ergo illa hoc tempore? Forte occupata varijs nobiliũ puellarum exercitationibus, expectauit dum nubilis esset. Nisi *a Esth. c. 2. 12.* *Res huius anni.* *Et nominatim Esther.*

dicamus tātam fuisse multitudinem puellarum, quæ eam vel ætate, vel tempore admissionis antecederent, vt antequam tempus Estheris adueniret, triennium effluxerit: idque videtur colligi ex verbis illis. *Cum autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum, vt intrarent ad regem.*

II. *Exercitus Persarum egregius.* PERSAE porro, post variam exercitationem militarem, ducibus Artabazo, & Megabyzo, in Ægyptum proficiscuntur, non temere sperata victoria. Nam præter maximas terrestres, naualesq; copias, omnibus rebus instructas, aderant exercitati milites. Erant & clarissimi atq; exercitatissimi expeditionis duces Artabazus Pharnacis filius, qui in Græcia cum Xerxe, naualibus, terrestribusq; pugnis cum potestate interfuerat, & sapientissimorum consiliorū author fuerat. Megabyzus vero, siue Megabazus Herodoro, Zopiri illius filius fuit, qui crudeli erga seipsum stratagemate vsus, Dario Hystaspis, huius Artaxerxis auo, Babylonem restituit, vt scribit Herodotus. Ipse autem sub Dario l. 3 & egregia belli facinora perpetrauit, & multas in Europa prouincias Persarum imperio partim acquisiuit, partim etiam conseruauit, vt ex Herod. l. 5. constat. Ex quo intelligitur eum nunc fuisse admodum grandem natu.

III. *Hostem vtrumque in Ægypto superant.* HI ergo, vt narrat Diodorus, in hunc annum primū Olymp. 80. assumpta in Cilicia trecentarum nauium classe, assumptoq; terrestri exercitu, per Syriam, & Phœniciam iter faciebant. Prætemauigante vero ad latus (dextrum) classe, ad Memphim tandem cum peruenissent, obsidionem Albi-muri illico soluunt, perterrefactis aduentu hostium Ægyptijs pariter & Atheniensibus. Mox consilio prudenter inito, collata quidem acie pugnare declinant, sed arte militari finē bello imponere contendunt. Ita Diodorus. At Thucydides ait Persas tam Ægyptios, quam socios prælio vicisse, & Græcos Memphitide expulisse, tandemq; in Prosopitide insula eos conclusisse, & ibi per 18. menses obsedisse. Sed obsidio sub huius anni extrema inchoata, ad ann. 7. Artaxerxis, qui erat 6. huius belli, protracta est. Quæ tamen omnia in hunc annum congerit Diodot. Ea porro insula, quam Thucyd. & Diodor. Prosopitidem, Herodot. etiam Natho appellat, in Ægypto est, & à Nilo efficitur, & maiore eius fluuij Delta cōprehenditur. *Athenienses in Prosopitide concluduntur.*

IV. *Vincuntur à Corinthiis.* ODIVM Corinthiorum in Athenienses superiore anno conceptum, ad apertam vim hoc anno erupit. Coactis enim copijs Corinthij eos ad certamē vocant, assumptis secum Epidaurijs, qui in Argolico sinu Peloponnesi siti sunt. Quibus reliqui Peloponnesiaci trecentos grauis armaturę milites subsidio miserunt, duce Myronide, eximiæ virtutis viro. Athenienses vero, vt ait Thucyd. Nauibus ad Halias egressi, prælium cum Corinthijs, & Epidaurijs commiserunt. Ait autem scholiastes Thucid. Halias esse iuxta Trœzenē; qui etiam addit susceptum hoc bellum à Corinthijs in gratiam Epidauriorum, qui ab Atheniensibus defecerant. Verum ex dictis patet bellum propter Megarenses susceptū. Penes Corinthios stetisse victoriam tradit Thucydides, vtiq; fide digniore testimonio, quam Diodorus, qui Athenienses victores fuisse scribit an. 2. & 3. Olymp. 80 *Thucyd. & Diodor.*

Cæterum non diu de victoria lætati sunt Corinthij: nam nauali certamine contra Peloponnesios ad Cecryphalęam congressi Athenienses, victores effecti sunt, Thucydide, & Diodoro consentientibus. Est autem Cecryphalæa insula ad plagam Peloponnesi occiduam, vt ait Scholiastes Thucydidis, & item eiusdem promontorium, quod forte apud Ptolem. est Coryphasium. Inde autem contra Æginetas maiore conatu, diuturnioreque bello certatum est: sed id non ante sequentem annum, in quem Diodorus quoque illud refert. *Cecryphalea.*

V. *Romana tr[...]* DIONYS. Halycarnass. librum decimum historiæ Romanæ ab his Coss. inchoat. Sequitur, inquit, Olymp. LXXX. qua stadio vicit Torymbas Thessalus; Diodorus Toryllam vocat, Phrasicle Athenis principe. Diodor. Phasicleide, qui etiam in Coss. suo more dissentit, & quarto ab hinc anno Voluminium & Sulpitium, non Camerinum, vt Dionys. sed Amentinum suggerit.

Domestica turba a Tribunis. HIS Coss. nullū foris negotium fuit, tantum intra mœnia [...] st, ne qua seditio inter patritios, plebeiosq;, [...] Tribunorum concionibus excitaretur, factagentium vt omnes ex æquo ordines ad tractandam Rēp. admitterentur; & controuersiæ non ex potentiorum arbitrio, Consulum, & Senatorum, vt olim regum, sed ex legū præscripto dirimerentur. Et C. quidē Terent. trib. pl. superiore anno cōsulare imperium certis legib. circumscribere tētarat, quas ipso rogante ferret populus; sed detentis bello militibus, rem imperfectam omisit. Hoc autem Consulatu totum Tribunorum collegium rem eandē aggressum est denuo, duce & autore A. Virginio: Consulibus & Patricijs omnib. contra nitentibus. Deniq; post multas vtrimq; conciones, & prodigia cladem aliquam portendentia, cum vtrorumque timor viam concordiæ non inueniret, Tribuni concione populi aduocata, Rogationem iam ante in hoc paratam recitant, cuius hæc erant capita.

VI. *Rogatio de creandis decemuiris.* DECEMVIROS legitimis comitijs à populo eligi, ætate, prudentia, dignitate præstantissimos, qui leges de negotijs tam priuatis quam publicis promulgare possint, quibus legibus sua intra præscribantur, tam priuatis ciuibus, quam annuis magistratibus.

Hac rogatione lata Tribuni potestatem dederunt omnibus dissuadere volentib. in trinundinum, nec defuerunt è Patricijs seniores, iunioresq; plerią;, qui magnis animis, magnaq; dicēdi facultate resisterent. Donec Tribuni morarum impatientes, diem suffragiis ferendis dicunt. Obstare Coss. & patriciorum potentissimus quisque, negantes se Rogationes admissuros, de quibus prius in Senatu consultatum non foret. In hoc numero erat Cæso Quintius, L. Quintii Cincinnati filius, qui asperius contra Tribunos ac plebem agebat; quem calumniis, ac falsis testibus circumuentum, ne quidquā omnia mouente Parente, in exilium abire coegerunt. Nec tamen fracti animi iuuenum Quintii sociorum; quin potius ferociores effecti, ita dictis factisque Rogationem oppugnarunt, vt hoc Consulatu nullo pacto lex perferri potuerit. *Caso Quintius in exilium agitur.*

ANNVS MVNDI 3595. SEXTÆ ÆTATIS 79. Artaxerxis 6. Imperii Pers. 79. Esdræ 1. Eliasib 6 Olympiadis LXXX. An. 2. Archonte Philocle. Vrbis cond. 294. Coss. P. Valerio Publicola, & C. Claudio Sabino.

ANNVS ANTE CHRISTVM 458.

I. *Rerum anni breuis.* SECVNDVS agitur annus commorationis Estheris in gynæceo Artaxerxis, siue regis virginum ædibus. Quo Esdras sacerdos, & deinceps aliquot annis Iudaici populi dux, sub Persarum dominatu, impetrat à Rege, & parat profectionē in Iudæā ad anni sequentis initium; cui Chronologiæ, quam mox ex ipsa Scriptura demonstrabimus, Eusebius in Chronicis assentitur. Quo item anno Persæ, Ægyptiis & Atheniensibus, vt ex Thucydide dicebamus, prælio superatis, & Memphitide pulsis, Græcos in Prosotidem insulam conclusos toto hoc anno obsederunt, & anno sequenti eos in potestatem redegerunt. Quo deniq; Roma, occupato à Sabino principe Capitolio, summum adiit periculum seruitutis, dum Tribuni fraudibus, & calumniis in Repub. præter mortem tumultuantur.

II. *Sub quo rege fuerit Esdras.* ET vt à sacris ducamus initium, cœpit Esdras hoc anno clarescere, quo à rege Artaxerxe obtinuit, vt Ierosolymam cum multis Israelitis proficisceretur, vt capite septimo libri eius fuse traditur. Hunc autem quem, & eo loco Esdras Artaxerxem, & regem Persarum vocat, & in suo libro Nehemias, quem Xerxis filium, & successorem fatentur omnes, &, ad aliorum regum differentiam. Græci μακρόχειρ, Latini Longimanum dixere, Iosephus a Xerxem fuisse dicit, Darii Hystaspis successorem. Non animaduertens, vt cætera mittam de diuersis vtriusq; moribus, & beneuolētia in Iudęos, Xerxē duos & viginti annos ad summum regnasse, cum trigesimum secundum Artaxerxis apud Nehemiam legamus. b Vatablus autem, c & eum secutus Emanuel Sà, d ipsum Darium Hystaspidem fuisse putant, & eadem opera totos 58. annos communem sententiam de initio sacratum Hebdomadarum Danielis anteuertunt, nec eas possunt vllo modo in Christi morte terminare, quod

a l. 11. c. 5.
b 2. Esdr. 14. *[...]*
c in 1. Esdr. 7. 5.
d 1. Esd. 7 1. & init. l. 2. *Sententia [...]*

SOLV- TÆ CAP. 75

Danielis prophetia plane videtur exigere. Contra verò defectu temporis Sulpitius Seuerus vrgetur, cùm ait Esdrã permissu Artaxerxis, *qui Dario Ocho successerat*, Babylonia profectum, cum multis Hierosolymam peruenisse. Legendum est *Dario Notho successerat*. Nam Ochus dictus est Artaxerxes, non Darius; nec Ocho successit vllus Artaxerxes, sed Arses tantum, & Darius, in quo finitum est Persarum imperium. Vrgetur autem temporis angustijs. Nam à vigesimo anno Darij Nothi ad Christi mortem, non 490. anni reperiuntur, sed vix quadringenti & decem & octo.

III. Fuit sub Artaxerxe Longimano.

COMMVNISSIMA ergo sententia antiquorum & recentium est, Esdram ab Artaxerxe Longimano missum Hierosolymã. Nam Eusebius in anno sexto Artaxerxis huius, Esdras, inquit, sacerdos apud Hebræos insignis cognoscitur, cuius ætate Pontifex maximus habitus est Eliasib, filius Ioakim, filij Iesu, filij Iosedech. Fuit autẽ Esdras eruditissimus legis diuinæ, & clarus omnium Iudæorum magister, qui de captiuitate regressi fuerant in Iudæam. Ita Eusebius, quæ habentur etiam in Græco. Iulius Africanus apud S. Hieron. in c. 9. Danielis ait annum Artaxerxis vigesimum cadere in quartum annum Olympiadis 83. quod nostram Chronologiam belle confirmat, nec in alium regem Persarum cadere potest. Idem sentit Theodoretus in Ezechielem sectione 2. & in Danielem oratione nona. In recẽtioribus est Torniellus anno sextæ ætatis 149. Gordonus, & Samerius in suis Chronolog. Viues in D. Augustinum, a Genebrardus item & Adrichom. qui tamen Dariũ Hystaspidem cum Artaxerxe Longimano non leui errore cõfundunt, quod ad templum attinet: Pererius in Danielem non vno in loco, b quam sententiam ait plurimis, grauissimisq; viris placuisse, Iulio Afric. Euseb. Aug. Hieron. Chrys. Theodoreto, Bedæ, Ruperto, alijsq;. Vt omittam sectarios.

a l. 18. de ci. c. 30. b In. In Danie. regum Pers. & Lu... c 4 Fontium. Cythræum Capellum.

IV. Genus Esdræ ipse recenset notale. c c. 6. 4.

NEQVE negligendum est nobis genus Esdræ, quod ipse hoc loco studiose recensuit. Septimo enim capite ponit Esdras seriem maiorum suorum, vsq; ad Aaronem primũ Pontificem, enumeratis sedecim è progenitorib. suis, quibus addendi sunt sex, qui enumerantur 1. Paral. c Nimirũ Amarias, Achitob, Sadoc, Achimaas, Azarias, Ioannam. Dicendum est etiam alios immediatos inter Esdram & Saraiam, qui fuit Pater Iosedech fuisse prætermissos. Nam Saraias, qui vbique dicitur pater Esdræ, mortuus est anno 19. Nabuchod. qui fuit primus desolationis: à quo anno ad præsentem, 150. numerantur: nimirũ 70. desolationis, & 80. regni Persarum. Plures etiam prætermittuntur in 3. Esd. d Eiusdem etiam l. 4. c. 1. catalogus longe diuersus, & numero personarum, & nominibus texitur. Ex his porro intelligitur Esdram non fuisse quidẽ illũ Pontificem, is enim tunc erat Eliasib, vt supra diximus, & amplius ex seqq. patebit, fuisse tamen de genere põtificio, & sacerdotem, sicut deinceps crebro vocatur sacerdos. Primarium Sacerdotem populi eum vocat Iosephus; e quod intelligendum est non vniuerse, sed Babylone, apud Iudæos ibi commorantes, apud quos in magna erat opinione sanctitatis.

d 13. e l. 11. c. 5.

V. Fuisse legis doctorem. f v. 12. & v. 21. g v. 6. hic Scribam, literarum formatorem.

FVISSE item legis doctorem, ideoq; Artaxerxes eũ vocat Scribam doctissimum legis Dei cœli. f *Tu autem Esdra secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua.* Nec obstat quod ipse Scribam velocem appellet. g Non enim id significat eum amanuensem tantum fuisse, sed ad reliquam sapientiam, etiam expeditam scribendi promptitudinem adiunxisse. Quo pertinet quod ex Hieronymo in prologo Galeato init. & præfat. in lib. Regum referunt omnes, eũ nouas literas Hebræas, ad secernendos penitus Iudæos à Samaritis, inuenisse. Nihil enim mirum est literarum à se recens inuentarum promptum, & peritum scriptorẽ fuisse. Hebræi in Chron. Geneb aiunt Synagogam magnam 120. hominum coaluisse, pro emẽdandis libris sacris, eorumq; constituendo canone, iuxta præscriptum Cabbalæ. Conciliõq; præfuisse Iosue, Zorobabel, Mardochæum, Nehemiam, Esdram, Danielem, cum tribus socijs, & tres vltimos Prophetarum. In eo autem Concilio notarium siue scribã fuisse Esdram. Verum quidquid sit de hoc Concilio, cuius omnes Hebræi solemniter meminere, vt tradit idem Genebrardus, perspicuum est in eo non potuisse interesse Danielem, neq; socios eius, nisi dicamus Daniel. 170. annos viuendo superasse.

GENVS ESDRÆ &c.

VI. Et librorum sacrorum reparatorem. h l. 1. L. 2. c. 2.

EIVS porro doctrinæ, diuinæq; sapientiæ maximum argumentum est, optimisq; testibus confirmatum, quod credatur librorum canonicorum instaurator. Non quidem, vt recte notauit Bellar. h & nos accurate disseruimus in anno Hierosolymitanæ cladis, eos iterum ex diuino afflatu dictando, sed colligendo, & ordinando sacra volumina in vnum corpus, quorum partes varijs in locis inuenerat; emendando quoque, si qua deprauata erant negligentia scribarum, cum toto tempore captiuitatis, cum Iudæi tẽplo carerent, & tabernaculo, lex negligenter seruata esset. Testes autem idem profert Chrys. homil. 8. in epist. ad Hebræos, vbi docet Esdram ex reliquijs scripturæ eam iterum composuisse. Hilarium præfat. in psal. vbi ait Esdram omnes psalmos collegisse, & ex eis vnum librum confecisse. Theodoret. præfat. in psal. ait scripturam veterem deprauatam tẽpore captiuitatis, ab Esdra fuisse restitutã. Quod idem significant Irenæus, i Tertul. l. de habitu mulierum, & Clem. l. 1. Strom. Esdras, inquit Genebr. k Propheta, & scriba, Cabbalam apud Hebræos collegit, & 72. libris tradidit. Eius consilio & opera præsertim libri sacri collati sunt, & emendati: vnde Ticcum Sopherim, id est, correctio scribarum, appellatur Ticcum Ezra, id est correctio Esdræ.

i L. 1. c. 2. k in Chron. L. 2.

VII. An propheta fuerit.

ET hi quidem Esdræ tituli satis in confesso sunt apud omnes, Prophetæ autem titulus non item, quo tamen afficitur init. l. 4 Esdræ; quæ vox quia legis etiam doctorem, & præconem verbi Dei, apud Paulum significat, eo sensu facile propheta vocabitur, aut etiam quomodo Iosue Propheta dicitur. Nihilominus etiam prophetam proprie dictum, & prænuncium futurorum fuisse Esdram, non negat D. August. l cum eum rerum gestarum scriptorem magis esse ait quam prophetam; sed aperte tradunt Hebræi Thabana dici apud Genebr. in Chron. & ante eos D. Hieron. quippe qui scribat eundem esse cum Malachia propheta. Et epist. quidem 121. ad Paul. & Eustoch. hanc sententiam ex Hebræis tantum doctoribus refert, referente etiam D. August. de ciuit. m Sed in procemio in eundẽ Prophetam, ad illorum sententiam etiam adiungit suam. Ait enim, *Malachi autem Hebræi Esdram existimant sacerdotem, quia omnia quæ in libro illius continentur, etiam hic propheta commemorat dicens, Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est* Significat D. Hier. Esdram fuisse illum sacerdotem, quia scientiam Domini teneret, & eam populus de ore eius acciperet: n eundem autem fuisse Malachiam, id est, angelum Domini, qui hoc ipsum de se testimoniũ præberet.

l l. 18. de ci. c. 36. Atque idem cum Malachia sit Hebræis. m L. 2. c. 31. n vt patet ex 2. Esdr. 8.

VIII. Atque aliis ...

PERGIT autem. *Tempus quoq; titulusq; conueniunt. Quod & in psalmis diximus, qui titulos non habent, eorum esse credendos, quorum priores psalmi, nominib. prænotati sunt. Igitur & Malachi, id est Esdras post Aggeum & Zachariam, qui sub Dario prophetauerunt, fuisse credendus est, & propterea titulum non habere, quia liber eius pro titulo sit.* Toto etiam expositionis prophetæ cursu, hanc sententiam ex rerum similitudine crebro confirmat. o *Exponit*, inquit, *nomen suum Esdras sacerdos Dei, hoc est Malachia, quod angelus Domini interpretatur. Angelus autem, id est nuncius, sacerdos Dei verissime dicitur.* Et p iterum vult Malachiam alludere ad historiam, quæ 1. Esdræ q continetur, de vxoribus alienigenis. *Corripit*, inquit, *eos Esdras propheta, & ad repudium nouarum coniugum prouocat, vt vxores quas dimiserant recipiant. Nonne*, inquit, *Pater vnus Abraham omnium nostrum est*, &c. Verba Malachiæ tribuit Esdræ, & totum reliquum caput Malachiæ, ex dicto loco Esdræ interpretatur. Et rursum. r *In principio diximus Malachi prophetam debere intelligi, omniaq; quæ in illius scribuntur historia, in hoc quoq; volumine contineri;* & deinceps tamen, quæ memorantur in vtroq; libro, eandem esse, eiusdemq; scriptoris contendit.

o vt c. 1. 7. c. 2. 7. p c. 2. v. 10. 13. 15. r c. 1 v. 7.

IX. Atque aliis ... s in c. 1. Malach. & seqq.

EANDEM sententiam secuti sunt Remigius, atq; Rupertus: quam etiam probat, & communiorem putat, & confirmat Ribera, s quod Ecclesiasticus eum viros insignes laudet, c. 49. in eisque Zorobabelem, & Iesum filium Iosedech, & Nehemiam, qui post Esdram venit ex Babylone, nusquam Esdræ meminit, quem certe non videtur omis-

surus,

futus, nisi eum iam ante in 12. Prophetis laudatum fuisse significaret, quos dicit æterna memoria dignus esse. Cum etiam ipsemet Esdras meminerit Aggæi & Zachariæ, a qui his temporibus floruerunt, nihil videtur causæ cur nô meminerit Malachiæ, quem nemo dubitat hoc tempore vixisse, nisi ipsemet esset Malachias. Eidem opinioni Torniellus assentitur, Riberam secutus. b

X. *Non probatur ea opinio.* AT D. Cyrillus hanc opinionem non probat; nempe quia sciebat Rabinos sæpe inueniri mendaces, & ex Scriptura nullum pro ea certum educi argumentum; quale est id, quod ex Hieronymo afferebamus, & quo Cyrillus ipse videtur respicere. Non enim si pleraq; habentur eadem in lib. Paral. & Reg. propterea idem est author vtriusq; operis. Nec Esaias est autor lib. Reg. quia non pauca eorum habet in sua prophetia. Eandem opinionem reijciunt Christophorus à Castro, Lyranus, Vatablus, Isidorus, Montanus, & Gaspar Sanctius suis in illum prophetam commẽtarijs. Certe Augustinus, quem ante retulimus, c Malachiã ab Esdra aperte distinguit, sicut & Chrysost. d Theodoretus in præfatione in cantica, & quicunq; vitam Malachiæ scripserunt ea de eo scribunt, quæ Esdræ quadrare nô possunt. Quin ne Hebræi quidem omnes ita sentiunt, iuxta ea quæ de Synagoga magna refert Genebrardus. Et R. Abraham in Cabbala Historica. Eo tempore, inquit, obijt Esras scriba, Haggæus, Zacharias & Malachias, estq; sublatum prophetiæ munus ex Israela.

XI. *Cur Esdram adiret Ierusalem.* IN eodem c. 7. dicitur Regem Artaxerxem dedisse Esdræ, *secundum manum Domini Dei eius super eum*, id est, iuxta diuinam inspirationem ei factam, *omnem petitionem eius*. Erat autem ei propositum Hierosolymam cum socijs, præsertim Leuitis, & cultui templi destinatis proficisci, & ibi docere populum Dei legem, & restaurare, quæ vel in moribus, vel in Dei cultu deprauata erant, vt illa v. 10. significãt. *Esdras enim parauit cor suum vt inuestigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Israel præceptum & iudicium*, sed & penuriam sacerdotum, & Leuitarum ea Regis liberalitate subleuare, vt Regiæ literæ, quæ mox subduntur, aperte docent.

Quid autem contigerit, vt rex tam propensus factus sit erga Esdram, & Iudæos, non satis liquet. Nondũ n. Esther, aut certe genus eius ei notum erat. Iosephus l. 11. c. 5. significat eum legum suarum peritia, & sanctitatis opinione, in magna apud suos gloria fuisse, sicq; in Regis amicitiã peruenisse, idq; satis cõsentaneum est erat. Septuag. Torniel. in an. 149. sextæ ætatis, satis probabiliter putat Esdram animo prophetico ei prædixisse prosperum rerum suarũ successum, si verum Deum cœli coleret, & ab eo imploraret opem, exemplo Cyri, & Darij Hystaspis aui sui. Cum ergo is proximo anno rem in Ægypto contra Græcos, & Ægyptios prospere gessisset, prophetam veridicum, & Deum eius honorare cœpit, & facilem se eius postulatis præbere, & regia munera in Dei cultum Hierosolymam destinare. Quæ ex regijs literis apertiora erunt.

XII. ARTAXERXES e *Rex regum Esdræ sacerdoti, scribæ legis Dei cœli doctissimo. S. A me decretum est, vt cuicunq; placuerit in regno meo de populo Israel, & de sacerdotibus eius, & de Leuitis ire in Ierusalem, tecum vadat. A facie enim regis & septem consiliatorum eius missus es, vt visites Iudæam, & Ierusalem, in lege Dei tui, quæ est in manu tua.* Hi 7. consiliarij regij, quorum nomine, secundum Regem, constituunt hoc decretum, videntur esse illi ijdem duces Persarum, atq; Medorum, qui cap. 1. f lib. Esther memorantur, qui videbant faciem Regis, & primi post eum residere soliti erant; & ex quorum consilio causas grauissimas dijudicabat: ex quo nonnulla coniectura duci potest, eundem esse Artaxerxem Estheris, & Esdræ, sicut supra constituimus.

XIII. *Regis & Chaldæorum in Iudæos liberalitas.* PERGIT Rex, *Et vt feras argentum, & aurum, quod Rex, & consiliatores eius sponte obtulerunt Deo Israel, cuius in Ierusalem tabernaculum est, & omne argentum & aurum, quodcunq; inueneris in vniuersa prouincia Babylonis*, quod nimirum Chaldæi Iudæorum amici, & in eorum legem, aut nationem bene affecti, Deo dicare voluerint. Hæc enim de populo Babylonico, seorsim à populo Iudaico, intelligenda esse, aperte docet textus Græcus; qui distinguit aurum in regione Babyloniæ dicatum Domino, ab eo quod est donatum ab ipsa gente in templum Domini Dei eorum, & apertius etiam in Hebræo, sicut in Latino distinguitur aurum prouinciæ Babylonis, ab eo quod populus, scilicet Iudaicus, sponte obtulerit, & ab eo quod sacerdotes ipsi dare voluerint: vnde in vulg. sequitur, *& populus offerre voluerit: & de sacerdotibus, quæ sponte obtulerint domui Dei sui, quæ est in Ierusalem, libere accipe.* Ex quibus non immerito improbandus est Iosephus, qui Chaldæorum liberalitatem in Iudæos, ad quam non solum priuata amicitia ac deuotio, sed regis etiam, atque 7. principum exemplum incitabat eos, ignorantia magis quam superba voluntate repudiauit, & Babylonicam largitatem ad solos Iudæos adstrinxit.

XIV. QVAM autem ad vsum ista pecunia. *Et studiose eme*, inquit Rex, g *de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & sacrificia, & libamina eorum, & offer ea super altare templi Dei vestri, quod est in Ierusalem. Sed & si quid tibi, & fratribus tuis placuerit, de reliquo argento & auro vt faciatis, iuxta voluntatem Dei vestri facite.* Hoc egregium est indicium beneuolentiæ, & fiduciæ Regis in Esdram, quem vult pro sua prudentia, cum in rem præsentem venerit, pecunias expendere, prout res tulerit. Addit autem nominatim de vasis, vtiq; aureis & argenteis: nam ænea, & alterius metalli, quæ magni futura erant ponderis, satius erat Hierosolymis conflare, quam tam lõginquo itinere circumferre. *Vasa quoque*, inquit, *quæ dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei in Ierusalem.* Verum ad præsentem largitionem, quæ sine dubio maxima fuit, licet æstimata non sit, addit & alteram de thesauris suis, quæ in Regionibus Iudæorum erant, vt & labori Esdræ, & securitati pecuniæ consuleretur. *Sed & cætera*, inquit, *quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcumque necesse est, vt expendas, dabitur de thesauro, & de fisco regis, & a me.* In his autem non solum sacrificia, & tecta templi, sed & victus sacerdotum comprehenduntur, vt patet ex seq. decreto.

XV. *De reditu Artaxerxis.* EGO *Artaxerxes* h *Rex statui, atque decreui omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, vt quodcunq; petierit à vobis Esdras sacerdos, scriba legis Dei cæli, absq; mora detis, vsq; ad argenti talenta centum, & vsque ad frumenti coros centum, & vsque ad vini batos centum, & vsque ad batos olei centum: sal vero absque mensura. Omne quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli, ne forte irascatur contra regnum regis, & filiorum eius.* In 3. Esdræ c. 8. hæc non parum variata leguntur. Nam ad centum talenta argenti, adduntur auri totidem, quæ in Septuag. non habentur; præterea olei & salis nulla est mentio, quæ tamen in Hebræo textu, & Chaldæo, sicut & in vulgata memorantur. Denique cum in sacro textu sit tantum mentio Regis, & filiorum eius, sicut & apud Iosephum, ibi additur, *& filq. & filiorum eius*, quod quidam sic interpretantur, vt nomine Regis intelligatur Xerxes, quasi tunc adhuc viueret; nomine autem filij, Artaxerxes, qui aliquod annis cum Patre regnarit: deniq; nomine filiorum, intelligantur reliqui filij regis, fratres Artaxerxis.

XVI. *An cum patre regnarit.* VERVM hæc sententia parum firma est, vt omittam violentam locutionem, & fundamentum apocryphum. Non enim probare potest Artaxerxem simul cum Xerxe regnasse: neque id narrationi Thucydidis, aut Herodoti, Diodori, aut Plutarchi, aut alicuius antiqui consentaneum est. Et quamuis demus Darium proficiscentem in bellum, regni successorem designasse Xerxem, iuxta Persarum institutum, vt scribit Herod. init. l. 7. non tamen consequens est vt cum patre regnauerit, qui tantum regni successor designabatur. Et quamuis daremus regni successorem, simul cum Rege regnasse, quomodo volunt Artaxerxem regnasse viuo patre, cum maius frater primogenitus Darius, qui occisus est cum patre, adhuc viueret? Imo & vxorem iam viuo patre duxisset? Quid causæ fingere possunt, cur Xerxes, repudiato suo primogenito, secundo genitum regnare susceperit? Nomine ergo Regis solus Artaxerxes intelligendus est, nomine autem filiorum eius, Xerxes secundus, Sogdianus, Darius, &c.

XVII. *Immunitas tributorum data.* ACCEDIT & tertia largitio immunitatis tributorum, pro ijs omnibus, qui templo ministrarent, quorum erant permulta millia. *Vobis quoque*, inquit, *notum facimus, de vniuersis sacerdotibus, & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, Nathi-*

IVDIT. Æ CAP. 7.

neis, & ministris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos. Nathinæos Iosephus sacros seruos interpretatur; quos inde ab ipso Iosue propagatos, lignis & aquis templo conuehendis, alibi dictum est. Illud vero minime negligendum hoc loco, quod intellexerit hic princeps naturæ lumine, Deũ in suis ministris hac liberalitate honorandum esse: quam immunitatem Ioseph in Ægyptiorum fame, sacerdotibus quantumuis impijs, eorumq; terris vltro concessit: *a* vt non mirum sit, temporibus Christianorum principum, tot priuilegijs Ecclesias, & Clerum vniuersum fuisse decoratum: quæ qui violant, vltro sibi diuinam iram accersunt, & Niniuitarum, ac reginæ Austri iudicium, & condemnationem.

a Gen. 47. 22 26.

XVIII. Pœna imposita legis violatoribus.

RELIQVA est potestas Esdræ concessa constituendi Iudices, & Præsides, ad dirimendas populi Iudaici controuersias, per Syriam & Phœniciam, ait Iosephus, & Septuag. multoq; magis in terra, quam ipsi quasi proprio iure possidebant: constituendi etiam doctores ad eũdem populum in diuinarum rerum notitia instruendum. Hæc autem omnia, pœna transgressorib. proposita, valide stabiliuntur. *Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem regis diligenter, iudicium erit de eo siue in mortem, siue in exilium, siue in condemnationem substantiæ eius, vel certe in carcerem.* Hæc 4. genera pœnarum media parte diminuit Iosephus, & totum locum auxit è suo. *Quisquis*, inquit, *legem Dei, vel legem regiam violauerit mulctetur pecunijs, aut etiam damnetur capite, vtpote qui non per ignorantiam sed per contumaciam peccauerit.* Retulit scilicet hæc Iosephus, ad id quod iussum erat, vt populus doceretur, ne scilicet sese ignorantia excusaret.

XIX. Esdras colligit venturos socios.

HIS ita cum Rege transactis, spiritu diuino confortatus Esdras, *Congregauit de Israel principes, qui venirent secum.* Scribit Iosephus misisse eum exemplum literarum regiarum in Mediam, aut Persidem potius, vbi cognita regis erga Deum pietate, & erga Esdram beneuolentia, *omnes vehementer*, inquit, *sunt lætati: multi vero ex eis, assumptis suis facultatibus Babylonem venerunt cupientes reuerti Hierosolyma: reliqua Israelitarum multitudo assuetum iam domicilium noluit relinquere*, aut alia etiam ex causa remanserunt, vt Mardochæus, qui Estheris curam gerebat. *Quapropter duæ tantum tribus per Asiam*, minorem scilicet, quæ cis Euphratem, *& Europam sub Romano degunt imperio: decem autem tribus nunc quoq; vltra Euphratem sunt, infinitæ hominum myriades, quas vix est numero comprehendere. Cæterum ad Esdram magna multitudo conuenit, tam sacerdotum, & Leuitarum, quam ianitorum, sacrorumq; vel cantorum, vel ministrorum.* Sic Iosephus.

XX. Quis eorum numerus, & ratio itineris.

NVMERVS eorum recensetur init. cap. 8. turmis duodecim mille quingenti quatuordecim, quibus paulo post additæ sunt tres turmæ, quæ efficiebant 261. omnes simul efficiebant 1775. Et hic quidem totus ad profectionem apparatus, ad ann. 6. Artaxerxis pertinet, cum profectio suscepta sit primo die primi mensis, *b* Imo & ipsam profectionem ad annum 6. Artaxerxis pertinere contendit Torniellus, quoniam anni Artaxerxis inchoabantur, non ab initio anni sacri, sed quinto post mense. Idque confirmat ex illis verbis, *& venerunt in Ierusalem mense quinto, ipse est annus septimus regis.* Idq; confirmatur ex eo, quod initium regni eius ponitur ab omnibus initio Olymp. 79. At Olympiacus annus ab æstiuo solstitio inchoabatur. Quia tamẽ nos anni Romani rationem potius habemus, quam annorum cuiusuis principis, ideo profectionem istam, licet magna ex parte anno sexto Artaxerxis factam fateamur, in annum sequentem reseruamus, qui & finem anni sexti continet, & principiũ 7. aut potius dimidiam partem vtriusq;. Prætertim cum Scriptura *c* dicat, filios Israel ascendisse an. 7. Artaxerxis regis.

b vt habetur c. 7. v. 9.

c c. 7. v. 7

XXI. Bellũ Atheniensium contra Æginetas.

INTEREA qui erant in patria Athenienses, partim à socijs, qui erant in Ægypto, sollicitabantur, vt par est credere pro auxilio, quod ad eos tarde venit, vt dicemus anno seq. partim graue contra Æginetas bellum gerebant, duce Atheniensium Leocrate, vt Diodorus tradit Olymp. 80. 2. & Thucyd. qui nullam belli causam profert. Diodorus autem ait Athenienses, nouis successibus confirmatos, cum Æginetas, rerum prius gestarum gloria tumefactos, alienis à se animis esse cernerent, bellum ipsis facere decreuisse. Per antiquum fuisse odium inter vtrumque populũ, alibi ex Herodoto relatum est, quod aduentu Xerxis in Græciam sopitum potius, quam extinctum, leui aliqua occasione renouatum est. Quod Thucyd. in hæc verba refert. *Postea vero* (vtique post nauale prælium ad Cecryphalæam, quod Diodorus quoque asserit) *bello aduersus Æginetas* (ea est insula è regione Athenarum, in medio Saronico sinu iuxta Salaminam, vbi Persæ nauali prælio à Græcis, ante annos 22. superati sunt,) *Ab Atheniensibus moto, magnum nauale prælium ad Æginam, inter Athenienses & Æginetas commissum est, & socij vtriusque affuerunt.*

ATHENIENSES CONTRA ÆGINETAS. Eius causa.

XXII. Vtrinque copiæ. Æginetæ vincuntur, & obsidentur.

HÆC scilicet causa fuit cur magnum esset bellum; & Diodorus affirmat magnam ab Atheniensibus contra eos classem fuisse missam: nec propterea Æginetas eorum potentiam extimuisse, naualium certaminum peritia, & gloria fretos. *Sed mediocri*, inquit, *triremium copia instructi, alijsque nuper ædificatis aucti, fortunam belli naualis experiuntur: victique 70. triremium iacturam faciunt.* Addit Thucyd. victores Athenienses in terram descendisse, & duce Leocrate vrbem obsidere cœpisse: nouem mensibus durasse obsidionem scribit Diodorus. Qua durante cum Peloponnesij, inquit Thucyd. opem Æginetis ferre vellent, trecentos grauis armaturæ milites, qui Corinthijs, & Epidaurijs auxilium ante tulerant, in Æginam transmiserunt. At quibus tamen cum obsidio non solueretur.

XXIII. Megarenses socij Atheniensium vexantur.

CONSILIVM inierunt Corinthij, ad abstrahendos ab Ægina Athenienses, eorum socios Megarenses bello vexare. Et Peloponnesij quidem summa iuga Geranææ occuparunt (montis inter Corinthum & Megaram,) Corinthij verò cum socijs in agrum Megarensem descenderunt, quod Athenienses, propter absentiam magnarum copiarum, quæ partim in Ægina, partim etiam in Ægypto erant, Megarensibus opem ferre non posse existimarent: quod si opem illis ferrent, ipsos ex Ægina motis castris discessuros. Sic Thucyd. Ex quibus animaduertet lector, nostram ordinationem rerum hoc tempore gestarum multipliciter confirmari, Diodorum autem confusionis argui, dum minus attendit narrationi Thucydidis, concisæ simul, & subobscuræ.

XXIV. Ea ab Atheniensib. succurritur.

PERGIT autem huius Megarensis prælij exitum explicare: quomodo, scilicet Athenienses non propterea Æginensem obsidionem soluerint, vt sperabant Corinthij: & nihilominus ex reliquis, qui Athenis erant, inquit, tam seniores quam iuniores Megara se contulerunt duce Myronide, & pugna æquo marte cum Corinthijs commissa, alteri ab alteris dirempti sunt, & vtriq; non deteriore conditione rem in prælio à se gestam existimarũt. Athenienses tamen qui longe superiores fuerant, post Corinthiorum discessum, trophæum statuerunt quasi victores. Corinthij vero quia probrosis vocibus carpebantur à senioribus, qui in vrbe erant, duodecim ferme dieb. post, instructi venerũt, & trophæũ è regione alterius, ipsi quoq; tanquam victores statuere volebant. Sed Athenienses clamore sublato, & eruptione Megaris facta, & illos, qui trophæum erigebant, interfecerunt, & cum cæteris congressi eos superarunt, quædam autem eorum non exigua pars, in arctum inclusa locum, lapidibus obruta est: quæ Thucydides paulo pluribus, præter morem suum, persequitur.

Et vincuntur Corinthij.

Æginetæ igitur desperato auxilio Atheniensibus se dediderunt, vt scribit Diodor. & Thucyd. sed deditio in sequentem annum cadit, quoniam autore eodem Thucyd. ea secuta est geminum prælium Atheniensium, contra Lacedæmonios in Bœotia, quæ ad sequentem annum pertinent.

XXV. Noui Consules Romæ.

GEMINATI sunt hoc anno non sublati Romæ tumultus, quoniam ijdem Tribuni pl. retinuerunt Magistratum suum, nec peruicaciam deposuere. Noui autem creati sunt Coss. P. Valerius Publicola, & C. Claudius Sabinus, ille filius fuit Publicolæ, qui primo anno Consul fuit, hic Appii Claud. filius, & App. Claudii postea decemuiri pater, plebi patrio, atq; auito more infensus. His Consulibus periculum quale nunquam ante, ab externis gentib. in vrbẽ

incu-

incubuit, per intestinas seditiones intra mœnia adscitum, vt & Sibyllini libri præmonebant, & signa diuinitus edita superiori anno portenderant. Tribuni autem per fraudem & calumniam aggressi sunt à Consulibus & Patricijs Rogationem extorquere.

XXVI. *Fraus, & calumnia Tribunorum.* FINXERVNT literas quibus monerentur de coniuratione contra se, & Plebem: easque Consulibus & Senatui communicarunt, postulantes dari sibi potestatem inquirendi in coniuratos, qui duce Cæsone Quintio exule, Rempub. cædibus, & rapinis, tyrannicum in morem, repleturi erant adiunctis secum Æquorum, Volscorumque copijs. Certi Senatum non negaturum inquisitionem, ne creditæ coniurationis particeps esse videatur, & sic à furente plebe opprimatur: neque eam Tribunis negaturum, ne si alios proferant, Res ipsis, aut eorum amicis, vtique præuaricaturis, potestatem de proprio facinore inquirendi fecisse videantur. Quod si Tribunis ipsis ea potestas detur, facile eis fore inimicos suos omnes, calumnijs oneratos, falsisq; conuictos testibus, perdere. Itaque in maximam consilij inopiam coniectus est Senatus: quippe qui intelligeret, nō minus esse periculi in concedenda inquisitione, quam neganda. At Claudius Consul subodoratus fictam coniurationem, eam graui oratione, coram patribus ac plebe exagitauit, atque discussit. *A Claudio discussa.*

XXVII. *Herdonius Capitolium occupat.* IN tam perturbato ciuitatis statu Ap. Herdonius Sabinus, vir domi nobilis, & opulentus, Romam inuadere aggressus est, & communicato cum amicis consilio, ex clientibus, & seruis, breui confecit 4. hominum millia, eosque armis, & commeatibus bene instructos, in naues fluuiales imposuit: cum quibus intempesta nocte appulit ad ripam Capitolio proximam: vbi exscensione facta per portam Cementinam, occupauit Capitolium, arcemq; contiguā, ratus in vrbis seditione multos ad eum obæratos, inopes, seruos confluxuros, nec facile alteros alteris opem laturos propter intestinas discordias. Aut eo conatu non succedēte, aliquos de vicinis gentibus, quibus graue esset Romanum imperium euocaturum. Sed spe sua penitus falsus est: quod nemo Romanorum ad eum se aggregarit, & externis auxilijs temporis breuitate exclusus sit. Triduo enim quatriduoue res in integrum restituta est, populusque Romanus maximo tumultu, periculoque liberatus respirauit.

XXVIII. *Romani ad arma concurrunt.* NAM illa ipsa nocte clamore coorto, tota vrbe ad arma concursum est. Prima vero luce vbi res cognita est, & Consules ad arma populum vocauerunt, quem nihilominus Tribuni hortabantur ne militiæ darent nomen, nisi sub promissione, fore vt bello finito decemuiri legibus ferendis crearentur. Hic Claudius censuit nihil promittēdum, irent potius optimates ipsi ad hanc oppugnationem cum clientibus suis, & sponte militantibus, seruitia etiam armarent, & socios aduocarent si necesse foret. At Collega mitior fuit, admonens cedendum tempori. Itaq; conscio & approbante Senatu, promisit quod petebatur, sed in oppugnatione arcis occisus, promissis stare non potuit. In ea oppugnatione Romani ex superiore loco in angustijs scādentes, facile opprimebantur. Tandem tamen arx vi capta est, Herdonius, multa edita circa se strage, telis obrutus perijt: socii, vltro accersita morte, pleriq; omnes interierūt. *Vna consulum occisus est in oppugnatione Herdonio perit.*

XXIX. *Sufficitur Collega in locum demortui.* FINITO hoc bello, siue latrocinio, statim Tribuni seditionem reuocarunt: sed Consul post alias tergiuersationes, opus dixit altero Consule, qui in locum defuncti subrogaretur, nec se posse quicquam, nisi vna cum Collega, pro potestate agere. Itaque diem indixit comitiis subrogandi collegæ. Omnium suffragiis renunciatus est Consul L. Quintius, pater Cæsonis Quintii, quem Tribuni, metu damnationis, vrbem deserere coegerant. Is à Senatu ex agro, dum erat euocatus, nō sine querela rus deseruit. Quā primum autem magistratum iniit, Tribunos à nouis legib. ferendis compescuit, hac vna denunciatione, abducturū se omnes ciues in Volscos in militiam ni quiescerent. Itaq; metu laborum territi, sese Consuli dediderunt: qui causas multas diiudicauit ex æquo & bono, cum omnium satisfactione, quippe comis, & aditu facilis, tota die pro tribunali sedebat: adeo vt plebei Tribunos non requirerent, & contenti præsentibus nouas leges non desiderarent. *Tribunos compescit.* *Tibi satis facit.*

PER hæc negotia magna cum laude magistratu exacto, maiorem etiam meruit, quod in eo retineri noluit, quamuis multum rogante Senatu, vt esset qui opponeretur Tribunis, tertium iam annum in eodem magistratu permanentibus: quod cum ipse in Tribunis improbaret, negauit se admissurum, vt in similem reprehensionem ipse incideret. Multumque pro concione inuectus in eos, qui magistratu finito non decederent, persancte iurauit non accepturum se consulatum, nisi priore deposito: simulq; diem indixit comitiis, & designatis Coss. in suum se tuguriolum ac pristinum vitæ laborem recepit. *THESAVRVS SACERDOTIO COMMITTITVR.* XXX. *Aliud exemplum Senatui.*

ANNVS MVNDI 3596. SEXTÆ ÆTATIS 80. Artaxerxis 7. Imperii Pers. 80. Esdræ 2. Eliasib. Pont. 7. Olymp. LXXX. An. 3. Archonte Bione. Vrb. C. 295. Coss. Q. Fab. Vibul. III. & L. Corn. Maluginensi.

ANNVS ANTE CHRISTVM 457.

CELEBERRIMVS est hic annus Esdræ profectione Hierosolymitana, solemni ac publico vxorum alienigenarum repudio, & vt quibusdā placet, Danielis hebdomadarum initio: atque Estheris cum Artaxerxe nuptiis. Eodem Persæ pulsis tandem Atheniensibus, Ægyptum sexto à defectione anno recipiunt; nequicquam alijs Atheniensibus eis suppetias cum quinquaginta triremibus ferentibus. Iidem contra Lacedæmonios, occasione certaminis inter Phocenses, & Dorienses, in Bœotia semel iterumque confligunt: & Æginetas deditione recipiunt, & Lacedæmonios, Corinthios, Sicyonios, eodem quasi cursu victoriæ, variis damnis afficiunt. Deniq; Romani contra vicinos populos de more decertabāt. Hæc summa rerū anni huius, quas ab Esdrę peregrinatione auspicabimur. I. *Summa rerum anni huius.* 1. Esdr. 8. 9.

CONVENERANT Babylonem Israeliticæ turmæ quas diximus, & profectioni diem primum primi mensis anni sacri indixerant, cum interim omnia ad profectionem pararentur, Esdras cum primoribus gentis suæ, qui se ad iter accingebant, Regem Artaxerxem valedicturi adeunt, gratiasque de tanta eius beneuolentia, & beneficus acturi. Et licet eum etiam tum admodum erga se propensum Esdras cerneret. Erubuit tamen petere ab eo auxiliares copias, & equites, qui defenderent eos ab inimicis in via. Quamuis Darius Hystaspis dedisset ante annos 62. olim Zorobabeli & iis qui cum eo proficiscebantur, mille equites, qui eos Hierosolymam vsque deducerent. Puduit nihilominus Esdram auxilia equitum bellatorum petere, quamuis ea facile fuisset impetraturus; ne Rex eam postulationē diffidentiam diuini auxilii interpretaretur, *Quia dixeramus Regi*, inquit, *Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate, & imperium eius, & furor super omnes qui derelinquunt eum.* Quoniam in apostatas, vt maioris multo criminis reos, Deus magis indignatur, quam in reliquos infideles, qui nunquam fidem complexi sunt. Nam, vt ait princeps Apostolorum. *a* Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti. II. *Esdras non vult regis militares copias.* 1. Esdr. 8. 2 *a* 2. Petr. 2. 21.

PRIMO ergo die mensis primi, qui Nisan dicitur, cœpit Esdras cum suis ascendere de Babylone, & congregari iussit omnes *ad fluuium, qui decurrit ad Ahaua.* Hunc fluuium Septuaginta Xysti vocant Theran, Iosephus Euphratem, qui tamen Hebræis Perath dicitur, non Theran aut Ahaua, vel certe Nehar, quod nomen licet fluuium vniuerse significet, per emphasim tamen aut Euphratem, aut Iordanem significat. III. *Congregat suos ad fluuium.* v. 15

Sed Pergit Esdr. *b* ibid. *Et mansimus ibi trib. diebus, quæsiuiq; in populo*, totius scil. multitudinis cōgregatæ, *& in Sacerdotib. de filijs Leui, & non inueni ibi*, qui scil. non essent Sacerdotes, sed tantū Leuitæ. Itaq; nolens sine ipsis discedere, misit aliquot de viris primariis ad quendā Eddo Nathinæum, qui præpositus erat Calphiæ loco munitissimo, cum mādatis, vt eius opera *ministros domus Dei*, Leuitas scilicet & Nathinæos obtinere possent, nec frustra: nam duas turmas Leuitarum, & tertiam Nathinæorum secum adduxerunt. *Euocat Leuitas* *b* c. 8. 15.

HIS omnibus intra triduum congregatis, indixit Esdras omni-

omnibus ieiunium iuxta fluuium Ahaua, vt affligeremur, inquit, *coram Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis, & filijs nostris, & vniuersæ substantiæ nostræ.* Videtur autem fuisse octo dierum ieiunium, & inchoasse statim post illud triduum: nam duodecimo die progredi cœperunt, vt infra *a* dicitur. Dicat aliquis, imprudenter susceptum ieiunium in procinctu tam longinqui itineris. At Esdras Deo acceptum fuisse refert ieiunium, & ei coniunctam orationem.

IV. Ieiunium in aſſiduum indixit. *a* v. 21. *a* v. 31.

Ieiunauimus, inquit, *& rogauimus Deum nostrum pro hoc*, vt scilicet esset nobis dux & comes itineris, *& euenit nobis prosperè.*

V. Pondus auri & argenti delati Hierosolymam.

Porro intra hoc ieiunij dies, separauit Esdras de principibus sacerdotum duodecim, appendit que eis argentum & aurum, & vasa consecrata templo Domini, quæ obtulerat Rex, & consiliarij eius, & principes populi eius, & vniuersi Israelitæ, qui in his alienigenarum terris inuenti sunt. *Et appendi*, inquit, *in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, & vasa argentea centum*, scilicet talentorum, vt in Hebræo, & 70. exprimitur, & in Iosepho, *b auri centum talenta: c* Nam singula talenta æstimantur, 12500. aureis, *& crateres aureos viginti*, supple talentorum, vt est expressum à Iosepho, in Hebræo autem & Græco, ex præcedenti repetitur, *qui habebant solidos millenos*, id est, drachmarum mille, vt in Hebræo: nam in Græco pondus hoc prætermissum est. Quod si vasa singula pondus habebant mille drachmarum ex 20. talentis conflari poterant crateres aurei 240 Nam in singulis talentis, duodecim millia drachmarum reperiuntur. Deniq, *vasa æris fulgentis optimi duo*, scilicet talenta: eadem enim vox iterum in Hebræo & Latino subintelligitur. In Græco legitur vasa duodecim, ait Iosephus habet duodecim talentorum: sed in Latino & Hebræo textu standum est.

b id est 4250000. aurei. *c* id est 125000.

VI. Æs nobilissimum. *d* I. R. c. 6. *e* lib. 34.

Adoitqvs id æs fuisse auro melius, quod nec in Hebræo, neq; in Græco legitur, sed tantum specie, & colore aurum retulisse, sic *d* alio in loco ait Mare æneum conflatũ ex ære, quod auro pretiosius habitum sit: vbi, sicut & hoc loco, videtur allusisse ad æs Corinthium, de quo Plinius *e* ait precium eius ante argentum fuisse, ac pene etiam ante aurum: & cap. x. ait ex fortuita Corinthij deflagratione æs Corinthium laudatissimum ortum esse. Verum si aurum omnium metallorum nobilissimum est, vt communis est sensus omnium, fieri nequit vt vllum æs, quacumq; tandem metallorum commixtione confletur, ad auri valorem, aut bonitatem accedat: etsi forte pulchritudine superare possit: sed neque æs vllum fossile, siue illud aurichalcum dicamus, siue deliacum æs, cuius antiquissimam fuisse gloriam Plinius scribit, proximam autem Æginetici, siue Tartessiaci, cui maximam laudem tribuit Pausanias in Eliacis.

VII. Tradit curam custodiæ Sacerdotum.

Cvm ergo Esdras hæc omnia donaria duodecim illis sacerdotibus asseruanda traderet, dixit eis, *Vos sancti Domini, & vasa sancta, & argentum, & aurum, quod sponte oblatũ est, Domino Deo patrũ nostrorum, vigilate & custodite, donec appendatis coram principib. Sacerdotum & Leuitarum, & ducibus familiarum Israel in Ierusalem, in thesaurum domus Domini.* Voluit nimirũ illos obnoxios esse reddendæ rationi: cõtra quam fecerant olim Ioas *f* & Iosias. *g Susceperunt autem Sacerdotes, & Leuitæ pondus argenti, & auri, & vasorum, vt deferrent Ierusalem in domũ Dei nostri.* Ex quibus apparet, hæc omnia consecrata fuisse Domino, nec quicquam prophanis vsibus fuisse destinatum; quod dico, propter eos, qui putant magnam huius pecuniæ partem cõstruendis muris Hierusalem impẽsam fuisse: cum tamen Esdras dicat non solum vasa, sed aurum quoq; & argentum sancta fuisse, & sponte oblata Deo. Nec erat alioqui cur soli Sacerdotes fierent huius pecuniæ Quæstores, & solis Sacerdotibus & Leuitis Hierosolymis traderetur.

f 4. Reg. 12. 15. *g* 4. Reg. 22. 07.

VIII Quo anni tempore in viam profecti. v. 31

Pergit Esdras *Promouimus ergo à flumine Ahaua duodecimo die mensis primi. vt pergeremus Ierusalem, & manus Dei nostri fuit super nos, & liberauit nos de manu inimici, & insidiatoris in via.* Singularem quoq; numerum habet Hebræus, Græcusq; textus, nec tamen vnum aliquem inimicum designat, aut insidiatorẽ, sed vniuerse omnes hostes & prædones intelligit, quo modo & quidam verterunt. Et venimus Ierusalẽ, primo nimirũ die mensis quinti, vt dictum est supra. *h* Ex quo aperte patet totos menses quatuor in itinere positos, sed multi quietis dies hinc eximẽdi sunt, præter prædictos dies vndecim. Nam festum Paschæ, & Pentecostes, & multa sabbata interuenerunt, in quibus Iudæos quietem egisse, Esdra scilicet ductore viro sanctissimo, & legisperitissimo, simul atque obseruantissimo, dubitandum non est.

h c. 7. v. 9.

IX Sacrificant Hierosolymis redditur sacra supellex.

Vbi Hierosolymã peruenerunt, trib. dieb. quieti, & amicorũ congratulationi datis. Quarta die, inquit Esdras, appensum est *argentũ, & aurũ, & vasa in domo Dei nostri per manũ Meremoth filij Vriæ sacerdotis, & cum eo Eleazar filius Phinees*, & mox, *iuxta numerũ & pondus omniũ: descriptumq; est omne pondus in tempore illo. Sed & qui venerant de captiuitate filij transmigrationis obtulerunt holocaustomata Deo Israel vitulos duodecim pro omni populo Israel, arietes 96. agnos 77. Hircos pro peccato 12. omnia in holocaustum Domino.* Reus est hoc loco Iosephus imminuti sacrificij Domini. Holocausto enim eripuit arietes 96. quos fideliter, vt in Hebræo reperierant, & adhuc 96 secus quam in Latino reperiuntur, Septuaginta conseruarant: sed nec in agnis fidelis fuit. Nam pro 77. ipse arietes simul & agnos posuit septuaginta duos.

Regis decreta Satrapis annunciantur.

Peractis sacrificijs tradita sunt *edicta Regis* Artaxerxis *Satrapis, qui erant in conspectu Regis* (quando scilicet in aula versabantur in Perside) *& ducibus trans flumen.* Septu. vocãt eos subregulos Cœlesyriæ, & Phœnices: Ioseph. præfectos Syriæ, & Phœnices, *qui eleuauerunt populum, & domum Dei*, id est, exaltarunt, & fauore prosecuti sunt. *Omni honore*, ait Iosephus, *gentem nostram prosecuti sunt, & in omnibus necessitatibus ei fuerunt auxilio.*

X. Malachiæ querela de sacrificiis.

Cæterum quod ad prædicta sacrificia, quæ obtulerunt Domino, qui recens cum Esdra, vt notat Vatablus, Hierosolymam transmigrarant, occasionem querelarum Domino per prophetam Malachiam præbuerunt. Nam vt scribit D. Hieronymus in eundem prophetam, *i Reuersi de Babylone Sacerdotes, & Leuitæ, ianitores, atq; cantores, & Nathinæi, quorum Esdras scribit catalogum, illicitas Deo victimas offerebant, cæcas videlicet & claudas, ac varia debilitate confectas.* Sic ipse, quæ non ad eos tantum pertinere videntur, qui recens venerant, & prima eorum sacrificia: sed ad eos in primis, qui iam erant Hierosolymis, & sub Dario Hystaspis redierant, & diuina sacrificia valde negligenter peragebant, vt idem etiam Hieron. alibi sentit. *k Loquitur*, inquit, *ad eos qui sub Zorobabel, & Iesu filio Iosedech, & Esdra sacerdote, & Nehemia de captiuitate Babylonica sunt reuersi, extructoq; altari necdum templum ædificauerant, nec muros extruxerant ciuitatis, & nihilominus in peccata pristina permanebant.* Vbi vides D. Hieronymum tria, vel quatuor tempora comprehendere, Cyri, quando altare extructum est, & inchoata fundamenta templi: Darij, quo regnante templum quadriennio extructum est: & Artaxerxis, qui Esdram an. 7. regni sui, & Nehemiam 20. Hierusolymam dimisit.

i in c. 1. v. 8. *k* in c. 2. v. 6.

XI. Prophetæ artificium.

Vt autem prophetica obiurgatio maiore cum fructu acciperetur ab ijs, qui in culpa erant, eorum sibi beneuolentiam conciliat, cum se eos dilexisse dicit. Amor enim amoris est parens: suum autem amorem à contrario odio in Esau, & eius posteros Idumæos demonstrat; quib. regionem dederit ad habitandum, non lacte & melle manantẽ, sed horridam, saxosam & asperam: & quam insuper destructurus sit, & positurus diuinæ vindictæ perpetuum monumentum. Cum Israelitæ, licet propter sua peccata destructi fuerint, nunc placato in ipsos Deo restaurentur. Inde incipit querelam suam Dominus, *Filius*, inquit, *honorat patrem, & seruus Dominum suum: si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? Et si Dominus ego sum, vbi est timor meus?*

XII. Panis Iudæorum pollutus.

Non timuri autem se, nec amari, imo & despici probat, *Offertis*, inquit, *super altare meum*, id est, mensam propositionum, *panem pollutum*, panes videlicet propositionis, inquit Hieronymus, quos iuxta traditiones Hebræas, ipsi serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebatis: & nunc sumitis quoscunque de medio, & voce temeraria respondetis, & dicitis, in quo polluimus eos, siue te? dum enim sacramenta violantur ipse cuius sunt sacramenta violatur. Ita Hieronymus. Pollutum etiam alij non male interpretantur,

tantur, offerentis peccato contaminatum. Dicatur etiam panis pollutus, comparatione alterius, cuius hic erat figura, modis omnibus sanctioris, de quo mox locuturus est; quem quotidie celebramus hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternę & calicem salutis perpetuæ. Acceptum Deo, super munera pueri sui iusti Abel, & sacrificiũ patriarchę nostræ Abrahę.

XIII. *Et victimæ reprobæ.* Altera querela de victimis, neq; diuina lege, neq; ratione ipsa probatis. *Si offeratis*, inquit, id est cum offeratis, *cæcum* (animal) *ad immolandum nonne malum est?* & cum offeratis *claudum & languidum nonne malum est?* quomodo ergo non contemnitis me? *Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Et tamen imprudenter vultis suscipi faciem vestram à me, & propitium fieri muneribus vestris: quæ non solum Deo, sed etiã homine indigna sint: cum tamen ratio postulet, vt munera quæ sunt indicia amoris, & beneuolentiæ, aut subiectionis præstantissima sint: & munera facta Deo optimo maximo, sint omnium optima, pulcherrima, selectissima. Huc quoque pertinent extrema illa verba cap. *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino, quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus.*

XIV. *Quos minus utiles immolantur.* Qvadrare videtur eadem obiurgatio in parentes, qui de pluribus liberis eligunt deterrimum, quem offerant Deo, *omnium peripsema vsq; adhuc*: si tamen offerunt Deo, & non eijciunt à se, ad subleuandam domũ, & reliquos fratres, aut sorores locupletandas. Porro hunc ducem Zorobabelem fuisse significat D. Hieronymus, & Gaspar Sanctius, & affirmat Ribera: quod sine dubio tempus non patitur. Non enim potuit Zorobabel ad 7. Artaxerxis Longimani peruenire, quin in eo ducatu 80. annos traduxerit, quod absurdum est, nec ab vllo affirmatum. Ipsummet Esdram potius intelligi arbitror, qui à Rege acceperat potestatem constituendi in Iudæo *Iudices & Præsides, qui iudicarent omni populo*; quod sine dubio munus est præfecti prouinciæ.

XV. *Ingratitudo Iudaica.* Tertio queritur de ingratitudine. *Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito?* ligna videlicet igni fouendo adhibeat, sine vllo laboris istius emolumento? Hæc querela huic tempori admodum congrua est; quo liberalitate Artaxerxis tot munera, tot vasa preciosa, tot auri, argentique talenta offerebantur Deo; tot sacrificia, tantum frumenti, vini, olei, salis, quæ in vtilitatem sacerdotum, & Leuitarum cedebant. Adde tributorum immunitatem, & honorem, quo ab omnibus, & præ omnibus afficiebantur. Itaq; indignans Dominus subdit. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiã de manu vestra. Ab ortu enim solis, vsq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Hæc est clarissima prophetia de sacrosancto Missæ sacrificio, & incruenta immaculati agni oblatione, quam sibi longe acceptissimam fore significat, per antithesim, cum abrogatione Leuiticorum sacrificiorum, immundorum propter offerentium immunditiam præsentem: quæ tamen Hierosolymis tantum, & non ab ortu Solis ad occasum, & in omni loco offerri poterant. Quod autem propheta præsenti vtitur non futuro, prophetarum more facit, ad demonstrandam rei futuræ certitudinem; quæ tam certo futura est, ac si iam res præsens esset, vt euentus ipse docuit, & docebit vsque ad consummationem seculi. Nunc ad reliqua Esdræ, quæ ad hunc annum pertinere noscuntur, transeamus.

XVI. Ea scilicet, quæ ad vxorium negotium pertinebant, quæ in fine anni gesta prodit scriptura, nec apparet, cur silentium seruatum fuisse dicamus. Præsertim cum hæc vna esset de præcipuis causis aduentus eius, vt corrigeret, quæ deprauata erant in populo, circa legem Dei. *Postquam* ergo *completa sunt* Hierosolymis ab Esdra, quæ magis vrgere videbantur, quæque ad templum ipsum spectabant: vbi cognitum est quanto ille zelo diuinæ legis præditus esset, & quanta potestate, ex Regis Artaxerxis voluntate pollerei, accesserunt ad eum principes populi, & sacerdotum, in quibus Eliasib pontificem, si quo eum zelo præditum putamus, numerare possumus, dixeruntq; ad Esdram, vt c. 9. primi lib. scriptum legimus. a *Non est separatus populus Israel, Sacerdotes, & Leuitæ à populis terrarum, & abominationibus eorum: Chananæi videlicet, & Hethæi, & Pherezæi, & Iebusæi, & Ammonitarum, & Moabitarum, & Ægyptiorum, & Amorrhæorum. Tulerunt enim de filiabus eorum sibi, & filijs suis, & commiscuerunt semen sanctum, cum populis terrarum. Manus etiam principum, & magistratuum fuit in transmigratione hac prima.*

XVII. *Culpa in primis ...* Vox, prima, ad manum pertinet, non ad transgressionẽ. Ait enim principes populi, & magistratus, primos omniũ hoc delicti genere legem Dei violasse, & reliquo populo scandalo fuisse, vt eadem auderent, quæ à maioribus suis viderent attentata. Ex quo reprehẽdendus esset Iosephus, b si hanc culpam quorundam tantum è vulgo Sacerdotum & Leuitarum fuisse diceret, qui ductis alienigenis vxoribus ordinem sacerdotalem confudissent. Verum hæc non est Iosephi culpa, sed interpretis. Nam Iosephus in Græco textu habet delatam ad Esdram accusationem, quod quidam è plebe, & ex Sacerdotibus, & Leuitis, patria instituta violassent. Et reuera ipsemet paulo post fatetur primores populi deprehensos in tali crimine. Idque ex Scriptura apertum est. Nam ex textu constat primum principes & magistratus, Sacerdotes deinde ac Leuitas, deniq; populũ Israel, vulgum scilicet & plebem, huius culpæ participes fuisse. Nam pro paucnlis Leuitis quid opus erat tantos fieri motus, quantos mox scriptura commemorat? facile erat sine vllo strepitu eorum connubia disiungere, & reos debito afficere supplicio. At Clero, Nobilitate, Plebe, istis illegitimis coniugijs implicatis, magnis omnino animis, atque viribus & contentione opus fuit. Deniq; capite decimo centum tredecim huius culpæ rei recensentur, è Sacerdotibus, Leuitis, & reliquo toto populo.

XVIII. *Magnus Esdræ ...* Cvmqve audissem sermonem istum *scidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei & barbæ, & sedi mœrens.* Iosephus ait eum se humi prostrauisse, sed nihil mutandum. Sedere enim attonitum, & gemebundum Principẽ populi, in templi atrio, quo Israelitæ omnes confluebant, scissis vestibus, barba & cæsarie ex parte euulsa, sat magnũ habuit momentum, ad labefactandos animos populi spectatoris. *Itaq; conuenerunt*, inquit, *ad me omnes, qui timebant verbum Dei Israel, pro transgressione eorum, qui de captiuitate venerant*, tam sub Dario, quam sub Artaxerxe. Nam qui sub Cyro iam fere defuncti erant; cum hic sit annus 80. à soluta primum captiuitate, sed peregit. *Et ego sedebam tristis vsque ad sacrificium vespertinum*, crebra est huius sacrificij mentio in scriptura, quod sub horam vespertinam fiebat, iuxta præceptum Domini. c *Hoc est quod facies*, inquit, *in altari, agnos anniculos duos, per singulos dies iugiter, vnum agnum mane, & alterum vespere &c.*

XIX. *Eius ad Deũ oratio.* Et *in sacrificio vespertino surrexi*, inquit, *de afflictione mea, & scisso pallio, & tunica curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum, & dixi. Deus meus confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsq; ad cœlum, à dieb. patrũ nostrorũ sed & nos ipsi peccauimus granuiter vsq; ad diẽ hanc: & in iniquitatib. nostris traditi sumus ipsi, & reges nostri, & sacerdotes nostri in manum regum terrarum, & in gladiũ, & in captiuitatem, & in rapinam, & in confusionẽ vultus, sicut & die hac. Et nunc quasi parũ, & ad momentũ facta est deprecatio nostra apud Dominũ Deum nostrũ.* Significat sibi datum à Deo quoddam quasi lucidum interuallum breue in medijs afflictionibus, ne plane consumerentur, *sed vt dimitterentur*, inquit, *nobis reliquiæ, & daretur nobis paxillus in loco sancto eius.* Id est firma habitatio, quæ tam multis annis superiorib. incõstans fuit. Paxillum aũt vocat baculum, quo firmantur gressus. Tigurina maluit vertere clauum, quo scilicet firmantur naues, in 70. legimus radicem; qua plantæ firmiter consistunt. Sed quare non retineatur eadem ipsa Prophetæ metaphora? Quod autem in aliquibus vulgatis legitur, *paxillus*, pro paxillo mendosum est, redeo ad Esdram.

XX. *Agnoscit Dei in populum misericordiam.* Et illuminaret oculos nostros Devs noster, & daret nobis vitam modicam in seruitute nostra: quia serui sumus, & in seruitute nostra, nou-

a 1. Esdr. 9.
b 11. c. 5.
Tum caeteri ...
c Exod. 29. 31.

non dereliquit nos Deus noster, sed inclinauit super nos misericordiam coram Rege Persarum, vt daret nobis vitã, & sublimaret domum Dei nostri: tot pecunijs ad sacrificia, & omnem eius cultum destinandis. Quanquam cũ iampridem domus Dei, id est, templum restauratum esset, domus Dei accipi posset pro populo, siue familia quam sibi peculiariter Deus elegit, & suam esse voluit: sicut passim domus Dauid, & domus Iacob, & domus Saul vsurpatur. Neque obstat quod subditur, *& extrueret solitudines eius*: eadem enim figura dicitur Deus ædificasse domos obstetricibus. Deniq; *daret nobis sepem in Iuda, & Ierusalem*. Hanc sepem Tigurina interpretatur murum, quem scilicet Iudæi, quasi furtim Hierosolymis hinc inde extruxerant: sed qui vilis esset, & infirmus, vt hortorum, aut vinearum sepes.

XXI. *Confitetur peccatũ illegitimorum connubiorũ. a 1. Esd. 9. 14.*

PERGIT a deinceps Esdras confiteri Domino generale hoc connubiorum illegitimorum peccatum, ob quod mererentur iterum exterminari de terra sancta. Id enim significant illa verba. *Nunquid iratus es nobis vsq; ad consummationẽ, ne dimitteres nobis reliquias ad salutem?* id est, An nõ merito irasceris contra nos, donec nos consumas, ita vt neq; reliquiæ supersint, nec qui euadant: *Domine Deus Israel iustus es tu*, in eo quod tam multos Israelitas propter peccata sua perdideris, sed & nihilominus, *quoniam derelicti sumus qui saluaremur*, & essemus hodie superstites. *Ecce coram te sumus in delicto nostro, non enim stari potest coram te super hoc*, quasi ad iustificandam, aut negandam culpam hanc in conspectu tuo: neutrũ enim fieri potest, quin non solũ rei, sed impudẽtes etiam rei, & omni misericordia indigni merito diceremur.

XXII. *Colliguntur ad Esdram populi, & cũ eo lugent. b c. 10. 1. c v. 6. d Ioel. 2. 17.*

SIC b ergo orante Esdra, & implorante eo, & flente, & iacente ante templum Dei, in atrio scilicet Israelis, vbi congregari potuit populus, quod confirmant 70. Nam infra, vbi nos legimus. *Et surrexit Esdras ante domum Dei*, c in Græco est. *Et exurgẽs Esdras ab atrio templi*, alioqui enim cum esset sacerdos, inter vestibulum & altare orasset, iuxta illud. d *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent, Parce Domine, parce populo tuo &c. Collectus est* ergo ad Esdram *de Israel cœtus grandis nimis virorum & mulierum, & puerorum, & fleuit populus fletu multo*. Et forte pleriq; fletus causam adhuc ignorabant: sed tanti Sacerdotis, & Principis populi lacrymæ, viros, ac mulieres in primis, ad lacrymas excitabant. Facile enim sibi persuadebant magnam aliquam, ac publicam subesse causam lacrymarum: pueris autem parentum lacrymæ, magis quam ipsa verbera, fletus, & clamores eliciebant.

XXIII. *Sechenias adit Esdram super hoc negotio.*

ET *respondit Sechenias filius Iehiel de filijs Aelam, & dixit Esdræ. Nos præuaricati sumus in Deum nostrum, & duximus vxores alienigenas de populis terræ.* Vel iste Sechenias non tam suo, quam populi nomine loquitur hoc loco, vel prætermissus est infra in catalogo eorum, qui duxerunt profanas vxores. In filijs enim Ælam inueniuntur tantum Mathania, Zacharias, Addi, Ierimoth, Elia, & Iehiel; qui si fuit huius Secheniæ pater, dicendum est eum alteram simul habuisse vxorem legitimam, ex qua natus sit ille Sechenias, alioqui ipse contra se ferret sententiam, cum mox dicet non solum alienigenas vxores, sed & eos, qui de his nati erant esse expellendos. Videamus autem quid consilij dat Esdræ. *Et nunc*, ait, *si est pœnitentia in Israel super hoc*, id est, quoniam datur locus pœnitentiæ; sic enim illud, si interpretandum esse constat ex Hebræo, & Græco, in quibus spes veniæ sine vlla dubitatione affirmatur.

XXIV. *Ex eius sententia Deo committitur iusiurandum.*

PERCVTIAMVS, inquit, *fœdus cum Domino Deo nostro, vt proijciamus vniuersas vxores, & eos qui de his nati sunt, iuxta voluntatem Domini, & eorum qui timent præceptum Domini Dei nostri: secundum legem fiat.* Est ergo Sechenias author Esdræ, vt populus voto se obliget Deo, ad repudiandas profanas vxores, & earum filios, quatenus id à lege requiritur: & addit. *Surge, tuum est decernere, nos q; erimus tecum, confortare & fac.* Ex quibus etiam verbis intelligi potest administrationẽ Reip. tunc penes Esdram fuisse Pontifice, vt apparet, quiescente. *Surrexit ergo Esdras, & adiurauit principes Sacerdotum, Leuitarum, & omnem Israel, vt facerent secundum verbum hoc, & iurauerunt*, nimirum ad firmius roborandam promissionẽ factam Deo. *Et surrexit Esdras ante domum Dei*, id est, à conspectu templi, & profectus est ad cubiculum Iohanan filij Eliasib. Non erat fortasse hic Eliasib pontifex, sed eius synonymus. Nam Eliasib filius pontificis dictus est Ioiada e nisi dicamus hunc Iohanan fuisse secundo, vel tertio genitum eius: quod videtur probabilius.

XXV. *Esdras rediti commendat in triduum. e Vide habe 2. Esd. 12. 10.*

ET *ingressus est illuc, panem non comedit, & aquam non bibit: lugebat enim transgressionem eorum, qui venerant ex captiuitate*. Quoniam vero non satis est principem mala populi lugere coram Deo, sed oportet pro potestate sibi tradita, ijt adhibere remedium, inde iubet eõuenire omnes intra triduum. Id illa verba significant. *Et missa est vox*, scilicet et præconis; *in Iuda & in Ierusalem omnibus filijs transmigrationis, vt congregarentur in Ierusalem, & omnis qui non venerit in tribus diebus*. Septuaginta habent, *intra biduum vel triduum*, sicut & Iosephus, qui eos passim sequitur, Hebræis codicibus inconsultis. Fit autem edictum hoc *iuxta consilium*, id est, præceptum, & quidem non nudum, sed cum interminatione pœnæ: in 70. est, *secundum iudicium principum, & seniorum*, siue præsidentium seniorum, quod ad Esdræ modestiam pertinet, qui se ducem populi profiteri nolit, & onere concordis, honorem repudiet. Habuit autem ius infligendi supplicij, etiam capitalis, vt patet ex decreto Artaxerxis. Ergo, qui intra præscriptum tempus non venerit, minatur fore, vt *auferatur vniuersa substantia eius, & ipse abijciatur de cœtu transmigrationis*, quod fuit mulctatum bonis omnibus, in exilium mitti.

Sub pœna proposita.

1. Esd. 7. 26.

XXVI. *Conueniunt in platea templi. C. 10. v. 9.*

CONVENERVNT *igitur omnes viri Iuda, & Beniamin in Ierusalem tribus diebus, ipse est mensis nonus, vigesimo die mensis, & sedit omnis populus in platea domus Domini*. Hebræi & Sept. plateam quoque vocant: vt mirum sit Iosephum superiorem partem templi pro platea accipere, ὑπερῷον τοῦ ἱεροῦ, quo non passim admittebantur omnes, nec ibi sub dio populus fuisset, & pluuiæ expositus, quod mox causatur populus. Sed id præuidens Iosephus pluuiæ memoriam omnem, & aperti aëris callide sustulit. Possumus non immerito interpretari aream portæ orientali proximam, quæ recta sacerdotum atrium, & vestibulum templi respiciebat, quæ sub dio erat, sicut reliquæ omnes. In ea platea coactus populus tremebat *pro peccato, & pluuijs*; culpæ conscios supplicij grauioris metus vrgebat, frigidum etiam, & pluuiosum tempus male eos habebat.

XXVII. *Esdras ad dicendum populum confessionem.*

ET surrexit Esdras sacerdos, *& dixit ad eos. Vos transgressi estis, & duxistis vxores alienigenas, vt adderetis super delictum Israel*, vt peccata populi auctiora redderetis; nisi delictum Israelis placet intelligere idololatriam, quæ hoc peccato cumulata sit: quamquam Sept. fere habent in *Ierusalem. Et nũc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum eius, & separamini à populis terræ, & ab vxoribus alienigenis. Et respondit vniuersa multitudo, dixitq; voce magna; iuxta verbum tuum ad nos, sic fiat*. Laudabilis vtique animi alacritas, prõptissimusque consensus in tam difficili negotio, qui tot communiones dirimendæ, tot filij, tot vxores, longa vitæ consuetudine, beneuolentiaq; coniunctæ, suas sibi res habere iubebantur, & quasi hostes domo ac finibus, nulla sua culpa erant exterminandæ; quæ lamenta tot mulierum viduarum, ante defunctos coniuges, tot orphanorum parentibus adhuc viuis. Sed præter timorem pœnæ, duo fuerunt, quæ difficultatem rei minuebant: primum visitata apud eam gentem repudia: alterum quod fortasse licuit retinere alienigenas, si ad veri Dei cultum se traduci paterentur; quidni enim hoc in istis mulieribus, sicut in captis bello liceret iuxta ea, quæ in Deuteronomio tradũtur? Accessit deniq; & Prophetia Malach. c. 2. de qua paulo post.

Quam difficile ad negotium.

C. 10. v.

XXVIII. *Confirmatur eiusdem negotij.*

VERVNTAMEN *quia populus multus est, & tempus pluuiæ, & non sustinemus stare foris*, Vbi hic Iosephi superiora domus? ideo solam addit rationem, quæ mox sequitur. Ex quo patet eum non casu, & per humanam negligentiam labi, sed de industria, ac dedita opera fallere. Quippe cui indecorum forte videbatur populum in atrio sub dio congregari, quasi id non passim fiat in communibus populi cœtibus. Addit ergo rationẽ populus quare velit cito dimitti, & negotium certis personis cõmitti. *Et opus*, inquiunt, *non est diei vnius, vel duorũ. vehementer quippe peccauimus in sermone isto*, id est, late patet hoc peccatũ, & ad multos pertinet. *Constituantur principes in vniuersa multitudine, & omnes in ciuitatib. nostris,*

SOLVTAE CAP. 80

qui duxerunt vxores alienigenas, veniant in temporibus statutis, & cum his seniores per ciuitatem, & ciuitatem, & iudices eius, donec auertatur ira Dei nostri à nobis super peccatum hoc: vult vt per priuata iudicia ista connubia dirimantur, vt suauius res tota componatur; quod & factũ est. Duo enim constituti sunt, cum præcipua potestate, super ea re, quibus additi sunt socij duo: vtque sine confusione familiarum catalogus scriberetur, omnes se in familias suas recipere iussi sunt. Quibus exemplo præiuit Esdras ipse.

XXIX. ITAQVE seruato ordine Sacerdotum, Leuitarum, & aliarum tribuum iuxta familias, inquisitum est, qui in quaq; familia, vel gente istiusmodi coniugijs implicatus esset, & inuenti in tabulas, quas conficiebantur, referebantur. Id negotium tres totos menses tenuit, à primo scilicet mensis decimi, vsque ad initium primi. In quo Hebræa, Græcaq; Latina consentiunt, etsi Iosephus hic iterum in fraudem inducere velit eos, qui ei fidẽ habuerint. Nam in Hebræo, vt dixi, Græcoq; texto perspicue habetur inquisitionem factam à primo die mensis decimi, vsque ad primum diem mensis primi. Ipse vero, *& prima die*, inquit, *mensis decimi cœpta inquisitione, qua durauit vsq; ad primam diem mensis sequentis*, inuenerunt multos &c. Inuentæ autem sunt centum, & tredecim familiæ, in quibus & coniuges alienigenæ & ex ijs suscepti filij.

XXX. HAEC ergo coniugia, ea conditione qua dixi, diremta sunt, & singulæ arietem in sacrificium pro peccato obtulerunt. Etsi enim id de solis sacerdotibus dictum sit, de reliquis tamen omnibus Iosephus quoque accipit. At enim. *Inuenerunt multos tam ex Iesu Pontificis cognatione, quam ex cæteris Sacerdotibus, ac Leuitis, & alijs Israelitis, qui & vxores, & natos ex eis liberos sine mora abdicauerunt; pluris facientes legum obseruantiam, quam natales affectus quantumuis violentes: moxque ad placandum Deum arietes immolauerunt, quorum nomina recensere non est necesse. Atque ita Esdras hoc erratum circa connubia correxit, & malam in hoc consuetudinem emendauit, vt in posterum hæc reformatio stabilis, ac firma permaneat.* Ita Iosephus. Nihilominus alia separatio seminis filiorum Israel, ab omni filio alienigena, legitur sub annum Artaxerxis vigesimum. a

AD prædictam prophanorum connubiorum diremptionem Malachiæ prophetia valuit. Nam ad hanc ipsam . . m illam pertinere D. Hier. fuse ostendit, vt supra quoq; demonstratum est: quæ prophetia cum seuerius contra Sacerdotes proferatur, credibile fit eos, in hoc negotio, se le præbuisse à principio difficiliores; donec Sechenias promptum exhibuit animum, & quamuis non esset Sacerdos, omnibus tamen animi alacritate anteiuit, indeq; adiurauit Esdras Sacerdotes, vt paulo ante dictum est.

Et nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes, de dirimendis scilicet prophanis connubijs, in quibus maxima est culpa vestra, qui præ reliquis diuinarum legum obseruatores esse debetis, & eum zelum malis promouere, quibus scelere vestro scandalo, ac ruinæ fuistis, sed addit minas ad frangendam cordis duritiam.

Si nolueritis, ait, *audire, & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo.* . . . ereg gloriosum est Deo, vt homo propter honorem ipsius, & legem, omnia consanguinitatum, affinitatum, amicitiarum iura cum vxoribus liberisq; disrumpat: ferreum se ad omnes lachrymas filiorum, filiarumque præbeat: ad clamores, fœmineosque vlulatus obsurdescat, . . . lasque voces tractabilis audiat; dotes, cum non leui rei familiaris iactura, in repudiatarum mulierum victum, cultumque restituat. inimici . . s cum soceris eorũ patribus, totisque ipsorum familijs, . . gnatis, amicisq; suscipiat. Quæ omnia qui vilia ducat, præ studio parendi legi diuinæ, . . nonis merito dare gloriam nomini Domini dicendus erit?

a Actuum. . At multo nihilominus magis is Deum glorificare dicẽ . . . qui consilium Domini secutus, patrem, matrẽ, fratres . . . ores, bonaq; omnia, atque insuper semetipsum relinquit, omniaq; Christo Domino in holocaustum, volẽs, libensq; sacrificat. Nã tota illa difficultas, ex culpa violatæ . . . legis enata est, vt eã sibi merito debeant, qui rei sũt, . . . putata. Illa aũt rerũ omnium contẽptus ob Christi Domini amorẽ & imitationẽ, ea mea pij, atq; generosi pectoria liberalitate proficiscitur. Sed redeamus ad prophetam.

TRADITIO DAT ABIECTIS VXORIBVS.

a Mala. c. 2.

XXXIII. Mina Domini in stercore dato.

MITTAM b *ait Dominus in vos egestatẽ, & maledicã benedictionib. vestris, quoniã non posuistis super cor*, i. neglexistis mandatũ meum. *Ecce ego proijciã vobis brachium*, id est, humerũ. *simul armum hostiæ, & dispergam super vultũ vestrum stercus solennitatum vestrarum*, id est, ventriculum, qui sacerdoti quoque debetur cum faecibus suis, *contra faciem vestram*, contemptim, atque indignabundus proijciam, vt fœdi, deturpatique simul cum stercore, ejciamini è conspectu meo.

Inde autem conqueritur Dominus quod Leuiticum genus contaminarint, & indignos se diuino pacto præbuerint. *Vos autem*, inquit, *recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege*. Dum scilicet duxistis alienigenas, & alijs eiusdẽ criminis exempla præbuistis: & abominabiles vos fecistis, sicut & ea quæ dilexistis. *Propter quod & ego*, inquit, *dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege*, secundum faciem non ex lege iudicia tractantes. Hæc autem omnia prædicta non male ad hanc connubiorum causam applicari, sequentia docẽt: quæ diserte à S. Hieron. ex traditione Hebræorum, & ex primo libro Esdræ quem retulimus, de illis ipsis vitiosis coniugijs explicantur.

XXXIV. Traditio Hebræorum de vxoribus abiectis.

ILLVD porro ex mera Iudæorum traditione est, *Reuersi*, inquit Hieron. *de captiuitate Babylonia, tam principes, & Sacerdotes, ac Leuitæ, quã reliquus populus, abiecerunt vxores suas Israeliticas generis, quæ paupertate, & iniuria longioris viæ, & fragilitate sexus non ferentes laborẽ confecta erant, & infirmitatẽ ac deformitatem corporum contraxerant: Et cum alienigenis, vel ætate florentibus, vel cultu corporum pulchrioribus, vel potentum ac diuitũ filiabus matrimonia copularant.* Corripit itaq; eos Esdras Propheta, & ad repudium nouarum coniugum prouocat, vt vxores, quas dimiserant, recipiant. *Nonne*, inquit, *Pater vnus Abrahã omnium nostrum est*, & mox. Quare ergo veteres vxores contemnimus, & fratrum nostrorum abijcimus filias, vt relinquamus pactum patrum nostrorum, & non ex lege accipiamus vxores. Ita Hieronymus.

XXXV. Improbatur.

HAEC nihilominus traditio Iudaica, si quod sentio fateri licet, etsi à Diuo Hieronymo recepta est, merito tamẽ alicui poterit esse suspecta. Primo, quia Iudæi isti, qui arguuntur, iam ex alienigenis liberos susceperant, vt constat, e quod etiam Iosephus agnoscit. Quomodo ergo qui venerant ex captiuitate, pertæsi legitimarum vxorum, alienigenas ceperint, & intra tres quatuorue menses liberos ex eis susceperint. Nam oportet à primo die 5. mensis, vsque ad vigesimum noni, vxores ductas in peregrino solo, & ductas domum, & nouem menses gestasse vterum: & tamen peperisse intra 4. menses. Nam, vt diximus, hæc inquisitio in alienigenas coniuges non potest differri in annum sequentem, ne dicamus Esdram rem tantam, propter quam vel maxime venerat, vt satis colligitur ex literis Artaxerxis, vsque ad decimum septimum denique mensem neglexisse, vel dissimulasse.

e 1. Esd. 10. & 44.

XXXVI. Improbatur eorum traditio.

SECVNDO nusquam in tota narratione Esdræ, quæ de hac re fusissima est, nusquam in prophetia Malachiæ, nusquam deniq; in Iosepho vllum verbum legitur, quo Israeliticæ vxores repudiatæ dicantur, sed tantum apud Malachiam despectæ, vel contemptui habitæ, nimirum propter superinductas nouas vxores alienigenas. Nam illa verba, *cum habueris, odio dimitte*, non sunt verba populi se excusantis super facto suo: sed Dei, vt in textu patet, sub eorũ persona loquentis, quasi dicant, quidni liceat eas habere despectui, cum liceat etiam repudiare. Respondet autẽ Dominus in persona sua, id quidẽ permissum fuisse, propter duritiam cordis populi illius, non tamen id fore impune, *Operiet enim iniquitas vestimentum eius, dicit Dominus exercituũ*, id est, Pœna huic iniquitati debita, corpus eius, quo anima tanquam vestimento induitur, affligetur: vt in quo peccat, in eo puniatur, vt D. Hier. interpretatur, à quo reliqua expositio petenda est, ne longiores simus.

XXXVII. Opinio eorum qui hoc anno 70 hebdomadas Danielis . . .

SVNT qui hoc anno Danielis hebdomadas inchoari asseuerent, quib. vehemẽter fauet quod ab hoc anno, vsq; ad vltimũ Olympiadis 202. quo anno Euse. in chronico ex Phlegonte ait Christi Domini mortem contigisse, ab hoc inquam anno ad illum, inclusis extremis, quadringenti & nona-

30 Ol. 102. Ol.

142.

4.

SOLVTA CAPTIVITATIS 80

nonaginta anni omnino numerantur. Nam ex præsente Olympiade supersunt anni duo, quibus adde 20. Olympiadas, & rursum centum & duas, efficies prędictos annos, nonaginta supra quadringentos.

Confirmatur.

Nec desunt coniecturæ, quæ ei faueant. Nam *a* Rex Artaxerx. dicitur dedisse Esdrę *omnem petitionem eius*. In eius autem postulatis videtur contineri potestas extruẽdi muros Hierosol. Quasi dixerit cum Dauide regi Pers. *Benefac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem.* Nam cum iam templum extructum esset, quid aliud aut melius, aut maius optare potuit, vel postulare; aut cui vsui tam ingentes thesauri, quos paulo ante memorauimus?

481. adde annos 2. prædictos 490.

a 1. Esd 7. 6. n. v. 13.

XXXVIII. Alia probatio.

DEINDE, *Sed & si quid tibi, & fratribus tuis placuerit*, ait Rex, *de reliquo argento, & auro vt faciatis, iuxta voluntatem Dei vestri, facite.* At certum est Iudæos flagrasse desiderio ædificandi Ierusalem, ideoque simul in hoc decreto implicitam eius extruendæ accepisse potestatem. Quod autem non fiat in decreto nominatim mentio ædificationis murorum, id de industria factum videtur, ne conflaretur eis inuidia ab inimicis, qui vel templum ipsum excitari indignissime tulerant. Et nihilominus cum accipiebant, quam laxissimam potestatem faciendi Hierosolymis, quod ipsi Esdræ, & fratribus eius placuisset, os obstruebatur omnibus inimicis, & simul potestas dabatur ædificandi ciuitatem, si eis libitum fuisset. Adde Theodoretum, qui Orat. 9. in Danielem, *Primo*, inquit, *dimisit ipsos Cyrus Persa, deinde Darius Hystaspis filius, tum Artaxerxes Xerxis; quo tempore primum Esdram, postea Nehemiam misit, vt muros Ierusalem iterum construendos curarent.* Sic ibi. Quæ opinionem hanc reddunt sane probabilem, & probatur Gaspari Sanctio in c. 9. Danielis, alijsq; nonnullis. *b*

b n 104. & seq v. 26.

XXXIX. Altera opinio probabilior de anno 20.

VERVM huic sententiæ vehementer officit, quod Danielis nono dicitur, initium Sept. hebdomadarum sumẽdum esse, *ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem*, id est, vt plerique omnes interpretantur, à facto decreto ab Artaxerxe rege Persarum, de ædificanda ciuitate, quod nullum apparet hoc tempore: imo ne postulatum quidem fuit, ante annũ vigesimum imperij eius. *c* Nec rationi consentaneum est Gabrielem Archangelum loquentẽ ad Danielem prophetam Hebræum (erit anni ab Hebr. intercalabantur, & solaribus æquabantur) & de re, quæ ad Hebræum populum maxime omnium pertineret, non etiam annos, quos propterea breuiores vocat, Hebr. more vsurpare, ac numerare voluisse; quorum anni, 11. fere dieb. minores sunt annis Romanis. Itaq; 490. anni Iudaici, citius finiuntur Romanis, annis fere quindecim: & consequẽter Septuaginta hebdomades Iudaicæ quindecim annis tardius inchoari debent: & sic satisfactum est primo arg. quod est istius opinionis fundamentum.

c 2. Esd. 2 & 1.

XL. Cæteris fit satis probationib.

CAETERIS quoq; probationibus vt satisfiat, dicendum est non esse dubium, quoduam esset Iudæorum desiderium, sed quando exierit sermo regis de reædificanda Ierusalem, vt loquitur Propheta, quem negamus ante annum vigesimum regni eius extitisse. *d* Nec etiam quod Rex timeret eis conflare inuidiam, magis hoc anno septimo regni sui, quam 20. Quod si ad tantum eorum desiderium accessit etiã Regis voluntas, quare toto illo decreto nullũ verbum de vrbe factũ est? quare Iudæi saltem aliquid memoria dignum in ea opere moliti non sunt? Quæ porro fuerit Theodoreti de hac difficultate sententia minime obscurum est. Is enim in eadem oratione à 20. Artaxerxis has hebdomadas aperte metitur, & eos annos lunares affirmat, quibus scilicet Iudæi vtebantur. Vtriusq; autẽ meminit illo loco, Esdræ scilicet & Nehemiæ, quia vtriusque memoria facta est in ædificatione, vt idem infra in eadẽ oratione tradit, qualis ipsum explicans. Et quamuis huic opinioni Theodoreti eum indulgeremus, illi tamen Sulpitiũ Seuerum licere opponere, qui libro secundo historiæ, *Cæterum, ait, Esdram nihil super reficienda vrbe egisse comperio: credo potiorem curam ratus, plebem corruptis moribus reformare.*

d vt patet 2 Esd. 2.

Theodoreti sententia.

XLI. Iudæos ad quid a bello ... Hierusalem ... ædificatione ... Esd 4. v. 47. & 42.

NEC ARI tamen non potest Iudæos quasi tacito Principum Persarum consensu, Cyri præsertim partes aliquas ciuitatis magne cinxisse muris, sed tacito, vt dixi, consensu, non publico decreto, quod quærimus. Nam *e* quod de Dario legimus, eum scripsisse epistolas ad omnes dispensatores, & præfectos, & purpuratos, vt deducerent omnes ascendentes ædificare Ierusalem, non satis fidei facit, quia liber ille Apocryphus est. Et si ab illo secundo anno Darij inchoarentur hebdomadæ, non 70. sed 79. inuenirentur. Ab illo enim anno, vsq; ad præsentem 63. anni numerantur. Multoq; minus de Cyro id verum esset, licet Iosephus dicat eum conuocatis clarioribus apud Babylonem Iudæis dixisse, se illis permittere vt proficiscãtur in patriam, vrbemq; Hierosolyma, & Dei templum ædificent denuo. Sed id ipse suo more Scripturæ adiecit: *f* adde quod à primo anno Cyri, ad Christi passionem fere 82. hebdomadæ numerarentur. Illud autem patet ex 1. lib. Esd. vbi scribitur Cambysi Regi. *Notum sit Regi quia Iudæi, qui ascenderunt a te ad nos, venerunt in Ierusalem ciuitatem rebellem, & pessimam quam ædificant, extruentes muros eius, & parietes componentes.* Denique, vt paulo ante dicebamus, *g* fatetur Esdras coram Deo datam Iudæis sæpem in Iuda & Ierusalẽ, *h* quam Tigurna interpretatur murum. E Nehem c. 1. ad nouum nuncium dissipatorum murorum, & portarum Hierusalẽ exustarum magnum planctum edit; nec videtur antiquam tantum calamitatem lamentari; quomodo enim post 164. annos non exhaustæ essent illæ lacrymæ? Dici ergo potest in muris iam laboratum fuisse, sed opus imperfectum mansisse, & malitia inimicorum irritum. Verum de hac quæstione modo satis, reliqua 14. ab hinc anno dicentur. Nunc ad Estheris nuptias transeamus.

QVIS ANNVS DECRETI ... ROS HIER. ...

f vt patet 1 ... c. 4 ...

g n. 2 h ... v 9

EA *ducta est ad cubiculum Regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth anno septimo Regni eius*, vt scriptum est Esth. 2. 16. peractis prius, quæ de more à reliquis virginibus factitari solebant, quæ paucis ita recitantur in Scriptura. In mulieribus vanitatis exemplum. *Cum autem venisset tempus singularũ per ordinem puellarum, vt intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, mensis duodecimus vertebatur: ita duntaxat*, siue ita videlicet, *vt sex mensibus oleo vngerentur myrrhino, & alijs sex quibusdam pigmentis, & aromatibus vterentur. Ingredientesq; ad regem*, siue dum ingressuræ essent, *quidquid postulassent ad ornatum pertinens accipiebant: & vt eis placuerat composita, de triclinio fœminarum ad regis cubiculum transibãt. Et quæ intrauerat vespere egrediebatur mane, atq; inde in secundas ædes deducebatur, quæ sub manu Susagazi Eunuchi erant, qui concubinis regis præsidebat: nec habebat potestatem ad regem vltra redeundi, nisi voluisset rex, & eam venire iussisset ex nomine.* Hæc de reliquarum puellarum consuetudine.

XLII. Esther ... 70. ... 14. 164.

QVOD autem ad Estherem attinet, euoluto tempore per ordinem instabat dies qua ipsa deberet intrare ad regẽ. Quæ non quæsiuit muliebrem cultum, extraordinarium scilicet, qualem requirebant, quæ proxime adituræ erant regem, vt paulo ante significatum est, sed quæcunque voluit Egeus Eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Motus nimirum modestia, & facilitate puellæ, spõte dedit, quæ iudicauit conuenire. Erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur.

XLIII. Esther ...

Cæterum quod ad tempus attinet quo ducta est ad regem, consentit Hebræo & Chaldæo, & 70. regijs Vulg. edit. in mense decimo, qui Decembri nostro respondet; at ab vtraq; dissentit Græca Xisti & Basil. in qua legitur intrasse ad regem mense duodecimo, qui est Adar. Respondet Serar. adductam ad Regem mense 10. vt cum ea, si libitum esset, consuesceret: duodecimo autem adductam, vt regina crearetur. Et ita videtur Græca Hebræis conciliare Iosephus, cum ait. *Perducta vero Esthere, delectatus eius consuetudine, & amore correptus, legitimam coniugem tam sibi adiunxit, nuptiasq; celebrauit anno regni sui septimo, mense duodecimo qui Adar dicitur*, Ex quo tamen obiter apparet, Iosephum Græca exemplaria, non Hebræa sequi.

Quando ad regem ducta.

SED illud potius inquirendum videtur, an Esther à Regis libidini impudica dederit ante nuptias, cuius etiã Mardochæus quodammodo fuerit administer. Et respondendum est cum Serario, & Caiet. istas virgines cum ad Regem venirent, omnes factas fuisse illius concubinas, id est inferioris notæ coniuges, nisi si quam Rex ad Reginæ dignitatem vellet euehere, quod Estheri contigit, quæ

XLIV. Tertia ... Tertia ...

decimo

decimo mense facta est Concubina Regis, duodecimo autem Regina. Qua in re Esther non non tam Mardochæi, & Regis, quam Dei acquieuit voluntati, qui has nuptias in publicum gentis Iudæorum bonum destinabat; non planè ignorante Mardochæo. Quod innuunt illa verba. a *Et quis nouit virum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore pararetur?* Ipsa vero Esther propria voluntate ad hoc coniugium non ferebatur, ideoque postea confitebatur Domino. *Nosti Domine quia oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircuncisorum, & omnis alienigenæ.* b

a c.4.14. — b c.14.v.15.

XLV. *Deus has nuptiarum conciliator.* — c Deut. 7.1.

Nimirvm non ignorabat pia puella, nisi Deo has nuptias conciliante, eas sibi illicitas fore. Et quamquam prohibitio facta est Israelitis vniuersè. c *Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo.* Fere tamen vbicunque istiusmodi matrimonia à scriptura accusantur, mulieres non solum alienigenæ, sed etiam profanæ, & infideles erant à quibus deprauati sunt viri: vix autem inuenias deprauatam vxorem fidelem, qualis erat Esther, à marito infideli. Vice autem versa mulier infidelis sæpe deprauauit virum, vt in Salomone apertissimum est. Quid quod illa prohibitio ad illas 7. tantum gentes videtur pertinere, quæ eodem loco memorantur, quæ anathemati addictæ erant? Quid quod etiam nonnulla spes erat conuersionis ipsius Assueri, opera Estheris, vt qui Deum cœli non solum agnosceret, sed hoc ipso tempore magnis muneribus coluisset, & populum eius insigni fauore persequeretur.

XLVI. *Esther fit regina loco Vasthi.* c.2.17.

Adamavit ergo Estherem Rex *plusquam omnes mulieres, habuitque gratiam, & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vasthi. Et iussit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus & seruis suis, pro coniunctione, & nuptijs Esther. Et dedit requiem vniuersis prouincijs, ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem.* Quia dona in Hebræo singulariter ponuntur, quidam peculiare munus reginæ datum suspicantur; reditus nimirum peculiaris alicuius ciuitatis. Iuxta illud Tullij. d *Hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines:* aut quomodo Artaxerxes muneratus est Themistoclem, vt supra diximus. Verum hæc expositio angustior est, quam pro magnificentia principali, quam in plurimos beneficam esse oportuit. Ea ergo requies vniuersarum prouinciarum nihil aliud sonat, quam tributorum imminutionem. Subditi enim populi tributis, & exactionibus fatigantur. Id clarius 70. expresserunt. cum aiunt Regem remissionem fecisse ijs, qui sub regno ipsis erant, quam alij vocant tributorum cessationem.

d l.3.in Ver. 7. — ἄφεσιν, ἀτέλειαν.

Eam autem liberalitatem mirum est à Iosepho prætermissam, atque vice versa ipsum alia addidisse de suo. Quamquam ordinaria & quotidiana errata minus mira videri debent.

XLVII. *Angari nuntii Persici, ex Herodoto.*

Dimisitqve, inquit Rex, *quos Angaros vocant.* Id vocabulum Persicum esse aiunt, vsu tamen à Græcis receptum, imo & à Latinis, latius sumpta significatione, pro eo quod est cogere, & compellere ad aliquid laboriosum & molestum. Erant autem Angari Persarum nuncij de quibus ita Herodotus. e *Xerxes, inquit, in persidem misit, qui præsentem cladem nunciarent. His nuncijs nihil pernicius transcurrit in rebus humanis: quod negotium hunc in modum est à Persis excogitatum. Quot ex diebus tota via constat, totidem equos, ac viros ferunt esse distinctos, ad singulorum dierum iter faciendum; quos neq; vis niuium, neque imber, neque æstus, neque nox distinet, quin propositum sibi cursum celerrime conficiant. Quorum cursorum primus mandata tradit secundo, secundus item tertio, & ita deinceps in alium atque alium illa mandata pertranseunt, quemadmodùm apud Græcos fax, quam Vulcano per vicos, ferre cursores perseuerant. Hanc equorum cursitationem Persæ* ἀγγαρήιον *appellant.* Ita Herod.

e l.8.p.313. græ.

XLVIII. *Iosephus auget conuiuij tempus.*

Sed redeo ad Iosephum. *Dimisit*, inquit, *quos Angaros vocant, per omnes gentes, nuptiale festum eis indicens. Ipse verò Persas, & Medos, & primates aliarum gentium accepit conuiuio nuptiali per mensem integrum: & ingressa Regiam vxori diadema imposuit, atque ita cum ea conuixit.* Legerat Iosephus in 70. conuiuium 7. dierum in hisce nuptijs, maluit ipse per mensem integrum conuiuari, ἑορτὴν μηνῶν ὅλον. Est etiam qui de 7. mensibus dubitet, vt prioris conuiuij magnificentiâ superaretur, sed quis credat tale conuiuium à Scriptura prætermissum iri? Aut eam id non significaturam saltem, quæ alterum tam studiose descripserat?

XLIX. [illegible]

Qvod autem sequitur, *Cumque secundò quærerentur virgines, & congregarentur:* non significat post nuptias Estheris iterum quæsitas, & congregatas regi virgines, sed repetere videtur quod factum fuerat, post repudiatam Vasthi, ad subtexendam historiam duorum Eunuchorū, quæ contigerat dum denuo quærerentur, & congregarentur virgines, ad secundas regis nuptias, sicut iampridem quæsitæ, & congregatæ fuerant ad priores, quas cum Vasthi Artaxerxes contraxerat. Quæ fere est expositio Vatabli, & Sà; nec displicet Serario: eique fauet editio Vulgata illis verbis. *Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad regis ianuam morabatur, irati sūt* &c. Sed huic expositioni valde obstat, quod ea coniuratio Eunuchorum facta est, cum iam Esther facta esset Regina. Vt illa verba clare docent. *Quod Mardochæum non latuit, statimq; nunciauit Reginæ Esther;* & ne dicas Esther per anticipationem reginam dici, sequitur, *& illa Regi* (nunciauit) *ex nomine Mardochæi*, atqui Esther, dum quærerentur virgines, non viderat faciē Regis, nedū eum alloquebatur.

L. *Contio [illegible] post nuptias Estheris.*

Qvidam existimant post Estheris nuptias, singulas à gynecæo regis ad suos se recepisse; & secundo reuocatas, & congregatas fuisse. At parū probabile est aut dimissas concubinas, aut eas vocari virgines. Dicendum videtur factā illam repetitionem congregatarum virginum, tam propter Estherem, quā propter Mardochæū. Vt scilicet significetur Estherē, post nuptias cum rege, non minus obsecutam Mardochæo, quam quo tempore eam paruulam nutriebat, & quando congregabantur virgines, inter quas ipsa assumpta est. Eo enim tempore paruula erat, proptereaque triennio in domo virginum expectauit,) ideoque præceptum sibi datum ab eo, de non prodendo genere suo, studiose seruauit. Propter Mardochæum quoque, vt significetur eum post Reginæ nuptias, non minus ad ianuam regis moratum esse, quam eo tempore, quo congregabantur virgines. Itaque tempus congregatarum virginum nihil videtur pertinere ad tempus insidiarum, neque id textus Hebræus requirit, multoque minus Græcus, in quo nulla plane fit temporis mentio. Neque editio Vulgata repetit tempus congregatarum virginum, cum insidias narrare incipit. f

f vers. 21.

LI. [illegible]

Dvm ergo in eodem officio perseueraret Mardochæus, & ad regis ianuam moraretur, irati sunt Eunuchi, & contra regem coniurarunt; sed id hoc anno 7. contingere non potuit. Nam nuptiarum festiuitas ad initium vsque anni octaui progressa videtur. Hoc autem loco narratur ista cōiuratio, quia exaltationem Amanis, quæ proximo capite sequitur, antecessit: de illa ergo sequenti anno dicendum erit. Sed Ægyptios, Romanosque prius inuisamus.

LII. *Prosopitis insula [illegible] Aegy. [illegible] superatur.* — g p.71.græ. lat.

Qvod ad res Persarum in Ægypto attinet, cum decimus octauus mensis ageretur, quo Athenienses, qui Ægyptijs rebellibus subsidio venerant, cum ipsis in Prosopitide insula conclusi erant, In potestatem Persarum insula venit. Nam Megabyzus, vt tradit Thucyd. l.1. per id tempus, g *Exsiccato fossa alueo, & aqua aliò auersa, effecit vt naues in sicco considerent, & magna insulæ pars continentis instar esset. Itaque insulam cum peditatu traijciens cepit.* Insula ergo facta est peninsula opera Megabyzi. Vocatur nihilominus insula ab Herodoto, h qui hoc tempore viuebat, scribebatque, diciturque habere 9. schœnorum ambitum in delta Nili, & eo deferri nauibus ossa boum, vbi in suburbanis sepulti computruerint. Pergit Thucydides. *Sic igitur perierunt res Græcorum, qui bellum in Aegypto sex annos gesserant, & ex multis pauci per Africam transeuntes, Cyrenem salui peruenerunt, at plerique perierunt. Sic Thucyd.*

h l.2 p.48 græ.

LIII. [illegible] Diodorus.

At Diodorus gloriæ Græcorum, vt videtur, æmulator, rem paulo aliter narrat. Quamprimum, inquit, classis in sicca terra subsedit. Ægyptij timore perculsi, posthabitis Atheniensibus, cum Persis in gratiam redeunt. Athenienses verò à socijs destituti, vbi naues ad vsum deinceps incōmodas viderunt, subiecto igne omnes concremant, ne in hostium potestatem veniant. Nec quidquam circunstātis periculi difficultate consternati, se prius exhortātur, ne

pristinorum virtute certaminum, aliquid indignum committant. Ideo virtute illos supergressi, qui ad Thermopylas pro salute Græciæ vitam profuderant, paratis ad confligendum cum hoste erant animis. At ductores Persarum Artabazus, & Megabyzus, Græcorum audaciatam egregia conspecta, æstimatis etiam cladibus suorum, quod multa hominum millia prius amisissent, fœdus hac conditione cum Atheniensibus faciunt, vt absque periculo incolumes ex Ægypto excederent. Sua igitur virtute Athenienses salutem consecuti, Ægyptum relinquunt, & per Africam, Cyrenem vsque progressi, salui dehinc in patriam, contra quam sperassent, reuertuntur.

LIV. *Et præfertur Thucydides.* VERVM nemo est qui Thucididi non plus fidei tribuendum putet, & vicino illorum temporum, & Græco: vt eius oratio in hoc genere non historici, sed veritatis esse videatur. Quomodo enim qui iam prælio victi fuerant, qui octodecim menses obsidionem tolerarant, contra florentissimorum exercitum acie iterum dimicare, non solum auderent, sed etiam terrore affectum ad fœdus cogerent, victis gloriosius quam victoribus? Sed redeamus ad Thucididem.

Ægyptus redit in Persarum potestatem. Amyrtæus latro supplicium. Ægyptus vero in Regis ditionem rediit, præter regem Amyrtæum, qui in paludibus regnabat. Hunc enim propter paludis magnitudinem expugnare nequiuerunt, præsertim quod paludani illi sunt omnium Ægyptiorum bellicosissimi. Inarus verò Afrorum Rex, qui omnium turbarum autor fuerat, per proditionem captus, in crucem actus est. Sic proditor proditione captus, proditorum & latronum supplicium in Africa, & Rex & Afer passus est.

LV. *Tarda subsidia Atheniensium assignantur.* NAQVS hic finis Græcorum cladis fuit. Athenienses enim, aliique socij, laborantium in obsidione Græcorum clamoribus exciti, tarda auxilia duxere. Nam quinquaginta triremibus vecti, inquit, Thucid. suis successori in Ægyptum nauigabant, rerum ibi gestarum prorsus ignari, & ad Mendesium Nili cornu appulerunt. Cornua Thucyd. appellat; quæ alij ostia vocitant, in quibus se Nilus in mare Mediterraneum euoluit: est autem tertium à fine orientem versus, & Palæstinam. Pergit autem. Cum autem hostes à terra in eos impressionem fecissent, & à mari Phœnicum classis eos inuasisset, plerasque naues illorum profligarunt; at pauciores retro se fuga proripientes euaserunt. Illa igitur magna Atheniensium, & sociorum expeditio in Ægyptum hunc habuit exitum. Hactenus Thucyd.

LVI. *Victoria Lacedæm. ad Tanagram.* INTEREA cum Lacedæmonij è prælio contra Phocenses, in gratiam Doriensium, reuerterentur, nec haberent quomodo tuto, domum se reciperent, metu Atheniensium, qui illis cum 14. hominum millibus obuiam venerant, ad Tanagram Bœotiæ comparatuot. Quo in prælio cum Thessali, qui ex parte Atheniensium stabant, in ipso prælio ad Lacedæmonios transijssent, licet vtrinque magna strages facta fuerit, Lacedæmonij tamen victoria potiti sunt, eodemque victoriæ cursu in agrum Megarensem ingressi (eum Athenienses tum tenebant) arboribus cæsis, per Geraneam, & Isthmum domum reuerterunt. Scribit Plutarchus in Cimone, Athenienses, cum ingenti prælio ad Tanagram essent fusi, expectarentque in æstate, expeditionem in Peloponensium, Cimonem ab exilio reuocasse, eumque in patriam ex rogatione Periclis redijsse. Quod autem addit, simulatque domum regressus est sustulisse bellum, & ciuitates in gratiam reduxisse, id non tam cito contigit. *Cimon ab exsilio reuocatur.* Nam vt scribit Thucyd. l. 1.

LVII. *Athenienses in Bœotia victores. Longi muri structi.* ATHENIENSES altero & sexagesimo ab hac pugna die expeditionem in Bœotios duce Myronide susceperunt, vbi victores effecti, agrum Bœotium, & Phocensem in suam potestatem redegerunt, & Tanagræorum muros demoliti sunt, & longos muros, quos præcedente anno ædificare cœperant, alterum ad Phalerum vsque portum, alterum ad Pyræum hoc anno absoluerunt. Quin & Æginetas *a ann. 2. Olymp. 80* post nonum mensem, vt scribit Diodorus, ad deditionem compulerunt, ijs conditionibus vt vrbis muros demolirentur, naues traderent, & imperatum tributum in posterum penderent. Peloponnesum etiam Athenienses nauibus circumuecti sunt, duce Tolmide Tolmæi filio, & Lacedæmoniorum naualia incenderunt, & Chalcidem Corinthiorum vrbem ceperunt, & exercitu è nauibus in terram facto, Sicyonios prælio vicerunt. Ita Thucyd. quæ ad hunc annum pertinere testatur ipsemet, cum ibid. subdit, hæc dum fierent, Athenienses adhuc in Ægypto mansisse, quæ tamen Diodorus in annum 1. Olymp. sequentis refert, & pluribus explicat. Nec plura his hoc anno à Persis, Græcisve gesta crediderim, Romanos adeamus.

LVIII. *Res ad Antium a Consulibus gesta.* APVD quos vterque Consul rebene gesta, de Æquis, Volscisque triumpharunt. Eorum Cornelius Antium vi cepit, quidquid auri, argentique, ac pecuniarum inuentum est, relatum est in ærarium, reliqua præda militi permissa. Deinde tam ex colonis, quam ex veteribus Antiatibus nobilissimi, defectionis autores fuisse conuicti, securi percussi sunt magno numero, lacerati prius verberibus. Hæc pœna proditoribus merito reddita, Æquis etiam concessa pax, quæ breue admodum tempus tenuit.

ANNVS MVNDI 3597. SEXTÆ ÆTAtis 81. Artaxerxis 8. Imperij Pers. 81. Esdræ 3 Eliasib 8. Olympiadis LXXX. An 4. Archonte Mnesithide. Vrb. cond. 296. Coss. C. Nautio II. & L. Minutio.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 456.

I. *Res anni huius.* SERIES rerum præcedenti anno gestarum exigit, vt conspirationem Eunuchorum contra Imperatorem Artaxerxem explicemus. Inde cum Atheniensibus, & Oreste expeditionem suscipiemus in Thessaliam. Mox Romæ creatum Dictatorem agricolam L. Quintium Cincinnatum, eundemque mox victorem, curru in Capitolium inuectum comitabimur. Vt ergo à re sacra ducamus initium Eunuchorum contra regem Artaxerxem insidiæ non potuerunt ante annum octauum regni eius contingere. Nuptias enim Estheris, omnemque illam celebritatem, & Mardochæi amplificatam dignitatem secutæ sunt, quas Scriptura decimo, Iosephus etiam duodecimo mense celebratas refert: forte etiam tardius contigerunt. Nam multis annis Mardochæus ad ianuam regis, quasi cubicularius eius demoratus est. Eo autem tempore duo Eunuchi Regis, qui ianitores erant, & in primo palatij limine præsidebant, nomine *Bagathan & Thares, irati sunt*, Bagathoum & Theodestem Iosephus vocat. *b* Hæc ira insidiarum causam continet, ex qua secutum est, vt voluerit insurgere in Regem, & occidere eum. *b Est. 6.*

II. *Eorum ira, & insidiarum causa.* EAM iram explicant 70. Inuidiam ob promotionem Mardochæi. *Et tristati sunt*, inquiunt, *duo Eunuchi regis principes custodum corporis, quoniam promotus fuerat Mardochæus.* *Sunt qui asserunt*, inquit Serarius, *ægre ipsos tulisse Vasthi repudiatam, eisque ignotam Estherem surrogatam.* Gorion significat eos Macedoniæ regis gratiam inire voluisse: fuisse enim consiliarios Aman, quem infra Rex dicit fuisse gente Macedonem, & ad eos imperium Persicum transferre voluisse. Certè *c* legimus Aman Mardochæo nocere voluisse, & populo eius, pro duobus Eunuchis regis, qui fuerant interfecti. Itaque credibile est eum non ignarum insidiarum fuisse; negotia tamen sua apud regem ita tractasse, vt ab eo omnium fidelissimus haberetur. Siue ergo Vasthi repudium, siue Estheris & Mardochæi promotio, siue studium Macedonicarum rerum cubicularios istos ad nefaria contra regem consilia compulit, certum est eos in vitam regis coniurasse. *Voluerunt eum insurgere in regem, & occidere eum*, vt Scriptura testatur. Chaldæus paraph. ait eos illi venenum propinare voluisse; idque probabile facit R. Salomon, qui ait eos regis pincernas fuisse. At Gorion ait eos caput eius ad regem Macedonum ferre voluisse: erant enim, vt aiunt Sept. ἀρχισωματοφύλακες, id est, satellitij regij præsides. *c Infra 16. 12. v. 9.*

III. *Insidiarum per Esther detectio.* MODVS insidiarum patefactarum perobscurè hic traditur. *Quod Mardochæum non latuit, statimque nunciauit Reginæ Esther, & illa Regi ex nomine Mardochæi, qui ad se rem detulerat.* Ita Latino & Hebræo. At in Græco paulo aliter. Nam c. 1. dicitur, & repetitur inferius in Lat. textu, *d* Mardochæum *d Est. 2.*

in aula versantem audisse eorum sermocinationes, & curas eorum perscrutatum esse, & didicisse quod pararent inferre manus Artaxerxi regi, eique rem indicasse. At Iosephus aliquanto distinctius, a *Barnabazus*, inquit, siue vt alij malunt, Pharnabazus, *alterius* Eunuchorum *seruus, genere Iudæus, deprehensas insidias patruo reginæ indicauit* : genus videlicet tem Mardochæo aperiendi fiduciam dedit; & potuit Mardochæus hac aperta via, vlterius progredi, ad capiendam pleniorem cognitionem, ex eorum sermonibus. Quod cum fecisset, rem suo nomine Regi notam fieri, per Reginam placuit, vt vtrique simul Regis beneuolentia conciliaretur, commendaretur fides, munificentia prouocaretur.

a l. 11. ant. c. 6. sub init.

IV. Tuetur, & eis memoria mandatur. INTELLECTA re *quæsitum est* diligenter de tanto crimine, *& inuentum, & appensus est vterq; eorum in patibulo; mandatumq; est historijs, & annalibus traditum coram rege.* Sic vocat commentarios, in quibus quid quoque die memoria dignum contigisset, perscribebatur, quæ diaria etiam vocantur. Iosephus, *Rex vero,* inquit, *territus, veritatem per quæstiones inuenit; & illis in crucem suffixis, Mardochæo tunc quidem pro salute sua, quam ei debebat, præmij nihil persoluit, tantum nomen eius in commentarios suos referri iussit, & annotari; ipsum vero versari in regia, receptum inter amicos regis necessarios.* Et examinauit Rex (anno 70.) vtrosque Eunuchos, & confessi strangulati sunt, & scripsit Rex verba hæc in commentario : & Mardochæus scripsit de verbis his, & præcepit Rex Mardochæo ministrare in aula, & dedit ei munera pro his: quæ b inferius etiam in Latino reperiuntur, vbi inter alia legitur, *datis ei,* puta Mardochæo, *pro delatione muneribus.* Quæ sane videntur repugnare ijs, quæ habentur infra, c vbi nihil honoris ac premij Mardochæus, pro hac fide accepisse dicitur. Est autem duplex respondendi ratio, vel in Græcis codicibus, & Latinis inde transsumptis, deesse negationem: vel prout Bellar. & Serar. visum est, per anticipationem memorata fuisse præmia, quæ multo deinde post, non sine fœnore, data sunt Mardochæo. Hæc hoc anno in Perside gesta.

b c. 12. v. 5.

c c. 6. v. 6.

V. Res ab Athen. in Thessalia gesta. IN Græcia vero Orestes, vt refert Thucid. l. 1. Echecratidæ Thessalorum regis filius, ex Thessalia profugus, Atheniensibus persuasit, vt se in patriam reducerent. Non difficilis fuit hæc persuasio, quoniam Athenienses in Thessalos exasperatis erant animis, vt qui nuper in ipso prælio ad Lacedæmonios defecissent, & forte expulsionis Orestis causa fuit, quod vellet in Atheniensium fide persistere. Athenienses ergo assumptis Bœotis, & Phocensibus socijs, expeditionem aduersus Pharsalum, siue Pharsaliam Thessaliæ susceperunt, & tantum agri in sua potestate habebant, quantum à castris non longe progressi, sibi parare poterant. Thessalorum enim equites eos prohibebant; sed neque vrbem ceperunt, nec aliud quidquam eorum, quorum causa illam expeditionem susceperunt, ipsis successit, sed cum Oreste, quem secum ducebant, domum re infecta redierunt. Diodorus ait Pharsalios per multum temporis obsidionem tolerasse, nec plura hoc anno gesta refert.

VI. Sabini palam deficiunt à Romanis, Æqui dissimulanter. QVO anno L. Minucij Consulis imprudentia rem Romanam in discrimen adduxit, & Dictatoris necessitatem attulit. Id ex Dionys. de more exponendum. Cōsules inito magistratu, aliquandiu conflictati sunt in vrbe cum Tribunis de Rogationibus, A. Virginio cum collegis, iā quartum annum eundem magistratum obtinente. Ac ne hoc quidē anno voti compotes facti sunt; vicinis bellis ingruentibus, & delectū bellicum potius exigentibus, quam Rogationem permittentibus. Sabini enim propalam defecerant, Æqui autem dissimulanter, & factis potius quā verbis. Nam contra Latinos Romanorum socios hostiliter se gerebāt, duce Graccho Clœlio, & legatis Romanorū de iniuria quærentibus, verba dare, ac tergiuersari pergebant. Denique fœcialibus etiam missis bellum denunciant, sicque contra eum Consul Minutius profectus est.

VII. Consul in insidias trahitur. GRACCHVS cognito Romanorum aduentu mouit exercitum, vt hostem insequentem in ea loca pertraheret, vbi ipse potiore conditione bellum gesturus erat: conuallem scilicet quandam cinctam montis, nudis & asperis, & pabulationi inutilibus, cuius exitus ipse occupauit, vt neque inde egredi, neque ibi aut pugnare, aut victum liceret tolerare; Et cum capto impetu exire tentarent, multis vulneribus acceptis, in sua castra repellebantur. Quo successu Clœlius factus ferocior, circumuallare illos aggressus est; sperans fame ad deditionem cogendos. Quibus Romam nunciatis Q. Fabio tum præfecto vrbis, & alteri Consuli, qui euocatus fuerat in vrbem, ac senioribus visum est tempus poscere Dictatorem, quem magistratum Consul L. Cincinnato tradidit, & ad suum exercitum, quod contra Sabinos pugnabat, reuersus est. Dicitur Dictator Quintius.

PRÆFECTVS vrbis misit, qui ad imperium Quintium adducerent. Quem in opere rustico occupatum inuenerunt, & gementi equos faleratos, & 24. secures obtulerūt, purpurāque cum cæteris insignibus regijs. Præferens tamē salutem patriæ rusticis delicijs suis, assumpto imperio Romam venit, & bono esse animo iubens ciues, quidquid è ciuibus socijsque copiarum colligere potuit, collegit, & dicto L. Tarquinio magistro Equitū, adiunctisq; sibi præfecti vrbis copijs, admouit ad hostem exercitum, & occupato loco, vnde prohiberi poterat hostibus commeatus, cū reliquis copijs ad certamen Clœlium minime repugnantem vocat. Pugnatum est acerrimè, tandem Clœlius cum suis in castra se recipere coactus est. VIII. Euocatur rure in vrbem. Pugnat cum hoste.

AT Dictator ex vna parte, Minutius ex altera tantopere hostes, auxilijs, & cōmeatibus exclusos, fatigarunt, vt supplices legatos ad Quintium de pace mitterent. Ille respondit cæteros Æquos se armis ademptis sub iugum missurus, Gracchum vero belli ducem, cum alijs defectionis autoribus vt hostem tractaturum; iussitq; vt eos vinctos sibi dederēt. Quib⁹ annuentib⁹, illud insuper mulctæ nomine imposuit, vt quoniā ipsi non lacessiti Tusculum diripueīāt, vicissim Corbionem sibi deripiendum præberent. Præda nihilominus expertē esse voluit Veturij Cōsulis militem, magni muneris loco esse debere dicens, quod ipsos morti subtraxisset; ipsum autem Consulatum deponere coēgit. IX. Eum ad deditionem cogit. Æquos sub iugum mittit. Corbionem diripit.

CVM his responsis legati dimissi, paulò post reuersi sunt Gracchum vinctum adducentes, cum cæteris defectionis autoribus, cum quibus & reliquo exercitu, quem sub iugū misit, reuersus est in vrbem intra 16. diem, ex quo magistratum acceperat, vt habet etiam Orosius, d clariore triumpho nobilitatus, quam vllus ducum ad eam diem. Vrbem enim inuectus, & Capitolium ingressus est catenatū præ se agens belli ducem, cum alijs captiuis illustribus. Summam autem potestatem, quam in sex menses acceperat, statim pro concione deposuit, & repudiatis omnibus, quæ in remedium suæ, suorumque paupertatis offerebantur, recepit se in suum prędiolum, operariamque vitam regiæ prætulit. Epulas instructas fuisse scribit Liuius ante omnium domos, militesque epulantes carmen triumphale cantando, & solennes iocos iactandos, commessantium modo currum secutos fuisse. Nec multo post alter Consul Nautius acie victis Sabinis, & agro eorum magna ex parte vastato, copias domum reduxit. X. Gracchum ducem in triumphum ducit. d l. 2. c. 12. Abit magistratu, prædiolum repetit.

ANNVS MVNDI 3598. SEXTÆ ÆTATIS 82. Esdræ 3. Artaxerxis 9. Imperij Pers. 82. Eliasib Pont. 9. Olympiadis LXXXI. an. 1. Archonte Callia. Vrbis Cond. 297. Coss. C. Horatio Puluillo Q. Minutio Augurino.

ANNVS ANTE CHRITVM 455.

NIhil hoc anno libri sacri suggerunt. Nam quod Serarius significat exaltatum Aman, propter fidelem operam Regi præstitam, in superioris anni insidijs, dubitatione non caret. Nam vt omittam valde incertam esse illam operam. Quomodo vir omnium ambitiosissimus toto triennio non didicit sibi à Mardochæo non flecti genua? aut quomodo tanto tempore vltionem distulit homo crudelis, qui vnius hominis culpam in infinita innocentum millia redondare voluit? Existimo non ante vndecimum annum eius exaltationem contigisse: eamque alia quapiam ex causa ortam, vt suo loco dicetur. I. Res facta vacat.

PRÆTORE autem, siue Principe Athenis Callia, apud Eleos acta fuit Olymp. 81. in qua ex stadio coronam retulit Polymnastus Cyrenæus. Ita Diodor. Quibus consentit Dionys. l. 10. Adde huc etiam pertinere annum Sabbaticũ Iudæorum, ordine centesimum quadragesimum quintũ, quo tempore illegitima coniugia, opus non exigui tẽporis, a disiungebantur. Pluribus narrat hoc anno Diodorus quomodo Tolmides virtutem ac gloriam Myronydæ æmulatus, classem quinquaginta triremium à populo Atheniensi obtinuerit, quibus agros Lacedæmoniorum vastauerit, nauàlia incenderit, aliaque è re publica gesserit, quæ ex Thucydide in annum 3. Olymp. 80. retulimus.

II. QVI deinceps, post rem in Thessalia pro Oreste frustra susceptã, ait non multo post mille Atheniensiũ conscẽdisse naues, quæ Pegis erant, (ea vrbs est in Megaride ad initium Isthmi, in intimo sinu Corinthiaco) & duce Pericle Xantippi filio, contra Sicyonem nauigasse. Sunt hi vicini Corinthijs, prope Isthmum Peloponnensi;) & exscensu è nauibus in terram facto Sicyonios, qui secum conflixerãt, prælio vicisse. Cumque statim Achæos in belli societatem assumpsissent, (hi sunt vicini Sicyonijs occidẽtem versus,) & in vlteriores partes traiecissent, vltra scilicet Corinthiacum sinum, Epirum versus, vbi Oeniadas Acarnaniæ ciuitatem bello petierunt, & frustra obsessam deserentes, in patriam longo itinere redierunt. Ita Thucyd.

III. DIODORVS autem, *Pericles*, inquit, *magnam Peloponnesi partem populatus, in Acarnaniam prope Oeniadas insulas transmisit.* Addidit interpres Oeniadas insulas: at Diodor' nõ vocat insulas, qui ex Thucydide sciebat esse ciuitatem ad Acheloi fluminis oram; quod Polybius quoque, & Pausanias, aliique testantur, vt notauit Ortbelius in Thesauro: sed Echinades insulæ illis vicinæ potuerunt eum in fraudem inducere. Pergit Diodor. Et omnes illic vrbes in fidẽ suam adigit. Athenienses igitur illo anno, & plurimas sub imperio vrbes habebant, & earum fortitudinis, peritiæque militaris gloria illustres erant. Sic ipse; quæ quam diuersa sint à narratione Thucydidis, & cui potius habenda sit fides, nemo non videt; præsertim cum Diodorus hanc eandem historiã iterum post duos annos inculcet. Deinceps autem Thucydides ait, intermisso siue interiecto triennio, fœdera quinquennalia inter Peloponnesios, & Athenienses inita fuisse: quod affirmat etiam Diodorus, sed omisit triennium illud Thucydidis, sicut & authot Olympionicarũ. Et insuper oblitus fœderis, statim anno sequẽti bellum redintegrat inter vtrosque, nulla fœderis facta mentione. Sed nos Thucydidis vestigia, quantumuis leniter impressa, sectabimur.

IV. C. AVTEM Horatij, quem Cassiodorus M. vocat. & Q. Minutij Consulatu rursum Sabini prædatum in agros Romanos descenderunt. Æqui quoque nuper deuicti arma retractabant, & noctu immisso iuuentutis robore Corbionis, quod oppidum superiore anno amiserant, sopitũ præsidium inuaserunt, atque interfecerunt. Alia manus validaHortanam, Latini nominis oppidum, primo impetu cepit, & iram, quam in Romanos non potuit, effudit in socios. His duabus cladibus eodem tempore nunciatis, Senatus iussit proficisci vtrunque Consulem. At Virginius cũ Collegis, iam quintum Tribuni pleb. delectus iterum impediebant, quo fiebat vt hostes impunè totis campis Latinis, Romanisque volitarent. Cum L. Quintius nuper Dictator in Senatu sententiam dixit. Si plebis opera ad tuendum imperium impetrari nequeat, debere Patricios, vnà cum clientibus, voluntarijsque militibus, hostem aggredi. In quam sententiam cum ab omnibus itum esset, Coss. aduocarunt concionem, ad quam confluente populo, vt rem nouam auditura,

V. PROGRESSVS in medium Consul Horatius conabatur persuadere plebi, vt hanc quoque expeditionem volens ac libens susciperet. At Tribunis reclamantibus, Consul decretum Senatus de Patriciatorum militia tanto cum sẽsu ac dicendi vi declarauit, vt mox productis senioribus militaturis, simulque flentibus, ijs cõspectis ne plebs quidem à lachrymis temperaret. Quam cum, accedente iterũ Consulis obiurgatione, Virginius flecti videret, & timeret ne se inuito bello nomina daret, petijt plebis nomine, vt quando toties postulatas leges non impetrarent, saltem concederent Tribunorum plebis numerum geminari, vt pro quinque decem crearentur quotannis bini è singulis classibus. Quod cũ cæteri patres, etiam suadente L. Quintio, concederẽt, solus cõtradixit C. Claudius Appij filius, qui semper iniquis plebis postulatis restiterat. Vicit tamen illa sententia, quòd existimarent facilius esse paucos Tribunos conspirare quam plures. Nec aliud esse remedium contra eius magistratus violentiam, quam vnum aliquem ex eo cœtu abducere, qui cæteros intercessione impediat: quod fuerat iampridem Appij consilium.

VI. ITAQVE in eam sententiã SC. factum est, & Plebiscitũ in annum sequentem. Sicque seditione cõposita, habitoque delectu Consules prouincias sortiti sunt, Sabinos Minucius, Æquos Horatius Sabinorum ager peruastatus est, ipsis intra oppidum se continentibus. Æqui occurrẽtes ad prælium quamuis acriter dimicarint, postremo tandem profligati sunt, & in oppida compulsi, vastatoque agro, Corbionis tum mœnia, tum priuata ædificia diruit, atque ita reduxit exercitum.

ANNVS MVNDI 3599. SEXTÆ ÆTATIS 83. Artaxerxis 10. Imperij Pers. 83. Eliasib Pont. 10. Esdræ 4. Olympiadis LXXXI. An. 2. Archonte Sosistrato. Vrbis Cond. 298. Coss. M. Valerio Maximo & Sp. Virginio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 454.

I. HIc est primus annus intermissi triẽnij sine bello inter Athenienses & Lacedæmonios; post quod quinquẽnalia fœdera inita sunt inter ipsos. Huius porro intermissi belli idem videtur author fuisse, qui postea fœderum fuit. Cimon nimirum, quem Plutarches in eius vita refert, postquam rogatione Periclis in patriam reuocatus est, sustulisse bellum, ciuitatesque in gratiã reduxisse; quod bellũ sustulisse dicit, videtur significare hoc triennium Thucydidis, quod quasi iustitium quoddam armorum inter Græcos fuit. Nec tamen statim arma in Cyprum conuersa apparet, eam quippe expeditionem, quæ partim contra Persas, partim etiam contra Ægyptios fuit, Diodorus in sequentem Olympiadem differt, quem & nos sequemur, licet potuisset non male ad præsentem referri, fauente potius quam repugnante Thucydide, & Plutarcho.

II. NÆ Romæ quidem hoc anno vllum bellum externum fuit, vt author est Dionys. Domi tamen contentiones inter Tribunos & Coss. recruduerũt, ex quib' Tribuni superiores discesserunt. Nam antea tantum in concionib' regnabant Tribuni, Senatum vocare, aut sententiam dicere eis non licuit, sed Consulum is honor fuit. Huius anni Tribuni primi Senatum conuocare ausi sunt, autore Icilio, qui Collegii eius princeps fuit, vir industrius, & pollens Romana facundia. Hic idem Auentinum collem ad ædificia plebis postulauit, & obtinuit. Collis hic est duodecim ferme stadiorum ambitu, comprehensus mœnibus, qui tum non totus habitabatur, sed nemorosus erat, & publicus.

III. DE hoc plebeis assignando Consules compellauit Tribunus, rogãs vt ex SC. id fieret; quibus rem differentibus, per Apparitorem Consules citauit ad Collegium, iussos Senatũ vocare. Apparitor repulsus est à lictore iussu Cõsulum: quod tantam indignationem mouit Collegio, vt lictorem correptum ad rupem Tarpeiã ducerent: nec Cõsules, tametsi grauiter eam contumeliam ferentes, potuerunt eum eripere; Tantum aliorum tribunorum, quorum erat intercedere, opem inuocabant. Illi autem iam ante conspirauerant nihil nouare, nisi de communi consilio, neque quemquam de Collegio intercedere voluntati plurium Collegarum. Quomodo irrita fiebat spes Patriciorum, de quopiam Tribunorum adducendo ad intercedendum reliquorum consiliis, eisque Vetando impediandis. Itaque ex præcedenti conspiratione responderunt, dẽcretum esse de lictore.

Abstinent à Icilio supplicio.

Non tamen perstiterunt in ea sententia, sed remiserunt iram, & supplicium hominum condonauerunt, seniorib^o patrum deprecantibus, veriti etiam inuidiam, quod primi morte mulctarent hominem, qui magistratus iussa fecisset: & soliciti, ne per hanc occasionem ad extreme audenda Patricij necessitatio se verterent.

IV. *Lex de prædiis vrbanis.*

DEINDE idem Icilius à Senatu impetrauit hanc ferri legem, vt quæ priuati homines bono iure parta possideant, ea penes pristinos dominos maneant. Quæ per vim, aut fraudē ædificiis occupassent, ea, restituto ex arbitrorum sententia prætio ædificationis, addici populo: quæ publica sint, ea sine pretio plebi diuidi oportere. Eam legē ea maxime ratione persuasit, etsi C. Claudio de more resistente, quod eā valere ostendit ad coërcendas seditiones agrarias. Nam inopem plebem contentam fore vrbanis prædiis, quæ nunc publica cum sint à multis tamen potentibus occupentur.

Itaque lex in præsentia Pontificum, & Augurum, duorumque sacrificorum, centuriatis comitijs perlata est à Cōsulibus, quæ in Auentino incisa est in columna ærea: deinde Plebeij areas eius soli diuiserunt sibi ad ædificia, & enllatis impendiis extruxerunt.

ANNVS MVNDI 3600. SEXTÆ ÆTAtis 84. Artaxerxis 11. Imperij Pers. 84. Esdræ 5. Eliasib. 11. Olympiadis LXXXI. an. 3. Archonte Aristone. Vrbis Cond. 299. Coss. T. Romulio & C. Veturio.

ANNVS ANTE CHRITVM 453.

I. *Solutio obsidionis Ithomæ, & quies à bellis.*

EXISTIMAMVS, vt supra significatum est, ad hunc annum, qui est secundus supra septuagesimum Iubilæum ab orbe condito, exaltationem Amani, & consilium eius de perdende Iudæorum gente pertinere: quo tēpore quies erat Persis & Græcis à bellis inter se. Per hanc tamen occasionem pacis inter Athenienses & Lacedæmonios, qui Ithomæ erant, & decimum iam annum contra Lacedæmonios obsidionem pertulerant, decimo demum anno, *a* cum hosti diutius resistere non possent, compositione cū Lacedæmonijs facta, se ipsis dediderunt; his conditionibus, vt fide publica freti, ex Peloponneso excederent, nec vnquam amplius in eam reuerterentur. Quod si quis in cā reuersus caperetur, eius, qui eum cepisset, seruus esset. Exierunt autem ipsi cum liberis, & vxoribus. Quos Athenienses exceperunt, & Naupacti collocarunt. Ea est vrbs Ætoliæ maritima, in Corinthiaco sinu, quam nuper à Locris Ozolis occupatam ceperant. *b* Romanis autem domi forisque, multum periculi ac turbarum fuit.

a Vide an. m. 3591. n. 7.

b Vide Diodorum Olymp. 81. an. 3.

II. *Amanis genus.*

QVOD ergo ad Amanum attinet, dubium est fuerit ne is natione Persa, vt ait Sulpitius, l. 2. hist. vel Amalecita, & de stirpe Agag, regis quondā Amalecitarum, quod partim asseritur, partim significatur in editione Vulg. & Hebræo, Iosepho & Ruperto, Lyrano & Rabinis omnibus; 70. tamen pro Agagita, vel Agagæo, Bugæum, & Ougæum verterunt. Perspicue tamen in editione vulgata *c* dicitur, *animo & gente Macedo*, & à 70. c. 9 Ea de re fusius disputat Sera. *d* Admodum probabile est eum Patre ac gente fuisse Macedonem, matre Persam, loco Agagæū, vt ait Caiet. siue Bugæum, antiqua denique origine Amalecitam: sicque in singulis opinionibus aliquid erit probabilitatis, nec vlla erit alteri plane contraria.

c c. 16. 10.

d in c. 3. Esther. q. 2.

Et summo gloriæ. c. 1 4. & c. 16. 6.

Quare autem ad tantum dignitatis fastigium euectus sit, vt secundus à Rege diceretur, imo & Regis Pater, & adoraretur ab omnibus post regem secundus, & omnibus Imperij Persarum prouincijs præpositus esset, distinctè, atque in particulari non traditur: etsi quidam patefactam ab eo coniurationem Eunuchorum putent; quod tamen opus fuisse Mardochæi ex Scriptura certissimum est. Vniuerse tamen eius merita significantur, *e* vbi Aman dicitur sapientia & fide cæteros præcelluisse. Postea tamen eum longe alium agnouit, & prædicauit, *f* cum illum superbū, crudelem, proditorem, pessimum mortalium appellat.

e c. 13. 3.

f Vt ex c. 16. patet.

AMANIS itaque gloria in eo constituitur. *g* Quod *Rex Assuerus posuit solium eius super omnes principes, quos habebat*, quo modo Euilmerodach rex Babylonis, exaltans Ioachin ū, *posuit thronum eius super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone.* *h* Sed hic amplius additur. *Cunctiq; serui Regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman; sic enim præceperat eis Imperator: solus Mardochæus non flectebat genu, neq; adorabat eū. Cui dixerunt pueri Regis, qui ad fores palatij præsidebant; cur præter cæteros non obseruas mandatum Regis?*

III. *In quo posita. g c. 3. Esther. h Vt habetur 4 Reg. 25. 28. & Ieremie 52. 32. a cur de homo eū non adorat.*

NON leuis est difficultas in assignanda causa negati huius à Mardochæo honoris, in qua copiosus est Serar. *i* qui refert Hebræos affirmare in Amanis veste fuisse deorum imagines picturatas, quibus honorem fecisse videretur Mardochæus, licet aliud animo spectasset. Et certe regum istorum vestes acu pictas, & varijs belluarum generibus distinctas satis indicant Herodotus, Philostratus, Martialis apud eūdem. Dico breuiter Persarum reges diuino honore à subditis suis affici solitos, eius in eodem genere supparē requirebat Aman. Quod neque Mardochæo Iudæo, neque vlli, qui verum Deum agnoscat, & colat, licitum est. Quæ ratio subobscurè in illis verbis includitur. *Dixerat enim eis se esse Iudæum.* Ne videlicet illi ostenderetur, ratio eū ex superbo animi tumore, regijs mandatis pertinacem se præbere. Cū tamen ille abstineret, eo quod id Iudæorū lege prohiberetur: & Iosephus ait Mardochæū non adorasse hominem, propter patriam institutionem, & legem.

IV. *Cur negaret adorationem i in 2. Par. lib. q. 1.*

QVÆ sine dubio ciuilem magistratuum, summorū præsertim, adorationem non reprehendit; imò exemplis sanctissimorum virorum confirmat Abrahæ, *k* & Isaac, qui benedicens Iacobo, *l Seruiant tibi*, inquit, *populi, & adorent te tribus. Esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te*; tanquam ante Dominum, *filij matris tuæ.* Et ipse Iacob progrediens adorauit pronus in terrā septies, & vxores eius, & filij eius, exemplo patris, Esau adorauerunt; sic omnes Patriarchæ Iosephum, vt summum Ægypti magistratum secundum regem, semel iterumque adorauerunt; etiā postquam eum vt fratrem agnouerent *m*, Ruth adorat Booz, *n* Dauid Ionatham & Saulem regem, & alij passim viri laudatissimi viros principes huiusmodi honore affecerunt.

V. *Quæ lege Iudæorum permissa. k Gen. 23. 7. 12. l c. 27. 29. c. 50. 18. m Ruth 2. 10. n 1 Reg. 20. 41 & 24 9.*

INTELLEXIT ergo Mardochæus Amanem diuinum à se honorem, qualis vulgo deferebatur Persarum Regib^o. postulase, qui honos modis omnibus diuina lege prohibetur; huius rei testis est ipsemet Mardochæus, qui corā Deo loquens, *o* ait, *Cuncta nosti, & scis quia non pro superbia & contumelia, & aliqua gloria cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum. Libenter enim pro salute Israel, etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem, sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem excepto Deo meo: quibus verbis res plane confecta est.* Præsertim cum eadem sententia in 70. sit, & à Iosepho repetatur.

VI. *Amon diuinum amorē expetiit. o c. 13. 12.*

Sed accedunt præterea innumera scriptorum omnium monimenta, quibus clarissimè demonstratur Persarum reges à subditis suis pro dijs haberi, & diuino cultu affici; quorum pleraque congerit Serarius, & Brissonius l. 1. de de Regno Pers.

SI ergo, inquies, hic erat mos vulgatissimus, imo lex omnium præclarissima, vt ait Artabanus apud Plutarchum in Themistocle, venerari regem, & imaginem adorare omnia conseruantis Dei, nonne Esdras, & Nehemias, & Esther regem adorabant? Quomodo ergo non timebant impietatē, aut quomodo ijs religiosior esse voluit Mardochæus? Si non adorabant, quomodo id ferebat Artaxerxes, aut quomodo ad regis conspectum admittebantur, nedum illi chari esse poterant? Nam Themistocles audiuit non posse regē alia conditione adiri, quam adoratione præuia; alioqui agendum esse per internuncios. Existimat Serar. priuilegio donatos fuisse, vbi religionem suam, Deiq; sui legem Regi aperuerunt. Id autem non difficile fuit impetrare, postquam magnam de Deo in eius animo opinionē ingenerarūt. Ex qua illa sunt eius verba de Iudæis, quos vocat filios altissimi & maximi, semperq; viuentis Dei, *Cuius beneficio*, inquit, *& patribus nostris & nobis regnum est traditum, & vsq; hodie custoditur.* *p* Ante autem, quam se vel Esther, vel Mardochæus manifestarent, potuerunt se in exterioribus

VII. *Esdras, & Esther, quo modo regem adorarunt.*

Et omnino essent adorandi.

p c. 16 v. 16.

gerere sicut cæteri, sicque neque sibi mutem, adhibita præmonitione, neque Persis legum Iudaicarũ ignaris, fuerunt offendiculo. Nam latriæ cultus in exterioribus fere non differt ab eo, qui Regibus, & summis viris defertur. Interior autem cultus ab hominibus agnosci non potest. Ideoque Naaman permissu Eliæi in templo Remmon, ad orabat Dominum, cum Rex Syriæ adoraret Deum suũ.a

a 4. Reg. 5. 18.

VIII. *Aman ægre fert se non adorari à Mardochæo.*

CVM ergo Mardochæus non adoraret Aman, sicut reliqui aulici, & non semel monitus, perseueraret nihilominus in sententia, affirmans id sibi, qui Iudæus esset, non licere, neque fas esse diuinum honorem in hominem mortalem transferre, rem detulerunt ad Amã, rati eius autoritate, vel minis hominem de sententia deduci posse. *Quod cum audisset Aman, & experimento probasset quod Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret*, & in sui contemptum, etiã regis iussionem contemni, *iratus est valde, & pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus suas, audierat enim quod esset gentis Iudææ, magisq; voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Assueri perdere nationem.* Quod esset natura Iudæis infestus, inquit Iosephus, quandoquidem Amalecitarum gens, ex qua ipse erat, à Iudæis victoribus extincta fuerat. Modus autem, quem excogitauit ad Iudæos omnes perdendos, ad initium sequentis anni pertinet, vbi de eo agemus. Nunc Romanorum motus ex Dionysio consideremus.

IX. *Noui Consules seueri Romanos turbant.*

CREATI sunt, qui de more Coss. T. Romulius, & C. Veturius: Tribuni [illegible] L. Icilius cum collegis refecti sũt, violata cito pactione inita cum Patricijs, quando Tribunorũ numerus geminatus fuit; quod indiciũ fuit nihil eos quietum aut pacificum animo agitare. Quamquam Consulum seueritas, & imprudentia ei occasionem dedit. Nam cum externi hostes iterum contra Romanos insurgerent, (magno eorũ bono, quòd sic ciuiles seditiones multò periculosiores languescerent) Consules delectum habere cœperunt, Tribunis licet de more reclamantibus, sed maiore seueritate, quam in malè affecta Repub. conueniret. Nullã enim excusationem recipiebant, sed legum pœnas in bona, & corpora segnius parentium intentabant; multos quoque, etiam tribunitia potestate functos in carcerem conijciebant.

X. *Tribuni exasperant.*

QVÆ intempestiua seueritas occasionem Tribunis plebis turbandi dedit, vt pro concionibus vociferarentur in Consules: quibus cum nihil proficerent, aggressi sunt factis delectui obsistere, plerisque sibi de plebe adiunctis. At Consules, quibus præsto erat iuuentus patritia, eos ita repellebant, vt interdum non temperaretur à manibus. Delata à Tribunis ad Senatum querela, cum ab eo impotentiæ arguerentur, & iniuriarum in Consules, quos etiam ausi essent in carcerem per apparitores suos velle ducere; cum non liceret eis minimo Patricio, nedum Consuli, sũmo magistratu fungenti, inconsulto Senatu diem dicere: minati sunt, si illi plebem vocarent ad calculos, se ad arma vocaturos patricios. Re infecta à Senatu discesserunt, & reuersi ad populum consultabant, quid facto opus esset. Aliqui secessionem in montem sacrum suadebant: alij violatoribus Tribunorum mortem, aut exilium inferendum; alij denique in adiutores Consulum iram esse deflectandam putabant, & ab ijs pœnas sumendas, quæ statutæ essent legibus.

Et Senatus ipse.

XI *Repudio permissum Tribuni Coss. diem dicunt.*

QVOD si, inquit Dionys. illa die Tribuni iram non abstinuissẽt à Coss. & Senatu, nihil vetabat quin ea die Ciuitas seipsam perderet: adeo omnes ad arma, & bellũ ciuile parati erant. Nihilominus dicta est dies Coss. in trinundinũ, quã pecunijs mulctarẽtur; & tamẽ instãte iudicij die, ab eo proposito destiterũt deprecatione honoratissimi cuiusq;.

Post hæc pro concione populum allocuti, dixerũt culpam in se admissam remittere se, in gratiam eorum, quibus nihil negare fas putabant; iniuriam vero ipsi plebi factam vlturos, ne malo exemplo noceat. Promulgaturos enim se legem agrariam, per annos triginta iam extractam; tum eã quæ de æquando iure à proximis tribunis perferri non potuerat. Qua in re videa Tribunorum istorum improbitatẽ. Nam legi agrariæ iam renunciarant si eis Auentinus collis, aliave vrbana prædia ad ædificandum darentur. Illi quoque iuris æquitati, aut iniquitati potius, nuncium remittebant, si ei Tribuni duplicarentur: vtrunque factum, & tamen ad improbas, atque importunas postulationes nihilo secius prorumpunt, & iureiurando spondent non quieturos se, donec ista obtinuerint.

XII. *Promulgant legem agrariam Sicinnius dentatus queritur.*

SIMVL diẽ populo ad ferenda suffragia edicũt, quæ cum aduenisset, multi de plebe pro lege dixerunt, in quibus L. Siccius, siue, vt alijs placet, Sicinius Dentatus, qui plerisque militarib. suis facinorib. & meritis inuidiose enumeratis, conquestus est se ne digitum quidẽ agri, tot vulnerib. acquisiti, possidere, sicut nec quenquã Quiritium: sed violentissimos quosq;, qui nihil in ijs acquirendis laude dignum egissent, & tamen plebi, quæ ea peperisset, & omnibus eius fautorib. infestos se præbuissent; & recens Tribunos ipsos indignum in modũ violassent: adeo vt pugnis petiti & calcib. foro excedere coacti essent. Deniq; autor fuit populo vt suffragia pro legẽ ferret, Tribunis, vt quoniam Cõsulibus magistratum abrogare non decet, priuatos eorum violentiæ ministros in iudicium populi adducerent: nec quemquam, qui legem vellet dissuadere, admitterent; hoc postremum improbauit Icilius, & facta cuiuis contra dicendi in crastinum potestate, concionem dimisit.

XIII. *Leg. agrariæ populo sanctam à patribus impediuntur.*

TVM Coss. domi cœtum Patrum habuerunt, eorũ præcipue, qui magis autoritate & opibus pollerent, eosq; docuerunt modis omnibus legi obsistendum, nõ verbis modo, sed, si opus esset, etiã factis. Iusseruntq; vt mane in forũ cõuenirent, cũ amicis, & clientibus quãplurimis, pars circa tribunal in comitio cõsisterẽt, alij passim diuersa fori loca occuparẽt ne plebs posset in vnũ coire. quod cũ factũ fuisset, tantus fuit partim acclamantiũ, partim reclamantium strepitus, pars contentione Consulum, atque Tribunorũ, vt magna diei pars frustra absumeretur. Cumque plebs posceret calculos, patricij iuuenes, plebeios in suas tribus secedere parantes, impediebant, & vrnas cum calculis eripiebant, ministros ad id assignatos pulsantes, ac proflig antes è foro. Tribunis vero vociferantibus, & in mediam aduersariorum turbam se proijcientibus, ipsis quidem cedebant, quacunque se inferrent: cæteros plebeios, qui vellẽt illos sequi, non permittebant, vt nihil opis esset in eorum magistratibus; sicque patricij perfecerunt, ne lex eo die perferretur. Tres præcipue familiæ Consulibus constanter affuerunt, Posthumij, Sempronij, Clœlij. Quibus postea Tribuni diem dixerunt, quod contra sacratas leges, quas de Tribunis S.P.Q.R. tulerat, ipsi eos cohibuissent, ne cognitionem de lege perferrent ad populum, eisque mulcta imponeretur, vt eorum bona Cereri consecrarẽtur. Quod & factum est, absentes rei damnati sunt: sed eorum bona patricij æquo pretio redemerunt, & suis dominis restituerunt. Et hic fuit eius contentionis finis.

Tres familiæ partem poena afficiuntur.

XIV. *Aequi Romanos aggrediuntur.*

NEC ita multo post, rursus Tribunis legem promulgantib. interuenit nuncius de hostib. per agrũ Tusculanum, magno agmine Romã properantib. Senatus decreuit ambos Consules Æquis ire obuiam, qui cum iuberent ciues ad militiam dare nomina, Tribuni conati sunt seditionem renouare impediendo delectus, sed frustra. Factũ est enim SC. vt Patricij bellum sustinerent cum suis clientib. & ijs ciuibus, qui sponte pro patria vellent bellum suscipere, quibus sperarent deos fore propitios, reliquis desertoribus Cõsulum, iratos. Eo SC. recitato pro concione, multi plebeiorum sponte nomina dederunt. Quin etiam Siccius ille Dentatus dudum acerbus accusator, nomen dedit cum cohorte octingentorum emeritorum, qui in eius gratiam iterum militiam sequebantur; breuique instructissimus exercitus, & satis numerosus comparatus est.

Aegre cogitur in eos exercitus.

XV. *Dentatus, pugna parat.*

QVO cognito hostes non expectauerunt eius aduentũ, sed in sua recipiebant se. Verum Consules properato itinere eos ad Antium assecuti sunt, in prærupto quodam loco castra metatos, qui & ipsi non procul ab eis castra posuerunt. Et aliquandiu exercitus vterque intra suum vallum se continuit. Cumque Æqui Romanos vltro lacesserent, & pugnæ se auidos ostenderent, iussit Romulius Consul Siccium, per obliquam quandam viam conscenso monte, castra hostium aggredi, dum ipsi in acie pugnarẽt. Quod cum ille parũ probaret, licet paratũ se ad obtẽperandũ præberet, quod videret se suosq; loci iniquitate,

Dentatum Consule temper. & Sicinnio dedit.

in ma-

in manifestum ruere exitium à Consule præparatum, & aliud quiddam suaderet; Consul non solum imperiosè, sed contumeliosè etiam repulit eius orationem. Ille autem contestatus, alterutrum Consuli esse propositum, vel viuo partam iam gloriam ignominiosè obscurare, vel obscuro exitio eum perdere: & exercitui lacrymanti valedicto, socios ad hostium castra; non qua Consul ostenderat, sed per densissimum saltum deduxit, sic vt è superiore loco posset in hostilia castra irrumpere.

XVI. Tagmatur gloria Siccij factum.

INTEREA concurrerant acies, & dimicabant fortiter, diu neutram in partem inclinante victoria. Cum Sicciana cohors celeriter deuolauit à vertice, clamoremque ingentem sustulit. Tam inopinato casu consternati hostes, nec opinati tam paucos esse, sed adesse alterum Consulem, è castris proiecerunt se, ne arma quidem plerique retinentes. Tum Æqui vbi castra capta intellexerunt, & hostem à tergo viderunt, omisso certamine in fugam se quaquauersum dederunt, quos Romani, ad noctem vsq; tergo hærentes, occiderunt; Maxime Siccius, qui nocte cohortem in castra à se capta reduxit, ingenti plenam lætitia: erant quippe omnes incolumes, atque integri, non solum euitato imminenti periculo, verum etiam parta maxima gloria, Patrem suum appellantes, seruatorem ac Deum. Qui mox laudem suam turpi inuidiæ ac vindictæ facinore corrupit.

XVII. Eiusdem aliud facinus, ac vindicta plebium.

IAM enim media nox erat, cum vlturus Consulem voluit laudem victoriæ eius corrumpere. Nam sumptis armis vna cum socijs. Primo quidquid erat in castris aut hominum, aut iumentorum contrucidat; deinde incendit tentatoria, frumento, vestimento, armis, alioq; omni apparatu referta: inde sub diluculum Romam venit, & tota Tribunis, & eorum iussu populo in concionem adducto, quam inuidiosissime narrata, publicum Consulibus excitauit odium, vt ne Senatus quidem id æquo animo ferret, nec triumpho, aut solitis honoribus eos dignaretur. Siccio autem quam summum potuit honorẽ plebs tribuit, eumq; primis comitijs Tribunum creauit, vt maiori cum potestate rursum Consules vlcisci posset. Qui vtique pœnam seditiosæ intemperantiæ merebatur, & damni in Rempub. omnesque socios illati, quibus prædam non leuem laborum suorum corruperat.

Odium Romæ in Consules excitat.

ANNVS MVNDI 3601 SEXTÆ ÆTATIS 85. Esdræ 6. Artaxerxis 12. Imperij Pers. 85. Eliasib. Pont. 12. Olympiadis LXXXI. An 4. Archonte Lysicrate. vrbis cond. 300. Coss. Sp. Tarpeio, & A. Ternio. siue Aterino.

ANNVS ANTE CHRISTVM 452.

I. Res anni huius. a Esth. c. 7. cap. 4. 5. 6.

RELIQVVM fere historiæ, & liberi Estheris a ad hunc annum pertinet, quo sors in vrnam de perdendis Iudæis mittitur, Regis consensus impetratur, literæ per totum imperium dimittuntur. Mardochæus, & Regina, & vniuersi Iudæi fletibus se precibus ac ieiunijs dedunt. Esther ad conuiuium Regem, & Amanem vocat, Aman parat suspendium Mardochæo, quem tamen cogitur summo honore afficere. Moxque à conuiuio in crucem hosti paratam cum suis agitur. Mardochæus eius dignitati subrogatur, & prioribus literis per noua decreta antiquatis, Iudæi de hostibus suis pœnas sumere parant. In Græcia hoc quoque anno quiescitur. Romæ contra, Tribunos inter, & eos qui proxime Consulatu abierant lites. Indeque legatio legum causa in Græciam destinata. Sed à sacra historia, vt par est, duramus initium.

II. Sortitio Amanis pro perdendis Iudæis. b Prou. 16. 33

CVM fixum esset crudeli & superbo Aman, contemptũ sui omnium Iudæorum interitu vindicare, rei exequendæ tempus sorti committendum putauit, & descriptis mensium omnium nominibus, & in vrnam coniectis, b Dei sortes attemperantis nutu mensis duodecimus exijt: & rursũ altera sortitione, dies eius mensis decimus tertius, siue, vt est in Græco, decimus quartus. Sortitio autem facta est, vt habet Scriptura, c *Mense primo, cuius vocabulum est Nisan, anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in vrnã, quæ Hebraicè dicitur*

c Esth. 3. 7.

Phur, coram Aman, quo die, & quo mense Gens Iudæorũ deberet interfici, & exiuit mensis duodecimus, qui vocatur Adar. Apparet autẽ hic primùm temeritas hominis, qui prius sortitur quo tẽpore sibi inuisos Iudæos interfecturus sit, quã à Rege tanti, tamque difficilis facinoris potestatem petierit, aut impetrarit.

III. Amanis temeritas & imprudentia.

APPARET secundò, quod non viderit tantum temporis interuallum rebus suis parum conuenire; cum eo tempore Iudæi multa moliri, multa agere contra ipsum, vel contra regem, in tam multis eius imperij locis, ex summa animi desperatione possent; aut certè, quod minimum est, fuga sibi consulere, & omnia eius consilia irrita reddere Apparet 3. inconsulta petitio eius, nec minus inconsultum decretum; cùm populus, in quem ista clades struitur, ne nominetur quidem: sed tantum quibusdam conditionibus circumscribatur, quæ partim negari possent, partim alijs conuenirent. Apparet & diuina prouidentia, quę longissimum tempus sortibus ordinarit, vt intra id tempus remedium imminenti malo adhiberi posset. Notant vero plerique Pur, siue Phur non Hebraicam esse vocem, sed Persicam, eam tamen ab Hebræo fonte Pagn. פרר deducit, quod significat confringere, & conterere, vnde & significat torcular, in quo vuæ, vel oliuæ confringuntur; & simpliciter vas, in quod sortes conijciuntur, & per metonymiam sortem ipsam.

IV. Aman petit à rege vt Iudæi pereant.

DIXITQVE *Aman regi Assuero: Est populus per omnes prouincias regni tui dispersus* vt si malus est, vbiq; nocere possit, *& à se mutuo separatus*, vt facilius opprimi possit, *nouis vtens legibus, & ceremonijs*, nouis scilicet in Perside; at in sua regione antiquissimis, & regno ipso Persarum mille annis antiquioribus. *Insuper & regis scita contemnens*, vt Mardochæus præceptam adorationem. *Et optime nosti, quod non expediat regno tuo, vt insolescat per licentiam.* Innuit eadem, quæ scripserant iampridem hostes Iudæorum ad Cambysem, a vbi Ierusalẽ dicitur ciuitas rebellis, & pessima tributa negans regibus, & nocens regibus & prouincijs. Addit aliud arg. Iosephus, gratum fore subditis eius, si funditus extirpetur gens, reliquorum populorum moribus, & studijs infensa: & ex ea nemo plane, vel ad seruitutem reseruetur. Et ne forte Rex causetur imminutionem tributorum, quæ Iudæi vbique plurima penderent, ei obiectioni, occurrens ait, *si tibi placet, decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcarijs gazæ tuæ.*

a 1. Esdr. 4. 12. 13.

V. Maxima vi pecuniæ tum ærario tributa.

HANC quoque rationem vidit Iosephus, sed parum fideliter expressit. *Et ne quid inde, inquit, tuis tributis decedat, de meis bonis promitto tibi quadraginta talentorum argenti millia*, libenter tanta pecunia cariturus, modo regnum tuum repurgetur ab ista hominum colluuie. Fideliter reddidit interpres 4. myriades. Septuaginta habent argenti talenta decem millia, quomodo editio vulgata, & Hebræa; quam Iosephus ambitiose quadruplo auxit, vt intelligeretur, quã vtiles essent Iudęi imperio principũ. Sed vel quarta huius pecuniæ pars satis ostendit, quantam exerceant tyrannidem in animos hominum turbulentæ istæ bestiæ, morbus inquam iræ, superbiæ, cæteræque pestes, quæ tantam vim diuitiarum profundere cogant, tantam hominum innocentum carnificinam vbique terrarum exercere non vereantur.

VI. Consentit rex in cladem Iudæorum.

AT Rex, cuius mens, atque animus ab Amane possidebatur, nihil in ea re inquirendum putauit; sed quod ei bonum, atque vtile imperio Persarum visum esset, id sine dubitatione rectum, atque amplectendum censuit; & in populi, quem accusator ne nominabat quidem, summam perniciem consentit, non secus, ac si sordes quædam hominum, puta maleficorum, sacrilegorum, rebellium, prædonum, regno exterminandæ essent. Eum quippe hominem toto regno sapientissimum, atq; fidelissimum credebat: perspicuo exemplo inhumanæ crudelitatis tyrannorum in Christianos. *Tulit ergo Rex annulum, quo vtebatur, de manu sua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Iudæorum, dixitque ad eum; Argentum, quod tu polliceris, tuum sit de populo age quod tibi placet. Vocatique sunt scribæ regis mense primo Nisan, tertia decima die eiusdem mensis, & scriptum est, vt iusserat Aman, ad omnes satrapas regis, & iudices*

Eique pecuniam suam remittit.

prouinciarum, diuersarumque gentium, vt quæque gens legere poterat, & audire pro varietate linguarum ex nomine regis Assueri. & literæ signatæ ipsius annulo missæ sunt, per cursores regis, ad vniuersas prouincias, vt occiderent, atque delerent omnes Iudæos, à puero vsque ad senem, paruulos & mulieres vno die, hoc est tertio decimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent. Ex vltimis verbis corrigendum videtur, quod ex Diuo Hieronymo habetur in fin. cap. 12. & legendum diripenent, & non diripuerunt.

VII. *Exemplar epistolæ regiæ* (?)

IVSAMET epistola, cuius hic summa traditur, habetur infra cap. 13. *Epistolæ autem hoc exemplar fuit. Rex maximus Artaxerxes, ab India vsque ad Æthiopiam, 127. prouinciarum principibus & ducibus, qui eius imperio subiecti sunt, salutem. Cum plurimis gentibus imperarem, & vniuersum orbem mea ditioni subiugassem.* Constat ex superioribus, hæc magnifice potius dicta esse quam vere. Ægyptus tamen imperio restituta, ibique bene gestis res contra Athenienses animos Persæ faciebat, pergit. *Volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia & lenitate gubernare subiectos, vt absque vllo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur.* Huc quidem maxime, secundum Dei cultum, spectare debent omnium principum studia, hunc intueri finem. Nam præceptis apostolicis instituti, oramus, *pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate.* (a 1. Tim. 2. b) A quo scopo multum aberrabat hic princeps, dum subditos toto imperio sparsos, & alioqui quietam, & tranquillam vitam agentes, turbare; imo vita, ac fortunis omnibus euertere, innocentes, ignotos, inauditos, contra omnem iuris formam temere consensit, ac mandauit.

VIII. *Mandatum Iudæorum cædis.*

VNAM autem quam inent stabiliendæ pacis viam, *Quærente*, inquit, *me à consiliarijs meis, quomodo posset hoc impleri, vnus qui sapientia, & fide cæteros præcellebat, & erat post Regem secundus Aman nomine, indicauit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui nouis vteretur legibus, & contra omnium gentium consuetudinem faciens, Regum iussa contemneret, & vniuersarum concordiam nationum sua dissensione violaret. Quod cum didicissemus, videntes vnam gentem rebellem aduersus omne hominum genus peruersis vti legibus, nostrisque iussionibus contraire, & turbare subiectarum nobis prouinciarum pacem atque concordiam, iussimus, vt quoscunque Aman qui omnibus prouincijs præpositus est, secundus à Rege, & quem patris loco colimus, monstrauerit, cum coniugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis, nullusque eorum misereatur, quartadecima die duodecimi mensis Adar anni præsentis; vt nefarij homines vno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem, quam turbauerant.*

IX. *Defertur regium edictum.*

PONITVR hic rursum dies 14. mensis 12. cum in Hebræis, Latinis, & Chaldæis exemplaribus legatur 13. imo & in Iosepho, vbi hanc ipsam epistulam transcribit. An significatur ita occidendos esse Iudæos omnes 13. die, vt non liceat vltra decimum quartum diem cuiusquam ipsorum misereri? Cæterum cum hæc epistola ab ipso Amane dictata fuerit, apparet hominis superbia, qui tam magnifice ipse de se, semel iterumque, loquutus, quamuis Regis Persona tectus.

Et pendet in Susan.

Cum his ergo literis *festinabant cursores*, Angaros Persæ vocabant, de quibus supra, *qui missi erant Regis imperium explere, vt omnes prouinciæ scirent, & pararent se ad prædictam diem. Statimque in Susan pependit edictum. Rege & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis, qui in vrbe erant, flentibus.* Iosephus ex 70. *perturbata ciuitate, & futuri expectatione suspensa,* sine Iudæorum mentione, quam D. Hieron. explicationis causa inseruit, & antitheseos clarius ostendendæ.

X. *Luctus Mardochæi.* b Esth. 4. 1.

QVÆ b *cum audisset Mardochæus scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti, & in platea ciuitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui.* In Septuaginta legitur enim clamasse. *Tollitur gens, quæ nihil iniuste egit.* Vnde Iosephus. *sparsus cinere ferebatur per vrbem, iniquum facinus clamitans, maximam gentem euersioni esse addictam.* Rectius addidisset sine culpa, sicut & Septuag. verum facile intelligitur in maxima gente plurimos esse innocentes: & cum hoc eiulatu vsque ad fores palatij gradiebatur, nec in ipsum palatium penetrabat, licet ius haberet iam pridem acquisitum: non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare. Eo tamen hanc querelam peruenire oportebat, vnde malum erupetat, & remedium sperari poterat.

XI. *Defertur ad Estheram.* v. 3.

IN omnibus quoque prouincijs, *oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus, sacco & cinere multis pro strato vtentibus. Ingressæ autem sunt puellæ Esther, & eunuchi, nunciaueruntque ei,* quid scilicet à Mardochæo, & reliquis Iudæis fieret. Ex quo tamen non infertur, aut puellas, aut eunuchos, Estheræ cubicularios, sciuisse genus eius: nunciauerunt enim quasi rem nouam, mirabilem, luctuosam, nihil cogitantes an res ipsam Reginam attingeret. Ipsa nihilominus *hæc audiens, consternata est. & vestem misit, vt ablato sacco induerent eum,* vt palatium honesto habitu adire posset, & forte cum Regina colloqui, forte inquam. Nam mulieres regiæ magna cura clausæ tenebantur, propter incredibilem Persarum zelotypiam.

XII. *Persarum zelotypia.*

PLVTARCHVS in Themistocle id affirmat. *Nationes barbaræ*, inquit, *fere, & præter cæteras Persica, æmulatione erga mulieres aspera natura sunt, & atroces: neque enim vxores solum, sed ancillas quoque emptitias, & pellices anxia seruant custodia, ne à quoquam extrinsecus conspiciantur, verum domi degant conclusæ & per viam vndique septa in tentorio vehantur curribus.* Cuius etiam rei argumentum est, quod Themistocles tectus instar concubinarum, ignotus omnibus, ad regem in vehiculo delatus est, quasi Ionica muliercula. Quod Phædima Otanis filia Magi Regis concubina, vt scribit Herodotus, (lib. 3.) ne cum patre quidem suo palam colloqui poterat: imo ne cum alijs quidem concubinis, sed lucis disclusæ solitariam vitam agebant, vt si quid cum alio agendum esset, id per cubicularios internuncios, siue eunuchos agere oporteret, quod nunc in Mardochæi, & Iudæorum causa contigit, vbi Athach. crebris internuncijs huic negotio seruit. (cap. 4. 5. 6.)

XIII. *Colloquium Estheræ & Mardochæi.*

ACCITO *enim Athach eunucho.* Septuag. & Iosephus Achratæum vocant, *quem Rex ministrum ei dederat, præcepit ei, vt iret ad Mardochæum, & disceret ab eo, cur hoc faceret. Egressusque Athach iuit ad Mardochæum, stantem in platea ciuitatis, ante ostium palatij, qui indicauit ei omnia quæ acciderant, quomodo Aman promisisset, vt in thesauros regis pro Iudæorum nece inferret argentum. Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susan dedit ei, vt reginæ ostenderet, & moneret eam vt intraret ad regẽ, & deprecaretur eum pro populo suo.* Fidelissimũ fuisse hunc Eunuchũ necesse est, cui Regina gentem significat, quam ne Rex quidem adhuc didicerat. Regressus Athach nunciauit Esther omnia, quæ Mardochæus dixerat. Quæ respondit ei, & iussit, vt diceret Mardochæo; Omnes seruos regis, & cunctas, quæ sub ditione eius sunt, prouincias nosse, quod quicunque non vocatus interius atrium regis intrauerit, statim interficiatur, nisi Rex auream virgam in signum clementiæ ad eum tetenderit. *Ego igitur*, inquit, *quo modo ad regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non sum vocata ad eum?*

XIV. *Per Athach internuncium.*

QVOD *cum audisset Mardochæus, rursum mandauit Esther, dicens: Ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es pro cunctis Iudæis*, in quibus verbis videtur Mardochæus quadam suspicione tangi, ne forte Regina communem Iudæorum causam negligeret, quod ipsa extra periculi aleam, propter suam dignitatem, constituta esset, persuaderetque sibi, se, alijs pereuntibus, seruatum iri. Vnde Septuag. Esther ne dixeris tibi, quia saluaberis sola in regno præter omnes Iudæos: quod nescio an Iosephus satis expresserit, cum ait missum à Mardochæo eunuchum, qui diceret non oportere eam respectum habere salutis propriæ, sed vniuersi generis. Pergit autem timorem Reginæ incutere, & monere, vt se diuinæ prouidentiæ instrumentum exhibeat. *Si enim*, inquit, *nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi, & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?* Hanc clausulam, quæ ad diuinam prouidentiam pertinet, imprudenter omisit Iosephus: priorem autem amplificat, addens per quos peritura esset Esther, cum

domo

domo patris sui. *Sic enim, ait, hoc nunc facere negligat, Deum quidem omnino laturum suis auxilium, ipsam vero cum sua familia daturum pœnas eis, quos tunc contemneret.*

XV. *Esther ſermo adre periculum.* RVRSVMQVE Esther, *hæc Mardochæo verba mandauit. Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Susan reperéris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo, & tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradensq; me morti, & periculo.* In Hebræo vt notat Vatablus, ad verbum est, *& quando peribo, peribo*: id est, si contingat me perire, pro salute populi mei, libens peribo. Sicque suspicionem de animo Mardochæi euellebat, & eximium amoris in patriam ac ciues suos argumentum præbebat. Cæterum triduum ieiunij, saltem quod ad Estherem attinet, per synecdochem more scripturarum accipiendum est; nam die tertio venit ad regem, quo die induta est regalibus vestimentis, & cum Rege & Amane conuiuata est. Vt mox initio capitis quinti legimus.

Cap. 13. 8. IVIT itaque Mardochæus, & fecit omnia, quæ ei Esther præceperat. Ita terminatur caput quartum, cui attexenda sunt, quæ cap. 13. v. 8. habentur, quæ Diuus Hieronymus refert ex Septuaginta, & editione vulgata: & habentur cap. 4. in Septuag. Xisti: sicut & quæ in latinis c. 14. consequenter de Estheris oratione recitantur. Eadem omnia, eodem narrationis filo contexit Iosephus, vestigia Septuag. suo more ac modo secutus: non autē Hebræa, vt ipse profitetur, maiore multo confidentia, quam veritate.

XVI. *Mardochæi ad Deum oratio.* MARDOCHÆVS *autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum eius, & dixit, Domine, Domine, Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel. Tu fecisti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ. Cuncta nosti, & scis, quia non pro superbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt nō adorarem Aman superbissimum: libenter enim pro salute Israel, etiam vestigia eius deosculari paratus essem. Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quenquam adorarem excepto Deo meo. Et nunc Domine rex, Deus Abraham, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, & hæreditatem tuam delere. Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto. Exaudi deprecationem meam, & propitius esto sorti, & funiculo tuo, & conuerte luctum nostrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium.*

XVII. *Quæ in oratione notanda.* SAPIENS plane, atque efficax oratio, & quæ nobis Deum orantibus, & aliquid obtinere satagentibus exemplo esse possit. Vide vt diuinam potentiam exaltet, cui nemo possit obsistere; sapientiam, quæ intima corda, intentionesque peruideat; tum statum causæ suæ, cum magna animi demissione exponat: qua Deo non minus placet, quā zelo illo suo erga diuinum honorem nulli communicabilem, quem præ se fert. Inde ad petitionem opis delabitur, quam implorat, tam Abrahæ meritis, quā antiqua electione populi huius, & commemoratione pristinorum beneficiorum. Postremo & gratitudinis pollicitatione, *vt viuentes*, inquit, *laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium*: quasi dicat, tua enim interest, vt nobis opem feras. Nam soli sunt toto orbe terrarum Iudæi qui te colant, & celebrent; si eos perire patiaris, omnium etiam ora te canentium clauseris. Et cum solus omnium laudari, & coli ab omnibus gentibus, quarum conditor es, debeas, solus omnium taceberis, & ignoraberis, & solus inimicus tuus dæmon coletur ab omnibus, solus laudabitur, solus adorabitur. *Et quid facies magno nomini tuo?*

XVIII. *Orat quoque populus.* OMNIS quoque Israel pari mente, & obsecratione clamauit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

Et Regina. *Esther quoque confugit ad Dominum, pauens periculum, quod imminebat. Cumque deposuisset vestes regias, fletibus, & luctui apta indumenta suscepit, & pro vnguentis varijs, cinere & stercore impleuit caput*; quantum humilitatis, & feruoris pœnitentiæ in Regina exemplum! & corpus suum humiliauit ieiunijs, omniaque loca, in quibus antea lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit. Et deprecabatur Dominum Deum Israel, dicens. *Domine mi, qui Rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus est auxiliator alius. Periculum meum in manibus meis est. Audiui à patre meo, quod tu Domine tulisses Israel de cunctis gentibus, & patres nostros ex omnibus retro maioribus suis; vt possideres hæreditatem sempiternam, fecistiq; eis sicut locutus es.*

XIX. *In eadem oratione.* PECCAVIMVS *in conspectu tuo, & idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum: coluimus enim deos eorum. Iustus es Domine. Et nunc non eis sufficit, quod durissima nos opprimunt seruitute, sed robur manuum suarum idolorum potentiæ deputantes, volunt tua mutare promissa, & delere hæreditatem tuam & claudere ora laudantium te, atq; extinguere gloriam templi, atq; altaris tui*, quod tempore autem regis huius restauratum fuerat, *vt aperiant ora gentium, & laudent idolorum fortitudinem, & prædicent carnalem regem in sempiternum.* Vides vt zelum Dei, qui negat se gloriam suam alteri daturum, ad æmulationem prouocare conetur, posito eius contemptu, & gloria idolorum, quę ipse detestetur. In eandem sententiam subdit. *Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt: ne rideant ad ruinam nostram, sed conuerte consilium eorum super eos, & eum qui in nos cœpit sæuire disperde.*

XX. *Reliqua Estheræ oratio.* MEMENTO *Domine, & ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, & da mihi fiduciam Domine rex deorum, & vniuersæ potestatis. Tribue sermonē compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius ad odium hostis nostri, vt & ipse pereat & cæteri qui ei consentiunt. Nos autem libera manu tua, & adiuua me, nullum aliud auxilium habentē, nisi te Domine, qui habes omnium scientiam, & nosti, quia oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircumcisorum, & omnis alienigenæ. Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud, quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei. Et quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit conuiuium Regis, & non biberim vinum libaminum. Et nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, vsque in præsentem diem nisi in te Domine Deus Abraham. Deus fortis super omnes exaudi vocem eorum, qui nullam aliam spem habent, & libera nos de manu iniquorum, & erue me à timore meo.*

XXI. *Pietas Estheræ.* HACTENVS Estheris oratio, apta ad conflandum odium hostibus Dei, atque Iudæorum; Dei autem populo misericordiam: & cum eadem esset causa orandi Mardochæo, & Estheri, eundem etiam spiritum habuerunt, qui eadem postularet pro ipsis, gemitibus inenarrabilibus; pari fide, constantia, demissione animi, pari zelo diuinæ gloriæ, pari fiducia & odio inimicorum Dei. Sed illa super omnia mirabilis est animi puritas, quod coram Deo, qui scrutatur renes & corda, profitetur se inter tot, & tantas opes, delicias, & corporis insuper sui, animique dotes, nunquā vlla in re lætatā esse, *nisi in Domino Deo suo*: idq; in lege vmbratili, quę nihil ad perfectū adduceret, in regali pompa, in medio incircumcisorum, longe à sacrificijs sanctis locis, & in tempore dissimulatæ religionis suæ. Hæc qui faciat, non illum cum summis hominibus comparo, sed simillimum Deo iudico.

C. 5. & c. 15. Deinceps sequitur, cap. 15. quod habet rogationem Mardochæi ad Esther, quæ videtur facta tempore ieiunij prædicti, vt etiam currentem vehementius excitaret. Verum tres primi versus, ne in textu quidem Græco habentur; versus a. 4. & deinceps sequentes, eandem narrationem continent, quæ capite quinto in Hebræis, Græcis, Chaldæis, & Latinis continentur, sed cap. 5. ex Hebræo, 15. ex Græco translatum est: in quo supplentur, quæ in Hebræo breuius perstringuntur, ex quibus vnica narratio facile hoc modo contexetur.

XXII. *Adit regem magnifice apparata ... Complor. Iudicat.* DIE *autem tertio deposuit Esther vestimenta ornatus sui, a & induta est regalibus vestimentis, & circumdata est gloriâ sua. Cumque regio fulgeret habitu, & inuocasset omnium rectorem & saluatorem Deum, assumpsit duas* [illegible] *las, & super vnam quidem in*[illegible]*tur, quasi præ delicijs, & nimia teneritudine corpus suum ferre* [illegible] *stinens: altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans. Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, & gratis, ac nitentibus oculis, tristem celabat animum; & nimio timore contractum. Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius contra basilicam regis. At ille sedebat super solium suum, in consistorio pa-*

Esth. 5. ...

laci*j*,

latij. *contra domus, indutus vestibus regijs, auroq; fulgens, & pretiosis lapidibus: eratq; terribilis aspectu, cumq; eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput.*

XXIII. *Quem Deus mansuefacit.* CONVERTITQVE *Deus spiritum Regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exiliuit de solio; & sustentans eam vlnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur. Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere; non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus* (reliquis) *hæc lex constituta est*, siue pro communi populo nobis subiecto; vnde & mox legem dicit nostram, non autem meam: quod plurimum valuit ad animandam reginam animo deficientem. *Iubet*, inquit Iosephus, *bono animo esse, & securam, quod inuocata venerit; legem enim illam latam esse in subditos, ipsi vero vt regni sociæ, licere. Accede igitur, & tange sceptrum.* Cumque illa reticeret, tulit auream virgam, & posuit super collum eius, & osculatus est eam. Iosephus addit nonnihil; hæc locutus, inquit, sceptrum in manum eius inseruit, & ceruicem virga eius permulcens aurea, à legis metu omnino fecit liberam. Pergit Rex, & ait. Cur mihi non loqueris?

Et blanditur Esther.

XXIV. *Responsio reginæ examinatur.* QVÆ respondit. *Vidi te Domine, quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum pro timore gloriæ tuæ.* Hoc prouerbium inter Hebræos vsitatum innuit, non ignotam Regi huic legem, & instituta, moresque Iudæorum. Alioqui parum meditata fuisset Estheris oratio; ex quo etiam Artaxarxes Longim. qui Esdræ & Nehemiæ familiaris fuit, confirmari potest. Significat autem prouerbium dignitatem alicuius, & speciem fulgore, & maiestate plenam, humana augustiorem. *Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* Videantur hæc fortassis adulatoria, parumque consentanea illi terribili aspectui, & ardentibus oculis furorem pectoris indicantibus. Verum hæ gratiæ, quæ à regina prædicantur, pertinent ad Regem diuinitus iam conuersum in mansuetudinem, & suauiter Reginæ blandientem: erantque tanto gratiores, quanto minus expectatæ. Itaque dici non solum sine adulatione, sed etiam sine amplificatione potuerunt. *Cumq; loqueretur, rursus corruit, & pene exanimata est. Rex autem turbabatur, & omnes ministri eius consolabantur eam. Cumq; vidisset Esther reginam stantem*, postquam secundo rediit ad se, & Rex in solio suo resedit, *placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat. Quæ accedens osculata est summitatem virgæ eius, Dixitq; ad eam Rex. Quid vis Esther regina, quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.*

Iterum examinatur.

cap. 15. 16.

XXV. *Inuitat Regem ad conuiuium, & cur non statim petat.* AT *illa respondit. Si regi placet obsecro, vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium quod paraui.* Noluit Esther statim aperire petitionem suam, sed eum magis sibi demereri conuiuio: in quo etiam factus hilarior, facilius postulata concederet. Accedit, quod multi aderant, quos abesse optabat, & aberat Aman, quem maxime adesse oportebat. *Statimq; rex, vocate*, inquit, *cito Aman, vt Esther obediat voluntati. Venerunt itaque Rex, & Aman ad conuiuium, quod eis Regina parauerat.* Prandiumne fuerit, an cœna dubitari potest; certe paulo infra Aman ait se postridie cum Rege pransurum: & Iosephus cœnam appellat, quod communi conuiuij nomine Scriptura vocat: Serarius rem ambiguam relinquit. Existimo tamen reuera vtrumque conuiuium prandium fuisse, idque confirmant quæ vtroque die, post cibum sumptum, facta fuerunt; quæ ægre admodum in vespertini temporis angustias cogi possunt. Nam à prioris diei conuiuio, quod breue non fuit, in eo enim strenue potatum est, venit Aman in domum suam, conuocauit amicos, consultauit cũ eis de perdendo Mardochæo, denique decretum, & paratum est patibulum inusitatæ magnitudinis. Ab altero autem conuiuio ro[...] tragœdia catastrophe peracta est.

Videtur fuisse prandium.

XXVI. *conuiuium ...* VENTVM est ergo ad conuiuium matutinum Estheris. *Dixitq; ei rex, postquam vinum biberat abundanter*; Sic interpretatus est Diuus Hieronymus Hebræam phrasim, *in conuiuio vini*; à qua non distant Septuaginta, neque Iosephus, cum ait, inter pocula, siue inter potandum, quod fieri solet, postquam exempta fames epulis, & cum eis nõ semel potatum. Dixit ergo Rex. *Quid petis vt detur tibi? & pro qua re postulas? Etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Iam secundo eam promissionem offert, vsurpaturus eam etiam tertio. Sicque confirmabatur magis Esther in spe obtinendi, quod petitura erat, quantumuis arduum foret. Et rex tanto firmius promissione obstringebatur, ne in particulari negare posset, quod iam toties in genere concessisset; pari imprudentia lapsus est Salomon. Cum matri Bersabee in genere concessit petitionem, quam in specie cognitam reuocare oportuit. Nõ sic æterna patris Sapientia Christus Dominus, quia matri filiorum Zebedæi postulanti aliquid ab eo, non dixit ei, fiat tibi sicut vis, sed, Quid vis? vt alibi quoque notauimus. Efficiebatque ista dilatio, vt desiderium cresceret, iuxta illud: *1. Reg. 2.20*

Poscere si quid aues, quamuis properabitis ambo,
Differ, habent paruæ commoda magna moræ.

Verum altera ex parte, etiam non magna mora occasionem præteruolantem abire sinit, & hominem frustra hiantem destituit; vt merito dici quoque parodicè possit.

Si quid erit quod agas, quamuis properabitis ambo,
Curre, ferunt paruæ maxima damna moræ.

XXVII. *Regina iterum inuitat Regem.* DISTVLIT nihilominus Esther vtiliter; Deo recte omnia disponente, & respõdit Regi, *Petitio mea, & preces sunt istæ. Si inueni in conspectu regis gratiam, & si regi placet, vt det mihi quod postulo, & meam impleat petitionem; veniat Rex, & Aman ad conuiuium quod paraui eis, & cras aperiam regi voluntatem meam.* Paraui etiam legitur in Hebræo, & Chaldæo: Tigurina vertit *parabo*, sicut est etiã in Græco; & sæpe Hebræi præteritum pro futuro ponunt, & licet interpretari, *paraui*, id est, destinaui parare, sicque alia pleraq; generis eiusdẽ. Lyranus etiam notauit solum Amanem cum Rege iterum vocatum ad conuiuium, vt illi inuidia apud cæteros optimates conflaretur: quamuis is iam videri posset inuidia maior.

XXVIII. *Lætitia & mæror Amani.* EGRESSVS *est itaque illo die Aman lætus & alacer*; recte, *illo die*, & quidem vltimo, nam postridie, non sic. Sed vide statim exemplar lætitiæ improborum, quæ multo felle diluitur: sequitur enim. *Cumque vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatij, & non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valde: & dissimulata ira, reuersus in domum suam conuocauit ad se amicos suos, & Sares vxorem suam. Et exposuit eis magnitudinem diuitiarum suarum, filiorumq; turbam, & quanta eum gloria super omnes principes, & seruos suos Rex eleuasset. Et post hæc ait. Regina quoque Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege, præter me, apud quem etiam cras cum rege pransurus sum. Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.* Non audet fateri plane morbum suum, dicit enim tantum, *quandiu videro sedentem*, & non, *donec videro adorantem me.*

XXIX. *Quam asper istis beatis.* ALTERVM hic etiam apparet malum in beatis istis, quod omnem eorum felicitatem perturbat. Exigua enim molestia vehementius eos affligit, quam ingentia bona eos exhilarare possint. Nam ab assuetis non fit passio, vt ait Philosophus: itaque delitijs innutriti, eas aduenientes, aut præsentes vix sentiunt. At res aduersæ, quæ præsertim ex improba, & inimica voluntate oriantur eorum, qui multo ipsis inferiores sunt, quique ad eorum conspectum contremiscere soleant, eæ nimirum eos, supra quam credi potest, excruciant.

Responderuntq; ei Zares vxor eius, & cæteri amici: Iube parari excelsam trabem habentem altitudinis 50. cubitos, & dic mane regi, vt appendatur super eam Mardochæus, & sic ibis cum rege lætus ad conuiuium. Placuit ei consilium, & iussit excelsum parari crucẽ, tam excelsum videtur hosti elegisse patibulum, vt facilius vndique videri posset, ad maiorem eius ignominiam, & cæterorum terrorem. Erat autem crux eo infamior, quo altior. Itaque Christi Domini crucem reliquorum patibulis fuisse celsiorem, non inanis est traditio. *Parat Mardochæo crucem.* *vide Gretser. lib. c. 7. & Sueton. in Galba c. 9.*

XXX. *Dei miri ...* NOCTEM *vero illam duxit Rex insomnem, iussitq; sibi afferri historias, & annales priorum temporum.* Nulla est huius histo-

riæ par-

ræ particula, quæ diuinæ vacet prouidentia. Nam & ea factum est, vt rex dormire non posset; eadem vt historias mallet audire, quam musicam: eadem vt incitaretur ad remunerandum; eadem vt in atrio adesset Aman, qui præludia luderet in tragœdia sua. Diuinitus excussum à rege somnum affirmant Septuagin. affirmat & Iosephus cum eis. Cum enim egisset de cruce parata Mardochæo, *Deus autem*, inquit, *irrisit Amanis spem improbam, cui sciebat euenturum longe aliud. Nam ea ipsa nocte somnum regi ademit.* Nequaquam tamen credibile est totam noctem insomnem traduxisse, sed sub mediam circiter euigilasse noctem, quia reliquum spatium satis erat, ad id quod à Domino parabatur. Pergit Iosephus.

XXXI. *Agnoscitur Mardochæi egregium factum.* QVI *nolens vigiliæ tempus perdere, sed malens in aliquod regni negotium id impendere, iussit scribam allatis commentarijs, res tam se, quam à maioribus gestas legere, &c.* fingit enim deinceps diuersa occurrisse bene gesta, quibus egregia merces rependi fuisset: tandemque ventum est ad illum locum, *vbi scriptum erat, quomodo nunciasset Mard. insidias Bagathan, & Thares eunuchorum, regem Assuerum iugulare cupientium. Quod cum audisset Rex, ait, Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei serui illius, ac ministri; nihil omnino mercedis accepit.* Videntur aulici isti quasi ex condicto in gratiam Mardochæi, regi ita respondisse. Cum tamen satis rarum sit aulicos sibi mutuo patrocinari, qui parati sint potius calumnijs inuidiam æmulis parare; persuasi sibi bene non fore, nisi alijs male fuerit.

XXXII. *Aman in atrio regis.* STATIMQVE *Rex, quis est*, inquit, *in atrio?* & ante quidem, vt inquit Iosephus, didicerat esse diluculum, quando aulicorum salutantium turba conuenire incipit. Venerat autem maturius solito Aman, Deo ipsum & malitia sua celeriter excutiente de lecto, ad dissimillimos, planeq; pugnantes fines. *Et interius atrium regiæ domus intrauerat, vt suggereret regi, & iuberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum.* Neque ei dubium erat, quin statim mortem vnius Iudæi impetraret, qui totius gentis internecionem tam facile obtinuerat. At quid opus erat, inquies, Mardochæi mortem nominatim peti? An quia ex aula fuit, & quasi domesticus regis, id oportuit nominatim ad regem referri? an propter supplicij genus?

XXXIII. *Rogatur Aman a rege, quid fieri debeat viro quem honorare vult.* QVÆRENTI ergo regi, quis esset in atrio, responderunt famuli cubicularij Aman esse in atrio. *Dixitq; Rex, ingrediatur. Cumq; esset ingressus, ait illi, Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman & reputans, quod nullum alium Rex nisi se, vellet honorare, respondit. Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regijs, & imponi super equum, qui de sella Regis*, id est, cui sella Regis imponitur, & quo Rex vehi solet, *& accipere regium diadema super caput suum; & primus de regijs principibus, ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur quemcunque voluerit Rex honorare. Dixitq; ei Rex, Festina, & sumpta stola, & equo fac vt locutus es Mardochæo Iudæo, qui sedet ante fores palatij. Caue ne quidquam de his quæ locutus es, prætermittas.* Credibile est vsque adeo perculsum fuisse Aman exitu tam inopinato, nullum vt verbum profari potuerit, ad regem ab ea sententia deducendum; præsertim cum videret Regem tam serio, tamque asseueranter loqui. Et sibi à subita violenti regis ira metueret. Certè vix eum animi compotem fuisse scribit Iosephus: & reuera optasset ille huius muneris functionem illis ipsis decem millibus talentorum redimere, quibus omnium Iudæorum interitum emere voluerat: sed carius etiam empturus erat miser, mox in summam miseriam à summa felicitate puncto temporis præcipitandus.

XXXIV. *Cogitur honorare Mardochæum.* FVISSE autem hunc honorem longe maximum, tum ex singulis, quæ ad eum concurrebant, quæ regis propria erant, satis colligitur: tum ex eo, quod Aman ipse, alioqui honoratissimus, & à rege secundus, eum sibi tanquam gloriosissimum ambiebat. Addit his ornamentis Iosephus torquem aureum loco diadematis, cum tamen hic proprius, ille nobilium, atque optimatum communis. *Iosephus hic aberrat.* Addit & aliud, ex probabili coniectura sua. *Exiuit enim*, inquit, *cum equo, purpura & torque aureo, inuentumq; ante aulam Mardochæum sacco amictum, iussit eo deposito induere purpuram. Qui veritatem rei nesciens, sed illudi sibi putans; scelestissime, inquit, adeone calamitati nostræ insultas? Persuasus tandem, quod Rex hoc ei præmium, pro accepta salute redderet, proq; detectis Eunuchorum insidijs, induit purpuram, qua Rex ipse vti est solitus, & ornatus torque, conscensoque equo, vrbem obequitabat, præcedente Amane, & clamante? Sic honorabitur, quem Rex honorare voluerit.*

XXXV. *Mardochæi gloria.* PERLVSTRATA deinde vrbe, Mardochæus ad Regem ingreditur, vtique gratias acturus de tanto beneficio, & regia illa insignia regi redditurus. Inde autem *ad ianuam palatij reuersus est*, pristinum scilicet officium, & vt videtur, ad pristinum etiam sacci vestitum, dum videret, quo exitu fabula cœpta clauderetur. Cû interea Iudæi omnes peracto ieiunio, magna expectatione penderent. *Et Aman festinauit ire in domum suam, lugens*, atque adeo fremens dentibus, & tabescens desiderio vltionis, sed desiderium peccatoris peribit. Prorupit etiam se domum *operto capite*, quod scilicet non posset ferre oculos intuentium se, quasi exprobrantes obsequium ab eo exhibitum inimico suo. *Lugens & mœror Amanis.* *Narrauitq; Zares vxori suæ, & amicis, omnia quæ euenissent.* Vtiq; sciebant illi iam, quod tota vrbe celebrabatur: sed effundere animum suum voluit, ad accipiendam consolationem à suis, quia *strangulat inclusus dolor, atq; exæstuat intus Pectore.*

XXXVI. *De eius ruina vaticinium.* SED pro consolatione ei *responderunt sapientes, quos habebat in consilio & vxor eius. Si de semine Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu eius.* Sed vnde istis hæc opinio de Iudæis, & diuinam in ipso, protectionem? Nihil opus est excogitare Moysis libros, in linguam Persicam conuersos; sufficit ipsa Iudæorum conuersatio, à quibus sacras historias auditione non semel acceperant, vt quæ in ipsorum ore perpetuo versarentur. Quæ scilicet Dominus fecisset Pharaoni in Ægypto, quæ Amalecitis in deserto, quæ tot regibus in terra Chanaam, & alia innumera. Sed peculiarem etiam instinctum diuinû, ruinæ imminentis prænunciam, agnoscere nihil vetat. Nisi malis hos sapientes non fuisse amicos Amanis, de quibus supra, sed potius magos, qui consulto dæmone ista retulerint.

XXXVII. *Adducitur ad conuiuium.* ADHVC *illis loquentibus, venerunt Eunuchi regis, & cito eum ad conuiuium, quod regina parauerat, pergere compulerunt.* Hac compulsionis voce, & festinationis, quæ in Hebræo legitur, significatur iam hora tardior, & desiderium Amanis abstinendi conuiuio; siue quod pudorem suum lamentari mallet, quam prandere; siue quod tristius etiam aliquid ei animus præsagiret. Et libenter haud dubie aliquid excusationis accepisset, sed regis indignationem, & reginæ offensionem veritus, ad sibi funestum conuiuium venit.

Intrauit itaque Rex, & Aman vt biberent cum Regina, ita in Hebræo & Græco: quo intelligitur, non solum apud Græcos conuiuia fuisse symposia, & compotationes, quos propterea reprehendit Cicero, & eis Latinorum prudentiam præfert, sed etiam apud Hebræos.

XXXVIII. *Rex ex sio poscenem Estheræ arguit. Cap. 7. 2. & seqq.* DIXITQVE *ei Rex: iam secunda die postquam vino incaluerat*, siue inter pocula, *Quæ est petitio tua Esther, vt detur tibi, & quid vis fieri? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Ad quem illa respondit: Si inueni gratiam in oculis tuis ô Rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus. Atque vtinam in seruos, & famulas venderemur, esset tolerabile malum, & gemens tacerem: nunc autem hostis noster est, cuius crudelitas redundat in Regem.*

Reginæ querela. Tam humilis, tamq; inopinata petitio, varios in regis animo excitauit motus, & stupore affectus est, ad tantæ rei nuncium, immemor fortasse temerariæ concessionis suæ: & commiseratione motus est in Reginam, sibi nô solum carissimam, sed etiam innocentem, & ita excanduit in istius crudelitatis authorem, cuius crudelitas redundabat in regem; non solum quod ei maximû subditorum numerum eripiebat, sed ipsius etiam coniugem morti tradebat.

XXXIX. *Regina Amani prodit, a [illegible].* RESPONDENSQVE Rex Assuerus, inquit, *Quis est iste, & cuius potentiæ, vt hæc audeat facere? dixitq; Esther, hostis &*

inimi-

CAPT. 85. *inimicus noster pessimus, iste est Aman. Quod ille audiens, illico obstupuit, vultum Regis, ac Reginæ ferre non sustinens.* Nec inueniens, quam se in partem verteret, aut quo modo rebus suis consuleret, qui videbat se, suaque omnia pessum ire. *Rex autem iratus surrexit*, quasi nolens vltra hominem intueri, vt scelestum caput, & ominosum spectaculum, *& de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit*, de loco in quo accubuerat, *vt rogaret Reginam pro anima sua; intellexit enim à Rege sibi paratum malum.* Qui cum reuersus esset de horto nemoribus consito, & intrasset conuiuij locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo iacebat Esther. Vide vt misero, & interitum præcipitanti, omnia in contrarium cedant. Cupiebat ille in accubitorio reginæ lecto, siue genua cõplectendo, vt inquit Diuus Athanasius in synopsi, siue quacunque alia ratione posset, reginam ad misericordiam excitare, verum non merebatur misericordiam, tam immitis bestia, quæ, quantum in se fuit, tot innocentum sanguinem, quam late patebat Persarum imperium, profuderat: imo facta est supplicatio eius, & oratio eius in peccatum. Stetit enim calumniator à dextris eius, & ait, *Etiam Reginam vult opprimere, me præsente in domo mea?* quibus ex verbis emicat indicium suspicacis zelotypiæ Regum Persarum, de qua supra diximus.

Quæ in eius perniciem cedant.

Psal. 108. 7.

XL. *Operiunt eius faciem.*

NECDVM *verbum de ore Regis exierat, & statim operuerunt faciem eius*: famuli regij scilicet. Solebant enim Persæ, vt inquit Vatablus, post Abenezra, operire faciem eius, in quem Rex iratus esset, ne posthac videretur ab eo, & magis succenseret illi; vel quod indignus esset, qui vltra regem aspiceret. Gretserus lib. 1. de cruce c. 21. hoc refert ad morem, quo crucifigendis caput obnubi, faciesque velari solebat, saltem apud Romanos, apud quos ferale illud carmen lictori occinebatur. *Caput obnubito, infelici arbori suspendito.* Quamuis autem Rex nihil de cruce adhuc dixisset. Id tamen præsentiens vnus eunuchorum, qui stabant in ministerio Regis, quem editio vulgata cum Hebræo vocat Harbona, Septuag. Bougathan, Iosephus Sabouchadan appellant, qui præcipitantem iam ad ruinam impellens ait. *En lignum quod parauerat Mardochæo, qui locutus est pro rege* (qui scilicet detexerat insidias eunuchorum, & sic de regis salute fuerat optime meritus) *stat in domo Aman, habens altitudinis 50. cubitos.*

Suggeritur regi crux parata Mardochæo.

XLI. *A rege decibur crucis, ei affigitur.*

CVI dixit Rex, *Appendite eum in eo.* Non quidem vt præfocata gula penderet in aëre, vt nunc fieri solet, sed vt clauis affixus cruci hæreret: Idque exprimunt Septuaginta, qui habet σταυρωθήτω *crucifigatur in eo. Et infra, a ipsum iussi affigi cruci*, ait Rex. Idemq; affirmat Serarius in hunc locum q. 21. & Gretserus *b Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo, & regis ira quieuit.* Quibus minime repugnat, quod infra c scriptum est, eum cum suis ad portas vrbis Susan pendere in patibulis: eò enim mortuus transferri potuit. Sicque impletum est illud, quod Darius quondam in gratiam Iudæorum decreuerat, *d Tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur & configatur in eo, domus autem eius publicetur.* Et cætera quidem iam impleta erant, de domo autem eius quid factum sit deinceps Scriptura recitat.

a c. 8. v. 7.

b L. 1. c. 19.

c c. 9. v. 13. & apud 70. c. 8

d 1. Esd. 6. 11.

XLII. *Domus eius fisco adducitur.*

DIE illo, ait Mardoch. *dedit rex Assuer. Esther reginæ domum Aman aduersarij Iud.* quasi nimirum fisco addictam, ob domini crimen; nomine autem domus, bona eius omnia comprehenduntur. Nam Iosephus ait, οὐσίαν αὐτοῦ, 70. quæcumque Aman possederat, siue quæcumque eius fuerant, quomodo etiam Vatablus domum hoc loco interpretatur. *Et Mardochæus ingressus est ante faciem Regis. Confessa est enim ei Esther, quod esset patruus suus*; siue vt alibi dixi, Patruelis. *Tulitq; Rex annulum, quem ab Aman recipi iusserat, & tradidit Mardochæo. Esther autem constituit Mardochæum super domum suam*, id est, sibi à rege datam, quæ fuerat Aman. Vnde in Hebr. est *super domum Aman.* cui consentiunt Sept. Volunt enim Reginam præposuisse Mardochæum omnibus bonis Amanis. At Iosephus ait Estherem ea omnia bona elargita esse Mardochæo, quæ valde diuersa sunt. Nam magistratus præpositi sunt ciuitatibus, nec tamen Domini sunt ciuitatum.

MVLTIS ergo modis honoratus est, & gloriosus effectus Mardochæus, apud regem Persarum. Nam primo annumeratus est aulicis, qui ad palatij fores versabantur, & custodes, tam palatij, quam regij corporis erant. e Ea enim officia fere coniuncta sunt, vt qui præsente rege palatium custodiunt, exeuntem regem comitentur, & custodiant. Secundo *ingressus est ante faciem regis*, f quod significat factum esse Regi intimum cubicularium, quasi ei carissimum, atque fidelissimum, propter patefactam videlicet eunuchorum coniurationem. Huiusmodi enim cubicularij fere semper in conspectu regis versantur. Tertio Amanis dignitas in Mardochæum translata est; quod ex annulo ab illo recepto, & huic tradito cognoscitur. Eo enim annulo Regiæ literæ signabantur, vt ex antecedentibus & sequent. constat.

XLIII. *Mardochæus multis modis honoratus.*

e c. 2. 2.

f c. 2. 1.

NAM etsi videatur regius annulus ad obsignandas vnas tantum literas datus, penes tamen Amanem annulum illum remansisse vltra tres menses, satis apparet, g vt conseruator regiorum sigillorum, vel Cancellarius, iuxta Galliæ morem fuisse videatur. Itaque & Amanis tituli ei dati sunt. Nam h dicitur secundus à Rege, i Princeps palatij regij, & sicut Rex Amanem se patris loco colere professus est, k ita de Mardochæo l dixit, se eius fide, & beneficijs viuere. Denique ad regiam dignitatem proxime accessisse demonstrant, quæ hoc ipso capite m leguntur. *Mardochæus autem de palatio, & de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regijs hyacinthinis videlicet æreis*, id est, candidis, *coronam auream portans in capite: & amictus serico pallio, atq; purpureo.* Sed ad alia reginæ postulata veniamus.

XLIV. *Regij sigilli custos.*

Tituli eius.

g cap. 30 in gene. 8 v. 2. 9.

h c. 10. v. 3.

i c. 9. v. 4.

k c. 13. 6

l c. 16. v. 16.

m v. 15.

NON satis erat Amanem è medio esse sublatum ad Iudæorum salutem. Nam missæ iamdudum per omnes imperij prouincias literæ executioni mandatæ fuissent, nisi nouo edicto antiquarentur. Ideoque his, quæ circa Amanem facta fuerant non contenta Esther, *procidit ad pedes regis, fleuitq;.* Aderat autem etiam Mardochæus, vt seq. docent, *& locuta ad eum orauit, vt malitiam Aman Agagitæ, & machinationes eius pessimas, quas excogitauerat contra Iudæos, iuberet irritas fieri. At ille ex more sceptrum aureum protendit, manu, quo signum clementiæ monstrabatur: illaq; consurgens stetit ante eum, & ait. Si placet regi, & si inueni gratiam in oculis eius, obsecro vt nouis epistolis, veteres Aman literæ insidiatoris & hostis Iudæorum, quibus eos in cunctis regis prouincijs perire præceperat, corrigantur. Quomodo enim potero sustinere necem, & interfectionem populi mei?*

XLV. *Petitio reginæ.*

c. 8. v. 3.

RESPONDITQVE *rex Assuerus Esther reginæ, & Mardochæo Iudæo.* Intelligebat Rex hanc petitionem à Mardochæo per Reginam fieri, ideo ad eum conuertit orationem, vt Christus ad discipulos, non ad ipsorum matrem. *Dixit ergo Rex Mardochæo. Domum Aman concessi Esther, & ipsum iussi affigi cruci, quia ausus est manum mittere in Iudæos.* Sensus videtur pendere: ideo Sept. addunt, quid adhuc quæris? quasi dicat, paratus sum facere quod voles. Est autem huiusmodi sensus. Quod difficilius erat in gratiam vestrûm feci, vt virum clarissimum ignominiosa morte mulctarem, & domum eius euerterem, quanto magis quod reliquum est vestr causa perficiam?

XLVI. *Conceditur à rege.*

Matth. 20. 22.

Scribite ergo, inquit, *Iudæis sicut vobis placet, Regis nomine signãtes literas annulo meo.* Iudæorum nomine habetur in Hebræo, quod omittitur à Septuag. quoniam ad præsides quoque prouinciarum scribendi, nomine suo potestatem dabat. Iosephus argumentum literarum significat, vt scilicet suo arbitratu scriberent de Iudæis. Verum præcipue literæ scribendæ erant ad Iudæos, à quibus vltio de inimicis sumenda erat: tum ad præsides prouinciarum, vt eis adessent, vt sequentia docebunt. Et mox Mardochæus dicitur scripsisse ad Iudæos, & ad principes, procuratoresque & Iudices.

ILLI ergo *acciti scribis, & librarij Regis (erat autem tempus tertij mensis, qui appellatur Siban, vigesima & tertia die illius.* Eundem mensem & diem retinent Hebr. & Chald. At 70. habent mensem primum, qui est Nisan, in die autem non dissentiunt. Iosephus notam temporis caute prætermisit. Et certe non dubium est quin hæc omnia, quæ narrata sunt, ex quo Aman sortes in vrnam misit, eodem mense

XLVII. *Ratio temporis à missis literis ab Amane breuiorum.*

n c. 3. 12.

con-

a c. 3. 12.

contingere potuerint. Nam 13. die misit literas regias Aman, *a* supersunt 10. dies, quorum tres ieiunio dati sunt, quartus mortem habuit Aman; reliquis diebus exaltatus est Mardochæus, ubtenta à Regina facultas antiquandi prius decretum, scriptæ sunt missæque literæ. Potuit tamen ad tertium vsque mensem differri hæc scriptio literarum, quia plurimi menses adhuc supererant, antequam adueniret tempus destinatæ cædis.

XLVIII. *De proditis Iudæis.* *b* *in 3. l. p. 9. 30.*

DICI etiam potest cum Sctar. *b* literas Aman, non statim in omnes prouincias emissas, sed ad remotiores citius, tardius ad viciniores, vt eodem cursu tempore 127. prouincijs idem decretum innotesceret, nec Susis priusquam in remotissimis prouincijs euulgaretur, sicque facile est intelligere trimestre spatium in eo positum. Nam Susa Ephesum vsque, quæ est in extrema Asia, trium mensium, & 7. dierum iter fuisse scribit Herodotus l. 5. Inde autem ad Indiam Artaxerxi subiectam non minus spatij fuit, nec minus vsque in Ægyptum. Sed his obstat, quod legimus emissis cursoribus, *statim* in Susan edictum pependisse. Verum id aduerbium abest ab Hebræo, sed in Græco habetur etiam Susis festinatum esse negotium.

XLIX. *Regia litera Mardochæi.* *c. 8. v. 10.*

ACCITIS *igitur scribis, & librarijs regis 23. die mensis Siban scripta sunt epistolæ vt Mardochæus voluerat, ad Iudæos, & ad principes, procuratoresque, & ad iudices qui centum viginti septem prouincijs ab India vsque ad Æthiopiam præsidebant. Ipsaque epistolæ quæ regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, & missæ per veredarios, qui per omnes prouincias discurrentes, veteres literas nouis nuncijs præuenirent. Quibus imperauit rex vt conuenirent Iudæos per singulas ciuitates, & in vnum præciperent, congregari, vt starent pro animabus suis, & omnes inimicos suos, cum coniugibus ac liberis, & vniuersis domibus, interficerent, atque delerent, & spolia eorum diriperent. Et constituta est per omnes prouincias vna vltionis dies, id est 13. mensis duodecimi Adar.* Hæc est summa literarum, quæ copiose habentur descriptæ c. 16. huius libri, ex codice 70. quæ viris Rempub. administrantibus, & quibus credita sunt principum ac populorum negotia, ob oculos positæ perpetuo esse deberent. Quas breuitatis causa huc transferre prætermittimus, nonnulla hoc loco, quæ lectori scrupulum afferre possint, notare contenti.

L. *Nec vindicta aut iniusta petita, vel concessa.*

NAM primo mirum est, quomodo aut Esther, & Mardochæus petierint, aut Rex concesserit Iudæis, vt sine vlla forma iudicij, de hostibus suis vindictam caperent: neque eos solum interficerent, sed coniuges quoque eorum, ac liberos, domosque vniuersas delerent; quo in numero non dubium est multos innocentes fuisse, ac propterea iniuste occisos. Respondeo primum videri iudicium interuenisse, cum Rex scribat ad magistratus, vt sint Iudæis adminiculo, vt possint interficere eos, qui se ad necem eorum parauerant. *c* Innocenti autem præparasse mortem capitale est, & venenum preparatum, & sica deprehensa, etiam effectu non secuto, legibus morte vindicatur. 2. Dei in hoc iudicium videri interuenisse, qui voluerit impios homines, & de populo suo male meritos, vno eodemque die castigari. Vnde Rex ipse in suis literis. *Hanc enim diem*, inquit, *Deus omnipotens mœroris & luctus vertit in gaudium.* Sic olim in Ægypto cladibus multis castigati sunt, qui Iudæos affligerant, in quibus haud dubie multi innocentes perierunt: in corporibus suis varijs malis: ac morte mulctati, propter peccata parentum.

c l. 26. 20.

LI. *Qui præmoneri hostes Iudæorum.*

MIRVM est quoque præmoneri hostes Iudæorum, forte vt ab ijs certo quopiam die interficiantur. Sic enim legimus. *Summa epistolæ hæc fuit, vt in omnibus terris ac populis, qui regis Assueri subiacebant imperio notum fieret, paratos esse Iudæos ad capiendam vindictam de hostibus suis.* Quomodo hæc notitia vbique haberi potuit, clam ijs omnibus, quorum maxime intererat istam nosse? Præsertim cum edictum regis pependerit in Susan. Ea vero cognitio valebat vt illi impellerentur, vel ad facinus anteuertendum, vel ad profugiendum ad hostes, vel ad seditionem concitandam. Dicendum videtur datam fortasse eam notiam non toti populo, sed Iudæis, & iudicibus, ad quos ex aula, regis nomine scriptum fuerat, cum secreta intermminatione pœnæ, si quis regis mysterium patefecisset. Quibus autem res diuina prouidentia innotuit, ea valuit ad eorum salutem, vt territi seruandorum corporum cura, etiam animas æternæ morti eriperent: vnde mox dicitur, *plures alterius gentis & sectæ, eorum religioni, & ceremonijs sese adiunxisse.*

LII. *Terror Iudæici nominis.* *c. 8. v. 5.*

DEVS quoque tantum terrorem Iudaici nominis iniecit illis, qui eorum sanguini inhiabant, vt nullus eis auderet resistere; *eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat.* Imo & *prouinciarum iudices, & duces & procuratores, omnisque dignitas, quæ singulis locis, atque operibus præerat, extollebant Iudæos timore Mardochæi, quem principem esse palatij, & plurimum posse cognouerant.* Denique Dominus omnium populorum animos in eorum beneuolentiam conuertit. Nam *d omnis ciuitas regia animaduersa gloria Mardochæi, exultauit, atque lætata est*, in qua tamen tot filij Aman, tot consanguinei, affines, cognati, amici, clientes. Nimirum regem sequitur populus, quam se cumque in partem ille conuerterit, & metus eius de inimicis in amicos vertebat. Itaque *apud omnes populos, vrbes, atque prouincias, quocunque regis iussa veniebant, mira exultatio, epulæ, atque conuiuia, & festus dies.* Qui sciebat Iudæorum saluti, atque incolumitati gratulabantur. Nihil etiam vetat dicere, cum primum regiæ literæ in gratiam Iudæorum venere, eorum hostes, vbique in vincula fuisse coniectos, morti ad destinatam diem reseruatos. Quod in decem filijs Aman Serar. facturu fuisse opinatur. *e* Cum his ergo literis egressi sunt veredarij celeres, nuncia perferentes, & edictum regis pependit in Susan: in quo tamen nemo nominatim scriptus erat. Hactenus apparatus circa Iudæorum vindictam. Ipsa autem vindicta & cædes, quæ in extremum annum Iudæorum cadit, & respondet nostro Februario, in sequentem annum differetur, quoniam rationem habemus annorum Christi, quos à Calendis Ianoarij, cum Ecclesia Catholica inchoamus.

d Vt c. 8. 15. habetur.

e In c. 9. q. 22.

LIII. *Romæ exconsules accusati.*

HVIVS anni Consules plebi indulgentiores fuerunt, aliorum malo edocti. Nam Siccius ille, qui Æquorum castra ceperat, & Tribunus plebis factus fuerat, ea ipsa die qua magistratum inijt, diem dixit ante omnia Romulio exconsuli, Collegæ autem eius C. Veturio, L. Halienus, qui proximo anno tribunus fuerat. Cumque Patricij, se iudicum impeditutos vt antea existimarent. Prouiderunt mature Tribuni, vt plebs rusticana vrbanæ coniuncta, forum, & vicos, quibus in Comitium ibatur, oppleret. Crimini datur est Romulio, quod vim Tribunis attulisset, quodque Siccium, vna cum cohorte sua, ab hostibus deleri voluisset. Cumque Romulius non humiliter, nec pro ratione temporis, sed indignabundè, ac tumidè respondisset, iram populi sic accendit vt omnium tribuum suffragijs damnaretur. Mulcta erat æris decem millia, siue in ære gallico Franci ducenti, prudenti sane Siccij consilio, quo minus pro Reo niterentur Patricij, cum de pecunia tantum agi viderent: & plebs facilius damnarat hominem consularem, nec vita mulctatum, nec patria. Damnato Romulio post aliquot dies eundem exitum iudicij Veturius habuit, 15. millibus mulctatus, id est, centum aureis, qui trecentis Francis æquantur. Quibus consideratis, huius anni Coss. cautiores facti, plebis partibus aperte fauerunt.

Mulctatio pecuniaria.

LIV. *Legati legum quærendarum causa.*

ITAQVE cum Tribuni ad Senatum retulissent de legibus scribendis, quibus in perpetuum ciuitas vteretur, post varias procerum sententias, T. Romulius sententiam, præter omnium expectationem, dixit valde popularem, in qua & patres perstrinxit, quod parum contra plebem possent, deinde censuit legatos mittendos ad Græcas vrbes, quæ essent in Italia, & alios Athenas, qui peterent à Græcis leges optimas, & Romanorum instituto conuenientissimas. Eam in sententiam cum vterque Consul, & maxima pars Senatus iuisset, SC. factum est, & per plebiscitum confirmatum. Electique sunt qui à Græcis leges peterent Sp. Posthumius, Ser. Sulpitius, A. Manlius, triremes eis assignatæ, & ornatæ sunt ex ærario, pro maiestate pop. Romani.

ANNVS MVNDI 3602. SEXTAE ÆTAtis 86. Esdræ 7. Artaxerxis 13. Imperij Pers. 86. Eliasib. Pont. 13. Olympiad. LXXXII. An. 1. Archonte Chærephane. Vrbis cond. cond. 301. P. Horatio, Sex. Quintilio Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 451.

I. *Res anni huius.* Esth. 9 & 10. IN secundum huius anni mensem, qui terminat annum Iudaicum duodecimum, magna cædes toto imperio Persarum à Iudæis perpetrata est. In Græcia induciæ quinquennales institutæ sunt, conciliatore Cimone, eiusdemque ductu bellum Cypro illatum. Romæ autem tribus iam seculis ab eius conditione transactis, pestilentia grauissimè laboratum. *Opus. de Rhetor.* Phrasielem Athenis hoc anno prætorem nominat Plutarchus in vita Lysiæ, quem duabus ante Olympiadibus prætorem constituit Dionysius, hoc autẽ anno Chærephanem; cui libentius assentimur. Hoc anno initium est triceunale fœdus inter Lacedæmonios, & Argiuos, quod Thucyd. l. 5. ait in exitu fuisse anno decimo belli Peloponnesiaci, qui est tertius Olympiadis 89.

II. *Iudæi inimicos tempore vltionem interficiunt.* 29. IGITVR *duodecimi mensis*, ait Scriptura, *quem Adar vocari ante iam diximus, tertiadecima die, quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hostes eorum inhiabant sanguini, versa vice Iudæi superiores esse cœperunt, & se de aduersarijs vindicare. Congregatiq; sunt per singulas ciuitates, oppida, & loca, vt extenderent manum contra inimicos, & persecutores suos. Nullusq; ausus est resistere, eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat. Nam & prouinciarum iudices, & duces, & procuratores, omnisq; dignitas, quæ singulis locis ac operibus præerat, extollebant Iudæos timore Mardochæi, quem principem esse palatij, & plurimum posse cognouerant. Fama quoque nominis eius crescebat quotidie, & per cunctorũ volitabat.* Magnum hunc fuisse timorem, & diuinitus valde auctum oportet, cum interficientibus non resisterent, quasi aliquid morte deterius formidarent. Sed nimirum pauci erant, in singulis locis hostes Iudæorum præ ipsis, & populus non audebat, in eorum gratiam se Iudæis opponere, metu Mardochæi.

III. *Cædes filiorum Aman.* ITAQVE *percusserunt Iudæi inimicos suos plaga magna, & occiderunt eos, reddentes eis quod sibi parauerant facere; in tantum vt etiam in Susan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ, hostis Iudæorum.* Nimirũ occisos ait Susis quingentos, & decem, præter filios Aman: quomodo etiam in Hebræo, Chaldæo, Græcoq; legitur. Idque confirmatur, quod mox Esther postulat, vt eorum corpora postridie in cruce suspendantur, vt habet etiam Iosephus. At si occisi, & suspensi sunt cum patre, qui ante octo menses in crucẽ actus fuerat, (vnde hoc ipso cap. ita legitur. *Denique & ipsum, & filios eius affixerunt cruci,*) Quomodo hoc mense 12. cum reliquis occisi sunt? Num bis interfici potuerunt? Adde quod in literis Artaxerxis, quæ mox à supplicio Amanis scriptæ, & missæ sunt, dicitur Aman, cum omni cognatione, siue familia sua, vt est in Græco, pendere in patibulis, ante portas Vrbis Susæ. c. 9. v. 25.

IV. *Occisi longe post patrem.* Nec sane video quid commodius responderi possit, quam illo ipso die, quo suspensus est Aman, & omnia eius bona fisco regio addicta, etiam totam familiam, vxorem, concubinas, filios, filiasque, famulos, ancillas, & si qui alij domestici eius erant in vincula fuisse coniectos. E tota vero illa turba, decem fuisse reseruatos præcipuos Amanis filios, qui primitiæ forent eorum, qui Susis duodecimo mense interficiendi erant: reliquam vero familiam, & cognationem, cum Patrefamilias in eius ædibus, crucis supplicium pertulisse. Mox corpora cum crucibus, ante vrbis portas fuisse translata. Indeque scriptas literas, quæ eius rei meminissent. Postea vero, die cædibus destinata, initium cædendi Susis sumptum esse à decem filijs Aman, qui reliqui erant; & ab ijs ad quingentos vsque, in eadẽ vrbe, cędem fuisse progressam. Postridie autẽ postulante regina, alios quoque occisos, & decem illos Amanis filios, in crucem ignominiæ causa fuisse sublatos: neq; enim Scriptura dicit filios, & patrem eodem tempore cruci affixos, sed tantum eodem omnes supplicio affectos. Sicque omnia loca facile conciliantur. Et ita Serarius noster existimat rem fuisse transactam.

V. *Iudæi occisorum bona non attingunt.* a c. 9. v. 10. 16. & seqq. PERGIT autem Mardochæus. a *Quos cum occidissent, prædas de substantijs eorum tangere noluerunt.* Quæ verba iam ad quingentos illos, quam ad istos decem referri possent, si à Patre manumissi suas ipsi familias habebant, vt de plerisq; eorũ facile credi potest. Abstinuerunt autem Iudæi à bonis eorum, licet Rex permisisset nominatim, vt spolia eorũ diriperent, ne non zelo iustitiæ, sed ardore auaritiæ moti ad lanienam istam viderentur. *Statimq; numerus eorum, qui occisi erant in Susan, ad regem relatus est*, vt scilicet iuberet, post tot funera, occisioni finem imponi. At is dixit Reginæ. *In vrbe Susan interfecerunt Iudæi quingentos viros, & alios decem filios Aman*, id est, & insuper decem filios Aman, sed editio vulgata videtur alludere ad eos, qui cum patre interfecti fuerant. Pergit, *quantam putas eos exercere cædem in vniuersis prouincijs? Quid vltra postulas? & quid vis vt fieri iubeam?*

VI. *Cædes postridie Susis redintegratur.* CVI *illa respondit, si regi placet detur potestas Iudæis, vt sicut fecerunt hodie in Susan, sic & cras faciant, & decem filij Aman in patibulis suspendantur. Præcepitq; rex vt ita fieret. Statimq; in Susan pependit edictum, & decem filij Aman suspensi sunt. Congregatis Iudæis quartadecima die mensis Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri; nec eorum ab illis direpta substantia est. Sed & per omnes prouincias, quæ ditioni regis subiacebant, pro animabus suis steterunt Iudæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis: in tantũ vt 75. millia occisorum implerentur.* Hunc cæsorum numerum, quem editio Vulgata profert, habet & textus Hebręus, & Chald. paraphr. & 70. Complut. & Regia. Iosephus quoq; ἀπέθανον, inquit, ἑπτακισμύριοι, καὶ πεντακισχίλιοι. At 70. Xisti, & Basil. Wechelij vocem ἑπτὰ omiserunt, tanta, vt videtur, strage deterriti, & effuso sanguine belli in pace. b Nihilominus authenticæ Scripturæ standum est. Quod si octingenti Susis interfecti sunt, quam multos putamus Babylone, vbi iam tot annis tam multa Iudæorũ millia viuebant, quam multos Hierusolymis, & in omni Iudæa, & Samaria, & circumpositis regnis, à tribu Iuda & Beniamin? quã multos toto oriente, à decem tribubus Israelitarum? *Cæsorum multitudo.* b 3 Reg. c. 2.

VII. *Quis lætitiæ dies.* c cap. 9. 17. DIES c *autem tertius decimus mensis Adar primus apud omnes interfectionis fuit, & quartadecima die cædere desierunt; quem constituerunt esse solennem, vt in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atq; conuiuijs.* Addit autem hanc celebritatem postridie Susis agi solitam, quia ibi vno die tardius cessatum fuerat à cædibus. Nec illud omittendum quod sequitur. *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehensa misit ad Iudæos, qui in omnibus regis prouincijs morabantur, tam in vicino positis, quam procul.* Ex his perspicuum est huius libri authorem esse Mardochæum, idque Hebræos ex hoc loco colligere Vatablus notauit, & Emanuel Sà, in quib. Rab. Moyses, & Abenezra. Chald. etiam paraphrastes, in fine huius cap. vbi Hebraice habetur, *& scriptum est in libro*, ipse explicando addit *per manum Mardochæi.* Eadem quoque est aliorũ sententia, vt Serar. d Lyrani, Dionysij Carthus. & Feuardentij, quamuis liber Estheris præferat nomen. *Author libri huius.* d q. 2. proleg.

VIII. *Celebritas ea per patentes instituitur.* QVONIAM vero Iudæi accepisse videbantur festi huius diei celebritatem in annum vnum, voluit Mardochæus, & Esther, & scriptis literis mandarunt, vt quartamdecimam, & quintamdecimam diem mensis Adar, pro festis susciperent, & reuertente semper anno solenni celebrarent honore. Scripseruntque Esther regina filia Abihail, & Mardochæus Iudæus etiam secundam epistolam, quam Chronicum Hebræorum c. 29. scribit, anno sequenti, à morte scilicet Aman, & cæde duodecimi mensis scriptam fuisse, qui est præsens annus 13. Artaxerxis. Et sicut primo anno ieiunia, & clamores Iudæorum antecesserunt lætitiam, ita etiam deinceps ieiunia & clamores iterabantur ante conuiuiorum dies: quod ieiunium illi etiam nunc 13. die obseruant, quamuis tempore Machabæorum ieiunium illud in diem festum commutatum videatur, vt ex 2. Machabæorum e satis intelligitur. e c. 15 v. 37.

IX. *Etiam nunc Hebræi eo vtu.* f q. 2. 18. 4. p. lib. SOLENT vero etiam nunc, inquit Serar. f hoc tempore magnum in synagogis, dum historia hęc legitur, strepitum excitare, malleolis, & manibus scamna, & pulpita feriendo, io-

do, inscriptumptumque Amanis nomen contundendo. Vt notauit etiam Anton. Margarita l. de ritib. Iudæorum, & Gregor, Tolosas. *a* Quoniam vero Aman crucifixus fuerat, solebant etiam olim Iudæi in eius contumeliam crucem quandam ligneam, quasi in supplicatione circumferre, eamq; mox exurere. Deinde vero posterioribus seculis Iudæi, cum maiore etiam odio Christum, quam Amanem prosequerentur, eadem in Christi odium, & Christianorum contumeliam factitabant; vt ex Imperatorum Honorij, & Theodosij prohibitione cõstat, vt notauit Baron. *b* & Serar. *c* extat lex, Cod. de Iudæis, & Cœlicolis, in hæc verba. *Iudæos quosdam festiuitatis suæ solenni, Aman ad pœnæ quondam sumptæ recordationem incendere, & sanctæ crucis assimulatam speciem, in contemptum Christianæ fidei sacrilega mente exurere, prouinciarum Rectores prohibeant; néue locis suis fidei nostræ signũ immisceant; sed ritus suos citra contemptum Christianæ legis retineant: amissuri sine dubio permissa hactenus, nisi ab illicitis temperarint.* Dat. 4. Cal. Iũ. Cõstantino Basso, & Philippo Coss.

a l. 2. Synag. c. 16. n. 10.

Ritus in Aman, ab eis contra Christum conuersus.

b an. Christi 408. n. 29. c 4. p. q. 2.

X. *Vectigal nouum imponit Artaxerxes.* c. 10.

SVPEREST ex hac Esthetis historia conclusio, quæ cap. 10. continetur, cuius priorem partem ex Hebræo, posteriorem ex Græco D. Hieronym. conuertit. Illa sic habet. *Rex vero Assuerus omnem terram, & cunctas maris insulas fecit tributarias*, in Hebræo tamen pressius habetur. Porro Assuerus Rex vectigal imposuit terræ, & insulis marinis: illæ autem particulæ vniuersales, arctari debent ad regiones, & insulas Persis subiectas, vt notauit Eman. Sà, & Serar. quomodo infra dicitur vniuersum orbem terræ ab Assuero subiugatum, qui scilicet ante Persis parere solebat; maxime respiciens ad recuperatam Ægyptum. Illud potius considerandum, qua ex causa vectigal hoc nouum omnibus suis subditis imposuerit: nouam certe necessitatem emersisse ratio postulat.

c. 13. v. 2.

XI. *Et qua de causa.*

EA vero non inani coniectura colligi potest ex præsenti rerum Græcarum statu. Cum enim toto triennio in Græcia cessatũ esset ab armis, & hoc insuper anno fœdus quinquennale inter Græcos initum esset, non dubitauit Rex Artaxerxes, quin eorum concordia in suam perniciem firmaretur, sicut reuera contigit, bello ab Atheniensibus contra Cyprum, quæ Persis parebat, Cimone duce conflato. Hoc ergo nouum vectigal, ad nouum bellum necessarium fuit. Sed ea de re paulo post, nunc paucis reliqua tangamus; quæ fusius persequi liceret, si annales illi Persarum, atq; Medorum, quibus continebantur quæ fortiter gessit Artaxerxes in bello, quæ sapienter in pace, quæ magnifice in Mardochæum, vim vetustatis superare potuissent.

XII. *Mardochæi gloria.* *d supra c. 9. v. 3.*

MARDOCHÆVS autem ipse perseuerauit Regi charus, imo secundus à Rege, ideoque magnus, non apud Iudæos modo, sed apud omnes gentes imperio Persarum subditas; *d* & nihilominus gratus, & acceptus etiam plebi fratrum suorum: quippe qui totius populi sui commodis studeret, & omnes Israelitas magna comitate verborum, & morum suauitate caperet. *Mardochæus*, inquit Ioseph. *illustri loco apud regem fuit, vir præpotens, Regi administrationis, Reginæ vero etiam vitæ socius: quorum opera Iudæorum res floruerunt, supra quam vel sperare poterant.* Sic ipse. Nec tamen dubium est, eas deinceps admodum humiles fuisse, exceptis quibusdam quasi lucidis interuallis. Sequitur posterior quam dixi pars capitis decimi, quæ expositionẽ habet maxime perspicuam somnij, quod Mardochæo ante vndecim annos contigerat, de quo suo loco dixisse sufficiat.

XIII. *Liber Esther quando translatus Hierosolymam.* c. 11.

DENIQVE illud initium cap. 11. quo dicitur anno quarto Regni Ptolemæi & Cleopatræ Dositheum cum filio tulisse hanc epistolam Phurim, ex interpretatione Lysimachi, post multos annos cõtigit. Quis autem fuerit hic Ptolemæus, ex hoc nomine satis intelligi non potest. Eum fuisse Ægypti regem, cognomine Philometorem, sextum ab Alexandro magno Pererius, *e* ex l. 2. contra Apionem tradit. *Philometor*, inquit Iosephus, *Ptolomæus, & eius vxor Cleopatra, omne regnum commisere Iudæis, & duces totius fuere militiæ Onias, & Dositheus Iudæi, quorum nominibus derogat Apion; cum debuisset opera eorum potius mirari, & gratias agere, quoniam liberauere Alexandriam, cuius ciuis videri vult.* Sic Iosephus. Annus porro quartus Philometoris, cuius hic fit mentio, incidit in an. m. 3878. in quo quintus hic tomus terminatur. Nomine vero epistolæ Phurim intelligi arbitror totũ hunc librum, qui ad Iudæos per modum epistolæ missus est. Idque satis intelligitur ex illis verbis. *f* *Scripsit itaq; Mardochæus omnia hæc, & literis comprehensa misit ad Iudæos, qui in omnibus regis prouincijs morabantur.* g *Et cuncta quæ gesta sunt epistolæ, id est libri huius volumine continentur.* Quæ Hebraico, Græcoque textui, & Chald. paraphr. satis respondent. Vtrum autem ille Lysimachus interpres Hierosolymitanus, fuerit filius Ptolemæi, & nepos Dosithei, vt putat Serarius, an alterius, affirmare non possum.

e lib. 13. in Dan. 10 Catal. reg. Pers.

f v. 26.

XIV. *Mardochæus Christi typus.*

ET hæc quidem sunt quæ scriptura de Mardochæo & Esthere tradidit. Quandiu autem in regno Persarum floruerint, vel quando mortui fuerint, silentio inuolutum reliquit. Si nomine Reginæ in 2. Esdr. *g* intelligi placet Estherem, vt probabiliter cum plerisq; sentimus, qui hanc historiam sub Rege Artaxerxe contigisse credimus, multos annos cũ Assuero Regina vixerit: nec tamen propterea de anno mortis eius, aut Mardochæi constabit. Itaq; eorũ quasi sepulchralia ornamenta, quæ in eorum comparatione, cũ Christo Domino & beatissima Virgine consistunt, non differemus, & vtrunque vtriusque figuram haud obscuram ex sequentibus ostendemus.

g 2. 6.

1. *In voluntarijs pœnis & oratione.*

Mardochæus voluntarijs se pœnis afflixit pro salute populi sui, proque eo, in magna angustia animi sui, feruentissima oratione supplicauit Deo, & exauditus est. Christus autem Dominus sponte ac volens vulneratus est *h* propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & Deo supplicans vsq; ad agoniam & sudorem sanguineum, pro peccatis populi sui, exauditus est pro sua reuerentia. *i*

h Isai. 53. 5.

i Hebr. 5. 7.

2. XV. *Negans adorationem Amani.*

MARDOCHÆVS superbissimum Aman adorare noluit, timens ne honorem Dei sui transferret ad hominem, & ne quemquam adoraret excepto Deo suo. Christus superbissimo dæmoni dicenti, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*; respondit, *Vade Satana, scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

3. *Patefaciens insidias Eunuchorum.*

Eunuchi duo occulte sentiebant cum Aman, & conspirarant in perniciem Regis; at Mardochæus patefecit insidias, & vterque in crucem acti sunt Amane, incolumi, & in nequitia perseuerante, vt propterea Rex diceret. *Vt insidiaretur nostræ solitudini, & regnum Persarum transferret in Macedonas.* Cum dæmone conspirant in perniciem hominis Caro & Mundus, quorum fraudes, & proditorias artes Christus Dominus patefacit doctrina sua euangelica; vnde amor inordinatus vtriusque mortificatur, & in crucem agitur. At dæmon obdurescit in malitia, satagens si quo modo possit regnum Christi in se transferre.

4. XVI. *Ab inuito Amane honoratus.*

MARDOCHÆVS ab infensissimo inimico, atque inuitissimo honoratus est. Hostes Christi dæmones inuitissimi laudabant, atq; honorabant Christum Dominum dicentes. *k* *Scio te qui sis Sanctus Dei. Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos.*

k Marc. 1. 24. Luc 4. v. 34.

5. *Et ab eodem cum populo suo victus, atque afflictus.*

Improbissimus Aman toti imperio Persarum secundum regem dominabatur, adeo vt honores regi debiti illi deferrentur. Cum autem Mardochæum cruci destinasset, totumque populum eius morti addixisset: ipse vice versa omni potestate priuatus, & supremo supplicio affectus est, & populus eius hostis Iudæorum, à Iudæis victus, & profligatus est. Sceleratissimus dæmon toti mundo dominabatur, adeó vt honor & cultus debitus Deo illi in idolis deferretur. Verum cum eius artibus verus Mardochæus cruci addictus est, Princeps huius mundi eiectus est foras, eius populus impius atque infidelis, qui populum Christianum perdere satagabat, profligata Idololatria, victus, ac profligatus est.

6. XVII. *Exaltatus à Rege.*

MARDOCHÆVS à parata sibi cruce diuinitus ereptus, secundus à Rege factus est, Amane cum suis inuitissimo, donec inimici Iudæorum perierunt. Dominus autem regnauit à ligno, vbi inuitis Iudæis publicum à Prorege testimonium accepit nõ solum innocentiæ, sed regis Iudæorum. Et audiuit à patre, *l* *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.*

l Psal. 109. 1.

7. *Glorificat populum suum.*

In causa fuit Mardochæus vt Iudæi, qui antea impij, superstitiosi, rebelles audiebant, mox ab ipso rege diceren-

86 tur Filij altissimi, & maximi, semperq; viuentis Dei, Christus dedit potestatem, a *filios Dei fieri ijs qui credunt in nomine eius.*

a Ioan. 1. 12.

8. Mardochæus accepit annulum regis, quo spoliatus fuis Aman, vt antiquatis prioribus literis, quæ aduersus Iudæos erant, nouas pro eis scriberet, & regio sigillo obsignaret. Sicque publicè de Amanis malitia triumpharet. Christus Dominus *deleuit, quod aduersum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* b

b Coloss. 2. 14.

9. XVIII. MARDOCHÆVS *de palatio, & de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regijs, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio, atque purpureo,* c Regem ipsum vbique repræsentans. Christus in monte sancto, *resplenduit facie sicut Sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. Et accepit à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum à magnifica gloria, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipsum audite.* d

Fulget in ornatu regio. c cap. 8. 15. d 2. Pet. 1. 17.

10. Iussit Mardochæus celebrari memoriam accepti beneficij conuiuijs, & epulis ad vltimam vsque posteritatem. Instituit Christus Dominus conuiuium solemne, illudq; celebrari voluit in suam commemorationem; & mortem eius annunciari, donec veniat in fine seculi.

Instituit conuiuium in memoriam beneficij.

1. XIX SED iam tempus est, vt Beatissimam quoque virginem in Estheris speculo contemplemur. Vixit Esther occulta, & incognita in domo Mardochæi pueriles annos, donec traderetur coniugio. B. Virgo transegit in templo Domini pueritiæ annos, ab anno 3. Transegit occulta, atque ignota, vsque dum Iosepho sociaretur coniugio.

2. Esther humilis vixit sub cura Mardochæi, & Regina facta humilis perseuerauit. e Humilis vixit B. Virgo, etiam facta regina mundi, & mater Dei, nō secus ac cum in templo sub cura, vt creditur, Zachariæ sacerdotis, & cognati patruli educaretur. Vnde & dicebat: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.*

e c. 2. 2.

3. XX ESTHER diuinitus præparata est ad auertendam maximam à Iudæis calamitatem, f & ad coniugio regio supplantandum, & perdendum Aman. Electa est diuinitus Beatissima virgo, vt esset consolatrix afflictorum, & patrona populi Christiani, vt satanam coniugio falleret, & eius contereret caput.

f c. 4. 48

4. Esther humilis, & obediens Mardochæo patrueli quasi patri, Vasthi, propter ipsius superbiam, atque inobedientiam substituta est. Maria mater viuentium perfectissimũ obedientiæ, atque humilitatis exemplum, substituta est in locum Euæ, inobedientiæ atq; superbiæ antesignanæ, quæ & ipsa mater viuentium, aut potius morientium suis.

Substituta Vasthi.

5. XXI. ESTHER præ omnibus Regi Assuero placuit, inuenta quippe est omnium pulcherrima. g Maria virgo inuenit gratiam apud Deum, & sola inuenta est non habens maculam, neque rugam, neque aliud quidquam huiusmodi, sed sancta & immaculata. h

g c. 2. 17. h Ephes. 5. 27

6. In nuptijs Estheris conuiuium permagnificum fecit Assuerus, & populo tributa laxauit, & dona largitus est, iuxta magnificentiam principalem. In incarnatione Domini celebratæ sunt nuptiæ in vtero Virginis, & facta est sponsa Spiritus sancti, & assũpta est parabula aduersus Regem Babylonis dicendo. *Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum, &c.* i sed & toti mundo pax data est, quam solus totius mundi princeps dare potuit. Et multi propter has nuptias repleti sunt Spiritu sancto, & varijs Dei donis, vt Ioannes Bapt. Elisabeth, Zacharias, Ioseph, Simeon, Anna Prophetis, & ipsa Virgo in primis.

Assuerus ... in nuptijs. i Esa. 14. 4.

7. XXII. TANTA fuit Estheris apud Regem gratia, vt non contentus potuisse diadema regni super caput eius, etiam vltro semel, iterum, tertio, excitaret eam ad petendum dicens, *quid vis Esther Regina? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* Petijt & impetrauit; neque vnquam in vlla re passa est repulsam. Tanta est Mariæ apud Deum gratia, vt non contentus eam constituisse cœli, terræque Reginam, vltro etiam petat, nunquid pro aliquibus impetrare velit veniam, virtutes, gratiam, gloriam; imo etiam sanitatem, vitam, diuitias, pacem, progeniem, scientiam, omnia, nec vnquam patitur repulsam. Nullum vt maius donum mortalibus, secundum filium suum vnigenitum, dedisse videatur, quam illam: quam cum nobis dedit aduocatam, & matrem, omnia simul nobis quodãmodo largitus est, sese quippe obligauit ad perpetuo reserandos omnium beneficiorum thesauros.

Gratia apud regem.

Esther typus B. Virginis.

8. XXIII. ESTHER Assuerum in omnes tanta seueritate & maiestate terribilem, vt qui ad eum non vocatus accederet, absque vlla cunctatione, statim interficeretur, non solum flexit ad veniam, sed etiam ita mansuefecit, vt de throno suo exiliens, reginæ blandiretur, dicens. *Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere,* quin & tulit sceptrum, & posuit in manu eius, & virgam super collum eius, & osculatus est eam. Tanta erat olim Dei seueritas, vt cum se in monte ostenderet inter fulgura & tonitrua, inter flammas atque caliginem, diceret etiam, *Omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* k Vnde *perterriti, & pauore concussi steterunt procul, dicentes Moysi, Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* l Denique, m dixerunt filij Israel ad Moysem. *Ecce consumpti sumus omnes perimus. Quicunque accedit ad Tabernaculum Domini, moritur. Num ad internecionem cuncti delendi sumus?* At noua Esther eum eduxit è solio suo, & totius maiestatis pene oblitum ita mansuefecit, vt infantulus in eius luderet sinu, eam amplexaretur, ei blandiretur, eius è collo penderet, eam oscularetur vltro, & illa vicissim diceret. *Osculetur me osculo oris sui.* Vicissim lactaret, indueret, sopiret, adoraret.

Mansuefacit Assuerum. k Exod. 19. 12. l Exod. 20. 19 m Num. 17. 12.

9. XXIV. ESTHER mortis sententiam contra Iudæos reuocauit, & cædem etiam iteratam in eorum inimicos conuertit. Virgo beatissima, genus humanum morti æternæ damnatum, conciliauit Deo per filium suum, & facta castrorum acies ordinata, contra fidei hostes dat fidelibus insperatas victorias, etiam iteratas.

Reuocauit mortis sententiam.

10. Gloriosa facta est Esthere Synagoga, & eius beneficium misera quotannis celebrat. Gloriosissima & fœlicissima facta est ecclesia Dei, tanta domina, & patrona, cuius qui beneficia quotidiana considerat in omne hominum genus, habet vnde propter ipsam, & per ipsam, Deo gratias agat sempiternas.

Et gloriosa Synagoga.

XXV. VARVM vt in Græciam redeamus. *Intermisso triennio,* vt inquit Thucydides, fœdera quinquennalia inter Peloponnesios & Athenienses inita sunt. Nec plura Thucyd. Huius fœderis conditiones aliquas alia ea causa refert Pericles apud Thucyd. l. 1. Cum enim, inquit, in fœderis conditionibus sit expressum, de rebus controuersis iudicio vicissim inter nos esse disceptandum, interea vero vtrisque nostrum ea retinenda, quæ iam tenemus: tamen nec ipsi adhuc postularunt, vt de nostris controuersijs iudicium fieret, &c. Pari breuitate Plutarch. in Cimone. *At Cimon,* inquit, *simul atq; domum est regressus, sustulit bellum, ciuitatesq; in gratiam reduxit.* Ex quibus habetur author fœderis huius, & inter quos, & ad quantum tempus initum fuerit; modus autem eius, & locus, & occasio, & conditiones vix habentur.

Fœdera quinquennalia, inter Athen. & Pelop. Lib. 1.

XXVI. ET *Athenienses quidem,* ait Thucyd. n *Græco bello supersederunt; at cum ducentis tum suorum, tum sociorum nauibus, Cimone duce, Cypro bellum intulerunt.* Atque ex his sexaginta naues in Ægyptum nauigarunt, quas Amyrtæus, qui in paludibus regnabat, accersiuerat, reliquæ verò Citium obsidebant. Quæ sic Plutarch. explicat, Pace composita, quia Athenienses videbat Cimon otij impatientes, & negotia quærẽtes, quæstumque ex bello, ne solicitarent Græciam, ne vagantes magna classe circa insulas & Peloponnesum, causas bellorum intestinorum, & socialium querelarum semina consciscerent ciuitati, compleuit naues ducentas ad inuadendam denuo Ægyptum & Cyprum; quo simul pugnando Athenienses cum Barbaris exercerent se, & opimi euaderent iusta ratione, prædam à veris hostibus in Græciam deportantes.

Bellum Athen. contra Cyprum. n l. 1. p. græc. lat. Eius causa.

XXVII. DIODORVS Siculus initio l. 12. etiam Persarum copias ex aduersa parte describit. Persicis, inquit, copijs tum præerant Artabazus, & Megabyzus, quorum ille Classis Prætor, cum trecentis triremibus ad Cyprum stationem habebat: Megabyzus autem terrestribus copijs, ad trecenta hominum millia erant, præfectus in Cilicia statiua habebat. Et hæc ille quidem recte, quod autem sub-

Persarum ... Cyprum ...

dit non

Cimonis mors. dir non recte. Cimon igitur cum maris imperium sibi vendicasset, deuectus in Cyprum, Citium, Malumque expugnauit, & summa in victos humanitate vsus est. Non recte, inquam. Thucydides enim & Plutarch. authores sunt obsedisse quidem Græcos Citium, sed Cimone in ea obsidione vita functo, fameq; exorta, à Citio recessisse. *Decessit*, inquit Plutarch. *in obsidione Citij, vt plerique referunt, ex morbo*, in ijs Diodorus ipse, & Scholiastes, Thucydidis: *alij volunt ex vulnere, quod confligens cum Barbaris accepit.* Id autem contigisse arbitror anno sequenti. Nam bellum Cyprium biennium tenuisse author est Diodorus, & ex Plutarcho discimus Græcos breui post defunctum Cimonem domum, dissimulata Cimonis morte, reuertisse. Quæ autem Diodorus de pugna contra Phœnices, & Cilices in priorem annum refert, Thucyd. non obscure ad posteriorem differt, quem sequi malumus. Nam Diodorum, in digerendis præsertim temporibus, non satis accuratum sæpe deprehendimus: quem etiam videmus hunc primum annũ Olymp. 82. prætermisisse, sicut & Onuphr. in comm. Fastorum, quem ex Dionysio supplebimus. *Differenda.*

XXVIII. *Pestilentia Romæ anno funesta.* De Romana igitur re Dionys. Halycarn. in hunc annum ita disserit. Octogesima secunda Olympiade (ineunte scilicet) qua vicit stadio Lycus Latissensis Thessalus, Ghætephane Athenis principe, exacto anno ab V.C. 300. P. Horatio & Sex. Quintilio Coss. pestilentia Romã inuasit, quanta nunquam antea: qua seruitia sunt absumpta pœne omnia, ciuium circiter dimidium; nec medicis sufficientibus, nec domesticorum atque amicorum ministerijs. Quid ergo facias Plinio, qui procemio l. 29. scribit Romam sine medicis vltra sexcentesimum annum vixisse, & cito expertam eorum artem damnasse? vtrum falli dicemus? Pergit inde referre Dionysius, qui amplificata fuerit pestilẽtia, corrupto ex inhumatis, & proiectis cadaueribus aëre, & per rusticos ac quadrupedes cõmunicata contagio. *Medici quãdo Romæ.*

XXIX. *Epicurea doctrina antequam Epicurus.* Qvale est autem quod subdit? *Ergo quandiu spei fuit aliquid in dijs, populariter sacris operabantur, & lustrationibus, multique noui ritus tunc in vrbem introducti sunt, parum congruentes deorum ceremonijs. Vbi vero increbuit opinio, non esse curæ dijs res mortalium, nec tangi eos misericordia, & ipsi religiones neglexerunt.* Viguit ergo ante Epicurum perniciosus hic error. Quamquam veritate fidei posita, illos non deos, sed cacodæmones esse, humani generis inimicissimos; verissimum est nõ esse ijs curæ res mortalium, nisi vt pessimè habeant: nec tangi eos misericordia, sed odio erga eos flagrare tanto, nullum vt capitalius fingi possit, eo excepto, quo scelesti illi prosequuntur ipsum Deum, propter quem etiam homines oderunt. Vera autem diuinitate stabilita, qui ei prouidentiam, & curam rerum humanarum tollere audeat, non solum impium se, sed Atheum quoque profiteatur. Diuinitas enim improuida, & negligens rerum suarũ, nulla esse potest. Sed redeamus ad Dionys. *Sed vero Deo.*

XXX. *Latinus, ostio profligatur.* Hac clade, inquit, absumptus est Consul Sex. Quintilius, quique surrogatus est ei Sp. Furius, & quatuor ex Tribunorum Collegio. Senatores quoque multi ac boni. Ad hanc occasionem cum Æqui bellum pop. Rom. inferre conarentur, & in belli quoq; societatem alios populos allicere, in ipsos quoque pestis incubuit, quæ Volscos etiam & Sabinos, cum maxima hominum clade peruagata est; quam consecuta est de more annonæ charitas, & fames.

ANNVS MVNDI 3603. SEXTÆ ÆTATIS 87. Esdræ 8. Artaxerxis 14. Imperij Pers. 87. Eliasib. Pont. 14. Olympiadis LXXXII. An 2. Archonte Antidoto, vrbis cond. 302. Coss. L. Menenio, & P. Sextio.

al. Philocle.

ANNVS ANTE CHRISTVM 450.

I. *Res anni huius.* Habet hic annus rem bene gestam ab Atheniensibus contra Persas ad insulam Cyprum: in qua tamen illi Cimonis clarissimi Imperatoris iacturam fecere. Romani autem in Grçcatum legum expectatione fuere. At res Iudaicæ in eodem, vt diximus, statu perstitere ad multos annos. Anno 2. Olymp. huius octogesimæ secundæ, natum esse Lysiam Rhetorem Prætore Philocle, qui Phrasicli successit, autor est Plutarch. in vita eius, in op. de vitis 10. Oratorum. Sed abest eius Chronologia, quæ probatissima esse non solet à communi cæterorum scriptorum duabus Olympiadibus. Itaque quem ille Philoclem, alij vt Diodorus, & Catal. Olympion. Antidotum Prætorem vocat.

Cimon igitur in obsidione Citiensium, cum diuturniores opinione sua traheret moras, animo interim voluebat, vt ait Plutarchus, ingentis rudimenta belli. Nihil enim mediocre moliebatur, verum totius imperij Persici conuulsionem agitabat. Ea de re, vt creditur, legatos ad templum Ammonis misit, sed antequam illi reuerterentur, ipse excessit è viuis. Moriens autem, monuit suos, vt extemplo discederent, & mortem suam tegerent. Sicque factum est, illis obtemperantibus duci suo etiam mortuo, vt nemine sentiente, neque hostium, neque sociorum, reuerterentur incolumes, ductu auspicijsque Cimonis, vt Phanodemus ait, dies iam triginta defuncti. Ita Plutarch. Thucyd. autem non statim, quasi re infecta, redijsse significat, sed gemina victoria potitos. *Cimone, inquit, vita defuncto, fameq; exorta à Citio recesserunt, cursumq; nauigationis tenuerunt supra Salaminem. quæ est in Cypro.* II. *Mors Cimonis.*

Id ille addit ad differentiam alterius, quæ insula est prope Atticam & Peloponnesum, ad quam male à Xerxe pugnatum est. Hæc autem Salamis Cypri, à Ptolemæo ponitur ad sinum orientalem eius insulæ, qui Phœniciam ab ortu, Ciliciam à Septentrione respicit. At Ortelius nunc totum illum orientalem Cypri tractum Salaminiam vocat, Salaminam vrbem nullam ponit. Græci ergo supra Salaminã cursum tenentes, intra Cyprũ scil. & Phœniciam cũ Phœnicibus, & Cyprijs, & Cilicibus naualem, ac pedestrem pugnam simul commiserunt, & victoria ex vtroque prælio reportata, domum redierunt. Sic paucis Thucyd. Diodorus autem ait Cimone Cypri vrbes obsidente, triremes è Phœnicia & Cilicia venisse insulanis auxilio. Quo cognito ipse in altum subuectus, inquit, consertis cum hoste manibus, plutimas triremium demergit, & centum cum ipsis militibus capit, cæteras ad Phœniciam vsque insectans. Persæ vero cum reliquis nauibus in terram, quo loco Megabyzus in castris exercitum continebat, refugerunt. Sed Athenienses citato illuc itinere profecti, exposito in littus milite, prælio hostes adoriuntur. In quo Anaxicrates, alter classis Atheniensium præfectus, egregiè decertans occubuit. Cæteri prælio victores, magna strage edita, in naues se recipiunt, atque inde in Cyprum reuertuntur, imo in Atticam, vt ex Thucydide nunc dicebamus. III. *Geminæ Salaminæ.* *Pugna Geminæ Græcorũ, & victoria Cyprum.*

Refert idem Diodorus Salaminam, cum valido Persarum præsidio defenderetur, diu Atheniensium impetus sustinuisse, qui tanto eam animosius oppugnabant, quod in ea totius regni fortunam verti arbitrarentur. Interim regem Artaxerxem suorum clade in Cypro audita, præfectis copiarum suarum Artabazo, & Megabyzo per literas edixisse, vt quibuscunque possent conditionibus bellum dirimerent. Idque his conditionibus perfectum fuisse, vt Græcis per Asiam ciuitatibus vniuersis, libertate ac suo iure vti permitteretur; ne Satrapæ Persarum vltra trium dierum iter ad mare descenderent; ne naui longa intra Cyaneas excurreretur, & Phaselidem: quæ vrbs est Chelidonijs scopulis vicina, quorum meminit Plutarch. in Cimone, dum de hac pace agit. Quæ vbi rex, & militiæ præfecti rata habuerunt, Athenienses contra iurarunt, se in prouincias Artaxerxis arma non expedituros. Fœdere his pactis sancito, copias ex Cypro abduxerunt. IV. *Pax à Persis quæsita. Et conditiones eius.*

Hæc ex Diodoro: quæ dubia mihi reddit non solum Thucydidis silentium, sed etiam Plutarchus, qui in Cimone hanc ipsam pacem refert ad pugnam Eurymedonteam, quam duodecim ab hinc annis retulimus. Elige tu lector cui potius credendum putes. Certe si erratum est, simili- V. *Si moderorum confusio vitatur.*

tudo rerum errorem genuit. Nam vtrumque bellum ab Atheniensibus duce Cimone cum ducenos nauibus gestum est, ad Cyprum; vtrobique gemino prælio, maritimo, ac terrestri certatum, vtrobique parte copiarum in Ægyptum missa, vtrobique idem Gallias Hipponici, legatus de pace memoratur, etiam ab Herod. l. 7. eædem in vtroque conditiones pacis. Verum prius bellum ante Ostracismum Cimonis gestum est, alterum post reditum in patriam: illud ad Eurymedontem, hoc ad Salaminam factum dicitur; in illo cum ducentis nauibus itum in Ægyptum ad auxilium Inari, in hoc cum 60. nauibus ad opem ferendam Amyrthæo, qui in paludibus regnabat. Et illæ quidem naues fere ad Prosopitidem insulam periere. Hæ autem ex Ægypto redire, & cum cetera classe, quæ a Cypro redibat, domum peruenere. Quid autem in illis Ægypti paludibus à Græcis gestum sit, Thucyd. tacet.

VI. Romæ fedata pestis. ROMÆ cum nouis Consulibus Menenio, & Sextio pestis cessauit, cum vero publice dijs supplicatum est, & ludi facti magnificè, populusque totus in epulis, & hilaritatibus eam hiemem traduxit, & initio veris multum aliunde frumenti comportatum est, vt penuriæ subueniretur.

Legati de legibus missi redeunt. Per idem tempus reuersi sunt legati leges afferentes Athenis, & ab Italicis Græcorum vrbibus. Moxque Tribuni pleb. adierunt Consules, postulantes vt ex SC. legumlatores crearentur, qui rem vsque ad propinqua comitia distulerunt; quando & sequentis anni Consules designarunt solito maturius, Appium Claudium, & T. Genucium. Interea cum Consules reliquum tempus Consulatus inaniter extraherent, altero eorum ægrotante, altero se dimidiata duntaxat potestate præditum causante, & Tribunorum preces eludente, ad designatos Consules confugere, quibus modis omnibus sollicitatis, eis tandem persuasere, vt pro plebe facerent, propositis magnis honoribus ac præmijs.

VII. De Decemuiris creandis consultatio. SVBIIT enim animum Appij noui cuiusdam magistratus desiderium, vt patriæ ferret leges pacis & concordiæ, vt vna esset voluntas totius ciuitatis. Postremo tamen corruptus magnitudine potestatis, incidit in ambitionem nefariam, vt parum à tyrannide abfuerit. Denique Sextius Senatum coëgit, coactus & ipse à multitudine, retulitque de legibus. Ibi cum in vtramque partem multa dicta essent, vicit designatorum Coss. sententia, quam dixit Appius Claudius primo loco rogatus; Eligendos Decemuiros è Senatus primoribus, eorum annuum fore imperium, ex eo die quo creati fuerint, cum potestate Consulari; interim cessare omnes alios magistratus, donec iusta leges creati fuerint; Decemuiros vero, priuatis iura reddere, & Rempubl. constituere. Hoc Senatusconsultum Tribuni curia progressi recitauerunt pro concione, magna cum laude Senatus, Appijque authoris eius sententiæ. Interea aduenit comitiorum dies, qui nouum inchoabit annum.

ANNVS MVNDI 3604. SEXTAE ÆTAtis 88. Artaxerxis 15. Imperij Pers. 88. Esdræ 9. Eliasib. 15. Olympiadis. LXXXII. An. 3. Archonte Euthydemo. Vrbis cond. 303. App. Claudio, T. Genutio Coss. designatis, moxque cum cæt. Decemuiris.

ANNVS ANTE CHRISTVM 449.

I. Decemuiri Romæ magistratum. DECEMVIROS creandis legibus, & Reip. constituendæ, cum summa potestate electos, adeo vt ab ijs, quemadmodum à Dictatoribus, nulla esset prouocatio, hoc anno fuisse, reliquosque omnes ad tempus cessasse magistratus, autor est Dionys. & Liuius cum alijs. Nisi quod Liuius anno vno de more Dionysium antecedit. Ait enim anno trecentesimo altero, id est, secundo, quam Roma condita erat, iterum mutatā esse formam ciuitatis, à Consulibus ad Decemuiros, tametsi Diodorus, etiam præter morem suum, ad sextum ab hinc annum distulerit, primū scilicet Olymp. 84. Et maiore etiam errato Orosius Olymp. 95. & vrbis anno trecentesimo, qui anni à se anni circiter 50. distant.

II. Lacedæmoniorum bellum sacrum. TERTIVS est hic annus à fœderibus quinquennalibus inter Lacedæmonios & Athenienses: stabat & pax cum Persis inita, quando Lacedæmonij bellum, quod vocatur sacrum, Delphis susceperunt, cuius meminit Thucyd. l. 1. atque post bellum Cyprium proxime commemoratum, gestum esse: meminit & Plutarchus in Pericle. Omisit Diodorus; nam bellum sacrum quod ille refert l. 16. longe aliud est ab isto, diuersoque tempore gestum, quod Diodorus confert in Olymp. 106. annum secundum. Hoc porro bellum sacrum propterea dictum est, quod pro Delphico templo susceptum esset. Cur ita dictum. Cum enim Phocenses, in quorum prouincia sunt Delphi, eo templo potirentur, id sibi ciues Delphici probrosum putabant, & vt par est credere, illius emolumenta in prouinciales suos potius, quā in seipsos transferri ægre ferebant. Itaque Lacedæmonios adierunt rogantes, vt pulsis Phocensibus, suum sibi templum restituerent. Hoc ergo bellum Lacædemonij susceperunt, potitique templo, quod est Delphis, id Delphis ciuibus tradiderunt, vt ait Thucyd. vel vt Plutarchus restituerunt. Ab Atheniensibus quoque gestum. Athenienses vero contrà, post illorum discessum, cū exercitu eo profecti, & Delphis superatis templum Phocensibus tradiderunt. Erant enim Phocenses in potestate Atheniensium, ab annis circiter nouem. Id autem cum Plutarchus confestim ab Atheniensibus factum dicat duce Pericle, facile vtraque expeditio, in non magno terræ marisve tractu, hoc vno anno capi potest. Nec tamen propterea fœdera quinquennalia fracta apparet.

III. Xviri consulari potestate. ROMÆ autē vbi dies comitiorū aduenit, Tribuni conuocato populo, Consules quoque designatos adesse iusserunt, vt pollicita præstarent. Atque hi progressi Magistratum eiurarunt. Quos propterea populus vehementer laudauit, admiratusque est, & in creandis decemuiris eorum in primis rationem habuit. Creati sunt centuriatis comitijs App. Claudius, & T. Genucius, qui designati fuerant Consules, cumque his P. Sextius eius anni Consul, & tres legati, qui à Græcis leges attulerāt, P. Posthumius, Ser. Sulpitius, A. Manlius, & vnus ex superioris anni Coss. T. Romulius, qui accusante Siccio Tribuno damnatus, post autor popularis sententiæ fuerat. Ex reliquo deinde Senatu, C. Iulius, T. Veturius, P. Horatius Consulares omnes. Tribunorum vero, Ædilium, Quæstorum magistratus ad tempus antiquati sunt.

IV. Quo ordine Remp. rexerint. DECEMVIRI igitur aggressi sunt Remp. constituere. Penes vnum fasces erant, & reliqua Consularis potestatis insignia. Is Senatum conuocabat, decreta confirmabat, cæteraque agebat pro imperio; reliqui ad minuendam potestatis inuidiam, non multū habitu à priuatis differebant: vnicum accensum eis affuisse Liuius tradit. Deinde alius in potestatem succedebat seruatis vicibus, idque ad certos dies, decē Liuius significat, donec elaberetur tempus annuum. Omnes autem à mane pro tribunali cognoscebant causas priuatas & publicas, litesque summa æquitate dirimebant; adeo vt optimum eius anni decemuirale imperium Ciuitati visum fuerit. In quo etiam maxime probatus est Appius, qui præ cæteris plebi se comem exhibuit, eamque varijs officijs demereri conatus est.

V. Leges populo cognoscendas proponunt. SIMVL autem omnes conscriptas leges, partim ex Græcorum iure, partim è patrijs consuetudinibus proposuerunt in decem tabulis cognoscendas cuilibet; ferentes admonerii se à priuatis hominibus, & hoc agentes vt leges placerent omnibus, diuque consultauerunt cum proceribus, reuocantes ad exactissimum examen singulas. Vbi vero visæ sunt bene habere, primum Senatu coacto, nemine contradicente, SC. de eis fecerunt. A quo magno consensu approbantur. Deinde centuriatis comitijs in Præsentia Pontificum Augurum, aliorumque sacerdotum àre diuina exorsi, calculos dederunt centurijs; tum plebiscito quoque confirmatas, & in æreas columnas incisas, vna serie proposuerunt, in loco fori maxime conspicuo. Et quoniam non multum supererat de magistratu annuo, cum ad Senatum de comitijs relatum esset, vicit ea sententia, quæ censebat reficiendos in annum sequentē decemuiros, tum quia aliquæ adhuc leges deesse

vide-

videbantur, tum quia sic Tribunitia potestas abrogabatur, quod maxime quærebat Senatus. Priuatim vero Senatus proceres decreuerunt, nemini licere eum magistratum ambire; veriti ne si forte homines turbulenti eam potestatem adipiscerentur, cladem aliquam afferrent Reip. *Xuiri in annum sequentem confirmantur.* Plebe autem Senatus voluntatem comprobante, decemuiri diem indixerunt comitijs, quæ in sequentem annum differemus.

ANNVS MVNDI 3605. SEXTÆ ÆTAtis 89. Esd. 10. Artaxerxis 16. Imp Pers. 89. Eliasib. Pont. 16. Olympiadis LXXXII. An. 4. Archonte Chærephane. Vrbis C. 304. App. Claud. II. Q. Fabio Vibul. &c. Xuiris.

ANNVS ANTE CHRISTVM 448.

I. *Res anni huius.* ATHENIENSES hoc anno contra Bœotios exules semel iterumque, primo fœliciter, deinde infœliciter conflixere. Romæ decemuiri Rempubl. assumpta pene tyrannid, e perturbarunt. Rem porro gestam aduersum Bœotios in hunc annum duce Thucidyde referimus, qui ait post geminam illam expeditionem in Delphos, interiecto deinde tempore hoc bellum susceptum esse. De quo Diodorus tacet, agit Plutarch. in Pericle.

II. *Athenienses contra Bœotios pugna prima. l. 1. p. 73. græ. lat.* HVIVS belli causam non difficile est ex Thucydide colligere. Ex quo dicebamus anno abhinc nono ad Tanagrā Bœotiæ vrbem prælium commissum esse, in eoque Lacedæmonios de Atheniensibus victoriam retulisse: Athenienses vero altero & sexagesimo ab ea pugna die expeditionē in Bœotios duce Myronide suscepisse, Bœotios prælio superasse agrum Bœotium, ac Phocensem in potestatem redegisse. Quo tempore plerique Bœotij partim sponte sua, odio nouorum dominorum, vt fit, partim inuiti & iussi solum verterunt; collectique non paruo numero Orchomenum, & Chæronæam, & alia quædam Bœotiæ oppida occuparunt. Contra quos Athenienses cum mille grauis armaturæ militibus, & socijs quos contrahere potuerunt, in ea loca duce Tolmide Tolmæi filio expeditionem susceperunt. Et Cheronæa capta, ac direpta, collocato in ea præsidio discesserunt.

III. *Posterior cum clade.* BOEOTORVM vero exules, & cum ipsis Locri, & Eubœensium exules, & alij quotquot earumdem partium erant, Orchomeno eruptione facta, illos reuertentes ad Coronæam inuaserunt, & victores effecti, Atheniensium alios quidem interfecerunt, alios vero viuos ceperunt. Refert Plutarch. in Pericle, ipsum Tolmidem acie fusum, cum *Et ipsius imperatoris cædes.* multis alijs viris fortibus illic occubuisse. Ex quo prudentiæ, & beneuolentiæ in ciues non parum laudis Pericli tributum fuit, qui non probarat Tolmidem alieno tempore expeditionem in Bœotiam suscepisse, eumque retinere conatus fuerat, monens esse, Tempus, prudentissimum consiliarium opperiri.

Neque vero Tolmidis temeritatem ea tantum clade *Inde toti Bœotia libertas.* Respublica luit; sed tota etiam Bœotia cedere coacti sunt Athenienses, inducijs ea conditione factis, vt captiuos reciperent; Bœotorum vero exules, cæterique omnes in patriam reuersi, rursus liberi, suisque legibus viuerent. Quæ eadem refert Diodorus Olymp. 83. a. 2. *Hac tam insigni clade*, inquit, *populus Atheniensium coactus est pro captiuorum redemptione, omnes Bœotiæ vrbes imperio suo exemptas antiquo libertatis iuri restituere.* Neque multo post hæc Eubœa insula magna in primis, ab Atheniensibus defecit, vt ait Thucyd. quod arbitror sequenti anno contigisse.

IV. *Roma Xuiratum magistratum retinetur.* INDICTIS Romæ comitijs magistratum petierunt honoratissimi, & natu maximi e patribus. Ibi omnium ore ad cœlum ferebatur decemuirorum princeps Appius, tota plebe annitente, vt in magistratu retineretur, illo dissimulanter renitente, tandemque omnium precibus cedēre. Itaque rursum centuriatis comitijs decemuir factus est, multosque competitores criminando repulit, vt amicis suis faueret. His non longe diuersa scribit Liuius, cum illicet vehementer ambiuisse, quamuis non id præ se ferret, vt qui magistratu abire, non enim ambire debebat. *Itaque*, inquit *collegæ conijcere in eum oculos, mirantes quid sibi vellet; apparere nihil synceri esse, profecto haud gratuitam in tanta superbia comitatem fore. Nimium in ordinem se ipsum cogere, & vulgari cum priuatis, non tam properantis abire magistratu, quam viam ad continuandum magistratum quærentis esse.* Sed subdit etiam insigne ambitionis argumentum, quod omissum à Dionys. prætermittendum non est. *Propalam*, inquit, *ire obuiam cupiditati parum ausi, obsecundando mollire impetum aggrediuntur. comitiorum illi habendorum, quando minimus natu sit, munus consensu iniungunt* Ats hæc erat, ne se ipse creare posset, quod *Apij artificium simile.* præter Tribunos pleb. & idipsum pessimo exemplo, nemo vnquam fecisset. Ille enimuero, quód benè *vertat habiturum se comitia professus, impedimentum pro occasione arripuit, deiectisque honore per concionem duobus Quintijs, Capitolino, & Cincinnato, & patruo suo C. Claudio constantissimo viro in optimatium causa, & alijs eiusdem fastigij ciuibus; nequaquam splendore vitæ pares decemuiros creat*, se in primis, quod haud secus factum improbabant boni, quam nemo facere ausurum crediderat. Ita Liuius, nec falsos fuisse augures collegas illos, res ipsa docuit, vt docebimus.

CVM eo factus est decemuir Q. Fabius Vibulanus III. V. *Qui facti Xuiri.* Consul. ex reliquis vero Patricijs, ipsius Appij fauore, alij quinque, viri non admodum clari. Tres etiam ex Plebe Appius assumpsit, vt maiorem sibi conciliaret plebis gratiam, æquum dicens magistratus eius, qui omnibus præsit, etiam plebem esse participem. Sic Appius magis laudatus, quam vllus regum, aut consulum, in hunc annum accepit magistratum cum collegis Idibus Maij. *Et quando inierint magistratum. Eorum coniuratio.* quæ inciderunt in plenilunium. Addit Liuius tum Idus Maias solennes fuisse magistratibus ineundis. Ante omnia vero, inquit Dionys. fœdus clandestinum inter ipsos iureiurando ictum est, ne quis ex collegio vlla in re aduersaretur alteri; sed quod vni eorum placuisset, idem omnibus probaretur: neue comitia haberent, sed perpetuo retinerent imperium, neue quemquam alium ad id admitterent, ipsique pari honore, pari potestate essent, Senatusconsultis, plebiscitisque non nisi raro, idque necessario vterentur, maximam partem totum pro imperio agerent.

PRIMO honoris die, qui Romanis faustus, ac religiosus VI. *Rempub. tyrannice gerunt.* est, post peracta sacra solennia, mane prodierunt singuli cum regijs insignijs, cum securibus duodenis ad lictorum fasces additis, vt olim reges. Tum vero populum omnem magnus terror inuasit, actum esse de libertate opinantes, & pro vno rege decem se habituros. Accedebat quod singuli stipabant se manu audacissimorum, sibique coniunctissimorum iuuenum; iudicia pro arbitratu per fraudes, & calumnias exercebant, multos ciues tum bonis exuentes, tum etiam occidentes. Cumque scriptas quæ deerant, leges, in duas tabulas retulissent, decem prioribus adiunxerunt, in quibus vna erat, quæ vetabat inter patricios & plebeios connubia.

Vbi veró comitiorum tempus; bonis ciuibus expectatum, aduenit, valere iussis legibus nonis, & patria consuetudine, neque Senatus, neque Populi suffragijs expectatis, in magistratu permanserunt.

ANNVS MVNDI 3606. SEXTÆ ÆTAtis 90. Esdræ 11. Artaxerxis 17. Imperij Pers. 90. Eliasib. Pont. 17. Olympiadis LXXXIII. an. 1. Archonte Philisco V. C. 305. Ap. Claud. cum Cœt. Xuiro, Tum L. Valer. Potito, & M. Horat. Barbato Consulib.

ANNVS ANTE CHRISTVM 447.

I. *Olymp. 83. Eubœa desscit.* PRIMVS annus Olympiadis Octogesimæ tertiæ, qua stadio vicit Criso Himerensis, Archonte Athenis

Philisco, Romani decemuiratum abrogarunt, anno tertio ab eo magistratu introducto. Qui vltimus est annus quinquennalium fœderum, quo Eubœenses Bœotorum fortuna, & Athenienfium clade excitati, ab Atheniensibus defecerunt. Id innuit Thucydides, & Diodorus aperte testatur. *In Græcia*, inquit, *valde debilitatis clade ad Coroneam* (Sic enim legendum docent, quæ paululum antecesserant) Atheniensium opibus, pleræque ab illis ciuitates deficiunt: maximè verò Eubœæ incolæ nouis rebus studebant. Plutarchus in Pericle, ait Periclem, qui tum Rempublicam moderabatur, recuperandæ insulæ gratia in Eubœam transmisisse. Et Diodorus quidem res ibi gestas attingens, geminam eius in eam insulam traiectionem in vnam commiscuit. At Thucydides & Plutarchus, vtrámque profectionem accuratissimè distinxerunt. Et de priore quidem ita loquitur Thucyd.

II. *Pericles in eam adit et ...* Cvm autem Pericles cum Atheniensium exercitu in Eubœam iam traiecisset, ipsi nunciatum est Magarenses ab Atheniensibus defectionem fecisse. Et Peloponnesios irruptionem in Atticam facturos (expectabant forte dum quinquennalia fœdera elapsa essent, quæ erant iam pene in exitu) Et Atheniensium præsidiarios milites à Magarensibus cæsos, illis exceptis, qui Nisæan, ea est Athenarum ara, quo nomine nauale quoque appellari author est Pausanias, a confugissent. Megarenses porro Corinthijs, Sycyonijs, & Epidaurijs ascitis defecerunt. Pericles vero, confestim copias ex Eubœa reduxit, sic Thucyd. De posteriore autem mox explicata breuiter re bene gesta in Attica, subdit. Et Athenienses duce Pericle in Eubœam rursus traiecerunt, totamque subegerunt. sed ea de re postea; arbitror enim ad sequentem annum pertinere.

a L. 1. p. 42. græ. *Megarensium defectio.*

III. *Pericles prudentia in Eubœa deserenda.* Sapienter autem Pericles re infecta in Eubœa, ad domesticum bellum properauit, ne maior in Attica iactura fieret per eius absentiam, quam ex tota Eubœa subacta percipi posset emolumentum. Nec probabilitate caret, Magarenses, & Peloponnesios cum Eubœis pactos fuisse, fore vt dum Pericles apud eos profectus esset, ipsi Atticam vastarēt, vt male diuisis copijs, vtrobique vinceretur. Sed callidus Imperator Euboenses intactos relinquens, & in commodum tempus differens, Athenas venit. Lacedæmonij autem irruptione facta in Atticæ Eleusina, & Thriasios campos, eos populati vastarunt, duce Plistoanacte Pausaniæ Lacedæmoniorum regis filio. Nec vlterius progressi domum redierunt, sic Thucydides.

IV. *Et auertuntur ab Attica Spartani.* Cavsam cur vlterius non sint progressi, refert Plutarchus in Pericle, ad eius artes. Dubitauit, inquit, cum multis & fortissimis militibus lacessantibus manum conserere. Sed cum videret Plistoanactem admodum adolescentem esse, & præcipue consilio vti Cleandridæ, quem ei custodē Ephori, & consultorem propter ætatem adiunxerant, sollicitauit eum clam, breuique delinitum muneribus, induxit ex Attica terra, vt abduceret Peloponnesios. Exercitu reducto, & per oppida dilapso, offensi Lacedæmonij Regi mulctam pecuniarum dixerunt; cuius summæ cum soluendo non esset, exilio solum vertit: Cleandridam qui profugerat rei capitalis damnauerunt. Hunc porro annum Thucydides l. 1. vocat decimum quartum ante Peloponnesiacum, manifesto, vt videtur, errore numerorum. Nam hic annus antecedit biennio tricennalia fœdera, quæ ipsos 14. annos illius belli initium antecessere.

Qui regem mulcta subiecerunt, & in exilium compulerunt.

V. *Rursum de Megarensium defectione.* De Megarensium defectione aliquid amplius addit Diodorus, in huncipsum annum. Ibi Magarenses à fide Atheniensium desciscunt, missaque Spartam legatione, societatem cum illis ineunt. Qua perfidia commoti Athenienses, militem agris illorum immittunt, direptisque passim facultatibus, ingenti præda onusti domum redeunt. Oppidani quidem ad defensionem agrorum excurrunt; sed vbi ad prælium res deuenit, Athenienses victoriam adepti, intra mœnia hostem fuga compellunt, irritis Corinthiorum, Sycyoniorum, & Epidauriorum auxilijs.

Romana res. Iam quod ad res Romanas attinet, hic est tertius idemque vltimus annus Decemuiratus. in quo Reipublicæ status perturbatissimus fuit, magnumque adijtamittendæ libertatis discrimen: sed publicum hoc scelus, alio priuato impeditum fuit. Rem diligentissimè Dionys. præ cæteris persecutus est. Ex quo de more contractam narrationem afferemus.

VI. *Causa & modus antiquati decemuiratus.* Graves omnino, iustæque fuerunt Populi Romani aduersus Decemuiros offensiones, ad quorum denique dominatum euertendum, vltimum quasi momentum attulit facinus Virginiæ interemptæ.

Primo causa. Primum ergo decemuiratui odium conflatum est superiore anno, ex insolita fascium, & securium à singulis assumptione, quæ vim ac metum, & tyrannidem sapiebat. 2. Deinde quod huius tertij anni magistratum cum secundo anno continuarunt, neglecto populo, & contēpto Senatu. 3. Accessit quod præstantissimos quosque quibus institutum illorum non probaretur, atrocibus in eos confictis criminibus, partim vrbe pepulerunt, partim etiam trucidarunt; cum submissis è sua factione accusatoribus, iudicijs ipsi præessent. Maxime vero quod audacissimis quibusque iuuenum, quibus singuli sese stipauerant, rapinas è bonis aduersariorum, verbera indignissima, libidinesque impune permittebant, Denique effecerunt, vt quibus intolerabilia viderentur eorum facinora, relicta patria, cum vxoribus & liberis, ad vicina Sociorum oppida commigrarent.

VII. *Æqui & Sabini Romanos adoriuntur.* Cvmqve tam meliore sui parte orbata esset ciuitas, omnemque amisisset libertatem, hostes eam occasionem se nactos arbitrati sunt, ad iniurias, & damna sua vlciscenda, Romamq. si possent funditus euertendam. In ijs Sabini, qui ad Eretum 140. stadijs ab vrbe, castra posuerunt: & Æqui, qui in Algido, agros vicinos populabundi incursabant.

Decemuiri de bello deliberant. Decemuiri fama de aduentu hostium consternati, cum sodalitijs suis consultant quid facto opus esset: cumque visum esset omnibus educendum in hostem exercitum, neque expectandum, donec ad ipsam vrbem hostiles copiæ aduentassent. Quæsitum deinde quinam ciues ad arma vocandi essent, omnesne, an quibus hic rerum status probaretur. Item rigidene, & pro imperio consulari, an comiter & beneuole delectus habendi: postremo cuius Imperio confirmanda esset de bello gerendo sententia, Senatusne, an plebis, an neutrius horum, sed Decemuirorum duntaxat. Cumque post longam deliberationem visum esset Senatus confirmationem requirere.

VIII. *Senatores omnia contemnuntur à Decemuiris.* Is qvam ægre conuocatus esset, progressus Appius Decemuiratus author, & princeps, renunciauit Æquos & Sabinos bellum Vrbi inferre, contendens delectum militum celeriter habendum, & exercitum in hostes educendum. Cumque is perorasset, & L. Valerius Potitus iniussus ad dicendum surrexisset, & querelam de præsenti rerū statu esset exorsus, sedere ac silere iussus; surrexit nihilominus M. Horatius Barbatus, ambo nepotes eorum, qui Rempublicam à Tarquiniorum tyrannide eripuerát. Cumque hic quoque asperiorem etiam orationem contra Decemuiros inceptaret, eorum accusans tyrannidem, & magistratum per vim retentum, cum Decemuiri circonsteterunt, tribuniciamque potestatem intentantes, minantur se eum de saxo Tarpeio præcipitaturum, ni cōticescat. Ad quas minas coortus est omnium clamor, quasi libertas eorum violaretur, totusque patrum consessus tumultu repletus est. Quocirca decemuiros statim pœnituit prohibitionis, ac minarum.

Tumultuantur Patres.

IX. *Sedatur ab Appio Claudio.* Appivs autem tumultuantes etiam precatus, vt paulisper conticescerent, dixit nolle se patribus dicendi adimere libertatem, modo suo quisque loco ac ordine dicere conatus sit, & de re ad deliberandum proposita, omissis excursionibus, & criminationibus contra eos, qui legitime magistratum retineant, quem sibi populus, sine certi temporis circonscriptione concessent, quem etiam legum latione perfecta depositum sint.

Oratio patrum. Cum autem primo loco patruum suum C. Claudium ad dicendam sententiam vocasset, copiosam is habuit

orationem, qua primum belli causas refert in turbulentum ægrotantis Reipublicæ statum, ob quem hostes sibi persuadeant discissam Rempublicam legitimis viribus sibi non restituram: quæ si in pristinum statum reuocetur, hostes illico de pace acturos. Itaque sententias in Senatu de recte ordinanda Republica prius, quam de milite conscribendo dicendas esse, præsertim cum via sit spes ea de re consulendi, in posterum occasionem datum iri, sibi autem maxime, qui primus sententiã dicere debeat, & cuius maxime interest, vt publica res quam optimo statu, ac loco sit.

X. Hæc pluribus præfatus, incepit dicere hunc Reip. statum vitiosum esse, & ferme omnibus inuisum, quod ex eo perspicuum sit, quod optimi quique ea patricijs, ac plebeijs Ciuitatem deserant, & cum suis solum verrant, aut tuti, quam possunt ab vrbe remotissimi, versentur, & omnes Reip. ordines eas iniurias lamententur, quas supra cõmemorauimus; denique præsentem administrationem tyrannidem vocent. Itaque author est Appio, reliquisque Decemuiris, magistratum hunc populi voluntati permittere; velitne eum retineri, an pristinos, consuetosque restitui, fore id non periculosum, sed gloriosum potius, & populo gratum, cum quo etiam gratiæ reconciliationem pollicetur: & paternum in morem hortatur, vt prioris bene actæ vitæ memor, ad se redeat, & ab improborum consuetudine desciscat. Et quoniam hæc non in publico Senatorum consessu, sed seorsim inter priuatos parietes dici debuisse videbantur: excusat factum senex, quod se ab eius ædibus sæpius repulsum dicit, dum hæc, atque id genus alia, seorsim pro suo iure monere statuebat. Denique grauibus obsecrationibus obtestatus, vt se à Deo ad saniora consilia duci patiatur.

XI. Hæc cum peroraßet Claudius, magnamque Senatui spem fecisset fore vt decemuiri magistratum deponerent, Appius nihil ad hæc respondere voluit, sed ex eius affeclis M. Cornelius paucis eum verbis, non sine contumelia, repulit. Nos inquit, Claudi de nostris commodis ipsi dispiciemus; neque consilio tuo quicquam indigemus. Nam & ætate sumus, quę prudẽtia mea valet, vt nihil eorum, quę nosse refert, ignoremus; neque amici nobis desunt, quib', si opus sit, vtamur consiliarijs. Desine igitur senex rem intempestiuam agere, & sentias te apud eos loqui, qui tuo consilio non indigent. Quod si Appium exhortari vis, aut quod verius est conuiciari, conuiciare vbi ex hoc consessu exieris. Nunc de bello contra Æquos ac Sabinos, de quo rogatus es, sententiam dicito. Hic rursum Claudius surrexit, & de importuna App. Claudij duritie, patruum responsione non dignantis cum lacrymis questus, & discessum ea vrbe suum denunciat, & pro sententia dicit, nihil vlla de re decernendum esse, antequam creentur Magistratus. In cuius sententiam cum multi Senatus proceres irent, Appij collegæ statuerunt non amplius ætatis rationem, aut dignitatis in colligendis sententijs sequi, sed coniunctionis, aut sodalitatis.

XII. ITAQVE progressus vnus è Decemuiris M. Cornelius, L. Cornelium fratrem sententiam dicere iubet, Qui ferociter in eos inuectus, qui ante ipsam sententiam dixerant, etiam dementiæ arguit, qui cum hostis pene in portis sit, & omnes ad eorum vim propulsandam adhortari oportuerit, ipsi de mutandis magistratibus importune deliberẽt, & Rempublicam malint, quam hostes pessundare. Quasi hostis expectaturus sit dum Romani, magistratus, cum solitis legitimisque ritibus crearint, & exercitum præparauint. Contenditque illorum consilia ne sanorum quidem hominum quidem hominum esse, nedum Reipublicæ amantium, sed inuidia & inconsulta maleuolentia in magistratus percitorum. Itaque concludit bellum aduersus hostes decernendum, & summa celeritate exercitum cõscribendũ, quo hosti occurratur, quibus Deo propitio debellatis, tum demum de ordinanda Repub. disceptatũ iri.

XIII. CVI sententiæ plerique omnes, qui post Cornelium sententiam dixerunt, assensi sunt. Cumque hæc sententia iam numero vinceret, L. quoque Valerius, qui à principio dicere cœperat, inter postremos vocatus, de hac sua iniutia, & aduersariorum fraude conquestus, qui prouiderant ne eius sententia aliquid posset, propter eorum paucitatem, qui superessent ad dicendum, accedit ad C. Claudij sententiam, & in summa sentit Dictatorem more maiorum creandum esse, penes quem summa sit belli, ac pacis potestas, abrogatis cæteris magistratibus omnibus: quo modo annonem, decemuirum annos factum sit, cum intra vnum diem L. Quintius Dictator creatus est, qui intra decimum sextũ diem bello egregiè confecto, & hostium duce capto magistratum deposuit Imperator. Id ergo vobis exemplum, inquit, imitandum censeo, & antequam hinc exeatis, Dictatorem dicendum. Nam si hanc occasionẽ dimittamus, non est quod putetis vos à Decemuiris ad vllam consultationem amplius conuocatum iri. Et paulò post.

XIV. EA vero sentẽtia, cuius author est Cornelius, apertè tẽdit ad subuertendum apud vos Optimatũ Imperiũ. Vbi enim Decemuiri hoc belli prætextu semel armis potiti fuerint, vereor ne illis contra nos vtantur. Nam qui fasces deponere recusant, an arma deponent?

Hæc sententia cum deinceps omnibus probata esset, & plerique eorum, qui iam dixerant, significarent se in eadẽ esse sententia. Postulabat Valerius, vt rursum eorum sentẽtiæ rogarentur. Cui cum vehementer obsisteret Cornelius, nec pateretur rem iam legitime decisam, committi renouatis suffragijs, Decemuiri in eius sententiam contẽserunt, in quam & Senatusconsult. factum est, eoque recitato Senatus dimissus est.

XV. HIC triumphare gaudio fautores Decẽuiratus: alij mœsti ac timidi incedebant, qui mox varias in partes scissi sũt. Nam alij minus generosi victrici parti cedebant: alij se vi armisque contra tyrannidem muniebant, & salutaria Reipub. consilia comminiscebantur, in quibus L. Valerius, & M. Horatius; alij ex vrbe abibant, vt C. Claudius, sicut in Senatu prædixerat. Quem quasi secessionis initium facientem, multa ciuium turba secuta est, non amplius clam, & paulatim, sed palam, & confertim è patria excedentes. Quæ Appius cum suis permisere, rati satius esse hostes habere foris, quam domi: quæ tamen illi secum asportare nõ poterant, velut militiæ desertorum bona, verbis quidem publico ærario addixerunt, re autem vera suæ factionis hominibus donauerunt: quæ dicta superioribus addita, patriciorum, ac plebeiorum animos multo magis à Decẽuiratu abalienarunt.

XVI. CÆTERVM cum decretum de bello confirmatum esset cõscriptis propere copijs, ac trifariam diuisis, duo agmina in vrbe reliquerunt ad tutãdas res domesticas, quibus Appius Claudius & Sp. Oppius præerant, tria in Sabinos cũ tribus Decemuiris, quinque cum reliquis quinque Decẽuiris in Æquos profecta sunt Sed vtrique, [illegible] malis, castrisque aut desertis, aut amissis, alij Crustumeriã, Tusculum alij peruenere: Diuina prouidentia Romanæ rei fauente, ne victores tyrannidem confirmarent.

Quæ cum in vrbem perlata essent, hostes Decemuirorum non dissimulare lætitiam, & Valerio atque Horatio, apud quos iam valida erat manus, & Optimatium factioni se duces præbebant, sese adiungere. Appius autem arma, pecunias frumentum, nouaque auxilia in castra submittere, armatos per opportuniora vrbis loca, contra Valerium collocare: collegis etiam, qui apud exercitus erant, secreto mandare, vt aduersarios partim clam & fraude, partim aperte impositis criminibus de medio tollerent; quod illi strenue exequebantur, misera militum Romanorum conditione, dum alij ab hostibus, alij à ducibus suis tollerentur.

XVII. QVIN & in vrbe, eadem quæ præcipiebat alijs, Appius haud segniter exequebatur: multos quippe varijs modis, atque artibus è medio tollebat. In quibus Siccium illum, dudum Tribunum plebis, tot palmis, illustrem, qui multos in vrbe Sermones spargebat, de ignauia, & imperitia bellica Decemuirorũ. Eum enim Appi', legati nomine decoratũ, in exercitum mittit, vbi specie exquirendi in hostico nouum castrorum locum, cum centũ militibus, ab ijs crudeliter, non tamen inultus occisus est. Homicidæ in castra regressi, eum ab hostibus esse impetitum

bus

Solvta Capti 90.

Virginiæ casus.

bus, cum aliquot alijs interemptum facile persuaserunt. Verum cum multis placuisset hominis corpus, ad funeris honorem, exquirere, nec id officij à ducibus negari potuisset, multis indicijs manifesto deprehendere, illum non ab hostibus, sed à suis fuisse interfectum. Itaque regressi cum sicarios illos in iudicium exposcerent, duces rem in reditum distulere, verum illi tum Siccium splendido funere tumularunt, tum etiam de defectione cogitare cœperunt. Sed Altero etiam Appij facinore reliquæ copiæ cõtra Decemuiros conspirarunt.

XVIII. Vir quidem ex Plebeis L. Virginius, vir bello fortis, ac Centurio, filiã habebat cognominem, eamque pulcherrimam, ac nubilem, quam L. Icilio desponderat, eius Icilij filio, qui tribunitiam potestatẽ primus instituerat, primusque gesserat. Eam conspicatus Appius, deperire cœpit, & precibus, muneribusque frustra tentatam, audaciore ratione sibi eam subijcere decreuit. Subornat quendam è clientibus suis, M. Claudium, qui eam in ludo literario deprehensam arripiat, & per forum ad iudicium trahat, eam in seruitutem, quasi ancillæ dudum suæ filiam, vindicaturus. Eò cum auunculus Numitorius, & Icilius spõsus, cum multa turba conuenissent, queri cœpit Icilius vim fieri ciuibus. At Claudius meditatam facti sui rationem, apud nimium fauentem iudicem, facile reddit, & puellam sibi, vt ancillæ filiam, addici postulauit.

XIX. Cvm autem Auunculus pro re præsenti dixisset, quæ ad purgandam calumniam valebant; & patrẽ ad iudicij definitionem expectari postularet: interim neptem apud se, qui eius libertatem tueretur, remanere; & vehementer obtestaretur, vt puellam nuper matre orbatam, nunc verò & patre destitutam misererentur; quæ de amissione mariti, pariæ, & libertatis periclitaretur. Quæ cum Numitorius dixisset, & circunstans turba commiseratione commota, magno clamore significauisset, iusta esse illius postulata. Cum nihil Appius absentiam Virginij patris puellæ causatus, apud Herum interea, datis vadibus idoneis, virginem detinendam diceret, itaque litem decideret. Tum omnium circunstantium clamor & indignatio exorta, tum sponsus Icilius eam complexa, negat se viuo quemquam illam abducturum.

XX. Cvmqve nihilominus eam Claudius abducere velle pergeret, eique apparitores Apij fauerent, qui Icilium & Numitorem iudicatis stare cogebant, circonfusa turba hoc spectaculum inmita, in vim parantes irruit, ita vt Claudius, reformidato illorum impetu, & puellam dimitteret, & ad Prætoris pedes confugeret. Itaque Appius coactus puellam auunculo permisit, dum pater euocaretur è castris in sequentem diem: sperans postridie per vim puellam retinere, specie deserti à patre vadimonij; cum interim mitteret cum litteris equites ad ducem, in cuius agmine Virginius erat, vt eum in arcta custodia retineret, ne audito filiæ negotio, clam è castris euaderet.

Verum Appij nuncios, auunculi filius, & sponsi frater præuerterant, & rem omnem Virginio exposuerant: qui statim ficta causa missionem impetrauit, & iter cum adolescentibus alia via Romam versus arripuit, ne quis, quod mox frustra tentatum est, aut è castris, aut ab vrbe eum in via prehenderet.

XXI. Vt vero nũciatum est Appio de inopinato Virginij aduentu, extra se raptus, cũ magna caterua ad Tribunal properat, & prodire iubet puellæ cognatos. Ibi cum Claudius sibi addici puellã postularet, & iudicem ac testes exhibere vellet, vehemẽter postulabat, ne plus miserationi, quã iustitiæ indulgeret. Ibi cũ pater puellæ, ac reliqui cognati, nullã calũniæ probabilitatẽ esse facilè cõuincerẽt, omniaque è contrario veritati suffragari docerẽt, sic vt oẽs ad cõmiseratione puellæ cõmoti lamentarentur: ijs cohibitis, Appius eidẽ calumniæ nouum à testimonio suo firmamẽtum affert, asserens se postulationis Claudij veritatem iã pridem comperisse, rem tamen suscipere noluisse, sed ad id tempus differre voluisse, quo Claudius ipse, qui tum puer erat, vir factus ancillæ suæ filiam, si vellet, repeteret. Itaque nunc repetenti, ego, inquit, & hoc testimonium ei perhibeo, & puellæ dominum eum esse iudico.

XXII. His auditis quotquot erant integri iudicij, & iustæ causæ aduocati, sublatis in cœlum manibus, mixtum ploratu, & indignatione clamorem sustulere: quibus Appius cum minis silentium indicit, atque è iudicio facessere iubet. Tu verò Claudi, inquit, puellam tibi habe, nec quenquam metuens, per forum abducito, nam Appij te duodecim secures deducent.

Quæ cum dixisset cæteri gementes, & frontem ferientes, nec lacrymas cohibere valentes è foro excesserunt. Claudius verò puellam abducebat, hærentem in patris amplexibus, eumque deosculãtem, & suauissimis vocibus appellantem. Ibi Virginius facinus animo agitabat patri luctuosum & acerbum, ingenuo, ac magnanimo viro, vt putabat, dignum. Cum enim à magistratu impetrasset, vt filiam, antequã abduceretur, vltimis amplexibus salutare liceret, & soli cum sola colloqui quæ vellet, ille sensim cum ad officinam coquinariam appropinquasset, abreptum è mensa cultrum, filiæ per viscera adegit, hoc solum affatus, liberam te, pudicamque filia, ad maiores sub terram demitto. Viuenti enim neutrum horum per tyrannum licuisset.

XXIII. Evm casum turbæ magnæ, tam in vrbe, quam in castris sunt consecutæ. Nam cruentus pater cum cruento cultro vociferans, & furibundus per vrbem discurrit, & ciues ad libertatem vocat, & conscenso equo cum quadringentis fere viris, idem in castris facturus properat. Appius Virginis casu cognito, è sella exsilit vix compos sui, sed ab amicis persuasus abit domum. Eo via peruenerat, cum venit ad eum nuncius, circum virginis cadauer stare Icilium sponsum, & Numitorem auunculum, qui cum cæteris sodalibus & cognatis, fanda nefandaque contra eum spargerent, plebemque ad libertatem vocarent. Quæ cum ille mitigare, populum deliniendo debuisset, minis, atque verberibus frangere maluit; inconsultissime. Eam occasionem nacti Valerius & Horatius, cum magna & forti iuuenum manu, ante cadauer, consistunt, & appropinquantem cum suis Appium, primum verbis infestis, probisque licentiam illorum incessebant: deinde etiam cædebant, ac prosternebant, si qui congrederentur.

XXIV. Ibi Appius inspirato obstaculo perturbatus, plebem, quasi sibi adhuc fauentem, in Vulcani conuocat, aduersarios violatæ maiestatis accusaturus. Valerius contra in foro ad populum, circum cadauer congregatum concionem habet, ita vt pene desertus Appius è foro discesserit, ne ab irata plebe discerperetur. Ille autem Valerius populari in oratione in paucorum dominatum inuectus, omnem ad se populum pertrahebat. Accedebant puellæ propinqui, qui allata ad forum lectica, cæteroque funebri ornatu, cadauer per celeberrimas vrbis vias efferebant, & simul omnium commiserationem commouebant, & à Decemuiris omnium animos abalienabant. Sed qui isti dominationi fauebant, quod armati essent, magnum illis metum incutiebant; & Valerius cum suis nolebat ciuili sanguine litem dirimere.

XXV. Interea Virginius circa luminum accensionem in castra ad Algidum peruenit eo habitu, quo ex vrbe profugerat, toto scilicet corpore cruentatus, & cultrum coquinarium manu tenens. Quo viso, cum excubitores coniectare non possent, quid ei accidisset, pone sequebantur, vt magna atque atrocia audituri. Ille aliquandiu flens pergebat, obuijsque, vt sequerentur signum dabat, illi isto tumulto anxij, vltro eum circumquaque sequebantur, donec in patentem castrorum locum peruenit: vbi sublimior calamitatem suam, magno animi sensu enarrans, & eorum qui eum ex vrbe secuti erant testimonio confirmans, multorum lamentationes & lacrymas eliciebat; quod ipse animaduertens supplex rogare instituit, ne se inultum sinerent, patriamque contumeliosa seruitute affectam desererent. Inde autem delabi cœpit in Decemuirorum scelera probrosa, atque crudelia, ad quæ vlciscenda eos inflãmat, verentes ne præter acceptas adhuc iniurias, alias suæ similes patiantur; quippe non quieturos tyrannos, quorum cupiditates nullo legum timore, nullo pudore tenerentur.

Deni-

XXVI. *Et militem decet sacramento solutum.*

Denique plerique omnes centuriones, aliique milites gregarij, secessionem facere cum Virginio decreuerunt; & duces exercitus, ignauiæ iam, atque imperitiæ nomine exosos, Virginium tamquam turbarum autorem in vincula conijcere volentes, cum probro repulerunt. Cum tamen ob militare iusiurandum cunctarentur imperatorem, aut signa deserere, eos Virginius ea religione soluit, quod negaret, expleto iam annuo tempore legitimos esse magistratus. Illi ergo sese inuicem cohortati signa tollunt, & è castris maxima ex parte discedunt; & continuata per totū diem profectione, sub vesperam in vrbem improuiso ingrediuntur, & innoxio tota vrbe timore excitato, in Auentinum montem, castris locandis idoneum peruenium, ibique sese communiunt, rerum summa decem tribunis cōmissa, quorum princeps erat M. Oppius.

E castris abit. *Et Auentinū occupat.*

XXVII. *Alia quoque castra desciscunt, & se ipsis iungūt.*

Qvæ cum in alijs castris audita essent, in quibus militares animi exacerbati erant, propter mortem Siccij, neque aliud quam occasionem defectionis præstolabantur, id fortunæ beneficium gratis animis acceptauerunt, & magna manu ad eos sese adiunxerunt, & decem ipsi quoque tribunos sibi in itinere elegerunt; inter quos eminebat Sextus Manlius. Postquam vero coniunxerunt vtrinque copias, positis armis 20. tribunis commiserunt, quidquid pro Republica dicendum, agendumve esset. Inter quos, duos illos, Oppium, & Manlium, quasi consules cæteris præesse voluerunt. Ij constituto ex omnibus centurionibus Senatu, cum ijs omnem rerum administrationem communicarunt. Appius interea harum sibi turbarum conscius, & veritus sinistrum aliquid, domi se continuit.

XXVIII. *Senatus cogitur, in quo turba.*

Sp. Oppius vnus de Decemuiris coëgit Senatum, qui dum congregatur, veniunt à Fidenatibus castris duces, cū indignatione conquerentes, vtraque castra à militibus esse deserta: Senatui persuadere volentes, vt grauiter in illos animaduertant. Scribit Liuius (Nam Dionys. Halicarn. iam nos hic deserere incipit, magno historiæ Romanæ damno) quotidie Senatum hoc tempore habitum, sed iurgijs sæpius triuisse tempus, quàm consilijs.

Placebat Valer. Horatiumque ire in Auentinum; illi se ituros negabant. Decemuiri deponerent magistratum, quod se facturos negabant Decemuiri, ante quam leges pertulissent, quarum causa eo magistratu fungerentur. Itaque nullum res habebat exitum.

XXIX. *Plebs abit in montem sacrum.*

Tvm per M. Duillium, qui Tribunus Pleb. fuerat, certior facta plebs concionibus assiduis nihil transigi, eodem autore Duillio, in sacrum montem ex Auentino transit, vbi castra locauere; Plebs omnis cum coniugibus, & liberis, quicunque per ætatem potuere, exercitum secuta est. In deserta vrbe pauci patricij, cum Horatio & Valer. vociferantur contra Decemuiros, & periculum desertæ vrbis, vel ab hostibus, vel ab armata plebe ingeminant. Tandem victi Decemuiri, se in patrum potestate futuros affirmant; id modo simul orant, ac monent, vt ipsis ab inuidia caueatur, nec suo sanguine ad supplicia patrum plebem assuefaciant. Tum Valerius, Horatiusque ad plebem, quibus eis videatur conditionibus reuocandam, à Senatu emittuntur: simul etiam iubentur prouidere, ne Decemuiri ab irata multitudine male mulctentur.

Decemuiri cedunt, & veniam orant.

XXX. *Valerius, & Horatius plebem adeunt.*

Profecti in castra ab exercitu magna cū lætitia accipiuntur. Plebs per Icilium postulauit, vt sibi Tribuni cum prouocatione restituerentur, & ne cui fraudi esset ista secessio. Decemuiros autem dedi sibi postulabant, viuosque igni concrematuros minabantur. At legati in cæteris modestiam plebis commendarunt, qui ea armati peterent, quæ vltro inermibus patres oblaturi essent. Quod aūt de Decēuiris adderent, & crudelitatis odio crudeles esse vellent, ferendū non esse; sed iudicijs, quæ penes ipsos futura sint, rē facile transactum iri, nūc satis esse repeti libertatē.

Redit plebs.

Quibus cum plebs acquieuisset, redeunt ad Patres, re è sententia confecta. Fit Senatusconsultum, vt Decemuiri se primo quoque tempore magistratu abdicarent, Q. Furius Pont. Max. tribunos plebis crearet, & ne cui fraudi esset militum, plebisque secessio.

Quid plura? prodeunt in concionem Decemuiri, abeūt magistratu, Plebs reuocata reuertitur; & in Auentinum rursum, ad creandos tribunos plebis, legatorum monitu proficiscitur. Ibi Pontifice Maximo habente comitia creantur Tribuni Pleb. A. Virginius, L. Icilius. P. Numitorius, Pater, Auunculus, & Sponsus Virginiæ: tum C. Sicinius, M. Duellius, & alij quinque.

XXXI.

Iam vero abdicatis Decemuiris, suffecti sunt Consules duo, qui bonā huius anni partem Rempub. gubernarunt. Nam hunc tertiū Decemuiratus annum, partim ad Decēuiros, partim ad Consules pertinere, Onufrius & Sigonius affirmant. Et Liuius ipse satis ostendit extra legitimum ineundi magistratus tempus creatos esse Cōsules, vel potius Decemuiris suffectos, cum ait; Per interregem deinde Cōsules creati L. Valerius. & M. Horatius, qui exemplo magistratū acceperunt. Quasi dicat. Coss. non distulerunt ad ordinarium tempus initum magistratus sui, vt fiebat à Consulibus designatis: sed sicut extra ordinem comitia habita sunt, ita & administratio cōsulatis. Itaque conijcere possumus Decemuiratum per tres quatuorue menses, vltra secundum annum durasse, à Maio scilicet, quo die diximus ex Liuio, tum magistratus iniri solitos, vsque ad Septembrem. Inde autem Valerium & Horatium consulatū gessisse. Itaque neglectis illis mensibus Cornel. Tacit. & Rufus, aliiq. Decemuiros biennium tantum imperasse dicunt; integrum scilicet. Sic & apud Liuium Virginius in accusatione biennij tantum meminit.

XXXII. *Eorum Consulatus popularis.*

Horvm consulatus admodum popularis fuit. Nam primum omnium cum velut in controuerso iure esset, tenerenturne Partes plebiscitis, legem centuriatis comitijs tulere, vt quod tributim plebs iussisset, populum teneret: qua lege tribunitijs rogationibus acerrimum telum datum est, vt inquit Liuius. Et quidem non sine offensione, imo, vt idem, inquit, inuitis, non tamen repugnantibus Patritijs: quam offensionem illi postea, in recusando consulibus triumpho, demonstrarunt, vt idem ait. Et sane mirum est perlatam fuisse eam legem comitijs centuriatis, in quibus Patritij dominabantur, quod maximam centuriarum partem haberent. Sed in hac recentissima reconciliatione plebem offendere, & ægrè coalescentem concordiam discindere noluerunt. Ideo Dionys. quoque ait latam, ægrè ferentibus quidem patritijs, sed contradicere verentibus. Prouocatio quoque ad populum à quouis magistratu restituta est, & diligentius communita, & id genus aliæ leges populares.

XXXIII. *Appius Claudius accusatur.*

Qvibvs peractis, Tribuni plebis in Decemuiros iudicialia arma deprompserunt. Et primum factus est reus Appius præ cæteris criminosus, atque exosus. Accusator fuit Virginius: sic enim visum est inchoandas accusationes. Si enim illum iudicio superassent, cæteros quoque facile superari posse arbitrabantur: quòd si à tenuioribus inciperent verebantur ne ciuium iræ aduersus eminentissimos vltimis iudicijs remissiones fierent, quæ in prioribus iudicijs solent esse acriores: vt iam sæpè contigit. Appius ergo apud populum accusatus, cum tempus ad causæ defensionem postulasset, nec vadimonium ei concessum esset, in carcerem abducitur, vbi cum ad tempus iudicij in custodia detineretur, antequam destinata iudicio dies aduenisset, in vinculis moritur, vel Tribunorum iussu, vt plerique opinabantur, vel vltro sibi, propriaque manu infami laqueo accersito.

In carcerem ducitur. *Ibi per moritur.*

Addit Liuius venisse eum in iudicium, stipatum iuuenibus patricijs, eaque re populum, memorem fœdissimæ potestatis offendisse: tum iussum in vincula à Tribuno rapi, frustra prouocasse, in pœnam sublatæ antea prouocationis. Interea C. Claudium eius patruum, Regillo Romam ad pericula eius deprecanda redijsse, sordidatum cū gentilibus, clientibusque suis, singulos prehensasse, & misericordiam vel Romani iuris conditori, vel Claudiæ genti, de Republica bene meritæ implorasse. At contra Virginium sui vt misererentur filiæque orasse, quibus lacrymis, vt iustioribus, spe incisa, priusquam prædicta dies adesset, Appium sibi mortem consciuisse.

Patrui vox pro eo frustra prehensat.

XXXIV. *Oppius Decemuir damnatus, in carcere...*

Post eū ab alio Tribuno P. Numitorio ad populū delatus Sp. Oppius, impetrata sui defendēdi copia, damnatur

omnium suffragijs, & custodiæ mandatus eodem die occatur Dionysius. Magnum ad damnationem momentum attulit testis productus, qui teste Liuio 7. & 20. enumeratis stipendijs, octies extra ordinem donatus, scissa veste tergum virgis laceratum ostendit, nec recusans, quin iterū Oppius in eum sæuiret, si quam eius noxam, ob quam ita vapulasset, proferre posset.

Reliqui decemuiri antequam ad plebem deferrentur, exilio se mulctauerunt. Bona verò tum interemptorum, tum profugorum Quæstores vrbis retulerunt in ærarium.

Accusatus & M. Claudius, qui virginem vt seruam abducere conatus fuerat, actore Icilio defunctæ sponso. Is cum culpam in Appium transtulisset, capitis quidem absoluitur, sed perpetuo exilio mulctatur. Addit Liuius Tybur exulatum abijsse, ipso Virginio vltimam pœnam remittente.

XXXV. Cæteris autem Decemuirorum in scelere ministris, data est venia, & finis cruentis iudicijs impositus, M. Duillio Tribuno plebis id agente, cum ciues supplicia ægrius ferrent, & facies Tribunorum eadem iam videretur, quæ fuerant ante Decemuirorum. Quod cum à Tribuno plebis potius, quam à Consule impetratum esset, aucta etiam est Patriciorum in Coss. offensio. Sedatis in vrbe turbis Senatusconsulto decernitur, vt confestim in hostes decernatur exercitus. Accessit & consensus Plebis. Tum Valerius cum dimidia exercitus parte profectus est in Æquos & Volscos, qui copias coniunxerant, quas mox, prædandi causa seiunctas, Valerius aggressus fudit, fugauitque, & multis occisis agrum populatus est. Horatius quoque rem bene contra Sabinos gessit, & castris eorum potitus, tam hostium impedimenta occupauit, quam recepit prædam, quam illi ex agro Romano abegerant, quamque Romanorum contemptu, in tutum exportare neglexerant.

XXXVI. Qvibvs peractis cum ambo, cum spe triumphi reuertissent, & in Campo Martio illum expectantes castra posuissent, coactus est Senatus, & edoctus de re gesta, non permisit eis vt sacra, ob victoriam fieri solita, peragerent. Aduersabantur enim multi propalam ob res ante dictas, C. in primis Claudius, qui etiam vehementer accusabat, quod Decemuiros Tribunis dedidissent & præter iusiurandum & pacta, extremo supplicio, vel exilio, & proscriptione perdidissent. Itaque visum est Senatui, eos debere esse contentos, si nulla eis pœna irrogaretur, honore autem ne minima quidem ex parte dignos esse iudicandos. Negato per Senatus decretum triumpho, Valer. cum Collega indignatus, populum in concionem aduocauit, prolixaque in Senatum accusatione instituta, patrocinantibus Tribunis pleb. legemque inferentibus, Triumphi potestatem à plebe accepit, primusque Romanorum omnium eam consuetudine in ciuitatem introduxit, quę pluribus Liuius tradidit.

Reliqui decemuiri exilium, bona publicantur.

Claudius condemnatur in perpetuum exilium.

Decemuirorum administris datur venia. Consules contra hostes bene rem gerunt.

Non triumphum impetrant à Senatu. Sed à plebe, illo inuito.

ANNVS MVNDI 3607. SEXTÆ ÆTATIS 91. Esdræ Ducis Hebr. 12. Artaxerxis 18. Imperij Pers. 91. Eliasibi Pont. 18 Olymp. LXXX. An. 3. Archonte Gallimacho. V.C. 306. Coss. Larte Hermin. & T. Virgin. Cœlimontano, vel Tricosto.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 446.

I. Rebvs domi non male compositis Athenienses ducē Pericle, in Eubœam iussus traiecerunt, cum quinquaginta nauibus, & quinque millibus militum, vt ait Plutarch. in Pericle. Totamque subegerunt, ait Thucid. & reliquas quidem eius partes, deditione certis conditionibus facta, in fidem, ac ditionem receperunt, sed Hestiæensibus sede sua pulsis, ipsi agrum tenuerunt. Quæ Plutarch. declarat & amplificat. Ibi oppida, ait, redegit in potestatem. Inter Chalcidenses, eos, qui Hippotæ appellabantur, opibus & autoritate primos expulit, Hæstienses omnes exterminauit, eoque coloniam deduxit Atheniensium: hac vsus in eos sæuitia, quod illi Attica naui capta, omnes qui in ea erant, contrucidassent. Meminit Diodorus, sed Olymp. 83. an. 4. In Græcia, ait, Athenienses recuperata Eubœa Hestiæos vrbe excusserunt, & mille ciuium suorum colonia illuc missa, vrbem agrumque sorte diuiserunt.

Athenienses Eubœam occupant Hæstienses exterminant, eo que coloniā deducunt.

II. Romæ in comitijs nōnihil periculi fuit, reliquo autē anno fere domi forisque quies. Nā conspirabant Tribuni, vt ijdē Tribuni reficerentur, & vt ambitio minus appareret, volebāt & Coss. Cōtinuari, veteri se causantes ne Consulibus alijs plebi parum æquis, & Patrum voluntate creatis, plebis nondum firmata iura facile conuellerentur. At M. Duellius & ipse Trib. plebis, cui forte euenerat, vt præesset comitijs, cōsilia eorum sua prudentia discussit, præsertim cum oblata consulibus potestate continuandi consulatum, nonos consules creari voluissent: quos eo nomine collaudauit, quod perseuerarent ad vltimum dissimiles Decemuirorum esse.

Romæ noui Consules, nouique Tribuni.

Creati Consules Herminius, quem Dionys. Diodor. & Valer. Max. vocant Lartem, Liuius & Sp. T. Virginius, qui nihil magnopere ad patrum, aut plebis causam inclinati, otium domi, ac foris habuere. At L. Trebonius Tribunus plebis ex insectandis patribus Asperi cognomen adeptus est, perfecitque lege facta, vt Tribunorum cooptatio antiquaretur, sed suffragijs omnes vsque ad decimum crearentur. Hic Dionysius iterum mancus est. Habemus autem ex Liuio, cum quinque Tribuni per suffragia creati essent, reliquos ab iis fuisse cooptatos. In ijsque nouo exemplo patricios duos, eosque Sp. Tarpeium, & A. Æternium.

L. Trebonius Asper.

ANNVS MVNDI 3608. SEXTÆ ÆTATIS 92. Esd. Ducis Hebr. 13. Artaxerxis 19. Imp. Pers. 92. Eliasib. Pont. 19. Olympiadis LXXXIII. An. 3. Archonte Callimacho Vrbis C. 307. Coss. M. Geganio Macrino. & C. Iulio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 445.

I. Hic est annus tricennalium fœderum, quorum apud Thucydidem, Diodorum, Plutarchum mentio frequentissima. Nam in hunc ipsum annum tertium Olympiadis 83. ea refert Diodorus, & Pausanias, ex quo Catalogus Olympionicarum. Consentit de anno fœderum Gordo. in Chronol. a & Euseb. in Chronico. Thucydides ait Athenienses ex Eubœa reuersos, non multo post, cum Lacedæmonijs, socijsque tricennalia fœdera percussisse. Nec alia mens Plutarcho in Pericle. Quod tamen addit, inducias istas in triginta annos effecisse, vt populus expeditionem iuberet in Samios, præter mentem Thucydidis est, qui sexto post anno id contigisse scribit: ex eo igitur postea.

Fœdera tricennalia inter Athen. & Spartanos.

a 15 pag. ... a C. 1.. ...

II. Nvnc quod ad fœdera attinet, addit Thucydides Athenienses reddidisse Lacedæmonijs Nisæam, Achaiam, Pegas, & Trœzenem, quæ ad Peloponnesios pertinebant. Earum Trœzene, & Achaia proprie dicta in Peloponneso sunt; Pegæ autem, & Nisæa, littorales vrbes sunt in Megaride, apud Ptolemæum. Ex quo conijcere licet Megarenses in defectione perstitisse. Neque repugnant huic coniecturæ, quæ anno superiore de ipsis ex Diodoro retulimus; qui huius anni fœdera à Callia, & Charete scripta, & confirmata esse scribit. In his quoque fœderibus scriptum erat. Cuilibet ciuitatum fœderi non adscriptarum licere, ad vtras vellet partes se conferre; Thucydides b in oratione Corcyrensium & Corinthiorum ad Athenienses. Item cōtrouersias, si quæ contingerent, iudicio dirempt iri, Thucidides in orat. Atheniensium c & Periclis d Ex quo etiam

Quæ conditiones fœderis.

b pag. 8 & 19. c lib. 1 p. ... d p. 35 & 37

loco apparet hæc fœdera iureiurando vtrimque fuisse firmata. Videntur etiam sub extremum anni iniinita. Nam annus sequens primus à fœderibus à Thucyd. numeratur, vt ex 14. & 15. patet. Pausanias ait sancitum in conditionibus fœderis, eius pacis conditionem nihil ad Argiuorum ciuitatem pertinere.

Romæ Consules Æmulationem perpetuam Patres inter & Plebeios continuerunt, ne in seditionem erumperet: semper quippe alter ordo grauis alterius modestiæ fuit. Id effectum est à decreto delectu ad bellum contra Æquos, & Volscos, quod tamen non ante sequentem annum gestum est.

III. *Occasio impetratæ professionis a Nehemia.* AD finem huius anni quadringentesimi quadragesimi quinti ante Christi Domini natiuitatem, pertinet occasio, vel causa antegressa impetratæ à Nehemia facultatis ædificandi Ierusalem, quæ capite primo Nehemiæ continetur. Cap. autem secundo, ipsa facultas, & profectio. *Et factum est*, inquit Nehemias, *in mense Casleu anno vigesimo, & ego eram in Susis castro.* Annũ hunc vigesimum passim fatentur interpretes esse vigesimum regni Artaxerxis; & mensem Casleu esse nonũ anni, qui nostro Nouembri respondet. Ex quo rectè notat Torniellus menses anni Artaxerxis non concurrisse cum mensibus anni Iudaici. Nam mensis Casleu in eius anno vigesimo, præcedebat Nisan, qui est primus mensis Iudaici, id est, Nouembei Martium; quippe qui regnare cœperat sub mensem quintum anni Iudæorum, vt significatur verbis illis. *a Et venerunt in Ierusalem mense quinto, ipse est annus septimus regis.* Ex quo sequitur denunciationem status Hierosolymorum, quæ habetur primo capite Nehemiæ, ad finem huius anni pertinere, quandoquidem annos à Ianuario inchoamus.

a 1. Esd. 7. 8.

IV. *Ex quo tribu n fuerit.* SVB mensem ergo Nouembrem, *Venit Hanani*, inquit Nehemias, *vnus de fratribus meis, ipse & viri ex Iuda.* In Hebræo quoque est, *& viri de Iuda*, nimirum profecti Hierosolymis, & aliis locis, in quibus Iudæ tribus habitabat, vt habent Vatablus, & Sâ. At Septuaginta, qui habent viri Iuda, significantes eos fuisse de tribu Iuda, quod eodem ferme redit. Nam tribus Iuda in Iudæa habitabat: nec tamen sequitur aut Hanani, aut Nehemiam fuisse de tribu Iuda, sed contrarium potius, si quis verba ipsa in quauis lingua consideret; alioqui dicendum fuisset, ipse, & alij viri ex Iuda. Præsertim cum in 2. Machab. *b* aperte vocetur Nehemias sacerdos, & sacrificasse memoretur. At nemo ignorat sacerdotium ad solam tribum Leui, imo ad solam Aaronis familiam pertinuisse. Scio in Græco textu Nehemiam non dici sacerdotem, sed iussisse sacerdotes aspergere aqua tam ligna, quam victimam, vt propterea etiam sacrificasse per alium, non per seipsum dici possit. Nihilominus certum nobis est à Vulgata, & authentica editione non discedere; cum videamus eum ibi moderari totum ordinem sacrificij, quod solius est sacerdotis.

b c. 1. 18. & seqq.

V. *Refutatur Eusebius. Arguitur Scaliger.* PERSPICVVM ergo est Eusebium deceptum esse, cum ita scribit in Chronico, prout habetur Græcè, in editione Batauica. *Nehemias ex tribu Iuda pincerna Artaxerxis, cum id à rege petiisset, ascendit Hierosolyma Babylone, & vrbem cum ipsis muris excitauit. Tunc platea constructa est, & muri ambitus, secundum prædictionem Danielis Prophetæ; vigesimo quidem anno Artaxerxis Longimani incœpto opere, absoluto autem circa trigesimum secundum anni ipsius, quemadmodum narrat Esdræ liber, sub sacerdote Iodae filio Ioachim.* Sic Eusebius ad verbum, ex versione Burdonis, qui ἀρχιερέα vertere debuit summum sacerdotem aut Pontificem, quomodo rectè interpretatus fuerat S. Hieronymus, quem iste hoc nomine subinde vellicat, non autem sacerdotem tantum. Sed grauius errauit Eusebius, dum illi constructioni duodecim annos tribuit, cum constet opus totum diebus quinquaginta duobus fuisse perfectum. *c* Nec ædificatio sub Iodaë, siue potius Ieddoa, vt est in duodecimo Nehemiæ, facta est, sed sub Eliasib, qui etiam ipse particeps eius fuit, vt ex 3. *d* ipsius capite apertum est. Nec Ieddoa fuit filius Ioacim, sed Ionathæ. Scriptum ergo oportuit ædificatam vrbem sub pontifice Eliasib, qui fuit filius Ioacim. Sed errat etiam Burdo cum corrigit Eusebium, quod Artaxerxem interpretatus sit Longimanum, & non, vt ipse non rectè

c Nehem. 6. 15.

d vers. 1.

putat, Mnemonem, vt anno sequenti ostendemus; cuius regnum vltra 40. annos ab hoc distat.

VI. *Diuersi Nehemiæ: alius dux & sacerdos.* DIXERIT fortasse aliquis Nehemiam ducem, alium fuisse à Nehemia sacerdote. Nam diuersos Nehemias in libris Esdræ legimus. Primo illum qui venit cum Iosue, & Zorobabele anno primo Cyri, *e* qui dicitur etiam Athersatha, *f* quæ vox Chaldaica est, respondens Hebrææ Nehemiæ. Et hunc non fuisse Nehemiam ducem certum est, quippe quem nonaginta duobus annis antecesserit. Et constet cum Zorobabelem fuisse ducem populi. Alterum legimus Nehemiam filium Azboc, *g* principem dimidiæ partis vici Bethsur, qui partem muri Ierusalem ædificauit. Tertius est Nehemias filius Helciæ, *h* populi dux, qui toto libro 2. Esdræ celebratur. Et hic idem videtur Nehemias, qui cap. 10. eiusdem libri numeratur in sacerdotibus, vt qui primus in subscribendo fœdere recensetur. Nehemiam autem ducem, fuisse etiam sacerdotem, & viuente licet Eliasib pontifice, Rempublicam administrasse, ex initio secundi Machabæorum liquet: quia ille idem, qui missus dicitur à rege Persidis, vocatur sacerdos. At nullum legimus Nehemiam missum à rege Persidis, præter Nehemiam ducem, quod de se aperte testatur. *i*

e 1. Esd. c. 2. 63. *f 2. Esd. c. 7. 65.* *g 2. Esd. 3. 16.* *h Nehem. 1. 1. c. 5. 14. & c. 12. 26.* *i Nehem. 1. 14. c. 2. v. 2. v. 2. 26.*

VII. *Nehemias interrogat fratres de statu Ierusalem.* PERGIT Nehemias *k Et interrogaui eos de Iudæis, qui remanserant, & supererant de captiuitate, & Ierusalem.* In Græco, & Hebræo, *& de Ierusalem*, repetita particula *de*, quæ in Latino subintelligitur. Est autem hæc loci sententia, vt quibusdam placet. Interrogaui de rebus, ac statu Iudæorum, qui euaserant, & salui redierant in terram sanctam, & de statu vrbis Ierusalem. At rectius opinor intellexerimus cum Dionysio interrogatos fuisse de Iudæis, qui superstites erant, & remanserant in viuis, ex eo tempore, quo Hierosolymam venerant ex captiuitate, partim anno septimo Artaxerxis, partim secundo Darij Hystaspidæ, partim denique, si qui adhuc supererant, ex tempore Cyri. Quæ planissima videtur expositio, & 70. interpretibus confirmatur; qui habent, & interrogaui eos de superstitibus, περὶ τῶν σωθέντων, vel διασωθέντων, qui salui & incolumes remanserant ex captiuitate; qui scilicet erant maiores natu, & reliquorum curam gerebant, in quos communes calamitates maxime incumbebant, & à quibus maxime populus, tanquam à patribus, expectabat auxilium.

VIII. *Iudæi vexantur in patria.* ILLI vero nihil de quoquam nominatim respondecent, sed vniuersè dixerunt Nehemiæ. *Qui remanserunt, & relicti sunt de captiuitate, ibi in prouincia, in afflictione magna sunt, & in opprobrio.* Iudæam prouinciam vocat, quod in prouinciæ formam redacta esset à Persis, sicut post annos plurimos à Romanis; cum hoc tamen priuilegio, vt duces & gubernatores haberent de gente sua, vt de Zorobabele, Esdra, & Nehemia constat. Affligebantur autem à circumpositis populis, Samaritis, Arabibus, Ammonitis, Idumæis, Palæstinis, vt ex cap. 4. patebit. Sed pergunt. *Et murus Ierusalem dissipatus est, & portæ eius combustæ sunt igni. Cumque audissem verba huiuscemodi sedi, & fleui, & luxi diebus multis; ieiunabam, & orabam ante faciem Dei cœli.* Hæc tanta tristitia Nehemiæ, & fletus & lamentatio satis ostendunt nouam aliquam in his nunciis causam tristitiæ contigisse. Nam si nihil noui acciderat muro, & portis Ierusalem, à quo tempore Chaldæorum ignibus conflagrarant, vt Iunius sectatius arbitratur, nihil erat quod nunc auditis nunciis magis lugeret, quam antea; neque enim vnus ignorabat quæ Nabuchodonosor iampridem fecerat Hierosolymis; neque solus Hieremiæ Threnos flebilibus modis non decantarat. Peterius quoque *l* fatetur ciuitatem quoquo modo ante hoc tempus clausam, vt 1. Esdræ significatur, vicinorum incursiones sustinere non potuisse; sed sæpenumero ab illis perruptam, incensam, vastatam, atque habitatoribus vacuatam.

l Petr. in Dan. lect. 7. quæst. 12.

IX. *Profectio Hierosolymas.* DICENDVM itaque videtur, iuxta ea quæ septimo Artaxerxis anno diximus, *m* Iudæos partem aliquam murorum, tacito principum consensu restaurasse, & montem Sion in primis, & templum circumdedisse muris, super antiqua fundamenta rudi opere ædificando, lapsantesque adhuc parietinas fulciendo, adhibitis etiam portis idoneis locis: quæ vicini illi populi facta coniuratione diruerint,

m a. 7. n. 2.

tant. huc illocque disiecerunt, aditus multos vbique patefecerunt, portas denique cum turrium tectis, & tabulatis incenderunt. Quæ vbi Hierosolymis facta sunt, Iudæi Hanani cum sociis miserunt in Persidem, qui de his apud Nehemiam lamentarentur, vt is pro sua apud Principem gratia, remedium aliquod hisce malis inueniret: nec tamen quemquam accusaret, nulla enim hic fit mentio accusationis, quoniam non poterant Iudæi ostendere sibi permissum fuisse muros ciuitatis extruere; sed templum duntaxat, aduersum quod illi nondum sacrilegas admouerant manus. Iuuat autem Nehemiæ, ad hæc nuncia gementis, orationem audire.

X. *Oratio Nehemiæ. a 2. Esdr. 1. & c.* QVÆSO *a Domine Deus cæli, fortis, magne, atque terribilis, qui custodis pactum, & misericordiam cum iis qui te diligunt, & custodiunt mandata tua: fiant aures tuæ auscultantes, & oculi tui aperti, vt audias orationem serui tui*, quam ego oro coram te hodie nocte & die, pro filiis Israël seruis tuis, & confiteor pro peccatis filiorum Israël, quibus peccauerunt tibi: Ego & domus patris mei peccauimus. In Hebræo peccando peccauimus tibi, quod de sola idololatria accipiendum non est, neque enim credibile est Nehemiam eo crimine inquinatum fuisse; & vanitas de qua subditur, *vanitate seducti sumus*, ad alia quoque peccata pertinet, quæ promittunt quam præstare non possunt gloriam solidam, diuitias, voluptatem. Pergit, & non custodiuimus mandatum tuum, & ceremonias, & iudicia, quæ præcepisti Moysi famulo tuo. Memento verbi, quod mandasti Moysi seruo tuo, dicens. *b Cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos. & si reuertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea, etiam si abducti fueritis ad extrema cæli inde congregabo vos.* *b Deut. 30. 4.* Orat ergo Dominum vt stet promissis ignoscendo peccantibus. Extrema porro cæli vocat regiones, quæ in extremo horizonte apparent, quæ cœlum videntur contingere, eo quod distantia cœli à terra nobis obiegatur.

XI. *Reliqua orationis verba.* PRÆTER confessionem autem peccatorum, & diuinorum promissorum obtestationem, aliam quoque addit rationem Nehemias, ad flectendam diuinam misericordiam; quod scilicet Israëlitæ ad ipsum pertineant, vt serui ad Dominum, populus ad principem, clientes & liberti ad patronum. Denique *dirige*, inquit *seruum tuum hodie, & da ei misericordiam ante virum hunc*: terribilem scilicet & formidolosum, ad quem ne regina quidem ipsa, sine timore mortis audet accedere. *c* Ad eum tamen Nehemias aditum habebat, quia erat ei à poculis. Quod officium ipsi apud regem videntur conciliasse Esther & Mardochæus, quos sibi fidissimos expertus erat Rex, & prædicabat. *d* Nec tamen ipsimet postularunt, quæ à Nehemia petita sunt, verti difficillimum hominis ingenium, cui si ingratam esse petitionem cognouisset, periculum subibant eius gratiæ in perpetuum amittendæ. At alio petente, poterant ipsi facile omnem aduersum Iudæos offensionem tollere, aut certe mitigare. Si autem grata fuisset, eam sine periculo efficaciter promouere; vt supra anno primo Artaxerxis significatum est. *e* *c Esther. 4. 11. 15.* *d Esth. 1. & [illegible]* *e An. 1.*

XII. *Iosephi hac de re narratio. f Lib. 11. c. 5.* NVNC antequam progrediamur vlterius, etiam Iosephum his de rebus non satis cautè fabulantem ex Scriptura corrigamus: sed ne indicta causa, primum audiendus est. *Captiuum quendam ex captiuis Iudæis*, inquit, *f* pincerna regis Xerxis, Nehemias nomine, deambulans ante primariam Persarum vrbem Susa, cum hospites quosdam post longum iter exactum in vrbem aduenientes, Hebraice inter se confabulari animaduertisset, accedens ad eos rogabat vndenam venirent: & audito quod è Iudæa, rursum sciscitatus est, quomodo se haberet ille populus, & caput eorum Hierusolyma. Quibus male se habere dicentibus, quod eius mœnia diruta essent, & circumuicinæ gentes multa mala Iudæis inferrent, die noctuque agros excursionibus & rapinis populantes, & multos ex ea regione, atque adeo ex vrbe ipsa captiuos abducentes, ita vt passim per vias reperirentur cadauera; flens Nehemias, motus populi suorum *suorum miseriis, & sublatis oculis ad cælum. Quousque*, inquit, *passurus Domine gentem nostram tantis malis opprimi, vt omnium præda omnium?* *Cunctante vero illo apud portam, & obambulante, accedens quidam nunciauit ei, regem iam accubitum ire*; quæ ad sequentem annum pertinent.

XIII. *Emendantur, aliquot eius errata.* PRIMVM non placet Nehemiam vocari captiuum, non magis quam Estherem, aut Mardochæum. Nam neque ita vocantur vsquam à Scriptura, neque reuera captiui erant, sed subditi tantum; sicut & qui erant in Iudæa. Nam sponte tam Babylone, quam Susis, & Ecbatanis, totaque in Perside habitabant: quippe qui iam toties abeundi facultatem, sine vlla restrictione, acceperant. Secundo errat quod Xerxem pro Artaxerxe posuerit, vt sæpius notatum probatumque est, & sequentia magis docebunt. Nec fuit hic memoriæ lapsus, cum id nomen passim in Septuag. quos sequitur, in libris Esdræ, Nehemiæ, & Esther legeret, imo etiam in Hebræis, *g* sed ita scriptum de industria. Cum enim ipse apud Romanos Principes à Iudaica religione alienos tum viueret, & se suamque gentem apud eos honoratam perciperet, dedit operam in scribendis antiquitatibus suis, vt principes omnes alienigenæ, qui alioqui bene audissent, eam honore ac beneficiis affecisse viderentur. Quo in genere primo Cyrum merito celebrauit: Cambysem non potuit, à quo templi ædificationem prohibitam fuisse constabat, ideoque hominem, quem exotica etiam condemnat historia, ad malitiam ortum dixit. *g vt Nehe. 2. 1.*

XIV. *Persarum principes Hebræorum fautores.* INDE secutus est Hystaspides Darius (nam Magus ille tanquam fulgor euanuit) qui magna suæ erga Iudæos beneuolentiæ argumenta dedit, merito & ipse laudatus est. Sequebatur Xerxes, sub quo ne res Iudæorum elanguisse viderentur, quæ differenda erant ad Artaxerxem istum Longimanum, ipse diuisit, & partem vnam patri attribuit, quæ scilicet erant Esdræ & Nehemiæ: partem alteram quæ Estheris historiam continebat, filio reseruauit. In quo etiam non leui lapsus est imprudentia, qui non viderit Nehemiam esse Esthere posteriorem. Denique idem Iosephi institutum in sequentibus regibus Persis, Græcis, Romanis, apparebit.

Non arguerem tertio fictam declamatoriæ deambulationem, & casu auditum Hebraice colloquentium sermonem; accessum quoque Nehemiæ ad eos, quòd hanc probabilitatem Scripturæ veritas non coarguat, (licet significet potius venisse illos ad Nehemiam, quasi de industria missos, quam vice versa) arguendum tamen duxi, vt Christiano lectori memoriam renouarem inuerecundæ illius assertionis, *h* qua professus est nihil se Hebraicis voluminibus addere de suo, nihil detrahere, sed agere duntaxat Hebraicorum voluminum in Græcam linguam interpretem. *h Lib. 10. ant. c. 11.*

XV. *Male augetur Iosephus Iudæorum afflictionem.* QVARTO ista hæc afflictionis amplificatio ficta etiam est. Quomodo enim istæ rapinæ, isti captiui, illa per vias passim strata cadauera, iustissimam accusationis apud regem causam non præbuissent, cuius ne minimum quidem extat vestigium? Quomodo Nehemias tam validum omisisset argumentum ad persuadendam necessitatem muros Hierosolymis extruendi? Quinto Nehemiæ apud Deum querela nulla est, sed supplex oratio, sed agnitio culparum, sed humilis diuinorum promissorum commemoratio, sed obtestatio diuinæ misericordiæ. Nimirum idem est Iosephi, & illorum Iudæorum spiritus, de quibus apud Isaiam Dominus: *i Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens quæ iustitiam fecerit, &c.* Denique ridiculum est trium aut quatuor mensium spacium, à mense Casleu ad Nisan anni vertentis, in nescio quam aliquot horarum cunctationem apud portam vrbis commutare. Certe ipsemet Nehemias aperte fatetur se fleuisse, & luxisse diebus multis, quibus fortasse alius pincerna interim ordine suo regi ministrabat. *i c. 58. 2.*

* † *

SOLVTÆ CAPTIVITATIS AN. 93.

ANNVS MVNDI 3609. SEXTÆ ÆTATIS 93. Nehemiæ Ducis Hebræorum 1. Artaxerxis 20. Imperij Pers. 93. Eliasib Pont. 20. Olympiadis LXXXIII. an. 4. Archonte Lysimachide. Vrb. cond. 308. Coss. T. Quintio, Capitolino IV. & Agrippa Furio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 444.

I. *Res annotanda.* Celeberrima de hebdomadibus Danielis, & earum initio controuersia, *a* & excitatio murorum Hierosolymitanorum Artaxerxis decreto, operaque Nehemiæ, memorabilem hunc vigesimum Artaxerxis annum reddunt. Græcis autem ex recenti ito fœdere quiescentibus, Romani neque domi à tumultibus, neque foris à bellis quieuerunt. Cæterum vigesimus annus Artaxerxis concurrit cum vltimo anno Olympiadis octogesimæ tertiæ apud Iulium Africanum, in quinto temporum volumine, vt refertur à D. Hieronymo in 9. Danielis, & Eusebio, libr. 8. de Demonstratione Euangelica, Demonstratione secunda sub medium. Qui ne in regno quidem Persarum nobiscum pugnat, etsi hunc annum 115. regni Persarum vocet; priores enim tres ac 20. annos, siue integros viginti duos, quibus Cyrus regnauit, ante Imperium Babylonicum subiugatum, cum annis inde subsecutis copulat. Profectionem quoq; Nehemiæ, & inchoatos hoc anno muros Hierosolymæ, author est Eusebius in Chronico. Et res ex ipso Nehemia planissima est.

a 2. Esdr. 1. 1. & c. 2. Mach. 1. 18.

32. 93.

III.

II. *Hebdomadas Danielis hinc ordiuntur.* PLERIQVE autem ab eodem anno vigesimo Artaxerxis Longimani exordium hebdomadum Danielis, quibus tempus aduentus & mortis Messiæ designatur, scriptores grauissimi tradiderunt, in quibus Iulius Africanus apud D. Hieron. loco ante citato; vbi hanc sententiam non solum tradit, sed fuse probat, & alienas confutat, earumque finem Christi morte determinat. Quem refert quoque ac sequitur Venerab. Beda tam l. 3. allegoricæ expositionis in Esdram cap. 16. quam in lib. de sex ætatibus mundi, in Artaxerxe Longimano, *b* & in libro de ratione temporum cap. 7. Eadem omnino cum Africano sentit Theodoretus oratione 9. in Danielem: & eum sequitur Rupertus cap. 15. in Danielem. Et S. Chrysostomus homil. 5. aduersus Iudæos, sub finem; licet accommodate ad argumentum quod tractabat, eas hebdomadas euersione Hierosolymorum definiat. Quæ Eusebij quoque sententia videtur in Chronico, eo quòd sub conditione loquatur. Africanum quoque sequitur author historiæ scholasticæ in historia Danielis cap. 10. Zonaras in primo Annalium. S. Antoninus, *c* Petrus Galatinus, *d* Ioannes Lucidus, *e* Pererius l. 10. *f* & 11. in Danielem. *g* Adde Villalpandum, qui eam fatetur communem esse doctorum sententiam. *h* Est quoque Salmeronis tomo 1. prolegomeno 43. Tornielli non vno in loco. *i* Gordoni sub annum vigesimum Artaxerxis, & cap. 15. n. 17. Francisci Suares. to. 1. in 3. part. D. Thomæ, disput. 1. sect. 2. vt omittam eos, qui annos priores Artaxerxis in paternos annos inferciunt, & decem minimum annis Imperij Persici longitudinem minuunt; in quibus Torcellinos, & Sametius in suis Chronologijs, quibus præiuit Gerardus Mercator.

b a m 1498.

c 1. p. Chr. 1. 3. c. 8. d l. 4. c. 16. e l. 7 de emend. c. vlt. f n. 7 apin. g sub fin. in 1. p disput. de hebdo. h 1. 2. p. 1. l. 1. c. 3. i 106 ann. en. 70. n. 7. & an 163. n. 4. c. 9. v. 25.

III. *Ea sententia probatur.* VIGESIMO igitur anno Artaxerxis Longimani nos quoque initium hebdomadarum Danielis tribuendum putamus, vt omnium hac de re sententiarum maxime probabili. Nam cum eas Daniel, aut Angelus potius, aperte ordiatur ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem; hic exitus sermonis de alio loquente nequit intelligi, quam de eo, qui poterat eam ædificationem vel permittere, vel impedire; vt propterea frustra quidam exitum sermonis Prophetici intelligant. Sed nec Angeli sermo, vel Dei intelligendus est; talis enim sermo cum reconditus sit, nec mortalibus notus, quomodo dari posset quasi nota exordij 70. hebdomadum, quæ debet hominibus esse perspicua, vt inde numerare incipiant? Ergo decretum accipiendum est principis alicuius, cui Iudæi eo tempore parerent. Oportet igitur eos qui contra sentiunt aliũ principem tempus ve proferre, quo facta sit Iudæis potestas restaurandæ Ierusalem, vel agnoscere id factum hoc vigesimo Artaxerxis anno, de quo planissima extat Scripturæ sententia. At nullus alius princeps profertur, à quo decretum ędificandi quod quęrimus editũ sit, aut tempus, quod non sit multo grauioribus difficultatibus impeditum.

INITIVM HEBDOMADVM DANIELIS.

IV. *Exordium hoc aliis regibus non conuenire.* CYRVS enim nullum verbum fecit de extruenda ciuitate, sed templo duntaxat, vt ex initio libri Esdræ constare potest. *k* Nam quod apud Isaiam legimus, *l* de Cyro ciuitatem ædificaturo, ea Prophetia est, nõ decretum principis; ibiq; ciuitas propriè pro ciuium congregatione ponitur, non pro murorum ædificio, de quo est ista disputatio. Dario quoque Hystaspides, templi tantum extruendi potestatem fecit, vt ex eodem libro Esdræ clarissimum est; *m* & reuera illud tantum eo regnante restitutum est. Quod enim in 3. Esdræ ei dixit Zorobabel. *n Memor esto voti tui, quod vouisti ædificare Ierusalem*; de ipsa vrbe non esse accipiendum, sed de templo, ex eodem loco intelligi potest. Mox enim subditur. *Et tu vouisti ædificare templum, quod incenderunt Idumæi*, &c. Ex quibus etiam verbis explicanda est ædificatio ciuitatis, quæ ibidem aliquoties iteratur, vbi ciuitas proprie, ædificatio metaphorice vsurpatur.

k 1. Esdr. 1. 2. 1. & c. 6. v. 3. 4. 9. &c. l c. 44. 28. & c. 45. 13. m l. 1. c. 6. v. 7. 8. n l. 3. c. 4. v. 43. & c. v. 47. 48. 53. 55. 63.

V. *Ex fine idem confirmatur.* DEINDE si alio tempore quam sub Artaxerxe facta est potestas ædificandi vrbem sanctam, oportet tempus 70. hebdomadum ab illo ad Christi mortem recte congruere; in vltimam enim hebdomadem cadere Christi mortem, & Scriptura ipsa clare loquitur, & communis doctorum sententia confirmat. At nullum aliud congruit. Nam si sumamus Cyrum, à dimissa ab eo captiuitate, vsque ad Christi mortem, non 490. anni, sed 570. reperientur. Si Darij Hystaspidæ annum secundum, quando rursum multa Iudæorum turba, cum Zorobabele Hierosolymam profecta est, supra quingentos ac quinquaginta annos reperiemus. Si quartum Sedeciæ vt putauit Vatabl. in ca. nonum Danielis sexcenti & quadraginta octo numerabuntur. Si autem ad Artaxerxem Mnemonem, aut Ochum differamus initium, multo pauciores colligentur anni, quam necesse sit ad septuaginta hebdomadas. Congruit autem tempus Artaxerxis, vt mox dicemus.

VI. *Et ab persona Nehemiæ.* DEINDE si quis alios præter Nehemiam ædificauit vrbem, aliorum regum Persarum temporibus, quare solus Nehemias hoc nomine à Scriptura celebratur? Nam Sapiens. *o Et Nehemias, inquit, in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas, & seras; qui erexit domos nostras.* Quare laudem illam cum Iosue, aut Zorobabele non communicauit, de quibus proxime dixerat. *Quomodo amplificemus Zorobabel? Nam & ipse quasi signum in dextera manu; sic & Iesum filium Iosedech. qui in diebus suis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam.* Quidni & de vrbe quoque extructa commendentur? Nec satis videtur fecisse huic obiectioni Sanctius, *p* cum ait eam laudem tribui Nehemiæ, quia opus ab aliis inchoatum absoluit. Nam qui condendis vrbibus operam dederunt celebrari videmus, vt Romulum, Didonem, Ninum, Nembrodum, Alexandrum, Seleucum, Antiochum &c. non eos qui extremam manum istis operibus addiderunt. Et quamuis allaboratum ab aliis in eodem opere non negemus, id tamen modice, & priuata authoritate factum, non integre, & ex professo, & ex decreto principis, quod in primis quæritur, susceptum, atque perfectum est.

o Eccli. 49. 15.

p in cap. 9. Dan. n. 10.

VII. *Soluuntur obiectiones.* MOLESTA nihilominus vrgetur obiectione nostra sententia: neque enim facile inueniuntur 490. anni ab anno vigesimo Artaxerxis, vsque ad Christum patientem, sed 478. ad summum, qui conflantur ex 444. ad eius ortum, & triginta quatuor inchoatis ad obitum: siue 119. Olympiadibus integris, & 83. finiente, ac ducentesima tertia inchoante. Respondemus de annis solaribus id verum esse; verum ij æquiualent 490. lunaribus. Anni enim communes & ordinati Hebræorum 12. mensium sunt, siue dierum 354. At solares sunt 365. cum quadrante. De annis autem lunaribus accipiendos esse hos annos, iampridem grauissimi scriptores senserunt: Iulius scilicet Africanus, Theodoretus, Rupertus, Beda, ac plerique alij, su-

SOLVTÆ CAPTIVITATIS AN. 93.

pracitati, & omnino quicumq; hoc anno vigesimo Artaxerxis hebdomades inchoant, & eas volunt sub Christi mortem esse terminatas.

VIII. *Non vero à decimo anno Artaxerxis ad patris regnum.*

Nam qui initio annorum lunarium retrahunt vigesimum annum Artaxerxis, ad annos quibus eum patre regnauit, inani commento sententiam tuentur suam. Vt enim demus, ex Herodoti mente, Xerxem difficillimum bellum contra Græciam suscipientem, regni collegam & successorem dixisse Artaxerxem, quod nemo antiquorum diserte asseruit; vt dissimulem id honoris Dario primogenito, non Artaxerxi tribuendum, iuxta ea quæ vltimo Xerxis anno ex Diod. & Iustino diximus; certe cum Xerxes initio Olympiadis septuagesimæ quintæ in Europam traiecerit, eodemque anno in Asiam regressus, nusquam inde postea pedem extulerit, proindeque nullam habuerit dicendi successoris occasionem, si ab illa Olympiade sumamus exordium regni Artaxerxis, annus eius vigesimus non erit decimus à morte patris, vt isti volunt, sed decimus sextus. Primus enim Artaxerxis est primus Olympiadis septuagesimæ nonæ, vt suo loco demonstratum est. Accedit quod iidem, siue decem, siue sedecim annis regnum Persarum decurtare coguntur, aut certe 50. annos Artaxerxi, nullius autoritate nixi tribuere. Vide etiam Pererium sub finem vndecimi libri in Danielem. *a*

a in tertia Ioan. Lucido.

IX. *Anni hebdomadum lunares absurde.*

Qvi autem eodem odio hunc exitum sermonis, de quo Gabriel Angelus alloquitur Danielem, in septimum annum Artaxerxis referunt, in quibus quamuis verecunde Sanctius in Danielem, *b* supra illo eodem anno refutati sunt. Vbi etiam diximus nihil esse absurdi, Angelum in obscura ac pœne ænigmatica Prophetia, annis vti, illi quidem populo vsitatis, lunaribus videlicet, non tamen secundum vsitatum modum, propter omissos embolismos, per quos lunares anni ad solares reducebantur, intercalando per certa, & stata interualla decimum tertium mensem Adar: qua de re accurate à nobis anno mundi 2544. disputatum est. *c* Quod haud obscure innuens Angelus, vocauit hebdomadas abbreuiatas, Septuaginta concisas συντετμημένας, vtpote singulis earum annis vndecim diebus decurtatas; sic dies aliquot horis breuiantur hyeme, iidem que augentur æstate. Sic Ezechias dimidiatos dies suos lamentabatur, quos postmodum læratos est 15. annis auctos. Denique Angelus, apud hunc ipsum Prophetam, nouo modo pro 7. annis dixit septem tempora, *d* & pro tribus annis cum dimidio, tempus, & tempora, & dimidium temporis. *e* Quoniam autem in nostra Chronologia mensibus annisque solaribus vtimur, iuxta morem Ecclesiæ Catholicæ, singulos harum hebdomadum annos, singulaque septennia deinceps non numerabimus, quoniam numerus & longitudo hebdomadarum nostrarum iis conuenire non potest. Nunc rei gestæ historiam, nonnihil obiter exponendo, breuiter cũ Scriptura decurramus.

c Genes. 5. 10. & sch. 7.

d c. 4. 13.

e c. 7. 25.

X. *Tempus, & occasio petitionis Nehemiæ.*

f Vide an. praeced. n. 3.

Factvm *est autem in mense Nisan, anno vigesimo Artaxerxis regni,* ad aliquot adhuc menses durante. *f* Non obscure porro hinc intelligitur totum trimestre positum à Iudæis, partim in propitiando numine precibus, ieiuniis, cæterisque corporis afflictationibus; partim in consultando quomodo, quando, per quos, qua occasione petendum esset hoc decretum; ne eos repulsam pati contingeret, aut vt etiam saltem sine grauiore damno paterentur. Adde illud quoque, expectandum fuisse dum hybernum tempus & itineri, & ædificationi parum opportunum effluerct, vel ordo vicis, & administrationis eius aduentaret. Appetente ergo vere cum aliquando Rex post cœnam, vt ait Iosephus, factus esset hilarior, vinumque etiam num adesset in conspectu regis, in Græco est ἐνώπιον αὐτοῦ, quod eodem redit. *Leuaui,* ait Nehemias, *vinum, & dedi regi,* eleuatum calicem porrexi regi. Nimirum alludit ad morem, *g* quem obseruant pincernæ principum, qui humili corporis inflectione regem honorant, priusquam potionem libent, aut ei porrigant. *Et eram quasi languidus ante faciem eius,* videlicet præter solitum, vt ex Hebræo & sequentibus intelligitur, ex metu & sollicitudine suscepti negotij. *Dixitque mihi Rex, quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam?* *non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est.*

g Villalp. t. 3. l. 5. c. 4.

NEHEMIÆ PETITIO A REGE.

XI. *Eius timor, ac petitio.*

Admodvm timuit, ne Rex sinistri quippiam de ipso suspicaretur, vt ait Vatabl. statimque sumpta occasione dixit Regi. *Rex in æternum viue. Quare non mœreat vultus meus, quia ciuitas domus sepulchrorum patrum mei, deserta est?* id est, cum ciuitas, quæ ast d... as, siue locus sepulchrorum, in quibus conditi sunt maiores mei, deserta sit? *& portæ eius combustæ sunt igni? Et ait mihi Rex, pro qua re postulas?* Quæ est petitio tua Nehemia? *Et oraui Deum cæli,* tacita scilicet prece cordis mei, vt dirigeret linguam meam, & flecteret cor Regis ad acquiescendum postulationi meæ; habes autem exemplum orationis iaculatoriæ quam vocant, quam vsurpauit Nehemias inter alloquendum regem, statimque respondens, *dixi ad regem. Si videtur Regi bonum, & si placet seruum tuum ante faciem tuam,* id est, vt alibi, si inueni gratiam in conspectu tuo, *vt mittas me in Iudæam ad ciuitatem sepulchri patrum mei, & ædificabo eam.* Hæc iterata sepulchrorum mentio innuit non Iudæis modo, sed & Persis etiam commendabilem, ac valde religiosam censeri sepulchrorum curam.

XII. *Conceditur profectio ad certum tempus.*

Dixitque *mihi Rex, & Regina quæ sedebat iuxta eum.* Non potest certo affirmari hanc reginam fuisse Estherem: admodum tamen probabile est, posito Assuerum Estheris, esse Artaxerxem Longimanum, vt supra probauimus, eique vnicam fuisse vxorem reginam, loco Vasthi constitutam: *h* eam vero huic causæ non leue momentum attulisse dicendum videtur, ne sine causa mentio eius facta videatur. *Vsque ad quod tempus,* inquiunt, *erit iter tuum? & quando reuerteris? Et placuit ante vultum regis, & misit me,* id est, consensit in protectionem meam, *& constitui ei tempus,* certum scilicet, vt est in Hebræo, non tamen exprimitur. Constat quidem *i* Nehemiam annis duodecim mansisse Hierosolymis, & ibi ducem populi fuisse. Non tamen arbitror id tempus constitutum fuisse inter regem & Nehemiam; sed quantum probabile erat esse necessarium ad perficiendum opus, quod suscipiebatur, vnius verbi gratia, vel alterius anni; etsi res longe breuiori tempore perfecta fuerit. Cum tamen iam abesset, & res Iudaicas bene gereret, ex à Regina & Mardochæo impetratum fuerit, vt ibi Remp. pro rege administraret, quandiu regi videretur; quod hoc ipso anno videtur contigisse, vt significatur *k* illis verbis. *Adit autem illa, quæ præceperat Rex mihi, vt essem dux in terra Iuda, ab anno vigesimo, vsque ad trigesimum secundum &c.*

h vt patet Esther 2. 17.

i c. 5. 14. & c. 13. 6.

k c. 5. v. 14.

XIII. *Petit Nehemias literas commendatitias.*

Petitio autem Nehemiæ in particulari est huiusmodi. *Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans flumen,* Euphratem commendatitias, vt non solum non impediant me, sed *vt traducant me donec veniam in Iudæam; & epistolam ad Asaph custodem saltus regis, vt det mihi ligna, vt tegere possim portas turris domus, & muros ciuitatis, & domum quam ingressus fuero.* Geminas petit epistolas, alteras ad duces Syriæ, & aliarum prouinciarum trans Euphratem, ne scilicet eorum præsidio munitus, incideret in manus Ammonitarum, Idumæorum, Arabum, vel aliorum, qui cum Iudæis gerebant perpetuas inimicitias. Alteram ad custodem saltus regis: intelligit autem locum peramœnum, regia seruatum custodia, & instar horti circumseptum, vnde in Hebræo, & Græco paradisus, siue hortus appellatur: alioqui mirum esset hortenses, & pomiferas arbores ædificationi, & contignationibus aptas esse. Fuisse autem hunc saltum in Libano putat Villalp. quoniam è Libano Dauid & Salomon ligna petierunt ad ædificandum. Ptolemæus in quarta Asiæ tabula, Paradisum oppidum iuxta Libanum collocat in Cœlesyria.

Saltus regis quis.

XIV. *Portæ & turris quæ.*

Ligna autem requirit primo ad tegendas siue contignandas, *portas turris domus.* Villalp. putat intelligi tres turres, quæ super porticum portas erigebantur. At hic vnius tantum fit mentio, vt propterea alij malint vestibulum ipsum templi intelligere, quod olim altitudinem habuit 120. cubitorum. Quamuis enim tempore Darij perfectum fuerit templum totum; potuit tamen, si tunc ad eam celsitatem erecta est illa turris, intra septuaginta annos, casu aliquo, aut etiam igne cœlesti conflagrasse. Sed neque hoc satisfacit. Nam à duodecim fere annis mul-

tam

tam pecuniam Esdras acceperat, vt omnia quæ necessaria essent templo Domini prouideret: imo & de thesauro & fisco regio voluit rex ei suppeditari, quęcunque placerent. At quis credat vestibulum templi ab eo fuisse neglectum? Dici etiam posset intra illos duodecim annos tactum fuisse de cœlo; sed restaurati etiam potuisset, regiis sumptibus, iuxta decretum Esdræ datum. *a* In consequentibus etiam, vbi fit mentio ædificationis, nulla templi extat memoria, sed solius ciuitatis.

a 1. Esdr. 7.

XV. *Ad reparandam regiam domum.*

Svspicor igitur intelligi domum regiam, quæ erat iuxta templum, & à qua in templum erat aditus, quam olim Salomon ædificarat. Nam 70. Complutensia, & Regia habent ad tegendum portas palatij domus, siue templi. In Hebræo quoque Pagninus (habira) vertit palatium, Arias etiam Montanus inseruit in translationem D. Hier. eandem palatij vocem, & *b* rursum vbi Hananias dicitur in Vulgata editione princeps domus de Hierus. à Vatablo vertitur princeps palatij regis, à Tigurina, princeps arcis Hierosolymitanę: in ambitu enim arcis continebatur palatium.

b in c. 7. 2.

Et portas, turresque murorum.

Secundo quærit Nehemias sibi à Rege dari ligna, ad tegendas & contignandas portas murorum, & turres earum, postremo ad extruendam sibi domum. Quibus omnibus cum Rex assensum præbuisset, postridie vt ait Iosephus, *c* accitus accepit literas regias, quas Sadæo Syriæ, Phœniciæ, & Samariæ præfecto redderet. Pergit à Nehemias. *Et veni ad duces regionis trans flumen, dedique eis epistolas regis. Miserat autem rex mecum principes militum, & equites. Et audierunt Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammanites, & contristati sunt afflictione magna, quod venisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israel.*

c l. 11. c. 5.

XVI. *Venit in Iudaeam indignantibus Samaritis.*

Sanaballat, & Tobias putantur fuisse de primariis Samaritanorum, iidemque serui, id est, clientes & beneficiarij regum Persarum, qui odio prosequebantur Iudæos, & hunc eorum prosperitati inuidebant, veriti ne illis subijcerentur, regis beneuolentia ac fauore subnixi. Nihilominus incolumis peruenit Nehemias Hierosolymam, itinere per Babyloniam suscepto, vt ait Iosephus non improbabiliter, quoniam id de Zorobabele legerat, *d* & venientibus de Perside Hierosolymam, non longo interuallo occurrit Babylon. Cum igitur Babylonem venisset inquit, & multos è popularibus vltro se adiungentes comites assumpsisset, peruenit Hierosolyma; quo priusquam ingrediamur, necesse est vt Iosephum paucis conueniamus.

d 3. Esdr. 4. 61.

XVII. *Iosephus emendatur.*

Is enim vtique culpa non vacat, qui non solum trimestre spatium, in ieiunijs & orationibus positum, in paucas aliquot antemeridianas, vel pomeridianas contraxit horas, sed pro languentis vultu, faciem non ablutam ponit; qui supplere vult templi fabricam, quam tamen perfectam, & absolutam anno Darij nono ipse professus est *e* consentaneè Scripturæ. *f*

e c. 4. præced. f 1. Esdr. 6. 15

Imo vt perficeret, triennium scripturæ adiecit, & veritati. Et quamuis non fuisset perfecta illa templi fabrica, nihil erat opus pro ea licentiam toties concessam postulare:

Nimium quoque liberaliter interpretatur beneficium principis; cum, præter eius verba, & mentem, asserit ab eo scriptum, vt sumptum omnem præberent præfecti, in quęcunque Nehemias postulasset; ratus idem affirmandum de Nehemia, quod ante de Esdra legisset. *g*

g 1. Esdr. 7. 23.

XVIII. *Aliæ emendationes.*

Sed & illud nimium licenter, quod non solum nomen Asaph custodis saltus regis, mutauit in Sadæum, sed pro custode saltus, vel horti, trium prouinciarum præfectum creauit, contra omnium Hebræorum, & Græcorum codicum fidem; & mox, quasi foret ipse Dictator, magistrum equitum dixit. Nisi malis in Græco eius textu pro ἱππάρχοις, legere ἐπάρχοις:

Postremum autem illud; quod dixit Nehemiam tandem peruenisse Hierosolymam, anno regni Xerxis vigesimo quinto, omnem superat fidem. Cum enim anno vigesimo Artaxerxis in mense Nisan facultatem obtinuerit excitandi muros Hierosolymitanos, vt constat ex initio huius cap. Hebraicis, Græcisque voluminibus consentientibus cum Latinis, oportet eum quinq; annis in via obdormisse: oportet & Xerxem viginti quinque regnasse, quod nemo vnquam præter ipsum dixit, vt patet ex iis, quæ in fine regni eius attulimus. Sed quid mirum est hominem aliquot annis falli, qui incautos toto regno fefellit. Nunc Hierosolymam cum Nehemia subeamus.

XIX. *Situs Hierosolymam Nehemias.* b v. 11. i 1. Esdr. 8. 32. & 3. Esdr. 8. 63.

Et veni, inquit, *b Ierusalem, & eram ibi tribus diebus*, quos scilicet quieti, vt fit, & salutationibus dedit, sicut dudum Esdras. *i Et surrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicaui cuiquam, quid Deus dedisset in corde meo, vt facerem in Ierusalem*, id est, quid boni ipsi vrbi conferre statuissem. *Et iumentum non erat mecum, nisi animal cui insidebam.* Solus ipse equitabat, cæteri pedites erant, ne nocturnus equorum strepitus, silentio, & secreto, quod quærebat, officeret, & propter quod noctem elegerat, & modicum comitatum. Voluit autem explorare murorum statum per totum ambitum; ne quid temere in non paruo negotio aggrederetur, & res tota prius ageretur, quam illius suscipiendę consilium ad aduersarios deferretur. *Et egressus sum per portam Vallis nocte, & ante fontem Draconis, & ad portam Stercoris, & considerabam murum Ierusalem dissipatum, & portas eius consumptas igni.* Quomodo egressus dicitur per portas, quæ nullæ erant; vtpote igne consumptæ? Vestigia nimirum supererant, & semirutæ parietinæ portarum antiquarum, & turrium, quæ antiqua nomina retinebant.

Et vrbem circumiit.

XX. *Portarum situs. Porta Vallis quæ* k t. 1 l. 4. c. 6

Erat autem porta Vallis ad occidentem sita. Hunc enim ei situm assignat Villalp. *k* qui in hac tota topographia diligentissime, laboriosissimeque versatus est. Et vult dictam non à valle Iosaphat, quæ orientalis erat vrbi, sed à valle cadauerum & Caluariæ, cui proxima fuit, & erat ad occidentem ciuitatis; idque confirmat ex eo quod 70. Xisticam vocant portam Golila, quę Caluariæ, vel stercorum exponi potest, quodq; mille cubitis tantum distaret à porta stercoris siue sterquilinij, *l* quam idem ad occidentem esse confirmat. Fontem autem draconis ait ad radices Caluariæ montis scaturiisse, in ipsa cadauerum, siue stercorum valle, ante vrbem, inter portam sterquilinij, & portam Fontis, qui nunc, vt pleraque alia, vrbis sordibus, & ædificiorum ruinis sit obtutus: cum tamen etiamnunc scaturire ait Adrichom. in sua Hierus. quem Draconis dictum arbitror, propter figuram Draconis lapidei, vel ænei aquam euomentis. Fontem ficuum dixerunt 70. quia non legerunt thenim, sed theenim, quarum hæc vox ficus, illa serpentes significat, quod pleræque ficus in ea valle; illius aquis irrigarentur.

l c. 13 l. 2. *Fons Draconis.*

m. 115.

XXI. *Aquæductus regis.*

Ibi erat aquæductus regis, ad deducendam, ex superiore fonte Gihon, aquam in Sion, per fornices excelsos quibus valles profundæ, quæ vrbem, & montem Sion cingebant, superari possent: vnde & ad regia torcularia tranlibatur: propter quem aquæductum non erat iumento commodus transitus, quia ruderibus plena erant omnia, vt ambire fontem Gihon necesse fuerit, indeq; per meridiem circundando montem Sion, venire ad torrentem Cedron, in orientali parte vrbis: quem ideo dicitur ascendisse, quia ille ex parte aquilonari, ad quam pergebat Nehemias, versus meridiem decurrebat, quem ei cursum tribuit etiam Adrich. Ibi Nehemias rursum considerauit murum, sicut & à parte occidua; & inde superata etiam parte aquilonari, venit ad portam Vallis, vnde vrbem arbire cœperat, & peracto circulo rediit in vrbem.

XXII. *Aperit Nehemias consilium suum.*

Magistratvs *autem nesciebant quo abissem, aut quid ego facerem.* Nomine magistratus præfectos regios intelligere videtur; quos opponit Iudæis, quos iterum quadripertito diuidit, in sacerdotes, & optimates, & magistratus, particulares scilicet sub illis regiis, & opifices, quos intelligit per ea verba, qui faciebant opus, vt placet Villalp. licet Vatabl. explicet, *qui operabantur in reparatione murorum*, vtique præpropere. Neq; enim adhuc Nehemias consilium suum de illis extruendis aperuerat. Cum autem eos in vnum locum congregasset, in templum scilicet, vt ait Iosephus, dixit eis. *Vos nostis afflictionem in qua sumus, quia Ierusalē deserta est, & portæ eius consumptæ sunt igni: venite, & ædificemus muros Ierusalem, & non simus vltra opprobrium. Et indicaui eis manum Dei mei, quod esset bona mecum, & verba regis, quæ locutus esset mihi.* Certe cum Deum fautorem haberent, & consentientem

tientem regem, nihil præter eorum alacritatem desiderabatur, quam exsuscitat dicens. *Surgamus & ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono.*

XXIII. *Iudæi in opere suo ridentur, & obiurgantur ab aduersariis.*

AVDIERVNT *autem Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammanites, & Gosem Arabs, & subsannauerunt nos, & despexerunt, dixeruntque. Quæ est hæc res quam facitis? Numquid contra Regem vos rebellatis?* Hæc videntur aliquantulum per anticipationem dici, & contigisse cum populus iam esset in opere. Anteuertit autem Nehemias hanc narrationem, ne sequentem catalogum interrumperet. Quod initio quarti capitis fit clarius, vbi eædem irrisiones iterantur. Recte vero hoc loco notat Villalp. Consuetum regiis ministris, vt quidquid propriis commodis obesse arbitrantur, id contra regiam maiestatem esse contendant, quo non suis viribus tantum, sed regiis etiam contra aduersarios insurgant. Isti tamen cum viderent tanta celeritate vndique ciuitatem cingi muris, nec potestatem à rege datam, vt videtur, accepissent, non temere omnino de defectione aliquid suspicabantur; non enim, habita à Rege ædificandi legitima potestate, videbantur Iudæi hac quasi furtiua ædificatione vsuri. Nec tamen dignatus est eis Regis concessionem patefacere, quos sciret magis obesse velle, quam posse. Itaque id tantum respondit eis, *Deus cæli ipse iuuat nos, & nos serui eius sumus; surgamus, & ædificemus: vobis autem non est pars, & iustitia, & memoria in Ierusalem.* Quasi dicat, nullo estis loco apud nos, nullo numero, nullo merito, nihil vobiscum commune habere cupimus, neque opem vestram ad ædificandum requirimus, neque oblatam reciperemus. Quibus consentanea sunt, quæ olim patribus eorum dixerat Zorobabel. *a*

a 1. Esd. 4. 3. 2. Esdr. 5. 1.

XXIV. *Initium fit structuræ muri a porta Gregis.*

INITIVM ædificationis sumptum est à porta orientali, quæ templo erat proxima, per quam quia pecora inferebantur, vt abluta in probatica piscina vicina, inferrentur in templum immolanda, porta Gregis appellata est. Decuit autem maxime hanc murorum partem primam, templo vicinam, Eliasib summo sacerdoti, aliisque sacerdotibus ei sanguine propinquioribus assignari. Nam deinceps, aliis quoq; in locis sacerdotes ædificasse murum reperiemus. Sanctificasse autem dicuntur hanc portam, id est, perfecisse, & insignem reddidisse structuræ præstantia, vt Vatabl. & Isid. Clarus interpretantur, Villalpando minime repugnante. Verum cum hoc sit initium ædificationis, & à sacerdotibus fiat, nec tota reliqua structura vsurpetur sanctificationis nomen, malim cum Emanuele Sà sanctificationem pro dedicatione vsurpare, vt scilicet initium ædificationis à viris sanctificatis susceptum, etiam peculiari aliqua ceremonia, vel benedictione consecratum fuerit Deo, ad implorandum etiam eius auxilium in reliquam structuram: cuius sanctificationis particeps fuerit tam porta, quam reliquus murus, vsque ad turrim Hananeel, quæ erat in angulo Orientis & Aquilonis, ita vt Pontifex cum his sacerdotibus ædificarint quinq; murorum spacia, quatuor intermediis turribus distincta. In qua turri etiam porta Benjamin inferior aperta fuit; cuius aperta est mentio, apud Ierem. *b* ad differentiam superioris portæ Benjamin, quæ extra vrbem non ducebat, vt pluribus tradit idē Villalp. *c* ad quem lectorem hac tota re infracta non remittemus, tum quia eius labori, pauca libando necessaria, ex fusissima disputatione consulimus; tum quia plerosque eo libro carere non dubitamus. Pergamus ergo.

Sanctificatio portæ.

Turris Hananeel.

b 37. 11. 12.

c 1. 5. c. 4. *Porta Beniamin gemina.*

XXV. *Ordo deinceps ædificandorum murorum.*

IVXTA Eliasib ædificauerunt viri Iericho: quod dicitur *iuxta eum*, & consequenter sæpius repetitur eadem phrasis, siue, vt est in Hebræo, & Græco, *ad manum eius*, quasi dicat, vbi manus eius operabantur, aut opus finiebant, ibi reliqui inchoabant: alij vertunt, *ad latus eius*, quod eodem redit. Ea loquendi forma aperte ostenditur Nehemiam, in explicanda extructione murorum, ordine progredi ex orientali latere, per aquilonare, ad occiduum, & meridianum, donec redeatur ad portam Gregis, vnde ductum est initium. Nec ratio vlla est cur Nehemias perturbato potius ordine ædificatores enumerare voluerit, quam directo, & sibi deinceps consequenti. Viri autem Iericho ideo in illo orientali & aquilonari angulo videntur ædificasse, quia ille murus eorum vrbem respiciebat; nam & in consequentibus, plerique *contra domus suas*, siue è regione earum, ædificasse reperiuntur.

Ierichuntini.

ET *iuxta eum*, qui scilicet nomine virorum Iericho spatium ipsis assignatum ædificandum susceperat, *ædificauit Zachur filius Amri*, videlicet vsq; ad portam Piscium, quam *ædificauerunt filij Asnaa, ipsi texerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras, & vectes.* Hæc est porta per quam Chaldæi in vrbem irruperunt, vt suo loco ex Sophonia diximus, quæ Secundæ portæ in muro Bezetæ respondebat. Piscium autem dicta est, quod frequentius pisces è mari Galileæ per eam in vrbem inferrentur, aut quod proxima esset foro piscario.

XXVI. *Extructio portæ Piscium.*

Inde 4. ponuntur constructores, vsque ad portam veterem, in illis autem 4. vltimi ponuntur ciues vrbis Thecuæ, cuius optimates notantur inertiæ, & ingrati animi, qui in hoc Dei opere, quasi collo in iugum immisso, laborare noluerunt, relicto mediocris fortunę hominibus sancto isto negotio. Sic Debora *d* quondam ex ore Angeli Domini, maledicebat terræ Meroz, & habitatoribus eius, quia non venissent, *ad auxilium Domini, in adiutorium fortissimorum eius.*

d Iudic. 5. 23.

XXVII. *Et porta veteris.*

IPSA porro porta Vetus in medio lateris aquilonaris constituta fuit, ita dicta, quòd vestigia eius apparerent à tempore Iebusæorum, & Melchisedechi. Ex ea enim ad Acra montem, & veterem vrbem Salem patebat aditus, quæ postea Hierosolymæ pars fuit. Huic portæ extruendæ duo constructores dati sunt, Ioiada filius Phasea, & Mosollam filius Besodia; siue quod tenuioris essent fortunæ, siue quod plus in ea esset operæ. Ab illa autem porta, vsque ad portam Ephraim 4. murorum spacia constituuntur. Ipsa autem porta Ephraim hoc loco non nominatur, sicut nec spatium quadringentorum cubitorum, vsque ad portam Anguli, nec ipsa porta Anguli, quia putantur non eguisse reparatione.

XXVIII. *Porta Ephraim, & porta Anguli.* *e* c. 14. 13.

PORTAM porro Ephraim, & portam Anguli deinceps fuisse post portam Veterem, partim ex 4. Reg. *e* patet, vbi Ioas Rex Israël dicitur interrupisse murum Ierusalem, à porta Ephraim, vsque ad portam Anguli; partim ex Nehemiæ c. 12. 38. vbi retrogrado cursu viam remetiens, portam Ephraim, & portam Antiquam, & portam Piscium &c. vsque ad portam Gregis enumerat. Verba vero illa; *& dimiserunt Ierusalem vsque ad murum plateæ latioris*, significant ædificatores ex eo loco, in quo ædificauerat Ananias, vsque ad extremum platæ latioris intermisisse ædificationem; illud autem est spatium quadringentorum cubitorum, in cuius initio est porta Ephraim, in extremo autem porta Anguli. Quod spatium dirutum non fuisse à Chaldæis propter muri crassitudinem, & firmitatem rationi consentaneum est. Eam enim partem murorum Ozias quondam firmissime restaurarat, & Chaldæi, diruendo tam validos vndique muros, præter templum, & innumeras domos, fatigati labore illam angularem partem dimiserunt, propterea que id compendium præsentis laboris fuit. Dicta porro fuit porta Anguli, quod in Angulo vrbis Septentrionali, & Occidentali sita esset. Cum enim sequeretur portam Ephraim Septentrionalem, & antecederet portam Vallis, quæ in Occidente fuit, oportet in eo quem dixi angulo fuisse collocatam.

v. 8. *Platea latior quæ.*

Pars muri à Chaldæis non diruta.

XXIX. *Constructio muri occidui.*

ABSOLVTO aquilonari muro, initium dedit occidentali Raphaias princeps, qui dicitur ædificasse iuxta Ananiam, quia nemo inter vtrunque ædificauit, sed vnus in ædificio veteri desiit, alter inchoauit. Dicitur hic Raphaia princeps vici Ierusalem, siue dimidij vici, vt est in Hebræo, quia infra Sellum dicitur princeps dimidiæ partis eiusdem vici. Quia vrbs in certas regiones diuisa erat, quas etiam vicos vocant, quorum vnus dictus esset Ierusalem, siue Salē, ad antiquam Salē, ex aduerso cuius ille ædificauit. Porro singulos vicos centenis cōstitisse domibus putat Villalp. quarum singulæ pluribus constarent familiis, vt videmus Parisiis. *Et iuxta eum ædificauit Iedaia contra domum suam*, in eadem scilicet vrbis regione sitam. Quod prudenter à Nehemia dispositum fuit, vt quisque tanto maiori diligentia ædificaret, quanto magis se suaque in tuto collocare desiderabat. *Et iuxta eum ædificauit Hartus*

filius

filius Hasebonia. Quod autem sequitur, *Mediam partem vici ædificauit Melchias*, significat bina muri spatia, quæ intra duas turres tendebantur, dimidio vico respondisse, vicoautem integro quatuor: eaq; à Melchia, & Hasub fuisse ædificata, vna cum Turri furnorum, ita dicta, quod pluribus furnis, quibus coquebantur panes, immineret. A qua turri, vsque ad portam Vallis Sellum filius Alohes, princeps mediæ partis vici Ierusalem, cum filiabus suis murum continuauit. Quæ ædificationem etiam curabant, pro parte virili prole destituto.

Turris furnorum.

XXX. Porta Vallis ad Caluariæ collem. SEQVITVR porta Vallis, quæ à Valle cadauerum, cuius meminit Ieremias, *a* dicta est, quam in eodem muri latere fuisse ait Scriptura, *b* in quo porta Anguli; at porta Anguli latus occidentale & septentrionale respiciebat; in septentrionali autem nulla est Vallis, ex qua nomen portæ dari possit, oportet igitur vt in occiduo collocetur. Per eam Christus Dominus cruce onustus transiuit, dum ad vicinum Caluariæ collem duceretur. Hanc portam *ædificauit Hanun, & habitatores Zanoe*, (quæ & Azone per metathesin dicitur, vrbs in tribu Iuda) *ipsi ædificauerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras, & vectes, & mille cubitos in muro, vsq; ad portam Sterquilinij.* significans quinque muri spatia 4. turribus distincta inter has duas portas intercessisse, quorum singula ducentorum cubitorum fuisse docet Villalp.

a Ier. 31. 40.
b 2.Par.26.9

XXXI. Porta Sterquilinij. IAM vero *portam Sterquilinij ædificauit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacaram: ipse ædificauit eam, & statuit valuas eius, & seras, & vectes.* Fuisse hanc portam ad occidentem vrbis, ex eo patet, quod media ponitur inter gradus ciuitatis Dauid, & turrim furnorum, Nehemiæ duodecimo: *c* & ca. 2. 13. apertius etiam porta Stercoris media est inter portam Vallis & Fontis, sed series ipsa ædificationis id apertius etiam conuincit. Et quoniam ad eam vrbis partem Esseni commorabantur, etiam porta Essenorum dicta est, vt fusius declarat Villalpandus. Erant autem Esseni iidem cum Rechabitis olim, vt idem existimat, laxata tamen nonnihil vt fit antiqua disciplina: vt non mirum sit Melchiam filium Rechab, siue Rechabitam hanc portam extruxisse.

c 12. 36.37.
L.3.c.14.

XXXII. Porta fontis Siloe. DEINCEPS Porta Fontis aperitur, quam aliqui portam Oculi vocant, ad retinendam metaphoram. Nam ע ghaiim significat fontem & oculum, quod ex fonte, quasi ex oculo, aqua deriuetur. Fons autem ex quo nomen huic portæ inditum est, fuit fons Siloë, quem Iosephus collocat in angulo occidentali, & meridiano ciuitatis Dauid. *d* Hæc porta viam habebat fornicibus suspensam, vt profunda vorago, inter vrbem & locum fontis, æquaretur, ad commoditatem transeuntium; & simul aquæ ductus sustentaretur, qui inde ad probaticam piscinam, quæ erat ad radices montis Moriæ, deducebatur. Hunc aquæductum ad portam fontis collocat etiam Nehemias prout ante diximus. Ad eundem fontem erat & Piscina Siloë, cuius & hoc loco fit mentio. *Et portam fontis*, inquit Nehemias, *ædificauit Sellum filius Choloza, princeps pagi Maspha; ipse ædificauit eam, & texit, & statuit valuas eius, & seras, & vectes, & muros piscinæ Siloe in hortum Regis*, (hos muros lateritios fuisse putant, & piscinæ aquas reseruatas ad rigandos hortos regios) denique hic ædificauit, *vsque ad gradus, qui descendunt de ciuitate Dauid*, quæ erat arx in monte Sion, & quibus regio Maspha, à regione Bethsur separabatur. Quorum graduum mentio quoque infra reperitur.

d l. 6. Bell. c. 6.
Aquæductus. c. 2. 14.
Gradus arcis Dauidis.
c.12.v.36.

XXXIII. Vrbem Bethsur, piscina superior. POST *eum ædificauit Nehemias filius Azboc*, alius à nostro, qui est filius Helchiæ, *princeps dimidiæ partis vici Bethsur, vsque contra sepulchrum Dauid, & vsque ad piscinam, quæ grandi opere constructa est*, ab Ezechia videlicet, vt ex 4. Regum, *e* intelligi potest, *& vsque ad Domum fortium.* Hæc omnia sunt in monte Sion, à latere vrbis meridiano, & ciuitatis Dauid. Dicta vero creditur domus fortium, quod in ea habitassent fortes Dauid, & deinceps alij viri, præclara fortitudinis laude celebrati. Quamquam alij existimant ibi Hierosolymitanam iuuentutẽ militaribus exercitationibus sese dedidisse, vt fortes, & periti bellatores euaderent. Alij putant eam fuisse domum, in qua milites præsidiarij ciuitatis Dauidis stationem habebant.

e c.18. 17.& c.20.20.
Domus fortium.

POST *eum*, Nehemiam scilicet, *ædificauerunt Leuitæ*, qui statim memorantur, Rehum scilicet, *& Hesebius princeps dimidiæ partis vici Ceilæ.* Hic vicus, siue regio, erat in eodem monte Sion, & claudebatur muro ciuitatis à duob. principibus eius, Hesebia & Baccai: quem vicum putat Villalp. dictum ab oppido Ceila, ad quod olim Dauid se fortiter contra Philisthæos gesserat. *f* Et iuxta Baccai *ædificauit Azer, filius Iosuè princeps Maspha*, siue præfectus dimidiæ partis vici Maspha; nam supra etiam Sellum princeps pagi Maspha dictus est. Ædificauit autem hic Azer *mensuram secundam*. id est, duplam: spatium scilicet quod inter tres turres tendebatur. *contra ascensum firmissimi anguli*; quem angulum constituit Villalp. in medio muri meridiani, in eoq; altissimam ac munitissimam turrim, quæ vtráque muri partem colligaret, ac custodiret, quam quidam putant ab Ozia constructam. *g*

XXXIV. Murus regionis vici Ceilæ.
f 2. Reg.23.
g 2.Par.26.9

XXXV. Et domus Templi in Eliasib. POST *eum in monte ædificauit Baruch filius Zachai mensuram secundam*, id est, duplicem, vt ante dictum est, *ab angulo vsque ad portam domus Eliasib sacerdotis magni*, dicitur hic Baruch in monte ædificasse, quia mons Sion circa angulum meridianum, & orientalem nonnihil assurgebat, & in eo colle erat domus Eliasib pontificis, ad cuius initium ædificauit Baruch. Valde autem falluntur qui putant portam domus Eliasib esse portam vrbis. Nam præterquã quod nulla erat porta vrbis ex latere meridiano Sionis, vt series ædificationis docet, & narratio ipsius Nehemię, qui inter portam Fontis occidentalem, vsque ad orientalem portam Aquarum nullam omnino portam memorat; textus hic meminit portæ Domus, non portæ vrbis. Inde autem secundum longitudinem meridianam eiusdẽ Domus ædificauit Merimuth, cubitis quadringentis: et enim duplex mensura tribuitur, ex quo intelligitur quam ampla ea fuerit, & in loco vrbis munitissimo, atque pulcherrimo. Deinceps autem habitauerunt Sacerdotes, vnde sequitur.

XXXVI. Et domibus Azariæ & aliorum. ET *post eum ædificauerunt Sacerdotes, viri de campestribus Iordanis*, nimirum oriundi. Emmanuel tamen Sà, & Vatablus volunt illic habitasse, licet haberent etiam Hierosolymis domos. *Post eum*, scilicet Merimuth ante dictum, *ædificauerunt Beniamin & Hasub contra domum suam*; singuli scilicet singula muri spatia, è regione domorum suarum, sicut & Azarias, qui ad angulum meridianum, & orientalem, domum habebat. Inde Bennui geminam mensuram habebat *à domo Azariæ h vsque ad flexuram.* Nam mons Sion in parte orientali curuitatem aliquam introrsum habebat, vbi excauata erat natatoria Siloë, ad cuius formam etiam murus inflectebatur, donec in medio obtusũ quendam angulum internum efficeret, ad quem vsq; vltra flexuram ædificauit Bennui, quod totum spatium 5. mensuras. id est, mille cubitos continet.

h 2. Esd 3.24 Flexura Orientalis muri, & mons.

XXXVII. Et atrio carceris regiæ domus. AB illo angulo Phalel cepit ædificare, ad claudendam alteram partem anguli, vsq; ad turrim, *quæ eminebat de domo regis excelsa, id est, in atrio carceris.* Domus regis erat Regia quondam Salomonis, quæ triplici ædificio constabat, iuxta Villalpandi descriptionem, ipsamet domo Regis, quę à Septentrione respiciebat templum, & in quod, ponte supra voraginẽ Mello excitato, penetrabat. In altero extremo versus meridiem, erat domus Reginæ filiæ Pharaonis, in medio erat domus saltus Libani. Carcer autem ad turrim vnam domus extructus erat, vel vna ex turribus eius, carceri publico deputata erat, in quem legim⁹ coniectum Ieremiam prophetam, *i* ad quam vsq; turrim ædificauit Phalel, donec ad prioris partis rectitudinem veniretur. Ad extremum autem flexuræ huius erat porta dicta Fictilis, qua descendebatur ad natatoriam Siloë, quæ & Stagnum Salomonis dicebatur. Portæ Fictilis meminit Ieremias, *k* quam ita dictam vult Lyranus, quod iuxta eam figuli habitarent, vel à propinquo agro figuli.

Porta Fictilis.
i Ier. 32.2.
k Ier 19.2.

XXXVIII. Et portam Aquarum, & deinceps. ABSOLVTA flexura, rursum recta linea cœpit ædificare Phadaia, quem secuti sunt Nathinæi, vsque ad portam Aquarum, quæ recta respiciebat medium regij Palatii, interiecta platea, quæ, Platea portæ Aquarum vocabatur, cuius infra meminit Nehemias. *l* A porta Aquarum

l c.8.1.

CAPTIVITAT. AN. 93.

post Nathinæos *ædificauerunt Thecueni* sacerdotes, duo murorum spatia, quæ è regione regiæ, vsque ad vicum Ophel protendebantur, vnde murus ad substructiones templi ductus erat. In hoc autem spatio decliuitas erat respondens voragini Mello, aut valli dictæ Tyropœon Iosepho: vbi & porta equorum aperiebatur; quæ angulum efficiebat, cuius meminit Ieremias. *a* Inde autem equi ducebantur aquatum in torrentem Cedron, cuius decliuitatis apertum argumentum est quod sequitur. *Sursum autem à porta Equorum ædificauerunt sacerdotes, vnusquisq; contra domū suam.* Ex quo videtur non solos Nathinæos habitasse in Phico Ophel, qui ab hac porta Equorum initium sumens, vsq; ad extremum templi, quà respicit Orientem, & aliquando etiam vltra protendebatur. Nathinæi vero templi vsibus aquas & ligna, iuxta antiquam Iosue sententiam, comportabant.

a c. 31. 6. Porta Equorum.

Nathinæi.

XXXIX. *Domus sacerdotales extra templum.*

PVTAT Villal. nomine domorum sacerdotalium hoc loco intelligi tantum quasdam eorum exedras, & officinas, quibus ea collocarent, quæ ad templi ministeria sibi essent necessaria, nec propriam habitationem cum hac famulari plebe habuisse, idq; valde probabile faciunt, quæ sequuntur. Eos autem sacerdotes, qui ædificauerunt partem aliquam murorum deinceps nominatim recenset. *Post eos*, inquit scilicet Thecuanos, *ædificat Sadoc contra domum suam: inde Semeia custos portæ orientalis: hunc secutus est Hanania, & Hanum filius Seleph*, qui sextus dicitur, quod quinque fratres s. maiores haberet, qui nihilominus duo murorum spatia extruxit. Post eum ædificauit Mosollam filius Barachiæ, contra Gazophylacium suum.

Cœnaculum anguli.

Post eum ædificauit Melchias filius aurificis, vsq; ad domum Nathinæorum, id est, vsq; ad finē habitationis Nathinæorum, siue vsq; ad finem Ophel; neq; enim peculiaris aliqua domus eorum fuisse videtur. Terminabatur autem vicus Ophel altero muro, qui ducebatur ab angulo orientali, & aquilonari substructionum templi, & terminabatur in vrbis muro directo, vbi angulū efficiebat ad quē erat cœnaculum, quod inde cœnaculū anguli dicebatur.

XL. *Porta iudicialis vbi sita.*

IN medio autem illius muri, quem dixi clausisse vicum Ophel, aperiebatur porta, quæ dicebatur Iudicialis, quam aliqui male ad Caluariam collocant, cum tamen omnino propinqua esset Templo, & Portæ gregis. Eadem etiam videtur dicta porta Custodiæ. *b* Forte quod ea porta clauderentur Nathinæi, & ad eam eorum iudicia exercerentur; ea tamen extra vrbem non ducebat. Reliquum est spatium vnicum, à cœnaculo anguli, vsq; ad portam gregis, illud extruxerunt aurifices, & negociatores, qui circa eum locum ad forum pecuarium habebant officinas, sicq; perfectus est totius muri circulus, qui à porta Gregis fuerat inchoatus. At, inquies, quomodo nusquam numeratur Nehemias inter hosce latomos, siue constructores muri? cum tamen ipse de se infra *c* dicat. In opere muri ædificaui, & agrum non emi, & omnes pueri mei congregati ad opus erant. An dicendum est Nehemiam honorem ædificij alijs tribuere voluisse; ipsum autem omnibus tenuioribus opem tulisse, vt sumptui pares esse possent? Nam quod aliqui eum Basilicam, vel Prætorium ædificasse tradunt, quo fundamento nitantur ipsi viderint. Certe *post me*, loco *post eum* legere non possunt nisi allata vi Hebr. Græcis, Latin. codicibus.

b Neh. 12. 14

Nehemias an ædificarit. c c. 5. 16.

XLI. *Numerus portarum Ierusalem.*

Ex his porro patet totam Hierosolymorum ciuitatem 12. portas habuisse in tribus lateribus. Nam in meridiano, in quo præruptæ rupes montis Sion nullum aditum dabant, nullæ fuerunt: reliqua vero latera singula quaternas habuerunt.

Orientale	Aquilonare	Occiduum
Portam Fictilem,	Portam Beniamin,	Portam Anguli,
Portam Aquarum,	Portam Piscium,	Portam Vallis,
Portam Equorum,	Portam Veterem,	Portam Sterquilinij,
Portam Gregis.	Portam Ephraim.	Portam Fontis.

Aliæ autem portæ, quas Adrichomius, alijq; afferunt, aut ad has pertinent, aut extra vrbem non ducunt, aut fictæ sunt, aut certe nouæ Æliæ, non veteri Hierosolymæ conueniunt; qua de re vide pluribus Villalp. *d*

d l. 5. c. 26. c. 4. 1.

XLII. *Iudæi ædificantes inuidentur.*

HÆC dum maxime Hierosol. agerentur, & simul omnibus ex locis mœnia surgerent & opus vehementer ferueret non exclamabant, ô fortunati, quorum iam mœnia surgunt, sed fremebant potius dolere animi, atque inuidia Iudæorum hostes. Maxime Sanaballat Samarites, qui *cum audisset*, inquit Nehemias, *quod ædificaremus murum iratus est valde, & motus nimis subsannauit Iudæos, & dixit coram fratribus suis, & frequentia Samaritanorum. Quid Iudæi faciunt imbecilles? Num dimittent eos gentes?* vt scilicet perficere possint quod inceperunt? *Num sacrificabunt, & complebunt in vna die?* id est, num offerent hostias in dedicatione operis, aut illud absoluent ad præstitutam diem? Nunquid aceruos pulueris lapidum combustorum conuertent in lapides, vt ex ijs ædificare possint? *Sed & Tobias Ammanites*, siue Ammonites, *proximus eius ait, Ædificent. Si ascenderit vulpes transiliet murum eorum lapideum.* Quibus verbis & eos irridebant, & inani se spe consolabantur, impeditum iri artifices ne ædificarent, defuturos lapides, aut fragiles futuros, vtpote exustos, & totam constructionem infirmam, atque humilem, quæ ne vulpib. quidem resistat, nedum armatis hominibus.

XLIII. *Nehemias orat, Iudæi pergunt in opere.*

AT Nehemias ad orationem conuersus, eodem sensu, quo olim Ezechias in blasphemijs Rabsacis. *Audi Deus noster, quia facti sumus despectui; conuerte opprobrium super caput eorum, & da eos in despectionem in terra captiuitatis*, in qua nunc Iudæi honorabantur. *Ne operias iniquitatem eorum & peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes.* Nec minus tamen instabat operi, sequitur enim. *Itaque ædificauimus murum, & coniunximus totum, vsque ad partem dimidiam*, id est, ereximus totum murum, ad altitudinis destinatæ medium: dimidia vero parte operis perfecta, *prouocatum est cor populi ad operandum*, & perficiendum. Non defuerunt tamen qui fatigatione languerent. Hinc illa, quæ à quibusdam Iudæis *e* dicebantur, *debilitata est fortitudo portantis*, operarum scilicet, & baiulorum, qui lapides, & intritum portant, *& humus nimia est*, id est, vt habet Tigurina, plurimum ruderis est, quod laboriose egerendum est, vt solide ædificari possit: nihilomin⁹ omnes difficultates perruptæ, ac superatæ sunt, contentione animi, ac labore.

e v. 10.

XLIV. *Ador siq; eos prohibere moliuntur.*

CVM ergo verbis & irrisionibus nihil proficerent isti Iudæorum hostes, quin potius viderent obductas esse muri Hierosolymitani cicatrices, *& quod cœpissent interrupta concludi*, statuerunt eos nec opinantes opprimere, vt partim occisis, partim dissipatis ædificatoribus, necessario cessaret ædificatio. Non audebant aperto marte congredi: quia sciebant eos regia autoritate munitos; & Estherem, & Mardochæum in aula esse, ac plurimum apud regem posse: quia tamen rumpebantur inuidia contra Iudæos, clam eos perdere volebant, ne possent aperti facinoris argui apud Regem. Itaq; consilio inter ipsos inito dixerunt. *Nesciant & ignorent, donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & cessare faciamus opus.*

l. 11. c. 5. XLV. *Quæ Iosephus non recte narrat.*

HÆC non satis fideliter narrauit Iosephus. *Eius rei fama*, ait, *vbi ad Ammanitas ac Moabitas, Samaritasq;, & Syriæ caua incolas perlata est, iniquissime tulerunt, nec vnquam cessauerunt insidiari, & conatus ipsorum impedire, interceptisq; multis Iudæis* morte scilicet, nam in Græco est ἀπέκτειναν, *tentauerunt ipsum Nehemiam per conductitios sicarios tollere* (ἀλλοφύλους alienigenas) *crebros etiam terrores ei incutiebant, rumores spargentes, quasi magni diuersarum gentium exercitus, eos essent inuasuri, ita vt parū abfuerit, quin hoc metu ab incepto opere desisterent.*

At ex scriptura probari non potest, vel vnum Iudæum occisum fuisse: nihil in ea de conductis sicarijs, nihil de superuenturis exercitibus, nihil de meticuloso periculo cessationis, cum potius dicat Nehemias se his terroribus excitatum ad studiosius vrgendum opus. *Omnes enim ai, hi terrebant nos, cogitantes quod cessarent manus nostræ ab*

ca.6.8.

& quiesceremus: quam ob causam magis confortaui manus meas, atq; adeo totius populi. Nam vniuersè loquitur, vt merito videatur Neh. Iosepho dicturus. *Non est factum secundum verba hæc, quæ tu loqueris, de corde enim tuo tu componis hæc.*

XLVI. *Nehemia contra aduersarios diligentia.*

Has ergo minas cum audisset crebrius Nehem à Iudæis, qui finitimi erant Samaritis, Ammonitis, Azotijs, Arabibus, primo ipse cum suis diuinum auxilium implorarunt. Deinde custodes super muros die ac nocte constituerunt, vt aduentum hostium nunciarunt, 3. certis locis post murum constituit præsidia Iudæorum armatorum cum gladis suis, & lanceis, & arcubus, vt hostem venientem non imparati exciperent. Accessit posttemo exhortatio Neh. *Nolite*, ait, *timere à facie eorum.*

v 14. *Domini magni & terribilis mementote, & pugnate pro fratribus vestris, filiis vestris, & filiabus vestris, & vxoribus vestris, & domibus vestris*, sicque confusi sunt alienigenæ, sequitur enim.

XLVII. *Et populi in ædificando fauor.*

Factvm *est autem cum audissent inimici nostri nunciatum esse nobis, dissipauit Deus consilium eorum*, quoniam viderunt se non posse inuadere inscios, & imparatos. *Et reuersi sumus omnes ad murum, vnusquisq; ad opus suum. Et factum est à die illa, media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, & lanceæ, & scuta, & arcus, & lorica, & principes post eos in omni domo Iuda*, scilicet aderant exhortantes, animantes, & protegentes. Porro ædificantium in muro, & portantium onera, & imponentium, quisq; vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium: ædificantium enim vnusquisq; gladio erat accinctus renes. Et ædificabant, & clangebant buccina iuxta me, quando scilicet res tulisset, vt opus esset congregari, ex diuersis muri partibus in vnum locum, ad vim hostium facta manu propulsandam. Iosephus scribit Nehemiam tubicines disposuisse, interuallo quingentorum passuum, aut potius pedum, in Græco enim est ποδῶν. Id plenius explicat Nehem. cum ait, *Et dixi ad optimates, & ad magistratus, & ad reliquam partem vulgi. Opus grande est, & latum, & nos separati sumus in muro, procul alter ab altero: in loco quocunque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos: Deus noster pugnabit pro nobis. Et nos ipsi faciamus opus, & media pars nostrum teneat lanceas ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra*, id est, apparere incipiant sub noctis initium, quasi excubias actura per noctem, donec mane albescente cœlo cubicula sua repetant, quorum Lucifer *statione nouissimus exit.*

XLVIII. *Nocturnæ excubiæ.*

Providit etiam Nehemias, vt noctu excubiæ intra vrbem agerentur, ne disturbaretur noctu opus, vel interficerentur artifices. Nehemias autem ipse cum suis, vt expediti semper essent ad defensionem populi, non deponebant vestimenta sua, nisi vt se aquis expiatorijs Iudaico ritu purificarent. *Ipse vero*, inquit Iosephus, *noctu circunquaque vrbem obibat, nunquam defessus, aut opere, aut duritia victus, & excubiis; nec cibo, nec somno vtens, nisi quantum postularet necessitas.* Sic ipse. Baptismi nulla est in Græco textu mentio; in Hebræo vero aqua nominatur duntaxat, sed quæ varias interpretationes possit admittere: Vulgatæ elegans est & aperta.

XLIX. *Pressura Iudæorum ex paupertate miseria.*

Alia quoq; enata est difficultas, inter Iudæos ipsos, cui prouid⁹ princeps, populiq; sui amans Neh. sapienter prouidit. Vrgebantur plerìq; inopia tãta, vt filios filiasq; vellent seruituti addicere locupletiorib⁹ Iudæorum, vt haberent vnde viuerent; alij oppignorabant fœneratorib. domos, agros, vineas, vt frumentum haberent; alij vt tributa regi persoluerent: vnde & conquerebantur apud Nehemiam, dicentes se inhumane tractari, non à quibusdam alienigenis, sed à contribulibus suis, quiq; eodem orti genere, etiam fratres vocarentur, apud quos Iudæi & Iudææ quasi mancipia seruirent, nec redimi à parentib⁹ possent, sicut neq; possessiones, quas oppignorauerant.

Nehemias optimates seorsim increpat.

His auditis, primo congregauit seorsum *optimates, & magistratus*, qui tenuiores opprimebant, eosq; increpauit, quod vsuras à fratribus suis acciperent, contra id quod diserte in lege cautum erat.

Deut.23.19 *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem*; quod vt libentius facerent, subdit legislator indulgenter, *sed alieno; fratri autem tuo absque vsura, id quo indiget, commodabis, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus.*

L. *Deinde & publice.*

Deinde *congregauit aduersum eos concionem magnam*, vt coram tanta multitudine patefacti, verbis & exemplis Nehemiæ ab incepto desisterent, & egenis fratribus suis opem ferrent. *Nos, vt scitis*, inquit, *redemimus fratres nostros Iudæos, qui venditi fuerant gentibus, secundum possibilitatem nostram, & vos igitur vendetis fratres vestros, & redimemus eos?* perinde scilicet atque ab infidelibus. *Et siluerunt, nec inuenerunt quid responderent*: erat enim vnde confunderentur, quod essent gentibus inhumanitate pares, imo superiores: vt qui fratres ipsi suos contra legem Dei, & iura naturę vexarent; quo respiciens, subdit. *Non est bona res quam facitis, quare non in timore Dei nostri ambulatis, ne exprobretur nobis à gentibus inimicis nostris?* sed potentiora sunt exempla, quam verba.

Dimittit ipse debita.

Ideoq; offert ipse se, & suos ad debita egenis dimittenda, & ad idem alios creditores inuitat; nec de vsura agit, vt explicat Vatabl. alioqui Nehemias se, domesticosque suos eiusdem criminis reos proderet, quod in locupletibus Iudæorum accusabat.

LI. *Et ad eandem liberalitatem cæteros non sine [illegible] inuitat.*

Reddite *eis hodie agros suos, & vineas suas, & olueta sua, & domos suas*, quas scilicet habetis oppignoratas: vt nimirum nunc gratiæ detis, quod postea legi, & Iubilæo daturi estis; *quin potius & centesimam pecuniæ frumenti, vini & olei, quam exigere soletis ab eis, date pro eis*, id est restituite eis, aut dimittite vsuram vnius pro centum singulis mensib⁹, id est, duodecim singulis annis. *Et dixerunt, Reddemus* (pignora) *& ab eis nihil quæremus* (vsuræ) *sicque faciemus, vt loqueris.* Quod erat inducere nouas tabulas, quod Romæ tantis cum tumultibus sæpè attentatum est. Id nunc à Nehemia facile, placideq; perfectum.

Et nominatim Sacerdotes.

Et vocaui Sacerdotes, qui scilicet eiusdem sceleris participes erant, & quos noluit coram vniuerso populo confundere, ob reuerentiam ordinis Sacerdotalis, *& adiuraui eos*, inquit, *vt facerent iuxta quod dixeram.* Adiuratio autem imprecatoria est quæ sequitur. *Insuper excussi sinum meum*, id est extremam vestem, & dixi, *sic excutiat Deus omnem virum de domo sua, & de laboribus suis*; perfugam scilicet, egenum, & extorrem reddet à patria, *qui non compleuerit verbum istud, sic excutiatur, & vacuus fiat. Et dixit vniuersa multitudo. Amen. Et laudauerunt Deum, fecit ergo populus sicut erat dictum.* Deinceps occasione huius indulgentiæ, ac remissionis tenuioribus populi sui, Nehemias pluribus suam in populum egenum charitatem, toto ducatus sui tempore exhibitam commemorat, sed id ad 32. Artaxerxis annum differendum videtur.

ca 6. LII. *Insidiæ ad[illegible] in Nehemiam.*

Interea non destiterunt hostes Iudæorum, alijs insidijs ipsum Nehemiam conati intercipere, cum iam muri perfecti essent, nec tamen ianuæ adhibitæ essent portis, persuasi illo sublato cuncta facile pessum itura. Itaq; miserunt ad eum specie ineundæ amicitiæ cum ipso, vt conuenirent in campo Ono, quam planiciem Adrichomius constituit in tribu Beniamin ad Iordanem, vt colligitur ex cap. vndecimo seq. a vbi dicitur vallis artificum; ei aliquid mali, mortem scilicet aut vincula illaturi, quod præsentiens Nehemias. *Misi*, inquit, *ad eos nuncios dicens, Opus grande ego facio, & non possum descendere: ne forte negligatur* interim dum *venero & descendero ad vos.* a v.31. & 35. *Miserunt autem ad me secundum verbum hoc per quatuor vices: & respondi eis iuxta sermonem priorem.* Vide autem improborum hominum importunissimum conatum, qui cum discruciarentur, quod insidiæ eorum irritæ fierent, Nehemiam ad eas metu & calumnijs pertrahere satagunt. Misit enim Sanaballat quinta vice puerum suum cum epistola in hanc sententiam.

LIII. *Epistola Sanaballati.*

In *gentibus auditum est, & Gossem* Arabs *dixit, quod tu, & Iudæi cogitetis rebellare, & propterea ædifices murum, & leuare te velis super eos regem. Propter quam causam, & prophetas posueris, qui prædicent de te in Ierusalem, dicentes, Rex in Iudæa est. Auditurus est Rex* Artaxerxes *verba hæc, idcirco nunc veni, vt ineamus consilium pariter.* Ambiguum relinquunt Nehemiam, si forte vellet rebellare contra Artaxerxem, an velint coniurare cum eo; an vero audire duntaxat, quid illæ afferret purgationis ad huiusmodi calumniam, vt haberent quod possent ad Regem scribere de defectione, quæ vulgo iactabatur. At Nehemias, & contempsit periculum, & ne-

gauit

gauit calumniam, nec destitit ab vrgendo opere suo; imo tanto magis illud perficere conatus est.

LIV. *Alia insidiæ per Semeiam pseudoprophetam.* a 1 Par. 24. 18.

COMMENTI sunt, & aliam fraudem inimici Iudæorum aduersus Nehemiam, vt illum contemptibilem apud suos redderent. Semeias enim quidam pseudopropheta, qui videtur fuisse sacerdos de vice Delaiæ, quæ fuit vigesima tertia, *a* domi suæ se continebat, quasi vir quidam sanctus, & vocauit Nehemiam ad se, quasi aliquid ei nomine Domini dicturus. Venit ergo in domum Semeiæ secreto. In Græco, & Hebræo est, *qui erat clausus*, siue secretus à vulgi consortio. *Qui ait, tractemus nobiscum in domo Dei, in medio templi*, id est recipiamus nos in templum, vt tuti simus ab imminenti periculo, *& claudamus portas ædis, quia venturi sunt, vt interficiant te, & nocte venturi sunt ad occidendum te.* Probabile erat periculum. Nam illi infensiores redditi erant Nehemiæ, videntes se contemptos ab eo, qui & eorum amicitiam respueret, & minas minime formidare videretur. Et cum valuæ nondum appositæ essent portis, poterant noctu in vrbem irrumpere, & domum Nehemiæ vi occupare, templum autem instar erat arcis magnæ, atque munitissimæ.

LV. *Quarta tentatio Nehemiæ.*

AT Nehem. sciens hunc timorem viro militari esse exprobrabilem, & alioqui sine diuina reuelatione, siue humana prouidentia intelligens, hanc esse fraudem inimicorum, non diuinam reuelationem, negauit se velle in templum ea causa confugere. *Num quisquam*, inquit, *similis mei fugit?* qui scilicet timidos confirmare debeo. *Et quis vt ego ingredietur templum, & viuet*, id est vt vitam suam tueatur, quasi rebus omnibus iam perditis, ac desperatis? *Non ingrediar. Et intellexi quod Deus non misisset eum, sed quasi vaticinans locutus esset ad me, & Tobias, & Sanaballat conduxissent eum. Acceperat enim pretium, vt territus facerem, & peccarem*, in honorem scilicet meum, quem vt dux populi curare debeo: vnde sequitur, *& haberent malum, quod exprobrarent mihi?*

Memento mei Domine pro Tobia, & Sanaballat, iuxta opera eorum talia, vt scilicet mihi reddas bonum pro malo, quod machinati sunt in me, qui etiam alios pseudoprophetas subornarunt, in quibus Noadiam, quæ in Hebr. prophetissa dicitur, in Græco & Latino propheta.

LVI. *Alia tentatio ...* b en v. 17.

ALIA quoq; fuit diebus istis afflictio Nehemiæ à falsis fratribus, per quos Tobias Nehemiam ab instituto reuocare conabatur. b *Sed & in diebus illis*, ait, puta quib. ædificabatur, *multæ optimatum Iudæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, & à Tobia veniebant ad eos. Multi enim erant in Iudæa habentes iuramentum eius*, id est confœderati ei erant, & affinitate coniuncti, *quia gener erat Sechenie.* Hunc oportuit esse virum primarium: alius tamen est ab illo Sechenia, cuius est alibi mentio. *c* Nam patris nomen diuersum est, & rursum Iohanan filius Tobiæ factus erat gener Mosollam, qui numeratur inter ædificatores *d* qui ædificabant iuxta portam Piscium in latere aquilonari: & rursum ante templum in Ophed, contra Gazophilacium suum: ex quo colligitur eum fuisse sacerdotem, vt vult etiam Villalpandus, *e* & potentem. Isti ergo pro Tobia apud Nehemiam patrocinabantur, *& laudabant eum*, inquit, *coram me, & verba mea nunciabant ei, & Tobias mittebat epistolas, vt terreret me.*

c 1. Esd. 10.
d 3. 4.
e infra c. 20. 6.

LVII. *Murus intra quantum tempus absolutum. Ex Scriptura.* f li 11 c 5. *Ex Iosepho. Absolutus in regni tempore.*

NIHILOMINVS *completus est murus vigesimo quinto die mensis Elul, quinquaginta duobus diebus.* Ita sine vlla ambiguitate aut varietate voluminum legitur in Hebræis, Græcis & Latinis, vt necesse fuerit singularē Iosephi fingēdi licentiam esse, qui ita scribat. *f Atq; in hunc modum perdurarunt* (Nehe.) *duob. annis, & tribus mensibus, tantum enim temporis elapsum est donec absoluerentur mœnia, vigesimo octauo regni Xerxis anno, mēse nono*, & ita habetur in Græcis ipsius, Latinisq; codicib*.

Primò quantum erratum est, quod viginti octo anni Xerxi tribuantur, qui ne vigesimum quidem secundū expleuit. vt omittam Xerxem pro Artaxerxe positum, vt aliquoties notauimus: & addit tamen mensem nonum, ad fucum faciendum. Mirum est etiam non additum diem, ad captandam diligentiæ, & exactissimæ veritatis opinionem, dixisset saltem sextum mensem, vt alluderet ad mēsem Elul, quem Scriptura memorat.

LVIII. *Et tempore ædificationis.*

ALTERVM autem est mendacium, quod dies 52. in octingentos & viginti prolatauerit, duos scilicet annos cū quadrante: veritus ne non faceret fidem lectori suo, aut ne is perexiguam tum fuisse vrbem suspicaretur; non animaduertens se tantum detrahere de diuina gloria, quantum tempori adderet. Notat enim Nehemias vniuersas nationes circumpositas audisse, tam breui tempore tantum opus absolutum fuisse, & animo intra semetipsos concidisse, confiteri coactos à Deo factum esse opus hoc. *g* Denique ex Alexandri magni gestis discere possit, eum ad Tanaim nouæ Alexandriæ muros, 60. stadiorum longitudine, longe breuiore spatio temporis fuisse excitatos. Q. Curtius septemdecim dies numerat, Arrianus 20. vt dicemus anno regni Alexandro nono. *h* Dicamus ergo cum Scriptura, hoc opus intra dies duos, & quinquaginta fuisse absolutum; perfectum 25. die mensis Elul; vnde consequens est, vt quarto mensis quinti, qui dictus est Ab, fuerit inchoatum: quintus enim mensis plenus fuit, triginta dierum; nam 27. & 25. efficiunt 52.

g 2. Esd. 6. 16
h a. m. 3726. n. 22.

LIX. *Refellitur & Vatabl.*

SCIO Vatablum & Sà numerare hos quinquaginta duos dies, à tempore, quo missa est epistola illa à Sanaballat ad Nehemiam: quod illi sine vllo scripturæ fundamento asserunt; imo eis scriptura non obscure repugnat, quæ ait missos quater nuncios ad Nehemiam: & postremo epistolam à Sanaballat. *Cum audisset*, inquit, *quod ædificassem ego murum, & non esset in ipso residua interruptio.* Deinde Scriptura dicit factum esse, hoc opere absoluto, vt vniuersæ gentes, quæ erant in circuitu Iudæorum timerent, & conciderent intra semetipsos, & scirent quod à Deo factum est opus hoc. At hæc expositio omne aufert timoris, siue admirationis obiectum. Quid enim habet insigne, aut quod literis notari mereatur, quod intra 52. dies muros absolutus fuerit ab accepta epistola, imo si intra 10. aut quinque, aut duos dies? Denique si quis tempora dimetiatur à mense primo Nisan, quo obtinuit Nehemias facultatem extruendi muri, vsque ad 25. sexti mensis, & ex eo tempore & apparatum itineris, & iter ipsum à Perside in Babylonem, & à Babylone Hierosolymam auferat, facile intelliget non plus temporis ædificationi datum fuisse; nisi forte quis vnum annum aut duos cum Iosepho, non maiore quam ille fundamento, interserat.

LX. *Et Euseb.*

EVSEB. autem longius etiam aberrat à vero, cum huic operi duodecim annos tribuit. Ait enim, vt supra ex Græco ad verbum retulimus, Nehemiam vigesimo anno Artaxerxis Longimani incepisse opus, absoluisse autem circa trigesimum secundum annum ipsius, non animaduertens id tempus esse ducatus Nehemiæ, non ædificationis murorum. Versio autem sancti Hieronymi videtur asserere hoc ipsum opus non trigesimo secundo anno absolutum, sed ad id vsque tempus fuisse dilatum. Ait enim, *Nehemias vigesimo Artaxerxis anno de Babylone venit in Iudæam, & trigesimo secundo anno muros, vrbemque restituit:* quæ Eusebij mens non fuit, si quid credimus codici eius Græco. Denique hæc est multorum communis sententia, vt intra duos dies supra quinquaginta hæc structura tota, diuino auxiliante numine, perfecta fuerit. In quibus interpres in eum locum Eusebij. Torniellus sextæ ætatis anno 164. n. 1. Villalp. *i* Perer l. 10. in Daniel. *k* vbi hanc sententiam confirmat ex Daniele. *l*

vt patet c. 5. 14.
i l. 5. p. l. 2. c. 11 ...
k in ... l ... 11.

LXI. *Et confirmatur veritas ex Daniele.*

DANIEL enim ait muros Ierusalem ædificatum iri in *angustia temporum*, quod accipi potest, vel de vexatione hostium Iudæorum, qui eos ita vexarunt, vt armis succincti ædificare cogerentur; vel de breuissimo, angustissimoq; tempore, quo ædificatio fuit absoluta, nimirum diebus duobus & quinquaginta. Quod videri non debet incredibile, inquit Pererius, siquidem in opere faciendo multa hominum millia laborabant dies, noctesq; summo studio & diligentia. Aderant principes Iudæorum, qui opus præsentia sua, voce, manu etiam vrgebant.

Et ratione ... sta.

Nec mœnia omni ex parte ab imis fundamentis excitata sunt, sed cum interrupta fuissent multis locis, continuata & redintegrata sunt: sic ipse. Quam expositionē verba Scripturæ supra allata de obducta cicatrice, & interrupto-

rum conclusione manifeste confirmant. Et Iosephus ipse ait præceptum fuisse à Nehemia, vt nec die nec nocte operis structura intermitteretur, sed omni cura id opus continuaretur. Certe multa hominum millia, dies noctesque laborantia, à quo labore ne mulieres quidem abessent, non erant necessaria, vt duobus annis & trib. mensibus opus perficeretur. Nec est quod quis templum Salomonis, aut eiusdem palatium obijciat. Nam in illis soli preciosi lapides adhibebantur, & multa arte poliebantur, maiore etiam artificio omnes ædificij partes disponebantur: at muros hosce firmo potius, quam eleganti opere vel artificio perfectos esse existimandum est. Nunc ad Nehemiam redeamus solicitum pro ciuitate custodienda, & populo frequentanda.

LXII. *Nehemias prouidet in custodia vrbis.*

Postqvam *ædificatus est murus*, ait, *& posui valuas, & recensui*, id est, constitui, *ianitores, & cantores, & Leuitas, præcepi Hanani fratri meo* (hic videtur ille idem, qui initio huius libri memoratur venisse ad Nehemiam in Persidem) *& Hananiæ principi domus de Hierusalem.* Tigurina vertit, principi arcis Hierosolymitanæ, Vatabl. palatij regis, 70. retinuerunt Hebræam vocem Habira, id est, palatij, vt vertit Pagninus, & hæc est domus, pro qua nominatim videtur egisse Nehem. apud Artaxerxem. *a* Cui præpositus fuit ab ipso Nehemia, vt videtur, quod eum præ cæteris veracem ac timentem Deum deprehendisset. His ergo præcepit ne aperirentur portæ Ierusalem vsque ad calorem Solis, & vt ipsi assisterent, donec clauderentur, & oppilarentur cuneis etiam adhibitis, vt est in Græco, in Hebr. etiam significatur iussos esse istos præpositos tenere, siue tractare ipsas ianuas, ad explorandum num recte clausæ essent; ne videlicet vel mane vel vesperi hostes in vrbem ex improuiso inuaderent. Et posuit custodes de habitatoribus Ierusalem singulos per vices suas, & vnumquemq; contra domum suam.

a c. 2. 8.

LXIII. *Et ciuium frequentia.*

At vices istæ crebro redibant. *Ciuitas quippe erat lata nimis & grandis, & populus paruus in medio eius, & non erant domus ædificatæ. Deus autem dedit in corde meo*, ait Nehem. *& congregaui optimates, & magistratus, & vulgus, vt recenserem eos*, & scilicet prouiderem vrbi de habitatoribus, pro ratione numeri familiarum, quæ iampridem ex captiuitate redierant tempore Cyri sub Zorob. *& inueni librum census eorum, qui ascenderant primum, & inuentum est scriptum in eo. Isti filij prouinciæ &c.* Videtur Nehem. vsq. ad fi. huius capitis, recitare catalogum supra descriptum. *b* Nam ibi censentur, qui primum ascenderunt de Babyl. in Iudæam: ibi tamen pleraq; diuersimode, pleraq; eodem modo leguntur. Causam diuersitatis non est facile reperire: fortasse hic locus ex alio quopiam libro descriptus est, quam ex libro Esdræ, qui nunc non extat, quæ videtur sententia Vatabli, & Emanuelis Sà: fortasse in alterutro loco, præsertim in numeris aliqua menda irrepserunt. Aliqui putant catalogum primum Babylone descriptum: deinde in Iudæa recognitum, cum aliqua mutatione, quæ per itineris longitudinem contigisset.

b 1. Esd. c. 2.

LXIV. *Quomodo aucta sit Iosepho.*

De aucta vrbis frequentia Iosephus, sic scribit. *Nehemias autem videns non satis magnam in vrbe populi frequentiam, persuasit circumquaque vicinis Sacerdotibus & Leuitis, vt migrarent in vrbem inibi habitaturi, extructis eis de suo domicilijs: & agricolarum plebem decimas in vrbem conferre iussit, vt esset, vnde Sacerdotes, & Leuitæ viuerent, nec auocarentur à diuino cultu, & ceremonijs: quod quidem illi perlibenter fecerunt, & hoc pacto factum est, vt vrbs magis frequentaretur in posterum.* Sic ipse: Non facile credo addenti de suo Scripturæ, Nehemiam Sacerdotibus & Leuitis domicilium extruxisse de suo; nimirum Hierosolymis, & circa templum ipsum. In fine quippe capitis septimi legimus. *Habitauerunt autem Sacerdotes & Leuitæ, & Ianitores, & cantores, & reliquum vulgus, & Nathinæi, & omnis Israel in ciuitatibus suis.* Nec solos agricolas iussit decimas in vrbem conferre, sed id solenni fœdere pro toto populo constitutum est, vt postea dicetur. Nam hæc aliquanto post facta sunt: quippe solennis murorum dedicatio, & aliquæ aliæ celebritates antecesserũt, quarum occasione desiderium Nehemiæ de vrbis frequẽtia, opportunius in praxim reuocari potuit.

LXV. *Per occasionẽ dedicationis.*

Nihil enim æquè potuit incitare populum ad frequentandam vrbem, nobilissimam, non incensam, vt ante, & euersam, sed mœnibus cinctam, & habitationi tutam, vrbem regiam opportunissimo loco sitam, vrbem Deo consecraram, in qua vna Deo sacrificare liceret, & maximas totius anni solennitates celebrare, quam accuratam in ea diuini cultus obseruatio, quæ per absentiam Sacerdotum, & Leuitarum ægre poterat obseruari, abfuisse autem patet ex libro Nehemiæ, vbi dicitur ad muri dedicationem accersitos fuisse Leuitas de omnibus locis suis, & congregatos fuisse filios cantorum de campestribus Ierusalem; quia nimirum non habebant Hierosolymis domos ad habitandum. Ideoque Iosephus ait Nehemiam eis domos de suo ædificasse, quã de re postea, nunc de dedicatione primum, quæ in 26. diem sexti mensis incidit agamus; inde ad res septimo mense gestas progrediemur.

c. 12. 27.

LXVI. *Quando facta muri dedicatio.*

Tradit⟨v⟩r hæc muri dedicatio Nehem. 12. *c* post pleraque alia recensita, quæ causa fuit, vt Beda crediderit dedicationem tardius factam esse. Ait enim. *Iamdudum ædificata erat ciuitas, sed non decebat eam dedicari, priusquam habitatoribus aggregatis, & ministri templo idonei, & portis ac vestibulis essent custodes deputati.* Verum nihil est cur negemus statim ab opere absoluto, factam dedicationem, cum ea tanquam medium assumerentur, ad replendam habitatoribus ciuitatem: & facile fuit, vergente ad finem ædificio, personas ad dedicationem necessarias mature conuocare; quanquam maxima pars populi iam in vrbe ædificationi operam dabat. Voluit autẽ Nehemias sanctificari & dedicari muros Deo, vt hoc quoq; nomine vrbs sancta appellari posset, & Deus peculiari cura protegeret, tam mœnia ipsa, quam quæcunque eorum ambitu continerentur. Ideoq; sacri ritus, ac ceremoniæ in hisce encœnijs adhibitæ sunt, vt sequentia docebunt.

c 27. & seq. 2. Esd. 12. 27.

Et quare.

LXVII. *Et quam insta cum lætitia.*

In *dedicatione ergo muri Ierusalem ciues requisiuerunt Leuitas de omnibus locis suis, vt adducerent eos in Ierusalem, & facerent dedicationem, & lætitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, psalterijs & cytharis:* tota festiuitas plena fuit lætitia, & gratiarum actione. Quidni enim lætaretur populus, à puluere excitatam regiam ipsorum vrbem; & opprobrium ipsorum, quod ruinæ illæ perpetuo testabantur omnibus, sublatum fuisse? quandiu enim iacebat illa vrbs, tandiu impij in Deum, & rebelles in principes audiebant. Quidni lætarentur tutos se, tectosq; esse ab incursionibus Samaritanorum, Syrorum, Palæstinorum, Idumæorum, Ammonitarum, & aliorum id genus latrunculorum, qui capitali eos odio prosequebantur? Quidni gratias agerent Deo, qui eis propitium regem, industrium ac generosum ducem, populum labore indefessum dederat; qui eis sumptus, vires, animosq; ministrarat, vt contemptis inimicorum minis, insidijs, irrisionibus, tantum opus tantulo tempore inchoarent, promouerent, atque perficerent.

LXVIII. *Mundatur populus, & murus.*

Et *mundati sunt Sacerdotes, & Leuitæ, & mundauerunt populum, & portas, & murum*, certis scilicet ablutionibus, & aspersionibus aquæ, & expiationibus, de quibus Numer. 19. Quibus ad illius populi captum ordinatis, prudentioribus, & futuris Christianorum populis significabat Dominus, quam sibi grata esset puritas animorum in suorum sacramentorum administris, cum etiam de illis vmbris dictum fuerit. *Si quis hoc ritu expiatus non fuerit, peribit anima illius de medio Ecclesiæ: quia sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus.* Asperserunt igitur cum fasciculo hyssopi etiam murum, sicut in lege dicitur, de omni tentorio, & cuncta suppellectile aspergenda.

Neh. 12. 30. *Nu. 19. 20.*

LXIX. *Quo modo.*

Cvm ea lustratione instituit Nehemias comprecationem vniuersi populi bipertito distributi, vt super murum diuinas laudes, & psalmos Dauidicos, multo cum instrumentorum apparatu, concinerent: tubis etiam alternatim concrepantibus, simulque Sacerdotes, & Leuitæ inter eundum, aqua lustrationis murum aspergerent, ac sanctificarent. *Ascendere autem feci*, inquit, *principes Iuda super murum, & statui duos magnos choros laudantium.* Non est existimaudum totum populum confertim conscen-

d Neh. 12. 31.

dille

disse in murum, ibiq. distinctum in duos choros, vt quidam videntur existimare, indeque murorum latitudinem conijcere: vix enim platea, nedum murus, eius distributionis satis capax fuerit. Præcessit igitur humi facta distributio in partes duas; tum vna pars, in qua erat dimidia pars magistratuum, & populi, iussa est iter suscipere ad dextram tripertito, vel quadripertito agmine. A porta videlicet Sterquilinij versus montem Sion, & Ciuitatem Dauid. Alter chorus, quem sequebatur Nehemias, & dimidia pars magistratuum, & populi, ex aduerso procedebat ab eadem porta ad sinistram, versus Aquilonem; donec occurrerent sibi ad portam Custodiæ, quam diximus clausisse Ophel, habitationem Nathinæorum, & templo ipsi priuatam, quæ tamen extra vrbem non ducebat. Ceterum pars meridiana dextera est, & aquilonis sinistra, extra vrbem posito, & intuenti muros. Nec absurdum est totum populum isse super murum. Nam, vt supra dictum est, ciuitas erat lata nimis & grandis, & consequenter murus ipse, quem Iosephus ad viginti cubitorum millia extendit, vt ex eo deducit Villalpand. *a* populus autem, etiam eorum qui redierant, non multus. Plerique enim senio, ægritudine, alijsue impedimentis excludebantur ab ea supplicatione, contenti recta templum adire.

Dimidia pars super murum.

a *Villalp. t. 2.*

LXX *Supplicationis ordo.*

INITIVM autem profectionis sumptum est à porta Sterquilinij, quoniam ea, à parte occidentali, directo respondebat portæ Custodiæ, quæ supra porta iudicialis dicta fuit, & in qua sibi occursuri erant Chorus vterq;, quæ vicinior erat portæ templi orientali, per quam in templū erat ingrediendum ab vtroq. Choro. A porta Sterquilinij progressi sunt ad portam Fontis, inde iuxta gradus quibus ascenditur ad arcem, & piscinam operosam, & domū fontium, & domum Eliasib. Pontificis, & Azariæ, vsq; ad portam Fictilem. & portam Aquarum & equorum; denique ad portam Custodiæ. Interea secundus chorus processit ab eadem porta Sterquilinij, versus portam Vallis, & turrim Furnorum, & portam Anguli, ad quam erat murus latissimus, & platea, & porta Ephraim. Inde perexerunt ad portam Antiquam, seu veterem, vt c. 3. appellata est, & Portam Piscium, & turrim Hananeel, in qua aperta erat Porta Beniamin inferior; & turrim Emath, & portam Gregis, & steterunt in porta Custodiæ.

c. 3. 10.

LXXI *Chorus vterque templum adit.*

INDE QVE ambo chori ascenderunt in templum, cum omnibus qui eos secuti erant, vbi cantores sua cantica ingeminarunt, & tubicines sonos, & sacerdotes sacrificia, & populus preces, & vniuersi lætitiam. *Deus enim lætificauerat eos lætitia magna, sed & vxores eorum, & liberi gauisi sunt, & audita est lætitia Ierusalem procul.* Eadem die constituti sunt, qui curam haberent recipiendi, & recondendi, quæ populus offerebat, in vsum sacerdotum, & Leuitarum, vt infra traditur fusius, *c* in quorum numero etiam Eliasib pontifex refertur. *d* Tradit Iosephus celebritatem hanc octo dierum fuisse, quos populus in epulis transegit; quia nimirum legerat Salomonem 7. diebus celebrasse solemnitatem dedicationis templi, & die octauo fecisse Collectam: sed omisit festum Neomeniæ, quod in octiduum hoc incurrebat. Nam vigesimus sextus Elul, fuit primus huius octidui. Cumque Elul sit vnus de quinque mensibus deficientibus, ideoque 29. tantum dies habeat quinto die fuit festum Neomeniæ, cuius Nehemias non obscure meminit, quod in eo singulariter contigisset solennis illa libri sacri lectio, quam apparet, perturbatis hisce temporibus, longo tempore intermissam: contra quam Scriptura ipsa requirit. Ea traditur cap. 8. in hunc modum.

c c. 12. & c. 13. 4. & seq.

Laetitia celebrant.

d Ioseph. ...

Deute. c. 31.

LXXII. *Populus congregatur ad Neomeniam.*

ET *venerat mensis septimus*, id est primus dies Tisri, vt mox habetur, *filij autem Israel erant in ciuitatibus suis*. plerique scilicet abierant statim peracta dedicatione, præsertim qui nō longe aberant Hierosolymis, quos etiam præmonuisse videtur Nehemias, vt adessent in festo nouilunij, quem Moyses vocat diem clangoris, atq; tubarum, *e* fore vt tum liber legis diuinæ populo legeretur. Itaque *congregatus est omnis populus, quasi vir vnus, ad plateam quæ est ante portam aquarum, & dixerunt Esdræ scribæ, vt afferret librum legis Moysi, quam præceperat Dominus Israeli.* Quæ verba, vt alibi diximus, satis refellunt eorum sententiam, qui putauerunt sacras scripturas in incendio Hierosolymitano funditus perijsse, easque hoc tempore ab Esdra, diuina inspiratione rursum totidem verbis esse dictatas. Dicit enim Scriptura, dictum esse scribæ, vt librum afferret, qui scilicet extabat, non vt eum recens ederet, aut ex sua mente dictaret; & sequitur.

e Num. 10. 1. Leu. 23. 24.

LXXIII. *Esdras legit coram populo.*

ATTVLIT *ergo Esdras sacerdos legem, coram multitudine virorum, & mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi. Et legit in eo aperte in platea, quæ erat ante portam aquarum, de mane vsq; ad mediam diem, in conspectu virorū, & mulierum, & sapientium, & aures omnis populi erant erectæ ad librum.* Et mox. *Et aperuit Esdras librum coram omni populo, super vniuersum quippe populum eminebat, & cum aperuisset eum, stetit omnis populus &c.* Et infra, *& legerunt in libro legis Dei distincte, & aperte ad intelligendum, & intellexerunt cum legeretur.* Nimirum si quid occurrebat obscurius, id Esdras planum faciebat.

Nihil clarius dici potest, ad probandum conseruatum esse librum legis. Id potius dubitari potest, omnes ne libros legerit, an aliquos tantum: quid autem circa libros sacros ille operæ posuerit, postea dicemus.

Quæ adhuc ...

LXXIV. *Quid ... ?*

EXISTIMAVERIM sane eum non totum omnino Pentateuchum populo perlegisse, sed ea ex illis libris legenda selegisse, quæ ad vniuersi populi eruditionem, & reformandos mores pertinebant. Bonam scilicet partem Exodi, & Leuitici, maxime autem Deuteronomium, in ijs locis, in quibus horribiles comminationes continentur in præuaricatores; quis cum in seipsis experirentur impletas, in lacrymas soluebantur; vt Nehemias, & Esdras, alijque eos consolantes dicerent. *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere, & nolite flere. Flebat enim omnis populus cum audiret verba legis, Et dixit eis. Ite, comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes his, qui non præparauerunt sibi: quia sanctus dies domini est, & nolite contristari, gaudium enim Domini est fortitudo nostra:* vel vt habent Septuag. quoniam Dominus est robur nostrum; vt scilicet legem eius deinceps diligentius custodiamus, qui hactenus nostra infirmitate defecimus.

Ex quo ...

Nehemias & Esdras populum consolantur.

LXXV. *Benedicit Esdras Domino.*

EXIMIVS hic effectus lectionis sacrorum librorum, docet quanto ad eos studio & reuerentia ferri debeamus; cuius etiam rei populus hic exemplum præbuit. Cum enim Esdras lecturus esset librum, & *benedixisset Domino Deo magno*, id est, diuinum auxilium implorasset. illis ve videtur verbis, quæ Moyses ad eum finem destinarat, *Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis, Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, Ostendat Dominus faciem suam tibi. & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Et respondit omnis populus, Amen, Amen, eleuans manus suas, & incuruati sunt, & adorauerunt Deum proni in terra.*

Num. 6. 23. ...

Dum autem legeretur liber, Leuitæ silentium faciebant in populo, ad audiendum legem: non quod illi insolenter obstreperent, sed quod sonoro fletu audientiam impedirent: vnde & illi ipsi Leuitæ dicebant. *Tacete, quia dies sanctus est, & nolite dolere.*

Leuitæ silentium faciunt. 2. Esd. c. 8. 11

Abijt itaq; omnis populus. vt comederet, & biberet, & mitteret partes (epulatum scilicet ad eos, qui tenuiores erant) & faceret lætitiam magnam, quia intellexerant verba quæ docuerat eos: nimirum quam bonus esset Dominus ijs, qui toto corde conuertuntur ad ipsum.

POSTRIDIE autem, die secundo mensis septimi, congregati sunt principes familiarum vniuersi populi, Sacerdotes, & Leuitæ ad Esdram scribam, vt interpretaretur eis verba legis. Ex quo in genere plerique colligunt linguam Hebræam desijsse Iudæis esse communem, ex diuturna conuersatione cum Chaldæis, Persis, Syris, alijsque alienigenis, vt propterea expositione indigerent. Verum eis obsistere videtur, quod hi qui hoc loco legis interpretationem requirunt, sunt Sacerdotes & Leuitæ, & principes familiarum, & non rude vulgus & imperitum, & experientia aliarum linguarum docet apud illos linguæ patriæ puritatem, & multo magis intelligentiam facile retineri, quæ facilius vulgo corrumpitur. Deinde quomodo flebat populus, si non intelligebat quæ legebantur: denique de

Adeunt Esdram super ... legis.

An totus populus hebræam intelligeret.

popu-

populo vniuerse scriptum est, *& intellexerunt cum legeretur.* Ideoq; existimo peculiarem aliquam exortam fuisse difficultatem inter primores populi circa nonnulla, quæ pridie dicta fuerant, quæ non ex verborum, sed rerum intelligentia pendebat, & nominatim circa festum Tabernaculorum. Nam statim sequitur. *Et inuenerunt scriptum in lege, præcepisse Dominum in manu Moysi vt habitent filij Israel in tabernaculis, in die solemni, mense septimo, &c.* quæ mox referentur.

LXXVII. Octaua dedicationis.

QVARTVS dies mensis Tisri fuit dedicationis octau⁹, qui singulari solennitate celebratur in omnibus diebus festis, qui octiduo colebantur, *a* quæ in re certum est non desideratam Nehemiæ diligentiam.

a vt potest Leui. 23. 27. 39. Num. 29. 35. 3 Reg. 8. 66. Iosephus in primum.

Subsecutus est decimus dies, qui Expiationis vocabatur, & Propitiationis. quod eodem die descendisset Moyses de monte propitiato Deo: in quo iubebantur Hebræi affligere animas suas, & ab omni opere cessare. *b* Eum autem diem hoc anno in primis celebratum esse, nemo recte dubitauerit.

b vt potest Leu. 16. 29. 23. 27.

At de octiduo tabernaculorum, quod inchoabatur decima quinta die mensis 7. *c* nemini dubitare licet. Nam consultos Esdras, eam solennitatem celebrandam esse ex lege docuit, itaq; iussit. Nehemias voce præconis denunciari in vniuersis vrbibus Iuda, & in Ierusalem, vt ad eam celebritatem parati essent: eius hæc fuit oratio.

Festum Tabernaculorum. *c* Leu. 23. 34. Num. 29. 12.

LXXVIII. Iudæorum, & oratio.

EGREDIMINI *in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi,* in Hebræo est ligni pinguis, quod quidam pinum, cedrum alij interpretantur: *frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, vt fiant tabernacula sicut scriptum est:* omnino in Leuitico. *d Et egressus est populus, & attulerunt, feceruntque sibi tabernacula, vnusquisq; in domate suo:* ita ex Septuaginta, id est, supra tectum domus suæ, sub dio, *& in atrijs suis, & in atrijs domus Dei, & in platea portæ Ephraim.* Duas memorat plateas primarias, illam prope templum, in extremo montis Sion, ante regiam Salomonis; hanc in angulo vrbis, qui partem eius borealem occiduæ coniungit. Idemq; factum in id genus alijs locis sub dio: in quibus frondeæ scenæ excitabantur, vbi per septem dies, quasi in propria domo habitabant, vt olim Israelitæ in deserto. *Fecit ergo vniuersa ecclesia eorum, qui redierant de captiuitate tabernacula, & habitauerunt in tabernaculis. Non enim fecerant à diebus Iosue filij Israel, vsque ad diem illum,* tanta scilicet deuotione, & lætitia; vnde subdit, *& fuit lætitia magna nimis,* vel certe propter adiectam reliquis ceremonijs, etiam quotidianam legis diuinæ expositionem: nam sequitur, *Legit autem in libro legis Dei per dies singulas, à die primo, vsq; ad diem nouissimum; & fecerunt solennitatem septem diebus, & in die octauo Collectam iuxta ritum,* qui præceptus habetur in Leuitico.

d 23. 40.

ca. 23. 6. LXXIX. In eo igne de cælo datum est. ca. 2. 18.

HANC ipsam tabernaculorum celebritatem Deus multiplici miraculo reddidit celebriorem, iuxta ea quę leguntur, l. 2. Machabæorum. Per hos enim scenopegiæ dies, ignem de cœlo datũ, quo crassa illa aqua inflammata est, existimamus. *Facturi,* inquit Scriptura, *quinta & vigesima die mensis Casleu purificationem templi,* in memoriam scilicet templi à Machabæo emundati, *Necessarium duximus significare vobis, vt vos quoque agatis diem scenopegiæ, & diem ignis, qui datus est, quando Nehemias ædificato templo & altari, obtulit sacrificia.* Cum Scriptura diem ignis, & scenopegiæ coniungat, non obscure significat hoc ignis miraculum eodem tempore contigisse, & ita sentit Torniellus, & Ribera l. 5. de templ. ca. 17. Vbi tamen pugnantia videtur loqui, cum ait, ignem cælitus datum, aut in scenopegia, aut continuo post, cum sacrificia illa peregit Nehem. quæ in eius libro commemorantur; quæ scilicet in dedicatione muri facta fuerunt. Verum dedicatio muri antecessit scenopegiam; illa enim sexto mense, hæc 7. contigit; quod ante nos recte notauit etiam Torniellus.

In quo deceptus est Ribera.

c. 12. 42.

XXC. Opinio Serarij de die ignis.

SERAR. autem in 2. Machab. putat diem ignis fuisse diem encæniorum templi secundi, qui incidebat in tertium diem mensis Adar, anno sexto regni Darij regis, vt scriptũ est, eumq; diem factum esse in morem festi tabernaculorum. Et confirmatur, quia dicitur Nehemiam obtulisse sacrificia, ædificato templo, & altari. Verum hoc subsi-

in 2. Machab. on 1. 8. 1. Esd. 6. 15. vt 2. Mach. 1. 18.

stere non possunt: nam noster hic Nehemias dux, & sacerdos non fuit missus à rege Hierosolymam, nisi post duos & septuaginta annos ab illa dedicatione templi, quæ sub Dario facta est: totidem enim anni numerantur à 6. Darij, ad vigesimum Artaxerxis, vnde nunc esset plusquã centenarius, & tamen multos adhuc superuixit annos. *e* Deinde illa celebritas purificationis tẽpli, quæ 2. Machabæorum 10. memoratur, & dicitur facta diebus octo in modum tabernaculorum, specialiter hoc modo facta est, vt ibidem dicitur, in recordationem, quod ante modicum temporis diem solennem tabernaculorum in montibus, & in speluncis more bestiarum egerant. Nec inde inferri potest, etiam tempore Darij, vel Artaxerxis eodem modo dedicationem templi factam esse.

e vt potest ex 2. Esdr. 13. 6. 2.

XXCI. Improbatur. *f* 2. Mach. 1. 18.

DENIQVE illa verba. *f Quando Nehemias, ædificato templo & altari, obtulit sacrificia,* non significant Nehemiam ædificasse templum & altare, quippe qui ne septuaginta quidem post annos fuit Hierosolymis, sed tantum Nehemiam sacrificasse post ædificatum templum, & altare, non à se, sed ab alio, puta Iosue, & Zorobabele; quamuis in Græco legatur *οἰκοδομήσας,* cum ædificasset, quod tamẽ cum libro Esdræ non congruit. Et confirmatur, quia ædificatio templi tantum Zorobabeli & Iosue tribuitur, *g* exclusa Nehemia, cui statim consequenter erectio murorum euersorum assignatur. *h* Maneat ergo id miraculum his scenopegiæ diebus contigisse, iuxta simplicem Scripturæ assertionem: & forte primo ipso die, quo maximum fiebat sacrificium, quique erat omnium celeberrimus. Et certe tantum memoratur dies scenopegiæ in singulari. Et de tempore hactenus. Historia autem sic habet, referente authore 2. Machab. *k*

Ignis miraculum nunc contigisse.

g Eccl. 49. 14.

h v. 15.

2. Machab. 1. 8.

k c. 1. 19. XXC. Narratio ipsa miraculi.

CVM in Persidem ducerentur patres nostri sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, id est, præ cæteris pietate pręstabant, acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, vbi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita vt omnibus ignotus esset locus. Persidem pro Chaldæa hic posuit huius libri author, sicut & paulo post, *l* vel quia Persidem versus deducebantur, vel quia reuera plerique eorum in Persidem, Cyro rerum potiente, profecti sunt; in Græco etiam distinctius habetur, partem ignis ex altari in ceosi acceptam, & in cauerna sicci putei repositam. *Cum autem præteriissent anni multi,* tres videlicet supra 160. puta 93. ab initio imperii Cyri, & 70. desolationis: *& placuit Deo vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis: nepotes sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem: & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam.* Hoc iam primum miraculum est, vt ignis in aquam, & quidem crassam verteretur; pergit. *Et iussit eos haurire, & afferri sibi, & sacrificia, quæ imposita erant, iussit Sacerdos Neh. aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erant superposita.*

l & l. 1. c. 6.

XXCIII. Nehemias vere sacerdos.

IAM supra anno præcedenti diximus in textu Græco Nehemiam non vocari sacerdotem, sed tantum dici iussu Nehemiæ sacerdotes inspersisse aqua tam ligna, quam hostiam. Nihilominus hæc tota administratio sacrificii, pręsertim quæ hoc loco, & infra continetur, plane sacerdotalis est. Nec eam temeritatem Nehemias non sacerdos, sicut nec olim Ozias, impune tulisset: cum è contrario nouo miraculo alterum confirmatum sit.

v. 21. & 31.

XXCIV. Ignis ab eminenti... *m* 3. Reg. 18. 34.

NAM *vt hoc factum est, & tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur,* renouata scil. Eliæ miracula: *m* vnde & hoc quoq; tempore ex admiratione in Dei laudes effusi sunt, donec consumptum esset sacrificium. Tunc autem *Neh. ex residua aqua iussit lapides maiores perfundi:* qui essent maiores hi lapides non satis constat, forte intelligit lapides inferiores altaris, ad quos sæpè hostiarũ sanguis, vt nũc aqua, fundebatur, vsq; ad imam crepidinẽ ei⁹: *n* aut si *κατεχεῖν* vertas infundi, capi. continere, vt recte potest, sensus erit reliquũ aquæ crassæ immissum intra lapideas venas, indeq; rursũ ignẽ emicuisse, vnde sequitur. *Quod vt factũ est, alterum miraculum, ex eis enim flamma accensa est: sed ex lumine, quod refulsit ab altari, consumpta est.* Lumen pro igne sumit, significatq; ignẽ, qui erat perpetu⁹ in altari, ita exarsisse, vt aqua, quæ in lapidibus erat, inflammaretur, ac consumeretur.

n vide 2. Mach. 1. 4.

Cæterum quæ à rege Artaxerxe his auditis facta sunt; non nisi sequenti anno contigerunt; nunc quæ reliqua sunt huius anni expediamus.

PRIMO autem hoc ipso tempore nō solùm ignem, siue aquam illam crassam pro eo inuentā esse: sed & tabernaculum illud quoque, & arcam, & altare incensi, cum Torniello, a & nonnullis Hebræis. Non ignoro plerosque in contraria esse sententia. In primis Serarium in c. 2. 2. Machab. Villalpandum, b Christoph. à Castro in 3. cap. Ieremiæ n. 20. vbi pro eadem sententia refert Porchetum 1. p. Victoriæ aduersus Hebr. c. 7. & Petrum Galat. c Abulensem multis in locis, d præter Lyranum & Carthus. in eundem locum Machab. In eadem sententia est Genebr. in 2. l. Chron. Ioseph. Gorionis. e Imo Epiphan & Doroth. in vita Ierem. & pleriq; Hebræi, qui fatentur quinq. defuisse in posteriori templo, quæ in Salomonico fuerant: nimirum Vrim & Thumim, id est, rationale iudicij, arcam, ignē, diuinitatem, & spiritum propheticum. Vt idem Gala. Geneb. locis cit. & Ribera in 1. Aggæi referunt. Quam sententiam pleriq; amplectuntur, quod sic euidentius est gloriam alterius templi, quam Aggæus prænunciat ex Christi præsentia pendere. Sunt qui in ambiguo versentur, & probabiliter putent iam manifestatam arcam, probabilius tamen nondum manifestatam, sed in fine mundi manifestandam. Ita Ribera. f Et Melchior Canus de locis Theolog. g Et Comestor, c. 3. Iudith.

PROBATVR nihilominus nostra sententia ex 2. Machab. h vbi Ieremias prophetat tabernaculum, & arcam, & altare incensi, quæ ipse absconderat, ignota fore, cum loco in quo reposita erant. *Donec, inquit, congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat, & tunc Dominus ostendet hæc: & apparebit maiestas Domini, & nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur. &c.* Nemo proferre potest tempus, in quo hæc Ieremiæ prophetia impleta fuerit, in quo visibilis maiestas Domini apparuerit, vt Moysi & Salomoni, quam hoc, in quo Deus præsentiam maiestatis in igne mirabiliter accenso demonstrauit; in quo nubes solem, & sacrificia, & altare obtegebat, vt Moysis, & Salomonis temporibus contigerat. Ista etiam congregatio populi, non alia intelligenda est, quam quæ post captiuitatem Babylonicam facta est sub Cyro, Dario, & Artaxerxe. Sicut enim per partes dispersus fuerat populus, ita & per partes iterum collectus fuit.

XCVII. INQVE probatur ex instituto Ieremiæ, qui etsi reprehendebat fociorum suorum curiositatem: consolari tamen eos volebat de restitutione futura Iudaici cultus, & ceremoniarum, post præsentem dispersionem. At si intelligebat hæc, quæ abscondebat, manifestatum iri in die iudicii, nonne eos irridebat potius, quam consolabatur? Nonne in die iudicii oporteret & arcam, & tabernaculum, & altare incensi manifestari, cum de omnibus æque dicat Ieremias manifestatum iri. Quod tamen ipsi non dicunt. Cui denique vsui tunc arca? An vt renouetur Iudaismus? absit: aut vt facilius aggregentur ad Christum? Valeret potius ad eos retrahendum ab ipso, & ad spem iterum stabiliendi Mosaicos ritus; cum post tot annorum millia sibi viderent conseruatam esse, ac repræsentari. Secundo ex 1. Machab. i constat Antiochum intrasse in templum cum superbia, & accepisse altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuersa vasa eius, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, &c. Hæc ergo tom erant in templo; aut ergo ostendant aduersarii quando, & à quibus hæc vasa iterum facta sint; aut fateantur, si tempore Nehemiæ repertum est Domino reuelante altare incensi, certe arcam & tabernaculum, quæ simul delitescebant, non fuisse neglecta, sed eadem opera recepta, & suis in locis in templo nouo collocata, ad renouandam, augendamq; populi deuotionem.

XCVIII. TERTIO ait Dominus per Ierem. k agens de tempore noui testamenti, vt omnes fatentur interpretes. *Cumque multiplicati fueritis, & creueritis in terra in diebus illis, ait Dominus, non dicent vltra, Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet vltra.* Dominus ergo ait illo tempore Iudæos, & ex Iudæis natos Christianos, non esse a verbo elaturos Arcæ testamenti gloriabundos, neq; in corde suo in agitaturos, in ea confidentes, tanquam in certo, ac præsenti Dei auxilio, neq; vltra votiuis peregrinationibus honoraturos. imo omnem eius honorem in desuetudinem, atque obliuionem abiturum. Quod si totis iam sexcentis & quadraginta annis, ante promulgationem euangelij, & cessationem legalium, arca iam perdita fuit, & honore caruit, & suis præsidio non fuit, quid nouum promittitur, aut inopinatum pro tempore Euangelij? quid est illud *non vltra*, nisi ad significandum ad illud vsque tempus in veneratione fore, & ante eam oblatum iri Deo de more sacrificia. Deinceps autem honore & cultu carituram, sicut & ipsas Mosaicas ceremonias.

QVARTO, in 2. Paral. l dicitur, fuisse arcam in Oraculo templi, inter Cherubim, vsq; ad præsentem diem. Quæ verba non alterius fuerunt quam Esdræ, qui Scripturas collegit, ordinauit, suppleuit, correxit, vt dicemus, &, vt passim fatentur doctores, librorum Paral. auctor fuit. Atqui Esdras sub hæc nostra tempora ista scripsit, ergo hoc quoq; tempore arca in eum locum restituta fuit. Nec est quod dicat Abulensis, ea verba esse Abiæ Silonitis, aut Addo videntis. Nam cum ea non pertineant ad illius temporis historiam, sed longi cuiusdam temporis seriem quæ se ferant, frustra ea ipse tribuat prophetis, qui tempore ipsius Salomonis fuerunt. Nihil enim nouum, aut inopinatum dicerent.

QVINTO Tertul. l. de coron. milit. c. 9. vbi ait neque Patriarchas, nec Prophetas, neq; Apostolos, neq; Euangelistas fuisse coronatos, subdit. *Puto nec ipsum vel templum, nec arca testamenti, nec tabernaculum martyrij, nec altare, nec candelabrum, quibus vtique & in prima dedicationis solennitate, & in secunda restitutionis gratulatione competisset coronari, si dignum Deo esset.* Sic ipse, aperte supponens arcam testamenti in secunda templi restitutione fuisse.

XC. DENIQVE eorum qui dissentiunt nonnulli in eam sententiam impelluntur sanctorum virorum autoritate, quos huius opinionis esse, ex eorum scriptis constare videtur: alij zelo quodam, vt dixi, vt gloria secundæ domus maior sit quam primæ. quod frustra est. Nam etiam arca concessa, remanent alia quæ ignobiliorem reddant hanc secundam domum; non tamen absentia cœlestis ignis, in quo Genebr. lapsus est, vt ex 2. Machab. 1. retulimus. Iam vero quæ refert S. Epiphan. & post eum Dorotheos, & D. Thomas de arca in petram absorpta Ieremiæ precibus. De inscripto, vel insculpto numine Dei in saxum digito ipso, perinde ac ferro, & quod noctu nubes, velut ignis locum hunc obtegit, & quod prima arca resurrectura sit, & proditura è saxo, & in monte Sina collocanda, ad eamq; sanctos coactum iri, & id genus alia, si quis ea diligentius perpenderit, ex Rabinorum traditionibus descripta, facile intelliget, nec maiorem fidem facere, quam quæ ex ipsis refert D. Hieron. quæ sæpius refutauimus. Et sunt certe non tam tam inepta, vt propterea viri docti, & has traditiones D. Hieronymo, & vitas illas D. Epiphanio tribuendas negent. Nam vt alia taceam, quæ recte refutat Torniellus, illud de arca in petra absorpta videtur repugnare Scripturæ, quæ ait Ieremiam in montem venisse, & ibi inuenisse locum speluncæ, & illuc intulisse tam arcam, quam tabernaculum, & altare. Quod habet etiam Iosephus Gorionis. m Baronius etiam in notis Martyrol. in 5. Iunij, non sine causa dicit nonnulla esse in Synopsi Dorothei castigatione digna; neq; Dorotheum illum esse episcopum Tyri & martyrem, vt putauit qui collegit Bibliothecam patrum, sed iuniorem quendam abbatem, qui eam synopsim Romæ scripserit.

XCI. AT, inquiunt qui hanc arcam in extremam resurrectionem conseruant, si inuenta est hoc tempore arca, quare illius non meminit Scriptura, quæ ignis renouati meminit? quare Iosephus in spoliis à Tito, & Vespasia. ex Iudæa Romam delatis, eam non numerauit. n Et alio loco o ait in intima templi parte nihil prorsus fuisse positum, sed inaccessam, & inuiolatam, & inuisibilem omnibus extitisse. Ad 1. Respondeo quis nouit consilium Domini, aut

quis

quis consiliarius eius fuit? quam multa optamus à Scriptura fuisse tradita, quæ silentio obuoluta sunt? Dici tamen posset, monitos per epistolam Iudæos Ægyptios ignis diuinitus dati, quia renouabant memoriam festi diei, ea de causa celebrandi, quod non conueniebat inuentæ arcæ. Ad 2. Respondeo forte numerasse, & nomine legis, quæ in ea continebantur, comprehendisse, vt existimat Torniel. *a* Sed quæris, inquit Ribera, *b* cur huius inuentionis arcæ Iosephus non meminerit. Cur absconsionis non meminit? Cur de igne cœlesti Nehemiæ dato nihil dixit? Sic ipse.

a an. mundi 3419. n. 9. b in 2. Agg.

XCII. *Figmenta Ethnicorum de sanctuario templi Iudæorum. c l. 2. contr. Appionem.*

FORTASSE autem nihil in intima templi parte fuisse positum dicit, quia iam Antiochus eam abstulerat: qua de re suo loco dicendum erit. Aut occulte respondit calumniam eorum, qui in intima æde à Iudæis asini caput coli dicebant, de qua idem Ioseph. *c* In hoc sacrario Apion præsumpsit edicere asini caput collocasse Iudæos, & eum colere, & dignum facere tanta religione; & hoc affirmat esse deuulgatum, dum Antiochus Epiphanes & expoliasset templum, & illud caput inuenisset ex auro compositum multis pecunijs dignum. Idem calumniatus est Cornel. Tac. *d* quem propterea Tertull. mendaciorum loquacissimum appellat. *e* *Effigiem, inquit, animalis, agrestis scilicet asini, quo monstrante errorem, sitimq; depulerant, penetrali sacrauere.* Certe vitem auream Libero patri dicatam, in templo repositam scribit Tacit. l. 5. historiarum; sed de his iam satis.

d l. 5. hist. e l. Apolog. contr. gent. 16.

XCIII. *Rursum fit ... ab ... coniugum. f Neh. 9. n. 1.*

IN *die autem vigesimo quarto mensis huius* (septimi, transactis tabernaculorum diebus) *f Conuenerunt filij Israel in ieiunio, & in saccis, & humus super eos.* Quæ huius pœnitentiæ causa esset, sequentia non obscure demonstrant. Cum enim populus, ex assidua legis auditione, accepisset, quam serio in ea præciperetur, vt à coniugijs alienigenarum abstinerent: Idq; etiam fortasse Esdras vehementius inculcasset, vt dudum fecerat sub annum septimum Artaxerxis, quicunq; huic culpæ erant affines, siue qui nondum eiecerant mulieres illas, siue qui eas repudiatas iterum acceperant, facti pœnitentes in templum venerunt, & eiusdē Esdræ, vt videtur, opera annitente Nehemia, iterum *separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena, & steterūt & confitebantur peccata sua, & iniquitates patrum suorum.* Sed eadem quoq; opera, vt ex sequentibus capitib⁹ patet, pleraq; alia emendata sunt, quæ passim à populo peccabantur, & renouatum est fœdus Deum inter & populum.

XCIV. *Lectio Leuitarum, & oratio populi.*

PERGIT autem Nehemias. *Et consurrexerunt ad standum,* nimirum honoris causa lectionem sacram non sedentes, sed stantes audiebant. *Et legerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.* Significat alternatim Leuitas legisse in lege Domini, & populum orasse, ita vt grata vicissitudine vtrorumq; minueretur labor. Porro Leuitæ, qui in textu Latino, & Hebræo nominantur, aliter habentur in 70. Nam pleriq; omittuntur: quin & sequens oratio soli Esdræ tribuitur. Prius autem Leuitæ hortabantur populū ad orandum, eo fere modo quo ipsis verbo præibatur, dicentes. *Surgite,* id est, Eia agite, *benedicite Deo vestro ab æterno vsque in æternum. Et benedicant nomini gloriæ tuæ excelso, in omni benedictione & laude.* His communiter quasi in choro ab omnibus Leuitis decantatis, solus Esdras, vt est in 70. clara voce, quam populus audire, & affectu potius quam voce sequi posset, longam inchoauit orationem, à sexto versu ad fi. capitis.

XCV. *Oratio Esdræ.*

IN qua primo Deum omnium conditorem, & conseruatorem humiliter commendat. Deinde commemorat cum gratiarum actione, diuinam Israelitici populi electionem in patriarcha Abraham, & fœdus cum eo initum, & eius impletionem per innumera prodigia, atque miracula, in Ægypto, in mari rubro, in deserto, in quo legem per manum Moysi singulari Dei beneficio populus acceperat, & insuper cœlestem cibum, reliquaque omnia ad vitam opportuna: quamuis impie in Deum suum, atque ingrate se gereret. Denique in acquisitione terræ Chanaan, deletis habitatoribus eius. Vbi cum omnibus bonis ex diuina benignitate circumflueret. *Prouocauerunt te,* inquit, *ad iracundiam. & recesserunt a te, & proiecerunt legem tuam post terga sua, & prophetas tuos occiderunt, qui contestabantur eos, vt reuerterentur ad te; feceruntque blasphemias grandes.* Hebræum quidam vertunt conuitia, alij, vt 70. irritationes: significat autem Idola, & omnem Idololatriam. quæ tempore Iudicum primo, deinde etiam Regum identidem exercebatur, ita vt alternatim impietas & flagella, idolorum & alienigenarum seruitus, pœnitentia eorum, & Dei indulgentissimi misericordia, sibi subinde succederent.

XCVI. *Reliqua eiusdem oratio.*

POSTREMO vehementer Deum obsecrat vt omnes calamitates, & miserias populi sui, quas iuste propter peccata sua tamen pridem patitur, propitius intueatur, & auertat. Et inprimis præsentem statum miserabilem, de quo. *Ecce,* inquit, *g nos ipsi hodie serui sumus, & terra quam dedisti patribus nostris, vt comederent panem eius, & quæ bona sunt eius, & nos ipsi serui sumus in ea. Et fruges eius multiplicantur regibus, quos posuisti super nos, propter peccata nostra, & corporibus nostris dominantur, & iumentis nostris secundum voluntatem suam, & in tribulatione magna sumus.* Similis confessio habetur supra 1. Esdræ, *h* ex quo intelligimus Iudæos hoc tempore tributa pependisse regi Persarum, exceptis sacerdotibus & Leuitis quos Artaxerxes nominatim exceperat. Hanc ergo tributorum pensitationem, & seruitutem Esdras deplorat, innuens illam libertatem, atque immunitatem ab oneribus, quam eis lex dabat, iuxta illud. *k Non erit vectigal pendens ex filiis Israel.* Quod in 70. Xisti legitur. *Super omnibus ergo his,* id est, Et nihilominus vt inueniamus misericordiam tuam, tibi spondemus fidelem seruitutem, & *percutimus fœdus. & scribimus* ad perpetuam rei memoriam, *& significant* proprijs nominibus ad roborandam promissionem, *principes nostri, Leuitæ nostri, & sacerdotes nostri.* In priori Esdræ fœdere, *l* non traditur scriptio fœderis, neque subsignatio, sed adiuratio, quæ hoc tempore prætermissa non est, vt mox patebit.

g v. 36. h 1. Esdr. 9. 9. i 1. Esd. 7. 24. k Deut. 23. 18. l 1. Esd. 10. 5.

ca. 10. Neh. XCVII. *Renouatur fœdus cum Deo.*

DEINCEPS ergo nominantur qui fœderi subscripserunt, in quibus qui primus nominatur Nehemias videtur esse populi dux, idemque sacerdos, vt patet ex v. 8. Mirum est autem neque pontificem Eliasib, neque Esdram sacerdotem in hoc fœdere subscriptos haberi: memoratur tamen Eliasib huius operis particeps. *m Factum est autem,* inquit, *cum audissent legem, separauerunt omnem alienigenam ab Israel. Et super hoc erat Eliasib sacerdos, &c.* Subscripserunt ergo plerique Sacerdotes, & Leuitæ, & magistratus populi, & Nathinæi, & proselyti, qui pro se suisque solenniter spoponderunt, ac iurarunt se legem Dei seruaturos: nominatim autem non contracturos affinitates cum infidelibus. Additur etiam nominatim de excludendis Ammonitis & Moabitis à cœtu Iudæorum: nimirum nisi fierent proselyti, vt notauit Eman. Sà. Cautius obseruaturos etiam cum alienigenis populis diem sabbathi, aliosque festos dies, vt ne iis diebus venalia emant, aut cum eis quoquomodo contrahant.

m 13. 3. c. 13. Iuit.

XCVIII. *Varia eius capita.*

ANNO septimo, neque terram culturos, neque sponte nascentia collecturos, sed pauperum vsibus dimissuros; neque debita à pauperibus exacturos, iuxta Domini præceptum. Obligarunt se præterea ad soluendum quotannis tertiam partem sicli, pro templi necessariis sumptibus; & insuper ad suppeditanda ligna domui Domini toto anno; ad soluendas primitias omnium frugum ac fructuum, hominum etiam & animalium, iuxta legem, quæ filios redimi iubebat, & animalia offerri ad sacrificia, & vsum sacerdotum, ac Leuitarum. Item ad decimas integris persoluendas, quas Dominus, ad eorum sustentationem, destinasset.

ca. 11. XCIX. *Remedia pro vrbis frequentia.*

POSTREMO ad frequentiam populi Hierosolymitani, in hoc populi cœtu definitum est, vt principes populi habitarent Hierosolymis: vrbe scilicet regia, & à Deo sanctificata & electa; reliqua vero plebs misit sortem, vt decima pars Hierosolymis habitaret, præter eos qui sponte eligere vellent habitationem in ea, quos populus Hierosolymitanus laudauit, quasi æmulantes gentis suæ gloriam, & metropolim eius honorantes, & contra illius ho-

stes roborantes. Fuse autem scribit Nehemias quæ familiæ Hierosolymam incoluerint, & quanto virorum numero, tam ex tribu Iuda, quam Beniamin. Et mox quæ etiam oppida, & pagi ab iisdem tribubus habitata fuerint. De reliquis autem tribubus nulla mentio: quia si qui fuerunt ex illis oriundi, perpauci erant, & incerta fortassis origine, his se tribubus aggregarant. Nam 1. Esdræ 2. legimus quosdam ignorasse genus suum, & eiectos de sacerdotio. Et hæc sunt quæ hoc anno gesta, in lib. Nehemiæ referuntur; quæ reliqua sunt ad sequentes annos, ad quos pertinent, differentur.

C. *Græca hu[illegible] historia.* INTEREA vero si quæ Græca, & Romana historia, in hunc annum suggerit, breuiter annotemus. Et quod ad Græcam quidem attinet, sex annos vacuos, vsque ad bellum Samium reperio.

Et Romana contentiones. Romæ autem T. Quintius Capitolinus, quartum Cõsul, & Agrippa Furius, nec seditionem domi, nec foris bellum acceperunt. Sed vtrunq; imminebat, vt ait Liuius l. 3. Nam nec vltra ciuium discordia reprimi poterat, & tribunis & plebe incitata in patres, cum dies alicui nobilium dicta, nouis semper certaminibus conciones turbaret. Nec iis cognitis Æqui & Volsci quieuere, sed coniunctis exercitibus Latinum primùm agrũ populati sunt: deinde quia nemo occurrebat ad prælium, ad mœnia ipsa Romæ populabundi accessere: vastationem agrorum vbi per contumeliam ostentantes, indeq; inulti prædam præ se agentes Corbionem rediere.

CI. *Quidam mo[illegible] Cons. T. Quintius.* HIC Consul Quintius populum ad concionem vocat, & fortissima, grauissimaque oratione, adde etiam artificiosissima, ita tractauit, vt plebem arguendo, increpando, obiurgando, tribunos insectando, plus quam alij popularissima concione profecerit. Nam ilico iuuentus, quæ inter tales metus detrectationem militiæ, telum acerrimum aduersus patres habere solita erat, bellum & arma spectabat. Inde vbi nunciatum in vrbe, quæ hostes in agris perpetrassent, vniuersam ita impleuerunt. Senatus ergo vehementer commendata Quintij concione, eum orat Collegamque vt capessant Remp. Tribunos etiam, vt vno animo cum Coss. bellum ab vrbe, ac mœnibus propulsare velint, plebemque obedientem patribus præbeant. Quid multa? delectus decernitur, haberturque, tanta celeritate vt tertio die cum hoste pugnatum sit, fœliciterq; depugnatum, hostilia castra expugnata. ingẽtes prædæ receptæ, & acquisitæ. Nec tamen triumphatum est, ne triumphus hominibus potius, quam rebus gestis delatus videretur; cum nuper Valerio & Horatio Consulibus, qui præter Æquos, & Volscos, etiam Sabinos vicerant, Triumphus non fuisset delatus.

Inde iudicium populo Rom. delatum de finibus suis ab Aricinis & Ardeatibus: sed contentiosum agrum populus, authore & impulsore P. Scaptio, vtrique ereptum sibi assignauit, cum tamen eum nunquam antea sibi vindicasset. Id cum præsenti Consulum pudore factum refert Dionysius; & posterorum reprehensione. In eadem Lib. 11. sub fi. ni fallor, vel simili causa M. Tullius populum Romanum alicubi reprehendit.

ANNVS MVNDI 3610. SEXTÆ ÆTATIS 94. Nehemiæ Ducis Hebræorum 2. Artaxerxis 21. Imperij Pers. 94. Eliasib Pontif. 21. Olympiadis XXCIV. An. 1. Archonte Praxitele. Vrbis cond. 309. Coss. M. Genucio, & Pub. Curiatio, siue C. Quintio. Dionys.

ANNVS ANTE CHRISTVM 443.

2 Mach. 1. v. 31. 34. I. *Nou[illegible] reg[illegible]* DELATO ad Artaxerxem nuncio de igne tot annis in subterraneo loco abscundito, & in aquam crassam, & inde rursum in ignem conuerso, vehementer admiratus est Rex, tantoque magis, quo maiore apud Persas in veneratione ignis semper fuit. Itaque rei veritatem primum diligenter inquiri iussit, atque examinari; tum eum locum sanctum, & religiosum haberi voluit, eumque, & sacerdotes multis donariis, & muneribus honorauit. Idque significatur illis verbis, *Considerans autem rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum, vt probaret quod factum erat, & cum probasset sacerdotibus donauit multa bona, & alia atque alia munera, & accipiens manu sua tribuebat eis.* Quæ *Rex locum honorat.* nonnulli interpretantur de templo Hierosolymitano vehementius exornato, & nouis muris ad loci tutelam exterius circumsepto: eo quod templum aliud præter Hierosolymitanum in solitudine extrui, nunquam passurus fuisset Nehemias; sed ex Græco res clara est. Sic enim fideliter vertitur. Rex autem approbata re, locum circumseptum sanctum reddidit, & quibus gratificabatur Rex multa excellentia accipiebat, & dabat. Ἀφιέρωσε enim pro Ἀφιέρωτε positum Serar. quoque putat, sicut in Latino *considerans* pro conserans, siue obserans, cum in Græco sit ἐπέφραξε. Nec absurdum est exiguum etiam locum, alioqui sacrum, templum dici, quæ pluribus vide apud Serar. q. 14.

SED nec illud absurdum, locum aliquem extra templum à Iudæis sanctum æstimari, & eo nomine honorari, præsertim in quo Deus aliquid præter naturæ ordinem perpetrasset, vt probaticam piscinam, imo & sua oratoria. II. *Iudæo[illegible] [illegible]* An autem Artaxerxes ignem honorare ex Persica superstitione voluerit, an potius mirabilium omnium effectorem Deum, qui & aquam ardere faceret, & eandem ex igne produceret, non est facile recte statuere. Certe in meliorem partem vt propendeam, facit Esther tum Regina, & Mardochæus, qui hanc occasionem non omiserint, regem ad pietatem propensum, recte dirigere. Præsertim non ignarum veri Dei, vt ex eius decreto pro Iudæis perspicuum est. *a* *a c. vlt. Esther. v. 16. Artaxerxes Dominus, an ignem honorarit.* Porro hunc locum Nehemias Nephthar, id est, purificationem appellauit. Retuli autem hæc ad hunc annum, quia non prius res & nota fieri in Perside, & regis iussu in Iudæa examinari, & locus circumcludi, & religiosus fieri potuit.

QVOD ad res Græcorum attinet, hic secundus est annus ab inito fœdere triennali. III. *Res Græcorum [illegible] tempore.* Sic enim numeratur à Thucydide, & Diodoro, à quibus bellum Peloponnesiacum inchoatur anno V. C. 322. qui est secundus Olympiadis 87. & dicitur decimus quintus ab inito illo fœdere. Hoc porro tempore, vt scribit idem Diodorus, in huius Olymp. 84. anno, pleræq; per orbem gentes quietæ erant, & pace fruebantur. *Et Persarum.* Persæ enim geminum cum Græcis fœdus constitutum habebant, vnum cum Atheniensibus, eorumq; sociis, quo sua iurisdictionis libertas Græcanicis vrbibus Asiæ restituta erat: Alterum cum Lacedæmoniis, in quo contrarium perscriptum erat, easdem scilicet vrbes Persarum imperio obnoxias fore. Similiter & Græci pacem inter se colebant, fœdere triennali inter Athenienses, & Spartanos icto. Sic ipse; qui idem de Sicilia, Italia, Gallia, Hispania confirmat.

VERVM de aliis regnis ipse viderit, de Italia tamen, Repub. præsertim Romana, id dici nequit. IV. *Tumultus Romæ, [illegible] causa.* Nam domi forisq;, non minus quam superiore anno, tumultuatum est. C. enim Canuleius Trib. plebis initio anni de Connubio patrum & plebis, Rogationem promulgauit; & mentem primo sensim illata à tribunis, vt alterum ex plebe Consulem liceret fieri, eo processit deinde, vt rogationem nouem tribuni promulgarent, vt populo potestas esset, seu de plebe seu de patribus vellet, Consules faciendi. Vtrunq; indignissime tulere patres, quod contaminari sanguinem suum, & potentiam plane conuelli viderent, summumq; imperium à se ad plebem transferri; potiusq; extrema quæq; patienda censuit, quam permittendum, vt eæ leges perferentur.

LÆTI ergo audiere patres Ardeatium populum, ob iniuriam agri abiudicati, desciuisse; V. *Ardeat[illegible] Roma[illegible] [illegible]* Veientes depopulatos extrema agri Romani; Æquos & Volscos expeditionem parare. His cognitis Senatus decernit vt conscribantur exercitus, atque ambo Consules copias educant. Sed frustra, Tribb. plebis summa vi obsistentibus, & affirmantibus nullũ permissuros SC. vlla de re, priusquã de

approbanda lege, fieri, quin & iureiurando fidem suam obstringentibus, nihil eorum quæ decreuissent rescissuros, quamuis diuersum eis vel maxime persuaderetur.

Hic priuatim conuenere aliquot primarij Senatores, qui in primis optimatibus imperium asserebant, vt dispicerent quid facto opus esset. Cumque C. Claudius rigidiorem sententiam dixisset, & tanquam hostes armis etiam coërcendos diceret, qui patrias consuetudines abolere, & vetustum Reip. ordinem labefactare conarentur: T. Quintius vim improbauit, à ciuili sanguine abhorrens; cui etiam cæteri consentiebant.

VI. *Consilium de habendis Consularis potestate creandis.* Tum Claudius resumptis dicendi partibus, monuit ne vllo modo Plebi consulatum communicarent, sed Tribunos potius militares, cum potestate Consulari, eligerent, quorum pars vna è Patritijs foret, altera ex Plebeijs. Quæ sententia cum postea in publico Senatu à T. Genucio Cõsulis fratre prolata esset, secundissimis animis à Tribunis, & à Plebe accepta est; qui & proximis comitijs creati sunt, vt dicemus.

Addit Liuius summa Canuleij Tribuni pleb. contentione factum, vt lex etiam de conubijs patriciorum cum plebe longe odiis perferretur.

VII. *Olympias 84. Melissus.* ALTERA porro hac Olympiade, ordine quarta supra octogesimam, idem qui proxima, in stadio victor fuit Crisson Himeræus, quo tempore Praxiteles Athenis Prętor fuit. Circa hanc Olympiadem floruisse Melissum Philosophum, Parmenidis auditorem, patria Samium, ciuibus suis gratiosum, testatur Laërtius, & apud eum Apollodorus: ex quibus Eusebius, aut certe Hieronymus in Chronico. Sub hoc fere tempus Herodotus cum Athenis in Senatu, vt ait Eusebius, aut vt vult Scaliger, in conuentu Panathenaico libros suos legisset, probatus, atque honoratus est: quo honore motus Thucydides ad scribendum addoctus est. Eum conuentum ille idem incidisse ait anno tertio Olympiadis 83. prætore Callimacho *Scaliger arguitur.* eodemque anno & libros suos in panegyri Panathenæorum Herodotum recitasse, & coloniam Thurium deductam, & Herodotum cum colonis eo profectum. Qua in re secum ipse pugnat, qui in Olympionicarum catalogo scribat, eam coloniam in Thurios deductam anno secundo Olympiadis octogesimæ quartæ. Vt omittam eum perquam licenter βουλὴν Eusebij Γαναθλίωσιν interpretari, Hieronymum arguere, eoq; fundamento inconstantem construere Chronologiam.

VIII. *Protagoras Abderites.* CIRCA hanc ipsam Olympiadem floruisse Abderitem Protagoram refert ex Apollodoro Laërtius, licet in Latino mendose 74. Olympias memoretur. Refert & Eusebius in Chron. atq; eius libros publico decreto ab Atheniensibus fuisse combustos. Eius rei causam recitat Laërtius, & ex eo Suidas, quod initio cuiusdam libri ita scripsisset. *De dijs sintne an non sint nequeo statuere. Multa enim id scire prohibent, rei incertitudo, & breuis hominum vita.* Ob hoc autem principium operis pulsus est ab Atheniensibus, librique illius in foro cremati sunt, & sub præconis voce à singulis, qui illos habebant, inuestigati. Recitauit autem ad initium Atheois in Euripidis, siue vt quidam volunt, in Megaclidis domo, vt alij in Lycæo. Quem accusauit Pythodorus Polyzeli filius, vnde Atheos dictus est; qui forte solam ignorantiam suam, valde vtique culpabilem, voluit profiteri. Eum baiulum fuisse dicit Suidas, & eum Democrito collocutum cœpisse philosophari, denique & Sophistam esse factum.

* * † * *

ANNVS MVNDI 3611. SEXTÆ AETATIS 95. Nehemiæ 3. Artaxerxis 22. Imperii Persarum 95. Eliasib. Pontif. 22. Olympiadis XXCIV. 2. Prætore Lysania. Vrbis cond. 310. A. Sempronio Atratino L. Atilio Longo, & T. Clœlio Sic. Tribb. milit. moxq. Coss. L. Pap. Mug. & L. Sempr. Atrat.

ANNVS ANTE CHRISTVM 442.

I. *Rebus temporum.* VNIVS anni est inter Liuium & Dionys. hoc loco controuersia. Nam Dionys. diserte ponit annum tertium octogesimæ quartæ Olymp. qui est 311. V. C. cum Liuius aperte 310. scribat, quem deinceps deficiente Dionys. secuturi sumus, & de hoc anno eum sequitur Onuphrius, qui tamen non recte facit, cum ait Dionysium cũ Liuio de anno horum Tribunorum sentire. Sequitur & Cuspinianus in Cassiodori Consules. Sigonius maluit annum 309. secutus fastos Capitolinos vt ait, cui subscribit Temporarius. Sed eosdem fastos secutus Onuphr. annum 310. ponit, eamque sententiam, vt mediam, censui præferendam. Maxime cum legamus apud M. Tullium, in epistola ad a L. Papirium Pætum. si locus mendo caret. Papirium Mugillanum cum L. Sempronio Atratino Consulem fuisse annis post Romam conditam 312. Rectius 310. vel 11. *a Lib. fa. 21.*

II. *Tribuni consulari potestate creantur.* Hoc anno (quoniam res sacræ, Persicæ, ac Græcæ silent) Comitia Tribunis tribus Consulari potestate creandis indicuntur, vt ait Liuius; Genucij tamen sententia ferebat, vt est apud Dionys. vt tres ex patricijs, & totidem ex plebeijs crearentur; & singulis annis in Senatus P. Q R. potestate esset statuere, vtrum à Consulibus, an à Tribunis militum mallet Remp. geri. Verum id populo liberum fuit, qui creatis tribus patricijs, nullum præterea creauit. Plebs enim se non contemptam videns, oblato honore abstinuit. Euentus eorum comitiorum docuit, *Plebis Romanæ modestia.* loquit Liuius, alios animos in contentione libertatis dignitatisq;, alios secundum deposita certamina incorrupto iudicio esse. Tribunos enim omnes patricios creauit populus, contentus eo quod ratio habita plebeiorum esset.

alia creandi causa. Creati sunt ergo tres illi tribuni patricij quos diximus, quorum creandorum aliam causam quidam attulerunt apud Liuium, propter adiectum Æquorum, Volscorumque bello, & Ardeatium defectioni Veiens bellum; quia duo Coss. obire tot simul bella nequibant. Nihilominus, vt ait idem Liuius, cum tot terrores à finitimis ostentati essent, etiam domi otium fuit. Et paulo ante ait Tribunorum in magistratu concordiam domi, pacem etiam foris præbuisse.

III. *Vitio creati abdicant se magistratu.* NAQVE tamen firmus fuit hoc tempore hic tribunatus militaris, quia tertio mense quam inierant, augurum decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere. Ita Liuius l. 4. Distinctius Dionys. ait eos tres tantum & septuaginta dies eum magistratum gessisse, quod signa quædam diuinitus oblata, vetuissent illos Remp. gerere: ex quo intelligi potest quantum Romæ vanissimæ isti augurali disciplinæ tribueretur, cum primarios magistratus, tanta contentione expeditus, ad augurum arbitrium in ordinem tam cito redigeretur. Hic interreges creati à Senatu, qui comitiis indictis, & permissa plebi cognitione, Tribunosne, an Consules creare mallet, cum Plebs patrias consuetudines retinendas iudicasset, permiserunt patriciis, qui vellent ambire Consulare imperium. Fiunt ergo rursum è patriciis Consules, L. Papirius Mugillanus, & L. Sempronius Atratinus frater eius, qui cum collegis Tribunatum deposuerat. *Rursum patricij Consules creantur.*

IV. *Romanorum Ardeatib. cum pactum.* Hi duo magistratus apud Romanos, vno eodemq; anno summum obtinuere imperium, sed non in omnib. annalibus Romanis ambo reperiuntur; nos tamen testimonijs ex sacris & reconditis libris desumptis nitimur. Hæc fere Dion. quib. etiam consentit Liuius. Non nihil tamen in re Ardeatensium dissentit. Nam Dionys. ait amicitiæ societatemque fœdus cum Ardeatibus pactum esse, omissa

super controuersio agro expostulatione. Liuius autem, legati, inquit, ab Ardeatibus Romam venerunt, ita de iniuria querentes, vt si demeretur, eos in fœdere, atque amicitia mansuros restituto agro appareret. Ab Senatu responsum est, iudicium populi à Senatu rescindi non posse, si tamen Ardeates arbitrium Senatui leuandæ iniuriæ suæ permittant, fore vt postmodum gaudeant se iræ moderatos, sciantque patribus æque curæ fuisse, ne qua iniuria in eos oriretur, ac ne orta diuturna esset. Sic fere Liuius; qui mox subdit creatis nouis Consulibus fœdus renouatum est.

ANNVS MVNDI 3612. SEXTÆ ÆTATIS 96. Nehemiæ Ducis 4. Imperii Pers. 96. Artaxerxis & Eliasib Pontif. 23 Olympiadis XXCIV. An. 3. Archonte Diphilo Vrbis cond. 311. M. Geganio Macerino II. & T. Quintio Capitolino V. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 441.

I. Censura instituitur. HOc quoq; anno, & sequenti fere solas res habemus Romanorum. Hic autem 311. ab Vrb. Cond. Censuræ initio illustratur. *Censura*, inquit Liuius, *res à parua origine orta, tanto deinde incremento aucta est, vt morum disciplinaque Romana penes eam regimen, Senatus, Equitumq; centuriæ, decoris dedecorisq; discrimen sub ditione eius magistratus; publicorum ius, priuatorumque locorum, & vectigalia populi Romani sub nutu, atque arbitrio essent.* Huius magistratus creandi caussa fuit, quod Coss. Senatum docuissent cum alia multa, propter continuas Consulum expeditiones, neglecta esse, tum illud institutum summæ necessarium, de fortunarum censu, è quo & numerus eorum, qui militari ætate essent, cognoscebatur, & opum magnitudo pro cuius ratione vnumquemq; ad bellicos sumptus contribuere oportebat. Nam nullum censum intra septemdecim annos actum esse à Consulatu L. Cornelij, & Q. Fabij, vt ait Dionysius; Consules fuerunt anno V. C. 295. à quo hic numeratur 17. computatis extremis.

II. Omnium eius fasces creantur. VISVM est Senatui rem operosam, & minime Consularem proprio magistratu egere, cui scribarum ministerium, custodia, curaque tabularum, & arbitrium formulæ censendi, subijceretur. Id facile toti Reip. persuasum est. Nam Patres libenter consenserunt, vt patricij magistratus, licet in re parua, multiplicarentur, rati ea personarum dignitate, etiam officio dignitatem accessuram, tantoque ordinem suum robustiorem fore. Tribuni autem rei necessitatem intuiti, & procurationem minime speciosam, minime obstitere. Cumq; à primoribus ciuitatis spretus honor esset, Papirium & Sempronium, quorum magistratus integer superiore anno non fuerat, populus censui agendo præfecit, vnde & Censores ab re appellati, vt scribit Liuius l. 4. Ex quo minime dubitem locum apud M. Tullium vocis vnius traiectione corruptum emendare. *Fuerant*, inquit, *a patricij minorum gentium, quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui Consul cum L. Sempronio Atratino fuit, cum antea censor cum eodem fuisset, annis post Romam conditam 312.* Vtique legendum, *qui censor cum L. Sempronio Atratino fuit, cum antea Consul cum eodem fuisset* prius enim Collegæ fuerunt in Consulatu, quam in Censura, vt ex T. Liuio clarum est. Quod postea vidi à Manutio, & Stephano Pighio animaduersum.

Primi censores. a l. 9. epist. fa. ep. 21.

III. Res turbulenta apud Ardeates. HOC anno qui Consules circa dimidium Decembris magistratum inierunt, vt est apud Diony. Geganius Consul apud Ardeates, contra Volscos rem præclare gessit. Nam apud Ardeates, propter vnius è plebe puellæ nuptias, quas duo iuuenes, nobilis alter, alter plebeius ambiebant, orta liserat, & illi virginis tutores, illi mater fauebant: mulierum quippe ambitiosum est genus fulgoris magis quam vtilitatis amans, pro qua etiam iudex pronunciarat; cumq; eam ob caussam ita tumultuatum esset, vt non solum ad arma, cædesq; ventum esset, ciuitate bipertito diuisa, sed post atrox prælium inter nobiles & plebeios, plebs vrbe pulsa, in agros villasq; optimatum ferro igniq; sæuiret, oppidum etiam obsidere pararet, vt maiorem incendio patria deflagraret, optimates Romanos ad auxilium vrbis obsessæ, plebs ad expugnandam secum Ardeam Volscos exciuere. Priores Volsci duce Æquo Cluilio Ardeam venerunt, & mœnibus hostium vallum obiecere.

IV. A Romanis componitur. Volsci victi sub iugum mittuntur. Quod vbi Romam est nunciatum, extemplo M. Geganius Consul cum exercitu profectus, obsidentes Volscos nec opinato circumuallauit, eosq; commeatu destitutos, & ad pugnam desperata pace progressos, cum ne fugere quidem possent, omni ea parte cecidit. Qui mox ad preces à certamine versi, dedito imperatore, traditisq; armis sub iugum missi, cum singulis vestimentis, ignominiæ cladisque pleni, dimittuntur: & cum haud procul vrbe Thusculo consedissent, vetere Thusculanorum odio, inermes oppressi dederunt pœnas, vix nuncijs cædis relictis. Consul Ardeæ turbatas seditione res composuit, eius autoribus securi percussis, & triumphans in vrbem redijt, Cluilio Volscorum duce ante currum ducto, prælatisque spolijs, quib⁹ dearmatum exercitum hostium, sub iugum miserat.

V. Quintij Capitolini gloria. QVINTIVS autem togatus Consul, armati Collegæ gloriam æquauit, summa autoritate, & prudentia, vt eum & patres seuerum Consulem, & plebs satis comem crediderint, & aduersus Tribunos autoritate plura quam certamine renuit. Quinq; enim Consulatus magna cum laude gesti, & honestissima totius vitæ ratio summam illi venerationem apud omnes conciliabant. Itaq; Tribunorum militarium nulla mentio his Consulibus fuit. Tantum valet, etiam apud homines rudes atq; turbulentos, opinio probitatis. Quod maxime in quarto eiusdem Consulatu intellectum est, si quis eius apud Dion. orationem legat.

ANNVS MVNDI 3613. SEXTÆ ÆTATIS 97. Nehemiæ Ducis 5. Imperii Pers. 97. Artaxerxis 24. Eliasib 24. Olympiadis LXXXIV. An. 4. Archonte Timocle. vrbis cond. 312. Coss. M. Fabio Vibulano, Posthumio Ebucio Cornicine.

ANNVS ANTE CHRISTVM 440.

I. Colonia ... deducta. QVIETÆ fuerunt etiam hoc anno res in Iudæa in Perside, in Græcia, ne Romæ quidem quidquam turbatum fuit. Fabius & Ebutius Consules, vt delerent ex animis hominum infamiam iudicij de agro Ardeatino, S C. fecerunt, vt quoniam ciuitas Ardeatium intestino tumultu redacta esset ad paucos, coloni eo præsidij caussa aduersus Volscos scriberentur. Hæc caussa palam in tabulas relata est, vt plebem tribunosq; falleret, iudicij rescindendi consilium initum fuisse. Consenserant autem vt multo maior pars Rutulorum colonorum esset quam Romanorum; nec ager vllus diuideretur, nisi is, qui iudicio infami interceptus fuerat: nec vlli Romano ibi agri gleba assignaretur prius, quam omnibus Rutulis diuisus esset: Sic ager ad Ardeates redijt.

II. Non sine Triumuirorum incommodo. CÆTERVM Triumuiri coloniæ deducendæ, agriq; diuidendi gratia creati sunt Agrippa Menenius, T. Clœlius Siculus, M. Ebutius Helua; qui minime populari ministerio in plebis offensionem inciderunt, agro scilicet assignando socijs, quem populus Romanus suum esse iudicasset. Quin ne primoribus quidem patrum satis accepti erant, quod nihil gratiæ cuiusquam dederant. Iamque eis à tribunis ad populum dies dicta fuerat. Itaq; colonis ascripti, remanendo in Colonia, quam testem integritatis iustitiæq; habebant, vexationes vitauere.

* * † * *

ANNVS MVNDI 3614. SEXTÆ ÆTATIS 98. Nehemiæ 6. Artaxerxis 25. Imperij Persarum 98. Eliasib Pontif. 25. Olympiadis XXCV. 1. Prætore Myrichide. Vrbis cond. 313. Coss. C. Furio Pacilio & M. Papirio Crasso.

ANNVS ANTE CHRISTVM 439.

I. *Ratio temporis belli Samij.* SEXTO anno à tricennali fœdere, quo Crison Himeræus tertiam in stadio Olympico palmam tulit: & Myrichides Athenis Prætor fuit, vt Diodorus testatur, bellum inter Samios & Milesios pro Priene est excitatum, vt scribit Thucyd. l. 1. Diodorus autem vno anno bellum hoc anteuertit, vult enim incidisse in annum vltimum Olymp. præcedentis. Verum ei consentire non possumus, licet consentiat Olympionicarum contextor, alijque sectarij, nisi à Thucydide dissentiamus, quem longe fidelissimum, & Diodoro multis partibus accuratiorem experimur, & plerique omnes, etiam Dionys. Halycarn. qui eius historiam seuerissimo iudicio examinauit, fatentur eum studiosissimum veritatis, proque ea retinenda plurimum laborasse, nihil addidisse rebus, quod iustum non esset, nihil detraxisse, nihil ad suam libidinem scripsisse. Nisi autem hunc sextum annum dicamus, primus belli Peloponnesiaci non poterit incidere in decimum quintum, quod Thucyd. initio l. 2. affirmat; ideoque etiam ipse Diodorus sibi consentiens in annum decimum sextum eius belli initium refert. Hæc de tempore.

II. *Eius origo, & causa.* QVOD ad rem ipsam attinet. Causam belli huius ait Thucydides fuisse Prienem: vrbs ea fuit propinqua Mileto, quam occupare volebant Milesij, vt scribit ibi scholiastes. At Ptolemæus in Ionia eam ponit, in continente iuxta Ephesum, pari fere à Samo & Mileto interuallo. Cum ergo pro ea vrbe Samij & Milesij in armis essent, iamque victores facti fuissent Samij, Aspasia mulier Milesia Periclem, qui omnia Athenis poterat, & quem illa possidebat precibus adduxit, vt eius opera Athenienses iuberent Samios à bello quiescere, & apud se de controuersia disceptare: quod illi recusarunt, vt ait Plutarchus in Pericle; cumque Samij viderent Athenienses Milesiorum partes fouere, ab illis desciuerunt, inquit Diodorus. Thucyd. vero ait Milesios cum armis essent inferiores, ad Athenienses profectos multa de Samiis conquestos fuisse. Quin & Samios nonnullos rerum nouarum cupidos, qui & statum Reip. immutare cupiebant, Milesiis fauisse.

III. *Pericles ab Atheniensibus committitur.* BELLVM ergo contra Samios fabricatus est Pericles mulieris suasu, cuius affectibus intempestiuus amor patriæ imperabat. Eum ad hoc bellum conficiendum Athenienses imperatorem creatunt, attributa ipsi quadraginta triremium classe. Cum his copijs Samum profectus, non magno negotio Samiorum vrbem in potestatem redegit, & populare regimen in ea instituit, quod vt stabile foret, obsides accepit quinquaginta viros, totidemque pueros, quos in Lemno deposuit, præsidioque in Samo relicto discessit. Ita Thucyd. & Plutarchus, qui addit esse qui tradant obsides omnes singula talenta in capita ei ad se redimendum obtulisse; multa insuper eos, qui à populari gubernatione abhorrebant. Pissuthnem etiam Persam, qui tum Sardibus præerat, & Samiorum studiosus erat, ad veniam his impetrandam misisse Pericli decem millia aureorum; ex quibus tamen ille nihil acceperit, sed translata ad populum summa potestate, Athenas retto classe abierit.

A quo Samij subiugantur. Quibus non plane consentit Diodorus, qui ait Periclem Samiis imposuisse mulctam octoginta talentum (puta pro rependendis classis suæ sumptibus,) & totidem pueros obsides ab illis acceptos, Lemniorum fideicommisisse, totoq; negotio intra paucos dies feliciter expedito, Athenas remigrasse.

IV. *Eius bellum redintegrant.* AFFLIXERANT Samios Athenienses, sed non sanauerant. Itaque facile post eorum discessum, cum maioribus incrementis redintegratus est morbus. Nam quidam ex Samiis, qui in continentem fugerant, eo quod dominatum popularem ferre non possent, cum potentissimis qui busque ciuibus, qui in Samio degebant, pro restituenda optimatum gubernatione conspiratunt. & cum Pissuthne Hystaspis filio, aut nepote qui tunc Sardibus præerat, inita societate, collectisque septingentis ferme auxiliariis militibus, in Samum sub noctem traiecerunt; & quoniam non dubitabant Athenienses non quieturos, auxilia etiam ex Phœnicia implorarunt, erant enim Phœnices naualium certaminum scientissimi. Ita fere Thucyd. addit Diodorus, Persam illum præfectum, hoc Asianorum militum præsidium libenter dedisse, eo quod speraret hoc pacto Samum in suam ditionem esse venturam.

SAMVM ingressi primum quidem factionem popularem aggressi sunt, & maximam eius partem in suam potestatem redegerunt, (Diodorus ait eos aduersam sibi factionem eiecisse.) Deinde vero, suis obsidibus ex Lemno surreptis, defecerunt. & Atheniensium præsidium, & præfectos, quos penes se habebant, Pissuthnæ tradiderunt. Expeditionem etiam contra Milesios statim parant, cum illis autem & Byzantij deficiunt. Nec plura hoc anno gesta alterutra ex parte videntur, nisi quod nuncijs his de rebus Athenas perlatis, expeditio contra Samios in proximum vernum tempus decreta, & præparata sit. Nam quæ hactenus diximus, si quis attendat, haud dubiè fatebitur ea tempus annuum facile expleuisse, vt ex sequenti anno clarius agnoscetur. Etsi Diodorus in eundem annum cuncta coniecerit. V. *Eorundem victoria.*

ROMÆ autem hoc anno ludi à decemuiris per secessionem plebis à patribus ex SC. voti, facti sunt. Petilius Tribunus plebis seditionum causas nequidquam quæsiuit; ludibrioque fuerunt minæ eius, denunciantis se delectum impediturum; cum quietis finitimis, neque bello, neque belli apparatu opus esset: & cum magno certamine obtinuisset vt consulerentur Patres, Consulum, an Tribunorum placeret haberi comitia, Consules creati iussi sunt. VI. *Votiui ludi Romæ.*

ANNVS MVNDI 3615. SEXTAE AETATIS 99. Nehemiæ Ducis 7. Imperij Pers. 99. Artaxerxis 26. Eliasib 26. Olympiadis LXXXV. an. 2. Archonte Glaucide. Vrbis cond. 314. Proculo Geganio Macerino, & L. Menenio Lanato Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 438.

BELLVM contra Samios hoc anno, magno eorum malo, ab Atheniensibus restauratum, atque confectum. I. *Athenienses bello Samiis incumbunt.* est. Cognita enim defectione Samiorum, Athenienses classem sexaginta nauium instruxerunt, eique Periclem cum nouem collegis præfecerunt. Verum non cum tota hac classe pugnatum est. Sexdecim enim partim in Cariam iuerunt, vt Phœnicum naues, quæ contra ipsos in subsidium Samiorum venire dicebantur, specularentur; partim etiam Chium & Lesbum petierunt, vt auxilia inde euocarent. Itaque cum quatuor & quadraginta nauibus, contra septuaginta Samiorum naues certare non dubitarunt; in quarum numero erant viginti quæ milites vehebant, vt ait Thucyd. Plutarchus armatas vocat. Omnes autem Mileto veniebant, quò statim à defectione expeditionem suscepisse diximus; indeq; audito Atheniensium aduentu, re, vt videtur, infecta reuersi sunt. II. *Nauaique prælio vincunt.*

PVGNA commissa est, tanto maioribus vtrimque animis, quo & alij pro gloria sua, alij pro salute & libertate, vtrique magna scientia & apparatu pugnabant: ad insulam Tragiam Samo vicinam pugna commissa est, victoria Atheniensibus cessit; Plutarchus in Pericle ex Aristotele refert, ipsum etiam Periclem prius nauali prælio superatum; à Melisso nauarcho Samio Ithagenis philosophiæ dedito; quod vt verum esset, victoria tamen penes Athenienses denique stetit. Res autem cum Melisso posterius paulo gesta est. Athenienses victos insecuti, portum occuparunt, vrbemque obsederunt: quæ ne tum quidem animis fracta, eruptione è muris facta, victores suos præliis fatigare ausa est. Verum classe 40. nauium Athenis superuenientе, & Chiorum, ac Lesbiorum viginti quinq; excensi è nauibus

uibus, in ieriam facto, pugna effecti pedestri victores vrbem tribus munitionibus, simul etiam à mari obsederunt.

III. Ita obsessis, atque conclusis hostibus, audiuit Pericles Phœnicias naues in cursu esse, quæ Samiis suppetias ferebant. Itaque sumptis sexaginta nauibus, ex iis quæ erant in statione, Caunum versus, & in Cariam quam celerrime contendit, quo iam Stesagoram cum quinque nauibus præmiserat. Interea vero Samij, repentina eruptione facta, duce Melisso Philosopho Samiorum prætore, vt ait Plutarch. castraque nullis munitionibus septa aggressi, naues quæ pro castris manebant, in statione profligarunt, & cæteras, quæ contra se in aciem eductæ fuerant, prælio nauali superarunt, multis eorum nauibus depressis, multisq; hominibus captis. Itaque mare finibus suis proximum, per quatuordecim ferme dies, in sua potestate tenuerunt; & quæcunque voluerunt in vrbem importarunt, & inde alio exportarunt.

Captiuorum autem Atheniensium ait Plutarch. Samij reddita contumelia, frontem inscripserunt noctua, vt ipsorum frontem antea Athenienses Samæna, quæ nauis cuiusdam genus est in Samo primum visæ, inusserant. Ex quo & literati Samij ab Aristophane dicti apud eundem.

IV. At Pericles nunciata exercitus clade, tulit propere subsidium, ac Melisso acie fuso fugatoque, hostes confestim muro circumuallauit, sumptu & diuturnitate potius, quam vulneribus & periculis ciuium vincere, & subiugare oppidum studens: ex quo etiam intelligi potest bellum Samium ad hunc quoque annum pertinere ad quem etiam nouem mensium obsidio refertur, de qua mox. Interea & aliæ 60. naues cum Thucydide, aliisque principibus viris Athenis, suis subsidio venerunt, ex Chio etiam, & Lesbo triginta. Cumque Athenienses moræ pertæsos, ac pugnandi cupidos non facile esset reprimere, Pericles in octo partes copiis distributis Sortem duxit, cui obuenisset alba faba, huic epulari, feriarique, dum reliqui pugnarent permittebat: vnde albam diem, qua quis genio indulsit, aiunt ab alba faba nominari. Ita Plutarch. Machinas etiam bellicas primus omnium ducum, inquit Diodorus, qui ad hæc vsque tempora inclaruissent, instruxit, arietes videlicet, & testudines vt vocant, Artemone Clazomenio ingeniosam hic illi operam nauante: & quia summis oppugnationi viribus instabat, mœnibus impulsu machinarum deiectis, factum est vt Samos in eius potestatem veniret. Huius Artemonis mechanici meminit Plutarchus, eumque Periphoretum dictum ait, quod cum claudus esset, lectica circumferretur. Idem quod Diodorus de Pericle machinis primum vsu opera Artemonis, scripsit Ephorus, apud Plutarchum: quod apud eundem confutat Heraclides Ponticus, versibus Anacreontis; in quibus multo ante hanc ætatem, & bellum Samium, Artemonis Periphoreti fit mentio.

V. Samii autem cum diutius hosti resistere non possent, nono obsidionis mense expugnati sunt, & Atheniensibus sese his conditionibus dediderunt, vt vrbis muros demolirentur, obsides darent, naues traderent, & pecunias, quæ in bellum fuerant impensæ, certis statisque temporibus persoluerent, prout ipsis fuerat imperatum. Ita Thucyd. Eam pecuniæ summam Diodorus ait fuisse ducentorum talentorum, democratiaque restituta Periclem in patriam remeasse. Vbi magna cum gloria exceptus ab omnibus, etiam gloriatus est se Agamemnonem superasse, qui barbaram vrbem decem annis, ipse vero Ioniæ vrbem opulentissimam nouem mensibus subiugasset. Cum ergo ipsa obsidio nouem menses tenuerit, satis apparet reliquum anni tempus vix tot expeditionibus, nauigationibus, præliis sufficisse; nedum credibile sit, etiam quæ superiore anno de hoc bello diximus, in vnum eundemque annum esse compingenda; quod non recte vt arbitror credidit Diodorus. Byzantij quoque qui cum Samiis defecerant, eorundem exemplo cum Atheniensibus reconciliati sunt, ea conditione vt illorum imperio sicut antea parerent.

VI. De Romanis autem huius anni rebus, ita Liuius l. 4. *Sequitur hanc tranquillitatem rerum, annus multiplici clade, ac periculo insignis, seditionibus, fame, regno prope, per largitionis dulcedinem, in ceruices accepto. Vnum abfuit bellum externum; quo si aggrauatæ res essent, vix ope Deorum omnium resisti potuisset.* Tantum ipse præsidij posuit in diis suis. Mala cœpisse ait à fame, siue anno auerso à frugibus, siue deserto per desidiam agrorum cultu; eoque processit malum, vt multi ex plebe, inopiæ leuandæ spe amissa, potius quam vt cruciarentur trahendo animam, capitibus obuolutis se in Tiberim præcipites darent.

VII. Tum Sp. Melius ex equestri ordine, vt illis temporibus prædiues, rem vtilem pessimo exemplo, peiore consilio est aggressus; frumento namque ex Hetruria priuata pecunia, per hospitum, clientiumque ministeria coëmpto, largitiones frumenti facere instituit, plebemque delinitam ad se trahere: fastu maiore & apparatu, quam priuatum hominem deceret. Et quoniam Consulatum vel inuitis patribus, se obtinere posse non dubitabat, etiam ad vlteriora, atque ipsum regnum aspirare cœpit. Sed iam comitia Consularia instabant, quæ res, necdum compositis, maturisve satis consiliis, hominem oppressit: præsertim cùm, summo Reip. bono, T. Quintius Capitolinus iam sextum ad Consulatum euectus esset, vt proximo anno dicemus.

ANNVS MVNDI 3616. SEXTÆ ÆTATIS 100. Nehemiæ ducis 8. Imperij Pers. 100. Artaxerxis & Eliasib Pontif. 27. Olympiadis XXCV. an. 3. Archonte Theodoro. Vrbis cond. 315. Coss. T. Quintio Capitolino VI. & Agrippa Menenio Lanato.

ANNVS ANTE CHRISTVM 437.

I. Confecto bello Samio exortum est Corinthiacum, Corcyræos inter & Corinthios, quod magnum ipsum ac diuturnum per se se, in longe maius atque diuturnius, quod dictum est Peloponnesiacum tandem terminatum est, quodque illi causam dedisse scribit Thucydides. a Diodorus Corinthiacum bellum anno vno citius inchoat, anno videlicet secundo Olympiadis 85. Atheniis Prætore Glaucide, quem sequitur Sigonius, in libello de temporibus Atheniensium. Alij hoc anno malunt, quam putamus Thucydidis esse sententiam; etsi annos ille non perspicue vbique digesserit, qui alioqui hanc historiam accurate persecutus est. a l. 1. p. 17. gr. lat.

II. Belli materiam præbuit Epidamnus Illyrij ciuitas, quæ postea Dyrrhachium dicta est, quæ cum alias intestinis seditionibus laborasset, etiam hoc tempore, plebe furente, potentissimos quosque ciues eiecit. At illi cum inde discessissent, cum Taulantiis barbaris, ad quos se receperant, eos qui in vrbe erant terra marique prædabantur. Itaque Epidamnij Corcyram, vt ad coloniæ suæ matrem, legatos mittunt, orantes ne se perdi sinerent, sed & profugos sibi reconciliarent, & barbarorum bellum finirent. Sed ab iis neglecti, etiam oraculi Delphici monitu, Corinthiis, vt coloniæ suæ etiam ipsi conditoribus sese dedunt, opemque postulant. Corinthij tum causæ æquitate, tum odio in superbiam Corcyræorum permoti, eos in fidem suam ac clientelam receperunt, & auxilia miserunt, etiam potestate facta omnibus, qui illuc se habitandi causa conferre voluissent.

III. Corcyræi vero vbi nouos colonos, & præsidia militaria Epidamnum peruenisse, Coloniamque Corinthiis deditam intellexerunt, iniquo animo tulerunt; statimque eo cum 25. nauibus profecti, Epidamniis superbè, ac contumeliosè imperarunt, vt exules reciperent. Nam Epidamnij exules Corcyram venerant, orantes vt se in patriam reducerent, & præsidia quæ Corinthij miserant, & nouos colonos remitterent. Cumque Epidamnij imperata non facerent, Corcyræi cum infesto 40. nauium exercitu, (Diodorus exercitum decem nauibus auget) & exulibus, vt in patriam eos reducturi, atque Illyriis ad belli societatem assumptis, bellum illis intulerunt. Vrbem autem obsidentes publicè denunciarunt, vt de Epidamniis, qui vellent, & peregrini impune abirent, alioqui vt hostea

stes tractatum iri. Sed Epidamnij in sententia persistentes, Corinthios de obsidione sua docuerunt, qui exercitum ad eorum auxilium parare cœperunt. Nec plura primus huius belli annus, etiam apud Diodorum continet.

Qui ad Consulatum iterum ... (margin note)

IV. Spurius Melius ad tyrannidem aspirat.

DIVINA porro prouidentia Romanam libertatem protegente factum est, vt T. Quintius Capitolinus sextū Consul crearetur, vtr Spurij Melij conatibus minime opportunus, cum Collega Agrippa Menenio. Factus est etiam, aut refectus præfectus annonæ, idem qui anno superiore L. Minucius. Qui eandem Reip. curationem agens, quam Melius priuatim agendam susceperat, cum in vtraque domo genus idem hominum versaretur, ad Senatum refert rem in domum Melij conferri, domique regni consilia illum haud dubie agitare, tempus agendæ rei nondum stare, cætera iam conuenisse; Tribunos mercede emptos ad prodendam libertatem, & partita ducibus multitudinis ministeria esse.

V. Dictator Lucius Cincinnatus.

QVÆ postquam sunt audita, affirmante T. Quintio Consule non esse in Consulibus tantum virium, vt rem expedire possent, & propter leges de prouocatione, opus esse non solum forti viro, sed etiam legibus soluto; itaque se L. Quintium Cincinnatum Dictatorem esse dicturum, quod etiam approbantibus omnibus, præter vnum Quintium, qui eligebatur, statim factum est. Is tum in Senatu octogenarius aderat, vt ex Siculo patet, nec admodum est probabile, eum tam grandem natu in agro arare potuisse, licet Cicero in Catone dicat ei in agro aranti nunciatum ipsum Dictatorem esse factum, eiusq; iussu Seruilium Halam occidisse Melium. Verum lapsus videtur memoria Tullius, & hanc posteriorem Dictaturam cum priore miscuisse: quod notauit etiam Carolus Sigonius in fastis. Ergo nouus Dictator mox C. Seruilium Halam Magistrum equitum dixit.

VI. Ad se citatum Melium.

POSTERO die, dispositis per vrbem præsidiis, cum in forum descendisset, conuersaque in eum plebs nouitate rei, ac miraculo esset; & Meliani, atque ipse dux eorum in se intentam vim tanti imperij cernerent. Missus à Dictatore Seruilius ad Melium, *vocat te*, inquit, *Dictator*. Cum pauidus ille quid vellet quæreret, Seruiliusque causam dicendam esse nunciaret, crimenque à Minucio delatum ad Senatum esse diluendum. Tunc Melius recipere se in cateruam suorum, & primum circunspectans tergiuersari. Postremo cum Apparitor iussu Magistri equitum eum duceret, ereptus à circumstantibus, fugiensque fidem plebis Romanæ implorare, cui dum studuisset benigne facere, patrum inuidia opprimeretur, orare vt opem sibi in vltimo discrimine ferrent, neve ante oculos suos trucidari sinerent.

Et in tergiuersatione occiditur.

VII. Factum Dictator probat.

HÆc eum vociferantem assecutus Hala Seruilius obtruncat, respersusque cruore obtruncati stipatus caterua patriciorum iuuenum, Dictatori renunciat, vocatum ad eum Melium, repulso apparitore concitantem multitudinem, pœnam meritam habere. Tum Dictator, *Macte virtute*, inquit, *C. Seruili esto, liberata Republica*. Tumultuantem deinde multitudinem incerta existimatione facti, ad concionem vocari iussit: & Melium iure cæsum pronunciauit, etiam si obiecti criminis insons esset, qui vocatus à Magistro equitum, ad Dictatorem non venisset, & vim parantem vi coërcitum fuisse. Nec satis meditatum tyrannidis facinus expiatum esse Melij sanguine, nisi tecta, parietesque intra quæ tantum amentiæ conceptum esset, dissiparentur; bonaq; contacta preciis regni mercandi publicarentur. Iubere itaque Quæstores vendere ea bona, atque in publicum redigere. Domum deinde, vt area monumento esset oppressæ nefariæ spei, dirui extemplo iussit, id Aequimelium appellatum est. L. Minucius boue aurato, aut statua potius, vt Plinio placet, extra portam trigeminam donatus est; ne plebe quidem inuita, quia frumentum Melianum assibus in modios æstimatum plebi diuisit.

Domus eius euertitur, bona publicantur.

Accusator honoratur.

†

ANNVS MVNDI 3617. SEXTÆ AETATIS 101. Nehemiæ Ducis 9. Imper. Persici 101. Artax. & Eliasibi Pont. 28. Ol. LXXXV. an. 4. Archonte Euthymene V. C. 316. Tribb. militarib. L. Quintio Concinnati fil. AEmilio & L. Iulio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 436.

I. Legati Corcyræorum ad Corinthios.

OBSIDEBANT Epidamnum Corcyræi, Corinthiis exercitum parantibus, vt Epidamnios liberarent: futurus erat exercitus sexaginta, & aliquot nauium, ex diuersis populis collectus. Quem apparatum Corcyræi audientes, profecti cum Lacedæmoniis, Sicyoniisque legatis, quos sibi adiunxerant, iusserunt Corinthios præsidia, & nouos colonos Epidamno deducere, vt ex vrbe, quæ ad eos nihil pertineret. Quod si eam sibi vendicare vellent, in Peloponneso, apud eas ciuitates, de quibus inter vtrosque conuenisset, volebant iure disceptare, vtris autem Colonia fuisset adiudicata, eos illa potituros. At Corinthij ipsis responderunt; si naues & Barbaros ab Epidamno abducerent, se consultaturos. Nam ante negabant conuenire, vt illi obsiderentur, interim dum hi iudicio contenderent. Institerunt Corcyræi, paratosque ad id se obtulerunt, si & ipsi Corinthij etiam interea dum lis dirimeretur, illos abducerent, quos in Epidamnum præsidij causa immiserant.

II. Corinthij classem mittunt Epidamnum.

CORINTHII eam conditionem respuunt, sed nauibus ad bellū paratis, caduceatorem præmittunt, qui Corcyræis prius bellum indiceret: Ipsique portu soluentes, cum septuaginta & quinque nauibus, & duobus millibus grauis armaturæ militum, Epidamnum versus nauigauerunt, bellum Corcyræis illaturi. Et cum ad Actium promontorium, ad fauces sinus Ambracij peruenissent, Corcyræi caduceatorem ad eos mittunt, qui vetaret illos contra se nauigare. Cum autem is nihil pacatum à Corinthiis renunciaret, & iam octoginta naues instructas rebus necessariis haberent, quarum 40. Epidamnum obsidebant, obuiam hosti processerunt. Et acie instructa naualem pugnam commiserunt.

III. A Corcyræis nauali prœlio vincuntur, Epidamnus ad deditionem cogitur.

IN ea Corcyræi longè superiores fuerunt, & quindecim Corinthiorum naues profligarunt. Eodem autem die contigit, vt & illi qui Epidamnum obsidebant, eam ad deditionem adigerent, ea conditione vt peregrinos venderent, Corinthios in vinculis seruarent, donec statuerent victores, quid de iis fieri placeret. Post hoc nauale prælium Corcyræi cum trophæum in Leucimna Corcyræ promontorio statuissent, cæteros captiuos interfecerunt, Corinthios in vinculis conseruauerunt, reliqui victi cum sociis domum reuersi, Corcyræis imperium maris illis in locis reliquerunt, qui varia Corinthiorum loca peruagati, aliorum agros vastarunt, aliorum naualia incenderunt, sicque reliquus ille annus transactus est.

IV. Motus Romæ ob Melij cædem.

CÆSO Sp. Melio, Tribuni plebis, turbarum magis quam concordiæ amantes, non destiterunt nunc Seruilium, nunc Minutium apud plebem criminari, querique indignam Melii necem, qui indicta causa, & indemnatus esset occisus, & mortem ab inimicis plebis, pro sua in egenam plebem misericordia, retulisset. Peruicerunt igitur, vt huius anni comitiis Tribunorum militum potius, quam Consulum comitia haberentur, haud dubii quin sex electis, tot enim iam creare licebat, etiam plebei aliqui crearentur, qui se Melianæ cædis profiterentur vltores. Plebs tamen quanquam multis, ac variis superiore anno motibus agitata, non plures quam tres Tribunos consulari potestate creauit, M. Æmilium Mamercum virum summæ dignitatis, L. Quintium Cincinnati filium, ex cuius Dictaturæ inuidia tumultus quærebatur, qui L. Iulium tertium creant.

Tribuni militares creantur.

V. Defectio Fidenatium.

IN horum magistratu Fidenæ, colonia populi Romani, ad Lartem Tolumnium Veientium regem, ac Veientes defecere, Eusebius Pontaci biennio citius Fidenatium defectionem ponit: hic tamen fatetur aliquot exemplaria eam in annum 28. Artaxerxis referre, quæ est omnino

mens

Legati Romani occiduntur.

mens Liuij, vt patet ex 310. anno V. C. à quo hic decimus sextus, non decimus quintus, vt vult Plutarchus, numeratur. Fidenæ hoc facinus iam Tullo Hostilio rege edoctæ, nunc maius addidere defectioni scelus; quatuor enim legatos Romanos, causam nouæ defectionis quærentes, iussu Tolumnij interfecere. Leuant quidam Regis facinus, quod dicant eum in prospero tesserarum iactu, vocem ambiguam emisisse, quæ à Fidenatibus, cum hac de re consulentibus excepta sit, tanquam iubentis cædē. Quod Liuius merito improbat, quod incredibile sit in tanta re, quæ ius gentium ruptura esset, non auertisse tantisper regem animum à ludo; neque deinde patratum facinus exhorruisse. Itaque credibilius esse voluisse regem Fidenatibus spem omnem præcidere reconciliationis cum Romanis, tanto contra eos scelere perpetrato: vt quondam Achitophel autor fuit Absaloni, vt decem Dauidis concubinas in totius populi conspectu violaret, vt is sibi persuaderet amicitiam paternam cum filio penitus desperandam esse. Legatorum statuæ, qui Fidenis cæsi sunt, in Rostris collocatæ fuerunt, indeque bellum contra Veientes, & Fidenates præparatum, quod proximo anno gestum est.

ANNVS MVNDI 3618. SEXTÆ ÆTATIS 102. Nehem. 10. Imp. Persar. 102. Artaxer. Longim. & Eliasib. Pontificis 29. Olympiadis XXCVI. an. 1. Archonte Nausimacho V. C. 317. Coss. M. Geganio Macerino III. & L. Sergio Fidenate.

ANNVS ANTE CHRISTVM 435.

I. *Olymp. 86. Ortus Isocrates.*

NATVS est hoc anno, quo Theopompus Thessalus in Olympico stadio victor fuit, clarissimus Rhetor Isocrates, quinquennio ante bellum Peloponnesiacum, Prætore Athenis Lysimacho, vt scribit Dionysius Halicarnassæus de antiquis Oratoribus. At Diodorus Siculus eum Nausimachum vocat, hoc ipso primo anno Olymp. 86. Lysimachum etiam vocat Plutarchus in opusc. de vita 10. oratorum, vbi etiam ait Platonem fuisse annis 7. Lysia posteriorē 22. aut potius 16. 603. ad 618. Eusebius in Chronico hac ipsa Olympiade claruisse ait Democritum Abderitem Physicum philosophum, siue vt alii volunt Milesium, Empedoclem item Agrigentinum, Hippocratem Coum medicum, Gorgiam & Prodicum. Zenonem quoque, atque Parmenidem. Quod ipsum notauit Cyrillus Alexādrinus l. 1. contra Iulianum. Laertius Empedoclem ait floruisse Olympiade 84. sicut & Parmenidem. Nihil vetat vtrumque verum dicere.

Democritus Abderites. Empedocles. Hippocrates Gorgias. Prodicus Zeno &c.

II. *Corinthiorū & Corcyræorum à bello quies.*

CORCIRÆI post nauale prælium fœliciter gestum, maxima eius anni parte, maris illius imperium tenuere, & Corinthiorum socios infesta classe nauigantes vexarunt; donec Corinthij æstate iam aduentante, nauibus, exercituque misso, cum ipsorum socij laborarent ad Actium castra posuerunt, vt & Leucadem, & cæteras ciuitates amicas suo præsidio tutarentur. Corcyræi vero in Leucimna Corcyræ promontorio, è regione hostium castra metati sunt: & neutri contra alteros nauigabant, sed statiua opposita habentes hyeme iam aduentante domum vtrique se receperunt, vt pluribus narrat Thucydides.

L. 1. p. 32. gr. lat.

III. *Noui Romæ consules.*

ROMÆ autem, quoniam atrox dimicatio instabat contra Veientes & Fidenates, plebe, tribunisque quiescentibus, nihil controuersiæ in creandis consulibus fuit. Iraque M. Geganius Macerinus tertium, & L. Sergius Fidennas à bello, credo quod deinde gessit appellatus, vt inquit Liuius, consules creati sunt. Sergius enim primus cis Anienem cum rege Veientium secundo prælio conflixit, nec incruentam victoriam retulit. Itaque cum maior ex ciuibus amissis dolor, quam lætitia fusis hostibus fuisset, Senatus, vt in trepidis rebus, Dictatorem dici Mamercum Æmilium iussit: Is Magistrum equitum L. Quintium Cincinnatum, dignum parente iuuenem dixit, qui nuper Tribunus militaris fuerat. Ad delectum à Coss. habitum, adiecti sunt veterani Centuriones, & suppleti, qui proxima pugna desiderati fuerant. Legatos Quintium Capitolinum, & M. Fabium Vibulanum sequi se Dictator iussit.

Et Dictator.

IV. *Apparatus ad pugnam in Veientes.*

CVM potestas maior, tum vir quoque potestati par, hostes ex agro Romano trans Anienem summouere: nec prius ad pugnam ausi progredi, donec Veientibus atque Fidenatibus Faliscorum legiones auxilio venere. Itaque detrectatio pugnæ Romanis animos auxit. In medium campum progressæ acies. Verum quoniam hostes multitudine abundabant, partem copiarum post montes latere iusserunt, quæ inter dimicationem castra Romana aggrederentur. Trium populorum exercitus ita instructus fuit, vt dextrum cornu Veientes, sinistrum Falisci, mediam aciem Fidenates tenerent. Dictator dextro cornu aduersus Faliscos, sinistro contra Veientes Quintius Capitolinus, signa intulit: ante mediam aciem cum equitatu Magister equitum processit. Fabius Vibulanus ad tutanda castra prouide relictus est, contra quę partem copiarum Tolumnius sub pugnam misit.

V. *Pugna initium à Romanis.*

PARVMPER silentium & quies fuit, nec Hetruscis nisi cogerentur, pugnam inituris. At Dictator equites clamore sublato in hostem emisit, secuta peditum acies ingenti vi conflixit, nec Hetruscæ legiones Romanorum impetum satis sustinebant. Equites maxime resistebant, equitumque longe fortissimus ipse Rex. Erat tum inter equites Tribunus militum A. Cornelius Cossus, qui cum ad impetum Tolumnij, quacunque se intendisset, Romanas turmas trepidantes videret, insignemque eum regio habitu, tota acie volitantem cognouisset. Hiccine est, inquit, ruptor fœderis humani, violat orque gentium iuris? statimque calcaribus subditis infesta cuspide in vnum fertur hostem; quem cum ictum equo deiecisset, confestim & ipse hasta innixus, se in pedes excipit, & assurgentem regem vmbone resupinat, repetitumque sæpius cuspide in terram affixit, tum exangui detracta spolia, caputque abscissum victor spiculo gerens, terrore cæsi regis hostes fundit.

Tolumnium Regem Cornelius Cossus interficit.

VI. *Indeque victoria exorta.*

ITAQVE equitum quoque fusa acies, quæ vna certamen anceps faciebat. Dictator fugatis legionibus instat, & ad castra compulsos cædit. Fabius quoque Vibulanus Castra non solum egregie defendit, sed ex ijs improuisus egrediens, plurimos concidit, reliquos in fugam dedit.

Et triumphus. Opima spolia templo affixa.

Omnibus locis re bene gesta, Dictator Senatusconsulto, iussuque populi triumphans in vrbem redijt. Longe maximum triumphi spectaculum fuit Cossus, quadrigis in vrbem inuectus, spolia opima Regis interfecti gerens, quæ in æde Iouis Feretrij, primus à Romulo, prope Romuli spolia, cum solenni dedicatione dono fixit. Dictator coronam auream libræ pondo ex publica pecunia, populi iussu in Capitolio Ioui donum posuit.

ANNVS MVNDI 3619. SEXTÆ AETATIS. 103. Nehemiæ Ducis 11. Imper. Persar. 103. Artax. & Eliasibi Pont. 30. Ol. XXCVI. an. 2. Archonte Antilochide, Vrbis Cond. 318. Coss. M. Cornelio Maluginense, & L. Papirio Crasso.

ANNVS ANTE CHRISTVM 434.

I. *Noui belli Corinthiaci apparatus.*

TOTO hoc anno post nauale prælium infeliciter à Corinthijs gestum, & insequenti qui nunc agitur, naues compegerunt Corinthij, & naualem expeditionem optime paratunt, remiges cum ex ipsa Peloponneso, tum ex reliqua Græcia cogentes, eosque mercede solicitantes.

Legati ad Athenienses vtrinque missi.

Corcyræi vero audito illorum apparatu timere cœperunt, quod cum nulla Græcarum ciuitatum fœdere coniuncti essent. Itaque visum est ipsis ad Athenienses proficisci, & societate cum illis contracta, aliquod ab ipsis auxilium impetrare. Quibus cognitis Corinthij legatos ipsi quoque Athenas miserunt, rogaturos ne præter Corcyræorum classem, ipsorum quoque classis hostibus adiuncta impediret, ne bellum suo arbitratu gererent. Longam vtrique Athenis orationem habuere, variis criminationibus aduersariorum, & suorum promissis plenam, quam fuse Thucydides perscripsit.

L. 1. p. 23. 24. & seq. gr. lat. p. 31.

An. 103. II. *Athenienses Corcyræis adhærent.*

ATHENIENSES vtrisque auditis, & concione bis coacta, in priore æque in vtramque partem propendere; In posteriore vero mutato consilio statuerunt nullam quidem belli societatem cum Corcyræis inire, neque pro eis aduersus Corinthios expeditionem suscipere, ne fœdera tricennalia cum Lacedæmoniis, eorumq; sociis inita violarent, sed subsidiariam duntaxat societatem fecerunt, vt alteri alterorum agro mutuam ferrent opem, si quis aduersus Corcyram, vel Athenas, vel eorum socios iret. Qua ratione Athenienses, quamuis dissimulanter, contra Peloponnesios tamen, quos afflictos optassent, vel sic bellum gerebant, neque pati volebant, vt Corcyra, quæ tantum classe valebat, in Corinthiorum potestatem veniret: sed eos quam maxime inter se collidere volebant, vt cum inualidioribus, si quid opus esset, & Corinthiis, & aliis, qui classem habebant, bellum capesserent: simul etiam hæc insula ad traiiciendum in Italiam & Siciliam opportuno loco sita videbatur.

III. *Auxiliaque submittunt.*

HOC igitur consilio Athenienses, qui quoquo modo ad totius Græciæ principatum aspirabant, Corcyræos receperunt, nec multo post Corinthiorum discessum decem naues illis auxilio miserunt, mandantes eorum ducibus ne quicquam contra Corinthios agerent, sed Corcyræos tantum defenderent, contra omnes qui eos inuaderent, ne scilicet fœdera frangerent. Illæ igitur naues Peloponnesum longo circuitu circumuectæ, in Corcyram peruenerunt. Scribit Plutarchus in Pericle, missas tantum decem naues, duce Cimonis filio, ex Periclis in eam familiam odio: cumq; propterea pessime audiret, quod exiguum quidem auxilium indigentibus præbuisset, magnam autem ansam lacerandi sui inuidis dedisset, alias deinde plures Corcyram misisse, quæ post pugnam venerint.

IV. *Comparantur ad prælium, & quæ vtrimque copiæ.*

CORINTHII vero postquam res omnes ad prælium necessariæ paratæ fuerunt, cum centum quinquaginta nauibus, quarum sexaginta sociorum erant, ipsorum vero Corinthiorum nonaginta aduersus Corcyram cursum direxerunt: & in agro Thresprotico, qui Corcyræ pene è regione est, castra posuerunt. Corcyræi vero cum centum & decem nauibus contra eos vela fecerunt, aderant & 10. Atticæ naues, & castra metati sunt in vna insularum, quæ Sybora vocantur. Ipsorum autem peditatus erat in Leucimna promontorio, & cum eo mille grauis armaturæ milites, quos Zacynthii auxilio ipsis miserant. Quid plura? venitur ad certamen, pugnatur acerrime, minore peritia quam voluntate: vbique magnus tumultus, & prælium valde turbulentum erat, in quo naues Atticæ, Corcyræis sicubi ab hoste premerentur præsto erant, metum quidem hostibus incutiebant, sed prælij initium, propter Atheniensium interdictum, non faciebant. *Pugnatur.*

V. *Varia vtrimque victoria.*

DEXTRVM cornu Corinthiorum, in quo erant Megarenses & Ambracienses, maxime laborabat, Corcyræi enim eos cum viginti nauibus in fugam verterant, & ad continentem vsque persecuti fuerant. At in sinistro, vbi erant ipsi Corinthii, longe superiores erant; quod viginti illæ Corcyrensium naues abessent in hoste persequendo occupatæ. Athenienses ergo cum Corcyræos premi viderent, iam minus dissimulanter opem tulerunt, & cum Corinthiis manus conseruerunt, nihilominus hac parte Corinthij victores effecti sunt. *Nouum Atheniensium auxilium.*

Cumque rursum ad Sybota, desertum Thesprotidis portum, vires suas collegissent, Corcyræos infesta classe petierunt; Corcyræi quoque vicissim, collectis quotquot potuerunt nauibus, vna cum Atticis ad eorum impetum excipiendum se compararunt, ne illi in Corcyram descenderent. Iam erat diei serum, clamorq; militaris ad concursum sublatus fuerat, cum Corinthij repente in puppim remigare ceperunt, viginti naues Atheniensium contra se nauigantes conspicati, veriti ne plures etiam adessent. Interea autem superueniente nocte vterque exercitus ad tuta se littora, portusque ex alto receperunt. Atticæ vero naues portum ad Leucimnam Corcyræ promontorium, non sine Corcyræorum metu receperunt.

VI. *Belli finis, sibi alterutrius populi victoria.*

POSTRIDIE vero triginta naues Atticæ, & Corcyræorum quotquot ad nauigandum erant idoneæ ad portum, in quo Corinthij stationem habebant, nauigarunt, eo animo vt cognoscerent an prælio nauali certare vellent. Illi vero nauibus à terra prouectis, & acie in alto instructa quiescebant: quia prælii initium facere nolebant: sed Atheniensium naues veriti, de recessu potius, si impune liceret, cogitabant. Cumque id sibi per Athenienses licere cognouerunt, erecto in Sybotis tropæo, quasi victoriæ monumentum, domum redière. Idemque à Corcyræis factum, vtrisque sibi victoriam attribuentibus, quæ potius neutrorum fuit. Sicque bellum Corcyrense cum Corinthiis terminatum est, illis Epidamno, quod ante volebant, potientibus. Quoniam vero Atheniensium opera effectum erat, vt Corinthii Corcyræos in suam potestatem redigere non potuissent, omnem iram suam in Athenienses effuderunt, vt proxime sequens docebit annus.

CORCYRÆI VINCVNT CORINTHIOS. *Corcyræi ... Corinthij Atheniensibus irascuntur.*

VII. *Romana res.*

HOC ipso anno Romani exercitus in agrum Veientem, & Faliscum ducti sunt, prædæ abactæ hominum pecorumque, hostisque in agris nusquam inuentus est, neque pugnandi copia facta. Vrbes tamen non oppugnatæ, quia pestilentia populum inuasit. In vrbe Melius quidam tribunus plebis Minutio diem dixit, quasi falsis criminibus Sp. Melium circumuenisset: rogationem etiam de publicandis bonis Seruilij Halæ dixit, quod indemnatum ciuem occidisset; sed omnes illius tribuni conatus contempti euanuere. Peste præsertim inualescente, cum prodigiis, ac terræ motibus, quibus tecta in agris ruere nunciabantur: proptereaque obsecratio à populo, decemuiris præeuntibus, facta est.

ANNVS MVNDI 3620. SEXTÆ ÆTAtis 104. Nehem. Ducis 12. Imp. Persar. 104 Artaxer. & Eliasib. Pontificis 31. Olympiadis XXCVI. an. 3. Archonte Charete, Vrbis Conditæ 319. C. Iulio II & L. Virginio Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 433.

I. *Corinthij de Atheniensibus vindictam expetunt.*

CORINTHII societatem Atheniensium cum Corcyræis, & victoriam illorum subsidio partam ægerrime ferebant; eoque ægrius quo certius agnoscebant sibi de Corcyræis vindictam esse desperandam, quamdiu Atheniensium præsidio niterentur. Itaque in eos concitati, vt aliquo modo de ipsis vltionem sumerent, coloniam illorum Potidæam ad defectionem ab illis impulere, vt ait Diodor. Thucyd. autem, semel iterumq; affirmat hoc de Potidæatibus statim à prædicto nauali prælio contigisse. Qui etiam huic defectioni causam ab Atheniensibus datam tradit, qui quod Corinthiorum inimicitias haberent suspectas, Potidæates qui in Pallenes Isthmo habitabant, Corinthiorum colonos, suosque socios & vectigales, muros Pallenem versus demoliri, & obsides dare iusserunt, & Epidemiurgos, magistratus sic appellatos, expellere, quos Corinthii quotannis mittebant, nec in posterum recipere. Est autem Pallene Thucydidi, quæ Ptolemæo Patelene in Macedonia prima, inter Thermaicum, & Toronaicum sinum, in Ægæo mari, non longe à Lemno insula; vrbem tamen hanc ipse vocat Casandram, nomine recentiore, vt Plinio, & Pausaniæ placet. *Cui Athenienses viam muniunt, Potidæates vexando.*

II. *Ob defectionis timorem.*

ITA porro de Potidæis statuebant Athenienses, quod vererentur ne à Perdicca Macedone, & Corinthiis solicitati, à se deficerent, cæterosq; socios, qui in Thracia erant, ad defectionem secum traherent, ad quod humanitatis potius ac beneuolentiæ officiis, si recte saperent, quam seueritatis adnitendum erat. Timebant autem, quod & Corinthij aperte Atheniensibus erant infensi, & Perdicas Alexandri filius Macedonum Rex eorum hostis erat, cum ante socius & amicus esset.

Perdiccas hostis Atheniensium.

Ideo autem factus est eorum hostis, quod cum Philippo fratre suo & Derda, coniunctis armis bellum contra se gerentibus, Athenienses societatem fecissent. Cumque sibi ideo metueret, missis Lacedæmonem legatis, operam dedit vt bellum inter Athenienses & Lacedæmonios oriretur. Corinthios quoque sibi conciliauit, vt Potidæa defectionem ab Atheniensibus faceret. Quinetiam cum Chalcidensibus, & Bottiæis, qui sunt in Thracia,

egit,

egit, vt vna cum Potidæatis deficerent. Existimans si ciuitates istas agro suo finitimas haberet socias, se bellum cum illis facilius aduersus Philippum fratrem, & Athenienses esse facturum. Ita fere Thucydides.

III. Athenienses mala consilia ... Sic apparet Athenienses, qui Imperij Græciæ cupidi, bella circunquaque vel ferebant, vel fouebant, vt populos mutuis odijs, armisq. debilitatos facile sibi subijcerent; etiam omnium contra se odia, atq; arma concitasse, Macedonas, Corinthios, mox etiam Lacedæmonios, à quibus ingentibus malis affecti sunt: in certissimum exemplum, qui tanto meliore Dei cognitione præditi, & Christianorum obligatione virtutum, non dissimilia, eodem humani generis hoste impulsore, peccant. Cæterum cum Athenienses Perdiccæ & Corinthiorum consilia satis agnoscerent, & earum ciuitatum defectionem vellent anteuertere, mandarunt nauium suarum præfectis (triginta enim naues, & mille grauis armaturæ milites in Thraciam mittebant) vt & obsides à Potidæatis acciperent, & vrbis muros demolirentur, & accurate cauerent ne propinquæ ciuitates defectionem facerent.

IV. Potidæatæ ... At Potidæatæ missis ad Athenienses legatis, si forte ipsis persuadere possent, ne quid noui de se statuerent, Lacedæmonem etiam cum Corinthijs profecti id egerunt, vt si opus foret, auxilium Lacedæmonij eis pararent: vbi vero opera diu consumpta, nihil pacati ab Atheniensibus impetrare potuerunt (quin potius eorum naues in Macedoniam, & in se pariter veniebant) & summi Lacedæmoniorum magistratus ipsis promiserunt, si Athenienses contra Potidæam irent, se in Atticam irrupturos, tum demum cum Chalcidensibus, & Bottiæis coniuratione facta ab Atheniensibus defecerunt: sunt hi Chalcidenses & Bottiæi in Thraciæ finibus, ad montem Athos, è regione Lemnos insulæ apud Ptolemæum, qui tamen Bottiæos non nominat, forte iidem sint cum Augæis apud eundem.

V. Chalcidenses Olynthum ... Perdiccas quoque Chalcidensibus persuasit vt relictis, & excisis vrbibus maritimis, metu Atheniensium, qui mari potentes erant, commigrarent Olynthum, & eam vrbem à mari remotiorem communirent. Eam vrbem Thraciæ maximam, vt scribit Xenophon, & apud Thucyd. Demosth. Herodotum, aliosque celeberrimam, mirum est à Ptolemæo prætermissam. Mela eam inter Athon montem, & Pallenem collocat.

Athenienses Thraciam ... Assensi sunt Perdiccæ Chalcidenses, & vrbes suas demoliti, ad mediterranea commigrarunt, & ad bellum se parare cœperunt. At triginta Atheniensium naues cum in Thraciam peruenissent, & ciuitates defecisse viderent, impares se fore vtrique bello existimantes, contra ciuitates scilicet & Macedonas, retro in Macedoniam, quo etiam missi fuerant, reuerterunt; vt iunctis viribus cum fratribus Perdiccæ, ipsum debellarent. Interea autem Corinthij timentes Potidææ, & illius oppidi periculum, domesticum existimantes periculum, in Thraciam exercitum validum duce Aristæo miserunt, qui eo quadragesimo die post defectionem Potidææ peruenit.

VI. Romanorum. Romæ autem pestilentior etiam hic annus superiore fuit, Iulio & Virginio consulibus; vnde tantus vastitatis in vrbe metus agrisque fuit, vt nemo prædarum ex hostibus, aut belli meminisset. Cum vltro Fidenates populabundi in agrum Romanum descenderunt, & adiunctis Veientibus, (Nam Falisci belli socij esse noluerunt) transiere Anienem, atque haud procul à Collina porta signa habuere. Itaque trepidatum non in agris magis, quam in vrbe est. Iulius Consul in aggere, & muris explicat copias. *A Virginio Senatus in æde Quirini consulitur. Dictatorem dici A. Seruilium placet, cui Prisco alij, alij Structo fuisse cognomen tradunt. Virginius dum collegam consuleret moratus, permittente eo nocte Dictatorem dixit.* Ita Liuius, ex quo aliqui non recte, vt opinor, existimarunt, nocte tantum Dictatorem dici solitum, cum contrarium potius ex hoc loco colligatur. Nimirum nocte præter solitum dictum fuisse in re trepida, & tempore diuino consumpto in consulendo Collega. Alius tamen nobis postea occurret locus, in quo aperte morem dicendi nocte Dictatorem confirmat. Dictator Seruilius Magistrum equitum Ebutium Heluam dicit, omnesque luce prima extra portam Collinam adesse iubet: quibuscunq; vires ad arma ferenda suppetebant, præsto fuere, signa proferuntur: hostes in altiora loca concedunt; eo Dictator agmine infesto subit, nec procul Nomento signis collatis fudit Hetruscas legiones, & in vrbē Fidenas compulit, valloque circundedit: cumq; eam vi capere, aut obsidione desperaret, quippe admodum munitam, & rebus omnibus instructam, agere in arcem cuniculum instituit, & perfosso monte, perfecit in arcem viam, & necopinantibus Hetruscis, hostilis clamor supra caput vrbem captam ostendit, quæ & mox excisa est.

ANNVS MVNDI 3621. SEXTÆ ÆTATIS 105. Nehem. 13. Imp. Persar. 105. Artaxer. Longim. & Eliasib. Pontificis 32. Olympiadis XXCVI. an. 4. Archonte Apseude. V. C. 320. Coss. C. Iulio III. & L. Virgin. II. vel M. Manlio Capitol. & Q. Sulpicio Camerino.

ANNVS ANTE CHRISTVM 432.

I. Ratio temporum. EOSDEM consules sequenti anno refectos cum Licinio Macro scribit Liuius. Valerius autem Antias, & Q. Tubero posteriores suggerunt: Diodorus etiam Tribunos militares; sed Liuium sequamur, quem Eusebius in Chronico Græco, Cassidorus, Cuspinianus, Onuphrius, Sigonius, Pighius in suis fastis probant.

Celebratur porro hic annus apud Nehemiam. *a* Est enim duodecimus ducatus, siue administrationis Nehemiæ exactus & iniens 13. si extrema computentur. a 2. Esdr. 5. 14.

II. Nehemias in populum suum humanitas. A *die autem illa,* inquit, *qua præceperat rex mihi, vt essem dux in terra Iuda, ab anno vigesimo vsque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis Regis, per annos duodecim, ego, & fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus.* Misericordia scilicet motus in populum egenum, vt ex eodem capite quinto patet, quorum tributa tantundem minuebantur, vnde sequitur. *Duces autem primi, qui fuerunt ante me, grauauerunt populum, & acceperunt ab eis in pane, & vino, & pecunia quotidie quadraginta siclos,* id est, quinquaginta quatuor francos cū dimid. quippe singuli sicli valent 27. solidis cum dimidio. Pergit, *sed & ministri eorum depresserunt populum,* vel exigendo seuerius, vel tractando inhumanius; Tigurina habet tyrannidem exercuerunt in populum, Sept. Xistu ἐξουσιάζοντες Regia ἐνεξουσίαζον, id est, dominati sunt, imperiose egerunt. *Ego autem,* inquit, *feci ita, propter timorem Dei, quin potius in opere muri ædificaui;* nec tamen numeratus est supra c. 3. Existimari potest Nehemiam multis in locis auxilio fuisse ædificantibus, tam ipsum per se, quam per seruos suos, quos ait omnes congregatos fuisse ad opus, alijs tamen honorem ædificationis liberaliter concessisse. Triones ducum ...

III. Nehemiæ magnificentia. Ad quam etiam pertinet, quod ait, neque se, neque domesticos, aut famulos suos, agrum vllum à pauperibus acquisiuisse: oppignoratum scilicet, quando soluendo non essent. Nihilominus magnas expensas facere cogebatur. *Nam Iudæi,* inquit, *b & magistratus centum quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos de gentibus, quæ in circuitu nostro sunt in mensa mea erant. Parabatur autem mihi per dies singulos bos vnus, arietes sex electi, exceptis volatilibus. Et inter dies decem vina diuersa, & alia multa tribuebam. Insuper & annonas ducatus mei non quæsiui: valde enim attenuatus erat populus. Memento mei Deus meus in bonum, secundum omnia, quæ feci populo huic:* huc alludit Iosephus, cum ait Nehemiam fuisse in populares suos beneficentissimum. Sed, inquies, vnde Nehemiæ pecuniæ ad tantos sumptus? Videntur sane illi ex ærario regis, procurante Regina Esther, & Mardochæo attributæ. b 2. Esdr. 5. 14.

IV. Nehemias abit in Persidem. Hoc ipso anno Nehemias è Iudæa profectus est in Persidem, *c* ad Regem Artaxerxem, qui rex Babylonis dicitur, & reuera ei Babylonij parebant; sed forte tunc erat Babylone, & ad eum profectus est Nehemias. Sed illud obscurius est, in quorum dierum fine dicatur postulasse, & impetrasse à rege reditum in Ierusalem. Torniel. finem dierum interpretatur finem vitæ Artaxerxis, qui 8. ab hinc annis contigit. Ea non dicendum esset: c Neh. 13. 6.

Nehem. eo ij dem annis apud regem permansisse. Et in eadem sententia est Funccius in Chronico, Genebr. item l. 2. in Artaxerxe 3 & in Eliasib. vbi ea hoc loco *a* ait Eliasib vixisse diebus extremis Artaxerxis, vbi tribuit ei tantum 33. annos regni. Paulo tamen postea reliquos ei annos restituit. Huic sententiæ etiam fauet, quod textus videtur exigere maiorem, quam vnius anni Nehemiæ absentiam, qua durante Eliasib ea mala fecerit, quæ referuntur capite vltimo, *b* vt mox dicetur.

a Nehem. 13. 6.

b v. 5. & 7.

V. *An post vnum annum.* ALII autem finem dictum illius anni accipiunt, vt significet Nehemias se integrum annum, omnibus suis diebus constantem, apud regem mansisse, & expleto anno, obtinuisse commeatum à rege in patriam remigrandi. Ea est sententia Vatab. & Eman. Sá. Imo & Genebr. l. 2. in Ionathan, vbi ait per reliquos annos octo, ex quo rediit in Iudæam, non fuisse abdicatum præfectura ab Artaxerxe, cui erat charissimus. Potuit nihilominus eam retinere præfecturam, & per vicarium Esdram, vel Eliasib potius, eam administrando, apud regem manere. *Aut ostia potius.* Quæ sententia mihi videtur probabilior, vt interea detur tempus Eliasib, & Tobiæ grande gazophylacium ædificandi, male administrandi templi reditus, & eius ministros effugandi, vnumquemque in regionem suam, vt v. 10. dicitur. Deniq; deprauatio morum Iudæorum, & præuaricatio legum, quæ vulgo maximi fiebant, puta violatio sabbati, & iterū contractæ affinitates cum alienigenis, & suscepta ex eis proles, quæ Azoticè & Moabiticè loqueretur, omnino videntur & diuturnam Nehemiæ absentiam, & plures annos malæ administrationis exigere.

VI. *Eius gubernatio, & zelus.* CÆTERVM prædictis duodecim annis ducatus Nehemiæ credibile est eum non solum beneficentiam erga populū exercuisse, sed omnia promouisse diligenter, quæ ad Dei cultum, & legis obseruationem pertinerent, vt propterea tanto iustius postea zelus eius exarserit contra violatores eius, *c* vt eos non solum obiurgaret, & execraretur, sed verberaret etiam, & depilaret: quod simul etiam arguit, eum in eadē ducis populi autoritate perseuerasse.

c v. 25.

Bibliotheca Nehemiæ. d c. 2. v. 13. Huc porro in primis pertinet constructio Iudaicæ bibliothecæ, cuius est mentio in 2. Machab. *d* vbi dicitur inuentum fuisse in commentarijs, & descriptionibus Nehemiæ, tam quæ de igne sacro supra dicta sunt, quam quæ idem pro construanda bibliotheca fecerit, congregans de regionibus libros, & prophetarum, & Dauid, & epistolas regum, & de donarijs.

VII. *Eiusdem commentarij.* Ex quibus 1. patet illos commentarios, & descriptiones Nehemiæ non extare, nihil enim illorum in libris Esdræ reperitur. Nec illud negligendum, paulo aliter in Græco legi, imo & in alijs vulgatis, vt scilicet non de regionibus, sed de regibus scripta congregata reperiantur. Res tamen eodem pene redit, Nehemiam scilicet, aut Esdram potius illius iussu, varios sacrarum literarum codices, earumue partes, quæ apud diuersos varijs in locis habebantur, diligenter collegisse, & nominatim libros Regum, & Prophetarum: Psalterium quoque, & epistolas regum, quę de consecrandis donarijs scriptæ erant, quæ tamen epistolæ ad sacros libros non pertinent, sicut cæteri, quamuis aliquibus aliter visum sit, qui scripta illa omnia, alis esse à libris sacris, opinati sunt. *Libri sacri ab Esdra collecti.* Certe primariam & Nehemiæ, & Esdræ curam, circa libros sacros colligendos fuisse versatam nullus inire negauerit. Deinde alios quoque libros collector, tam patriæ, quam peregrinæ sapientiæ. *Vera bibliotheca.* Idq; vel exemplo regum Persarum, quorū bibliotheca Babylone constructa erat, *e* eodemq; pertinent eorum historiæ, & annales, de quibus in libro Esther. *f* Quorum deinde exempla secuti sunt Ptolemæus Philadelphus, Attalus Perganienus Rex, Aristot. quem non rectè Strabo lib. 13. primum bibliothecarum authorem tradit, nisi velis eum de Græcis fuisse locutum.

e 1. Esd. 1. 7. & cap. 6. 1. & 1. ... 6. 91. ...

f c. 2. 23. & c. 6. 1.

g Vide Gellium l. 6. c. vlt.

Studium Esdræ circa libros sacros. QVID autem studij circa libros sacros Esdras adhibuerit, ex antiquis patribus colligi potest. Nam D. Chrysost. hom. 8. in ep. ad Hebr. *Ingruit bellum, omnes Iudæos Chaldæi sustulerunt, trucidarunt, exusti sunt libri, alteri rursum viro admirabili inspirauit, vt ipsas exponeret, Esdram inquam, & fecit vt componerentur ex reliquijs*, quæ nimirum effugerant hostiles manus, & toto orbe sparsæ erant, vt diximus anno 1. desolationis. Diuus Hilarius in prologo in Psalmos ait Traditionem esse ab Esdra, qui psalmos post captiuitatem in vnum librum collegisse creditur, profectum, vt varij sint variorum psalmorum scriptores. Theodoret. præfat. in Psal. *Mirabilis ille Esdras*, inquit, *edidit in lucem libros cælestis gratiæ plenos, qui quidem cùm propter Iudæorum incuriam, tum vero ob impietatem Babyloniorum, diutius deprauati permansere. Sic igitur Esdras diuino numine afflatus, horum voluminum memoriam illis hominibus renouauit, & hi Septuag. viri, non sine sancto Spiritu, hæc opera in Græcam sermonem conuerterunt, &c.* *Ex Chrysostomo, Hilario.*

IX. *Et sancto Athanasio.* SECVTVS est Theodoretus Diuum Athanasium In Synopsi, vbi de Esdræ libris. *Narratur autem & hoc de Esdra*, inquit, *quod cum libri per incuriam populi, ac diuturnam captiuitatem perijssent, ipse illos, cum esset honesti studiosus, industrius, & lectur, apud se omnes custodierit, & tandem protulerit, omnibusque tradiderit, atque ita seruauerit.* Hæc ibi; vbi vides nihil tribui miraculo, sed diligentiæ, iuxta ea, quæ duodecimo transmigrationis anno, disputata sunt à nobis. *h* Idem c. seq. vbi de psalterio. *Esdras, ait, omnes hosce psalmos, à quibuscunque dictos vno complexus est libro.* Et paulo post. *Et reliquos psalmos, quos isti quoque Spiritu sancto moti conscripserant, Esdras Dauidis psalmis coniunxit, & ex omnibus ita coadunatis Psalmorum librum constituit.*

h a. 10. & seqq.

X. *Esdras libros sacros custodiuit, collegit, compegit, correxit.* EX quibus, & alijs ante dictis habetur, primo Esdram libros sacros, quos habere potuit diligenter custodisse. 2. varijs ex locis, & personis collegisse, & in Bibliothecam Hierosolymitanam contulisse. 3. varias partes in vnū quasi corpus compegisse, vt psalmos in vnum librum, eodemq; modo prophetias, prout quæque inuentæ sunt, quo factū est, vt sæpe ratio temporis non sit obseruata, vt in Ieremia in primis apparet. 4. deprauata correxisse, recensuisse, renouasse: quo pertinet nouorum vocabulorum in veterū locum substitutio, vt Hebron pro Cariath-arbe, & similia. 5. suppleuisse, quę deesse videbantur, assistante illi Spiritu sancto; *Suppleuit.* qualia sunt, quæ de morte Moysis habentur in fine Deut. & item de Iosue morte, ac sepultura in fi. l. eius: quæ rursum in fine prophetiæ Ieremiæ habentur de regno Euilmerodachi, & exaltatione Ioachin, quæ satis constat mortuo Ieremia contigisse. Eadem est ratio extremi libri Tobiæ, & Iudithæ, cuius authorem volunt esse Ioachimum pontificem, qui longe ante Iudithbam mortuus est. Illa quoque ob eo adiecta, non immerito existimantur, vbicunque dicitur, *vsque ad præsentem diem*, quæ longinqui temporis seriem denotant.

XI. *Alia quoque post Esdram supposita.* QVIN etiam post Esdram aliqua adiecta fuisse sacris libris, multis ex locis colligi potest, vt c. 3. primi Paralipomenon. vbi longa genealogia Dauidis scribitur, & multo vltra Esdræ ætatem ad duodecim videlicet generationes descenditur. Initium cap. 11. Esther ad Esdram pertinere non potest. Quod enim ibi refertur de interpretatione Lysimachi, regnantibus Ptolemæo & Cleopatra, diu post Alexandrum magnum contigit. Cap. enim 12. Nehemiæ fit mentio Ieddoæ, summi Pontif. & Leuitarum, qui fuerunt in pontificatu eius, quem Iosephus ait fuisse Pontificem, cum Alexander Macedo venit Hierosolymam, totis 100. ab hinc annis. Quo tempore nemo dicat aut Esdram, aut Nehemiam in viuis fuisse, nisi eos velit ad centesimum quinquagesimum, vel sexagesimum annum vitæ peruenisse.

XII. *Res gesta bello Corinthio.* IAM vero vt ad res in Græcia gestas transeamus, cum Athenienses didicissent priorem suam triginta nauium classem tardius in Thraciam peruenisse, nec vrbium defectionem anteuertere potuisse, ac ne pares quidem illas copias esse bello Thracico simul ac Macedonico, quadraginta nauium exercitum in prioris classis subsidium miserunt, cui Calliam præfecerunt ducem cum quatuor collegis. Qui simul atque in Macedoniam peruenerunt, inuenerunt suos ibi cum triginta nauibus Therma potitos. Est autem Therma ciuitas Macedoniæ, ex qua Thermiacus sinus appellatus est: ipsa autem postea Thessalonica, quasi maris domina est appellata, vt ait Scholiastes Thucydidis, itaque à Ptolomæo in tabula decima

CAPT. 106. Entopæ appellatur. Occupata ergo Therma Pidnam obsidebant, cui oppugnationi socios sese, qui recens aduenerant, adiunxerunt. Cum autem obsidio produceretur, & ipsi de Potidæa, & Aristhæo, qui ei, cæterisque vrbibus, quæ ab Atheniensibus defecerant, Corintho subsidio venerat, solliciti essent, pacem cum Perdicca, & armorum societatem inierunt, moxque è Macedonia recesserunt. Vbi tamen eos arbitror hyemasse, vt ineunte vere contra ciuitates, quæ defecerant, & Corinthiorum copias ferro decernerent: idque ratio temporis exigit, vt ex sequentibus planum erit.

XIII. *Annus Metonicus. Aureus numerus.* FLORVIT Athenis hoc tempore Methon Pausaniæ filius, insignis astrologus, idemque Medicus, vt Suidæ placet. Is, vt refert in hunc annum Diodorus Siculus, annum decemnouennalem, qui Metonicus dictus est, inuenit, atque promulgauit, quod spatium ipse vnum annum vocauit, quod intra illud tempus lunares anni, per septem intercalationes, Solaribus exæquentur; vt fusius à nobis *Gen. 1. 14.* anno Mosis 81. schol. 7. explicatum est. Id curriculum vulgo aureus numerus, propter excellentiã appellatur, quod illa duo astra, quibus homines tempora metiuntur, iuxta Domini præceptum, ab ijsdem egressa carceribus, ad easdem pene metas perueniant: pene dixi, propter vnam horam & aliquot minutias, quibus etiam tum lunæ cursus exceditur, vt eodem loco diximus. Atheniensem *49.* fuisse hunc Metonem innuit Diodorus in hunc annum, & Ælianus, *a* quamuis alio in loco, *b* Lacedæmonium vocet. Vbi ait ipsum columnas statuisse, & in eis solstitia annotasse.

a l. 13. c. 12. b L. 10. c. 7.

XIV. *Motus Romæ a populis totius Hetruriæ.* AT Romæ vehementer trepidatum est. Nam Veientes, & Falisci, excidio Fidenatum conterriti, per legatos totã Hetruriam, populos duos & viginti, ad generalia comitia, belli communi consensu suscipiendi, ac gerendi gratia, conuocarunt. Itaque Romani veriti ne vniuersam Hetruriam in se armatam sentirent, ad nota præsidia, Dictaturã scilicet confugerunt, Senatus Mamercum Æmilium Dictatorem iterum dici iussit. Ab eo A. Posthumius Tubertus Mag. equitum est dictus, sed res plus timoris, quam damni habuit. Romæ enim à mercatoribus nunciatum est, auxilia Veientibus negata, iussosque esse suis viribus bellum exequi, quod suo concilio iniuissent.

XV. *Censura tempus Romæ [illegible]* TVM Dictator ne frustra creatus esset, aliquod Dictaturæ monimentum relinquere cogitat. Itaque populo persuadet vt Censura, quæ quinque annis gerebatur, ne plusquam annua & semestris deinceps foret, legeque lata id perfecit. Quod Censores ægre ferentes, ipsum Mamercum, cum Dictatura abijsset, ignominiæ causa tribu *Lenitas Mamerci Dictatoris.* mouerunt, ærariumque fecerunt. Quæ res tantam populi mouit indignationem, vt vis à Censoribus nullius autoritate, præterquam ipsius Mamerci, deterreri potuerit. Egregio plane facinore hominis vere magnanimi, qui & casum suum ingenti animo tulerit, & oblatam de inimicis vindictam ab eorum capitibus auerterit. Vit eò admirabilior, quò minus audierat diuinum magistrum prædicantem. *Diligite inimicos vestros, bene facite ijs, qui oderunt vos.*

ANNVS MVNDI 3622. SEXTÆ ÆTAtis 106. Nehemiæ Ducis 14. Imperii Persarum 106. Artaxerxis 33. Eliasib 33. Olympiadis LXXXVII. Ao. 1. Pythodoro Prætore. Vrbis condit. 321. Tribun. Milit. M. Fabio Vibulano. M. Folio. L. Sergio Fidenate.

ANNVS ANTE CHRISTVM 431.

I. *Bellum ad Potidæam initum.* CALLIAS dux Atheniensium hoc anno, sex mensibus ante bellum Peloponnesiacum, vt ait Thucydides initio libri secundi, quod etiam statim ineunte vere inchoatum affirmat. Callias inquam, hoc anno cum omnibus copijs Macedonia digressus, Potidæam versus iter intendit, 70. naues maritimam oram legebant. Terra i-

QVERELÆ BELLI PELOPONNESIACI.

ter confecerunt tria millia militum Atheniensium, cum multis socijs, & sexcentis Macedonum equitibus; & ad Gigonum vicinam Potidææ vrbem castra posuerunt. At Potidæatæ, & Peloponnesij, qui cum Aristæo erant, prope Olinthum, quæ 60. ferme stadijs abest à Potidæa, castra metati sunt, duce peditatus Aristæo, equitatus vero Perdicca rege Macedonum, qui protinus iterum ab Atheniensibus defecerat, & Potidæates in bello iuuabat, exoratus, vt apparet, ab ijs, quos nuper authoritate sua in defectionem coniecerat.

DENIQVE cum propinquæ factæ essent acies, ancipiti certamine pugnatum est, sic vt Aristæus & Corinthij, qui cum ipso erant, oppositum hostium cornu in fugam verterint. Reliquus tamen exercitus ab Atheniensibus superatus est, Potidæatarum inquam, & Peloponnesiorum, & in vrbem confugit: moxque reuersus à persequendo hoste Aristæus, ægrè in Potidæam irrupit. Victoria denique potiti sunt Athenienses, occisis de hostibus fere trecentis, amissis de suis 150. in primisque duce Callia desiderato. Potidæam Athenienses, receptis nouis ex Attica subsidijs, vtrimque obsidione cinxerunt, aliarum interim ciuitatum quæ defecerant, agrum deuastantes. Aristæus vrbe egressus, auxilia Lacedæmone per legatos petijt, & Chalcidensibus, & alijs vrbibus, quas Athen. vexabant, auxilio esse conatus est. II. *Gerbitur . . . Atheniensibus amisso duce victoriam.*

PROGREDIENTE anno ineuntis Olympiadis octogesimæ septimæ, qua Sophron Ambraciotes in Olympico stadio coronatus est, Pythorus Athenis Archon fuit, multæ criminationes & querelæ inter Athenienses & Peloponnesios, in primisque Corinthios iactabantur proximi belli præuiæ. Corinthij quidem accusabant Athenienses, quod Potidæam suam coloniam, & viros Corinthios, ac Peloponnesios, qui in ea erant, obsiderent. Athenienses contra crimini dabant Peloponnesijs, quod ciuitatem sociam, & vectigalem ad defectionem impulissent, & eo profecti pro Potidæatis contra se pugnassent; nondum tamen bellum publice conflatum erat. Nec tamen vltra quiescere potuerunt Corinthij, de Potidæa, quæ validè obsidebatur, & viris, qui in ea erant, soliciti. Ideoque socias vrbes orare cœperunt, vt Lacedæmona venirent; quo & ipsi profecti, magnis clamoribus in Athenienses inuecti sunt, quasi in fœderum infractores, & in Peloponnesum iniurios. Extat apud Thucyd. Corinthiorum oratio, in qua & auxilium implorant, & communiter contra Athenienses bellum geri postulant, & quamprimum in Atticam irruptionem fieri. III. *Querela belli Peloponnesiaci prauia.* *Athenienses apud Lacedæmonios accusantur.*

AT legati Atheniensium, qui tum forte alijs de causis aderant, non responderunt accusationibus, quas Corinthij, aliæque ciuitates afferebant, sed suaserunt ne quid celeriter decernerent, plusque temporis, in rerum tantarum consultatione ponerent, & pacem magis cum tam potenti ciuitate, quam bellum quærerent. Habetur ea concio apud Thucyd. in qua Athenienses res suas magnifice iactant. IV. *Legati Atheniensium bellum dissuadent.*

Nihilominus omnibus auditis Lacedæmonij, maiore ex parte in bellum contra Athenienses consenserunt, illudq; quamprimum esse suscipiendum. Archidamus vero Lacedæmoniorum Rex graui oratione censuit bellum differendum, legatos mittendos, qui de acceptis iniurijs querantur. Interim autem in omnem euentum, bello necessaria præparanda, nisi controuersiæ iudicio dirimi, ex fœderum pacto possint. *Rex Archidamus suadet differre.*

AT Stenelaidæ Ephori sententia fuit, quamprimum socijs auxilia mittenda, ne interim dum verbis cum Atheniensibus litigabitur, illi contra Potidæates ferro decernant, & potentiores in dies euadant. Cumque institisset eos, qui fœdera ab Atheniensibus rupta esse censebant, propterea; bellum in eos mouendum esse, vnam in partem secedere, alios in alteram, longe plures inuenti sunt qui fœdera ab ipsis violata esse censuerunt. Accitisque sociorum legatis, dixerunt sibi quidem videri Athenienses iniuste agere, velle tamen & ipsos, & omnes socios ad ferenda suffragia conuocare, vt de cõmuni cõsilio si videretur bellum gererent. Hoc autem decretum de ruptis fœderi- V. *Ephori sententia [illegible]*

bus tricennalibus factum esse ait Thucyd. anno decimo quarto ab illis initiis, exclusiue scilicet numerando, vt diximus anno 3. Olymp. 83.

VI. *Lacedæmonij consulunt Apollinis oraculum.*

CVM autem statuissent Lacedæmonij violata esse ab Atheniensibus fœdera, eosque in iuste facere, etiam Delphos miserunt, qui Apollinem interrogarent de belli exitu, qui dicitur respondisse fore illos victores, si totis viribus bellum gererent, seque & vocatum, & non vocatum illis affuturum. *a* Interea Corinthij singulas ciuitates separatim orabant, vt suis suffragijs bellum contra Athenienses decernerent. Cumque legati ab illis ciuitatibus missi Lacedæmona venissent, pleriq; omnes, multis de rebus accusatis Atheniensibus, bellum gerendum esse censuerunt. Corinthij præsertim, qui id maxime vrserunt, ne permitterent Lacedæmonij Athenienses fieri totius Græciæ tyrannos; quibus consenserunt etiam Lacedæmonij. Nec tamen statim bellum suscipere potuerunt, quod essent imparati; singuli tamen omnia sine mora ad illud necessaria comparanda censuerunt, quo in apparatu non integer annus consumptus est, antequam in Atticam irrumperent, & bellum aperte susciperent.

a Thuc. l.1. p.76. *Corinthii corrogant suffragia contra Athenienses.*

VII. *Mutuæ legationes Spart. & Athen.*

INTEREA vero legatos ad Athenienses miserunt, vt de illorum iniurijs conquererentur, vt quam speciosissimam belli gerendi causam haberent, si illi nulla in re sibi morē gerere voluissent. Et primum sumpto religionis, vt assolet, prætextu, piaculares quosdam homines ab Atheniensibus expelli voluerunt, qui scilicet ad genus eorum pertinerent, qui asyli iura violassent, quo in numero Pericles, qui tum rerum potiebatur, & Spartanis erat infensus, comprehendebatur. Athenienses vicissim illis Pausaniæ piaculum obiecerunt, & rursum Lacedæmonij Themistoclæum. De quibus supra suis locis, temporibusq; dictum est. Rursum alia legatione petierunt Lacedæmonij, vt Athenienses à Potidææ obsidione recederent, & Æginam suis legibus viuere sinerent: maxime autem decretum de Megarensibus factum rescinderent, quo Megarensibus interdictum erat portubus, in Atheniensium ditione sitis, & Attico foro. Quæ cum Athenienses recusarent, postremam denique legationem miserunt in hæc verba; Lacedæmonij pacem esse volunt. Erit autem si Græcos liberos esse, suisque legibus viuere sinatis.

Piaculum Laconum.

VIII. *Pericles Athenis bellum suadet.*

HIC Athenienses conuocata concione, cum omnibus suis ciuibus potestatem dicendæ sententiæ fecissent, & alij pacem, alij bellum suaderent. Pericles omnino bellum suasit, contendens Atheniensibus omnia ad bellum suppetere, naualis belli peritiam atque exercitationem, naues trecentas, pecunias ingentes, quas Diodotus ex Ephoro recenset, ad multa talentorum millia. Copias denique militum, præter præsidiarios & socios, ad duodecim armatorum millia: quæ omnia Lacedæmonijs longe inferiora essent. Hæc fere Thucydides. *b* Porro Diodorus l. 12. ex Ephoro, Periclem refert maximam huius belli facē fuisse, non tam communi bono studentem, quam periculo proprio metuentem. Cum enim Athenienses coactas, ex communi Græcorum contributione pecunias, ad octo millia talentum, ex Delo Athenas transtulissent, easque Pericli custodiendas tradidissent, bonam earum partem ille in priuatos vsus expendit. Cumque rationem populo reddere iussus, satisfacere non posset, in ægritudinem incidit.

b lib.1. p.92. & seqq.

IX. *Consilium Alcibiadis Pericli datū.*

TVM Alcibiades Periclis ex fratre nepos, tristitiæ causam sciscitatus est ex auunculo. Respondit ille se disquirere, qua via posset pecunias acceptas reddere: tum puer suasit, vt rationem potius comminisceretur, qua non redderet. Quod ille consilium amplexus, quo pacto Athenienses graui alicui bello implicare posset meditari cœpit. sic enim ciuitatem metu, & negotijs impeditam, exacte non examinaturam nummarias rationes credidit; & se, vt bellica laude præstantem, in precio necessario fore. Itaq; occasionem, obsidionis Potidææ, & decreti Megarensiū libenter arripuit, negans quidquam faciendum eorum, quæ Lacedæmonij postularent, quod id esset initium seruitutis. His simillima refert Plutarch. in Pericle, & Alcibiade, & Valer. Legatos itaque cum hoc responso dimittendos censuit. Paratos esse Athenienses de Megarensibus, & omnibus sibi subiectis ciuitatibus imperata facere, si ipsi vice versa, eadem facere parati sint, quæ ab Atheniensibus requirunt. Denique paratos esse controuersias omnes iudicio, ex fœderum pactis terminare. Se belli initium non facturos, at ab ipsis illatum propulsaturos. In quam sententiam Athenienses decreto facto Lacedæmonijs responderunt. Sicque Peloponnesiaci belli apparatus, cum primo Thucydidis libro terminatur.

l.1.c.1.

X. *Pestis Romæ grassatur.*

ROMÆ pestilentia hoc anno aliarum rerum otiū præbuit, vt ait Liuius; Ædes Apollini pro valetudine populi vota est, multaq; alia à duumuiris, auertendæ à populo pestis causa facta. Magna nihilominus ab ea clades, hominum pecorumque in vrbe, atque agris accepta est. Cūque fames, quæ luem consequi solet, timeretur, Magistratus in Hetruriam, atque adeo in Siciliam frumentandi gratia viros idoneos misere.

ANNVS MVNDI 3623. SEXTÆ ÆTATIS 107. Nehemiæ Ducis 15. Imp. Pers. 107. Artaxerxis & Eliasib Pontif. 34. Olympiad. XXCVII. an. 2. Euthydemo Prætore. Vrbis Cond. 322. Trib Milit. L. Pinarius Mamercus L. Furius Medullinus, & Sp. Postumius.

ANNVS ANTE CHRISTVM 430.

I. *Primus annus belli Peloponnesiaci, & ratio temporis.*

HVNC decimum quintum ab initiis, Lacones inter & Athenienses tricēnalibus fœderibus annum, Thucyd. primum constituit belli Peloponnesiaci; quem significat Pythodoro Athenis adhuc Prætore cœpisse; qui præcedente anno inito magistratu, adhuc duobus mensibus in eo futurus erat, cuique successit Euthydemus, vt est apud Diodorum, qui hoc ipso anno *c* huius belli ponit initium: sequitur enim Thucydidem, sicut Diodorum, qui scripsit Olympionicarum catalogum: nec repugnat Euseb. in Chro. licet id anno primo huius Olymp. collocet, quia reuera aliquid anni primi supererat; idemque de Suida dicendum. Cum autem Thucydides dicat bellum inchoatum, ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ, statim ineunte vere, id est, exeunte Martio, oportet Prætores siue Archontes Athenis sub finem Maij, vel ineunte Iunio solitos fuisse creari, non Iulij decimo quinto, vt quidam putant. *d* Hic idem est annus quinquagesimus à fuga Xerxis è Græcia, quam anno primo Olymp. 75. probauimus contigisse. Quod tempus Thucydid. ipsa quinquaginta ferme annorum fuisse dixit l.1. Et cum idem alibi dicat anno quarto & 12. huius belli certamen Olympicum contigisse, necesse est initium huius belli in hunc annum incurrere. At Gellius emendandus videtur, cum ei assignat annum Vr. Cond. 323. qui fuit reuera vigesimus secundus; sed bene habet quod addit inchoatum *circa annum fere trecentesimum vigesimum tertium*, vt illum intelligas nolle à communi sententia recedere. At Plin. *e* annum trecentesimum admodum laxa temporis designatione, tribuit isti bello.

c 1. Olymp. 87. *Prætores Athenis quando creati.* *d Capel. & m.1501.* *e l.30.c.1.*

II. *Indicia belli.*

Hoc ergo anno initium bello Peloponnesiaco datum est, quod varijs vtriusque partis euentibus, in annum vigesimum septimū propagatum est: vt distinctius postremo eius anno, qui in vltimum Olympiadis nonagesimæ tertiæ cadit, dicendum erit; & affirmat hoc anno Diodorus Siculus. Indicium autem belli, & animorum inter se hostiliter affectorum fuit, quod cum superioribus annis discordiæ inter Græcos, & querelæ, & pugnæ non leues varijs excusationibus, & simulationibus velatæ extitissent, commercia tamen inter ipsos retinebantur, & alteri ad alteros non sine suspicione, sed sine caduceatore ventitabant; at deinceps nullis inter se commercijs amplius sine caduceatore miscebantur, vt ait Thucyd. *f*

f In 6.l.1. & nit. 2.

III. *Eiusdem initium. Thebani Pla*

PRIMVM hostilitatis facinus in Bœotia, quæ est Atticæ contermina, perpetratum est. Trecenti fere Thebani statim ineunte vere, circa primum somnum cum armis

Platæam Bœotiæ vrbem, Atheniensium sociam ingressi sunt, à quibusdam Platæensibus introducti, qui eam vrbem Thebanis, cum quibus semper gesserat simultates, adiungere volebant. Platæenses captam suam ciuitatem animaduertentes, ſtatim magna hostium multitudine se teneri, compositione facta Thebanis dedidere se. At postea rei veritate nota, consilijs inter se perfosso communi pariete communicatis, hostem nocte inuadunt, & passim perturbatos, & fugitantes, ignarosq; viarum obtruncant mulieribus etiam per tegulas, fenestrasq; omne telorum genus deuoluentibus; viui ad 180. capti sunt.

IV. *Platææ afflictum.* At Thebani, qui subsidio suis, pluuia cœli tempestate, & Asopo fluuio intumescente impediri, tardius venerant, re intellecta, agros populari, & Platæenses comprehendere cœperunt, vt suos, qui adhuc viuebant, facta permutatione recuperent. Platæenses vero polliciti se reddituros, si illi ex agro suo abirent, illis parentibus, suos nihilominus captiuos, cum omnia sua ex agris in vrbem comportassent, perfide peremerunt, & militum cadauera Thebanis restituerunt. Hoc primum aperti belli signum fuit. Itaque tam Athenienses quam Lacedæmonij vndiq; sibi belli socios conquirebant, non in Græcia tantum, sed etiam in Asia & Perside, Italia etiam, & Sicilia, insulisque circumpositis. *Athen. & Lacedæm. belli socios vndiq; conrogant.* Cumque Græcia tota animis esset erecta, quod duæ primariæ ciuitates inter se bello concurrerent, plures tamen in Lacedæmonios beneuolentia propendebant, quod, vt & ipsi prædicabant, libertatem Græciæ vniuersæ, contra Athenienses, qui Tyrannidem in eas meditari dicerentur, defendere credebantur. In prodigium autem futurorum etiam Delus contremuisse dicebatur, sed id longe ante hæc tempora, sub regno Darij Hystaspis contigerat, vt ex Herodoto liquet. *a*

a l. 6. p. 360. gr. lat.

V. *Legatus Lacedæm. ab Atheniensib. reijcitur.* CONGREGATIS Lacedæmoniorū copijs Archidamus Rex, totius exercitus Imperator, suos omnes cohortatus ad rem bene gerendam, antequam in agrum Atticum descenderet, legatum misit Melesippum, virum Spartanum, vt exploraret an forte Athenienses aliquid de sua pertinacia remitterent. Qui eum ne in vrbem quidem admiserunt, sed finibus suis excedere illo ipso die iussum, nec permissum cum vllo colloqui, suis renunciare iusserunt, si quid in posterum vellent, in sua primum regressi, è suis quippe finibus iam egressi erant cū exercitu, legatos mitterent. Interea Pericles Athenienses monet, vt sua ex agris domum recipiant, & vrbē clausi propugnent, nisi quà classe certandum erit. *Pericles suos ad bellum acuit.* Ad bellum autem animat commemoratione copiarum, & opum, quæ in potestate ipsorum essent, sed illud etiam caute monet, fore fortasse vt Archidamus, vel iure hospitij, vel ad conflandam illi inuidiam, agris suis in proxima incursione parceret; ad quam declinandam protestatus est, se eos, nisi parē cum cæteris cladem ferrent, Reip. dono dare. Interim centū nauium classem parari iussit, quæ in Peloponnesum mitteretur.

VI. *Lacedæmonij Atticam inuadunt.* ARCHIDAMVS longa cunctatione vsus, antequam Atticum agrum inuaderet, expectans vt Athenienses, agro suo adhuc intacto, aliquid noui consilij ad pacem caperent, neque illud obtinuit, & insuper suis suspectus esse cœpit, cum castris ex Oenoë Atheniensium finibus imposito castello motis, in Atticam maturis iā frugibus venit, octogesimo circiter die à rebus à Thebanis ad Platæam gestis. Cumque agris inferret vastitatem, ad eliciendos ad prælium ex vrbe Athenienses, illique pugnæ desiderio fremerent, indignissimè ferentes in oculis suis agros cultissimos deuastari; perstitit tamen in sententia Pericles, & missis centum nauibus Atticis in Peloponnesum, adiunctis etiam 50. Corcyræis, Peloponnesum inuaserunt, & Lacedæmonios ad patriam tutandam retrocedere coegerunt, vt refert Diodorus. Deinde aliquibus Lacedæmoniorum locis captis, atque vastatis, domum cum hyeme redierunt. *b*

b l. 2 p. 117. gr. lat.

VII. *Eclipsis solis, & cometa.* HVNC annum notat etiam Thucydides eclipsi solis in nouilunio, in æstate, pomeridiano tempore, cum, totum pene Solis orbem Luna obtegente, stellæ interdiu apparuerunt. Plutarchus in Pericle hæc in annum seq. refert: quo pestilentia Athenis grassata est, & Pericles expeditionem in Peloponnesios habuit. Ecce autem, ait, cum iam omnes conscendissent, & Pericles se in suam triremē contulisset, forte defecit Sol. Cumq; obducta nox cœlo esset, terror vt magno oblato prodigio, incessit omnes. Gubernatorem vero Pericles trepidum & stupentē cernens, chlamydem obiecit oculis eius, intectumq; interrogauit, nū id grauius aliquid portēderet? Abnuente eo. *Quid autem*, inquit, *inter hoc, & illud interest: nisi quatenus illud, quod caliginem inuexit, chlamyde est grandius?* Sic ipse, quæ tamen satius est dicere, à Plutarcho, non seruato temporū ordine, narrata, quandoquidem is tempora non notat, quam Thucydidem, in quorum oculis hæc fiebant, quiq; maximam apud criticos seueriores veritatis laudem consecutus est, mendacij arguere. Eidem assentitur Buntingus: additque eodem tempore arsisse cometem, ad sexaginta dies, eoq; horribilem Athenis pestem prænunciatam.

VIII. *Res Romana.* ROMÆ autem hoc anno vis morbi leuata est, neque à penuria frumenti, quia ante prouisum erat, periculum fuit. Veientes quamuis sibi vehementer à Romanis metuerent, & parem cum Fidenatibus fortunam sibi impendentem cernerent, Hetruscos tamen, Volscos, Æquosque ad bellum impellere nequiuerunt, belli consilijs in annum prolatis. Interea Principes plebis, per otium publicum, consilia apud Tribunos plebis priuatim agitant, querelarum plena, quod plebs neminem de suis ad Tribunatum militarem adhuc allegisset, sed patricios duntaxat; & spes erat, lata etiam de ambitione lege, plebem ad sos studia inclinaturam, quę ne libera essent, Senatusconsultum factum est vt Consularia comitia haberentur. *Plebeiorum ambitio.* Eius rei causa fuit tumultus, quem ab Æquis, & Volscis, Latini, atque Hernici nunciarant.

ANNVS MVNDI 3624. SEXTÆ ÆTATIS 108. Nehemiæ Ducis 16. Imperii Persarum 108. Artaxerxis & Eliasib Pontif. 35. Olymp. XXCVII. an. 3. Apollodoro Prætore. Vrbis Condit. 323. Coss. T. Quintio Cincinnato, & Cn. Iulio Mentono.

ANNVS ANTE CHRISTVM 429.

I. *Secundus an. belli Pelopon.* SECVNDVS hic annus belli Peloponnesiaci grauissima pestilentia insignis fuit, quæ initio capto ab Æthiopia, in Ægyptum & Africam descendit, & in magnam partem regionis regis Persarum. Athenas autem inuasit, simulatque Peloponnesij Archidamo Imperatore à deuastando Atheniensium agro hoc anno redierunt. Eum morbum tanquam post hominum memoriam maximum atque grauissimum fusius enarrat Thucyd. l. 2. quantamque rerum diuinarum atque humanarum confusionem Athenas intulerit. *Pestilentia longe grauissima vexat Athenienses.* Et cum alia multa loca, præsertim quæ erant frequentissima, popularetur, vix tamen Lacedæmonios leuiter attigit. Diodorus, & Plutarch. in Pericle, natum aiunt ex ingenti colluuione hominum, quæ Athenas vndique ex agris confluxerat, & in arcto quasi constipati tenebantur. Thucyd. tamen autor est eam calamitatem Atheniensium exercitum, etiam in Peloponneso grassantem, & eum quoque qui Potidæates, cum nouis copijs, obsidebat corripuisse, & multa hominum millia absumpsisse; vt in eos diuinum numen nominatim videretur conspirasse. Et Plutarch. in Pericle, ait eum consiliorum bellicorum contra Peloponnesios facile compotem futurum, nisi diuina quædam vis (sic luem pestilentem vocat) humanis consilijs obstitisset.

II. *Ager Atheniensium vastatur.* BELLVM nihilominus vtrimque gestum, cum vtrorumque damnis non leuibus. Nam priores Peloponnesij Atheniensium agrum tam qui Peloponnesum, quam qui Eubœam respicit, id est ab ortu & occasu vastabant. Inde Athenienses cum centum suarum nauium, & 50. Lesbiorum, & Chiorum classe, multisque millibus duce Pericle in Peloponnesum profecti sunt: sed eos morbus

BELLI PELOPON. 2.

Et vicissim Peloponnesus duce Pericle.

domi militiæque absumebat, breuique in patriam redire compulit; ad Epidaurum præsertim, in sinu Saronico sitam, quam Plutarch. in Pericl. sacram vocat, propter Æsculapij delubrum, quod tamen extra vrbem fuisse scribit Pausan. in Corinthiacis, & Liuius lib. 45. ad differentiam etiam alterius, quæ in Argolico sinu, & tertiæ quæ in Dalmatia reperitur apud Ptolem. Europæ tab. 10. Cum ergo ad sacram Epidaurum peruenissent, magna agri parte vastata, vrbem adorti, in spem eius oppugnandæ venerunt, sed inanem, vt fatetur Thucyd. Eos enim morbus occupauit, neque ipsos solum, sed quoscunque qui etiam huius participes expeditionis affecit, afflixitque. Peloponnesij quoque morbi metu, cum ex transfugis eum in vrbe grassari intellexissent, & magnitudinem mali, ex ijs quos cateruatim sepeliri videbant, agnouissent; citius opinione sua, intra quadragesimum circiter diem, ex Attica discesserunt.

Triplex Epidaurus.

III. *Pericles magistratu deiicitur.*

ATHENIENSES autem & morbo & bello vexati, post alteram hanc Peloponnesiorum irruptionem, Periclem accusare cœperunt, quod bellum ipso authore suscepissent, ex quo in præsentes coniecti essent calamitates. Cumque ad compositionem cum Lacedæmonijs faciendam inclinarent, etiam legatos miserunt, per quos nihil impetrare potuerunt. Hic consilij inopes, in Periclem indignari, atq; inuehi, quos ille coacta concione consolari conatus est; perficere tamen non potuit, quin eum pecunia mulctarent. Eam mulctam sic explicat Diodorus. *In Periclem, inquit, in quem accensi belli culpam transferebant, infensis animis irascuntur, eique magistratu abire iusso, leues quasdam criminandi occasiones nacti, octoginta talentorum mulctam irrogant.* Sed mendum in numerum fortassis irrepserit. Nam Plutarchus in Pericle, de hac ipsa imperij abrogatione, cum Diodoro consentiens, de mulcta subdit, cuius summam, qui minimam quindecim talenta, quinquaginta qui maximam scribunt.

Et pecunia mulctatur.

IV. *Fit iterum belli dux.*

RVRSVS *tamen non multo post*, inquit Thucyd. *id quod vulgus facere solet, ipsum belli ducem elegerunt, eique rerum omnium administrationem commiserunt.* Quæ explicans Plutarch. ibidem. Cæterum publicam iram, inquit, plebs quasi aculeum vna cum ictu deposuit, & periclitante bello ciuitate, cum oculos in cæteros duces & oratores circumduxisset, vbi neminem vnum perspexit, pari grauitate, & autoritate virum, qui tanto imperio sustinendo par esset, desiderium cœpit Periclis, eumque rursum ad suggestum, & imperium suscipiendum inuitauit. At illum domi abiecto animo ex domestico luctu tabescentem, Alcibiades, & reliqui amici ad progrediendũ excitarunt. Ibi populo suam aduersus eum ingratitudinem purgante, rursus Rempub. suscepit, nec tamẽ Prætor fuit, vt ibi eum vocat interpres: id enim munus Apollodoti hoc anno fuit, vt testis est Diodorus, qui Periclem non ἄρχοντα sed στρατηγὸν vocat, sicut & Plutarchus ibid. Porro domesticũ luctum intelligit mortem duorum filiorum, & sororis; præterea propinquorum & amicorum, quorum opera in administranda Rep. præcipue vtebatur, quos ei pestilentia sustulit hoc anno.

Et Remp. regimini suscipit. Eius luctus domesticus.

V. *Aristeus, & legati Lacedæm. comprehensi, Athenis necantur.*

EXTREMA æstate cum Zacynthiorum agrum Spartani vexassent, quod Atheniensium socij essent, Aristæus Corinthius, cum Lacedæmoniorum legatis ad Persarum regem proficiscebantur, si qua ratione illi persuadere possent, vt sibi pecuniam daret, & belli societatem secum iniret, quod postea ab Artaxerxis filio impetratum est, vt testatur Thucyd. *a* Hi autem ad Sitalcem in Thracia regem profecti sunt, vt eius opera Hellespontum trajcerent, eumque ad suas partes traducerent. Sed Atheniensium opera comprehensi, & Athenas delati, omnes eadem die indicta causa interfecti, & in profundas fossas deiecti sunt; in vltionem aliquorum Atheniensium, qui eodem modo Lacedæmone tractati fuerant.

a l. 2. p. 142.

VI. *Potidæa ad deditionem fame cogitur.*

INEVNTE hyeme Athenienses 20. naues, & Phormionem ducem circa Peloponnesum miserunt, qui Corinthijs imminceret, ne quis impune in eo sinu nauigaret; qui ibidem peste vexatus, militibus intra 40. dies mille & 50. morbo amissis, Athenas redijt. Eadem autem hyeme Potidæatæ cum diutius obsidionem tolerare non possent, & Peloponnesiorum irruptiones in Atticam factæ, nihilo magis Athenienses ab vrbis obsidione remouerent, & victui necessaria ita defecissent, vt ab humanis carnibus nõ temperarent, in colloquium de deditione cum Atheniensium ducibus venerunt, qui & ipsi frigido in loco multis afficiebantur incommodis, & multis adhuc sumptibus parum omnino profecerant, vt non inuiti cõditiones deditionis admitterent. Itaq; conuenerunt, vt ipsi cum liberis & vxoribus & militibus auxiliarijs egrederentur, mares quidem cum singulis vestimentis, fœminæ autem cũ geminis, cumque certa singuli ad viaticum pecunia. Egressi cum fide publica, quo quisque potuit profecti sunt, Athenienses autem eo nouam coloniam miserunt, sicque secundus huius belli annus finem accepit. *b*

b Thucyd. l. 2. p. 141.

VII. *Volsci & Æqui ... .*

AT Romæ non sine sanguine & sudore pugnatum, triumphatumque est. Volsci & Æqui intentata iamdudum arma in Romanos, vltra non distulerunt; & lege sacrata, quæ maxima apud eos vis cogendæ militiæ erat, delectu habito, cum suis singuli exercitibus in Algidum conuenere, ibique castris communitis, ingenti se studio exercere ac parare ad certamen, eoq; plus terroris nuncij Romam attulere. Senatui Dictatorem dici placuit. Nam & morbus aliquantum Romanæ iuuentutis absumpserat, & mutua Consulum discordia Senatum terrebat; sunt etiam qui male ab ipsis pugnatum in Algido dicant. Illud satis constat eos ad alia discordes, in eo contra Patrum voluntatem consensisse, ne Dictatorem dicerent. Donec increscente quotidie ab hostibus metu, cum Consules Senatui audientes non essent, Q. Seruilius Priscus. *Vos, inquit, Tribuni Plebis, quoniam ad extrema ventum est, Senatus appellat, vt in tanto discrimine Reip. Dictatorem dicere Consules, pro vestra potestate cogatis.* Tribuni iubent audientes esse Senatui, alioqui se eos in vincula duci iussuros. Quo facto magna nota summo magistratui inusta est, vt etiam à plebeio magistratu, in vincula se duci posse faterentur, eique potius quam Senatui obtemperarent.

Dictatoris ... .

Inuiti Consules.

Tribunitia Consules potestas.

VIII *A. Postumius Tubertus Dictator.*

T. QVINTIVS, cui sors dicendi Dictatoris obuenerat, A. Postumium Tubertum socerum suum, seuerissimi imperij virum, Dictatorem dixit. Ab eo L. Iulius magister equitum est dictus. Exercitus ingenti celeritate ex domesticis, sociorumque copijs, indicto vrbi iustitio, collectus est. Et relicto in vrbe ad eius præsidium altero Consule, cum Magistro equitum, ad subitas belli necessitates, Dictator cum Quintio Consule, cum ludos magnos rumultus causa vouisset, diuisis bipertito copijs, ad hostem, qui gemina castra, geminosque exercitus in armis habebat, proficiscuntur, & castra hostium castris opposita capiunt: & primo leuibus prælijs certatum est. Nocte autem hostis castra Consulis nec opinatus adortus est. Ex quo & clamore & tumultu in vtroque Romano exercitu excitato, Consul egregiè castra defendit.

Cum Quintio Consule ... .

Quintii ... .

IX. *Rota Dictatoris ... .*

DICTATOR ei subsidium mittit, cui Sp. Posthumium Album legatum præficit. Ipse cum parte copiarum, paruo circuitu locum maxime secretum à tumultu petit, vt auersum hostem improuisum inuadat. Q. Sulpitium legatum præficit castris, M. Fabio legato assignat Equites, nec ante lucem mouere iubet manum. Cum autem notasset Dictator vnde maiore agmine profecti fuissent hostes, ad ea castra inuadenda M. Geganium, cum cohortibus delectis, misit. Qui postquam intentos homines in euentum periculi alieni, pro se incautos, neglectis vigilijs, stationibusque est adortus, prius pene cepit castra, quam oppugnari hostes satis scirent. Inde fumo, vt conuenerat, datũ signum, qui vbi conspectus à Dictatore est, exclamat, capta hostium castra, nunciarique passim iubet.

Castra hostium capta.

Et iam lucescebat, & Fabius cum equitatu impetum in hostem fecerat, & Consul è castris in trepidos hostes eruperat. Dictator autem parte altera subsidia, & secundam aciem adortus, circumagenti se hosti, vndiq; victorem equitem peditemq; obiecerat: iamque proximum erat vt conclusi omnes meritas perfidiæ pœnas darent.

X

CVM Vectius Messius Volscorum dux fortissimus suos verbis increpitos, animatosque antecedens, impressionẽ

sed integrat, multa vtrimq; vulnera, multa passim cædes, nec duces Romani incruenti pugnant Posthumius Albus ictus saxo perfracto capite acie excessit: eiusq; cohortibus pedem iam referentibus Dictator subsidio aduenit, cui humerus vulneratus; Fabio prope affixum equo femus, Consuli abscissum brachium. Denique Vectius facto impetu cum globo fortissimorum iuuenum, ad castra Volscorum, quæ nondum capta erant, erupit. Eò Consul & Dictator arma cóciti trásferunt; nec segnior oppugnatio quam pugna fuerat. Consul signa intra vallum infert, Dictator perrupto vallo, prælium intra castra infert. Túc abijci arma passim, & dedi hostes cœpti, castrisque etiam istis captis, hostes præter Senatores, omnes venundati sunt. Prædæ pars Latinis, & Hernicis socijs sua cognoscétibus reddita, partem sub hasta Dictator vendidit, præpositoque Consule castris ipse triumphans inuectus vrbem, Dictatora se abdicauit.

XI. Hæc ex Liuio, qui etiam addit fuisse qui crederent A. Posthumium Dictatorem parta victoria filium securi percussisse, quod occasione bene pugnandi capta, iniussu parentis præsidio discessisset. *At*, inquit, *nec libet credere, & licet in variis opinionibus*, nimirum non credere, & argumento est, quod imperia Manliana, non Posthumiana appellata sint.

Addit denique hoc primum anno Carthaginienses per Siculorum seditiones, ad partis alterius auxilium, in Siciliam exercitum traiecisse. Verum id Diodorus Siculus l. 11. aperte refellit, cui res patriæ suæ narranti, vtique non indebita fides. Is ergo sub aduentum Xerxis in Græciam, id est, ante ipsos annos quinquaginta, eos scribit cũ trecentis hominum millibus, & ducentis nauibus in Siciliam venisse. Nimirum hi non ad alterius partis auxilium, sed ad totius Siciliæ seruitutem, in gratiam Persarum arma ceperant.

ANNVS MVNDI 3625. SEXTAE ÆTATIS 109. Nehemiæ 17. Artaxerxis 36. Imperii Persarum 109. Eliasib Pontif. 36. Olympiad. XXCVII. an. 4. Epaminone Prætore. Vrbis Condit. 324. Coss. L. Papyrio Crasso II. & L. Iulio.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 428.

I. MORTVVM hoc anno Periclem Atheniensium ducem clarissimum liquidò constat ex Thucydide, qui ait eum duos annos à bello moto, & sex præterea menses vixisse, id est intra tertium annum, qui nunc agitur obijsse. & Thucydidi consentit Diodorus. Eius vtrerque opes, prudentiam, fortitudinem, authoritatem, eloquentiam, victorias celebrant, multos communia docibus. At Pericles ipse moriens, amicis ista prædicantibus; *Prætereunt*, inquit, *quod excellentissimum est, & maximum. Nemo enim ex omnibus ciuibus mea opera pullam vestem sumpsit.* Præclarum virum, inquit Plut. non lenitate modo & mãsuetudine, quam multis in negocijs, & acerbis inimicitijs retinuit, sed grauitate etiam, qui in virtutibus suis præstãtissimum existimauit, quod in tanta potentia nihil inuidiæ aut iræ indulsisset, aut vlli implicabilis inimico fuisset. Causam mortis eius in præcedentis anni loem refert Plutarch. quæ non acuto neque vehementi, sed tenui eum, vt videbatur, lentoque morbo implicauit, qui inter varias mutationes paulatim corpus confecit.

II. De anno mortis Periclis consentit Euseb. in Chron. & Athenæus l. 5. qui Prætorem non Epaminondam, vt Diodorus, sed Epaminonem appellat. *Quo tempore*, inquit, *mortuo Perdicca rege Macedonum, in regno successit Archelaus.*

Laert. l. 3. init. ait Platonem natum eodẽ Athenis prætore, quo mortuus est Pericles, quem Ἀμείνιαν vocat; vtiq; mendosè, pro Ἐπαμείνονος, scriptum est ἐπὶ Ἀμεινίου, ne præpositio repeteretur. Deinde Epaminios pro Epaminoo, vt est in Athenæo; quem in Epaminondam optissimum efformauit Diodorus. Quæ autem mortis Periclis, facit, vt Laertio potius, de anno nati Platonis, quam Athenæo assentiamur; qui l. 5. tradit eum præcedenti anno, prætore Apollodoro natum; at longe magis fallitur Euseb. qui totis 4. annis natiuitatem Platonis à morte Periclis disiungit, & illam hac posteriorem facit; & videtur Apollodorũ Chronologum secutus, Eusebium certe S. Cyrillus in Iulianum secutus est. Chronologiam tamen nostram confirmat mors eius, quem fatentur omnes, anno 1. Olymp. 108. decessisse, id est anno ætatis 82. computatis extremis, vel 81. altero eorum omisso. Platonis genus ad Codrum & Solonem Laertius refert, quem consule si placet.

III. INEVNTE æstate Peloponnesij eorumq; socij duce Archidamo copias aduersus Platæam educunt, vbi antequã hostiliter agerent, nuncij vltro citroque aliquoties missi sunt. Tandem communicato cum Atheniensibus cõsilio, placuit obsidioné ferre, & in fide data persistere; præsertim cum iam ex vrbe sua omnem imbellem multitudiné Athenas exportassent; & soli quadringenti ciues, cum 80. Atheniensibus, & 110. mulieribus, ad parandum cibum relicti essent. Archidamus igitur omni munitionum, atq; oppugnationum genere eam expugnare conatus est; nec machinis solum, sed incendio etiam pugnauit, quod magna vrbis parte hausta, immissis cœlitus aquis restinctum esse dicitur. Cumque nihilominus obsessi nihil de sententia ac fortitudine remitterent, relictis ad obsidionem continuandam Bœotijs, ac Lacedæmonijs, sub Arcturi ortum, id est mensem Octobrem, vt ait scholiastes domum se receperunt.

IV. INTEREA Athenienses, Xenophonte Euripidis filio duce, bellum intulerũt Chalcidensibus, qui sunt in Thracia, & Bottiæis Lacedæmoniorum socijs. Ibique prælio commisso, grauis armatura Chalcidensium, ab Atheniensibus vincitur, & in vrbem compellitur. At eorumdem equitatus, & leuis armatura, Atheniensium equitatum, & leuem armaturam fudit, & profligauit: cumque eis mox nouum subsidium superuenisset, multis velitationibus vexatos, ad Potidæam fuga petendam compulerunt, & amissis quadringentis & triginta viris cum tribus ducibus, copiarum reliquiæ Athenas reuerterunt. Alio interea loco Peloponnesij infœliciter pugnarunt. Nam cum Ambraciotæ & Chaones totam Acarnaniam subigere, & ab Atheniensibus alienare statuissent, Lacedæmonijs persuaserunt vt classem ex socijs ciuitatibus pararent, & mille grauis armaturæ milites in Acarnaniam mitterẽt, sperantes se etiam Cephaleniam, & Zacynthum insulas, in suam potestatem redacturos: quin etiam Naupacti, vbi erat Atheniensium præsidium cum viginti nauibus, capiendæ spem esse.

V. SED irrita spes fuit. Nam coactis copijs, pedestris exercitus rem male gessit, temeritate Chaonum, aliorumq; barbarorum, qui suis viribus barbarico ritu, confidentes, Stratum vrbem, vel ipso clamore se expugnaturos credebant; insidijsque circumuenti periere, & hostibus de se trophæum erigendi materiam præbuerunt. Classis autem 7. & 40. nauium, cum tempori non affuisset, contra Phormionem, qui Naupacti cum 20. nauibus erat, imperite atque infœliciter pugnauit, multæ depressæ naues, 12. captæ multa hominum millia interfecta. Nec tamen fracti sunt animis Lacedæmonij. Indignum enim rati à paucis nauibus classem suam vsu maris prohiberi, & ignauiã suorum potius, quam imperitiam accusantes, aliam quam primum classem collegerunt, vt nauali prælio fœlicius decertarent. Interim Phormio Athenienses vrget ad alias obtinendas naues, & viginti obtinuit, quæ tamen prius in Cretam abierunt.

VI. QVÆ dum ibi moras trahunt, ventis ac nauigandi difficultate deterriti, Peloponnesij, qui ad Rhium Achaicum congregati erant, cum septem & 70. nauibus festinabant cum Phormione congredi, qui ad oppositũ Rhium iuxta Naupactum classem habebat, priusquam auxilium ei ex Creta veniret; cum tamen Athenienses angusta maris petere nollent, quæ Lacedæmonij, quasi sibi ad præliũ commodiora, captabant. Sex septemue abire dies, quos

Alia castra expugnata a Romanis.

Cum hic Dictator filium ... videtur.

Mors Periclis. ... l. 2. p. 144.

Quo Prætore mortuus sit.

Ortus Platonis.

Expeditio Peloponnensium contra Platæam.

Et Atheniensium in Thraciam.

Et rursum Pelopon. in Acarnaniam.

Infelix successu.

Redintegratur certamen.

... Spartanorum & Athen. pugna naualis.

exercitatione, & adhortationibus consumpserunt, tandemq; astu Lacedæmoniorum Athenienses ad pugnam adducti, vtrique semiuicti, semique victores fuerunt, vtrique victoriæ trophæa erexerunt.

VII. Mox autem pedestres Isthmum Corinthiacum trāsgressi, assumptisque Megarensium nauibus, spe Piræum Athenarum portum præsidio destitutum inuadendi, aduerso vento in Salaminam reiecti eam vastauerunt. At Salaminij noctu ignibus in aërem iactis Athenienses admonuerunt, tum vt cauerent sibi, tum vt sibi opem ferrent; Athenienses eo signo moniti, primò quidem magno affecti sunt terrore, quod hostem iam Piræo potitum crederent. Deinde raptim Salaminam se contulerunt, quorum aduentum præsentientes Lacedæmonij, Corinthum redire. Scio aliqua horum vt Piræi occupandi consilium, & regum Thraciæ & Macedoniæ pugnam à Diodoro in annum sequentem differri, quod equidem non laudo, miror magis, cum tota res tam exactè à Thucydide perscripta sit, etiam notatis singulis anni temporibus, vt qui eum legerit, de industria circa tempus errare oporteat.

VIII. *Aequi inducias impetrant.* In Italia Æqui Volscique, præcedentis anni damnis attriti, bellorumque pertæsi ad pacem adspirabant. Et Æquorum quidem legati, cum fœdus à Senatu petijssent, & pro fœdere deditio ostentaretur, inducias annorum octo impetrauerunt. *Volsci inter se dissident.* Apud Volscos autem cum propter eandem cladem alij pacis, alij belli autores essent, in iurgia & seditiones res versa est. Itaque Romanis vndique otium fuit. Quo otio cum Tribuni pleb. legem de æstimatione mulctarum pergratam populo ferre statuissent, vnius eorum delatione moniti Coss. eam ferè præoccupauerunt.

ANNVS MVNDI 3626. SEXTÆ ÆTAtis 110. Nehemiæ 18. Artaxerxis 37. Imperij Persarum 110. Eliasib Pontif. 37. Olympia. XXCVIII. 1. Diotimo Prætore. Vrbis condit. 325. Coss. L. Sergio Fidenate II. & Hostio Lucretio Tricipitino.

ANNVS ANTE CHRISTVM 427.

I. *Olymp. 88. Belli an. 4.* FVisse hunc annum primum huius Olympiadis, in cuius certamine Dorieus Rhodius iterum vicit, testis est Thucyd. lib. 3. quod de Pancratio intelligendum est. Nam in stadio victor fuit Symmachus Messenius Siculus, vt est apud Diodorum Siculum. Cuius etiam Pausanias l. 6. meminit. Hac Olympiade Eupolis & Aristophanes comici poetæ agnoscuntur, vt ait Eusebius in Chronico hoc loco, quod iam supra Olympiade 85. extrema, ex diuersa scriptorum sententia posuerat, quando & Sophoclem tragicum floruisse refert. *Eupolis & Aristophanes.* S. tamen Cyrillus Olympiade 88. natos Eupolim, Aristophanem, & Platonē prodidit. Grauiore errato apud Suidam legitur Aristophanē floruisse circa Olympiadem 114. Fuit autem patria Rhodius, sed ciuitate donatus est ab Atheniensibus. De Eupoli addo ex Suida, Atheniensem eum fuisse, Sosipolis filium; in theatrum anno ætatis decimo septimo prodire cœpisse, septemdecim fabulas edidisse, vicisse septē: mordacem hominem fuisse significat Persius, cum eum iratū vocat. In Hellesponto naufragio hoc bello Peloponnesiaco perijt. *Anaxagoras.* Anaxagoram autem hoc anno mortuum dicimus initio Olympiadis septuagesimæ octauæ.

Porro Athenienses Phormione duce castris ex Acarnania motis, & Naupactum profecti, ineunte vere Athenas rediere, secumque duxerunt eos, quos in prælijs naualibus ceperant, quos facta captiuum permutatione, ita vt singula pro singulis darentur, liberos dimiserunt.

II. *Archidamus in Atticam.* Seqventi autem æstate Peloponnesij, eorumq; socij, frumento iam adulto, cum infesto exercitu in Atticam iuerunt, duce Archidamo rege Lacedæmoniorum, vt scribit Thucyd. init. l. 3. quem tamen mirum est à Diodoro dici mortuum anno tertio Olympiadis 86. expletis 42. in regno annis, ei succedente Agide viginti septem annis, vt est in Græco textu, & non 47. vt habet Latinus interpres. Mirum inquam est, cum eum Thucydides hoc anno ducem expeditionis in Atticam scribat, imo & ipsemet Diodorus, non leuis negligentiæ argumento.

Archidamus igitur cum suis in Attico solo tandiu cōmoratus, dum eum commeatus deficeret, quamuis leuiter ab Atheniensium equitibus fatigatus, mature domum repetit.

III. *Lesbos ab Atheniensibus deficit.* Post hanc autem Peloponnesiorum irruptionem, statim Lesbos insula, præter Methymnam eius ciuitatem, ab Atheniensibus defecit, id Mitylenæis præsertim agentib. Eo Athenienses, quamquam morbo, & bello fessi, 40. naues, quæ circa Peloponnesum erant ad nauigandum paratæ, confestim misere, vt eos festum extra vrbem agitantes, imperatos opprimerent. Interea vero 10. Mitylenæorū naues, quæ cum Athenis erant, retinuerunt; & viros, qui in eis erant, in custodiam tradiderunt: quorum vnus fuga lapsus, & secunda nauigatione vsus, tridno Lesbum peruenit, suosq;, de imminente periculo præmonitos, seruauit.

Superuenientibus Atheniensibus, post leuem velitationem, induciæ factæ sunt, vt Lesbij Athenas profecti conarentur persuadere, vt naues illæ ab se abducerentur, in fide mansuris; quod ipsum non tam perficiendi studio, quam apparandi interea belli causa, & auxilia Lacedæmone euocandi faciebant. Nam simul legatos Spartam miserant.

IV. Vt nihil Athenis actum est, Mitylenæi, & cætera Lesbos, præter Methymnam, in Atheniensiū castra eruptionem fecerunt, in qua licet inferiores non fuissent, tamen belli aleam iterum aperiri noluerunt, donec aliquod eis auxilium Lacedæmone adueniret, quo rursum aliam legationem mittunt. Athenienses autem quibusdam socijs celeriter accitis, Mitylenem obsederunt.

Eadem æstate Athenienses in Peloponnesum 30. naues duce Asopio Phormionis filio miserunt: ab ijs aliquot oræ maritimę oppidis direptis, remissa classe reliqua, cum 12. nauibus Naupactum, vbi dudum pater eius in præsidio steterat, moxque in Leucadem profectus, à paucis præsidiarijs cæsus est.

V. At Mytilenæi, qui primi Lacedæmonem, auxilij petēdi gratia venerant, ad conuentum Olympicum remissi, illic Lacedæmonios omnes orarunt, vt se ad belli societatē, pro Græciæ libertate receptos, auxilio iuuarent, nec frustra; 40. enim naues ciuitatibus imperarunt, quibus destinarunt ducem Alcidam, vna autem nauis præmissa est, quæ desperationem auxilij prohiberet.

Interea Platæenses, qui diutius obsidionem ferre non poterant, & auxilia ab Atheniensibus desperabant, vigente iam hyeme consilium inire delerendi vrbem, & per hostium muros, & castra abeundi. Id cum difficillimū fore videretur, plerique ab ea mente deducti, ducenti & viginti, id non minus fœliciter perfecere, quam audacter aggressi fuerant, & deluso insequentium studio, Athenas peruenerunt: quod copiosè Thucydides, atque eleganter enarrat. Sicque annum quartum belli huius concludit. Liuius autem nihil dignum dictu his Consulibus actum fuisse refert.

ANNVS MVNDI 3627. SEXTÆ ÆTAtis 111. Nehemiæ Ducis 19. Imperij Persarum 111. Artaxerxis 38. Eliasib 38. Olymp. LXXXVIII. an. 2. Præt. Euclide Prætore. Vrbis Cond. 326. Coss. A. Cornelio Cosso. & T. Quintio Pœno II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 426.

I. *Belli an. 5.* QVintvs annus belli Pelopōnesiaci aperitur: in quo Mitylenæi obsidione fatigati, & auxilio 40. nauium

Mitylenæi obsessi deditionem faciunt.

desperato, sese Atheniensibus certis conditionibus dediderunt. Qui cum iam vrbe potirentur, auxilium denique 40. nauium duce Alcida septimo post die venit. Is re intellecta, suis licet suadentibus vt hostes Mitylenæ improuisos opprimeret, per summam ignauiam progredi non est ausus: cumque aliæ quoque rei bene gerendæ occasiones ei obijcerentur, maluit in Peloponnesum quam celerrimè se recipere, Athenienses persequentes summa contentione fugiendo. Multis tamen obiter, quos in suæ nauigationis cursu interceperat, trucidatis. Nimirum ignauia potentum crudelitati fere coniuncta est. At Paches qui pro Atheniensibus Mitylenem expugnarat, mox & reliquas insulæ vrbes deditione recepit, Mitylenæos autem, quos sua in vrbe ceperat, Athenas misit, iudicium de se, reliquisque ciuibus experturos.

Alcidæ ignauia, & crudelitas.

Reliquæ Lesbi vrbes recipiuntur.

II. Iudicium Atheniensium contra Mitylenæos.

Hi Athenis primo consilio condemnati sunt, missaque triremis ad Pachetem, quæ Mitylenæos omnes interfici iuberet, idq; consilio Cleonis, hominis in primis feri, ac barbari, qui non minore erat apud populum autoritate, quam crudelitate erga miseros. At cum & Mitylenæorũ, & multorum Atheniensium rogatu, iterum concio populi coacta fuisset, sententia mitior, quæ volebat, de ijs quos Paches misisset, per otium deliberari, reliquo populo ignosci, perpaucis suffragijs superior fuit. Itaq; alia statim dimissa triremis, quæ prius decretum antiquaret, & licet prior diem noctemq; antecessisset, tanta tamen contentione posterior priorem secuta est, vt cum illa appulisset, & decretum legeret Paches, & ad executionem se compararet, posterior superuenerit, & rem omnẽ discusserit. At eos quos præmiserat Paches, paulo plures mille, tanquam præcipuos defectionis authores, Athenienses, ex Cleonis arbitrio immani seueritate morte mulctarunt.

III. Reliqui Platæenses deditionem faciunt.

INTEREA dum Mitylenæi in Atheniensium potestatẽ veniunt, Platæenses, cum diutius obsidionem ferre non possent, nec ab Atheniensibus auxilium vllum acciperẽt, sese Lacedæmonijs dediderunt, ea conditione vt nullus in dicta causa damnaretur, sed de sontibus tantum supplicium sumeretur. Itaq; cum Lacedæmone quinq; Iudices aduenissent, iussi sunt Platæenses pro se dicere, quorũ orationem exceperunt Thebani illis infensissimi. Iudicij finis hic fuit, vt singuli rogarentur an aliquo beneficio Lacedæmonios, eorumq; socios in hoc bello affecissent, cumque illi nullum proferrent, singuli abducti interfectique sunt, nemine plane supplicium euadente: erant autem non pauciores ducentis, præter viginti quinq; Athenienses, qui vna obsessi fuerant, quos illi iudicio reseruarant, vt maiore scelere perderent, neque multum Atheniensium crudelitati cederent.

Omnes crudeliter interficiuntur.

IV. Quanta veterum temporum crudelitas.

Ex quo intelligi potest quanta in Persis, qui crudelitatis nomine pessimè semper audierunt, quanta apud Thraces, & Scythas, quanta apud Afros atque Æthiopas, quãta apud Indos, reliquamque barbariem crudelitas, in miseros sontes exerceretur, cum illi, qui eo tempore cultissimis moribus esse ferebantur, & præ cæteris gentibus legibus ac disciplinis, ad omnem humanitatem informati, tanta cæde in insontes, aut leuissimæ culpæ reos, etiam sedata ira baccharentur. Nec finis hic crudelitati fuit. Nam fœminas omnes servituti mãciparunt, nec ita multo post totam vrbem funditus euersam solo æquarunt, vt Thebanis, qui eos capitali odio prosequebantur, quosque sibi huic bello vtiles esse credebant, gratificarentur. Contigit ea clades Platæensibus anno nonagesimo tertio, ex quo societatem cum Atheniensibus inierant, vt ait Thucyd. Ex quo patet eam initam anno quarto Darij Hystaspis, qui fuit secundus Olympiadis sexagesimæ quintæ.

Reliqua in Platæenses sæuitia. Ex Thebanorum odio.

V. Res Corcyræorum perturbatissima.

Hoc ipso tempore res apud Corcyræos perturbatissimæ fuerunt; quod alij Lacedæmonijs, alij Atheniensibus fauerent, alij suis legibus viuere, cum vtrotumque amicitia, cuperent. Cumque eò primùm Lacedæmonij, cum tribus & 50. nauibus, duce Alcida venissent, cum Corcyræis, & Atticis nauibus, quæ illic erant, fœliciter pugnarunt; at mox superuenientibus Atheniensibus, classe 60. nauium instructis, terram legentes magna domum celeritate redierunt. Corcyrenses autem ipsi seditionibus, & inimicitijs efferati, immanibus inter se cædibus desæuierunt, & reliquis Græciæ ciuitatibus exemplo fuerunt, ad omnia diuina, atque humana iura, per belli huius occasionem proculcanda; vt fusius describit, deploratq; Thucyd. l. 3.

VI. Bellum Syracusanorũ cum Leontinis. Gorgias auxilium ab Athen. obtinet. Quid eo mouente.

HAC eadem æstate extrema cum Leontini & Syracusani bellum inter se gererent, & Leontini in periculũ vrbis per vim capiendæ adducti essent, per legatos auxiliũ ab Atheniensibus petunt. In legatis princeps erat Gorgias orator omnium, qui tum viuebant, dicendi facile princeps, cuius oratio, propter nouum dicendi artificium, Athenis admirationi fuit, & Leontinorum societatem facile persuasit, præsertim cum iam dudum sibi subijciendæ Siciliæ Athenienses desiderio tenerentur, eamq; ob causam Corcyræis contra Corynthios affuissent, vt supra ex Thucydide dictum est, & hoc loco à Diodoro repetitur. Accedebat quod Syracusani Lacedæmonijs societatis fœdere coniuncti erant. Miserunt ergo Athenienses in Siciliam 20. naues, quibus Lachetem & Chareadem præfecerunt, quem Diodorus Chabriam vocat, & pro 20. nauib. centum ponit, legit forte ἑκατὸν pro εἴκοσι, vt nunc apud Thucyd. legimus: quibus non contentus, mox etiam alias 40. Athenis ad earum subsidium adducit. Siculo de Sicilia scribenti credendum videretur, nisi amor patriæ hanc amplificationem expressisse videri posset: præsertim cum Thucydidis fidem, nullibi adhuc nutantem reperiremus, ad eumque tanquam hac laude clarissimum, Athenæus l. 5. passim ad refellendum Platonem prouocet, & Thucyd. historiam tanquam signum propositum dicat, cui credi oporteat.

Diodorus tem numerum auget.

VII. Quid Athenienses nunc circa Siciliã.

ATHENIENSES igitur Rhegium Italiæ appulsi, cum socijs bellum gerere cœperunt, & cum adiunctis sibi Rheginis cum 30. nauibus Æoliæ hyeme bellum intulerũt. Et aliquot insulas Siciliæ proximas incursionibus vastarunt, nec plura hoc anno gesta fatetur Thucyd. ideoque quæ addit Diodorus de reconciliatione Leontinorum, & Syracusiorum differenda sunt. Addit tamẽ Thucyd. ineunte hyeme pestilẽtiam, quæ nunquam plane sedata fuerat, Athenis recruduisse, & annum integrum tenuisse; adeo vt nihil æque vires eorum afflixerit. Cui frequentes terræ motus Athenis, & in Bœotia, & Eubœa coniuncti fuere.

Pestis Athenis recrudescit. Et varij terræ motus.

VIII. Romæ quoque morbi.

LIVIVS quoque his Coss. morbos Romę grassatos fuisse scribit, quorum causam videtur ascribere siccitati, qua ibi valde laboratum est, vt non cœlestes modo aquæ deficerent, sed terra quoque ingenito humore egens, vix ad perennes amnes sufficeret; pecora siti alibi, alibi scabie, ac lue deficerent, quæ in homines agrestes primum ac seruitia vulgata, vrbem impleuit: cui multis sacrificiorum superstitionibus Romani remedium frustra quæsiere. Nihilominus Veientes in agrum Romanum excursiones fecerunt; sed iræ aduersus eos in annum sequentem dilatæ sunt.

ANNVS MVNDI 3628. SEXTÆ ÆTAtis 112. Nehemiæ Ducis 20. Imperij Persarum 112. Artaxerxis & Eliasib Pont. 39. Olymp. XXCVIII. an. 3. Præt. Athenis Euthydemo. Vrbis Cond. 327. Coss. C. Seruilio Hala, & L. Papyrio Mugilano.

ANNVS ANTE CHRISTVM 425.

I. Sextus belli annus. Atheniensibus pestis clades.

SEXTO huius belli anno Athenienses non minus pestilentia, & terræ motus, quam Peloponesiorum arma vexarunt, sicut & superiore biennio; adeo vt ex legionarijs militibus, obierint non pauciores quam quatuor millia & quadringenti, & trecenti equites. Nam cæteræ turbæ numerus iniri non potest, vt ait Thucyd. lib. 3. quæ Diodorus de more auxit, turbauitq;. Hoc tẽpore, inquit, cum vix Athenienses aliquantisper à morbo respirassent, is recrudescens tantopere illos afflixit, vt peditum vltra quatuor millia, equites quadringenti; iũ ex cætera multitudine

tudine, & liberorum capitum, & seruitiorum, plusquam decem millia amitterent. Sic ipse.

II. *Terræmotus, & maris inundatio.* Nihilo secius Peloponnesij, eorumque socij, duce Agide Archidami filio, Lacedæmoniorum rege, ad Isthmũ vsque Corinthiacum processerunt, vt irruptionem in Atticam de more facerent, sed cum crebri terræmotus fierent, retro se receperunt. Terræmotibus coniunctæ restagnationes maris, in Eubœa, & Achaia terras depresserunt, & vrbes aliquas non leuibus ruinis affecere. Huic inundationi causam dedisse terræ motum Thucyd. scribit, qui violentiore impulsu mare longius amandarit. *L. 1. p. 311. Atalanta insula.* Meminit huius terræ motus Diodorus in hæc verba. Tã horrendæ tum terræ concussiones passim in multis Græciæ partibus acciderunt, vt superinfusa maris vnda, multis per littora vrbibus vastissimam labem attulerit. Et cum Locridis antea tractus peninsula esset, perrupto violenter Isthmo, insulam quæ Atalantæ nomen gerit, effecerit. Hæc ipse, vtique ex Thucydide, quemadmodum ex ipso, aut cum ipso Strabo & Eusebius. At Thucydides quidem ait circa illa loca, quod ante tellus fuerat, factum fuisse mare, ante inundationem tantum Atalantam insulam vocat, & longe ante ab Atheniensibus munitam dicit, cum *L. 2. p. 119.* prius esset deserta.

III. *Heraclea condita.* Hoc anno Lacedæmonij Heracleam, quæ est in agro Trachinio, ad Oetam montem, missa colonia oraculo Delphico approbante condiderunt, quod ea vrbs ad bellum contra Athenienses loco idonea sita esset, indeq; in Eubœam & Thraciam facilis esset traiectus, distat ferme 40. stadiorum spacio à Thermopylis, à mari viginti. *A Thessalis attrita. Athenienses in Aetolia male gerunt.* Sed ij à Thessalis, qui potentiam nouorum colonorũ timebant, prælijs attriti sunt. Athenienses quoq; qui in Ætoliã duce Demosthene arma tulerant, multis & ipsi velitationibus ab Ætolibus vexati, fugatique sunt, centum & viginti desiderati, dux re male gesta, Athenas ire formidans, Naupactum redijt: vbi periculum magnum adijt, Lacedæmonijs cum magnis copijs duce Euryloco eò profectis; sed vrbe mille Acharnanum præsidio munita, vim & spem Lacedæmonium inanem reddiderunt. Itaque Ambraciotarum consilio, armis in Amphilochiam translatis, ibi pugna cum Atheniensibus commissa, insidijs eorum circumuenti, victique sunt, ipsemet Eurylocho duce cum trecentis militibus desiderato: aliaque nonnulla minoris momenti.

IV. *Romana res.* Sed nec Romæ aliquid magni momenti suggerit Liuius. Non confestim videlicet initum contra Veientes bellum, sed res per feciales auito more prius repetitæ, nec redditæ. Controuersia inde fuit vtrum populi iussu indiceretur bellum, an satis esset Senatusconsultum Peruicere Tribuni denunciando impedituros se delectum. Omnes centuriæ iussere, vt Quintius, qui superiore anno consul fuerat, de bello referret ad populum, quod tamen in annum sequentem dilatum est. In eo quoque plebs superior fuit, quod obtinuit ne Consules, sed Tribuni Milit. in proximum annum crearentur.

ANNVS MVNDI 3629. SEXTÆ ÆTATIS 113. Nehem. 21. Imperii Persarum 113. Artaxerx. Longim. & Eliasib Pont. 40. Olympi. XXCVIII. An. 4. Prætore Stratocle. Vrbis con. 328. Tribunis Mil. T. Quintio Pœno. C. Furio M. Postumio A. Cornelio Cosso.

ANNVS ANTE CHRISTVM 414.

I. *An. 7. belli Pelopon. p. 285. & 286. 289. Obitus Artaxerxis.* Postremvm hunc annum regnauit Artaxerxes, qui in septimum belli Peloponnesiaci annum incidit, vt testatur Thucydides lib. 4. idemque quadragesimus regni fuit. Cum enim primo anno Olympiadis 79. regnare cœperit, & totas decem Olympiadas regnarit, perspicuum est eum, & quadraginta annos regnasse, & falli eos, qui ei 44. tribuerunt, mendoso Diodori textu, vel totius interpretatione decepti. Tertullianus quoque, & Diuus Hieronymus eidem Longimano quadraginta annos tribuunt, ille in c. 8. aduersus Iudæos: hic in c. 4. Ezechie. Euseb. in chron. Diodorus Olymp. 78. anno 4. & rursus Olymp. 88. an. 4. vbi cũ in Græco legatur, ἔτη τεσσαράκοντα, mirum est interpretem vertisse annos quadraginta quatuor, sicque Functio & Cytræo sectarijs imposuisse. Addendus de quadraginta annis Beda l. de sex. ætat. Ado in quinta ætate; eosque passim recentiores omnes sequuntur. Torniel. anno 183. sextæ ætat. Perer. Genebr. Gordon. Vilalpandus ex Beda. a Scaliger. 5. de emend. *a c. 3. p. 5. l. 3. c. 1.*

Etsi Clemens Alexandrinus li. 1. Strom. Niceph. Constant. c. 7. Artaxerxi annum vnũ & quadraginta tribuant. Ctesias autem etiam quadraginta duos, quem sequitur Sulpitius, licet apud eum mendose legitur, vt notauit Sigonius, regnasse annos 62.

II. *Nehemiæ reditus in Iudæam. b Nehem. 13. 6.* In hunc ergo vltimum Artaxerxis annum referimus Nehemiæ reditum in Iudæam ex Perside. Sic enim intelligenda censuimus illa verba. b *Anno 32. Artaxerxis regis Babylonis, veni ad regem, & in fine dierum rogaui regem, & veni in Ierusalem.* Nam finem dierum regni eius intelligendum esse, & non finem anni 32. supra anno eius 32. satis mihi probasse videor. Cum ergo Nehemias octauum iam annum abesset Hierosolymis, & multis nuncijs agnouisset male ibi res ire, summis precibus à rege petijt, & obtinuit facultatem eundi Hierosolymam. *1. 2. Esdr. c. 13. 7. Malus ibi rerum status.*

Ibi intellexit malum, quod fecerat Eliasib pontifex in gratiam Tobiæ alienigenæ, vt faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei. Thesaurum hunc paulo ante vocauerat Gazophylacium grande, alij cameram, vel cubiculum vertunt. Erat autem locus amplus, in quem recondebantur varia munera, & decimæ, non solum quę Pontifici obueniebant, quibus Eliasib præfecerat Tobiam propinquũ suum ex affinitate cum eo contracta, qui cum hostis esset Iudæorum, quæ ad Leuitarum sustentationem pertinebant, interuertebat, aut maligne distribuebat, nixus autoritate Eliasib.

III. *A Nehemia corrigitur. Emundat Gazophylacia.* Id Nehemiæ valde malum visum est, tum quia alienigenam, atque adeo Ammonitem non oportebat vsq; ad templi Gazophylacia penetrare, sed vix ad atrium gentiũ admitti. Ideoque proiecit vasa domus Tobiæ foras de Gazophylacio, & præcepit emundari Gazophylacia, & referri eo vasa domus Dei, sacrificia, & thus; tum quia sacrilege defraudabatur victus, vestitusque Leuitarum; *Reddit locum & victum Leuitis.* vnde & cogebantur aliò confugere, vt sibi compararent, quæ ad vitam erant necessaria: vnde etiam fiebat, vt Dei cultus desertus esset. Id significant verba sequentia. *Et cognoui quod partes Leuitarum non fuissent datæ, & fugisset vnusquisque in regionem suam de Leuitis, & cantoribus, & de iis qui ministrabant; & egi causam aduersus magistratus, & dixi: Quare dereliquimus domum Dei? Et congregaui eos, & feci stare in stationibus suis*, restituit scilicet vnumquemque loco & officio suo; & curauit deferri, quæ eis ex lege debebantur.

IV. *Etiam in futurum. c Esdr. 13. 12. & seq.* Et c *omnis Iuda apportabat decimam frumenti, vini, & olei in horrea. Et constituimus super horrea Selemiam sacerdotem, & Sadoc scribam, & Phadaiam de Leuitis, & iuxta eos Hanan filium Zachur, quoniam fideles cõprobati sunt, & ipsis reddita sunt partes fratrum suorum. Memento mei Deus pro hoc, & ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in ceremoniis eius.* Et hæc quidem Nehemias piè correxit circa templũ Dei. Addit & alterum circa obseruationem Sabbathi. *In diebus illis, vidi in Iuda calcantes torcularia in Sabbatho, portantes aceruos, & onerantes super asinos vinum, & vuas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Ierusalem die Sabbathi.* Imitatores erant isti patrum suorum, qui eadem temporibus Ieremiæ peccabant, ab eoque facinore à propheta, nimis ingentibus, promissisque retrahebantur. d Sic Nehemias, *Contestatus sum, inquit, vt in die qua vendere liceret, venderent*, & mox. *Et obiurgaui optimates Iuda, & dixi eis. Quæ est hæc res mala, quam vos facitis, & profanatis diem Sabbathi? Nunquid non hoc fecerunt patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super ciuitatem hanc? Et vos additis iracundiam super Israel violando Sabbatum.* *d Ierem. 17. 21. &c.*

BELLI PALOPON. 7.

V. *Corriguntur à Nehemia excessus mercatorum.*

Et ne verba obiurgationis irritæ essent, & cum sonitu euanescerent, rem deduxit ad praxim. Itaque sub vesperum feriæ sextæ, qua inchoabatur Sabbatum, iussit concludi portas vrbis, nec aperiri nisi transacto sabbato: idque vt studiose obseruaretur, adhibuit custodes de famulis suis, quo factum est, vt negotiatores, qui eo tempore de more veniebant, semel atque iterum exclusi portis, foris manerent. *Et contestatus sum eos,* inquit, *& dixi eis. Quare manetis ex aduerso muri? si secundo hoc feceritis*, post hanc admonitionem, *manum mittam in vos.* Erant enim Iudæis tentatio, & occasio peccandi. *Itaque ex tempore illo non venerunt in Sabbatho.* Dixi quoque Leuitis vt mundarentur, & venirent ad custodiendas portas, & sanctificandam diem sabbathi. Ad quid Leuitæ in portis ciuitatis? an ne eorum reuerentia eas populus aperiret? an potius vt ijs apertis, nihil tamen permitterent ingredi, quod ad violationem Sabbati quoquo modo pertineret? *Et pro hoc ergo, ait, memento mei Deus meus, & parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum.* Quid est quod etiam de bono opere veniam petit? Nisi quia etiam in sanctis operibus aliquid semper terrenæ contagionis contrahitur.

VI. *Connubia male contracta.*

CONTRAXIT & tertium abusum, affinitatum male contractarum. Etsi enim ante octo annos, & rursum ante trigesimum tertium, huiusmodi connubia cum alienigenis non solum damnata, sed etiam dirempta fuissent. Iudæi tamen nonnulli, contra promissionem iureiurando firmatam, in eandem se foueam iterum præcipites dederunt; idemque eos etiam asperius tractauit. *Sed & in diebus illis,* inquit, *vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas*, id est, ex Azoto Palæstinæ, *Ammonitas, & Moabitas.* Non vtique vidit ducentes, neque enim id passus fuisset, sed quæ duxerant eo absente, per hosce annos octo, & in Hebræo & Græco plusquamperfectum est: idque confirmatur ex sequentibus. Nam ex huiusmodi matrimonijs susceperant liberos, qui maternam linguam, non auitam, & patriam Iudæorum loquebantur. *Et obiurgaui eos,* inquit, *& maledixi*, id est execratus sum, *& cecidi ex eis viros, & decaluaui eos*, capillos euulsi, *& adiuraui in Deo*, id est diuino iureiurando adstrinxi, *vt non darent filias suas filijs eorum, & non acciperent de filiabus eorum filijs suis, & sibimet ipsis, dicens. Numquid non in huiuscemodi re peccauit Salomon Rex Israel? & certe in gentibus multis non erat Rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit eum Deus regem super omnem Israel? Et ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. Numquid & nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, vt præuaricemur in Deo nostro, & ducamus vxores peregrinas?*

VII. *Etiam in familia pontificia.*

Nec mirum erat plebem in eam præuaricationem lapsam esse, cum quidam de filijs Ioiadæ, qui pontificatui successit Eliasibo summo sacerdoti, gener esset Sanaballat Horonitæ, ducta filia eius in vxorem, cum publico totius populi scandalo. *De filijs Ioiada*, inquit Nehemias, *filij Eliasib sacerdotis magni gener erat Sanaballat Horonites*, ex Oronam videlicet ciuitate Moabitarum, a *quem fugaui à me.* Noluit scilicet Ioiada religiosior esse quam pater, qui sibi Tobiam affinitate coniunxerat; quorum vterque & alienigena, & inprimis hostis Iudæorum fuit, vt patuit in extructione murorum. Hunc ergo Sanaballat fugauit à se Nehemias, eodemque facto Pontificem, & filium eius castigauit, non alia pœna, vel obiurgatione vsus, ob reuerentiam sacerdotij, nec minus tamen de ijs apud Deum conqueritur. *Recordare, ait, Domine Deus meus, aduersum eos qui polluunt sacerdotium, iusque sacerdotale, & Leuiticum.*

a Isaiæ 15. 5. & Ierem. 48. 3. 5.

VIII. *Sua instauratio Nehemiæ.*

IGITVR *mundauit eos ab omnibus alienigenis*; distraxit videlicet hæc profana connubia, & restituit *ordines sacerdotum & Leuitarum, vnumquemque in ministerio suo.* Nathinæos quoque, qui ligna & aquas in templum comportabant, & curauit, vt quæ de primitijs & decimis lege constituta erant, magno studio obseruarentur. Pro quibus orat Deum sibi propitium fieri. Sicque expleta est liber Nehemiæ. De quo nihil deinceps in sacris voluminibus inuenitur, vnde nec scire possumus quousque vitam produxerit. Quidam existimant vsque ad Alexandrum magnũ peruenisse, quod meminerit Pontificis, qui principis illius tempore vixerit, quod fieri nequit, nisi ei 150. aut etiam plures vitæ annos tribuamus. Nam si ei demus 30. annos, cum factus est dux prouinciæ, nunc ageret quinquagesimum, & fere centum ad Alexandrum vsque supersunt. Dicendum videtur potius in diuersis locis posteriores pontifices, vel scribas suppleuisse quæ deerant circa huiusmodi genealogias, vt pleraque ab Esdra suppleta esse communis est sententia. Qua de re aliquid nuper dictũ est à nobis anno Artaxerxis trigesimo secundo. b

De eius morte.

b num. 6. 7. & seqq.

IX. *Ex Iosepho. lib. 11. c. 5. extremo.*

MORTEM eius sic paucis perstringit Iosephus. c *Post hæc,* inquit, *& alia multa honesta, & laude digna opera, Nehemias iam senex defunctus est, vir ad virtutem, & iustitiam natus, & in populares suos beneficentissimus, relicto sempiterno sui monumento in Hierosolymitanis mœnibus.* Alludere videtur Iosephus ad illud. d *Et Nehemias in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras.* Et quidem multo labore ac sollicitudine, multis sumptibus multa animi, corporisque contentione, elusis omnium aduersariorum fraudibus, contemptis minis, violentia fortiter superata. Denique semel iterumque Iudæorum republica, diuino cultu, honore templi, sacerdotum ac Leuitarum ministerijs, legitimis coniugijs, cæterisque ex diuina lege compositis, atque restitutis.

d Eccles. 49. 15.

X. *Typus Christi Nehemias in multis.*

Sed non minore in laude Nehemiæ poni potest, quod figura Christi Domini fuerit, haud obscura.

1\. Consolator populi fuit iuxta nomen suum, vt interpretatur Hieronymus. Christus Dominus se quoq; consolatorem vocat, cum ait, *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis*,
2\. vterque dux populi & sacerdos fuit,
3\. vterque sacrum ignem deuocauit è cœlo: nam Christus ignem se ait venisse mittere in terram.
4\.
5\. Nehemias Hierosolyma per portam Vallis egreditur, cum vrbis restaurationem animo agitat. Christus per eandem portam cruce onustus egreditur, Ierosolymæ cœlestis restaurationem facturus.

Construit ciuitatem Ierusalẽ multis omni studio molientibus eius fabricam impedire, adeo vt armati ædificare cogerentur ciues eius. Christus construit Ecclesiam ciuitatem sanctam, Ierusalem nouam per multas persecutiones & tribulationes, quas passa est à Iudæis, hæreticis, atq; gentilibus, perpetuoq; patitur; vt tunsionibus, pressuris expoliti lapides, suis coaptentur locis per manus artificis. Interea ciues sanctorum & domestici Dei, pugnant simul contra inimicos suos, & promouent opus suum.

Præsertim in ædificanda ciuitate Ierosolymæ.

6\. XI. *In subleuando populo suo.*

NEHEMIAS populum pauperem, obæratum, & iniquis exactionibus pressum subleuat, & remissionem populo facit. Remissionem fecit Christus Dominus populo suo, donans ei omnia delicta, quoniam soluendo non erat, sed iugo seruitutis opprimebatur.

7\. Nehemias non grauat populum exactionibus, sed suis sumptibus eorum inopiæ subuenit. Christus omnes labores suos, & merita donauit nobis, vt ijs quasi re nostra vteremur, vt eius inopia diuites efficeremus, & onera nostra ipse portauit.

8\. Nehemias segregauit populum Dei, & mundauit eum ab omnibus alienigenis. e Christus segregauit sibi populum Christianum de omnibus gentibus, quæ ambulant secundum desideria cordis sui, & mundauit sibi populum ab omni iniquitate, *populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*

e Nehem. 9. 2. c. 10. 28. c. 13. 3. 30.

9\. XII. *In mundando templo.*

NEHEMIAS eiecit profanos, & profanatores de templo, & eiecit eorum supellectilem; in apertam Christi figuram eijcientis negotiatores de templo, & mensas nummulariorum euertentis. Sed deinceps sacris deficientibus ad profana transeamus, dum Machabæi duces cum Antiocho Epiphane, longo temporis interuallo, post annos scilicet 250. nobis exorientur. Interim Annalium Ecclesiasticorum amator non silentium nostrum, sed diuinæ prouidentiæ arcana mirabitur, cui visum est hoc quoque tempore prima illa Patriarcharum tempora, historiæ lacteæ luce carentia, renouare.

XIII. Hoc anno Diodorus Stratoclem prætorem suggerit,

Thucyd.

BELLI PELOPON. AN. 7. Huius anni Prator, Ignea manatio Aethna.

Thucyd. Niciam videtur, qui Athenis cum Cleone altercabatur, sed eum Diod. anno seq. non Ἄρχοντα sed στρατηγὸν vocat. Neq; vllus Nicias his temporibus inter Prætores, siue Archonias memoratur. Eiusdem anni initio, ipso vere, vt scribit Thucydides, riuus ignis ex Æthna effluxit, quemadmodum & alias, & vastauit partem agri Catanæorum, qui sub Æthna monte, omnium Siciliæ montiũ maximo, habitant. Hæc autem flammarum eructatio, inquit, quinquagesimo post primam ignis eructationem anno contigisse fertur. Ex quo autem Sicilia à Græcis habitatur ad summum ter extitisse traditur, quæ Iustinus prætermisit; eius tamen occasione de Siciliæ & Æthnæ ignibus, nonnulla philosophatur. Nimirum Dominus certis temporum interuallis fidem ac metum tormentorum, quæ improbis post hanc vitam parata sunt, renouat; si quomodo illi, tantorum malorum iustissimo concussi metu resipiscant.

XIV. *Messena ab Atheniensibus deficit.*

EODEM ipso vere, vt tradit Thucydides init. lib. 4. cum segetes iam spicas emittere inciperét, Siculi Messanenses, Syracusanorum & Locrorum opera, ab Atheniensibus defecerunt, quod viderent id oppidum ad inuadendam Siciliam opportunum esse, & metuerent Athenienses, ne illinc excurrentes, maiori eos apparatu inuaderent. Simul etiam Peloponnesij cum socijs, duce Agido Archidami filio Lacedæmoniorum Rege, in Atticam profecti, agrum de more populabantur; idq; quindecim diebus duntaxat. Cum enim audissent captam Pylum (is locus est in extrema Peloponneso, iuxta Coryphasium promontorium, in agro Messenio, quem locum Athenienses occuparant, & intra sex dies communierant, atque ad eius loci defensionem, Demosthenem, cum quinque nauibus reliquerant) Spartam ingenti cum solicitudine regressi sunt; maximi quippe momenti negotium exortum fuerat.

Peloponnesij agrum Atticum populantur.

Pylus in Peloponneso ab Atheniensib. capitur.

XV. *Pugna ad Pylum. Victoria Atheniensium. Spartanorũ dolor. Induciæ.*

ERGO mox ad Pylum, cum multæ vndique tam Lacedæmoniorum, quam Atheniensium naues conuenissent, pugnatum est, victoriaq; apud Athenienses stetit, magno cum Spartanorum dolore, qui locum in agro suo tumultuariè communitum, & à pauculis hominibus defensum, quique eis futurus erat quasi spina infixa pedibus, expugnare nequiuissent; neque suos in deserta insula ab Atheniensibus circunuentos, liberare. Quæ causa fuit vt induciæ tantisper fierent, dum per legatos de suorum liberatione Athenis statueretur, vbi Lacedæmonij pacem iniri, & suos reddi postularunt, sed spes pacis Cleonis improbitate disiecta est, reque infecta legati ad suos redire coacti sunt. Athenienses autem Lacedæmoniorum naues circiter sexaginta, quas durantibus inducijs seruandas acceperant, ne scilicet ijs vterentur ad suos ex insula educendos, ex pacto reddere noluerunt, causati violatas à Lacedæmonijs inducias.

XVI. *Bellum ad Pylum redintegratur. Lacedæmoniorum deditio.*

ITAQVE bellum ad Pylum vtrinque redintegratũ est, operam dantibus Atheniensibus ne insulani elaberentur; Lacedæmonijs vero omnem occasionem obseruantibus, vt ciues suos liberarent. Et quidem sæpe furtim ad eos cõmeatum misere, sed tandem Cleone cum copijs superueniente Athenis, Atheniensibus in insulã transgressis, post diuturnum certamen Lacedæmonij dedidere se, numero ducenti 92. qui reliqui erant de 420. in quibus erant Spartani centum & viginti: hoc autem omnium, quæ in hoc bello contigerunt, maxime præter expectationem contigit. Existimabant enim omnes, nec fame, nec vlla necessitate compulsos Lacedæmonios arma tradituros, sed cum ijs fortiter dimicantes, mortem oppetituros. Hic Cleon præter expectationem temerarij promissi compos effectus, qui se intra viginti dies ipsos Athenas adducturum spoponderat, si eo cum copijs mitteretur, eos Athenas adduxit, vbi in vinculis seruati sunt, dum forte aliqua cum Peloponnesijs compositio fieret, quos tamen statuebant interficere, si Peloponnesij prius in agros ipsorum irruissent: qui crebris ad Athenienses legationibus functi, Pylum & captiuos sibi reddi frustra postularunt; quod Athenienses victoria elati maiora affectarent.

XVII *Artaphernes legatus Persa ab Atheniensibus capitur.*

SVB hyemem Aristides, vnus è ducibus Atticæ classis, pecuniæ à socijs cogendæ causa, in Artaphernem virum Persam incidit, qui à suo Rege missus Lacedæmoné proficiscebatur. Eum captum Athenas cum eius literis deduxit, quibus inter alia Persa dicebat, nescire se quid ipsi vellent, cum è multis legatis nullus eadem diceret: si quid igitur aperte dicere vellent, cum hoc Persa viros ad se mitterent. Postea vero Athenienses vna cum legatis triremi vectum Ephesum miserunt, vbi cum intellexissent Artaxerxem Xerxis filium nuper obiisse, nam per id tempus decesserat, domum redierunt. Ita ex Thucydide; ex quibus apparet Artaxerxem sub huius anni finem viuere desijsse. Eius autem mortis modum, quod nihil insigne habere videretur, nemo quod sciam retulit.

CLADES SPARTAN. AD PYLVM.

Sub obitum Artaxerxis.

XVIII. *Per tres tribunos consulari potestate.*

IN Italia bello contra Veientes conficiendo tres Tribuni consulari potestate profecti sunt, Cornelio Cosso vrbis præsidio relicto, simulque docuere, plurium in bello pari potestate ducum imperium, inutile esse. Cum enim inter se non conuenirent, & contraria etiam militibus imperarent, in turbatos impetum Veientes fecere, & in castra, maiore ignominia quam damno, compulere.

Dictator Aemylius Mamercus. Veientes gloriantur.

Mœsta ciuitas vinci insueta odisse Tribunos, poscere Dictatorem, in eo verti spes ciuitatis. A. Cornelius Dictatorem dixit Æmilium Mamercum, & ipse ab eo Magister equitum est dictus. Veientes secundis rebus elati, missis circum Herruriæ populos legatis, iactando tres duces Romanos ab se vno prælio fusos, voluntarios vndiq; ad spem prædæ asciuere. Vni Fidenatiũ populo rebellare placuit; & quasi nefas esset bellum nisi à scelere ordiri, sicut legatorum antea, ita tum nouorum colonorum cæde imbutis armis, Veientibus se coniungunt, qui Fidenas belli sedem transtulere.

Fidenates deficiunt.

XIX. *Romani terrentur.*

CVM autem Romę Veientium vires Fidenatium accessione auctas esset auditum, tantus Romanum populum terror inuasit, vt necesse esset à Dictatore in concionem adductũ vehementius increpari, & iustissimis rationibus ad fiduciam adduci. Votis deinde nuncupatis profectus, mille & quingentos passus citra Fidenas castra posuit, dextra montibus, læua Tiberi amne septus. Tum T. Quintium Pœnum legatum occupare montes iubet, occultũque id iugum capere, quod ab tergo hostibus foret. Postridie cum hostis in aciem processisset, Dictator nonnihil cunctatus, quoad speculatores referrent Quintium euasisse in iugum propinquum arci Fidenatium, tũ signo pugnæ dato hostem, iustis conuicijs, ac contumelijs impetitum, ferro inuadit.

Dictator hostem adit.

XX. *Fidenates armati facibus.*

CONCVSSERAT primo statim congressu hostem, cum repente patefactis Fidenatum portis, inusitata erupit acies, ignitis facibus armata ingens multitudo, velut phanatica in hostem ruit; formaq; insolitæ pugnæ Romanos paulisper exterruit, sed Dictatoris voce miles animatus, redintegrat pugnam, & ereptis etiam hosti facibus, illis ipsis eos vstulatos fundit, fugatque, equitatu tum primũ in pugnam immisso. Cumque iam ab tergo, turbatis fugientibusque, superueniret Quintius, & hostis vtrinque cæderetur, nec in montes fugam, neque in castra capere liceret, maxima pars se in flumen dedit, quæ tota pene perijt, pauci Fidenas euasere. At cum ijs recentes Quintij copiæ in vrbem inuolant, inque muros euadunt, suisque capti oppidi signum è muro tollunt.

Vincuntur nihilominus, & mersi pereunt.

XXI. *Vrbs ipsa capitur, ac diripitur &c.*

QVOD vbi Dictator conspexit, militem ad prædam vrbis vocat. Nec minor cædes in vrbe, quam in prælio fuit; donec abiectis armis, nihil præter vitam petentes, Dictatori deduntur, vrbs, castraq; diripiuntur, captiui veneunt. Inde exercitum victorem, opulentumque præda, triumphans Dictator Romam reduxit, iussoque magistro equitum abdicare se magistratu; ipse se abdicat die sexto decimo, reddito in pace imperio, quod in bello trepidisque rebus acceperat. Classe quoque in Tiberi pugnatum hoc tempore contra Veientes quidam scripto prodidere, quibus fidem Liuius derogandam putat.

Dictator triumphat.

ANNVS MVNDI 3630. SEXTÆ ÆTATIS 1.4. Imp. Persar. 114. Xerxes II & Sogdian. Ioiadæ Pont. 1. Olympiad. XXCIX. an 1. Præt. Athenis Isarcho. V.C. 329. Trib. milit. A. Sempronio Atratino, L. Quintio Concinnato, L. Furio Medullino, L. Horatio Barbato.

ANNVS ANTE CHRISTVM 423.

I. Nouum ponti-fex Hel. anni Olymp. 88. 1.11.c.7.

NOVVM hoc anno belli Peloponnesiaci octauo Hebræorum pontificem Ioiadam, quem Iosephus Iudam maluit appellare, a cum nouo Persarum Imperatore suggerimus, quod certum numerum annorum Pontificum nusquam habeamus: huic Genebrardus 24. annos attribuit, Philo Annij 44. tam incertum vnum atque alterum, illud satis certum, eum vsque ad Artaxerxem Mnemonem in pontificatu fuisse. In quo tamen res ab eo gestæ scriptorum pennis, in obscuro mansere. Hunc annum 329. ab Vrbe Condita putat Gellius b esse initium belli. Armendose vt ibidem notatur, legendum enim est 322. Sed ipsemet initio eiusdem capitis negat se hæc tempora acri & subtili cura digerere, quod sane eo tacente res loquitur ipsa per sese. Initio huius Olympiadis Symmachus ille Siculus cursu iterum nobilitatus est. Doreus autem Rhodius etiam tertium pancratio victor enasit.

b l.17.c.21.

II. Xerxes II. rex Persarum.

IMPERIO Persarum Artaxerxe mortuo successit Xerxes filius eius, qui solus erat legitimus ex Damaspia susceptus, quæ eodem ipso die quo Xerxes mortuus est, è vita discessit, vt Ctesias scriptum reliquit. Additq. fuisse Artaxerxi septemdecim filios spurios, in ijsque Secundianum, quem alij Sogdianum appellant, ex Allogune Babylonia susceptum, & Ochum qui postea regnauit, & viuo patre Hircanorum præfectus fuerat, & Arsiten ex Cusmartidene, quæ erat etiam ipsa Babylonia. Quandiu autem hic Xerxes regnarit ex eodem Ctesia liquet. Secundianus, inquit, posteaquam sibi Pharnacyam eunuchum conciliauit, quum Xerxes in quodam festo ebrius esset, atque in regia sua dormiret, ingressi eum interficiunt, die à patris morte quinto & quadragesimo. Euenit ergo vt amborum simul corpora ad Persas deferrentur. Nam mulæ, quæ currum trahebant, tanquam filij cadauer expectarent, iter facere nolebant: sed postquam is priori currui accessit, magna cum alacritate iter fecerunt. Hæc fere Ctesias; ex quo corrigendus est Diodorus Siculus, qui in fine Olympiadis octogesimæ octauæ, huic Xerxi vnum annum regni tribuit, idque repetit anno proximo, vbi tamen fatetur, alios ipsi vnum tantum, atq; alterum mensem concedere. In ijs est Eusebius in Chronico, quem passim omnes antiqui, recentioresque sequuntur.

Basilio regnauit.

Petr. Tornel. Gordon.

III. Eum successit Sogdianus.

SECVNDIANVS regno potitus, vt scribit idem Ctes. Pagoraazum eunuchum, quocum iampridem simultatem exercebat, criminatus est, quod patris sui cadauer absque eius consilio ibi reliquisset, eaque de causa illum obrui lapidibus imperauit. Quod factum ægerrime tulit exercitus, qui quamuis ab eo muneribus donaretur, eum tamen ob Bagorazi, & fratris Xerxis cædem odio prosequebatur. Postea Ochus à Secundiano accersitus, venturum se promittit, sed minime venit, donec multo maiorus exercitu regnu occupaturus sperabatur. Mox Arbarius equitum Secundiani præfectus ad Ochum defecit. Deinde Arxanes Ægypti satrapa. Quin etiam Artoxares Armeniæ præfectus venit ad Ochum, & ipsi cidarim inuiro imposuerunt. Is dolis ac iuramentis Secundianum tentat, qui illis acquiescens capitur, & in cineres coniectus moritur, cum sex menses, & dies quindecim regnauisset. Hæc fere Ctesias Itaq; Euseb. septem illi menses attribuit, sicut & Diod. & S. Hieron. in 4. caput Ezechielis, Ado, Nicephorus, Beda, alijque. Nonnulli tamen graues scriptores vtrumque regem, ob imperij breuitatem, omiserunt, vt Thucydides, Tertullianus, libro contra Iudæos, Sulpitius Seuerus, & nonnulli ex Iunioribus. Porro horum duorum regum octo vel nouem menses, pro vno anno æstimantur, atque numerantur.

Ro... in cinerem ...

c 8.

IV. Genebr. in Adr. chron. c.13. d. Eum mors ...

QVO est autem Sogdianum in cineres coniectum mori? Explicari id potest ex improbissimi Menelai interitu, qui 2. Machab. recitatur. *Rex regum*, inquit, *suscitauit animos Antiochi in peccatorem*. Menelaum. Et suggerente Lysia hunc esse causam omnium malorum, iussit, *vt eis erat consuetudo*, apprehensum in eodem loco necari, vel vt est in Græco, iussit vt abducentes eum Berœam, ibi eum perderent. *Erat autem in eodem loco turris 50. cubitorum, aggestum vndique habens cineris*, aut plena cinere, quæ machinam habebat circumuersatilem, in cinerem vndequaque præcipitem, ibi eum, qui damnatus esset sacrilegij, aut qui aliud quodcunque scelus insigne perpetrasset, omnes protrudebant ad interitum. Huiusmodi supplicio nefarium illum mori contigit, ne sepulchri quidem compotem factum Menelaum. *Et quidem satis iuste. Nam quia multa erga aram Dei delicta commisit, cuius ignis & cinis erat sanctus, ipse in cineris morte damnatus est*, vt ibi in multo cinere cum fame ac siti luctando suffocaretur. Eadem morte videtur periisse Sogdianus, qui præter alias iniustas cædes, etiam Xerxem, & fratrem, & regem, per fraudem in ebrietate peremerat. Eodem mortis genere postea Darius Nothus, Artiphium Megabyzi filium, & Arsitem fratrem, eodem patre ac matre genitum, & Pisuthnem satrapam, cum ab eo defecissent, affecit, vt ab eodem Ctes. refertur: vt intelligas rectè à Scriptura notarum, hanc fuisse Asianis illis principibus consuetudinem, in viros illustres animaduertendi.

V. Eclipsis Solis, & terræ motus. Thucyd. l. 4. p. 286. Vrbes in Asia occupata a Pelopon.

ÆSTATIS huius initio statim circa nouilunium sol ea parte defecit, eiusdemq; mẽsis initio terræ motus extitit. Cum Mitilenæi, aliique Lesbi exules Rhœtium occupant, Troadis in Asia minore ciuitatem, quam ipsis incolis accepta pecunia reddiderunt. Inde Antandrum Mysiæ ciuitatem, in eadẽ ora maritima proditione occupant, eamque Atheniensibus ereptam, cõmuniunt, eosq; in Lesbo commorantes, incursionibus varijs diuexant, & vicina Æoliæ oppida sibi subijcere moliuntur. Sed Antandrum mox Athenienses, qui circa Hellespontum erant, pecuniæ colligendæ gratia, receperunt, prælio superatis ijs, qui contra ipsos prodierant.

VI. Cythera insula ab Atheniensibus capta.

ATHENIENSES interea cum 60. nauibus, & duobus militum millibus Cytheram insulam, agro Laconico adiacentẽ, è regione Maleæ promontorij, magno Lacedæmoniorum detrimento ac dolore, duce Nicia occuparunt. In ea quippe insula præsidiũ habebant, vt quæ ipsis & portus esset onerariarũ nauium, quæ ex Africa, & Ægypto veniebant. & propugnaculum contra latrocinantiũ circa eam oram incursus. Nunc autem cum eam captam viderent, & Cythereos sibi amicos ac subditos, in alias sedes translatos, & pro ijs præsidium ab hoste impositũ, à quo perpetuo vexarentur, vtiq; vehementer angebantur: præsertim cum altera ex parte, in ipsa sua continente, etiam Pylum teneret hostis cum præsidio, cuius causa ingentem cladẽ in insula nuper acceperant. Accedebat quod nauali semper prælio contra Athenienses sibi decertandum erat, in quo longe se inferiores agnoscebant. Itaque cum Athenienses maiori in dies spe consurgerent, maioraq; aggrederentur, Lacedæmonij contra animo contrahebantur, & quidquid aggressi fuissent, id infelicem exitum putabant habiturum.

Quanto Lacedæmonij damno.

VII. Athenienses tota Sicilia ...

CVM igitur Athenienses tunc oram maritimam vastarent, nemo erat qui ea præsidijs ad certamen prodiret, sed plerique desertis ijs ad eorum aduentum aufugiebant: spes tamẽ eorum irritæ in Sicilia fuerunt. Nam Siculi, coactis totius insulæ comitijs, Hermocratis Syracusani oratione permoti, qua & suum periculum, & Atheniensium consilia de tota Sicilia sibi subiuganda demonstrabat, pacem inter se inierũt, & Athenienses à se dimiserunt. Quorum duces domum reuersi, partim exilio, partim pecunia mulctati sunt, quasi penes eos fuisset Siciliam in suam potestatẽ redigere, sed muneribus adducti destitissẽt. Adeo freti præsenti rerum successu, nihil sibi præter animi sententiam succedere patiebantur: verum hanc iunoaiorum

ducum

ducum ignominiam ac pœnam, ipsimet postea, funestissimis attriti cladibus, pependere. Porro præsentem Siculorum reconciliationem alieno tempore recensuit Diodorus, Olymp. 80.2. præoccupatione vsus, exitum belli cum eius initio coniungens. At nos Thucydidem sequimur.

VIII. *Arx Megarensium occupata ab Athen.*

Irrita etiam fuit spes Megaræ ab Atheniensibus capiendæ, vrbis proditione casu impedita. Nisæa tamen vicinum Megarensium propugnaculum, vt est in Ptolemæi tabulis, aut potius arx eiusdem vrbis Megarensium, vt ex Thucyd. intelligitur, nec inopinato impetu obsessa, & breui capta est, nec à superuenientibus Lacedæmoniorum copijs, quæ Brasidam ducem sequebantur, recepta est: ciuitas ipsa in fide Lacedæmoniorum stetit, vel inuita. At cum suos exules, fide data, & iureiurando firmata de iniuriarũ obliuione, recepisset, illi postea in magistratus promoti, centum viros ex inimicis suis delectos, quos à populo damnari coegerunt, interfecerunt, & præsentem Reipub. statum in paucorum dominatum, fere commutarunt.

Brasidas Thraciam adit.

Per hoc ipsum æstatis tempus Brasidas Lacedæmonius res præclare gessit in Thracia contra Athenienses, eorumque fastum non mediocriter attriuit. In eam prouinciam, cum mille & septingentis grauis armaturæ militibus profectus est, & Thessalorum hospitum opera vsus, per Thessaliam, licet Atheniensibus amicam, summa celeritate transiuit incolumis, & Chalcidensibus, & Perdiccæ, & omnibus, qui ab Atheniensibus defecerant, gratus, in Thraciam peruenit: in animo habens res Atheniensium illic quam maxime turbare, vt eos à vexanda Lacedæmona deduceret.

IX. *Multa loca Atheniensibus eripit, & quo consilio. Acanthios, Stagirios Amphipolitas, Et pene Eionem.*

Itaqve cum statim ab initio iustum ac moderatum se erga ciuitates præbuisset, multa loca ad defectionem impulit, alia vero per proditionem cepit. Ex quo Lacedæmonijs euenit, vt si compositionem facere vellent (quod fecerunt) facta locorum permutatione, ea restituerent quæ cepissent, & reciperent quæ amisissent, & Peloponnesus bello leuaretur, & Atheniensium socij amicitiæ Laced. maxime cupidi essent, rati reliquos Lacedæmonios Brasidæ similes esse. Primum ergo Acanthios ab Atheniensibus ad suas partes attraxit, iureiurando interposito, iuxta Lacedæmoniorum magistratuum præscriptum, se eos, & reliquos, qui se Lacedæmonijs adiungerent, suis legibus vti, liberosq; viuere permissurum: itaque eius exercitum intra vrbem receperunt. Nec multo post Stagirus etiam, Andriorum colonia defecit. Proxima etiam hyeme defecit Amphipolis præclara Thraciæ vrbs, ad Strymonem fluuium sita: & nisi opportune Thucydides, qui hæc ipsa scripsit, eò cum 7. nauibus ex Thaso insula venisset, etiam Eione Amphipolim secuta esset, Atheniensium amicitia eiurata. Ita amat Deus eos, qui superbe secundis se rebus erigunt, deijcere, atq; calcare; sed eam tutatus est Thucydides, vt ipsemet l. 4. testatur.

X. *Boeotorum & aliorum de Atheniensib. victoria.*

Qvin etiam Bœoti duce Pagonda contra Athenienses terrestri certamine commisso, victores effecti, magnam eis cladem cæsis fere mille viris, cum ipsorum Imperatore Hippocrate, attulerunt, moxque eosdem ex Delij oppugnatione, eorum munitione artificiose incensa, multis occisis captisque expulerunt. Expulerunt & Corinthij Demosthenem ducem, qui in agrum Sicyonium cum quadringentis armatis inuaserat, & plerisque tum captis tum occisis trophæum de Atheniensibus victis, sicut & Bœoti erexerunt. De Bœotica vero victoria scribit Diod. tantam cæsorum fuisse multitudinem, vt ex manubiarum precio magnam in foro porticum extruerent, æneisque statutis exornarent. Templa etiam, & porticus forenses armis spoliatorum hominum affixis, vndiq; velut ære obducerent. Deliorum insuper ludos, opibus hoc bello partis, agendos instituerent.

XI. *Ad Brasidam ciuitates deficiunt.*

Amphipolitarvm exemplum pleræq; aliæ ciuitates secutæ sunt, partim rerum nouarum studio, partim Brasidæ mansuetudine, & libertatis studio, ad quam se vocari, & ab Atheniensium vindicari tyrannide, ope Brasidæ arbitrabantur: quos etiam timiditatis arguebat, quod ad Nisæam secum bello decernere ausi non fuissent. Itaque ciuitates passim caduceatores clam ad illum mittebant, rogantes vt ad se accederet, & pro se quisque ad illum primi deficere cupiebant, impune id sibi fore persuasi, Atheniensium potentia vehementer debilitata. Athenienses vero amissionem Amphipolis ægerrime tulerunt, quod & nauium fabricatio, & multarum pecuniarum prouentus ipsis eadem opera perijsset: & via Lacedæmonijs ad omnia in Thracia turbanda pateret. Itaque quantum per hybernam tempestatem licuit, præsidia in vrbes miserunt. Brasidas autem Lacedæmone auxilia accersiuit, nec tamen impetrauit, quod Spartani belli pertæsi essent, propter eos præsertim, qui in insula deserta deprehensi, Athenis in vinculis habebantur. Nihilominus reliquum annum in oppugnandis, & deditione recipiendis oppidis posuit circa montem Athos, præsertim autem Toronam Chalcidicam, ex qua Toronaicus sinus nomen habet: sicq; cum hyeme octauus belli annus exactus est.

Athenienses de Amphipoli tristitia.

Spartani belli tædium.

XII. *Romana res.*

De Romanis rebus nihil aliud hoc anno refert Liuius, quam Veientibus 20. annorum inducias datas fuisse, Æquis triennij, cum plurium annorum petijssent: & otium quoq; fuisse ab vrbanis seditionibus. Ludi proximo anno à Dictatore voti, in annum sequentem, propter magnitudinem apparatus, vt arbitror, dilati sunt.

ANNVS MVNDI 3631. SEXTAE AETATIS 115. Imperii Pers. 115. Darij Nothi 1. Ioiadæ Pont. 2. Ol. XXCIX. An. 2. Prætore Athenis Amynia. V.C. 330. Trib. Milit. Ap. Claudio Crasso, Sp. Nautio Rutilio, T. Sergio Fidenate, Sex. Iulio Tullo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 422.

I. *Rex Persarum Darius Nothus.*

Cæso intra 7. menses Sogdiano, Darius regnum ad nouemdecim annos tenuit, vt scribit Diodorus, qui eius initium in hunc ipsum annum secundum Olymp. 89. retulit. Eidemq; Chronologiæ necessario consentit Euseb. quandoquidem prioribus duobus, siue regibus, siue tyrannis, annus vnus tribuendus est: consentit quoque de numero annorum imperii. Sed ab illis Ctesias valde dissentit, qui lib. 18. historiæ suæ ait eum Babylone mortuum cum annos 35. regnasset mendo vtique in numeros illapso.

Quod ergo ad Darium istum attinet, omnes eum Longimani filium fatentur, sed illegitimum, cum Ctesia, quem superiore anno retulimus: quod nouum admodum Persis fuit. Nam Herodot. init. l. 3. ex eo refellit quorundam opinionem, asserentium Cambysem fuisse genitum ex filia regis Ægypti, quod apud Persas illud in primis nefas esset, illegitimum obtinere regnum, si legitimus adesset: at supererat Isogæus Artaxerxis filius legitimo matrimonio susceptus, cui tamen in regno capessendo Darium Nothum antepositum à populo scribit Pausanias in Eliacis, qui non parum à Ctesia differt, qui non Isogæum legitimum regni heredem, populi studijs à Dario regno pulsum, sed Secundianum, & ipsum quoq; illegitimum, ait, à Dario, optimatum studiis ficto; deceptum periurio captum & interfectum. Verum cum hæc obiter attigerit Pausanias, Ctesiæ, hæc ex instituto tractanti, potius acquiescendum videtur. Ex quo visum est hic Artaxerxis familiam describere.

l. 6. p. 183 gr. Brisson. l. 1. de regn. Pers.

FAMILIA ARTAXERXIS LONGIM. REGIS PERSARVM.

Artaxerxes Longimanus rex genuit.

- Xerxem II. ex Damaſpia vxore, quem Sogdian. ſiue Secundian. poſt regni dies 45. interfecit Cteſ. Iſogæum, quem Darius Nothus regno expulit, Pauſanias l. 6. p. 182.
- II. *Artaxerxes Longimanus ... genuit.* Et ſeptendecim ſpurios, in quibus fuerunt.
  - Secundianus, ſiue Sogdianus ex Alogune Babylonia concubina, quem Darius Nothus poſt ſex regni menſes, & quindecim dies interfecit. Cteſias.
  - Ochus, qui poſtea Darizus, ſiue Darius Nothus, ſuſceptus ex Coſmartidene Babylonia, qui 19. annis regnauit.
  - Arſites eius frater vterinus, qui mox cum Artyphio Megabyzi filio à Dario fratre defecit, cumq; victi ſe regi dedidiſſent, ambo Paryſatidis opera cæſi ſunt.
  - Bagapæus ex Andia concubina item Babylonia.
  - Paryſatis ex eadem Andia ſuſcepta eſt, quæ Ocho, ſiue Dario fratri ſuo nupſit, & ex eo ſuſcepit 4. filios, vt ait Plutarch. in Artaxerxe. At Cteſias ſuſcepiſſe ait.
    - ante regnum,
      - Arſacan, ſiue Arſican, qui poſtea dictus eſt Artaxerxes, & Dario in regno ſucceſſit. Duxit vxorem Statiram Idernis filiam, quam inuitis parentibus retinuit.
      - Amiſtrin, quæ dixit Idernis filium Teritouchmen, qui Roxanem propriam ſororem diligens, Amiſtrin occidere voluit. Sed re non ſuccedente, ipſoque occiſo, Paryſatis regina Matrem eius, fratreſque duos occidit: duas ſorores viuas terra obrui, Roxanem viuam ſecari iuſſit.
    - Poſt regnum.
      - Cyrum, quem Thiſſaphernes, apud Artaxerxem regem, ambiti regni accuſauit. Xenoph. init. l. de expedit. eius.
      - Atoſtem ſiue Oſtanem. Oxandram, ſiue Oxatrem. — apud Plat. in Artaxerxe.
      - Et alios duodecim qui celeriter vita migrarunt.

Prætorem Athenis Amyniam ſuggerit Diodorus Siculus, etſi Latinus interpres habeat Amyntham, ſed Amyniam quoque habet Athenæus.

III. *Initia eius ex Cteſia.* Ctesias itaque de initijs regis huius hæc fere habet. Ochum Artaxerxis & Coſmartidenes pellicis Babyloniæ filium, cum viuo Secundiano cidarim ſibi ab optimatibus imponi paſſus eſſet, mutato nomine Darizum appellatum fuiſſe, moxq; occiſo Secundiano ſolum regnaſſe: tres apud eum eunuchos plurimum autoritate valuiſſe, Artoxarem, Artibarzanem, Athoum. Vxorē habuit Paryſatidem, cuius monitu Secundianum oppreſſerat. Ex ea antequam regnum adipiſceretur, duos ſuſceperat liberos Amiſtrin fœminam, & Arſacan marem, qui poſtea mutato nomine dictus eſt Artaxerxes. Ex eadem autem regnante alterum ſuſcepit marem, qui Cyrus à ſole dictus eſt, deinde Artoſtem alioſque deinceps vſq; ad tredecim. Fuit autem hæc mulier virago, cuius conſilio rex plurimum vtebatur, eademq; aliquot ſatrapas interfici curauit: in iiſq; Arſitem regis fratrem, cuius mortem à rege partim precibus, partim etiam vi extorſit. Sed hæc, aliaq; id genus poſtea, incerto tamen tempore, contigerunt.

IV. *Induciæ Lacedæmon cum Athenienſibus.* Inevnte vere Lacedæmonij, & Athenienſes annuas inducias fecerunt: nam illos cupiditas recipiendorum captiuorum, qui Athenis tertium fere iam annum in vinculis tenebantur, vrgebat, præſertim cum ad primarias Spartanorum familias pertinerent: hos autem Braſidæ fœlicitas magno metu afficiebat. Vtriuſq; igitur populi, ſociorumque conſenſu, certis conditionibus initæ ſunt induciæ, à 14. die Elaphebolionis, id eſt Februarij, in annum ſequentem: quibus ferebatur, vt quæ quiſq; ad eum diem poſſidebat, induciarum tempore retineret. Reſtitutos autem vtrinque captiuos videri poſſet, cum ea vna eſſet de præcipuis cauſis induciarum, non tamen adhuc reſtitutos, Thucydid. in ſeq. aperte docet. Interea autem Scione apud Pellenem, (ea ciuitas eſt in eodem tractu ſita,) ab Athenienſibus ad Braſidam defecit, ibique publicè, tanquam liberator Græciæ, aurea corona redimitus eſt.

V. *Induciæ de conditionibus turbantur.* Cvmqve deinceps Mendam & Potidæam aggreſſurus eſſet, ad eum cum triremi veniunt legati duo, alter à Lacedæmonijs, ab Athenienſibus alter, qui pactas inducias renunciarunt, & cæteris probatis, legatus Athenienſium Ariſtonymus, reddi ſibi Scionem volebat, quod eius defectio biduo inducijs poſterior eſſet; quod Braſidas contentioſe negauit. Res Athenas delata; ſtatimque Athenienſes exercitum in eos comparant, renitentibus Lacedæmonijs, & iudicio rem dirimere, iuxta inita iam fœdera, cupientibus. Nihilominus Athenienſes exercitum cogunt. Interea vero & Menda, quæ erat in Pellene, ad Braſidam defecit. Eius enim fidei vehementer confiſi ciues, quam erga Scionem animaduertebant, dixerunt & ipſi ſe ante inducias initas defeciſſe. Ea res iras Athenienſium etiam vehementius inflammauit. Itaq; contra vtramque ciuitatem exercitum 50. nauium, cum aliquot armatorū millibus inſtruūt: quæ dum parantur, Braſidas ad eorum ſe aduentum comparat, Scionæorum, & Mendæorum liberis, & coniugibus ſubductis, & Olynthum dimiſſis, eaſq; vrbes præſidio octingentorum militum communiuit.

Ipse autem cum Perdicca coniunctis copijs dum proficiſcitur contra Arrhibæum regem Perdiccæ hoſtem, ibiq; rem fortiter quidem gerit, ſed diuturniore mora quam par eſſet, Claſſis Athenienſium ſuperuenit, Nicia duce, atque Nicoſtrato: à quibus Mende, dum ſeditionibus tumultuatur, fruſtra Scionæis, & Peloponneſijs opem ferentibus, priuſquam rediſſet Braſidas, recepta eſt. Braſidas autem præſidio Toronem tenuit, & paulo etiam poſt Potidæam, irrito conatu, per noctem occupare tentauit; dum copias Lacedæmone acciperet: præſertim Perdicca rurſus à Lacedæmonijs ad Athenienſes deficiente: cui tamen dum gratificatur Braſidas, Menden amiſit. Idemque Perdiccas mox vt fidem ſuam Athenienſibus egregio facinore probaret, dedit operam, per hoſpites, & amicos ſuos Theſſalos, vt Lacedæmonij aditu in Thraciam prohiberentur. Sic homo leuiſſimus, neutris fidus, vtriſq; maiora damna, quam emolumenta importauit. VI. *Braſidas Mendem amittit.* *Perdiccæ leuitas.*

De hoc porro anno Liuius ita ſcribit. Annum inſequentem, neq; bello foris, neq; domi ſeditione inſignem, ludi bello voti (à Mamerco ſcilicet Dictatore) celebrem, & Tribunorum militum apparatu, & finitimorum concurſu fecere. Spectaculum, comitate etiam hoſpitum, ad quos publico conſenſu venerant, aduenis gratius fuit. Sic ipſe. Qui mox fuſius exponit ſeditioſas Tribunorum plebis querelas de ipſa plebe, quæ neminem adhuc de ſuis, ad Tribunatum militarem elegerat, licet id eis per legem VII. *Ludi Romæ celebrantur.* *Tribunorum plebis querela.*

magna contentione latam liceret, nihil tamen effecerunt. Nam cum à Tribunis militum captatū esset tempus, quo Tribuni plebis ab vrbe aberant, S. C. factum est vt Tribuni mil. ad inspiciendos agros Hernicorum, quia Volscis vastati ferebantur, proficiscerentur, & Consularia comitia haberentur. Inde reuersi Tribuni plebis, cum non haberent, cum quibus de comitijs proximis contenderent, nec eum App. Claudio, suis partibus, patrio more auitoque infenso, certare vellent, facto iam SC. comitia Consularia habita sunt.

ANNVS MVNDI 3632. SEXTÆ ÆTAtis, & Imperii Pers. 116. Darij Nothi 2. Ioiadæ 3. Olymp. LXXXIX. An 3. Prætore Alcæo. Vrbis Cond. 331. Coss. Sempronio Atratino, & Q. Fabio Vibulano.

ANNVS ANTE CHRISTVM 421.

I. *Expeditio Cleonis contra Brasidam.* INITIO huius anni, qui est Peloponnesiaci belli decimus, induciæ solutæ sunt, teste Thucyd. licet eas Diodorus, propter arma ad Scionem & Mendem, præcedente ipso anno, quo initæ fuerant, solutas scribat. Cleon autem Atheniensibus persuasit, vt se in Thraciam, contra Brasidam, cum copijs mitterent. Duxit autem secum ex Atheniensibus mille & ducentos grauis armaturæ milites, & trecentos equites, & ex socijs longa plures. Cumque in Colophoniorum portum venisset, à Torone non longe distantem, didicit neque Brasidam Toronæ esse, neque præsidium, quod intus erat, ad resistendum par esse: itaq; se ad eam capiendam parauit, & munitione expugnata, in vrbem cum Toronæis impetu facto, intulit sese, & occisis qui resistebant, vxores & liberos seruituti mancipauit, viros numero septingentos Athenas misit. Brasidas, cuius absentia nuper Menden perdiderat, cum nunc quoq; esset in itinere, ad opem ferendam Toronæ, eam in via captam didicit, & aliorsum reflexit. *Toronem expugnat.*

II. *Ad Amphipolim infeliciter pugnat, & cadit. Brasida victoria, & obitus.* CLEON autem relicto Toronæ præsidio, Amphipolim petijt, montem Atho classe circumuectus, & quascunque potuit e Thracia, & finitimis regulis copias coegit. Quod ipsum & Brasidas fecit. Et Cleon quidem Amphipolim ex colle speculatus, inde retrocedere, re infecta cupiebat. Iamque discessum parabat, cum Brasidas in eius exercitum, vna cum centum & quinquaginta grauis armaturæ militibus, impetum fecit, moxque turbatis inopinata re Atheniensibus, superuenit Clearidas, cum reliquis copijs, quæ Amphipoli in hostem effusæ, magnam stragem, cum totius exercitus fuga, ediderunt. Brasidas vulneratus, ex acie eductus, moxque in vrbem exportatus, audita suorum victoria, expirauit, summisque honoribus in sepultura ornatus est. At Cleon cum iam à principio fugere cœpisset, à Myrcinio quodam peltato exceptus, interfectus est. Desiderati sunt Athenienses fere sexcenti, Lacedæmonij vero septem. Longe aliter hanc pugnam narrat Diodorus: sed quis hæc melius nouit Thucydide, qui pugnæ propemodum affuit?

III. *Brasida, & Cleonis elogium.* DE his ducibus hæc pauca Plutarchus in Nicia; Cleon & Brasidas, inquit, erant præcipui, qui pacem Græciæ distinerent, quorum bellum huius ornabat virtutem, illius tegebat improbitatem. quippe huic inclytarum rerum gerendarum ansas, illi ingentium scelerum suggerebat. Qui cum simul ambo vno in prælio ad Amphipolim occubuissent, confestim Nicias pro ineunda pace elaborauit. Thucydides cum lib. 4. sæpe Brasidam, vt virum consilio manuque promptum, & in patria laudatissimum commendauit, quique iustitia animique moderatione multas vrbes in Thracia, & alibi hosti eripuisset, & ad suas partes traduxisset, & bonam vbique de Lacedæmonijs famam sparsisset: postremo lib. 5. hæc fere habet. Brasidam defunctum vniuersi socij cum armis prosecuti, publice Amphipoli sepelierunt ante forum. Deinde Amphipolitani cum ipsius monimentum septo circumdedissent, vt heroi parentarūt, *...us funus, ...gra. ...* & honores tribuerunt, certamina & sacrificia anniuersaria, coloniam etiam ipsi, vt eius conditori ac seruatori tribuerunt. Sic ipsi, ex quibus facile intelliges quantum beneuolentiæ, vtilitatis, atq; honoris virtus colligat authori suo.

IV. *Res ad pacē dispositæ.* DEINCEPS tam Athenienses quam Lacedęmonij vehementer ad pacem propendebant. Nam Athenienses, post cladem à Bœotis ad Delium, & à Brasida ad Amphipolim acceptam & metus defectionis sociorum, propter has belli offensiones ingentes illos spiritus, quos eis secundæ res subministrabant, non parum depresserant. Et Lacedæmonij sentiebant se latrocinijs perpetuo vexari ab ijs, qui è Pylo, & Cythera excurrebant. Et cum tricennalia fœdera cum Argiuis inita iam in exitu essent, cum duobus simul populis bellum reformidabant. Denique & suorum recipiendorum desiderio vrgebātur, qui in deserta insula sese dediderant Atheniensibus. Itaq; agentibus maxime Nicia Atheniensi principe, & Plistoanacte Pausaniæ filio, Lacedæmoniorum rege, res ad pacem dispositæ sunt, eaque hyeme crebra ea de re colloquia vtrique agitarunt. Cum autem pax sub veris initium facta sit, vt affirmat Thucydides, nobis in annum sequentem, qui annos à Ianuario incipimus, differenda est. Iraque quod in finem anni decimi apud eum incidit, nobis in vndecimi initium cadet, & quod in fine Præturæ Alcæi factum est, initio Præturæ Aristionis factum esse videbitur, quod prudentem lectorem etiam alibi obseruare necesse est, ne inducatur in fraudem. *Et quæ de causa.*

V. *Nimia Romanorum fiducia.* CONSVLES hoc anno Idibus Decemb. magistratum inierere: is est eiusdem mensis decimus tertius. Quo bellum cum Volscis periculosissime gestum est, ad quod quo maiore studio Volsci se comparauerant, hoc Romani negligentiores extiterant, rati se aut à victoria deseri, aut à fortuna non posse: Adeo vt disciplinæ Rom. plus in Volsco exercitu, quam in Romano esset. Nam nec subsidijs firmata acie, nec equitibus apte collocatis, ita primo prælio concursum est, vt ex clamoris alacritate iam appareret, quam in partem victoria deuolatura videretur. Volscus irruit, pugnat, cædit; Romanus tegit se magis, quam pugnat, nequidquam Sempronio Consule obiurgante, atq; hortante. Omnibus iam locis ceditur, dataque mox terga hostibus forent, ni Sex. Tempanius decurio equitum, labente iam re, præsenti animo subuenisset, & cum magna acrimonia suos exstimulasset, vt desilientes ex equis hostium impetum sisterent, & se sequerentur. Omnes illico equites illum secuti vi viam faciunt, & quocunque se inferunt, pugnam restituunt, laborantibus opem ferunt, hostique intolerabiles fiunt.

VI. *Romana equitū cohors ab hoste conclusa.* QVO animaduerso Volscus imperator dat signum vt nouæ cohorti hostium locus detur, donec impetu illati, à suis exclusi, ab hoste concludantur. itaq; factum est, vt perrumpere qua transierant, ibi maxime confertis hostibus, non daretur. Consul interea acerrimè cum legionibus pugnans, quærebat quid his equitibus factum esset, qui paulo ante fuerant totius exercitus firmamentum, cū illi frustra sæpius ad suos perrumpere conati, in collem euadunt, in quo sa ab hoste circumquaq; strenue defendunt, nec pugnæ finis ante noctem fuit. Consul quoq; nusquam remisso certamina, dum aliquid superfuit lucis hostem tenuit, nox incertos diremit: tantusq; vtraq; castra tenuit pauor, vt relictis saucijs, & magna parte impedimentorum, ambo exercitus pro victis se in montes proximos reciparent. Tempanius etiam, fugientibus ā ijs quib. circumsedebantur, insidiarū metu suos in colle ad lucem vsq; tenuit. Digressus deinde ipse cum paucis speculatum, cum à saucijs hostibus sciscitando, comperisset castra Volscorum deserta esse, lætus ab tumulo suos deuocat, & in castra Romana penetrat, vbi cum vasta desertaq; omnia, atq; eandē quam apud hostes fœditatem inuenisset, priusquam Volscos error cognitus reduceret, ignarus quam regionem Consul petisset, sauciis quos poterat secum deductis, ad vrbem proximis itineribus pergit. *Anceps vtrinque victoria. Tempanij virtus.*

VII. *Roma trepidatur.* IAMQVE fama aduersæ pugnæ, desertorum castrorum, amissorum fortissimorum equitum, terrore Vrbē, luctuq;

complexerat, vt alter etiam Consul stationem ante portas ageret. Aduentus autem Tempanij, & sociorum, tristitiam in communem gratulationem vertit.

Tribuni plebis ... Tempanij modestia. an. V. C. 332.

Hic Tribuni plebis, qui iam M. Posthumio, & T. Quintio, quod eorum culpa male ad Veios pugnatum esset, diem dixerant, occasionem sumpserunt ex recenti odio in Sempronium, inuidiæ in illos renouandæ. Itaque aduocata concione proditam à Sempronio Remp. criminantur, quod illis adhuc impune licuisset idem perpetrasse crimé. Simulq; vnus eorum C. Iulius, accitum Tempanium, criminose palam interrogat de prælio, omnem in Sempronium ruinæ causam inuidiose deriuans. At Tempanius & modeste de se, & de Consule cum laude & veneratione locutus, magnam ab omnibus commendationem accepit. Paulopost in vrbem Consul ingressus est, non enixius à se culpam amouens, quam Tempanium meritis laudibus ferens.

VIII. Posthumius damnatur, Quintius absoluitur.

MOESTÆ ciuitati ab te male gesta, & iratæ ducibus M. Posthumius reus obiectus, qui Tribunus militum pro Consule ad Veios fuerat, decem millibus grauis æris damnatur, id est, Francis nostratibus ducentis, si res ære nostro æstimetur. Mille enim æris, viginti Francis, siue quadringentis solidis, qui sunt totidem sestertij, æquiualent, iuxta Roberti Cenalis supputationem. T. Quintio, tum Cincinnati patris memoria, tum Quintij Capitolini preces, tum deinde res cum Mamerco prospere gesta, effecerunt, vt ab omnibus tribubus absolueretur.

ANNVS MVNDI 3633. SEXTAE AETAtis & Imp. Pers. 117. Darij Nothi 3. Ioiadæ 4. Olymp. LXXXIX. An. 4. Prætore Aristone. Vrbis Cond. 332. Trib. Militar. L. Manlio Capitolino. Q. Antonio Merenda L. Papyrio Mugillano.

ANNVS ANTE CHRISTVM 420.

I. Pax inter Lacedæmonios & Athenienses ... conditiones.

SVb finem Præturæ Alcæi, & initium Aristonis, Pax inter Lacedæmonios & Athenienses, in annos quinquaginta inita est: sed cum res adhuc fluctuaret, vere iam instante apparatus bellicus à Lacedæmonijs hostiliter intentabatur, vt Athenienses facilius conditiones pacis amplecterentur. Denique multis vltro citroque tractatis, in has conditiones conuentum est, vt vtrique redderent ea, quæ bello cepissent. Athenienses tamen Nisæam retinerent, Thebani autem Plateam. Templa publica, publice ab vtrisque ritu pristino frequentarentur, bona, fidem, fœdera in annos quinquaginta, terra marique seruarentur: si quid difficultatis oriretur, iure dirimeretur. Amphipolis Atheniensibus redderetur, eius incolis tamen, & vniuersæ omnium ciuitatum, quæ à Lacedæmonijs redderentur, cum suis facultatibus abire liceret quocunque vellent. Ipsæ ciuitates liberæ essent, ita tamen vt tributum penderent, quod ab Aristide olim fuerat constitutum. Captiui vtrinque liberi dimitterentur. Vtrique, fœdus iureiurando apud suos religiosissimo confirmarent: Athenienses apud Lacedæmonios, & vice versa, idemque quotannis renouarent, si quid addere, mutareue vtrisque visum foret, ius fasque esset addere, vel mutare.

II. Quando, & ad quod tempus inita.

PERCVSSA sunt fœdera Alcæo Prætore, Elaphebolione mense, id est, Februario, die sexto ante finem. (Ille autem mensis à venatione ceruorum nomen accepit, qui Spartanis erat Artemisius) integro decennio exacto, & aliquot diebus elapsis, à prima eruptione in Atticam facta. Cum autem sorte obtigisset vt Lacedæmonij priores redderent ea, quæ haberent, missi legati de reddenda Atheniensibus Amphipoli, quæ tamen ægre reddita est: plerique etiam socij Lacedæmoniorum, qui ante fœdera hæc improbabant, in quibus Corinthij, Megarenses, Bœotij, iis stare noluerunt, sed societatem cum Atheniensibus fecerunt.

... belli societas.

Mox etiam Athenienses cum Lacedæmoniis belli societatem inierunt. Id agente Nicia, vt tradit Pluth. cuius max. opera pax coaluerat, adeo vt pax Niciæa diceretur, & diuinitus propter ipsius pietatem concessa crederetur. Is igitur videns Corinthios & Bœotios querimoniis bellum excuscitare, permouit Athen. & Lac. vt ad roborandam pacem, adiicerent belli societatem, vt si alterutros alij bello peterent, alteri omni ratione sine fraude opem ferrent, quo terribiliores desciscentibus, & firmiores inter se efficerentur, sicuti & fœdera, vtrique iurarunt, sub initium vndecimi anni belli Peloponnesij.

III. Corinthij cum Argiuis turbare incipiunt.

VERVM cum Corinthij in hæc fœdera non consensissent, Argos profecti res turbare cœperunt, Affirmantes fœdera inita inter Lacedæmonios & Athenienses, non in Græciæ libertatem, sed seruitutem potius redundaturam: quæ hæc pronioribus auribus accepta sunt ab Argiuis, quod sibi iam contra Lacedæmonios bellum immineret, elapso fœdere tricennali: & ea tempestate opibus florerent, vt qui intacti totis his decem annis à bello fuerant: itaque & se Peloponnesi dominos fore arbitrabantur. Corinthij ergo, dederunt operam vt Argiui decretum facerent, & duodecim viros eligerent, cum quibus omnibus Græcis societatem facere liceret, exceptis Atheniensibus & Lacedæmonijs, cum quib. fœdus inire non liceret, sibi autem mutuo auxilio essent. Primi ergo se eis Mantinæi cum socijs adiunxerunt, vt qui sibi à Lacedæmonijs metuebant, plerique alij iam incipiebant fluctuare. & Corinthij eidem sese adiungere societati quamprimum volebant.

Noua Argiuorum societas. Cui subscribunt Mantinæi, & alij ... Corinthij.

IV. Quos Spartani ... Elei, & Corinthij, & Chalcidenses.

ITAQVE Lacedæmonij hæc anteuertere cupientes, Corinthum legationem mittunt, quæ de fœderum violatione quereretur, & ineunda cum Argiuis societate, quos sibi hostes esse minime dubitarent. Verum Spartani cum nihil nisi tergiuersationes pro responsis acciperent, domum recesserunt. Argiuorum autem legati, qui tum erant Corinthi, societatem nouam cum Corinthiis vehementer vrgebant, sed re ad proximum concilium delata, interea Eleorum legatio Corinthum, moxque Argos venit, & cũ vtrisque societatem pacti sunt, quod à Corinthiis quoque, & à Chalcidensibus, qui sunt in Thracia, mox factum est. In eam denique Bœoti, & Megarenses propendebant, vt iam pro pace magnum bellum conflatum esse videretur.

Athenienses Scionæos expugnant. Spartani ... inter se suspecti.

Hac ipsa æstate Athenienses cum Scionæos expugnassent, puberes interfecerunt, pueros ac mulieres in seruitute redegerunt, agrumque Platæensibus colendum dederunt. Lacedæmonij autem priuatim cum finitimis bellum gerebant, & ciues suos, ex Atheniensium carceribus eductos, ignominia notarunt, quod arma sua hosti in deserta insula tradidissent, vt nec magistratum gerere, nec vllius rei domini esse possent: quos tamen mox in integrum restituerunt. Et quamuis hac tota æstate inter vtrumque populum commercia libere exercerentur, suspecti tamen inter se esse cœperunt, quod neutri loca quæ tenebant alteris restituissent, nec socios quique suos ad recipienda fœdera adegissent.

V. Tribuni mil. creati.

INTEREA Romæ cum res bene gesta à Tempanio, et socijsque fauorem populi conciliasset eos Tribunos plebs absentes creauit. Cum autem consulare nomen propter Sempronium, qui proximo anno Consul fuerat, odiosum esset, iussit Senatus his comitijs Tribunos Consulari potestate creari, creatique sunt quos supra in huius anni fronte posuimus.

Ex consul. dies dicta.

Principio statim anni L. Hortensius Tribunus plebis C. Sempronio exconsuli diem dixit: quem cum quatuor Collegæ, inspectante populo Romano orarent, ne imperatorem suum innoxium vexaret, in quo nihil præter fortunæ iniuriam reprehendi posset: cumque ille nihilominus vrgeret hominem, ratus à socijs periculum fieri perseuerantiæ suæ, postremo vbi sensit illos paratos esse cum Sempronio mutata veste fieri sordidatos, fuerant autem hi cum Tempanio Sempronii milites, ideoque eum parentis loco habebant, à proposito destitit: animaduertens, vt cumque rem gessisset Sempronius, id tamen consecutum, vt militibus suis egregie carus esset, quod patribus populoque pergratum fuit.

Liberatur opera ... Sempronius.

ANNUS MUNDI 3634. SEXTAE AETATIS & Imperii Pers. 118. Darij Nothi 4. Ioiadæ 5. Olymp. XC. An. 1. Prætore Aristophilo. Astyphilum Athenæus vocat. Vrb. Cond. 333. Coss. Cn. Fabio Vibulano. T. Quintio Capitolino.

ANNUS ANTE CHRISTUM. 419.

I. Olymp. 90. Alcibiades turbat fœdera.

CUM nonnullæ iam offensiones inter Lacedæmonios & Athenienses intercederent, & duodecimus ab inchoato bello Peloponn. ageretur annus (quem Olympiacum fuisse scribit Thucyd. lib. 5. & Olympionicam refert Androsthenem Arcadem, dissentiente Diodoro Siculo, qui Hyperbium Syracusanum suggerit, sed nimirum hic stadio, ille Pancratio vicit.) Hoc ergo anno Alcibiades Atheniensis, Cliniæ filius ætate iuuenis, maioribus clarus, animo elatus & contentiosus, ingenio vtramq; in partem exuberans, corporis, fortunæque bonis locuples, cum fœdera à Nicia æmulo suo inita improbaret, in quibus transigendis se prætermissum dolebat, & cum Argiuis Lacedæmoniorum hostibus diceret fuisse potius ineunda, quam cum Lacedæmonijs, à quibus erat alienus, libenter eas offensiones ad pacem turbandam arripuit.

II. Moliuntur societatem cum Argiuis. Quam legati Spartani impedire parant. Sed ab Alcibiade decipiuntur.

PRIVATIM nuncium Argos misit, hortans Argiuos vt quam celerrime cum Mantinæis, & Eleis Athenas venirēt, ad societatem cum eis ineundam, quod tempus diceret opportunum, seq; eis studiosissime affuturum polliceretur. Itaque factum est. Confestim enim legatos de societate acturos Athenas miserunt, quos Mantinæorum, & Eleorū legati comitabantur. Id veriti Lacedæmonij legatos Athenas mittunt, cum summa potestate omnia componendi. Quibus ab Alcibiade intellectis, veritus ne si hæc ipsa ad populum retulissent plebem allicerent, & Argiuorum societas respueretur, magnam in fraudem Lacedæmonios induxit: Eis enim data fide persuadet, ne coram populo fateantur se cum summa potestate venisse: quod si fecerint, se Pylum illis redditurum, & cæteras controuersias compositurum. Fide habita, cum in concione rogati, non dixissent vt in Senatu, se cum summa potestate venisse.

III. Athenienses eos repellunt.

ATHENIENSES contra eos conclamarunt, quasi inconstantes, & qui nihil synceri animo versarent: Alcibiade in primis contra eosdem perfide declamante, in odium Niciæ, & societatem cum Argiuis vrgente. Sicq; illi mendacij, & temeritatis pœnas dederunt; & Alcibiades per istiusmodi fraudem atq; perfidiam, odium Lacedæmonijs, suis bellum, sibi gloriam nefariam conflauit. Et quidem fœdera cum Argiuis, statim inita fuissent, nisi facto terræmotu populi suffragia dilata fuissent. Paulo tamen post nequicquam resistente Nicia, & fœdera cum Lacedæmonijs conseruare satagente, inita fuere in annos centum: additis Eleis & Mantineis, eorumq; socijs, cum mutuæ fidei, auxilijque promissione. Eius rei testem columnam æneam in ludis Olympicis, qui tunc fiebant communi sumptu erecturos se spoponderunt Argiuis. Nec tamē propterea Athenienses initæ cū Lacedæmonijs societati, aut fœderi renūciarunt, sed tam Argiuis quam Lacedæmonijs, quamuis inter se dissidentibus amici esse voluerunt. In Olympicis autem aliquid Eleos inter & Lacedæmonios turbatum est vt ibi ab omnibus maius aliquod timeretur malum: Lacedæmonij tamen iniuriam acceptam patienter tulere. In Thessalia Heracleotæ, bello cum finitimis inito, infœliciter pugnarunt, amisso etiam Lacedæmoniorum duce, qui eis subsidio venerat, sed eam Bœoti in suam fidem recepe-runt, anno sequenti.

Et fœdus ineunt cum Argiuis.

Nec renunciant Lacedæmoniis.

IV. Æqui fugati. Fabius Vibulanus ouat.

IN Italia Æqui ambiguam Volscorum victoriam pro sua duxerunt, & bellum, quasi eam prosecuturi contra Romanos susceperunt. Cum Cn. Fabius Vibulanus, cui sorte ea prouincia euenerat, in eos profectus, cum trepidā tantum aciem ostendissent, turpi se fugæ dedidere, haud magno Consulis decore. Itaq; triumphus negatus. Cæterum ob Semproniæ cladis leuatam ignominiam, vt ouans vrbem intraret concessum est.

Verum quemadmodum bellum minore quam timuerant dimicatione perfectum fuerat, sic in vrbe maior opinione controuersia inter patres & plebem coorta est, cœpta ob duplicandum Quæstorum numerum. Retulerunt enim Coss. ad Senatum, vt præter duos Quæstores vrbanos, duo Consulibus ad ministeria belli præsto essent. Id cum patres vehementer probassent, Tribuni plebis certamen Consulibus intulerunt, vt pars quæstorum, qui ad eā diem patricij creati fuerant, ex plebe fieret. Et actioni cum resisterent Consules & Senatus, tandem id suffragijs populi, sicut & Tribunos militares, permiserunt. Id cum non procederet, totam rem de augendo quæstorum numero omiserunt. Omissam Tribuni, cum multis seditiosis actionibus, de re agraria renouarunt.

Quæstoribus numerus duplicatur.

ANNUS MUNDI 3635. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Pers. 119. Darij Nothi 5. Ioiadæ 6. Olymp. XC. An 2. Archia Prætore. Vrbis cond. 334. Trib. Consul. Pot. L. Quintio Cincinnato II. Sex. Furio Medull. III. M. Manlio. A. Sempr. Atratino.

ANNUS ANTE CHRISTUM 418.

DECIMUS tertius agitur belli Peloponnesiaci annus, quo Bœoti afflictos Heracleotas in fidem suam, pulsis Lacedæmonijs receperunt, veriti ne eam ciuitatem Athenienses occuparent. Alcibiades quoq; cum paucis domesticorum ac sociorum copiis, Peloponnesum obambulauit, ea quæ ad constituendam societatem cum Argiuis, ac stabiliendam pertinebant animo agitans: ad quos etiā contra Epidaurios iuuandos, cum mille grauis armaturæ militibus profectus est, præsertim cum audiuit esset Lacedæmonios cum armis egressos ex finibus suis. Qui initio hyemis, clam Atheniensibus, præsidium trecentorum militum, mari Epidaurum immiserunt, non sine Argiuorum apud Athenienses querela, ex qua factum est vt hi fugitiuos Lacedæmoniorum Ilotas in Pylum reducerent latrociniorum causa: quæ inter Argiuos quoq; & Epidaurios, sine iusto prælio, reliquo anno agitata sunt. I. Alcibiades societatem cum Argiuis cōfirmat. Quos iuuat contra Epidaurios.

Et Spartani Epidaurios contra Argiuos.

ROMÆ Tribuni ex occasione nouorum Quæstorū veteres querelas agrarias agitabant, ideoq; Senatus imminētibus comitiis, Consules malebat, quam Tribunos militares creari: nec tamen poterat per intercessiones Tribunicias fieri SC. Res tandem ad interregnum, post diuturnam contentionem venit: cumq; iam maior anni pars per nouos Tribunos plebis, & aliquot interreges, certaminibus extracta esset, modo prohibentibus Tribunis conuenire patricios ad prodendum interregem, modo interregem interpellantibus, ne SC. de comitiis Consularibus faceret, postremo L. Papyrius Mugillanus proditus interrex Patres Tribunosq; castigauit, quod contentionibus suis Remp. hostibus prædæ exponerent. Perfecit autem primum, vt Trib. Mil. crearentur omnes patritii, Quintius Cincinnatus cum reliquis tribus. II. Roma pro summo magistratu contentio.

DEINDE vt paterentur Patres promiscue, tam ex patriciis quam ex plebeis, fieri quæstores. Sed cum Sempronius Atratinus Consulari potestate Tribunus, Comitia quæstorum haberet, & inter aliquor plebeios filius Antistii Tribuni plebis, & frater alterius Tribuni plebis Sex. Pompilli, candidati essent, nec potestas nec suffragatio horum valuit, quin quorum patres auosq; Coss. viderant eos, in ferendo suffragio ob nobilitatem præferrent. III. Impetrati Quæstores ex plebe, non facti.

Ergo furere omnes Tribuni plebis, & ante omnes Pōpilius & Antistius repulsa suorum accensi: patris pro filio, fratris pro fratre preces Tribunorum non valuisse. Deinde suspicari fraudem in comitiis ab Aulo Sempr. factam, eumq; in comitiis plus artis adhibuisse quam fidei: queri eius iniuria suos honore deiectos.

Magnus Tribunorum ob dolorem.

CUMQUE in ipsum impetum facere non possent, nō tantum innocentia, sed magistratu tectū, iras in eius patruelē C. Sempronium flexere: eiq; ob ignominiam Volsci belli diem dixere. Is plebem, ac Tribunos irritarat, quod cū in IV. Qui C. Sempronium propterea accusarant.

magistratu esset, istiusmodi agrarijs largitionibus constanter restiterat: etsi nõ dubitaret sibi, postquam abijsset magistratu, graue damnum ex eorum offensione nasciturum. Maluit tamen sibi quam publicæ rei fieri iniuriam, & nequicquam laborantibus patribus vt plebem mitigarent, quindecim millibus æris, id est, trecentis Francis nostratibus damnatus est. Hoc anno Cumam in Italia à Campanis captam, & Græcis, qui eam incolebant, ereptã, direptamq; & incolis seruituti addictis, nouos illatus, autor est Liuius. At Diodor. Siculus biennio ante id factum refert.

V. Neotis natio Posthumia Vestalis.

Edituм eodem anno exemplum nobilissimum in Vestali Posthumia. Nam quamuis crimine innoxia, de incestu tamẽ causam dixit ob suspicionẽ. propter cultum corporis amœniorem, ingeniumq; liberius, quam virginẽ deceret, quoq, famę nonnullam fidem faceret. Ampliata primum; id erat Amplius dicere, ac prolatare iudicium, deinde absoluta est. Verum ex Collegij sententia Pontifex maxime eam iussit abstinere iocis, & cultum corporis sanctum potius, quam scitum adhibere. Vsq; adeo etiam Ethnici intellexere, religiosum cultum, victũ vitamq; omnẽ personæ religiosæ conuenire: ijsq; deficientibus, in fœmina prę sertim, cui maiorem verecundiam, ac pudorẽ natura inseuit, non iniustam grauiorum criminum suspicionem dari.

ANNVS MVNDI 3636. SEXTAE AETAtis & Imp. Pers. 120. Darij Nothi 6. Ioiadæ 7. Olym. XC. An. 3. Prætore Antiphone. Vrbis Cond. 335. Tribb. Agrippa Menenio Lanato. P. Lucretio Tricipitino, Sp. Nautio Seruilio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 417.

I. Lacedæmonij contra Argiuos pugnaturi. Thucyd. l. 5. p. 384. & seq.

IAm media æstate anni decimi quarti à belli exordio, Lacedæmonij, cum Epidaurij ipsorum socij, ab Argiuis grauiter vexarentur, & periculum esset ne pleræq; ciuitates Peloponnesi ab ipsis deficerent, quod nõnullæ iam fecerant, nisi præsidia sua, & auxilio socijs ferendo in fide retinerentur, ingentes copias tam ex suis, quam ex socijs contraxerunt, quibus prępositus est Agis Rex Archidami filius. Aliæ quoq; extra Peloponnesum, ex Corinthijs prę sertim ac Bœotis, coaluere. Argiui vice versa copias suas suorumq; contraxerant, exceptis Atheniensibus, qui nondum aduenerant.

Thucyd. l. 5. p. 384. & seq. Temere reuocantur.

Cumq; proximum esset vt concurrerent inter se acies, & omnino vtriq; se victores fore arbitrarentur, duo Argiui, sponte sua, ac priuato iudicio, regem Agidem adierũt, eumq; promissis adegerunt ad dissoluendum exercitum: quod promitterent Argiuos Lacedæmonijs satisfacturos, intra 4. menses, quibus essent induciæ. Id pari vtrorumq; temeritate factum est: itaq; fremente vtriusq; partis exercitu, re infecta discessum est.

II. Magno vtriusque populi dolore.

Et Argiui, quidem qui victoriam spe deuorauerant, promissores illos lapidibus obruere cœperunt, sed illi ad aras elapsi sunt. Lacedæmonij autem Agin vehementer incusabant, amissæ tam idoneæ occasionis Argos in suam potestatem redigendi.

Et poenam ei parant.

Verum cum insuper allatus esset nuncius, de Orchomeno in Arcadia ab Argiuis capto, vbi Lacedæmonij Arcadũ obsides deposuerant, tum demum multo vehementius indignari cœperunt. Et præter protinus præter suum morem, & de ipsius domo diruenda, & de ipso centum millibus drachmarum, siue mille minis mulctando deliberabãt, quæ pecunia ascendit ad septemdecim millia & quingentos Francos Gallici æris. Inde tamen eius precibus ac promissis flexi, ab ea pœna abstinuerunt. Legem tamen tulerunt vt decem illi consiliarij adessent, sine quib. ipsi exercitum ex vrbe educere non liceret. Ita quidem Thucyd. sed cautio hæc non satis ad remedium idonea videtur. Itaq; audiamus Diod. quamuis in hac tota narratione nõnulla variantem, in primisq; tempus Thucyd. vno anno anteuertentem, iudicet lector vter probabiliora dixisse videatur.

Et iam prope erat, inquit, vt explicata vtrimq; acie in prælium ruerent, cum Imperatores, missis vtrimq; legatis, inducias 4. mensium pepigerunt. Regressis ita re infecta copijs, ambæ ciuitates induciarum autoribus vsq; adeo irascebantur, vt Argiui lapidibus imperatores duces necare instituerent, nisi multarum precum interuentu vita illis donata, bona eorum in publicum redacta, domusq; erutæ fuissent. Lacedæmonij etiam Agidi supplicium capitis intendebant. Sed cum honestis se factis peccati huius maculam eluturum spoponderet, vix tum veniam impetrauit. In reliquum tamen inde tempus, decem probatæ sapientiæ consiliarios ei adiunxerunt. Quibus seuere imperatum, ne quid absque ipsorum sententia deinceps ageret.

III. Eadem historia ex Diodoro.

Interea vero nuncius ab amicis Tegeatis ad ipsos allatus est, nisi celeriter adessent, Tegeam ab ipsis ad Argiuos defecturam, & prope iam defecisse. Tum Lacedæmonij, copijs summa, si vnquam ante, celeritate contractis, opem Tegeatis tulere. Argiui quoq; cum socijs ad eos excipiendos, ad Mantineam, quo Lacedæmonij tendebant, conuenerunt. Ibi post aliquam cunctationem, numerosæ acies, varijs ex populis vtrimq; coactæ, instructæ sunt, & post breues ducum cohortationes, infestis vtrimq; signis concursus factus est. Et in sinistro quidem Lacedæmoniorum cornu laboratũ est, imo deuicti Lacedæmonij, quod Agidi præcipienti eam partem extemplo duabus cohortibus roborari Tribuni duo, propter temporis angustias, nõ paruissent: vnde postea, hac ipsa de causa, Sparta eiecti sunt. Reliquus autem exercitus multis partibus superior fuit, & nisi à persequendis victis abstinuissent, vt laboranti sinistro cornu subuenirent, maxima pars aduersarij exercitus deletus fuisset. Refert Thucyd. de victis mille & centum occisos, de Lacedæmonijs fere trecentos. Qui & cęsorum armis conspicuo in loco ad gloriam positis, statim trophæum erexerunt, & acceptum dudum in insula dedecus deleuerunt.

IV. Pugna Spartanorum cum Argiuis pro Tegeatis.

Obedientiæ non datæ exemplum.

Et victoria de Argiuis.

Cæterum Plistoanax, alter Regum Spartæ, suis subsidio, sub ipsum prælij tempus veniebat: verum ad Tegeam audito victoriæ nuncio, domum rediit. Iidem Lacedæmonij auxilia, quę ad ipsos veniebant, ex ijs collecta locis, qui trans Isthmum habitabant, per nuncios domum remiserunt. Quæ cum Thucyd. fateatur, dubia mihi nonnihil eius est fides, in eo quod recensendo copiarum numero, maiorem Lacedæmoniorum exercitum visum fuisse dixerit, quam Argiuorum, quibus aderant omnes socij, atque adeo Athenienses ipsi, cum suo equitatu. An illud ad leuandam ignominiam cladis populi sui dictum videatur? nec tamen de eo dicemus, *Et bonus est ciuis, & bonus historicus.*

V. Dubitatio de numero copiarum.

Prius quam hoc prælium committeretur, accidit vt Epidaurij, cum omnibus suorum copijs, in agrum Argiuũ, quasi præsidio nudatum, irruptionem facerent, multosq; occiderent. Cum autem Eleorum armatorum tria millia, & Atheniensium mille, præter priores, post prælium commissum Mantineam subsidio venissent: hi socij vniuersi cõsestim aduersus Epidaurum contenderunt, & vrbem circumuallarunt, dum Lacedæmonij Carneia celebrarent, festos scilicet dies in honorem Apollinis institutos, quos tanta religione agitabant, vt nefas eo tempore ducerent bellum gerere, vt notat Græcus schol. l. 5. & satis ex Thucyd. ipso constat: ait enim Lacedæmonios, statim post celebrata Carnea, in expeditionem exiuisse. Mensis autem in quem cadebant illi dies Carnius vocabatur, quem interpres vertit Iulium.

VI. Pugna Epidauriorum cũ Argiuis.

Carneia.

Qvamvis autem victores extitissent Lacedæmonij, legatos tamen ad Argiuos de componenda pace miserunt, quam hoc tempore faciliorem factu, non sine causa opinabantur. Et quamuis adesset Alcibiades, qui rem impedire conabatur, ea tamen composita est honestis & conuenientibus conditionibus. Ea vero maxime, vt Epidauri obsidio solueretur, Athenienses abirent, alioqui pro hostibus ab Argiuis, & Lacedæmonijs haberentur. Postea vero, relicta Atheniensium societate, fœdus belliq; societatem in annos 50. pepigerunt. Statuentes cum omnino vel inire

VII. Spartanorum pactum cũ Argiuis initum.

Et armorum societatem.

pacem,

pacem, vel bellum gerere, nisi communi consensu, armisq; coniunctis. Quin & legatos in Thraciam ad Perdiccam miserunt, vt eum ab Atheniensibus abductum, & iam iterum fluctuantem sibi adiungerent, quod & persuaserunt. Cum Chalcidensibus etiam antiquum fœdus, ac iusiurandum renouarunt. Sed & fœdera inter alias ciuitates, occasione amicitiæ inter Argiuos & Lacedæmonios initæ, commutata sunt, quæ tanquam ad præcipui belli, pacisue sequentis minus pertinentia, breuitatis causa missa facimus.

VIII. *Seruilis coniuratio detecta Romæ.*

Hoc anno Romani ab ingenti periculo fœliciter liberati sunt. Seruitia, vrbem vt incenderent distantibus locis, coniurarunt, populoque passim ad opem ferendam domibus intento, vt arcem, Capitoliumque armati occuparent. Sed Deus auertit nefanda consilia: indicio enim duorum comprehensi sontes, pœnas dederunt, Indicibus dena millia grauis æris, quæ tum diuitiæ habebantur, ex ærario numerata, id est, Franci nostrates ducenti, & libertas præmium fuit. Ita fere Liuius, causis tam nefariæ coniurationis, & supplicij genere prætermisso.

Aequi & Lauicani bellum parant.

Bellum inde ab Æquis reparari cœptum. Non dubijs etiam authoribus Romam delatum est Lauicanos nouos hostes populo Romano suscitari, seq; cum veteribus iungere. Nam Æquorum iam velut anniuersarijs armis ciuitas assueuerat. Lauicos legati missi, cum dubia inde responsa retulissent, Tusculanis negotium datum est, aduerterent animos, ne quid noui tumultus Lauicis oriretur, remque ciuitati renunciarent.

ANNVS MVNDI 3637. SEXTÆ ÆTAtis, & Imperii Pers. 121. Darij Nothi 7. Ioiadæ 8. Olympiad. XC. An. 4. Prætore Athenis Euphemo, Vrbis cond. 336. Trib. Mil. L. Sergio Fidenatæ, M. Papyrio Mugillano, C. Seruilio Prisco.

ANNVS ANTE CHRISTVM 416.

I. *Oligarchia Sicyone, & Argis constituta.*

INSEQVENTI vere appetente, sub initium anni decimi quinti belli Peloponnesiaci, Lacedæmonij & Argiui, cum mille de suis vtrique, communem expeditionem suscepere, & Sicyone quidem, quæ est vicina Corinthijs, Lacedæmonij eo profecti, statum popularem in paucorum dominatum, magna ex parte conuerterunt. Moxque vtrique Argis idem effecerunt. Rem aliter Diodorus, saltem explicatius refert. Mille scilicet Argiuos, qui sumptu publico bellicis muneribus exercebantur, inter se conspirasse, de populari dominatu euertendo, & optimatum imperio ex se constituendo: cumq; multos consilij socios & fautores inuenissent, Tribunos plebis populi ductores comprehensos necasse, cæterisq; metu perculsis leges pristinas abrogasse, & Remp. pro suo arbitrio octo mensibus occupatam tenuisse.

II. *Moxque Democratia Argis restituitur. Tuttorum certamina. Spartanis vacantibus, Argiui rursum Atheniensib. coniunguntur.*

INDE concitato in eos populo, de potestate fuisse deiectos, & Democratiam restitutam. Id factum refert Thucyd. obseruato tempore, quo Spartani gymnica puerorum certamina agitabant, qui mature imminente malo euocati, post diutinam cunctationem, tandem relictis ludis, Argos iter suscepere, optimatibus iam partim interfectis, partim in exilium pulsis. Cumque apud Tegæam rem gestam accepissent, licet plurimum ab exulibus rogati vt Argos venirent, domum tamen ad peragendum certamen ludricum reuerterunt. Quo mox cum pars vtraque venisset, multaq; coram Spartanis & socijs dixisset, pro exulibus pronunciatum est, pro quibus restituendis Argos cum exercitu sibi petendum censuerunt.

Id veritus populus, cum mora quædam intercederet, Atheniensium societatem iterum sibi Græca leuitate concilians, longos ad mare vsque muros duxit, tota ciuitate in id opus occupata, fabris etiam Athenis accitis, vt si terra prohiberentur, mari Atheniensium ope commeatum acciperent.

III. *Et à Lacedæmonijs vexatur. Longi muri euertuntur.*

SEQVENTE hyeme re intellecta Lacedæmonij cum socijs exercitum duce Agide Argos duxerunt, & muros, qui adhuc ædificabantur, captos euerterunt, & Hysia agri Argiui oppido capto, ingenuis omnibus interfectis, domum rediere. Argiui vice versa agrū Phliasium vastarunt, quod Phliasij exules suos recepissent. Cuius rei pœnas proximo anno dederunt, cum à Phliasijs, & à suis exulibus per insidias intercepti, circiter octoginta perierunt. Athenienses quoque Perdiccam regem Macedonum vsu maris interdixerunt, quod societatem cum Argiuis & Lacedæmonijs iureiurando interposito contraxisset, & suam fidem, cum exercitus Atheniensis in Thraciam missus esset, fefellisset, qui propter eius discessum fuerat dissipatus, sicq; illa hyems abiit, vna cum anno 15. belli.

Thucyd. p. 401. gr. l. : IV *Arma sumpta in Lauicanos.*

ROMÆ autem cum Tusculani Tribunis militum, statim ab inito magistratu, nunciassent Lauicanos arma cepisse, & cum Æquorum exercitu depopulatos agrum Tusculanum, castra in Algido posuisse, Lauicanis bellum indictum est, factoq; SC. duobus Tribunis alteri belli cura commissa est, alteri vrbis custodia. Cumque omnes bellum ambirent, Q. Seruilius, pro patria potestate, filium suum vrbem custodire iussit. Cumq; nihilominus reliqui duo de imperio contentiose certarent, & sese vterque, suaque consilia magni faceret, aliena contemneret, tandem ita conuentum est, annitentibus legatis, vt alternis diebus summam imperii haberent.

Tribunorum mil. contentiones.

Romani male re gerunt.

Quæ cum Romæ nunciata essent, Q. Seruilius, ætate atq; vsu doctus, prospiciens aliquam calamitatem, iussit filium arma in omnem euentum parare. Nec falsus vates fuit. Nam ductu L. Sergii, cuius dies imperii fuit, castra iniquo loco posita sunt, & Romani, ab hoste fugam simulante, decepti. Qui cum de repente impetum ex superiore loco fecissent, multi per supinam vallem profligati sunt, adeo vt castra vix retenta fuerint, vnde postridie circumfusis hostibus, per auersam portam turpiter Tusculum profugere.

V. *Dictator Seruilius Priscus.*

EA clades quia prouisa, & prædicta, Romæ minus trepidationis attulit. Præsertim iam delectu à Tribuno militum habito. Senatus dicendum Dictatorē censuit, C. Seruilius Tribunus Patrem dixit, virum spectatæ virtutis atq; prudentiæ Q. Seruilium Priscum, à quo ipse vicissim Magister equitum dictus est, cumq; eius copijs profectus, reliquas quæ Tusculum petierant assumpsit, & castra duo millia passuum ab hoste posuit. Superbia ac negligentia ex re bene gesta, à Romanis ducibus ad Æquos transierat. Itaq; primo statim prælio cum Dictator equitatu immisso antesignanos hostium turbasset, legionum inde signa inferri propere iussit, signiferumq; ex suis vnum cunctantem occidit: tantus ardor ad dimicandum fuit, vt impetum Æqui non tulerint, victiq; acie, etiam mox castra amiserint, præda militi concessa. Cumq; nunciatum esset omnes Lauicanos victos, magnam Æquorum partem Lauicos confugisse, eo postridie ductus exercitus, oppidumq; corona circundatum, scalis captum, ac direptum est. Liuium Sigonius, atque Onuphrius negligentiæ arguunt, quod Dictatoris Triumphum, & Censorum lustrum, iam non semel prætermiserit.

Hostem vincit.

Lauicos capit, ac diripit.

Eodem mitti colonia.

Dictator exercitu victore Romam reducto, die octauo quam creatus erat, Magistratu se abdicauit. Et opportunè Senatus, priusquam à Tribunis seditiosæ querelæ, de agro Lauicano diuidendo, inferrentur, frequens censuit coloniam Lauicos deducendam: coloni ab Vrbe mille & quingenti missi, bina iugera acceperunt.

ANNVS MVNDI 3638. SEXTÆ ÆTAtis, & Imper. Pers. 122. Darii Nothi 8. Ioiadæ 9. Olymp. LXXXXI. 1. Prætore Aristomneste. Vrbis Cond. 337. Trib. Mil. Agrippa Menenio Lanato II. L. Seruilio Structo II. & P. Lucretio Tricipitino II. & Sp. Rutilio Crasso.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 415.

I. *Olymp. 91. Certamen Xenocle & Euripidis.*

DECIMVS sextus belli annus victorē habuit in Olympicis Exænetum Agrigentinum, vt est apud Dio-

dorum Siculum, iterumq; Olympiade sequenti. Scribit Ælianus, a ea Olympiade, qua in stadio Exænetus vicit, quæ fuit prima & nonagesima, non prima & sexta, vt ibi scriptum est, Xenoclem & Euripidem contendisse, & illum iudicio Atheniensium palmam tulisse, qui in eo iudicio vel nihil viderunt, vel pecunia corrupti sunt, vt ait idem, ibid. Sunt qui Xenocratem philosophum hoc anno natum putent, quod ex Laertio refellitur, qui in eius vita ait cũ munus docendi suscepisse anno secundo Olympiadis 110. illudq; 25. annis tenuisse. Octogesimo ergo secundo vitæ anno docere cœperit, & centesimum septimum viuendo attigerit, cum ibidem Laertius dicat illum octogesimo secũdo vitæ anno esse defunctum. Bellum hoc anno ducem habuit Alcibiadem cum 20. nauibus, vt Argos se cunferret: vnde trecentos suspectos deduxit, & in insulas, quæ Atheniensibus parebant, deportauit.

II. IDEM Athenienses aduersus Melum, insulam in mari Cretico, cum magnis copijs nauigarunt: quod cum essent Lacedæmoniorum coloni, ipsis Atheniensibus parere nolebant, sed suas per se res agere vtrisque amicos, neutris subditos. Ea de re cum inter Atheniensium legatos, & primores Meliorum accurate disputatum esset, statuerunt Melij sibi libertatem suam retinendam videri. Itaq; cum Athenienses agrum vastare cœpissent, etiam vrbem ipsorũ obsidione circumuallarunt: at Melij semel iterumq; eruptione facta, non leuem Atheniensibus cladem attulerunt. Verum cum mox alius exercitus Athenis venisset, & graui obsidione Melij premerentur, quadam etiam proditione facta, Atheniensibus sese dediderunt; à quibus puberes omnes interfecti sunt, pueri ac mulieres seruituti addicti, ipsi vrbem, quingentis colonis eo missis, incoluere. Huic parem crudelitatem dudum Athenienses in Mithylenæos exercuerant, Cleone authore, vt est in Thucydide, b quod notauit Ælianus. c Caue autem pro Mithylenæis legas Melios, vt non nemo male corrigit. d Nam Cleon hoc tempore mortuus erat.

b l. p. 192 & 194. c l. 2. c. 9. d Capell. a. 1184.

III. QVI autem Atheniensium Pyli erant, magnam de Lacedæmonijs prædam cepere. Ideoq; & Lacedæmonij edicto permisere cuilibet de suis, vt prædam ex Atheniensium finibus ageret.

Hoc anno Athenienses, ad occupandam Siciliam vniuersam, animos erexerunt: sed non multo post maiora se viribus aggressos experti sunt, qui Siculis simul & Lacedæmonijs bellum inferre non dubitarent. Occasio expeditionis, Thucyd. l. 6. & Diodoro l. 12. referentibus, hæc fuit. Egestæi & Selinuncij finitimi, de quodam agro contendebant, & inita pugna, cum Egestæi inferiores facti fuissent, ad Atheniensium auxilia respicere cœperunt, qui non ita pridem Leontinis contra Syracusanos auxilio fuerant: Selinuncij quoque Syracusanos socios, protectores se habituros sperabant. Ergo Egestæi legatos Athenas mittunt, classem auxilio sibi venire postulant, & magnam pecuniæ vim ad belli sumptus pollicentur. Athenienses decernunt legatos mitti in Siciliam, qui de statu belli, & de pecunia certa referant, idq; reliquo anno factum est.

Romæ autem à bellis cessatum, seditionibus laboratum est, quas cum Liuio sequenti anno breuiter referemus.

ANNVS MVNDI 3639. SEXTAE AETAtis, & Imp. Pers. 123. Darii Nothi 9. Ioiadæ 10. Olym. LXXXXI. 2. Prætore Chabria. Vrbis Cond. 338. Tribb. A. Sempronio Atratino II. M. Papyrio Mugillano, & Sp. Nautio Rutilio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 414.

I. INGREDIMVR decimum septimum annum belli Peloponnesiaci, qui est belli Siculi primus, quem Diodorus initio lib. 13. vocat septingentesimum & sexagesimum ab excisa Troia: omissis videlicet fractis intra decades numeris. Reuera enim 769. reperiuntur, 431. ante Vrbem conditam, & inde 338. De Olympiade vero, & Prætore plane nobiscum sentit: de Romano magistratu, toto biennio posterior est ac tardior. Itaque statim ineunte vere Atheniensium legati ex Sicilia rediere, & Egestæi cum ipsis, ferentes sexaginta talenta argenti non signati, menstruum sexaginta nauium stipendium, quæ vt mitterentur, erant oraturi. Ita Thucyd. Ex quo apparet singulas naues singulis talentis menstruis in stipẽdium donari solitas. Rursum autem inferius, e ait Rempub. Atheniensem singulis nautis singulas drachmas quotidie dedisse. Et Tissaphernes promissum Lacedæmone stipendiũ menstruũm nauibus omnibus, numerauit viritim singulas drachmas Atticas. f Diodor. autem g Siculus non delatum hoc argentum, sed dumtaxat tantum ostentatum dicit, quod partim ex ærario depromptum, partim ex vicinis mutuo esset acceptum.

e l. 6. p. 411. f l. 8. p. 571. g lib. l. 12.

II. ATHENIENSES aduocata cõcione, auditisque Egestæis, & suis legatis varia dicentibus ad persuadendum appusita, decreuerunt sexaginta naues in Siciliam esse mittendas, & duces summa potestate præditos Alcibiadem, Niciam, Lamachum, qui & opem Egestæis ferrent, & Leontinos suis sedibus restituerent, cæteraq; in Sicilia perinde gererent, ac Reip. Atheniensium maxime expedire iudicarent: quam Siciliæ dominam breui futuram sperabant. Aperte Diodorus ait Duces in arcano consessu cum Senatu statuisse, vt si insula potirentur, Selinuncios, & Syracusanos seruituti manciparent, cæteris annua tributa imperarent.

Quinta die cum rursus conuocata esset concio, de apparandis celeriter, quæ ad hanc expeditionem essent necessaria, Nicias populum, à proposito affectandæ Siciliæ, reuocare conatus, in concionem progressus est. Negans esse è Repub. multis hostibus hic relictis, alios etiam in Sicilia quærere, & huc attrahere: neque committendum, vt suspensis adhuc, & incertis Atheniensium rebus, pericula subeantur, & aliud imperium ipsi affectent, priusquam id quod habent probe stabilierint.

III. SATIVS esse Chalcidenses, aliosq; socios, qui iampridẽ defecerunt, in potestatem redigere, quos subditos facilè possis in potestate retinere, quam longinquos hostes subigere, quos propter loci distantiam, in potestate retinere non liceat. Expedire Atheniensibus Syracusanos in Sicilia rerum potiri, Græcos qui ibi sunt, maiorem de absentibus opinionem, quam de præsentibus habituros, si vel clades aliqua contingat, vel inde quamprimum recedatur. Lacedæmonios etiam nunc captare occasionem accepta damna in Athenienses refundere, à quibus potius cauendum sit, quam barbaris in Sicilia studendum: & quæ per hanc quietem à bello contra Lacedæmonios Reipub. succreuerunt, in eius potius vtilitatem, quam Egestæorum impendenda. Nec habendam rationem eorum ducum, qui cum per ætatem minus sapiant, cum Reip. ingenti periculo illustres fieri velint. Sapientiores autem patriæ grauissimo periculo succurrant, rescindendo decreto, quod in gratiam eorum factum sit, qui nec parem gratiam referre possint, nec bellum, cum ipsorum consensu inchoauerint.

IV. ORATIONI Niciæ nonnulli assensere: pleriq; autem ratum decretum esse voluerunt, præsertim Alcibiades, quẽ Nicias aperte perstrinxerat, qui summo studio hanc expeditionem vrgebat: & non Siciliam modo, sed & Carthaginem quoque se capturum sperabat, cum summa sua gloria, & facultatum priuatarum incremento. Itaque & ipse quoque orationem habuit, qua se & ipse contra Niciam defendit, & Athenienses ad ratam habendam expeditionem hortatus est. ijs quæ à Nicia dicta fuerant, probabili oratione respondendo: ad quam cum accederent etiam Egestæorum, & Leontinorum preces, multo etiam impensius quam antes, in expeditionem propendebant. Itaque Nicias aliam viam tentare cœpit, vt scilicet magnitudine sumptuum, & necessarij apparatus, eos ab incœpto reuocaret, sed frustra: nam populus maiore semper desiderio incitatus, quemcunq, ille apparatum petijt, concessit.

V. INTEREA quædam ominosa in plerisq; statuis contigerũt, & nominatim quotquot lapidea Mercurii simulachra Athenis erant, vna eademque nocte vultu circumcisa

fue-

Belli Pelopon. Ann. 12.

fuerunt. Pleriq; Alcibiadis aduersarij culpam in eum deriuabant, sed ille iudicio se paratum exhibens, fregit aduersarios, eoq; ad tempus aliud accusationem differre coegit. Quare placuit multitudini vt Alcibiades abiret Imperator in expeditionem Siculam cum Nicia, & Lamacho. In quis Diodor. 140. triremes Atheniensium armatas fuisse dicit, præter reliquas, quæ arma, equos, frumenta conuehebant: armatorum autem militum ad septem millia. Thucydides autem naues veloces numerat sexaginta, 40. vero quæ militem grauis armaturæ veherent, quem significat fuisse quatuor millium, præter trecentos equites.

Classis portu soluit.

Postea vero æstate iam media classis portu soluens in Siciliam nauigare cœpit, apparatu, vt ex vna ciuitate, omnium sumptuosissimo, ac magnificentissimo, qui ad illam diem emissi fuerant. Cumq; iam Corcyram propemodum teneret, varij rumores in Siciliam delati, varios ibi motus animorum fecerunt.

VI. *Varij in Sicilia de bello rumores.*

Itaqve Hermagoras persuasus, quod res erat, veros esse rumores, quam maxime instat, vt Syracusani se diligenter ad eos excipiendos compararent, atque obuiam iter impeditum procederent. Et sapienter ille quidem. Nam apparatum sine causa fecisse, parum nocere poterat, sed imparatos opprimi à potentissimis hostibus, id vero perniciosissimum erat. Nihilominus contrariam sententiam tenebat Athenagoras, qui fictos hosce rumores ab hominib. meticulosis arbitrabatur: quippe qui persuasum haberet Athenienses, homines prudentissimos, non tam temerariam expeditionem suscepturos. Neq; abhorrebat à Nicia eius oratio, sed eadē propemodum vestigia incurrebat. Vicit tamen prior, vt tutior meliorq; sententia, & exploratores missi sunt, qui certa nunciarent.

VII. *Classis tripartito diuiditur.*

Interea classis Corcyra soluens tripertito diuisa est, pro numero ducum, vt commodius gubernari, & portus capere sine confusione possent. Tres item præmissæ naues, quæ explorarent, quæ ciuitates ipsos essent receptura, vt venientibus ducibus occurrerent. Iamq; emensu Ionio mari, oram Italiæ classis legebat, nulla eam ciuitatum recipiente, donec Rhegium peruenere, vbi castra posuere sub Dianæ templum, intra vrbem tamen à Rheginis admissi non fuerunt, nec se belli socios, quamuis Leontinorū cognati, fore dixerunt, sed neutris affuturos, & quicquid ceteris Italis communiter placeret, id esse facturos. Syracusani his cognitis omni studio bellū parare, & totā Siciliam, dimissis quoquouersum nuncijs, armare cœperunt. Tres aūt præcursoriæ naues Rhegium ad Athenienses venerunt, & 30. tantum argenti talenta apud Egestæos inuenta nunciarunt, non leui ducum dolore, quibus, præterquam Niciæ, hæc valde præter opinionem contingebant.

Rhegini in Italia non recipiunt.

VIII. *De bello ... consultatio.*

Dvces pro præsenti rerum statu consultare cœperunt. Niciæ visum est, vt pro Egestanis aduersus Selinuntem, cū omnibus copijs omigraretur. Indeq; si se daret occasio, Leontinos iuuarent, & alijs ciuitatibus obitis, eas sibi vel cōciliarent, vel potentia Atheniensium ostentata, domum redirent. Alcibiades vero legationibus tentandas ciuitates, præter Syracusas & Selinuntem, vt ab illis contra has, copijs & commeatibus iuuarentur, nisi illi Leontinos in pristinas sedes redire permitterent, isti pacem cum Egestæis componerent. Lamachus deniq; quamprimum arma Syracusanis inferenda, dum illi minus adhuc parati, & terror Atticarum copiarum à principio maior esset. Is tamen postea in Alcibiadis sententiam iuit. Alcibiades Messanenses ad belli societatem adducere non potuit: duces cum 60. nauibus, reliquis Rhegij relictis, Naxum venere, vbi vrbe recepta, Catanam quoque penetrarunt, vnde cū ij, qui Syracusanis fauebant, se fuga proripuissent, reliqui societatem cum Atheniensibus inire decreuerunt, & reliquum exercitum Rhegio acciuerunt: sicq; omnes copiæ Catanæ castra posuerunt. Inde excursione in quandam Syracusani agri partem facta, prædas egere, vicissimque nonnulli palantes interfecti sunt, reliqui Catanā rediere.

Catanam ... ...

IX.

Iat Salaminiam nauem inuenerunt, quæ magistratuum iussu Alcibiadem repetebat, ad causam Athenis dicendam de ijs, quæ ipsi nuper obiecta fuerant: cum tamen magis affectatæ tyrannidis suspicione laboraret, & plerisque eo nomine odiosus esset, quocunque tandem nomine reus ageretur. Alcibiades ergo habens suam nauim, itemque ij, qui vna insimulati fuerant, ex Sicilia cum naui Salaminia, tanquam Athenas ituri, discesserunt: quorum etiam discessu consilia inita de occupanda Messana conciderunt. Sed Alcibiades cum suis Thurios vsq; secutus Salaminiā nauim, ibi ea deserta euanuit, indeq; nauigio Lacedæmonem venit, non ausus se post tot criminationes iudicio Atheniensium sistere, qui eum mox absentem, sociosq; eius capite condemnarunt.

Alcibiades exul a patria.

Et Lacedæmonem venit.

X. *App. ... ad ... Rom ...*

Post discessum Alcibiadis duces Atheniensium copias bipertito diuiserunt, & mox per fraudem Syracusanorum, copijs ex ipsorum vrbe abductis, castra per otiū ad ipsam vrbem commodissime ceperunt, & pugna commissa post diuturnam dimicationem Syracusanos in fugam verterunt: eos tamen longe persequi ausi non sunt, Syracusanorum equitum metu. In eo prælio Siculi ad 260. Græci ad 50. interiere, Diodorus ad quadringentos Siculos cæsos fuisse dicit. Inde quod hyems immineret, Catanam & Naxum victores rediere, vt copias suas, tum alijs rebus, tum maxime equitatu instruerent: ideoq; Athenas triremem misere, quæ equitatum & commeatum Classi suæ colligeret; tum etiam aliarum vrbium amicitiam, atq; societatem tentauere, præsertimque Camarinæorum, quo legatos ea de causa miserunt. Siculi vero cum id intellexissent, eo miserunt legatum Hermocratem virum præstantem, qui omni studio conatus est eos ab amicitia, & societate Atheniensium abducere, quæ viam sterneret ad seruitutem, ad quam illi insulas omnes redegissent, & vice versa hortatus est, vt communem hostem communibus armis propulsarent.

XI. *Contrario Camarina legatione.*

Evphemvs contra Atheniensium legatus, illius oratione refutata, suasit vt præsens auxilium contra vicinum hostem non aspernarentur, ne id frustra postea, dum à Syracusanis opprimerentur, implorarent. Camarinæi, qui vtrosq; metuebant, responderunt, quoniam bellum gereretur inter eos, qui vtrique sibi erant socij, videri sibi æquum esse in præsentia neutris aduersari, neutris opem afferre. Itaque deinceps Syracusani in Peloponnesum ad Corinthios, ac Lacedæmonios profecti, addito etiam Alcibiade hortatore, auxilia contra Athenienses petierunt, atq; impetrarūt. Cum enim Alcibiades & se apud eos purgasset, & Atheniensium consilia eis patefecisset, rationemq; qua maxima eis damna afferre possent, & suam operam prolixe detulisset, persuasit vt copias aliquas cum Corinthijs in Siciliam contra Athenienses mitterent, & simul infestu exercitu in Atticam irrumperent, qua vtraque expeditione paranda reliqua hyems consumpta est. Dum interim Athenienses, vt postulatis Niciæ satisfacerent, elaborarent: cui trecenta argenti talenta, & aliquot equitum turmæ à populo, subsidij loco in Siciliam decretæ sunt.

Syracusani ... ... Opem ... ... Alcibiade ... ...

XII. *Romæ agraria turba.*

Interea Romæ discordia ex Agrariis legibus fuit. Cū enim duo Triboni plebis, in summam eius rei causa, contentionem totam Rempublicam coniecissent, quod plebiscito de diuidendis agris, magnæ partis nobilium fortunæ publicandæ essent, nec certamen atrox inter plebem, & patres exitum inueniret, Appius Claudius, nepos eius qui decemuir legibus scribendis fuerat, concilium ab auo acceptum suggessit, dissoluendæ tribunitiæ potestatis per collegarum intercessionem: quod cum probatum esset Senatui, primarii Senatores prehensandis Tribunis, sex ex ipsis ad intercessionem compararunt. Itaq; postero die cū ex composito relatum esset ad Senatū de seditione, quam Tribuni excitabant, ex orationes à primoribus patrum habitæ sunt, nihil vt auxilij ad Reip. salutem superesse dicerent, nisi in auxilio tribunitio, ad quorum virtutem potestatemque pertineret, non Senatum vexare, & discordijs ciues inter se committere, sed improbis collegarum conatib. intercessione resistere. Fremitus deinde vniuersi Senatus ortus, cum ex omnib. curiæ partibus Tribuni appellarentur, mox silentio facto, ij qui præparati erant gratia, & prehensatione principum, Quam Rogationē à Collegis promulgatam, Senatus censeat ad dissoluendam

Per aliquot Tribunorum intercessionē ...

Rem-

Rempublicam pertinere, ei se intercessuros ostendunt. Gratiæ intercessoribus ab Senatu actæ, reliqui Rogationis latores fumum sine flamma effudere.

ANNVS MVNDI 3640. SEXTAE AETATIS, & Imp. Pers. 124. Darii Nothi 10. Ioiadæ Pont. 11. Olym. XCI. An. 3. Archonte Pisandro. V. C. 339. Trib. Mil. P. Cornelio Coss. C. Valer. Potito, Quintio Concinnato. M. Fab. Vibulano.

ANNVS ANTE CHRISTVM 413.

I. *Syracusani primò tum Athenienses laborant.* MAGNARVM tempestatum apparatus superiore hyeme in Sicilia, Peloponneso, Attica facti sunt, quæ maria terrasque hoc anno late concutere cœperunt, qui fuit belli decimus octauus. Eius initio Athenienses nonnullis prælijs Syracusanos victos, ad consultandum de pace ineunda compulerant, cum auxilijs Corinthiorum superuenientibus, animis viribusq; firmiores, belli enram, non sine Atheniensium damno, redintegrarunt, adeo vt *Nicias subsidia petit, & obtinet.* Nicias, cum cerneret exercitum suum rerum omnium penuria premi, & hosticum inualescere, nuncios Athenas mitteret, qui suo nomine dicerent. Rem Atheniensem in maximo discrimine versari, & nisi primo quoq; tempore aut se reuocarent, aut alios non paucos mitterent, nullam spem salutis superesse. In quam sententiam, ne quid nuncij dissimularent, copiosas literas præscripsit, quæ publicè recitatæ effecerunt, vt duo ei duces adiungerentur, & alter exercitus cum pecunijs decerneretur.

II. *Et Eurymedon adest.* ET Eurymedon quidem, qui erat alter ducum, statim circa solstitium hybernum, cum decem nauibus, & viginti talentis argenti, in Siciliam profectus est, vt laborantibus opem ferret, & suppetias maiores quamprimum venturas nunciaret. Ita Thucydides l. 7. ex quo corrigendus est Diodorus, qui eum profectum dicit sub æstiuum solstitium, & quidem cum centum, & quadraginta talentis argenti. *Et mox Demosthenes.* Nam θερινὰς τροπὰς posuit, pro χειμερινάς. Idq; sequens eius oratio docet, cum ait ad proximum ver instructionem classem missuros, dicendum enim fuisset ad proximam hyemem, vel potius autumnum, præsertim cum res vehementer vrgeret, nec segnes nouem mensium pateretur moras. Demosthenes autem, qui erat alter ducum, interea omnem operam nauauit, vt naues, milites, & omnia exercitui necessaria compararet.

III. *Athenienses impediunt Corinthiorum subsidia parant.* ET quoniam nunciarat Nicias Corinthi, & in reliqua Peloponneso, alias naues auxiliares in Siciliam parari, Athenienses viginti naues miserunt Naupactum, vbi præsidium nauale iamdudum habebant, vt earum iter in Siciliam impedirent, contra quas Corinthij 25. nauibus pugnare decreuerunt.

Interea Lacedæmonij instigantibus etiam Syracusanis, & Alcibiade, expeditionem in Atticam præparabant, idque tanto maiore animo, quo minus se in culpa esse violatorum fœderum arbitrabantur: qui eos mœror in principio totius belli afflixerat, vt ait Thucydides l. 7. aperte docens ream conscientiam animos ad res gerendas vehementer debilitare: sicq; duodeuigesimus huius belli an- *Diagoras.* nus excessit. In quo Diagoras cognomento Atheus, ob intentatam sibi impietatis actionem, metu populi ex Attica profugit, quem qui occidisset, ei talentum argenti præconis voce Athenienses præmij loco obtulerunt. Diodorus Sic.

IV. *Volani subiguntur à Romanis.* IN Italia Volani Æquorum populi excursiones in confinem agrum Lanicanum faciebant, & nouos colonos vexabant, sperantes se consensu omnium Æquorum eam noxam defensuros: verum triennio ante accepta clades Æquos prohibuit Volanis auxilio esse. Itaq; deserti à suis, ne memorabili quidem bello, per obsidionem, leuemque vnam pugnam, & oppidum, & fines amisere. Cumque à L. Sextio Trib. pleb. tentatum esset, vt rogationem ferret, qua Volas quoque, sicut Lauicos coloni mitterentur, per intercessionem collegarum, qui nullum plebiscitum, nisi ex auctoritate Senatus passuros se perferri ostenderunt, tota res impedita est.

ANNVS MVNDI 3641. SEXTAE AETATIS & Imperii Pers. 125. Darij Nothi 11. Ioiadæ Pont. 12. Ol. XCI. An. 4. Prætore Cleocrito. Vrb. C. 340. Trib. Milit. Cn. Cornel. Coss. L. Valerio Potito. Q. Fabio Vibulano II. M. Posthumio Regillensi. *Plut. in Lysia.*

ANNVS ANTE CHRISTVM. 412.

I. *Annus Atheniensibus luctuosissimus. Deceleã magno damno amittunt. Noua copia contra eos Siciliam adeunt.* HIc annus decimus nonus belli, Atheniensibus luctuosissimus fuit: nam domi, forisq; maximis damnis, & cladibus affecti, penè funditus interiere.

Statim enim veris initio Lacedæmonij, Agide rege ductore, irruptionem in Atticam fecerunt, & agro circumiacente vastato Deceleam communire cœperunt, erat is locus medius inter Athenienses & Bœotos, vt inde præsidiarij milites perpetuis maleficijs Athenas affligerent, prædas agerent, vectigalia auerterent, homines occiderent, & peiora etiam, quam Pylus Spartanis, detrimenta importarent. Interea etiam validum exercitum Lacedæmonij & Thebani in Siciliam miserunt, cum nongentis grauis armaturæ militibus. Quibus profectis, Corinthij, & Sycionii alterum cum septingentis emiserunt.

II. *Quid ipsi interea.* ATHENIENSES autem circa Peloponnesum Cariclem cum triginta nauibus miserunt, vt Argiuos ad naues militibus implendas hortaretur. Item Demosthenem quendã statuerunt cum 60. nauibus Atheniensium, & quinque Chiorum, quæ mille & ducentos legionarios Atheniensium milites armatos ferebant, & ex insularum incolis, quam potuerunt vndique plurimos, contraxere: quem etiam iusserunt, copiis cum Cariclis exercitu coniunctis, oram Laconicam circumuectum infestare; antequam Siciliam adirent, si forte copias Lacedæmoniorum ex Attica eo modo extraherent.

III. *Clades ursã in Sicilia.* QVÆ dum in Græcia fiunt, Syracusani terra mariq; simul Athenienses adorti, tribus eos munitionibus, cũ multa cæde expulerunt, & magna pecuniæ & commeatus vi, & quadraginta nauium velis, multoque triremium instrumento, cum maximo Atheniensium detrimento, in potestatem redactis, tria trophæa contra ipsos erexerunt. At nauali prælio, vndecim nauibus amissis superati sunt, cum tres Atheniensium duntaxat, depressissent. Expugnato porro Plemmyrio, vbi munitiones Atheniensium erant, commeatu excludebantur: ita vt nihil in castra, sine prælio importari posset, ex quo magnus exercitui terror illatus, & animis vehementer contrahi, ac deiici cœpit. Dimiserunt & Siculi naues duodecim, quarum vna Lacedæmone rerum Sicularum statum, spesq; referret, & bellum semper vrgeri nouis subinde auxiliis oraret: reliquæ autem naues oram Italiæ legerent, qua naues Atheniensium cursum tenere audierant: quas cum nactæ essent Syracusanę, plerasque profligarunt, & materiam ad naues ædificandas idoneam, quam Atheniensibus ferebant, concremarunt.

IV. *Nicia, Demosthenis, & Cononis conatus.* LEGATOS quoq; per Siciliam circumquaq; miserunt, qui eadem nunciarent, & copias quam plurimas cogerent, animis Siculorum versus Syracusanos vna cum victoria inclinantibus: quarum tamen pleræque, opera eorum, qui Atheniensibus fauebant, monitore atq; hortatore Nicia, cum octingentis viris, insidiis interceptæ periere. Elapsi tamen ad mille & quingentos, Syracusas peruenere. Demosthenes autem Ægina profectus, cum agrum Peloponnensem ex parte vastauit, tum etiam locum è regione insulæ Cytheræ communiuit, vt inde quemadmodum ex Pylo, Spartani latrociniis infestarentur. Inde in Corcyram traiecit, vt assumptis illius regionis sociis, in Siciliam quam celerrime nauigaret: sed mora ei nonnulla allata est, dum decem naues Cononi tradit, vt cum cœteris, quas Naupacti habebat, contra 25. Corinthias, quæ Siciliam petituræ erant, pugnaret, quod & fecit nullo insigni euentu.

V. *Decelea vexat Athenienses. Auxilium Thracum remittunt. Mycalessum.*

Interea Decelea incredibilibus damnis Athenienses afficiebat, & ad proximam omnium rerum penuriam adigebat, adeo vt auxilium mille & trecentorum Thracum, qui cum Demosthene ituri erant in Siciliam, cum tardius venissent, domum remittere coacti fuerint, quod nō possent eis stipendium persoluere. Valde tamen mirum est, quomodo eos contra Deceleam non immiserint, cuius loci ruina non minus necessaria, quam Athenarum conseruatio videbatur. An illi, nisi præsente pecunia, pugnare noluerunt? Nihilominus domum remiserunt, monitos tamen, vt in transitu hostem damnis afficerent, qui improuisi Mycalessum Bœotiæ vrbem prope funditus deleuerunt: sed & ipsi, mox superuenientibus Bœotis, ducentos & 50. de suis amiserunt.

VI. *Syracusani classe vincunt Athenienses. Interea adest Demosthenes.*

Quæ dum in Bœotia fiunt, Syracusani nauali prælio cōtra Athenienses pugnare aggressi sunt, & semel iterumq; congressi, Athenienses non sine damno in castra fugientes compulere. Interea alter de ducibus Demosthenes cū tribus & septuaginta nauibus, & quinq; millibus grauis armaturæ militum, & non paucis alijs, in Siciliam appulit. Eas copias Diodorus vsq; adeo amplificat, vt pro 75. quas agnoscit etiam Plutarchus in Nicia, trecentas & decem naues ipse substituat. Sed errorem in numero nauium aperte prodit militum qui sequitur numerus. At enim in ijs præter remiges fuisse militum quinque millia: oportuit ergo plus quam ducentas militibus vacuas fuisse. Itaq; eum numerum male sumptum ex alio loco arbitror, vbi Thucydides paulo post ait Athenienses omnino centum & decem naues congregasse. Et confirmatur ex eo quod perfecto bello in concione, vbi res amplificantur, quidam Syracusanus ducentas omnino naues in Siciliam pro Atheniensibus traiecisse refert, apud eundem Diodorum, virorum autem plus quam quadraginta millia.

VII. *Quæ ab eo gesta.*

Ex aduentu igitur Demosthenis, & Atheniensibus, vt in malis, quoddam animi robur accessisset, & non exiguus Syracusanos terror inuasit. Eo vti volens Demosthenes, quamprimum munitiones, non admodum feliciter inuasit; nec mox feliciore successu nocturnam pugnam ad Epipolas commisit: duo millia Plutarchus, quingentos etiam insuper trucidatos scribit Diodorus, præter magnam multitudinem sauciorum. Vbi fateor me suspectam habere hyperbolem. Nam Thucydides l. 7. satis habuit dicere, non paucos, tam ipsorum, quam sociorum perijsse, & quē numerum in nocturna illa pugna scire non potuit, tacere maluit, quam diuinare. Itaq; optabat inde emigrare: præsertim cum parum salubri loco castra essent, & milites passim morbis tentarentur, imo & domum reuerti: aut certe castris Catanam translatis, per Siciliam excurrere, & si nauali prælio decernendum foret, id non in angustijs, sed in patenti æquore rectius, atq; vtilius fieri posse. *Niciæ consilium.* Nicias contra, ibidem subsistendum putabat, etsi rerum suarum infirmitatem non ignoraret, sed sperabat Syracusanos, quorum res sciebat deteriore loco esse, præsertim à sumptibus, vtilia Atheniensibus consilia breui agitaturos, & plerosq; eis fauere Syracusis, per certos nuncios exploratum habebat: quæ tamen vulgare nolebat, ne irrita fierent, dum hosti innotuissent, vt notauit etiam Plutarchus. Publice tamen reditum dissuasit, quod id iniussu Reip. non liceret, & à reditu se reos capitis fore profitebatur.

VIII. *Athenienses castra mouere cupiunt.*

Itaque licet Eurymedon cum Demosthene sentiret, ambo tamen Niciæ cesserunt, ibidemque cum omnibus copijs perstiterunt, donec Syracusani, auctis Carthagine copijs, se compararunt ad Athenienses terra marique inuadendos, præsertim cum morbi in castris inualescerent. Quæ causa fuit vt Nicias in migrationem consentiret. Sed paratis omnibus Luna, erat quippe plenilunium, defecit. Quo tanquam prodigioso omine territus Nicias, ibidem ter nouem diebus, vti Vates præcipiebat, subsistendum edixit. Diodorus tres tantum dies habet, sed Plutarchus consentit Thucydidi, a qui ait Niciam alterum lunæ ambitum expectari voluisse. Diodori tamen sententia ex eo probabilitatem accipit, quod solerent antiqui in solis & lunæ laboribus, non nisi tribus diebus sibi cauere, & eos habere suspectos. vt Plutarchus ex Antoclide refert. Quo tempore cum Syracusani secretæ migrationis consilia didicissent, rati sibi commodius esse ibidem nauali prælio contra Athenienses pugnare, paratis ad pugnam rebus, Syracusani cum sex & septuaginta nauibus in aciem prodiere, Athenienses autem cum sex & octoginta. Victoria penes Syracusanos stetit, qui duodeuiginti Atheniensium naues ceperunt, interfectis duobus militum millibus, vt Diod. ait, nec tamen incruenta; quo factum est, vt vtrique trophæum quasi victores erexerint: sed hæc erant maiorum malorum præludia.

Nam ab profectione eum lunæ defectus deterret. Et Thucydides, a in Nicia.

IX. *Syracusani alterâ pugnâ parant. Nicias suos hortatur ... pugna Syracusani victores sunt.*

Nam animis elati Syracusani magni portus, in quo erant Athenienses, ostia obstruere cœperunt, nec inde furtim abire sine certamine possent.

Quæ dum Nicias animaduertit, cum alioqui classi cōmeatus inopia vrgerentur, quod edixerant Catanæis ne quid ad se mitterent, quod eo ipsi quamprimum profuturi essent, necessario classem ad prælium præpararunt, desertis munitionibus: & omnibus in naues impositis, centum & decem naues expleuerunt. Diod. tts. triremes numerat Atheniensium, Syracusanorum autem quatuor & septuaginta. Cumq; Nicias animo consternatum exercitum videret, grani, & accurata oratione, ad bene sperandum, & fortiter pugnandum, extrema eos necessitate vrgente, adhortatus est. Syracusani vicissim, & Gylippus dux Lacedæmoniorum, copias suas, iam victoriæ primitijs alacres, etiam animosiores reddebant, hoc ipso quod Atheniensium superbia fracta esset rebus aduersis. Homines enim postquam eorum vires in ea re, qua se præstare cæteris putant, fractæ fuerint, multo minorem in posterum de seipsis opinionem concipiunt, quam si nunquam ante quicquam de se tale sensissent, & opinione sua, propter quam animos elatos habebant, præter spem frustrari, etiam infra vires virtutemque succumbunt. Itaque de victoria pene certi, naues suas pugnaturi sunt ingressi, quod ipsum viderent ab Atheniensibus fieri.

X. *Nauale prælium iteratur.*

Interea Nicias priuatim duces, primatinsq; milites & trierarchos, infimis precibus, atq; obsecratione vrgebat, vt fortiter agerent, & se & patriā, vltimo in discrimine constitutam, liberarent. Cum ergo ad certamen ventum esset, nihil artis & industriæ nihil roboris & audaciæ, aut ab his, aut ab illis prætermissum est, sed toto fere die summa pertinacia, ancipiti victoria certatum est: donec tandem Athenienses cesserunt, atque in fugam versi, in terram enatarunt, & ad castra, alij ad munitiones rursus, quasi se in ijs defensuri, concurrebant: alij quam salutis viam inuenirent, circumspiciebant: omnes tanto terrore affecti, quantum nullum ante sensissent. *Athenienses vincuntur.* Ait Diodorus sexaginta naues Atticas perijsse, Syracusanis vero 24. partim funditus perijsse, partim conuulsas fuisse, atque contritas. Et Syracusani quidem victores in vrbem reuersi trophæum erexerunt.

XI. *Athen. de fuga cogitant.*

Athenienses vero præ magnitudine præsentium malorum, ne cogitarunt quidem de suorum cadaueribus recipiendis, sed consilium inierunt de nocturna fuga quamprimum captanda, resistente Demosthene, qui cum Niciam adijsset, censebat reliquas naues iterum instruendas, & sub auroram si possent, eruptionem tentandam, cū plures etiam nunc sibi naues superessent, quam hostibus. Atheniensibus enim naues circiter sexaginta supererant, hostibus vero pauciores quam quinquaginta: sed duplo plus animi erat in triginta Syracusanis eo tempore, quam in centum Athen. vt res ipsa docuit. Nam cum hoc consilium Niciæ probatum esset, & naues implere vellet, nautæ illas conscendere nolebant, quod aduerso prælio præterriti, nullam in nauibus spem, vel victoriæ vel salutis haberent: sed terrestri itinere aliquo se recipere in animo haberent.

XII. *Decipiuntur à Syracusanis.*

Quod præsentientes Syracusani, omnes elabendi vias eis præcludere statuerunt, Hermocrate duce, atque hortatore. Qui cum ea de re Syracusanorum principes monuisset: illi desperantes se posse fessum & comessabundum militem, ad nocturnas excubias tunc euocare: insigni fraude Hermocrates nuncios ad Niciam misit, nomine quorundam, qui ei Syracusis amici erant, ne ea nocte iter

pararet, quod transitus à Syracusanis obsessi tenerentur. Creduli duces, nullam subesse fraudem rati, non ea tantū nocte, sed vsq; ad tertium etiam à pugna diē ibidem substiterunt, vt per otium conuasarent quam commodissime possent, minus necessarijs relictis. Miseri, ac supra modum imprudentes, qui non intelligerent, interea sibi ab hostibus magnum malum per otium parari.

Omnis fuga illis intercluditur.

Syracusani enim & Gylippus cum peditatu egressi, vias omnes, per quas verisimile erat Athenienses iter esse facturos, præsidijs obstruxerunt, riuorum omnium ac fluuiorum transitus obseruarunt, vt venientem hostem, & fatigatum, & deteriore loco, ac conditione pugnantem, facile perderent.

XIII. *Luctuosus Atheniensium digressus.*

Digressus Atheniensium luctuosissimus fuit, tum lamentatione eorum, qui ægri, aut vulneribus debilitati, aut itinere iam suscepto deficientes deserebantur, nec à sociorum amplexibus diuelli poterant, quam eorum qui abeuntes, non minorem sibi cladem imminere animo præsentiebant. Et cum multitudo eorum, qui adhuc supererant, non esset infra numerum quadraginta millium, vix tamen illis tantum animi, propter omnium rerum penuriā supererat, quantum exiguæ multitudini. Ideoque Nicias eos vsq; adeo consternatos videns, rursum consolari, & ad spem aliquam erigere conatus est, nec vllum boni Imperatoris munus prætermisit data opera, vt seruatis ordinibus iter facerent, vt sic hostium insultibus commodius obsistere possent.

XIV. *Varie ab hoste vexantur.*

Itaque Copiæ Niciæ quadrato agmine præibant, Demosthenes cum suis sequebatur. Idque vno atq; altero die non sine multis Siculorum equitum incursionibus, qui extremos quosque carpebant, donec ex munito quodam colle cum clade repulsi, & insuper pluuijs, tonitribusque territi, cœlum ac terram contra se conspirasse existimantes animos magis magisque abijciebant: & retrocedentes castris positis pernoctarunt. Postridie ac deinceps cum progredi cuperent, semper circumfusos habebant hostes, qui vndique telis eos peterent, multosque sauciarent. Et quoties Athenienses in eos impressionem faciebant, ipsi se subducebant, quoties vero recedebant, illis instabant, sicque misere lancinato certamine sine pugna pugnabant.

Nota differentiam.

Inito deinde consilio aliorsum iter flectere, & non vltra Catanam versus, noctu multis excitatis ignibus iter arripuerunt, sed cum nocturno itinere, in hostico, & circumfusis hostibus, à victis iter fieret, omnia trepidatio tenebat, imo turbabat; Demosthenis copiæ dissipatæ, non seruatis ordinibus, quoquo modo sequebantur.

XV. *Demosthenes cum suis deditionem facit.*

Vbi illuxit mirati Syracusani hostem abijsse, eum persequuntur, & sub horam prandij Demosthenis copias perturbatas ac confusas assecuti sunt. Qui ad pugnam, quamuis longe à reliquo exercitu separati, sese compararunt, sed facile ab equitatu circumuenti, & in locum iniquissimum pertracti, ac conclusi muris, telis vndiq; petebantur, quod nollent Syracusani cominus cum desperatis ferro decernere. Cumq; totum diem vulneribus eos eminus afflixissent, tandem Demosthenes cum suis ea lege deditionem fecerunt, vt arma traderent, & nullus mortem violentam, aut in vinculis, aut rerū inopia pateretur: fuit hic numerus sex millium, qui omnem pecuniam quā habebant, deposuerunt, & eam in supina scuta proijcientes, quatuor scuta repleuerunt. Eos Syracusani statim in vrbem captiuos abduxerunt.

XVI. *Varij Niciæ casus.*

Thucydides scribit exercitum Niciæ iam centū quinquaginta stadiis copias Demosthenis antecessisse, cui consentit Plutarchus in Nicia: & vtrique maior debetur fides, quam Diodoro, qui ait copias omnes ad flumen Asinarum, velut indagine conclusas, ibique octodecim millia trucidata, septingentos captos viuos, in quibus Nicias, & Demosthenes imperatores. Sed ad eum fluuium Demosthenes cum suis non peruenit, solius enim Niciæ clade nobilitatus est. Reliqua igitur, vt cœpimus, ex Thucydide mutuemur.

Postridie etiam Niciam insecuti, ad eum peruenerunt, & deditionem facere iusserunt; cumq; ille frustra conditiones proponeret, eius aciem, sicut & copias Demosthenis, toto die telis vndiq; eminus obruere cœperunt. Noctu cum Nicias iter facere conaretur, ad arma conclamatum est, & subsistere coacti sunt, exceptis trecentis, qui per media hostium tela, per tenebras elapsi, quo illos casus, imperiosue tulit, abscesserunt.

XVII. *Exercitus profligatus se dedit.*

Reliqui vbi illuxit, iter ingressi, eosdem quos pridie insultus perpessi sunt, donec ad fluuium peruenerunt, labore, siti, plagisq; confecti, vbi magna ex parte telis atque vndis hausti periere. Itaq; profligato exercitu, Nicias se Gylippo Lacedæmoniorum duci dedidit, qui deinceps viuos Athenienses capi iussit, & in vrbem captos adduci, quibus tota Sicilia repleta est: nam priuatim multi captiuos in seruitutem abduxerunt, pauci publicæ custodiæ traditi. Quin & illi ipsi trecenti perquisiti, ac comprehēsi, Syracusas quoq; abducti sunt, & in profundas lapidicinas demissi, miserrimo ac tenuissimo victu, vitam trahebant in sordibus ac fœtore. Et sub dio, solibus, ac pluuiis expositi, morbis ac plagis interibant: itaq; alia super aliis cadauera per dies 70. coaceruabantur, donec bonam eorum partem diuendiderunt.

Athenienses seruituti addicti.

XVIII. *Nicias ac Demosthenes necantur.*

Nicias autem & Demosthenes, quamuis eos vehemēter seruatos cuperet Gylippus, quasi gloriosissimum specimen victoriæ suæ, & alioqui eorum virtutem admiraretur eos tamen Syracusani, veriti ne quid noui molirentur, quamprimum interfecerunt. Aduersatur Thucydidi Diodorus cum fingit in iudicio Syracusis habito, de supplicio Atheniensium, Gylippum perpulisse populum ad sumendum supplicium de Nicia & Demosthene: sed longius etiam abit ab vtroq; Iustinus, qui sæpe concinnitatem magis, quam veritatem orationis sectatur *Demosthenes*, inquit, *amisso exercitu à captiuitate gladio, & voluntaria morte se vendicat: Nicias autem ne Demosthenis quidem exemplo, vt sibi consuleret, admonitus, cladem suorum auxit dedecore captiuitatis.* Sic ipse, male timiditatem exprobrans. Plutarchus autem in Nicia ait Demosthenem percussisse quidem se, sed ictu nō lethali, quod cito ab hostibus comprehensus fuisset: nihilominus ait Gylippum populum rogasse, vt vterque sibi dederetur, nec impetrasse: quin etiam refert quandam opinionem, quæ ferret eos à populo lapidibus obrutos interiisse. in l. 4.

XIX. *Belli in Sicilia finis.*

Et hic finis fuit omnium copiarum, quæ pro Atheniēsibus in Siciliam profectæ, pari cum ipsis clade consumptæ sunt. Et quidem ea clade, qua toto hoc bello, imo multis seculis, nulla maior in Athenienses incubuit: qui prorsus rebus omnibus afflicti, funditusque viris, equis, nauibus, armis, sumptibus, gloria euersi, periere: vixq; pauculi domum è tanto naufragio enatarūt. Diodorus addit Syracusanos bello Atheniensi extincto, Lacedæmonijs armorum socios, spolijs bello captis remuneratos esse: simulq; 35. triremes, in subsidium belli contra Athenienses suscepti, cū Hermocrate duce misisse. Notat Plutarchus diem capti Niciæ. Euricles inquit, aduocata Syracusis concione legē rogauit, vt diem, quo ceperant Niciam, festum agerent, & à fluuio appellarent Asinarium, qui fuit 17. mensis Carnei, quem Metagithniona Athenienses vocant, & Iulio nostro pletiq; respondere censent; Quod satis ex Thucydidis narratione confirmatur.

Tempus capti Niciæ.

XX. *Rumores Athenas...*

Tantæ cladis nuncij Athenis diu fidem non faciebāt. Tandem res credita, & dolore prætentitæ iacturæ, & metu imminentium malorum totam Remp. compleuit; quod hostes ex Sicilia, & Peloponneso in vrbem desolatam, nauibus, viris, pecuniisq; destitutam, quamprimum ventutos crederent: socios quoq; vbiq; à se defecturos. Visum tamē est non oportere succumbere, sed afflictis rebus opem ferre, classem parare, pecuniā, materiamq; corrogare, socios, & præsertim Eubœam, præsidio firmare, res vrbanas aliqua ex parte corrigere, sumptusq; minuere, magistratum creare, qui Reip. prouideat, quod eo facilius erat, quo populus, ꝓpter præsētis mali magnitudinē, erat obsequētior.

Et cætera Græcia.

Sequenti hyeme vniuersi Græci, cum accepissent res Atheniensium clade Siciliensi attritas, animos erexerunt, & propter commune odium, & inuidiam in Athenienses, in ruinam inclinantes, præcipites agere conabantur.

BELLI PELOPON. AN.20.

Ergo & qui neutrorum erant socij, se Lacedæmonijs dedebant ad belli societatem, & Lacedæmoniorum socij, tanto maiore belli desiderio flagrabant: qui autem dudum erant Atheniensium socij, sine metu deficiebant. Syracusani autem bello perfuncti, Rempub. suam Diocli legibus informandam dedere, qui in Athenienses prorsus afflictos seuerissimam dixit sententiam. Rigidum hominis ingenium exitus declarauit. Cum enim capitis pœna proposita edixisset, ne quis cum armis in forum se daret, idque illi casu quodam accidisset, monitus legis suæ, proprio incũbens gladio legem suam confirmauit. Refert Diodorus sub Olymp. nonagesimæ primæ annum vltimum.

XXI. LACEDÆMONII autem ipsi in proximum ver bellum parabant, quo sibi victrices copias è Sicilia cito venturas sperabant, simulque persuasum habebant, si hoc eis bellũ recte succederet, se totius Græciæ imperiũ toto obtẽturos. Itaque Agis Lacedæmoniorum Rex quam maximũ belli apparatum facit; Athenienses quoque quantum possunt. A quibus Eubœenses primi ad Agin deficiunt. Eos sequũtur Lesbij, Bœotis adiuuantibus; Chij deinde, & Erythræi Spartam, defectionis causa, adierunt: & cum ijs legatus missus à Tissapherne, qui pro Rege Dario Artaxerxis filio, Prætor erat inferioris prouinciæ, qui & Peloponnesios contra Athenienses excitabat, & ipsorum copijs se stipendia præbiturum spondebat. Eos enim oderat, quod propter ipsos regia tributa exigere non poterat. Alij quoque eadem Hellespontios ad defectionem sollicitabant ab Athen. in quibus Alcibiades; sicque cum hyeme, & vndevigesimus huius belli annus excessit.

XXII. CIRCA hæc tempora contigerunt, quæ Ctesias de Pisuthne & Tissapherne refert. *Deficit, inquit, Pisuthnes*, vel vt habet Thucydydes, Amorges filius eius nothus, & in eum Tissaphernes mittitur, atque Spitradates & Parmises. Pisuthnes verò aduersus eos tendit, secum habens Lyconem Atheniensem cum Græcis, quorum ille dux erat: sed regis duces pecunijs Lyconem Græcosque captant, & vt à Pisuthne desciscant, persuadent. Deinde Pisuthni fida data & accepta ab eo, ad regem ipsum adducunt, qui eum in cineres conijcit, eiusque satrapiam Tissapherni tradit. Sic Ctesias. Apparet capto patre & occiso, filium turbas circa prouinciam Cariæ excitasse; quandoquidem rex iusserat, vt eum Tissaphernes vel viuum ad se abduceret, vel interficeret. Is autem sub Atheniensium vmbra latebat, quæ fuit causa cur Tissaphernes tanto magis Lacedæmonijs se dederet.

XXIII. ANNVS hic ne Romanis quidem satis lætus fuit. Cum enim M. Posthomio Regillensi bellum aduersus Æquos permissum esset, exercitu impigre conscripto, ductoque ad Volas, cum leuibus prælijs Æquorum animos fregisset, postremo in oppidum irrupit; deinde ab hostibus in ciues certamen vertit. Cum enim inter oppugnationem prædam militi spopondisset, capto oppido fidem mutauit. Inde cum Romam à Collegis accersitus, propter tribunitias turbas venisset, aut malum militibus suis minatus esset, eò rea tandem processit, vt ab ijs lapidibus obrueretur. Quod tam atrox facinus cum Romam perlatum esset, Tribunis militum de morte collegæ per Senatum quæstiones decernentibus, Tribuni plebis intercedebant. Sed veriti patres ne ea occasio esset Tribunos militares è plebe creandi, contendebant omni ope, vt Consules crearentur, quod & proximis comitijs obtinuere.

ANNVS MVNDI 3642. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Pers. 126. Darij Nothi 12. Ioiadæ Pont. 13. Olymp. XCII. An. 1. Archonte Gallia. Vrbis Conditæ 341. Coss. A. Cornelio Cosso. L. Furio Medullino.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 411.

I GALLIAM quoque hoc anno agnoscit Plutarchus in vita Lysiæ Rhetoris: cuius ipso primo vere, belli Peloponnesiaci anno vigesimo, Atheniensium plerique socij, qui defectionem paulo ante meditati fuerant, eam executioni mandarunt; Chij maxime, alijque, duce imprimis, atque impulsore Alcibiade: præsertim Milesij, post quorum defectionem Persæ cum Lacedæmonij fœdera, bellique societatem aduersus Athenienses pepigerunt, id agentibus Tissapherne Persa, & Chalcidæo Lacedæmonio: in quibus inter alia cauebatur, vt quid pecuniarum, aut redituum ex vrbibus, quæ iam pridem regi parebant, Atheniensibus obueniebat, id ne ad eos perueniret, Rex, & Lacedæmonij cum socijs prohiberent. Inde toto mari pro vrbibus aut conseruandis, aut ad defectionem trahendis late certatum est.

ALCIBIADES TRANSIT AD PERSAS

II. ET quidem Athenienses contra Chios tertio feliciter pugnarunt. Inde cum classe nauium duodequinquaginta, & tribus millibus armatorum Miletum profecti, ibi ancipiti certamine pugnatum est; adfuit autem pro Milesijs prælio Alcibiades, & Tissaphernes. Cumque vrbem circumuallare vellent, ecce nuncius defertur quinque & quinquaginta Peloponnesiorum & Siculorum naues tantum non adesse, & in Græciam venisse, vt belli reliquias persequerẽtur, & Atheniensium imperium funditus euerterent. Cumque illæ se ad pugnam pararent, Athenienses qui de summa rei hoc tempore periclitari nolebant, relicta Mileti oppugnatione, Samum profecti sunt. Ibi cum proxima hieme aliæ quinque & triginta naues ad eos Athenis venissent, omnibus contractis nauibus, belli prouincias sortiti, Miletum naualibus copijs oppugnare, aduersus Chium nauales & pedestres copias mittere statuerunt. Itaque triginta nauibus contra Chium profectis, alij apud Samum cum quatuor & septuaginta nauibus remanentes, mare obtinebant, & classis incursionibus Miletũ infestabant; Peloponnesijs eam tutantibus, à quibus & Rhodos ad defectionem adducta est.

III. INTEREA vero cum Alcibiades Agidi Regi Lacedæmoniorum esset inimicus, & plerisque Lacedæmone suspectus; vnde & epistola de eo interficiendo ad Astyochũ nauarchum venerat: id ille præsentiens, ac metuens, ad Tissaphernem Persam transiuit, qui nuper fœdera cum Lacedæmonijs semel iterumque fecerat, quæ nihilominus ab ipsis iterum improbabãtur, vnde & iratus Tissaphernes illos deseruerat.

Cum ergo apud Tissaphernem degeret Alcibiades, plurima illum docuit, tam in Lacedæmoniorum, quam vniuersæ Græciæ detrimentum: (licet Diodorus Pharnabazũ pro Tissapherne ponat, in eodemque errore deinceps perseueret,) qualia erant ne properaret bellum finire, sed sineret Græcorum vires mutuis prælijs atteri, & separatim imperium habere: fore enim dicebat, vt Regi liceret in eosdem Græcos à quibus offenderetur, alteram partẽ immittere. Quod si ad alteram tantum partem deueniret terræ, marisque imperium, ipsum regem destitutum iri Socijs, quibuscum opprimeret eos, qui rerum potirentur.

IV. ET quoniam sibi quoque reditum parabat in patriam, addebat etiam Athenienses imperij socios illi commodiores fore, vt qui eius auxilijs munitum in suam ipsorum ditionem maris partem redacturi essent: deinde vice versa illum adiuturos in omnibus Græcis subigendis, qui Regis prouincias incolerent, cum Lacedæmonij ad Græcos in libertatem vendicandos arma ferrent: nec passuri essent Persas imperare Græcis, qui Græcis ipsosmet Græcos imperare nollent.

Quæ cum probaret Tissaphernes, etiam quamuis dissimulanter, reuocabat in praxim, & non parum Alcibiadi tribuebat fidei atque beneuolentiæ, quam ille tanto impensius colebat, quanto id sciret plus habiturum momenti ad reditum suum impetrandum.

V. ITAQVE ad principes Atheniensium, qui erant in Samo insula, scribebat se Tissaphernis amicitiam eis conciliaturum, si operam darent, vt ipse Athenas reuocaretur, vt populari statu Reip. commutato, ipsi inter se Remp. deinceps administrarent. Cumque iam suæ sponte propenderent ad statum popularem Athenis euertendum, currentibus Alcibiades calcar admouit. Itaque ea de re inter se collocuti, Samũque reuersi, conspirarunt inter se, & plurimos

tibi socios adiungebant, per quos tractarites, atque confici posset: palam dicentes in auxilijs Persarum positam esse victoriam, quæ auxilia omnino Alcibiades conciliaturus erat, si restitueretur patriæ, & mutato populari statu, ij qui Alcibiadem damnatum patria expulerant, à Reip. gubernaculis repellerentur.

VI. HÆC dum vulgus militum acciperet, etsi animo nonnihil angebatur, quiescebat tamē, ipe stipendij à rege suppeditādi. Inter duces autem Phrynichus hæc improbabat: vt qui Alcibiadis nosset ingenium, & intelligeret ægrè Persarum cum Atheniensibus amicitiam coalescere posse, cū Lacedæmonijs dissolui, cum vtrique in illius Regis imperio pares potentia essent, & insuper Persæ ab Atheniensibus, non autem à Lacedæmonijs damnis affecti essent: negabat quoque mutationem status in vrbe quidquam ad socias ciuitates vel retinendas in fide, vel sibi conciliandas valituram, cum vtralibet gubernatio suam eis libertatem non restitueret.

Sed cum coniurationis socij, qui eò conuenerant, nihilominus in sententia persisterent, quin & legatos ea de re Athenas mittere statuissent, & in ijs Pisandrū, cum Phrynichus prospiceret hæc postulata Athenis admissū iri; veritus ne propter ea, quæ in contrarium à se dicta fuerant, si Alcibiades in patriam reuersus esset, male ab eo, cuius impedire voluisset reditum, aut eius socijs acciperetur, statuit per Lacedæmonios operam dare, vt vel Alcibiadem perderent, vel eum à Tissapherne abalienarent.

VII. ITAQVE ad Astiochum Lacedæmoniorum Nauarchū, consilia Alcibiadis apertè perscribit, de quibus cum is apud Alcibiadem questus esset, & literas ei Phrynichi ostēdisset, eas ille statim Samum mittit, postulans vt Phrynichus capite plecteretur.

Phrynichus in hoc tanto discrimine rursum ad Astiochum Lacedæmoniorum nauarchum scribit, conquerens de manifestatis literis suis, simulque dicens se in maximo capitis versari discrimine, à quo vt liberaretur, paratum se dixit exercitum Atheniensium, cum ipsa insula Samo, in manus ei tradere. Addit etiam viam, qua res tota confici posset, & quibus ex locis Samus immunita hosti patere posset. Sed Lacedæmonius has ipsas iterum Alcibiadi prodidit.

VIII. QVOD Phrynichus præsentiens, & Alcibiadis præuertens epistolam, quæ hæc Atheniensibus propalaret. Exercitui nunciat hostes Samum inuadere statuisse, quod Samus immunita esset. Itaque omnia rite ad eos excipiendos comparanda, quod cum factum esset, paulò post venerūt ab Alcibiade literæ, quæ Phrynichi meditatam proditionem declararent: sed eæ nullam obtinuerunt fidem, quod Phrynicho Alcibiadem inimicum scirent, & tantū magis fidei & prudentiæ Phrynichi tribuere cœperunt, qui hæc maturè præuidisset. Is nihilominus mox criminatione Pisandri apud Athenienses de potestate deiectus est, & postea ab Hermone quodam in foro pugione percussus interijt. Athenienses causa proditionis cognita, mortuum damnauere, vt scribit Plutarchus in Alcibiade, qui & superiora maiore quam Diodorus fide, ex Thucydide mutuatur.

IX. INTEREA Alcibiades Tissaphernem, cuius opera vehementer egebat ad reditum suum, officijs studiosè demerebatur. Sed Pisander etiam cum collegis Samo Athenas venit, causam Alcibiadis acturus; tantumque dicendo valuit, ac demonstrando perditum iri omnia, nisi amicitia Persarum concilietur; eam autem nisi restituto Alcibiade acquiri non posse: nec velle Alcibiadem reuerti, nisi mutato statu populari in paucorum gubernationem, vt populi consensum, quamuis ægerrimè, extorqueret, quantumcumque Alcibiadis inimicis repugnantibus. Sed popularem statum antiquari passus est populus, quod speraret eum non ægrè postea restitui posse: interea aūt Remp. vtilissima regis amicitia fruituram. Itaque decretum fecit vt Pisander cum decem collegis proficisceretur, ad rem cū Tissapherne & Alcibiade transigendam.

X. Verum cum Alcibiades Tissaphernem minus propensum videret ad fœdus cum Atheniensibus ineundum, sine quia Peloponnesios, vt fortiores metuebat, siue quia vtrosque bellis atteri, iuxta ipsiusmet Alcibiadis consilium, volebat. Noluit tamen Alcibiades existimari aut se parū apud Tissaphernem posse, aut ipsum parum societatē velle, sed tam ardua regis nomine petere aggressus est, vt Athenienses ea non possent admittere, sicque fœderis spes omnis irrita fieret, quod & factum est. Et legati se ab Alcibiade deceptos esse conquesti, domum se receperunt, & Tissaphernes fœdus cum Lacedæmonijs tertiò renouauit, ac correxit.

XI. EAM fœderis correctionem scribit Thucyd. 13. regni Darij anno contigisse, pauloque post vigesimū belli Peloponnesiaci annum finitum esse. Quæ duo stare non possunt. Nam decimus tertius Darij necessario cum 21. belli concurrit. Itaque vel legendū est hoc fœdus 12. anno Darij contigisse, & mendum in eum numerum irrepsisse, vel quod aliqui rectius, vt opinor, voluerunt, dicendum Thucyd. Sogdianum & Xerxem in regibus Persarum non numerasse; sed quod tempus illis reliqui scriptores attribuerunt, id Thucydidem Dario, qui postea si non meliore iure, certe feliciore, ac diuturniore tempore factus est rex, attribuisse. Dici denique potest hac hyeme, qua fœdus hoc correctum est, annū Darij duodecimū iam absolutum, & decimum tertium inchoatum: neque annos belli & Darij terminis ijsdem fuisse initos, aut terminatus.

XII. ROMÆ porro Cornelio Cossō, & Furio Medullio Coss. principio anni SC. factum est, vt de quæstione Posthumianæ cædis, Tribuni primo quoque tempore ad plebem ferrent, plebsque præficeret quæstioni quem vellet. Id negotium Coss. à plebe committitur, qui summa licet moderatione & lenitate, per paucorum supplicium, qui sibi manus intulere, rem transegissent, populi tamen offensionē effugere non potuerunt. Conqueri enim cœpit, quod Cōsules de supplicio suo consensum statim executioni mandassent; cum ea quæ ad vtilitatem suam pertinerent, de agrorum scilicet diuisione, tot annos iacere paterentur. Leniri poterant animi, & imminui desiderium legis agrariæ, si Volanus ager plebi diuidendus traderetur. Sic enim vacui largitio, occupati contentionem sedasset. Nihil tamen in hoc genere sic effectum apparet, quod hic annus quietos tribunos plebis, & non, vt fere alias, turbulentos nactus esset. Quod Liuius innuit.

XIII. QVO etiam anno aduersus Volscos populantes Hernicorum fines, legiones ductæ à Furio Consule, cum hostem ibi non inuenissent, Ferentinum, quo magna Volscorum se multitudo contulerat, cœpere; minus prædæ quam sperauerant fuit, quod Volsci postquam oppidi tuendi spem exiguam superesse viderunt, rebus suis nocte sublatis, abierant. Postero die prope desertum capitur; Hernicis ipse ager dono datus.

ANNVS MVNDI 3643. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Pers. 127. Darij Nothi 13. Ioiadæ 14. Olymp. XCII. An. 2. Prætore Theopompo. vel Quadringentis. Vrbis Conditæ 342. Coss Q. Fabio Ambusto, C. Furio Pacilio.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 410.

I. HVIVS anni, qui vigesimus primus belli numeratur, & vltimus apud Thucydidem, a ineunte statim vere Dercylidas vir Spartanus, cum non magna militum manu, itinere pedestri in Hellespontum missus, Abydum ad defectionem ab Atheniensibus adduxit: cuius exemplum biduo post Lampsacus sequitur, vtraque vrbs ad fretum Hellesponticum sita in Asiæ littore, sed Lampsacus paulo vlterius ad Propontidem. Interea Chij, dum Astyochus dux Spartanorum dubitaret, qua ratione ipsis opem ferret, cum obsidione ab Atheniensibus premerentur, naualem prælium committere coacti sunt sex & triginta nauibus, contra duas & triginta Atheniensium; cumque atrox prælium atque diuturnum cōmissum esset ad vespe-

ad vesperem vsque, non deteriore quam hostes conditione domum rediere.

II. *Oligarchia paratur Athenis, & in castris.* Qvæ dum in mari aguntur, magna in vrbe rerum cōmutatio facta est. Quæ præcedenti anno à Pisandri legatione inchoare, hoc maxime anno perfecta est. Cum enim Pisander cū suis Athenis discederet, reliquit socijs, qui popularē statum sublatū volebant, curā, vt omnia, quæ in eā rem essent opportuna, diligenter curarent, ipse cum socijs ad Tissaphernem nauigauit, vnde re infecta Samum cum collegis rediit, vbi maxima pars copiarum Atticarum morabatur; vt illic res firmius cum cæteris coniuratis stringeret. Ibi inito colloquio, statuerunt Alcibiadem missum facere, quoniam hoc negotium ei cordi non esse videbatur. Deinde sibi ipsis prospicere cœperunt, quod in periculo iam versarentur, inchoata Reipublicæ perturbatione, quonam modo & res ista non remitteretur, & simul bellicæ res sustinerentur, quibus ipsi de suo pecunias & necessaria omnia cōferebant, non tam Reip. quam sua ipsorum causa.

III. *Et alia oppida.* Cvm ergo se mutuo ad hæc adhortati essent, Pisandrum cum dimidia parte legatorum Athenas miserunt, vt ibi Aristocratiæ, & in cæteris in transitu oppidis, initium daret. Reliquos autem legatos ad alia oppida eadem de causa dimiserunt. *Quam in vrbe ipsa.* Pisander cum suis acceptis ex aliquot vrbibus secum armatis militibus Athenas venit, vbi pleraque à suis sodalibus iam confecta deprehendit. Etenim Androclem de medio sustulerant, virum populo gratiosum, sed acerrimum status popularis propugnatorem, & præcipuum Alcibiadis expellendi autorem, aliosque nōnullos eodem modo, clam facta conspiratione, sustulerant. Ad populum etiam orationem habuerant, qua ei persuaserant, vt nullis alijs stipendium daretur, quam ijs, qui militarent; nec plures quam quinque hominum millia ad Reip. administrationem admittendos esse: eosque qui & pecunijs, & corporibus Remp. maxime iuuare possent.

IV. *Magna Reip. perturbatio.* Vervntamen adhuc Senatus & populus de more congregabatur, sed nihil consultando statuebant, quam coniuratis placeret: eodem modo & qui concionabantur, aut coniurati erant, aut eis placita loquebantur. Nec quisquam amplius audebat contradicere, propter eorum metum. Quod si quis contradixisset, cōfestim aliquo idoneo modo necabatur impune, vt quisque vitam suam, etiamsi taceret, in lucro poneret, omniaque ita suspicionib^9^ plena erant, vt nemo alteri fidere auderet, cum nescirent quam ille in partem animo propenderet, & multo plures adhærere coniuratis crederentur, quā reuera adhærebant. Interea Pisander cum suis in vrbem appulit. Et confestim populo coacto sententiam dixerunt, decem viros legum conscribendarum causa deligendos, qui summam huius *Creantur Decemuiri.* rei potestatem haberent, qui eas ad certum diem ad populum ferrent, qua ratione Respublica optime administrari posset.

V. *Quadringentorum institutum.* Vbi dies aduenisset, adixerunt cuiuis Atheniensium licere pronunciare sententiam quamcumque vellet, ingenti pœna proposita ei, qui obstitisset. Quo edicto & fucum faciebant plebi, quam redigebant in seruitutem, & sibi omnia edicendi potestatem stabiliebant. Nam statim aperte dixerunt magistratus amplius ex antiquo ciuitatis instituto non esse constituendos, sed quinque præsides deligendos, à quibus rursus centum alij viri deligerentur, quorum singuli tres alios sibi cooptarent. Denique quadringenti numero in curiā ingressi summa potestate præditi imperarent, prout optimū esse cognoscerent, & quinque millia ciuium congregarent, quoties ipsis videretur. Hanc sententiam dixit Pisander, qui maxime statum popularem euertit, cui præiuit Antiphon, qui rem totam iāpridem meditabatur, vir ingenio acri, & lingua disertus. *Eius præcipui autores.* Adiuuit & Theramenes, qui primus in hoc negotio fuisse dicitur, & Phrynichus odio ac metu Alcibiadis, quē sciebat ea scire, quæ nuper Sami cum Astyocho tractasset.

VI. *Stabilitur.* Qvamobrem opus à multis & prudentibus viris tractatum, quamuis esset arduum successum habuit. Arduū enim erat populum Atheniensium, centesimo fere ab exacta tyrannis anno, libertate priuare: id enim sub annum quartum Olympiadis sexagesimæ quintæ contigerat, quādo Pisistratidæ electi sunt ea vrbe, & Hippias opere Clisthenis Athenis cedere coactus est. Vnde hic annus fuit septimus supra centesimum. Arduum ergo erat eum populum redigere in seruitutem, qui non solum nullius imperio parebat, sed etiam plusquām huius temporis dimidio, ipse alijs imperare consueuerat.

Postquam autem concio populi, nemine refragante hæc rata habuit, & dimissa fuit, coniuratorum principes aliquanto post illos quadringentos, Reip. administrandæ causa delectos, in curiam introduxerunt, Senatoribus ex ea, data singulis mercede sua, abire iussis. *Senatoribus valere iussis.* Inde quibusdam quæstoribus de suo corpore sortito electis, ciuitatem imperiose gubernabant, nonnullis occisis, nonnullis etiam in exilium eiectis. Cumque potentiam suam stabilire præ rebus omnibus optarent, etiam cum Agide Lacedæmoniorum Rege, qui erat apud Deceleam, & cum Spartanis Lacedæmone, de pace agere cœperunt.

VII. *In castris vetitur.* Samvm etiam decem miserunt, qui milites lenirent, (inde enim sibi non sine causa valde metuebant,) ac docerent ad totius Reip. salutem, paucorum dominatum Athenis constitutum fuisse. Et esse quinque millia ciuium, non autem quadringentos tantum, qui Remp. administrarent, cum nunquam ad quinque millia Athenis adhuc ad vllam consultationem conuenissent. Itaque rem nunc plusquam olim factam esse popularem.

Verum milites qui Oligarchiam oderent, quique se oppressum iri sentiebant, à trecentis coniuratis, qui Sami erant, aliquot duces, qui paucorum dominatum inuiti ferebant, adierunt, rogaruntque ne se perire paterentur, & Samum ab Atheniensibus alienari. *Trecenti coniurati pro Oligarchia.* Sibique plures alios, qui libertati fauebant, adiunxerunt, sic vt fortiores effecti, triginta ex trecentis coniuratis, qui eos inuaserant, interficerent, & tres præcipuos coniurationis autores in exilium mitterent. *Ibi restituitur Democratia popularis.* Cæteris, deposita iniuriarum memoria, ignouerunt, & restituto populari statu, Rempub. communiter administrarunt.

VIII. *Et a Thrasybulo & Thrasyllo eadem.* Cvmqve interea accepissent quadringentos imperio potitos, in Rep. paulo ante libera tyrannicè dominari, multaq; facinora ipsorū liberos, amicos, vxores, qui in vrbe erāt, designare, atsi ea fere falsa erant, parū tamen abfuit quin eos oēs, qui paucorū dominatui fauerant, impetu facto interficerent. Sed Thrasybulus & Thrasyllus, quorū ope popularem statū labentē restaurabant, eorum impetum compresserunt, docentes eos memores esse debere, se in medijs hostibus versari, à quibus, si se ipsi conficerent, facile opprimerentur; postea etiam omnes adegerunt, *In vrbe parum.* eos præsertim, qui Oligarchiæ fauissent, ad maximum iusiurandum, quo promiserunt se populari statu post hac in Reip. administratione vsuros, & concordes bellū contra Peloponnesios alacriter gesturos, & illis quadringētis, qui Athenis erant, hostes futuros, nec vlla de re per caduceatorem cum illis acturos. *Coniurant in 400.* Eodem iureiurādo Samij omnes, qui arma per ætatem ferre poterant, sese obstrinxerant. Si quare etiam in exercitu ducem, aut nauarchum suspectum habuerunt, alium in eius locum suffecerunt.

IX. *Potiore conditione castrenses, quam vrbani.* Sa autem in suscepto consilio confirmabant, quod se potiore conditione esse dicerēt, quam qui Athenis essent, seque plures numero, & potentiores Remp. constituere, & illos à se, penes quos legitima esset Reip. administratio, desciuisse, non vice versa. Se vrbes, quæ Atheniensibus parerent, cum viris & reditibus in potestate habituros, Regē denique per Alcibiadem, si impunitatem, ac restitutionē ei decreuissent, sibi conciliaturos.

Hæc cum accepissent, qui à quadringentis Samum mittebantur, progredi non sunt ausi, sed in Delo insula substiterunt. Peloponnesij autem fremebant non sibi fieri potestatem inuadendi Athenienses, dum inter se intestinis motibus laborarent, & pauci essent, vanum vtrinque ad pugnam congregati, alij alios versi, rebus infectis Samum & Miletum reuerterunt.

X. *Thrasybulus Alcibiadem Samum deducit.* Interea Thrasybulus, qui Sami plurimum apud Athenienses poterat, & popularem gubernationē in primis

Belli Pelopon. an. 14.

magistratu esset, huiusmodi agrarijs largitionibus constanter restiterat: etsi nō dubitaret sibi, postquam abijsset magistratu, graue damnum ex eorum offensione nasciturum. Maluit tamen sibi quam publicæ rei fieri iniuriam, & nequicquam laborantibus patribus vt plebem mitigarent, quindecim millibus æris, id est, trecentis Francia nostratibus damnatus est. Hoc anno Cumam in Italia à Campanis captam, & Græcis, qui eam incolebant, ereptã, direptamq; & incolis seruituti addictis, nouos illatos, autor est Liuius. At Diodor. Siculus biennio ante id factum refert.

V. Nobile exemplum Postumiæ Vestalis.

Eodem eodem anno exemplum nobilissimum in Vestali Posthumia. Nam quamuis crimine innoxia, de incestu tamē causam dixit ob suspicionē, propter cultum corporis amœniorem, ingeniumq; liberius, quam virginē deceret, quoq; famę nonnullam fidem faceret. Ampliata primum: id erat Amplius dicere, ac prolatare iudicium, deinde absoluta est. Verum ex Collegij sententia Pontifex maxime eam iussit abstinere iocis, & cultum corporis sanctum potius, quam scitum adhibere. Vsq; adeo etiam Ethnici intellexere, religiosum cultum, victũ vitamq; omnē personæ religiosæ conuenire; ijsq; deficientibus, in fœmina pręsertim, cui maiorem verecundiam, ac pudorē natura inseuit, non iniustam grauiorum criminum suspicionem dari.

ANNVS MVNDI 3636. SEXTAE AETAtis & Imp. Pers. 120. Darij Nothi 6. Ioiadæ 7. Olym. XC. An. 3. Prætore Antiphone. Vrbis Cond. 335. Tribb. Agrippa Menenio Lanato. P. Lucretio Tricipitino, Sp. Nautio Seruilio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 417.

I. Lacedæmonij contra Argiuos pugnant. Thucyd. l. 5. p. 184. gr. lat.

Iam media æstate anni decimi quarti à belli exordio, Lacedæmonij, cum Epidaurij ipsorum socij, ab Argiuis grauiter vexarentur, & periculum esset ne pleræq; ciuitates Peloponnesi ab ipsis deficerent, quod nōnullæ iam fecerant, nisi præsentia sua, & auxilio socijs ferendo in fide retinerentur, ingentes copias tam ex suis, quam ex socijs contraxerunt, quibus prępositus est Agis Rex Archidami filius. Aliæ quoq; extra Peloponnesum, ex Corinthijs pręsertim ac Bœotis, coaluere. Argiui vice versa copias suas suorumq; contraxerant, exceptis Atheniensibus, qui nondum aduenerant.

Thucyd. l. 5. p. 186. gr. lat. Temere reuocantur.

Cumq; proximum esset vt concurrerent inter se acies, & omnino vtriq; se victores fore arbitrarentur, duo Argiui, sponte sua, ac priuato iudicio, regem Agidem adierũt, eumq; promissis adegerunt ad dissoluendum exercitum: quod promitterent Argiuos Lacedæmonijs satisfacturos, inita 4. menses, quibus essent induciæ. Id pari vtrorumq; temeritate factum est: itaq; fremente vtriusq; partis exercitu, re infecta discessum est.

II. Magno vtrinsque populi dolore.

Et Argiui, quidem qui victoriam spe deuorauerant, promissores illos lapidibus obruere cœperunt, sed illi ad aras elapsi sunt. Lacedæmonij autem Agin vehementer incusabant, amissæ iam idoneæ occasionis Argos in suam potestatem redigendi.

Et post eam Agis.

Verum cum insuper allatus esset nuncius, de Orchomeno in Arcadia ab Argiuis capto, vbi Lacedæmonij Arcadũ obsides deposuerant, tum demum multo vehementius indignari cœperunt. Et præterea protinus præter suum morem, & de ipsius domo diruenda, & de ipso centum millibus drachmarum, siue mille minis mulctando deliberabãt, quæ pecunia ascendit ad septemdecim millia & quingentos Francos Gallici æris. Inde tamen eius precibus ac promissis flexi, ab ea pæna abstinuerunt. Legerũt tamen tulerunt vt decem illi consiliarij adessent, sine quib. ipsi exercitum ex vrbe educere non liceret. Ita quidem Thucyd. sed cautio hæc non satis ad remedium idonea videtur. Itaq; audiamus Diod. quamuis in hac tota narratione nōnulla variantem, in primisq; tempus Thucyd. vno anno anteuertentem, iudicet lector vter probabiliora dixisse videatur.

Pvgna et pax Spartanorvm cvm Argivis.

III. Eadem historia ex Diodoro.

Et iam prope erat, inquit, vt explicata vtrimq; acie in prælium ruerent, cum Imperatores, missis vtrimq; legatis, inducias 4. mensium pepigerunt. Regressis ita re infecta copiis, ambæ ciuitates induciarum autoribus vsq; adeo irascebantur, vt Argiui lapidibus impetitos duces necare instituerent, nisi multarum precum interuentu vita illis donata, bona tantum in publicum redacta, domusq; eiutæ fuissent. Lacedæmonij etiam Agidi supplicium capitis intendebant. Sed cum honestis se factis peccati huius maculam eluturum sponderet, vix tum veniam impetrauit. In reliquum tamen inde tempus, decem probatæ sapientiæ consiliarios ei adiunxerunt. Quibus seuere imperatum, ne quid absque ipsorum sententia deinceps ageret.

IV. Pugna Spartanorum cũ Argiuis pro Tegeatis.

Interea vero nuncius ab amicis Tegeatis ad ipsos allatus est, nisi celeriter adessent, Tegeam ab ipsis ad Argiuos defecturam, & prope iam defecisse. Tum Lacedæmonii, copiis summa, si vnquam ante, celeritate contractis, opem Tegeatis tulere. Argiui quoq; cum socijs ad eos excipiendos, ad Mantineam, quo Lacedæmonij tendebant, conuenerunt. Ibi post aliquam cunctationem, numerosæ acies, varijs ex populis vtrimq; coactæ, instructæ sunt, & post breues ducum cohortationes, infestis vtrimq; signis concursus factus est. Et in sinistro quidem Lacedæmoniorum cornu laboratũ est, imo deuicti Lacedæmonij, quod Agidi præcipienti eam partem extemplo duabus cohortibus roborari Tribuni duo, propter temporis angustias, nō paruissent: vnde postea, hac ipsa de causa, Sparta eiecti sunt. Reliquus autem exercitus multis partibus superior fuit, & nisi à persequendis victis abstinuissent, vt laboranti sinistro cornu subuenirent, maxima pars aduersarij exercitus deletus fuisset. Refert Thucyd. de victis mille & centum occisos, de Lacedæmoniis fere trecentos. Qui & cęsorum armis conspicuo in loco ad gloriam positis, statim trophæum erexerunt, & acceptum dudum in insula dedecus deleuerunt.

Obedientiæ militaris exemplum.

Et victoria de Argiuis.

V. Dubitatio de numero copiarum.

Cæterum Plistoanax, alter Regum Spartæ, suis subsidio, sub ipsum prælii tempus veniebat: verum ad Tegeam audito victoriæ nuncio, domum rediit. Iidem Lacedæmonii auxilia, quę ad ipsos veniebant, ex iis collecta socijs, qui trans Isthmum habitabant, per nuncios domum remiserunt. Quæ cum Thucyd. fateatur, dubia mihi nonnihil eius est fides, in eo quod recensendo copiarum numero, maiorem Lacedæmoniorum exercitum visum fuisse dixerit, quam Argiuorum, quibus aderant omnes socij, atque adeo Athenienses ipsi, cum suo equitatu. An illud ad leuandam ignominiam cladis populi sui dictum videatur? nec minus tamen de eo dicemus, *Et bonus est ciuis, & bonus historicus.*

VI. Pugna Epidauriorum cũ Argiuis.

Pridie quam hoc prælium committeretur, accidit vt Epidaurij, cum omnibus suorum copiis, in agrum Argiuũ, quasi præsidio nudatum, irruptionem facerent, multosq; occiderent. Cum autem Eleorum armatorum tria millia, & Atheniensium mille, præter priores, post prælium commissum Mantinæis subsidio venissent: hi socij vniuersi cōfestim aduersus Epidaurum contenderunt, & vrbem circumuallarunt, dum Lacedæmonij Carneia celebrarent, festos scilicet dies in honorem Apollinis institutos, quos tanta religione agitabant, vt nefas eo tempore ducerent bellum gerere, vt notat Græcus schol. l. 5. & satis ex Thucyd. ipso constat: ait enim Lacedæmonios, statim post celebrata Carnea, in expeditionem exiuisse. Mensis autem in quem cadebant illi dies Carnius vocabatur, quem interpres vertit Iulium.

Carneia.

VII. Spartani pacem cũ Argiuis ineunt.

Qvamvis autem victores extitissent Lacedæmonii, legatos tamen ad Argiuos de componenda pace miserunt, quam hoc tempore faciliorem factu, non sine causa opinabantur. Et quamuis adesset Alcibiades, qui rem impedire conabatur, ea tamen composita est honestis & consuetis conditionibus. Ea vero maxime, vt Epidauri obsidio solueretur, Athenienses abirent, alioqui pro hostibus ab Argiuis, & Lacedæmoniis haberentur. Postea vero, relicta Atheniensium societate, fœdus belliq; societatem in annos 50. pepigerunt. Statueratq; cum nemine vel inire

Et armorum societatem.

pacem,

BELLI PELOPON. ANN. 15.

pacem, vel bellum gerere, niſi communi conſenſu, armiſq; comundis. Quin & legatos in Thraciam ad Perdiccā miſerunt, vt eum ab Athenienſibus abductum, & iam iterum fluctuantem ſibi adiungerent, quod & perſuaſerunt. Cum Chalcidenſibus etiam antiquum fœdus, ac iuſiurandum renouarunt. Sed & fœdera inter alias ciuitates, occaſione amicitiæ inter Argiuos & Lacedæmonios initæ, commutata fuit, quæ tanquam ad præcipui belli, paciſue ſerieni minus pertinentia, breuitatis cauſa miſſa facimus.

VIII. *Seruilis conuratio detecta Romæ.* Hoc anno Romani ab ingenti periculo fœliciter liberati ſunt. Seruitia, vrbem vt incenderent diſtantibus locis, coniurarunt, populuſque paſſim ad opem ferendam domibus intento, vt arcem, Capitoliumque armati occuparent. Sed Deus auertit nefanda conſilia: indicio enim duorum comprehenſi ſontes, pœnas dederunt, Indicibus dena millia grauis æris, quæ tum diuitiæ habebantur, ex ærario numerata, id eſt, Franci noſtrates ducenti, & libertas præmium fuit. Ita refert Liuius, cauſis tam nefariæ coniurationis, & ſupplicij genere prætermiſſo.

Aequi & Lauicani bellum parant. Bellum inde ab Æquis reparari cœptum. Non dubijs etiam authoribus Romam delatum eſt Lauicanos nouos hoſtes populo Romano ſuſcitari, ſeq; cum veteribus iungere. Nam Æquorum iam velut anniuerſarijs armis ciuitas aſſueuerat. Lauicos legati miſſi, cum dubia inde reſponſa retuliſſent, Tuſculanis negotium datum eſt, aduerterent animos, ne quid noui tumultus Lauicis oriretur, remque ciuitati renunciarent.

ANNVS MVNDI 3637. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Perſ. 121. Darij Nothi 7. Ioiadæ 8. Olympiad. XC. An. 4. Prætore Athenis Euphemo, Vrbis cond. 336. Trib. Mil. L. Sergio Fidenatæ, M. Papyrio Mugillano, C. Seruilio Priſco.

ANNVS ANTE CHRISTVM 416.

I. *Oligarchia Sicyone, & Argis conſtituitur.* INSEQVENTI vere appetente, ſub initium anni decimi quinti belli Peloponneſiaci, Lacedæmonij & Argiui, cum mille de ſuis vtrique, communem expeditionem ſuſcepere, & Sicyone quidem, quæ eſt vicina Corinthijs, Lacedæmonij eo profecti, ſtatum popularem in paucorum dominatum, magna ex parte conuerterunt. Moxque vtrique Argis idem effecerunt. Rem aliter Diodorus, ſaltem explicatius refert. Mille ſcilicet Argiuos, qui ſumptu publico bellicis muneribus exercebantur, inter ſe conſpiraſſe, de populari dominatu euertendo, & optimatum imperio ex ſe conſtituendo: cumq; multos conſilij ſocios & fautores inueniſſent, Tribunos plebis populi ductores comprehenſos necaſſe, cæteriſq; metu perculſis leges priſtinas abrogaſſe, & Remp. pro ſuo arbitrio octo menſibus occupatam tenuiſſe.

II. *Mox que Democratia Argis restituitur. Tegeatarum certamina. Spartanorum cunctatio. Argiui ad ſum Athenienſib. tum Jungunt.* INDE concitato in eos populo, de poteſtate fuiſſe deiectos, & Democratiam reſtitutam. Id factum refert Thucyd. obſeruato tempore, quo Spartani gymnica puerorum certamina agitabant, qui mature imminente malo euocati, poſt diutinam cunctationem, tandem relictis ludis, Argos iter ſuſcepere, optimatibus iam partim interfectis, partim in exilium pulſis. Cumque apud Tegæam rem geſtam accepiſſent, licet plurimum ab exulibus rogati vt Argos venirent, domum tamen ad peragendum certamen ludicrum reuerterunt. Quo mox cum pars vtraque veniſſet, multaq; coram Spartanis & ſociis dixiſſet, pro exulibus pronunciatum eſt, pro quibus reſtituendis Argos cum exercitu ſibi petendum cenſuerunt.

Id veritus populus, cum mora quædam intercederet, Athenienſium ſocietatem iterum ſibi Græca leuitate conciliens, longos ad mare vſque muros duxit, tota ciuitate in id opus occupata, fabris etiam Athenis accitis, vt ſi terra prohiberentur, maſi Athenienſium ope commeatum acciperent.

III. *Et à Lacedæmoniis vexatur. Longi muri interimuntur.* SEQVENTE hyeme re intellecta Lacedæmonij cum ſocijs exercitum duce Agide Argos duxerunt, & muros, qui adhuc ædificabantur, captos euerterunt, & Hyſiis agri Argiui oppido capto, ingenuis omnibus interfectis, domum rediere. Argiui vice verſa agrū Phliaſium vaſtarunt, quod Phliaſij exules ſuos recepiſſent. Cuius rei pœnas proximo anno dederunt, cum à Phliaſijs, & à ſuis exulibus per inſidias intercepti, circiter octoginta perierunt. Athenienſes quoque Perdiccam regem Macedonum vſu maris interdixerunt, quod ſocietatem cum Arginis & Lacedæmonijs iureiurando interpoſito contraxiſſet, & ſuam fidem, cum exercitus Athenienſis in Thraciam miſſus eſſet, fefelliſſet, qui propter eius diſceſſum fuerat diſſipatus, ſicq; illa hyems abiit, vna cum anno 15. belli.

BELLVM IN LAVICANOS.

Thucyd. p. 401. IV *Arma ſumunt Lauicani.* ROMÆ autem cum Tuſculani Tribunis militum, ſtatim ab inito magiſtratu, nunciaſſent Lauicanos arma cepiſſe, & cum Æquorum exercitu depopulatos agrum Tuſculanum, caſtra in Algido poſuiſſe, Lauicanis bellum indictum eſt, factoq; S.C. duobus Tribunis alteri belli cura commiſſa eſt, alteri vrbis cuſtodia. Cumque omnes bellum ambirent, Q. Seruilius, pro patria poteſtate, filium ſuum vrbem cuſtodire iuſſit. *Tribunorum militum contentio.* Cumq; nihilominus reliqui duo de imperio contentioſe certarent, & ſeſe vterque, ſuaque conſilia magni faceret, aliena contemneret, tandem ita conuentum eſt, annitentibus legatis, vt alternis diebus ſummam imperii haberent.

Romani malè rē gerunt. Quæ cum Romæ nunciata eſſent, Q. Seruilius, ætate atq; vſu doctus, proſpiciens aliquam calamitatem, iuſſit filium arma in omnem euentum parare. Nec falſus vates fuit. Nam ductu L. Sergii, cuius dies imperii fuit, caſtra iniquo loco poſita ſunt, & Romani, ab hoſte fugam ſimulante, decepti. Qui cum de repente impetum ex ſuperiore loco feciſſent, multi per ſupinam vallem profligati ſunt, adeo vt caſtra vix retenta fuerint, vnde poſtridie circumfuſis hoſtibus, per auerſam portam turpiter Tuſculum profugere.

V. *Dictator Q. Seruilius Priſcus.* EA clades quia prouiſa, & prædicta, Romæ minus trepidationis attulit. Præſertim iam delectu à Tribuno militum habito. Senatus dicendum Dictatorē cenſuit, C. Seruilius Tribunus Patrem dixit, virum ſpectatæ virtutis atq; prudentiæ Q. Seruilium Priſcum, à quo ipſe viciſſim Magiſter equitum dictus eſt, cumq; eius copijs profectus, reliquas quæ Tuſculum petierant aſſumpſit, & caſtra duo millia paſſuum ab hoſte poſuit. Superbia ac negligentia ex re bene geſta, à Romanis ducibus ad Æquos tranſierat. *Hoſtem vincit.* Itaq; primo ſtatim prælio cum Dictator equitatu immiſſo anteſignanos hoſtium turbaſſet, legionum inde ſigna inferri propere iuſſit, ſigniferumq; ex ſuis vnum cunctantem occidit: tantus ardor ad dimicandum fuit, vt impetum Æqui non tulerint, victiq; acie, etiam mox caſtra amiſerint, præda militi conceſſa. *Lauici capiuntur.* Cumq; nunciatum eſſet omnes Lauicanos victos, magnam Æquorum partem Lauicos confugiſſe, eo poſtridie ductus exercitus, oppidumq; corona circundatum, ſcalis captum, ac direptum eſt. Liuium Sigonius, atque Onuphrius negligentiæ arguunt, quod Dictatoris Triumphum, & Cenſorum luſtrum, iam non ſemel prætermiſerit.

Eodem miſſa colonia. Dictator exercitu victore Romam reducto, die octauo quam creatus erat, Magiſtratu ſe abdicauit. Et opportunè Senatus, priuſquam à Tribunis ſeditioſæ querelæ, de agro Lauicano diuidendo, inferrentur, frequens cenſuit coloniam Lauicos deducendam: coloni ab Vrbe mille & quingenti miſſi, bina iugera acceperunt.

ANNVS MVNDI 3638. SEXTÆ ÆTATIS, & Imper. Perſ. 122. Darii Nothi 8. Ioiadæ 9. Olymp. LXXXXI. 1. Prætore Ariſtomneſte. Vrbis Cond. 337. Trib. Mil. Agrippa Menenio Lanato II. L. Seruilio Structo II. & P. Lucretio Tricipitino II. & Sp. Rutilio Craſſo.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 415.

I. *Olymp. 91 Certamine Xenocles & Euripides.* DECIMVS ſextus belli annus victorē habuit in Olympicis Exænetum Agrigentinum, vt eſt apud Diodorum

dorum Siculum, iterumq; Olympiade sequenti. Scribit Ælianus, *e* ea Olympiade, qua in stadio Exænetus vicit, quæ fuit prima & nonagesima, non prima & sexta, vt ibi scriptum est, Xenoclem & Euripidem contendisse, & illum iudicio Atheniensium palmam tulisse, qui in eo iudicio vel nihil viderunt, vel pecunia corrumpi sunt, vt ait idem, ibid. Sunt qui Xenocratem philosophum hoc anno natum putent, quod ex Laertio refellitur, qui in eius vita ait eũ munus docendi suscepisse anno secundo Olympiadis 110. illudq; 25. annis tenuisse. Octogesimo ergo secundo vitæ anno docere cœperit, & centesimum septimum viuendo attigerit, cum ibidem Laertius dicat illum octogesimo secũdo vitæ anno esse defunctum. Bellum hoc anno ducem habuit Alcibiadem cum 20. nauibus, vt Argos se conferret: vnde trecentos suspectos deduxit, & in insulas, quæ Atheniensibus parebant, deportauit.

Xenocrates.

II. *Athenienses contra Melos pugnant.*

IIDEM Athenienses aduersus Melum, insulam in mari Cretico, cum magnis copijs nauigarunt: quod cum essent Lacedæmoniorum coloni, ipsis Atheniensibus parere nolebant, sed suas per se res agere vtrisque amicos, neutris subditos. Ea de re cum inter Atheniensium legatos, & primores Meliorum accurate disputatum esset, statuerunt Melij sibi libertatem suam retinendam videri. Itaq; cum Athenienses agrum vastare cœpissent, etiam vrbem ipsorũ obsidione circumuallarunt: at Melij semel iterumq; eruptione facta, non leuem Atheniensibus cladem attulerunt. Verum cum mox alius exercitus Athenis venisset, & graui obsidione Melij premerentur, quadam etiam proditione facta, Atheniensibus sese dediderunt: à quibus puberes omnes interfecti sunt, pueri ac mulieres seruituti addicti, ipsi vrbem, quingentis colonis eo missis, incoluere. Huic parem crudelitatem dudum Athenienses in Mithylenæos exercuerant, Cleone authore, vt est in Thucydide, *b* quod notauit Ælianus. *c* Caue autem pro Mithyleneis legas Melios, vt non nemo male corrigit. *d* Nam Creon hoc tempore mortuus erat.

Quos & crudeliter tractant.

b l p. 192 & 391. *c* l. 2. c. 9. *d* Capell. a. 3384.

III. *Præda mutua Athen. & Laced. Athenienses Siciliæ imperium ambiunt.*

QVI autem Atheniensium Pyli erant, magnam de Lacedæmonijs prædam cepere. Adeoq; & Lacedæmonij edicto permisere cuilibet de suis, vt prædam ex Atheniensium finibus ageret.

Hoc anno Athenienses, ad occupandam Siciliam vniuersam, animos erexerunt: sed non multo post maiora se viribus aggressos experti sunt, qui Siculis simul & Lacedæmonijs bellum inferre non dubitarent. Occasio expeditionis, Thucyd. l. 6. & Diodoro l. 12. referentibus, hæc fuit. Egestæi & Selinuncij finitimi, de quodam agro contendebant, & inita pugna, cum Egestæi inferiores facti fuissent, ad Atheniensium auxilia respicere cœperunt, qui non ita pridem Leontinis contra Syracusanos auxilio fuerant: Selinuncij quoque Syracusanos socios, protectores se habituros sperabant. Ergo Egestæi legatos Athenas mittunt, classem auxilio sibi venire postulant, & magnam pecuniæ vim ad belli sumptus pollicentur. Athenienses decernunt legatos mitti in Siciliam, qui de statu belli, & de pecunia certa referant, idq; reliquo anno factum est.

Et qua occasione.

Romæ autem à bellis cessatum, seditionibus laboratum est, quas cum Liuio sequenti anno breuiter referemus.

Romana res.

ANNVS MVNDI 3639. SEXTAE AETATIS, & Imp. Pers. 123. Darij Nothi 9. Ioiadæ 10. Olym. LXXXXI. 2. Prætore Chabria. Vrbis Cond. 338. Tribb. A. Sempronio Atratino II. M. Papyrio Mugillano, & Sp. Nautio Rutilio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 414.

I. *Apparatus ad bellum Siculum.*

INGREDIMVR decimum septimum annum belli Peloponnesiaci, qui est belli Siculi primus, quem Diodorus initio lib. 13. vocat septingentesimum & sexagesimum ab excisa Troia: omissis videlicet fractis intra decades numeris. Reuera enim 769. reperiuntur, 431. ante Vrbem conditam, & inde 338. De Olympiade vero, & Prætore plane nobiscum sentit: de Romano magistratu, toto biennio posterior est ac tardior. Itaque statim ineunte vere Atheniensium legati ex Sicilia rediere, & Egestæi cum ipsis, ferentes sexaginta talenta argenti non signati, menstruum sexaginta nauium stipendium, quæ vt mitterentur, erant oraturi. Ita Thucyd. Ex quo apparet singulas naues singulis talentis menstruis in stipẽdium donari solitas. Rursum autem inferius, *e* ait Rempub. Atheniensem singulis nautis singulas drachmas quotidie dedisse. Et Tissaphernes promissum Lacedæmone stipendiũ menstruum nauibus omnibus, numerauit viritim singulas drachmas Atticas. *f* Diodor. autem *g* Siculus non delatum hoc argentum, sed domi tantum ostentatum dicit, quod partim ex ærario depromptum, partim ex vicinis mutuo esset acceptum.

Stipendiũ menstruum nauis talentum, & nautæ drachma quotidiana. *e* l. 6 p. 431. *f* l. 8 p. 171. *g* in fi. l. 12.

II. *Athenienses 60. naues decernunt.*

ATHENIENSES aduocata cõcione, audirisque Egestæis, & suis legatis varia dicentibus ad persuadendum apposita, decreuerunt sexaginta naues in Siciliam esse mittendas, & duces summa potestate præditos Alcibiadem, Niciam, Lamachum, qui & opem Egestæis ferrent, & Leontinos suis sedibus restituerent, cæteraq; in Sicilia perinde gererent, ac Reip. Atheniensium maxime expedire iudicarent: quam Siciliæ dominam breui futuram sperabant. Aperte Diodorus ait Duces in arcano consessu cum Senatu statuisse, vt si insula potirentur, Selinuncios, & Syracusanos seruituti manciparent, cæteris annua tributa imperarent.

Quinta die cum rursus conuocata esset concio, de apparandis celeriter, quæ ad hanc expeditionem essent necessaria, Nicias populum, à proposito affectandæ Siciliæ, reuocare conatus, in concionem progressus est. Negans esse è Repub. multis hostibus hic relictis, alios etiam in Sicilia quærere, & huc attrahere: neque committendum, vt suspensis adhuc, & incertis Atheniensium rebus, pericula subeantur, & aliud imperium ipsi affectent, priusquam id quod habent probe stabilierint.

Nicias bellũ hoc dissuadet.

III. *Ad vtrosque bella inanitas.*

SATIVS esse Chalcidenses, aliosq; socios, qui iampridẽ defecerunt, in potestatem redigere, quos subditos facilè possis in potestate retinere, quam longinquos hostes subigere, quos propter loci distantiam, in potestate retinere non liceat. Expedire Atheniensibus Syracusanos in Sicilia rerum potiri, Græcos qui ibi sunt, maiorem de absentibus opinionem, quam de præsentibus habituros, si vel clades aliqua contingat, vel inde quamprimum recedatur. Lacedæmonios etiam nunc captare occasionem accepta damna in Athenienses refundere, à quibus potius cauendum sit, quam barbaris in Sicilia studendum: & quæ per hanc quietem à bello contra Lacedæmonios Reipub. succreuerunt, in eius potius vtilitatem, quam Egestæorum impendenda. Nec habendam rationem eorum ducum, qui cum per ætatem minus sapiant, cum Reip. ingenti periculo illustres fieri velint. Sapientiores autem patriæ grauissimo periculo succurrant, rescindendo decreto, quod in gratiam eorum factum sit, qui nec parem gratiam referre possint, nec bellum, cum ipsorum consensu inchoauerint.

Perstringit Alcibiadem.

IV. *Quidam repugnant, & expeditionẽ vrgent.*

ORATIONI Niciæ nonnulli assensere: pleriq; autem ratum decretum esse voluerunt, præsertim Alcibiades, quẽ Nicias aperte perstrinxerat, qui summo studio hanc expeditionem vrgebat: & non Siciliam modo, sed & Carthaginem quoque se capturum sperabat, cum summa sua gloria, & facultatum priuatarum incremento. Itaque & ipse quoque orationem habuit, qua se & ipse contra Niciam defendit, & Atheniensibus ad raram habendam expeditionem hortatus est: ijs quæ à Nicia dicta fuerant, probabili oratione respondendo: ad quam cum accederent etiam Egestæorum, & Leontinorum preces, multo etiam impensius quam antea, in expeditionem propendebant. Itaque Nicias aliam viam tentare cœpit, vt scilicet magnitudine sumptuum, & necessarij apparatus, eos ab incœpto reuocaret, sed frustra: nam populus maiore semper desiderio incitatus, quemcunq; ille apparatum petijt, concessit.

V. *Ominosa statuarum truncatio.*

INTEREA quædam ominosa in plerisq; statuis contigerũt, & nominatim quotquot lapidea Mercurii simulachra Athenis erant, vna eademque nocte vultu circumcisa fue-

fuerunt. Plerique Alcibiadis aduersarij culpam in eum deriuabant, sed ille iudicio se paratum exhibens, fregit aduersarios, eosque ad tempus aliud accusationem differre coegit. Quare placuit multitudini vt Alcibiades abiret Imperator in expeditionem Siculam cum Nicia, & Lamacho. In qua Diodor. 140. triremes Atheniensium armatas fuisse dicit, præter reliquas, quæ arma, equos, frumenta continebant: armatorum autem militum ad septem millia. Thucydides autem naues veloces numerat sexaginta, 40. vero quæ militem grauis armaturæ veherent, quem significat fuisse quatuor millium, præter trecentos equites.

Classis portu soluit.

Postea vero æstate iam media classis portu soluens in Siciliam nauigare cœpit, apparato, vt ex vna ciuitate, omnium sumptuosissimo, ac magnificentissimo, qui ad illam diem emissi fuerant. Cumque iam Corcyram propemodum teneret, varij rumores in Siciliam delati, varios in ea motus animorum fecerunt.

VI. *Varij in Sicilia de bello rumores.*

ITAQVE Hermagoras persuasus, quod res erat, veros esse rumores, quam maxime instetit, vt Syracusani se diligenter ad eos excipiendos compararent, imo & obuiam iter impeditum procederent. Et sapienter ille quidem. Nam apparatum sine causa fecisse, parum nocere poterat, sed imparatos opprimi à potentissimis hostibus, id vero perniciosissimum erat. Nihilominus contrariam sententiam tenebat Athenagoras, qui fictos hosce rumores ab hominib. meticulosis arbitrabatur: quippe qui persuasum haberet Athenienses, homines prudentissimos, non tam temerariam expeditionem suscepturos. Neque abhorrebat à Nicia eius oratio, sed in eadem propemodum vestigia incurrebat. Vicit tamen prior, vt tutior meliorque sententia, & exploratores missi sunt, qui certa nunciarent.

VII. *Classis tripertito diuiditur.*

INTEREA classis Corcyra soluens tripertito diuisa est, pro numero ducum, vt commodius gubernari, & portus capere sine confusione possent. Tres item præmissæ naues, quæ explorarent, quæ ciuitates ipsos essent recepturæ, vt venientibus ducibus occurrerent. Iamque emensu Ionio mari, oram Italiæ classis legebat, nulla eam ciuitatum recipiente, donec Rhegium peruenere, vbi castra posuere sub Dianæ templum, intra vrbem tamen à Rheginis admissi non fuerunt, nec se belli socios, quamuis Leontinorū cognati, fore dixerunt, sed neutris affuturos, & quicquid cæteris Italis communiter placeret, id esse facturos. Syracusani his cognitis omni studio bellū parare, & totā Siciliam, dimissis quoquouersum nuncijs, armare cœperunt. Tres aūt præcursoriæ naues Rhegium ad Athenienses venerunt, & 30. tantum argenti talenta apud Egestæos inuenta nunciarunt, non leui ducum dolore, quibus, præterquam Niciæ, hæc valde præter opinionem contingebant.

Rhegium in Italia acce[illegible]

VIII. *De bello gerendo modo consultatio.*

DVCES pro præsenti rerum statu consultare cœperunt. Niciæ visum est, vt pro Egestanis aduersus Selinuntem, cū omnibus copijs nauigaretur. Indeque, si se daret occasio, Leontinos iuuarent, & alijs ciuitatibus obitis, eas sibi vel cōciliarent, vel potentia Atheniensium ostentata, domum redirent. Alcibiades vero legationibus tentandas ciuitates, præter Syracusas & Selinuntem, vt ab illis contra has, copijs & commeatibus iuuarentur, nisi illi Leontinos in pristinas sedes redire permitterent, istis pacem cum Egestæis componerent. Lamachus denique quamprimum arma Syracusanis inferenda, dum illi minus adhuc parati, & terror Atticarum copiarum à principio maior esset. Iste tamen postea in Alcibiadis sententiam iuit. Alcibiades Messenienses ad belli societatem adducere non potuit: duces cum 60. nauibus, reliquis Rhegij relictis, Naxum venere, vbi vrbe recepta, Catanam quoque penetrarunt, vnde cū ij, qui Syracusanis fauebant, se fuga proripuissent, reliqui societatem cum Atheniensibus inire decreuerunt, & reliquum exercitum Rhegio acciuerunt: sicque omnes copiæ Catanæ castra posuerunt. Inde excursione in quandam Syracusani agri partem facta, prædas egere, vicissimque nonnulli palantes interfecti sunt, reliqui Catanā rediere.

Catanam recipiunt [illegible]

IX. *[illegible]*

Iam Salaminiam nauem inuenerunt, quæ magistratuum iussu Alcibiadem repetebat, ad causam Athenis dicendam de ijs, quæ ipsi nuper obiecta fuerant: cum tamen magis affectatæ tyrannidis suspicione laboraret, & plerisque eo nomine odiosus esset, quocum, ut tandem nomine reus agereetur. Alcibiades ergo habens suam nauim, itemque ij, qui vna insimulati fuerant, ex Sicilia cum naui Salaminia, tanquam Athenas ituri, discesserunt: quorum etiam discessu consilia inita de occupanda Messana conciderunt. Sed Alcibiades cum suis Thurios vsque secutus Salaminiā nauim, ibi ea deserta euanuit, indeque nauigio Lacedæmonem venit, non ausus se post tot criminationes iudicio Atheniensium sistere, qui eum mox absentem, sociosque eius capite condemnarunt.

Et Lacedæmonem venit.

X. *Apparatus ad bellum Siculum.*

POST discessum Alcibiadis duces Atheniensium copias bipertito diuiserunt, & mox per fraudem Syracusanorum, copijs ex ipsorum vrbe abductis, castra per otiū ad ipsam vrbem commodissime ceperunt, & pugna commissa post diuturnam dimicationem Syracusanos in fugam verterunt: eos tamen longe persequi ausi non sunt, Syracusanorum equitum metu. In eo prælio Siculi ad 260. Græci ad 50. interiere, Diodorus ad quadringentos Siculos cæsos fuisse dicit. Inde quod hyems immineret, Catanam & Naxum victores redere, vt copias suas, tum alijs rebus, tum maxime equitatu instruerent: ideoque Athenas triremem misere, quæ equitatum & commeatum Classi suæ colligeret; tum etiam aliarum vrbium amicitiam, atque societatem tentauere, præsertimque Camarinæorum, quo legatos ea de causa miserunt. Siculi vero cum id intellexissent, eo miserunt legatum Hermocratem virum præstantem, qui omni studio conatus est eos ab amicitia, & societate Atheniensium abducere, quæ viam sterneret ad seruitutem, ad quam illi insulas omnes redegissent, & vice versa hortatus est, vt communem hostem communibus armis propulsarent.

XI. *Conuentus Camarinæ legatorum.*

EVPHEMVS contra Atheniensium legatus, illius oratione refutata, suasit vt præsens auxilium contra vicinum hostem ne aspernarentur, ne id frustra postea, dum à Syracusanis opprimerentur, implorent. Camarinæi, qui vtrosque metuebant, responderunt, quoniam bellum gereretur inter eos, qui vtrique sibi erant socij, videri sibi æquum esse in præsentia neutris aduersari, neutris opem afferre. Itaque deinceps Syracusani in Peloponnesum ad Corinthios, ac Lacedæmonios profecti, addito etiam Alcibiade hortatore, auxilia contra Athenienses petierunt, atque impetrarūt. Cum enim Alcibiades & se apud eos purgasset, & Atheniensium consilia eis patefecisset, rationemque qua maxima eis damna afferre possent, & suam operam prolixe detulisset, persuasit vt copias aliquas cum Corinthijs in Siciliam contra Athenienses mitterent, & simul infesto exercitu in Atticam irrumperent, qua vtraque expeditione paranda reliqua hyems consumpta est. Dum interim Athenienses, vt postulatis Niciæ satisfacerent, elaborarent: cui trecenta argenti talenta, & aliquot equitum turmæ à populo, subsidij loco in Siciliam decretæ sunt.

Syracusani Lacedæmone [illegible] opem [illegible] Alcibiade contra patriam.

XII. *Romæ agraria turba.*

INTEREA Romæ discordia ex Agrarijs legibus fuit. Cū enim duo Tribuni plebis, ut summam eius rei causa, contentionem totam Rempublicam coniecissent, quod plebiscito de diuidendis agris, magnæ partis nobilium fortunæ publicandæ essent, nec certamen atrox inter plebem, & patres exitum inueniret, Appius Claudius, nepos eius qui decemuir legibus scribendis fuerat, consilium ab ano acceptum suggessit, dissoluendæ tribunitiæ potestatis per collegarum intercessionem: quod cum probatum esset Senatui, primarij Senatores prehensandis Tribunis, sex ex ipsis ad intercessionem comparauere. Itaque postero die cū ex composito relatum esset ad Senatū de seditione, quam Tribuni excitabant, ex orationes à primoribus patrum habitæ sunt, nihil vt auxilij ad Reip. salutem superesse dicerent, nisi in auxilio tribunitio, ad quorum virtutem potestatemque pertineret, nun Senatum vexata, & discordijs ciues inter se committere, sed improbis collegarum conatib. intercessione resistere. Fremitus deinde vniuersi Senatus ortus, cum ex omnib. curiæ partibus Tribuni appellarentur, mox silentio facto, ij qui præparati erant gratia, & prehensatione principum, Quam Rogationē à Collegis promulgatam, Senatus censeat ad dissoluendam

Per aliquot Tribunorum intercessionē [illegible].

Rem-

Rempublicam pertinere, et se intercessuros ostendunt. Gratiæ intercessoribus ab Senatu actæ, reliqui Rogationis latores fumum sine flamma effudere.

ANNVS MVNDI 3640. SEXTAE AETATIS, & Imp. Perf. 124. Darii Nothi 10. Ioiadæ Pont. 11. Olym. XCI. An. 3. Archonte Pisandro. V. C. 339. Trib. Mil. P. Cornelio Coss. C. Valer. Potito, Quintio Concinnato. M. Fab. Vibulano.

ANNVS ANTE CHRISTVM 413.

I. *Syracusani premi, in Athenienses laborant.* MAONARVM tempestatum apparatus superiore hyeme in Sicilia, Peloponneso, Attica facti sunt, quæ maria terrasque hoc anno late concutere cœperunt, qui fuit belli decimus octauus. Eius initio Athenienses nonnullis prælijs Syracusanos victos, ad consultandum de pace ineunda compulerant, cum auxilijs Corinthiorum superuenientibus, animis viribusq; firmiores, belli curam, non sine Atheniensium damno, redintegrarunt, adeo vt *Nicias subsidio petit, & vitimat.* Nicias, cum cerneret exercitum suum rerum omnium penuria premi, & hosticum inualescere, nuncios Athenas mitteret, qui suo nomine dicerent. Rem Atheniensem in maximo discrimine versari, & nisi primo quoq; tempore aut se reuocarent, aut alios non paucos mitterent, nullam spem salutis superesse. In quam sententiam, ne quid nunc dissimularent, copiosas literas præscripsit, quæ publicè recitatæ effecerunt, vt duo ei duces adiungerentur, & alter exercitus cum pecunijs decerneretur.

II. *Et Eurymedon adest.* ET Eurymedon quidem, qui erat alter ducum, statim circa solstitium hybernum, cum decem nauibus, & viginti talentis argenti, in Siciliam profectus est, vt laborantibus opem ferret, & suppetias maiores quamprimum venturas nunciaret. Ita Thucydides l. 7. ex quo corrigendus est Diodorus, qui eum profectum dicit sub æstiuum solstitium, & quidem cum centum, & quadraginta talentis argenti. Nam θερινὰς τροπὰς posuit, pro χειμερινάς. Idq; sequens eius oratio docet, cum ait ad proximum ver instructionem *Et mox Demosthenes.* classem missuros, dicendum enim fuisset ad proximam hyemem, vel potius autumnum, præsertim cum res vehementer vrgeret, nec segnes nouem mensium pateretur moras. Demosthenes autem, qui erat alter ducum, interea omnem operam nauauit, vt naues, milites, & omnia exercitui necessaria compararet.

III. *Athenienses impedire Corinthiorum subsidia parant.* ET quoniam nunciarat Nicias Corinthi, & in reliqua Peloponneso, alias naues auxiliares in Siciliam parari, Athenienses viginti naues miserunt Naupactum, vbi præsidium nauale iamdudum habebant, vt earum iter in Siciliam impedirent, contra quas Corinthij 25. nauibus pugnare decreuerunt.

Interea Lacedæmonij instigantibus etiam Syracusanis, & Alcibiade, expeditionem in Atticam præparabant, idque tanto maiore animo, quo minus se in culpa esse violatorum fœderum arbitrabantur: qui eos mœror in principio totius belli afflixerat, vt ait Thucydides l. 7. aperte ducens ream conscientiam animos ad res gerendas vehementer debilitare: sicq; duodeuigesimus huius belli an- *Diagoras.* nus excessit. In quo Diagoras cognomento Atheus, ob intentatam sibi impietatis actionem, metu populi ex Attica profugit, quem qui occidisset, ei talentum argenti præconis voce Athenienses præmij loco obtulerunt. Diodorus Sic.

IV. *Volani subiguntur a Romanis.* IN Italia Volani Æquorum populi excursiones in confinem agrum Lauicanum faciebant, & nouos colonos vexabant, sperantes se consensu omnium Æquorum eam noxam defensuros: verum triennio ante accepta clades Æquos prohibuit Volanis auxilio esse. Itaq; desertà suis, ne memorabili quidem bello, per obsidionem, leuemque vnam pugnam, & oppidum, & fines amisere. Cumque à L. Sextio Trib. pleb. tentatum esset, vt rogationem ferret, qua Volas quoque, sicut Lauicos coloni mitterentur, per intercessionem collegarum, qui nullum plebiscitum, nisi ex auctoritate Senatus passuros se perferri ostenderunt, tota res impedita est.

ANNVS MVNDI 3641. SEXTAE AETATIS & Imperii Pers. 125. Darij Nothi 11. Ioiadæ Pont. 12. Ol. XCI. An. 4. Prætore Cleocrito. Vrb. C. 340. Trib. Milit. Cn. Cornel. Coss. L. Valerio Potito. Q. Fabio Vibulano II. M. Posthumio Regillensi. *Plut. in Lysia.*

ANNVS ANTE CHRISTVM. 412.

I. *Annus Athenienfibus luctuosus. Decelia magno damno communit. Nouæ copiæ contra eos Siciliam adeunt.* HIc annus decimus nonus belli, Atheniensibus luctuosissimus fuit: nam domi, forisq; maximis damnis, & cladibus affecti, penè funditus interiere.

Statim enim veris initio Lacedæmonij, Agide rege ductore, irruptionem in Atticam fecerunt, & agro circumiacente vastato Deceleam communire cœperunt, erat is locus medius inter Athenienses & Bœotos, vt inde præsidiarij milites perpetuis maleficijs Athenas afficerent, prædas agerent, vectigalia auerterent, homines occiderent, & peiora etiam, quam Pylus Spartanis, detrimenta importarent. Interea etiam validum exercitum Lacedæmonij & Thebani in Siciliam miserunt, cum nongentis grauis armaturæ militibus. Quibus profectis, Corinthij, & Sycionij alterum cum septingentis emiserunt.

II. *Quid ipsi contra.* ATHENIENSES autem circa Peloponnesum Cariclem cum triginta nauibus miserunt, vt Argiuos ad naues militibus implendas hortaretur. Item Demosthenem quendā statuerunt cum 60. nauibus Atheniensium, & quinque Chiorum, quæ mille & ducentos legionarios Atheniensium milites armatos ferebant, & ex insularum incolis, quam potuerunt vndique plurimos, contraxere: quem etiam iusserunt, copiis cum Cariclis exercitu coniunctis, oram Laconicam circumuectum infestare; antequam Siciliam adiret, si forte copias Lacedæmoniorum ex Attica eo modo extraherent.

III. *Clades terra & in Sicilia.* QVÆ dum in Græcia fiunt, Syracusani terra mariq; simul Athenienses adorti, tribus eos munitionibus, cū multa cæde expulerunt, & magna pecuniæ & commeatus vi, & quadraginta nauium velis, multoque triremium instrumento, cum maximo Atheniensium detrimento, in potestatem redactis, tria trophæa contra ipsos erexerunt: Ac nauali prælio, vndecim nauibus amissis superati sunt, cum tres Atheniensium duntaxat, depressissent. Expugnato porro Plemmyrio, vbi munitiones Atheniensium erant, commeatus excludebantur: ita vt nihil in castra, sine prælio importari posset, ex quo magnus exercitui terror illatus, & animis vehementer contrahi, ac deiici cœpit. Dimiserunt & Siculi naues duodecim, quarum vna Lacedæmone rerum Siculorum statum, spesq; referret, & bellum semper vrgeri nouis subinde auxiliis oraret: reliquæ autem naues oram Italiæ legerent, qua naues Atheniensium cursum tenere audierant: quas cum nactæ essent Syracusanę, plerasque profligarunt, & materiam ad naues ædificandas idoneam, quam Atheniensibus ferebant, concremarunt.

IV. *Nicia, Demosthenes, & Conon tenentur.* LEGATOS quoq; per Siciliam circumquaq; miserunt, qui eadem nunciarent, & copias quam plurimas cogerent, animis Siculorum versus Syracusanos vna cum victoria inclinantibus: quarum tamen pleræque, opera eorum, qui Atheniensibus fauebant, monitore atq; hortatore Nicia, cum octingentis viris, insidiis interceptæ periere. Elapsi tamen ad mille & quingentos, Syracusas peruenere. Demosthenes autem Ægina profectus, cum agrum Peloponnensem ex parte vastauit, tum etiam locum è regione insulæ Cytheræ communiuit, vt inde quemadmodum ea Pylo, Spartani latrociniis infestarentur. Inde in Corcyram traiecit, vt assumptis illius regionis sociis, in Siciliam quam celerrime nauigaret: sed mora ei nonnulla allata est, dum decem naues Cononi tradit, vt cum cæteris, quas Naupacti habebat, contra 25. Corinthias, quæ Siciliam petituræ erant, pugnaret, quod & fecit nullo insigni euentu.

INTER-

V. *Decelea vexat Athenienses. Auxilium Thracum reversum. Mycalessus.*

Interea Decelea incredibilibus damnis Athenienses afficiebat, & ad proximam omnium rerum penuriam adigebat, adeo vt auxilium mille & trecentorum Thracum, qui cum Demosthene ituri erant in Siciliam, cum tardius venissent, domum remittere coacti fuerint, quod nô possent eis stipendium persoluere. Valde tamen mirum est, quomodo eos contra Deceleam non immiserint, cuius loci ruina non minus necessaria, quam Athenarum conseruatio videbatur. An illi, nisi præsente pecunia, pugnare noluerunt? Nihilominus domum remiserunt, monitos tamen, vt in transitu hostem damnis afficerent, qui improuisi Mycalessum Bœotiæ vrbem prope funditus deleuerunt: sed & ipsi, mox superuenientibus Bœotis, ducentos & 50. de suis amiserunt.

VI. *Syracusani classe vincu[n]tur. Athenienses ... Demosthenes.*

Quæ dum in Bœotia fiunt, Syracusani nauali prælio côtra Athenienses pugnare aggressi sunt, & semel iterumq; congressi, Athenienses non sine damno in castra fugientes compulere. Interea alter de ducibus Demosthenes cũ tribus & septuaginta nauibus, & quinq; millibus grauis armaturæ militum, & non paucis alijs, in Siciliam appulit. Eas copias Diodorus vsq; adeo amplificat, vt pro 73. quas agnoscit etiam Plutarchus in Nicia, trecentas & decem naues ipse substituat. Sed errorem in numero nauium aperte prodit militum qui sequitur numerus. At enim in ijs præter remiges fuisse militum quinque millia: oportuit ergo plus quam ducentas militibus vacuas fuisse. Itaq; eum numerum male sumptum ex alio loco arbitror, vbi Thucydides paulo post ait Athenienses omnino centum & decem naues congregasse. Et confirmatur ex eo quod perfecto bello in concione, vbi res amplificantur, quidam Syracusanus ducentas omnino naues in Siciliam pro Atheniensibus traiecisse refert, apud eundem Diodorum, virorum autem plus quam quadraginta millia.

VII. *Pugna ab eo gesta.*

Ex aduentu igitur Demosthenis, & Atheniensibus, vt in malis, quoddam animi robur accessisset, & non exiguus Syracusanos terror inussit. Eo vti volens Demosthenes, quamprimum munitiones, non admodum feliciter inuasit; nec mox feliciore successu nocturnam pugnam ad Epipolas commisit. duo millia Plutarchus, quingentos etiam insuper trucidatos scribit Diodorus, præter magnam multitudinem sauciorum. Vbi fateor me suspectam habere hyperbolem. Nam Thucydides l. 7. satis habuit dicere, non paucos, tam ipsorum, quam sociorum perijsse, & quẽ numerum in nocturna illa pugna scire non potuit, tacere maluit, quam diuinare. Itaq; optabat inde emigrare: præsertim cum parum salubri loco castra essent, & milites passim morbis tentarentur, imo & domum reuerti: aut certe castris Catanam translatis, per Siciliam excurrere, & si nauali prælio decernendum foret, id non in angustijs, sed in patenti æquore rectius, atq; vtilius fieri posse. Nicias contra, ibidem subsistendum putabat, etsi rerum suarum infirmitatem non ignoraret, sed sperabat Syracusanos, quorum res sciebat deteriore loco esse, præsertim à sumptibus, vnde Atheniensibus consilia breui agitaturos, & plerosq; eis fauere Syracusis, per certos nuncios exploratum habebat: quæ tamen vulgare nolebat, ne irrita fierent, dum hosti innotuissent, vt notauit etiam Plutarchus. Publice tamen reditum dissuasit, quod id iniussu Reip. non liceret, & à reditu se reos capitis fore profitebatur.

Nicia consilium.

VIII. *Athenienses ... manere compulsi.*

Itaque licet Eurymedon cum Demosthene sentiret, ambo tamen Niciæ cesserunt, ibidemque cum omnibus copijs perstiterunt, donec Syracusani, auctis Carthagine copijs, se compararunt ad Athenienses terra marique inuadendos, præsertim cum morbi in castris inualescerent. Quæ causa fuit vt Nicias in migrationem consentiret. Sed paratis omnibus Luna, erat quippe plenilunium, defecit. Quo tanquam prodigioso omine territus Nicias, ibidem ter nouenis diebus, vti Vates præcipiebat, subsistendum edixit. Diodorus tres tantum dies habet, sed Plutarchus consentit Thucydidi, a qui ait Niciam alterum lunæ ambitum expectari voluisse. Diodori tamen sententia ex eo probabilitatem accipit, quod solerent antiqui in solis & lunæ laboribus, non nisi tribus diebus sibi cauere, & eos habere suspectos. vt Plutarchus ex Antoclide refert. Quo

Nam ab[...] ... a in Nicia

tempore cum Syracusani secretæ migrationis consilia didicissent, rati sibi commodius esse ibidem nauali prælio contra Athenienses pugnare, paratis ad pugnam rebus, Syracusani cum sex & septuaginta nauibus in aciem prodiere, Athenienses autem cum sex & octoginta. Victoria penes Syracusanos stetit, qui duodeuiginti Atheniensium naues ceperunt, interfectis duobus militum millibus, vt Diod. ait, nec tamen incruenta; quo factum est, vt vtrique trophæum quasi victores erexerint: sed hæc erant maiorum malorum præludia.

IX. *Syracusani altera ... paran[t]. Nicias suos hortatur in necessitate pugnæ. Syracusani vict[...] sunt.*

Nam animis elati Syracusani magni portus, in quo erant Athenienses, ostia obstruere cœperunt, nec inde furtim abire sine certamine possent.

Quæ dum Nicias animaduertit, cum alioqui classis cômeatus inopia vrgerentur, quod edixerant Catanæis ne quid ad se mitterent, quod eo ipsi quamprimum profuturi essent, necessario classem ad prælium præpararunt, desertis munitionibus: & omnibus in naues impositis, centum & decem naues expleuerunt. Diod. 115. triremes numerat Atheniensium, Syracusanorum autem quatuor & septuaginta. Cumq; Nicias animo consternatum exercitum videret, graui, & accurata oratione, ad bene sperandum, & fortiter pugnandum, extrema eos necessitate vrgente, adhortatus est. Syracusani vicissim, & Gylippus dux Lacedæmoniorum, copias suas, iam victoriæ primitijs alacres, etiam animosiores reddebant, hoc ipso quod Atheniensium superbia fracta esset rebus aduersis. Homines enim postquam eorum vires in ea re, qua se præstare cæteris putant, fractæ fuerint, multo minorem in posterum de seipsis opinionem concipiunt, quam si nunquam ante quicquam de se tale sensissent, & opinione sua, propter quam animos elatos habebant, præter spem frustrati, etiam infra vires virtutemque succumbunt. Itaque de victoria pene certi, naues suas pugnaturi sunt ingressi, quod ipsum videntes ab Atheniensibus fieri.

X. *Naualis prælium iteratur.*

Interea Nicias priuatim duces, primariosq; milites & trierarchos, infimis precibus, atq; obsecratione vrgebat, vt fortiter agerent, & se & patriã, vltimo in discrimine constitutam, liberarent. Cum ergo ad certamen ventum esset, nihil artis & industriæ nihil roboris & audaciæ, aut ab his, aut ab illis prætermissum est, sed toto fere die summa pertinacia, ancipiti victoria certatum est: donec tandem Athenienses cesserunt, atque in fugam versi, in terram enaserunt, & ad castra, alij ad munitiones rursus, quasi se in ijs defensuri, concurrebant: alij quam salutis viam inuenirent, circumspiciebant: omnes tanto terrore affecti, quantum nullum ante sensissent. Ait Diodorus sexaginta naues Atticas perijsse, Syracusanas vero 24. partim funditus perijsse, partim conuulsas fuisse, atque contritas. Et Syracusani quidem victores in vrbem reuersi trophæum erexerunt.

Athenienses vincuntur.

XI. *Athen. de fuga cogitãt.*

Athenienses vero præ magnitudine præsentium malorum, ne cogitarunt quidem de suorum cadaueribus recipiendis, sed consilium inierunt de nocturna fuga quamprimum captanda, resistente Demosthene, qui cum Niciam adijsset, censebat reliquas naues iterum instruendas, & sub auroram si possent, eruptionem tentandam, cũ plures etiam nunc sibi naues superessent, quam hostibus. Atheniensibus enim naues circiter sexaginta supererant, hostibus vero pauciores quam quinquaginta: sed duplo plus animi erat in triginta Syracusanis eo tempore, quam in centum Athen. vt res ipsa docuit. Nam cum hoc consilium Niciæ probatum esset, & naues implere vellet, nautæ illas conscendere nolebant, quod aduerso prælio præteriti, nullam in nauibus spem, vel victoriæ vel salutis haberent: sed terrestri itinere aliquo se recipere in animo haberent.

XII. *Decipiuntur à Syracusanis.*

Quod præsentientes Syracusani, omnes elabendi vias eis præcludere statuerunt, Hermocrate duce, atque hortatore. Qui cum ea de re Syracusanorum principes monuisset: illi desperantes se posse fessum & comessabundum militem, ad nocturnas excubias tunc euocare: insigni fraude Hermocrates nuncios ad Niciam misit, nomine quorundam, qui ei Syracusis amici erant, ne ea nocte iter

para-

parant, quod transitus i Syracusanis obsessi tenerentur. Creduli duces, nullam subesse fraudem rati, non ea tantũ nocte, sed vsq; ad tertium etiam à pugna diē ibidem substiterunt, vt per otium conuasarent quam commodissime possent, minus necessarijs relictis. Miseri, ac supra modum imprudentes, qui non intelligerent, interea sibi ab hostibus magnum malum per otium parari.

Omnibus fuga illis intercluditur. Syracusani enim & Gylippus cum peditatu egressi, vias omnes, per quas verisimile erat Athenienses iter esse facturos, præsidijs obstruxerunt, riuorum omnium ac fluuiorum transitus obseruarunt, vt venientem hostem, & fatigatum, & deteriore loco, ac conditione pugnantem, facile perderent.

XIII. *Luctuosus Atheniensium digressus.* DIGRESSVS Atheniensium luctuosissimus fuit, cum lamentatione eorum, qui ægri, aut vulneribus debilitati, aut itinere iam suscepto deficientes deserebantur, nec à sociorum amplexibus diuelli poterant, quam eorum qui abeuntes, non minorem sibi cladem imminere animo præsentiebant. Et cum multitudo eorum, qui adhuc supererant, non esset infra numerum quadraginta millium, vix tamen illis tantum animi, propter omnium rerum penuriá supererat, quantum exiguæ multitudini. Ideoque Nicias eos vsq; adeo consternatos videns, rursum consolari, & ad spem aliquam erigere conatus est, nec vllum boni Imperatoris munus prætermisit data opera, vt seruatis ordinibus iter facerent, vt sic hostium insultibus commodius obsistere possent.

XIV. *Varie ab hoste vexantur.* ITAQVE Copiæ Niciæ quadrato agmine præibant, Demosthenes cum suis sequebatur. Idque vno atq; altero die non sine multis Siculorum equitum incursionibus, qui extremos quosque carpebant, donec ex monte quodam colle cum clade repulsi, & insuper pluuijs, tonitribusque territi, cœlum ac terram contra se conspirasse existimantes animos magis magisque abijciebant: & retrocedentes castris positis pernoctarunt. Postridie ac deinceps cum progredi cuperent, semper circumfusos habebant hostes, qui vndique telis eos peterent, multosque sauciarent. Et quoties Athenienses in eos impressionem faciebant, ipsi se subducebant, quoties vero recedebant, illis instabant, sicque misere lancinato certamine sine pugna pugnabant.

Nocte diffugiunt. INITO deinde consilio aliorsum iter flectere, & non vltra Catanam versus, noctu multis excitatis ignibus iter arripiunt, sed cum nocturno itinere, in hostico, & circumfusis hostibus, à victis iter fieret, omnia trepidatio tenebat, Imo turbabat; Demosthenis copiæ dissipatæ, non seruatis ordinibus, quoquo modo sequebantur.

XV. *Demosthenes cum suis deditionem facit.* VT illuxit mirati Syracusani hostem abijsse, eum persequuntur, & sub horam prandij Demosthenis copias perturbatas ac confusas assecuti sunt. Qui ad pugnam, quamuis longe à reliquo exercitu separati, sese compararunt, sed facile ab equitatu circumuenti, & in locum iniquissimum pertracti, ac conclusi muris, telis vndiq; petebantur, quod nollent Syracusani cominus cum desperatis ferro decernere. Cumq; totum diem vulneribus eos eminus afflixissent, tandem Demosthenes cum suis ex lege deditionem fecerunt, vt arma traderent, & nullus mortem violentam, aut in vinculis, aut rerũ inopia pateretur: fuit hic numerus sex millium, qui omnem pecuniam quã habebant, deposuerunt, & eam in supina scuta proijcientes, quatuor scuta repleuerunt. Eos Syracusani statim in vrbem captiuos abduxerunt.

XVI. *Varij Niciæ casus.* THVCYDIDES scribit exercitum Niciæ iam centũ quinquaginta stadijs copias Demosthenis antecessisse, cui consentit Plutarchus in Nicia: & vtrique maior debetur fides, quam Diodoro, qui ait copias omnes ad flumen Asinarum, velut indagine conclusas, ibique octodecim millia trucidata, septingentos captos viuos, in quibus Nicias, & Demosthenes imperatores. Sed ad eum fluuium Demosthenes cum suis non peruenit; solius enim Niciæ clade nobilitatus est. Reliqua igitur, vt cœpimus, ex Thucydide mutuemur.

Postridie etiam Niciam insecuti, ad eum peruenerunt, & deditionem facere iusserunt; cumq; ille frustra conditiones proponeret, eius aciem, sicut & copias Demosthenis, in eo die telis vndiq; eminus obruere cœperunt. Noctu cum Nicias iter facere conaretur, ad arma conclamatum est, & subsistere coacti sunt, exceptis trecentis, qui per media hostium tela, per tenebras elapsi, quo illos casus, impetusue tulit, abscesserunt.

XVII. *Exercitu profligato se dedit.* RELIQVI vbi illuxit, iter ingressi, eosdem quos pridie insultus perpessi sunt, donec ad fluuium peruenerunt, labore, siti, plagisq; confecti, vbi magna ea parte telis atque vndis hausti periere. Itaq; profligato exercitu, Nicias se Gylippo Lacedæmoniorum duci dedidit, qui deinceps viuos Athenienses capi iussit, & in vrbem captos adduci, quibus tota Sicilia repleta est: nam priuatim multi captiuos in seruitutem abduxerunt, pauci publicæ custodiæ traditi. Quin & illi ipsi trecenti perquisiti, ac comprehẽsi, *Atheniensium seruitutis calamitas.* Syracusas quoq; abducti sunt, & in profundas lapidicinas demissi, miserrimo ac tenuissimo victu, vitam trahebant in sordibus ac fœtore. Et sub dio, solibus, ac pluuijs expositi, morbis ac plagis interibant: itaq; alia super alijs cadauera per dies 70. coaceruabantur, donec bonam eorum partem diuendiderunt.

XVIII. *Niciæ ac Demosthenis cædes.* NICIAS autem & Demosthenes, quamuis eos vehemẽter seruatos cuperet Gylippus, quasi gloriosissimum specimen victoriæ suæ, & alioqui eorum virtutem admiraretur eos tamen Syracusani, veriti ne quid noui molirentur, quamprimum interfecerunt. Aduersatur Thucydidi Diodorus cum fingit in iudicio Syracusis habito, de supplicio Atheniensium, Gylippum perpulisse populum ad sumendum supplicium de Nicia & Demosthene: sed longius etiam abit ab vtroq; Iustinus, qui sæpe concinnitatem magis, quam veritatem orationis sectatur *Demosthenes*, inquit, *amisso exercitu à captiuitate gladio, & voluntaria morte se vendicat: Nicias autem ne Demosthenis quidem exemplo, vt sibi consuleret, admonitus, cladem suorum auxit dedecore captiuitatis.* Sic ipse, male timiditatem exprobrans. *in fi. l. 4.* Plutarchus autem in Nicia ait Demosthenem percussisse quidem se, sed ictu nõ lethali, quod cito ab hostibus comprehensus fuisset: nihilominus ait Gylippum populum rogasse, vt vterque sibi dederetur, nec impetrasse: quin etiam refert quandam opinionem, quæ ferret eos à populo lapidibus obrutos interiisse.

XIX. *Belli in Sicilia finis.* ET hic finis fuit omnium copiarum, quæ pro Atheniẽsibus in Siciliam profectæ, pari cum ipsis clade consumptæ sunt. Et quidem ex clade, qua toto hoc bello, imo multis seculis, nulla maior in Athenienses incubuit: qui prorsus rebus omnibus afflicti, funditusque viris, equis, nauibus, armis, sumptibus, gloria euersi, periere: vixq; pauculi domum è tanto naufragio enatarũt. Diodorus addit Syracusanos bello Atheniensi extincto, Lacedæmonijs armorum socios, spolijs bello captis remuneratos esse: simulq; 35. triremes, in subsidium belli contra Athenienses suscepti, cũ Hermocrate duce misisse. *Tempus captæ Niciæ.* Notat Plutarchus diem capti Niciæ. Euricles inquit, aduocata Syracusis concione legẽ rogauit, vt diem, quo ceperant Niciam, festum agerent, & à fluuio appellarent Asinarium, qui fuit 17. mensis Carnei, quem Metagitnionα Athenienses vocant, & Iulio nostro plerique respondere censent; Quod satis ex Thucydidis narratione confirmatur.

XX. *R... Atheniensium ...* TANTÆ cladis nuntij Athenis diu fidem non faciebãt. Tandem res credita, & dolore præteritæ iacturæ, & metu imminentium malorum totam Remp. compleuit; quod hostes ex Sicilia, & Peloponneso in vrbem desolatam, nauibus, viris, pecunijsq; destitutam, quamprimum ventutos crederent: socios quoq; vbiq; à se defecturos. Visum tamẽ est non oportere succumbere, sed afflictis rebus opem ferre, classem parare, pecuniã, materiamq; corrogare, socios, & præsertim Eubœam, præsidio firmare; res vrbanas aliqua ex parte corrigere, sumptusq; minuere, magistratum creare, qui Reip. prouideat, quod eo facilius erat, quo populus, ꝓpter præsẽtis mali magnitudinẽ, erat obsequẽtior.

Et cæteri Græci. Sequenti hyeme vniuersi Græci, cum accepissent res Atheniensium clade Siciliensi attritas, animos erexerunt, & propter commune odium, & inuidiam in Athenienses, in ruinam inclinantes, præcipites agere conabantur.

Ergo & qui neutrorum erant socij, se Lacedæmonijs dedebant ad belli societatem, & Lacedæmoniorum socij, tanto maiore belli desiderio flagrabant: qui autem dudum erant Atheniensium socij, sine metu deficiebant. Syracusani autem bello perfuncti, Rempub. suam Diocli legibus informandam dedere, qui in Athenienses prorsus afflictos seuerissimam dixit sententiam. Rigidum hominis ingenium exitus declarauit. Cum enim capitis pœna proposita edixisset, ne quis cum armis in forum se daret, idque illi casu quodam accidisset, monitus legis suæ, proprio incũbens gladio legem suam confirmauit. Refert Diodorus sub Olymp. nonagesimæ primæ annum vltimum. *Dioclis leges.*

XXI. *Bellum in Græcos instrui apparatur.* LACEDÆMONII autem ipsi in proximum ver bellum parabant, quo sibi victrices copias è Sicilia cito venturas sperabant, simulque persuasum habebant, si hoc eis bellũ recte succederet, se totius Græciæ imperiũ tuto obtẽturos. Itaque Agis Lacedæmoniorum Rex quam maximũ belli apparatum facit; Athenienses quoque quantum possunt. A quibus Eubœenses primi ad Agin deficiunt. Eos sequũtur Lesbij, Bœotis adiuuantibus; Chij deinde, & Erithræi Spartam, defectionis causa, adierunt: & cum ijs legatus missus à Tissapherne, qui pro Rege Dario Artaxerxis filio, Prætor erat inferioris prouinciæ, qui & Peloponnesios contra Athenienses excitabat, & ipsorum copijs se stipendia præbiturum spondebat. Eos enim oderat, quod propter ipsos regia tributa exigere non poterat. Alij quoque exules Hellespontios ad defectionem sollicitabant ab Athen. in quibus Alcibiades; sicque cum hyeme, & vndevigesimus huius belli annus excessit. *Thrig. ad Lacedæmones deficiunt.*

XXII. *Res Pisuthnæ, & Tissaphernis.* CIRCA hæc tempora contigerunt, quæ Ctesias de Pisuthne & Tissapherne refert. *Desciscit*, inquit, *Pisuthnes*, vel vt habet Thucydides, Armoges filius eius nothus, & in eum Tissaphernes mittitur, atque Spitradates & Parmises. Pisuthnes verò aduersus eos tendit, secum habens Lyconem Atheniensem cum Græcis, quorum ille dux erat: sed regis duces pecunijs Lyconem Græcosque captant, & vt à Pisuthne desciscant, persuadent. Deinde Pisuthni fide data & accepta ab eo, ad regem ipsum adducunt, qui eum in cineres conijcit, eiusque satrapiam Tissapherni tradit. Sic Ctesias. Apparet capto patre & occiso, filium turbas circa prouinciam Cariæ excitasse; quandoquidem rex iusserat, vt eum Tissaphernes vel viuum ad se abduceret, vel interficeret. Is autem sub Atheniensium vmbra latebat, quæ fuit causa cur Tissaphernes tanto magis Lacedæmonijs se dederet. *L.8.p.561.*

XXIII. *Tribunus à suis militibus occiditur.* ANNVS hic ne Romanis quidem satis lætus fuit. Cum enim M. Posthumio Regillensi bellum aduersus Æquos permissum esset, exercitu impigre conscripto, ductoque ad Volas, cum leuibus prælijs Æquorum animos fregisset, postremo in oppidum irrupit; deinde ab hostibus in ciues certamen vertit. Cum enim inter oppugnationem prædam militi spopondisset, capto oppido fidem mutauit. Inde cum Romam à Collegis accersitus, propter tribunitias turbas venisset, aut malum militibus suis minatus esset, eò res tandem processit, vt ab ijs lapidibus obrueretur. Quod tam atrox facinus cum Romam perlatum esset, Tribunis militum de morte collegæ per Senatum quæstiones decernentibus, Tribuni plebis intercedebant. Sed veriti patres ne ea occasio esset Tribunos militares è plebe creandi, contendebant omni ope, vt Consules crearentur, quod & proximis comitijs obtinuere.

ANNVS MVNDI 3642. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Pers. 126. Darij Nothi 12. Ioiadæ Pont. 13. Olymp. XCII. An. 1. Archonte Gallia. Vrbis Conditæ 341. Coss. A. Cornelio Cosso. L. Furio Medullino.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 411.

I. *Defectio Sociorum ab Atheniensibus.* GALLIAM quoque hoc anno agnoscit Plutarchus in vita Lysiæ Rhetoris: cuius ipso primo vere, belli Peloponnesiaci anno vigesimo, Atheniensium plerique socij, qui defectionem paulo ante meditati fuerant, eam executioni mandarunt; Chij maxime, alijque, duce imprimis, atque impulsore Alcibiade: præsertim Milesij, post quorum defectionem Persæ cum Lacedæmonij fœdera, bellique societatem aduersus Athenienses pepigerunt, id agentibus Tissapherne Persa, & Chalcidæo Lacedæmonio: in quibus inter alia cauebatur, vt quid pecuniarum, aut redituum ex vrbibus, quæ iam pridem regi parebant, Atheniensibus obueniebat, id ne ad eos perueniret, Rex, & Lacedæmonij cum socijs prohiberent. Inde toto mari pro vrbibus aut conseruandis, aut ad defectionem trahendis late certatum est.

II. *Athenienses ... & Milesios.* ET quidem Athenienses contra Chios tertio feliciter pugnarunt. Inde cum classe nauium duodequinquaginta, & tribus millibus armatorum Miletum profectis, ibi ancipiti certamine pugnatum est; adfuit autem pro Milesijs prælio Alcibiades, & Tissaphernes. Cumque vrbem circumuallare vellent, ecce nuncius defertur quinque & quinquaginta Peloponnesiorum & Siculorum naues tantum non adesse, & in Græciam venisse, vt belli reliquias persequerẽtur, & Atheniensium imperium funditus euerterent. Cumque illæ se ad pugnam pararent, Athenienses qui de summa rei hoc tempore periclitari nolebant, relicta Mileti oppugnatione, Samum profecti sunt. Ibi cum proxima hieme aliæ quinque & triginta naues ad eos Athenis venissent, omnibus contractis nauibus, belli prouincias sortiti, Miletum naualibus copijs oppugnare, aduersus Chium nauales & pedestres copias mittere statuerunt. Itaque triginta nauibus contra Chium profectis, alij apud Samum cum quatuor & septuaginta nauibus remanentes, mare obtinebant, & classis incursionibus Miletũ infestabant; Peloponnesijs eam tutantibus, à quibus & Rhodus ad defectionem adducta est. *Siculorum copiæ contra Athen.*

III. *Alcibiades transit ad Persas.* INTEREA vero cum Alcibiades Agidi Regi Lacedæmoniorum esset inimicus, & plerisque Lacedæmone suspectus; vnde & epistola de eo interficiendo ad Astyochũ nauarchum venerat: id ille præsentiens, ac metuens, ad Tissaphernem Persam transiuit, qui nuper fœdera cum Lacedæmonijs semel iterumque fecerat, quæ nihilominus ab ipsis iterum improbabãtur, vnde & iratus Tissaphernes illos deseruerat.

Eiusdem ... Persis consilium. Cum ergo apud Tissaphernem degeret Alcibiades, plurima illum docuit, tam in Lacedæmoniorum, quam vniuersæ Græciæ detrimentum: (licet Diodorus Pharnabazũ pro Tissapherne ponat, in eodemque errore deinceps perseueret,) qualia erant ne properaret bellum finire, sed fineret Græcorum vires mutuis prælijs deteri, & separatim imperium habere: fore enim dicebat, vt Regi liceret in eosdem Græcos à quibus offenderetur, alteram partẽ immittere. Quod si ad alteram tantum partem deueniret terræ, marisque imperium, ipsum regem destitutum iri Socijs, quibuscum opprimeret eos, qui rerum potirentur.

IV. *Et reditum sibi parat in patriam.* ET quoniam sibi quoque reditum parabat in patriam, addebat etiam Athenienses imperij socios illi commodiores fore, vt qui eius auxilijs muniti in suam ipsorum ditionem maris partem redacturi essent: deinde vice versa illum adiuturos in omnibus Græcis subigendis, qui Regis prouincias incolerent, cum Lacedæmonij ad Græcos in libertatem vendicandos arma ferrent: nec passuri essent Persas imperare Græcis, qui Græcis ipsosmet Græcos imperare nollent.

Persas Alcibiadis consilia. Quæ cum probaret Tissaphernes, etiam quamuis dissimulanter, reuocabat in praxim, & non parum Alcibiadi tribuebat fidei atque beneuolentiæ, quam ille tanto impensius colebat, quanto id sciret plus habiturum momenti ad reditum suum impetrandum.

V. *Principes Atheniensium ad Oligarchiam inclinant.* ITAQVE ad principes Atheniensium, qui erant in Samo insula, scribebat se Tissaphernis amicitiam eis conciliaturum, si operam darent, vt ipse Athenas reuocaretur, vt populari statu Reip. commutato, ipsi inter se Remp. deinceps administrarent. Cumque iam sua sponte propenderent ad statum popularem Athenis euertendum, currentibus Alcibiades calcar admouit. Itaque ea de re inter se collocuti, Samũque reuersi, conspirarunt inter se, & plurimos sibi

ad vesperam vsque, non deteriore quam hostes conditione domum rediere.

II. *Oligarchia praparatur Athenis, tã in castris.*

Qvæ dum in mari aguntur, magna in vrbe rerum cõmutatio facta est. Quæ præcedenti anno à Pisandri legatione inchoata, hoc maxime anno perfecta est. Cum enim Pisander cũ suis Athenis discederet, reliquit socijs, qui popularẽ statum sublatũ volebant, curã, vt omnia, quæ in eã rem essent opportuna, diligenter curarent, ipse cum socijs ad Tissaphernem nauigauit, vnde re infecta Samum cum collegis redijt, vbi maxima pars copiarum Atticarum morabatur; vt illic res firmius cum cæteris coniuratis stringeret. Ibi inito colloquio, statuerunt Alcibiadem missum facere, quoniam hoc negotium ei cordi non esse videbatur. Deinde sibi ipsis prospicere cœperunt, quod in periculo iam versarentur, inchoata Reipublicæ perturbatione, quonam modo & res ista non remitteretur, & simul bellicæ res sustinerentur, quibus ipsi de suo pecunias & necessaria omnia conferebant, non tam Reip. quam sua ipsorum causa.

III. *Et alijs oppidis.*

Cvm ergo se mutuo ad hæc adhortati essent, Pisandrum cum dimidia parte legatorum Athenas miserunt, vt ibi Aristocratiæ, & in cæteris in transitu oppidis, initium daret. Reliquos autem legatos ad alia oppida eadem de causa dimiserunt. *Quam in vrbe ipsa.* Pisander cum suis acceptis ex aliquot vrbibus secum armatis militibus Athenas venit, vbi pleraque à suis sodalibus iam confecta deprehendit. Etenim Androclem de medio sustulerant, virum populo gratiosum, sed acerrimum status popularis propugnatorem, & præcipuum Alcibiadis expellendi autorem, aliosque nõnullos eodem modo, clam facta conspiratione, sustulerant. Ad populum etiam orationem habuerant, qua ei persuaserant, vt nullis alijs stipendium daretur, quam ijs, qui militarent; nec plures quam quinque hominum millia ad Reip. administrationem admittendos esse: eosque qui & pecunijs, & corporibus Remp. maxime iuuare possent.

IV. *Magna Reip. perturbatio.*

Vervntamen adhuc Senatus & populus de more congregabatur, sed nihil consultando statuebant, quam coniuratis placeret: eodem modo & qui concionabantur, aut coniurati erant, aut eis placita loquebantur. Nec quisquam amplius audebat contradicere, propter eorum metum. Quod si quis contradixisset, cõfestim aliquo idoneo modo necabatur impune, vt quisque vitam suam, etiamsi taceret, in lucro poneret, omniaque ita suspicionibus plena erant, vt nemo alteri fidere auderet, cum nescirent quam ille in partem animo propenderet, & multo plures adhærere coniuratis crederentur, quã reuera adhærebant. Interea Pisander cum suis in vrbem appulit. Et confestim populo coacto sententiam dixerunt, decem viros legum conscribendarum causa deligendos, qui summam huius rei potestatem haberent, qui eas ad certum diem ad populum ferrent, qua ratione Respublica optime administrari posset. *Creantur Decemuiri.*

V. *Quadringentorum institutum.*

Vbi dies aduenisset, edixerunt cuiuis Atheniensium licere pronunciare sententiam quamcumque vellet, ingenti pœna proposita ei, qui obstitisset. Quo edicto & fucum faciebant plebi, quam redigebant in seruitutem, & sibi omnia edicendi potestatem stabiliebant. Nam statim aperte dixerunt magistratus amplius ex antiquo ciuitatis instituto non esse constituendos; sed quinque prǣsides deligendos, à quibus rursus centum alij viri deligerentur, quorum singuli tres alios sibi cooptarent. Denique quadringenti numero in curiã ingressi summa potestate præditi imperarent, prout optimũ esse cognoscerent, & quinque millia ciuium congregarent, quoties ipsis videretur. Hanc sententiam dixit Pisander, qui maxime statum popularem euertit, cui præiuit Antiphon, qui rem totam iãpridem meditabatur; vir ingenio acri, & lingua disertus. *Eius præcipui autores.* Adiuuit & Theramenes, qui primus in hoc negotio fuisse dicitur, & Phrynichus odio ac metu Alcibiadis, quẽ sciebat ea scire, quæ nuper Samicum Astyocho tractasset.

VI. *Stabilitur*

Qvamobrem opus à multis & prudentibus viris tractatum, quamuis esset arduum successum habuit. Arduũ enim erat populum Atheniensem, centesimo fere ab exacti s tyrannis anno, libertate priuare: id enim sub annum quartum Olympiadis sexagesimæ quintæ contigerat, quãdo Pisistratidæ eiecti sunt ex vrbe, & Hippias opera Clisthenis Athenis cædere coactus est. Vnde hic annus fuit septimus supra centesimum. Arduum ergo erat eum populum redigere in seruitutem, qui non solum nullius imperio parebat, sed etiam plusquàm huius temporis dimidio, ipse alijs imperare consueuerat.

Senatoribus valere iussis.

Postquam autem concio populi, nemine refragante hæc rata habuit, & dimissa fuit, coniuratorum principes aliquanto post illos quadringentos, Reip. administrandæ causa delectos, in curiam introduxerunt, Senatoribus ex ea, data singulis mercede sua, abire iussis. Inde quibusdam quæstoribus de suo corpore sortito electis, ciuitatem imperiose gubernabant, nonnullis occisis, nonnullis etiam id exilium eiectis. Cumque potentiam suam stabilire præ rebus omnibus optarent, etiam cum Agide Lacedæmoniorum Rege, qui erat apud Deceleam, & cum Spartanis Lacedæmone, de pace agere cœperunt.

VII. *In castris vacillat.*

Samvm etiam decem miserunt, qui milites lenirent, (inde enim sibi non sine causa valde metuebant,) ac docerent ad totius Reip. salutem, paucorum dominatum Athenis constitutum fuisse. Et esse quinque millia ciuium, non autem quadringentos tantum, qui Remp. administrarent, cum nunquam ad quinque millia Athenis adhuc ad vllam consultationem conuenissent. Itaque rem nunc plusquam olim factam esse popularem.

Trecenti ibi coniurati pro Oligarchia.

Verum milites qui Oligarchiam oderant, quique se oppressum iri sentiebant, à trecentis coniuratis, qui Sami erant, aliquot duces, qui paucorum dominatum inuiti ferebant, adierunt, rogaruntque ne se perire paterentur, & Samum ab Atheniensibus alienari. Sibique plures alios, qui libertati fauebant, adiunxerunt, sic vt fortiores effecti, triginta ex trecentis coniuratis, qui eos inuaserant, interficerent, & tres præcipuos coniurationis autores in exilium mitterent. *Ibi nihilominus Democratia restituitur.* Cæteris, deposita iniuriarum memoria, ignouerunt, & restituto populari statu, Rempub. communiter administrarunt.

VIII. *Et a Thrasybulo & Thrasyllo eadem*

Cvmqve interea accepissent quadringentos imperio potitos, in Rep. paulo ante libera tyrannicè dominari, multaq; facinora in ipsorũ liberos, amicos, vxores, qui in vrbe erãt, designare, etsi ea fere falsa erant, parũ tamen abfuit quin eos oẽs, qui paucorũ dominatui fauerant, impetu facto interficerent. Sed Thrasybulus & Thrasyllus, quorũ ope popularem statũ labentẽ restaurabant, eorum impetum compresserunt, docentes eos memores esse debere, se in medijs hostibus versari, à quibus, si se ipsi conficerent, facile opprimerentur; *In vrbe peccatur.* postea etiam omnes adegerunt, eos præsertim, qui Oligarchiæ fauissent, ad maximum iusiurandum, quo promiserunt se populari statu post hac in Reip. administratione vsuros, & concordes bellũ contra Peloponnesios alacriter gesturos, & illis quadringẽtis, qui Athenis erant, hostes futuros, nec vlla de re per caduceatorem cum illis acturos. *Coniuratur in 400.* Eodem iureiurãdo Samij omnes, qui arma per ætatem ferre poterant, sese obstrinxerunt. Si quem etiam in exercitu ducem, aut nauarchum suspectum habuerunt, alium in eius locum suffecerunt.

IX. *Potior conditio exercitus, quam vrbanorum.*

Se autem in suscepto consilio confirmabant, quod se potiore conditione esse dicerẽt, quam qui Athenis essent, seque plures numero, & potentiores Remp. constituere, & illos à se, penes quos legitima esset Reip. administratio, desciuisse, non vice versa. Se vrbes, quæ Atheniensibus parerent, cum viris & reditibus in potestate habituros, Regẽ denique per Alcibiadem, si impunitatem, ac restitutionẽ ei decreuissent, sibi conciliaturos.

Hæc cum accepissent, qui à quadringentis Samum mittebantur, progredi non sunt ausi, sed in Delo insula substiterunt. Peloponnesij autem fremebant non sibi fieri potestatem inuadendi Athenienses, dum inter se intestinis motibus laborarent, & pauci essent, verum vtrinque ad pugnam congregati, alij alios veriti, rebus infectis Samum & Miletum reuerterunt.

X. *Thrasybulus Alcibiadem Samum deducit.*

Interea Thrasybulus, qui Sami plurimum apud Athenienses poterat, & popularem gubernationẽ in primis tueba-

tuebatur, militibus persuasit Alcibiadem vt reciperent, & ad Tissaphernem profectus, Alcibiadem Samum deduxit, existimans hanc vnam esse spem salutis, si Tissaphernē, à Peloponnesijs alienatū, ad se traduceret. Concione coācta Alcibiades de exilio suo, & Rep. multa locutus, multa de sua apud Tissaphernem gratia, magnam in spem futurorum omnes adduxit, quod affirmaret, si modo rectè posset Atheniensibus fidere, nulla stipendij inopia laboraturos. Phœnicias etiam naues, quæ magno numero Aspendi erant, (id Ptolemæus Pamphiliæ mediterraneum oppidum facit, at maritimum esse oportet, ad quod & portus & multæ naues stationem habere possint: ait enim paulo infra Thucyd. 147. naues, trecentas numerat Diodorus, Plutarchus autem in Alcibiade 150. è Phœnicia Aspendū vsque peruenisse) ad Athenienses, non ad Peloponnesios adductorum. Si tamen ipse receptus in patriam, pro Atheniensibus sponsor fieret.

Qui consensum agit apud milites.

XI. Recipitur ab exercitu.

His persuasis milites eum non solum admittunt, sed in numerum etiam ducum adscribunt, & cum eo magna spe concepta, de vltione sumenda de quadringentis, Athenas nauigare desiderant; quos ille retinuit, dicens se primum ad Tissaphernem iturum, & cum eo belli negotia confecturum. Et vero etiam aliquanto post abijt, tum vt videretur omnia cum eo communicare, tum vt maiori in honore apud eum esset, vt qui à suis creatus Imperator, illi & prodesse, & obesse posset: sicque contigit Alcibiadi, vt per Tissaphernem Athenienses perterrefaceret, & vice versa per Athenienses Tissaphernem.

Tissaphernes fit suspectus Peloponnesijs.

Reditus porro iste Alcibiadis ad Tissaphernē Lacedæmonios magno dolore affecit, & fidem eorū erga Tissaphernē magis magisque labefactauit, præsertim cum & stipendiū eis malignè suppeditaret, & occasiones bene gerendæ rei contra Athenienses perire sineret, quod vtrosque atterere suis ipsorum armis optaret, & iuxta consilium Alcibiadis, bellum vellet in longum protrahere.

XII. Alcibiades vim inhibet à quadringentis, & ab eorū legatis.

REVERSO Alcibiade Samum, qui iam dudum missi fuerant à quadringentis vt milites sedarent, Samum venerunt, & ægrè tandem auditi, efficere non potuerunt quin milites Athenas infesti petere vellent: sed eos retinuit Alcibiades, optime eo facto de Rep. meritus. Alioqui enim deserto ab Atheniensibus mari, Peloponnesij omnem Ioniam & Hellespontum planissimè in suam potestatem redegissent. Vim etiam à legatis cohibuit, & eos dimittens mandauit, vt illa quinque militum millia imperium obtinerent, quadringenti autem locum pristino Senatui cederent, qui prius fuerat quingentorum.

Et quoniam quadringenti isti, vt potentiam suam magis roborarent, ad Agidem, & Lacedæmonios confugerāt, addiderunt legati Alcibiadem eos hortari, vt hostibus resisterent, eisque nullo modo cederent; maximam se spem habere, fore vt exercitum, qui Sami erat, ipsis reconciliaret, & Peloponnesios superaret. Quibus verbis multos, qui hunc rerum statum ægrè ferebant, corroborarunt, adeò vt de eo iam inter se queri inciperent, iam prospicientes hunc paucorum dominatum non fore diuturnum.

XIII. Alcibiades Tissaphernē adit. Quadringentorū metus.

CVM vero nō itamultò post Tissaphernes Aspendū venisset ad Phœnicias naues, ad eū Alcibiades Samo cū tredecim nauibus venit, vt magis magisque Lacedæmoniorū suspicionem, & iras augeret, & ab ijs alienatum Tissaphernem, ad Athenienses necessario conuerti cogeret.

Sed quadringenti nihilominus huic mutationi maximè aduersabantur; & inprimis qui paucorum dominatus auctores erant, vt Pisander, Phrynichus, Antiphon, Aristarchus, & alij potentissimi, qui legatos Lacedæmonem miserant, & ad Pyræum munitionem excitarant, vt hostem possent in vrbem recipere. Nunc enim auditis legatis, qui ab Alcibiade venerant, & plerosque è suis animo mutatos animaduertentes, rursum Lacedæmonem legatos miserunt, vt quoquo modo cum ipsis reconciliarentur, & vel dedita hosti ciuitate suis corporibus consulerēt, qui tamē re infecta redierunt. Quin potius mox duæ & quadraginta Laconicæ naues apparuerunt, quæ in Eubœam ituræ erant, quod ea insula iam dudum deficere ab Atheniensibus volebat.

Legati Spartam mittuntur.

In his legatis erat Phrynichus, qui vbi rediit, in frequenti foro ex insidijs vulneratus, paulò pòst mortuus est. Quæ occasio fuit Therameni confidentius agendi cum socijs, ad popularem statum restituendum, cui fauebat militare præsidium vrbanum, à quo comprehensus Alexicles, vir primarius è factione quadringentorum, & in vincula coniectus est & ab eisdem mox munitio eiusdem factionis diruta. Nihilominus paulò pòst mitigati, cum concordiæ causa in templum conuenissent, nunciatur Lacedæmonios cum prædictis nauibus imminere, & ad Eubœam Atheniensibus eripiendam properare. Tum demum omnes ad portum, priuatæ contentionis tantisper obliti, in Piræū prouolant, & naues ad Eubœæ defensionem instruunt, & classem triginta sex nauium, duce Thymochare in Eretriam Eubœæ mittunt. At hostis ad Oropum in altera freti parte sedem capit, qui & Athenienses nondum paratos, fraude & proditione Eretriensium, ad prælium compellit, & superat, duabus & viginti nauibus captis: fugitiui ab Eretriensibus occisi, nisi qui in munitionem, aut Chalcidem euaserunt. Mox que tota ferè Eubœa ad Lacedæmonios defecit.

XIV. Phrynichus occiditur. Factio quadringentorū debilitatur.

Eubœa desciscit Athenienses clade afficiuntur.

Hoc nuncium in summam propemodum desperationem Athenienses adduxit. Cum enim & exercitus, qui Sami erat, ab eis defecisset, & ipsi seditione ita laborarent, vt in dies expectaretur, vt inter se infestis armis concurrerent, & nauibus carerent, & insuper Eubœa, cuius fere vnius opibus viuebant, iam amissa esset, quam se in partem verterent ignorabant. Nec supererat aliud ad vltimam perniciem, quam vt hostis victoria potitus, Pyræum nauibus vacuum occuparet. Sed Lacedæmoniorum cunctatio, & tunc, & alias non semel, Atheniensibus saluti fuit. Athenienses enim accepto nuncio, viginti naues instruxerunt, & concione aduocata quadringentos exautorarūt, & quinque millibus, quorum præerant gubernationē, illi regnabant, gubernationem attribuerūt: tum alijs mox concionibus cætera ad Reip. gubernationem spectantia constituerunt, vt Status ex populari, & Oligarchico compositus videretur, æquabili temperamento, dū ad popularē paulatim rediret. Decreuerunt etiam Alcibiadem, omnesque eius socios, & exercitum qui Sami erat, Athenas ad se aduocare. Quæ cum fieri viderent Pisander & Alexicles, & qui præcipui erant è paucorum dominatu, ad Lacedæmonios clam se subduxerunt, sicque sublato paucorum dominatu, seditio cessauit.

XV. Atheniensiū desperatio.

Lacedæmoniorum cunctatio.

Quadringenti exautorantur.

Eorum præcipui Spartā aufugiunt.

INTEREA Lacedæmonij, qui circa Miletum erant, cum sibi à Tissapherne verba dari animaduerterent, & à Pharnabazo, altero Darij præfecto, euocarentur (is spondebat se daturum operam, vt omnes Atheniensium socij, qui in sua prouincia erant, ab ipsis deficerent,) duce Mindaro cū tribus & 70. nauibus Mileto soluentes, in Hellespontum quam primum nauigare contendunt, vt eorum profectio Athenienses, qui Sami erant, lateret. Sed tempestate iactati diutius in via subsistere coacti sunt. Interea Athenienses ducibus Thrasybulo atque Thrasyllo, de eorum profectione edocti, eos insecuti, & ipsi substiterunt, donec de eorum profectione edocerentur. Illi nihilominus prætervlapsi in Hellespontum peruenere, quo etiam mox isti eos insecuti sunt. Ibidemque vtrique aliquot diebus in nauali prælio apparando consumptis, Athenienses cum nauibus sex & octoginta, Lacedæmonij cum octo & sexaginta prælium commisere, in quo post ancipitem pugnam, victoria tandem Atheniensibus cessit.

XVI. Spartani Hellespontum adeunt.

Quo Athenienses insequuntur. Et pugna nauali vincuntur.

EA audita victoria eorum animi, qui Athenis erant, & propter creberrimas clades, afflicti prope iacebant, ad spem meliorem excitari cœperunt. Athenienses quindecim naues, (Diodorus quinque tantum ponit, de reliquis Thucydidi consentit) Peloponnesij vnam & viginti amiserunt. Trophæum Athenienses erexerunt ad promontorium, quod Thucydides Canis sepulchrum vocat, ad quod & prælium commissum fuerat; Diodorus autem vocat Hecubæ monimentum, eam scilicet rabie efferatam, in canem versam poetæ crediderunt. Huius victoriæ magnum momentum in Alcibiada posuit Plutarch. in eius vita. Ait enim pugnæ superuenisse cū 18. nauibus &

XVII. Lætitia Atheniensium.

suis

Belli Pelopon. 22.

fuit primum terrorem, quod esset ignotus, deinde victoriam attolisse, captis de hoste 30. nauibus. Verum longe tum abfuisse Alcibiadem, ad Aspendum scilicet, cum Tissapherne & Phœnicum nauibus, sicut ex Thucidide constat. Itaque hanc victoriam posteriorem fuisse oportet: idque perspicue ex Xenophonte l. 1. probatur, qui eadem refert quæ Plutarch. & tamen refert tantum posteriora Thucydide.

XVIII. *Tissaphernes in Hellespontum. Alcibiades Samum.*

His ita peractis Tissaphernes in Hellespontum, ad sibi conciliandos Peloponnesios, profectus est, veritus ne Pharnabazus minore tempore & sumptu regis negotia contra Athenienses per Peloponnesios promoueret. Et tamen Alcibiades eodem tempore Samum ad Athenienses profectus, narrabat eum à se propensiorem quam ante factum erga Athenienses. Et hæc ferè sunt quæ Thucydides primo & vigesimo huius belli anno facta tradit: in cuius fine ipse quoque historiæ suæ finem imponit, lampade in manum Xenophonti tradita; qui deinceps libris septem historiæ Græcorum annos 48. vt scribit Diodorus Siculus, complexus est.

XIX. *Res Romanæ.*

Superiorem annum modestia Tribunorum quietum accepit; hic Fabium & Curium Consules habuit, in quo L. Icilius auita antiqui Icilij, in Republ. turbandæ certamina, renouauit. Nā statim à principio anni agrarias leges promulgauit; sed coorta minacior quam pertinacior pestilentia, cogitationes hominum, à foro, & certaminibus publicis, domum ad curam corporum auertit: minusque eā damnosam fuisse, quam seditio futura erat, creditum est.

ANNVS MVNDI 3644. SEXTÆ ÆTATIS & Imp Pers. 128. Darij Nothi 14. Ioiadæ 15. Olympiadis XCII. An. 3. Prætore Glaucippo. Vrbis C. 343. Coss. M. Papyrio Aratino, & C. Nautio Rutilio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 409.

I. *Bis hoc anno pugnatur in Hellesponto. Primum prælium.*

Vigesimo secundo huius diuturni belli anno, in Hellesponto rursum Lacedæmonij & Athenienses ad manus veniunt, & semel iterumque confligunt. In priore prælio Lacedæmonij, ductu Hegesandridæ victores euadunt, in posteriore autem alternante victoria, Athenienses superiores facti sunt Alcibiadis interuentu; vt narrant Diodorus in hunc an. Xenophon l. 1. historiæ, & Plutarc. in Alcibiade. Cum enim Dorieus Rhodius, ex ea insula cum 14. nauibus profectus, in Hellespontum ad Mindarum totius classis præfectum veniret, Athenienses cum 20. nauibus in eum impetum faciunt, vt ait Xenophon, Diodorus autem cum vniuersa 74. nauium classe. Ille recedit ad littus, indeque terra marique hosti resistit. Et Mindarus cum classe nauium 4. & octoginta subsidio venit, aderant quoque terrestres Pharnabazi copiæ, ad classam Lacedæmoniorum sublenandam. Pertinaci vtrinque studio pugnatur, à matutino tempore ad vesperam, modo ad hos, modo ad illos inclinante victoria, vtrisque altero cornu victis, altero victoribus.

Alterum prælium.

II. *Prælio superuenit Alcibiades. Et victoriam Atheniensibus affert.*

Cum Alcibiades Samo in Hellespontum cum octodecem nauibus (20. habet Diodorus) nauigans apparet, cū vtriusque partis spe, atque formidine. Denique se Atheniēsibus amicum ostentans, in Lacedæmonios impetum fecit, cuius aduentu, vt erecti Atheniensium animi, ita deiecti Lacedæmoniorum: qui mox in fugam versi: victoriam hosti minime dubiam reliquere: Nequicquam Pharnabazo cum suis contra Athenienses pugnante, & cum equo in mare quantum licebat ingresso. Athenienses triginta hostium nauibus potiti, discedunt, easque Sestum perducunt. Thrasylus vnus de ducibus Athenas nauigat, partim vt hæc suis nunciet, partim vt alias copias nauesque colligat. Ita Xenoph. & Plutarch. At Diodorus decem tantum nauium captarum meminit, quod exorta tempestate, non licuerit fugientibus ad littus instare.

III. *Alcibiades à Tissapherne capitur.* Alcibiadis Victoriæ causa Athen.

Alcibiades autem tam nobili, elatus victoria, cum affectaret illico ostentare se Tissapherni, cum muneribus, donisque, & comitatu imperatori contendit ad eum. Verum longe spe sua frustratus est. Cum enim Tissaphernes male iam dudum apud Lacedæmonios audiret, & eorū, apud regem suum criminationes metueret, Alcibiadem nihil minus cogitantem comprehendit, & in vincula coniecit Sardibus: hac iniuria offensionem illam purgare desiderans. Sicque homo versipellis fraude circumuentus, probauit quantum apud Tissaphernem gratia valeret, quam tantopere paulò antè iactauerat.

Et fuga elabitur.

Triginta post diebus habita alicunde equi copia, elapsus Sardibus Clazomenas profugit, Tissaphernem insuper calumniatus, emissum se ab illo fuisse. Cumque Sestū ad Atheniensium castra venisset cum quinque triremibus, & vna actuaria naui, intellexit Lacedæmonios Abydo Cyzicum petijsse, ibidemque Pharnabazum, & Mindarū classis Spartanæ præfectum conuenisse.

IV. *Cyzicum pergit cum Theramene & Thrasybulo.*

Et cum iam soluturus esset, & prælio nauali contra eos pugnaturus, superuenit Theramenes cum viginti nauibus, & Trasybulus cum totidem alijs, hic è Thasso, ille è Macedonia; vterque pecunias in militares sumptus coëgerat; tota classis nauium erat sex & octoginta. Alcibiades conuocata concione suos ad fortiter pugnandum incitat, eisque nauali & terrestri prælio ad Cyzicum pugnandum esse nūciat; tum omni studio prouidet, ne hostis de suo aduentu certior fiat. Pluuia quoque superueniens eorum profectioni occultandæ seruiuit. Et quoniam cupiebat Alcibiades Lacedæmonios è Cyziceno portu in altum abstrahere, ipse cum quadraginta nauibus progressus, iussit reliquas copias subsistere, dum ipse signum daret.

V. *Naualis pugna Lacedæmonios ... vincit.*

Cum ergo apparuisset Alcibiades, Lacedæmonij contempta paucitate, cum sexaginta nauibus, quæ se procul à portu exercebant, in eum impetum faciunt, cumque aliquandiu pugnatum fuisset, Alcibiades simulatam init fugam, illi insequuntur, donec Alcibiades signū dat reliquis copijs, quæ circumuentos Lacedæmonios in portum regredi prohibent; statimque conuersis proris infestus Alcibiades certamen integrat, & à fronte ac tergo hostes cædit. Qui cum multitudine superarentur, & Athenienses naues portui proximas viderent, ad terram fuga se recipiunt, & nauib⁹ simul ad stationem appulsis, in hostes aduersus se tendentes dimicant. Interim Alcibiades nauibus viginti circumuectus in terram copias exponit. Mindarus quoque copias suas ad pedestre certamen instruit, vbi acerrimo certamine fortiter pugnans occumbit, siue ab Alcibiade ipso, vt ait Plutarch. siue à militibus eius, vt vult Diodorus, occisus. Naues omnes in Atheniensium potestatem venere, atque adeo vrbs Cyzicena, Pharnabazo & Peloponnesijs eam deserentibus. Vbi 20. dies commoratus, grandi ab eis accepta pecunia, nullo præterea damno Cyzicenos affecit.

Eodem terrestre certamen.

In quo Mindarus bello dux ... Cyzicum capit.

VI. *Missi Lacedæmoniorum.*

Hæc clades Lacedæmonios vehementer afflixit, adeò vt literas scriberet Hippocrates Mindari legatus Spartam in hæc verba, prout à Xenophonte & Plutarcho in Alcib. recitantur. Actum est de præclaris reb⁹ nostris. Obijt Mindarus esuriūt milites, quid agendum sit ex inopia consilij nescimus. Quæ litteræ interceptæ ab hostibus, & Athenis recitatæ, mirum in modum Atheniensium animos exsuscitarunt. Diodorus scribit missam à Lacedæmonijs legationem ad Athenienses de pace, eamque, elatis secundo successu animis, repudiatam. De ea cum Xenophon & Plutarchus taceant, vt ille vicissim de interceptis literis, vel dicendum Diodorū pro literis legationem substituisse, vel alterū potius alterius silentiū suppleuisse. Addit Xenophon Alcibiadem in Proconesum, quæ est insula in Propontide non longè à Cyzico, reuersum; indeque Perinthum, quæ & Heraclea dicitur, & Selymbriam nauigasse, Vtraque vrbs Propontidi adiacet, priot Alcibiadem vrbe excepit, posterior eius ingressum pecunia redemit. Inde Chrysopolim Chalcedoniæ delatus, oppidum muris cingit, vbi duo duces Theramenes & Eubulus, cum 30. nauium præsidio relicti, qui hostibus quantum possint incommodent. Nec plura hoc anno gesta, quæ maioris mo-

menti esse videantur. Diodorus quoque cum illa sua legatione annum hunc concludit.

VII. *Romani morbis & annona laborant.* Romæ defuncta plurimorum morbis, perpaucis funeribus ciuitate, pestilentem annum inopia frugum excepit, agrorum ut fieri solet cultu intermisso. Itaque dimissis frumentandi gratia legatis circa omnes populos, qui que Etruscum mare quique Tiberim accolunt, annonæ subuentum est. Samnites superbe se in Romanos gessere, quippe quod legatos commercio prohibuere, à Siculis contra benigne adiuti sunt.

Præterquam à morbo, annonaque, nihil hoc biennio intestini, externiue incommodi fuit. At ubi hæ solicitudines discessere, omnia quibus turbari solita erat ciuitas, domi discordia, foris bellum exortum, ut sequenti anno perscribetur.

ANNVS MVNDI 3645. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Pers. 129. Darii Nothi 15. Ioiadæ 16. Olympiadis XCII. an. 4. Prætore Diocle. V.C. 344. M. Æmylio, & C. Valerio Potito Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 408.

I. *An. Tribus Pharnabazus Lacedæmonios.* Vehementer deiectis erant animis Lacedæmonij; ut eorum literæ testabantur, hoc vigesimo tertio huius belli anno. At Pharnabazus omnes cohortatus est, ut saluis adhuc corporibus, lignorum causa minime deiectis animis essent, quorum vim magnam ditio regis haberet. Itaque vestem singulis cum viatico duorum mensium donat. Nautas armat, & regionem suam maritimam præsidijs munit, conuocatisque urbium & triremium præfectis apud Antandrum tot triremes ædificare iubet, quot ipsorum quisque amisisset, materiam ex Ida monte, pecunias ex Thesauris regijs subministrat, ut scribit Xenophon l. 1. Erat Thrasylus Athenis hoc tempore, iuxta ea quæ proximo anno dicta sunt, cum Agis rex Spartanus Decelea *Thrasylus Agin fugat.* prædatum egressus, ad ipsos usque muros Atheniensium accessit. Thrasylus autem urbe cum copijs omnibus egressus, aciemque ad Lycæum gymnasium opponens, regem non sine eius damno repulit. Quo facto mori Athenienses, ea quorum causa venerat ipsi concessere, mille grauis armaturæ pedites, equites centum, triremes quinquaginta. Agis autem dat operam ut ne mari Athenas frumentum deportetur.

II. *Siculorum clades.* In Sicilia verò Hannibal, cum centum millibus pugnatorum in eam insulam ingressus, trium mensium spacio, duas urbes præclaras, Selinuntem, & Himeram, post maximas utrinque clades funditus eruit. Sicque lætitia Siculorum de ingenti Atheniensium clade, non modico felle diluta, ac temperata est. Res accuratè à Diodoro Siculo memoratur, quam Xenophon duntaxat attigit; ambo autē de tempore nobiscum sentiunt.

III. *Arx Caruentana ab hostibus occupatur.* In Italia M. Menenius Tribunus plebis, cum agrariam legem quàm maximè ferre vellet, Æqui cum Volscorum quorundam auxilio, in Sociorum agros inuaserant, & arcem Caruentanam occuparant. Valerius Consul delectum habebat, sed nemo ad sacramentum dicendum se offerebat, Menenio repugnante. Verum arcis captæ ignominia, cum Menenio inuidiam apud Patres conflauit, tum collegis, iam ante ad resistendum legi agrariæ paratis, iustiorem causam præbuit intercedendi. *Tribunus plebis delectu impedit.* Itaque cum res per altercationem diu dilata fuisset, Consulibus deos hominesque testantibus, quidquid ab hostibus cladis, vel ignominiæ acceptum iam esset, aut immineret, culpam penes Menenium fore, qui delectum impediret. Menenio contra vociferante, si iniusti Domini possessione agri publici cederent, se moram delectui non facere. Decreto interposito nouem Tribuni sustulerunt certamen; pronunciaueruntque, ex Collegij sententia, se C. Valerio Cōsuli *[illegible] impedimēto.* auxilio futuros, aduersus intercessionē collegæ, inhibentis damnum aliamque coërcitionem, detrectantibus militiā delectus causa, id est, non permittentis non castigari eos, qui militiam detrectarent.

IV. *Delectus fit, hostis vincitur, miles irascitur, Consul ouat.* Hoc decreto Consul armatus, cum paucis appellantibus Tribunum collum torsisset, cæteri metu sacramento se ad militiam obstrinxere. Ductus exercitus etsi inuisus Consuli, tamen primo statim aduentu, deiecto præsidio arcem recepit. Prædæ ex assiduis populationibus aliquantum fuit, eam sub hasta vendere, & quæstores pecuniam in ærarium redigere iussit; prædicans tum fore participem prædæ exercitum, cum militiam non abnuisset. Inde auctę plebis ac militum in Consulem iræ. Itaque cum is ouans in urbem esset inuectus, crebris scommatis petitus est, & Menenij nomen celebratum. Cumque appareret eū proximis comitijs à plebe Tribunum militum creatum iri, dedit operam Senatus, ut comitijs Consularibus habitis spe sua, & fauore plebis excluderetur.

ANNVS MVNDI 3646. SEXTÆ ÆTATIS & Imp Pers. 130. Darij Nothi 16. Ioiadæ 17. Olympiadis XCIII. An. 1. Prætore Euctemone. Urb. C. 345. Cn. Cornelio Cosso, & L. Furio Medullino II Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 407.

I. *Olymp. 93. Polydamantis Pancratio robur.* De Olympiade tertia supra nonagesimam, in qua Eubatas Cyrenensis stadio vicit, Euagoras Elæus synoride, & Polydamas Thessalus pancratio, de Prætore item Atheniensi præclare Xenophon & Diodorus consentiunt, de Consulibus Liuius & Cassiodorus: reliquam chronologiam ipsa series annorum persuadet. Verum de Polydamantis pancratiastæ fortitudine liber huc referre, quæ Pausanias scripto reliquit. *a Lib. 6. Eliaca.* Et inter alia; in Olympo monte, inquit, Polydamas prorsus inermis ingentem, & praeferocem leonem confecit, cum in hoc se periculum Herculis incensus æmulatione dimisisset. Alterum etiam edidit fortitudinis miraculum. Apprehensum è medio grege maximum, ac ferocissimum taurum, altero posteriorum pedum, subsultantem & contranitentem iam obnixe detinuit, ut is nisi relicta ungula effugere nequiuerit. Aiunt eūdem Polydamantem incitante equos auriga, altera tantum manu retractos à tergo currus sistere solitum. Hac fama impulsus Darius Artaxerxis ex pellice filius, Polydamantē per legatos donis & promissis inuitatum Susa ad se euocauit, ubi solus ipse tres de cohorte regia, qui immortales vocabātur, cateruatim in se irruentes, occidit. Postremo viriū suarū fiducia ei perniciem attulit, sicut & Miloni Crotoniatæ. Nam cum per æstatem eum aliquot sodalibus speluncam intrasset in opaco accubituros, sors tulit ut superior speluncæ pars latè fatisceret. Ibi Polydamas, cæteris imminentis periculi metu dilapsis, sublatis manibus montem fulcire conatus, ruinæ mole oppressus est. Hæc fere Pausanias.

II. *Thrasyli ad Ephesum gesta.* Est hic idem & quartus & 20. belli huius annus. Quo Thrasylus Atheniensium dux Lydiam populatus, & aliquot locis alijs re non infœliciter gesta, Ephesum irrito conatu aggressus est, Tissapherne in eius ciuitatis auxiliū, multas undique copias contrahente, Syracusanorum pręsertim, atque aliorum Siculorum, qui cum viginti quinque nauibus Ephesum venere, à quibus trecenti Athenienses occisi, reliqui cum ignominia fugati, erecto de ipsis Ephesi trophæo, quod æneum fuisse Plutarch. scribit in Alcibiade. Ergo victi Lesbum petunt, unde cum naues illas Syracusanas ex Epheso præteruehi conspexissent, aduersus eas in altum prouecti, quatuor una cum ipsis vectoribus capiunt, reliquas Ephesum usque persequuntur. Captiuos Thrasylus Athenas mittit, ignominiæ suæ leuādæ gratia. Unum tamen Alcibiadis consobrinum lapidibus obrui iussit. Hæc de Thrasylo Xenophon, l. 1. & Plutarch. in Alcib. At pro Thrasylo Thrasybulum ponit Diodorus, & ea in annum præcedentem refert; sicut & res Byzantij, & Chalcedone gestas, quas Xenoph. in sequentem refert.

III. *Superbia militum Alcibiadis.* HINC Sestum ad exercitum Thrasylus nauigat, vnde copiæ vniuersæ Lampsacum traijciunt; quas cum ibi in ordines redigere vellet Alcibiades, eius milites arrogantia inflati, nolebant Thrasybuli militibus, victores scilicet victis, aggregari. Ibi tamen omnes in hybernis habiti, cum Lampsacum muniuissent, expeditionem aduersus Abydum suscepere. Ferebat opem Abido, magna cum equitum manu, Pharnabazus. Sed prælio superatus terga dedit, quem cum equitatu suo, & 120. grauis armaturæ peditibus, Alcibiades persequi non destitit, donec ipsum tenebræ hosti, ac cladi eriperent. Post hanc pugnam milites inter se sua sponte permixti, complectebantur eos, qui cum Thrasylo fuerant. Eadem refert Plutarchus in Alcibiade, *Honor Sacerdotij.* qui addit Sacerdotes in ea populatione captos, ab Alcibiade sine pretio dimissos. Nimirum sacerdotium etiam hostibus sacrosanctum fuit. Alia huc quoque Diodorus refert, quæ posteriora esse, sicut & res Byzantinas arbitramur.

IV. *Quæstores plebeij primum Romæ creati.* ROMÆ autem non aliâs ægrius tulit plebs comitia sibi Tribunitia erepta fuisse. Eundem dolorem quæstorijs comitiis simul ostendit, & vlta est, tunc primum plebeijs quæstoribus creatis, ita vt in quatuor creandis, vni patricio, C. Fabio Ambusto, relinqueretur locus; tres plebeij clarissimarum familiarum iuuenibus præferrentur. Ea res tribus Icilijs tribunis plebis attributa est: quæ victoria eò gratior plebi fuit, quod sic patefactus ad Consulatus, & triumphos locus nouis hominibus videretur. Quod cum indignissime Senatus ferret, & vereretur ne si Tribuni militares crearentur, etiam in eam dignitatem plebs inuaderet, omni contentione Consularia comitia postulabat. Icilij contra Tribunos militares petebant, & tandem aliquando impertiendos plebi honores dictabant.

V. *Arx Carventana rursum ab hoste capitur. Ne biennio magistratus continuatur.* CUM ea contentio nullum inueniret exitum, mira opportunitate hostes prædas agunt in Sociorum agro, Consules delectum habere volunt, Tribuni resistunt. Arx Carventana, digresso ad prædas Romano præsidio, ab hoste recuperatur. Nihilominus Tribuni nec publico damno, nec priuato odio cedunt. Peruincunt denique vt SC. fiat de Tribunis militum creandis, certo tamen pacto, ne cuiusquam ratio haberetur, qui eo anno esset Trib. plebis, ne ve quis reficeretur in annum Tribunus plebis. Haud dubie Icilios denotante Senatu, quos mercedem seditiosi Tribunatus Consulatum petere insimulabant.

Ocrea fescalna Tum delectus haberi, bellumque omnium ordinum consensu apparari cœptum. Coss. ambo profecti ad arcem Caruentanam, eam irrita oppugnatione deseruere. Ita domesticis contentionibus opportunitas gerendæ rei perijt, hoste se per otium ad tolerandam obsidionem præparante. Verruginem tamen nescio quam Volscis eripuere, cum ingenti præda.

ANNUS MUNDI 3647. SEXTAE ÆTAtis, & Imper. Pers. 131. Darij Nothi 17. Ioiadæ Pontificis 18. Olympiadis XCIII. An. 2. Prætore Antigene. Vrbis cond. 346. Trib. milit. P. C. Iulio Tullo, Cn. Cornelio Cosso, C. Serlio Hala.

ANNUS ANTE CHRISTUM 406.

I. *Annus Belli 25. ratio temporum.* QUINTUS & vigesimus annus belli Peloponnesiaci, apud Xenophontem & Diodorum, in hunc Prætorem, & in hanc Olympiadem cadit, singulis annis ordine numeratis. Ideoque corrigendus est textus ambiguus apud Xenophontem l. 1. hist. vbi dicitur hyeme iam exacta, cum Pantacles Ephori, Antigenes Archontis, siue *ἐκ τῶν παρεληλυθότων.* Prætoris munere fungeretur, essentq; elapsi anni ab initio belli viginti duo, primo vere, &c. in margine corrigitur viginti quinque, at quia Xenophon de annis elapsis loquitur, corrigendum potius est, viginti quatuor, vt hoc Prætore inchoetur vigesimus quintus, quod necessario dicendum est, posito primo anno huius belli cum Thucyd. in 2. anno Olympiad. 87. finis quoque belli, qui incidit in vltimum Darij, & vltimum huius Olymp. eandem necessitatem inducit. Fuit autem hic annus Sabbaticus ordine 152.

II. *Res ab Alcibiade gesta contra Chalcedonenses.* PRIMO igitur vere, vt ait Xenophon, Athenienses cum vniuersis copijs in Proconesum nauigant; ea est insula in Propontide, vt ante dixi. Inde Chalcedonem versus ac Byzantium profecti, castra Chalcedoni admouerunt. Vtraque vrbs, altera è regione alterius posita est, breuissimoque maris interuallo distat, etsi illa in Europa, hæc in Asia sita sit. Chalcedonenses postquam de Atheniensium aduentu cognouere, fortunas suas omnes apud Thraces Bithyniæ, quorum erat vicinum oppidum, deposuere. Eo cognito Alcibiades sumptis secum equitibus, ac grauis armaturæ militibus, iussisque nauibus oram maritimam legere, in Bithynorum fines pergit, & Chalcedonensium fortunas repetit; ni pareant, bello se ipsos aggressurum minatur. At illi ijs traditis, pacem cum eo iniuere. Alcibiades spoliis auctus in castra reuertitur. Hæc ex Xenoph. cui consentit Plutarchus. Nihilominus ea spolia Diodorus collecta dicere videtur ex populatione prouinciæ Pharnabazi, quibus non solum locupletati sint milites, sed ex eorum etiam venundatione ingens pecuniæ vis conflata fuerit, vt amicus populus contributionum onere leuaretur.

III. *Item contra ipsam vrbem.* INDE Alcibiades Chalcedonem cum copijs vniuersis ab vna maris parte ad alteram ligneo muro cinxit, incluso etiam flumine, quantum fieri potuit. Causa obsidionis fuit, quod desciuissent ab Athenis, præsidiumque ac præfectum Lacedæmoniorum recepissent, vt ait Plutarchus. Hippocrates Lacedæmonius vrbem propugnabat, qui cum suis egressus, certamen cum Thrasylo diu produxit, donec superueniente Alcibiade, occisus est Hippocrates; milites ipsius fuga se in oppidum recepere. Pharnabazus vero, qui propter loci angustias Hippocrati se coniungere nequiuerat, copias suas in sua castra abduxit. Qui mox etiam pacem inter Chalcedonenses & Athenienses, non iniquis conditionibus, iunxit, donec legati, qui ad Regem Darium mittebantur, redissent, quos Pharnabazus ipse deduceret. Eadem refert Plutarch.

IV. *Obsidio, & expugnatio Byzantii.* INTEREA Athenienses Byzantium vallo cinctum obsident, desciuerat & hoc oppidum, vt ait Plutarchus, iuq; excursionibus fatigant. At cum vi nihil agerent, proditione eam in potestatem redigere conantur. Clearchus præsidio erat vrbi, qui nihil ea de re suspicatus, traiecto freto Pharnabazum adierat, vt cum eo rationem soluendæ obsidionis comminisceretur, puta Atheniensium socios affligendo. Sed eam prius ciues aliquot soluerunt, admisso in vrbem Alcibiade. Scribit Diodorus Athenienses sub vesperam cum tota classe soluisse obsidionem, simulata profectione in Ioniam. Mox tamen ingruente nocte, partem exercitus pedestri itinere ad vrbem redijsse, partem alteram nauibus; eamque quam rumulruosissime cum nauibus Byzantinis concurrisse. Eò cum Lacedæmonij milites, bonaq; pars ciuium, vrbis defendendæ causa, concurrissent, proditores signum de muris extulerunt, & Athenienses quam tutissime per scalas in vrbem ingressi sunt. Hic Lacedæmonij iuncti Byzantijs diu restiterunt, donec Alcibiades Præconis voce proclamauit, nullam Byzantijs iniuriam illatum iri; ita mutatis oppidanorum animis, in solos Lacedæmonios arma conuerterunt, quorum plerique fortiter dimicantes occubuere, reliqui quingenti fere, (Plutarcho 300.) ad aras confugere supplices, vbi ea conditione in fidem recepti sunt, vt armis traditis Athenas transferrentur, vbi populi arbitrio de ipsis staueretur. Sic Diodorus, cui fere consentit Plutarch. in Alcibiade.

V. *Proditionis probata defensio.* EORUM qui Atheniensibus vrbem prodiderant, vnus fuit Anaxilaus, qui deinceps cum ob hanc proditionem Lacedæmone capitis arcesseretur, absolutus fuit, quod vrbem ab se non proditam, sed conseruatam diceret, cum pueros ac mulieres fame pereuntes videret; quod frumentum, quod in vrbe erat, Clearchus militibus distribuisset, præsertim cum ipse nō Lacedæmonius esset, sed Byzantius. Itaq; se hostes intromisisse aiebat, nō pecunia corruptum, neq; Lacedæmoniorum odio, sed ciuium suorum bono. Sic

fere Xenophon, ex quo Plutarchus, vt solet. Ait tamen Diodorus, odio Clearchi, qui asper esset moribus atq; immitis, ciues ad proditionis consilia deuenisse.

VI. *Pylus à Spartanis recuperatur.*

Hæc dum circa Byzantium & Chalcedonem geruntur in Bosphoro Thracio, Lacedæmonij Pylum, quam Messenij tunc præsidio tenebant, infesto exercitu petunt, mari quidem nauibus vndecim, terra autem cum mediocri agmine. Itaque castellum molestissimum terra simul marique oppugnant. Cumque Atheniensium exercitus cum 30. nauibus, eò peruenire tempestate prohibente nequiuisset, obsessi malis fessi dedidere sese, deditionem salute pacti: sicque Pylus in Lacedæmoniorum potestatem rediit, quindecim post annos ex quo Demosthenes locum illum occupatum munierat, vt ait Diodorus in anno quarto 92. Olympiadis. Verum errorem in numeris subesse necesse; alioqui non satis sibi consentit Diodorus. Nam Pylum occupatam, & communitam à Demosthene, ipsemet cum Thucydide tradit, anno 4. Olymp. 88. id est, ante annos septemdecim; est autem reuera annus decimus nonus, computatis extremis.

VII. *Romæ creati Tribuni,*

Romæ porro sicut plebis victoria fuit in eo, vt quæ mallent comitia haberent. Ita euentu comitiorum patres vicere. Namque Tribuni militum consulari potestate, contra spem omnium, tres patricij creati sunt, Iulius Tullus, Cornelius Cossus, & Seruilius Hala.

Et non Dictator.

Cum autem hoc tempore Æqui & Volsci, ad arma omnes prouinciarum suarum populos conuocasse dicerentur, & ad vrbem Antium conuenisse. Maior quam pro re metus Romanos inuasit: adeo vt, tanquam in rebus desperatis, Dictatorem dicendum esse Senatus censeret. Ei Iulius & Cornelius resistebant, quod se huic bello non impares esse crederent, negarentque æquum esse sibi mandatum à populo honorem eripi. Seruilius Hala Senatui gratificatus, Dictatorem dixit Cornelium Cossum, à quo ipse vicissim Mag. equitum dictus est. Bellum haud memorabile fuit, vno atque eo facili prælio ad Antium cæsi hostes. Victor exercitus Volscum agrum depopulatus, castellum ad lacum Fucinum expugnatum, atque in eo tria hominum millia capta. Dictator bello ita gesto, fœlicitate quam gloria maior in vrbem rediit, & magistratu se abdicauit.

ANNVS MVNDI 3648. SEXTAE ÆTAtis & Imperij Persarum 132. Darii Nothi 18. Ioiadæ 19. Olympiadis XCIII. An. 3. Prætore Athenis Callia Vrbis cond. 347. Trib. mil. L. Furio Medullino. C. Val. Potito. Cn. Fab. Vibulano, C. Seruilio Hala.

ANNVS ANTE CHRISTVM 405.

I. *Legatio in Asiam. Xenoph. l. 1. hist. p. 437. gr. lat.*

Vere ineunte anni vigesimi sexti belli huius Pharnabazo & legatis Atheniensium ad regem Darium pergentibus, Lacedæmoniorum legati, qui ex Asia redibant, eis occurrunt: narrantque Lacedæmonios omnia, quæ ab Rege petijssent impetrasse: atque etiam Cyrum iuniorem filium eius, maritimis omnibus cum imperio præfuturum, & in gerendo bello Lacedæmonijs adfuturum. Quæ cum legati Atheniensium audiuissent, & Cyrum ipsum iam vidissent, maxime quidem illi cupiebant ad Regem ascendere; sin id non liceret, domum reuerti, quod cum Cyro non placeret, vt qui vellet Athenienses maxime ignorare quid rerum gereretur in Asia, à Pharnabazo diu varijs promissis inaniter detenti, post tertium tandem annum, id agente Pharnabazo, domum remissi sunt, Ariobarzane eos suis restituente.

II. *Alcibiades redit Athenas.*

In hunc annum Xenophon consequenter Alcibiadis reditum in patriam refert. Id cum iamdudum cuperet Alcibiades, & rebus pro patria præclare gerendis populi gratiam ibi conciliasset, postremo cum se ducem exercitus, absentem atq; exulem, cum Thrasibulo & Conone creatum à populo accepisset, omnino statuit Athenas proficisci, sumptis Sami 20. nauibus, & centum talentis ex Caria. Cumque in Piræum de Mineruæ festo appulisset, eò populus vniuersus ex vrbe confluxit, multas in eum laudes congerens, aduersarios eius accusans: cum tamen non deessent qui dicerent, eum præteritarum calamitatum autorem fuisse, & malis, quæ adhuc timebantur, ducem fore. Ipse quoque Alcibiades non statim se Atheniensibus credidit; nec naui descendit, donec amicos ac propinquos suos circumfusos vidit, à quibus vis, si qua immineret, prohiberi posset, cum ijs in vrbem ascendit. Quod Plutarchus etiam notauit.

III. *Reditus pene triumphalis.*

De huius reditus magnificentia addit Diodorus. Naues, inquit, captas adducebant non pauciores ducentis, magnamque captiuorum, & spoliorum multitudinem; suas etiam triremes armis & coronis aureis, manubijsque, & id genus alijs magnifice exornatas habebant. Alcibiadis in primis visendi studio, maximus in portu concursus hominum fiebat, adeo vt vrbs pene vacua relinqueretur, dum serui iuxta ac liberi, spectaculi eius cupiditate flagrant. Illa enim tempestate in tanta omnem Alcibiadis admiratione habebatur, vt primores Atheniensium via parem huic viro inueniri posse iudicarent. Postquam descendit in terram, ait Plutarchus reliquos duces ne aspicere quidem dignabantur homines, qui obuiam processerant, sed concursu ad illum facto plaudebant, salutabant, prosequebantur, eum coronis redimibant, qui adire poterant, qui non poterant, spectabant illum à longe, iuuenibusq; monstrabant senes, &c. Quæ fusius Plutarchus & Diodorus prosequuntur.

IV. *Mirabilis ob Alcibiadem populi mutatio, & inconstantia.*

Enimvero, ait Iustinus, *tantum in vno viro fuisse momenti prædicant, vt maximi imperij subuersi, & rursum recepti author esset, & vnde stetisset eo se victoria transferret, fieretq; cum eo mira quadam fortunæ inclinatio. Igitur omnibus non humanis tantum, sed diuinis eum ornant honoribus: certant secum ipsi vtrum contumeliosius eum expulerint, an reuocarint honoratius. Ipsos illi deos gratulantes tulere obuiam, quorum execrationibus erat deuotus. Et cui paulo ante omnem humanam opem interdixerant, eum si queant in cælum extulisse cupiunt. Explent contumelias honoribus, detrimenta muneribus, execrationes precibus*, &c. Quæ ideo pluribus retuli, vt hoc esset exemplum luculentum popularis inconstantiæ atque leuitatis, quæ priuatum hominem primum in altum vehementer extulit. Deinde turpiter deiectum cum execrationibus expulit, expulsum cum summa gloria reuocauit, reuocatum iterum abiecit à se, & ad iteratum exilium compulit; quem deinde tertio reducem frustra desiderauit. Sic hominem ambitionis ac popularis auræ amantem, & insuper natura leuem atque inconstantem, à leui atque inconstanti populo tractari oportebat.

Exemplo esse potest.

V. *Pietatem suam, ac religionem erga Deos probat.*

Sua reditum suum, cum in Senatu, & pro concione defensionem sui pronunciasset, & violatorum sacrorum calumniam diligenter purgasset, dux omnium cum potestate amplissima declaratur, vt qui vnus pristinam Reipub. potentiam tueri, & conseruare posset. Mox etiam specimen exhibuit populo generosi animi atque religiosi, forte vt facto contrario impietatis suspicionem obliteraret. Cum enim reditus eius in festa quædam Mineruæ incidisset, ad quæ celebranda Agidis Lacedæmonij regis metu (is ad Deceleam erat cum præsidio, & infestam regionem excursionibus exhibebat) non terra vt olim, sed mari adibatur; voluit ipse veritu pristino terra omnes ceremoniæ celebrarentur, sperans se hoc modo vel Agidis animos, si prodire non auderet ad ea impedienda, fracturum, vel si ad certamen veniretur, & in eo contingeret occumbere, gloriose se in totius populi conspectu, pro religione patria occubiturum. Cumque Agis ventus armatum Alcibiadem, prodire non fuisse ausus, sacra domum cum summa gloria reduxit, adeo vt plebs vniuersa nihil æque desiderare videretur, atque eum Principem seu tyrannum, vt tum loquebantur, habere, quo eum etiam amici incitabant, teste Plutarcho.

V. *Abit in expeditionem.*

Ea causa fuit vt principes ciuitatis, eo metu perculsi, insisterent, vt primo quoque tempore expeditionem susciperet,

sciperet, ad quam ei omnia, prout illi placuit, milites grauis armaturæ mille quingentos, equites centum quinquaginta, naues centum, collegas denique quos ei visum esset, prolixè detulerunt. Ita mense post reditum tertio Andrū versus, quæ est Ægæi maris insula, Eubœæ ad meridiem proxima, prima inter Cycladas, quæ ab Atheniensibus defecerat, cursum tenet.

Res ab eo in Andro gestæ. Eo cum appulisset Alcibiades, copias in terram exponit ad Gaurium oppidum, quod est in Andro insula. Cumque suis opem laturi Andrij exijssent, in fugam versi & intra muros oppidi conclusi sunt, interfectis, præter alios paucos, Lacedæmonijs, qui illic erant, propterea que etiam trophæum erexit. Ita Xenophon.

VII. *Ex Diodoro Siculo.* QVANQVAM Diodorus bonam ibi oppidanorum partem trucidatam dicit; additque Gaurium castellum ab Alcibiade tunc occupatum, muroque cinctum, in eoque Thrasybulum cum iusto præsidio fuisse relictum, (Cononem dicere debuit, vt paulo post ex Xenophonte patet,) ciuitatem vero semel iterumq; frustra oppugnatam illum deseruisse, & cum reliquo exercitu Rhodum versus vela fecisse, vt militem prædationibus aleret. Verum Xenophon, Samum nauigasse dicit, vbi copię Atheniensium stationem habebant, & Thrasybulum tum extra Hellespontum fuisse, vbi Phocæam muniebat. Nemo autem dubitet plus fidei Xenophonti esse tribuendum in suis historicis libris, in quibus res sui temporis perscripsit, & cui Plutarchus libenter adhæresc it.

Eius gloria ex Andro non capto deteritur. Notat etiam Plutarchus hoc oppidum non captum, magnum Alcibiadi apud æmulos suos fomitem criminationum suppeditasse, quæ probabilitatem ex ipsius gloria accipiebant. Cum enim in tanta esset apud omnes existimatione, vt nihil ei factu difficile, nullus locus inaccessus crederetur, sicubi res ei minus ex animi sententia accidisset, tum demum noluisse potius, quam non potuisse vulgò putabatur: sicque ipsamet hominis gloria, ad eandem infringendam seruiebat: & diuino iudicio ambitiosos, atque elatos ipsamet affligit, ac perdit ambitio.

VIII. *Lisander Lacedæm. Nauarchus Cyrum adit. Eius in Lacod. liberalitas.* INTEREA Lysander Lacedæmonius Nauarchus creatur, qui cum Rhodum appulisset, coactis nauibus Ephesum nauigat, vbi cum septuaginta nauibus substitit, dum Sardes Cyrus accederet, quo cum is peruenisset, accessit ad eum Lysander cum legatis, qui Lacedęmone venerant, vbi & Tissaphernis facta quædam accusant, & Cyrum rogant vt alacriter in id bellum incumbat. Respondet Cyrus, & habere se id in mandatis à Patre, camque in rem se cum quingentis talentis venisse; ea si deficiant, vsurum se facultatibus priuatim suis, quibus eum pater donasset. Quod si & illæ erogentur, id quoque soliuin, quo sedere solcat, in frusta se concisurum, quod totum ex auro & argento constabat. Eadem habet Plutarchus in Lysandro.

IX. *Obtinet Lysander 4. obolos nautis in stipendium* A cœna cū propinans Cyrus Lysandro, eum interrogaret, quam rem gratissimam ipsi facere posset; si ad stipendium, inquit, singulorum nautarum obolum adieceris; ex eo tempore quatuor oboli stipendij nomine pendebantur, cum antea tres tantū numerarentur, id est, dimidium drachmæ, quæ omnium consensu sex obolos continet. At supra ex Thucydide docuimus drachmam vnam diurno stipendio datam fuisse. Plutarchus in Lysandro ait Cyrum eis donasse decem millia Daricorum, cumque quini Darici, æstimatore Suida, minæ Atticæ argenti respondeant, decem millia Daricorum duobus minarum millibus, siue 35. Francorum nostratium millibus æstimabuntur. Xenophon. l. 1. de Expeditione Cyri, ait Cyrum dedisse militi in singulos menses stipendio vnum Daricum; inde autem eis promisisse vnum cum dimidio. At Daricus valet 20. drachmas, vt ait Suidas, ergo pollicitus est 30. Drachmas, id est, Drachmas singulas in dies singulos, ex quibus

p. 252.

suppleto nautis obolo, breui classem hostium exinaniuit. Complures enim ad eos vbi stipendium esset vberius, transibant, qui vero remanebant, segnes redditi sunt & seditiosi, ac negotia ducibus quotidie exhibuerunt.

X. *[illegible] Alcibiade [illegible].* Nec tamen quamuis ita pressisset ac spoliasset hostes Lysander; prælium nauale cum Alcibiade audebat committere, quod eum, vt virum impigrum, & nauium numero superiorem, qui terra marique omnibus prælijs euaserat inuictus, metueret. Itaque Ephesi subductis nauibus eas reficiendo quiescebat.

X. *Antiochus [illegible] Alcibiade pugnat & vincitur.* INTEREA cum accepisset Alcibiades Thrasybulum extra Hellespontū progressum, munire Phocæam, Samo ad eum nauigat, relicto apud classem gubernatore Antiocho cum mandatis, ne se absente contra Lysandrum pugnaret. At is insultans in Lysandrum, & insolescens, triremibus duabus in portum Ephesiorum inuectus est, statio nemque classis cum risu & strepitu arroganter prætervectus, Lysandrum commouit, vt eum primo cum paucis nauibus insequeretur, cumque vtrimque aliæ atque aliæ auxilio superuenissent, postremo commissum est prælium: in quo cum Athenienses nullo ordine pugnarent, à Lacedæmonijs fusi fugatique, quindecim etiam naues amisetunt. Lysander occiso Antiocho trophæum victor erexit. In hac narratione Xenophon, & Plutarchus in Alcibiade, & Lysandro consentiunt; Diodorus alios duces, forte inuentionem suam secutus est. Nam initium pugnæ à Lysandro factum refert, edocto à transfugis de Alcibiadis absentia, & viginti duas naues amissas memorat, & alia id genus, quæ lector apud eum videre potest.

XI. *Alcibiades prælium frustra offert Lacedæmonijs.* SAMVM reuersus Alcibiades, & quodammodo pręsentissens quid ex ea clade sibi immineret mali, voluit eam maculam egregia si posset victoria delere, antequam nuncius ingratus Athenas deferretur. Itaque vniuersa cum classe ad Ephesiorum portū prouectus, aciem ante ostium eius instruxit, si quis forte prælio congredi vellet. At cum Lysander classem suam non educeret, quod nauium numero longe inferior esset, Samum reuertitur. Sic fere Xenophon. Addit Plutarchus Cyrum abeuntem vetuisse ne Lysander cum Atheniensibus pugnaret, donec ipse, cum multo nauium numero, ex Cicilia & Phœnicia redijsset.

XII. *Ab Atheniensibus exautoratur.* ATHENIENSES, qui domi erant, perlata ad eos de prælio nauali fama, additis insuper acerbissimis Thrasybuli cuiusdam inimici eius criminationibus, quas fusius Plutarchus in Alcibiade persequitur, Alcibiadi indignantur, quem ex socordia, & intemperantia naues has amisisse interpretabantur. Itaque eo exautorato, duces alios in eius locum creant. Quamobrem Alcibiades, cuius res etiam apud exercitum laborabant, in Chersonesum vna triremi ad castella suā discessit. sic Xenophon. Laborabant autem, vt scribit Plutarchus in Alcibiade, propter ærarij angustias, vt ei subinde necesse esset, relicto exercitu, ad stipendium, & commeatum explicandum proficisci. *Eius exercitus pecuniæ laborabat.* Cum aduersarium exercitum haberet, cui Rex potentissimus pecunias subministraret, ex qua profectione, & nauium interim amissione nouissimum in eum crimen ab eius inimicis conflatum est. Qui ei etiam obiecerunt arcem, quam in Thracia prope Bisanthem munierat, Pactyen vocat Diodorus, quo si reciperet, quasi in patria viuere, aut nollet, aut non posset. Ita impulsi Athenienses, prodita sua in illum ira & felle, alios belli duces, decē numero elegerunt. Quibus cognitis percitus ira Alcibiades, castris omnino relictis, conscriptoq; externo milite, liberis Thracibus & Persarum regi non subditis, bellum suo nomine intulit, & cum magnam argenti vim ex pręda coegit, tum finitimis Græcis securitatem à Barbaris præstitit.

XIII. *Callicratidas succedit Lysandro.* CÆTERVM cum Callias adhuc Athenis magistratu fungeretur, & belli 26. adhuc in cursu esset, Lysander Sparta successorem accepit Callicratidam, virum optimum, atque integerrimum, vt scribit Plutarchus in Lysandro. Qui tamen cum fucatam ac politicam, quam vocant, gubernandi rationem, à Lysandro introductam minime sequeretur, parum à Lysandri militibus probabatur, qui aperte de gubernatorū mutationibus murmurabant, quos in concionem aduocatos sapienter compescuit. Lysander abiens in magnis Callicratidam difficultatibus reliquit. *Lysander homo vafer. Copia Callicratidæ mopia laborant.* Si quidem, vt idem ait, neque domo is stipendium secum attulerat, neq; sustinebat à ciuitatibus afflictis exigere, atque exprimere: & Lysander de industria reliquam pecuniam, sentiens adesse successorē, remiserat; quod Callicratidas apud Milesios in concione conqueritur. Ita reliquū

erat

erat vt mendicatum iret ad præfectos regios, ſicut Lyſander. Ad quod minime omnium erat accommodatus, generoſus vir, atque magnanimus, qui honeſtius ducebat quamuis à Græcis accipere calamitatem, quam hominibus barbaris abblandiri, quibus nihil eſſet præter aurum præclari.

XIV. *Ipſe regios præfectos adit.* At inopia compulſus perrexit in Lydiam, ac confeſtim domum ad Cyrum profectus, nautis ſtipendium poſcit. Reſpondet ille, biduum expectandum eſſe. Grauiter eam dilationẽ ferre Callicratidas, & frequentibus illis ad portas curſitationibus ſuccenſere; Græcos mortalium miſerrimos dicere, qui pecuniæ cauſa Barbaris adularentur: denique addere, ſi domum ſaluus rediret, pro virili Athenienſes Lacedæmonijs reconciliaturum. Nec mirum eſt Cyrum hunc contemptim tractaſſe Callicratidam. Erat enim inſigni arrogantia, ac crudelitate iuuenis, cuius exemplum hoc ipſo anno præbuit, longe indigniſſimum, quod Xenoph. l. 2. hiſt. tradit. Nam duos conſobrinos ſuos, filios materteræ ſororis Darij patris ſui, Antobœſacẽ & Mitræum interfecit, quod cum occurriſſent ei, manus per coren (manicam quandam ea vox ſignificat) cinctas non inuoluiſſent, qui honos ſoli regi defertur à Perſis. *Cyri iunioris arrogantia & crudelitas.* Monuere tunc Hieramenes, & ipſius vxor (hi erant occiſorum parentes) Dariumregem, indignum eſſe, ipſum ad tantam Cyri filij iunioris petulantiam conniuere. Quapropter eum Darius, ægritudinem prætexens, miſſis nuncijs ad ſe accerſit: eius profectio in proximum annum cadit: ſed hęc prima tantum fuerunt eius facinorum, & ambitionis rudimenta.

XV. *Callicratidas bellum parat.* Itaqve re infecta Callicratidas indignans Miletum, aut vt ait Plutarchus, Epheſum diſceſſit, qui traditam hanc à Xenophonte hiſtoriam paulo venuſtius de more concinnat. Eſt enim vrbanitatis amans, & leporis.

Callicratidas Spartam pecuniæ cauſa mittit, interimq; concione aduocata Mileſios, ac milites adhortatur, ad fortiter pugnandum, & pecuniæ inopiam ad tempus aliquod, æquanimiter tolerandam, & ab ijs adiutus, ad hoſtem inuadendum cum centum & quadraginta nauibus *Methymna capta diripit.* ſe parat, Methymnam Lesbi oppidum vi capit, ac diripit, ſeruos venundat, liberos dimittit. Et rogatus à ſuis, vt eos quoque venderet, negauit ſe Imperatore quenquam Gręcorum in ſeruitutem redactum iri, quantum in ipſo eſſet. Cononi etiam Athenienſium Imperatori denunciauit, effecturum ſe ne deinceps maris mœchus eſſet, id eſt, vt Plutarchus interpretatur, clam maris imperio potiretur. *Cononem 30 nauib. ſpoliat. Et obſidet Mithylenæ claſſem eius.*

Cumque illum prima luce prouehi in altum vidiſſet, intercepto itinere, ne Samum ſe fuga recipere poſſet, hominem perſequitur cum 170. nauibus. Ad pugnam in portu Mitylenæo coactum, triginta nauibus ſpoliat, hominibus ad terram fugiendo elapſis. Conon reliquas naues numero quadraginta, ſub ipſum murũ Mithylenæum ſubduxit, quem Callicratidas terra mariqúe obſidet, & omni commeatu prohibet, Athenienſibus, qui Sami erant, rei totius ignaris.

XVI. *Ei Athenienſes opem ferunt primo irritam.* Conon clam duas triremes expeditas dimittit, quę Athenis nuncient obſideri claſſem, vna ab hoſte intercepta eſt, altera Athenas peruenit. Illico Athenis Diomedon cum decem nauibus Mithylenem venit, vt Cononi obſeſſo ferat opem: contra quem re improuiſa Callicratidas nauigans, decem ei naues eripit, ipſo ſibi fuga conſulente.

Deinde cum 150. nauibus. Hoc vbi accidiſſe, nihiloque minus Athenienſes ſuos obſideri accepere, centum ac decem nauibus his ſuccurrendum eſſe decernunt, in quas vniuerſi qui adoleuiſſent, ſerui ac liberi imponerentur. Claſſe centum & decem nauium, intra 30. dies inſtructa, ſoluunt, & alijs 40. nauibus è ſocijs collectis, claſſem conficiunt, plurium, quam centum & quinquaginta nauium.

XVII. *Ad Arginuſas pugnam parat.* Postqvam accepiſſet Callicratidas iam ad Samum Athenienſium claſſem eſſe, quæ ſuis opem ferret: naues ad obſidionem 50. relinquit, quibus præficit Eteonicum, cũ cæteris 120. in aliã prouectus. Claſſem Athenienſium ad Arginuſas inuenit, eæ ſunt tres modicæ inſulæ Lesbo vicinę ad Maleam Mitylenę promontorium. Eas noctu nec opinantes inuadere cogitat, verum ab imbribus copioſis, & tonitribus impeditus, progredi non potuit. Vt primum tempeſtas ceſſauit, prima luce nauigat verſus Arginuſas, & aciem ad pugnam inſtruit. Ei cum gubernator nauis ſuaderet, vt diſcederet, quod Athenienſes maiore nauium numero pugnaturi eſſent: reſpondit Callicratidas, Spartam ſe moriente nihilo peius habituram, ſe fugere ſine dedecore non poſſe. Diodorus id reſponſum factum eſſe Aruſpici refert, qui prædicebat eum in prælio moriturum. Addit etiam ſomnium Thraſybuli, de morte ſeptem ducum Athenienſium, qui tamen in prælio non contigit.

XVIII. *Athenienſes vicere Callicratida victo.* Post hæc diu pugnatum eſt confertis primum nauibus, deinde ſparſim: & cornu dextrum Lacedæmoniorum, quod ipſemet ductabat Callicratidas, & læuum Athenienſium vicit. Cum autem ipſe irruptionẽ in hoſtem facta, in mare delapſus, nuſquam deinde comparuiſſet, aut vt ait Diodorus, cum fortiter pugnans occubuiſſet, tum vero victi Peloponneſij, fuga ſe in Chium, & Phocæam recepere.

Amiſerunt Athenienſes naues duodecim, Peloponneſij ad ſeptuaginta. Victores partem aliquam nauium relinquunt, quæ demerſas naues, ac naufragos reciperent: quod cum tempeſtate prohibiti facere non potuiſſent, Trophæum tamen victoriæ monimentum erexere. Sed ea, ſiue tempeſtas, ſiue negligentia maximæ eis fraudi, apud crudelem, atque ingratum populum Athenienſem fuit, vt mox dicetur. Interea cæteræ ad Eteonicum, obſidionis tollendæ cauſa, perrexerunt, qui præmonitus ab actuaria celoce, & diſſimulata ſuorum clade, triremes ſuas ſecundo vento Chium dimittit; ipſe caſtris ſuccenſis, pedeſtres copias Metymnam, quod eſt alterum in Lesbo oppidum, ad Septentrionem, quamprimum proficiſcitur. Athenienſes Mitylenem, inde Chium, poſtremo Samum ſe conferunt. Hæc copioſius Diodorus perſequitur, non ſine aliqua diuerſitate.

XIX. *Athenienſes de victoribus ducibus iniuſtiſsime damnant.* Interim Athenis hoc prælio victoribus ducibus, imperium abrogatur, excepto Conone, qui prælio non adfuerat, de octo reliquis, duo Athenas non ſunt reuerſi, ſiue animi dolore, ſiue metu, ob non tradita cadauera ſepulturæ, quam rem Athenienſes ægerrime ferebant. Sex alij cum domum rediſſent, accuſati, quod naufragos non ſuſtuliſſent, in vincula coniecti ſunt. Cumque iuſtiſſimam ſui defenſionem afferrent, quod ea culpa in tempeſtatem referenda eſſet, aut certe in eos nauarchos, quibus id negotij demandatum fuiſſet; cum iam populo ſatisfactum videretur, & tamen, propter ſerius tempus, rem ad proximam concionem extrahere placuiſſet, in ea indigniſſime damnati, ac capitali ſupplicio affecti ſunt, bonaque eorum publicata, qui maximam omnium laudem, ex maxima nauali victoria, quam Athenienſes ad eam diem de Lacedæmonijs obtinuerant, pulcherrimaque præmia merebantur.

XX. *Mox facti eos pænitet.* Neqve multo poſt, eum Athenienſes facti pœniteret, decretum, ſi ſuperis placet, promulgatum eſt, vt eos de calumnia liceret accuſare, qui populum decepiſſent, è quibus Callixenus quidam, cæteris dilapſis, omnibus inuiſus fame perijt, vt affirmat Xenophon l. 1. extremo, licet Diodorus eum parietibus perfoſſis, Deceleam ad hoſtes clam perfugiſſe dicat. Verum ipſe populus vniuerſus non multo poſt, meritiſſimas huius iniuſtitiæ, & multiplicis in alios crudelitatis iuſtiſſimas pœnas dedit: vt Diodorus quoque animaduertit.

Lyſandro iterum petitur in bello ducẽ. Poſt cladem ad Arginuſas acceptam, Peloponneſij Epheſi conuenere, vbi de mittendis Laced. legatis conſultarunt, qui præſentem rerum ſtatum exponerent, & Lyſandrum tam ſuo, quam Cyri nomine, qui nuncios etiam miſit, nauarchum poſcerent; vt qui nuper gratioſus admodum ſociis, hoſti formidoloſus extitiſſet. Lacedæmonii Lyſandrum eis concedunt, ſed vt legatum Araco claſſis præfecto, cum his mandatis, ne dux à conſiliis eius vnquam diſcederet, quod apud ipſos in more non eſſet, vt idem claſſis præfecturam bis obtineret. Itaq; acceptis nauibus, ſub huius anni finem Epheſum verſus vela fecit.

Hic

XXI. *Carthaginienses Agrigentum fame expugnant.* Hic ergo huius anni finis fuit, quo Carthaginienses cum centum & viginti triremibus, & cum centum & viginti millibus terrestris exercitus in Siciliam profecti, Agrigentum ad deditionem fame compulerunt, cum ipsi, prælio licet superati, totos tamen septem menses oppidum obsedissent. Ita Xenoph. l. 1. Octo menses ponit is, qui totam historiam fusissime refert, Diod. Siculus hoc ipso anno tertio Olymp. 93. In quem etiam annum refert occupatam Syracusis à Dionys. tyrannidem, occasione ex Agrigentinorum calamitate sumpta; plebem aduersus optimates concitando, quod Agrigentum Carthaginensibus prodidisse viderentur. Eius tyrannidis initium Dionys. quoque Halicarnass. initio lib. 7. in hunc annum refert: nec tamen ante annum sequentem plane stabilita est, vt refert idem Diodorus, qui etiam refert illã ad annos duodequadraginta conseruatam, ad finem scilicet vitæ ipsius.

XXII. *Mors Sophoclis & Euripidis.* IDEM autor est circa hoc ipsum tempus Sophoclem, Theophili filium, poetam Tragicum mortem obijsse, natum annos nonaginta aut octoginta, iuxta nostram chron. ab an. 3569. ad 3648. duodeuiginti victorijs ornatum. De hoc viro proditum ait, quod vltimam exhibens fabulam, & palmam adeptus, in lætitiam tam immodicam se effuderit, vt statim expiraret. Sic ipse. Addit autem de Euripide, tragico item poëta, cuius extant opera in omnium manibus, Apollodorus, Annalium scriptor hoc anno Euripidem quoque defunctum esse tradit. Alij vero memorant cum apud regem Macedoniæ Archelaum vitam ageret, in agrum forte egressum in canes incidisse, æmulorum poëtarum Arridæi Macedonis, & Cratenæ Thessali inuidia immissos, à quibus dilaceratus misere interierit. Quod Archelaus, qui vsque adeo literarum amator erat, vt Euripidi consiliorum suorum summam crederet, tam ægre tulit, vt Solinus ait, *a* vt suprema eius non contentus prosequi sumptu funeris, crinem tenderet, & mœrorem quem animo conceperat, vultu publicaret. Ergo Poëtæ duo nobilissimi eodem tempore alter summa lætitia, alter summo mœrore perierunt; cum ille Olymp. septuagesima prima ineunte, hic ineunte quoque septuagesima quinta nati essent. Itaque Euripides 16. annis Sophocle iunior fuit. De tempore mortis vtriusq; Poetæ Apollod. & Diod. consentit Euseb. Quamuis Suidas dicat Sophoclem sex annis Euripidi fuisse superstitem.

a Cap. 14. *Eorum ortus.*

XXIII. *Romanorum magistratus.* ROMÆ Tribuni militum, mentione nulla comitiorum consularium habita, (credo, ait Liuius, ob iram Dictatoris creati) Tribunorum militum comitia edixere. Veriti patres ne plebeij in tribunatum consulatem admitterentur, dederunt operã, vt sicut priore anno per indignissimos ex plebeis candidatos, etiam dignorum tædium fecerant; sic tum primoribus patrum, splendore, gratiaque ad petendum præparatis, omnia loca obtinuere, ne cui plebeio aditus esset.

Quatuor creati sunt, omnes iam functi eo honore. C. Seruilius Hala honorem continuauit, tum ob alias virtutes, tum ob recentem fauorem, vnica moderatione partum.

XXIV. *Insigne humanitatis exemplum.* Hoc anno edidere Romani non contemnendum clementiæ, atque humanitatis exemplum. Cum enim tempus induciarum cum Veientibus exijsset, per legatos & feciales res suas repetere cœperunt. At Veientes per legatos in Senatu obtinuerunt, quoniam ipsi domi intestina discordia laborarent, ne res ab eis tum repeterentur. Inhumanum scilicet rati domi vexatos, etiam foris affligere, cum tamen populi Romanis circumfusi, passim eorum discordias, ad eos inuadendos captarent. Sed eam humanitatem Veientes mox superbia rependerunt.

In Volscis etiam Romani cladem accepere, amisso præsidio, quo Verruginem tenebant, quod ei, dum obsideretur à Volscis, tempori auxilium præstitum non fuerit.

Fortissimi tamen milites nec viui, nec mortui inulti fuere, vt sequens annus docebit.

ANNVS MVNDI 3649. SEXTÆ ÆTATIS, & Imper. Pers. 133. Darij Nothi 19. Ioiadæ Pontificis 20. Olympiadis XCIII. An. 4. Archonte Alexia. V.C. 348. Trib. milit. P. Cn. Cornelijs Coss. L. Fabio Ambusto. L. Valerio Potito.

ANNVS ANTE CHRISTVM 404.

VLTIMVM hunc esse Darij annum passim omnes consentiunt, nec ei plures pauciores ve tribuit Eusebij Chronicon, quam vndeuiginti; quæ est Diodori quoque Siculi sententia, in fin. anni primi Olympiadis 89. & rursus ad finem lib. 13. vbi ait eum paulo post pacem Lacedæmoniorum cum Athen. quæ hoc anno, finito bello contigit, rebus humanis exemptum fuisse, cum per annos vndeuiginti imperium tenuisset: vt propterea merito æstimare possimus mendum in Ctesiam irrepsisse, vbi legimus eum 35. annos regnauisse, quod sine perturbatione totius chronologiæ Persicæ admitti non potest. Xenophon initio libri de expeditione Cyri significat ipsum ex ægritudine mortuum: & ægrum, cum sibi vitæ finem adesse suspicaretur, vtrunque filium ad se venire iussisse, illisque præsentibus, cum Artaxerxi regnum, Cyro magnam quandam præfecturam assignasset, vita decessisse. Prætulit autem Artaxerxem, vt natu maiorem, licet ante regnum eum suscepisset, Cyrum autem, cum iam rex factus esset; contra quã in filijs Darij Hystaspide factum fuerat. *b* — I. *Darij Nothi obitus.* — *b Hero. l. 7. init.*

II. *Belli Peloponesiaci finis.* FINEM porro accepisse hoc anno vlt. nonagesimæ tertiæ Olymp. bellum Peloponnesiacum, septimo denique ac vigesimo anno, ex quo inchoatum fuerat, ibidem Diodor. autor est. Author & Thucyd. l. 5. qui totum pene hoc bellum, per hyemes æstatesque digestum, donec Lacedæmonij Atheniensibus imperium eripuerunt, ait septem & 20. annos durasse. Idemq; fusius docet; ibique inter cætera ait meminisse se, vel ab ipso huius belli initio, vsq; ad eius finem, vulgo prædicari solitum, hoc bellum ternouenos annos gestum iri. Plutarch. quoque in Nicia scribit Athenienses, & Lacedæmonios induciarum tempore insectatos fuisse eos, qui in fatis dicebant esse, vt ter nouenos annos bellum duraret. Necesse autẽ est, posito cum Thucyd. belli initio anno 2. Olymp. 87. eius finem in hunc annum cadere. Itaque mirum videtur Xenophontem dicere, huic bello finem impositum post annum 28. & sextum mensem, vnde & Ephoros 29. ennmerat, qui interea magistratum gesserint Lacedæmone. An dicendum 27. annos numerari vsque ad obsidionem Athenarum, quæ diuturna fuit; reliquum autẽ tempus, ea quæ dicta esse Anarchia comprehendi? de Ephoris dici posset bellum inchoatum finiente magistratu primi, sicut ait Thucyd. de Archonte, & finisse inchoante vltimi administratione. — *l. 2. p. 461. græc. lat.*

III. *Lysander & Athenienses classem ad prælium parant.* SEQVITVR ergo deinceps annus Athenis luctuosissimus, quo Deus Atheniensium superbiam Lacedæmonijs proculcandam dedit. Ea res inprimis memorabilis est, ideoq; paulo latius explicanda: in commonitiinẽ potentium ciuitatu, vt discant iustitiam moniti, neq; temnere diuos. Hoc ergo anno Lysander Archonte, siue prætore Alexia Ephesum venit, ibique omnes vndique naues congregauit. Deinde ad Cyrum profectus pecunias ab eo accepit, quibus nautis stipendium debitũ persoluit. Athenienses quoque ad Samum classem instruebant, vnde mox soluentes Regis fines depopulati, Chium & Ephesum versus nauigabant, & ad nauale prælium sese parabant. Sub hæc nuncius à Dario ad Cyrum venit, qui narrabat eum ab ægro patre accersiri; statimque Lysandrum idem Cyrus accersit, & de sua profectione monitum, vetat cum Atheniensibus, nisi cum maiore classe confligere, ad quam parandã, tributa ei de vrbibus assignat omnia, quæ ipsi peculiariter pendebatur, & pecuniam quæ supererat ei donat. Qua profusione videri potest, sibi gratiam Græcorum demereri voluisse, ad regni paterni successionem, fratri à patre destinatam. — *Cyri ad patrem profectio, & in Lysandrum largitio.*

Eo

IV. *Lysander Cedream capit.*

EO digressu Lysander expugnata & direpta Cedrea Atheniensium oppido, in Cariæ finibus, Rhodum nauigat: pro Cedrea Diodorus Thasum substituit, in qua dicit Lysandrum pubem omnem, ad octingentos iugulasse, pueris que ac mulieribus sub hasta venditis, vrbem solo æquasse. Inde propter Ioniam versus Hellespontum cursum tenuit, ad obsetuandum nauium per Hellespontum iter, & ad oppida, quæ ab ipsis defecerant, recuperanda. Et Abydo Helacti Lampsacum contendit, quod erat oppidum in Athen. societate. *Et Lampsacum.* Aderant ei cum alijs Abydeni, terrestri eò itinere profecti, quorum dux erat Thorax Lacedæmonius. Adorti ciuitatem, vi eam capiunt, atq; diripiunt, omnibus diuitijs, ac commeatu affluentem: hominibus liberis dimissis.

Athenienses veniunt ad Ægos potamon. ATHENIENSES Lysandri vestigia sequebantur, & ad Eleuntem in Chersoneso Thraciæ portum appulsi, quid accidisset Lampsaco didicerunt. Itaq; statim Sestum pergunt, inde commeatu secum sumpto, recta nauigant ad Ægos potamos, quæ Latine dixeris Capræ flumina, qui locus est è regione Lampsaci, vt ait Xenophon, & Plutarchus, interuallo stadiorum quindecim.

V. *Lysander vna facit Atheniensibus pugnam copiam.* CUM primum illuxisset Lysander omnia ad naualem pugnam instruxit, simulque edixit, ne quis suo se loco moueret, vel in altum proueheretur iniussus. Athenienses, vbi primum sol exortus est, adfuerunt cum centum & octoginta nauibus ad prælium parati. Verum vbi classem suam Lysander non eduxit, iamque aduesperasceret, ad Ægos potamos redeunt. Tum Lysander naues omnium expeditissimas subsequi eos iussit, ac posteaquam speculatæ essent, quid rerum hostes in littus egressi agerent, recta discedere, vt sibi renunciarent. Priusquam hæ aduenissent, militem suum è nauibus egredi non patiebatur. Atque hæc per dies quatuor agebat, cum interim Athen. aduersus eum quotidie in altum proueherentur.

VI. *Alcibiadis pro patria zelus.* ALCIBIADES autem, qui de castellis suis conspexisset Athenienses in littore stationem habere, non ad oppidum aliquod, & commeatum Sesto petere, quæ stadijs quindecim à nauibus aberat: hostes vero in portu, & vrbi vicinos esse, ac rerum omnium abundare copia, loco ipsos haudquaquam opportuno stationem habere dicebat, monebatque vt Sestum repeterent, vbi & portum, & oppidum ad manum essent habituri, & cum libuisset cum hoste pugnaturi. Verum sapiens Alcibiadis consilium, cū fastu à ducibus reiectum est, quasi is etiam tunc in exercitu Imperatorem vellet agere: sed non impune cessit ipsis superba peruicacia. *Eius consilium male repellitur.* Verum de Alcibiade alia omnia Diodorus recitat, eum scilicet affirmasse ducibus Atheniensibus, duos se Thracum reges amicitia coniunctos habere, quorum copias auxiliares offerret, si ei partem Imperij vellent concedere; quod nimirum patriæ cuperet gratificari, & egregio aliquo facinore, populi in se beneuolentiam reconciliare. Verum repulsum ait ab illis, quod secum reputarent, si rem male gererent, in se solos culpam recasuram, sin prosperè, totam gloriam Alcibiadi tributum iri. Sic ipse. Sed Plutarchus Xenophontem nobiscum sequitur, nec tamen absurdum est vtrumque contigisse.

VII. *Lysander ...* LYSANDER die quinto mandat ijs nauibus, quæ Athenienses quotidie recedentes sequi solebant, vt postquā ipsos de nauibus egressos, ac per Chersonesum palantes vidissent, (quod illi in dies longius faciebant, cum & cibaria procul emerent, & Lysandrum præ se contemnerent, qui classem aduersus ipsos non educeret) ad se conuersis nauibus scutum inter nauigandum in altū tollerent; propemodum vt olim Iosue clypeum. a Faciunt illi quod imperatum erat. *a Iosue 8. 18. 19.* Itaque Lysander suis dat signum vti quam celerrime nauigent, hos Thorax dux Abydenorum, cui Eteonicum Diodorus substituit, in terra cum peditatu comitabatur. Diodorus ait Philoclem ducem cum 30. nauibus è portu soluisse, cæteris illico sequi iussis, sed mox à Lysandro in fugam datum, totam classem Atheniensium tumultu, ac pauore turbasse, hostique incruentam de se victoriam dedisse.

VIII. *Et sine pugna vicit.* XENOPHON autem; b Postquam, inquit, hostem cum *b ... hist. p. 411.* classe irruentem Cono videt, signa dat suis, vt totis viribus ad naues, opis ferendæ causa concurrerent. Verum quia victores hinc inde palati vagabantur, naues aliæ binos habebant remiges, aliæ vnum, nonnullæ omnino vacuæ remanserant.

Nouem tantum naues euadunt. Sola Cononis nauis, & aliæ circum ipsum septem cum Paralo, nomen id erat publicæ nauis Atheniensium vectoribus instructæ, atque in altum prouectæ discesserunt. Et Paralus quidem Athenas, cladis nuncium allatura profecta est. At Cono postquā animaduertit res Atheniensiū perditas, veritus Atheniensis populi furorem, in sex duces nuper cognitum, desperato reditu, ad Euagoram in Cypriū cum octo nauibus profugit. *Nuncius de victoria.* Reliquas naues vniuersas Lysander capit, & in terrā progressus copiis hominum maximam, moxq; naues, captiuos, cętera Lampsacum adducit, atq; ita minimo labore, vnaq; hora longissimum bellū, vnius ducis industria, consiliumq; cōfecit. In captiuis præter alios duces, etiam Philoclem, & Adimantum cepit. Quo hæc die gesta fuerunt, Theopompum Milesium prædonem ablegat, qui rei gestæ nuncium Lacedæmona perferat, quod totum iter is triduo peruolauit.

IX. *Lysander tria millia Atheniensium iugulat.* AT Lysander socijs conuocatis, de captiuis consultare cœpit, quorum tria capitum millia ait fuisse Plutarchus in Lysandro. Ibi multæ accusationes contra Athenienses institutæ sunt de ijs, quæ contra ius fasque improbe commisissent, quæq; patrare decreuissent, nimirum, si nauali pugna superiores euaderent, vt omnibus illis dextra manus amputaretur, qui viui in eorum potestatem peruenissent. *Atheniensiū saeuitia.* Præterea quod captis duabus triremibus, quarum vna erat Corinthia, altera ex Andro, vectores omnes de rupe præcipites egissent. Id consilium dederat Philocles, quem tum Lysander habebat in vinculis. *Philoclis mors.* Cumque alia quoque multa in Athenienses iactarentur, visum est vt captiui omnes qui Athenienses essent, excepto vno Adimanto, qui decreto de amputandis dextris contradixerat, interficerentur. Et Philocles in primis, non sine exprobratione crudelitatis: quem Theophrastus apud Plutarchum refert, nihil calamitate fractum dixisse Lysandro. Noli obijcere crimina, quorum iudex est nemo, sed ea victor age, quæ eras passurus victus. Lotus inde, ac splendida amictus chlamide, primus ad ceruicem præbendam ciues suos antecessit: tria millia interfecta scribit Plutarchus in Alcibiadè.

X. *Atheniensium accepta clade trepidatio.* INTEREA cum nauis Paralus noctu Athenas appulisset, & accepta clades, atque calamitas ab ea nunciaretur, varius vlulatus hominum de Piræo per muros longos in vrbem ipsam penetrauit, vno rem gestam alteri nunciante. Atque adeo nocte illa somnum cepit nemo; cum & eos qui perierant, lugerent, & ipsi perpessuros se existimarent ea, quæ in tam multos Græcorum populos infirmiores, superbè, atque crudeliter perpetrassent. Itaque ad obsidionem ferendam omnia comparant, Lysander autem ad inferendam.

Lysandri iter, & confirmat. Etenim cum suis ducibus omnia vbique oppida, exceptа Samo, ad defectionem compellit, ne ab illis meditatā obsidio interturbari posset, præsidia Atheniensium, aliosque, quos vbiuis reperisset Athenas ablegat, illuc tantum nauigandi securitate concessā. Norat enim tanto citius commeatu carituros, quanto plures & in vrbem, & in Piræum confluerent. Post hæc ad Agin Spartanum regem, ac Spartam mittit, qui nunciarent se cum ducentis nauibus aduentare. Ita Xenophon l. 2. & recte quidem, aduentabat. Nam vt ait Plut. in Lys. per vrbes tam socias, quam hostiles lentè circumuehebatur, & deleto passim populi iure, & alijs Reipublicæ formis, harmostas, siue moderatores Lacedæmonios singulis oppidis relinquebat. Præterea ex conflatis ab se per oppida sodalitijs, denos rectores; imperium Græciæ quodammodo sibi struens.

XI. *Lacedæmonij Athenas obsident.* HÆC dum maxime Lysander agit, Lacedæmonij coactis totius Pelopon. viribus, exceptis Argiuis, Athenas conueniunt, & ad vrbem ipsam obsidendam in Academia castra locant, & Pyræeum cum centum quinquaginta nauibus, ne qua nauis accederet, intercludunt. Sicque terra, marique obsessi, cum neque classem, neque socios, neque

BELLI PELOPON. AN. 27. *Lysander tyrannos constituit.*

que frumenti satis haberent, in magna rerum perturbatione versabantur: nec vllam sibi spem salutis inueniebant, quin eas vicissim perpeterentur calamitates, quas per meram petulantiam, atque improbitatem, tam in suos, quam in alienos designassent. Scribit Plutarchus Lysandrum durante obsidione tantisper in Asiam abijsse, ibique quod paulo ante, Athenas veniens fecerat, omnium ciuitatum Respublicas æque demolitum, & constituisse decemuiratus, ex amicis atque hospitibus suis, quibus vitæ & necis arbitrium tradebat, & specie asserendi ciuitates Græcorum in libertatem, ab Atheniensium seruitute, eos, constitutis in eis tyrannis, in durissimam seruitutem redegisse, quod mox Athenis quoque factum est. Quam ob causam Theopompus comicus iocabatur, dicens Lacedæmonios cauponibus similes, qui suauissimum potum libertatis gustandum populis præbuissent, sed acetum infudisse.

XII. *Athenienses fame & pertinacia.*

DVM hæc aguntur, fame Athenis laboratur, adeo vt plerique fame interirent, nulla tamen de compositione mentio fiebat. Nam Archestratus cum dixisset in Senatu è Republica fore si cum Lacedæmon. pacem facerent, ijs conditionibus, quas ipsi obtulissent, coniectus fuerat in vincula. Et quamuis frumentum prorsus omne defecisset, non tamen superbia, ac contumacia defecerat. Nam ad Agin legatos mittunt, ac velle se Lacedæmoniorum socios esse significant, solosque muros vrbis cum Pyræo retinere. Significarant enim Lacedæmonij se longos muros, ad stadia decem, vtrimque velle diruere; de quo ne cuiquam suadendi causa dicere liceret, decreto statuerant. Ille legatos Spartam remittit, vnde responsum accipiunt: Abirent illi nunc quidem, &, si pacis egerent, re melius deliberata reuerterentur. Id vehementer Athenienses perculit, veritos ne in seruitutem redigerentur. Tum Theramenes in concione populo persuasit, vt ad Lysandrum ac Lacedæmonios mitteretur, num idcirco in sententia de murorum demolitione perstarent, quod vellent vrbem euertere, an fidei causa.

XIII. *Rem Spartani cunctatione macerant.*

LYSANDER hominem ad tertium vsque mensem detinuit, vt interea Athenienses magis ac magis fame ad omnia postulata adigerentur: tum denique eum Spartam reiecit, quod id non in sua, sed Ephororum potestate esse diceret. Re audita Athenienses eum Spartam, cum decem alijs mittunt, instructum plenissima potestate omnia transigendi. Quo cognito Ephori concionem cogunt. In ea plerique, Corinthij præsertim ac Thebani, Athenienses funditus euertendos censebant. Quod à Lacedæmonijs recte improbatum est, quod dicerent in maximis Græciæ periculis eos operam in primis vtilem nauasse, vt inquit Xenophon. Alij scribunt negasse permissuros se vt alter Græciæ oculus erueretur. Vt Iustinus lib. 5. & ab eo, vt pleraque alia, Paulus Orosius qui multa stylo declamatorio differunt, parum ipsis fontibus aliquando congruentia.

Deliberatio de euertendis Athenis.

lib. 2. c. 17.

XIV. *Conditiones pacis.*

ITAQVE pax ijs conditionibus inita, vt muri longi, & Piræus diruerentur: naues, exceptis duodecim omnes traderent. (10. oblongas ait Diodorus, Plutarchus in Lysandro sequitur Xenophontem l. 2.) exules reducerent: eundem cum Lacedæmonijs amicum vel hostem existimarent, eosdem mari ac terra sequerentur, quocunque tandem ducerent. Addit Plutarchus in Lysandro, iussos omnes vrbes relinquere, suo agro contentos esse, exules recipere, & quæ iuberentur dare. Eo tempore cogatum ferunt à Cleomene afflictus insultante Theramenem, qui princeps erat legatorum, num auderet iussu Lacedæmoniorum muros tradere, quos Themistocles inuitis Lacedæmonijs construxisset. Cui Theramenes respondit, nihil se diuersum agere à Themistocle. *Quippe, ait, eosdem muros tam ille ad ciuium salutem excitauit, quam nos ad salutem eorum diruemus.* Quando vrbes si mœnia redderent beatas, Spartam quæ muris caret, omnium oporteret esse miserrimam.

Plut. in Lys.

XV. *An muri Athenarum diruti.*

EX quo intelligi posse videtur non solum iussos Athenienses muros, qui longi vocabantur, diruere, qui vtrinque ab vrbe ad portum protendebantur, sed ipsos etiam vrbis muros. Nam mox à Lysandro ad tibicinarum cantum, magno cum hominum studio dirutos, ornantibus coronatis socijs, Plutarchus in Lysandro testatur, eum diem libertati Græciæ initium dedisse putarent. Nihilominus ipsius vrbis muros mansisse superstites, ex Xenophonte patet, in ea pugna, quæ pro 30. tyrannis commissa est: traditi autem fuerunt, sicut & ipsa vrbs tota potestati Lacedæmoniorum, vt paulo ante Cleomenes loquebatur, cui respondebat Theramenes se mœnia demoliturus, nimirum si iuberentur, quod tamen iussi non fuerant, vt ex decreto Spartano liquet. Nec necesse est de alijs muris tibiarum cantu dirutis, quam de longis Plutarchum interpretari. Deniq; non muros euertisse, sed muris Atheniensium potitus dicitur Lysander teste eodē Plutarcho die decimo sexto mensis Munichionis, is est Martius, quo die superauerant quondam prælio nauali ad Salamina Barbaros. Hic fuit huius anni exitus, quo Xenophon, ait Dionysius tyrannidem inuasisse. Cœptam tamen iam anno præcedente, supra ex Dionysio & Diodoro diximus. lib.

XVI. *Rom. Volscos gesta.*

ROMÆ hoc anno ob superbum responsum Veientis Senatus, datum legatis res repetentibus, bellum indictum est; sed non nisi multis cum militum querelis delectus est habitus, Tribunis querulam sponte plebem de more accendentibus, quum dicerent Patres eam vexandam militia, & hostibus trucidandam obijcere. Tandem tamen dilato Veienti bello, quod legem de eo gerendo antiquatum iri apparebat, populo exacerbato, Tribunos militum in Volscorum agrum ducere exercitum placuit.

Cneius Cornelius vnus Romæ relictus, tres Tribuni tripartito copias ad vastitatem Volscorum agris inferendā diuisere: dumque duo Volscos hinc inde distinent, Fabius, ad Anxur oppugnandum, sine vlla populatione accedit; id oppidum postea Terracinæ dictæ. Circummissæ 4. cohortes cum C. Seruilio Hala, cum imminentem vrbi collem cepissent, ex editiore loco muros, quà nullum erat præsidium, inuasere, & cum clamore captæ vrbis omnes eo confluxissent defendendi gratia, ex altera scalis mœnia occupata sunt. Ibi quoque multa cædes, donec proclamatum est, neminem nisi armatum occisum iri. Tum vero facta deditio est, armaque deposita: oppidanorum ad duo millia & quingenti viui capti sunt. *Anxur capitur.*

A præda abstinuit Fabius dum reliqui venirent, à quibus captum quoque Anxur dicebat, hoc ipso quod Volscorum auxilia auertissent.

XVII. *Et decreta Stipendia de publico militi promissa.*

QVI vbi venerunt, oppidum vetere fortuna opulentum tres exercitus diripuere. Eaque primum benignitas Imperatorum, plebem patribus conciliauit. Additum & aliud maxime tempestiuū munus, tam tribunis plebis, quā ipsa plebe nihil neq; cogitante, neque rogante; vt Senatus spōte decerneret, vt miles stipendia de publico acciperet. Ea res summo gaudio, publicisq; acclamationib. in laudē Senatus accepta est. Nec defuere Tribuni muneri suo, vt scilicet publicæ expertes lætitiæ, ac liuore pleni, rem male interpretarentur: alia scilicet ex parte populum tributis vexatum iri, vt pecunia in stipendia conficeretur. Nihil tamen effecerunt, Senatu ipso præeunte, & tributa graui ære, quod argentum nondum signatum esset, alacriter persoluente, & populum exemplo suo prouocante, & eos qui conferebant collaudante, vt etiam æmulatio ad prompte largiendum in plebe ipsa oriretur. Hanc primam stipendij publici pensitationem Diodorus in annum secundum Olymp. nonagesimæ quartæ retulit. Quæ autem Liuius de ære graui, & argento nondum signato dicit, parum videbuntur consentanea ijs, quæ ex Plinio, de nummis & pecunia, anno Numæ quarto, vrbis 42. diximus. Verum de ære dictum est, quod reuera iam tum signatum fuit, hic de argento est mentio, quod teste Plinio, non nisi anno Vrb. 585. aut potius 484. vt ibi dicemus, id est, quinque annis ante primum bellum Punicum signari cœptum est.

Tribb. pleb. maligna mens.

lib. 33. c. 3.

Belli Pelopon. an. 28.

Triginta tyranni Athenis.

ANNVS MVNDI 3650. SEXTÆ ÆTAtis & Imper. Persar. 134. Artax. Mnemonis 1. Ionathan Pontif. 2. Olymp. XCIV. An. 1. Prætorib. Athen. 30. Tyrannis, siue Anarchia. Vrb. C. 349. Trib. T. Quintio Capitolino. P. Quintio Concinnato, C. Iul. Tullo II. A. Manilio. L. Spurio Medullino III. & M. Æmil. Mamerco.

ANNVS ANTE CHRISTVM 403.

I. *Imperium Artaxerxis Mnemonis.* INsignitvr hic annus nouo Persarum imperatore Artaxerxe, Darij Nothi, & Parysatidis filio, cui memoriæ felicitas longe nobilius cognomen dedit, quam patri eius dederat maternum genus. Eum hoc anno regnare cœpisse testatur Diodorus, vt ante diximus, qui paulo post pacem initam inter Athenienses ac Lacedæmonios, mortuum Darium testatur; cui statim Artaxerxem natu maiorem filium successisse scribit Xenophon initio expeditionis.

Et Ionatha Pontificatus. Ionatham filium Ioiadæ nouo Persarum imperatori, vt alibi diximus, aggregamus, sicut reliquos iam Hebræorum Pontif. à Cyro, ex probabilitate magis, quam ex certa scientia. Nam illum sub hoc Artax. Pontificatum gessisse ex Iosepho constat, qui eum Ioannem vocat, sicut & patrem eius Iudam. *L. 11. c. 7.* Septuaginta vocabula Hebræa fideliter retinuere. Nam Hebræis Iudam & Ioannem, alios esse à Ioiada & Ionatha nemo dubitat. Quando autem cœperit gerere Pontificatum, nemo tradit, præter Annium Viterbiensem, quem docti omnes merito respuunt, etiam cum sequuntur.

II. *Olymp. 94. Belli annus 28.* Initivm Olymp. nonagesimæ quartæ profert hoc anno Xenophon lib. 2. hist. quo anno & Solis defectum scribit contigisse: vbi & Olympicum victorem nominat Corcinam quendam Thessalum. *l. 14. init.* Consentit Diodorus, qui victorem vocat Corcinam Latissæum, & Larissa in Thessalia est. Idem tamen extremo hoc anno refert Lasthenem Thebanum hac Olympiade palmam retulisse, quod cum equo ad cursum excitato contenderit, victorq; redierit, cursu à Coronça ad Thebarum vsque mœnia protenso, sed Thebani suum quoque stadium habebant, sicut & Elei, vt ex Pausania liquet. *l. 9. p. 299. grę.* Lectus quidem fuit Athenis Archon Pythodorus, sed eum Athenienses non recensent, vt qui hunc annum Anarchiam vocat; quem Xenophon vigesimum octauum belli annum computauit, vt supra dixi, cuius rei ea ratio nunc occurrit, quia dum hoc anno à Lysandro & Lacedæmonijs ad Samum contra Athenienses pugnatum est, bellum nondum plane confectum videri potuit, nec nisi ijs deuictis, Lysander in patriam quasi triumphans reuersus est. Et hanc esse Xenophontis mentē ex eo facile patet, quod non nisi post hunc triumphum annos belli Peloponnesiaci recenset. *Ratio temporis.* Hunc ipsum annum vocat Diodorus annum septingentesimum & octogesimum à Troiæ excidio, quod Chronologię nostræ exactissime congruit. Eum enim numerum plane atque accurate conficiunt anni 431. ante vrbem conditam, & 349. ab vrbe condita.

III. *Cyrus regnū fratris ambit.* Hoc statim regni Artaxerxis initio turbarum ingentium materia in Perside à Tissapherne, aut à Cyro potius excitata est. Posteaquam enim Darius viuendi finem fecit, & Artaxerxes regno potitus est, Tissaphernes Cyrum apud fratrem criminatur, quasi is illi insidiaretur. Adhibet ille facile accusationi fidem, siue quia timida & suspicax est omnis ambitio, siue quia norat se ante regnum, Cyrum in patris regno natum, siue quia indolem fratris, eiusque superbos spiritus non ignorabat. Itaque Cyrum, interficiendi consilio comprehendit, sed matre precibus intercedente liberatur, & ad præfecturam suam remittitur. Moriturum iam mater vlnis complexa, ac capillo suo circumijciens colligansque illius collum cum suo, multis lamentis, & obsecrationibus obtinuit ei veniam, effecitque vt remitteretur ad mare. Ita Plutarch. in Artax. Consentit Ctesias, & Xenophon l. 1. de expeditione Cyri, sub quo ipsemet militauit, eique non parum fauisse, ex his ipsis iam suspicari licet.

IV. *Idq; variis argumentis firmatur.* Non enim calumnijs, sed veris accusationibus Cyrus videtur appetitus, quod tam ex illa cæde duorū consobrinorū, propter non delatum sibi honorem regium, quē iam quasi certum spe deuorauerat, quam ex magna profusione pecuniarū in Lysandrum, & Gręcos, ante istā accusationē, non male colligi potest, fauet etiam huic sententiæ vehementer Plutarchus in eius vita. Vbi ait eum ab ægro patre accitum in aulam, matre satagente, vt in regnū promoueretur maiore natu prætermisso, quod hic natus esset Dario nondum rege, Cyrus autem Dario iam rege, vt ante dixi. Cum ergo Cyrus euocatus est, magna spe erat matrem, à qua præ fratre diligebatur, effecisse apud patrem, vt regni successor declararetur, quod tamen perficere non potuit, patre ætate priorem regem designante. Facto Cyro, qui tum vix decimum nonum annum agebat, Lydiæ Satrapa, & oræ maritimæ duce. Idem Plutarchus accusatum ait à Sacerdote, quem Tissaphernes ad regem consecrandum adduxerat, qui regi renunciauit, Cyro constitutum fuisse, regem, dum vestem in templo exueret, adoriri, atque obtruncare. Ei autem in primis creditum, quod cum Cyrum ante præceptor docuisset, Cyrum non fuisse creatum regem, grauiter tulisse putabatur. Quæ autem postea fecerit ad occupandum regnum, ex ipsiusmet Xenophontis confessione dicemus, nunc reliquias belli Peloponnesiaci persequamur.

V. *Triginta tyranni Athenis à Lysandro constituti. a lib. 2. hist. p. 461. græ.* Visvm fuit populo, ait idem, a deligendos esse viros triginta, qui leges patrias conscriberent, secundum quas in Repub. deinceps viuendum esset, quos nominat ibidem Xenophon. Id à Lysandro factum scribit Plutarch. Mox, inquit, Rempub. mouit, atque vrbi 30. Piræo decem præposuit Rectores, nimirum sicut in reliquis passim oppidis, Athenas reputans quasi tribus oppidis pares. Eadem fere in Alcibiade. Athenienses, inquit, ægre ferebant vel imperium sibi extortum. Vbi vero libertate quoque ijs adempta, triginta rectores vrbi Lysander imposuit, quæ non venerant in mentem, cum incolumes esse poterant, rebus iam profligatis perspexere; lamentantes, commemorantesque peccata, & imprudentiam suam; maximeq; alteram in Alcibiadem indignationem, quem ob alienam culpam amiserant, suamque ciuitatem prętantissimo spoliauerunt Imperatore.

VI. *Præsidium arci impositū.* Præsidivm etiam arci imposuit, eique moderatorem siue harmosten: Sic eim eos Lacedæmonij appellabant, dedit, Callibium quendam Spartiatam. Diodorus scribit ipsos inter se Athenienses disputasse de Reipub. administrandæ forma mutanda ex populari in Oligarchicam, cumque inter se non conuenirent, Lysandrum Samo aduocasse, à quo iussi sint 30. viros eligere, Theramene nequidquam repugnante, & consuetam Reip. administrationem retinere volente. Verum is repugnat Xenophonti, qui trigintauiratum institutum docet priusquam Lysander Samum proficisceretur. Nec est verisimile Athenienses sponte sua, & non à Lacedæmonijs coactos, Reip. suæ formam mutare voluisse, & paucorum affectasse dominatum, quem nuper in illis quadringentis viris, sibi perniciosum esse experimento didicissent.

VII. *Qua horum administratio.* Id ergo Lacedæmoniorum, & Lysandri mandatū fuit, qui vbique statum popularem euerterant, & decemuiratum constituerant, ex clientum suorum numero, qui omnia ex eorum arbitrio moderarentur. Et mox Lysander Sami decem præfectos instituit, Athenis ergo quasi triplo maiori ciuitati, vt dixi triginta viros esse voluit; quorum munus erat, inquit Xenophon, & ex eo Diodorus, Senatum legere, instituere magistratus, leges etiam condere, quibus ciuitas regeretur. Et à principio quidem scelestissimos quosque in iudicium pertractos necauere, suamque æquitatem bonis omnibus probauere, sed id diuturnum fuit. *Iniusta cædes.* Nam non multo post cum pro libidine sua omnia facere decreuissent, & gubernationem

in Ty-

in Tyrannidem vertere præsidium Lacedæmone accersunt, verbo quidem vt improbis è Repub. sublatis, eam recte constituere possent, quos etiam pollicentur se sumptu suo alituros: re autem vera id præsidium expetebant, vt eo protegente inimicorum, aut eorum in quorum bona inuolare cupiebant, & eorum quos minime laturos ipsorum tyrannidem, vel ad quos hominum concursus libertatis causa futuros existimabant, cædes aliquo honesto prætextu velatas perpetrare possent. Quod Theramenes vir integerrimus, qui in triginta virorum ascriptus fuerat, & ante eum Leo Salaminius, & Niceratus Niciæ quondam imperatoris filius, & mox sexaginta viri nefariè trucidati, experti sunt; id maxime agente Critia omnium improbissimo, sed hæc aliquanto post patrata fuerunt, & fusius à Diodoro & Xenophonte perscribuntur.

a Olymp. 94. a. 1. l. 2. hist.

VIII. *Samum Lysander deditione capit.*

Interea Samum Lysander cum classe discedit, à quo cum Samij vndique obsidione premerentur, de deditione consultare cœperunt, & in eam conditionem conuentum est, vt liberis hominibus, singulis cum vna veste discedendi facultas esset, reliqua ipsi traderent. Atque ita illi tunc oppido excesserunt, Lysander autem oppido, & vniuersis eius rebus, pristinis ciuibus redditis, ac decem præfectis custodiæ causa constitutis, sociorum nauales copias dimitrit, Laconica vero cum classe Lacedæmonem nauigauit, cum & detracta captis nauibus spolia secum auehetet, & abductas è Piræo triremes, exceptis duodecim, & coronas quibus ipse peculiariter à ciuitatibus donatus fuerat, & argenti talenta quadringenta & septuaginta, quæ superabant è tributis, quę ad bellum hoc ei Cyrus assignauerat; quidquid aliud denique bello acquisiuerat. Pecuniam Diodorus mille & quingentorum talentorum fuisse dicit. Hæc vniuersa Lacedæmonijs tradidit, sub æstatis finem, qua post vigesimum octauum annum, sextumque mensem bello finis est impositus.

Et Spartam gloriose proficiscuntur.

IX. *Pecunia ab eo quæsita.*

Verum Plutarchus eam pecuniam per Gylippum, qui dux fuerat in Sicilia, præmissam tradit, qui cum eam parum fideliter tractasset, atque adeo trecenta talenta, si Diodoro credimus, inde exemisset, re patefacta, sponte solum verterit, capite damnatus ab Ephoris. Verum cum tanta pecunia non exigua pars esset gloriæ, & splendoris Lysandræi triumphi, dici potest eam quidem cum Lysandro fuisse deuectam, peculiari tamen curæ Gylippi fuisse commendatam.

Furto Gylippi diminuta.

De ea recipienda disceptatio.

Illud potius animaduertendum, quod ibidem subdit Plutarchus. Spartiatarum prudentissimos tantam pecuniæ vim exhorruisse, quæ ciues labefactasset non vulgares, & Lysandrum insectatos esse, quasi ciues ignauos, ac sordidi lucri cupidos redditurum. Quin & testato Ephoris denunciasse, aurum & argentum, quasi pestilentes illecebras reijciendum, neque ad concilium delata, non defuisse qui negarent vrbe recipiendam monetam auream vel argenteam, sed ferream, quæ patria erat, retinendam, quam adhuc candentem aceto tingebant, vt neq; procudi, neque duci, neque malleo tractari posset, & grauitate inhabilis esset ad portandum.

X. *Retinetur in vsum publicum.*

Verum Lysandri necessarij institerunt, vt pecunia illa in vrbe retineretur. Itaque decretum fuit vt in vsum publicum id genus nummorum admitterent, si quis eos priuatim possidere compertus esset, in eum pœnam capitalem sanxere, nec aliam ob causam Thoracem, vnũ de Lysandri amicis, postea necauerunt, quam quod eum domi habere argentum compertum fuit. Quasi vero, inquit Plutarch. nummos Lycurgus formidasset, non autem nummorum comitem auaritiam & cupiditatem, quæ non detrahebatur priuato vsu vel possessione interdicta, sed accendebatur ex publica, accedente ad vsum eius dignitate, & admiratione. At ego sane non intelligo quomodo ea pecunia publico vsui esse posset, & non priuato. Nam si verbi gratia in stipendia militaria, aut commeatus expendebatur, qui poterant milites, & caupones, & alij ijs non vti, quas à magistratu acciperent in vsus suos, & rerum quas venderent commutationem?

XI. *Alcibiadis morti destinatur.*

Hoc ipso anno, durante adhuc tyrannide, Alcibiades occisus est, vt vult Diod. Siculus, & ex Plutarcho colligitur consentitque Sigonius. Cum enim tyranni viderent populo spem quandam meliorum rerum affulgere, dum Alcibiades viueret, docuit Lysandrum Critias non posse Laced. securè imperium tenere, ne Athenienses placidè, ac patienter paucorum dominationem ferre, dum Alcibiades viueret, nec si velint, permissurum Alcibiadem, vt præsentibus rebus acquiescant.

Alcibiades, formidine Lacedæmoniorum terra, marique dominantium, secesserat in Bithyniam, vbi magna fortunarum suarum parte nudatus, in Phrygiam ad Pharnabazum profectus erat, vt eius opera se in gratiam Artaxerxis, vt olim Themistocles Xerxisi, insinuaret, apud quem honorifice habebatur, dum se occasio profectionis offerret.

XII. *In Phrygia interficitur.*

Interea Lysander accepta Lacedæmone scytala, quæ iubebat vt Alcibiadem tolleret: siue Agidis gratiæ, qui eum pessimè oderat, id dedere Spartani, siue & ipsi Alcibiadis solertiam ac fœlicitatem timuerunt, nuncium mittit ad Pharnabazum, apud quem magno hactenus in honore fuerat, vt hominem, qui tum degebat in Phrygia, de medio tolli curaret; quod ille confestim per suos fratrem atque auunculum executus est. Nam domum in qua erat circumuentam flammis, incendunt. Qua re animaduersa, Alcibiades vestes, & stragula pleraq; glomerata igni iniecit, ac lacerna sua circum sinistram intorta, dextra strictum tenens gladium, deiecit se in ignem, ex quo inuiolatus ante euasit, quam deflagrarent vestes, barbarosq; conspectu suo, non ausos cominus congredi, dissipauit; eorũ tamen iaculis eminùs confossus interijt. Ita Plutarch. eisdemque simillima Diodorus.

XIII. *Bellum in Veientes inchoatum.*

Romæ lege perlata de indicendo Veientibus bello, exercitum magna ex parte voluntarium noui Tribuni militum Consulari potestate Veios duxere; à quibus primùm Veij circumsessi sunt, & post 10. annos expugnati. Sub eius obsidionis initium dubitatum est publicone bello gentis totius Veientes tuendi essent, nec ne, quod publicum Hetruscorum concilium ad fanum Voltumnę frequenter habitum esset.

Mors Democriti.

Mortuum hoc tempore Democritum, cum vitam ad annos 90. protraxisset, scribit Diodorus in fine anni huius. Verum Hipparchus apud Laërtium ait eum centesimo & nono ætatis anno obijsse, vitamq; triduo retinuisse panibus calidis ad nares admotis. Eusebius eum floruisse ait sub Olympiadem octogesimam sextam. Quarta vero, & nonagesima mortuum.

ANNVS MVNDI 3651. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Persarum 135. Artaxerxis Mnemonis & Ionathan. Pontif. 2. Olympiadis XCIV. An. 2. Prætore Athenis Euclide. Vrbis cond. 350. Trib. C. Valerio Potito III. M. Sergio fidenate, P. Cornelio Maluginensi, &c.

ANNVS ANTE CHRISTVM 402.

I. *Cyrus in fratrem Artax. defectionem molitur.*

Postquam Cyrus mortis certissimũ discrimen, summis precibus matris euasit, consilia statim inire cœpit, quo pacto se deinceps è potestate fratris eximeret, atque etiam si fieri posset, eius loco regno potiretur: & vinculorum magis, quam indulgentiæ fraternæ memor ita stimulante acrius quam ante regnum ambire cœpit, vt scribunt Plutarch. in Artox. & Xenoph. l. 1. Expedit. Attingit & Ctesias. Itaque vt olim Absalon populi animos à Dauide patre, ita Cyrus ab Artaxerxe fratre auertebat; & si quis à rege missus ad eum veniret, eum sic affectum ab se dimittebat, vt ei quam regi esse amici mallent. Præterea barbaros quos habebat secum, ita bello reddebat idoneos, vt eorum erga se beneuolentiam vehementer captaret. Et recte ille quidem, nisi hæc beneuolentia in pessimum finem relata fuisset. Græcas copias quam poterat occultissime cogebat, vt regem imparatissimum offenderet.

II. Et quoniam fieri non poterat, quin rex persentisceret multas, quę fiebant è Peloponneso, militum euocationes, ab ijs, quos in præsidiarijs vrbibus præfecturæ suæ Cyrus habebat, quę ad ipsum à Tissapherne defecerant, hoc prętextu eas velabat, quasi vrbes Regi & sibi contra Tissaphernem tutari vellet, rege minime improbante. Scribebat enim ad regem, atque orabat vt fratri potius, quam Tissapherni, in eas vrbes concedere vellet imperium: qua in re matris etiam studio adiuuabatur. Sicque Rex insidias sibi strui non animaduertebat; præsertim cum Cyrus Tributum earum vrbium, quas Tissaphernes habuerat, regi mitteret.

Multis præterea in locis & copiæ colligebantur, & clam nutriebantur à Clearcho Lacedæmonio in Hellesponto, ab Aristippo Thessalo in Thessalia, à Proxeno Bœotio, à Sophæneto Stymphalio, alijsque amicis atque hospitibus eius; quorū nemo secretorū eius erat conscius, sed idoneas apud singulos causas conscribendi militis prętexebat.

III. Artaxerxes autem sub hæc initia, Artaxerxis Longimani aui sui moderationē sectabatur, & erat Plutarcho iudice, suapte natura lenior, aut etiam lentior. Itaq; in admittendis hominibus facilem se prębebat, in largiendo effusum, in puniendo minime contumeliosum; in accipienda reddendaq; gratia hilarem & benignum, quorū exempla leges apud Plutarch. in eius vita, illud tamen nō omitto, quod ad rationē temporis nonnihil facit. Euclidæ Laconi apparet fuisse hunc vnum de 30. tyrannis, apud Xenophontem, qui Athenis Prætorē egebat hoc anno, Spartanæ Reipub. & sociorū consensu. Ergo Euclidæ istū multa licentius, & insolentius dicenti, Rex Tribunum militū hæc dicere iussit. Tibi quidem de rege loqui licet quæ velis, regi autem dicere, & facere quæ vult. Nimirum Spartani, quorum iste ciuis erat, deserto Artaxerxe Cyro fauerunt, a & verbis quoq; parū sobrijs eum carpere ausi sunt.

IV. Hoc anno, vt scribit Diodorus, cum Byzantinorum res & intestinis laborarent motibus, & finitimorum Thracum bello fatigarentur, ad Lacedæmonios confugiunt, ab eisq; belli ducem accipiunt Clearchum, vt perturbatum Reipub. statum componeret, eosq; ab hostibus tutaretur; sed ille quam primum in Tyrannum crudelem conuersus, magistratus vrbis ad sacrum epulum conuocatos necat, mox 30. primarios Byzantinos correptos, inserto laqueis gutture strangulat, & eorum sibi bona vendicat, & peregrini militis cateruis se communit. Quibus auditis Lacedæmonij iubent, hominem dominatum deponere, recusantem bello petunt; pugna committitur, diuque ancipiti marte pugnatum est. Sed cū strenue rem gererent Spartani, acies tyranni fœda strage succubuit, isq; fuga per noctem arrepta in Ioniam traiecit, vbi ad Cyri familiaritatem peruenit, & dux copiarum ab eo factus, multisque pecunijs instructus, peregrinos ei milites circa Hellespontum collegit; vbi interea bellum Thracibus ijs, qui supra Hellespontum habitant, intulit. Quæ res quia Græcis commoda erat, etiam sponte sua ciuitates Hellesponticæ pecunias ad alendum hunc militem conferebant. Sic habet Xenoph. lib. 1. de exped. quæ vereor vt satis consentanea sint fugæ Byzantinæ, quam ex Diodoro retulimus.

V. Hoc tempore Lysander, cum imperium Græciæ Lacedæmonijs acquisiuisset, maxima gloria florebat: quo successu inflatus consilia secum iniit antiquandi regnum Heraclidarum, quod Spartæ rerum potiebatur. Volebat videlicet vt deinceps omnibus Spartanis regum electio cōmunis esset: fore autem sperabat, vt propter rerum quas gessisset magnitudinem, & claritatem, regię maiestatis honos ac munus statim ad se deferretur. Cumque responsis deorum Lacedęmonios maxime addictos cerneret, vatem Delphicam, indeque Dodonæam largitionibus corrumpere instituit. Si enim oraculi suffragio leuaretur, facile se voti compotem fore putabat. Idem etiam apud Iouem Ammonium tentabat, sed vbique frustra; quin etiam oraculi Ammonij pręsides, per legatos Spartam missos, attentati per largitionis fraudem oraculi, Lysandrum accusarunt. Quod tamen crimen ille mox reuersus, vt erat egregie vafer, facile refutauit.

Nec id consilium eius de abrogando Heraclidis imperio, nisi post eius mortem detectū est, inuenta apud eum concione, quam ad id populo persuadendum, commentus fuerat, vt scribit Diodorus hoc anno. Cumque Agesilaus hanc mortui ambitionem prodere vellet, prohibuit Lacratidas Ephorus, negans effodiendum esse Lysandrum, sed orationem potius iuxta eum esse fodiendam, ne artificio suo ac probabilitate Rempub. perturbaret. Nec mirum est Lysandrum regnum in patria affectasse, quem adulatores diuinis honoribus afficiebant. Nam Græcorum ciuitates aras ei vt Deo erexerunt, victimasq; immolarunt, vt tradit Duris apud Plutarchum, ei Pæanes decantabantur, ei festa Lysandræa pro Iunonijs celebrantur carminibus & ludicris certaminibus. Chœrillum perpetuo in suo comitatu habebat, qui res à se gestas carmine celebraret, studio sane fructuoso. Nam Antilochum, qui certum numerum versuum in eius laudem condiderat, lætus pileo argenti pleno donauit.

VII. Oppugnatio Veientium in Italia segnior hoc anno fuit, parte Tribunorum, exercituśque ad Volscum auocata bellum, cum quibus inter Ferentinum atque Ecetram signis collatis dimicatum est: Romanis secunda fortuna pugnæ fuit. Inde ad eorum oppidum Artenam arma translata. Moxque inter eruptionem tentatam, compulso in vrbem hoste, occasio data est Romanis irrumpendi, præterque arcem cætera capta; quæ ipsa mox, proditione cuiusdam serui, in potestatem Romanorum deuenit. Diruta & arce & vrbe Artena, reductæ legiones ex Volscis, omnisq; vis Romana ad Veiorum oppugnationem incubuit.

ANNVS MVNDI 3652. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Persarum 136. Artaxerxis Mnemonis & Ionathan. Pontif. 3. Olympiadis XCIV. An. 3. Prætore Micione. Vrbis cond. 351. Trib. Mil. M. AEmilio Mamerco II. & alijs septem.

ANNVS ANTE CHRISTVM 401.

I. Cvm 30. Tyranni Athenis alia ex alijs facinora quotidie perpetrarent, sibique à populo, quem cædibus ac rapinis continenter irritabant, valde metuerent, præter præsidiarios, quos Sparta acceperant, etiam tria millia ciuium, quos Reipubl. administrationis secum participes faciant, sibi adsciscunt, eosque armant; cæteros ciues armis spoliant, quæ in arcis fano deponunt. Cumque statuissent plurimos de ciuibus adoriis interficere, vt ex eorum bonis præsidiarijs stipendium soluerent, restitit huic piratico facinori Theramenes, iamdudum collegis suspectus, atque odiosus. Itaque cum improbissimus Critias in Senatu proditionis accusat, sicarijs aliquot ad vim paratis. Cumque is obiecta crimina aperte diluisset, ostendissetque sua consilia ad præsentis status conseruationem spectare, quem illi per vim atque imprudentiam perditum irent, eum nihilominus Critias, 30. virorum consilio vsus, morti addicit, & vndecimuiris supplicio afficiendum tradit, Senatu ingemiscente, & præsentem armatorum vim reformidante.

II. Adducitvr ergo ad supplicij locum per medium forum, deos hominesque contestans, suæque iniuriæ vindices appellans; immemor fortasse culpæ in accusandis ducibus admissæ, qui propter naufragos non collectos, iniustissimè capitalem sententiam tulerant. Diodorus ait, dum cæteros retineret metus, Socratem cum duobus familiaribus ad eum accurrisse, & lictoribus eripere voluisse; ipsomet dissuadente Theramene, & certam amicorum, irritamq; perniciem deprecante. Tandem cum cicutam iussus ebibisset, quod reliquum erat, è poculo sic eiecit, vt resonaret, simulq;. Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ, qui in eum fuerat deterrimus. Hic quasi metu soluti Tyranni liberius ciues vrbe, vita, bonisque exturbabant,

quæ

quæ inter se ipsi, amicosque diuiderent. Itaque Piræum, Megara, Thebæ fugientium ex vrbe turbis replebantur, & plus dimidia parte Atheniensium exulatum abijt, vt Diodorus quoque refert. Quod Spartanis, qui æmulam suam iacere lætabantur, ita gratum fuit, vt decreto promulgarent liberum cuiuis esse è tota passim Græcia profugos vinctos 30. viris sistere, qui impediret, mulctæ quinque talentorum obnoxium fore.

III. *Thrasybulus in exules fauet [illegible].*

RELIQVAS vrbes Spartanæ potentiæ retinebat metus, primi Argiui exules humanitus exceperunt, Thebani etiam, contrarium decretum in gratiam exulum ediderunt. Inde Thrasybulus vnus de primarijs exulibus, cum 70. ferme viris prodit, & Pylum Atticæ regionis castellum, centum stadijs Athenis dissitum occupat. Inde cum eos 30. tyranni cũ tribus millibus ciuium frustra exturbare conati essent, aliam mox plagã, occupato noctu à Thrasybulo cum mille socijs Piræo, acceperunt. Ergo ad prælium conueniunt, quos Thrasybulus excipit, prælioque superatos, in quo Critias quoque ceciderat, late fundit, docetque ciues se non eorum clade lætari, sed quærere libertatem, quam tyranni oppressissent. Ergo 30. isti, ab illis ter mille ciuibus magistratu priuati, ad Eleusinem refugij locum aufugiunt, & Lacedæmone suum periculum, & populi defectionem nunciant. Interim decemuiri in tyrannorum locum electi, vrbanam plebem curant, contra Thrasybulum & cæteros qui Piræeum occuparant.

IV. *Ere Lysander expressurus à Pausania prohibetur.*

LYSANDER re intellecta, copias à magistratu Spartano, pecuniasque obtinet, vt Piræeum terra marique obsessum fame ad deditionem compellat, idque breui futurum erat. Cum rex Pausanias, qui Lysandro inuidebat, verebaturque ne ille gloriam iterum captæ vrbis acquireret, eamque sibi addictam redderet, eius consilium omne discussit, tribus Ephoris in suam sententiam traductis. Post aliquot prælia, vtrique parti clam nunciat, vt ad se de pace legatos mittant, malle se vt pace facta vtrique Lacedæmonijs amici fiant. Quod mox missa quoq; Spartam legatione, arbitrio Pausaniæ perfectum est, Triginta-uiris & Decemuiris, & Vndecimuiris abdicatis: reliquos pacem inter se colere iussit, & pristinis viuere legibus, magistratus creare, & Rempub. recte administrare. Inde cum seditiosorum duces in colloquium vocatos Theramenes cum suis interfecisset, cum reliquis facta pax & iureiurando firmata: qua illud continebatur in primis, vt ne præteritarum iniuriarum liceret meminisse. Hæc in Græcia hoc tempore.

V. *Ratio temporis.*

IN Asia vero Cyrus expeditionem etiamnum parabat in fratrem, quam Leunclauius in annum præsentem retulit, in sua Xenophontæa Chronologia. Nobis nihil causæ occurrit, cur eam in annum sequentem, cum Diodoro Siculo non referamus. Et cum Xenophon, initio libri tertij historiarum, dicat expeditionem Cyri contigisse post motus Athenienses, & 30. tyrannos vrbe pulsos, & alteram historiam alteri immediate iungat, in hunc annum, huius tyrannidis solutionem duximus referendam. Ista enim Micione prætore facta esse illud argumento est, quod annum recuperatæ Reipubl. primum post Archontem Euclidem appellauerunt. Sic enim Sigonium censeo emendandum. In hunc quoque annum Diodorus Lacedæmoniorum contra Elidem bellum, duce Pausania susceptum refert, neque in eo quidquam habet ad memoriam insigne, sed anno seq. finitum.

VI. *Veientum obsidio perseuerat. Bella hyeme quoque geri Reipub. & ipsis militibus expedire.*

ROMÆ autem, vt tradit init. l. 5. Liuius, Veiorum obsidio perseuerauit, Tribunis plebis quantumuis tumultuantibus, quod plebi ne per hyemen quidem, vt hactenus, militiæ quies daretur, sed extructis hybernaculis, sub pellibus per hyberna frigora & tempestates, eam patres opprimere cogitarent. Quæ cum Tribuni vociferarentur, aduersarium haud imparem nacti sunt App. Claudium, qui forti ac diserta oratione docuit hoc institutum hybernæ militiæ, & continuandi belli ad perfectam vsque victoriam, plurimum & Reip. & militum interesse. Hostes quippe per intermissionem belli vires animosque redintegrare, excurrere, prædari, sicque bella cum singulis populis immortalia geri. Agi de militum gloria, qui merito dixerint, se inertiæ patrocinium non mandasse Tribunis, quasi frigora & niues pati non posse censeantur, ad quæ si durare cœperint, longe formidabiliores hostibus sint futuri; persuasis se constanti obsidione ad famem, ad deditionem, ad internecionem redactum iri.

30. VIRI TOLLVNTVR ATHENIS.

VII. *Tribunos [illegible] hostibus fauere.*

ADDIDIT Tribunitios hosce motus, hostibus vtilissimos esse, qui elaborent in eorum gratiam, vt exercitus abducatur, obsidione soluta, quod illi ne à socijs quidem Hetruscis obtinere possint. Denique indignum esse si in castris fustuarium mereatur, qui signa relinquat, aut præsidio decedat. In vrbe autem autores signa relinquendi, & deserendi castra, non vni aut alteri militi, sed vniuersis exercitibus, impune, dicere, impune audiri.

Hæc, aliaque id genus Claudius, longe sapientius; quæ si ante centum annos vsurpata fuissent, iampridem aduersarios vltra tota Italia imperium obtinuissent, quod adhuc vix ad vicesimum vsque lapidem protendebatur. Nam Claudius Veios intra vigesimum lapidem ab vrbe positos dixit.

VIII. *Ardor militi ex casu additus.*

ARDOREM etiam ad pertinaciús Veios obsidendos auxit, quod illi, eruptione quadam nocte facta, munitiones quasdam ad sua mœnia flammis consumpsissent, dum opera interdiu fiunt intentius, quam noctu custodiuntur. Re audita Romæ, & Senatu formidante ne illa occasione Tribuni seditionem excitarent, & soluta obsidione victæ Reip. insultarent. Ij quibus census equester erat, quibusque equi publici non erant assignati, equis se suis stipendia facturos Senatui promittunt, quam ob rem cum ab Senatu amplissimus verbis collaudati essent, vniuersæ plebis accensus est animus ad voluntariam militiam. Itaque voluntarius Veios ductus exercitus, non amissa modo restituit opera, sed noua etiam instituit. Ab vrbe commeatus intentiore cura quam ante subuehi, nequid benemerito exercitui ad vsum deesset.

Exercitus voluntarius.

ANNVS MVNDI 3653. SEXTAE ÆTATIS, & Imperij Persarum 137. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan Pontificis 4. Olympiadis XCIV. An. 4. Prætore Exæneto. Vrbis cond. 352. Trib. milit. C. Seruilio Hala. III. & alijs quinque apud Liuium. l. 5.

ANNVS ANTE CHRISTVM 400.

I. *Ratio temporis.*

QVATVOR supersunt integra secula, ante Regem seculorum mundo datum ac natum, longo adhuc nobis labore decurrenda. Sed aderit, vt speramus, quatuor postremis, qui per triginta sex priora secula, nos ad hæc postrema benigna manu deduxit.

Habet autem hic annus, vt iam ante attigimus, expeditionem Cyri ab extrema Asia in Babylonios contra fratrem, non minus male susceptam, quam malo exitu terminatam: Deo regem, minus bello licet, rebusque gerendis idoneum, contra fortem, & audacem bellatorem, & fortissimorum militum vallatum exercitu protegente. Hæc profectio confirmatur à Laërtio in vita Xenophontis. Eam enim eodem anno, & prætore ponit. Floruit, inquit, maxime Xenophon, anno quarto nonagesimæ quartę Olympiadis; Ascenditque cum Cyro sub Archonte Xæneto, legendum Exæneto ex Diodoro, alij Epæneton,, quidam Xynæneton vocant.

II. *Initium expeditionis Cyri.*

CYRVS ergo maturam existimans profectionẽ suam, causam belli præ se ferebat, quasi Pisidas vellet omnes è sua regione eijcere. Est autem Pisidia Ciliciæ prouincia in Asia minore, aduersus quos simulat se copias omnes Græcas barbarasque cogere. Ex Cyri iussu Sardibus conuenere magno numero. Quæ Tissaphernes, cum animaduertisset, apparatum maiorem arbitratus, quam qui aduersus Pisidas institueretur, ad Regem suum quam celerrime potuit, cum quingentis equitibus, contendit. Cyrus autem non magnis itineribus, vt qui multas ducebat copias, &

quæ in via etiam augerentur, profectionem tamen maturabat, & suos quos multis promissis in digressu animarat, etiam inter eundem confirmabat, vt ex Xenophontis, qui aderat narratione apertum est. Ibi inter alia ait se facturũ, vt quicunque domum redire voluerit, ciuibus suis suspiciendus redeat; sed effecturum potius, vt rebus patrijs oblatas à se rationes essent antelaturi. Tam longe quippe ac late patere fratris regnum, quod sperabat victoriæ suæ præmium, vt timeret ne non satis habiturus esset præstantium virorum quibus daret, statuere certe singulis Græcis auream coronam daturum.

III. *Quomodo contra legitimum regem suscepta.* NON dissimulabo tamen nonnulla in his videri, magis ad gratiam Græcorum, quam ad fidem, & rei veritatem composita. Cum enim Xenophon ipse pars non minima esset illius exercitus; & suo, & illius honori consultum voluit, ne viderentur scientes prudentesque pro fratre perduelle, ac perfido, contra legitimum Principem, Persarum Imperatorẽ arma nefaria suscepisse. Itaque eius consilij non solum multitudinem, sed duces etiam ipsos ignaros fuisse tradidit. Donec ad Euphratem ventum est, extra vnum Clearchum, vt bellum videatur necessitate, non voluntate susceptum. a Verum id neque Diodoro persuasit, neque Plutarcho. Nam cum ille dixisset nauales Lacedæmoniorum copias ad eum sub extremam Ciliciæ vrbem peruenisse, subdit. Hosce mercenarios, ab amicis Cyri priuatim mitti simulabant, cum reuera tamen de consilio, iussuque Ephororum cuncta fierent. Apertum enim bellum in Regem nondum susceperant Lacedæmonij, sed occultatis ad tempus consilijs, quo belli momenta inclinatura essent expectabant.

a Videl. l. 1. de exped. p. 280.

IV. *Lacedæmonij Cyro fauent.* NEC obscurius Plutarchus, *Lacedæmonios*, inquit, *per literas orat, vt auxilia, & milites sibi mittant, quibus ostendit se largiturum, si pedestres venissent, equos, si equestres, bigas, si prædia haberent, vicos; si vicos vrbes: stipendium militibus non annumeraturum, sed admensurum. Iactans autem se maiorem in modum, etiam se cor ait ferre fratre grauius, doctioremq; philosophum, & magum meliorem esse, vinum potare ac ferre largius. Illum vero præ timiditate, & ignauia, per venationes ne equo quidem, in periculis nec solio insidere. Ergo Lacedæmonij missa scytala præceperunt Clearcho, Cyro vt in omnibus morem gereret.* Sic Plutarch. At Diodor. pro Clearcho Samium quendam præfectum, sicut & Xenophon initio l. 3. Histor. substituit, memor se iamdudum Clearchum in exilium abegisse.

Eius varietas et superbia.

V. *Copiæ Cyri et Artaxerxis.* HABEBAT sub signis Cyrus magnas barbarorum copias, & mercede militantes Græcos paulo minus tredecim millibus, vt ait Plutarch. alludens omnino ad Xenophontem, qui ait Cyrum censuisse Græcorum decem millia, & quadringentos scutatos, cetratorum autem duo millia, & quadringentos, siue vt alij legunt, quingentos. Addit etiã habuisse Barbarorum qui sibi militarent decem myriades, id est, centum millia, & currus falcatos fere viginti. Quem numerum præter morem diminuit Diodorus. Asianorum enim ponit tantum 7. myriades; at Græcorum tredecim millia, vt cæteri. Hi 95. castris ad regem peruenere, b confectis 535. parasangis, quarum singulæ valent 30. stadiis. Rex autem Artaxerxes postquam de exercitu Cyri ex Tissapherne cognouit, ipse quoque se ad bellum parauit, breuique congregauit, vt ait Xenophon, duodecies centena millia, currus falcatos ducentos. Item equitum sex millia, qui ante regem dispositi erant: verum prælio interfuerunt tantum nongenta millia, & falcati currus centum & quinquaginta. Hic quoque barbaras copias duabus partibus diminuit Diodorus. Nam pro 120. myriadibus, quadraginta myriadum meminit, secutus Ctesiam, vt ex Plutarcho liquet.

b Xenoph. l. 2. Parasanga.

VI. *Parysatidis & Statiræ odia.* HÆ acies dum coguntur magna videlicet iurgia inter Parysatidem regis matrem, & Statiram eius vxorem coorta sunt, quod illa indulgentia sua, atque importuna misericordia in has turbas Regem, totumque regnum demersisset: dum Cyro veniam ambiti regni obtinuisset. Quibus incitata Parysatis crudelis mulier, statuit nurum è medio tollere, quod etiam post multa alia scelera tandem veneno perfecit. Nam vt refert Ctesias, cum ambæ in mensa essent, Parysatis cultellum habuit, cuius facies vna præsentissimo veneno illita erat, altera vero munda. Hoc ergo cultello secatur auicula parua oui magnitudine, cuius partem dimidiam, quæ veneno carebat, Parysatis accepit, ac comedit palam; tum alteram veneno tinctam Statiræ dedit. Quæ nihil suspicata fraudis, quod Parysatidem videret comedendo præiuisse, cum parte auiculæ etiam venenum vorauit, & mortem: quam rex non in matrem, vt oportebat: sed in eius eunuchos, & Gingem, quæ illi familiaris erat, cruciatibus, ac morte vindicauit, eoque nomine Parysatis filio, hic vicissim matri succensere, vt ait Ctesias. Libenter opinor in matrem, & hoc nouissimum, & alia pleraque scelera vindicaturus, vt iure meritoque poterat, nisi naturalis vel amor, vel reuerentia, & populi grauior fortassis offensio, nefariam mulierem supplicio debito eripuisset.

Statira moritur.

VII. *Concursus acierum.* PVGNATVM est trans Euphratem, Plutarchus locum vocat Cunaxa, vbi cum vtraque acies constitisset ad prælium, facile Barbari oppositi Græcis in fugam auersi sunt: reliqui vario certamine dimicarunt: sed præcipuum victoriæ momentum in fratrum pugna fuit. Erat rex in acie media, stipatus sex millibus lectissimorum equitum, insuperque sexcentis, qui ante agmen regis erant dispositi. Cũque læuum cornu Persarum cessisset Clearcho, nemoque aciem mediam inuaderet, cœpit ea mouere se loco, vt Græcos à tergo adoriretur, & barbaris vndique circumfusos, deleret. At Cyrus id veritus, cum conferto sexcentorum equitum globo, in mediam irruit aciem, & sexcentos primum ante regem collocatos loco mouet, ac vincit; interfecto etiam eorum præfecto Artagerse. Quin & illa sex millia in fugam auertit. Omninoque apparebat Cyrum victorem fore, si Clearchus illi dicto audiens fuisset, & in mediam aciem, in qua Rex erat, irruisset: sed dum maluit cautè agere quam parere, vt suos saluos faceret, ne circumuenirentur, Cyrum circumuenit, ac perdidit. Deus nimirum hominis perniciosa cautela vsus est, vt perfidum ac ingratum principem castigaret.

Pugna fratrum.

VIII. *Cyrus vulneratus occiditur.* CVM fugitiuis Regis equitibus, Cyri equites persequẽdi studio dissipantur, præter paucos: cum viso rege, Cyrus, video, inquit, hominem, & impetu facto in eum irruit, eique pectus per mediam ipsam loricam vulnerat, dum vice versa, quidam magna vi hastam vibrans, sub oculum Cyri adigit. Ibi dum rex & Cyrus inter se animose dimicant, & qui vtrumque tutabantur, Cyrus ipse interficitur, & super ipsum octo fortissimi pugnatores iacuerunt: statimque ei caput & dextera præcisa sunt, simulque Græcorum spes omnes præcisæ. Rem fusius persequitur Xenophon, quem sequimur: nam diuersa referunt Diodorus, & Plutarchus, ex Ctesia, & Dinone. Refert Diodorus cæsa de barbaris quindecim millia, de Cyri militibus ad tria millia, de Græcis paucos vulneratos, nullum occisum. Ctesias autem apud Plutarchum ait, inito cæsorum numero nouem millia capitum relata ad Artaxerxem, sibi vero videri ad 20. millia cecidisse.

Cæsorum numerus.

IX. *Barbara crudelitas Parysatidis & Artaxerxis.* PARYSATIS Cyri mater incredibilem exercuit carnificinam in Carem quendam, qui Cyrum à se occisum iactabat. Nec minorem Rex in Mithridatem, qui eandem necem per temulentiam sibi arrogabat: illa de filio vindictam expetente, hoc gloriam occisi fratris, apud Græcos & barbaros ambiente. Illa abreptum hominem per dies 10. excruciari iussit, inde oculis effossis, in aures eius æs feruens instillari, dum efflaret animam. Hic scaphis Mithridatem necari iussit. Quod supplicij genus ita refert Plutarchus. c Scaphas duas inter se congruentes accipiunt, in alteram supinum eum, qui neci est destinatus, locant, inde imponunt alteram & coaptant, ita vt caput, manus, & pedes exerantur, reliquum sit inclusum corpus. Tum cibum homini præbent, quem si reijciant, oculos fodicantes sumere compellunt. A cibo, mel & lac confusum ei ad potum infundunt, tum ad solem assidue obuertunt oculos eius, vt incubantium muscarum examine tota facies integatur. Cum autem intus faciat, quæ homines, qui edunt & bibunt necesse habent, tineæ & lumbrici, ex tabe, & putredine excrementorum proueniunt, à quibus in viscera penetrantibus corpus consumitur. Ad hunc modum Mithri-

Scapharum supplicium. *c in vita Artax.*

Mithridates septemdecim dies tabescens tandem interijt: crudelissima plane, maximeque barbara carnificina. Nec tristior fuit Parysatis ineum, qui caput ac dextram Cyri mortui, iussu regis præcidisse ferebatur, Masabates regis Eunuchus, Bagapatem Ctesias vocat. Nam Regi per fraudem surreptum, vel cum illa talorum ludo regem vicisset, acquisitum, tradidit carnificibus, viuumque præcepit excoriari, ac corpus transuersum in tres sustulli cruces, & pellem seorsum palo suffigi.

X. Reditus Græcorum in patriam.

INTEREA Græci de reditu solliciti consilia inter se agitant, & omnia plena periculis animaduertunt, siue bellum gerere cum rege velint, siue fœdera inire, quod & equis carerent, & commeatu, & viæ ducibus, & nauibus ad traijcienda flumina: illud certè constanter recusarunt, vt arma sua traderent. Ergo in viam se dant, duce in primis Clearcho, in occultas Persarum insidias, & occursus semper intenti, cum sibi mutuo alteri ab alteris timerent. Ægerrimè tamen ferebant Persæ, Græcos incolumes in patriam tenerti, qui in Persidem cum infesto exercitu penetrarant, vt Regem è solio suo deturbarent, eiusque hostem in regnum eueherent, qui victi nunc in hostili solo hostibus circunfusi tenerentur, qui montibus, fluminibus, desertis locis capti clausique forent. Cum nihilominus non tantis essent animis, vt eos aperto marte inuadere auderent, id fraude perficere moliuntur.

XI. Plerique ducum fraude Tissaphernis pereunt.

TISSAPHERNES reditum cum magnis copijs in Cyri prouinciam comparat, se amicum, se viæ comitem ac ducem offert, & inito fœdere, & iureiurando vtrimque firmato, aliquot progrediuntur dies, vtrique socijs formidolosi, atque inspecti. Donec Tissaphernes erepta Clearcho formidine, & male ingesta fiducia, eum ad prætorium suũ, cum alijs 4. ducibus, Proxeno, Menone, Agia, & Socrate, & viginti cohortium præfectis adducit, quos milites fere ducenti secuti sunt, quasi ad forum rerum venalium pergerent. Postea quam ad prætorium Tissaphernis peruenium est, duces intro accersiti sunt, Præfecti cohortium ad portas substiterunt. Nec multo post ad idem signum, purpurei vexilli ostentati, vt ait Diodorus, tam ij qui intus erant comprehensi, quam qui foris cæsi fuere; moxque duces vincti compedibus ad regem perducti, capitibus abscissis viuendi finem fecerunt; exceptu Menone, homine, vt à Xenophonte describitur, longè deterrimo, qui tamen à Rege, vt homo consceleratus, anno toto viuus excruciatus, tandem animam miser euomuit.

Reliqui per varios casus euadunt.

RELIQVI Græci, subrogatis aliis ducibus, in quibus Xenophon ipse Atheniensis, reditum promouent, laboribus maximis, ac periculis impeditum, per varias cœli, atque Incolarum iniurias, ac Persarum à tergo imminentium insultus, quæ Xenophon libris quinque copiose eleganterque persecutus est; totamque expeditionem tam in aditu quam reditu vnius anni ac trium mensium fuisse scribit. a

a l. 7. extremo.

XII. Res in Italia Romanis male gesta.

IN Italia dum cura omnium in Veiens bellum intenta est, neglectum Anxuri præsidium vagationibus militum, & Volscos mercatores vulgo receptando, proditis repente portarum custodibus, oppressum est. Nec Veijs melius res gesta est. Capenates enim & Falisci Hetruriæ populi, inita armorum societate, iureque iurando firmata, cum suis copijs nec opinatò castra Romanorum adoriuntur, ea regione, qua M. Sergius Tribunus militum præerat, ingentemque terrorem intulere, quod totam Hetruriam excitam sedibus Romani adesse arbitrabantur. Eadem opinio etiam obsessorum animos extulerat; itaque ancipiti prælio castra Romana oppugnabantur, nec satis defendi poterant. Cumque facile remedium adhiberi posset, si aduocatis è maioribus castris auxilijs, alij superuenienti hosti resisterent, alij erumpentes Veios cohiberent, id tamen neglectum est: castris enim præerat Virginius, priuatim Sergio inuisus, atque infestus.

XIII. Priuata inimicitia ducum afferunt cladem.

Is cum pleraque castella oppugnata, superatas munitiones, vtrimque vehi hostem nunciaretur, milites nihilominus in armis tenuit, si opus foret auxilio, collegam dictitans ad se missurum. Huius arrogantiam pertinacia alterius æquabat, qui ne quam opẽ ab inimico petijsse videretur, vinci ab hoste, quam vincere per ciuẽ maluit. Diu in medio cæsi milites. Denique desertis munitionibus, aliqui in maiora castra, maior pars Romam cum Sergio se contulit. Eo cum aduocatus esset Virginius, multis inter se in Senatu certauere maledictis; visum est Senatui nouos Tribunos ante legitimum tempus creare. Huic decreto cũ Tribuni obsisterent, quod id cum sua contumelia coniunctum dicerent; victi tamen siue Tribunorum plebis minis, siue C. Seruilij Halæ denunciatione, qui se Dictatorem dicturum ferebat, magistratu abierunt; & creati sunt Trib. mil. qui Cal. Octobr. magistratum inirent, cum hactenus solennis dies in Idus Decembris caderet, vt scribit l. 5. Ex quo intelligitur iam per aliquot secula ante annum Iulianum, qui est 708. ab Vr. Cond. res à magistratibus gestas, & eorum initia, non male cum illis ipsis annis Iulianis, qui à Ianuario incipiunt, conuenisse.

Noui Tribuni creati.

ANNVS MVNDI 3654. SEXTAE ÆTATIS, & Imperij Persarum 138. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan Pontificis 5. Olympiadis XCV. An. 1. Prætore Lachete. Vrb. Cond. 353. Trib. L. Valerio Potito IV. M. Furio Camillo II. M. Æmilio Mamerco III. & alijs tribus.

ANNVS ANTE CHRISTVM 399.

I. Semina belli Persas inter et Laced.

ETSI bellum à Cyro, & Græcis superiore anno contra Artaxerxem infœliciter gestum, satis ampla belli semina inter Græcos & Persas iecisset; quia tamen ea expeditio publico Græcorum consensu suscepta non apparebat, ne Persas quidem contra Lacedæmonios armauit. Etsi eos Tissaphernes, toto pene itinere, hostiliter persecutus esset, eorumque primarios, contractus fideique, partim occidisset, partim regi mactandos tradidisset. Ast vbi Tissaphernes, qui egregiam in hoc bello Regi Artaxerxi operam nauarat, propterea que Regis gener effectus, vt Diodorus author est, non solam Prouinciam sibi pridem commissam, sed eam etiam quæ Cyro parebat, à Rege obtinuisset, totiusque oræ maritimæ Satrapa factus esset, aperta, hoc anno primo Olympiadis nonagesimæ quintæ, qua Minos Atheniensis in stadio vicit, & qua in Iudæa sabbaticũ annum 55. celebrari oportuit, belli causa exorta est. Cũ enim vellet Tissaphernes oẽs ciuitates Ionicas imperio suo parere. Illæ verò, quod partim se in libertatẽ vendicare cuperent, partim Tissaphernem metuerent, quia Cyrum, dum is adhuc esset in viuis, Tissapherni prætulerant, eum in vrbes suas admittere nolebant, sed missis Lacedæmonem legatis petebant, vt quandoquidem ipsi Græciæ præsides, ac duces essent, se natione Græcos, habitantes in Asia non negligerent.

II. Græci de Persis detrahunt.

SCRIBIT Plutarch. in Artaxerxe, Græcos ab expeditione redeuntes magnum in contemptum Persas adduxisse, quod dicerent Persarum & Regis res, vim auri esse, & luxum, & mulieres: cætera fastum, ac minas; eoque factum esse, vt tota se erigeret Græcia, & despiceret Barbaros. Tũ Lacedæmonij turpe ducerent, nisi Græcos Asiam incolentes eximerent seruitute.

Lacedæmonij Thimbronem contra Tissaphernem mittunt.

Lacedæmonij ergo Thimbronem præfectum ad eos cum copijs mittunt, nimirum ex nouorum popularium numero mille, ex reliquis Peloponnesijs, plus minus 4. millia. Atheniensium equitum trecentos, quo equitatu nuper triginta tyranni vsi fuerant, eumque Spartani in malam rem abire cupiebant. Cum ijs copijs Thimbro in Asiam traijcit, quibus qui ex Persidis expeditione redibant, cum se adiunxissent, aduersus Tissaphernem, etiam in planicie, struebat, aciem, oppidaque partim sponte dedita suam in potestate accepit, partim vi occupauit, Larissam diu obsedit. Eam vocat Ægyptiam Xenophon, datam videlicet Ægyptijs à superiore Cyro.

III. Inde ꝗ Dercyllidam

CVMQVE nihil agere videretur, Ephori Dercyllidam mittunt, qui ei in imperio succederet. Verum Dercyl-

an. 139. bidæ res Diodorus in sequentem annum differt. Thymbro autem domum reuersus, accusatus à socijs, quod exercitui licentiam dedisset spoliandi fœderatos, damnatus exulatum abijt. Xenoph. l. 3. Diodorus hoc ipso primo anno huius Olymp. tradit Socratem Atheniensium philosophum ab Anyto & Melito læsæ pietatis in deos, & corruptæ iuuentutis accersitum, capite fuisse damnatū, & hausta cicuta perijsse. Cuius iniquissimæ actionis, inquit, populum statim pœnituit, omnemque iram in eius criminatores vertit, eisque, ne dicta quidem causa, supplicium capitis irrogauit. De anno primo Olympiadis 95. consentit Laërt. l. 2. ex Apollodoro, & Demetrio Phalereo, & iterū in vita Xenophontis, ait illum anno vno Socratis mortē cum Cyro expeditionem fecisse: qui etiam rectè septuagesimo ætatis anno mortuum tradunt, tot enim anni numerantur ab anno quarto Olympiadis Septuagesimæ septimę ad præsentem annum. Ergo Eusebij Chronicon, in quo mors eius differtur in annum secundum, vel tertium huius Olympiadis, corrigendum est; sicut & Suidas, qui ei annos vitæ tribuit octoginta.

IV. Romana res. Romæ hoc anno domi militiæque Tribuni sex Consulari potestate multa habuerunt quæ gererent. Nam & bellum multiplex fuit eodem tempore, & ad Veios, & ad Capenam, & ad Falerios, & in Volscis, vt Anxur ab hostibus recuperaretur. Romæ quoque tam delectu habendo, quam tributo conferendo laboratum est, & de Tribunis plebis cooptandis contentio fuit. Denique iudicia duorū, qui paulò ante Tribuni militares fuerant, non paruum motum exciuere.

Querela Trib. plebis de tributo, &c. Et primum cum magnus militum delectus habendus esset, etiam seniores coacti sunt nomina dare, vt vrbis custodiam agerent; cumque nihilominus ad tributum adigerentur, enimuero illi ægrè ferre, quod perinde Reipub. operam nauarent militarem, siue domi, siue foris milites agerent. Hæc tribuni plebis querelis publicis inflammabant, plebem tributo, militiaque confici, cum nullum æstatis, hyemisue sit discrimen; bellum consultò malè geri, vt diutius geratur, & alia id genus.

V. Patricii Tribunatum ambiunt. Neque vero hunc vnum querelarum campum habuere Tribuni plebis hoc anno. Cum enim numerus eorum Tributis comitijs expletus non fuisset, quod scilicet 18. tribuum suffragia aliqui è candidatis non obtinuissent, pugnauere patres, vt in loca vacua Patricij cooptarentur. Id cum impetrari non potuisset, effectum tamen est, vt duo, quales Senatus optarat, cooptarentur. Id verò Trebonius tribunus plebis vehementer conquestus, iram populi tam in cooptatos, quam in cooptantes concitauit, legē Treboniam sublatam vociferans, cooptatos Tribunos plebis, non populi suffragijs, sed imperiō Patriciorum; & eo deuolui rem, vt aut Patricij, aut Patriciorum asseclæ Tribuni habendi essent. Ergo cæteri Tribuni aliud iræ popularis subiectum, callidè tradidere, vt ab re sibi molesta eū auerterent.

VI. Tribuni mil. anni præcedentis damnati. Dvos tribunos militares suggerunt, maturius nuper magistratu perfunctos, & inuidia rei ad Veios malè gestæ flagrantes, quibus diem dicunt, quorum causam odio diuturnæ militiæ, & tributorum aggrauant, & amissione ciuium, & præiudicio Senatus, qui eos maturius dignitate deiecerit, quasi stare diutius Resp. his manentibus in magistratu non posset; ea re non ipsis irrogatam pœnam, sed ereptam esse diutius nocendi potestatem, quippe & cæteris collegis abrogatum imperium, qui nihil deliquissent. His alijsque acerbioribus incitata plebs denis millibus grauis æris condemnat reos, singulos ne anvtrumq; simul? Eam summam ducentis tantum Franciæ Cenalis æstimaret. Ex quo etiam iudicio illud elicuit malitia Tribunorū, vt pro Sergijs & Virginijs, plebs animum adijceret, ad plebeios ad summum magistratū promouendos. Legem etiā agriam promulgant, & tributum conferri prohibent. Ex quo & periculum seditionis nascebatur in castris, & bellū parum prosperè geri poterat. Itaque nihil in bello admodum insigne gestum est, continuata Veiorum obsidio, Anxur nequicquam oppugnatum, postquam prima vis irrita fuit, vallo fossaque obsideri cœptum.

ANNVS MVNDI 3655. SEXTÆ ÆTAtis & Imp Pers. 139. Axtaxerxis Mnemonis, & Ionathan. Pontif. 6. Olympiadis XCV. An. 2. Prætori Aristocrate. Vrb. C. 354. Tribb P. Manlius. P. Titinius. P. Melius. L. Furius Medullinus. L. Popilius Volscus. & P. Licinius Caluus Plebeius.

ANNVS ANTE CHRISTVM 498.

I. Dercyllidas duces Persarum inter se suspectos reddit. Cvm bellicæ res non benè à Thimbrone in Asia geri viderentur, quod illi Larissæ obsidio parum succederet, ei hoc anno Lacedæmone suffectus est Dercyllidas, vt ait Diodorus: qui quod vir ingenio acri ac solerti existimabatur, Sisyphi cognomen habebat, teste Xenoph. l. 3. Hic cum Tissaphernem ac Pharnabazum inuicem sibi suspectos non ignoraret, habito cum Tissapherne colloquio, militem in Pharnabazi ditionem abduxit; cum alterutro enim quam cum vtroque bellum gerere malebat; & præterea veteres etiam inimicitiæ, Dercyllidam inter & Pharnabazum, intercedebant. Sisyphus. Dercyllidas ergo cum & verbo diceret, & factis ipsis doceret se Asianis Græcorum ciuitatibus libertatem duntaxat quęrere, suisque vt legibus viuerent, diebus octo nouem oppida cepit, in quorū vno congestas inuenit opes, Asianos Græcos liberat. quæ in annum vnum stipendio sufficerent octo militum millibus, quæ Midias improbè, ac flagitiosè deprædatus fuerat, occisa socru sua Mania clarissima fœmina, cum filio eius adolescente lectissimo, annorum ferè 17. & eius vrbibus occupatis, quas ei Dercyllidas mira fœlicitate eripuit; Mira eius felicitas. quam rem fusius apud Xenophontem leges. Vt mirum sit à Plutarcho scriptum esse in Artaxerxe, nihil à Thimbrone, aut Dercyllida memorabile gestum esse.

II. Hyemat. in Bithynia. Deinde secum ipse deliberauit, quo pacto fieri posset, vt sine sociorum molestia hyemen cum copijs transigeret, neque Pharnabazus cum copijs equestribus oppida Græci nominis infestaret. Quare ad eum misit, qui interrogaret pacemne an bellum mallet; ille inducias elegit, quas octo mensium fuisse Diodorus refert, sed inducias priores cum posterioribus miscet, & res in vtrisque gestas, quas Xenophon, ex rei gestæ veritate, accuratè distinxit. Quæ res vbi successisset, Dercyllidas Bithinicam in Thraciam profectus, ibidem hybernauit, nō admodum hoc grauiter ferente Pharnabazo, quod Bithyni sæpius illi bellum facerent. Ibi ergo Dercyllidas nullo periculo, magna commeatus copia tota hyeme abundauit; sed eius fœlicitatem sociorum quorundam temeritas nonnihil obscurauit.

III. Conon pro Persa Nauarchus. Interea Pharnabazus per harum induciarum tempus ad regem ascendit, vt ait Diodor. hoc anno, eique persuadet vt adornata classe, Cononem Atheniensem Nauarchū ei præficiat, egregium bellatorem, qui tum in Cypro apud Euagoram regem agebat, non securitatem sectans, sed opperiens rerum aliquam conuersionem, sicut in mari æstuū reciprocationem, vt ait Plut. in Artax. *Qui cum videret*, inquit, *sua consilia viribus, & Regis vires viro prudente egere, ad regem misit de rationibus suis epistolam.* Forte etiam tunc opportune adfuit Pharnabazus, (vt Plutarcho Diodorum consiliemus) qui Rege in eam sententiam adducto, quingentis acceptis talentis, classem apparare maturauit. Tum Cononem, post habitum de prætura nauali colloquium imperio maris præficit, multa Regis nomine præclara ei pollicitus. Conon itaque conditionem gerendi magistratus accepit, vt qui speraret se & patriæ imperium, debellatis Lacedæmonijs, recuperaturum; & magnam virtutis gloriam sibi ipsi comparaturum. Ergo classe quamuis nondum satis instructa, & perfecta, cum 40. nauibus, quas tum paratas habebat, in Ciliciam deuehitur, & ad bellum gerendum se parat. Supradictum est Cononem cum octo nauibus in Cyprum vela fecisse. Reliquæ ergo paulatim eo ab Atheniensi clade confluxerant.

IMPERII PERSA. AN. 140.

IV. *Plebs Romana ad Tribunatum milit. admissa.*

ROMÆ hoc anno ad summum honorem plebi patefactus est aditus,&,vel vsurpandi sui iuris causa, vnus P. Licinius Caluus factus est Tribunus militum,vir nullis ante functus honoribus,vt ait Liuius, sed vetus tantum Senator,& ætate iam grauis. Ex quo intelligitur quantum sit discrimen inter Patricios & Senatores, cum etiam isti in plebe,sicut & equites,censerentur; illi autem primam nobilitatem soli constituerent. Hac victoria Comitiorum exultantes Tribuni plebis,quod maxime Remp. impediebat,de tributo remiserunt:collatum obedienter, missumque ad exercitum est.Anxur in Volscis breui receptũ est,neglectis die festo custodijs vrbis.

Insignis annus hyeme gelida,ac niuosa fuit,adeo vt viæ clausæ, Tiberis innauigabilis fuerit. Et quia Publius Licinius, vt cœperat haud tumultuose magistratum gerere, maiore gaudio plebis,quam indignatione patrum, ita etiã gessit: dulce visum est proximis etiam comitijs Tribunos militum plebeios creare,vt proximo anno dicetur.

ANNVS MVNDI 3656. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Per.140. Artaxerxis Mnemonis & Ionathan Pont.7. Olympiadis XCV. an.3. Prætore Ithycle. V.C.355. Trib. M. Veturio Patricio; L. Titinio, P. Mnenenio Racilio, Cn. Genutio, L. Atilio Plebeis.

ANNVS ANTE CHRISTVM 397.

I. *Dercyllidas rem bene gerit in Thracia. Chersonesum muro claudit, isthmi eius longitudo.*

INEVNTE verè Dercyllidas, ex Bithynorum finibus excedens, Lampsacum venit, vbi didicit ex Lacedæmoniorum legatis ad se missis, prorogatum sibi in húc annum imperium; Audijt etiam Chersonesum Thraciæ,propter assiduas Thracum incursiones, coli non posse,ideoque & Spartæ legatos eorum esse auxilij causa: optari vt in Isthmo murus duceretur, qui Chersonesios à Thracibus diuideret. Dercyllidas consilio suo tecto, legatos misit ad visendas vrbes,quas dudum constituisset, pace ipsis ac libertate restituta. Interim ipse rursum Pharnabazum missis nuncijs interrogat,induciasne,quæ per hyemem fuissent,an bellum mallent? Cumque Pharnabazus hoc quoque tempore inducias bello prætulisset, traiecto Hellesponto in Chersonesum venit, Thraces primùm è regione expulit,vt ait Diodorus,tum Isthmum,qui 37. stadijs porrigebatur,muro intercludere incipit, & locum vniuersum in milites partitus,propositis præmijs, murum verno tempore inchoatum,ante autumnum absoluit: intra murum ipsum vndecim oppida,portus plures, agrum fertilem,pascua pulcherrima complexus, in Asiam magnificis honestatus muneribus, vt ait Diodorus, rursum traiecit. Vbi cum reperisset à Chiorum exulibus oppidum Atarna occupatum,illud obsedit, & intra octauum mensem ad deditionem compulit, inde Ephesum contendit, itinere tridui sitam à Sardibus.

II. *Ephororum ad eum mandata.*

INTEREA cum legati Ionicorum oppidorum Lacedæmonem profecti docuissent posse adigi Tissaphernem, quo cum adhuc Dercyllidas pacem habuerat, ad permittendum vt Græcæ vrbes,quæ in eius erant ditione, suis legibus viuerent, si Caria domicilium eius infestaretur; scripserunt Ephori ad Dercyllidam, vt cum copijs suis in Cariam se conferret; præterea vt Pharacus nauarchus cum nauibus oram Cariæ legeret.

Eius cum Persis colloquium in Ionia.

Pharnabazus autem cum Tissapherne in Cariam profectus erat, vt cum eo de bello communi nomine gerendo,& Græcis finibus regis eijciendis ageret: eodem & Dercyllidas cum Pharaco venerat, qui cum vidissent Persas in Ioniam regredi,veriti ne Persæ Ioniam à præsidijs nudam percurrendo popularentur,Ioniam & ipsi repetunt. In via cum vtraque acies vtrique agnita fuisset,ad prælium se cõpararunt. Persæ 20. millia peditum habebant,equitum decem millia; Dercyllidas non plures septem millibus milites sub signis habebat,vt ait Diodorus. Verũ Tissaphernes ratus omnes Græcos ijs similes, quos in Persidе acerrimos bellatores esset expertus, ne quidquam hortante Pharnabazo,prælium detrectabat: denique datis obsidibus ad colloquium ventum est. Dercyllidas, vt pax iniri posset, requirebat vt Rex oppida Græci nominis, legibus, & institutis suis vti sineret; Persæ vt Græcæ copiæ Regis è finibus, & Lacedæmoniorum præfecti oppidis excederét. Hæc inter se collocuti,inducias pacti sunt, donec Dercyllidas Lacedæmonem, Tissaphernes rem ad regem retulisset.

PRIMA LECTISTERNIA ROMÆ.

Conditiones pacis propositæ.

III. *Tristis Romæ.*

ROMÆ vnus M. Veturius ex patricijs candidatis locum tenuit, reliquos quinque Tribunos militum consulari potestate omnes fere centuriæ ex plebe dixere: quos varij varie nominant,vt patet ex Sigonio Onuphrio, Cuspiniano,nobis vnus sufficit Liuius,ex quo illos retulimus. Idem ait hæc noua comitia tristem hyemem,æstatem grauem,& pestilentem omnibus animalibus excepisse: cuius insanabili pernicie,inquit, cum nec causa nec finis inueniretur, libri Sybillini ex Senatusconsulto aditi sunt, Duumuiri sacris faciendis,per dies octo Apollinem, Latonam, & Dianam,Herculem, Mercurium, atque Neptunum,tribus lectis, quàm amplissimè tum apparari poterant, stratis placauere: Lectisternia inde dicta, quibus hoc anno initium factum est. Addit etiam magna tum omnes inter se familiaritate,nullo notorum ignotorumue discrimine, vsos,& vinctos quoque è carcere eductos fuisse: quod videri potest à malo dæmone hoste hominum, & funerum amatore institutum,vt pestis magis magisque contagione vulgaretur.

Lectisternia.

IV. *Res ad Veios gestæ.*

INTEREA ad Veios, quos Romanus miles adhuc obsidebat,multiplex terror fuit,cum eis Capenates, & Falisci improuisi subsidio venissent,& munimenta vt antea inuasissent. Sed damnari Sergij & Virginij memoria adiuuit. E maioribus castris propinus subuentum est; breui spatio circumductæ copiæ,Capenates in vallum Romanum versos,à tergo aggrediuntur. Inde pugna cœpta & Faliscis terrorem intulit; trepidantesque eruptio è castris opportune facta auertit;repulsos deinde insecuti victores, ingentem ediderunt cædem. Vientium quoque in vrbem refugientium multi ante portas cæsi, dum præ metu, ne simul Romanus irrumperet,obiectis foribus extremos suorum conclusere.

ANNVS MVNDI 3657. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Pers. 141. Artaxerxis Mnemonis & Ionathan Pont.8. Olymp. XCV. An.4. Archonte Lysiade. Vrb. C.356. Trib. L. Valer. Potito, V. M. Valer. Maximo, M. Furio Camillo III. L. Furio Medullino III. Q. Seruilio Fidenate II. Q. Sulpitio Camer. II. omnib. Patricijs.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 396.

I. *Rex Agis Spartanus moritur.*

AGIS Lacedæmoniorum Rex hoc anno mortuus, Agesilaum habuit Lacedæmone successorem. Id series narrationis Xenophontis exigit, & Diodorus in extremũ hunc annum affirmat.

Xenophon ait eum in reditu ex oraculo delphico, ægrotare cœpisse apud Heræam,ac viuum Lacedæmonem deportatum,statim mortem obijsse, cum esset iam senex; cumque honorificè tumulatus esset, ac dies aliquot de more abijssent,ac regem designari oporteret, contendebant inter se de regno Leotychides, qui se Agidis filium perhibebat, & Agesilaus Agidis frater, qui ex lege sibi regnum deberi asserebat,quod Regi sine liberis defuncto, frater deberet succedere, Leotichydem autem Agidis filium non esse, quod pater ipse affirmarat; & tempus eius absentis,& huius natiuitatis probaret, eum Alcibiadis,nõ Agidis filium esse.

II. *De Regno litigant Agesilaus & Leotychides.*

LEOTYCHIDE è contrario multis testibus comprobante, Agidam moribundum eum pro filio agnouisse: id

enim

enim Leotychides, & amici eius multis obsecrationibus à sene moriente expresserant. Eum iuuabat etiam Diopithes quidam vates, qui Apollinis oraculum referebat, quo iubebantur Spartani prohibere ne regnum claudicaret. Claudus autem erat Agesilaus. At Lysander interpretatus est oraculum, non de rege altero pede claudicante, sed de altero Lacedæmoniorum rege, qui non esset ex progenie Herculis: sic enim arbitror accipiendum oraculum, licet paulo aliter Xenophon l. 3. hist. & Plutarchus in Lysandro, qui addit etiam opes Lysandri, vt rex renunciaretur, iure ualuisse. Quibus intellectis ciuitas prætulit Agesilaum.

Vincit Agesilaus ope Lysandri.

Is cum nondum anni vnius spatio regnum obtinuisset, ingens coniuratio aduersus Rempublicam detecta, & ab Ephoris prudenter oppressa est.

III. Iis supplicio affectis, Syracusanus quidam è Phœnicia veniens Lacedæmonijs nunciat, ibi classem trecentarum nauium, tum à Tissapherne, tum à Rege parari; quo autem ea mittenda esset, ignorare se fatebatur. Ita Xenophon; quibus satis conueniunt, quæ supra de Conone ex Diodoro diximus, licet Cononis non meminerit Xenophon.

Agesilaus in ... expeditio.

Excitatis hoc nuncio Lacedæmonijs, & quid faciendũ esset deliberantibus, Lysander Agesilao persuadet, vt ille se in Asiam expeditionem suscepturum polliceretur, si triginta Spartani sibi adiungerentur, qui suo consilio ei adessent, & tyrannorum duo millia; quæ Lacedæmonij facilè concesserunt: addiderunt etiam tantum commeatus, quãtum in sex menses sufficeret. Addit etiam Plutarchus Lysandrum scripsisse ad amicos in Asia, vt ad mouendũ Barbaris bellum, ducem poscerent Agesilaum, idque per legatos factum, quod decus regno non inferius, Agesilaus acceptum retulit Lysandro. Breui ergo copijs congregatis, Ephesum cum Lysandro & classe peruenit.

IV. *Fœdus cum Tissapherne ... iuratum, ... violatum.*

Eo vt delatus est, misit ad eum Tissaphernes, qui suo nomine quærerent, cuius rei gratia venisset. Agesilaus autem, vt Asiæ ciuitates, inquit, perinde liberè legibus vtantur suis, atque aliæ quotquot apud nos in Græcia sitæ sunt. Tissaphernes ad illa vicissim, inducias cum illo paciscì desiderat, dum regem consuluerit, sperans id à rege impetratum iri. Assensus est Agesilaus, additumque à Persa, Græcisque iusiurandum, omnino sine dolo malo se pacem procuraturos.

Verum impius Tissaphernes quamprimum iusiurandũ violauit. Imò & cùm illud ederet, peierabat: fucum enim duntaxat Agesilao faciebat, vt moras necteret, dum copias à Rege maiores acciperet. Quæ licet Agesilaus persẽtisceret, inducias tamen, Ephesi otiosus seruabat.

V. *Lysandri apud Agesilaum gratia.*

INTEREA pleræque ciuitates, quarum administratio perturbata erat, ad Lysandrum, cuius magna erat apud Agesilaum gratia, & à quo ipsi non ita pridem suarum rerumpublicarum Decemuiratus iam collapsos acceperant, quem postremo familiarius notant, frequentes ventitabant, rogantes vt quæ cuperent, ipsi ab Agesilao impetraret. Cumque ita fieret, vt magna eum turba hominum coleret, & sectaretur, & Agesilaus quasi priuatus quispiam, Lysander Rex esse videretur, excitata est videlicet inuidia Agesilai, præsertim extimulantibus triginta Spartanis, qui cum ipso erant, qui dicebant, Lysandrum in leges peccare, qui regium fastum priuatus longè superaret.

In contemptum versa.

Dolorem suum non verbis, sed factis, præ se tulit Agesilaus. Quotquot enim ab Lysandro commendabantur, re infecta discedebant; reliqui voti compotes fiebant. Itaque Lysander ea re animaduersa, nemini deinceps patronus fiebat, sed eos sine interprete ad Agesilaum mittebat: apud quem cum quereretur Lysander, cur ita amicorum auctoritatem, ac gratiam infringeret; respondit se id facere in eos, qui ipso maiores uideri vellent. Qua in re apparuit illius prudentia, qui superbos amat deijcere, & humiles in altum euehere. Nam qui dudum princeps omnia moderabatur, nunc ne mediator quidem esse potest. Sed in eo quoque desiderata prudentia, qui superbia flatus non intellexit, subditum principis sui luminibus obstruere non debere. Itaque cum Agesilaus volentem ac postulantem in Hellespontum ageret, vbi ei nihilominus fidelem operam nauauit. Hæc fere Plutarch. ex Xenophonte.

VI. *Tissaphernes bellũ Agesilao denunciat.*

INTEREA cum Tissaphernes copias à rege accepisset, elatus animo bellum Agesilao denunciat, in Asia excederet. Is hilari vultu Tissapherni legatos renunciare iubet, magnam se ipsi gratiam habere, quod peierando deos sibi quidem infestos, Græci verò socios & auxiliares reddidisset. Indeque copias suas ex socijs ciuitatibus contrahit, & parare profectionem in Cariam iubet; vbi Tissaphernes domicilium habebat. Quod ille prouidens, equitatum in media planicie instruit, vt eo expertem Agesilaum, & pedite tantum instructum facilè superaret.

Agesilaus equitatũ parat.

Sed is conuerso in Phrygiam itinere, peditum prælijs quam equitum aptiorem, Persam delusit, oppidaque in itinere sita subegit, & nec opinata irruptione magnam opum copiam cepit, donec in occursu equitatus Pharnabazi velitatione facta, iter reflexit ad mare, daturus operam equitatui comparando, & exercendo in hybernis dum proximo verè aperto campo cum hoste confligere posset: idque perfecit immunitate militiæ data ijs, qui suo loco equitem armis instructum suppeditarent, qui sibi gratificari Agesilaum credebant, quasi sibi per eum liceret, aliquem substituere suo loco moriturum.

VII. *Tribuni militum omnes patricij creati.*

ROMÆ autem cum Tribunorum militarium comitia adessent, eorum prope maior patribus, quam belli cura erat; cernentibus non communicatum modo cum plebe, sed prope amissum summum imperium. Itaque clarissimos viros ex composito pararunt ad petendum, quos prætereundi verecundiam fore crederent. Inde etiam religionem iniecerunt, quasi duobus hisce annis deorum irã sensissent, indignantium honores volgari, discriminaq; regentium confundi. Itaque siue maiestate petentium, siue religione attoniti, patricios omnes Tribb. militum creauere. A quibus tamen nihil eximium geri contigit. Prodigium hoc anno narrat Liuius Albani lacus excrescentis, in quo à Romanis exhauriendo ferebatur victoriam de Veijs esse positam. Qua de re oratores ad oraculum Delphicum missi, non prius redierunt, quam noui Tribuni creati sunt.

VIII. *Lacus Albanus.*

PLVTARCHVS in Camillo ait Albanum lacum, qui neque aliunde ducit originem, neque alio se effundit, pinguibus clausum montibus, nulla de causa, nisi si qua diuina, inflatum ita intumuisse, vt pertingeret ad dorsa montium, & summos vndequaque tumulos æquaret, sine æstu tamen insurgeret, vel vllo fluctu.

Hoc ipso tempore Plinius scribit Zeuxim nobilem pictorem floruisse, quem mirum est à Pausania fuisse plane prætermissum. Mirum quoque referri ab Eusebio in Olympiadis septuagesimæ octauæ primum: certè Suidas Plinio assentitur, cum eum Isocratis tempore floruisse testatur. Vixit autem Isocrates ad multos adhuc annos, vt qui centesimum prope confecit, vt autor est M. Tullius.

ANNVS MVNDI 3658. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Pers. 142. Artaxerxis Mnemonis & Ionathan Pont. 9. Olymp. XCVI. An. 1. Archonte Phormione. Vrb. C. 357. Trib. L. Iulio Tullo L. Furio Medullino IV. L. Sergio Fidenate, A. Posthumio Regillensi & alijs duobus.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 395.

I. *Lysander ... in Hellespontum ... mittitur.*

VER erat, & tempore militarium exercitationũ transacto, ludicra certamina in seriam erant pugnã conuertenda. Olympica etiam certamina repetebantur, quadriennio nonagesimo sexto ineunte, quo Eupolemus, siue Eupolis stadij palmã tulit, & Xenocrates, tertius olim

in Pla-

in Platonis schola professor futurus, natus est: cum elapso, vt ait Xenophon, anni spatio à discessu Agesilai ex patria, triginta viri, quos Plutarchus consiliatios Agesilai vocat, in patriam, cum eorum principe Lysandro reuocantur, alijs in eorum locum suffectis, vbi cum se vilem, atque in ordinem redactum videret, conatus est, per oraculorum corruptelas viam sibi ad regnum munire, vt refert Plutarchus. Sed hæc probabilius ad anteriora tempora retulimus, cum adhuc potentia & gratia apud omnes vehementer floreret, & Agis propediem moriturus videretur.

II. *Agesilaus pugnat feliciter cum Tissapherne.*

PVGNAVIT interea ad Pactoclum fluuium vicinum Sardibus Agesilaus, cum equitatu Persarum; & victoria ac castris potitus, inter alias opes, quas captas talenta septuaginta excedere comperit, etiam camelis potitus est; quæ deinde in Græciam abduxit. Dum hæc pugna committeretur forte Sardibus erat Tissaphernes; quare factum vt eum Persæ insimularent, quasi ab eo deserti, proditique fuissent. Quæ accusatio cum ad regem Persarum delata esset, isque persuasum haberet eius vnius culpa res suas male habere, misso Tithrauste caput ei præcidi iussit. Odium Regis in Tissaphernem domi exacuebat Parysatis, Regis mater, quæ illum oderat, quod Cyri in fratrem expeditionem celeriter detulerat, quem voluisset nefaria mulier à Cyro improuisum opprimi, & regnare: idque notat Diodorus. Ergo Tissaphernes multorum criminum reus, capite truncatur.

III. *Tithraustes pacem cum Græcis quærit.*

EA re confecta legatos ad Agesilaum Tithraustes misit, qui eum monerent, vt quoniam belli author & fautor inter Græcos & Persas, merito esset affectus supplicio, impetrata à Rege ciuitatibus Græcis, quæ erant in Asia potestate vtendi legibus suis, patriam ipse repeteret, illæ autẽ regi pristinum tributum penderent. Negauit Agesilaus id se posse agere, nisi responso Lacedæmone accepto. Interea Tithraustæ consentit in Phrygiam, quæ erat in ditione Pharnabazi, concedere, triginta talentorum commeatu accepto: vbi etiam nuncium ab Ephoris accepit, quo iubebatur etiam Classis imperium arbitratu suo capere, ac præfectum classis constituere, quem ipse vellet: sic enim arbitrabantur fore, vt cum vterque exercitus in eiusdem Imperatoris potestate esset, alter ab altero auxilium & robur acciperet. Classem collegit 120. nauium, cui Pisandrum vxoris suæ fratrem præfecit, ipse in Phrygiam profectus est.

Agesilaus Classis quoque imperium accipit.

IV. *Tithraustes Græcos largitione corrumpit, vt Agesilaus in Græciam reuocetur.*

AT Tithraustes, qui animaduerteret Agesilaum discessum in patriam nequaquam meditari, sed victoriam potius de Rege Persarum, consilium cœpit res in Græcia perturbandi. Itaque eo Timocratem Rhodium, cum quinquaginta auri talentis mittit, quæ in præsides ciuitarum distribueret, acceptis quam maxime posset fidei pignoribus, quo bellum illi Lacedæmonijs inferrent. Distributæ sunt in primis pecuniæ Thebanis, Corinthijs, Argiuis, qui Lacedæmonios criminari, & odium eis conflare cœperunt; quod nihilominus faciebant Athenienses, licet huius auri participes non fuissent.

Thebani bellum in Spartam mouent.

Thebani ergo vicinos Phocenses excogitata occasione inuadunt, persuasi illos Spartam auxilij causa ituros, sicq; se bellum contra Lacedæmonios gesturos, quod Spartani libenter acceptarunt, non leuibus iam ex causis Thebanis infensi. Eo Lysandrum præmittunt sociorum auxilia collecturum, quo mox Pausanias cum domesticis copijs erat venturus. Hic Thebani Athenienses adeunt, classicum in Lacedæmonios insonant, & in spem pristinæ gloriæ exsuscitant. Nec frustra, auxilium Thebanis contra Lacedæmonios decernitur.

V. *Lysander ad Haliartum interficitur.*

INTEREA Lysander prius ad Haliartum quàm Pausanias præsto fuit, ea erat Bœotiæ ciuitas Thebanorum socia, & rei gerendæ cupidus, exercitum Lacedæmone venientem cum Pausania expectare noluit, occupatæ vrbis gloriam sibi vni ambiens; vbi tamen pro victoria mortem inuenit. Suadebat oppidanis, vt à Thebanis deficerent, & se in libertatem vindicarent. Quod cum Thebani, qui intus erant, prohiberent, muro copias admouit. Thebani illico ad auxilium accurrunt, ad ipsa mœnia pugna committitur, & ibi Lysander interficitur. Eo deinde cum Pausanias venisset Lacedæmonius, venissent & Athenienses pro Thebanis, cum se vtrique meruerent, à pugna temperatum est. Pausanias per inducias corpora Lysandri, & reliquorum tollere vult. Negant ea Thebani se reddituros alia conditione, quam vt finibus suis Lacedæmonij excederent. Ea res perlubenter audita, sublatisque cadaueribus è Bœotia tristes domum reuersi sunt. Vbi Pausanias ob rem male gestam capitis iudicium subijt: sed ipse Tegeam Arcadiæ vrbem fuga se recepit, vbi morbo extinctus est. In delubro Mineruæ supplicem vitam transegisse, Plutarchus addit. Diodorus eius mortem in annum tertiũ huius 96. Olympiad. refert, & 14. annis regnasse ait, totidemque eius filium Agesipolim.

Pausanias domum reuersus damnatur.

VI. *Lysandri paupertas gloriosa.*

NEC illud omittam de Lysandro ex eodem Plutarcho; detectam defuncti paupertatem, eius laudem reddidisse illustriorem, qui ex ingenti pecunia, potentia, vrbium clientela, & regno tali, rem familiarem ne obolo quidem reddidisset lautiorem. Malè scilicet parta malè dilapsa fuerant, quod vel ex conatu corrumpendorum oraculorum satis patet. Cumque proci, qui nuptias filiarum eius ambiebant, mox inopia eius post vitæ exitum erumpente, nuptijs renunciassent, mulctam eis Ephori dixerunt: quod eum, cum arbitrarentur pecuniosum, coluissent, iustum & probum ex tenuitate compertum, repudiauissent. Ex eo quoque patuit Lacedæmoniorum in defunctum Lysandrum beneuolentia: quod cum in eius scriptis inuenta illa esset oratio, qua suasurus erat populo regnum ex Heraclidarum familia ereptum in medio ponere, & electioni relinquere, Agesilao autores fuerunt eam orationẽ non proferre in lucem, sed nomine bene de republica meriti hominis parcentem, cum auctore defodere, quod superius alia occasione retigimus.

Honoratur à magistratu.

VII. *Agesilaus rem bene gerit in Asia.*

INTEREA Agesilaus res prospere gerebat in Asia, & Phrygiæ vrbes partim vi, partim deditione sibi adiungebat, & regem Paphlagoniæ in primis, à quo Agesilaus mille equites, & duo millia cetratorum accepit, opera Spithridatæ Persæ. Quam gratiam vt ei referret, filiæ ipsius nuptias cum Coti rege Paphlagonum conciliauit: & in regiam Pharnabazi profectus, eam cum vicinis vicis occupauit, & exercitum ibi illa hyeme continuit. Interim superueniente Pharnabazo, cum eo Græci quadam velitatione non bene pugnarunt, sed mox improuisi in eius castra irruentes, ijs potiti sunt, & cum alia multiplici præda etiam nobilem eius suppellectilem abstulerunt. Inde autem interueniente quodam Cyziceno Apollophane Pharnabazus cum Agesilao in mutuum colloquium de ineunda amicitia venerunt. In eo queri Pharnabazus male sibi gratiam beneficiorũ, ac beneuolentiæ à Lacedæmonijs reddi, cum illi de summa rerum contra Athenienses periclitarentur.

Eius cum Pharnabazo colloquium.

VIII. *Quem ad defectionem hortatur.*

AGESILAVS contra, eius rei culpam in belli conditionem reijcere, nec aliter fieri posse, quando contra dominum ipsius Lacedæmonijs bellum intercederet: hortari vt, facta à rege defectione, ipse res suas ageret, & Lacedæmoniorum amicitia frueretur. Quod se facturum Pharnabazus recepit, si quidem Rex ei mitteret successorem: sin ei imperium conseruaret, se pro ea contra Lacedæmonios pugnaturum. Ex quo apparet qualis esset Pharnabazi in principem suum fides; quam plerique mortales huius exemplo, propria gloria, & vtilitate metiuntur. Tum Agesilaus Pharnabazi apprehensa manu. Vtinam, inquit, vir optime cum talis sis, amico te vtamur! Vnum quidem hoc scito, me iam quanta celeritate potero tuis ex finibus excessurum: ac deinceps, rametsi bellum inter nos geretur, fore tamen, quandiu supererit alius, quem bello petamus, vt abs te, rebusque tuis abstineamus: statimque ex ipsius finibus discessit, cum iam ver non procul abesset. Xenoph. lib. 4. hist.

IX. *Sparta Ægyptum ad belli societatem vocat.*

Hoc ipso anno scribit Diodorus Lacedæmonios per legatos Nephræum, Eusebius Achorim vocat, Ægypti regem de armorum societate sollicitasse, qui auxiliorum loco Spartanis apparatum ad centum triremes, & quinquaginta millia tritici dono miserit. At Conon, qui insulam Rhodũ tenebat, qui interim Ægypto inscia à Lacedæ-

IMPERII PERSA. AN. 142. monijs ad Cononem, tum pro Persis dimicantem, deferretur, id frumentum nihilominus accepit, & vrbem annona repleuit, ijs futurum vsui, qui contra eos pugnaturi erant, quibus missa fuerat.

Res à Conone gesta. Interea Cono Persicæ classis præfectus, centum & septuaginta nauibus Hieronymo & Nicodemo socijs Atheniensibus commissis, in Persidem ad regem conueniendum properat, promittitque se Lacedæmonios naualibus copijs debellaturum, si pecunijs, cæteroque apparatu pro suo arbitrio instruatur: quo impetrato, assumpto sibi imperij militaris collega Pharnabazo, ad classem reuertitur. *Et bella in Græcia suscitantur.* Hic fuit hoc anno multarum turbarum, & redintegratorum in Græcia bellorum apparatus.

X. *Bellum contra Tarquinienses.* AT Romæ priusquam Delphis oratores redirent, Albaniue prodigij piacula inuenirentur, noui tribuni militum consulari potestate creati sunt, quos in huius anni titulo constituimus, de quibus patricijne, an plebeij fuerint Liuius tacet, vtrique relaturus, si quis in eis è plebe fuisset, aut aliquid ea de re proditum inuenisset. Hoc anno Tarquinienses noui hostes exorti Romanis. Nam quod eos multiplici bello occupatos videbāt, crediderunt impune se in agro Romano prædas acturos. Sed duo Tribuni A. Posthumius, & L. Iulius non iusto delectu, etenim à Tribunis pleb. impediebantur, sed prope voluntariorum, quos adhortando incitauerant, coacta manu per agrum Cæretem obliquis tramitibus egressi, redeuntes à populationibus, grauesque præda Tarquinienses oppressere. Multos mortales obtruncant, omnes exuunt impedimentis, & receptis agrorum suorum spolijs, Romam reuertuntur.

XI. *Bellum Veiense.* BELLVM interim Veiense trahebatur, cum Oratores Delphis redeunt, Albani lacus expiationem referunt. Inuentum etiam magistratus vitio creatos, Latinas ferias, & sacrum in Albano monte non ritè concepisse. Itaque iussis tribunis abire magistratu, Interreges habēdis comitijs habiti sunt. L. Valerius. Q. Seruilius Fidenas, M. Furius Camillus. Nunquam interim desitum est turbari comitia, interpellantibus Tribunis pleb. donec conuenisset prius, vt maior pars tribunorum militum ex plebe crearetur.

Galli Hetruria. Quæ dum aguntur noui accolæ Hetruriæ Galli exoriuntur, qui Hetruriam metu perturbant. Nihilominus Hetrusci, si qui de suis Veijs opem ferre velint, non impediūt. Gallorum fama etiam Romæ mitigandis discordijs intestinis valuit, communis periculi metu.

ANNVS MVNDI 3659. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Pers. 143. Artaxerxis Mnemonis & Ionathan Pont. 10. Olymp. XCVI. An. 2. Prætore Diophanto. Vrb. Con. 358. Trib. P. Licinio Caluo, L. Titinio. P. Menenio. Cn. Genutio, L. Attilio.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 394.

I. *Agesilaus in patriam reuocatur. Xenoph. l. 4. hist. p. 3. gr. lat.* NON procul veraberat cum Agesilaus se comparabat, vt quam posset longissimè in Asiam progrederetur existimans se ustiones omnes; quotquot à tergo relinqueret, regi adempturum. Cum Lacedæmonij cognita conspiratione multarum ciuitatum contra se, Persica pecunia corruptarum, Agesilaum è medio victoriæ cursu in patriam, ad ei opem ferendam, reuocant. Quod ille omnium eo maiore cum dolore accepit, quo maioris gloriæ & victoriarum spem sibi infringi animaduertebat. Reditum tamen cum socijs maturare cœpit, cum bona spe ac desiderio, rebus in patria compositis, Asiam repetendi. Ergo relicto in Asia, sub Euxeno præfecto, præsidio 4. millium, quorum ope oppida tueri, atque in fide continere posset, in Græciam iter intendit.

II. *Victoria partam à Thebanis, Athen.* INTEREA in Peloponneso, magnis Thebanorum, Atheniensium, Argiuorum, Corinthiorumque coactis copijs contra Lacedæmonios: & Spartanorum vicissim, ac Sociorum contra ipsos, Agesipoli Rege Pausaniæ filio puero duce, & eius loco Aristodemo tutore eius, ad manus venitur, victoriaque penes Lacedæmonios stetit. Pugnam ad Nemæam fluuium commissam tradit hoc ipso anno Diodorus, & ad noctem vsque protractam; in qua de Lacedæmonijs, socijsque mille & centum ceciderunt; de hostibus, Bœotis scilicet & confœderatis, ad duo millia, & octingentos. Eius victoriæ nuncium Dercyllidas Amphipolim, quò iam peruenerat Agesilaus, defert, octo tantum Spartanos cecidisse, ingenti hostium multitudine interempta; non paucos tamen è socijs perijsse. Dum ille nuncium ad socias Lacedæmoniorum ciuitates defert, Agesilaus in itinere progrediens, Thessalos equestri pugna vincit, homines equestris rei peritia confidentissimos, & erecto trophæo in Bœotorum fines irrumpit.

III. *Spartani classe victi à Conone, & Pharnabazo.* Ibi sol instar lunæ falcatus conspectus est, & simul allatus est nuncius, quo ferebatur victos esse nauali prælio Lacedæmonios, Classisque præfectum Pisandrum, Peïsarchum vocat Diodorus, occubuisse. Cum haud procul à Cnido classis vtraque concurrisset; cum nauibus Phœnissis Pharnabazum classis præfectum affuisse, Cononem autem cum classe Græca prima in acie stetisse, socios Lacedæmoniorum, animaduersa magnitudine classis hostilis, fugisse; inde pugnam ac cladem secutam. Diodorus ait quinquaginta triremes à Lacedæmonijs amissas, reliquas Cnidum fuga incolumes peruenisse. Nimium facile est animaduertere Athenienses nauali prælio, Lacedæmonios autem terrestri victores euadere. Eam hostium victoriam, ne suorum animi debilitarentur, prudenter dissimulauit Agesilaus, Pisandri mortem duntaxat confessus, ex quo factum, vt in alia quadam velitatione vicerint.

IV. *Agesilaus Thebanos vincit ad Coronæam. Herod. l. 4. hist. p. 119.* VERVM postquam in Bœotorum fines peruenit, vbi se ei Lacedæmonij adiunxerint, alijque, qui ex Asiæ, & Europæ ciuitatibus, ei fidem dederant, ad Bœotios quoque, qui eodem cum ipsis belli fœdere tenebantur, accessere. Pugna commissa est ad Coronæam Bœotiæ oppidum, & quidem diu ancipiti certamine, Thebani tandem victoriam Agesilao non incruentam fugitiui reliquerunt. Nam Agesilaus ipse, multis affectus vulneribus, Delphos delatus est, vbi Decumam de manubijs Deo consecrat talentis centum non minorem, moxque domum nauigio vectus est.

Inde autem tota Peloponnesus bello ardere cœpit, & innumerabiles vbique strages edi; Corinthi præsertim, vbi studium obtinendæ pacis extremam prope modum eis perniciem attulit; Lacedæmonijs vbique fere victoribus, quæ breuitatis causa à nobis præteriri necesse est.

V. *Spartani imperium maris opera Cononis amittunt.* INTEREA Pharnabazus, & Cono post victoriam illā naualem, tota classe Lacedæmoniorum socios inuadunt, primusque ad defectionem Coos impellunt, post Nisiræos etiam, & Tios. Hinc Chij præsidio exturbato in Cononis partes transeunt. Eandem mutationem Metylenæi, Ephesij, Erithræi faciunt: tantumque deinceps defectionis studium ciuitates inuasit, quarum aliæ libertatem retinuerunt, eiectis Lacedæmonijs; aliæ Cononis, & Atheniensium partes sunt secutæ, vt ex hoc tempore maris imperium Lacedæmonij amitterent. Ita Diodorus hoc anno. Cui Xenophon quod ad tempus attinet, non repugnat, sed res in terra gestas duorum fere annorum persecutus, ad res maritimas regreditur. Ex quo etiam intelligere licet tātam defectionem Cononis consilio, atque industriæ esse tribuendam.

VI. *Ad Pharnabazum & Cononem ciuitates maritimæ deficiunt.* NAM Pharnabazus & Cono postquam Lacedæmonios classe vicerunt, tam insulas, quam oppida maritima circumuecti, præfectos Lacedæmonios eijciebant, idque facilè consequebantur, quod spem oppidis facerēt nullas se eis arces extructuros, atque etiam permissuros, vt sui iuris essent: hæc qui audiebant non solum delectati ea laudabant, verum etiam hospitalia Pharnabazo munera cupide mittebant. Monebat enim eum Cono futurum, si id faceret, vt ciuitates vniuersæ ad ipsius sese amicitiam adiungerent. Sin eas se in seruitutem redacturum

præ se ferret, aiebat ciuitatibus vngulis ad exhibendum ipsi negotium satis virium fore, atque etiam periculum esse, ne Græci, animis viribusque coniuncti, contra eum bellum gererent.

Dercyllidas retinet Abydenos & Sestum occupat.

In illa tamen deficientium ciuitatum ruina Abydeni, qui ad Hellespontum habitant, in officio constanter steterunt, opera Dercyllidæ, qui eò collegit eiectos Lacedæmoniorum præfectos, factaque non parua fortium virorum manu Sestum è regione in Europa positum, non amplius octo stadijs dissitum occupat, & præsidio firmat, suos afflictos consolans.

VII. *Rursum oppugnantur.*

Pharnabazus autem cum descendisset Ephesum quadraginta triremibus Cononi traditis, iussit vt ad Sestum sibi classe occurreret, dum ipse terra suam ditionem perlustrans eò iter faceret; Cumque Sestum & Abydum in eo statu reperisset, denunciat eis, ni Lacedæmonios eijcerent, se bellum aduersus eos moturum. Illis non obtemperantibus, Cononi mandat vt ab vsu maris eos arceret. Ipse Abydenorum agrum vastat. Ea re cum parum proficeret, domum ab hyberna proficiscens, Cononi dat curam permouendi oppida propter Hellespontum sita, vti ad ver proximum quam maxima classis cogeretur. Atque eo in conam hyems exacta est. Hæc fusius apud Xenophontem l. 4. Pausanias autem l. 8. scribit hoc ipso anno, eodemque Prætore Diophanto, templum Mineruæ apud Tegeates subito incendio conflagrasse. Et huc fortasse respexit Eusebius, cum anno tertio Olympiadis præcedentis, scripsit templum rursum Ephesi incensum, quod multo posterius contigit.

p. 274. & gr.

VIII. *Tribuni militum.*

Romæ in comitijs haud inuitis patribus creatus est P. Licinius Caluus, quamuis magistratum non peteret, cuius animi moderationem dudum experti fuerant. Sed cum is ætatem grandem iam atque exactam causaretur, & filium suum, ab se studiose institutum, pro se offerret, populum habuit consentientem, isque Tribunus mil. creatus est cum suprà scriptis, qui cum magistratum ante triennium gesserant.

anno V. C. 315. Contra Faliscos rem male gerunt.

Titinius, Genitiusque Tribuni milit. profecti aduersus Faliscos, & Capenates, dum bellum maiore animo gerunt, quam consilio, præcipitauere se in insidias: vbi Genutius morte honesta temeritatem luit; ante signa inter primores cadens Titinius in editum tumulum, ex multa trepidatione, militibus collectis, aciem restituit, nec se tamen æquo loco hosti commisit. Plus ignominiæ erat quam cladis acceptum: tantum tamen terroris in castra ad Veios posita, & Romam attulit rumor, vt in illis ægrè retentus sit miles, & Romæ Dictator creatus sit, vt in rebus pene iam perditis.

IX. *Furius Camillus Dictator.*

Is fuit M. Furius Camillus, qui Mag. equitum P. Cornelium Scipionem dixit. Omnia repente mutauerat Imperator mutatus; alia spes, alius animus hominum, fortuna quoque alia vrbis videri. Diem ad nouum delectum dixit, interim Veios accurrit, restitutis exercitui animis, militibusque fugitiuis militari animaduersione affectis. Inde habito delectu, nemine detractante militiam, imo Latinis, Hernicisque socijs nomina profitentibus, in agro primum Nepesino, cum Faliscis & Capenatibus signa confert; vbi cum omnia summo consilio rationeque à Dictatore acta essent, fortuna etiam, vt fit, secuta est. Non prælio tantum fudit hostes, sed castris etiam exuit; ingentique præda potitus, pars magna ad Quæstorem redacta est, haud ita multum militi datum.

Hostem vincit.

X. *Veios oppugnat.*

Inde ad Veios exercitus ductus, vbi non solùm arctior fieri obsidio cœpta est, sed opere etiam laboriosissimo cuniculus in arcem hostium agi cœpit, & die nocteque continuato labore, operarijs in orbem succedentibus, ad arcem vsque perductus est. Cumque iam victoriam in manibus esse Dictator cerneret, cum inuidiam vitare vellet, circa prædam opulentissimæ ciuitatis, ad Senatum scripsit, quid super ea re fieri placeret. Cum duæ sententiæ ferrentur, altera quæ prædam militi, totique populo Romano permitteret, altera quæ ex ea pecuniam confici vellet in stipendia militaria, prior illa vicit, quæ Licinij Calui fuerat, & Senatum popularem faciebat. Edictum itaque est ad prædam Veientem, quibus videretur, in castra ad Dictatorem proficiscerentur: ingens profecta multitudo repleuit castra. Is Apollinem precatus, votaque publice decima parte prædæ, & Iunoni reginæ Romam transmigraturæ templo, superante multitudine omnibus ea locis vrbem aggreditur, quo minor ab cuniculo ingruentis periculi sensus esset, Veientes, nihil ab eo sibi metuentes, in muros armati discurrunt, mirati Romanum aliquot dierum quietem, in repentinum furorem commutatam. At cuniculus delectis militibus eo tempore plenus, in æde Iunonis, quæ in arce erat, armatos repente effudit, & pars auersos in muris inuadunt hostes, pars claustra portarum reuellunt, & Romanum exercitum admittunt: omnia clamoribus personant, armati deijciuntur è mœnibus, tota vrbe pugnatur.

Vatis capta vrbe.

XI. *A milite diripitur.*

Inde senescente pugna, Dictator præcones edicere iubet, vt ab inermi abstineatur. Ergo inermes dedi cœpti, & ad prędā miles, permissu Dictatoris discurrit. Cuius amplitudinem miratus Camillus, & fortunæ Romanæ felicitatem, ac Veientium calamitatem, primum illacrymauit, vt Plutarchus ait in eius vita. Deinde precatus est superos, vt eius inuidiam quam minimo suo priuato, publicoque incommodo lenirent, quod vtrumque & capta non multo post ciuitas, & exilium eius tatum fecit.

Postera die libera corpora Dictator sub corona vendit, eaque sola pecunia in publicum redacta est, non sine ira militis. Inde Iuno in Auentinum religiose, vt tum putabatur, translata. Hic Veiorum occasus fuit, inquit Liuius, vrbis opulentissimæ Hetrusci nominis, magnitudinem suam vel vltima clade indicantis, quod decem æstates, hyemesque continuas circumsessa, cum plus aliquanto cladium intulisset, quam accepisset; postremo iam fato quoq; vrgente, operibus tamen non vi expugnata est.

XII. *Dictator triumphat.*

Romæ vt nunciatum est Veios captos, quia tot annos ibi variè pugnatum fuerat, velut ex insperato immensum gaudium fuit: triduique supplicationes decretæ. Aduentus Dictatoris, omnibus ordinibus obuiam effusis, celebratior quam vllius vnquam antea fuit; triumphusque omnem consuetum honorandi illius diei modum excessit. Maxime conspectus ipse est curru equis albis iuncto vrbem inuectus. Quæ res inuidia non caruit, quod Solem Iouemque equis æquiparare voluisse videretur: id Plutarc. quoque notauit ex Liuio, quem citat. Inde votis persolutis Dictatura se abdicauit, tum quod Decima Apollini ex præda dicata indicta est, vt quisque offerret: quod etiam animos in Dictatorem exasperauit. Itaque vere cecinit ille

---Nihil est ab omni Parte beatum.

Aequis & Volscis data pax.

Inter hæc pacis causa Æqui Volscique Romam venerunt, eamque impetrarunt, vt Romanus miles diutino bello fatigatus, nonnihil quiesceret potius, quam quod ea digni essent, qui postulabant. Ita decennali bello & anno finis impositus est, de anno decimo Plutarchus etiam in Camillo consentit. Diodorus tamen ei 11. tribuit, eiusq; finem in biennium differt.

ANNVS MVNDI 3660. SEXTÆ ÆTAtis & Imp Pers. 144. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan. Pontif. 11. Olympiadis XCVI. An. 3. Archonte Eubulide. Vrb. C. 359. Trib. militib. P.P. Cornelijs Cosso, & Scipione, Marco Valerio Laximo II. &c.

ANNVS ANTE CHRISTVM 393.

I. *Res à Lacedæmonijs gesta in Arcananes.*

POSTEAQVAM iam hyems præterijsset, Agesilaus quemadmodum facturum se receperat, statim ineunte vere copias aduersus Arcananes colligebat, quos præcedente anno multis iam damnis affecerat: sed illi missis Lacedæmonem legatis, pacem cum Achæis, societatem cum Lacedæmonijs inierunt. Secundum hæc,

Lacedæmonij non satis tutum fore arbitrabantur, si relictis à tergo Agis, vrbe & Spartæ vicina, & ampla, & infesta, Bœotis & Atheniensibus arma inferrent. Itaque aduersus Argos decretæ copiæ sub ductu Agesipolis, & regis & pueri: qui consultis Olympico & Delphico oraculo, Argiuos inducias offerentes repulit, eosque magno admodũ detrimento affecit, quippe quos nihil tale metuentes inuaserat.

II. EODEM ineunte vere in mari minime cessatum est. Nã Pharnabazus vna cum Conone, magno nauium instructi numero, per medias insulas cum classe Melum petiere, ea est insula in mari Cretico, inter Cretam & Sunium, Achaiæ promontorium vltimum versus meridiem: indeq. oram Laconicam Cono circumuectus, quantum potuit hosti damnum dedit; moxque Cytheram adit (ea est insula non ignobilis ad meridiem Peloponnesi iuxta Maleam promontorium,) eaque potitus, præsidium ibi Atheniense reliquit. Illud autem in primis aggressus est, Pharnabazo eum pecunijs adiuuante, quo & maxime Atheniensibus gratificaretur, & simul vlcisceretur Lacedæmonios, vt lõgos muros, vna cum Piræei mœnibus, instauraret, quæ vt destruerentur tantopere Lacedæmonij desudassent: quæ hoc ipso anno corrigisse Diodorus testatur. Itaque Cono profectus Athenas magnam muri partem restituit, nõ suis solum remigibus, & fabris Persica pecunia laborantibus, & ciuibus alacriter in opus incumbentibus, sed Bœotis etiam & Thebanis adiuuantibus. Corinthij quoque pluribus nauibus de pecunia, quam ipsis Cono, & Pharnabazus reliquerant, instructis maris imperium in Corinthiaco sinu in Spartæ contemptum occupant.

III. INTERIM Lacedæmonij cum didicissent Cononem sumptibus Regis, & muros Atheniensibus instaurare, & classem alere, qua tum insulas, tum maritima in continente oppida rursus Atheniensibus adiungeret, apud Teribazum ducem regis egerunt per Antalcidam, vt id impediret, & pacem inter Rempublicam ipsorum ac Regem faceret: & omnino aliquid effecturus erat. Nam Teribazus Cononem, qui cum alijs legatis ad eum venerat, ad conatus Antalcidæ impediendos, Sardeis pellectum in vincula coniecit, quasi aduersus Regem iniurius esset, & eius copijs Atheniensium ditioni vrbes adiũgeret, moxque Præfectus alius à rege missus, Struthas nomine qui fauebat Atheniensibus aduenit, vt referunt Xenophon & Diododorus. In quem Lacedæmonij Thimbronem classis præfectum mittunt, qui cum oram maritimam tegi magno subiectam populatetur; improuiso impetu à Strutha oppressus est.

IV. ROMÆ Cornelijs Faliscum bellum, Valerio ac Seruilio Capenas sorte euenit, vt ait libro 5. Liuius. Ab ijs non vrbes vi aut operibus tentatæ, sed ager est depopulatus; tantaque vastitas illata Capenatibus, vt eos ad pacem petendam subegerit, quam etiam impetrarunt. Manebat adhuc Faliscum bellum, cum Romæ interim multiplex coorta est seditio: cuius leniendæ causa, coloniam in Volscos, quo tria millia ciuium Romanorum scriberentur, deducendã censuerant, & triumuiri ad id creati erant, qui agrum diuiderent; imo & iam diuiserant, terna iugera cum dimidio, & insuper duodecimam iugeri partem viritim, siue in singulas familias distribuendo. Verum vrgere populus cœpit, T. Sicinio rogationem ferente, vt Veios potius transferrentur, vrbem egregiam, agrumque fertilem, quam ablegarentur in Volscos. Cui rei Patres summa contentione obstiterunt, ne videlicet vna Romana ciuitas in duas vrbes diuisa, maioribus etiam seditionibus affligeretur. Et Veia Romæ par aut superior honore fieret. Itaque ne res succederet, aliquos è Tribunis plebis, qui intercederent, in suas partes traxerunt.

V. EAM turbarum occasionem accepit Camillus vrgendi populum, ad votam Apollini decimam reddendam; cuius ira populus in seditionem exardesceret; perfecitque vt matronis, è muliebri mundo aurum liberaliter elargientibus, aurea cratera fieret, quæ donum Apollini Delphos portaretur, pondo octo talentorum, vt Plutarchus ait in Camillo: qui etiam addit honorem à Senatu propterea decretum matronis, vt ipsis quoque defunctis, funebris oratio, ad earum commendationem adhiberetur. Liuius autem habet, datum ob eam magnificentiam matronis, vt pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque vterentur.

Simul ac Tribuni pleb. animos à Religione remiserunt, integrant seditionem, & populum in Camillum incitant, qui prædam Veientanam publicando, sacrandoque ad nihilum redegisset. Cumque rem hoc anno de industria extrahi viderent, Tribunos plebis eosdem in sequentem annum destinant.

ANNVS MVNDI 3661. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Per. 145. Artaxerxis Mnemonis & Ionathan 12. Olym. XCVI. 4. Præt. Athen. Demostrato. V.C. 160. Trib. M. Furio Camillo IV. L. Furio Medull. IV. C. Aemylio. L. Val. Publ. &c.

ANNVS ANTE CHRISTVM 392.

I. CVM Teribazus Persarum præfectus conditiones pacis ab Antalcida Lacedæmoniorum nomine oblatas probaret, quibus ferebatur Lacedæmonios nihil aduersus regem contendere, de oppidis Græci nominis in Asia sitis, eijsque satis esse, si omnes insulæ, ac reliquæ vrbes libertate, legibusque suis fruerentur, & Cononem ijs repugnantem coniecisset in vincula, profectus est ad Regem, indicaturus Lacedæmoniorum postulata, sibique socium Antalcidam assumpsit, vt pacis negotium cum rege vterque transigeret; sed tardius variorum negotiorum interuentu res confecta videtur, cum iam Gorpopas Hieracis legatus esset, vt ex init. l. 5. Xenoph. colligere possumus. Eius enim nauibus vsus Ephesum traiecit, indeque eum in Æginam remisit.

II. INTEREA Thrasybulus Atheniensis, & Teleutias Lacedæmonius vterque pro ciuitate sua res præclare gerit. Ille in Thraciæ regulis & Chalcedonensibus populo Atheniensi conciliandis, decuma pontica publicanis diuendita & pene Lesbo vniuersa Spartanis erepta. Sed postea per culpam suorum militum occisus ab Aspendijs, successorem habuit Iphicratem, cuius res gestas contra Anaxibium Spartanum, qui res à Thrasybulo gestas, turbaturus aduenerat, habes apud Xenoph. l. 4. extremo. Teleutias successorem habuit Hieracem classis præfectum. In illius autem discessu apparuit memorabile studium militum erga ipsum, quod Xenophon init. l. 5. non sine causa celebrat. Nam cum domum abiturus ad mare descenderet, nemo militum erat, qui dextram eius non prehenderet, alius eũ serto redimibat, alius vitta: quod si qui tardius accessissent, nihilominus etiam tunc, cum in altum proueheretur, in mare corollas abijciebant, ac simul ei multa, faustaque precabantur.

III. ROMÆ plebs Veiorum desiderio, eosdem magna ex parte Tribunos plebis refecit. At in comitijs Tribunorum militum Patres summa ope euicerunt, vt M. Furius Camillus crearetur; propter bella simulabant parari ducẽ sed rogationi tribunitiæ aduersarius quærebatur, eum eo creati sunt reliqui.

Principio anni tribuni plebis nihil mouerunt, donec M. Furius Camillus in Faliscos, cui bellum id mandatum erat proficisceretur. Differendo deinde res elanguit, Camilli gloria, quem maxime aduersarium metuebant, ex gloriosissimo facinore augescente. Nam cum primo Faliscos populatione foras exciuisset, ijque castra tuto satis loco posuissent, Camillus captiuum indicem ex agris secutus ducem, castris multa nocte motis, prima luce aliquãto superioribus locis se ostendit. Ibi dum castra locare vult Camillus, hostilis exercitus, qui prælio intentus stabat dũ opus impedire conatur, funditur fugaturque; adeo vt desertis quam primum castris, in vrbem se fugitiui reciperent; capta castra, præda ad quæstores redacta, cum magna militum ira, sed seueritate imperij victi sunt; eandem quippe virtutem & oderant, & mirabantur.

OBSI-

IV. *Proditor lud. magister.* Obsidio inde vrbis secuta, omnino diuturna futura videbatur, quod amplo iamdudum commeatu instructa esset. Verũ hominis vnius perfidia insperatã deditionẽ, & pacẽ attulit. Quidam in vrbe principum liberos erudiebat; eos, si in Romanorum traderet manus, existimabat se & ciues suos ad deditionem coacturum, & sibi ingentem gratiam, & mercedem apud Romanos conciliaturum. Itaque necopinantes & ludibundos pueros in castra Romana, & Camilli prætorium perduxit, eique tradit. At scelestum facinus execratus Camillus, denudatum, & manibus post tergum illigatis, reducendum Falerios pueris tradidit, virgasque eis dedit, quibus proditorem in vrbem agerent verberantes. *Camilli in eū animaduersio. Falisci post deprimūt.* Ad quod spectaculum concursu populi primum facto, deinde à Magistratibus de re noua vocato Senatu, tanta mutatio animis est iniecta, vt qui modo efferati odio iraque, Veientium exitum, pene quam Capenatium pacem mallent, apud eos pacem vniuersa ciuitas posceret; fides Romana, iustitia Imperatoris in foro & curia celebrantur.

V. *Tamen q̃ à Camillo & Senatu Romano.* CONSENSVQVE omnium legati ad Camillum in castra, atque inde permissu Camilli Romam ad Senatum, qui dederent Falerios, proficiscuntur. Introducti ad Senatum ita locuti traduntur. *Patres conscripti victoria, cui nec Deus, nec homo quisquam inuideat, victi à vobis, & Imperatore vestro, dedimus nos vobis, rati melius nos sub imperio vestro, quam legibus nostris victuros. Euentu huius belli duo salutaria exempla prodita sunt humano generi, vos fidem in bello, quã præsentem victoriam maluistis, nos fide prouocati victoriam vltro detulimus sub ditione vestra sumus; mittite qui arma, qui obsides, qui vrbem patentibus portis accipiant; nec vos fidei nostræ, nec nos imperij vestri pœnitebit.* *Virtus amabilis hosti.* Hactenus illi. Quo exemplo aperte proditum est, quam sit virtus amabilis, quæ hostem ad amorem sui, ad admirationem, ad suæ libertatis contemptum compellat. *Pacem impetrant.* Camillus & ab hostibus, & à ciuibus gratias actæ. Faliscis in stipendium militum eius anni pecunia imperata est, vt populus Romanus tributo vacaret. Pace data exercitus Romam reductus est. Camillus multo meliore laude, quam cum triumphans equis albis inuectus est, insignis iustitia, fideque, hostibus victis in vrbem reuersus est.

VI. *Timasithei Liparensis pietas.* EDITVM est & alterum iustitiæ ac pietatis exemplum, à Timasitheo Liparensium magistratu. Est autem Lipara vna de Æolijs insulis, quæ iuxta Italiam & Siciliam sitæ, Siciliam ad meridiem habent, & earum sola Lipara habitatur. Cum ergo statuisset Senatus votum Camilli sine mora persoluere, electi sunt legati, qui crateram auream Delphos ad Apollinem ferrent. Ij haud procul freto Siculo à pyratis Liparensium excepti, deuehuntur Liparas. Mos erat ciuitatis, velut publico latrocinio partã prædam diuidere. At Timasitheus vir Romanis similior quam suis religione tactus, eadem suos etiam impleuit, adductosque in publicum hospitium legatos, cum præsidio etiam nauium Delphos prosecutus, Romam inde sospites restituit. Addit Diodorus legatos Romanos craterã in Massiliensium thesauro dedicasse.

VII. *Eiusque præmium.* HOSPITIVM cum eo SC. est factum, donaque publicè data. Plutarchus in Camillo historiam aliquatulum inuertit. Ait enim Liparenses in Romanos tanquam prædones inuasisse: verum consentit Liuio Diodorus, qui etiamsi fallitur, dum Veios hoc denique anno captos putat, non fallitur tamen dum hanc historiam hoc ipso anno refert, additque post annos 137. cum Carthaginenses Liparam occupassent, Timasithei posteros à tributis immunes, & omnino liberos esse iussisse. Sic Deus voluit opus animo religioso factum, mercede, & in autore ipso, & in seris eius posteris nõ carere. Vt intelligeremus quid ipse vere religiosis operibus mercedis tam hic, quam in futura vita relaturus sit; qui opera vt vocant mortua, mercede sua carere non patitur.

VIII. *Res gestæ contra Æquos.* EODEM sane contra Æquos, ab Æmylio & Posthumio imperatoribus varie bellatum est, adeo vt in incerto fuerit, & apud ipsos exercitus, & Romæ, vicissent, victi ne essent. Nam rei bene gestæ fiducia negligentius, & incomposito agmine incedentes cum inuasisset hostis, & terrore iniecto in proximos tumulos compulisset, sparsus rumor Romæ persuasit Posthumium, exercitumque occisum. Sed mox conscia virtus in vindictam exardescens, & curã delendæ ignominiæ, Æquos magna pernicie affecit; moxque ad vrbem à Posthumio missæ laureatæ literæ, quibus docebatur victoriam populi Romani esse, Æquorum exercitum esse deletum.

ANNVS MVNDI 3662. SEXTÆ ÆTATIS & Imp Pers. 146. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan. Pontif. 13. Olympiadis XCVII. An. 1. Prætore Philocle. Vrb. C. 361. Coss. L. Lucretio Flauo, & S. Sulpitio Camerino.

ANNVS ANTE CHRISTVM 391.

I. *Olymp. 97. Eudoxus.* TERIRAM Olympionicam hoc anno victorem Eleum in Olympicis coronatum, ineunte Olympiade nonagesima septima, vt scribit eius initio Diodorus. Eum tamẽ aliqui Terinæum Eleum, alij Phormionem Halycarnassensem appellant, vt notat Scriptor Olympionicarum. Verum habetur ille quidem victor hoc anno apud Pausaniam, a at non cursu stadione, quod quærimus, sed pugilatu. *a l. 5. p. 169. gra.* Eusebius hoc ipso anno Eudoxum astrologum floruisse ait; quod vtique à Laërtio Diogene non didicit, neque ab Apollodori Chronicis, in quibus habebatur hunc Eudoxum patria Cnidium circa tertiam & centesimam Olympiadem floruisse. Quam temporis rationem longe probabiliorem esse ex rebus ipsis aperte cognosci potest, vt suo loco dicemus.

Gallos hac Olympiade ineunte Alpes transijsse Scaliger in Eusebium affirmat ex fragmento quodam Appiani, in quo tamen de ineunte, vel exeunte Olympiade nullũ verbum. Verum ea de re anno vrbis 364. dicemus vberius.

II. *Res ad Æginam gestæ. b p. 544. gra. lat.* HIERAX in præfectura Lacedæmoniæ classis Teleutiæ successerat, vt scribit Xenophon initio libri quinti, b & cœptam ab antecessore operam Æginetis, contra Athenienses, à quibus obsidebãtur, nauare cœpit. Cumque res longior futura videretur, parte copiarum in Ægina cum Gorgopa legato suo relicta, cum alijs nauibus Rhodum profectus est. Gorgopas autem cum 12. nauibus ita vexare cœpit Athenienses, vt magis obsiderentur ipsi, in munitionibus suis, quam obsiderent oppidanos. Quo factum vt Athenienses multis nauibus instructis decreto publico milites Æginam obsidentes mense quinto domum abducerent. Cumque nihilominus à Gorgopa, & Æginetis prędonibus vexarentur, Athenienses Eunomum cum 13. nauibus contra ipsos mittunt, à quibus mox nocturno ad lunam prælio victus, quatuor triremibus amissis, cum reliquis se in Piræeum fuga recepit. Sed idem aliquanto post Chabriæ ducis Atheniensis insidijs in Ægina ipsa interceptus, cum magna suorum, atque Æginetarum clade interemptus est. Ex quo tempore, non aliter ac si pax esset, Athenienses mari vtebantur.

III. *Romæ Consules iterum creati.* CONSVLES hoc anno Romæ creati sunt post decimum quintum annum, vt ait Liuius. Totos enim quindecim annos populus Tribunos militares creauit, ab anno scilicet Vr. Con. 346. vsque ad præsentem. Diodorus quoque 15. annos Tribunitios interijcit; sed non eosdem, quippe qui hos Consules in biennium differt, annum scilicet tertium Olympiad. huius 97. Causam creatorum Consulum hanc refert Liuius.

Et quare consules. Nondum Plebi, neque Tribunis satisfactum erat de Veiensi transmigratione, quam illa inuitissimis patribus, magna obstinatione sententiæ, ambiebat. Itaque Plebs cõtionante latoribus legis Tribunatum, & patres reficere intercessores legis annisi sunt. Sed plus suis comitijs plebs valuit; quem dolorem vlti sunt Patres SC. facto, vt Consules, inuisus tum Plebi magistratus, quod ad eum nondum aspirare licuisset, crearentur.

IV.

Lex de transmigrando Veios. Vitellia colonia proditione capta ab Aequis. Tro intercessoribus laboratur.

PRINCIPIO huius anni Trib. pl. quia neminem è collegis intercessurum sciebant, magna vi legem illam transmigratoriam vrgebant; nec ei segnius Consules resistebant, omnisque ciuitas in eam curam conuersa erat; cum Vitelliam coloniam Romanam in suo agro sitam Æqui proditione occuparunt, sed maxima ciuium pars noctu Romam per auersa vrbis perfugere. L. Lucretio Consuli ea prouincia euenit. Is cum exercitu profectus, acie hostes vicit, victorque Romam ad molestius aliquanto, periculosiusque certamen rediit.

Dies dicta erat duobus Tribunis plebis biennij superioris, A. Virginio, & Q. Pomponio, quod vt Patribus gratificarentur, suorum collegarum actionibus intercesserant. Maxime intererat Reip. & Senatus ne damnarentur, ne via intercessionibus præclusa, non solum nunc Respub. Veiensi profectione distraheretur, sed Tribuni etiam deinceps, quasi solutis habenis, in Repub. baccharentur. Vicit tamē Senatum plebis ira, & pessimo exemplo, innoxij denis millibus grauis æris condemnati sunt.

Id est Tris. c. Gallicanis ducentis.

V.

Tro capognae Camillus.

REM indignissimè Camillus tulit, & palam sceleris Plebem arguebat, quæ in suum versa damnum, suis Tribunis intercessionem auferret, qua sublata Tribunitia potestas euerteretur. Consules etiam increpabat, qui passi essent Tribunos illos damnari, qui fide publica Senatus nisi fuissent. Senatum quoque aduersus legem incitabat, atque aduersus eam, tanquam pro aris ac focis, dimicandum esse persuadebat; vnde & plebis in se iras vehementer accendebat. Nihilominus instabat ille, etsi gloriosam sibi potius migrationem illam intelligeret, quod nefas duceret desertam, ac relictam à dijs immortalibus vrbem, incoli; & in captiuo solo habitare populum Romanum, & victrice patria victam mutari.

Et in se plebem incitat.

Latio legis impeditur.

His adhortationibus principis viri concitati Patres, cū lex ferretur senes iuuenesque in forum agmine facto venerunt, dissipatique per tribus, tantum rogando, & religionem obijciendo effecerunt, vt legem plures tribus antiquarent, quam iuberent. Adeoque ea victoria læta patribus fuit, vt postero die, referentibus Coss. S.C. fieret, vt agri Veientani septena iugera plebi diuiderentur, nec patribus familiæ tantum, sed vt omnium in domo liberorū capitum ratio haberetur, vellentque in eam spem liberos educare.

Largitio agri facta plebi.

Eo munere delinita plebe nihil certatum est, quo minus anno primo comitia Consularia haberentur.

ANNVS MVNDI 3663. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Per. 147. Artaxerxis Mnemonis & Ionathan Pontif. 14. Olym. XCVII. An. 2. Prætore Nicotel. Vrb. Cond. 362. Coss. L. Valerio Potito, & M. Manlio Capitolino.

ANNVS ANTE CHRISTVM 390.

Teleutias dux Spartanus eredditu.

GORGOPA mortuo, cum Eteonico apud Æginetas nautæ præfecto nautæ non obtemperarent, quod eis stipendium non numeraret; quamuis eis dudum ex Attica prædas agere permisisset, Lacedæmonij eius loco Teleutiam, quem militibus gratissimum notant, suffecerunt. Et verò ab ijs maxima cum alacritate exceptus est. Tametsi fateretur se nullas secum afferre pecunias, quod ostenderet se daturum operam, nihil vt eis deesset; & promissioni fidem vita anteacta faciebat. Hoc etiam addebat, malle sibi quam ipsis, ad vitam tolerandam necessaria deesse; quæ habiturus esset velle suis omnibus esse communia. Vicissim autem desiderare, vt cum eum frigora, calores, famem, vigilias perferentem aspicerent, eadem quoque omnia sibi toleranda existimarent. Non quod ex eorum afflictationibus, & molestijs fructum ipse aliquem capturus esset, sed vt ex ijs aliquid ipsi emolumenti caperent. Elaboratum vt iucundè vnà labores obirent, neque stipendium à Græcis aut Barbaris seruili adulatione eblandirentur, sed hosti cum gloria extorquerent. Quæ cum Xenophon de Teleutia memorat, eximium plane exemplum charitatis in subditos, quasi vexillum in oculis principum erigit, quo sibi animos hominum incredibili beneuolentia concilient, eosque ad pericula omnia, & labores infatigabiles, atque imperterritos efficiant. Quod exemplum cum nobis Christus Dominus ac Deus noster amantissimè exhibuerit, prodigij instar est omnes mortales sub eius vexillo non merere, sed maximam hominum partem dæmonē, mundi vanitatem, & carnis illecebras sectari.

TELEVTIAS DVX EGREGIVS. Exemplar boni duc. n. P 546. & 547 li. 5. græc.

II.

Audax eius in portu Atheniensi facinus.

TELEVTIAS cum omnium suorum animos in potestate haberet, præsenti calore vtendum ratus, aggressus est facinus memorabile. Nam cum non immerito persuasum haberet, Athenienses, re contra Lacedæmonios ad Æginam bene gesta, solutiore animo esse, & paucos in nauibus, plerosque domi somnum capere, cum duodecim nauibus in Piræeum prima luce inuadere ausus, triremes alias comprehendit, alias ad nauigandum reddit inhabiles; merces ac mercatores è portu in sua nauigia captos infert, naues onerarias ad suas triremes alligat, & abducit, homines quam plurimos potest comprehendit. Et dum tumultu excitato, tanquam capto Piræeo, vndique ad arma concurritur, ipse nauigia cum tribus vel quatuor triremibus in Æginam vicinam insulam mittit; simulque Atticæ oram ad Sunium vsque promontorium legens, multa capit nauigia piscatoria, multa quibus homines ex insulis traijciebant, eaque vectoribus plena. Denique onerarias partim frumento, partim mercibus refertas intercipit; & Æginam repetit, distractisque manubijs stipendium menstruum nondum debitum militibus numerat. Indeque multis excursionibus Athenienses diuexat: eaque ratione tum naues milite plenas alebat, tum milites ipsos ad faciendum imperata paratos habebat.

III.

Romana res.

Triumphus & Ouatio Consulum.

ROMÆ Consules magnos ludos fecere, quos M. Furius Camillus Dictator vouerat Veienti bello. Eodem anno ædes Iunonis reginæ ab eodem Dictatore, eodemque bello vota dedicatur, ingenti studio matronarum. Bellum quoque haud memorabile in Algido cum Æquis gestum est, fusis hostibus prius pene quam manus consererent. Valerio, quod perseuerantior cædendis hostibus in fuga fuit, triumphus: Manlio, vt ouans ingrederetur vrbem, decretum est. Eodem anno nouum bellum cum Volsiniensibus exortum est, quo tamen propter famem & pestilentiam in agro Romano exortam, exercitus duci non potuit; ob quæ Volsinienses superbia elati, adiunctis Salpinatibus vltro agros Romanos incursauere: bellum inde duobus populis indictum. Hæc Liuius, qui addit etiam C. Iulium censorem hoc anno decessisse, sed cum ex Dionys. Halycar. constet lustrum conditum vno anno ante captam vrbem, nec repugnet ipsemet Liuius. Cum vterque consentiat vrbem captam anno 364. vt dicemus, oportet mortem Iulij censoris in annum sequentem referre.

ANNVS MVNDI 3664. SEXTAE ÆTATIS, & Imperij Persarum 148. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan Pontificis 15. Olympiadis XCVII. An. 3. Prætore Demostrato. Vrb. Cond. 363. Tribb. L. Lucretio. Ser. Sulp. M. Æmilio, & alijs tribus.

ANNVS ANTE CHRISTVM 389.

I.

Initia belli inter Artaxerxem & Euagoram Cyprium.

PERTINET ad hæc tempora Cyprius rex Euagoras, de quo hac ipsa Olympiade Diodorus, & nobis quoque pluribus postea dicendum erit. Fuit hic vir nobilissimus, vt qui à conditoribus Salaminis duceret originem. Cumque exorta seditione in exilium pulsus esset, mox cum modica manu reuersus, vrbem occupauit, Abdemone

regulo

regulo, qui regis Persarum amicus erat, eiecto. Ergo occupata Salamine, Cypri vrbe maxima & potētissima, regnare cœpit, breuique magnis auctus diuitijs, vniuersam insulam instituit in suam redigere potestatem. Ergo ciuitates aliquot partim vi, partim verborum illecebris sibi subiecit. Quidam autem cum armis suis diffiderent, Persarum regis Artaxerxis auxilia implorarunt. Insipienter vtique, qui non intelligerent se non libertatem aut conseruaturos, aut adepturos, sed principem indigenam, patriæ motibus atque amori innutritum, in Barbarum Dominum, atque alienigenam mutaturos. Itaque Artaxerxes, qui regum more incrementis Euagoræ minime lætabatur, & illam sibi insulam idoneam parandæ classi ad defensionem Asiæ cupiebat adiungere, Amathusijs, cæterisque qui ad eum per legatos confugerant, auxilia decreuit. Regulum Cariæ Euagoram bello petere iussit, ipseque ad eam expeditionem totis prouincijs suis ingentes copias parat. Ipse vice versa ad tantum hostem repellendum se comparat, & opem ab amicis petit. Athenienses Philocratem Ephialtæ filium cum decem nauibus in Cyprum, in Euagoræ auxilium miserunt, quas omnes Teleutias, dum in Rhodū nauigat, tristi casu intercepit. *Xenoph. l. 4. p. 540. gr. lat.*

II. *Thrasibuli mors.* Refert in hunc annum Diodorus mortem Thrasybuli, præclari Atheniensium ducis, & Teleutiæ Lacedæmonij suppari, qui cum rem in Lesbo insula præclarē gessisset, eamque patriæ suæ amicam reddidisset, Rhodiam expeditionem aduersus Teleutiam, qui eam insulam tenebat, cogitat, pecunias vndique studiose colligit, vt illic militem ad rem bene gerendam maxime confirmatum habere queat. Ergo cum ab Aspendijs quoque pecunias exegisset, & Eurymedontem fluuium nauibus subijsset, (Pamphiliæ is fluuius est, sicut & Aspendus oppidum,) milites eius prædas ex eo agro licenter agebant. Eam iniuriam cū Aspendij moleste ferrent, compositis per noctem insidijs, Athenienses adorti, cum alijs quibusdam, tum etiam Thrasybulo duci in suo tentorio necem intulere. Quo casu territi Athenienses, nauibus illico impletis, Rhodum cursu petiere. Sed quia ciuitas defecerat, cum exulibus, qui castellum quoddam occupauerant, coniuncti, vrbi negotium facessebant. Thrasibulo autem Athenienses primo Argyrium, deinde Iphicratem subrogarunt.

III. *Bellum Roman. in Volsinienses & Salpinates.* Romæ autem superioris anni Consulibus morbo implicitis, per interregem creati sunt sex Tribuni Consulari potestate, vt si cui eorum incommoda esset valetudo, copia magistratum Reip. non deesset, ij Calend. Quintilibus magistratuū occœpere. Ex ijs duo contra Volsinienses, totidem contra Salpinates profecti sunt. Prius cum Volsiniēsibus pugnatum est; bellum numero hostium ingens, certamine haud sane asperum fuit, fusa primo concursu acies, millia octo armatorum ab equitibus interclusa, positis armis in deditionem venerunt, ijs ad 20. annos induciæ datæ, ea conditione, vt res populo Rom. redderent, stipendiumque eius anni exercitui præstarent. Salpinates eo metu mœnibus se tutati, agris suis vastitatem inferri passi sunt.

IV. *Camillus a ... exulat. a De qua supra anno Vrbis 358. n. 11. & 359. n. 3.* Eodem anno M. Furio Camillo dies dicta est ab L. Apuleio Trib. plebis, propter prædam Veientanam. a Verū is, cum eodem tempore filio adolescente orbatus esset, antequam damnaretur, in exilium abijt, precatus superos, vt si innoxio sibi ea iniuria fieret, primo quoque tempore ingratæ ciuitati sui desiderium facerent. Absens 15. millib⁹ grauis æris damnatus est, id est, centum coronatis nostratibus, iuxta Cenalis æstimationem.

Clusini opem a Romanis in Gallos petunt. Legati Rom. ad Gallos. Expulso ciue, aduentante fatali Vrbis clade, legati ab Clusinis venere, auxilium aduersus Gallos petentes, id est, oppidum in Thuscia, quod licet Veientibus cognatum, eos tamen aduersus populum Rom. non defenderant. Et auxilium quidem non impetrarunt, legati tamen tres missi sunt M. Fabij Ambusti filij, qui Senatus Po. R. nomine cum Gallis agerent, ne à quibus nullam iniuriam accepissent, socios populi Rom. atque amicos oppugnarent.

V. *Quid mouerit Romanos in Gallos.* Mitem legationem ferocia legatorum irritam fecit. Nam cum illi non acerbe respondissent, sed agrum ab Hetruscis sibi non necessarium peterent, armis alioqui vsurpaturi. Ibi cum animi incaluissent, & Hetrusci contra Gallos arma corripuissent, ipsi quoque legati Romanorum arma ceperunt, eorumque vnus Q. Fabius ducem Gallorū interemit. Quo facto ira Gallorum à Clusinis ad Romanos conuersa est. Prius tamen quam Romam armati venirent, legatos miserunt, qui Fabios, pro iure gentium violato, sibi dedi postularent. Senatus rem improbauit, sed inuidiosum negotium ad populum reiecit: apud quem tantum gratia atque opibus valuere, vt quorum de pœna agebatur, ij Tribuni militum Consulari potestate in annū insequentem crearentur. Quo facto Galli vehementer offensi, bellum propalam minantes ad suos redeunt. *Bellum parant.*

ANNVS MVNDI 3665. SEXTÆ ÆTATIS & Imp Pers. 149. Artaxerxis Mnemonis & Ionathan. Pontif. 16. Olympiadis XCVII. An 4. Prætore Athenis Antipatro. Vrb. C. 364 Tribb. Milit. tribus Fabijs, duobus Seruiliis, & P. Sulp. Longo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 388.

I. *Reditus Antalcidæ, & apparatus ad pacem.* Exeunte Olympiade nonagesima septima Antalcides cum Teribazo Persa Artaxerxis præfecto, ex Asia redijt, impetrata Regis societate, si Athenienses eorumque socij, pacem, quam ipse proposuisset, aspernarentur; quæ tamen neque promulgata tam cito, neque transacta videtur vsque ad annum sequentem, vt suo loco demonstrabitur. Nam suis, qui auxilio Abydenis venerant, in Hellesponto laborantibus, quamprimum succurrendum putabat. Ipsos enim cum nauibus suis Iphicrates ac Diotymus Abydi obsidebant; simulque sperabat, ibi quoque debilitatis Atheniensium viribus, eos ad conditiones pacis propensiores fore, sicut & reuera contigit. Ergo terrestri itinere Abydum adijt. Inde classe accepta noctu in altum prouehitur, rumore sparso quasi eum Chalcedonenses accerserent; sed ipse Percopes portum ingressus, ibi delituit. Rumore accepto Atheniensium duces eum Prœconesum versus persequuntur. Quibus prætereuectis Antalcidas Abydum redit. Ibi cum 12. nauibus expeditis Thrasybulo Colyttensi, qui se relicta Thracia, reliquis nauibus Atticis coniungere volebat, octo naues eripuit. Tum Syracusanas & Italicas 20. quas Polyxenus duxerat, adiūxit suis. Addidit & alias à Teribazo, & Ariobarzane acceptas, quo cum ius ei vetus erat hospitij, vt iam plusquam 80. nauium classem haberet in potestate. Itaque maris imperium obtinēs, naues è Ponto Athenas proficisci nō patiebatur, sed interceptas suos ad socios ducebat, vt ex Xenophonte constat. *Eius de Athen. victoria.* *Lib. hist. 5. p. 549 gr. lat.*

II. *Ratio temporum belli Gallici.* Romana res, aut eius potius ingens calamitas, illustrē huncannum atque memorabilem efficit. Illo enim vrbem à Gallis captam arbitramur, sed ratio temporis nonnihil controuersa de more breuiter expedienda est. Tres de eo sententiæ probabiles circumferuntur, extremæ duæ, tertia media. Laxior est enim Plutarchi in Camillo Chronol. cū ait Romam captam paucos ab ortu annos habentem vltra 360. Eum imitatus videtur Eusebius, dum eam cladem refert in Olympiad. 97. Prima eam cladem contigisse putat anno vrb. cond. 363. quæ est fastorum Capitolinorum apud Sigonium & Onuphrium, eamque sequitur Sigonius in fastis, & Pighius in Annalibus suis. Videtur & Gellij, cum ait Aristotelem natum anno septimo post recuperatam Vrbem. At infra dicemus eum natum anno Vrbis 369. Pro eadem sententia Onuphrius laudat Annales Gellij, & historias Cassij. *l. 17. c. 21.*

Altera sententia est T. Liuij lib. quinto extremo. vbi Camillum Dictatorem apud vniuersum populum dicentem inducit annum huncesse Vrbis trecentesimum sexagesimum quintum. Eum sequitur Cuspinianus in Cassiodorū, & Gordonus. Robortellus in chronologia Liuiana emendat Liuium, ponitque annum trecentesimū tertium: quem rursus emendat in altera chronologia Ioachimus Grellius, ponitque annum 364. & merito. Nisi enim secum pugnare velit Liuius, huncannum 364. numerare debet. Nam ab anno trecentesimo decimo, in quo

exemplo habentur creati tres Tribuni militares, quibus vitio creatis suffecti sunt duo Consules, singulorum annorum magistratibus diligenter annotatis tres Fabij in annum 364. incidunt.

III. *Verum eius temporis annus 1619. Varro.* TERTIA ergo sententia, quam omnium certissimam ducimus, annum huic cladi attribuit 364. Quæ est Ciceronis 1. de Diuinat. sententia, qui ait sexennio post Veios captos, Romam à Gallis occupatam. At Veij expugnati sunt anno 358. vt suo loco diximus. Eadem est Mar. Varronis sententia teste Onuphrio, quem ipse sequitur, & Plinius l. 33. c. 1. Idem omnino sentit Eutropius initio lib. 2. eũ annum trecentesimum sexagesimum quintum, vocat primum post captam vrbem: & Paulus Orosius, qui ait Romam sensisse annum 364. grauissimum, propter ignotam sibi captiuitatem. Eadem sine dubio est Dionys. Halicarnass. qui propter exactam diligentiam instar multorum esse potest. Is ergo lib. 1. ait Romam à Gallis captam 120. annis post exactos reges, quos anno 244. expulsos cum eo diximus; qui duo numeri trecentos & 64. conficiunt. Quod si dixeris eum sibi non constare, qui hunc annum dicat esse primum nonagesimæ octauæ Olympiadis, quo Athenis Phrygio Prætor fuit, qui annus respondet anno vrbis cond. 365. Respondemus Dionysium dicere gestum bellum *circiter* primum annum illius Olympiadis, quia eius initio terminatum est. Quando Camillus Dictaturam eius causa susceptam deposuit. Anni enim Vrbis conditæ, annos Olympiadum aliquantulum antecedunt.

In fast. in hunc an. l. 3. c. 1.

244. 120. 364.

κατὰ τὸν χρόνον.

IV. *Confirmatur* DICAT aliquis, has omnes sententias veras esse, quòd bellum anno 363. inchoatum, 64. gestum, 65. absolutum ac profligatum sit. Verum neque hi autores ita sentiunt, agunt enim de bello absoluto, neque res id patitur. Nam anno 63. nondum cœptum erat, & 64. gestum atque absolutum est. Vt enim recte notauit Onuphrius in Fastis, Tribuni militares Cal. Quintilibus, id est, ineunte Iulio magistratum iniere; quo etiam tempore L. Lucretius cum collegis anno præcedenti magistratum inierant; pugnatũ est decimo quinto Cal. Sextiles, vt notauit initio lib. 6. Liuius & Cor. Tacitus, qui dies deinceps Alliensis à loco pugnæ dictus est, & nefastus habitus. Triduo post in vrbẽ ingressi Galli Capitolium obsidere cœperunt. Obsidio septem totos menses tenuit, vt scribit Plutar. in Camillo; exactos enim ait Idibus Februarij, quo tempore triumphauit. Post triumphum cum abdicaturus esset Dictaturam, eam Senatu obsecrante retinuit, qui eam abdicari non nisi anno circumacto passus est. Quæ verba non eam habent sententiam vt totum annum Camillus fuerit Dictator, sed reliquos menses, vsque ad Calendas Quintiles, quando nouus magistratus creatus est. Hæc de tempore, rem ipsam videamus.

Liu. init. l. 6.

V. *Magistratus imprudentia in parando bello.* LIVIVS Tribunos militares recens creatos summæ imprudentiæ, ac temeritatis accusat, quod cum tanta mali moles instaret, nihilo maiore cura aut delectum haberẽt, aut extraordinaria quærerent auxilia, quam si eis aduersus infirmum aliquem in vicinia populum, sæpius à se profligatum, bellum esset gerendum: & non aduersus insuetum hostem, ab oceano, vltimisque terrarum oris, maximas contra se copias adducentem. Quæ copiosius à Liuio exaggerãtur, vt minus ignominiosum sit, Romanos tanta eũ strage superatos, qui hactenus dum serio egerunt, semper victores extiterant. Addit & numen irarum ob ius gentiũ à legatis suis violatum. Galli contra, vbi & irritam suam legationem senserunt; imo auctos etiam honore eos, qui ius gentium contra se violassent, confestim signis infestis Romam magna celeritate petunt.

VI. *Instruuntur acies.* EIS ægrè à Romanis ad vndecimum lapidem occursum est, qua flumen Allia Tiberino amni miscetur: vbi Tribuni militum, per summam socordiam, nec loco castris ante capto, nec præmunito de more vallo, quo receptus esset, nec auspicato, nec litato instruunt aciem, & in cornua, ne ab hostium multitudine circunueniri possent, diducunt. Brennus Gallorum regulus exercitum suum recto consilio digerit, & pugnam inceptat: apud Romanos omnia tumultu ac pauore, apud duces ipsos, militesque plena erant; fuga prius cœpta quam prælium, & ne ea quidem sapienter. Non enim Romam ad eam tutandam à superuenturo mox hoste, sed Veios, quamuis arcente Tiberi conciti fugiebant. Itaque ad flumen quò totum sinistrum cornu armis abiectis, defugerat, magna strages facta est, plurimi hausti fluctibus: qui veios incolumes peruenere, Romam, ne cladis quidem nuncium, nedum præsidij quidquam misere. Nec minor amentia reliquorum fuit, qui ad dextrum cornu steterant. Etsi enim Romam integri, intactique fugerunt, tamẽ, ne clausis quidem portis vrbis, in arcem confugerunt.

Romana funditur, ac fugatur.

VII. *Galli cunctantur adire vrbem in qua summa rerum confusio.* GALLOS autem velut obstupefactos miraculum victoriæ tam repentinæ tenuit; moxque postquam nihil vsquã hostile cernebatur, viam ingressi haud multo ante Solis occasum Romam perueniunt; vbi cum prægressi, equites non portas clausas, non stationem pro portis excubare, nõ armatos esse in muris retulissent, altero miraculo retenti sunt; noctemque veriti, & ignotæ situm vrbis, inter Romã atque Anienem consedere, interim exploratoribus missis, ad hostium in re perdita consilia inuestiganda. At illi, qui eos omnes, qui Veios aufugerant, perijsse arbitrabantur, toti in luctu erant, & lamentis, ac rerum desperatione, expectantes in horas singulas dum armatæ hostium acies, quæ pene ad portas erant, in vrbem irruerent. Quod cum illi non ea nocte solum, sed sequenti etiam die, noctèque distulissent, cœperunt consilium, vt arma & commeatum quantum possent in arcem conueherent, eò iuuentutem ad propugnandum cogerent. Ipsi seniores patricij, plebeique, etiam Consulares, triumphalesque viri, in vrbe ad mortem remanere, ne commeatum in arce cõsumerent, sponte elegere: & iuuentutem in arcem prosequentes, eorum virtuti vrbis fortunam commendabant, quæ per trecentos sexaginta annos bellis omnibus inuicta steterat. 1

1. *ℵ.*

VIII. *Romanorum pietas.* SVGGERIT deinceps Liuius eximium pietatis exemplũ, quod prætermittendum non est. Cum enim imbellis turba, plebis præsertim, ex vrbe effusa in Ianiculum consilij expers confugisset, indeque pars per agros dilapsa, pars vrbes finitimas peteret, flamen Quirinalis, virginesque Vestales, omissa rerum suarum cura, partem rerum sacrarum, partito inter se onere deferebant, reliquis, quæ in doliola, condiderant, in sacello defossis, *Vbi nunc*, inquit, *despui religio est*. Cum ergo in via, quæ ad Ianiculum ducit, eas L. Albinus conspexisset, qui p' austro coniugem ac liberos vehebat, irreligiosum ratus, sacerdotes publicos, sacraque populi Romani pedibus ire, ferrique, se ac suos in vehiculo conspici, descendere vxorem ac pueros iussit, virgines, sacraque in plaustrum imposuit; & Cære, quò iter sacerdotibus erat, peruexit. Sic Romanorum animos rerum personarumque sacrarum reuerentia imbuerat! vtinam istum tam pium affectum in res vere sacras transferre potuissent. Exemplò certè ac pudori Christianis esse debent.

Nam etiam ipsi surgent in die iudicij, & condemnabũt generationem istam.

IX. *Galli vrbem inuadunt.* REBVS interim ad tuendam arcem pro tempore compositis, turba seniorum domos regressa, aduentum hostiũ, obstinato ad mortem animo, expectabat, pristinis honorũ suorum insignibus ornata. Galli qui à pugna remiserant animos, & incruentam victoriam obtinuerant, nec tum vi vrbem capiebant, siue ira, siue ardore animorum ingressi in vrbem, patente Collina porta, in forum perueniunt: in eo reliqui Liuio assentiuntur. Diodorus autem Siculus ait Gallos triduo à prælio substitisse, & primum diem in resecandis patrio more mortuorum capitibus posuisse; per sequens biduum castris vrbi admotis quieuisse, quod sibi in Vrbe insidias strui suspicarentur: die aũt quarto portas effregisse. Et reuera mirũ esset tanto stupore oppressos fuisse Romanos omnes, nulli vt tanto tempore in mentẽ veniret, adire vrbis portas, easque saltem occludere, sicut obserarunt suas. Galli ergo relicto modico ad arcem præsidio, ne quis inde in dissipatos impetus fieret, ad prædam dilabuntur, plebeias domos obseratas, principum atria parentia reperiunt, eosque in augustiore ornatu, ac maiestate venerabiles, simillimos dijs.

X. *Iniuria & causa cadis.*

Ad eos velut ad simulachra versi cum starent, M. Papyrius vnus ex ijs, dicitur Gallo barbam suam permulcenti, Scipione eburneo in caput incusso, iram mouisse, atque ab eo initio cædis orto, cæteros in suis sedibus trucidatos. Post principum cædem, nulli deinceps mortalium parci, diripi tecta, exhaustis ignes iniecti.

Obsessorum maris constantia.

Inde per plurimos dies cædes, & incendia in obsessorũ oculis perseuerant, si forte illi miserabili rerum suarum vastitate de deditione cogitarent. Verum cum ipsi post plurima lamẽta, ad ea spectacula obduruissent, nec nisi vi hostibus cessuros appareret, vim in arcem parant, primaque luce afferunt, sed tanto cum suo damno repulsi sunt, vt deinceps ab eo conatu desistendum putarent, & obsidionis diuturnitate perdomandos arbitrarentur. Verum illud hosti incommode cessit, quod frumentum vrbanum, improuide iam incendio perierat, & quod in agris reperiri poterat, Veios abreptum fuerat.

XI. *Galli prædas agunt.*

Igitvr exercitu diuiso partim per finitimos populos prædari placuit, partim obsideri arcem, & obsidentibus populatores agrorum victui necessaria suppeditare. Eos fortuna populi Romani, ait Liuius, aut diuina potius prouidentia, quę Romanum imperium ad maiora destinabat, Ardeam duxit, vbi Camillus exulabat. Cumque Ardeates pauidi consultarent quid facto opus foret, Camillus se sponte in mediam cõcionẽ intulit, persuasitq; vt eos noctu improuisos inuaderent; persuasioni profuit, quod æquis iniquisque persuasum erat, Camillo neminem ea tempestate bello parem esse. Itaque signo dato primo noctis silentio ad portas cum Camillo præsto fuere, egressi haud procul vrbe, castra Gallorum intuta neglectaque ab omni parte nacti, magna in ijs strage bacchati sunt.

Ex Ardea q Camillus inuadit ac cædit.

XII. *Thusci à Romanis fugitiui cæduntur.*

Svb idem tempus similis Thuscorum strages facta est, qui Romæ tanta clade afflictæ non solum misertinõ sunt, sed in agrum etiam eius hoc tempore incursionem fecerunt. Itaque qui Veijs erant Romani, facto nocte impetu in eorum castra, duce Cæditio centurione, eadem quę Camillus in Gallos, isti in Thuscos patrarunt. Rursumque sequenti nocte ad aliam manum Thuscorum Salinas profecti, maiorem etiam cædem edidere; duplicique victoria ouantes Veios redeunt; vbi eis in dies non solum animi, sed vires etiam crescebant; partim plerisque Romanis eò conuenientibus, partim multis ex Latio voluntarijs confluentibus; maturumque videbatur iam repeti patriam, eripique ex hostium manibus. At corpori valido deerat caput, & locus admonebat Camilli, & res ab eo nuper cum Ardeatibus bene gesta contra Gallos, etiam inuitabat, ipsi etiam milites magna ex parte sub eius auspicijs meruerant.

XIII. *Camillus dux optatur, & Dictator rite dicitur.*

Itaqve consensu omnium placuit ab Ardea Camillum acciri, sed neque tamen nisi consulto Senatu, qui in arce obsidebatur: adeo, etiam in summa rerum confusione, disciplinæ domesticæ retinentes erant. Ad eam rem Pontius Cominius iuuenis impiger operam suam pollicitus, incubans cortici, secundo Tiberi ad vrbem defertur, & per saxa prærupta in Capitolium euadit, & ad magistratus ductus, mandata exercitus edit; accepto inde Senatus decreto, vt tanquam comitijs curiatis reuocatis de exilio, iussu populi Dictator diceretur, absens Dictator dictus, eum legati Ardea Veios perduxere.

XIV. *Periculum Capitolij.*

Dvm hęc Veijs agebantur, Capitolium magnum adijt discrimen. Nam Galli seu Vestigijs Pontij Cominij notatis, vt ait Diodorus, seu sponte animaduerso ad Carmentis saxum ascensu, nocte sublustri paulatim arrepentes, summo silentio in altum euasere, sed anserum clangore, atque alarum strepitu excitus M. Manlius, qui triennio ante Consul fuerat, armis arreptis Gallum, qui iam in summo constiterat (præcisa manu, Diodor.) vmbone etiam ictum deturbat, cuius prolapsi casus cum proximos sterneret, trepidantes alios, armisque omissis saxa, quibus adhærebant, manibus amplexos trucidat: iamque & alij congregati missilibus hostes in præceps depulere. Vbi illuxit Manlius ob seruatam arcem honore ac præmio affectus, vigil, quo improuido per saxum hostis ascenderet, de saxo deiectus est. Habes hic tantum Gallorum circa arcem conatum: sed non nudum conatum significat Ennius, cum ait. a *Qua Galli furtim noctu summa arcis adorti Mœnia concubia, vigilesq́, repente cruentant, &c.*

Capitolii a Gallis periculum.
a Apud Macrob. l. 1. Satur. c. 4.

XV. *Colloquium de pace auro redimenda.*

Sed ante omnia obsidionis belliq; mala, fames vtrunque vrgebat exercitum, Gallos etiam pestilentia; quo factum vt inducijs factis, colloquioq; permisso, cum Dictatoris aduentus iam prope desperaretur, & animi, corporaque malis fatigata deficerent, eo tandem ventum est, vt certa auri summa suam Romani libertatem redimerent, mille auri pondo Liuius scribit, quæ valent centum millibus aureorum: quæ dum superbè, atque malignè exiguntur, superuenit cum exercitu Camillus Dictator, qui pacta omnia disiecit, & ignominiam à Romanis depulit, ne quasi redempti serui deinceps viuerent, suos arma expedire iubet, & ferro patriam non auro recuperare. Aciem in semirutæ vrbis solo instruit, primoq; concursu haud maiore momento Galli fusi sunt, quam ad Alliam vicerant. Altero deinde prælio ad octauum lapidem Gabina via, quo se ex fuga contulerant, eiusdem ductu, auspicioque Camilli, vincuntur. Ibi cædes omnia obtinuit, castra capiuntur, & ne nuncius quidem cladis relictus. Ita Liuius, & alij ex ipso passim, præsertim Plutarchus & Lucius Florus b qui ait Camillum subito à tergo Gallos aggressum, adeo cecidisse, vt omnia incendiorũ vestigia Gallici sanguinis inundatione deleret. Sic ille, tanquã in tragico theatro, vt solet.

Gemina prælia à Camillo deleuntur.
b l. 1. c. 13.

XVI. *Alia de hac victoria sententia.*

Polybivs autem l. 2. triduo, inquit, post initam pugnam, Roma præter Capitolium potiti sunt. Sed Venetis per id tempus, eorum regionem infestantibus retrocedere coacti, fœdere cum Romanis percusso, ac restituta Vrbi libertate, domum remigrarunt. Diodorus quoque accepta prædicta auri summa discessisse vrbe, & Romanorum finibus, non obscure tradit. Postea vero dum vrbem quandã Veascium Romæ fœderatam oppugnant, à Camillo cæsos, & præda omni spoliatos, etiam eo auro, quod ante Romani pro sua libertate pependerant. Nec alienus est ab hoc fœderato & pacifico Gallorũ discessu Paul. Oros. c & cum rem fuse persequatur, nullam in hoc discessũ cladis, imo ne pugnæ quidem mentionem facit. Orosium sequitur Ado in chronico, totidem pene verbis. 2. Quæ verior sit sententia non facile dixerim, videtur sane Liuius magis hic Romanis, quam veritati fauisse, Polybius & antiquior est, & minus de fauore suspectus.

c l. 2. c. vlt.
2. σχ.

XVII. *Camilli triumphus.*

Redeamvs ad Liuium nihilominus. Dictator, inquit, recuperata ex hostibus patria triumphans in vrbem redit, interque militares iocos, Romulus ac parens patriæ, conditorque alter vrbis, haud vanis laudibus appellatur.

Rogationem de Vrbe deserenda dissuasit.

Seruatam deinde bello patriam, iterum in pace non minore laude seruauit. Cum enim Tribuni plebis iam ante propensam plebem ad Veiensem commigrationem concionibus suis, occasione incensæ vrbis, vehementius incitarent, orauit Dictatorem Senatus, ne abiret magistratu ante annum circumactum, & huic migrationi omni ratione obsisteret: quod & fecit, splẽdida oratione in concione habita, quæ apud Liuium extat l. 5. extremo. In qua iniecta præsertim religione loci deserendi, superueniente insuper omine læto, lex de Veiensi migratione antiquata est, & ciuitas promiscue, & festinato ædificari cœpta, neglecta vicos in rectum dirigendi cura, vt forma vrbis deinceps occupatæ magis, quam diuisæ similior fuerit.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3665.

1. N. VII. Ita Xenophon; & ex eo Diodorus p. 464. ex quo ingeritur dubitatio de topographia Ptolemæi, in Europæ tabula decima, in qua Mantinea Peloponnesi, de qua hoc loco agitur, nullũ habet fluuium: quem tamen Xenophon vocat ποταμὸν μεγάλα [illegible], ῥέοντα διὰ τῆς πόλεως. Eiusque rursum meminit l. 5. p. 389. Cumque eam Plinius ad sinum Argolicum locet, in eadem tabula multo propior est sinui Messeniaco.

2. N. VII. Non significat Liuius hunc esse præcisè trecentesimum ac sexagesimum annum ab Vrbe condita, quippe qui postea in oratione Camilli, dicit hæc 365. anno contigisse: sed id quod certo constabat affirmauit, seruato decore eorum, quos inducit loquentes. Et huc, vt dixi, alludens Plutarchus in Camillo ait Romam à Brenno captam trecentis sexaginta annis, & aliquanto amplius quam condita fuisset. Ex quo, vt patet, non rectè infert Pontacus in Eusebij chronicon, anno 361. ineunte id contigisse. Ea enim phrasis non ad partem vnius

anni, sed ad partem decadis pertinet. Sed de tempore iam satis dictum est.

Sed Rufus . . . ad Capitolij arcem sexcentos nobiles & Senatores confugisse, & mille auri pondo se ab obsidione redemisse, mox que Camillum aurum & signa, quæ Galli ceperant, reportasse: quæ Eutropius in fin. lib. 1. etiam refert.

ANNVS MVNDI 3666. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Persarum 150. Artaxerxis Mnemonis & Ionathan. Pontif. 17. Olympiadis XCVIII. An. 1. Prætore Athenis Pyrrhione. Vrb. cond. 365. Trib. Mil. A. Valerio Publicola, L. Virginio, A. Manlio, cum tribus collegis.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 387.

I. *Pax Antalcidæa, & eius tempora.* *l. 5. hist. p. 552. gr. lat.*

IN huncannum, in quo Sosippus Atheniensis in Olympico stadio victor extitit, referre Antalcidæam pacem, & quæ illi coniuncta sunt, non solum rerum gestarum series suadet, sed Xenophon etiam persuadet, à quo annus, quo afflicti sunt Mantinæi à Lacedæmonijs, quod mox à pace Antalcidæa contigit, trigesimus numeratur à prælio ad Mantinæam commisso; qui fuit decimus quartus belli Peloponnesiaci, teste Thucydide, idemque tertius Olympiadis nonagesimæ. Vno anno abest ab hac Chronologia Polybius libro primo, dum annum pacis huius numerat decimum nonum à pugna nauali ad Capræ flumen, quando bellum Peloponnesiacum finem accepit. Quarto scilicet anno nonagesimæ tertiæ Olympiadis, & vltimo Darij Nothi: à quo hic est decimus octauus duntaxat, etiam numeratis extremis. Addit etiam Polybius eodem anno Romam à Gallis captam; quem in vtraque assertione secutus est Diodorus Siculus, qui hanc cladem, & pacem illam in annum sequentem differt, sicut & Iustinus libro 6. quem de more sequitur Paulus Orosius. Verum Xenophonti, & antiquiori, & res sui temporis, & quibus ipse ferme interfuit scribenti maior videtur fides esse tribuenda. Verum quia de capta vrbe, suo vt opinor tempore iam diximus, de Antalcidæa pace, nunc ex Xenophonte maxime dicemus.

l. 5 sub init. μιᾶς καὶ τριάκοντα. *l. 5. c. 2.*

II. *Causa pacis, ex parte regis.* *Ex Græcorum.*

EIVS causas si inquirimus, Iustinus lib. 6. ait Artaxerxem hanc iniisse pacem, & ciuitatibus Græciæ libertatem, suaque omnia restituisse, non Græciæ consulentem, sed ne se occupato in Ægyptio bello, exercitus sui in Græcia detinerentur. Verum Diodorus Siculus anno 2. Olympiad. 98. id propter bellum Cyprium contra Euagoram, factum significat, quæ Xenophontis etiam videtur esse sententia. Ad hanc pacem, quamuis Græcis ignominiosam, Persis autem vtilem & gloriosam, adducti sunt Græci necessitate. Nam Athenienses, qui magnam esse Lacedæmoniorum classem viderent, & metuerent ne nunc quoque ab ipsis, sicut à Lysandro ante annos sedecim, bello frangerentur, ad eam compellebantur; præsertim posteaquam viderunt Regem Lacedæmonijs belli socium factum esse, & se ex Ægina tanquam à latronibus obsideri. Lacedæmonij quoque quibus necesse esset vrbes plerasque copijs munire, & præsidio tenere, ne vel ipsis perirent eæ, quibus fidebant, vel deficerent aliæ quibus diffidebant, bello finem imponi non ægre ferebant; sicut nec Argiui, qui copias contra se decretas scirent.

III. *Pacis formula.*

ITAQVE die dicta ad proferendam pacis formulam conuenere ad Teribazum vniuersi, & regijs signis commonstratis, quæ à Rege præscripta erant legit in hanc sententiam. *Rex Artaxerxes æquum esse censet vt vrbes in Asia sita, vna cum insulis Clazomeniis, & Cypro sibi pareant. Cætera Græca nomina oppida, parua, magnaque, sui iuris sint, exceptis Lemno, Imbro, & Sciro, quas, vt olim, Athenienses retineant. Hanc pacem quicunque reiecerint, ijs equidem bellum, vna cum approbantibus eam, mari, terra, pecunia, classe, inferam.* Itę fere Xenophon l. 5. Ea pax Athenienses priuabat multis, magnisque oppidis toto Asiæ littore, eademque Regi dabat; multas quoque insulas eis eripiebat, quas sui iuris esse decernebat. Cyprum ante nominatim in fœdere ponebat, ne in bello, quod aduersus Euagoram ipse cogitabat, Græci se pro Cyprio rege auxilij causa miscerent. Argiui quoque, & Thebani, & Corinthij, & Lacedæmonij ipsi plurimum potentiæ amittebant, sicque & Rex augebatur, & Græci sine inuidia, imo cum multorum gratulatione minuebantur.

IV. *Ab omnibus acceptatur.* *Thebani tamen cunctantur.*

HÆC cum vrbium legati audissent, singuli de ijs ad suas Resp. retulerunt, deque earum consensu iusiurandum præstiterunt. Soli Thebani non suo, sed Bœotorum nomine tantum iusiurandum obtulerunt: quod cum Agesilaus non reciperet, nec illi se ad regiarum literarum mentem accommodarent, arma contra illos mouit. Iamque Tegeam cum infesto exercitu venerat, cum Thebani affuerunt, & se oppida libertati restituturos spoponderunt, & fœderis conditionibus acquieuere. Idipsum & Argiui, & Corinthij, belli ab Agesilao inferendi metu, fecerunt, & terrestres, naualesque copiæ ab omnibus dimissæ sunt. Et hæc prima pax inter Athenienses, & Lacedæmonios, ab euersione murorum Atheniensium, constituta est, magna cum Lacedæmoniorum gloria, per quos tota Græcia in libertatem vindicata esset.

V. *Mantinæi muros cogunt diruere.* *a Olymp. 98. a. 1. p. 460. gr. Diodorus.*

HOC ipso anno Lacedæmonij Mantinæos socios mirum in modum afflixerunt; is est, vt dixi, trigesimus ab altero prælio apud Mantinæam gesto. Nam pace cum alijs ea animi sententia composita, ex socijs suis eos, qui hoc ipsis bello molesti fuerant, & amiciore se animo esse ostenderant erga Lacedæmoniorum hostes, quam erga ipsos, ita mulctare decreuerunt, vt deinceps infidi esse non possent. Itaque missis ad Mantinæos legatis, murum vti diruerent edixerunt, quod cum illi recusarent, Lacedæmonij bellum in eos decernunt; idque Agesipoli Pausaniæ filio commiserunt, excusante Agesilao; plusque eis, vt innuit Diodorus, a nocuit vicinitas, quæ seminarium est odiorum inter populos, quam eorum merita aduersus vtrumque Lacedæmoniorum regem, Pausaniam inquam & Agidem, patres Agesipolis, & Agesilai, qui nunc regnabant. Ergo fossa, muroque vallata ciuitas facile obsidionem toleratura videbatur, quia magna frumenti copia, propter superioris anni fertilitatem, abundabat.

VI. *An commissum prælium.*

NVLLIVS hic pugnæ meminit Xenophon, inter Lacedæmonios & Mantinæos, nullius Diodorus, neque eam Antalcidæa pax nuperrime inita satis probabilem facit. Prælium tamen, & quidem acerrimum memorat Plutarchus in Pelopida, in quo Thebani auxilio Spartanis fuerint, Arcades Mantinæis. Ait enim Pelopidam cum Epaminonda, cum propinquum cornu Lacedæmoniorum cederet, hostem irruentem sustentasse; ibique Pelopidam, septem aduersis vulneribus acceptis collapsum esse, cui vt adesset, cum irruisset in hostem Epaminondas, & ipse quoque summo in periculo versaretur, vt qui pectus hasta saucium, brachium gladio haberet, vtrumque, Agesipolide rege ab altero cornu opé ferente, fuisse seruatum. Nec dici potest hoc prælium ad bellum ante 30. annos gestum pertinere, vix enim nati erant eo tempore isti duces. Sed redeamus ad obsidionem.

VII. *Coguntur ad deditionem.* *L. 5.* *Diruitur murus.* *Et vrbis quadripartita diuisio.*

AGESIPOLIS ne diuturnum obsidendi laborem subiret, amnem, qui vrbem perlabebatur, obiecto aggere auertit. 1. Quapropter obstructo alueo, aqua se supra ædium ac murorum fundamenta attollebat, eaque labefactans muros deiectura erat, Mantinæis eos nequidquam fulcientibus. Itaque veriti, ne muro vndique corruente, vi caperentur, eaque ferrent quæ solent vi captæ ciuitates, murum se diruturos spoponderunt. Cumque Lacedæmonij sibi satisfactum fore negarent, nisi per vicos sparsim habitarent; etiam in eam rem, eadem necessitate compulsi, consenserunt. Cumque metuerent sibi ciuitatis optimates, qui Argiuis fauebant, ne interficerentur, Pausanias pater, qui apud Tegeam exulabat, ab Agesipolide impetrauit, vt eis, qui omnino erant 60. ex vrbe tuto discedere liceret. Quod & factum est, & secundum hæc murus est dirutus, & quatuor in partes Mantinæa sparsa, quemadmodum olim habitari consueuerat.

INTE-

Olynthij florent. *Ludorum Olymp. corruptela.*

Interim Olynthij in Thraciaeum viribus ac potentia mirum in modum crescerent, Lacedæmonios in se concitarunt. Sic enim animis affecti erant, vt neminem in maiorem potentiam excrescere facile paterentur: sive vt ipsi cæteris semper omnibus eminerent, siue ne ab aliis deiecti in ordinem redigerentur. Verum ea expeditio omnino ad annum sequentem videtur pertinere. Ad præsentem dum illa pertinent. Alterum notat Pausanias, erecta hoc anno sex ænea Iouis simulachra, ea mulctatitia pecunia, quæ Athletis, qui fraudē ludis fecerant, fuerat irrogata. In quibus fuit Eupolus Thessalus; sed iudices ipsi quoque qui pecuniam acceperant, eiusdem pœnæ fuere participes, in quibus Phormio, qui superiore Olymp. pugilatu victor extiterat. Quod primi, inquit Pausan. ea corruptela ludorum religionem polluissent. Diodurus alterū de huice ludis annotauit. *L. 1 p. 160.* Misisse Dionys. ad Olymp. certamina quadrigas celeritate præstantes, scenasque multo auro, sumptuosoq; artificio exornatas, addidisse & poëmata, quæ in illa panegyrica celebritate recitarentur. *Dionysij poemata inepta irrisa.* Quæ primum quidem, propter actorum eximiam vocem, actioniq; dignitatem, mirifice probabantur. Simul ac vero quam inepta essent carmina animaduersum est, effuso Dionysium risu prosecuti, eo processere, vt eius tabernacula ipsa discerperent, & ab eo missos spectatores eijcerent. *Stragula.* Eo nihilominus adulatores persuaserunt, versibus suis, vt cætera præclara inuenta, inuidiam principio obstrepere, quam mox admiratio consequatur.

IX. *Vrbs instauratur.* Romæ autem omnes magnis animis ac labore indefesso, ciues restaurationem incensæ vrbis vrgebant, cum C. Martius Trib. pleb. Quinto Fabio, cum primum abiit magistratu, diem dixit. Is enim erat, qui ducem Gallorum legatus interfecerat: *Fabius opportuna moritur.* sed illi iudicio eum mors adeo opportuna subtraxit, vt à plerisque voluntaria crederetur. Hoc porro vrbis Conditæ anno Onuphrius & Sigonius, quem sequitur Pighius in Annalibus suis, in eandem chronologiam conciliant, eo quod proxime præcedentem annum vrbis 364. Dictaturæ Camilli continuatæ tribuit Sigonius, adeo vt ipsum à triumpho, qui in Februarium incidit, integrum annum Dictatorem egisse putet, itaque interpretatur illud Liuij. *Neque eum, Senatus, abdicare se Dictatura nisi anno circumacto passi sunt.* Verum, etsi Chronologorum concordiam libenter amplector, quo hic annus à triumpho inchoëtur? neglecta ratione annorum Vrbis conditæ, aut temporis quo tunc magistratus inibantur, id est Calendarum Quintilium, vt ante triennium institutū fuerat: & satis fuere Camillo quinque menses, qui reliqui erant, ad stabiliendam quæ nutabat Romanam Rempub.

X. *Dies clade superstitiose damnatur.* Noui autem magistratus nihil habuere antiquius, quā vt Senatum de religionibus consulerent; sed eam rem Senatus, præsertim quod ad dies atros pertineret, quos vulgus imperite nefastos dicit, ad Pontifices sapienter reiecit, vt scribit Gellius l. 5. 17. *a* ex Verrio Flacco. *a Vide Macrob. l. 1. Satur. c. 16.* Illi autem inter alia decreuerunt, vt dies ad 15. Galen. Sextiles (is est 18. Iulij) qui dies duplici clade esset insignis, quod eo die ad Cremeram Fabij cæsi essent, quodque deinde ad Alliam fœde contra Gallos pugnatum esset, nulli deinceps rei agendæ publicè, priuatimque insignis esset, Quasi in diebus & non in hominibus potius culpa resideret rei malæ gestæ, & non quolibet die, quod ad ipsam quidem attinet diem, res bene & male geri possit. Eam superstitionem ex Idololatria profectam damnat Apost. *b* *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, &c.* *b Galat. 4. 10.*

XI. *Camillus III. Dictator.* Cæterum non diu licuit quietis agitare consilia erigendæ e ruina grauj casu Reipub. Nam eodem tempore Volsci, Æqui, atque Hetrusci, Romanos vix ex clade Senonensi respirantes, inuadere parant. Socij etiam, quorū fides centesimum iam prope annum steterat, defecisse ferebantur. Recte Liuius prope 100. annos memorat fidei Hernicorum. Nam 97. numerantur, ab anno 268. quo à Cassio Consule pacem deditione impetrarant. Itaq; cum tanti terrores vndique afferrentur, placuit eiusdem auspicijs defendi Rempubl. cuius recuperata esset; Dictatoremq; iterū dicit M. Furium Camillum. Is Dictator C. Seruilium Halam Magistrum equitum dixit: statimque iustitio indicto, delectoq; habito, copias trifariam diuisit, partem vnam in agro Veiente Hetruriæ opposuit; alteram ante Vrbem castra locare iussit, tertiam partem ipse duxit in Volscos, ea contemptu Romanorum, negligenter ad bellum progressos. At vbi Camillum Dictatorem adesse nunciatum est, tantus eos terror inuasit, vt vallo seipsi, vallum congestis arboribus sepirent.

XII *Volsci vincuntur.* Camillus ignem in obiectam sepem coniici iussit, & forte erat vis magna venti in hostem versa: itaque non aperuit solum incendio viam, sed flammis in castra tendentibus, vapore etiam, ac fumo, crepituque viridis materiæ flagrantis ita consternauit hostes, vt minor difficultas superantibus vallum in castra Volscorum Romanis fuerit, quam transcendentibus sepem incendio absumptam fuerat, Fusis hostibus, cæsisque castra primo impetu capta, præda ex insperato militi permissa; *Persecutus deinde fugientes, cum omnem Volscorum agrum depopulatus esset, ad deditionem Volscos, septuagesimo demum anno subegit.* *Hostes valde antiqui.* Ita Liu. Septuag. autem ab hinc annus est V. C. 295. quo tamen anno non cœperunt Volsci contra Romanos bellum gerere. Nam Coriolanus ante centum annos ad eos, vt hostes populi Romani, confugerat. Quin & Ancus Martius Rex contra eos bellum gesserat, vt ex Liuio, & Dionysio constat. Itaque quo Septuag. ille annos respiciat nondum satis intelligo. Existimo tamen cum Glareano, & Sigonio, respici ad annum 259. quo bellum cum ijs ex longo interuallo gestum, eo quod Latinis contra Romanos auxilio fuissent, proptereaque pro septuagesimo, legendum septimo & centesimo. Nec tamen existimandum est, bellum hoc anno contra Volscos finitum; nam breui rursum negotium Romanis facessent.

XIII. *Vincit & Æquos.* Victor Camillus ex Volscis in Æquos transiit, eorumque exercitum ad Bolas oppressit; nec castra modo, sed vrbem etiam aggressus, impetu primo cepit. Interea cum Hetrusci Sutrinos populi Romani socios tardante auxilio, ad deditionem compulissent, & vrbe eiecissent, eodem die superueniens Camillus breue gaudium Hetruscis reliquit. *& Hetruscos.* Improuisus enim vrbem incustoditam inuasit, & post multam cædem hostium, eam Sutrinis restituit: indeque triumphans, trium simul bellorum victor, in Vrbem ingressus est. Longe plurimos captiuos in Hetruscis ante currum duxit; quibus sub hasta venditis, tantum æris redactum est, vt pretio pro auro matronis persoluto, ex eo quod superetat, tres pateræ aureæ factæ fuerint. *& de omnibus triumphat.* Eodem anno in ciuitatem egentem incolis accepti diuersi fugitiui, & Senatusconsulto compulsi Romani aliqui, Veiis relictis in vrbem remigrare, quæ intra hunc fere annum nouis ædificiis noua steterat.

ANNVS MVNDI 3667. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Persarum. 151. Artaxerxis Mnemonis & Ionathan Pontif. 18. Olympiadis XCVIII. An. 2. Prætore Theodoto. Vrb. cond. 366. Trib. mil. T. Quintio Concinnato. Q. Seruilio Fidenate V. cum 4. collegis.

ANNVS ANTE CHRISTVM 386.

I. *Querela de Olynthijs ad Spartanos.* Refert hoc tempore Xenophon. l. 5. missos ex oppidis Acantho, & Apollonia legatos Lacedæmonem, qui de Olynthiorum potentia quererentur: à quibus iussi essent copias suas ad ipsos mittere, & legibus ipsorum, tanquam in eadem Republica viuere, alioqui vim intentarent. Lacedæmonij veriti ne adiungendis sibi potentissimis quibusque sociis, quod iam moliri videbantur, per legatos, quos Athenas Thebasq; mittebant, Olynthij imperium in Græcia ambirent, expeditionē in eos decernunt decem millium militū. Quia tamen res nō patiebatur moras, impetrarunt Achantij, vt quamprimum copiæ, quæ in promptu habebantur, in eam expeditionem mitterentur. Missus est Eudamidas Lacedæmonius, cum duobus millibus,

libus, qui Ephoros rogauit, vt frater ipsius Phœbidas reliquas copias, cum primum paratæ essent, ad se duceret. Et ille quidem in Thracia rem benè gerere pro sua facultate cœpit, & nominatim Potidæam, deditionem sponte sua facientem, occupauit.

II. *Arce amissa Thebanorum occupant.* At frater eius dum reliquas ducit copias Thebas ingressus, arcem, proditione vnius de Thebanis ducibus, qui inimicitias cum collega exercebat, occupauit. Id quia iniussu Reipublicæ factum fuerat, Spartæ vehementer in Phœbidam succensebant Ephori, cum vrbana plebe eumque propterea magistratu deiectum mille minis mulctauere. Arcem nihilominus præsidio tenuere, omnibus Græcis tam absurdum factum mirantibus, quod cuius facinoris auctorem pœna affecissent, facinus tamen reipsa approbarent. Nam mox cum ab Agesilao, & Leontiada, qui arcem prodiderat, odio Ismeniæ collegæ sui, edocti essent, rem toti Reipublicæ vtilem, & occasiones rei bene gerendæ, cum se in manum darent, vltro accipiendas, ne frustra postea requirantur: tandem placati arcem retineri cum præsidio iussere, moxque firmandæ proditionis causa, Ismeniam causam dicere iussum, iudicum suffragijs damnatum interemere, & Teleutiam Agesilai fratrem, militibus gratissimum, Phœbidæ loco Olynthum misere. Is non admodum in itinere properabat, vt scribit Xenophon, quod inter eundum & maiores ipse copias contrahebat, & Macedonas subsidiarios eliciebat ad bellum. Ergo possumus rem ab eo in Thracia gestam, non inuito Xenophonte, in annum sequentem differre: præsertim cum Diodorus hanc totam expeditionem differat in Olympiadem sequentem.

III. *Aequi vastantur.* Romani copias in Æquos non debellandos, nam se victos fatebantur, sed peruastandos duxere, ne quid ad noua consilia virium relinquerent. Alias item in agrum Tarquiniensem, vbi oppida Hetruscorum Cortuosa, & Contenebra vi capta, direptaque; præda militibus publicata est.

Capitolium magnificentius extruitur. Eodem anno, ne priuatis tantũ operibus cresceret vrbs, Capitolium quoque saxo quadrato substructum est: opus vel in posteriorum temporum magnificentia Vrbis conspiciendum. Tribuni plebis leges agrarias concionibus, infrequenti auditore frequentabant: nam ædificandi cura plebem occupatam retinebat, & alioqui exhausta impensis plebs, agri, ad quem instruendam vires non suppeterent, negligens reddebatur.

ANNVS MVNDI 3668. SEXTÆ ÆTAtis & Imperij Pers. 152. Artaxerxis Mnemonis & Ionathan Pont. 19 Olymp. XCVIII. An. 3. Archonte Mystichide. Vrbis conditæ 366. Tribb. militib. L. Papyrio Cursore, Cn. Sergio, & 4. collegis.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 385.

I. *Res a Teleutia ad Olynthum gestæ.* Cvm Teleutias ad bellum Olynthiacum lente progrederetur, vt ait Xenophon, vt ad illud tum graui Græcorum armatura, tum Macedonico equitatu esset instructior. Amyntam autem Macedonum regem, & Derdam Elimææ principem excitabat vehementius spe recuperandi regni, quod magna ex parte ab Olynthijs fuerat occupatum. Ergo cum Potidæam magno cum exercitu peruenisset, inde in hosticum acie instructa progressus, Olynthiorum exercitus illi non longe ab vrbe occurrit, & impetu facto in Bœoticum & Spartanum equitatum, & huius præfecto in terram abiecto, ac grauiter vulnerato, totum cornu dextrum terga dare cogunt. Et periculum erat, ne vniuersæ copiæ succumberent, nisi Derdas cum lectissimo equitatu, ad Olynthiorum portas perrexisset, quem Teleutias cum suo agmine prope sequebatur. Hic Olynthij equites veriti ne a portis intercluderentur, conuerso agmine propere ad suos se conferunt, & in vrbem non sine sanguine se recipiunt; quo & facilem receptum propter vicinitatem peditatus inuenit. Sicq; victor inuasit Teleutias, & victoriæ argumentum trophæum erexit; æstate autem in hac expeditione consumpta, reliquus annus in quibusdam tantum excursionibus transactus est.

II. *Bellum Persarum in Cypro.* Diodorvs initio libri decimi quinti, in hunc quinque annum refert pugnam Persarum contra Cyprios, & eorũ regem Euagoram, cuius belli causæ supra anno Artaxerxis decimo quinto explicatæ sunt. Persarum pedestris exercitus cum equitatu trecentis millibus constabat, triremesq; adornabat plures trecentis, duces præfecerat Rex terrestribus copijs Orontem generum, naualibus Teribazum.

Copiæ vtriusque. Interea vero Euagoras Achorim Ægyptiorum regem, hostiles cum Persis inimicitias gerentem, sibi fœdere societatis adiunxerat, qui validis eum copijs instruebat; (et si eum superiore Olympiade mortuum ponit Eusebius in chronico:) Cariæ autem Regulus pecunias in peregrini militis stipendia. Alios præterea Persarum inimicos, tum secretò, tum manifestò in belli societatem pertraxit; in quibus etiam Tyrij fuere atque Arabes, à quibus & naues & milites multos collegerat, adeo vt classis eius ad ducentas triremes ascenderet.

III. *Commoda Cypriorum initio.* Et primum prædatorijs nauibus onerarias Persarum cum intercepisset, in eorum exercitum non solum caritatem, sed famem etiam, & seditionem, ex qua ducum aliquorum cædes, inuexit. Deinde nauali certamine improuisos inuadens, non lenia eis damna inuexit, donec illi animis viribusque receptis, superiores euadunt, & Euagorani, cum magna triremium iactura, fugam capessunt. Persæ Salaminam Cypri terra, marique obsidione cingunt. *Progressus deterior.* Teribazus à prælio nauali in Ciliciam traiecit, atque inde ad regem profectus, victoriæ nuncium pertulit, & duo talentum millia ad belli vsus reportauit. Euagoras in belli proposito perseuerans, relicto ad defensionem vrbis Pythagora filio, cui summam rerum in Cypro administrationem commiserat, cum decem ipse triremibus, clam hostibus noctu Salamina soluit, & in Ægyptum deuehitur, *Euagoras Ægyptum adit auxilij causa.* regique persuadet, vt totis secum viribus in hoc Persicum bellum incumbat. Inde anno sequenti redijt, quo bellum hoc secuta pace terminatum est.

IV. *Tribus auctæ ad triginta & quinque.* Triavnt hoc anno ex interregno magistratum accepere: eodemque ædes Martis Gallico bello vota, dedicata est à T. Quintio Duumuiro sacris faciundis. Addit Liuius Tribus quatuor ex ciuibus additas, Stellatinam, Pomatinam, Sabbatinam, & Æniensem, siue vt alijs placet, Narniensem, *eæ*, inquit, *triginta quinque numerum expleuere.* Eundem numerum Dionysius Halicarnassæus, & Veonius approbant. Fabius autem Pictor, & Cato 30. tantum regnante Seruio Tullio agnoscunt, vt eius regis anno septimo diximus. Vide Onophrium in Fastis in annum Vrbis 367, in quem nouos censores à quibus consumerentur tribus, & nouum lustrum ordine decimum octauum refert. Nos autem huc annum Sabbaticum 155. iuxta ætatem anno septimo Iosue constitutam.

ANNVS MVNDI 3669. SEXTÆ ÆTAtis & Imperij Persarum 153. Artaxerxis Mnemonis & Ionathan. Pontif. 20. Olympiadis XCVIII. An. 4. Prætore Athenis Dexitheo. Vrb. cond. 368. Trib. Furio Camillo cum 5. collegis.

ANNVS ANTE CHRISTVM 384.

I. *Olynthij irruunt.* *Ex Xenophonte p. 100. p. 554.* Iam ver appetierat, quum equites Olynthij numero ferè sexcenti, sub meridiem in agrum Apolloniensium infusi, passim omnia populabantur. Nam hi missis legatis Spartanos in auxilium contra Olynthios euocauerant, vt supra ex Xenophonte diximus. Forte autem contigit, vt Derdas, qui in Thraciam cũ suo equitatu redierat, Apolloniæ pranderet. Itaque incursione perspecta clam equitatum suum instruxit, & se vrbe continuit, dum Olynthij contemptis hostibus in suburbium, atque ad ipsas vsque

portas vrbis equitarent. Tunc vero ille erumpens hostem in fugam dedit, & ad stadia 90. persequi fugitantes, atque occidere non desijt, donec ad ipsos Olynthiorum muros fugientes compulisset. Ea in fuga ad 80. cecidisse ferebantur. Indeque magis se intra mœnia sua continere cœperunt.

II. *Rursumq; de Spartanis victoria.*

ALIQVANTO post tempore cum Teleutias Agesilai regis frater denuo copias contra Olynthios duceret, primo dux eius Tlemonidas, propere atque improuide pugnans, cum supra centum cetratis suis interficitur. Tum Teleutias ipse hoc spectaculo vehementius commotus, copias omnes in Olynthios educit, eosque ad vrbem vsque persequitur, vbi cum è turribus denso telorum imbre peterentur, referre pedē turbatis agminibus coguntur, & sibi à missilibus cauere. Hic Olynthij equites suos turbatis immittunt, indeque cetratos, ac reliquas copias: cumque acriter ibi Teleutias pugnaret, occiditur; fusus inde vniuersus Spartanorum exercitus, varia in oppida corripuit fugam. Quos diuersis quoque itineribus Olynthij subsecuti, maximo numero ceciderunt, ipsumque adeo florem tanti exercitus deleuerunt. Hanc mortem Diodorus differt in sequentem Olympiadem, vbi scribit in hac pugna Lacedæmonios plures mille ducētis cecidisse. Nec in rei narratione satis ipsi cum Xenophonte conuenit, cū scribat primo prælio æquo marte discessum fuisse. Ea clade Lacedæmonem delata, decretum est eò rursum magnas copias, cum Rege Agesipoli mittendas esse; quæ dum præparantur, reliquus annus abijt. Refert in hunc annum Diodorus rem à Spartanis contra Mantinæam gestam, quā nos supra commodiore ac iustiore loco, Xenophontem secuti sumus.

Teleutiæ mors. — an. 1. — an. 1. Olympiad. 98. n. 4.

III. *Pax Euagoræ cum Persis.*

REX Cypri Euagoras ex Ægypto in Cyprum redit, vt scribit hoc anno Diodorus, pecunias inde secum afferens, sed longe sua expectatione pauciores. Cumque Salaminam summopere hostili obsidione pressam inuenisset, seque sociorum auxilio destitutum, legationem de pace mittere cogitur. Teribazus igitur, penes quem summa tum potestas erat, se pacem ea conditione daturum respondit, si Euagoras omnibus per Cyprum vrbibus cedens, & vnius Salaminæ dominio contentus, annuum regi tributum pendat, & ad imperata, vt seruus Domino, præsto sit. Eæ conditiones, licet Euagoræ molestæ essent, admittebantur tamen modo vt rex Regi, non vt seruus Domino parere iuberetur. Quod Teribazus non admisit, vincula & seruitutem afflicto Euagoræ destinans, quæ sibi imminere non putabat. Nimirum Dominus regem, alioqui non malum miseratus afflictum, inhumanam barbari acerbitatē cito castigauit, aliena malitia ad iustitiam suam recte vsus.

IV. *Teribazus ab Oronte accusatus in vincula coniicitur.*

INTEREA enim Orontes Regis gener, Teribazi gloriæ de Cypro Imperio Persico subiugata, inuidens, eum apud regem Artaxerxem multis modis criminatur: & nominatim de priuata cum Lacedæmoniis amicitia, & copiarum ducibus sibi deuinciendis, quæ nouarum rerum cupiditatem arguerent. Quibus calumniis eum Regi vsque adeo suspectum reddidit, vt is rescriberet, vt Teribazum in vincula coniectum, illico ad se mitteret, quod & factum est; illeque superuenientibus aliis negotiis, diutius in vinculis habitus est. Orontes autem copiis in Cypro cum summo imperio præfectus, nouum aliquem motum veritus, Euagoram ad pacis conditiones, quibus ille cum Teribazo consenserat, admisit. Atque ita Cypricum illud bellum, ad decennij fere tempus protractum, finem accepit; quod tamen duobus tantum annis gestum, reliquis apparatum est, vt Diodorus in hunc annum refert. De Euagora circa hoc tempus scribit Eusebius eum Cypro excessisse, siue cessisse reliqua insula, vna Salamina contentum.

V. *Camillus fit Tribunus mil.*

ALLATVS porro in vrbem rumor, quod Hetruria in armis esset, M. Furium Camillum rursum Tribunum consulari potestate fecit. Nec aliud videtur sensisse Liuius, quamuis dicat, (nunciato nono Antiatum, id erat oppidum Volscorum caput, & Latinorum bello,) Senatum diis gratias egisse, quod Camillus in magistratu esset: quasi nimirum eorum prouidentia factum esset, vt qui contra vnum hostem à Senatu, populoq; destinatus esset ad Reipub. firmamentum, cœteris etiam ad plura bella paratus fuisset. Ei collegæ omnes imperium, quasi Dictatori summiserunt, nec quicquam de maiestate sua detractum crediderе, quod maiestati eius viri concessissent. Collaudatis à Senatu tribunis, Camillus vtrisque confusis animo gratias egit, & operam suam Reipublicæ verecunde pollicitus, vnum è collegis quasi Magistrum equitum constituit; reliquis etiam munera sua, tam ad vrbis custodiam, quam ad aliorum hostium impetum propulsandum, demandauit, summo omnium consensu, atque concordia: vt gaudio frementes patres negarent Dictatore vnquam opus fore Reipublicæ, si tales viros in magistratu habeat, tam concordibus iunctos animis, parere, atque imperare iuxta paratos, laudemque conferentes potius in medium, quam ex communi ad se trahentes.

Mag. Dictat.

VI. *Hostium copia Camillus a suis militum contemnit.*

AD Volscos ergo proficiscitur Furius Camillus, vbi cum eorum exercitum, Latinorum atque Hernicorum copiis ita auctum videret miles, vt cum centenis singuli pugnaturi viderentur, & animis frangerentur, fotti oratione Camilli restituti, atque exemplo inflammati in arma ruunt, certi victoriam vbique Camillum sequi: quod cum ipsi Volsci persuasum haberent, atque experirentur, tanto faciliorem victoriam dabant: sicubi res inclinabat, eam præsentia ducis, vel conspectus erigebat. Denique longa licet cæde fatigato militi proxima erat victoria, cum repente ingruentibus procellis fusus imber, certam magis victoriam quam prælium diremit. Signo deinde receptui dato, nox quiescentibus Romanis bellum perfecit. Latini namque, & Hernici relictis Volscis domum taciti rediere, mali consilij non meliores euentus sortiti. Volsci deserti, relictis castris mœnibus Satrici se includunt, vbi mox capta vrbe, armisque abiectis dedidere se.

VII. *Satias vrbes recipit.*

CÆTERVM Camillus maiori operi Antio imminebat; sed superueniens Hetruscorum aduersus socias vrbes impetus, & cura Senatus eum aditum ad vrbem Hetruscis obstruendi, cœptum opus collegis relinquere cogit: ipse ex occupatis iam vrbibus hostem magna celeritate, nec minore eorum clade, depulit. Ita duabus ex hoste receptis vrbibus, tertia etiam hosti erepta, eoque toties fracto gloriosus in vrbem reuertit. Latini, & Hernici militum suorum accusarunt insolentiam, qui non publico, sed priuato cuiusque consilio, pro Volscis arma tulissent, vnde & meritas pœnas cæsi pependissent. Militis autem subsidiarij non dati causam in terrorem à vicinis Volscis timide magis quam vere conferebant, vt proximo statim anno probatum est, quo in armis contra Romanos cum Volscis fuere.

Et vrbem gloriosus repetit. Latini & Hernici excusant se.

ANNVS MVNDI 3670. SEXTÆ ÆTATIS & Imperij Persarum. 154. Artaxerxis Mnemonis & Ionathan Pontif. 21. Olympiadis XCIX. An. 1. Prætore Athenis Diotrephe. Vrb. cond. 369. Trib. mil. A. Manlio. P. Cornel. T. & L. Quintiis Capitol. cum 2. collegis.

ANNVS ANTE CHRISTVM 383.

I. *Agesipolis contra Olynthios proficiscitur.* a *Xenoph. lib. 5. p. 162. gr. lat.*

PRATA in Olynthios Lacedæmoniorum expeditione maiore, quę elatos prospero successu animos reprimeret, a regem Agesipolim bello præficiunt, anno nonagesimæ nonæ Olympiadis ineuntis, vel vt habet Diodorus, exeuntis. In qua Dicon Syracusanus in stadio palmam obtinuit. Ineuntem tamen series ipsa rerum gestarum requirit. Porro Agesipoli, sicut pridem Agesilao proficiscenti in Asiam, b Ephori triginta Spartanos adiungunt, eisque plurimi vltro militiæ socios dedunt, simulq; in Thraciam proficiscuntur. Vbi rex morte præuentus non diuturnas hostem vexando traxit moras.

b *Xenoph. l. 5. p. 496. gr. lat.*

IN-

Phliasii suos vexant. Interea Phliasii, qui Phlium Sicyoniæ oppidum in Peloponneso incolunt, & nuper Lacedæmoniorum metu exules suos receperant, rati nihil sibi nunc ab ipsis timendum, quod vtrumq; regem ex vrbe ad bellum non excessurum putarent, eosdem exules multa cum iniustitia tractare cœperunt. Quorum cum querelæ Spartam delatæ essent, eamque ipsam ob causam Phliasij iudices eos mulctauissent, visum est Reipublicæ vt contra eos Agesilaus exercitum duceret. *Obsidentur ab Agesilao.* Qui cum in eorum fines peruenisset, multis Phliasiorum legationibus fatigatur, vt copias domum reducat, quod se omnia imperata facturos dicerent. At cum Agesilaus arcem sibi tradi postularet; idque ipsi recusarent, ciuitatem ipsorũ diuturna obsidione vallauit, 20. enim menses tenuisse autor est Xenophon: itaque huius belli finis in sequentem annum cadet.

II. *Ortus Aristotelis.* CELEBRIS est hic annus clarissimi Philosophi natiuitate. Testis eius rei locuples Dionysius Halicarnassæus, in libello, quo docet Demosthenem artis præcepta ab Aristotele non hausisse. Aristoteles, inquit, fuit filius Nicomachi, qui genus & artem referebat ad Machaonem Æsculapij filium, Matre natus Phæstide, à Chalcidensi quodam oriunda, ex eorum numero, qui Stagira in coloniam profecti sunt. Natus autem est Olympiade nonagesima nona, triennio Demosthene maior, Prætore Athenis Diotrephe. Hæc Dionysius. Eadem de anno natiuitatis & parentibus, scribit Laërtius libro quinto, ex Apollodoro in chronicis, & Hermippo in vita eiusdem. Gellius tamen natalem Aristotelis annum esse ait septimum recuperatæ à Camillo Vrbis, in quo & M. Manlius Romę cæsus est. Ex quo apparet, vt ante monui, Gellium captam Vrbem referre in annum eius trecentesimum sexagesimum tertium; aut potius ipsum tam illam natiuitatem, quam hanc cædem in annum sequentem, qui fuerit Vrbis trecentesimus septuagesimus distulisse. In quem annum de Manlij morte consentiunt Sigonius, Onuphrius, Pighius, alij.

III. *Parmenides Autor.* PARMENIDEM Xenophontis Colophonij auditorem, aut, vt Theophrastus ait Anaximandri hac ipsa Olympiade floruisse, scribit in eius vita Laërtius, aitq; eum, cum & genere, & opibus illustris esset, ab Amenia Pythagorico ad quietam vitam, philosophicam videlicet fuisse traductum: de cuius opinionibus non pauca apud eundem & Aristotelem ipsum, & Platonem leges: qui eius nomen vni dialogorum suorum dedit. Attigit & Suidas. Qui illud etiam notant, eum philosophiam versibus expressisse, quemadmodum olim Hesiodus, & Xenophanes, atque Empedocles.

IV. *Genus Teribazi à rege defectio.* INTEREA Teribazus, Orontis oppressus calumnijs, in Perside tenebatur, cum Gaos naualis exercitus Persarũ prætor, cui filia Teribazi nupta erat anxie metuens, ne, si Teribazus in iudicio causa caderet, (Iudicium enim ille postulabat à Rege,) ob communicati cum Teribazo consilij suspiciones, à Rege ad supplicium raperetur, nouarum se rerum molitione præmunire studuit, & opibus ac militum erga se, ac Teribazum beneuolentia fretus, à rege defecit, inito cum Ægyptiorum rege Acoride, & Lacedæmonijs belli fœdere. *Teribazus iudicatur.* Artaxerxes bello, quod cum Cadusijs gerebat, finito, Teribazi causam, vt Diodorus ait, iudicio trium Persarum eximia integritate, atque autoritate commisit; apud quos ille Orontis criminationes refutauit, & sua in regem merita commemorauit. In quibus illud fuit, quod cum Artaxerxes in venatione curru suo inueheretur, duoque leones in eum, discerptis iam equis quadrigæ irruerent, superueniens Teribazus eos occidisset, & tanto regem periculo exemisset.

V. *Cur absolutus fuerit.* ITAQVE omnium calculis absolutus est. Quos rex accersitos interrogauit quo illum iure nixi absoluissent. Primus respondit, quod criminationes in eum dubię, benefacta manifesta essent. Alter quod licet obiecta vera esse cōcederentur, delicta tamen à meritis longe vincerentur. Tertius negauit se meritorum habuisse rationem, quod ea rex beneficijs & honoribus obtinuisset, sed reum absoluisse, quod obiectis criminibus minime sibi obnoxius fuisse visus esset. Quibus auditis Rex indices collaudauit, Teribazum vero magnis honoribus cohonestauit. At Orontem falsæ accusationis damnatum, ex amicorum catalogo expunxit, extremaque ignominia notauit. *Orontis infortunium.* Nihilominus legitur postea factus Mysiæ satrapa, à rege cum alijs defecisse, & rursum se ad regem socijs proditis contulisse, vt scribit Diodorus.

VI. *Iudiciorum seueritas in Perside.* CAVSA vero tam exacti iudicij ab eodem Diodoro affertur, quod Artaxerxes antiquum illum Cambysem imitatus, per hæc fere tempora iudicibus quibusdam, ob sententias inique latas, cutem viuis corporibus detrahi iussisset; eorumque pellibus circum tribunalia expansis, super his cognitiones causarum à iudicibus exerceri voluerit, vt semper ante oculos supplicij, quod iudiciorum prauitas mereretur, exemplum sibi propositum haberent. Verum Artaxerxes Cambyse seuerior fuit. Nam hic Sisamnem Otanis patrem non prius pelle, quam vita spoliauit; vt ex quinto Herodoti constat. *Artaxerxis crudelitas.* At Artaxerxes non vnum iam mortuum, sed plures excoriauit viuos. Ideoque eum non immerito Plutarchus crudelitatis accusat. Quamquã id vitium fere totius gentis commune fuisse, tam quæ diuersis locis de Cambyse, Dario, Xerxe, Artaxerxe, Parysatide diximus; quam Ecclesiæ historiæ, & martyrologia abunde testantur.

VII. *M. Manlij ambitio.* ROMÆ autem prædictis Tribunis magistratu fungentibus, M. Manlius, qui Gallos Capitolium noctu inuadentes depulerat, superbia elatus, opibusque subnixus, Camilli etiam gloriæ æmulus res nouas moliri cœpit, vt autor est Liuius, lib. 6. Itaque popularis factus, cum plebeis magistratibus consilia communicare, criminando patres, alliciendo ad se plebem; nec contentus agrariis legibus, quæ materia seditionum Tribunis plebis semper fuisset, ei concitandæ stimulos æris alieni subiecit, quod non solum egestatem minatur, & ignominiam; sed neruum etiam, & vincula corporibus liberis. Laborabatur autem tunc in Vrbe passim ære alieno, ædificando contracto.

Bellum Volscum. Interea imminebat bellum Volscum, graue per se, & Latinorum, atque Hernicorum defectione oneratum, quæ in speciem causa fuit Romanis maioris quærendę potestatis. *Dictator eligitur.* Sed noua consilia Manlij magis compulere Senatum ad Dictatorem creandum. Creatus autem A. Cornelius Cossus, Magistrum eq. dixit T. Quintium Capitolinum.

VIII. *Ex profectio Dictatoris.* DICTATOR etsi maiorem dimicationem propositam domi, quam foris cernebat, tamen seu quia celeritate ad bellum opus erat, seu victoria triumphoque Dictaturæ ipsi vires se additurum ratus, delectu habito, in agrum Pomptinum ad Volscos pergit, quibus se Latini, atque Hernici aggregarunt. Ibi legiones iubet stabili gradu venientem hostẽ excipere, tum Magistrum equitum terrorem equestrem inferre, occupatis iam Romanæ constantiæ pauore animis: Sic eques, sic pedes, vt præceperat, pugnant, nec dux legiones, nec fortuna fefellit ducem, hostis enim nulla re quam multitudine freta, oculis vtramque metiens aciem, temere prælium iniit, temere omisit, fugæ cædisque non ante noctem finis fuit, capta quoque, ac direpta eodem die castra Volscorum, prædaque omnis, præter libera corpora, militi concessa.

Et Romam reuocatur. Pars maxima captiuorum ex Latinis, atq; Hernicis fuit, in quibus cum quidam de principibus iuuentutis inuenti essent, intellectum est publico consilio ab his populis factam defectionem, contra quos cum Dictator speraret se arma laturum, ideoque & militem in statiuis haberet, Romæ tamen Manliana seditione gliscente, patres ad se Dictatorem euocauere.

IX. *M. Manlius regnum largitione, & nouis tabulis affectat.* M. enim Manlius non oratione tantum, sed factis etiam popularibus ad se plebem trahebat. Nam centurionem quendam dum in vincula æris alieni causa trahitur, multo cum fastu coram populo, ære pro eo persoluto, liberauit; qui sese ad seditiosam Manlij cateruã aggregans, multa cum ipsis in patres, ac fœneratorum crudelitatem, *Eiusdem in patres calumnia.* multa in Manlij laudem iactabat. Auxit seditionẽ Manlij in patres calumnia, quos criminabatur publicã pecuniam, Gallis pro ciuitatis redemptione numeratã, ipsis ereptã, in pauco-

paucorum prædam vertisse, qua posset æs plebis alienum dissolui. Cumq; plebs quæreret vbi tantum furtum occultaretur; idque Manlius suo tempore se indicaturum diceret, euocatus superuenit Dictator, qui Senatu habito, vna cum eo sella in Comitio posita, viatorem ad M. Manlium misit. Is Dictatoris iussu vocatus, cum ingenti agmine ad tribunal venit, hinc Senatus, hinc plebs, suum quisque intuentes ducem, velut in acie constiterant.

X. *In vincula à Dictatore conjicitur.* — Hic Dictator vinculorum pœna proposita, iubet Manlium indicare, apud quos præda ista occultetur. Ille cum tergiuersaretur, negaretq; se cogendum ad indicandum; illos potius ad prædas suas in medium proferendas esse compellendos. Dictator hominem falsi criminis insimulantem Senatum in vincula duci iussit. Itaque factum, nemine in contrarium hiscere audente: tanta erat Dictatoriæ reuerentia maiestatis.

Luctus plebis. Inuidia triumphi. — Coniecto in carcerem Manlio; magna pars plebis vestem, vt in luctu, mutauit; & in vestibulo carceris mœsta turba obuersabatur. Interea Dictator de Volscis triumphanit: qui triumphus inuidiæ magis, quam gloriæ fuit. Domi quippe, non militiæ partum fremebant, & de ciue, non de hoste actum, vnum tantum defuisse superbiæ, quod M. Manlius ante currum ductus non fuisset.

XI. *Seditio excitatur.* — CRESCENTE iam seditione, Senatus liberalitate leniendam plebem ratus, eam potius accendit, vt quæ eam mercedem esse prodendi Manlij interpretaretur. Denique Dictatore magistratu abeunte, amoto terrore, increuit seditio, & propalam audiebantur seditiosæ voces exprobrantium plebi, quod protectores suos, in præcipitem elatos, desereret: aliaque id genus. Quibus cum vis immineret à plebe, carceres perfringendi, & liberandi Manlium. Is sponte Senatusconsulto liberatur; quo facto seditio non finita, sed dux seditioni datus est. — *Manlius excitatur.*

Status belli huius temporis. — Interea Latini atque Heruici, missis Romam legatis, se crimine proximi belli purgare conabantur, & captiuos repetebant, in eos ex suis legibus animaduersuri, quibus à Senatu tristia responsa sunt reddita, quod publico consilio bellum susceptum, gestumque non dubitaret. Sicque hic annus abiit, cum semente maiorum rerum in annum sequentem.

ANNVS MVNDI 3671. SEXTAE AETAtis, & Imp. Persar. 155. Artax. Mnemonis, & Ionathan Pont. 22. Olymp. XCIX. an 2. Archonte Athenis Phanostrato. Vrbis Conditæ 370. Tribb. milit. Ser. Cornelio Maluginensi III. P. Valer. Potito II. M. Furio Camillo V. & aliis tribus.

ANNVS ANTE CHRISTVM 382.

I. *Agesipolis moritur. χαύμα πυριφλεγές. Eius & Agesilai mores.* — AGESIPOLIS Spartanorum rex Olynthum fatigabat, sociasque illius ciuitates, è quibus Toronem vi cœpit. Sed in ipso æstatis feruore, igneo quodam ardore correptus est, & ad frigidum Pallenes locum delatus, die septimo viuendi finem fecit, & melle oblitus domum deportatus est, ac regiam sepulturam consecutus. Scribit in hunc annum Diodorus Agesipolim pacis & iustitiæ amantem fuisse, & eximia intelligentia præditum, fidei cultorem, & publicæ libertatis amantem. Agesilaum contra natura inquietum, ad bella propensum, & summam in omnes Græcos dominationem affectantem. Eum tamen Xenophon quasi optimi ac religiosissimi principis exemplar exhibuit. Atque hoc ipso tempore cognita Agesipolis morte, non quasi sublato æmulo lætatum esse, sed quasi amisso amico, quo per quam iucunde, ac familiariter vteretur, esse lacrymatum. Eius loco Lacedæmonij Polybiadem præfectum ad oppugnandam Olynthum mittunt, qui eos anno sequenti ad deditionem fame compulit.

II. *Agesilaus Phliasios domat.* — EADEM necessitate Agesilaus Phliasios, quos superiore anno obsidere cœperat, hoc ipso subegit. Nam diuturna obsidio fuit. Obsessi enim mature quæ ad victum pertinebant ita partiti sunt, vt dimidio quotidiani cibi contenti viuerent: quo factum est, vt duplo longiori tempore, quam ferret hominum opinio, obsidionem tolerarent. Tandem fame victi, quamuis non fera vsi parcimonia, inducias ab Agesilao ad Spartanam legationē impetrarunt. Vnde remissi & Agesilai arbitrio ac potestati permissi sunt: qui eorum crimina, & causas, & Reip. ordinationem quinquagenis ciuibus attribuit, & scilicet arcem occupatam, quod ciues antequam obsiderentur, negauerant, præsidio firmauit, dimissisque sociis, domum ciues reduxit.

Natus est hoc anno Philippus Macedo, Alexandri Magni pater, regum ordine vigesimus secundus. Cum enim ex omnium confessione constet, vt suo loco docebimus, eum mortuum esse anno 4. Olymp. centesimæ decimæ. Iustinus autem sub finem libri noni scribat eum 47. annis vixisse, oportet eius ortum in hunc annum conferre. — *Ortus Philippi.*

ROMÆ autem Manliana seditione recrudescente, sex Tribuni militares Consulari potestate ex patribus creati sunt, in quibus Camillus quintum iam supremum adiit magistratum. Principio huiusanni & patribus, & plebi peropportune externa pax data est; Plebi, quod non auocata delectu spem cepit, tam potentem nacta ducem, fœnoris expugnandi; Patribus, ne quo externo terrore auocaretur animi, à sanandis domesticis malis, vt ait Liuius l. 6. — III. *Manlius in iudicium vocatur.*

Manlius enim ignominia vinculorum irritatus, quorū inuidiam neque Dictator, neque Senatus vniuersus ferre potuisset, plebem ad vim inuitabat, & regnum haud obscure ambiebat. Senatus contra de opprimendis eius consiliis concilium inir, & Tribunos plebis in suas partes traducit, à quibus dies dicta M. Manlio apud populum, vt plebem ipsam qua confidebat aduersariam haberet, & criminis iudicem.

ID ita factum; sordidatum reum ne cognati quidem veste mutata luxerunt. Nam affectati regni crimen, cognationem omnem, amicitias, decoraque omnia ipsius Manlii obruebat, atq; inuisa reddebat. Homines prope quadringentos produxisse dicitur, quorum bona venire, quos additos creditoribus duci prohibuisset; spolia præterea, dona, coronas, cicatrices aduerso pectore exceptas, Capitolium denique conseruatum. Cumq; in campo Martio centuriatim iudicium agitaretur, vnde Capitolium conspici poterat, illeque identidem manus ad Capitolium ferendo, populi amica suffragia consequeretur, visum est Tribunis, oculos plebis à tanti decoris memoria liberandos, translato in alium locum iudicio, vnde Capitolium conspici non posset. — IV. *Causam dicit.*

V. *Damnatus datur in præcepi. Li. 7. c. 21.* — IBI condemnatus, Tribunorum iussu de saxo Tarpeio in præceps actus. E Saxo quoque Tarpeio præcipitem datum, scripsit, Varro apud A. Gellium: qui etiam ex Cornelio nepote refert eum verberando necatum. Addita etiam est ad memoriam sempiternam, ignominia duplex; altera publica, quod domo eius, quæ in arce erat, solo æquata, prohibitum est, ne quis patricius in arce, aut Capitolio habitaret: gentilitia altera, quod gentis Manliæ decreto cautum est, ne quis deinceps M. Manlius vocaretur. Cuius tamen à se damnati mox desiderium Plebem tenuit, adeo vt cum mox grauis pestilentia esset exorta, illius supplicio tribueretur. Pestilentiam alia quoque mala anno sequenti exceperunt.

ANNVS MVNDI 3672. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Persarum 156. Artaxer. Mnemonis, & Ionathæ Pontif. 23. Olymp. XCIX. an. 3. Prætore Athenis Menandro. Vrbis Conditæ 371. Tribunis Milit. L. Valerio IV. A. Manlio III. Seruilio Sulpitio III.

ANNVS ANTE CHRISTVM 381.

I. *Olynthij dediti fiunt Lacedæmoniorum socij.* — POLYBIADES, qui in curam Thraciæ expeditionis, loco Agesipolis demortui, à Lacedæm. suffectus est, bene rem aduersus Olynthios hoc anno gessit. Eum Diod. Polybidam vocat, anno primo centesimæ Olymp. in illum enim annum mortem Agesipolis differt, sed pleraque apud Scriptorem illum sunt tardiora. Polybiades ergo Olynthios ad supremā famis necessitatem redactos, quod iā

An. 157. neque terra frumentum acciperent, neque mari quidquam importaretur, vtroque aditu à Spartanis intercluso, legatos de pace Lacedæmonem mittere compulit. Eam his conditionibus impetrarunt, vt eosdem cum Lacedæmoniis & hostes haberent & amicos, & tanquam militiæ socij, eosdem quocunque ducerent, sequerentur. Quæ vbi promissa, ac iureiurando firmata fuerunt, domum vtrique redierunt.

II. Coloniæ Romanæ turbantur. Romanæ res non multam suggerunt hoc anno materiam. Refert tamen Liuius hoc anno nouos hostes, sed parum formidabiles. Hostes, inquit noui, præter Volscos, velut forte quadam prope in æternum exercendo Romano militi datos, Circeij & Velitræ Coloniæ; Lanuuini etiam, quæ fidelissima vrbs fuerat, subito exorti. Coorta quin bellum decretum & apparatum; nec tamen, pestilentia, & inopia frugum vrgente, gestum est. Quæ cunctatio colonis spatium dederat deprecandi Senatum, bellique à se auertendi. Magnaque pars eo inclinabat, vt legatio supplex Romam mitteretur. Quando authores defectionis veriti, ne Romanorum iræ dederentur, Colonias à pacis consiliis auerterunt. Quin etiam inconsultam plebem incitarunt, vt prædatum in agrum Romanum exirent: qua noua iniuria spem omnem pacis exturbarunt, pessimo consilio cum patria quam soli perire malentes. Hæc ferme Liuius.

ANNVS MVNDI 3673. SEXTAE AETATIS, & Imp. Persar. 157. Artax. Mnemonis, & Ionathan Pont. 24. Olymp. XCIX. an 4. Prætore Athenis Demophilo. Vrbis Cond. 372. Tribb. Milit. Sp. & L. Papiriis cum 4. Collegis.

ANNVS ANTE CHRISTVM 380.

I. Florebant vehementer hoc tempore Lacedæmonij, & tantum non imperium totius Græciæ terra marique possidebant. Nam vt scribit Xenophon, eumque secutus Polybius, post Olynthios edomitos, Thebani, & Bœoti reliqui, Cadmea occupata, omnino erant in eorum potestate. Corinthios fidelissimos experiebantur. Argiui demissi erant animis, quod nihil iis excolis proficerent, quas prætexere consueuerant. Athenienses à sociis passim deserti erant. Ipsi autem Lacedæmonij Mantinæos, Phliasios, Olynthios, & quotquot animis non satis amicis in eos fuerant, non leui animaduersione castigauerant. Sed eos iniustitiæ vindex diuina prouidentia, non ita multo post vehementer afflixit. Nam cum se libertatem ciuitatibus Græciæ concessuros spopondissent, & fœdus iureiurando firmassent; arcem nihilominus Thebanam in sua potestate retinebant, simulque vniuersæ Bœotiæ dominabantur. Sed illam mox amiserunt, & à Thebanis ipsis ingentibus malis affecti sunt, vt aliquanto post dicetur. Vide interim Isocratis in Panegyrico querelam de Lacedæmoniis.

II. Ortus Demosthenis. Hoc rerum statu natus est Princeps oratorum Demosthenes. Plutarchus quidem in libello de decem Oratoribus scribit eum natum Athenis Prætore Dexitheo, neque aliter probat, quam quod Callimacho Prætore, qui eum magistratum gessit anno quarto Olympiadis centesimæ septimæ, Demosthenes trigesimum septimum ætatis annum ageret; quod tempus illis vtrique duobus Prætoribus definitur, eique Pontacus in notis in Eusebio assentitur. At Dionysius Halycarnasseus, qui Aristotelem Demosthene triennio maiorem putat, huius ortum differt in præsentem annum, qui centesimam Olympiadem antecedit, quo Demophilus Prætor Athenis fuit. Cui in hoc dubio, in ratione temporum diligentiori cura versanti, potius acquiescendum puto. Præsertim cum eius instituto faueret, si Demosthenem Aristotele antiquiorem docere potuisset. In eo enim laborat in opusculo quodam ad Ammæum, vt doceat Demosthenem non hausisse ab Aristotele præcepta dicendi. De ipso porro plura in sequentibus dicentur, nunc clarissimi Oratoris ortum, & quæ cum eo coniuncta sunt, satis erit attigisse. Huic autem Chronologiæ passim recentiores subscribunt, Sigonius, Andreas Schottus; Scaliger quoque, & si qui alij de sectariorum grege.

III. Ortus conf... Hvmili loco natum Demosthenem, patre gladiorum fabro scribit Suidas. Verum honestis ortum parentibus tradit etiam Æschines inimicus, patre scilicet Demosthene Pæaniensi, qui cum officinam seruorum haberet, qui gladios fabricarentur Machæropæus dictus est. Virum bonum & honestum vocant Theopompus & Plutarchus. Lucianus autem in encomio Demosthenis, etiam trierarchum. De matre cauillatur Æschines; Scytham enim fuisse tradit Ponti accolam, nomine Cleobulem, quam ibi genuerit Gylon auus Demosthenis, cum Athenis ob proditionis crimen exularet, & circa Pontum habitaret. Plutarchus autem in dubio relinquit verene id scripserit Æschines, an maledicendi studio finxerit. Ego vero etiam in dubio relinquam, laudandine studio Lucianus huius oratoris patrem classis præfectum dixerit, an nominis similitudine deceptus, Demosthenis principis Atheniensis bello Peloponnesiaco, dignitatem huic accommodans; qui in Sicilia cum Nicia, ante annos duos & 30. mortuus, hoc anno Oratorem nostrum gignere non potuit. Cum autem balbus esset, inquit Suidas, & humerum indecore moueret, & imbecilli auditu, & spiritu esset infirmo, & primam artis suæ literam pronunciare non posset, omnia tamen hæc naturæ vitia diligentia atque exercitatione correxit: cuius index est ille dolor, si quando antelucana opificum victus esset industria. Sed de his satis, sunt enim peruulgata. Vide Andræam Scottum in eius vita.

Τριήραρχον. Lucianus deceptus.

Vide Lucian. in vita Demosth. Cicer. l. de Orat. ... Suid.

IV. Velitrae vastae. In Italia vero duoes Tribuni mil. Sp. & L. Papyrius, Velitras duxere legiones. Id oppidum pridem Volscis exceptum fuerat, & in illud missa ea egena multitudine coloni, a quatuor Collegis Vrbis præsidio relictis, si qui existerent noui ex Hetruria motus. Contra Veliternos, & maiora pene auxilia Prænestinorum, secundo prælio pugnatum est, fuga propere in oppidum facta est: à cuius tamen oppugnatione abstinuere tribuni, quia & anceps erat, nec in perniciem coloniæ pugnandum censebant. Literæ Romam ad Senatum cum victoriæ nuncius missæ, acriores in Prænestinum, quam in hostem Veliternum. Itaque ex S.C. populique iussu bellum Prænestinis indictum est, proximoque anno gestum, vt Liuius tradit.

ANNVS MVNDI 3674. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Persarum 158. Artaxer. Mnemonis, & Ionathan Pontif. 25. Olymp. C. an. 1. Prætore Pythea. Vrbis Cond. 373. Tribb. Milit. M. Furio Camillo VII. cum Quinque collegis.

ANNVS ANTE CHRISTVM 379.

I. Olympias 100. Centesima quam ingredimur Olympiade, Dionysodorus Tarentinus stadij palmam meritus, & consecutus est, vt author est Diodorus. Pausanias autem b scribit Sotadem longioris curriculi victorem, Olympiade nona supra nonagesimam renunciatum esse, & quidem Cretensem, vt reuera fuit. Ea vero quæ consecuta est Olympiade, accepta publicè ab Ephesiis pecunia, Ephesiis sese adoptandum dedit, seque dixit Ephesium. Quam ob culpam Cretenses exilio ipsum mulctarunt. Tanta fuit ea ludicro certamine gloria. Agesipolim Lacedæmoniorum regem hoc anno mortuum, Cleombrotum fratrem habuisse successorem tradit Diodorus initio centesimæ Olymp. qua de re supra anno 1. Olymp. 99. diximus.

Agesipolis mors.

II. Liuius de Romana re scribit Prænestinos, Volscis coniunctos Satricum, Coloniam populi Rom. pertinaciter à colonis defensam, vt hoc anno expugnasse, fœdeque in captos exercuisse victoriam. Eam rem ægre passi Romani M. Furium Camillum Tribunum militum creauere, cum quinque collegis, eique quamuis repugnanti, & ætatem excusanti, bellum Volscum extra ordinem decretum est, & sorte ex collegis L. Furius adiutor datus, qui teme-

Camillus in eos mittitur.

temeritate sua tota re in maximum discrimen adducta, eximiæ laudis segetem Camillo subministrauit.

Is enim cum 4. legionibus quaternum millium Satricum profectus, hostem inuenit cum numeroso exercitu ad pugnam paratum, imo & Romanorum paucitati insultantem, & ad consererendas manus prouocantem.

III. *Anceps pugna.* AT Camillus cunctabatur, exercitu suo pugnam licet deposcente, donec Collegæ vehementius etiam instanti cessit. Is ergo aciem instruit. Camillus subsidia firmat, & ex alto euentum pugnæ intentus speculatur. Primo fere congressu ficta fuga Volsci in pugnæ locum iniquum Romanos trahunt, quando etiam validæ aliquot cohortes, in castris à Volscis in eum finem relictæ, opportunè in Romanos prorupere, & in fugam compulere. His occurrens Camillus, eis vires, animosq; restituit, & conuersam aciem *Camilli victoria.* ducens, hostes in veram fugam coniecit, magnamque partem tam in ipso certamine, quàm in fuga & castris, quæ eodē impetu capta sunt, cecidit. Plures tamen capti quàm occisi.

IV. *Bellum in Tusculanos.* CUM autem in recensendis captiuis Tusculani aliquot deprehensi essent, iidemque publico se consilio militasse faterentur, Romam à Camillo ducti sunt. In eos iubetur à Senatu Camillus arma vertere: qui cum eius belli adiutorem peteret, iubetur ex collegis optare quem vellet. Is contra spem omnium L. Furium optauit; qua moderatione animi cum Collegæ leuauit infamiam, tum sibi gloriam ingentem peperit. Existimauit enim eum euentu rei satis castigatum, nec sua consilia melioribus prælaturum, & fortiter agendo culpam præteritam libentissime emendaturum.

Camilli humanitas. Verum cum Romanæ copiæ Tusculum venissent, nullum belli vestigium foris, nullum in vrbe repererunt; omnia potius, vt in altissima pace pacata. Rem admiratus Camillus Senatum eorum vocat, qui re potius, quam verbis ostendebat, bellum se contra Romanos non gerere, idemque legati Romam missi cum docuissent, ingenuam etiam culpæ confessionem, & pœnitentiam addidissent, non solum pacem, sed ciuitatis etiam societatem impetrarunt, rem fusius apud Liuium leges.

ANNUS MUNDI 3675. SEXTÆ AETAtis, & Imperii Persarum 159. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan Pontif. 26. Olympiadis C. an. 2. Prætore Athenis Nicone. Vrbis conditæ 374. Trib. L. & P. Valeriis, C. Sergio, Licinio Menenio, & aliis tribus.

ANNUS ANTE CHRISTUM 378.

I. *Mausoli obitus. Mausoleum. a l.36. c.5. & 6.* INOPS rerum Persicarum, atq; Græcarum habetur hic annus, apud Diodorum, & Xenophontem: eum tamen Mausoli morte celebrat Plinius non semel, a quamuis repugnante Diodoro Siculo, qui eum anno tertio Olympiadis centesimæ quartæ inter socios defectionis à rege Persarum enumerat, viuum vtique ac valentem. Affirmat tamen Plinius hoc anno Mausolum Cariæ regulum obiisse, eique Artemisiam sepulchrum erexisse, quod propter nobilitatem artificum in 7. mundi miraculis locum inuenerit. Patet, inquit, ab austro & septentrione sexagenos ternos pedes, breuius à frontibus, toto circuitu pedes quadringentos vndecim.

%. 285 126. Mendosus vtique locus videtur: quomodo enim breuiores frontes erant, pars scilicet orientis & occidentis?

411. Nam si totus circuitus fuit 411. pedum, & Auster & Boreas 126. pedes occupant, reliquis duabus partibus, quæ breuiores dicuntur supersunt 285. An Auster & Septentrio frontes erant, in opere quadrangulo, Oriens autem & Occidens latera? Attollitur in altitudinem 25. cubitis, cingitur columnis 36. Ab Oriente cœlauit Scopas, à Septentrione Bryaxis, à Meridie Timotheus, ab Occasu Leochares. Priusque quam peragerent, regina Artemisia, quæ mariti memoriæ id opus extrui iusserat, obiit. Hæc ibi. Secto è marmore conuestitum, & cælaturas in marmore factas iisdem locis traditum est. Fuit porro hic annus apud Hebræos Sabbaticus ordine 156.

II. *Annus Censoribus infaustus.* LIVIUS autem Censores hoc anno Romæ creatos tradit, propter incertam famam æris alieni, C. Sulpitium Camerinum, & Sp. Posthumium Regillensem; sed morte Posthumij res interpellata est. Cumque religio esset Censori viuo collegam sufficere, & Sulpitius se magistratu abdicasset, alij duo vitio c[...]ti non gesserunt magistratum, nec tertios creari placuit, quasi diis gratum non esset eo anno Censores esse. Id quasi plebis ludificationem Tribuni plebis acceperunt, & in concione iactarunt, adeo vt delectum haberi contra Prænestinos, qui in armis erant, non paterentur. Cuius rei non ignari Prænestini, tanto ferocius in bellum ruebant, & raptim agmine facto peruastatis protinus agris, ad portam Collinam signa intulere. *Transitus in armis.*

III. *Dictator creatur Quintius Cincinnatus.* ID demum ad seditionem in vrbe extinguendam valuit. Quippe ad arma statim conclamatum, concursumq; in muros atque portas est, & T. Quintius Cincinnatus Dictator creatus. Qui Magistrum equitum A. Sempronium Atratinum dixit.

Quod vbi auditum est, tantus erat eius magistratus terror, simul hostes à mœnibus recessere, & iuniores Romani ad edictum sine detrectatione conuenere. *Arma in eos infert.* Dum conscribitur Romæ exercitus, hostes haud procul Allia flumine castra posuerunt, ea superstitione ducti, quasi fatale esset ibi semper Romanos vinci, vbi semel à Gallis superati fuissent, sed Romani ea superstitione neglecta, & studio reparandi illic contracti dedecoris eo libenter conuenerunt. Vbi in conspectu fuere acies, iubet Dictator Sempronium cum equitatu mediam inuadere aciem, se cum legionibus in turbatos, trepidantesque signa illaturum.

IV. *Eius victoria.* NON equitem, non peditem sustinuere Prænestini, primo impetu ac clamore dissipati sunt ordines. Deinde postquam nullo loco constabat acies, terga vertunt, nec prius à fuga desistunt, quam etiam castris desertis Præneste in conspectu fuit; vbi locum tumultuosè communiunt: sed *Plura oppida subiugat.* Romanus castris direptis, etiam hoc munimento hostem expulit, & in vrbem compulit, quæ post octo oppida illi subiecta haud magno certamine superata, etiam per deditionem recepta est. Velitræ quoque expugnatæ. Ita T. *Triumphat & vigesimo die abdicat se Dictatura.* Quintius, semel acie victor binis castris hostium, nouem oppidis vi captis, Præneste in deditionem accepto, Romam triumphans reuertit, & vigesimo quam creatus fuerat die, se magistratu abdicauit.

ANNUS MUNDI 3676. SEXTÆ ÆTAtis, & Imperij Persarum 160. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan Pont. 27. Olympiadis C. an. 3. Prætore Nausinico. Vrbis Cond. 375. Tribb. P. & C. Manlio, & L. Iulio Patriciis, C. Sextilio, M. Albino, & L. Antistio plebeiis.

ANNUS ANTE CHRISTUM 377.

I. *Arx Thebana recepta.* RECUPERATAM hoc anno arcē Cadmæam à Thebanis, simulque exortum Bœoticum bellum Lacedæmonios inter & Thebanos, author est Diodorus in hunc annum, sicut iamdudum notauimus. Sed historia ipsa à Xenophonte, quamuis temporum notis destituta, non leui vel autoris culpa, vel posterorum iactura, petenda est; qui ab hoc facto initium ducit debilitatæ Lacedæmoniorum potentiæ, quæ post annos octo à Thebanis in Leuctrica pugna accisa, pene concidit. In quo diuinam etiam prouidentiam Xenophon agnouit, qua factum sit vt per quæ quis peccarat, per eadem & puniretur. Nam Lacedæmonij, inquit, qui se libertatem ciuitatibus concessuros *Aequitas diuinæ prouidentiæ.* iurauerant, ac nihilominus arcem Thebanam in potestate sua retinebant, ab illis solis puniti sunt, aduersus quos iniurij fuerant, cum ante id tempus semper inuicti fuissent. Denique 7. exules Thebani ad eos opprimendos suffecere, sicut 7. Thebanorum proditione in arcis possessionem venerant. Æmilius tamen Probus, & Plutarchus in Pelopida duodecim fuisse aiunt, eorumque ducem Thebanum Pelopidam, quem ne nominat quidem hoc toto in negotio Xenophon. Res ita confecta est.

II. PHYLLIDAS quidam Polemarchorum scriba, cum negotij cuiusdam causa Athenas venisset, ibique Mellonem exulem, sibi iampridem notum, de Patriæ suæ tyrannide conuenisset, de ea extinguenda coniurant. Et Mello quidem adiunctis sibi, ex omni exulum numero, sex sociis huic rei perficiendæ in primis idoneis, qui cetera inermes, si as tantum secum sumerent, primùm Thebanum agrum noctu ingreditur. Deinde proximo die in loco solo exacto, ad portas accedunt, & in vrbem, more rusticorum ex agris redeuntium, ingrediuntur, & eam noctem diemque proximum se in ædibus cuiusdam Charonis continent. Scribit Æmilius Probus, & Plutarchus eorum Thebanorum aduentum magistratui Thebanorum delatum fuisse, idque eos vino epulisque deditos despexisse: quin etiam ad eum, qui maximum omnium magistratuum Thebis gerebat literas delatas, in quibus omnia consilia exulum perscripta erant, & iam in conuiuio accubanti esse redditas: quas cum ille vt erant, signatas in puluinum subiecisset, *in crastinum*, inquiens, *differo res seueras*: ipse tamen cum suis eadem nocte interfectus est. Sed redeo ad Xenophontem.

III. INTERIM Phyllidas, Polemarchis Veneris festa celebrantibus, & vino incalescentibus, promissarum muliercularum loco, Mellonem cum suis muliebri habitu introducit, famulis omnibus alio ablegatis. Cumque singuli coniurati apud singulos collocati essent, cum primum assidere iussi sunt, quisque suum Polemarchum sica confossum interemit. Inde Phyllidas, sumptis secum tribus ipsorum, ad Leontiadis ædes pergit, (Is erat Polemarchus Thebanus, qui Phœbidæ arcem prodiderat,) eumque admissi trucidant, & vxorem eius, iniecto mortis metu, silere cogunt, ac domi se cum domesticis continere. Inde carcerem adeunt, & specie adducendi reum vinculis constringendum admissi, custodem carceris interficiunt. & vinctos liberant, armisq; instruunt, & in Amphionis Thebanorum conditoris monimento, in armis subsistere iubent.

IV. TVM Thebanos omnes per præconem domibus egredi iubent, quod Tyranni interempti essent, qui tamen non sunt ausi prodire, donec orta luce, quæ accidissent conspexere, seq; coniuratis adiunxere, tum reliquos exules, auxiliaque Atheniensium ad expugnandam arcem euocauere. Præfectus arcis re cognita mittit Platæas, ac Thespias, vrbes Spartanis in primis addictas, qui auxilia euocarent. Platæensibus aduentantibus occurrunt Thebani, ac plures quam 20. ex eis occidunt: tum regressi copias oppugnandæ arci admouent, & obsessos audacia sua, & felici rerum successu perterritos, inde cum armis eiiciunt, fide data, sacramentoque confirmata; quam tamen mox perfide, crudeliterque violarunt.

Quoscunq; enim eorum sibi hostes agnouerunt, comprehensos trucidauere; quin & eorum liberos, maiori etiam crudelitate peremere. Nonnulli tamen Atheniensium, qui Thebanis auxilio venerant, ope, ac miseratione incolumes euasere.

V. RE cognita Lacedæmonij Præfectum arcis, qui subsidia non expectarat, morte mulctant: simul aduersus Thebanos delectus habent, & Agesilao ætatem excusante, Cleombrotus eius frater hyeme aspera cum copiis contra Thebanos mittitur, vt ait Xenophon l. 5. quo fit vt initium rerum ab eo gestarum in annum sequentem differamus. Si prius tamen monuerimus hanc arcis receptionem, sicut & reliqua, quæ ad hoc bellum Bœoticum pertinent, tam diuerse à Diodoro narrari, vix vt vlla in re cum Xenophonte consentiat, quæ persequi non est necesse. Rem fusius deductam leges apud Plutarchum in Pelopida, à quo Leontiadem occisum refert, nec sine pugna & sanguine.

VI. ROMAM interea reuertamur, vbi Manliis prouincis Volscos debellandi extra ordinem data est, quod genere plebeios collegas, gratia L. Iulij mauiarent: rem tamen parum fœliciter per imprudentiam suam gessere. Nam in insidias per fraudem inducti, multos suorum amisere. Castra interim Romana in campo iacentia, ab altera parte hostes inuasere: quidquid superfuit fortunæ populi Romani, id militum virtus, etiam sine rectore tutata est, Volscis victoria vti nescientibus. Quæ causa fuit vt duces cum exercitu reuocarentur, neque Dictator crearetur. Rebus haud prospere bello gestis, nihil à plebe tumultuatum est, eis quippe solatium fuit, quod tres è plebe Tribunatu Consulari ornatos animaduerterent. Extremo anno Prænestini, concitatis Latinorum populis, rebellarunt, Volscis interea præter morem aliquantisper quiescentibus.

ANNVS MVNDI 3677. SEXTÆ AETATIS, & Imperii Persarum 161. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan Pontif. 28. Olympiadis C. an. 4. Prætore Callia. Vrbis conditæ 376. Sp. Furio, & Q. Seruilio II. cum 4. Collegis Tribb. Milit.

ANNVS ANTE CHRISTVM 376.

I. CLEOMBROTVS Agesilai frater, in Bœotiam contra Thebanos missus, nunc primum ducis officio fungi cœpit; & itinere Platæas versus capto, cetratos præmisit, qui in præsidium 150. Thebanorum, qui nuper è carcere educti fuerant, cum incidissent, eos vniuersos, nisi si quis forte fuga elabi potuit, interfecerunt: Cleombrotus ad oppidum Platæas, quod adhuc in Lacedæmoniorum fide perstabat, descendit. Deinde Thespias cum venisset, cum copiis progressus, ad oppidum Thebanorum, quod Cynos Cephalas vocant, castra locauit, vbi cum dies sedecim substitisset, Thespias reuertit. Ibique Sphodriam præfectum, cum tertia quorumlibet sociorum parte relinquit, ipse domum cum reliquis copiis reuersus, milites dimittit, dubios admodum pacne cum Thebanis, an bellum esset. Quod factum quidam beneuolentiam eius erga Thebanos interpretati sunt, præsertim cū agrum Thebanum quam minimo damno affecisset.

II. AT Thebani nimium potentes aduersarios Lacedæmonios veriti, ad belli societatem Athenienses fraude traxerunt. Nam Sphodriæ Thespiis præfecto largitionibus persuadent, vt Atticam cum copiis inuaderet, & cum Piræeum se capere velle simularet, nihil aliud quam pecora diripuit, & domos spoliauit. Nonnulli autem qui in ipsum inciderant, Athenas hostium metu ad arma commouerunt: qui & legatos Lacedæmoniorum, qui apud Calliam hospitem publicum ciuitatis fœderis versabantur, comprehenderunt, quasi huius facinoris conscios. Verum illi ab eo se cū diligenter purgassent, dimissi sunt; cum etiam futurum dicerent vt Sphodrias à Repub. sua morte mulctaretur.

III. ET certe non ita multo post Ephori Sphodriam ad subeundum capitis iudicium accersunt. Is metu consternatus non paruit, & quamuis se iudicio non stitisset, nihilominus Agesilai fauore absolutus est. Cum enim Agesilai filius Archidamus Sphodriæ filium amaret, Sphodrias Cleonymum filium suum impulit ad veniam sibi ab Agesilao per Archidamum impetrandam: idque precibus ac lachrymis vtriusque adulescentis non sine labore perfectum est. Nam Agesilaus omnibus, ad quos hoc iudicium spectabat, dicebat. Minime dubium esse quin Sphodrias deliquisset; verum graue esse virum eiusmodi interfici, qui & puer, & adolescens, & iuuenis semper honestissime se gessisset. Cuius iudicium cæteri secuti, Sphodriam absoluerunt, magno publicæ rei detrimento. Tum vero quotquot apud Athenienses Bœotis fauebant significare populo, tantum abesse, vt in Sphodriam Lacedæmonij animaduerterent, vt eum potius collaudarent. Itaque Piræeum portis occludunt, naues ædificant, & Bœotis summa animi alacritate opem ferunt.

IV. LACEDÆMONII vero nouos aduersus Thebanos delectus habendos esse decernunt, & Agesilaum vt exercitum duceret Cleombroti loco exorant. Is profectionem tum Spartana cunctatione, tum propria ab hoc bello alienatione vsus, reliquo anno comparauit. Cæte-

tum quæ de Sphodria retulimus, ad hunc ipsum annum à Diodoro quoque referuntur, sed tam diuersa, vt appareat eum Xenophontem non legisse; quo tamen eum veriora dicere, nemo facile crediderit. Certe cum is se Ctesiam potissimum secutum profiteatur, qui teste Plutarcho, libros suos absurdarum, & insulsarum fabularum colluuie, vt supra dicebamus, infersit: nihil mirum nonnulla vana in ipsius historiam esse deriuata.

V. *Seditio Romæ ob æs alienum.* PRINCIPIA porro præsentis anni statim ingenti seditione Romæ arsere, propter æs alienum; cuius noscendi [...]sa Sp. Seruilius Priscus, & Q. Clœlius Siculus Censores [...]cti, ne rem agerent bello impediti sunt. Namque trepidantem primo, fuga deinde ex agris, legiones Volscorum ingressas fines, populariq; passim agrum Romanum attulere. In qua trepidatione tantum abfuit, vt terror externus ciuilia certamina cohiberet, vt accenderet potius, Tribunis plebis delectum prohibentibus; donec impetratum esset ne quis vel tributum dare, vel ius de pecunia credita dicere cogeretur, donec debellatum esset.

VI. *Expeditio in Volscos.* ERGO nouis legionibus scriptis, duos exercitus, cum binis Tribunis, singulos in Volscorum regionem immiserunt, à quibus, quasi per otium, hostili agro ingentes calamitates illatæ; si forte Volscos ad certamen elicerent, qui cum non comparerent, hominum, pecudumque abacta præda, Romam vterque exercitus reduxere. Iocularibus profectu Volsci, ac ludicris puerorum, vt apparet, vsi bellis, qui arma magno sonitu, ac tumultu crepareot, deinde abderent se taciti, & fumantes pagos, villasque pauidi respectarent. Neq; magis serio Romani agere visi, qui quod triennio efficere potuissent, hoste semel afflicto, in centum annos, aut eo etiam plures, protraxere. Romæ autem modico debitoribus respirandi interuallo concesso, iurisdictio celebrari de integro cœpit; nec obstitere Tribuni, quia quem delectum, rebus tum quietis, impedirent non habebant. Aliqui tamen sine dubio locupletati præda Volscorum, obæratorum numerum minuerunt.

ANNVS MVNDI 3678. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperij Persarum 162. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan Pont. 29. Olympiadis CI. an. 1. Prætore Chariandro. Vrbis Cond. 377. Tribb. Mil. L. Aemylio, P. Val. IV. & aliis 4. omnibus patriciis.

ANNVS ANTE CHRISTVM 375.

I. *Olympias 101.* QVADRINGENTIS iam annis ab initio Olympiadum exactis Damon Thurius nouum seculum victoria sua priore auspicatus est in Eliaco stadio, cuius meminit Pausanias l. 7. a & Diodorus in hunc annum. In quo Agesilaus electus copiarum in Thebanos Imperator, antequam in agrum Thebanum irrumperet, Cithæronem capiendam putauit, & conductitio Cletoriorum vsus milite, eam occupauit, ac Thespias venit. Inde productis copiis, Thebanorum in agrum perrexit: vbi cum hostem aliquandiu variis velitationibus, ac vastatione fatigasset, Thespias reuersus mœnibus oppidum illud cinxit, relictoque ibi Phœbida præfecto (hic erat qui Cadmeam arcem opera Leontiadis occuparat) Megara traductis copiis socios dimittit, ciuium exercitum ipse domum abducit. Diodorus scribit hoc anno Chabriam, celebrem Atheniensium ducem, dolo interfectum fuisse, cum Abderitas à Barbarorum seruitute liberasset. At eius aliquot etiam post annos meminit Xenophon. b

a p. 232. & 92. *Res gestæ ab Agesil.* *b l. 5. p. 577. gr. lat.*

II. *Phœbidas populatur Thebanos.* EX eo tempore Phœbidas prædonum manipulos emittens, excursionibus agrum Thebanorum vexabat, & res eorum agebat ferebatq;. Egressi contra Phœbidam Thebani male ab eo excepti sunt; cumque referrent pedem, ad inuium quendam deuenere locum, vbi cum ad pugnæ necessitatem venissent, ipsum Phœbidam persequentem, cum paucis aliis interfecerunt. *Ab iisque occiditur.* Ex quo tantus iniectus est terror Thespiensibus, conductitiisque militibus, vt non prius fugere desisterent, quam intra muros Thespienses se recepissent. Ex quo res Thebanorum reuiuiscere cœperunt, & passim ad eos plerique ex oppidis migrare, quæ Thebani bello petere cœpissent. Dum autem Ephori nouum delectum in ver proximum parant, Polemarchum quendam cum cohorte mittunt, vt præsidio Thespias teneret.

III. *Expeditio ad Satricum. Ex pugna, Romanorum victoria.* ROMÆ Tribunos militares omnes patricios, plebs coacta principum opibus fecit: iidemque opibus obtinuit, vt aduersus Latinos, Volscosque, qui coniunctis legionibus ad Satricum castra habebant, tres exercitus conscriberentur, vnus ad præsidium vrbis, alter qui ad subita bella esset ad manum; tertium longe validissimum P. Valerius & L. Æmylius ad Satricum duxere. Vbi cum instructam hostium aciem æquo loco inuenissent, extemplo pugnatum: & vt nondum satis claram victoriam, sic prosperæ spei pugnam imber ingentibus procellis fusus, diremit. Postero die redintegrata pugna, fusi hostes cum Satricum, quod duobus millibus inde aberat, non castra peterent, ab equite maxime cæsi, castra capta, direptaque. Ab Satrico nocte proxima Antium profecti, nequicquam Romano persequente, euasere.

IV. *Antiates pacem quærunt, ac se Romanis dedunt.* SOLVTO tum inter Antiates, Latinosque contra, cum Antiates victi malis, in quibus nati consenuerant, deditionem spectarent; Latini ex diutina pace, & noua defectione animis ferociores bellum mallent, finis certaminis fuit, vt pars vtraque, quod mallet, amplecteretur. Antiates ergo remotis Latinis, vrbem agrosque Romanis dedunt: Latini ira perciti, quod nec Romanos bello lædere, nec Volscos in armis retinere potuerant, Satricum, quæ vrbs eos è prælio fugientes exceperat, igni concremarunt. *Latini Romanos violant.* Inde Tusculum profecti, quod se quoque Romanis dediderat, vrbem ex improuiso capiunt, in arcem oppidani refugiunt. Romani admoniti quamprimum adfuerunt, Latinosque in vrbe clausos, & arcem obsidentes obsident, sed repentino incursu Tusculanorum ex arce decurrentium, & Romanorum in mœnia prouolantium oppressi, ad vnum omnes interempti sunt, & recuperato Tusculo, exercitus Romam est reductus. *Tusculum recipitur.*

V. *Plebs ambit supremum magistratum.* INTEREA Romæ plebs à patribus oppressa, eis omnia concedebat, vt ne ad vllos quidem honores aspirare auderet, donec per occasionem vnius è filiabus M. Fabij Ambusti, patefactus est aditus. Hæc Plebeio nupta, gemebat se viro non nupsisse, qui honorum particeps esset, sicut soror. Ambustus ergo cum bono animo filiam esse iussisset, consilia inire cum genero C. Licinio Stolone cœpit, adhibito etiam L. Sextio strenuo adolescente, de summo magistratu plebi rursum communicando. Quod vt melius succederet, Tribuni plebis facti sunt C. Licinius, & L. Sextius; à quibus tres aduersus patriciorum opes promulgatæ leges, vna de ære alieno; vt deducto eo de capite, quod vsuris pernumeratum esset, id quod superesset triennio æquis portionibus persolueretur: altera de modo agrorum, ne quis plus quingenta agri iugera possideret: tertia ne Tribunorum militum comitia fierent, sed Consulum, eorumque alter è plebe crearetur. *Quæ rogationes.* *Plebeius liceo.*

VI. *Anarchia magistratus.* HIS rebus conterriti patres, ad consueta præsidia intercessionis collegarum recurrere, qui cum sæpius vetarent, stipati patrum præsidiis, ne rogationes recitarentur, aut plebs suffragia daret. Licinius quoque ac Sextius Comitia haberi curulia prohibuerunt; solosque ædiles, Tribunosque plebis creari passi sunt: eaque solitudo magistratuum per quinquennium Vrbem tenuit. Ita Liuius & Flor. in Epito. quos Onuphr. Sigon. Cuspin. Funct. Tempor. Mercator, aliique secuti sunt. Cassiodorus tamen Sex. Rufus, Eutropius, Zonaras, quadriennium tantum ponunt, vt notauit Cuspinianus, quos secutus est Stephanus Pighius in Annalibus suis.

†

ANNVS MVNDI 3679. SEXTAE AETATIS & Imp. Persar. 163. Artax. Mnemonis, & Ionathan Pont. 30. Olymp. CI. an. 2. Prætore Hippodamo. Vrbis Cond. 378. Tribb. pleb. C. Licinio Stolone, & L. Sextio, qui est an. 1. sine Curul. Magistr.

ANNVS ANTE CHRISTVM 374.

I. *Tenuria Thebanorum.* VEre inchoante rursus Ephori copias aduersus Thebanos decernunt, & Agesilao committunt, a quo Thebani vatiis stratagematis fatigati sunt, haud magno alterutrius partis dispendio, compendioue. Illud tamen contigit memorabile, quod cum Thebani annonæ inopia admodum premerentur, quod iam biennium fruges ex agro suo non percepissent, & quosdam suorum frumentandi gratia cum duabus triremibus, & decem talentis Pagasas misissent, Alcetes Lacedæmonius, qui Oreum, oppidum in Eubœa insula, cum præsidio tenebat, dum frumentum illi coëmerent triremes tres instruit, singulari *Captum coepit ...* studio cauens, ne quid enunciarent. Vbi iam frumentum auehebatur, Alcetes frumentum, & triremes, & homines ipsos, non pauciores trecentis, viuos capit; quos in arce carceribus mancipat. Cumque is ex arce negligentius abiisset, captiui eam ceperunt, moxque vrbs ipsa à Lacedæmoniis defecit, & Thebani magna frumenti copia abundarunt.

II. *Demosthenes ... septennis.* Hoc anno Demosthenes septennis patre orbatur, vt scribit Plutarch. in Op. 10. oratorum, quando iam eius quintum agebat annum. Idem habet ipse Demosth. oratione in Aphobum, & Photius in Biblioth. Addit Suidas tres illi tutores datos Aphobum, Demophontem, Theripidem, qui & ipsum, & patrimonium eius negligenter tractarunt, cum ipse Isæo se erudiendum tradidit.

Anarchia Romæ. Romæ autem Tribuni plebis duo rerum potiti sunt. Haud enim iterum, inquit Liuius, cedere Sextij nuuæ; comitia præterque ædilium, tribunorumque plebis, nulla sunt habita; Licinius, Sextiusque Tribuni plebis refecti, nullos Curules magistratus creari passi sunt. Et hoc primus annus solitudinis Curulium magistratuum fuit, quo tempore bella opportune quieuere.

ANNVS MVNDI 3680. SEXTÆ AETATIS, & Imperii Persarum 164. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan Pontif. 31. Olympiadis CI. an. 3. Prætore Socratide. Vrbis conditæ 379. Trib. plebis iisdem.

ANNVS ANTE CHRISTVM 373.

I. *Cleombrotus in Thebanos mouet.* VEre rursum inchoante cum Agesilaus in lecto diutina ægrotatione ex vena rupta decumberet, Lacedæmonij nouis copiis in Thebanos decretis, eis Cleombrotum Agesilai fratrem præficiunt, qui vbi cum exercitu iam ad Cithæronem accessisset, cetratos præmittit, vt imminentia viæ loca præoccuparent, at ea iam Thebani & Athenienses occupatant, qui venientes excipiunt, fundunt, fugantque, & ad 40 interficiunt. Quo casu Cleombrotus minime fieri posse ratus, vt Thebanum in agrum transcenderet, copias inde abductas dimisit. Id totius Lacedæmoniorum ingratum fuit. Itaque Lacedæmonem *Iterum ...* conuenientes conquerebantur, ignauia quadam fieri vt bella non traherentur: posse se naues longe plures, quam Athenienses habeant instruere, atque vrbem ipsorum ad deditionem fame compellere. Posse item se hinc e nauibus exercitum aduersus Thebanos, aut quocunque visum fuerit deportare.

II. *Rursus classem instruunt. Et vincuntur ab Atheniensibus.* In continuum cum placuisset, Classem sexaginta nauium instruunt, eique Pollen præficiunt; qui cum Æginam, Ceum, & Andrum statione teneret, non patiebatur naues frumentarias Atheniensium, quæ ad Gerestum appulerant, Athenas annonam deferre, hac necessitate compulsi Athenienses, & ipsi conscendunt naues, Chabria que duce, nauali prælio cum Polle congressi victoriam obtinent, & expectato frumento potiuntur. Nec plura hoc anno in Græcia.

Anarchia Romæ per ... Romæ autem duo Tribuni plebis T. Licinius & Sextius comitia maiorum magistratuum sua intercessione impediebant, & plebem ibi obsequentem habebant: quod ea obfirmatione sententiæ patrum duritiam se fracturos spectabant, iresque illas rogationes, de pecuniis, agris, & honoribus perlaturos. Interim autem diuina prouidentia factum est, vt quies à bellis foret.

ANNVS MVNDI 3681. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Persarum 165. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan Pontif. 32. Olympiad. CI. an. 4. Prætore Asteio. Vrbis Cond. 380. Tribunis pleb. iisdem.

ANNVS ANTE CHRISTVM 372.

I. *Clades duarum ... in terræ motu ... Pausan. l. 7. p. 231. & 232.* INCIDIT in hunc annum teste Pausania, a & Diodoro Siculo horrenda clades in duo Achaiæ oppida, Buram & Helicem. De hac ita Pausanias. Cum habitantes ibi Achæi supplices è templo abstractos trucidassent, non fuit lenta Dei ad pœnam ira. Vehemens enim terræ, ac repentinus motus non ipsa tantum mœnia, & ædificiorum superficiem subuertit, sed vrbis etiam totius aream ita obruit, vt ne vestigia quidem vlla posteris agnoscenda relinquerentur. Et infra. Accessisse vero & alteram huiuscemodi cladem. Maris eluuione hyemis tempore Helicem totam circumquaque incinctam; ipsumque Neptuni lucum ita illa inundatione obrutum, vt vix summa extarent arborum cacumina. Quo factum est, vt repente cum terræ motione violentissima, tum vero maris æstu effusius stagnante, vrbs tota cum omni ciuium numero pessum ierit. Addit ibidem similem casum vrbis Ideæ, & concludens. Helices, inquit, ruinæ quædam eminent, ea facie qua esse conspicuerunt, quæ marinis exesa sunt aquis. Ob violatos quidem supplices implacabilem esse numinis iram, non Helices modo exitium, sed alia etiam exempla docuerunt. Quæ apud eundem leges.

II. *Helicæ & Buræ ... causa b p. 233. ...* DE Bura vero idem Pausanias aliquanto post ita subiicit, b Deuius trames Buram ducit, quæ in monte ipsa etiam sita fuit: appellatam vero aiunt à Bura Ionis & Helices filia. Oppidum hoc idem terræ motus qui Helicen deleuit, tam vehementer perculit, vt in templis prisca omnia deorum signa fuerint abolita. Ciuium ij duntaxat reliqui fuere, qui forte vel militiæ, vel negotij cuiuspiam obeundi causa domo abfuissent, qui latam, & pene excisam ciuitatem restituere. De tempore autem ruinæ hæc habet. Deleta est Helice, & cum ea Bura, Asteio Athenis summum magistratum gerente, Olympiadis primæ & centesimæ anno quarto, qua Damon Thurius victor primum renunciatus est. Addendus hic quoque Ælianus: c Dominum, inquit, mureinam, qui in ea sunt mures, & mustellæ etiam præsentiunt & mature excedunt. *c l. 11. de Animal. c. 19.*

Nam cum Heliceuses in Iones aduenas impij fuissent, eosque ad aram mactassent; quinque diebus priusquam pessum iret Helice omnia huiusmodi animalia, magnis copiis exierant. Proxima ab illorum egressu nocte, terræ concussione ciuitas subsedit, & inundantibus aquis abolita est. Hæc ibi plurib. Paulus Oros. l. 3. hanc cladem quadriennio ante contigisse scribit, sed totidem annis sine dubio fallitur.

III. *Tyrocinium Philippi patris Alexandri.* Hoc anno regnasse Alexandrum fratrem Philippi, patris Alexandri magni tradit Euseb. in Chron. qui inter prima initia regni, bellum ab Illyriis, pacta mercede, & Philippo fratre dato obside redemit, quem Illyrij Thebanis conseruandum tradidere. Thebis triennio obses habitus, prima pueritiæ rudimenta (vndecimum autem agebat annum) in vrbe seueritatis antiquæ, & in domo Epaminondæ summi & philosophi & imperatoris deposuit. Sic Iustinus, quæ magis explicans Diodorus, ait Philippum

I. Corcyrensia an. 166. pum habuisse condiscipulum Epaminondam, præceptore quodam Philosopho Pythagoreo. Cuius industria ad excellentem virtutem vterque peruenerit. Quod ad bella Græcorum attinet.

IV. CVM rursum Lacedæmonii se pararent ad mittendas aduersus Thebanos copias, Thebani Athenienses rogarunt, vt & ipsi exercitum in Peloponnesum mitterent. Existimabant enim si hoc fieret, haudquaquam satis virium Lacedæmonios habituros, ad defendendum eodem tempore tum fines suos, tum sociarum in iis locis vrbium, & ad traducendum in agrum Thebanum satis magnas copias. Athenienses autem, qui proxime Pollem nauali certamine vicerant, & ob Sphodriæ facinus Lacedæmoniis succensebant, instructas 60. naues ad Peloponnesi littora perlibenter miserunt, quibus Timotheum ducem præfecerunt: qui Peloponnesum circumuectus, statim Corcyram occupauit, vbi cum sese multa cum humanitate gereret, omnium finitimarum ciuitatum studia promerebatur.

V. CONTRA Lacedæmonii & ipsi classem instruunt, & præfectum ei Nicolochum hominem audacem aduersus hostem mittunt, qui conspecta classe Timothei, quamquam adhuc sex Ambraciotæ naues absessent, nihil tamen cunctatus, cum 55. nauibus, aduersus 60. Timothei, nauali prælio certat, & vincitur. Receptis deinde ex Ambracia triremibus, ad alterum certamen se offert. Timotheus classem quoque suam, vsque ad septuaginta naues, amplificat. Interea Thebani, quod in eorum agrum Lacedæmonii peneitrare nequiuissent, finitima oppida adoriebantur, eaque sibi adiungebant. Romani autem in eodem consuetudinis silentio perseuerabant.

ANNVS MVNDI [illegible]. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Persarum [illegible]. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan Pontif. 33. Olympiadis CII. an. 1. Prætore Alcisthene. Vrbis Conditæ 381. Tribb. iisdem.

ANNVS ANTE CHRISTVM 371.

I. Thebani in Phocenses. THEBANI postquam oppida Bœotiæ in suam potestatem redegissent, etiam Phocensium in fines expeditionem susceperunt, paulo ante initium Olympiad. centesimæ secundæ, in qua Damon Thurius iterum victor effectus est. Qui annus etiam Sabbaticus reperitur ordine.

Sabbaticus. Igitur Phocenses legationem Lacedæmonem, si eam accederatam [illegible], nuntiant & significant se, nisi suppetias ipsi tulerint, non posse non parere imperio Thebanorum. Lacedæmonii Cleombrotum regem, cum 4. cohortibus, & sociorum parte maris [illegible] Phocensium agrum transmittunt, vt scribit Xenoph. Hellen. l. 6. Quod dum ille exequitur, Thebani se cognita, ad fines suos pedem referentes, viarum aditos præsidiis tenuerunt.

II. Polydamas ... Iasone ... EODEM prope tempore Polydamas Pharsalius vir integerrimus Spartam venit, auxilium aduersus Iasonem Thessalum, qui omnem Thessaliam sibi paulatim subiugabat, postulaturus: & sapientissima vsus oratione, à Lacedæmoniis, qui variis in locis copias distractas habebant, responsum accepit, non posse se satis magna ei tum subsidia submittere. Quamobrem domum reuersus, ipsi suis, tum patriæ rebus quam optime posset, consuleret. Quod & fecit. Itaque cum Iasone rem sic vti cœperat confecit, vt eos non belli duces, sed philosophos agere diceres. Iason autem non ita multo post cum tantam potentiam exercuisset, vt plures quam octo milia equitum, & peditum 20. millia grauis armaturæ, & plurimas ceterarum copias in armis haberet, adeo vt sibi ab eius potentia vniuersa Græcia formidaret, per proditionem interfectus est.

Iasonis mors. Xenoph. ... ATHENIENSES autem qui opera sua Thebanos creuisse cernerent, cum tamen nihil ii pecuniæ ad classis, cui præerat Timotheus, sumptus suppeditarent, belli terrestri nauali cupidi, Lacedæmonem legatis, pace facta

Res ad Corcyram gestæ. unt, cum secundum res fecisse Xenophon neglexit, quia admodum breuis fuit. Nam cum Timotheus classem domum reduceret, exules Zacynthios patriæ restituit. Quo facto irati Lacedæmonii classem restaurant 60. nauium, cui Mnasippum præficiunt, eumque Corcyram bello aggredi iubent. Eam is celeriter occupatam, & opulentia Timotheo herbosis omnibus abundantem, per summam militum licentiam deuastat, & oppidum terra marique oppugnat. Corcyrenses Athenas mittunt, qui auxilia postulent, edoceantque quantum ipsorum intersit Corcyram in potestatem hostium non venire.

Mnasippus Corcyram oppugnat.

IV. Atheniensium auxilium Corcyr. NON frustra petitum auxilium, Stesiclem ducem cum ceteris fere sexcentis, in oppidum noctu immittunt. Naues 60. instruunt, quibus rursus Timotheum præficiunt, cui tamen mox imperium leuiter atque improuide abrogant, quod existimarent hominem tempus ad nauigandum idoneum frustra conterere, dum is studiosius naues idoneo milite instruere, atque implere satagit. Ei substitutos Iphicrates cito 70. nauium numerum explent; & Corcyram petens, simul in itinere classiarios exercebat, & ad nauale certamen præparabat, nec tamen tardius iter conficiebat. Fames interea Corcyrenses vrgebat, & multi ad Mnasippum transfugiebant, quos is etiam flagris cæsos a se remittebat in vrbem, ad amplificandam famem, cumque eos obiectis non reciperent, ii misere peribant.

Corcyrenses fame ...

V. Mnasippus Spartanus ... cæditur. CVM autem Mnasippus oppido se quamprimum potiturum sperarat, ob maligne conductis militibus stipendia persoluebat, aut etiam retinebat, quippe quorum se opera minime vltra egere arbitraretur. Itaque negligentius excubiæ passim agebantur, quod animaduertentes oppidani aliquot eruptionibus afflictum Mnasippum, etiam interficiunt, & Lacedæmonios, metu nam aduentantis Iphicratis perculsos, ex insula profugere cogunt, magna commeatus, & mancipiorum, & ægrotorum multorum turba relicta.

INTEREA aducem Iphicrates in Corcyram, cum oppida Cephalleniæ, ea est insula in medio cursu Peloponnesi ad Corcyram, in suam potestatem redegisset. Moxque decem triremes à Dionysio Siciliæ tyranno in auxilium Lacedæmoniorum missas, venientes inuasit, & vna cum vectoribus in potestatem redegit, & classe prope nonaginta nauium iam collecta, parabat se vt Lacedæmoniorum oras infestaret. Sicque hic annus Græcis peractus est.

Romanis autem quartus hic annus sine curulibus magistratibus abiit.

ANNVS MVNDI 368[illegible]; SEXTÆ AETATIS, & Imperii Persar. 167. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan Pontif. 34. Olympiadis CII. an. 2. Prætore Athenis Phrasiclide. Vrbis conditæ 382. Tribb. Pl. C. Licinio, & L. Sextio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 370.

Annus ... magistr. I. ... pugna tempus. NOBILITATVR hic annus insigni Leuctrica pugna, qua Lacedæmoniorum vires aliquot [illegible] annis debilitatæ, propemodum vniuersæ conciderunt. Id antequam ex Xenophonte more nostro narremus, ratio temporis, quam Xenophon prætermisit, stabilienda est.

Ex Aratosthene ... Primum ergo Eratosthenes in sua tabula chronologica, à clade ab Atheniensibus ab Ægos potamos perpessa, Lysandrum accepta, & mox Athenis captis, ad pugnam Leuctricam annos 34. numerat, [illegible] apud Clementem Alex. in Strom. l. [illegible] codex [illegible] Græcus [illegible] corrigendus est, in quo diserte anni 34. inde ad hanc pugnam [illegible], non 30. leguntur. Totidem autem [illegible] chro[illegible] nostra est [illegible]: qui etiam cum annis Artaxerxis Mnemonis concurrunt. Diodorus eandem pugnam in [illegible] ipsum annum secundum Olympiad. centesimæ secundæ, quo Prætor erat Phrasiclides refert. Nec repugnat Polyb. l. [illegible] historiarum, licet videatur numerare annos 35. quæ causa fuit Casaubono in Chronologia Polybii, hanc pu-

Diodor. Polybius.

gnam in annum sequentem hujus Olympiadis differendi, cum recte dici posset Polybium annum primum numerasse illum ipsum pugnæ annum ad Capræ flumen, qui fuit vltimus Darii Nothi, qui à cæteris non numeratur, quod esset in exitu. Denique Pausanias, *a* (a Li. p. 219 gr.) Deducta est, inquit, Megalopolis, id est, è multis pagis coaluit in vnam ciuitatem, eodem anno paucis post mensibus, quam Lacedæmonij Leuctricam accepere cladem, Atheniis summum magistratum gerente Phrasiclide, Olympiadis centesimæ secundæ anno altero, qua Thurius Damon è stadio palmam tulit. Hæc ibi.

II. (*Athenienses in gratiam sociorum pacem suadent.*) HVIVS igitur anni initio Athenienses, Platæensium, & Thespiensium exulum precibus moti, Thebanis, à quibus eiecti fuerant, nonnihil infensi erant. Verum cum eos viderent bello Phocenses persequi, veteres Reipub. suæ amicos, & vrbes amicas euertere, noluerunt vltra eorum facinorum dissimulando participes fieri, sed plebiscito de pace ineunda facto, primum Thebas legatos mittunt, qui Thebanos hortarentur, vt pacis gratia se Lacedæmonem sequerentur, quo ipsi suos mox miserunt legatos. Hæc pacis consilia ab Artaxerxe rege Persarum scribit Diodorus fuisse conciliata, sicut & præcedentia, quæ vellem non scripta duntaxat, sed probata.

(*Per legatos suos.*) Callias princeps in Atheniensiū legatis fuit, qui & Daduchus Cereris sacerdos cognominatur. Is ergo in publico Spartæ consilio pacem Lacedæmonios inter & Athenienses breui ac miti oratione suasit, in gratiam Platæensium, atq; Thespiensium, quorum euersæ essent Respub. Tum Antocles legatorum alter sententiam dixit aculeatam, qua Lacedæmonios, vt Græcæ libertatis violatores, vehementer perstrinxit. Eius orationem excepit Callistratus orator, qui mediam quandam viam inter seueritatem ac lenitatem secutus, pacem suasit.

III. (*Pax à Lacedæmoniis decernitur.*) QVIBVS auditis Lacedæmonii decreto sanciunt his conditionibus pacem fieri, vt præfectos suos ex vrbibus educerent, exercitus tam maritimos quam terrestres dimitterent, vrbes libertate frui sinerent; si quis aduersus hæc ageret, posse quemuis vrbibus oppressis opem ferre, nec tamen teneri. Secundum hæc tam Lacedæmonii quam Athenienses, tam suo quam sociorum nomine, iusiurandum præstitere. Cumq; Thebani etiam inter alias vrbes, quæ sacramentum præstiterant, nomen suum professi fuissent, postridie reuersi postulabant, vt mutata scriptura, pro Thebanis Bœoti substituerentur. Quod Agesilaus se facturum negauit, nomen tamen Thebanorum si vellent deleturum, idq; factum videtur; certe pace minime comprehensos fuisse constat, & Xenophon scribit mœstos eos protinus discessisse.

IV. (*Cleombrotus exercitu ducit.*) PACIS conditiones extemplo Athenienses, ac Lacedæmonii executioni mandarunt. Excepto Cleombroto, qui Phocensium in finibus copiis præerat, & responsum ab Ephoris expectabat. Qui ei denunciarunt ne copias dimitteret, sed quamprimum aduersus Thebanos duceret, ni ciuitatibus suam restituerent libertatem. Quod cum illi negligerent, quin potius suos in aciem contra Cleombrotum educerent, in Bœotiam cum exercitu pergit, & via montana improuisus Creusim peruenit, & vna cum oppido triremes Thebanorum duodecim cœpit. Inde à mari ascendens, ad Leuctra, Thespiensium in finibus castra locat. (*Thebanorum copiæ.*) Ei castra sua Thebani duce Epaminonda, vt ait Diodor. aduerso in tumulo, non magno ex interuallo opponunt, cum Sociorum copias, extra Bœotias, omnino nullas haberent. Sex autem millia sub vexillis habuisse tradit Diodorus.

V. (*Pars vtraque ad pugnam impellitur.*) CLEOMBROTI quidem amici importuno consilio eum ad prælium incitarunt, metu ne supplicio in patria mulctaretur, qui iam semel, atq; iterum suspicionem dedisset fauoris erga Thebanos sui. Idipsum & inimici mussitabant. Thebanos quoque necessitas pugnæ vrgebat, ne & finitima oppida ab ipsis deficerent, & vrbis suæ obsidio improuisa repente sequeretur, cuius vitandæ gratia ipsi in exilium à suis pellerentur, & ciuitas pacem amplecteretur: itaq; pugnando mortem oppetere, quam in exilium pelli satius esse duxerunt. Præterea nonnihil eis addebat animi quoddam oraculum, quo terebatur, eo loci Lacedæmonios cladem perpessuros, quo virginum illarum monumentum esset, quæ ob illatum sibi vi stuprum à Lacedæmoniis quibusdam, seipsas interemisse perhibebantur: quod ipsum monumentum Thebani ante pugnam ornabant. Nonnulla etiam prodigia futuræ cladis prævia contigisse refert Xenophon, *b* (b Li. 6 p. 595 græ lat.) quæ non dissimulat ipse de impostura fuisse suspecta, quæ Diodorus etiam multiplicauit in vtramque partem, vt Epaminondam eorum contemptorem, imo & fabricatorem exhiberet. Nihil in his probabilius duco eo diuino iudicio, quo flagitium in virgines commissum, & earum sanguine misere vindicatum, in flagitiosorum posteris ac popularibus, clade non indebita, vindicauit.

VI. (*Cleombroti imprudentia.*) INTEREA Cleombrotus nimium oscitanter à prandio post largiorem potum, de pugna postremum deliberabat. Cumque plerīq; ex Thebanorum castris abirent, eos socii Cleombroti ad castra redire compellunt, quasi veriti ne hostium vires minuerentur. (*Eius equitatus rudis.*) Equites quoq; Thebanorum prœliis exercitati, multo meliore conditione erant, quam Spartani equites tum equitandi rudes. Itaque in pugna equitatus mox succubuit, & fugiens in suos grauis armaturæ milites irruit, in quos eadem opera Thebanæ cohortes impressionem faciebant. Nihilominus copias Cleombroti ab initio superiores in pugna fuisse ex eo constat, quod Cleombrotum viuum extra aciem deportare sui potuerunt, quod in fuga minime licuisset. (*Tum exercitus magna clade afficitur.*) Verum postquam & ipse, & Diuo Polemarchus, & Sphodrias, & filius eius Cleonymus ceciderunt, & equites, qui Polemarchi comites appellantur, itemque cetrati, ab hominum turba impulsi, pedem retulerunt, dextrumq; cornu pressum cedere cœpit, etiam læuum in quo erant Lacedæmonii loco cessit, & victoriam Thebanis reliquit: amissis prope mille Lacedæmoniis, & Spartanis (qui omnino septingenti fuerant) quadringentis, præter Phocensium, Thespiensium, Platæensium, aliorumque sociorum numerum ingentem. Nam Diodorus, 4. millia Lacedæmoniorum, Bœotorum vero trecentos cecidisse scribit. Plutarchus in Pelopida scribit nunquam ante hanc pugnam maiorem numerum Lacedæmoniorum à paucioribus hostibus victum fuisse. Imo neq; æquo vnquam numero congressos victoriam amisisse.

VII. (*Spartæ constantia.*) HVIVS cladis nuncius Lacedæmonem delatus, non clamores exciuit, sed ne ludos quidem interrupit, quin potius qui suos in bello amiserant nitidi ac læti in publico postridie versabantur, quasi ingenti honore, ac præmio fortitudinis affecti, qui suos Patriæ saluti consecrassent: quorum autem cognati superstites fuisse nunciati fuerant, aut publico carebant, aut tristi deiectoq; vultu obambulabant, tanquam eos vitam fuga, atque ignauia redemisse. (*Thebanorum gloria.*) Thebani autem statim à pugna nuncium coronatum Athenas mittunt, per quem tum victoriæ magnitudinem exponunt, tum ad ferendam opem Athenienses hortantur. At illi hunc casum grauiter molesteq; tulerunt, eosq; sine responso dimiserunt: qui mox in Thessaliam ad Iasonem auxilii impetrandi causa miserunt. Lacedæmone quoque delectus ad bellum redintegratus est, quem non ante sequentem annum factum fuisse consentaneum est. Hæc fideliter de hac pugna ex Xenophonte retulimus, quæ Diodorus varie auget, minuit, commutat, & præsentibus præterita, futuraq; commiscet, vt declamationem potius quam historiam scripsisse videatur, si quidem Xenophonti fidem, vt par est, habendam putamus. Itaque quandiu hunc habemus ducem, illum tuto missum facere possumus, & merito debemus.

VIII. (*Polybius quid de hac pugna.*) SCRIBIT l. 2. Polyb. Cum inopinatam apud Leuctra cladem Lacedæmonii accepissent, & Thebani, quod nemo vnquam sperauerat, Græciæ principatum sibi vendicarent, negarentque se victos, Lacedæmonii non crederent hos vicisse, huius contentionis arbitrium ex omnibus Græcis, ad Achæos esse delatum, propter eximiam fidei ipsorum, atque probitatis opinionem: sed illud iucundius quod refert Æmilius Probus in vita Epaminondæ. Lex erat Athenis, quæ morte mulctabat, si quis im-

perium diutius retinuisset, quam lege præfinitum foret. Ipse nihilominus, quod ita necessarium Reipublicæ duceret, 4. mensibus, diutius quam populus iusserat, gessit imperium.

Periculum Epaminondæ.

Postquam domum reditum est, eum eius Collegæ hoc nomine accusarentur, in se omnem ab eis culpam deriuari permisit: vtque in iudicium venit, nihil negauit eorum, quæ ei aduersarij crimini dabant, neq; pœnam capitalem recusauit, si modo iudices in eius sepulchro inscriberent, *Epaminondas à Thebanis morte mulctatus est, quod eos coegit Lacedæmonios apud Leuctra superare, vnoque prælio vniuersam Græciam in libertatem vendicauit.* Quæ cum risu atque hilaritate omnium excepta fuissent, nemo iudicum ausus est in eum ferre suffragium. Plerique omnes huius belli meminerunt: vide Schotum in vita Demosth. hoc anno.

Romæ hic postremus Anarchiæ annus fuit.

ANNVS MVNDI 3684. SEXTÆ AETATIS, & Imperii Persar. 168. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathæ Pontif. 35. Olympiadis C I I. An. 3. Prætore Athenis Dysnicero. Vrbis cond. 383. Tribuni milit. L. Furius, A. Manlius. Seruius Sulpitius, Seruius Cornelius, A. & C. Valerii.

a Dysnicetū quoq; vocat Archontem Demosth. Dysinicetum mendosè Pausan. in Messen. Schot.

ANNVS ANTE CHRISTVM 369.

I. *Bellum vtrinque instauratur.*

Clades Leuctrica etsi priuatim multos Lacedæmoniorum, ac Spartanorum afflixit, publicè tamen Reipublicæ animos minime fregit; quin potius generosos gentis animos ad obruendam eam ignominiam accendit. Ergo maioribus studiis bellum aduersus Thebanos redintegrarunt, & militari delectu studiosè habito copiis Archidamum Agesilai, qui nondum conualuerat, filium Imper. præficiunt, quibus Tegeatæ, Mantinæi, Corinthii, Sicyonii, Phliasij, Achæi, se socios libentes adiungunt, & triremes ad traiciendas copias instruunt.

Thebani Iasonem ascifcunt.

Thebani vice versa non ignari ingentium animorum ac virium Spartanorum, bellum & ipsi omni studio moliuntur, & ab Atheniensibus neglecti, Iasonem Thessalum adierunt, potentem simul ac sapientem Thessalorū principem, ac Reipublicæ suæ socium. Is confestim expediri triremes iubet, quasi mari suppetias laturus Thebanis. Nihilominus terrestri itinere copias traduxit, tanta celeritate vt iam transisset, cum vix aduentare diceretur, itaque per Phocensium agrum, quibuscum bellum gerebat implacabile, nec opinatus transiuit, & Thebanis affuit.

II. *Ne pugnaretur vtrinque dissuadet.*

Posteaqvam ergo in Bœotiam peruenit, ac Thebani tempus oblatum esse dicerent idoneum, quo Iason de superiori loco, mercenario cum milite, ipsi ex aduerso Lacedæmonios Leuctricæ pugnæ reliquias inuaderent. Dissuasit pugnam Iason, negans imponendam esse Lacedæmoniis aut mortis, aut victoriæ necessitatem; ne salute desperata victoribus victoriam eripiant. *Cum Deus plerumque,* inquit, *delectetur eos, qui parui sunt magnos, qui magni paruos efficere.* Ita Iason apud Xenophontem, *a* imitantem, vt apparet, Hesiodum. *b*

a p. 199. g. lat.
b in it. Ὀ. pera & dies. Ἐ τ' αὖ δίκας καὶ φαινε...

Lacedæmonij abeunt.

Lacedæmoniis quoq; author erat, pugna contra Thebanos nunc inuictos, nisi maioribus aucti essent copiis, non redintegrare, sociorum fidem iam labascere, itaq; inducias postulandas, quæ volentibus Lacedæmoniis à Iasone confectæ sunt: statimq; Lacedæmonii, vel ipsa nocte sese itineri dedidere, vt clandestinæ profectioni potiꝰ, quam induciis fidere se demonstrarent.

III. *Archidamus exercitum dimittit.*

Confecto magno difficilique itinere, ad oppidum Megaricæ ditionis Ægosthena perueniunt, vbi copias Archidami obuias habent. Is vero cum ibi expectasset, donec socii omnes conuenissent, exercitum vniuersum Corinthum vsque abducit, inde socios dimittit, & ciues ipse domum ducit. Iason autem in Thessaliam reuertitur, neque multo post per proditionem interficitur. Neque plura hoc anno propter inducias gesta crediderim, quæ anno sequenti, Atheniensium opera, paci cesserunt.

Iason redit, & occiditur.

IV. *Roma restituti magistratus.*

Hoc anno Romanis ordinarii magistratus restituti sunt, remittentib. Tribunis intercessionem. Etenim Veliterni coloni gestientes otio, quod nullꝰ exercitus Romæ esset, & agrum Romanum aliquoties incursauere, & Tusculum oppugnare adorti sunt. Hic Tusculani Romam confugiunt, opemque postulant. Puduit Romanos, ipsamque plebem veteribus amicis ac sociis, & recens etiam ciuitate donatis, non ferre opem. Itaque conniuentibus Tribunis comitia per interregem sunt habita, creatique sunt Tribuni consulari potestate L. Furius, cum quinque collegis supra scriptis. Inde ingenti contentione scriptus exercitus, profectusque non à Tusculo modo submouit hostem, sed intra suamet ipsum mœnia compulit. Velitrasque vi magna obsedit, nec tamen hoc anno potuit expugnare.

Veliterni victi prælio obsidentur.

ANNVS MVNDI 3685. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Persarum 169. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan Pontif. 36. Olympiad. C I I. An. 4. Archonte Athenis Lysistrato. Vrbis conditæ 384. Tribb. milit. Q. Seruilio, C. Veturio, A. & M. Corneliis, & aliis duobus.

ANNVS ANTE CHRISTVM 368.

I. *Pax Antalcidæa renouatur.*

Expeditione præcedentis anni à Lacedæmoniis post factas inducias soluta, Athenienses secum ipsi cogitantes, æstimare Peloponnesios, debere cæteros in Græcia se duces sequi, & Lacedæmoniorum res eo locum nondum esse, quo Athenienses ante annos quinque & triginta redegissent, accersunt ad se vrbes omnes, quotquot esse participes pacis eius vellent, quam Artaxerxes perscripsisset. Vbi conuenissent decretum faciunt, vna cum iis qui venire in societatem vellent, vt in hæc verba iurarent. *Persistam in fœderibus, quæ Rex ad nos misit, ac in Atheniensium, sociorumque decretis. Quod si quis bellum fecerit vlli ciuitatum, quæ iusiurandum hoc præstiterint, totis viribus opem feram.* Itaque iuratum ab omnibus, præterquam ab Eleis, qui subiecta sibi oppida sui iuris esse nolebant, cæteri, ex literarum Regis sententia iusiurandum præstiterunt.

II. *Mantinæi vrbem ædificare statuunt.*
c an. 1. Olym. 85. n. 1.

Qvæ causa fuit, vt etiam Mantinæi, qui vicatim ac per pagos ab Alcidæa paci habitauerant *c* à Spartanis coacti, quasi qui iam prorsus essent iuris sui, omnes conuenirent, decretumque facerent de vno oppido Mantinæa condendo, atque muniendo, quod ante aliquot annos à Lacedæmoniis, muris euersis, in vicos redactum fuerat. Id absque suo consensu fieri Lacedæmonii nolebant. Itaque Agesilaum ad eos legant, qui persuadeat differri huiusmodi communitionem hoc tempore; promittatque id postea, bona cum Spartæ venia, non magno sumptu perfectum iri. Sed frustra surdis cantilena canebatur, & hominibus qui nolebant occasionem elabi de manibus, non ignari quam impotens esset Spartanorum dominatus. Legatus ergo cum nihil persuaderet, ab eis iratus discessit. Illi nihilominus in sententia persistentes, mœnia sua extruere cœperunt, Arcadibus quibusdam, atque Eleis eos adiuuantibus.

III. *Bellum orta seditione Tegeatarum instauratur.*

Interea contigit Tegeates inter se dissidere, quorum cum pars vna auxilium à Mantinæis postulasset, eiusque ope alteram vicisset, victi Lacedæmonem ad octin-

gentos profugerunt, & opem aduersus Mantinæos postularunt. Lacedæmonij, qui iam eis propter communitam vrbem suam infensi erant, non grauate in eos bellum mouent, vt qui præter iurisiurandi religionem armati Tegeates inuasissent. Bello præficitur Agesilaus, qui in agrum Mantinæum profectus, prædas agere, ac prædia populari cœpit; nec tamen ad manus ventum est, quod Mantinæi, & Arcades, qui se ipsis adiunxerant, non prius pugnandum censerent, quam Thebani, qui omnino expectabantur, aduenissent. Itaque Agesilaus hyeme iam media copias domum reduxit.

IV. In Italia Velitras obsidebant Tribuni militum, nullumq; facinus memorabile ediderunt: cum interea domi Tribuni plebis Sextius & Licinius omnem mouebant lapidem, vt plebi aditum ad Consulatum aperirent, & leges quas proposuerant, perferrent; ideoque & octauum iam Tribuni plebis refecti erant, & concionibus in inuidiam vocare patricios non desinebant. Cumq; reditus exercitus è Velitris expectaretur, circumactus est annus, ita suspensa de legibus res ad nouos Tribunos militum dilata est.

ANNVS MVNDI 3686. SEXTÆ AETAtis, & Imperii Persar. 170. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan Pontif. 37. Olympiadis CIII. an. 1. Prætore Athenis Nausigene. Vrb. cond. 385. Trib. mil. T. Quintius, Ser. Cornelius. Ser. Sulpitius, & alii tres collegæ.

ANNVS ANTE CHRISTVM 367.

I. HAC centesima tertia Olymp. qua ineunte Pythostratus Atheniensis cursu victor fuit, Aristoteles decimum septimum agens ætatis annum Platoni se tradidit erudiendum, & apud eundem viginti annis commoratus est, vt notant Apollodorus in chronicis, cui Eusebius, & S. Cyrillus consentiunt, sed hic annum non nominat contentus dicere. Βραχῦναι ἄγοντα κομιδῇ τὴν ἡλικίαν. Pro quo interpres, *adhuc impuberem*, quod anno 17. non conuenit. Idem Apollodorus ait circa hanc ipsam Olym. Eudoxum floruisse, qui & ipse Platonem audiuit. Nam cum annum 23. ætatis ageret, summoq;, inter paupertatis angustias, discẽdi studio flagraret, Socraticorum gloria motus, Athenas contendit, vbi è Piræeo portu in vrbem quotidie ascendebat: quem etiam ab se Plato, vtique inuitum dimisit. Plura de eo apud Laertium leges.

II. HOC anno mortuum ex crapula Dionys. tyrannum post 38. regni annos, testatur Diodorus. Et hic quidem annus ab 3. Olymp. 93. numeratur 39. sed primus & vltimus in vnum coalescunt, vt qui integri non sunt. Eusebius eiusdem Dionysii mortem Olympiadis 103. primo ponit, sed pro 19. annis, duodequadraginta substituendi sunt, etiam ex M. Tullio, *a* qui ait quinq; & viginti annos natum dominatum occupasse; ex quo sequitur eum mortuum anno vitæ 63. Eius acta à Diodoro Siculo per singulos fere annos digesta, Annalibus nostris inserere animus non fuit, quod ea via Persarum imperium, in quo versamur, attingant. Et nos, præter sacram historiam, quinque tantum Gentium, penes quas fuit orbis imperium, gesta persequi ab initio promisetimus. Vt autem redeamus in Græciam, vnde mox nouum nascetur imperium.

a 5. Tusc. & 3. de Nat. deorum.

III. ARCADES Agesilao digresso, cum copias ipsius dimissas esse accepissent, ipsi cum suis aduersus Heræenses proficiscuntur, quod ij societatem Arcadum respuissent, & cum Lacedæmonijs in Arcadiam irruissent. Itaque fines eorum ingressi, ædificia concremabant, & succidebant arbores. Cum autem aduentare Mantinæam, subsidij ferendi causa, Thebani dicerentur, relicto Heræensium agro cum ijs se coniungunt. Postquam vtrique conuenissent, statim de reditu Thebani agere cœperunt, quod & opem amicis tulissent, & nullum amplius hostem intra fines eorum conspicerent.

Verum autores erant Arcades, Argiui, Elei, vt quamprimum in Laconicam ducerent, eoq; immodicis eos laudibus, victoria Leuctrica iam elatos, & plurimorum sociorum copijs instructos impellebant. Addebant Lacedæmonis solitudinem, vt hoc maxime tempore, si vnquã alias, vinci, atq; edomari posse viderentur.

IV. AVDIEBANT ea quidem Thebani, sed vicissim perpendebant Lacænam regionem aditu esse perdifficilem, & sicubi faciles, mollesq; aditus essent, eos præsidijs occupatos teneri. Lacedæmoniorum item vires facile coitutas, & nusquam promptius ipsos, quam suis in finibus dimicaturos. Verum cum aduenissent, qui non solum solitudinem confirmarent, sed duces etiam itineris se offerrent, alij etiam à fide Lacedæmoniorum se discessuros sponderent, si vel in eorum agro se Thebani ostendissent: persuasi denique in Laconicam impetum faciunt, & superatis locorum angustijs, obuijs oppidis flammas injiciunt, ædes intactas, bonisque refertas populantur. Spartiatæ vrbem tuentur, & ad sex millia Helotarum, siue seruorum, spe liberalitatis incensos armant, breuique sociarum vrbium auxilia recipiunt: cum quibus aliquot velitationibus cum Thebanis Arcadibusq; confligunt.

V. HÆC cum Athenienses audissent, quid in Lacedæmoniorum causa faciendum esset sollicite dispiciebant, deque Senatusconsulto concionem aduocabant. Aderant Lacedæmoniorum legati, qui orationibus suis Atheniensibus persuaserunt, vt cum vniuersis copijs opem Lacedæmonijs ferrent, quibus Iphicratem præfecerunt. Is eo munere, iudice Xenophonte, satis imperite perfunctus est: nam interim ex ijs hostibus, qui erant in Laconiæ finibus, aliqui, quod essent finitimi, prædis onusti recesserunt. Thebani etiam ipsi hoc ipso abire cupiebant, quod hyems vrgeret, & copias imminui quotidie cernerent: & commeatus absumptus, effusus, crematus iam deficeret. Itaque ex Laconica excesserunt, Iphicrate nihil eis in difficili transitu, cum commodissime posset, molestiæ per socordiam afferente, sed Athenienses ex Arcadia Corinthum reducente.

VI. HVIVS anni magistratus apud Rom. non parum controuersus est. Nam Onuphr. Pighius, Sigonius. quos alii qui sequuntur, contendunt ex fastis Capit. inserendum hoc loco vnum annum, qui solis duobus Dictatoribus tribuatur, sitque annus vrbis 386. Primùm, quia in fastis illis lapideis, seorsim eodem ordine positi sunt, quo Tribuni militares, innuendo Dictatores loco Tribunorum fuisse. Secundo, quia nisi inseratur hic annus, sequentes magistratus tabulis non respondebunt. Tertio, quia alioqui non reperietur Camillus mortuus 25. anno post captam Vrbem, quod Liuius affirmat. Quarto quod alioqui non erit hic annus nonus, quo Sextius erat tribunus plebis, vt ait Liuius, sed octauus.

VII. EXISTIMO nihilominus nullum annum seorsum à tribunis militum Dictatoribus esse tribuendum.

Id perspicue exigit Liuius, qui post quinque illos Anarchiæ annos, singulis annis ordine numerat Tribunos militares, quorum tertij sunt T. siue L. Quintius, Seruius Cornelius, Seruius Sulpitius &c. subditque in principio magistratus eorum, ad vltimam de legibus dimicationem ventum esse, & cum tribus ad suffragium vocarentur, nec collegarum intercessionis ratio haberetur, Patres ad Dictaturam & Camillum confugisse. Iam igitur creati erant magistratus ordinarij, cum ad extraordinarium recursum est. Et mirum profecto est rem tantam, tamque nouam, aut Liuio ignoratam, aut ab eo singulari negligentia prætermissam. Ignoratam quoque, aut prætermissam à Diodoro Siculo, dum singulos recenset annos. Cassiodoro item, & alijs, si qui alij antiqui ista tradidere, quorum neminem pro se profert Onuphrius, Pighius, aut Sigonius.

VIII. NAM quod lineola quadam Tribuni à Dictatoribus distinguuntur, id non diuersum annum, sed diuersum magistratum prodit. Quanquam Sigonius vbi supplet eorum lapidum defectum, eam lineam prætermisit. Quin

& Ve-

& Verrij fragmenta edita ab Onuphrio alibi habent lineolam insertam inter Tribunos militares, & Dictatorem eiusdem anni, vt patet in Rutilo Cosso Dictatore, & Seruilio Hala Mag. equitum, ab vrbe Condita 347. & rursus infra an. 386. vbi Camillus quintum Dictator scribitur. Quinetiam illæ lineæ modo positæ, modo omissæ in iisdem fragmentis reperiuntur, vt nullum inde argumentum pro eorum sententia duci queat. Neq; timendum, ne sequentes magistratus tabulis non respondeant. Nam vix vlli anni in iis insculpti reperiuntur, vt propterea nihil repugnantibus ipsis, sequentes magistratus eis aptari possunt. Et Sigonius qui eas sequitur, anno tamen sequenti eosdem nobiscum ex T. Liuio tribunos militares ponit, atq; ita deinceps.

IX. *Satisfit reli; qua argumentis.*

ANNVS etiam mortis Camilli nihil eam sententiam iuuat. Nam à 364. anno, quo capta est vrbs à Gallis, vt supra fuse probauimus, vsq; ad annum consulatus L. Genucij, & Q. Seruilij, quo mortuus à Liuio traditur, rectissime 25. anni numerantur, ab anno scilicet 4. Olymp. 97. ad annum 4. Olymp. 108. computatis extremis. Postremum argumentum eam sententiam non roborat, sed vehementer infirmat. Nam constat Sextium eo anno tribunum plebis fuisse, quo tres illas rogationes promulgauit. Deinde, vt scribit Liuius, refectus est Tribunus plebis cum collega Licinio, quando nullos creari magistratus curules per quinquennium passus est, quibus iidem semper trib. plebis refecti sunt, itaque vltimus annus Anarchiæ erat sextus tribunatus. Inde tres anni secuti sunt distincte à Liuio recensiti, qui complent nonum tribunatum, & sequens annus habebit decimum, quo T. Liuius eos decimum refectos apertissimis verbis tradit. Statuimus ergo nullum Dictatoribus seorsim à Tribunis militaribus annum esse assignandum.

X. *Creatur Dictator ad impediendas tribunitias rogationes.*

TRIBVNIS itaq; militum quos notauimus Romæ creatis, principio statim anni ad vltimam dimicationem de legibus ventum est: & cum tribus ad ferendum suffragium vocarentur, nec intercessio Collegarum laborib' obstaret, trepidi patres ad vltimum auxilium Dictaturæ decurrunt. Dicitur M. Furius Camillus, qui Mag. eq. L. Æmilium cooptat, qui cum in comitio consedisset, pro imperio latores compescere instituit, & intercessionem collegarum tutari. Verum cum vitio creatus diceretur, magistratu se abdicauit, moxq; ei P. Manlius Dictator est suffectus, qui Mag. equitum C. Licinium plebeium, qui tribun' militum fuerat, edixit, non sine offensione patrum, & bona plebis gratia.

XI. *Tribuni apud plebem pugnant pro plebeio consulatu.*

INTER priorem Dictaturam abrogatam, & nouam à Manlio initam, velut per interregnum à Tribunis consilio plebis habito, apparuit quæ ex promulgatis rogationibus plebi gratiores essent, quæ contra Tribunis. Nam illa, de fœnore atq; agris rogationes iubebat; de plebeio consulatu, antiquabat. Id vero permoleste tulere Tribuni, quibus illa ad gloriam obstruebatur via: itaque cum eos iam nonum Tribunos, etiam decimum proximis comitiis creare vellent, negarunt se eam dignitatem grauissimi oneris, inuidiæ, atque certaminum subituros, nisi omnes simul leges ferri iuberent: sieq; futurum vt omnia simul, aut nihil obtinerent. Qua in re cum ambitionem suam manifeste proderent, Appius Claudius grauem in Tribunos, atq; inuidiosam habuit orationem; quæ tamen ad id modo valuit, vt tempus rogationum iubendarum proferretur.

ANNVS MVNDI 3687. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Persarum 171. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathæ Pontif. 38. Olympiadis CIII. an. 2. Prætore Athenis Polyzelo. Vrb. cond. 386. Tribunis Milit. A. & M. Cornelio II. M. Geganio, P. Manlio, L. Veturio. P. Valerio VI.

ANNVS ANTE CHRISTVM 366.

I. *Athenienses & Lacedæmonij conspirant in Thebanos. a init. l. 7.*

ANNO sequenti, inquit Xenophon, *a* haud dubie secundo centesimæ tertiæ Olympiadis, Lacedæmoniorum, sociorumq; legati amplissima cum potestate Athenas venere, deliberaturi quonam pacto, societas inter Lacedæmonios & Athenienses initi posset, vt scilicet communibus armis animisq; Thebanos opprimerent. Cumque Patrocles sensisset, ita posse vtrosq; conuenire, & stabilem inter se amicitiam copulare, si Lacedæmonii in terrestri militia, Athenienses in nauali, vtriq; populo duces essent. In eam tamen postremo sententiam conuenere, vt alternis quinis diebus aliquis ex vtrouis populo ducis officio fungeretur. Itaque Corinthum vtriq; coniunctis viribus veniunt, & Onium montem aduersus Thebanos custodiendum assumunt: alii aliis in locis. Lacedæmonii vero cum Pellenensibus ea loca, quæ oppugnationi & periculo maxime patebant.

Alternum illorum imperium.

II. *A Thebanis clade afficiuntur.*

Iis tamen à Thebanis incauti deprehensi, non exigua clade affecti sunt. Deinde etiam per imprudentiam Lacedæmonii ducis ex montis periculoso descensu elapsi, cum se sociis suis coniunxissent, & Corinthum peterent, non sine clade repulsi sunt. Interea ex Sicilia 20 fere triremes à Dionysio iuniore Lacedæmoniis auxilio veniunt, & exiguo licet equitatu, Thebanos crebra excursione fatigant; moxq; Syracusas nauigiis repetunt.

Arcades Thebanis desciscunt.

Sub hæc tempora Arcades à Thebanis, Lycomedis cuiusdam Mantinæi opera, distracti sunt, dum alternatim cum Thebanis imperare volunt; quo modo scilicet inter Athenienses ac Lacedæmonios agi cœptum erat: itaque eos à se abalienarunt, sicut & Eleos. qui deinceps eorum cladibus, non minus quam Lacedæm. ipsi, lætati sunt, ea præsertim quam ab Archidamo acceperunt, cum ducem copiarum Dionysii arcta quadã in via interclusissent Messenii, eique Archidamus opem tulisset. In ea pugna nemo Lacedæmoniorum occubuit, Arcadum autem & Argiuorum permulti, quæ res singularem lætitiam Lacedæmoniis attulit.

III. *Xuiri sacrorum ex Senatu & plebe.*

REFECTI decimum hoc anno iidem duo Tribuni plebis Sextius & Licinius; qui de Decemuiris sacrorum partim ex patribus, partim ex plebe creandis pertulere; creatique sunt quinq; de plebe, totidemq; de patribus, quo gradu iam facta via ad Consulatum videbatur. Hac victoria contenta plebs, cessit patribus, vt in præsentia contentiosa Consulum mentione omissa, Tribuni militum crearentur, quos super descripsimus. Quib. magistratum gerentibus cum præter Velitrarum obsidionem, externæ res quietæ Romanis essent, fama repente Gallici belli allata perpulit ciuitatem, vt M. Furius Dictator V. diceretur. Is T. Quintium Pœnum magistrum equitum dixit.

IV. *Pugnat, et que vincit.*

PVGNATVM est contra Gallos in agro Albano. Et quanquam illi ingentem terrorem, memoria pristinæ cladis attulerant, nec dubia tamen Romanis, nec difficilis victoria fuit. Multa millia Gallorum in acie, multa captis castris cæsa, reliqui fuga, quo eos mortis pauor terrorque distulerant, euasere. Dictatori consensu patrum, plebisq; triumphus decretus. Quidam existimarunt ad Anienem fluuium hanc pugnam commissam, in qua T. Manlius Torquati cognomen adeptus sit. At Liuius eam sententiam improbat, & pugnam ad Anienem decennio fere posteriorem esse tradit. Meminit huius pugnæ ad Albam Polyb. l. 2. sed eam trigesimo anno post Vrbem captam contigisse tradit, cum tamen ex Liuio hic sit tantum 23. vt notauit etiam Sigonius. Addit etiam Polyb. Romanos ire contra ausos non esse; eosq; duodecimo post anno iterum rediisse; quod vtrunq; T. Liuio, aliisq; scriptoribus repugnat, & Polybii in temporum ratione fidem labefactat. Vide Sigonii fastos in hunc annum.

Et triumphat.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3687.

I. N. I. Hic est decimus octauus Arist. annus, qui Athenas, mortuo patre, venit, Polyzelo Prætore, Platonemque frequentare cœpit, vt scribit Dionysius Halicarnassæus in Responsione de Demosthene & Aristotele. Nec ei videtur repugnare Laertius cum l. 5. ait Aristotelem septimo decimo ætatis anno (expleto videlicet) Platonem audire cœpisse, vt præcedente anno diximus.

ANNVS

ANNVS MVNDI 3688. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperij Persarum 172. Artaxerxis Mnemonis, & Ionathan Pontif. 39. Olympiadis CIII. an. 3. Prætore Athenis Cephisodoro. Vrbis cond. 387. Coss. L. Aemilio Mamerco, & L. Sextio primo è plebe Consule.

ANNVS ANTE CHRISTVM 365.

I. *Græcorum ad Artaxerxem legati.* VARIÆ hoc anno legationes in Persidem ad Artaxerxem è Græcia missæ sunt; vt explicat Xenuphon l. 7. Cum enim assidue consultarent Thebani, qua ratione imperio Græciæ potirentur, arbitrabantur se id ope Regis Persarum consequi posse. Quamobrem conuocatis socijs, sub specie quod Eurycles Lacedæmonius apud regem esset, ad eundem ascendunt ex Thebanis Pelopidas, ex Arcadibus Antiochus, ex Eleis Archidamus, & ex Argiuis alius quidam. *Inter Pelopidas Thebanus Clarissimus.* Quibus cognitis Athenienses Timagoram & Leontem miserunt. Sed Pelopidas omnibus apud regem autoritate præstitit, quod Thebani soli fere omnium Græcorum, vel cum eo superioribus annis pugnauerant, vel contra eum arma non sumpserant; & nouissime contra Lacedæmonios fortissime rem gesserant.

II. *Literas regis de Græcia obtinent.* ITAQVE literas obtinuit, quis ex Regis sententia, Messene à Laced. potestate immunis esse iubebatur, & Athenienses nauigia sua subducere; ni parerent, bellum eis indicendum esse. Quod si qua ciuitas sequi recusaret, eam primam esse debere, quæ cum exercitu peteretur. Verum hic totus Thebanorum conatus ciuitatibus iurare nolentibus in nihilum recidit.

Epaminondas Argiuos subigit. Interea Epaminondas Thebanus primum Achæos sibi subijcere cogitabat, vt eo magis tum Arcades, tû reliquos socios sibi audientes haberet, idque breui Onco monte per Argiuum Pisiam occupato, tum celeritate vsus, tum humanitate est consecutus. Nam nec optimates in exilium eiecit, nec Reipublicæ statum immutauit. Sed tantum fide ab Achæis accepta, qua sanctè pollicerentur se socios futuros, & secuturos quocunq; Thebani ducerent, ita deinde domum discessit. Quod cum Thebanis parum probatum esset, ope eorum qui Epaminondæ parum æqui essent, præfectos miserunt, qui bene constituta mutarent, & pro socijs redderent inimicos.

III. *Romæ de Consulatu pralio.* CAMILLVS Dictator feliciter confecto bello Gallico redierat, cum atrociorem domi seditionem offendit, & licet retenta Dictatura cum Senatu plebi resisteret, per ingentia demq; certamina Dictator, Senatusq; victus est, vt rogationes tribunitiæ acciperentur.

Primus è plebe Consul. Comitia consulum aduersa nobilitate habita, vtiq; non centuriata, in quibus prima classis, quæ fere patriciorum erat, regnabat, sed tributis vt arbitror, quibus L. Seanus cognomento Lateranus apud Diodorum primus de plebe consul factus est. Et quia Patricij se authores futuros negabant, plebs autem secessionem minabatur, per Dictatorem cum ædem vouisset Concordiæ, ea conditione discordiæ sedatæ sunt, vt pro concesso à nobilitate plebi consule plebeio, vice versa à plebe nobilitati Prætor vnus concederetur, ex Patribus creandus, qui ius in vrbe diceret. *Primus Prætor vrbanus patritius.* Ea concordia tum grata Senatui fuit, vt instituerit in honorem deûm ludos maximos fieri, & vt dies vn⁹ ad triduum adderetur. Recusantibus id munus ædilibus plebis, conclamatum est à iuuenibus patricijs se id libenter facturos, si ædiles fierent. *Duo Ædiles curules.* Quibus cum ab vniuersis gratiæ actæ essent, factum est Senatusconsultum, vt duos viros ædiles ex Patribus Dictator populum rogaret, patres autores omnibus eius anni comitijs fierent. Liuius l. 6. extremo.

IV. *Annus notatus ille gestis omnium a de anno primi consulis è plebe, vide Gallium l. 5. c. 4. ex Sa-* ITAQVE insignis hic annus fuit Plebeij hominis consulatu, à Prætura insuper, atq; Ædilitate curuli. Collega Patritius Consulis fuit L. Æmilius Mamercus. Primus Prætor Sp. Furius Camillus M. Dictatoris filius, Patritij autem ædiles Cn. Quintius Capitolinus, & P. Cornelius Scipio. Ita T. Liuius. Sed vide patriciam æmulationem.

Principio anni cum de Gallis, quos iterum congregari per Apuliam, vbi dissipati fuerant, fama erat, & de Hernicorum defectione mentio agitata esset, Patricij de industria rem differebant, ne quid per plebeium consulem ageretur. Cum autem Tribuni Plebis quærerentur, pro vno Consule Plebi concesso, patres curules tres magistratus sibi arripuisse, côcessit Senatus vt ædiles ex plebe quoque alternis annis crearentur, postea vero id promiscuum fuit. *bio Pectore & Sigon. in fastis hoc anno v. c. 387 & Onuphrium 388*

ANNVS MVNDI 3689. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperij Persar. 173. Artaxerxis & Ionathan. Pontif. 40. & vlt. Olymp. CII. an. 4. Archonte Athenis Chione, vrbis cond. 388. L. Genutio, & Q. Seruilio Consulib.

ANNVS ANTE CHRISTVM 364.

I. *Obitus Artaxerxis Mnemonis, & regni tempus.* MORTVVS est hoc anno Artaxerxes cognomento Memur, cum annos quadraginta regnasset, vt autor est Eusebius in chron. ex Africano & Manethone, vt fatetur Scaliger; & Beda de 6. ætat. & D. Hieron. in c. 4. Ezechielis: sequitur enim Eusebium, sicut & Sanctus Augustinus, in omni ratione temporum. Tertullianus l. aduersus Iudæos, quem sequitur Pamelius *b* Ado. Viennensis in Chronico, Freculphus, Marianus Scotus, Hermannus Contractus in sua Chron. & recent. Peter. in Daniel. Torniel. an. 243. sextæ ætatis: Leunclauius in Chronul. Xenophontæa, & alij. *b num. 7°.* Quæ mihi sententia communior videtur, atq; probabilior; tametsi non ignorem Plutarchum in eius vita, in Græco, Latinoque textu, ei tribuere regni annos sexaginta duos, & ne error in numerum irrepsisse putaretur, etiam vitæ quatuor & nonaginta: quem secutus est in regni annis Seuerus Sulpitius l. 2. nisi malis errorem in numeros irrepsisse, & 42. pro 62. legendum esse, vt monuit ibi Sigonius. *Varia sententia.* Diodorus Siculus tam initio regni eius, quam fine tres & quadraginta annos regnasse tradit, quem sequitur Gordonius in sua chronologia. Ioan. Tempora. & Mercator in suis, Emendator temporum maluit 44. Henricus Samerius 42. Functius 36. Geoebrardus tertium Artaxerxem vocat, & ei 49. annos tribuit. Ioannes Lucidus 55. tanta est licentia dissentiendi.

II. *Vnde orta diuersitas.* INDE autem potest ex parte nata esse ista diuersitas, quod Artaxerxes Darium filium primogenitum contra morem Persarum, apud quos Rex nisi morte non mutatur, per indulgentiam pater Regem viuus fecit, nihil sibi ablatum existimans, quod in filium contulisset, vt scribit Iustinus l. 10. & Plutarchus in Artaxerxe. Verum cum is Patris interficiendi consilium Teribazo impulsore, cepisset, opera eunuchi à patre manifesto in scelere deprehensus, eiusdem iussu, iudicum sententia damnatus, atq; occisus est. *Eius mors.*

Princeps fuit pacis insigniter amans, vt scribit Diodorus, & Xenophon, quam & in regno suo, & in Græcia magno studio, maximisq; sumptibus stabiliendam curauit. Clemens habitus est, vt etiam natura mollior, vt ait Plutarchus, & popularium amans; quamuis non desint ab eo edita crudelitatis exempla, *c* vt quem scribit Iustinus coniuratorum filiorum suorum coniuges omnes cum liberis, ne quod vestigium tanti sceleris extaret, interfecisse. *c Vide Olymp. 94. an. 4. n. 3.* Idque satis ex cuiusdam Mitridatis supplicio inter scaphas liquet, apud Plutarchum. Verum filius eius, & regni successor Ochus, tam sæuus & atrox fuit, vt patri Clementiæ opinionem conciliarit.

III. *Gratum fuisse ei beneficium.* GRATVM etiam ei beneficium fuisse illud innuit, quod cum quidam Sinetas Persa, procul à suo tugurio ei occurrisset, nec aliquid haberet præ manibus quod regi offerret, ad fluuium vicinum properauit, indeque haustam aquam in vtrasque manus cauitate alacriter obtulit. Ea re delectatus Artaxerxes, misit ei phialam auream, cum mille daricis, ne scilicet deinceps aut manus deesset, aut vas in quod immitti posset. Pomum etiam eximia magnitudine cum accepisset, oblatum verbis orna-

uit, dicens, se inde coniicere, posse eum hominem eiuitatem sibi creditam è minima magnam efficere; & reipsa præmio non vulgari eum remuneratus est: refert Plutarchus in Artaxerxe, & Apoph. & Ælian. l. 1. Var. c. 32. eodemq; pertinent eius dona Mitridati, aliisq; tributa, multo meritis maiora, quæ Plutarchus, & Æmilius Probus in Datami retulerunt, & Athen. l. 2.

IV. *Et mulierosum.* Mulierosum hominem fuisse cum trecentæ & sexaginta concubinæ, quas ei Plutarchus attribuit, sicut Dario Q. Curtius, tum centum & quindecim filii, quos ei numerat Iustinus, satis docent, præter infamem illam intemperantiam, qua Atossam filiam vxorem duxit Pater: & rursus etiam geminato scelere Amestrim, Tribazo, cui eam desponderat, sublatam.

Morbi, & mortis causa. Morbo ex animi dolore contracto decessisse scribit Iustinus. Plutarchus regem ait feliciorem fuisse quam patrem, vt qui primogenitum suum, regni hæredem, ac designatum iam regem, cum tot aliis concubinarum suarum filiis, interficere coactus fuisset. Et insuper Ochum in regno relinquere, qui viuo patre alterum fratrem calumniis ad venenum compulerat, alterum, decrepiti patris delicias, per Harpatem Tiribazi filium interemerat, quod initium multorum aliorum eius scelerum fuit.

V. *Res Græcorum.* Hoc anno Athenienses salua Lacedæmoniorum amicitia, cum Arcadibus eorum inimicis fœdus iniere, interprete Lycomede. Corinthii quoque, bona cum Lacedæmoniorum venia, cum Thebanis, qui aduersus Spartanos implacabile bellum gerebant, pacem fecere, nec socios se belli Laconici fieri passi sunt. Quo etiam tempore Dionysius iunior naues 12. quibus ducem Timocratem præfecerat, subsidio misit Lacedæmoniis: qui mox Eleis contra Arcades duce Archidamo semel iterumque auxilio fuerunt, vbi & Archidamus Rex traiecto fœmore vulneratus, *Archidamus Rex vulneratur & vincitur.* Arcadibus victoriam reliquit, & ablatis per inducias mortuorum cadaueribus discessit; quæ appetente anno Olympiaco gesta esse tradit Xenophon l. 7. quod nostram chronologiam egregie confirmat: is enim annus nobis proxime sequetur.

VI. *Pestilentia magistratus Romæ absumit.* L. porro Genutii & Q. Seruilii consulatus à bello quidem, ac seditionibus quietus fuit, sed pestilentia vehementer laborauit. Censorem enim, Ædilem curulem, & tres Tribunos plebis mortuos ferunt. Ex quo licet coniicere quot funeribus in plebe grassata fuerit. Eadem etiam extinctum significat Liuius M. Furium Camillum, virum in Republica Romana pace, belloque omni laude clarissimum: idque Sanctus Augustinus affirmat. *Mors Camilli. L. 3. de ciu. c. 17.* Quod autem hic tradit Liuius vixisse Camillum quinque & triginta annis post restitutam patriam, viginti quinq; legendum est, vt iampridem notauit Glareanus, & post eum Sigonius, & Onuphrius: estque hic vigesimus quintus à 364. quo pulsis Gallis Roma recuperata est. Quod si Camillus dum Gallos proxime vicit, deq; iis triumphauit, octogesimum annum egit, vt scribit Appianus init. lib. de bellis Gallicis, secundo & octogesimo ætatis excessit è viuis.

ANNVS MVNDI 3690. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Persarum 174. Artaxerxis Ochi 1. Ieddoe, qui & Iaddus, Pontif. 1. Olympiadis CIV. An. 1. Prætore Athenis Timocrate. Vrb. cond. 389. T. Sulpitio Petico, & C. Licinio Stolone Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 363.

I. *Initium Artaxerxis Ochi.* Dvodecimvs Persarum imperator succedit imperio Artaxerxes Ochus, cui proprium Ochi nomé quasi cognomen, ad regium Artaxerxis nomen additum est. Cum enim, vt ait Diodorus Siculus, Artaxerxes Mnemon pater eius regnum probe administrasset, pacis insigniter amans, & prosperis successibus vtens, posteros inde reges nomen transmutare in huius appellationem Persæ iusserunt. Iusserintne Diodorus viderit, certe res ipsa docet illis minime obtemperatum, nam nullus deinceps, ne filius quidem Ochi, Artaxerxes dictus est, & imperii clauum annis tribus, & viginti tenuit, vt in eius morte dicetur. Hoc anno Demosthenem egisse annum 17. completum scilicet, scribit Dionys. Halicarnassæus in Opusc. de Demosth. & Aristot. est enim reuera 18. initio ducto ab anno ante centesimam Olymp. vt scriptum reliquit ille idem Dionysius ibid. vide etiam Plutarchum in vita Demosthenis.

II. *Et Iaddi pontificatu.* Novvm quoque Regi addimus de more Pontificem Hebræorum, qui apud Nehemiam 12. vocatur Ieddoa, apud Tigurinam Iaddua, Iosepho Iaddus, etsi is, quantum ex Iosepho colligere licet, pontificatum inierit, cum iam Ochus aliquot annos regnaret, viueretq; pater eius Ionathan: sed quia certus annus definiri non potest, pontifices quos constat sub certis regibus vixisse, cum regibus etiam commutamus.

Ionathas fratrem suum in templo interfecit. Scribit ergo Iosephus Ocho regnante, Ionathan pontificem fratrem habuisse nomine Iesum, cui Bagoses dux Ochi primarius, promiserat se pontificatum daturum. Qua fiducia Iosue cum liberius cum fratre in templo altercaretur, tantam pontifici mouit iram, vt ab eo in templo interficeretur. *Quam iniuriam*, inquit, *Deus non dissimulauit, sed & populus hac de causa libertatem amisit, & templum à Persis pollutum est.*

III. *Non impune.* Amissionem libertatis Iosephus vocat tributum ab eodem duce impositum, vt priusquam quotidianas hostias offerrent, in singulos annos ex publico 50. drachmas penderent. Pollutionem autem templi vocat ingressum Persarum infidelium in templum, quam sic explicat. Bagoses dux cognito, quod Pontifex proprium fratrem in templo interemisisset, superueniens Iudæis iratus est. *Ausi estis scelesti, in templo vestro cædem perpetrare?* Et cum conatus templum ingredi, arceretur. *Quid*, inquit, *an me putatis impuriorem, quam cadauer quod iacet in templo?* Et his dictis ingressus est, atque hac occasione per septennium eius cædis pœnas à Iudæis exegit. Mortuo deinde Ioanne, pontificatum accepit filius eius Iaddus. Hæc fere Iosephus, quæ nihil vetat sub hæc regis exordia contigisse; certam enim temporis notam proferre non possumus.

IV. *Initia O. hi cruenta.* De Ochi autem initiis ista Iustinus, l. 10. *Hæreditas regni Ocho tradita est, qui metirò timens parem coniurationem* (ei scilicet quam Darius frater eius in Artaxerxem Mnemonem excitarat, aut quam recens ipsemet in fratres duos fabricatus erat) *regiam cognatorum cæde, & strage principum replet, nulla non sanguinis, non sexus, non ætatis misericordia permotus: scilicet ne innocentior, fratribus parricidis haberetur. Atque ita veluti purificato regno bellum Cadusiis infert, &c.* Hactenus Iustinus. Incurrit autem principium regni eius in principium Olympiadis centesimæ quartæ, quam Elei inter Anolympiades, id est, illegitimos ludorum conuentus olim numerauere, vt est apud Pausaniam. *Olymp. 104. l. 6. p. 181. & 201. init. græ.* Eam Arcades celebrarunt, in eoque Euboras Cyrenæus in stadio victor extitit, aut vt habet Diodorus, Phocides Athenienss, quem consule super controuersia de ludis Olympicis inter Eleos & Pisates, qui in Peloponneso sedes habent.

V. *Contentio inter Arcades & Eleos.* In Græcia rursus Arcades Eleos bello fatigabant, ac non solum Olympiam, ait Xenophon, validiori præsidio muniebant, sed etiam appetente anno Olympiaco, parabant se ad Olympia celebranda cum Pisatis: sed sub ipsos ludos Olympicos superuenientes Elei, cum eis præter opinionem fortissime decertarunt, indeq; domum reuersi sunt. Quæ confirmandæ potius Chronologiæ gratia, & in signum non male in suos annos distributi Xenophontis, quam ipsius rei causa retulisse voluimus. Ex quo etiam Diodorus, qui pugnam Mantinæam in sequentem annum differt, corrigendus videtur.

Vsurpatio sacrarum pecuniarum in profanos vsus damnata. Interea superuenit contentio inter Arcadas & Mantinæos. Cum enim illi pecunias sacras ex templo Iouis Olympici acciperent, quibus Eparitas stipendiarios ex Arcadia milites alerent, id decreto primi Mantinæi prohibuere,

buere, frementibus licet contra eos Arcadum præfectis, eosq; in ius vocantibus, quod scilicet ista parcimonia Arcadicam societatem labefactari dicerent. Neque enim vnquam defuere, qui sacra profanis vsibus, specioso publici boni prætextu, dissipare vellent. Verum mox Mantinæorum iudicium in publico decem millium concilio comprobatum est, vbi sacrarum pecuniarum vsurpatio damnata est, negatumque crimen violatæ deorum religionis posteris in omne deinceps æuum inultum relinquendum esse.

VI. *Sacrilegi bellum excitant.*

PRÆFECTI autem qui pecuniam sacram tractauerant, cum se animaduerterent de vita periclitaturos, si rationes reddendæ essent; priuatum periculum damno publico redimere cupientes, Thebas mittunt, ac Thebanos monent, ni expeditionem susciperent, periculum fore, ne rursus Arcades ad Lacedæmoniorum partes transirent. Itaque Thebani expeditionem in Arcadiam duce Epaminonda suscipiunt, Mantinæis & vniuersis Arcadibus, qui pacem malebant, & fœdus inter se inierant, expeditionem eiusmodi in perniciem totius Peloponnesi fieri dicentibus. Itaq; Athenas suos mittunt, qui Athenienses ad ferendam opem cohortarentur. Lacedæmonios etiam per legatos hortantur, vt communibus auxiliis prohiberent, ne qui Peloponnesum in seruitutem redigerent.

Irrita populi.

VII. *Expeditio Epaminondæ.*

INTEREA dum hæc agebantur, Epaminondas domo proficiscebatur, ac secum Bœotos omnes, Eubœenses, ac Thessalos multos in armis habebat; plerosque etiam in Peloponneso à suis partibus futuros arbitrabatur: Argiuos in primis, in quorum agrum copias celeriter traduxit, & Nemeam Argiuorum vrbem ingressus, nonnihil illic commoratus est, vt Athenienses transeuntes ad defendendum Peloponnesum interciperet, ratus Thebanis emolumento futurum, quidquid Athenienses detrimenti accepissent. Sed cum illos non terra, sed mari iter facturos didicisset, motis è Nemæa castris, Tegeam Arcadiæ vrbem, Thebanis amicam profectus est: vbi castra posuit, ratus ea intra vrbem tutiora fore, rebusque necessariis abundatura, & consilia sua hostibus occultiora. Interim Peloponnesii omnes quotquot consentiebant, apud Mantinæam conuenere, ibique magna cum cura eam muniuere, dum rex Agesilaus, qui erat in itinere, cum copiis expectabatur.

VIII. *Eius consilium rei gerendæ.*

HOC rerum statu Epaminondas animaduertens nullam ad se vrbem deficere, (expectabant quippe quo belli fortuna, inter tum potentes aduersarios, inclinatura esset,) ac tempus rei gerendæ idoneum paulatim elabi, aliquid sibi gerendum putauit, ne infamiam pro hactenus parta gloria incurreret. Ergo Spartam ipsam improuisus nocturno itinere, cum quindecim hostium millibus, vt ait Iustin. l. 6. inuadere cogitat, & ipsam imperij totius Græciæ arcem occupare tum desertam, ac propugnatoribus vacuam. Nam & equites eorum iam in Arcadiam discesserant, & copiæ mercenariæ, & ex decem cohortibus tres. Occupassetque reuera, nisi diuino consilio factum esset, vt Agesilaus, qui apud Pellenen Achaiæ vrbem esse ferebatur, à quodam Cretensi de aduentu Epaminondæ curriculo monitus fuisset. Qui Spartam, dispositis hinc inde suis, perpaucis licet, custodire cœpit. Polyb. l. 9. ait Agesilaum tum fuisse Mantinææ, & vrbi, in ipso temporis articulo quo capiebatur, sub tertiam noctis horam, auxilio superuenisse. *a*

Improuisus Spartam aggreditur.

a p. 547.

IX. *Dubia ibi pugna.*

EO cognito Ephaminondas captauit locum, in quo se facile in pugna superiorem fore credebat, vt qui vrbem ex descensu inuasurus esset, sed vel diuino nutu, vt ait Xenophon, vel Spartanorum ex desperatione virtute, res ei præter sententiam accidit. Nam cum Archidamus vix centum viros duceret, & in locum arduum contra hostem pergeret. Thebanos tamen perculit, & primos, qui apud Epaminondam erant, occidit. Cum autem exultarent Lacedæmonii ob victoriã, ideoq; hostem intempestiuius persequerentur, rursum & ipsi quosdam amisere. Nam decerpti diuinitus erant concessæ ipsis victoriæ certi quidam fines. Ita Xenophon *b*, recte de diuina prouidentia passim sentiens ac scribens. Iustinus hæc declamatoriè amplificat. Ait enim non amplius centum effœtæ ætatis viros, contra 15. millia pugnæ se obtulisse, in ipsis portarum angustiis, & paucos senes sustinuisse aciem, cui iuuentus paulo ante par esse non potuerat. In eoque prælio duos hostium duces cecidisse. Verum oblitus videtur Iustinus Spartæ neq; portas neq; muros fuisse, neque esse credibile Archidamum centum effœtæ ætatis viros ad vrbem propugnandam duxisse, quod scribit Xenophon. Nec verisimile est duces copiarum apud Epaminondam, & non apud suas quemq; turmas, potius pugnauisse, sed nimium laborem, & forte ingratum suscepero, si Iustinũ, Diodorum, alios ex Xenophonte emendandos suscepero. Vt ergo ad eum regrediamur.

Xenophontis laus.

b L. 7. p. 644.

X. *Epaminondæ de pugna ad Mantineam deliberatio.*

QVONIAM intelligebat Epaminondas futurum, vt Arcades Lacedæmonẽ, opis ferendæ causa concurrerent, nolens cum vtrisque simul ferro decernere, sperans Mantinæam vicissim propugnatoribus, qui Spartam conuolassent, vacuam fore, vt scribit Poly. l. 9. eo sub Meridiem peruenit, vel potius, vt Xenophonti hæc accuratius persequenti placet, Tegeam quam celerrime rediit, & peditatu quiescere iusso, equitem ad Mantinæos misit, qui pecora, virosq;, & frumentum, quæ illi extra vrbem tum habebant, id enim erat anni tempus, quo illi frumentum in vrbem conuehebant, diriperent. Sed eam cladem Athenienses à Mantinæis sociis suis auerterunt, prælio contra Thebanos feliciter commisso.

Qua illi causa pugnandi.

Hic Epaminondas, qui paucis diebus male semel iterumq; pugnasset, & videret sibi intra paucos dies necessario abeundum, quod huic expeditioni destinatum tempus effluxisset: Et si eos ad quos iuuandos aduenerat, desereret, illi ab hostibus obsiderentur, ipse gloriam omnẽ, multo iam pridem labore partam, prorsus amitteret: denique nullum operæ precium fecisse videretur in rem Thebanam, sed occasionem potius præbuisse bellicæ societatis ac fœderis Lacedæmoniis, Atheniensibus, Arcadibus, Achæis, aliisq;, necessario sibi pugnandum esse statuebat, vt vel victoria aduersos eos casus aboleret, vel si mortem oppeteret, præclaro fine vitam clauderet, in conatu relinquendi patriæ suæ imperium Peloponnesi.

XI. *Stratagema pugnaturi.*

ITAQVE pugnæ certus, cum militem haberet obsequentissimum, aciem instruit, & pugnæ spem hostibus præbet; eam tamen vt infringeret, & hostem imparatum inuaderet, subsistere militem suum in armis iubet, & speciem castra munientis exhibere. Quo factum est, vt maxima pars hostilis exercitus huc illuc dilaberetur, persuasa nullam tum pugnam imminere. Cum ecce improuisus Epaminondas cum suis, in modum triremis aduersum quasi rostrum ad ictum ostentantis, instructis, in hostem ducit. Illi territi nec inopinato aduentu, alii se ad ordines cursu conferebant, alii se instruebant, alii frenabant equos, alii loricas induebant, omnes denique magis cladem accepturi, quam illaturi videbantur. Denique primus ipse, cum parte copiarum longe robustissima, in hostem impetum facit, & qua parte eum aggressus est, victoria potitus, vniuersum hostilem exercitum in fugam coniecit. Verum posteaquam ipse cecidit, sui recte victoria vti nescìere, sed casu imperatoris sui quasi attoniti, ne hostem qui fugientem persequi potuere, sed quasi victi essent ipsi, trepide per fugientes hostes elabebantur.

Victor moritur.

XII. *Ambigua victoria ex Xenophonte.*

SICQVE factum est, cum tota fere Græcia conuenisset, castraque opposita haberet, omnibusque persuasum esset, si tum prælio decerneretur, fore vt victores Græciæ imperarent, victi parerent, Deus ille exercituum Dominus, ita pugnæ huius euentum temperauit, vt trophæum vtrique statuerent, quasi victores, nec statuentes alteros alteri impedirent: vtrique etiam mortuos, tanquam victores, per inducias redderent, & vtrique tanquam victi per inducias reciperent, vtrique denique se victores dicerent, cum tamen neutri pugnando conditionem suam vlla re meliorem fecissent. Polybius quoque hanc victoriam ancipitem vocat ob mortem Epaminondæ. In hac quoq; pugna diuinam prouidentiam agnoscit, cum ait scriptores magnos de ea

pro-

pronunciare; Imperatorem boni ducis partes omnibus numeris expleuisse; sed ipsum cum aduersarios vinceret, à fortunæ esse superatum. Hæc fere de pugna Mantinæa Xenophon, qua septem libros Græcæ historiæ terminauit. Fertur Xenophon, ait Diogenes Laërtius, huius pugnæ tempore coronatus sacrificasse, & cum filium corruisse didicisset, coronam deposuisse: vbi vero acriter pugnantem oppetiisse comperit, eam rursus capiti imposuisse. Sunt qui illum ne lacrymatum quidem dicant, solumque dixisse: *sciebam me eum genuisse mortalem.*

XIII. *Mors Epaminondæ cum dicto.* CVM autem hic ipse Xenophon de morte Epaminondæ id vnum dixerit, eum fortiter dimicantem in pugna cecidisse, dubiæ sane fidei videntur esse, quæ Diodorus, Æmyl. Probus, & Iustinus non admodum inter se consentientia addidere. Epaminondam multis appetitum iam telis, in pectore lethale vulnus accepisse, hastilique defracto, & ferro in corpore relicto, acerbitate vulneris subactum illico prolapsum esse. Vulnerato Epaminonda, quasi ex placito consenso, ea prælio discessum fuisse, & viuum in castra reportatum. Cumque accersiti medici asseuerarent mortem certissime secuturam, quamprimum corpore telum extractum foret, armigerum ad se vocatum interrogasse, clypeusne saluus esset: quod cum ille non solum affirmaret, sed ipsum etiam clypeum ostenderet; rursum quæsisse vtri vicissent, illoque respondente vicisse Thebanos; iam tempus est, inquit, moriendi statimq; ferrum sibi extrahi iussisse, & amicis cum lacrymis quærentibus, an sine liberis, è vita migrare libenter posset: filias se duas relinquere dixisse, victoriam scilicet ad Leuctra, & ad Mantinæam: atq; his dictis hastæ mucrone educto, animam placide exhalasse. *Post paucos dies,* inquit Iustinus, *Epaminondas decedit, cum quo vires quoque Reip. ceciderunt.* Et alludens, vt videtur, ad Diodori telum, *Nam sicuti telo, si primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris, sic illud velut mucrone teli ablato duce Thebanorum, Rei. vires hebetata sunt, vt non tam illum amisisse, quam cum illo omnes interiisse viderentur.* Et de Epaminonda hactenus, plura apud Diodorum leges.

XIV *Morbus Romæ perseuerans.* ROMANVS enim morbus nos ad se vocat; qui cum præcedenti anno exortus, etiam hoc perseueraret, nec vis morbi, inquit Liuius, humanis consiliis, nec ope diuina leuaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici inter alia cœlestis iræ placamina, instituti dicuntur, quibus nec religione animi, nec corpora leuata sunt morbis. Quin etiam cum medios forte ludos circus Tyberi superfuso irrigatus, impedisset, id vero velut auersis iam diis aspernantibusque placamina iræ, terrorem ingentem fecit. Hæc ea Liuio. Paulus autem Oros. l. 3. *Anno,* inquit, *ab vrbe Cond.* 384. (octauum dicere oportet, vt ex ante dictis satis superque constat.) *L. Genutio, & Q. Seruilio Coss. ingens vniuersam Romam pestilentia corripuit, non breui tempore transcurrens, sed graui, diuturnaq;, in nullo dispar sexu, in nulla ætate dissimilis, generali cunctos per biennium iugiter tabe confecit, vt etiam quos non egit in mortem, turpi macie exinanitos, afflictosq; dimiserit.* Et mox.

XV. *In remedium quæsiti ludi scenici.* *a l. 3. de ciui. c. 17.* AVTORES *suasere pontifices vt ludi scenici diis expetentibus ederentur, & ita pro depellenda temporali peste corporum, accersitus est perpetuus morbus animorum;* sic ipse, contra scenicos ludos, aduersus quos D. Augustin. *a* in primis inuehitur, vt priores omittam Tertullianum, Arnobium, Cyprianum, Lactantium, Saluianum, &c. *Vbi erant,* inquit August. (dij scilicet Romanorum) *cum illa insignis pestilentia tam ingentem stragem dedit, qua & ille Furius Camillus extinctus est?* Et mox, *Inde in hac pestilentia scenicos ludos, etiam nouam pestem non corporibus Romanorum, sed quod est multa perniciosius, moribus intulerant.* Idq; ipse quoque Liuius videtur innuere, cum ait, istiusmodi piaculorum conquisitionem (aut potius exercitationem) animos magis, quam corpora morbo affecisse.

XVI. *Turpitudo ludorum scenicorum.* *b l. 1. de ciu. c. 32.* *c c. 31. Lenocinii.* ADDO illud quoque de ludis scenicis ex Augustino *b* *Ludi scenici spectacula turpitudinum, & licentia vanitatum, non hominum vitiis, sed deorum vestrorum iussu Romæ instituti sunt. Tolerabilius diuinos honores deferretis illi Scipioni* (Nasicæ, qui cum esset pontifex ludos scenicos censuit abrogandos, vt paulo ante c dixerat) *quam deos huiusmodi coleretis.* Denique ita concludit. *Neque illa corporum pestilentia ideo conquieuit quia populo bellicoso, & solis antea ludis Circensibus assueto, ludorum scenicorum delicata subintrauit insania. Sed astutia spirituum nefandorum præuidens illam pestilentiam iam fine debito cessaturam, aliam longe grauiorem qua plurimum gaudet, ex hac occasione non corporibus, sed moribus curauit immittere, quæ animos miserorum obcæcant, tenebris, deformitate fœdant.* *d* Hæc Augustinus.

d vide Aug. ... de Theatro ... Nolg l. ... Athletas ...

ANNVS MVNDI 3691. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Persarum 175. Ochi & Ieddoe Pontif. 2. Olympiadis CIV. An. 2. Prætore Athenis Chariclide. Vrb. cond. 390. Cneo Genutio, & L. Aemilio Mamerco II. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 362.

POST pugnam ad Mantinæam, Græci cum fortitudo par esset, & anceps victoria, perpetuis certaminum laboribus defessi, fine tandem bellis imposito, inquit Diodorus, communis pacis & armorum societatis fœdus ineunt; cui Messenios quoque includunt. Sed Lacedæmonii, qui odio Messeniorum implacabili ardebant, propter illos conditionibus pacis subscribere noluerunt, ideoque soli Græcorum ... dus hoc non iurarunt. Nolebant scilicet liberam, ac sui iuris esse Messenem, quam 20. annorum bello sibi s... ctam à maioribus accepissent, vt ait l. 7. Xenop... que iam tum fœderis, quod Corinthii cum Th... tiebant, participes esse noluerant. Eiusdem fœde... gna Mantinæa initi meminit idem Diodor. ad fin. l. ... bi ait in pactis scriptum fuisse, vt à pugna in suam quisq patriam rediret; quod cum finitimæ vrbes, quæ iampridem Megalopolim translatas se moleste ferebant, intellexissent, quasi facta sibi potestate, in pristina sua oppida vltro reuerti cœperunt; ex quo bellum anno sequenti conflatum est. — I. *Pax inter Græcos composita.* — *Excepti Lacedæmonii ... Messenios.*

II. *Res Messeniorum ...* De Messeniis istis scribit Polyb. lib. 4. eos enim vicini essent Lacedæmoniis, & Arcadibus, quorum illi iam inde à principio, cum eorum agrum occupassent, illis nihilominus inimici erant, sic vt nunquam inuicem conciliari potuerint: Arcades autem eos amabant, & salutis eorum curam gerebant: ipsi tamen neq; inimicitias cum Lacedæmoniis generoso animo exercuerunt, neque cum Arcadibus amicitiam coluerunt. Itaque si quando hi populi vel inter se, vel cum aliis bellum gerebant, bene cum Messeniis agebatur, quoties vero Lacedæmoniis erat otium, aut seruire eis baiulorum more cogebantur, aut exterres in exilium cum liberis & vxoribus abire. Hæc ex Polyb. de hoc autem fœdere paulo post. Quo tempore ait, pugnatum est ad Mantinæam à Græcis, victoria ancipite ob mortem Epaminondæ, Lacedæmoniis Messenios fœderi ascribi vetantibus, quod Messeniam certa spe sibi vendicarent: Megalopolitani contra & quicunq; societate iuncti cum Arcadibus erant, vsq; pertenderunt, donec Messeniis in Societatem receptis, & conuentionis atque iurisiurandi formula comprehensis, soli Lacedæmonii legibus fœderis excluderentur.

III. *Dictator claui figendi causa.* ROMÆ autem cum piaculorum conquisitio magis animus, quam corpora morbi afficerent, repetitum ex seniorum memoria dicitur, pestilentiam quondam clauo ab Dictatore fixo sedatam, Senatus Dictatorem, Claui figendi causa, dici iussit. Dictus L. Manlius Imperiosus, L. Pinarium Mag. equitum dixit. Lex vetus ferebat vt Idibus Septembris clauus pangeretur. Fixus fuit dextro lateri ædis Iouis Opt. Max. ea parte qua Mineruæ templum erat. Liuius l. 7.

CÆSARVM L. Manlius perinde ac Reip. gerendæ, ac non soluendæ religionis gratia creatus esset, bellum Hernicum affectans, acerbo delectu iuuentutem agitauit, tandemque omnibus in eum Tribunis pl. coorti ... vi,

seu verecundia victus abijt Dictatura: neque minus propterea initio sequentis anno dies illi dictus est.

ANNVS MVNDI 3692. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Persarum 176. Ochi, & Ieddoæ Pontif. 3. Olympiadis CIV. an. 3. Prætore Molone. Vrb. cond. 391. Consul. Q. Seruilio Hala, & L. Genutio II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 361.

I. *Megalopolitanum bellum.* Meminit Melonis Prætoris Demosth. init. orat. contra Polyclem.

ÆGRE ferebant Megapolitæ se à colonis suis destituros, eosque iubebant ad se, quò semel translati fuerant, reuerti: cumque illi parere nollent, controuersia deniq; in bellum versa est. Oppidani à Mantinæis, eorumq; sociis, cæterisq; Arcadibus auxilia petunt. Megapolitæ contra, Athenienses de armorum societate sollicitant; qui non cunctanter tria millia grauis armaturæ, & trecentos equites mittunt, quibus Pammenem præficiunt. Qui cum copijs Megalopolim profectus, oppidorum alijs vi expugnatis, alijs terrore subactis, oppidanos Megalopolim redire cogit, sicq; oppidorum in vnam ciuitatem coagmentatio hoc modo composita est. Hæc ex Diodoro in hunc annum. Qua de re nihil apud Polybium, quamuis Megalopolitanum inuenio.

II. *Motus in Asia. Variis temporum.*

REFERT in hunc ipsum annum Diodorus Siculus initia multorum in Asia, & Ægypto motuum bellicorum, contra Persarum Regem Artaxerxem, quem nimirum vsque ad hunc annum vitam produxisse tradit. Sed nos cum sententiam de 40. regni eius annis probabiliorem duxerimus, res tamen gestas ab anno, quem ei Diodorus assignauit, dimouere noluimus, rati hæc ad Artaxerxis Ochi, non Mnemonis tempora pertinere, nullo certiore viæ duce nixi. Nec maiorem lucem ab Æmylio Probo, vel Plutarcho accipere possumus. Etsi enim eos motus sub Artaxerxe dicant contigisse, res tamen adhuc in ambiguo remanet, quoniam tam Pater Mnemon, quam filius Ochus Artaxerxes appellati sunt.

III. *Defectionis a Rege Persa summo principes.*

HOC ergo anno Asiani maris accolæ conspiratione facta defecerunt à Persis, cum Satrapis & ducibus, qui illis prouinciis cum imperio præerant. In quibus præcipui erant Ariobarzanes Phrygiæ Satrapa, & Mausolus Cariæ Princeps, quem tamen ante quatuor Olympiades mortuum dixit Plinius, vt alio loco *a* notauimus, & Orontes Mysiæ, & Autophradates Lydiæ præfectus, & de Ionum genere Lycij, Pisidæ, Pamphylij, & Cilices; & præter hos Syri, ac Phœnices, cunctique fere, qui oram maritimam incoluur. Æmylius Probus prædictis defectoribus addit Thyum Dynastam Paphlagoniæ, & Aspim Cataoniæ, quem vtrumq; mox Datames incredibili celeritate oppressos, comprehensosq; in regis manus dedit, vt idem fusius in Datamis vita scribit. Verum Autophradatem defectoribus non annumerat, cum è contrario referat eum iussu regis bello persecutum esse eos, qui defecerant & opera Datamis vsum esse.

a Olyc a 2.

IV. *Ægyptius cum bellum mouet.* b De quo Olym. 98 1.

EODEM tempore Tachos Rex Ægypti Achoris vestigia secutus, *b* occasionem amplexus bellum in Persas parat, plurimisq; hinc inde ex ciuitatib⁹ Græciæ conductis, Lacedæmonios etiam in suas partes adduxit, qui tum Persis infensi erant, eo quod Rex Messenios communi Græciæ fœdere contineri voluisset. Ergo ad Ægyptium misere Agesilaum, cum mille grauis armaturæ militibus, quo etiam Chabrias Athenis sponte profectus est. Tachos (quē Eusebius in Chron. videtur nominare Theo) mercenario è Græcia militi, qui decem millium erat, Agesilaum præficit, Chabriam autem Atheniensem classi: octoginta verò millibus peditum Ægyptiorum præfecit Nectanabum filium.

Periculum imperij Persici.

In tanta rerum perturbatione, tot defectionibus, tanto tamq; multiplici bellorum apparatu cum magna etiam pars vectigalium Regi Persarum perijsset, facile imperium persicum concidisset, nisi varijs proditionibus & in Asia, & in Ægypto, ipsi se hostes pene confecissent.

V. *Conuratis se ipsi conficiunt.*

NAM Satrapæ, qui Regis imperio nuncium remiserat, cum Oronti Satrapæ Mysiæ totius belli administrationem commisissent; is sperans, si socios Regi prodidisset, se præter alia dona, totius maritimæ regionis præfectura honoratum iri: aliquos eorū comprehensos ad regem transmittit: multas inde vrbes, & conductitiam peregrinorum manum, legatis à Rege missis prodit. Reomithres quoq;, qui à Satrapis missus erat in Ægyptum ad regem Tachon, quingentis inde talentis, & longis nauibus quinquaginta acceptis, Leucas Asiæ vrbem cum classe petit, multosque desertorum duces illuc accersitos comprehendit, vinctosque ad regem transmisit: & eo proditionis munere in eius gratiam redijt.

In hunc item annum Datamis defectionem à Rege, Diodorus refert. Verum ex Æmylio Probo satis constare potest eam non nisi anno sequente, sicut nec Ægyptiacam expeditionem contingere posse.

VI. *Gemina Ægyptiorum proditio.*

INTEREA tamen alia proditio, & quidem geminata Ægyptiorum, res Persarum non parum iuuit. Suadebat Agesilaus Regi, vt ipse domi se contineret, bellumq; per legatos administraret. Eo consilio improbato Tachos cum exercitu contra Persas proficiscitur: cumq; iam in Phœniciam peruenisset, is quem ipse Proregem in Ægypto reliquerat, ab eo deficit, missisq; ad Nectanabum regis filium nuncijs hortatus est, vt regnum in Ægypto paternum inuaderet: qui facile persuasus, cum copijs quibus præerat Ægyptum occupat. Verum Tachos elapsus per Arabiam ad regem ascendere, & perpetrati à se commissorum veniam petere non dubitauit. Illum Artaxerxes non solum à noxa absoluit, sed etiam summum belli contra Ægyptios moti Imperatorem declarauit: sperans se eadem opera de filio ac patre, inter se pugnantibus, vltionem sumpturum.

VII. *Manlius Exdictator accusatur.*

HVIVS anni principio dies Manlio Exdictatori, à M. Pomponio Trib. pl. dicitur, ob acerbitatem qua erga ciues in militari delectu fuerat vsus, cædendis alijs, alijs in vincula conijciendis: ob morum etiam asperitatem, qua tum in alios, tum maxime in filium vteretur, quem propter aliquam linguæ, mentisq; tarditatem ruri detinebat. Hæc cum filius didicisset, inscijs omnibus cultro succinctus domum M. Pomponij adit, existimantis illum paternam accusationem, delatione aliqua noui criminis, adiuturum; remotisque arbitris cultrum stringit, & super lectum stans, ferro intento, iurare cogit ipsum, patris sui accusandi causa, concilium plebis nunquam habiturum; alioqui se eum extemplo transfixurum minatur. Pauidus Tribunus, qui ferrum ante oculos micare cerneret, se solum inermen, (forte legendum senem inermem, probabilior enim fit res, & iucundior antithesis. Addit enim illum præualidum iuuenem, & stolide ferocem viribus suis;) adiutatur in quæ adactus est verba, & præ se deinde tulit ea vi subactum se incepto destitisse. Et quamuis optasset plebs sibi potestatem fieri de tali reo suffragia ferendi; non tamen ægre tulit id filium pro parente ausum; eoq; id laudabilius esse duxit, quod animum eius tanta acerbitas patria nihil à pietate auertisset. Itaq; & Patri remissa causæ dictio est, & ipse adolescens nouo Tribuni militaris in legionib. honore affectus est.

Pietas Manlij innocens.

Causa à Tribuno, & plebe destituitur.

VIII. *Factū Manlij iunioris expenditur. Et improbatur.*

ET hæc quidem prima fronte laudabilia videantur; quæ tamen, si quis ad normam rectæ rationis examinet, haud dubie fatebitur, excusatione potius aliqua rusticanum adolescentem, in paterno periculo, quam præmio, quasi re bene gesta, dignum fuisse. Nam neque priuato

1\. magistratui vim afferre, aut minas etiam intentare licuit, quæ vis priuato, ne in priuatum quidem licita fuisset, ne dum in Tribunum, cuius per Romanas leges, persona esse sacrosancta, eiusque violatio capitalis: neque pietas,

2\. aut paternus amor, aut vlla omnino virtus inconsulta esse debet, vel imprudens, nedum violenta, atque temeraria. Neque si honestum fuit, filium Patris in se acerbitatem ferre patienter: ideo eidem licitum fuit de ea acerbitate se contra legitimum magistratum constituere iudicem, atque vltorem. Denique Tribunus eiusmodi iureiu-

3\. *Tribunus iuramento seruare non debuit.*

rando minime obligabatur ab accusatione desistere, sed iure poterat ex vno reo geminum facere, & ferocem etiam ac turbulentum iuuenem accusare, qui latronum more, ad iniustum & indebitum iusiurandum, magistratum vi adhibita compulisset. Quæ si quis excusare malit, id probabilius fecerit opinor, quam verius.

IX. *M. Curtius se in vastum specum viuus abijcit.* EODEM anno, vt T. Liuius refert, seu motu terræ, seu qua via alia forum medium fermè, specu vasto collapsum in immensam altitudinem dicitur. Neque eam voraginem coniectu terræ expleri potuisse. Donec monitu Deûm id illi loco dicandum visum est, quo Pop. Rom. plurimum posset, si Remp. saluam esse vellent. Cumque M. Curtius egregius bello iuuenis, negaret vllum esse maius Romanum bonum belli ea virtute, silentio facto, modo templa, modo Capitolium intuens, & manus nunc in cœlum, nunc in patentes terræ hiatus, ac deos manes porrigens, se deuouit. Equo deinde quam poterat maxime exornato insidens, armatus se in specum immisit, qui deinde Lacus Curtius est appellatus. Quæ si diiudicare placet, minime dubitandum videtur, quin præstantissimus iuuenis egregia se fortitudine patriæ saluti deuouerit. Id vero maxime dolendum, tantam fortitudinem, non diuinæ gloriæ potius, quam cruentissimæ dæmonum crudelitati fuisse consecratam.

X. *L. Genucius Consul plebeius male rem gerit.* EODEM anno de Hernicis consultus Senatus, cum feciales ad res repetendas nequicquam misisset, id bellum populus frequens iussit, eaque prouincia L. Genucio sorte euenit. Qui cum ab hostibus in insidias imprudenter præcipitatus esset, etiam ab inscijs occisus est. Quod vbi Romam est nunciatum, non tam calamitate publica mœsti patres, quam feroces infelici Consulis plebei ductu, eam cladem deorum iræ, indignantium Consulatum Plebi communicatum, omnibus locis fremebant. Itaq; *Appius Claudius Dictator.* Appium Claudium, qui eam legem dissuaserat, Dictatorem volunt, eumq; Seruilius Consul dicit, qui dum in Hernicos nouum exercitum ducit, C. Sulpitius legatus rem præclate contra hostem gerit. Aduentu deinde noui exercitus copijs duplicatis, difficillimo nihilominus prælio cōtra Hernicos pugnatum est, qui ad id omni studio, industria, præmijs, iuuentutis suæ florem comparauerant, vt *Hernici victi.* ad obtinendam victoriam, nihil magis quam Populi Ro. fortunam valuisse merito iudicatum sit. Fusi fugatique Hernici, nec incruenta Romanis victoria fuit. Nam præter aliquot equites, quarta militum pars amissa est.

ANNVS MVNDI 3693. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperij Persarum 177. Artaxerxis Ochi 4. Ieddoe Pontif. 4. Olympiadis CIV. an. 4. Prætore Nicophemo. Vrbis Conditæ 392. L. Sulpicio, & C. Licinio Caluo Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 360.

I. *Ortus Dinarchi.* HOc anno, atque hoc ipso Prætore Nicophemo natum Dinarchum Oratorem, tradit Halycarnassæus in eius vita. Fuit hic genere Corinthius, qui & Atheniensis existimatus est, quod ibi ab adolescentia diutissime versatus sit, vt author est in eiusdem vita Plutarchus. Floruit autem maxime Alexandri tempore, ac post eius mortem cum Demetrio Phalereo; quando Demosthenes, alijque dicendi principes Athenis exulabant. Est autem hic annus Demosthenis, vigesimus primus, Aristotelis vigesimus quartus, quoniam hic anno regni Persarum 154. natus est, ille 157. vt suis dictum est locis, sed maiora videamus. Asia enim atque Ægyptus hoc tempore, armis Persicis Ægyptijsque fremebant, sed bellum in Asia proditionibus elanguit, & in Ægypto bellum per Ægyptios ipsos pro Persis confectum est. Vtrumque ex ijs quæ Æmilius Probus, & Diodorus l. c. referunt facile planum fiet.

II. *Gesta Datamis pro Rege Persarum.* CVM Datames Thyum Dynastam Paphlagoniæ cognatum suum Regi rebellem viuum cœpisset, ac regi tradidisset: Rex eum magnifice muneratum ad exercitum misit, qui tum contrahebatur duce Pharnabazo, & Tithrauste ad bellum Ægyptium, parique eum cum alijs imperio esse iussit. Postea vero quam Pharnabazum rex reuocauit, illi summa imperij tradita est. Qui cum maximo studio compararet exercitum, & in Ægyptum proficisci pararet, subito à Rege literæ ad eum venerunt, quibus iubebatur, vt intermissa profectione Ægyptiaca, Aspini Cataoniæ iuxta Cappadoces Satrapam rebellem, bello aggrederetur. Id cum tanta celeritate confectum esset, quanta ne inchoari quidem posse videbatur, magnam Regis ex admiratione beneuolentiam consecutus est: sed maiorem etiam inuidiam æmulorum, qui de eo opprimendo consilia inire cœperunt.

QVOD cum ille per literas didicisset, & fluxam regum fidem, si quis casus aduersus inciderit, desciscere à Rege constituit. Quare cum Androdem exercitui regio præfecisset, ipse cum sibi fidissimis, in Cappadociam discedit, coniunctamq; huic Paphlagoniam occupat, celans qua voluntate esset in Regem; clàm autem cum Ariobarzane facit amicitiam, manum comparat, vrbes munitas suis tuendas tradit. Interea audit Pisidas quasdam copias aduersum se parare, filium eò Aridæum cum exercitu mittit. Cadit in prælio adolescens. — III. *Æmulorum metu à rege deficit.*

Proficiscitur eò Pater, non ita cum magna manu, celans quantum vulnus accepisset, ne suorum animi debilitarentur. Sed ecce alterum malum. Socer eius Metrobarzanes præfectus equitum, desperatis generi rebus, ad hostes transfugit.

ID Datamis vt accepit, sensit, si in vulgus emanaret, ab homine tam necessario se relictum, futurum vt cæteri consilium sequerentur, in vulgus edit suo iussu Metrobarzanem profectum pro perfuga, quo facilius receptus, interficeret hostes; quare relinqui eum par non esse, sed omnes confestim sequi, hostes facile in potestate fore, dum intus ac foris cæderentur. Itaque exercitum educit, eum iam Metrobarzanes receptus esset à Pisidis, & infesta signa inferri iubet. Pisidæ noua re commoti, in opinionem adducuntur perfugas mala fide, compositoq; venisse, vt recepti maiorem calamitatem afferrent, ergo primi eos adoriuntur. Illi cum quid ageretur ignorarent, coacti sunt cum eis pugnare, ad quos transierant, & ab iis stare quos reliquerant, quibus eum neutri parcerent, celeriter sunt concisi. Mox & reliqui Pisidæ, & victoriam & castra ipsa amittunt. Tali consilio eodem tempore & proditores perculit, & hostes profligauit: & quod ad suam perniciem fuerat cogitatum id ad salutem conuertit. Hæc ex Æmylio Probo, quæ aliquanto aliter à Frontino, & Diodoro referuntur. — IV. *Datamis in aduersis prudentia.*

NIHILOMINVS Scismas eius filius natu maximus à patre defecit, & ad regem transiit, atque ad eum Patris defectionem retulit. Contra quem Rex copias misit ingentes duce Antophradate; qui sentiens quali cum viro sibi res futura esset, tanta celeritate ad Datamen peruenit, vt is copias contrahere, ad occupandas Ciliciæ portas, non potuerit. Itaque in Cappadociam peruenit cum equitum 20. millibus, & centum millibus peditum: cum quibus Datamis, licet vigesimam partem militum non haberet, non dubitauit frequentibus prælijs confligere, locis semper opportunè præoccupatis, ne à multitudine circumueniri posset. Ita crebris victoriis potitus, Regios compulit vt ei suaderent, vt cum Rege in gratiam rediret. Quam licet ipse parum fidam putaret, tamen conditionem accepit, sicque bellum contra Datamen tunc in Cappadocia sedatum est, Antophradates in Phrygiam se recepit. Æmyl. — V. *Contra regios feliciter pugnat.*

QVÆ dum geruntur in Asia, Tachos Rex ad Agesilaum redierat, vt ait Diodor. cum Nectanabus plusquam centum hominum millia in patrem, vel patruelem, vt Gemistus refert duxit, & ad certamen prouocauit. Is trepidus, nequicquam hortante Agesilao, prælio rem experiri non est ausus, sed in ciuitatem munitam se cum Agesilao inclusit, vnde post obsidionem educto milite, Agesilaus ingenio loci adiuuante, eum paucis hostem multitu- — VI. *Res ab Agesilao gesta ab Agesilao.*

PERSAR. AN. 178. *Et mors eiusdem.* dine abundantem deuicit, ac Tachon regno restituit. Verum Gemistus ait Agesilaum Tacho fuisse offensum, quod vniuersis copiis non fuisset ab eo præpositus. Itaque Nectanabis patruelis superueniente defectione, ab vtroque rogatum vt sibi opem ferret. Illumque misisse Spartam rogatum vti vellent opem ferre, quod cum Sparta eius arbitrio permisisset, se ad Nectanabum relicto Tacho contulisse, moxque Tachon aufugisse, Nectabanum regem factum esse, & inde ab eodem Agesilao obsidione Regis Mendesiæ gloriose liberatum. Postmodum cum Agesilaus reditum in patriam impetrasset, donatum ducentis & 30. argenti talentis, discessisse. Cumque per hyemem litus legendo nauigaret, delatum in desertum locum, cui nomen portus Menelai, viuere desiisse, vitæ 84. regni 41. Defectu mellis corpus cera conditum Spartam delatum ibique regia magnificentia tumulatum. Hæc fere Æmylius Probus, & Gemistus, & maxime Plutarch. in eius vita. Diodorus neque ceræ meminit, neque pecuniæ.

Sed ad Romanos redeamus, qui ad summam potentiam, licet paulo lentiore gradu progrediebantur.

VII. *Dictator creatur in Gallos.* CVM Coss. hoc anno in Hernicos exercitum duxissent, & non inuentis in agro hostibus, Ferentinum vrbem eorum vi cœpissent. Tiburtinis portas eis in reditu claudentibus mox bellum indixerunt. Inde cum Galli 3. ab vrbe lapide via Salaria trans pontem Anienis castra haberent, Dictator creatus est T. Quintius Pœnus, & Mag. equitum Serg. Cornel. Maluginensis. Cum autem hic annus sit tantum septimus, à quo Furius Camillus in agro Albano prospere contra Gallos pugnarat, anno ab Vrbe Condita 386. vt habent Onuphrius, Sigonius, Pighius, cæterique Fastorum scriptores, mirum est annos haud minus decem inter vtrunque bellum poni à T. Liuio in fine l. 6. Is ergo ne secum aperte pugnet, eo loco pro decem, septem legendum putarim, sicut & apud Polyb. qui duodecimum pro septimo posuit, vbi ait Gallos hoc ipso territos, quod Romani eis occurrere ausi essent, nocte fugientibus similes retrocessisse. Sed Liuium potius audiamus, qui hæc non quasi falsa refellit, sed nimia breuitate obscurata elucidat.

VIII. *In eo mouet.* DICTATOR cum tumultus Gallici causa iustitium edixisset, ingenti cum exercitu ab vrbe profectus, in citeriore ripa Anienis castra posuit. Pons in medio erat, neutris eum rumpentibus, ne timoris indicium esset, cum eximia corporis magnitudine Gallus in vacuum pontem processit, & maxima voce Romanorum fortissimum ad singulare certamen prouocat. Tum T. Manlius L. filius, qui patrem à Tribunitia vexatione vindicauerat, pugnandi potestate à Dictatore impetrata, & à sociis habilibus ad pugnam armis instructus, in aciem contra Gallum stolidè lætum, & lingua etiam exerta subsannantem Romanum, armis fulgentibus, & versicolori veste exultantem, progreditur. Gallus proiecto læua scuto in aduenientis hostis arma, cæsim cum ingenti sonitu vanum ensem deiecit. Romanus mucrone surrecto, cum scuto suo imum Galli scutum perculisset, id est, in altum eleuasset, vt se sub eo insinuaret, & propior corpori hostis factus, extra ictum eius esset, vno altero que subinde ictu ventrem hausit, & in spatium ingens ruentem porrexit hostem.

Galli & Manlij singulare certamen.

IX. *Manlij victoria, & Torquati cognomen.* IACENTIS inde corpus ab omni alia vexatione intactum, vno torque spoliauit, quem respersum cruore, collo circumdedit suo, ex quo Torquati nomen ei iocilariter inditum, postea in posteros honorifice propagatum est. Dictator hominem corona donatum aurea, magnis etiam laudibus pro concione decorauit. Tanti quippe ad vniuersi belli euentum ea dimicatio momenti fuit, vt Gallorum exercitus proxima nocte, relictis trepide castris, in Tyburtem agrum, atq; inde societate belli facta, commeatuq; benigne à Tyburtib' adiutus, mox in Campaniam transierit. Diceres Philisthæos, prostrato à Dauide Goliatho, metu ac pudore obrutos, aut panico terrore concitatos, fuga salutem quærere. *a*

a 1. Reg. 17. 13.

ANNVS MVNDI 3694. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperij Persarum 178 Artaxerxis Ochi 5. Philippi Macedonis 1. Ieddoæ Pontif. 5. Olympiadis CV. an. 1. Archonte Athenis Callimede. Vrb. Cond. 393. C. Petilio Balbo, & M. Fabio Ambusto Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 359.

QVARTVS Artaxerxis Ochi annus, in Eusebii Chronico primus est regni Philippi Macedonum regis, ex filio Alexandro Magno notissimi. Initium regni eius mauult Diodorus in hunc primum centesimę quintæ Olympiadis annum referre, qua Porus Cyrenæus, Prorum Pausanias vocat, stadii victoriam obtinuit. Eum sequuntur Torniellus, Gordonus, Schotus in vita Demosth. Mercator, Autor Catalogi Olympionicarum, aliique sectarii. I. *Initium regni Philippi Macedonis.*

Verum cum constet, vt suo loco dicemus, ex Arriano, Dionys. Halycar. Diodoro, Eusebio, Philippum mortuum anno quarto Olympiadis centesimæ decimæ, si dicamus cum Eusebio, ipsum sex & 20. annos regnasse, eum necesse est ante biennium regnare cœpisse, sin 25. cum Iustino, anno præcedenti. Si denique 24. cum Diodoro Siculo, hic annus regno eius initium dabit; quæ fuit Phauorini sententia apud Laërtium in vita Platonis, quem ille *b* mortuum esse dicit anno decimo tertio regni Philippi, at mortuus est, vt Hermippus apud eundem Laërtium testatur, eique Plutarchus in vita Demosthenis assentitur, anno primo Olympiadis centesimæ octauæ; ex quo plane consequens est, cum hoc ipso anno regnare cœpisse. *a* l. 9. *b* l. 16. sin & init. *b* l. 3. comment.

IDEM Laërtius in vita Xenophontis, ex Stesiclide Atheniensi, refert Xenophontem obiisse anno primo Olympiadis 105. quo Prætor erat Callidemides, quo & Philippus Amyntæ filius Macedonibus imperauit, siue imperare cœpit, certum enim annum voluit designare. Eadem fuit sine dubio Demosthenis sententia, qui in 3. Philippica, ait eum decem & trib' non totis annis, Olynthum, & Methonam, & duas ac 30. vrbes Thraciæ excidisse; vt autem decimo tertio exciderit, oportet eum hoc anno regnare cœpisse, vt sequens narratio confirmabit. Idem deniq; affirmat Georgius Gemistus. II. *Confirmatur ratio temporum.*

Quæ nobis quoque videtur probanda sententia, sicut & 24. annorum periodus regni eius, quos deinceps digerere, & Annalibus nostris intexere visum est, quod Philippus Imperii Græcorum, siue Macedonum, quod Persico proxime successit, primus Fundator extiterit. Nam quibus artibus, ait Iustinus, orbis imperii fundamenta pater fecit, operis totius gloriam filius consummauit. Agebat porro hoc tempore Philippus ætatis annum vigesimum quartum, tot enim ab anno secundo Olympiadis nonagesimæ nonæ numerantur. Neq; nobis cum pugnat Suidas in Carano, vbi ait, illum natum annos duos ac viginti suscepisse principatum; primum enim & vltimum tanquam imperfectos prætermisit. *Verbo Caranus col. 470.*

XENOPHON autem quod obiter attigimus, hoc anno mortuus, ad maturam peruenerat senectutem, vt ex Demetrio Magnesio refert Laertius, etsi Leunclauius in extrema Chronologia Xenophontæa, dicat eum amplius annis nonaginta vixisse. Patrem Gryllum habuit, patriam Athenas, etsi Corinthi diu vixit, vbi & mortuum esse idem Demaratus affirmat. Verecundus admodum fuit, & mirum in modum speciosus, vt ait Laërtius, αἰδήμων. κ. εὐειδέστατ@ εἰς ὑπερβολήν. Patique gratia præditos filios duos habuisse videtur, Gryllum ac Diodorum, quos ex Philesia suscepit, vt qui Dioscuri, id est, Iouis filii, vt Castori ac Polluci pares, cognominarentur. Formæ respondebat orationis elegantia, vt propterea Apes Attica diceretur: quamuis tunc viueret Plato eius condiscipulus, eodem Socrate præceptore viueret & Isocrates, quorum oratione nihil pictius dici potest, aut magnificentius. Nimirum orationem vultus ipse *γνησιος ... σικανώς.* III. *Xenophontis obitus, vita &c.*

commen-

commandabat. Neque enim temere dictum est a Poëta, *Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.* Primus omnium quæ dicebantur notis excepta in publicum edidit, commentaria inscribens, primusque Philosophorum scripsit historiam, ait Laërtius: ad quos titulos, etiam religiosi viri, & egregij Imperatoris nomen adiecit. Sed redeamus in Macedoniam.

IV. Macedonum reges.

OPERÆ autem pretium fuerit, ad maiorem rerum dicendarum lucem, seriem regum Macedoniæ, & totum Alexandri magni genus ob oculos ponere. Iustinus, *a* Solinus, *b* Eusebius in Chronicis & Suidas Macedonum originem, omissis de Æmathio ac Macedone fabulis, à Carano duce repetunt, qui ex Heraclidarum genere ortus, primus ex varijs populis vnum Macedoniæ corpus ac regnum effecit, cui Eusebius 28. regni annos tribuit, eique sufficit Cœnum ad annos 12. & Turimam siue Tyrimam ad 38. quos Iustinus omisit. Transit enim à Carano ad Perdiccam & Argæum, quartum & quintum ab illo reges, quorum prior imperium tenuit vno & 50. annis, posterior duodequadraginta. Argæo vterque sufficit filium eius Philippum, quem mirum est à Iustino dici immatura morte raptum, cum Eusebius eum octo & 30. annos regnasse tradat. Forte quia regni hæredem reliquit infantulum Europum, siue Æropam, qui paruulus exercitui prælatus, victoriam Macedonibus peperit. Inde Iustinus, (nouem regibus prætermissis, qui rebus gestis minime claruere, quod & Solinus obseruauit, quos tamen apud Eusebium reperies, cum suis quemque regni annis:) Inde, inquam, excurrit ad Amyntam eius nominis tertium, quem Eusebius regnasse refert annis 18. sed antequam ab Illyrijs regno pelleretur sex annis regnarat, & Argæus in illa quasi regni parenthesi, biennio rexit Macedoniam. Vbi autem Amyntas ope Thessalorum recepit imperium, annis 18. regnauit. Hic autem Amyntas Philippi pater, Alexandri Magni auus fuit, cuius familiæ schema ex Diodoro, Iustino, Solino, Æmylio Probo, Eusebio, hunc in modũ se habet.

a 1. 7. & 8. *b* c. 14. Polyhist.

Diodor. p. 444. 6.

V. Familia regis Amyntæ.

Amyntas rex Macedoniæ, qui tempore Cyri & Cambysis regnauit, genuit,
- Alexandrum, qui tempore Darij Hystaspidæ, & Xerxis regnauit. Iustin.
- &
- Menelaum, qui non regnauit, ex quo natus est Amyntas; etsi tempus interiectum inter Alexandrum & Amyntam rem dubiam facit, & hunc Tharralei filium vocat Diodorus. p. 488. Ex Menelao ortus est.
  - Amyntas, qui primum 6. annis, inde 18. regnauit. Suscepit liberos ex
    - Eurydice muliere nefaria.
      - Alexandrum, natu maximum, qui annum vnum regnauit apud Eusebium: quem regnandi causa frater eius occidit, eiusque regnum inuasit.
      - Ptolemæum Aloritem, quem omittit Iustinus; Gemistus illegitimum fuisse ait. Qui cum triennium, vt ait Diodorus, aut quadriennium, vt Eusebius regnasset, à fratre minore, pari fide, qua ille primogenitum sustulerat, occisus est. Is fuit.
      - Perdiccas, qui iuxta Diodorum quinque annis regnauit, aut 6. vt Eusebio placet. Contra Illyrios pugnans occubuit: cui frater minimus natu, è custodia elapsus.
      - Philippus successit, ex quo ortus est Alexander Magnus.
      - Euryone soror eorum, quæ patri matris scelera patefecit, cum illa generi nuptias ambiret.
    - Ex Cygnæa vero
      - Archelaum, Aridæum, Menelaum: Quos Philippus ex nouerca genitos, ne regni participes fierent, interficit. Iustinus l. 8.

VI. Macedonum infirma, Macedonum vires. Sub Amynta.

VT autem intelligatur quis fuerit Macedoniæ status, cum Philippus eius administrationem suscepit, res paulo altius ex Diodoro & Iustino repetenda est. Quandiu Græci, aut cũ Persarum Imperatoribus, aut inter se, terra marique bella gesserunt, infirmæ admodum fuere Macedonum vires, vt eam se ad partem, in qua plus virium esse videbatur, adiungere cogerentur; vt in superioribus aliquoties significatũ est. Certe Amyntas ipse Philippi pater sub extremam Olympiadem nonagesimam sextã, vt est apud Diodorum & Eusebium, Illyrijs Macedoniam incursantibus, vrbe sua excidit, (Pella opinor. Nam eam veterẽ Macedonum regiam vocant Liuius, & Diodorus, quæ Philippi & Alexandri natalibus illustrior postea reddita est,) & Imperij seruandi spe deiectus, Olynthiis propinquũ ipsis agrum donauit. Quem post biennium, regno, Thessalorũ ope, restitutus, repetit, & Spartanorum opera recuperauit. Illyrijs nihilominus vectigalis fuit, & fidei causa Philippum natu minimum illis obsidem dedit, quem illi Thebanis conseruandum dedere, vbi simul cum Epaminonda, operam dedit philosopho Pythagoræo. Ac ne multo quidem domi felicior fuit, quando insidijs vxoris Euridices, quæ generi nuptias ambiebat, illique regnum occiso viro tradere cupiebat, appetitus, occisus fuisset, nisi Euryone filia pellicatum matris, & sceleris consilia prodidisset.

Olymp. 96. a. 4. p. 444.

l. 42. Diod. p. 467.

p. 418.

VII. Et filius eius Alexandr.

AMYNTAS anno tertio Olympiadis secundæ supra centesimam moriens Alexandrum primogenitum regni reliquit hæredem: qui inter initia regni bellum ab Illyrijs pacta mercede, & Philippo fratre dato obside redemit, vt ait Iustinus. Hic regnum vnum duntaxat annum tenuit, vt Diodorus & Eusebius tradunt: eum enim Ptolemæus Alontea, illegitimus Amyntæ filius, vt habet Gemistus, dolo interfecit; quẽ tamen insidijs matris appetitum occubuisse Iustinus scribit, cui Amyntas in scelere deprehensæ propter communes liberos pepercerat, ignarus eisdem quandoq; exitiosam fore. Id tamen facinus Diodorus illi quem dixi Aloritæ ascribit, qui Alexandri regnum triennio, aut quadriennio, vt mauult Eusebius, tenuit: post quod Perdiccas Alexandri frater Aloritem pari fraude circumuentũ, & vita & regno priuauit, quod ipse quinquennio, aut sexennio, vt placet Eusebio possedit. Cũ enim Illyricũ iugum excutere conaretur, ingenti prælio ab his victos in pugna cecidit. Ita Diodorus, probabilius multo quam Iustinus. Nã longe alia Iustinus. *Frater quoq; eius*, inquit, *Perdicca pari insidiarum maternarum fraude decipitur. Indignũ prorsus libidinis causa liberos à matre vita priuatos, quam scelerũ suorũ supplicio, liberorũ contemplatio vindicauerat. Perdicca hoc dignior cædes videbatur*, vtiq; legendum indignior, vt res ipsa loquitur, nam sequitur, *quod ei apud matrem misericordiam nec paruulus quidem filius conciliauerat.* Nam filium vna cum patre indignissime occidisse videri poterat.

Abrian. lib. 7.

Perdicca.

Natu à matre necati.

VIII. Quis Macedonia status initio regni Philippi.

ORBATO regno Philippus, è Thebana custodia, diuina prouidentia elapsus, percommode opem tulit, illudque admodum male affectum reperit. Nam in acie contra Illyrios supra 4. Macedonum millia cum Perdicca rege occubuerant. Et qui superfuerant Illyriorum vires tantopere expanescebant, vt nihil eis ad instaurandum bellum animi superesset. Eodem tempore Pæones Macedonum finitimi eorum agros contemptim populabantur. Et Illyrij nouam in Macedones moliebantur expeditionem. Huc accedebat quod Pausanias quidam de stirpe regia oriundus auxilio Regis Thraciæ, Macedoniæ regnum inuadere conabatur. Quin etiam Athenienses à Philippo,

IMPERII PERSARVM AN. 178.

qui regno superstes erat, alteri, Argæum ad regnum auitum deducebant, vt Amphipolim quam vehementer ambiebant, recuperarent, missa ad hoc classe probe instructa, eiusque duce Mantia. Addit Iustinus puerulum Perdiccæ filium. *Itaque*, inquit, *Philippus diu non regem, sed tutorem pupilli egit*. vtique non diu. Nam eodem ipso teste, *Grauiora bella imminebant, serumque auxilium in expectatione infantis erat.* Ergo compulsus à populo regnum suscepit, ratus reges non solum successione legitima, sed populorum etiam voluntate regnare.

IX. SVSCEPTO itaque regno nihil habuit antiquius, quam vt populum suum crebris concionibus ad bene sperandum animaret, & militari exercitatione, armorum bene peritum redderet. Quos eò facilius habuit obsequentes, quod magna de illo spes omnibus fuit, & propter ipsius ingenium, quod magnum spondebat virum, & propter vetera Macedoniæ fata, quæ cecinerant vno ex Amyntæ filiis regnante, Macedoniæ regnum florentissimum fore. Dedit deinde operam vt se quantum posset ab imminentibus periculis expediret. Et primum vt placaret Athenienses, hostem eo tempore grauissimum, Amphipoli decedens, suis eam legibus viuere permisit. Inde missa legatione, Pæonum alios muneribus corrupit, alios pollicitationibus retinuit, & ad pacem in præsens tempus ineundam adduxit. Sic & Pausaniam à reditu auertit, rege, qui illum reducturus erat muneribus persuaso. Interea Mantias Atheniensium imperator Methonem appulsus illic substitit, Argæum vero cum conductitiorum manu Ægas præmisit. Is ad vrbem accedens ciues hortabatur vt reditum suum probarent, eique fierent regni recuperandi adiutores. sed nemine assentiente Methonem retrocessit. Philippus abeuntem persecutus, cum lecta suorum manu, multos ex ea mercenariorum turba cecidit. Reliquos, qui ad collem quendam refugerant, post transfugarum deditionem, data eis fide dimisit. Qua victoria erecti Macedonum animi, ad futura bella facti sunt fortiores. Et Philippus his vsus initiis, regnum suum omnium in Europa maximum reddidit, & Macedoniam, quam Illyriorum iugo pressam acceperat, potentissimarum gentium dominam effecit.

X. PAX erat interea in Perside inter Ochum & Datamen, sed simulata; Rex quippe implacabile in eum susceperat odium, vt ait Æmylius Probus. Itaque quem bello opprimere se non posse vidit, insidiis è medio tollere statuit, quas ille sæpe solerter elusit: is tamen aliquando circumuentus occubuit. Modum referre non pigebit, vt intelligatur quantam tyrannidem odij, morbus ac vindictæ appetitus in ægros mortales exerceant.

Mitridates quidam Ariobarzanis filius pollicitus est Regi, se eum interfecturum, si Rex ei data dextera promitteret sibi impune fore quidquid eam ad rem faceret. Quod cum impetrasset, defectionem à Rege simulat, eius prouinciam excursionibus vexat, castella expugnat, ingentes agit prædas, & absens cum Datame init amicitiam, eumque prædatum participem facit. Quæ cum diu faceret, Datami persuasit ex animo, & serio facere, quæ insidiose faciebat: & ne quam ei suspicionem faceret insidiarum, neque colloquium eius petiuit, neque conspectum, sed absens amicitiam odio communi nutriebat.

XI. ID odium in regem cum se satis comprobasse arbitratus est, certiorem fecit Datamen, tempus esse bellum maiore apparatu contra regem suscipiendi, de qua re, si ei videretur, quo vellet in colloquiũ veniret. Probata re colloquendi tempus sumitur, & locus quo conueniretur eligitur. Huc Mitridates, cum vno cui maxime fidebat, ante aliquot dies venit, compluribusq; locis separatim gladios obruit, eaq; loca diligenter notat. Ipso colloquẽdi die, vtrīq; locũ qui explorarent, atque ipsos scrutarentur mittunt, deinde ipsi sunt congressi. Cumque aliquandiu collocuti diuersi discessissent, Mitridates in eum locum regreditur, ac sublatum gladium veste tegit. Moxque Datamen, quasi aliquid oblitus, reuocat, & reuersum necopinantem ferro transfigit. Sic Datames simulata amicitia captus, interiit. Et rex, clarissimum virum, beneque de se meritum perdere maluit quam sanare. *Exercent pretiosa odia, & constantia magno.* Datamis mors est fortassis aliquanto posterior, sed rem incertam vlira differre non est visum. Neque ab hac nostra ratione temporis Diodorus alienus est.

INITIA PHILIPPI MACEDONIS.

XII. TYBVRTIVM porro societas cum Gallis inita, causa fuit cur huius anni Consul Petilius aduersus Tyburtes exercitum duceret; ad quorum auxilium cum Galli ex Campania redissent, agrum Romanum fœda populatione vexarunt. Et cum aduersus Tyburtem hostem, duce Consule contenta esset Resp. Gallicus tumultus Dictatorem coëgit, Q. Seruilium Halam, qui Titum Quintium Mag. equitum dixit, & ex auctoritate patrum, si prospere id bellum euenisset, ludos magnos vouit. Contra Gallos haud procul à porta Capena pugnatum est, vtrimque fortiter, & vtrimque magna cædes edita, quod Romanis patria & parentes, in quorum oculis pugnabatur, essent incitamento: Gallos & pudor præteritæ fugæ, & conscia virtus accenderent.

XIII. AVERTITVR tandem acies Gallorum, fugati Tybur, sicut arcem Gallici belli petunt; palati à Consule Petilio haud procul Tybure excepti. Egressis ad opem ferendam Tyburtibus, simul cum his intra portas compelluntur. Alter Consul Fabius, paruis primum prœliis, postremo vna insigni pugna Hernicos deuicit. Dictator Consulibus in Senatu, & apud populum magnifice collaudatis, & rerum quoque suarum remisso illis honore, Dictatura se abdicauit. Petilius de Gallis, Tyburtibusque geminum triumphum egit, non sine irrisione Tyburtinorum, Fabius autem ouans vrbem ingressus est.

Claruisse iam hoc tempore Demosthenem, quando annum agebat secundum supra vigesimum, notat Eusebius in chronico. Necdum tamen publice auditum fuisse constat ex Halicarnassensi Dionysio, qui primam eius orationem ad annum Callistrati prætoris refert, qui fuit secundus annus sequentis Olympiadis. Nec mirabitur quis tardiorem videri eius progressionem in publicum, licet iuniores videamus forum & subsellia his temporibus frequentare. Diu enim ille multumque in corrigendis, peruincendisque naturæ vitiis desudauit, priusquam in lucem hominum se dare auderet. Certe scimus M. Tullium non ante annum ætatis vigesimum sextum, vrbis sexcentesimum septuagesimum secundum causas publicas, priuatasue agere cœpisse.

ANNVS MVNDI 3695. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Persarum 179. Artaxer. Ochi, & Ieddoæ Pontif. 6. Philippi Maced. 2. Olymp. CV. an. 2. Prætore Athenis Eucharisto. Vrbis Conditæ 394. M. Popilio Lænate & Cneio Manlio Consulibus.

ANNVS ANTE CHRISTVM 358.

I. PHILIPPVS de pace Athenas legatos mittit, quam facile à populo Atheniensi impetrauit, quod nuper ei fortitudinis atque humanitatis exemplum in bello exhibuisset: quodque nihil sibi iuris in Amphipolim vindicaret. Ita nimirum tunc seruiendum tempori credebat homo vaferrimus. Nam non ita multo post, rebus suis melius constitutis, eam crebris pulsatam machinis expugnauit, ac possedit.

Bello Atheniensium liberatus, cum Agim Pæonum regem mortuum audisset, commodam sibi occasionem datam existimauit Pæones, à quibus per contemptum agrorum suorum populatione fuerat lacessitus, inuadendi, sibique subiciendi. Armata igitur manu terram illorum ingressus, Barbaros acie vicit, gentemque deinceps parere Macedonibus coëgit.

II. RESTABANT hostes Illyrij, qui superioribus annis Macedones cladibus multis affecerant, & ab eis tributa

exege-

exegerant, ipsum etiam Philippum in custodia Thebis habuerant: hos ergo magno debellandi studio tenebatur. Cumque suos ad id bellum apposita oratione animasset, ad Bardylem Illyriorum regem legatos mittit, qui omnes Macedoniæ vrbes, quas illi dudum occupatas tenebant, repeterent. Bardyles legatos pacis redintegrandæ causa mittit ad Philippum ea conditione, vt quas quisque tunc vrbes in sua haberet potestate, eas deinceps retineret. At Philippus cum eam legem non admitteret, sed omnino vellet, vt vrbes Macedonicæ sibi restituerentur, ad manus ventum est. Ita bellum hoc inchoatum scribit Georgius Gemistus: cætera Diodoro narratione simillimus. Nisi quod Diodorus Philippum in Illyriorum fines armatum induci, priusquam feciales ex iure gentium, rerum repetendarum gratia, missi essent. Rursus Diodorus diuturnioris temporis hoc bellum facit, quod videtur Gemistus in vnum annum coarctare. Existima reliquo hoc anno legationes vltro citroque missas, & bellum vtrimque magna contentione præparatum.

III. *Tyburtinorum audacia.* Tybvrtes autem qui superioris anni triumphum de se irriserant, quasi veri materiam dare vellent, intempesta nocte infesto agmine Romam Tybure profecti, nocturno atque insperato terrore Vrbem repleuere; donec prima luce hoste, neque multo, neque alio quam Tyburtino agnito, duabus portis egressi Coss. vtrimque hostem aggrediuntur. At illi vix primum impetum Romanorum sustinuere: quin etiam bono fuisse Romanis eorum aduentum constabat. Orientem quippe iam seditionem inter patres & plebem, metu iam propinqui belli compressam. Recte autem putant Onuphr. & Sigon. in fastis ex Cicerone in Bruto, Popilium Consulem, cum flamen Carmentalis esset, eo tempore sacrificaret, cum læna, & quæ vestis erat sacerdotalis, in concionem venisse, & populum tumultuantem sedauisse, indeque Lænatis traxisse cognomen.

ANNVS MVNDI 3696. SEXTÆ AETATIS & Imperii Persarum 180. Artaxerxis Ochi, & Ieddoæ Pontif. 7. Philippi Maced. 3. Olympiad. CV. an. 3. Prætore Athenis Cephisodoto. Vrbis Cond. 395. C. Fabio, & C. Plautio Coss. C. Sulpitio Petico Dictatore.

ANNVS ANTE CHRISTVM 357.

I. *Philippus de Illyriis victoria.* Macedonvm & Illyriorum legatis infecto negotio reuersis, Philippus copias in Illyriorum fines ducit, pedites ad decem millia, equites ad sexcentos sub vexillis habens; quibus suppares opposuit copias Bardylis: quem partæ iamdudum victoriæ ad retinendam gloriam, sicut Philippum acceptæ clades ad iniuriarum vltionem accendebant. Diu anceps prælium fuit, propter eximiam vtriusque exercitus fortitudinem, tandem Illyricus se in fugam dedit, cui Macedo à tergo feruidus institit, quibus hactenus terga dare solitus fuerat, & iuuabat alacritatem conuersa belli fortuna, tantaque hostis affectus est clade, vt plus septem millibus in eo conflictu occubuerint, vt in hunc annum auctor est Diodorus: qui etiam addit Illyrios amissa legatione pacem impetrasse, vbi cunctis Maced. nominis vrbibus excessissent. Verum non videtur id vno prælio, neque ante annum sequentem, vt Diodorus innuit, contigisse. Iustinus de sola Larissa vrbe nobilissima capta mentionem facit: ea Ptolemæo Macedonica est, ad sinum Pelasgicum sita.

II. *Progressio victoriarum eius.* Philippvs Illyriis magno prælio deuictis, omnes ad Lychnitidem vsque paludem habitantes, imperio suo subiecit, & gloriosa cum Illyriis pace facta, in Macedoniam regreditur. Ita hoc anno Diodor. Sed Lychnitidem paludem, quam dicat, non intelligo. Nam eam in Armenia maiora Ptolemæus ponit, in Asia scilicet, à qua Illyrij Europæi longissime distant. Verum etiam in Illyria lacus est, qui Lychnitus Stephano, Lychnidis Polybio, Lychnedus, & Dassarites lacus à Nicephoro appellatur, in Thesauro Geo g. Ortelii: qui lacus nomen à Lychnido vrbe vicina in eadem Illyride videtur accepisse.

Eodem hoc tempore cum Euboenses intestinis dissidiis laborarent, alij Bœotorum, alij Atheniensium subsidia implorarunt, & inter se leuioribus prælis, modo his, modo illis victoribus contenderunt: tandemque suis edomiti malis pacem inter se iniere, Bœotia & Atheniensibus domum repetentibus.

III. *Amphipolim expugnat & occupat. Demosth. Olynth. 1.* Athenas Amphipolitæ mox venerunt, rogantes Athenienses, vt oppidum suum in suam fidem reciperent, vt ait Demosthenes, Olynth. 1. At Diodorus. Posthæc, inquit, cum Amphipolitani inimicis erga Philippum animis, multas belli causas præberent, validis eos copiis inuadit, frustra scilicet auxilia Atheniensium per Hieracem, & Stratoclem legatos implorantes, admotisque ad mœnia machinis acriter & assidue oppugnationem vrgens, muri partem deiecit, perque ruinas irrumpens, vrbe potitur, & statim multatis exilio inimicis, humanissimum se reliquis exhibet. Ea ciuitas propter opportunitatem loci, multum ad incrementa Philippi faciebat. Itaque subito Pydnam quoque dudum Macedoniæ vrbem subegit, eamque Olynthiis, quorum societatem ambiebat, cum suis agris fundisque tradidit. Erat enim Olynthus eo tempore ciuitas opibus & potentia pollens, eoque magis eam sibi adiungere optabat, quo magis eam Athenienses sibi fœdere copulare cupiebant. *Pydnam subegit. Ambit Olynthum.*

IV. *Olynthiis Pydnā & Potidæam tradit.* Itaqve etiam Potidæam se Olynthiis subiecturum pollicitus est, quos sciebat iampridem magno eius adipiscendi studio teneri. Potidæa expugnata Atheniense præsidium ex vrbe deduxit, & clementer tractatum Athenas remisit, eamque Olynthiis tradidit teste Demosthene. Hinc ad Crenidas profectus, vrbem habitatorum frequentia amplificatam, de nomine suo Philippos nuncupauit. Quin & auri fodinas, quæ per regionem illam erant, per quam tenues & obscuræ hactenus, operum structuriaeo prouexit, vt plusquam mille talentum redditum afferre possent. Vnde coaceruatis breui diuitiis; & sibi splendorem, & aliis plerisque perniciem cogendis stipendiariis militibus, & proditionibus magna vi auri procurandis attulit. Hæc fere ex Diodoro. Demosthenes in 1. Olynt. ait Amphipolitas vrbem suam ei dedidisse, & Pydnæos eum vrbe recepisse. Hoc denique anno bellum etiam Sociale ab Atheniensibus inchoatum, cum ab iis Chii, Rhodij, Coi, & Byzantij defecissent, idque in 3. annum protractum ast, vt hoc anno tradit Diodor. etsi tertio ab hinc anno 4. annos durasse dicat, alterutro in loco illapso mendo. Et hæc quidem in Græcia. *Philippi vrbs. Aurifodina Philippi. Sociale bellum.*

V. *Romani Tarquinienses, & Hernicos gesta.* In Italia vero Tarquinienses populabundi Romanorum agros peragrauere; contra quos, rebus nequicquam repetitis, Fabius Consul militem duxit. Plautius autem in Hernicos. Sed ille cum incautè, & inconsulte pugnasset, & multos amisit in acie, & trecentos & septem captiuos, quos Tarquinienses immolarant; non vtique superatas, vt arbitror, sed captos in deorum suorum honorem trucidarunt. Hernici autem à C. Plautio deuicti, subactique sunt.

Quæ dum pararentur, Gallici rursum belli fama increbrescebat, sed inter eos terrores solatio fuit pax Latinis petentibus data, & magna vis militum ab eis, ex vetusto fœdere, accepta. In hoc bellum C. Plautius Consul Dictatorem dixit C. Sulpitium, cui Mag. equitum additus M. Valerius.

VI. *Dictator contra Gallos ... Statur.* Hi cum aduersus Gallos duxissent exercitum, & Dictator cunctatione frangere impetum Gallorum vellet, atq. in terram necessariarum penuriam eos adigere; ferox exercitus, moræ non patiens vbique fremere, ac Dictatorem calumniari: denique per Tullium primipilarem pugnam cum minis exposcere. Dictator in proximum diem pollicetur, interim copiolas infirmas, mille agasonum mulis inequitantium, admistis centum equitibus, in montem castris hostium imminentem ad speciem & terrorem immittit. Mox vtraq; acies auida certaminis in prælium ruit,

PERSAR. AN. 181. *Pugnatur contra Gallos.*

priusquam signum à ducibus daretur. Tantusque fuit Gallorum impetus, vt ei dextrum Romanorum cornu par non esset, iamque nutaret, nisi Dictator increpitans Tullium, & milites pridie in castris feroces, in acie pauidos, tam acres eorum virtuti stimulos admouisset, vt alienatis à memoria periculi animis, in hostium tela ruerent, & hostem prope vecordi impetu turbarent, eques deinde emissus, turbatos auerterit in fugam.

VII. *Romanorum victoria.*

TVM scilicet signum datum iis, qui in monte latuerant. Qui cum ingenti clamore ad Gallorum castra obliquo monte tenderent, ipsi omissa pugna, effuso cursu ad castra ferebantur. Vbi cum occurrisset eis M. Valerius Magister equ. ad montes syluasque vertunt fugam, vbi plurimi excepti ab iis, quos Dictator eò nocte miserat, cæsique. Dictator triumphum egit de Gallis; nec alios post M. Furium iustiorem. Auri quoque ex Gallicis spoliis, satis magnum pondus, saxo quadrato septum, in Capitolio sacrauit.

Spoliorum Dictatoris triumphus.

Eodem anno Priuernates, & Velliterni incursionibus in agrum Romanum cladem sibi aliquam accersebant. Reliquis etiam antiquis tribubus Pomptina, & Publicia additæ. Lex de ambitu à C. Petilio tribuno plebis, tum primùm lata. Ludi votiui, quos M. Furius Dictator vouerat, editi sunt hoc anno, in quem cadit Sabbaticus centesimus quinquagesimus nonus.

ANNVS MVNDI 3697. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Persarum 181. Artaxer. Ochi, & Iaddoæ Pontif. 8. Philippi Maced. 4. Olymp. CV. an. 4. Prætore Athenis Agatocle. Vrbis Cond. 396. C. Martio, & Cn. Manlio Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 356.

I. *Philippus tyrannidem delet in Thessalia.*

CVM Alexander Pheræus in Thessalia Tyrannus, ab vxore & fratribus esset occisus, & mox isti ipsi fratres tyrannidem inuasissent, Aleuadæ Thessali nobiles delendæ tyrannidis cupidi, Philippi Macedonis auxilia sibi adiunxerunt: qui in Thessaliam profectus Tyrannos debellat, ciuitatibus libertatem recuperat, suamque erga Thessalos beneuolentiam magnopere testatam facit. Quocirca in omnibus bellis, quæ postea gessit, perpetuos, tam ipse, quem filius eius Alexander, habuit socios & auxiliares. Sic fere Diodorus, etsi Demosthenes Olynt. 1. pro causæ fortasse necessitate, dicat Thessalos natura mobiles, semper omnibus mortalibus infidos fuisse, talesque eosdem esse Philippo. At Iustinus Philippum ait Thessaliam adiisse, eamque expugnasse, non prædæ cupiditate, sed quod exercitui suo robur Thessalorum equitum adiungere cuperet, factumque voti compotem, vnum corpus equestrium, pedestriumque copiarum inuicti exercitus fecisse. Scribit Demosthenes Olynth. 2. Philippum Thessalos sibi conciliasse, promittendo se eis Magnesiam traditurum (ea est Plinio Thessaliæ annexa prouincia) & recipiendo se Phocense bellum pro eis gesturum.

I. *Thessali sibi deuincti.*

II. *Olympias Philippo nubit.*

HOC anno Philippus Olympiadem, Neoptolemi Regis Molossorum filiam, duxit vxorem; ex qua sequenti anno genuit Alexandrum Magnum, vt dicemus, Conciliante nuptias, vt inquit Iustinus l. 7. fratre patruele auctore virginis, Arisba Rege Molossorum. Plutarchus in Alexandro, & Diodorus lib. 16. eum Arymbam vocant, qui sororem Olympiadis Troadam in matrimonium habebat, quæ causa illius exitij, malorumque omnium fuit. Nam dum incrementa regni, affinitate Philippi se acquisiturum sperat, proprio regno ab eodem priuatus, in exilio consenuit. Agebat autem hoc tempore Philippus annum vigesimum septimum, iuxta ea, quæ in eius natiuitate diximus, licet videatur Plutarchus eum vocare adolescentem, cum hasce nuptias contraxit. Verum illa ætas non ad nuptias, sed ad initiationem in Samothrace referenda est, quæ potuit aliquot annis nuptias antecessisse.

RES A PHILIPPO IN THESSALIA GESTA. III. *Phocenses sacrilegium puniti.*

MINIME omittendum est hoc loco ex Pausania, pœna sacrilegij insignis, quæ in hunc annum cadit. Nam Phocenses Philumelo suasore Delphicum Apollinis fanum diripere aggressi sunt, Agatocle principatum obtinente, Olympiadis quintæ & centesimæ anno quarto. Sacra pecunia potiti, statim tota ex Græcia copias contraxerunt, quos Thebani bello aggressi, decem ipsos annos alternante victoria vexarunt: collatis demum apud vrbem Neonem signis, Phocenses terga vertere. Philomelus in fuga cum se ex arduo & prærupto saxo præcipitem dedisset, exanimatus est; quod supplicij genus ante ab Amphyctionibus in eius factionem erat constitutum. Quibus autem calamitatibus ea prouincia toto decennio, quo durauit bellum sacrum, sic enim appellatum est, affecta fuerit, vrbes viginti duæ solo æquatæ abunde docuerunt. Diodorus hoc bellum ad biennium differt, & nouem annis durasse ait, Olympiadis centesimæ sextæ anno secundo, vbi de eo paulo pluribus agemus, pauloque distinctius.

VI. *Romæ lex de vnciali fœnore. Aliæ duæ leges.*

TRES hoc anno Romæ latæ leges, prima à M. Duellio trib. pl. de vnciario fœnore, id est, vt duodecima pars sortis quotannis pro fœnore solueretur: altera de vicesima eorum, qui manu mitterentur, parte scilicet bonorum in ærarium referenda. Eius licet auctores facti fuissent patres, quia tamen in castris tributim nouo exemplo lata fuerat, tertia lex lata est, & capitali pœna sancita, ne deinceps populo in castris legem ferre liceret, ne Consul milites in sua verba iam sacramento addictos, ad quiduis etiam perniciosum plebi, ferendum facile adduceret.

Priuernates victi, triumphatique.

Cneius Manlius alter consulum bellum Faliscum sorte accepit, quod tamen non nisi anno sequenti confectum est. At Martius exercitum in agrum Priuernatem, longinque pace integrum, atque opulentum, duxit. Et milite in concionem vocato, cum ei castrorum, atque vrbis prædam integram spopondisset, tantus est ardor militibus iniectus, vt primo impetu hostem auerterent: fusum inde ad oppidum persecuti, cum iam scalas mœnibus admouerent, in deditionem vrbem acceperunt. Inde Consul de Priuernatibus triumphauit.

ANNVS MVNDI 3698. SEXTÆ AETATIS & Imperii Persarum 182. Artaxerxis Ochi, & Ieddoæ Pontif. 9. Philippi Maced. 5. Olympiad. CVI. an. 1. Prætore Athenis Elpino, siue Elpinico. Vrbis Cond. 397. Coss. M. Fabio Ambusto II. & M. Popilio Lænate II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 355.

I. *Duces Atheniensium in Sociali bello.*

ATHENIENSES bello Sociali gerendo Charetem, & Chabriam duces præfecerant. Verum Chabrias nauali prælio contra Chium morte sublatus est, cum maiore audacia quam ducem deceret, primus omnium triremem terræ appulisset, & vi exscensionem facere conaretur, vt ait Plutarchus in vita Phocionis, quo ille iuniore familiariter vtebatur. Itaque solus Chares bellum moderabatur, cum sexaginta nauibus, quibus rursum alias sexaginta addiderunt, cum Iphicrate & Timotheo præfectis, vt æquato cum Charete imperio, bellum aduersus rebelles socios continuarent. Ex altera parte Chij, Rhodij, Byzantij cum auxiliaribus, centum nauium instructa classe, aliquot insulas Atheniensibus addictas populantur, & pecunias ad belli vsus corradunt. Interea cum Atheniensium ducibus visum esset Byzantium obsidere, eo vtrimque vniuersæ copiæ conuenere, & iam proximum erat, vt nauali prælio decerneretur, cum subito ingens ventorum procella ingruens, pugnæ consilium disiecit.

Chabriæ mors.

Sociorum ...

II. *Chares collegas accusat.*

ET repugnantibus Iphicrate & Timotheo, Chares in pugnandi voluntate non solum perstitit, sed apud milites primùm, deinde apud Athenienses per literas socios proditionis accusauit, quasi hostibus parcerent; & cum eis pugnare nollent, tantumque apud nimis credulum populum maledicendo valuit, vt reuocati, & exauctorati multorum talentorum mulcta plecterentur.

Pharnabazum iuuat in defectione.

Chares deinceps vniuersæ classi præpositus, dum Rempublicam sumptibus leuare cogitat, facinus quoddam præceps aggreditur. Pharnabazus à Rege Persarum defecerat, & parua instructus manu, contra Regis Satrapas instructos septuaginta armatorum millibus, pugnaturus erat. Ad eum se Chares cum vniuersis copiis commodum aggregat, earumque ope Pharnabazus victoriam obtinet. Itaque vt gratiam pro benefacto rependeret, tanta Charetem pecunia donauit, vt inde facile in totum exercitum stipendia erogare posset.

III. De quo sollicitus Rex cum Atheniensibus expostulat. Finis belli socialis.

PERGRATVM hoc Charetis factum initio Atheniensibus accidit: sed posteaquam Rex de ista Charetis iniuria cum ciuitate per legatos expostulauit, & Athenienses rumore nuncio intellexere, Regem trecentarum nauium subsidio, eorum hostibus Chiis, Rhodiis, Byzantiis, cæterisque sociis affuturum, longe aliter affecti sunt. Itaque bellum illud teneriti, sociale bellum, pace cum defectoribus composita, terminare decreuerunt. Cumque eos non minus cupidos pacis comperissent, res non difficiliter composita est. Hæc Regis expostulatio, rumoribus de bello Persarum contra Athenienses occasionem dedit, qua de re postea.

IV. Aliud sociale bellum in Philippum.

INTEREA Thraces, Pæones, Illyrij, cum nuper à Philippo victi essent, & proprio malo, & incrementis inimici affligebantur: ita quod singuli facere posse desperabant, vt Philippum regno, ac fortunis omnibus euerterent, vniuersi aggrediuntur. Verum eos dum copias adhuc in ipsum cogunt, subito aduentu oppressos, in iura Macedonici regni concedere coëgit. Ita fere Diodorus hoc anno, quæ sunt à Iustino prætermissa. Confectum autem hoc bellum à Parmenione Philippi duce, mox constabit ex Plutarcho, apud quem Illyrij soli memorantur, quod præcipui hostium essent: vt viceuersa coniugium Philippi cum Olympiade, quod serius quam in præsentem annum cadere non potest, à Diodoro prætermissum est; rectius tamen hæ nuptiæ in præcedentem annum referuntur.

V. Ortus Alexandri Magni.

SI enim, vt Arrianus est author, cum Philippus mortuus est, Archonte Pythodemo, Alexander vigesimum circiter agebat annum, necesse est eum hoc anno natum. In hunc annum etiam Plutarchus Alexandri natiuitatem refert, cum ait Philippum tres eodem die nuncios lætos accepisse; primo Illyrios à Parmenione ingenti prælio superatos; secundo, in ludis Olympicis se equi pernicitate victorem declaratum; tertio, natum esse Alexandrum. Tempore ergo ludorum Olympicorum natus est, qui in hunc annum cadunt, in quibus Poro Maliensi victoria contigit. Plutarcho consentit Eusebij chronicon, & Pontacus, Gordonius, & Peret. in Dan. l. 9. & Schottus in vita Demosthenis hoc anno. (Ac. 15. n. 4.) Adde etiam è Sectariis Scaligerum, Functium, Temporarium, Capellum, Mercatorem. Cum autem feratur natus die sexto mensis Hecatombæonis (Is Iunio nostro respondet, ludi enim Olympici sub æstiuum æquinoctium celebrabantur,) oportet Olymp. cum Philippo nuptias in præcedentem annum referre. Fallitur ergo Diogenes in vita Aristotelis, cum ait Alexandrum anno secundo centesimæ nonæ Olympiadis decimum quintum ætatis annum egisse. (Laërt. l. 5. post init. Fallitur ergo Diogenes.) Nam inde regrediendo ad vlt. annum centesimæ quintæ Olympiadis peruenietur. Verum Plutarchi, Arriani, & cæterorum sententia quam sequimur, magis cum initio ac fine regni eius congruit, vt sequentia docebunt. Sed & conciliari vtraque opinio potest, si dicamus eum paulo ante ludos Olympicos esse natum, ideoque extremum annum præcedentem ad præsentem referri.

VI. Geminum bellum à Romanis confectum.

ROMÆ duo Consules, duo bella gessere, facile alterum cum Tyburtibus, quod Lenas gessit, qui hoste in vrbem compulso, agros vastauit. Falisci & Tarquinienses alterum Consulem prima pugna fuderunt, quod sacerdotes eorum facibus ardentibus, anguibusque prælatis, incessu furiali militem Romanum insueta specie turbauerant. Deinde vbi consules, legatique ac tribuni, puerorum ritu vana miracula pauentes irridebant, increpabantque, vertit animos repente pudor, & in ea ipsa quæ fugerant sponte irruentes, auerterunt totam aciem, castrisque etiam eo die potiti, præda ingenti parta victores reuerterunt, militaribus iocis cum apparatum hostium, tum suum increpantes pauorem. Eadem refert Frontinus, nisi quod non sacerdotes, sed milites habitu sacerdotum subornatos, hoc stratagemate scribit vsos. (Frontin. stratag. L. 2. c. 4.)

VII. Primus à plebe Dictator in Etrur.

CONCITATVR deinde omne nomen Hetruscum, & Tarquiniensibus Faliscisque ducibus ad Salinas perueniunt. Aduersus eum terrorem Dictator C. Martius Rutil. primus de plebe dictus. Magistrum eq. item de plebe dixit C. Plautium, qui biennio ante consul fuerat, Martius autem proximo. Et licet patribus indignantibus ipsam etiam Dictaturam vulgari, & belli apparatum omni ope impedientibus, eo studiosius plebs cuncta iussit, quæ ille rogabat: moxque se bene contra hostem gesta, sine autoritate patrum, populi iussu triumphauit. Creato porro pleb. Dictatore, nihil contra legem factum est, quæ iubebat eam dignitatem non nisi consularem dici. Itaque communicato cum plebe consulatu, non recte illi potuit Dictatura negari.

ANNVS MVNDI 3699. SEXTAE AETATIS, & Imperii Persarum 183. Artaxerxis Ochi, & Ieddoæ Pontif. 10. Philippi Maced. 6. Olympiad. CVI. an. 2. Archonte Callistrato. Vrbis Conditæ 398. C. Sulpitio Petico III. & M. Valerio Publicola Consulibus.

ANNVS ANTE CHRISTVM 354.

I. Belli sacri causa.

BELLVM sacrum hoc anno conflatum, nouemque ipsos annos durasse, autor est Diodorus, hoc loco. Infra tamen Olymp. 108. 3. decem annis perseuerasse tradit, Pausaniæ consentiens: sed de initio tamen dissentiens. Diodoro adhæret Sigonius; Pausaniæ, Gordonus & Scaliger, de quo paucis suo more Iustinus init. l. 8. & Gemistus l. 2. Eius causa & origo hæc fuit, ex plurium sententia. Thebani victos Lacedæmonios & Phocenses, tam Leuctrica pugna, quam quæ ad Mantinæam facta est, quasi paruo supplicio cædes & rapinas fuissent, apud commune Græciæ Concilium superbe accusarunt. Id Concilium Demosthenes, Diodorus, & alij Græci Amphictyonum Senatum appellant (Amphictyonum Senatus), qui ex duodecim Græciæ populis conflabatur, quos Æschines de falsa legat. nominat, & ad Thermopylas conueniebant, de communibus Græciæ negotiis disceptaturi. Lacedæmoniis crimini datum, ait Iustinus, quod arcem Thebanam induciarum tempore occupassent; Phocensibus quod Bœotiam depopulati essent: aut potius, vult Diodorus, & Æschinis orationi de falsa legatione consentaneum est, quod magnum terræ sacræ tractum, quæ Cirrhæa nuncupatur, contra antiquas leges, atque execrationes coluissent. Vnde repetundarum accusati, multisque talentis damnati, cum non haberent vnde soluerent, ideoque eorum agri Deo, ex eorundem decreto, consecrandi essent, & ipsos fortunis omnibus euersos, cum liberis & coniugibus solum vertere oporteret.

II. Belli flagellum Philomelus.

PHILOMELVS quidam Phocensis suos ad Concilij decreta rescindenda excitat, templumque Delphicum ad ipsorum clientelam iam olim pertinere docet, & ad illud sibi vindicandum hortatur. Illi mulctæ in se decretæ metu, cuius vindex foret tota Græcia, ducem illum suscepti negotij eligunt. Qui mox ad Archidamum Lacedæmoniorum regem profectus, consilium cum eo de inuadendis Delphis communicat, quod sciret Lacedæmonios quoque grandi ære ab eodem Concilio mulctatos, non minus optare ea decreta antiquari.

Regem Archidamum sollicitat.

Archidamus, cui hæc oratio non improbabatur, in præsens quidem manifesta auxilia non obtulit, sed clam pecunias & militibus, qui stipendia facerent, auxilio futurum recepit. Tum Philomelus acceptis ab eo quindecim talentis, deque suo totidem adiectis, conductoque milite peregrino cum mille Phocensibus, Templum Delphicum inuadit, & cæsis propugnatoribus occupat.

III. *Locri Phocenses male pugnant.*

STATIM fama occupati sani Locros finitimos auxilio euocat: sed hi contra Phocenses male pugnarunt, & post multam suorum cædem domum repetiere. Philomelus hac victoria excitatus, decreta Amphictyonum è columnis eradit, tabulas damnatorum abolet, rumoresque dissiminat, & per legatos præcipuis Græciæ vrbibus denunciat, se templum minime expoliare constituisse, sed antiquum in illud ius suum vindicare, & iniustas sententias abrogare voluisse. Cum autem Bœoti contra eos arma pararent, ipse vicissim omni se ope ad bellum parat, & belli socios acquirit.

Bœotii in Asiam traiiciunt contra Regem.

At Bœoti expeditionem in Asiam susceperunt. Diod. enim ait factam, quo tempore ingens à bello Phocensi periculum imminebat. Cum enim Artabazus à Charete, & Atheniensibus esset desertus, ad Thebanos confugit, qui Pammenem cum 5. armatorum millibus ei tradunt, cum quibus in Asiam traijcit, & iunctis cum Artabazo copiis, regios Satrapas duobus magnis prælijs fudit, & magnam Thebanis gloriam comparauit.

IV. *Demosthenes Remp. adit.*

PVBLICAS orationes scribere, & Rempub. capessere cœpit Demosthenes, Callistrato prætore, anno ætatis quinto & vigesimo, vt ait Dionys. Halycarn. in opusc. ad Ammæum, sed manifesto mendo. Est enim hic annus Demosth. 27. ex ipsiusmet Dionys. sententia; quandoquidem eum natum ibidem asserit anno ante centesimam Olympiadem. Pergit autem; Et est prima eius causa foro parata, oratio contra Androtionem, quam scripsit Diodoro, decretum illius vt legibus contrarium arguente. Eodemque tempore altera Callistrato prætore De immunitatibus, quam ipse habuit, omnium orationum venustissimam, atque elegantissime scriptam. Sic ipse. Aristoteles interea trigesimum annum agens, cum Platone versabatur.

V. *Vterque Consul patricius.*

ROMÆ porro tempus comitiorum aduenerat, & de Dictatore plebeio offensi Patres, nec ab eo haberi comitia Consularia, nec à plebeio Consule volebant. Nam alter Consul Fabius bello detinebatur; ergo per interregnum duo patricij Consules creati sunt, anno, vt ait Liuius, quadringentesimo Vrbis Conditæ. Sed eum deceptum in hac annorum supputatione, plerique consentiunt: ideoque eum in Fastis Consularibus, & eorum annis deserunt, vt Onuphrius, Sigonius, Grellius, Cuspinianus, Genebr. Pighius, &c.

Ratio temporum.

Alij tamen sequuntur, & probant, vt Glarean. Gordon. Functius, Caluisius. Sed necessario fatendum est plerosque in errore versati, à T. Liuio in fraudem inductos, ob aliquot annos ab eo negligenter prætermissos; quod sæpe Cuspinianus, & Glareanus, Onuphrius quoque, ac Sigonius conqueruntur. Nam si vrbs anno primo Olympiadis 7. condita est, quæ est Dionysij Halycarnassei sententia, & Liuij fatetur esse Onuphrius, in disp. de anno & die Vrb. Cond. non potest Vrbis annus quadringentesimus respondere anno secundo centesimæ sextæ Olympiadis. Nam hi omnes anni Olympici conficiunt summam quadringentorum & viginti duorum annorum, à quibus si auferas sex integras Olympiades, id est, viginti quatuor annos, necesse est præsentem annum Olympicum trecentesimo nonagesimo octauo Vrbis, quem anni huius index præfert, non autem quadringentesimo congruere, ex quo vides annos Vrbis cum annis Olympiadum nobis hactenus recte processisse.

VI. *Liuij Chronologia.*

QVONIAM vero certiorem annorum Romanorum per Consules deductorum, non habemus ducem quam Liuium, etsi diuersos diuersis in locis annales securum, proptereaque sibi parum aliquando constantem, vt fatetur Onuphrius loco citato, eum sequi cogimur. Et quoniam facilius est in numerorum notis errari, quam in Consulibus aut omittendis aut adijciendis, ex quibus anni computentur; maluimus cum in his, quam in illis sequi: licet etiam in his Consulibus aliquos omissos, cum prædictis viris doctis fateamur, atque doleamus. Habemus autem nobis consentientem Sigonium in Fastis, Stephanum Pighium in Annal. & alios, ex quo supra eos in anno geminis Dictatoris deseruimus: Onuphrio autem eandem ob causam hic annus est 399. & non octauus, vt nobis. Idem Liuius vocat hunc annum 35. ab Vrbe à Gallis recepta, quod nostræ etiam Chronologiæ conuenit annumeratis extremis, quod autem vocat nonum à plebeio Consulatu, Glarean. Sigon. Onuphr. corrigunt, & legunt vndecimum, quod facile fit pro XI. IX. ponere, & vice versa: est tamen reuera duodecimus, vt Glareanus quoque notauit, & cuiuis facile est ab anno V. C. 387. inclusiue numerare.

Nostra firmatur.

Quod ad res gestas attinet, nihil hoc anno memorabile proditur. Nam nouum certamen de Consularibus comitiis, ad sequentem annum referendum est.

ANNVS MVNDI 3700. SEXTÆ ÆTAtis, & Imperii Persarum 184. Artaxer. Ochi, & Ieddoæ Pontif. 11. Philippi Maced. 7. Olymp. CVI. an. 3. Prætore Athenis Diotimo. Vrbis Cond. 399. Coss. M. Fabio Ambusto III. & T. Quintio Capitolino Patriciis.

ANNVS ANTE CHRISTVM 353.

I. *Incrementa belli sacri.*

TRIGESIMVM septimum seculum ab ortu rerum hoc anno terminatur, simulque mundanus Iubilæus ordine septuagesimus quartus, quo anno non exigua bellum sacrum accipit incrementa. Nam Philomelus sentiens, plerasque Græciæ prouincias sibi nomine sacrilegij infensas, arma in Phocenses parare, ingentem vim militum mercede conducit, præter Phocensium manum, pecunias in stipedium à Delphis exigit, vt à sacris donariis abstineat. Hactenus nimirum thesauros pecuniarios aureos argentosque sustulerat. Ibi enim plurimæ pecuniæ congregatæ, quasi loco omnium tutissimo asseruabantur; quod de templo quoque Iudæorum in 2. Machabæorum legimus. Itaque Philomelus cum memorabili exercitu foras prodit, ostentans se cum quouis hoste Phocensium ad pugnã paratum. Primum vt dixi, occurrunt Locri, sed infeliciter pugnant, multi cæduntur, capiuntur multi nonnulli etiam sede rupe præcipites dedere. *c. 3. 6. 11.*

II. *Philomelum pleriq; Græci inuadunt.*

VICTI Locri à Bœotis auxilia postulant, qui de bello sacro decretum ab Amphyctionibus impetrant, vt communibus Græciæ viribus contra Phocenses pugnetur; multi se populi Bœotis, Thebanisque aggregant: alij Phocensibus opem ferunt, in quibus Lacedæmonij, qui & ipsi ingenti mulcta 500. talent. primò, deinde etiam mille ab Amphictyonum Concilio, ob Cadmæam occupatam, damnati fuerant. Athenienses quoque, ac nonnulli Peloponnesij Phocensium partes secuti sunt. Philomelus ipse maiores etiam copias cogit, quibus cum stipendium augere vellet, sacris donariis manus inijcere coactus, templum deprædatur: & cum decem millibus in Locrensium agros excurrit, & Locros, quamuis Thebanorum auctos auxiliis, prælio vincit, moxque etiam Thessalos cum sex millibus armatorum pugnantes.

Locros iterum vincit.

III. *Vincitur à Bœotiis suis.*

SVPERVENIT deinde Bœotorum exercitus, in quo ad 13. millia numerabantur. Cum etiam Phocenses ab Achæis Peloponnesiis mille & quingentis militibus augerentur. Cumque mox inter vtrumque exercitum, in sylosis locis sibi occurrentem, primum velitatio, tum atrox pugna commissa esset, Phocenses succumbunt, Philomelus post animosam pugnam, multaque accepta vulnera, in præruptum locum coarctatus, cum nullam haberet elabendi viam, ne viuus veniret in hostiles manus, saltu se abiecit in præceps, quo & sacrilegij pœnas dedit, & grauibus se supplicus eripuit. In eum scriptores omnes, qui hoc bellum attigerunt, stylũ exacuunt, nec immerito. Etsi nihil in eo sano, non profanum fuit, sacrilegus tamen fuit, qui quæ sacra credidit, expilare non dubitauit.

Et præcipitio perit.

Philomelo, qui hoc bellum accenderat, mortuo, minime extinctum est bellum, Onomarcho eius Collega, Phocensium suffragio, ei in munere Imperatoris succedente, vt sequens annus docebit.

IV. *Philippus Methonem expugnat. a Demosth. Olymp. 1. Philipp.*

INTEREA Philippus Macedo Methonem expugnat, direptamq; solo æquat, & Pagas *a* in potestatem redacta, imperium

imperium accipere cogit, vt scribit hoc anno Diodorus, quæ fere anno seq. repetit, addens conuentum cum eiuibus, vt vrbe eum singulis vestimentis excederent, & agrū inter Macedonas dispertitum esse: eadem post eum Gemistus ad verbum, verū quod ad Methonem attinet, quā quidam Thraciæ, alij Macedoniæ vrbē fuisse volunt, non parum diuersa Iustinus scribit. Cum Methonam, inquit, lib.7.fin. vrbem oppugnaret in prætereuntem de muris sagitta iacta dextrum oculum Regis effodit; quo vulnere, nec segnior in bellum, nec iracundior aduersus hostes factus est; adeo vt interiectis diebus pacem deprecantibus dederit: nec moderatus tantum, verum etiam mitis aduersus hostes fuerit. Quomodo mitis, qui diteptam vrbem solo æquauerit? deditios ciues nudos eiecerit? vtique dolebat ab oculo Philippus. Bellum, inquit Suidas, cum Methonæis in Thracia gerenti, Aster quidam sagitta, cui inscripserat. *Aster Philippo telum mortiferum iacit*, oculum illi excussit, Philippus vero & ipse telum coniecit, cum hac inscriptione, *Asterem Philippus captum faciet pensilem*, quod & fecit. Nec aliam belli causam fuisse apparet, quam quod illa pridem Macedonici iuris fuisset: idemque de Pagasis Magnesiæ in Macedonia dicendum arbitror.

V. Demosthenis de Classibus oratio. DIOTIMO post Callistratum Prætore, inquit Dionysius Halicarnasseus in Opusc. ad Ammæum, Demosthenes primam habuit apud Athenienses concionem, quam Rhetoricarum tabularum authores de Classibus inscribunt, in qua hortatur Athenienses, ne pacem, quæ cum Rege conuenerat, Persarum scilicet, vt Libanius interpretatur, qui aduersus Græcos expeditionem moliri ferebatur, qui Artabazum fouebant, vt de Thebanis supra diximus, ne pacem, inquam, irritam facerent; neue bellum inciperent, priusquam nauales copias comparassent, in quibus maximum eorum robur situm erat; & quæ debeat esse instructionis ratio, ipse docet. Sic Dionysius.

VI. Duo Coss. patritij summa contentione facti. PORRO magnum Romæ certamen Consulibus erat cum Plebe, ac Tribunis eius. Nam Consules non virtutis solum suæ, sed etiam fidei esse ducebant, vt acceperant duo patricij consulatum, ita in duos transferre proximis comitijs patricios, & vel totum possidendum, sicut à maioribus accepissent, aut toto cedendum esse. Plebs contra fremere, nec se vel ciuitate vel vita dignam ducere, si duorum hominum virtute partum consulatum, ipsi vniuersi retinere non possent; acerbissima quæque potius esse patienda, quam vtrumque Consulem videre patricium. Cumque aliquoties frustra in campum descensum esset, multique per seditiones acti comitiales dies, postremo perseuerantia Consulum victa plebs eo prorupit, vt vociferantes actum esse de libertate, mœsta sequeretur. Consules relicti à parte populi, comitia nihilo segnius perficiunt, creantque M. Fabium Ambustum, & T. Quintium Capitolinum, vtrumque patricium, à quibus duo bella prospere gesta. Alterum cum Tiburtibus: quorum vrbs Vir Tyburti. Sassula cum capta fuisset, cæteraque oppida eandem fortunam timerent, vniuersa gens positis armis in fidem Consulis venit, de quibus & triumphauit.

VII Victi, punitique Tarquinienses. MITIS ea victoria fuit. At in altero bello in Tarquinienses acerbè sæuitum. Nam multis mortalibus in acie cæsis, ex ingenti captiuorum numero 358. delecti, nobilissimus quisque qui Romam mitteretur, vulgus aliud trucidatū. Nec populus in eos, qui Romam missi fuerāt, mitior fuit. Medio in foro omnes virgis cæsi, ac securi percussi sunt; id pro immolatis in foro Tarquiniensium Romanis, pœnæ hostibus redditum. Diodorus 260. tantum ponit, & quidem post tres abhinc annos.

Samnites ad amicitiam recepti. Res bello bene gestæ effecerunt, vt Samites quoque amicitiam peterent, atque impetrarent. Interea nihilominus plebs, quod valde mirum atque incredibile videatur, tot ditata prædis, spolijs, victorijs, tot castris, tot vrbibus potita, leuata etiam vnciario fœnore, tamen ipsa sorte obruebatur, nexumque inibat: vt de proprijs sollicita debitis, minus consularis honoris participationem curaret.

Itaque proximo anno nemo de Plebe obtinuit Consulatum.

ANNVS MVNDI 3701. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Persarum 185. Artaxerxis Ochi 12. Ieddoæ Pontif. 12 Philippi 8. Olympiadis CVI. an. 4. Archonte Theodemo, siue Eudemo. V. C. 400. Coss. C. Sulpitio Petico IV. & M. Valerio Publicola II. Patricijs.

ANNVS ANTE CHRISTVM 352.

VIDES erudite Lector, hoc primo anno trigesimi octaui seculi, quod fœlix, faustumque sit, annos Olympiadum, & V. C. recte congruere ab initio, in quo posuimus cum Dionysio Halycarnasseo annum primum Vrbis Conditæ cadere in annum primum septimæ Olympiadis. Quo tempore Thebani, Bœotique victoriam de Phocensibus adepti, Philomelo extincto, & sacrilegorum copijs dissipatis, extinctum quoque bellum rati, domum copias reducunt. At Onomarchus, quem Iustinus Oenomaum vocat, Phocensium, & sociorum copijs collectis, de bello deinceps gerendo, aut ineunda pace deliberat. Cumque plerisque consilia pacis probarentur, improbissimi quique & audacissimi, plurimorumque facinorum rei, quorum salus ac quies, clade publica, turbisque communibus continebatur, bellum omnino ambiebant, eiusque ducem quærebant: quibus se commodum obtulit Onomarchus, & ipse concilio publico, ac legibus iam pridem obnoxius; qui Phocensibus, socijsque persuasit vt in Philomeli cœptis perseuerarentur. Ergo sacri, aut sacrilegi verius belli dux eligitur; peregrini militis vim colligit, vacuos cæsorum ordines explet, atque auget, arma fabricatur, ac pecuniam, qua amicos, inimicosque demeretur, ac corrumpit: primoque belli impetu multis vicinorum aut victos, aut exterritos cogit imperata facere, donec Cheronææ obsidione suscepta, à Thebanis victus in patriam reuertitur. Hæc ex Diodoro.

I. Renouatio temporum facta.

Onomarchi dux.

INTEREA Lycophron Pheræorum tyrannus, iam dudum à Philippo victus, Tyrannidem recuperauerat: cum Philippus à Thessalis accitus, copias in Thessaliam traduxit, vbi contra Phayllum Onomarchi fratrem, septem armatorum millibus stipatum, pugnauit, & profligatum è Thessalia expulit. Nec minus Onomarchus auxilio Lycophroni fuit, eumque ingentibus copijs non solum tutatus est; sed cum Thessalis etiam, Philippoque confligens, semel, iterumque victor effectus est, adeo vt Philippus in summum adduceretur discrimen, seq; in Macedoniam recipere cogeretur. Hinc expeditione in Bœotiam translata Onomarchus collatis signis Bœotos vincit, eisq; Coronæam eripit.

II. Philippus in Thessalia pugnat, ac vincit.

Alter ab Onomarcho vincitur.

IN Thessaliam interim Philippus cum exercitu reuersus, Lycophronem oppugnabat; qui viribus impar auxilia à Phocensibus petit. Ei subsidio venit Onomarchus, cum 20. peditum, equitum autem tribus millibus. Factus enim erat fœlici rerum successu potentior, & vicinus exitio ad summum iam apicem res suas prouexerat. Redintegrato enim prælio victoriam Philippus obtinet, Onomarchus cum suis mare fugitiuus adit, proiectisque armis, ad triremes Atheniensium tum forte prætereuntes plerique adnatabant. Nihilominus sex millibus cæsis, tria millia in Philippi potestatem venerunt: in quibus Onomarchus ipse, quem egit in crucem: cæteros vt sacrilegos in mare demersit. Pausanias tamē l. 10. ait Onomarchū ad mare fugientem à suis militibus iaculis fuisse confixum, ipsius ignauia, & imperandi inscitia, ea se clade affectos interpretantibus.

III Onomarchi ... Lycophronis ...

Et Onomarchus in crucem agitur ... Pausan.

NEQVE vero propterea bello sacro finis allatus est. Phayllus quippe quem recte Φαῦλον dixeris, Onomarcho fratri successit. Ita Diodor. & Gemist. Verum non sunt omittenda quæ habet de hac pugna Iustinus l. 8. hoc modo. Philippus quasi sacrilegij, non Thebanorum vltor esset, omnes milites coronas laureas sumere iubet, atque ita velut Deo duce in prælium pergit. Phocenses insignibus

IV. Quid de hoc prælio Iustin.

Dei conspectis, cōscientia delictorum territi, abiectis armis fugam capessunt, pœnasque violatæ religionis sanguine, & cædibus suis pendunt. Incredibile quantam ea res apud omnes nationes Philippo gloriam dedit. Illum vindicem Sacrilegij, illum vltorem religionum, denique dijs proximus habetur, per quem deorum maiestas viudicata sit. Ita Iustin.

Hoc Archonte Demosthenes Timocrateam scripsit orationem, Diodoro violatarum legum reum agente Timocratem, & concionem de mittendis Megalopolitanis auxilijs, quam ipse pronunciauit. Ita Dionysius Halycarnassensis opusculo ad Ammæum.

V. *Bellum in Volscos.* ROMÆ hoc quoque anno vterque Consul patricius fuit, nec magnum ea de re, in populo ære alieno grauato, certamen fuit. In bellum Hetruscum intentam ciuitatem, legati Latini ad Volscos conuertere, nunciantes exercitum conscriptum, armatumque, iam suis finibus imminere: inde populabundos in agrum Romanum esse venturos. Cærites quoque se Tarquiniensibus popularibus adiunxisse, prædæque partem in Cæritum fines auectam. Contra quos cum etiam Dictatorem mitti placuisset, Senatus Valerium Consulem Dictatorem dicere iussit. Is T. Manlium L. filium dixit, qui cum Mag. equitum A. Cornelium Cossum dixisset, Consulari exercitu contentus, ex autoritate patrum, ac populi iussu Cæritibus bellum indixit. *T. Manlius Dictator in Cærites.*

VI. *Qui veniam petunt.* CÆRITES terrore belli, ad quod conficiendum etiam Dictator creatus esset, & propria infirmitate conturbati, & prædationem, & Tarquinienses defectionis autores execrabantur, nec quisquam eorum arma, aut bellum cōtra Romanos parandum censuit. Sed veniam potius erroris infimis precibus postulandam. Missi ergo legati, tum culpam excusabant, quod Tarquinienses per agrum ipsorum infesto agmine transeuntes, traxissent quosdam agrestium eius populationis comites, quæ sibi crimini detur, quos dedere Romanis, aut supplicio afficere parati essent: tum veniam postulabant, veteris commemoratione beneficij, quod in clade Romana Gallici belli, Romanorum sacra fugitiua pie excepissent, riteque procurassent; quæ nunc vt sibi auxilio essent suppliciter implorabant. Flexus est ad misericordiam populus, malens præsentis maleficij, quam veteris beneficij esse immemor. Itaque pax populo Cæriti data, induciasque in centum annos factas, in Senatusconsulta referri placuit. *Et obtinent.*

Falisci vastati. In Faliscos eodem noxios crimine vis belli conuersa est, sed hostes nusquam inuenti, cum populatione peragrati fines essent, ab oppugnatione vrbium temperatum, legionibusque Romam reductis, reliquum anni muris, turribusque reficiendis consumptum est.

ANNVS MVNDI 3702. SEXTAE ÆTAtis, & Imperii Pers. 186. Artaxerxis Ochi 13. Ieddoæ Pontif. 6. Philippi Macedonis 9. Olymp. CVII. an. 1. Archonte Aristodemo. Vrbis Condit. 401. Coss. P. Valerio Publicola, & C. Marcio Rutilio.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 351.

I. *Phayllus bellum sacrū redintegrat.* EXTINCTO Onomarcho, Phayllus eius frater Phocensium rebus præficitur, sub initium Olympiadis centesimæ septimæ, in qua Smicrinas Tarentinus coronatus est cursor. Phayllus autem nec clade fratris, nec causæ iniquitate deterritus, vt damnum acceptum repararet, magnas peregrini militis copias coegit, duplo maius stipendium exoluens; & accitis sociorum auxilijs, factus est potentior. Arma quoque ingenti numero, & aurea, argenteaq; numismata, non segnius quam Onomarchus, fabricatus est; aurea scilicet, atq; argentea donaria, fracta, conflataque, in pecuniam, fouendo bello sacrilego necessariam, conuertebantur. Quæ distinctius tradit Diodorus, quinto ab hinc anno. *Quātam pecuniam, & vnde corrasserit ex Diodoro.* a *Aureos*, inquit, *lateres centum & viginti*, (Sic enim ex Græco legendum, non 360. vt est in versione Latina Rodomani) *a Crœso Lydorum rege dedicatos, duorum talentorum pondere ad moneta vsum conflauit; phialas quoque aureas* 360. *quarum singulæ duas minas habebant; aureiq; leonis, & fœminæ signa, quæ omnia triginta auri talenta pendebāt.* Quod aurum, iuxta argenti æstimationem 4. millia talentorum efficeret: ex donarijs vero argenteis, plus sex millibus tantum, adeo vt summa omnium decem millium talentorum æstimationem excedat. Quam summam non minorem ea, quam postea Alexander in Persarum thesauris acquisiuit, aliqui prodiderunt. Ita Diodorus. *a p. 340.*

VERVM quomodo triginta auri talenta, quatuor millibus talentorum argenti æquiparet non intelligo. Nam ex communi consensu eorum, qui ista examinant, in quibus Villalp. Vna vncia, vel libra, vel talentum auri, duodecim tantum vncijs, libris, vel talentis argēti respondet, & consequenter 30. auri talenta valent trecentis & 60. talentis argenti, non 4. millibus talentorum. Quod si nomine argenti vulgarem pecuniam ex ære vel ferro intelligat, aut aliquam ex commistione metallorum conflatam, nihil certi expondere colligi potest. *II. Eius supputatio improbatur.*

Ad Phayllum porro Lacedæmonij mille armatos, Achæi duo millia, Athenienses quinque millia peditum, & quadringentos equites, quos ductabat Nausicles, misere. Lycophron quoque Phæreorum tyrannus, post interitū Onomarchi auxilio destitutus, Phæras in manus Philippi tradidit, & data fide dimissus, cum duobus millibus ad Phayllum se contulit. *Auxilia Phaylli.*

PHAYLLVS ergo cum exercitu in Bœotiam progreditur, contraq; Thebanos leuiora aliquot prælia infeliciter commisit; & nihilominus vi aliquot vrbes Locrensium in Achaia expugnat, diripit, exscindit: moxque lenta correptus tabe, diu cum morbo conflictatus interque sæuos cruciatus, prout impietati hominis congruebat, vitam finiuit. Scribit Pausanias, b ei vixdum ad imperandum aggresso, in somnis oblatam esse speciem hominis æneam, qualis in donatijs Apollinis visebatur, cui ex diuturniore morbo carne consumpta, sola ossa remanerent; cui cum se similem factum videre visus esset, paucis post diebus macie contabescens somnij euentum impleuit. Hæc ille, significans vix paucis diebus hunc Phayllum Phocensibus præfuisse. At res ab eo gestæ facile annum vnum explere possunt. Reliquit autem moriens, qui Phocensibus deinceps præesset, Phalæcum, Onomarchi filium vixdum pubertatem ingressum, adiuncto ei curatore, vno de suis familiaribus Mnasea; qui mox à Bœotis, cum ducentis Phocensibus occisus est. Hæc de bello sacro hoc anno Diodorus, & Gemistus l. 2. *III. Phaylli in Bœotia rebus.* *Et tabido moritur.* *b Lib. 10. p. 321.* *Phalæcus fratri succedit mortuo.*

INTEREA Philippus, cum Phæreos à Tyrannide liberatos in libertatem pristinam vindicasset, cæteris rebus in Thessalia compositis, versus Pylas contra Phocenses copias ducit; sed cum ei transitus ab Atheniensibus negaretur, in Macedoniam se recepit. Sed hæc Diodori vehementer Iustinus exaggerat. c vbi inter alia. Athenienses audito belli euentu, ne in Græciam Philippus transiret, angustias Thermopylarum, pari ratione sicut antea aduenientibus Persis, occupauere. (Verum ea gloria non Atheniensium, sed Leonidæ, & Spartanorum fuit) sed nequaquam simili aut virtute aut causa, siquidem tunc pro libertate Græciæ, nunc pro scelere publico; tunc à rapina hostium templum vindicaturi, nunc aduersus vindices, templorum raptores defensuri. Agunt se propugnatores sceleris, cuius maxime omnium vltores esse debuerant, tot beneficijs ab eo Deo affecti, &c. *IV. Philippus contra Phocenses mouet.* *c lib. 8.* *Ei Athenienses transitum negant ad Thermopylas.*

HÆC quoque accusatio Demosthenem petit. De ipso enim Dionys. op. ad Ammæum; Theodemum prætorem secutus est Aristodemus, sub quo Demosthenes contra Philippum concionari cœpit, & apud populum verba fecit, de mittendo conductitio exercitu, & decem celeribus triremibus in Macedoniam: vt scilicet domi occupatus, in Græciam transire, eamque turbare non posset. Neque vero tam accusandi Athenienses, quod Philippum infidum hominem Græcia prohibuerint, quam ille, *V. Demosthenes in Philippum agit.*

specie

specie belli Phocensis, occupare conaretur; quam qood ipsia Phocensibos auailio peditum equitumque, contra Bœotos, Thebanosque sacrilegij vindices summisissent. Hoc eodem tempore scriptam à Demosthene orationem, quæ est contra Aristocratem, testatur Dionysius eodem loco.

VI. *Isocrates Panegyricam edit.* PANEGYRICAM etiam ab Isocrate hoc tempore editam, quindecim annis ante mortem eius, aliqui apud Plutarch. in eius vita, in op. to. oratorum, tradiderunt; tot enim annis ab eius morte distat hic annus: ipse autem videtur sentire decem tantum annis ante mortem fuisse editam. Quamquam ambiguus est locus in græco. Nam isti anni non solum de vita authoris, qui sensus magis placet, sed de mora scriptionis accipi possunt, quo modo videtur eos accepisse interpretes Isocratis, in argum. Panegyrici. Conuenit autem editam hoc tempore istam orationem, quo totius Græciæ conuentus, ineunte noua Olympiade, celebrabantur. Sed & argumentum de bello à Græcis in Barbaros suscipiendo, huic tempori minime repugnat; quo & Atheoienses duce Charete, & Thebani Pammene præfecto, contra regem Persarum pro Artabazo pugnauerunt. *An ex aliis mutuata Rhetoribus.* Cæterum quod ait Plutarchus fuisse qui dicerent nobilissimam illam scriptionem, quamq; sibi antoi mirifice placet, è Gorgiæ Leuntini, Lysiæque scriptis esse mutuatam, apud me fida caret. Quod enim Isocratis esset os, eam magnifice iactare orationem, quam tota Græcia plagiariam esse facile conuinceret? vtriusque enim scripta in omnium manibus erant, ipsique scriptores paulo ante è viuis excesserant.

VII. *Contentio de consulatu inter Patres ac Tribunos.* ROMÆ cum tempus comitiorum appeteret, Dictator ea habere, & Consulatum apud Patricios retinere moliebatur, vsque adeo, vt mallet è Rep. tollere Consulatum, quam eum promiscuum patribus ac plebi facere. Triboni contra comitia haberi non patiebantur, nisi sibi plebeius consul restitueretur. Prolatandis igitur comitijs, cum Dictator magistratu abijsset, res ad interregnum redijt, & vsque ad vndecimum interregem, seditionibus certatum est (id tempus duorum fere mensium fuit, si quini dies singulis interregnis more maiorum tributi sunt, vt ex Liuio constat l. 1. vbi de morte Romuli.) *Plebs consulatum parat.* Tandem tædio victi patres, lege Licinia de promiscuo consulatu, alterum fieri è plebe Consulem permisere. Itaque P. Valerio Publicolæ datus ex à plebe Collega, C. Marcius Rutilius.

VIII. *Viri mensarij.* NOVI Coss. solutionem æris alieni in publicam curam verterunt, eamque in rem Quinque viros mensarios creauerunt, quorum eximio studio atque industria, via ingens æris alieni, non solum sine iniuria, sed etiam sine querela partis vtriusuis exhausta est.

Iulius Dictator. Inde vano terrore belli Hetrusci C. Iulius in castris Dictator dictus L. Æmilium habuit Mag. eq. Cæterum foris tranquilla omnia fuere, domi autem à Dictatore tentatum vt noui consules patricij crearentur, sed res ad interregnum redijt.

ANNVS MVNDI 3703. SEXTAE ÆTATIS, & Imperij Pers. 187. Artaxerxis Ochi 14. Ieddoæ Pontif. 14. Philippi Macedonis 10. Olymp. CVII. an 2. Archonte Thessalo, siue Thecllo. Vrbis Con: 402. Coss. C. Sulpitio Petico, & T. Quintio Pœno Patricijs.

Diodor. Dionys. ad Ammæum

ANNVS ANTE CHRISTVM, 350.

I. *Thebani Persico accepto.* IN Græcia nihil memorabile hoc anno gestum tradit Diodorus nisi quod Thebani belli Phocensis laboribus defessi, & exhausti sumptibus, missis ad regem Persarum legatis, ab eo trecenta argenti talenta dono acceperunt. Quo artificio tantum pecuniæ vim obtinuerint, nō tradit Diodorus. Existimo autem id à Rege factum, quod *Ab eo pecuniam accipiunt.* auxilia ab ipsis, quos fortissimos esse didicerat, in expeditionem Ægyptiacam expectaret, quæ etiā mox obtinuit, vt dicemus. Quodque eos iam inde à Xerxis temporibus, amicos, fautoresq; Persarum esse didicisset: quæ etiā causa fuit, vt inter omnes Græciæ legatos, primas apud regem obtinerent, vt supra ex Xenophonte dicebamus. *a*

a Olymp. 103. a. 1.

II. *Noua defectiones à Persis.* IN Asia vero Ægypto, Phœnicia, Cypro, grauissima bella renouata sont: & huic Chronologiæ præter Diodorū, astipulatur Eusebius, & Gordonus. Cum enim, vt ait Diodorus in hunc annum, Ægyptij à Persis superioribus annis impune defecissent. *Ochus inertia belli.* Quod Artaxerxes cognomento Ochus, bellicæ rei studio non teneretur, sed omnia per præfectos ageret, quorum tum perfidia, tum imperitia nō exiguas sæpenumero clades accepisset. *Arma parat.* Nunc animaduertens Phœnices & Cyprios contemptum Ægyptiorum, & petulantiam imitari, ipse per se bellum defectoribus inferre statuit; eamque in rem magnam armorum, militum, triremium, commeatuum vim coegit. In Phœnicia bellum exortum, dum Regij præfecti in Sidonios acerbius se gerunt; qui etiam reliquos Phœnices, libertatis cupiditate allectos, ad defectionem impulerunt, simulque legatos ad Nectonabum regem Ægypti Persarum hostem de belli societate mittunt, triremes ædificant, peregrinum militem mercede contrahunt, omne genus armorum, telorum, commeatuumque comparant, vt qui diuitijs, ex diuturna pace, & multiplici mercaturæ commercio abundabant.

III. *Sidonij in Persas iniurij.* VT autem hostilis iniuriæ exordium facerent, Regium Persarum hortum arboribus consitum, excisis arboribus deuastarunt, fœnum ad regiorum equorum vsum collectum incenderunt, Persas denique, à quibus contumeliosius tractati fuerant, ad supplicium rapuere. Postremò operam dedisse videbantur, ne eis Rex, si maxime vellet, posset ignoscere. Verum Rex barbarus paulo post eorum culpas, vindictæ atrocitate ac crudelitate, longe multumque superauit.

Contractis igitur Babylone magnis peditum equitumque agminibus, confestim in Phœnices mouet. Dum autem Rex esset in itinere, Syriæ, & Ciliciæ Præsides coniunctis viribus bellum Phœnicibus facessunt. *Tennes verò cum Satrapas vincit.* Tennes contra Sidoniæ Rex ab Ægyptijs 4. millia Græcorum militū stipendia facientium, quibus Mentor Rhodius cum imperio præerat, in subsidium acceperat: cum his & ciuium delectu Satrapas aggressus, victor euadit, hostesque è Phœnicia expellit.

IV. *Terrentur Persarum aduentu. Mentor Chedunt prodit ne Regi.* INTEREA Rex magnis cum copijs atque apparatu aduentans, hostem timore ipso perterruit. Nam Mentor, quem Sidonij ducem acceperant, existimans suorum copias regijs sustinendis pares esse non posse, saluti suæ consulere non fuga priuatim, sed Sidoniorum proditione constituit. Itaque Thessalionem quendam sibi fidissimū ad Artaxerxem mittit, promittitque se et Sidonios proditurum; insuperque bello Ægyptio vtilissimam operam nauaturum, qui locorum Ægypti magnam habeat notitiam, ex more sua in Ægyptū, cum pro Nectanabo militaret, comparatam. Sieque Græcæ fidei bumo, vna proditione duo regna florentissima perdidit: vtroque nomine grauiter accusandus, siue quod accepta pecunia rebelles Persarum fouit, siue quod in fidem acceptos perfide prodidit: quos Regi conciliare omni studio, atque opera debuisset.

V. *Et Tennem ad fœdum proditionis trahit.* THESSALIO fide à Rege accepta, & dextræ datione confirmata, non solum nihil damni accepturum Mentorem, sed magnis omnino premijs donatum iri, Mentorem adit, eique regis promissa nunciat. Ipse etiam Tennem Sidoniorum regem, miserum dictu, in proditionis societatem eodem vel metu vel spe subiugatum, pertraxit; sed non impune, vt sequens historia docebit.

Centum primarios ciues Ocho tradit. Cum ergo Rex Ochus non procul Sidone castra locasset, Tennes, relicto Mentore in quadam vrbis parte ad proditionem promouendam, Ipse cum quingentis militibus ex oppido egrediens, ad conuentum publicū Phœnicum se pergere simulabat; habebat autem in comitatū centum primariæ nobilitatis ciues, quasi cōsiliarios. Hos, quamprimum ad regem accessêront, comprehensos Arta-

Artaxerxi tradit. Qui Tennem vt amicum comiter accipiens, centum illos tanquã defectionis autores, iaculis configit.

VI. *Sidonij 500 legatos de pace ad Ochum mittunt.* INTERIM Sidonij siue proditionẽ suspicantes, siue sibi diffidentes quingẽtos è primoribus ciuitatis, habitu supplicum, oleæ ramis ornatos, ad Regem placãdum misere. Tum Rex vocatum ad se Tennem interrogat, num ei vrbem, sine certis conditionibus, tradere possit, (Quouis alio potius modo, quam pactione, vrbe potiri cupiebat, vt in eam exemplum seueritatis ederet, in quod reliquæ vrbes intuentes obstupescerent, vltroque se dederent.) Id cum se facturum Tennes recepisset, Rex quingentos illos supplices iaculis confixit. *Qui iaculis configuntur.*

Tennes proditor vrbe occiditur. Deinde Tennes, persuasis mercenarijs Ægyptijs, vt se cum rege intra mœnia reciperent, vrbem Artaxerxi tradit. Qui videns Tennis operam sibi vltra minime necessariã, cum meritissimo supplicio interfici iussit, qui populi sui prædonem ac proditorem egisset, non regem, ac proditorem Mentorem autem cui fidem dederat, & cuius opera in Ægypto egebat, reseruauit.

VII. *Sidonij se cum vrbe cremant.* AT Sidonij, qui naues suas vltro incenderant, ne quis priuatim sibi fuga consuleret, sed pro patria omnes, vel cum patria perirent, cum vrbem captam, seq; vndiq; hostibus circumfusos à suis, amicisque nefarie proditos viderent, se cum liberis, & vxoribus intra ædes conclusos incendio tradidere, totaq; vrbs funditus conflagrauit. Cuius etiam aream, auro argentoque liquefacto imbutam, multis talentis Rex vendidit, & alias vrbes, tanta clade attonitas, illico in deditionem accepit.

Hoc quoque anno bellum in Cypro renouatum, proximo anno, in quem illud differimus, ex Persarum sententia confectum est. Theello prætore Demosthenes Rhodientem habuit orationem, qua iusdet Atheniensibus, vt paucorum dominatu apud illos abrogato, libertatem populo restituant.

VIII. *Consules patricij fiunt.* ROMÆ autem cum Dictator frustra conatus esset vtrumq; consulem creare patricium, id tamen Interreges C. Sulpicius & M. Fabius interpositi obtinuere, mitiore iam plebe, ob recens meritum leuati æris alieni. Ad bellũ ambo Consules profecti, Faliscum Quintius, Sulpitius Tarquiniense, nusquam acie congresso hoste, cum agris magis, quam cum hominibus, vrendo, populandoq; bella gesserunt. Qua clade quasi tabe victa, atq; afflicta est vtriusque populi pertinacia, vt primum à Consulibus, deinde à Senatu inducias peterent, quas in annos quadraginta impetrarunt. *Falisci & Tarquinienses populantur. Et ad pacem coguntur.*

IX. *Censura plebi communicata.* QVONIAM vero solutio æris alieni multarum rerum mutauerat dominos, censum agi placuit. Cumq; creandis Censoribus comitia indicta essent, C. Martius Rutilius, qui primus Dictator de plebe fuerat, concordiam ordinũ turbauit. Consules negarũt se eius rationem habituros; sed ipse constantia inceptum obtinuit, Tribunis quam maxime adnitentibus, & contendentibus, vt per eundẽ, qui ad Dictaturam Plebi aperuisset viam, pateficret etiam ad Censuram. Nec variatum comitijs est, quin cum Manlio Nævio Censor Martius crearetur. Nec propterea tamen patres, quantouis conatu, creato etiam de industria in eam rem Dictatore, Consulatum apud solos patritios retinere potuerunt. *Martius Censor, qui ante Dictator e plebe.*

ANNVS MVNDI 3704. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Persarum 188. Artaxerxis Ochi 15. Ieddoæ Pontif. 15. Philippi 11. Olympiadis CVII. an. 3. Archonte Apollodoro. Vrbis Conditæ 403. Coss. L. Cornelio Scipione, & M. Popilio Lænate.

ANNVS ANTE CHRISTVM 349.

I. *Bellum Cyprium.* BELLVM Cyprium superiore anno inchoatum, isto confectũ est, quemadmodum & Ægyptium: vtrunque ex Diodoro, in hunc & præcedentem annum compendio referemus.

Ab Euagora principe oppugnatur. Erant in Cypro nouem magni nominis ciuitates, quarum singulæ regulos suos habebant Persæ subiectos, qui omnes Phœnicum exemplo desciuere, & necessarijs ad bellum præparatis, merum regnis suis imperium arrogabant. Ea re cognita Ochus per literas ab Idrieo Carũ principe, Persarum socio contendit, vt copias in Cyprum paret. Is 40 triremes, cum octo millibus duce Phocione Atheniensi, & Euagora Cyprio, in Cyprum mittit, qui eo transgressi Salaminam terra marique oppugnare cœperunt, ad quos sponte plerique ex Syria & Cilicia spe prædæ confluxere, vt duplicatus iam esset exercitus.

Deditione facta. Dum Protagoras Salaminis Rex obsidionem tolerat, reliquæ omnes vrbes se Persis submisere. Euagoras autem paternum sibi regnum asserebat, & Regis Persarum auxilio, restitutionem in pristinam fortunam moliebatur. Quibus animaduersis Protagoras, ipse quoque Regi Persarum sese subijciens, regnum Salaminis, irritis Euagoræ conatibus retinuit.

II. *Ochus in Ægyptum exercitum ducit.* INTEREA Persarum Rex, cum post excisã Sidonem auxiliares copias ab Argiuis, Thebanis, & Græcis Asiæ oppidis accepisset, cum eis Ægyptum versus proficiscitur. Ad magnam vero paludem, inquit Diodorus, vbi quæ Barathra nominantur occurrunt, per imperitiam locorum exercitus partem amittit; Barathra voragines vertit interpres, eadem Subonis palus à Ptolemæo dicitur, cuius situs est Palæstinam inter & Ægyptũ; qua de re vide Thes. Ortelij. Post voragines illas superatas Rex Pelusium venit ad primum Nili ostium, prope eam vrbem Græci castra metantur, Persæ ad 40. stadia.

Pelusium oppugnatur. Thebanorum fortitudo. Inter Græcos Thebani, qui fortitudinis gloriam præ omnibus socijs ambiebãt, conatu audacissimo fossa quadam superata, cum præsidio quod Pelusio, erupĕrat, pertinaci pugna certauere, donec certamen nox ipsa dirimeret. Postridie Rex copias Græcorum tripertito diuisit, quas decem millium fuisse Diodorus scribit; & vnicuique agmini duos præfecit duces, Græcum vnum, alterum Persam: singulis autem agminibus multas peditum, equitumque barbarorum, aut triremium copias adiunxit. Rex ipse reliquum agmen penes se retinens, summæ totius belli intentus erat. *Copiæ Persarum.*

III. *Copiæ Ægyptiorum Nectanebo rege temerario, & superbo.* His copijs Ægyptij etiam ingentem exercitum, & omnem belli apparatum obijciebant. Nectanebos enim Ægypti rex in armis habebat 20. millia Græcorum, qui stipendia facerent, & Afrorum totidem, Ægyptiorum autem illorum, qui bellatores ab ipsis dicebantur, 60. millia; præter naues, & vrbium, ac castellorum præsidia. Nihilominus per consilij inopiam, & imprudẽtiam, de summa rerum deiectus est. Cum enim iam dudum non suis, sed Græcorum auspicijs Persas vicisset, in superbiam elatus, sibi victoriam tribuens, neminemque in partem administrationis admittens, omnia perdidit.

Pelusium, aliæque vrbes deditæ. Ad Pelusium primo egregiè pugnatum vtrinque est, donec cognito regis in vrbem Memphim discessu, Pelusij deditio Thebanis facta est. Mentor Bubastum, aliasque vrbes fraude in potestatem recepit. Cum enim omnes tã Græcorum, quam Ægyptiorum præsidijs teneri sciret, rumorem per castra spargi curat, constituisse Artaxerxem quam humanissime excipere eos, qui se sponte dedidissent: ijs autem quos vi expugnasset, parem cum Sidonijs exitum expectandum esse. Id nuncium cum à transfugis in vrbes Ægyptias esset infusum, seditiones inter Græcos & Ægyptios exortæ sunt, vtrisque alios in deditione facienda anteuerterent, & vtri gloriam occupatæ vrbis attribuerent. Quæ causa fuit vt Bagoas summum capitis discrimẽ adierit Bubasti, cum medijs copiarum suarum parte interclusus: sed opera Mentoris periculo exemptus, eius viri amicitiam deinceps tota vita coluit. Bubasti deditionem cæteræ quoque vrbes certis conditionibus secutæ sunt.

IV. *Nectanebi ignominiosa fuga. Victoria Ochi.* INTEREA Nectanebus Memphi subsistens, cum Persarum progressus videret, non est ausus pro conseruando imperio sese periculo committere, sed spe regni abiecta, conuasatis plerisque thesauris, in Æthiopiam exulatum abijt. Artaxerxes tota Ægypto potitus, nobilium vrbium mœnia destruit, fanisque spolians, ingentem auri

argenti-

argentique vim coaceruat. Commentarios denique ex templis antiquis secum asportat, quos tamen aliquanto post sacrificuli à Bagao grandi pecunia redemerunt. Postremo Græcos magnis muneribus exornatos domum dimittit. Ipse relicto ad Ægypti administrationem Pherendate, Babylonem gloria clarus, spolijsque onustus reuertitur. Quæ ad hunc ipsum annum retulit Eusebius in Chronicis.

V.
Iudæos ex Ægypto transfert.

Qvo etiam pertinent, quæ apud eundem ad annum Ochi septimum male relata sunt, de translans ab eo Iudæis in Asiam ex Ægypto: nondum enim eam expeditionem Ochus susceperat. Eade re ita Paulus Oros. Ochus, qui & Artaxerxes post transactum in Ægypto maximum diuturnumque bellum, plurimos Iudæorum in transmigrationem egit, atq; in Hyrcania ad Caspium mare habitare præcepit: quos ibi in hodiernum diem amplissimis generis sui incrementis consistere, atque eainde quandoque erupturos opinio est. Alludit Orosius sine dubio ad ea, quæ scribit Euseb. in Chron. vbi D. Hierony. *Ἀποδασμὸν* pro vrbe videtur accepisse: idque non improbat Pontac. Recte tamen Orosius videtur Eusebium interpretatus, itaque sentit etiam Scaliger. Historiam porro ipsam non inuenio qui scripserit, ea quo Eusebius mutuatus sit.

VI.
Dictator comitiorum causa.

Romæ autem Dictatorem hic annus habuit M. Fabium, nullo terrore belli, sed ne Licinia lex de promiscuo magistratu comitijs consularibus seruaretur. Magister eq. Dictatori additus Q. Seruilius. Victi nihilominus sunt patres in comitijs consularibus, sicut ante fuerant in censorijs. M. Popilius Lenas è plebe factus est Consul, quem fortuna illustriorem fecit. Nam collega morbo detento, ipse in Gallos, qui in agro Latino castra posuerant, cum 4. legionibus profectus, cum in tumulo quodam, ad agnoscendas hostium vires consedisset, ibidemque castris muniret locum, Galli prælium ineunt, sed Romana virtute, & loci iniquitate victi, magna cum strage funduntur. Rursumque redintegrato in planicie prælio, etsi vulnerato Consule, ferociores facti Romani ex proxima victoria, & ducis sui adhortatione, pulsis dissipatisq; hostibus, victoriam renouant, atque confirmant. Illi arcem Albanam ea fuga petunt: hi castris direptis, victores, spolijsq; opulenti Romam reuertuntur. Moram triumpho vulnus Consulis attulit, eademq; causa Dictatoris desiderium Senatui fecit, vt esset qui ægris Consulibus comitia haberet.

Plebeius Consul Gallos vincit.

ANNVS MVNDI 3705. SEXTÆ ÆTAtis, & Imperii Persarum 189. Artaxerxis Ochi & Ieddoæ Pontif. 16. Philippi 12. Olympiadis CVII. an. 4. Archonte Callimacho. Vrbis Conditæ 404. Coss. L. Furio Camillo, & Ap. Claudio Crasso.

ANNVS ANTE CHRISTVM 348.

I.
Ochus Mentorem proditorem in sublime euehit.

Artaxerxes Ochus Ægyptio bello ex animi sententia confecto, animaduertens Mentorem Rhodium ad eam victoriam magnum omnino momentum attulisse, eũ præ cæteris amicis, muneribus ac præfecturis in altum extulit, præter centũ argenti talenta ei tradita: parũ cogitans se proditorẽ in sublime euehere, à quo postea ipsemet deijciendus esset in præceps. Magnis ergo muneribus, spolijsque preciosis locupletatum, Asiaticæ oræ præfectura, quæ iampridem à filijs regum ambiebatur, donauit: bellique contra defectores administrationem, nondum enim erat conscriptum, ei cum summa potestate commisit, quod & feliciter confecit.

II.
Mentor Regi Artabazum, & Memnonem reconciliat.

Cvm vero Mentori necessitudo intercederet cum Artabazo & Memnone, qui Persis bellum non ita pridem intulerant, iamque ex Asia profugi, apud Philippum in Macedonia commorabantur, regem supplicando inflexit, vt culpam viris condonaret, & statim vtrumque ad se cum omni familia accerseret. Erant enim Artabazo ex Mentoris & Memnonis sorore vndecim filij, & decem filiæ, qua liberorum multitudine delectatus Mentor, filios adolescentes ad nobilissimas militiæ præfecturas pallatim euexit.

III.
Hermeam Atarnensium ducem capit.

Primam autem expeditionem suscepit contra Hermeam Atarnensium tyrannum. (Erat autem olim Atarna oppidum Mysiæ ad Hellespontem, è regione Lesbi situ, vbi Hermæas hic regiam habebat.) Quem Artaxerxi rebellem, vrbibusque & præsidijs compluribus munitum, Mentor fraude circumuentum cepit, & omnibus spoliauit. Nam promissione veniæ ad Rege impetrandæ allectum, cui fidem faciebant recens reconciliati Artabazus, & Memnon, ad colloquium adduxit, & in vincula coniecit, eiusque annulo signatorio potitus, literas ad vrbes passim dedit, ipsius nomine, significans eum Regi per Mentorem reconciliatum, simul etiam, qui castella Regis nomine reciperent, mittebat; quibus literis cum fidẽ haberent vrbium præfecti, pacem cupide amplexi, vbiq; arces & oppida Regi permiserunt, sicque recuperatis defectorum vrbibus sine vllo damno, magnam apud Regem gratiam inijt. Nec minus alios etiam duces à Rege alienatos, partim vi subactos, partim arte circumuentos, omnes breui debellauit.

IV.
Philippi in Thraciam expeditio.

Interea Philippus Chalcidicas Thraciæ vrbes infesto exercitu adortus, Giram, siue Zeiram castellum expugnatum diruit, nonnullaq; oppida formidine iniecta imperata facere coegit, Pherasq; Thessaliæ denuo aggressus, Pitholaum Lycophronis socium, qui eo rursus irrepserat, rursus eiecit. Tacet Diodorus Pherasne renuerit, an liberas iterum reliquerit. Sed Demost. orat. 3. in Philippum aperte testatur eum Pheras occupasse. *Quin & Pheras nuper, vt amicus & socius in Thessaliam ingressus, occupauit, & tenet. Ac postremo miseris illis Oritis dixit, se misisse ad eos ex beneuolentia milites, qui eos viserent. Audire enim se, laborare illos, ac seditionibus agitari. Esse autem socij, ac veri amici huiusmodi adesse temporibus.* Ita Demosth. quod autem in Oritis factum dicit, hoc quoque in Phæraos factum, qui toties à tyrannis vexati ac liberati fuerant, facile est æstimare.

Pheras occupat.

V.
Quid de eo Iustinus.

Hvc omnino videtur Iustinus alludere l. 8. Nec Philippus, inquit, melioris fidei aduersus socios fuit. Quippe velut timens ne ab hostibus sacrilegij scelere vinceretur, ciuitates, quarum paulo ante dux fuerat, quæ sub auspicijs eius militauerant, quæ gratulatæ illi, sibique victoriam nactæ fuerant, hostiliter occupatas diripuit: coniuges, liberosq; omnium sub corona vendidit: non deorum immortalium templis, non ædibus sacris, nõ dijs penatibus publicis priuatisque, ad quos paulo ante ingressus hospitaliter fuerat, pepercit. Prorsus vt non tam sacrilegij vltor extitisse, quam sacrilegiorum licentiam quæsisse videretur. Hæc Iustinus; quæ à Diodoro prætermissa omnino sunt; nec satis intelligi potest vtrum ille in Philippum iniquior, iste amicior fuerit. Certe cum Demosthenes, qui toties in Philippum inuehitur, nihil huiusmodi sacrilegiorum referat, Iustini hæc oratio declamationi propior, quam historiæ merito videatur.

In Philippum declamat.

VI.
Olynthiaci belli quando gestum vide Schol. hoc anno in vita Demosth.

Cæterum Halycarnass. in opusc. sæpe citato ad Ammæum, ait Callimacho Prætore Demosthenem tres habuisse conciones, quibus autor fuit Atheniensibus, auxilia mittendi Olynthijs, quos bello premebat Philippus. Idem etiam refert paulo post ex Philochoro l. 6. historiarum Atticarum; idemque habet Plutarchus in vita Demosth. in opusc. in quo 10. oratorum vitas scribit. Quibus assentiri magis placet, quam Diodoro Siculo, qui Olynthiacum bellum in annum seq. differt. Quod videtur Demosthenes ipse refutare, in orat. de falsa legat. vbi ait priusquam belli annus exiret, oppida omnia Chalcidicæ ditionis proditores perdidisse. In oppidis autem Chalcidicæ, haud obscura ibidem Olynthum numerat. At Diodorus fatetur Philippum hoc anno Chalcidicas vrbes bello esse adortum, ergo & Olynthum bello petijsse fateatur necesse est. Verum conciliari inter se possunt ambæ sententiæ, vt Olynthiacum bellum hoc anno inchoatum, sequenti sit absolutum. Nam vnicus belli annus, quem Demosthenes memorat, ad duos annos potest per-

tincte, prior scilicet pars ad Callimachum, posterior ad Theophilum, quam propterea ad initium sequentis anni reijciemus. Præsertim cum Halycarnasseus in eodem opusculo aliquanto post, disertis verbis asserat Philippum Theophilo prætore Olynthiorum vrbe esse potitum. Idem testatur Plutarch in op. 10. oratorum. Suidas in verbo *Charaxus* triginta duas vrbes Chalcidicæ regionis à Philippo captas tradit: Demost. in 3. Philippica eas etiam in Thracia ponit, vt dicam anno sequenti Chalcidicam Ptolemæus in Macedonia, Stephanus in Thracia locat, cum Demosthene. Hæc de tempore.

VII. *Causa belli Olynthiaci.* Causam huius belli contra Olynthios tradit Libanius quòd cùm Olynthij magnos Philippi progressus haberent suspectos, missis legatis pacem cum Atheniensibus, captata Philippi absentia, fecerant, quo facto initum cum Philippo fœdus violabant. Philippus autem, qui iampridem belli causam contra Olynthios quærítabat, hanc violati fœderis occasionem libenter arripuit, eisque bellum, quasi fœdifragis intulit numeroso cum exercitu, vt ait Diodor. & duobus initio prælijs victos, ad tolerandam obsidionem adegit. Verum longe aliam huius belli causam Iustinus lib. 8. suggerit. Olynthios, inquit, aggreditur, receperant enim per misericordiam, post cædem vnius, duos fratres eius, quos Philippus ex nouerca genitos, veluti participes regni, interficere gestiebat. Ob hanc igitur causam vrbem antiquam & nobilem exscindit &c.

VIII. *Copiæ Olynthiorum.* De copijs Olynthiorum sic Demosth. de falsa legat. *Cum largitiones, inquit, inualescerent, quamuis equites mille haberent, & plures essent decem millibus, & cum finitimis omnibus societate coniuncti, quamuis vos decies mille conductitios, & triremibus quinquaginta opem eis tulissetis, & quater mille præterea ciuibus, nihil horum eis saluti esse potuit. sed priusquam belli annus exiret, oppida omnia Chalcidica ditionis proditores perdiderunt.* Quibus verbis bis missa ab Atheniensibus auxilia Olynthijs declarat, primo quidem conductitiorum, deinde ciuium, prout Demosthenes postularat; cuius prima Olynthiaca decretum de auxilijs, altera auxilia conductitia, tertia denique ciuica impetrauit, bis mille ciuium armatorum, cum 17. triremibus, & trecentis equitibus. Has copias exactius describit Philochor. l. c. atque tet missa auxilia ad Olynthios, primum velites bis mille, & triremes 30. cum Charete, secundo Charidemum, qui cum exercitu erat in Hellesponto, eodem destinasse. Postremo illos quos dixi ciues.

IX. *Philippus Olynthum oppugnat.* Olynthum oppugnaturus cum 40. ab vrbe stadijs abesset, edixit alterutrum fieri oportere, vel Olyntho illis excedendum, vel sibi Macedonia, vt ait Demosth. 3. in Philippum: ostendens nullum paci, aut rebus amice componendis locum superesse. Sub obsidionis tempus Philippus crebris oppugnationibus tentauit vrbem, & magnam suorum vrbem subeuntium iacturam fecit, ait Diodorus. Quomodo autem capta denique sit, dicemus anno sequenti. Eodem prætore Callimacho Demosthenes Midianam scripsisse orationem affirmat Dionys. loc. cit. aduersario populi suffragijs condemnato.

X. *Romæ Dictator fit Consul.* Romæ comitiorum causa Dictator dictus est L. Furius Camillus, addito Mag. equitum P. Cornelio Scipione; qui, vt ait Liuius; reddidit patribus possessionem pristinam Consulatus. Ipseque ob id meritum ingenti patrum studio creatus Consul, collegam Appium Claudium Crassum dixit, quæ verba subobscura mox Liuius ipse interpretabitur. Priusquam inirent noui Consules magistratum, Triumphus à Popilio de Gallis actus est, magno fauore Plebis; mussantesque inter se rogitabant, num quem plebeij Consulis pœniteret; simul Dictatorem increpabant, qui legis Liciniæ spretæ mercedem Consulatum, priuata cupiditate, quam publica iniuria fœdiorem cepisset, vt se ipse Consulem Dictator crearet. Eius nihilominus Consulatum Galli non minus insignem fecere.

XI. *Galli & Græcorum classis ad urbem.* Galli enim quia hyemis vim pati nequiuerant, ex Albanis montibus in campos effusi, eos vagi populabantur. Inferum quoque mare, oraque littoris infesta classibus Græcorum erat: verum non leui Romanorum bono, prædones maritimi cum terrestribus congressi, ancipiti prælio decertaruot, deque victoria dubij vtrique, Galli in castra, Græci retro ad naues discesserunt.

Latinorum defectio. Sed longe maiorem terrorem Romanis defectio sociorum Latinorum incussit. Nam Romanis auxiliares copias in Gallos imperantibus, responsum datum est, absisterent imperare ijs, quorum auxilio indigerent: Latinos pro sua libertate potius, quam pro alieno imperio arma laturos.

XII. *Delectus Romæ.* Inter duo simul bella externa, defectione etiam Sociorum Senatus anxius, extendere omnes imperij vires Coss. delectu habendo iussit, qui vrbana agrestique iuuentute collecta, decem legiones quaternum millium & ducenorum, equitumque trecenorum conscripsere. Ad reliqua etiam huius anni mala, illud etiam triste accessit, *Mors Consulis Claudij.* quod alter Consulum App. Claudius in belli apparatu mortuus est. Itaque res ad vnum Camillum redierat, quem nunc Consulem, nuper Dictatorem, Senatus nouo Dictatori sub[...]endum indecorum censuit, vel ob omen faustum Camillorum contra Gallos feliciter decertantium. Consul duabus legionibus vrbis præsidio relictis, octo cum L. Pinario prætore diuisit, quem maritimam oram tutari, Græcosque arcere littoribus iussit. Ipse Gallicum sibi bellum extra sortem sumpsit.

XIII. *Camillus Gallos sine pugna vexat.* Cumque in agrum Pomptinum descendisset, in campis congredi, nulla cogente necessitate nolebat, satis hostem domari credens, si eum populationibus arceret, quem rapto viuere necessitas cogebat. Ergo cum idoneo loco statiua elegisset, ibique quietus ageret, Gallus processit magnitudine atque armis insignis, qui Romanum aliquem ad certamen singulare depoposcit. M. Valerius tribunus militum, trium & 20. annorum adolescens, T. Manlij gloria excitatus, cum bona Consulis venia in medium processit armatus, in cuius galea Coruus *Coruini singulare certamen.* in hostem versus repente dicitur consedisse, camque sedem constanter tenuisse. Sed quotiescumque certamen initum esset, leuantem se alis, os oculosque hostis rostro & vnguibus appetijsse, donec oculis, ac mente turbatum Valerius obtruncaret. Hanc historiam Gellius, a ex Annalibus recitat, & refert in Furij & Appij Consulatum, & annum Vrb. Condit. 405. atque isti Coruino statuam in foro ab Augusto collocatam. *a l. 9. c. 11.*

XIV. *Concurritur, Romani vincunt.* Dum hostem spoliare parat, quietæ adhuc vtrinque acies concurrere, valuitque prærogatiua prælij inchoati, duce atque hortatore Camillo, & inter primos quidem atrox certamen fuit, reliqui, antequam ad coniectum teli venirent, terga verterunt. Et primo per Volscos, Falernumque agrum dissipati sunt. Inde Apuliam, ac mare inferum petierunt. Glareanus & Sigonius legunt mare superum, quod Apulia ad supremum mare sit, vt Volsci ad inferum. Consul concione aduocata, laudatum tribunum decem bobus, aureaque corona donat. Ipse iussus à Senatu bellum maritimum curare, cum prætore iunxit castra. Ibi cum segnitia Græcorum, non committentium se in aciem, tempus inutiliter traheretur, & comitiorum tempus appeteret, Dictatorem comitiorum causa, T. Manlium Torquatum, ex Senatus auctoritate dixit, Dictator Magistro equitum A. Cornelio Cosso dicto, Comitia habuit.

ANNVS MVNDI 3706. SEXTÆ ÆTAtis, & Imperij Persarum 190. Artaxerxis Ochi & Ieddoæ Pont. 17. Philippi Maced. 13. Olym. CVIII. an. 1. Archonte Theophilo. Vrbis Condit. 405. Coss. M. Valerio Coruino, & M. Popilio Lenate IV.

ANNVS ANTE CHRISTVM 347.

HVius anni initia Olynthijs funesta fuere, iuxta ea quæ superiore anno dicebamus. Callimacho, inquit t *Olympias 108.*

Dionys. ad Ammæum, successit Theophilus, sub quo Philippus vrbe Olynthiorum est potitus. Meminit huius anni Pausanias, *a* in quem finem belli sacri refert: aitque Polyclem Cyrenæum victorem de stadio huius Olympiadis 108. anno primo fuisse renonciatum. Demosthenes quoque de falsa legatione, ait Philippum Olyntho capta Olympia celebrasse, & ad id sacrificium, & celebritatem omnes artifices congregasse, excepisse epulis, victores coronasse, muneribus ac promissis onerasse, vt eos in vrbium suarum proditionibus haberet obsequentes, vt ait Diodorus. Sed sacri belli finem, cum communi sententia, in biennium differemus. Huc potius pertinet mors Platonis, vt mox dicemus. Clades autem Olynthi in hunc modum contigit, vt refert Diodorus, & ex eo Gemistus, & ante vtrumque Demosthenes.

a Lib. 10. p. 316.

II. *Olynthus traditur.* Philippvs, ait Diodorus, Euthycrate ac Lasthene, qui summo ibi magistratu fungebantur, pecunia corruptis, eorum perfidia Olynthum obsidione fatigatam, sibi proditam cepit, captamque diripuit, & ciues seruituti addictos, cum reliqua præda venumdedit, & magnis opibus ad reliquas vrbes pari scelere occupandas locupletatus est. Nam hoc ipso tempore, vt scribit idem Diodorus, Micybernam, & Toronem, citra pugnæ discrimen proditione occupauit: quod ei vsque adeo solenne fuit, vt non dubitaret etiam gloriari, regnum suum auro magis, quam armis creuisse. Cumque vrbem quandam præclare munitam capere statuisset, negaretque aliquis eam expugnari posse, rogauit, num fieri non posset vt aurum eius mœnia transcenderet. Sic Diodorus, quod aliter ab alijs refertur.

Philippus vrbes auro capit.

III. *Eadem ex Demosthenis oratione.* Eosdem Demosthenes orat. de falsa leg. Olynthiorum proditionis insimulat. *Cum Lasthenes*, inquit, *ædes suas contexit lignis, dono allatis e Macedonia, & Euthycrates boues multos aluit pretio nemini numerato*, &c. Tum demum videlicet Olynthij perierunt. Et in oratione de corona Tantisper Lasthenes amicus Philippi nominabatur, dum Olynthum prodidisset, tantisper Timolaus dum Thebas perdidisset, tantisper Eudicus & Simus Larissæi, dum Philippo Thessaliam subiecissent. Quo autem studio ad proditionem ferrentur, ostendit, cum ait, eos accipitrem Philippum reddidisse, nec potuisse ad omnium proditorum præsto esse, neque sciuisse quid primum occuparet, & quingentos equites ab ipsis ducibus proditos, cum ipsis armis cepisse.

IV. *Rursum ex Iustino.* Refert Iustinus ob eam causam, quam superiore anno ex ipso retulimus, vrbem antiquam & nobilem excidisse, & fratres olim destinato supplicio tradidisse, prædaque ingenti pariter, & parricidij voto potitum esse. Tres autem illi fratres ex nouerca geniti, fuerunt Archelaus, Aridæus, & Menelaus, quos Amyntas ex Cygnæa genuerat, vt supra an. Vrb. Cond. 392. ex Iustino retulimus. Denique de excisa Olyntho consentit Demosth. in 3. Philip. vbi & confirmat Chronologiam annorum regni Philippi. *b* *Omnia*, inquit, *quæ à Lacedæmonijs per annos 30. peccata sunt, & à maioribus nostris per 70. minora sunt iis, quæ Philippus tribus & decem non totis annis, quibus aliquid esse cœpit* (οἷς ἐπιπολάζει) *in Græcos commisit. At Olynthum quidem, & Methonam, & Apolloniam, & duas & triginta vrbes in Thracia omitto; quas vniuersas adeo crudeliter excidit, vt si accesseris, nec an vnquam habitatæ fuerint facile dicas, & gentem tantam Phocensium deletam taceo &c.* Sic ipse. Verum quæ de Phocensibus deletis tradit, post sequentem annum contigerunt, sed augendi causa, quæ sunt eiusdem argumenti congerit orator, qui hanc orationem habuit post annos aliquot à pace cum Philippo facta. Illæ autem 32. vrbes ad hunc annum decimum tertium Philippi pertinent, vt proximo anno planius fiet.

b *Demosthenes*, 617.

V. *Mors Platonis.* Mors Platonis hunc ipsum annum insignem facit. Nã eum hoc anno Archonte Theophilo defunctum testatur Dionys. ad Ammæum, *c* & Athenæus sub finem l. 5. Laert. in vita Aristotelis, & rursum in vita Platonis init. *Moritur*, inquit, *vt Hermippus tradit, primo anno centesimæ octauæ Olympiadis, in nuptiis discumbens, octogesimum & primum ætatis agens annum* (cæterum de eius natiuitate anno 4. Olymp. 87. diximus, ex quo apparet eum totas viginti Olympiadas viuendo expleuisse.) Idem Laert. aliquanto post. ex Phauorino in 3. Comment. refert eum defunctũ decimo tertio regni Philippi anno, quem index huius anni præfert. In hunc quoque annum refert mortem Platonis Plutarch. in op. 10. oratorum, & Cic. lib. de Senect. *Qualem*, inquit, *Platonis senectutem accepimus, qui vno & 80. anno scribens est mortuus*. Suidas autem cum de Olympiade consentiat, duos tamen supra 80. annos vixisse tradit, si à numeris mendum abest. Mortuum autem, & nuptiarum, & corporeæ omnis commistionis expertem, cum in festo epulatus dormiret.

c Lib. 5. p. 217.

VI. *Alia de eius morte fama.* Addo illud ex Laertio in Platonis vita. *Myronianus in similibus, ait Philonem meminisse prouerbij de Platonis pediculis, quasi sic ille defecerit*. Hæc ibi. Sepultus est autem in Academia, vbi plurimum temporis philosophatus fuerat, vnde & quæ ab eo fluxit secta Academica est appellata; in qua statim ei Speusippus successit. Corpusculum clarum honorifice, & ab ijs, qui frequentes conuenerant conditum. Sic Laertius. Platonis accusationem si quis desiderat, copiosam reperiet apud Athenæum. *d* Eo autem mortuo Aristoteles, qui eum hactenus audiebat, ad Hermeian Atarnei tyrannum abijt, ac triennium cum eo commoratus est, vt ait Dionys. ad Ammæum. Hic est Hermæas ille, quem præcedente anno Mentor regno exuit. Is forte nunc in priuata vita non inops, philosophaticum Aristotele desiderans, eum ad se honestis conditionibus euocauit.

Eius sepultura. *d* Lib. 11. versus fine m. *Aristoteles ad Hermeam migrans.*

VII. *Populi fauor in Coruinum.* Romæ T. Manlius Torquatus comitiorum causa Dictator, absentem M. Valerium Coruinum summo fauore populi, etsi tres tantum & viginti annos natum, Consulem renonciauit. Cui additus est Collega Popilius. His Consulibus nulla memorabilis res cum Græcis à Camillo gesta. Quippe nec illi terra, nec Romanus mari bellator erat. Postremo cum littoribus arcerentur, aqua etiam præter cætera vsui necessaria deficiente Italiam reliquere. Putat Liuius has ad Siciliæ tyrannos pertinuisse. Nam interior Græcia, inquit, ea tempestate intestino fessa bello, iam Macedonum opes horrebat. Et recte ille quidem. Nam Athenienses omnium potentissimi, cum quotidiana Philippi incrementa cernerent, bello ab eo petitis, auxilia subinde missitabant, & per legatos ad conseruandam libertatem suam vrbes hortabantur, & vt proditoribus capitale supplicium decernerent, suadebant; quorum tunc vbique tam ingens erat copia, vt ijs puniendis ciuitates pares esse non possent. Vt refert Diodor. in hunc annum.

Motus Atheniensium à Philippo & proditoribus.

VIII. *Ad sedandã pestem Romæ lectisternium factum est.* Sed redeo ad Romanos, quos à bellis, & seditionibus quietos, vexauit hoc anno pestilentia, ad quam sedandã inspectis Sibyllinis libris, lectisternium factum est. Fœdus etiam Romæ cum legatis Carthaginensibus ictum est, cum ad amicitiam, ac societatem petendam venissent. Huius fœderis verba recitat Polyb. lib. 3. idque fœdus secundum numerat. Nam primum cum primis Consulibus ictum recenset. Hoc autem secundum fœdus Paulus Oros. *e* primum vocat, & ictum scribit an. V. C. 402. quẽ sequitur interpres in Chronologia Polybij. Verum fasti Capitolini id hoc anno collocant, quos sequitur Sigonius, & quicunque hos Consules, Coruinum inquam & Lænatem, in annum 405. V. C. referunt: in quibus Gordonus & Temporarius; quibus & ego libenter subscripserim, etsi Onuphr. differat in seq. sed propter intercalatum annum Dictatorum, vno anno semper est tardior, vt & quidam alij. Diodorus autem etiam vna Olympiade.

e Lib. 3. c. 7.

* * *

Dionys. t. 2. p. 228. & sequ. p. 227. ...

ANNVS MVNDI 3707. SEXTAE AETAtis, & Imp. Persar. 191. Artaxerxis Ochi 18. Ieddoæ Pontif. 18. Philippi 14. Olympiad. CVIII. an. 2. Archonte Themistocle. Vrbis Conditæ 406. Coss. T. Manlio Torquato, & C. Plautio II. Venno.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 346.

I. Sacrilegi male pereunt, etiam a sacrilegis.

PHOCENSIVM reliquorumque sacrilegorum, qui eorum partes sequebantur dux primarius erat Phalæcus, qui cum pecuniam sacram, non in publicos, & militares tantum vsus impendisse, sed in proprios quæstus interuertisse diceretur, imperium amisit, eique suffecti sunt, tres qui sacræ pecuniæ quæstionem, Phocensium rogatu, in eum exercuerant. Philo quoque eiusdem criminis reus, cum tormentis plerosque furti reos prodidisset, vltimo supplicio affectus est, cum reliquis depeculatoribus. Sed & priores duces autores eiusdem sceleris, aut propugnatores, omnes misere periere, vt fusius Diodorus in hunc annum & sequentem prodit; vbi Athenienses, & Lacedæmonios, tam huius, quam aliorum sacrilegiorum participes facit, & reos: Postremo etiam ab Antipatro in sacrilegij pœnam perditos.

II. Philippus Thebanis contra Phocenses iuuat.

Hoc anno Phocenses cum tria oppida in Bœotia rite communita haberent, (ea oppida non nominat Diodorus, Libanius in orat. de pace duo tantum recenset Orchomenum, & Coronæam,) inde Bœotos, ac Thebanos multis damnis afficiebant, vt ad Philippum auxilij causa confugere cogerentur. Ista metsi lætabatur eorum spiritus ex Leuctrica pugna compressos, auxilia tamen misit, ne oraculi iniuriam neglexisse videretur: quæ auxilia eis postea exprobrauit, cum per eorum agrum in Atticam penetrare vellet, nec permitteretur, vt Dionys. ex Aristotele recitat. Cum his ergo Bœoti pugnam contra Phocenses committunt, qui prælio victi, huc illucque diffugiunt: quingenti fere in vicinum Apollinis templum confugiunt, vbi debitam sacrilegis pœnam exoluerunt. Cum enim magna straminis copia iuxta templum flammam concepisset, ea in templum effusa, illud incendit, & qui ad id salutis causa confugerant, viuos concremauit. Ita Diodorus. Porro

Phocenses victi male pereunt.

III. Atheniensium pax cum Philippo.

PACEM hoc anno conciliatam inter Philippum & Athenienses autor est Dionysius Opusc. ad Ammæum. *Post Olynthiorum*, inquit, *captiuitatem, Pretore Themistocle pactiones Philippo cum Atheniensibus intercesserunt de amicitia & societate, quæ septem durauerunt annos, vsque ad Nicomachum: & post Nicomachum, Theophrasto Pretore sunt dirempta* &c. Sic Dionys. qui etiam paulo ante tradit eodem Archonte Themistocle, Demosthenem habuisse sextam Philippicam concionem de tuendis insularibus, & vrbibus Hellesponti. Quæ non extat, qua de re vide Andream Scottum in annum 35. Demosthenis: illum enim tunc agebat annum Orator.

IV. Quæ eius causa.

INITÆ porro pacis causam refert Libanius in Orat. de pace, quod ea tam ab Atheniensibus, quam à Philippo expeteretur: quod Athenienses non satis prospera fortuna in bello vterentur; Philippus autem quia dum aduersarios haberet Athenienses, ea quæ Thebanis ac Thessalis promiserat, de conficiendo Phocensi bello, & Orchomeno, & Coronæa Bœotiæ oppidis, quæ à Phocensibus tenebantur, Thebanis restituendis, præstare non poterat. Demosth. autem Or. de corona, ait Philippum pacem Atheniensibus, & auxilium Thebanis pollicitum contra Phocenses, veritum ne Thebani Atheniensibus coniungerentur, & sic nimium potentes expugnare non posset. Itaque cum hoc anno pax cum Atheniensibus confecta esset, proximo anno bellum Phocense confecit.

V. Cal. de Philippi ...

CÆTERVM pax iam anno superiore, non solum tractari cœpta, sed perfecta etiam erat, excepto iureiurando, quod à Philippo peti oportebat, quod ab eo diu de industria dilatum est, dum tota interea Thracia potiretur. Qua de re Demost. in orat. de Corona conqueritur, dum inquit è re Philippi fuisse plurimum differri iusiurandum; quia intelligebat, quæ Atheniensibus eripuisset ante præstitum iusiurandum, ea se omnia constanter habiturum, neminemque propterea pacem soluturum, quam dilationem cum Atheniensium legati perfida cunctatione iuuissent, nec exegissent iusiurandum, antequam ea loca occupasset, Philippum ea loca, & pacem obtinuisse. Ex quo intelligitur Dionysium Halicarnasseum, qui prætore Themistocle factam asserit pacem, Demostheni non repugnare, qui eam Mnesiphilo Archonte, quem alij Theophilum appellant, initam retulit. Hoc enim anno facta dicitur, quo iureiurando vtrimque firmata est.

Romæ otium domi forisque fuit: itaque circa fœnus, & æris alieni dissolutionem laboratum est, opera Senatus, ac plebs magna ex parte leuata est.

ANNVS MVNDI 3708. SEXTAE ÆTATIS, & Imperii Pers. 192. Artaxerxis Ochi, & Ieddoæ Pontif. 19. Philippi Macedonis 15. Olymp. CVIII. an. 3. Prætore Athenis Archia. Vrbis Condit. 307. Coss. M. Valerio Coruino, II. & C. Pœtilio Libone. Dionys. t. 2. p. 226.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 345.

I. Belli sacri finis, eiusque modus. p. 118. l. 10.

HABET hic annus finem bello sacro allatum, cum suprema Phocensium pernicie, Philippi ad Amphictyonum collegium aggregatione, & si quæ ijs coniuncta sunt, Pausanias tamen, vt dixi, biennio ante finitum ait hoc bellum, sicut & eius initium biennio prius quã Diodorus, & cæteri assignarunt. Finis ergo bello, quod in nouem decemue annos, vt ex Diodoro dicebamus, protractum est, hunc in modum allatus est. Bœoti, ac Phocenses, quorum armis, atq; odijs hoc bellum ducebatur, multis vtrimq; prælijs, direptionibus, cædibusq; fatigati, ad noua belli auxilia potius, quam ad pacis consilia, & inimicitiarum finem spectabant. Itaque Phocenses missis Lacedæmonem legatis, auxilia expetiuerunt. Quibus Spartani mille grauis armaturæ milites, duce Archidamo Rege, in subsidium miserunt. Bœoti autem suppetias à Philippo per legatos postularunt. Is assumptis in belli societatem Thessalis, cum valido exercitu in Locridem descendit; vbi Phalecum denuo ad munus Imperatorium euectum inuenit, cum octo millibus armatorum. Qui nihilominus animaduertens se Philippo longe viribus imparem, legatione missa rogauit ea, quæ pacis sunt, & vero impetrauit, ea conditione vt ipse cum suis copijs aliò se ex ea regione conferret, qui mox data, acceptaq; fide, sese in Peloponnesum recepit. Itaque Phocenses omni auxilio ac spe destituti, se Philippo dediderunt.

Spartani Phocensis iuuant.

Philippus Bœotiis, qui Phalæcum ejicit.

Et Phocenses sese dedentes capit.

II. Iustini ea de re narratio falsa.

ADDAMVS huic Diodori narrationi, priusquam vlterius prouehamur, quæ hac de re Iustinus habet l. 8. Crudescente ira Thebani, Bœotijq; orant, vt professum aduersus Phocenses Græciæ ducem exhibeat, tanto odio Phocensium ardentes, vt obliti cladium suarum perire ipsi, quam non perdere eos præoptarent: expertamq; Philippi crudelitatẽ pati, quam parcere hostibus suis mallent. Hactenus rectè: quod autem sequitur, non rectè. Cõtra Phocensium legati, adhibitis Lacedæmonijs, & Atheniensib. bellum deprecabantur, cuius ab eo dilationem ter iam emerant. Non rectè, inquam: nam hoc ipso tempore auxilia à Lacedæmonijs acceperunt ad bellum, & nusquã pacem à Philippo, aut per se, aut per alios leguntur ambijsse, sed auxilia contra eum ab Atheniensibus sperasse, eorũque legatorum, & in primis Æschinis præuaricatione in Philippi manus incidisse, fuse docet Demosthenes in oratione. De falsa legatione. Sed redeamus ad Diodorum.

III. ...

REX vbi citra pugnam ex insperato finem sacro bello impositum videt, cum Bœotis ac Thessalis consilium capit, quid de Phocensibus fieri placeat, decernitque vt in

dicto Amphictyonum consilio res integra eorum arbitrio permittatur.

Eorũ decretũ in gratiam Philippi.

Ab ijs in eam sententiam itur, vt Philippus cum posteris suis in Amphyctionum collegium adsciscatur, & gemini suffragij ius, quod Phocenses debellati habuerant, vsurpet, vtque trium in Phocide vrbium mœnia destruantur, nec templi deinceps & Amphyctionum curiæ participes sint; ne equos in posterum, armaque possideant, donec pecunias sacrilegio surreptas Deo repensarint.

Et Phocensiũ pœna.

Phocensium exules, & quotquot in sacrilegij partem venerint, piaculares habeantur, quos ex quouis loco terrarum cuiuis liceat: vt Phocensium vrbes in vicos transformentur, quinquaginta domuncularum singulos, & stadij interuallo inter se distantes. Agros suos ita retineant, vt quotannis sexaginta talentorum vectigal Deo pendant, quoad summam, in tabulas sacrilegij tempore relatam, exsoluerint. Eorum arma, & Mercenariorum ad saxa allisa Amphyctiones cum Philippo confringant, & frusta comburant, equorum denique auctionem faciant.

IV. *A Demosthene confirmatur.*

Hæc commune Græciæ concilium aduersus Phocenses, instigante Philippo. Id decretum in rem ipsam redactum testatur Demosthenes De falsa legatione.

Quemadmodum, ait, ærumnosi Phocenses interierint, tum ex his decretis videre est, tum etiam ex ipsis rebus quæ acta sunt, quæ res spectaculum, Athenienses, crudele sunt, & miserabile. Cum enim nuper Delphos proficisceremur, necesse habebamus ea videre omnia, ædificia diruta, mœnia prostrata, regionem iuuentute desolatam, mulierculas duntaxat, & paucos puerulos, & senes homines miserandos. Denique nemo verbis assequi possit ea mala, quæ nunc illic sunt. Hæc Demosthenes: ex quibus intelligi potest, quam infenso animo vniuersa Græcia in sacrilegos vnius templi expilatores fuerit: quidque ab vniuersa Gallia, merito in sacrilegos hæreticos, tot & talium templorum euersores, atque expilatores decerni potuerit; præsertim cum Phanum illud cacodæmoni; hæc omnipotenti Deo, in Christi Domini, & sanctorum eius honorem, consecrata fuerint.

Hæretici sacrilegi.

V. *Quod Iustinus de clade Phocensium.*

Cæterum quæ Iustinus de Phocensium clade scribit, vereor vt satis probabilia sint, præsertim tacente Demosthene, cuius causæ intererat hæc amplificare, ait autem. *Philippus excidium minabatur, ni fieret deditio. Victi igitur necessitate, pacta salute se dediderunt. Sed pactio eiusdem fidei fuit, cuius antea fuerat deprecati belli promissio. Igitur cæduntur passim, rapiuntur, non liberi parentibus, non coniuges maritis, non deorum simulachra templis suis relinquuntur, &c.*

Demosthenis oratio.

Hoc ipso Archonte habuit concionem ad Athenienses Demosthenes, in qua eos monet, ne Philippum Amphictyonia prohibeant, neue causam belli præbeant, pace nuper cum Philippo facta: sic Dionysius ad Ammæum. Quæ oratio de pace nunc inscribitur, & habita est interiecto tempore inter deditionem Phocensium, & eorum condemnationem in Amphyctionico Senatu.

VI. *Bellum in Antiates.*

Romæ autem cum his Coss. nunciatum esset legatos ab Antio circumire populos Latinorum ad concitandum bellum, M. Valerius Coruinus iussus Volscis inferre bellum, priusquam ampliores colligerent vires, ad Satricum eorum vrbem, exercitu infesto pergit; cui cum Antiates, alijque Volsci occurrissent, nulla mora inter infestos diuturno odio populos dimicandi fuit. Sed Volsci ad rebellandum, quam ad bellandum ferociores, victi, fuga effusa Satrici mœnia petunt. Cumque iam corona militum cincta vrbs caperetur scalis, ad 4. millia, præter multitudinem imbellem se dedere. Oppidum dirutum, atque incensum, excepta æde Matutæ, præda omnis militi data: præter dedititios, quos Consul vinctos ante currum triumphans egit; venditis deinde, magnam pecuniam in ærarium redegit. Seruos tamen potius, quam liberos sponte deditos, venijsse putat Liuius, à quo ista Romana fere mutuamus.

Victoria.

Triumphus.

VII. *Ludi seculares secundi.*

Censorinus l. de die Natal. c. 17. hunc annum, quem vocat 408. ab vrbe condita ex quindecim virorum libris, secundis ludis secularibus insignem facit; quod notauit Cuspin. & Onuphr. sed fasti consulares, quos cum Sigonio sequimur, annum requirunt 407. sequuntur etiam Temporarius, & Gordon. in suis Chronol. etsi ludorum non meminerunt, de quibus consule Stephanum Pighiũ in annum Vrb. Cond. 297. quo loco primi ludi seculares, ex XV. virorum autoritate collocantur, centum & decem abhinc annis, quæ fuit horum ludorum periodus. Consule Onuphrium, qui totum hoc argumentum peculiari libello accuratissime persecutus est.

ANNVS MVNDI 3709. SEXTÆ ÆTATIS. & Imperii Persarum 193. Artaxerxis Ochi, & Ieddoæ Pont. 20. Philippi Maced. 16. Olym. CVIII. an. 4. Archonte Eubulo. V.C. 408. Coss. M. Fabio Dorso, & Ser. Sulpitio Camerino Patritiis, Dict. L. Furius Camillus.

ANNVS ANTE CHRISTVM 344.

I. *Philippus transmigrationes agitat.*

Anno 344. ante Christi ortum, quo Demosthenes 37. vitæ annum agebat, nihil noui Persæ, nihil Philippus, vel Athenienses suggerunt. Pax enim inter eos inita erat, cuius hic est annus tertius. Huc tamen pertinet illud Iustini l. 8. quod ait Philippum à clade Phocensium reuersum in Macedoniam, vt pecora pastores nunc in hybernos, nunc in æstiuos saltus traiiciunt, sic illum populos & vrbes; prout illi vel replenda, vel derelinquenda quæque loca videbantur, ad libidinem suam transtulisse; sicque ex multis gentibus & nationibus, vnum regnum populumque constituisse: multo cum mœrore luctuque propria derelinquentium, & in nouas terras, quasi noua exilia, transmigrantium. Sic nimirum prouidebat, vt qui turbas excitare aut possent, aut solerent, opibus fere, atque amicis nouis in colonijs destituti, quieti vel inuiti esse cogerentur. Quod tamen institutum apud Iapones frequens, parum ad firmandam pacem, quæ ibi crebro fluctuat, valere, ipsa experientia compertum est.

II. *Arist. venit Mitylenem.*

Scribit Laertius in vita Aristotelis, eum hoc ipso anno, atque Archonte cum triennium apud Hermeiam cõmoratus esset, venisse Mitylenem. Fuit ea quondam insignis vrbs in Lesbo insula, non longe ab Hellesponto, quem habet à Septentrione. Hanc quoque Aristotelis profectionem confirmat Dionysius in Opusc. ad Ammæum, sed neuter causam huius profectionis memorat. Philosophandi opinor causa, ac docendi venerit: ex quo eius fama in vicinam delata Macedoniam, aditum ei mox ad Philippum, & magisterium Alexandri munierit. Post sequentem enim annum, Pythodoto Prætore, Philippum adijt.

Quanquam illi iam notus erat ante ortum Alexandri, vt literæ Philippi ad Aristotelem, sub eius ortum scriptæ, docent.

III. *Auruncum bellum.*

In Italia Auruncum bellum exortum plus habuit trepidationis, quam periculi, vel damni. Quod enim repentina facta esset populatio, & totum Latium arma capere diceretur, Dictatorem dici placuit L. Furium Camillum, qui Mag. eq. dixit Cn. Manlium Capitolinum. Progressus exercitus prædones potius, quam hostes inuenit: prima itaque acie debellatum est. Dictator tamen, quia & vltro bellum intulerant, & sine detrectatione se certamini offerebant, ad diuinam opem confugiendum ratus, inter ipsam dimicationem ædem Iunoni Monetæ vouit; cuius damnatus voti, cum victor Romam reuertisset, Dictatura se abdicauit. Senatus Decemuiros, ad eandem ædem, pro amplitudine populi Romani faciendam creari iussit, locus in arce destinatus est, quæ area ædium fuerat M. Manlij Capitolini.

Templum Iunoni Monetæ.

* * *

Philippus fratres regno privat. tuentes ne alterius viribus accederet, & disceptationum suarum iudicem elegisse: Sed Philippum more ingenij sui ad iudicium, veluti ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo exercitu superuenisse, & vtrumque regno, non iudicis more, sed fraude latronis, ac scelere spoliauisse. Scribit Demost. in oratione contra Aristocratem, Cotym Thraciæ regem tres habuisse filios, Berisadem, Amadocum, & Cersobleptem, & patre defuncto dissentientes, ad Athenienses se contulisse, eosque coluisse. Inde mortuo Berisade, Cersobleptes Atheniensium opem contra fratrem, fratrisq; demortui liberos ambiebat: progressu autem temporis videtur contigisse, quod scribit Iustinus, etsi Diodorus rem aliter exponat; qui tantum Philippo fauet, quantum ab eo Iustinus est alienus.

IV. *Origo belli Samnitici.* TRANSEO ad Romanos, quorum arma hoc anno proferri cœpere longius, remotioresque populos habere obsequentes. In Samnites primo ancipiti marte pugnatum, quibus successit Pyrrhus, Pyrrho Pœni, per quos non semel ad extrema periculorum ventum est. Belli in Samnites, etsi amicitia Romanis, atque societate iunctos, causa hæc affertur.

Et causa eius. Samnites Sidicinis iniusta arma intulerant: hi cum se infirmiores, ac tanto hosti cernerent impares, ad Campanorum auxilia confugere, qui socijs quidem non defuere, nec tamen eos incolumes reddidere. Nam cum ijs ex armorum insolentia, semel iterumque victi, ad Romanorum auxilium confugere. *Sidicini ad Romanos confugiunt.* Cumque opem in Senatu artificiosissima oratione postulassent, summotis legatis, consultus Senatus, etsi magnæ parti vtilissimum fore videbatur Capuam, Campanosque in fidem, ac societatem recipere, tanta tamen vtilitate fides antiquior fuit. Itaque responsum ijs datum, Romanos amicitia ac societate iampridem cum Samnitibus esse iunctos, non posse ea violata cum Campanis amicitiam instituere, & arma Samnitibus inferre, legatos tamen ad amicos, sociosq; missum iri, precatum ne qua vis Campanis fieret.

V. *Campani se Romanis dedunt.* HIC Campani, sicut domo mandatum attulerant, se suaque omnia diuina humanaque populo Rom. dediderunt; eoque facto manibus ad Coss. extensis, pleni lacrymarum in vestibulo Curiæ procubuerunt. Romani commiseratione simul moti, simul veriti ne cõtra fidem esset, deditos prodi, legatos ad Samnites mittunt, qui preces Campanorum, qui responsum Senatus memoris amicitię *Samnites legationem Romanam contemnunt.* Samnitium, qui deditionem postremo factam Samnitib. exponerent: peterentq; pro societate, amicitiaq; vt dedititijs suis parcerent, neque in eum agrum, qui populi Romani factus esset, hostilia arma inferrent. Sed his non solũ ferociter à Samnitibus responsum est, sed coram legatis etiam missi cohortium præfecti, qui in agrum Campanum populabundi proficiscerentur, vtroque populo vna eademque superbia, atque iniuria violato.

VI. *Valerij Conf. in Samnites pugna.* HIS Romæ cognitis, iussu populi Consules ambo cum duobus exercitibus ab vrbe profecti, Valerius in Campaniam, Cornelius in Samnium, ille ad montem Gaurum, hic ad Satriculam castra ponunt. Valerio Samnitium legiones occurrunt, gemina de Campanis victoria feroces. Valerius leuibus certaminibus, tentandi hostis causa, aliquot diebus vsus, signum pugnæ proposuit, paucis suos adhortatus, quos sibi addictissimos habebat, tam certa opinione virtutis, quam eximia motum facilitate, incredibili alacritate plenos ad pugnam eduxit. *Difficilisque victoria.* Prælium magna vtrinque spe, contentione, pertinacia, si vnquam alias gestum est; cumque atrox vbique cædes fieret, fugæ nemo meminerat; adeo morte sola vinci animis destinauerant. Tandem inclinante ad vesperam die, redintegratis animis Samnites cedere, ac vinci incipiunt; nec superfuissent multi, nisi nox victoriam magis quam prælium diremisset. Et Romani fatebantur nunquam cum pertinaciore hoste conflictum, & Samnites oculos sibi Romanorum ardore visos, ijs magis, quam gladijs, in terrorem ac fugam versos. Quem terrorem etiam nocturna profectione confessi sunt. Postero die vacuis hostium castris Romanus potitur, quo se omnis Campanorum multitudo gratulabunda effudit.

CÆTERVM hoc gaudium magna prope clade in Samnio fœdatum est. Nam Cornelius exercitum in saltum valle caua petuium, circaq; incessum ab hoste imprudens induxit: cumq; iam capiti imminetet hostis, nec indeabire impune liceret, P. Decij tribuni militum consilio, prudentia, fortitudine factum est, vt occupato colle, qui ho- VII. *Altera in agrum Samnium.* sti imminebat, eum detineret, donec è periculoso loco exercitui abire liceret, deinde etiam intēpesta nocte, per medias hostium legiones, manipulum suum ad Cõsulem incolumen traduceret: quo facto & ingentia præmia, & maiorem etiam totius exercitus laudem est consecutus. *Et periculosa, mira victoria.* Moxq; ad hostem patentiore via regressus exercitus, incautum, inermem, palatumque occupat, & turbatum adhuc nocturno pauore, primum intra castra compellit; deinde castra ipsa turbatis stationibus capit, postremo multis vndique fuga dispersis, ad 30. millia cecidit.

TERTIA pugna ad Suessulam à M. Valerio, contra renouatum Samnitium exercitum, commissa est, dumque Samnites, contemptu Romani exercitus, qui castris se cõtinebat, frumentatum per agros abeunt, occupati, cæsiq; rursum, ac plane victi sunt, adeo vt ad Consulem 170. signa militaria hosti erepta deferrentur. VIII. *Tertia pugna plena victoria.* Consules ambo de Samnitibus triumpharunt, sequente Decio insigni cum laude. *Et triumphus.* Deniq; hæ Samnitum clades, vicinos Romanis populos partim fœdus inire, partim alio arma conuertere persuasit: Carthaginenses etiam ad gratulatoria munera incitauit. *Carthaginenses Romanis gratulantur.* Legatos enim Romam misere, cum corona aureæ dono, quæ in Capitolio in Iouis cella poneretur. Ea fuit pondo 25. id est, decem millium & quingentorum aureorum nostratium, centum aureis nummis, de more, cuique libræ assignatis.

IX. *Præsidium Romanum in Campania.* POSTREMO Campanorum, Suessanorumque precibus datum, vt præsidium militare eo in hyberna mitteretur, quo Samnitium excursiones arcerentur. Sed ibi breui delinitos voluptatibus militum animos, Capua à memoria patriæ auertit, & ad consilia de occupanda Capua induxit, vt proximo anno, quo ea cõtigerunt, perspicuum fiet.

Diuturnitas belli Samnitici. Hoc ergo anno inchoatum est bellum Samniticum, quod ad annum vsque 482. propagatum scribit Onuphrius in fastis. Itaque per annos duos & septuaginta innumerabilium cædium, & triumphorum, 4. & viginti materiam præbuit, vt scribit Florus, li. 1. Epitomæ, cap. de bello Samnitico, quorum vltimum L. Papyrius retulisse memoratur.

ANNVS MVNDI 3712. SEXTÆ ÆTATIS. & Imperii Persarum 196. Artaxerxis Ochi, & Ieddoæ Pont. 23. Philippi Maced. 19. Olymp. CIX. an. 3. Prætore Athenis Sosigene. V. C. 411. Coss. C. Mario Rutilio IV. & Q. Seruilio Hala. Dictat. M. Valerio Coruino.

ANNVS ANTE CHRISTVM 341.

I. *Ochi obitus.* POSTREMVM hunc esse Artaxerxis Ochi annum, nec vltra vigesimum tertium regnando progressum, testatur Diodorus lib. 15. extremo, idemque lib. 16. confirmat. Eadem est Sulpitij Seueri sententia, quem ex communi sententia sequitur Sigonius ibid. Gordon. Henricus Samerius. Temporar. item, Capellus, Heluicus, Mercator, in suis chronol. Quæ mihi sententia verissima videtur, vt quæ Olympiadibus, & annis Philippi, & Alexandri rectè consentiat: licet non ignorem Eusebium, ei 26. annos tribuere, cui Beda, Peret. Torniel. assentiuntur, & è sectarijs Functius, Scaliger, & alij quidam.

II. *Sæuus fuit.* NIHIL æque in hoc principe, ac crudelitas celebratur. Nam præterea, quæ initio regni eius ex Iustino retulimus, & quæ in excidio Sidoniorum barbarè ac crudeliter perpetrauit, Q. Curtius lib. 10. scribit eum octoginta fratres Sisygambis matris Darij, vno die interfecisse. *Sciebat*, inquit, *inter hac omnium octoginta fratres suos,*

eodem

ANNVS MVNDI 3713. SEXTAE AETATIS & Imperii Pers. 197. Arsis. 1. Ieddoæ Pontif. 24. Philipp. 20. Olymp. CIX. An. 4. Archonte Athenis Nicomacho. Vrb. Cond. 412. Coss. C. Plautio II. & L. AEmylio Mamerco.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 340.

I. *Arsis imperare incipit.*

RETINAMVS eundem in nouo Imper. pontificem, quia ex Iosepho constat, Ieddoam quem ipse Iaddum vocat, ad Alexandri tempora peruenisse, vt sequentia declarabunt. Nouus porro Imperator, Ochi minimus natu, ex arbitrio Bagoas Eunuchi, imperio sufficitur, Arses nomine, iuxta ea quæ superiore anno diximus; de quo illud vnū apud Diodorum legimus: eum triennio pro Bagoas arbitratu imperasse, illumque eadem perfidia, qua Patrem occiderat, etiam filium sustulisse, præterea nihil. Tertullianus eum Argum vocat, & vno anno regnasse tradit: manifesto vtique mendo: omnes enim ei tres, aut certe 4. an. tribuunt. Iustinus lib. 10. eum prætermittit, ita vt Ocho Darium statim sufficere videatur, nec tamen aperte excludit.

II. *Philippus bellum in Perinthum gerit.*

SERIBIT Diodor. hoc anno Philippum arma tulisse in Perinthum Thraciæ vrbem ad Propontidem, eamq; summis viribus oppugnasse; cui non repugnat Dionysius, licet id videatur ad sequentem annum ac Prætorem differre. Id enim bellum ad vtrumq; annum pertinet, vt series ipsa narrationis ostendet.

Diversa causa.

Huius belli causam nullā aliam Diodorus affert, quam quod ii Athenienses bene affecta, & potens, eius conatibus aduersabatur. At Iust. init. l. 9. in Græciam Philippus cum venisset, ex præda modicarum vrbium, quantæ opes vniuersarū essent animo prospiciens, bellum toti Græciæ inferre statuit. Ad cuius emolumentum egregie ratus pertinere, si sibi Byzantium, nobilem & maritimam vrbem receptaculum terra marique copijs suis futurum, in potestatem redegisset, eandem claudentem sibi portas, obsidione cinxit.

III. *Ex Demosthene.*

DEMOSTHENES vero in Orat. de Corona, Expulsus, inquit, ex Eubœa Philippus, aliud oppugnandæ Reip. nostræ præsidium quæritabat. Et quia videbat nos plurimo omnium mortalium importato frumento vti, operam dabat, vt frumentariam vectionem in suam potestatem redigeret. Progressus igitur in Thraciam, à Byzantijs sibi fœderatis petijt, primum, vt vna secum bellum vobis inferrent: quod cum illi recusarent, extructo vallo vrbem circumdedit, & machinis admotis obsedit.

Verum videtur Philippus prius Perinthum, quasi suburbium Byzanthij, oppugnandum suscepisse, vt eo expugnato, aditum sibi ad expugnandum Byzantium patefaceret. Philochorus quidem l. 6. historiæ Atticæ apud Dionysium ad Ammæum, refert Perinthi obsidionem ad præturam Theophrasti, sed magis consentaneè orationibus Demosthenis, Diodorus, & Dionysius rem in hunc annum conferunt.

IV. *Obsidio Perinthi.*

DIODORVS ergo scribit eum Perinthum, cum triginta armatorum millibus, & telorum, machinarumque infinita copia, tanto studio obsedisse, vt per dies singulos machinas vrbi admoueret, & fatigatis integros sufficiens, nullam vrbi, & obsessis requiem præberet. Excitasse autem turres 80. cubitorum, quæ turribus Perinthi eminerent, vt superiori ex loco fatigaret obsessos, partesque murorum subinde effringeret: quæ dum à Perinthijs strenue restaurantur, multæ videlicet vtrinque cædes fiunt, & bellum in longum ducitur: præsertim cum Byzantio subinde ad eos omnia bello necessaria magno studio subministrarentur.

Eis adsunt Athenienses.

Interea Athanienses persuadente Demosthene, ijs auxilio fuerunt, vt ex Byzantiorum decreto constat, in quo inter alia, *Philippo nostrum agrum, & vrbem hostiliter aggressa, ad excidium Byzantiorum, & Perinthiorum, agrumque incendijs, & succisis arboribus deuastante, Populus Atheniensis opem tulit, nauibus centum & viginti, frumenta, telis, & legionibus, nosq; e magno periculo eripuit, &c.*

Et Rex Persarum.

Regem quoque Persarum Perinthijs auxilio fuisse tradit Diodorus, nimia iam Philippi Macedonis incrementa suspecta habentem. Satrapis enim regionum maritimarum per literas mandasse, vt quanto possent robore Perinthijs subuenirent. Id autem ab Eunucho Bagoa factum esse apparet: in eius enim potestate & Rex, & imperium eius erat, vt ex Diodoro dictum est.

V. *Obsidio Byzantij, & castellum ea desertas Philippi consilio.*

ITAQVE æquatis hoc auxilio viribus, vim Philippi sustinere potuerunt: tam obsessis, quam obsidentibus non dispari ardore pugnantibus. Sed loci natura obsessis vehementer fauente, & Byzantijs omnia prompte ad bellum subministrantibus, consilium de diuidendo exercitu capit, ratus id quod erat, se facilior Perintho potiturum, si ab eo Byzantiorum auxilia subtraxisset, & rursum Byzantiū nudatum bellicis præsidijs, quæ Perinthijs cōmodassent, non ægrè subactum iri. Itaque copiarum parte ad Perinthi oppugnationem relicta, cum altera Byzantium infestus petit, magnasque in angustias cogit, vt qui Perinthum arma, militem, commeatum, ad obsidionem ferendam, miserant. Itaque Athenas auxiliorum causa conuolant: ad quæ impetranda maximum momentum attulit Demosthenes, vt ipse in oratione de corona gloriatur. Dionysius quoque in op. ad Ammæum, id hoc anno factum aperte confirmat. *Post Sosigenem, inquit, Prætor factus est Nicomachus, sub quo ει. concionem recitauit de pace per Philippum turbata, deq; mittendo Byzantium auxilijs*, quæ etiam anno seq. studiosius promouit.

VI. *Bellum in Priuernates.*

INTEREA in Italia militaris illius seditionis fama, & susceptum cum Samnitibus graue bellum, aliquot populos à Romana societate auertit. Et præter Latinorum infidum iamdiu fœdus, Priuernates etiam Norbam, atque Setiam, finitimas colonias Romanas, incursione subita depopulati sunt. Statim nuncij acceptæ cladis Romam ad nouos Coss. delati: Antiates quoque Volscorum, in armis contra Romanos fuere. Vtrumque bellum Plautio sorte euenit, & vtrunque feliciter gessit. Prius quidem haud magno certamine, quo & victi hostes, & oppidum eorum captum: fuit tamen ciuibus redditum, valido præsidio imposito. Et ne alienum agrum impune depopulati essent, qui duas colonias vastarant, duabus agri sui partibus mulctati fuerunt. Contra Antiates atrox prælium fuit, & vtrinque magna cædes: cumque suam mora Volsci agnouissent, nocte agmine trepido, saucijs, ac parte impedimentorum relicta, Antium petiere.

A Plautio confectum.

Et in Antiates.

VII. *Res apud Samnites gesta.*

ALTER Consul cum Samnites bello peteret, neq; vsquā hostis occurreret, agris vastitatem inferebat: cum ad eum legati Samnitium pacis causa adierunt: à quo reiecti ad Senatum, positis ferocibus animis, pacem sibi à Romanis, bellique ius aduersus Sidicinos petierunt, atque vtrunque impetrarunt. Nam cum Prætor Senatum ea de re consuluisset, Samnitibus respondit, nec per pop. Romanum stetisse, quo minus perpetua cum eis amicitia esset: nec contradici, quoniam eos belli pœniteat, quin amicitia de integro reconcilietur. Quod ad Sidicinus attinet, nihil intercedi, quo minus Samniti populo pacis bellique arbitrium sit. Fœdere icto cum domum reuertissent, extemplo inde exercitus Romanus abductus, Samnites autem copijs ijsdem quibus Romanos inuadebant, Sidicinos petiere. Interea deditio ab Sidicinis cœpta fieri, Campanorum exēplo: Quam quia Patres, vt nimium seram, & extrema necessitate expressam, aspernabantur, ad Latinos iam sua sponte in arma motos facta est. Sed ne Campani quidem ab his se armis abstinuere.

Et fœdus pacis.

Sidicini se Latinis dedunt.

VIII. *Latini Samnites inuadunt.*

Ex his tot populis ingens exercitus duce Latino fines Samnitium ingressus, plus popolationibus, quam prælijs cladium fecit. Cumque Latini certamine superiores abissent, Samnites Romam veniunt, & à Senatu postulant, vt Latinos, Campanosque, si sub ditione populi Romani essent, pro imperio arcerent agro Samniti: sin imperiū abnuerent, armis coercerent. Responsum datum est, Campanos seu vellent, seu nollent quieturos. In fœdere Lato no

Hi ad Romanos recurrunt.

nihil esse, quo bellare, cum quibus ipsi velint, prohibeantur. Ita de Latinis responsum est, quia fateri pigebat eos iam in populi Romani potestate non esse, ne magis abalienarentur. Verum id responsum & Latinos ferociores fecit, & Campanos metu abalienauit, & Samnites dubios reliquit.

IX. *Latini & Campani in Romanos arma desti-nant.*

Itaqve Latini per speciem aduersus Samnites belli parandi, crebra concilia indicentes, omnibus consultationib. inter se principes occulte bellum Romanum coquebant: cui se Campani quoque aduersus seruatores suos addiderunt. Sed quamquam omnia de industria celebantur, priusque tolli à tergo Samnitem hostem volebant, quam mouerentur Romani: eius tamen coniurationis indicia Romam per amicos emanarunt. Quid in tam formidiolosa re consilij à Romanis captum sit, sequenti anno dicetur.

ANNVS MVNDI 3714. SEXTAE AETATIS & Imp. Pers. 198. Arsis 2. Ieddoæ Pontif. 25. Philippi 21. Olymp. CX. An. 1. Archont Theophrasto. Vrbis Cond. 413. Coss. T. Manlio Torquato III. & P. Decio Mure. L. Papyr. Crass. Dictat.

Dionys. t. 2. p. 227. & p. 124. gr.

ANNVS ANTE CHRISTVM 339.

I. *Obsidio Perinthi & Byzantij describitur.*

Pergit Philippus hoc anno Olympiadis centesimæ decimæ ineuntis, quæ Anticlem Atheniensem victorē renunciauit, Perinthum atque Byzantium oppugnare. Nam vtrunque simul oppugnasse Diodorus tradit, Philochorus tamen apud Dionys. ait eum Perintho repulsum, Byzantium obsedisse, machinis adductis. Byzantij porro Athenis auxilia vrgebant, quæ & agente Demosthene impetrarunt. *Philippo Byzantium obsidente*, inquit Diodor. *Senatus populusq; Atheniensis pacem, quam cum eo firmauerant, violatā arbitrati, extemplo numerosas contra ipsum copias nauales subsidio Byzantinis mittunt: quos Chij, & cum his Coi, Rhodijq; & Græcorū alij quidam cum auxiliaribus copijs secuti sunt.* Sed hæc ex decreto Byzantiorum, quod extat apud Demosth. orat. de Corona clariora erunt. *Pontifice Bosporicho Damagetas in Tealia de Concilij sententia dixit. Quoniam populus Atheniensis cum superioribus temporibus bene cupere Byzantijs, & socijs cognatisq; Perinthijs non destitit, & multa magnaq; officia præstitit, tum hoc tempore, Philippo nostrum agrum, & vrbem hostiliter aggresso, ad excidium Byzantiorum & Perinthorum, agrumq; incendijs, & succisis arboribus deuastante, opem tulit nauibus centum & viginti, frumento, telis & legionibus, nosq; è magnis periculis eripuit, & patriam Remp. restituit, & leges & monumenta maiorū: placere populo Byzantiorum & Perinthiorum dare Atheniensibus affinitatem*, &c. Ex quibus patet irritos fuisse Philippi conatus hoc tempore, obsidionem solutam, & pacem, vt ait Diodorus, cum Atheniensibus redintegratam.

Copia Atheniensium, & Sociorum in Philippum.

II. *Hortatu Demosthenis.*

Demosthenem porro huic negotio egregiam nauasse operam, non solum ipse testatur, sed Dionys. quoque in opusculo sæpe cit. Post Nicomachum, inquit, Theophrastus Prætor fuit, sub quo autor fuit Atheniensibus Demosthenes strenue in bellum incumbendi, vt iam indictum à Philippo. Et hæc est extrema orationum Philippicarum, sic incipiens, Philippum, Athenienses, non pacem fecisse vobiscum, sed distulisse bellum cognouistis omnes. Sic Dionys. qui paulo post ex Philochoro refert, cum Demosthenes eos ad bellum incitasset, decretaq; scripsisset, populum sciuisse columnam de Philippica societate & pace tollendam, & naues complendas, & cætera bello idonea paranda esse. Nihilominus pax ab homine vafro cum Atheniensibus, ad speciem iam tertio facta est, donec ei nasceretur occasio illam maiore sua vtilitate violandi.

Pax cum Philippo tertio inita.

III. *Philippus piraticam exercet. In orat. de Haloneso.*

Addit his Iustinus l. 9. quæ ad hanc rem faciant. Philippus, inquit, longa obsidionis mora exhaustus, pecuniæ cōmercium de piratica mutuatur. Captis itaq; centum & 70. nauibus mercium, & distractis, anhelantem inopiam paululum recreauit. Deinde ne vnius vrbis oppugnatione tātus exercitus teneretur, profectus cum fortissimis, multas Chersonesi vrbes expugnat. Verum piraticæ nusquam accusant Philippum Demosthenes, aut Æschines, quod sciā. Legimus duntaxat Philippum per speciem arcendi prædones, maris imperium affectasse: insulares ab Atheniensium societate & ditione abalienando. Verum nihil absurdi est eum, qui prodigè pecunias in emendis proditoribus profunderet, qui prædis, ac sacrilegis ditaretur, etiam ad piraticam esse compulsum.

IV. *Eiusdem expeditio in Scythiam.*

In Scythiam quoque prædandi causa profectum esse idem Iustinus affirmat, more negotiantium inquit, impensas belli alio bello refecturus. Nec tamen eo temere profectus est, sed à Matthæa, siue Machæa Scytharum rege accersitus, cum bello Istrianorum premeretur, promittente se eum in regni successionem adoptaturum. Sed morte regis Istrianorum metu solutus Scytha, irrisos Macedonas ad regem suum remisit, ne sumptibus quidem itineris persolutis. Ergo Philippus soluta obsidione Byzantij, Scythicum aggreditur bellum, præmissis legatis, quo securiores faceret, qui nunciarent Scytharum regi, Philippum dum Byzantiū obsideret, vouisse statuā Herculi: ad eam in ostio Istri ponendam se pacatum venturum, religione videlicet non belli cupiditate incitatum. Scytha qui artes Philippi intelligeret, si voto fungi velit, statuam sibi mitti iubet, ea, non modo vt ponatur, verum etiam vt inuiolata maneat fore pollicetur: Exercitum autem fines ingredi, negat se passurum: ac si inuitis Scythis statuam ponat, eo digresso sublaturum, versurumq; æs statuæ in aculeos sagittarum. Hæc dum crebris legationibus agitantur, & bellum longinquum & difficile præparatur, reliquus annus profecto abijt: nec in frigidam admodum regionem ingruente hyeme profectum hominem bellorum scientissimum probabile est: cætera igitur sequens annus habebit.

Rex locu...

V. *Romani ... belli apparatu.*

Interea Romani aduersus belli molem, quæ à Latinis populis, Volscis, & Campanis imminebat, quo maturius noui Consules crearentur, iusserunt veteres magistratu se abdicare: quod nimirum intelligerent longius hoc bellū protractum iri, quam vt ab ipsis, dum essent in magistratu, confici posset: nec vtile fore ab vnis rem inchoatam, ab alijs absolui. Noluerunt quoq; ab ipsis haberi comitia Cōsularia, quod eorum imminutum fuisset imperiū, sed per interreges, Torquatum & Decium Consules creauere: eodem anno quo Alexander Epiri Rex, frater Olympiadis, & magni Alexandri auunculus, in Italiam classe appulit: quod bellum, inquit Liuius, si prima satis prospera fuissent, haud dubie ad Romanos peruenisset.

Noui Consules ... tempore.

VI. *Latini belli exordia.*

Fvit hoc Latinum bellum longe grauissimum, & varijs casibus, euentibusque anceps, atque celebratum: quod Liuius fuse, grauiterq; persequitur, nos omissis de more minus necessarijs rem ipsam dicemus. Romani, etsi defectio Sociorum, nominisq; Latini haud dubia erat, tamen quasi de Samnitibus, non de se curam agerent, Latinorum decē principes Romam euocarunt. Venit vnus è Latinorū Prætoribus, L. Annius Setinus. Is non ignarus quā ob causam accirentur Latini, ferocia tumens prius orationem apud suos habuit, qua defectionem à Romanis suasit, nisi in signum æquatæ cum ipsis potentiæ, ac maiestatis, alterum Consulem à Latinis, partemq; Senatus acciperent. Quæ cum clamore, & assensu omnes probauissent, Romam venit, eique Senatus in Capitolio datus est. Ibi cum T. Manlius Consul egisset cum eis, ex autoritate patrum, ne Samnitibus fœderatis bellum inferrent, Annius non minus superbe quam spoponderat, meditata dixit.

L. Annius ... legatus superbe petit.

VII. *Expeditur, & bellum decernitur.*

Eam orationem tanta Consulis & Senatus indignatio subsecuta est, vt commotus ira Latinus, se à vestibulo templi citato gradu proriperet, lapsusq; per gradus, capite grauiter offenso, quasi exanimis iaceret. Id omen sumpsit Torquatus fore Latinis funestum bellum, seq; sic stratas Latinorum legiones daturum, quemadmodum legatus casu iaceret. Assensu populi excepta vox Consulis, tantum ardoris animis fecit, vt legatos proficiscentes, cura magistratuum magis, qui iussu Consulis prosequebantur, quam ius gentium ab ira impetuq; hominum tegeret. Consensit & Senatus in bellum.

Consvles duobus scriptis exercitibus, per Marsos,

VIII. *Cum gemino exercitu & vterque Consule suscipitur. n Deuotio Decij consu.* Pelignosq; profecti, adiuncto Samnitium exercitu, ad Capuam, quo iam Latini socijque conuenerant, castra locãt. Ibi in quiete vtrique Consuli visa species, viri maioris augustiorisque, quam pro humano habitu, dicentis ex vna acie Imperatorem, ex altera exercitum dijs manibus, matrique Terræ deberi: vtrius exercitus Imperator legiones hostium, superque eas se deuouisset, eius populi partisque victoriam fore. Quæ cum ex tis etiam comprobarentur, ita inter Consules conuenit, vt ab vtra parte cedere Romanus exercitus cœpisset, inde se Consul pro populo Romano deuoueret, & in confertos hostes, in certam mortem rueret. Cum ergo ad pugnam ventum esset, & vtraque acies paribus armis, pari arte ac disciplina militari, & paribus animis pugnaret, paribus momentis victoria in incertũ stabat, cum læuum cornu Romanorum cædere cœpit, & Decius solenni ritu dijs manibus, hostilemque exercitum deuouet, simulq; se in medios hostes immittit.

IX. *Effectus, & modus.* CONSPECTVS ab vtraque acie aliquanto augustior humano visu, sicut cœlo missus, piaculum omnis deorũ iræ, qui pestem ab suis auersam in hostem ferret, ita omnis terror, pauorque cum illo latus, vt quocunque equo inueheretur, ibi quasi pestifero icti sydere pauerent, vbi vero corruit obrutus telis, inde iam haud dubiè consternatæ Latinorum cohortes, fugam ac vastitatem late fecerunt. Hoc primum momentum ad victoriam fuisse creditũ est, quod & omnium Romanorum literis celebratur, tanquam facinus heroicę fortitudinis, & singularis in patriam charitatis: *Laus Decij.* quod iampridem apud Græcos à Lino Codri filio vsurpatum, apud Romanos imitatione non caruit. Laudanda vtique fortitudo ac charitas egregij bellatoris, imo etiã pietas laudanda, eius qui se, vitamque suam, dijs, vt putabat, consecrabat vltro. Quæ vt inexcusanda, ita in tartareis illis monstris execranda est, quæ humanis hostijs exaturari cupiebant: nec contentus draco ille tot militum animas hianti, ac rabido ore deuorare, etiam principes viros ambiebat, qui se ipsi sponte quasi victimas darent, & eo fine in certum interitum ruerent.

X. *Victoria de Latinis.* SED longe maius opinor momentum ad victoriam attulit industria prudentiaq; Torquati Consulis, qui cum sciret se contra eos pugnare, qui ijsdem assueti militaribus institutis, eosdem pugnæ ordines pugnatorumq; retinerent, contra fessos Latinorum triarios, suos adhuc integros & recentes immisit, à quibus videlicet etiam victoria parta est, tantaq; cæde sæuitum, vt vix quarta pars hostium euaserit. Latini ex fuga Minturnas se contulere, castra secundum prælium capta, multiq; mortales viui oppressi, maxime Campani. Decij corpus postridie inter hostium aceruos inuentum, ac gloriose, à Collega funus celebrante, tumulatum est.

XI. *Torquati filius iniussu pugnat.* ALTERVM facinus hoc bello patratũ est, quod dubiam habuit apud Romanos ipsos approbationem. Edixerant Consules ne quis extra ordinem in hostem pugnaret. Forte inter cæteros turmarum præfectos, qui exploratum in omnes partes missi erant, T. Manlius Consulis filius, supra castra hostium cum suis turmalibus, ad teli iactum euasit. Ibi Geminius Metius Tusculanorũ equitum præfectus eũ ad singulare certamen prouocat. Mouit ferocem animum iuuenis seu ira, seu detrectandi certaminis pudor, & oblitus edicti, præceps ad id certamen agitur, concurritur, pugnatur, & vi & arte victoria quæritur. *Et vincit.* Nam Manlius post primos impetus spiculum inter aures equi fixit, ad cuius vulneris sensum, cum equus priorib. pedibus erectis, magna vi caput quateret, excussit equitem, quem cuspide, parmaque innixum, attollentem se à graui casu, Manlius ab iugulo, ita vt per costas ferrum emineret, terræ affixit, spolijsque lectis ad suos reuectus, cum ouante turma in castra, atq; inde ad prætorium ad patrem tendit, & victoriam nunciat infœlix.

XII. *A patre Cõsule morti addictus perit.* NAM pater eum auersatus, concionem classico aduocari iussit, & coram reprehensum filium violatæ militaris disciplinæ imperijque patrij, ad ea stabilienda exemplo terrifico, iubet eũ à lictore præscindi ceruices. Itaq; exemplo factum. Exanimati omnes tam atroci imperio, non aliter quam in se quisque districtam cernentes securim, metu magis, quam modestia quieuere: repente autem postquam ceruice cæsa fusus est cruor, tum libero conquestu coortæ voces, vt neque lamentis, neque execrationibus parceretur.

XIII. *Non sine paterna culpa.* NEQVE fortassis iniuria. Quæ enim *hunc tam barbara morem Permittit patria?* vt leue delictum, edicti tali occasione violati, quodque Superi fœlici euentu fortunassent, atque approbassent, tam atroci pœna in tali iuuene plecteretur? præsertim cum imperium nulla seuerioris pœnæ denunciatione fuisset communitum; & præsens necessitas eum lege illa soluisse videretur: vt non sine causa Paulus Orósius id facinus parricidium vocet. *Li. c. 9.* Eadem illi mens, quæ olim aduersus Ionathan filium, Sauli victori fuit, vt degustati mellis reum, ad mortem rapi iuberet, sed sapientior tum exercitus Hebræorum Romano fuit. Nam iuuenem regium, vel vi, vel precibus ex crudelis patris manibus eripuit, hic querelis contentus, tanto patris facinore summæ spei adolescentem, laude & præmio, quam castigatione digniorem: à lictore capite truncari permisit, iussu hominis ferocis, qui durum erga se patrem olim expertus, ferreus in filium esse non dubitauit, vt Imperia Manliana deinceps prouerbio iactarentur.

XIV. *Redintegratur pugna; victoriaque.* Latini postquam ex fuga se collegerunt, autore Numisio eorum Imperatore, raptim exercitum ex vicinis Volsceis, Latinisque conscribunt, vt Romanos nihil tum minus quam prælium expectantes, necopinato aduentu percellant. Huic agmini Torquatus Consul ad Tifanum occurrit: priusquam castris locus caperetur, sarcinis vtrimque in aceruum congestis, pugnatum, debellatumq; est. Adeo enim accisæ res sunt, vt Consul victorem exercitum ad populandos agros eorum ducenti, dederent se omnes Latini: deditionemque eam Campani sequerentur: Latium, Capuaque agro mulctati: extra pœnam tamen fuere Latinorum Laurentes, Campanorumq; equites 1600. quia non desciuerant. Cum Laurentibus renouatum est fœdus, equitibus ius Romanæ ciuitatis datum est.

XV. *Odium Manlij.* ITA bello gesto T. Manlius Romam redijt, cui venienti seniores tantum obuiam exisse constat. Iuuentutem & tunc, & omni vita deinceps, accersitam eum, execratamq; qui se patrem oblitus ac Consulem, crudelem tyrannum ac barbarum egisset in filium innocentem, vt is commune odium in pœnam iniustissimæ seueritatis verteret. Creatus est etiam extremo anno Dictator L. Papyrius Crassus, qui tum forte Prætor erat, sed nihil ab eo contra Antiates memorabile gestum. Meminit huius Dictaturæ M. Tullius, *a* sed hunc annum vocat V.C. 415. si abest à numero mendum. Magistrum autem equitum vocat L. Papyrium Cursorem, sicut & Liuius. *a l. 9. Epist. 11.*

ANNVS MVNDI 3715. SEXTAE AETAtis & Imp. Pers. 199. Arsis. 3. & Vlt. Ieddoæ Pontif. 26. Philipp. 22. Olymp. CX. An. 2. Archonte Lysimachide. Vrb. Cond. 414. Coss. T. AEmylio Mamerco, Q. Publio Philone. Dict. Eodem Philone.

ANNVS ANTE CHRISTVM 338.

I. *Arses cadit.* ARSES Persarum Imperator, & seruitutis indignissimæ pertæsus, & Bagoæ sceleribus offensus, se pœnas de autore sumpturum, manifestis argumentis incautius declarauit. Insidijs deprehensis, Bagoas Arsen cum liberis tertio imperij anno è vita sustulit, vt scribit Diod. sub init. l. 17. Alexand. vero Magnus apud Arrianum, *b* scribens ad Darium ait ipsum, opera Bagoæ vsum, Arsen interfecisse. *b l. 1. Expedit.*

II. *Speusippi philosophi mores, & obitus.* SPEVSIPPVS Platonis ex sorore nepos, eius scholam suscepit, *c* ineunte Olympiade centesima octaua, & eum eam octo annis rexisset, hoc anno mortuus est. Perstitit in doctrina Platonis, etsi moribus similis non fuerit, vt qui iracundiæ & voluptatibus deditus fuerit. De eius porro morte, ac successore hæc subdit Laertius. Cum iam illi corpus *c Laert. in Xenocrate & Speusippo.*

omne paralysi resolutũ esset, accersito Xenocrate orauit, vt sibi in docendo succederet. Aiunt illum, cum in vehiculo ferretur in Academiam, obuium habuisse Diogenem, quem cum saluere iussisset. At tu, inquit Diogenes nequaquam salue, qui huiusmodi cum sis, vitã ere sustines. Deniq; mœrore compulsus, cum iam senio confectus esset, mortem sibi consciuit. Ibidem ex Plutarcho refert, illum pediculis efferuescentibus interijsse. Sed id nusquam apud Plutarchum reperio.

III. XENOCRATES ergo Speusippo successit hoc tempore, vir haud paulo sapientior ac melior, etsi ingenio aliquanto tardiore, vt ait Laertius. Ingenium tamen satis probant tũ ingens voluminum ab eo editorum catalogus, tum an. 25. quibus rexit Academiam. Ore fuit ad modestiam ac seueritatem composito, adeo vt ei Plato per iocum diceret, vt Gratijs sacra faceret. Plato, ait Plutarch. suæ se vitæ exemplo dicebat corrigere Speusippum, sicut & Polemone Xenocrates conspectus tantummodo in schola, & ipsum intuitus ad aliud vitæ genus traduxit. De eius continentia, prodigij instar habent, quę narrat Laertius. Insignem quoque abstinentiam, & diuitiarum contemptum apud eundem exemplis non vulgaribus testatũ reperies. Quæ causa fuit vt illi vni iniurato testi, Athenienses fidem adhiberẽt. Sed illud mirandum in primis. Gloriæ & fastus inquit, sommus contemptor fuit, ac sæpe interdiu meditationi inseruiebat, atq; vnam horam silentio tribuebat. Annum agebat nunc duodeseptuagesimum.

IV. ATHENIS porro prætore Lysimachide Athenienses fabricas naualium, & armamentariorum distulerunt, propter bellum Philippicum, sed pecuniam omnem iusserunt esse militarem, Demosthene referente. Ita Philochorus apud Dionys. ad Ammæum: ex quo patet perbreuem fuisse pacem, anno superiore à Philippo cum Atheniensibus, & Græcis initam. Quinimo addit Dionys. hoc ipso Archonte Lysimachide Elateam, & Cytinium Atheniensium oppida à Philippo esse occupata, (quod Diod. in seq. annum distulit.) & legatos Atheniensium Thebas contra Philippũ missos. Philippum autem Thebas, legatos misisse Thessalorum, Ænianum Ætolorum, Dolophum Phthiotarum. Thebanos nihilominus societatem Atheniensibus decreuisse. Rem fusius exponit Demosth. de Corona, ex quo hæc pauca. Cum Cyrrhæi & Locrenses Delphicum agrum occuparent, publicum Amphyctionum concilium Philippum elegit, vt eos bello coerceret. Verũ is collecto statim exercitu, progressus quasi Cyrrhæũ agrum inuasurus, Cyrrhæis, & Locrensibus dimissis, Elateam occupauit, confirmatis prius cum Atheniensibus induciis, & Thebanorum beneuolentia amicis literis renouata, quos simul ab Atheniensibus reddebat alienos, vt illos imparatos inuaderet, & Thebanos sibi aduersarios non haberet, per quorum regionem ipsi in Atticam veniendum erat.

V. ELATEA occupata, magnus Athenis tumultus est excitatus, metuq; & inopinato malo perculsis omnibus, & quid consilij capiendum esset ignorantibus, Demosthenes exurgit, suadetq; vt Thebanos sibi missa legatione nõ solum concilient, sed etiam belli societate contra Philippũ coniungant, opem contra Philippum afferant, qui æque Thebanis, ac Atheniensibus in seruitutem redigendis imminet. In eamq; sententiam decretum est factum. Missiq; Thebas legati, in quibus Demosthenes. Nec sibi defuit Philippus. Nam & ipse quoq; legatos Thebas misit, quorum præstantissimus erat Python, eximius dicendi artifex: cui Demosthenes se non cessisse gloriatur, licet is torrente verborũ aduersarios obruere conaretur. Quo etiam plures aliarum prouinciarum legati confluxere, qui in concione publico multa in Philippi laudem, multa in accusationem Atheniensium dixere, & in summa illud petiere, vt pro acceptis à Philippo beneficijs, gratiam referrent, & Atheniensium iniurias vlciscerentur, siue dato ad eos transitu, siue vna in Atticam irruptione facta.

VI. VERVM audito Demosthene, ita partes Atheniensium sunt amplexi, vt mox venientem eorum exercitum in vrbem, atq; in proprias ædes summa fiducia, atq; hilaritate reciperent. Atheniensium copiarum numerum diserte nõ exprimit Demosthenes, ducẽtarum tamen nauium in suo decreto meminit: belli autem duces nominat Diod. Charetem & Lysiclem. Philippus cum se spe sua de Thebanis excidisse animaduertisset, contra vtrosq; pugnare decreuit. Itaq; omni studio copias, quantas maximas potuit, cõtraxit, itaq; reliquus annus in belli apparatu abijt. Nam bellum ipsum, & prælium ad Chæroneam Bœotiæ, ad annum sequentem Præturæ Charondæ pertinet.

VII. HÆC dum per suos in Græcia Philippus agitat, ipse ad Scythas profectus videtur, vbi irritatis vtrinq; animis, prælium committitur, vt Iustinus tradit, & licet virtute & animo Scythæ præstarent, astutia tamen Philippi vincuntur. viginti millia puerorum ac fœminarum capta, pecoris magna vis, auri argentiq; nihil. Viginti millia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa. Sed reuertenti à Scythis Philippo Triballi occurrunt. Hi sunt Mysiæ inferioris populi, quos quidam Bulgaros, alij Scythothraces vocant. Hi negant se transitum daturos, nisi portionem prædæ accipiant. Hinc iurgium, & mox prælium. In quo ita in femore vulneratus est Philippus, vt per corpus eius equus interficeretur: cum omnes occisum putarent, præda amissa est. Ita qui prædæ causa bellum susceperat, & prædam amisit, & pene mortuus, aut hostium præda factus est. Vbi vero ex vulnere primum conualuit, diu dissimulatum bellum Atheniensibus intulit, de quo anno sequenti, quo id contigit, dicendum erit.

VIII. AD præsentem autem pertinent res gestæ à P. Philone contra Latinos, rebellantes ob iram agri amissi: quos in agris Fenectanis fusos castris exuit, & rursum in deditionẽ accepit. Æmylius ad vrbem Pedum exercitum duxit, & cum Pedanis, eorumq; socijs plerisq;, aliquot prælia feliciter consluit. Sed restabat adhuc integra res ad vrbem, ad quam illi castra posuerãt, cum audito triumpho, qui Collegæ decretus erat, ipse eosdem flagitatorie infectis Romã redijt, quem cum pateret in captum, aut deditum Pedum differrent, alienatus à Senatu reliquum Consolatum seditioso Tribunatui similem gessit: collega haud quaquam aduersante, qui & ipse de plebe erat. Itaque cum Senatus finire imperium Consulibus cupiens, Dictatorem aduersus rebellantes Latinos dici iussisset, Æmilius, cuius tum fasces erant, Collegam Dictatorem dixit, à quo Mag. equitũ Iunius Brutus dictus est. Nec minus Dictatura quam Cõsulatus popularis fuit, in qua leges nobilitati aduersæ perlatæ sunt, in quibus illa fuit, vt quoniam iam per leges licebat vtrumq; Consulem esse plebeium, vt ex l. 7. extremo patet, etiam alter saltem Censorum plebeius esse posset. Nam vocem Consulis in Liuii textu deesse, etiam Sigon. notauit. Et videtur perlata lex. Propterea enim gemens Liuius ait plus hoc anno acceptum cladis à Consulibus, & Dictatore, quam ex eorum victoria allatum in Rempub. emolumenti.

ANNVS MVNDI 3716. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Pers. 200. Darij 1. Ieddoæ, siue Iaddi Pontif. 27. Philippi 23. Olympiad. CX. An 3. Archonte Charonda. Vrb. Cond. 415. Coss. L. Furio Camillo, & C. Mœnio.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 337.

I. SECVNDO seculo Imperii Persici exeunte nouus Persarum Imperator, idemq; vltimus exoritur Darius Arsami filius, Eusebio, Arsani Diodoro, qui & auum Darii Ostanem prodit: Arsamum autem siue Arsanum Regis Persarum Artaxerxis (Ochi scilicet aut certe Memnonis,) fratrem fuisse tradit. Iustinus Darium prius Codomanum dictum fuisse scribit, & ob res præclare gestas, ad regnum erectum. *Ochus, inquit, bellum Armenijs infert. in eo cum aduersus prouocatorem hostium, Codomanus quidam cum omnium fauore processisset, hoste cæso victoriam suis pariter, & prope amissam gloriam restituit. Ob hæc decoratus idem Codomanus præficitur Armenijs. Interiecto deinde tempore, post mortem Ochi regis, ob memoriam pristinæ virtutis,*

virtutis, rex à populo constituitur. Darij nomine, nequid regiæ maiestati deesset, honoratus. Ita Iustin.

DIODORVS eadem ferme habet. a Vbi cum dignum regno propterea habitum dicat, quod virtute Persis omnibus antecelle crederetur, Regem tamen ex arbitrio Bagoæ factum tradit, qui Imperiis, atque Imperatori pro libidine dominabatur. Fieri tamen potest vt eum Bagoas Satrapis proposuerit, eorumque suffragia exquirere voluerit. Sed Diodorum ipsum audiamus, *Regia domo*, inquit, *ad solitudinem redacta, cum nemo ex ea gente superesset* (fratrum scilicet, aut filiorum Arsis, quos omnes parricida ille peremerat. Arr. tamen l. 3. ait Bisthanem Ochi filium Alexandro Mediam petenti obuiam factum esse, sed & Ochi ex filio neptem memorat Q. Curtius sub init. l. 6. Pergit Diodorus) *qui successionem in regno sibi vindicaret, Darium ex amicis quendam productum in regni possessionem immittit. Hic Arsamum, qui Artaxerxis Persarum regis frater erat, parentem habebat.* Ita Diod. ex quo mirum est quod paulo ante dixit, neminem superfuisse, qui sibi Persarum imperium vindicaret.

MIRVM quoque; eum à Iustino, quasi nouum hominem celebrari, quod Alexander quoque in literis ad Darium suis confirmat. *Cum tu*, inquit, *Arsen opera Bagoa interfici curasses, regnumq; iniuste, ac contra Persarum leges, & instituta occupasses.* Hæc ipse apud Arrianum. Alexander apud Curt. l. 6. in concione apud Milites. *Ne Darius quidem*, inquit, *hereditarium Persarum accepit imperium, sed in sedem Cyri* (forte hoc quoq; nomine dictus est Arses, sed Cyri alij rectius legunt) *beneficio Bagoa castrati hominis admissus est*, &c. Sed audiamus rursum de morte Bagoæ Diodorum.

BAGOÆ porro, inquit, singulare quiddam, & memoria dignum contigit. Sanguinaria enim crudelitate, cui hactenus assueuerat inductus, medicata potione etiam Darium necare instituit, sed insidijs patefactis, Rex Bagoæ cum iter aduocato poculum tradit, & ad ebibendum illud vi hominem adigit. Sic homo scelestus incidit in foueam, quam parauerat alteri; in qua pœna nihil æque dolendum fuit, quam tot Regum, regiorumq; iuuenum tortorem cruentissimum, tam leui morte in Tartarum descendisse. Populū de Bagoæ morte nonnihil esse tumultuatum ex Q. Curt. l. 6. satis constat, vbi Nabarzanes scribit ad Alexandrum, Darium cum occidisset Bagoam, hac excusatione satisfecisse popularibus, quod insidiantem sibi interemisset. Ait idem Diodorus, Darium sub idem ferme tempus imperiū accepisse, quo Philippus est mortuus, eique successisse Alexandrum, cuius vi fortitudo & gloria redderetur illustrior, potentem illi aduersarium præparasse. Agebat autem Alexander hoc tempore an. 19 *ἀντίπαλον* vocat Diod. sed aliquanto laxior est eius chronologia.

INSIGNIS quoque est hic annus pugna ad Chæroneam Bœotiæ, in qua infeliciter ab Atheniensibus & Thebanis contra Philippum pugnatum est, qua illis imperium Græciæ totius partum, illis ademptum est, vt mox dicetur. Bœotiam ingressus est Philippus cum exercitu, quo triginta millia peditum, equitum duo millia censebantur, vt scribit Diod. Exercitus vterque erat ad pugnam paratissimus, nec alter alteri virtute cedebat, sed militum numero, bellique administrandi scientia, Rex longe præstabat, vt idem ait, cui de numero Iustinus minime consentit. *Prælio*, inquit, *cum Athenienses longe maiore militum numero præstarent, assiduis bellis indurata virtute Macedonum vincuntur.* Sed de prælio ipso aliquid prius ex Diod. dicamus.

SVB ortum, inquit, lucis acies vtrimq; expediri cœpit. Rex filium Alexandrum adolescentem, qui manifesta iam ediderat argumenta virtutis, vnum cornu regere iubet, lectissimorum ducum stipatum comitatu. Ipse cum delecto militum robore alterum tenet, ordinesq;, prout locus, tempusque postulant, disponit. In altero exercitu Bœoti cornu vnum, Athenienses alterum propugnant. Atrox prælium fuit, victoria neutram in partem diu inclinante, donec Alexander, studio probandi patri virtutem suam, cum suis primus oppositam sibi aciem perrumpit, (Bœotorum scilicet, quorum ignauiæ cladem Demosthenes in funebri oratione tribuit,) & post multam stragem in fugam vertit. Nec minus Rex ipse in prima acie dimicans, ne filio victoriæ gloriam concederet, obiectum sibi agmen, primum è statione sua depulit, eoque in fugam tandem coniecto, victoriæ auctor extitit. Verum hæc fuga Athenienfibus tribui non potest, si vere scripsit Iustinus, eos non immemores pristinæ gloriæ cecidisse. Aduersis quippe vulneribus omnes loca, quæ tuenda à ducibus acceperant, morientes corporibus texisse.

HOC prælio mille, ac plures cecidisse auctor est Diodorus, nec pauciores duobus millibus captos: magnam pariter Bœotorum multitudinem interemptam, nec exiguam in manus hostium venisse, quod mutuatus videtur ex Lycurgo Lysiclis accusatore, cuius hæc verba refert. *Belli Prætor fuisti ô Lysicles: & quamquam mille ciuium occubuerint, bis mille captiuitatem subierint, Trophæum ad huius vrbis ignominiam sit excitatum, & vniuersa Græcia iugum seruitutis inierit, & hæc omnia te belli imperatore contigerint, viuere tamen audes, solisq; iubar sustines intueri*, &c. Hic dies, ait Iustinus vniuersæ Græciæ gloriam dominationis, & vetustissimam libertatem finiit: ex Demosth. vtiq; in orat. funebri. Vbi ait totius Græciæ libertatem in horum virorum animis sitam fuisse, eisq; fato sublatis Græciæ autoritatem esse sublatam. Quinimo hisce viris, quasi Græciæ luminibus sublatis, in tenebras ac magnam ignominiam omnia veterum Græcorum decora concidisse. Suam tamen ipse ignominiam dissimulat, qui è prælio abiecto clypeo effugerit: & cum eius chlamys rubo adhæsisset, quasi iam ab hoste teneretur, clamarit *ζώγρει*, viuum cape: quæ pleriq; veterum tradidere. b

REFERT Diodorus fuisse qui traderent, Philippum victorem sese intemperanter admodum, atq; insolenter gessisse, victisque miseriam, ac cladem contumeliose exprobrasse. Donec à Demade captiuo libera oratione admonitus, vsq; adeo se moderate modesteq; gessit, vt missis ad populum Atheniensem legatis, amicitiæ ac societatis fœdus cum ipsis, minime vtique inuitis, renouaret, captiuosque omnes absque pretio liberos dimitteret. De priore insolentia nihil Iustinus, ad posteriorem autem modestiam, addit inter cætera, Philippum, filium Alexandrum Athenas cum amico Antipatro misisse, qui pacem cum ipsis amicitiamq; iungeret. Thebanorum autem non solum captiuos, verum etiam interfectorum sepulturam vendidisse, principes ciuitatis alios securi percussisse, alios in exilium exegisse, bonaq; omnium occupasse: eosq; deinde restitutos, iudices, rectoresque ciuitati dedisse: vt scilicet ea gratia priorem iniuriam repararet, & vrbem litibus, cædibusque repleret, dum eosdem & iudices facit & accusatores. Lysicles belli dux cum fugitiuis Athenas reuersus, capitali supplicio affectus est.

SVB huius anni finem existimo Philippum, victoria exhilaratum, expulsa Alexandri matre Olympiade, propter stupri suspicionem, in matrimonium accepisse Cleopatrā Attali neptem. Nam Iustinus has nuptias coaluisse significat, paulo antequam celebrarentur eæ, in quibus occisus est Philippus. Sed id multo etiam clarius est ex eo, quod in hisce nuptijs contigisse scribit Plutarch. in Alexand. Cum in conuiuio, (nuptiali scilicet Cleopatræ) Attalus, qui illius fuit auunculus, vino incaluisset, hortatus est Macedonas, vt exposcerent à dijs iustum ex Philippo & Cleopatra regni successorem. Exarsit inde Alexander, ac cum dixisset. *Quid nos tibi scelus? num adulterini videmur?* Scypho eum petijt: statimque in eum Philippus stricto ense irruit: sed bona vtriusq; fortuna, impacto per iram & vinū pede, prolapsus est. Cui Alexander insultans. *Hic vero Macedones*, inquit, *in Asiam parabat ex Europa transmittere, qui ex lecto in lectum transgrediens procidit.* Hæc ibi. Quæ verba aperte docēt eas nuptias hoc tempore initas, cum Philippus, nondum fortasse publice, domi tamen, & inter amicos de Persica expeditione dissereb at. Mox autem ab hac rixa, tumultuque domestico, Alexander, abducta secum matre Olympiade, quam in Epiro collocauit, ipse se in Illyrium contulit. Sed eum Philippus anno sequenti ad se reuocauit.

HIC idem annus vndecentesimus est, idemq; vltimus vitæ Isocratis, authore Plutarch. in eius vita, & M. Tul. in Cato. maiore, vbi ait eum quarto & nonagesimo vitæ anno scrip-

Margin notes: a Vide Iustin. l. 10. — Ab nemine bono factus. — III. Ex Iustino, Arriano & Curtio. — IV. Mors Bagoæ. — V. Pugna ad Chæroneam. — Copiæ Philippi. — VI. Prœlium ... — VII. Clades Atheniensium magnitudo. — b Vide Schol. in Demosth. 44. — VIII. Regis in victoria Philippus. — Ergo Athenienses, & Thebanos. — IX. Noua Philippi nuptiæ. — Periculum Alexandri. — X. Quando obierit mors Isocratis.

no scripsisse eum librum, qui Panathenaicus inscribitur, vixisséq; quinquennium postea. Tot enim anni ab Olympiadis octogesimæ sextæ anno primo numerantur, quo eum natum esse eo loco diximus. Qui autem vnum annum eius vitæ detrahunt, alterum extremorum non numerant, cum tamen omnes & in primo Prætore Lysimacho, & vltimo Charonda, siue Cheronide consentiant. Totam vitam egit in grauissimis turbulentissimisq; Græciæ temporibus. Cum enim quinquennio ante bellum Peloponnesiacum natus esset, totam illam 27. annorum tempestatem subijt, qua totius pene Græciæ vires accisæ atq; afflictæ sunt. Inde alia ex alijs nata bella, sociale, Corinthium, Laconicum, Thebanum, Phocense, quod & sacrum dictum est, donec Philippus pugna Cheronæa, ceruicibus Græciæ frœnum seruitutis imposuit. Quæ mala atque turbas, hoc ille sensit vehementius, quo erant alieniora ab eius mitiore natura, quæ illi audaciam, & vocis magnitudinem negarat, vt ait Plutarchus, & Halycarnasseus, in opere de antiquis oratoribus. Et addit.

XI. *Eius vita, & obitus voluntarius.* CLARISSIMVS fuit inter eos, qui eodem tempore floruerunt, & adolescentes cum Athenis, tum in reliqua Græcia præstantissimos erudijt: quorum alij in forensibus causis excelluerunt, alij in publicis negotijs, & administratione Reipubl. alij res à Barbaris & Græcis communiter gestas in literas retulerunt. Itaque schola eius veluti colonijs eloquentiæ deducendis, imaginem quandam ciuitatis Atheniensis repræsentabat. Vnde etiam tantas opes adeptus est, quantas eorum nemo, qui docenda philosophia rem fecerunt. De morte autem eius hæc addit. Obijt Prætore Chæronide paucis diebus post prælium ad Chæroneam commissum. Ita enim decreuerat, se Reipubl. cladibus superesse nolle, cum incertum adhuc esset, quomodo fortunam laturus esset Philippus, suscepto Græciæ principatu. Quibus verbis innuit Dionysius, voluntariam fuisse miseri hominis mortem. Sed dubitationem omnem tollit Plutarchus in eius vita. *Mortuus est*, inquit, *Archonte Charonida, cum in Hippocratis palæstra nuncium de Cheronensi clade accepisset.* Nam quatriduana inedia seipsum è vita eduxit, non sustinens videre Græciam quartum in seruitutem redactam. Hæc ille.

XII. *Res in Latio præclare gesta.* SENATVS porro in Italia infensus Æmylio, omnem dedit operam, vt bellum ab eo derelictum, à nouis Consulibus gloriose in eius exprobrationem conficeretur, quod & factum est. Cum enim exercitus ad Pedum vrbem esset admotus, (nam vrbibus Latini se continebant, qui ad bellum infirmi erant, & pacem ob dolorem adempti agri aspernabantur,) aliquos tamen ad Pedi auxilium profectos Mœnius Consul improuiso adortus fudit. Camillus, ex vrbe erumpentes, non solum repulit, sed eodem etiam die, cum ipsos eorumque auxilia perculisset, oppidum scalis cepit. *Cum ijs deditis actum.* Inde ad perdomandum Latium victorem exercitum Consules circumduxere: nec quieuere ante, quam expugnando, aut in deditionem accipiendo singulas vrbes, Latium omne subegere.

XIII. *Victoria gloria, & quid cum victis gestum.* PRÆSIDIIS inde dispositis per recepta oppida, Romam ad destinatum omnium consensu triumphum, decessere. Additus triumpho honos, vt statuæ equestres eis, rara illa ætate res, in foro ponerentur. Postremo Camillus Consul antequam magistratu abiret, Senatum de Latinis populis in diuturna pace continendis consuluit, eamque ad rem nouo, nec inspetato minus quam immerito beneficio, demerendis. Senatus pro diuersitate ipsorum varie de singulis statuit, vt accuratius à Liuio declaratur. Quibusdam enim ius ciuitatis redditum, in aliquos seuetius, mitius in alios, pro delicti grauitate animaduersum est.

†

ANNVS MVNDI 3717. SEXTÆ ÆTATIS, & Imperii Pers. 201. Darij 2. Ieddoæ, Pontif. 28. Philippi Macedonis 24. Olymp. CX. An 4. Archonte Phrynico. Vrb. Cond. 416. Coss. C. Sulpitio Longo, & P. Aelio Pæto. Dict. C. Claud. Regillensi.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 335.

PHILIPPVS Rex ob victoriam ad Chæroneam partam celsos gerens spiritus, postquam nobilissimis Græciæ vrbibus pauorem iniecit, id omni animi contentione molitus est, vt totius Græciæ Imperator deligeretur. Fama igitur de sparsa, quod Persis bellum inferre, sub hoc exordiū tertij seculi Monarchiæ ipsorum, (qui annus Sabbaticus est ordine 162.) pro Græcorum emolumentis, statueret, & ob admissam in sacra Deum impietatem, vindictam de illis sumere in animo haberet, facile sibi Græcorum beneuolentiam conciliauit. Nimirum oportebat ad deuinciēdos sibi populos, & animandos in Persas, prætextum à Rege vaferrimo violatæ, & vindicandæ religionis assumi, eoque ambitionem affectati Persarum imperij obuelari. Publico igitur conuentu apud Corinthum indicto, de bello contra Persas suscipiendo disserit, & præclaram de successu rei spem faciens, ad belli societatem concilium exhortatur. I. *Philippus de bello Persico consult. consilium.* *Religionis prætextus.*

AD extremum Græciæ totius imperator, cum summa potestate creatus, magnificos in expeditionem illam apparatus facit, certoque militum auxiliariorum numero singulis vrbibus indicto, in Macedoniam redit. Hæc ex Diodoro. Iustinus ait omnium ciuitatum legatos Corinthum euocatos, ad formandum eorum præsentium statum. Ibique pacis legem vniuersæ Græciæ, pro meritis singularum ciuitatum statutam, Conciliumq; omnium veluti vnum Senatum ex omnibus elegisse: solos Lacedæmonios & legem & Regem contempsisse: seruitutem, non pacem ratos, quæ non ab ipsis ciuitatibus, sed à Rege victore, quasi pro potestate in subditos, ferretur. Athenienses tacebant, iugumq. subibant cum cæteris: quippe nuper magna clade fracti, & insuper beneficio affecti, ac renouato fœdere coniuncti tenebantur. Thebani quoq; pessime omnium habiti, nihil poterant: cætera omnia Philippus habebat, aut metu, aut spe, aut beneficijs sibi deuincta. II. *Eligitur à tota Græcia imperator.* *Tacent contumaces Obnitentib. Spartanis.* *Tacentibus Atheniensib. & Thebanis.*

INTEREA dum Corinthi degit Philippus, Demaratus Corinthius hospes familiæ regiæ, & libere loqui apud Regem solitus, inuisit Philippum, quo percunctante, qui cōueniret inter Græcos? Scilicet tibi, inquit, conuenit Philippe solicitudinem gerere Græciæ, qui domum tuam tanta seditione, & malis obruisti. Ita ad se reuersus Philippus, missis nuncijs, flexum Demarati opera Alexandrum, reuocauit. Hæc Plutar. quæ paulo aliter obiter à Iustino referuntur. Addit deinde Iustinus auxilia singulatū ciuitatum pro cuiusque viribus, atq; amplitudine fuisse descripta, summamq; auxiliorum ducenta millia peditum fuisse, & equitum 15. millia. Macedoniæ etiam exercitum extra hanc summam fuisse, & confinem domitarum gentiū barbariem. Reliquum ergo anni tempus extractum est in tāti belli apparatu: nuptiatū quoq; Cleopatræ, Philippi ex Olympiade filiæ, cū Alexandro Epirotarum rege, id est, auunculi cum nepte sua: quæ proximo anno infeliciter celebratæ sunt. Et dum apparantur viderut data occasio Pexodoro Cariæ Satrapæ ambiendi Philippi affinitatem, oblata filio eius Aridæo filia sua natu maxima. Quam cum Alexander monitu amicorum, & matris sibi ambiret, veritus ne per has nuptias Philippus regno imponeret Aridæum, ab eo consilio paterna obiurgatione reuocatus est, vt pluribus tradit Plutarch. in Alexandro. III. *Philippus Alexandrũ reuocat.* *Parantur copiæ in Persas. l. 9.* *Alia nuptiæ in regia familia.*

DVM autem pax Romæ beneficijs in socios, non minus quam armis parta vigeret, Sidicini Auruncos Romanorum deditios bello petiere, quos cum defendendos Senatus censuisset, tantaque fuisset Consulum tarditas, vt interea Aurunci suam vrbem amitterent: indignatus Senatus in Consules, Dictatorem dixit C. Claudium Re- IV. *Sidicini Auruncos subigunt. Dictator Claudius Regillensis.*

lensem, qui Magistrum Equitum C. Claudium Hortatorem dixit. Verumcum Augures vitio creatum videri Dictatorem dixissent, Dictator Magisterq; Equitum se magistratu abdicarunt.

V *Minutia Vestalis damnatur.* Hoc ipso anno Minutia Vestalis suspecta primo, propter mundiorem iusto cultum: insimulata deinde apud Pontifices ab indice seruo, cum decreto eorum iussa esset sacris abstinere, familiamque in potestate habere, quod eras seruos non manumittere, vt possent in quæstionem dari, facto iudicio viua sub terram defossa est, in campo, qui dicebatur Sceleratus, quod ibi virgines Vestales, contaminata pudicitia, in domuncula subterranea, in qua stratus erat lectus, includerentur, vt ex Plutarcho in Numa notauit Sigon. Paulus Orosius hunc annum. 410. V. C. vocat, errato in num. haud dubio illapso, quæ monitio frequenter in eodem auctore facienda est. Eodem anno *Prætor è plebe. Li. l. 8. c. 9.* Q. Publius Philo Prætor primus è plebe factus est, aduersante L. Sulpitio Consule, & negante se eius rationem habiturum, eius scilicet nomine inter candidatos recipiendo. Verum Senatus, qui in petitione Consulatus, & Censuræ à Plebe victus esset, noluit pro Prætore contendere.

ANNVS MVNDI 3718. SEXTAE AETAtis & Imp. Pers. 202. Darij 3. Ieddoæ Pontif. 29. Philippi Macedonis 25. & vlt. Alexand. 1. Olymp. CXI. An. 1. Archonte Pythodemo. Vrbis Cond. 417. Coss. L. Papyrio Crasso, & Cæsone Duellio.

Al. Pythodoro.

ANNVS ANTE CHRISTVM 335.

I *Ratio temporum Philippi & Alexand.* PRIOR huius anni pars, vitæ, ac regno Philippi Macedonis finem imponit, posterior autem dat initium Regno Alexandri. Nam sub Pythodemo, vt eum vocat Arrianus l. 1. & Dionysius in Dinarcho, siue vt habet Diodorus sub Pythodoro, mortuum Philippum Arrianus, ac Diodorus consentiunt: qui propterea ei tantum 24. annos tribuit, *a* quod bona pars anni 25. ad Alexandrum pertineat. Paulus Oros. *b* scribit primum Alexandri annum in Vrbis Conditæ quadringentesimum 26. incidere *c* quem sequitur Supplementum Curtij, *c* vtique non dubio in numeros illapso mendo, pro 416. vt notauit Pontacus in Euseb. idque de absoluto anno intelligendum est. Anno etiam Olympiadis centesimæ vndecimæ Alexandrum regnare cœpisse, in qua Cleomanus Clitorius è stadio palmam tulit, censet cum Eusebio, & Africano Pontacus, Tornielus, Gordonus Samerius: & è Sectarijs Functius, Capellus, Scaliger, Caluisius, Helnicus, Mercator, Temporar. Et omnino necesse est eum hoc anno regnare cœpisse, si mortuus est initio Olymp. 114. vt duodecim annos regnarit, vt ex Scriptura constat, & insuper aliquot menses, vt Euseb. Diod. Arrian. tradidere, vt in eius morte dicemus. Nunc Philippi postrema videamus.

a Initi. l. 17. b l. 3. c. 16 c Initi. l. 2. Mac. l. 1. c. 1.

II *Philippus copias in Asiam præmittit.* CVM iam Philippus anno superiore totius belli in Persas summus Græciæ imperator constitutus esset, magnamque vim copiarum haberet ex vniuersa Græcia, Macedonia, vicinisque prouincijs præpararam, initio veris ait Iustinus lib. 9. tres duces in Asiam cum parte copiarum præmittit, Parmenionem, Amyntam, & Attalum, cuius sororem nuper expulsa Alexandri matre Olympiade, propter stupri suspicionem, in matrimonium acceperat. Verum Plutarchus non sororem Attali Cleopatram, sed neptem vocat. Diodorus in ducibus in Asiam præmissis Amyntæ non meminit, & Attalum copiarum primarium ducem constituit, vt Philippo magna affinitate coniunctum: erat enim, vt dixi, auunculus Cleopatræ nouercæ Alexandri. His autem ducibus in mandatis datum est, vt Græcas vrbes, quæ in Asiæ ora sitæ sunt, à Persarum dominatione ereptas in libertatem vendicarent. Cum tamen ipse longe maiora, atque iniustiora moliretur.

III *De oraculo ambiguo.* INTEREA ipse deorum consilio bellum suscipere maturans, Pythiæ oraculo consulto, in fraudem, responsi ambiguitate inductus est, quod apud Diodorum, & Pausaniam in Arcadicis reperitur.

Serta gerit taurus, finem manet, astat aruspex:

quæ ille sui amore, & spe rerum gerendarum ebrius non intellexit: & qui Persis ruinam se proxime illaturum putabat, sibi cædem imminentem non agnouit. Itaque deos sibi propitios habere se credens, magnifico eis sacrificio instituto, simul Cleopatræ filiæ, quam ex Olympiade susceperat, nuptias celebrabat, eamque Alexandro Epirotarum Regi, qui frater erat Olympiadis, vxorem dabat. Maximus erat ex vniuersa Græcia hominum ad nuptias conuentus, quos Philippus acciuerat, quasi de imperio delato in bellum Persicum gratias agens. Erant & maximi ludorum apparatus, magna munerum magnificentia, magna musicorum, vatumque frequentia. Illud autem inter cætera maximum fuit, non minus superbiæ quam magnificentiæ monumentum. Duodecim enim deorum signa, populo in theatro spectante, circumferebantur, cultu mirifico, artificio singulari, tum decimum tertium ipsius Philippi simulachrum, diuino per omnia simile, ostentabatur, quasi Rege supra humanam sortem in deorum consessum admisso.

ἐστέφθαι μὲν ὁ ταῦρος, ἔχει τέλος, ἔστιν ὁ θύσων. Nuptiæ Cleopatræ. Philippi superbia.

IV *Occiditur.* NON tulit diutius tantam impij hominis superbiã Deus. Nam, vt narrat Diodorus, pleno iam theatro ipse candidam indutus stolam prodit, cum iussisset satellites, per longum se interuallum sequi, quasi Græcorum beneuolentia munitus, satellitum præsidio nihil indigeret. Ad hoc igitur Maiestatis culmen elatum, dum omnes eum lætis acclamationibus, magnisq; laudibus prosequûtur, virumq; beatissimum prædicant, ex insperato diuina vindicta percellit, & Pausaniæ gladio, hominem iudicio suo parem cœlitibus prosternit: quo modo postea Herodem similia meditantem angelica manu percussit, & vermibus viuum cõsumendum dedit. *d* Contigit ea cædes anno ætatis eius quadragesimo septimo, regni 25. vt octauo libro Iustinus affirmat, quod vtrumq; accurate cum nostra Chronologia congruit. Sed operæprecium est & causam, & modum huius mortis explicare.

d Act. 12. 23.

V *Mortis causa & modus.* ATTALVS Cleopatræ vxoris Philippi auunculus, idemque præmissi in Asiam exercitus imperator, quendam adolescentem Pausaniam nomine Cerastæ filium ex Orestarum gente, ait Ioseph. *e* ad conuiuium vocarat, largoq; mero grauati corpus, contumeliosa protemitate fœde illudendum prostituerat. Ille sobrius factus, cum illatæ sibi iniuriæ atrocitatem didicisset, grauissimo dolore affectus, Attalum apud regem accusat. Qui licet nõ parum turpissimo flagitio moueretur, tamen ob necessitudinem cum Attalo, & quia opera strenui ducis in suscepto bello indigebat, in hominem impurissimum animaduertere noluit, sed Pausaniæ animum mitigare studẽs, eximijs affectum muneribus, ad honoratiorem inter custodes corporis, sui locum prouexit. At Pausanias iram implacabilem diu fouẽs, non iniuriæ solummodo autorem, sed pœnæ etiam irrogandæ neglectorem vlcisci decreuit.

e l. 11. c. 8.

VI *Pausanias eum percussor occiditur.* ITAQVE equis ad vrbis portas dispositis, occulto gladio accinctus, Philippum à stipatoribus suis semotum, & sese magnifice circumspicientem obtruncat, cursuq; ad paratos equos contendit. E vestigio satellitum alij ad corpus regis properant, alij ad sicarium persequendum effunduntur: qui sine dubio elapsus fuisset, nisi calceamẽto viti cuidam implexo detentus procidisset. Tum Perdiccas cum socijs iam resurgere conantem opprimunt, & multis ictibus confossum trucidant. Hunc finem Philippus habuit, dum se 12. dijs, velut eiusdem maiestatis consortem annumerat. Hæc fere ex Diodoro: quibus nõnulla addit, mutatque Iustinus: ait enim insidijs Pausaniæ occupatum, dum sine custodibus medius inter duos Alexandros, filium generumque incedit.

VII *Suspectæ in Olympiade, & Alexandr.* CREDITVM est etiam, inquit, immissum ab Olympiade matre Alexandri fuisse: nec ipsum Alexandrum ignarum paternæ cædis extitisse. Quippe non minus Olympiadem repudium, & prælatam sibi Cleopatram, quam stuprum Pausaniam doluisse. Alexandrum quoque, fratrem ex nouerca susceptum, regni æmulum timuisse,

eoque actum vt in conuiuio antea, primum cum Attalo, mox cum ipso patre iurgaret: adeo vt etiam stricto gladio eum Philippus consectatus sit, ægreq; à filij cæde temperarit, amicorum precibus exoratus. Alludit Iustinus ad historiam, quam supra suo loco ex Plutarcho retulimus. Nihilominus exprobrat Dario regi Persarum Alexander apud Arrianum, & Curtium, a quod Persæ in Philippi necem insidiatores subornassent. *Parentem vero meum, quis ignorat ab his interfectum esse, quos ingentis pecunia spe vestri sollicitauerant?* Curtius.

a l. 2. l. 4. 7.

VIII. Olympias ad maritum occidendum Pausaniam incitat.

Imo vero ab ijs, quos inuidia, & furiosus vindictæ appetitus ad omnia diuina atque humana iura perrumpenda cumpulerat. Audi enim Iustinum. Olympias, fratrem suum Alexandrum Epiri regem in bellū subornabat, peruicissetq;, ni filiæ nuptijs Philippus generum occupasset: his itarum stimulis vtriq; Pausaniam de impunitate flagitij in se admissi querentem, ad tantum facinus impulisse creduntur. Olympias certe fugienti percussori equos quoq; præparatos habuit. Ipsa deinde audita regis nece, capiti Pausaniæ in cruce pendentis coronam auream imposuit, quod nemo præter eam, superstite Philippi filio, audere potuisset. Eadem refixum corpus interfectoris, super reliquias cremauit, & tumulum ei eodem fecit in loco, eique à populo quotannis parentari curauit. Quid obsecro fuit infelici regi, & marito mortuo insultare, si hoc non fuit? Num potuit manifestius hęc Proserpina hoc parricidium in se, filiumq, ista toleratorem deriuare? Sed nondum finis, addit enim Iustinus.

Et Tumulum impositi.

IX. Æmulam Cleopatram cum prole perimit.

Post hæc Cleopatram, à qua pulsa Philippi matrimonio fuerat, finire vitam suspendio coegit, in gremio filia eius prius interfecta, spectaculoq; pendentis vltione potita est, ad quam per parricidium festinauerat. Longe alia de de vtriusque nece in Pausania legimus. b *Philippo*, inquit, *interempto, paruulum eius filium, quem ille ex Cleopatra Attali sobrina susceperat, vna cum matre in aeneo vase, ignibus circumdatis cruciatos Olympias enecauit. Eadem paucis post annis Aridaeum de medio sustulit.* Diodor. l. 17. imo, ait paucis ante regis obitum diebus, puerum è Cleopatra Philippo natum fuisse, filiæ non meminit, sed & Iustinus ipse paulo ante fratris Alexandriea nouerca meminit. Nihil absurdi est vtramq; sobolem enatam, vel eodem, vel diuerso partu: sed audiamus reliquam tragœdiæ impudentiam. Nouissime gladium illum, quo Rex percussus est, Apollini, sub nomine Myrtalis, consecrauit, hoc enim nomen antea Olympiadis paruulæ fuit: quæ omnia ita palam facta sunt, vt timuisse videatur ne non satis certo constaret facinus ab ea perpetratum. Hæc fere Iustinus. Plutarchus quoque tam Olympiadem, quam Alexandrum, huius sceleris conscios

b l. 8. p. 242. 1. ἀδελφιδῆς Αττάλου.

X. Dei iudicium in Alexandrum, & Philippum.

Ex quibus videas quibus initijs ad regnum progressus sit Alexander, vt non mirum sit virum sanguinum, & parricidij eris reum, non dimidiasse dies suos. Rursus etiam dubites magisne in nefariam illam Medæam indigneris, an iudicium Dei admireris in Philippum, in quem illud scripturæ valuit. *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius.* c Et qui in diuinam familiam per superbiam se inserebat, gladio familiaris sui, conscio filio, vxore agente perimitur: totaq; postmodum domus, regiorum liberorum, & concubinarum sanguine cruentatur: & qui vniuersum Persarum imperium sub iugum Macedonum, missurus sibi videbatur, ab adolescente vno, in publico amicorum, domesticorum, subditorum theatro prosternitur.

c 3 Reg. 20, 42.

XI. Philippi mores.

De eius moribus libet pauca ex Iustino, Epitaphi loco subiungere, *Fuit Rex armorum quam conuiuiorum apparatibus studiosior, cui maxima opes erant instrumenta bellorum: diuitiarum quæstu quam custodia solertior: itaque inter quotidianas rapinas semper inops erat. Misericordia in eo, & perfidia pari iure dilecta. Nulla apud eum turpis ratio vincendi: blandus pariter, & insidiosus alloquio, qui plura promitteret quam præstaret: in seria & iocos artifex. Amicitias vtilitate non fide colebat. Gratiam fingere in odio, instruere inter conuertentes odia, apud vtrumque gratiam quærere, solemnis illi consuetudo. Inter hæc eloquentia, & insignis oratio, acuminis & solertia plena, vt nec ornatus facilitas, nec facilitati inuentionum deesset ornatus.* Diodor. quoque ex extremo l. 16. inquit eum non tam armis strenue gerendis, quam sermonis comitate in congressu, & benignæ voluntatis erga homines declaratione, imperium auxisse, eaq; re, magis quam viribus & copijs, esse solitum gloriari. De his ipsis Philippi moribus plura licet passim ex Demostene mutuari. Nos ad Alexandrum transeamus, si tamen prius aliquid de re Iudaica dixim⁹.

XII. Iud. lib. 11. Antiq. c. 7 & 8. (marg.: Iud. libr. ... d l. 11. ant. c. 7 & 8.)

Iosephvs d ait sub idem tempus, quo Philippus occisus est, Sanaballetem à Dario rege Persarum, in Samariam, prouinciæ administrandæ gratia missum, filiam suam nomine Nicaso, nuptui dedisse Manassi fratri Pontificis Iaddi, siue Ieddoæ, istum connubium hoc, ceu vadem futuræ eum Iudæorum gente amicitiæ. Hierosolymorum autem seniores ægre ferentes Iaddi pontificis fratrem, & quodammodo collegam, duxisse extero generis fœminam, tumultuabantur, tali gradum factum ad antiquandas patrias leges de connubijs, atque ita fore, vt paulatim profanis gentibus misceantur. Itaque postulabant, vt Manasses aut dimitteret vxorem, aut non amplius ad altare accederet. Et cum Pontifex quoq; ab altari eum arceret, profectus Manasses ad Sanaballetem socerum, se quidem amare dixit filiam eius Nicaso, nolle tamen propter eam priuari sacerdotio.

XIII. Et socerum eius Sanaballetem.

Cvmqve Sanaballetes recepisset se illi non sacerdotium tantum seruaturum, sed & pontificatum ei paraturū, & totius prouinciæ suæ principem facturum, modo filiam suam retineret vxorem: ædificaturumque templum Hierosolymitano simile in mōte Garizim, qui imminet Samariæ: idq; se Darij regis consensu facturum. Quibus promissis ille captus mansit apud Socerum, & ad eum se plerique profanis contaminati coniugijs, aggregarunt, à quibus schisma inter Iudæos conflatum est. Sed templum aliquāto posterius excitatum est, licet eam ædificationem Euseb. in hunc, aut sequentem annum referat: Scaliger 10 Olymp. sequentem. Cæterum alius est hic Sanaballat ab eo, qui in extremo libro Nehemię memoratur. Nam Nehemias hoc tempore iampridem erat mortuus, vt qui an. 20. Artaxerxis Longimani populi dux fuerit, à quo tempore centum & nouem anni abierunt.

XIV. Iustin Alexandri ... (marg. illegible)

Transeamvs ergo ad Alexandrum, de quo ita præfatur Diod. l. 17. Eum breui temporis interuallo res maximas confecisse, operumq; suorum magnitudine omnes quorquor ab omnium seculorum memoria celebrantur, longe superasse: vt qui intra an. 12. non exiguam Europæ partem, totamq; fere Asiam subegerit, ac tantam nominis celebritatem consecutus sit, vt priscos illos heroas, ac semideos gloria exæquarit.

Alexander ergo paterno regno successit an. natus 20. vt Arrian. Plutarch. Iustinus, & ex his supplementum Curtij prodiderunt: quod de annis integris, atq; exactis intelligēdum est. Nam cum ipso initio Olymp. 6. natus sit, atque adeo sub ipsos Olympicos ludos, ab eo tempore quinque integræ Olymp. euolutæ sunt. Itaq, initio huius Olymp. quæ nunc in cursu est, annum primum ac vigesimum inchoauit, quamuis Suidas dicat eum regnum Macedoniæ anno ætatis decimo octauo suscepisse, & Scbottus vigesimo secundo.

XV. Mortē patris vlciscitur.

Ante omnia vero susceptis regni gubernaculis, iustas cædis paternæ autoribus pœnas inflixit, vt ait Diod. Cui mirum est Iustinum l. 11. & Plutarchum consentire. *Prima illa cura*, inquit Iustinus, *paternarum exequiarum fuit, in quibus ante omnia cædis conscios ad tumulum patris occidi iussit.* Soli Alexandro Lyncistarum regi, qui populi sunt Macedoniæ, fratri suo pepercit, seruans in eo auspicium dignitatis suæ: nā regem eum primus salutauerat: mirum inquam est, cum vterque paulo ante testatus sit, Olympiadem, ipsumq; Alexandrum illius cædis conscios fuisse. Aut quomodo scelus in alijs punire ausus sit, quod ipse quoq; perpetrasset? Nisi forte filiū patri, marito vxoré machinari mortē, crimē non est, domesticis alijs, & cognatis nefarium est facinus. Nimirum fucus populo faciendus fuit. At enimuero aderat tunc qui de cognatis debitas exigeret pœnas, illi autem qui longe maioris, erant sceleris rei, multo acerbiori Dei iudicio reseruabantur.

Imperii Persar. An 203.

XVI. Confirmat. fuos.

Inde cum varios animorum motus in suis inter spē metumq; fluctuantibus, animaduerteret, qui pro callido ac veterano rege, regnantem viderent feruidum adolescentem, Imperium Persarum, totamque Asiam lacessitam sciret, Græciam nondum perdomitam, & ad libertatē iam sponte sua, tum occasione mutati regis aspirantem, Illyrios, & Thracas, & Dardanos, cæteras q; barbaras gentes fidei dubiæ, & mentis infidæ. Alexander his omnibus, elijsque difficultatibus vt occurreret, primum educta ea concione, ire suos pro tempore consolatus, hortatusq; est, vt & metū amentibus demeret, & in spem suo omnes impelleret. Iustinus. Legationes etiam benigne audiens, Græcos ad tuendam erga se beneuolentiam, qua erga patrem affecti fuerant, adhortatus. Diodorus.

XVII. Peloponnesiaque Græcia populo.

Verum vt simul Græcos retineret in officio, & Persicā expeditionem promoueret, paternis vestigijs insistens, in Peloponnesum proficiscitur: vbi coacto Græcorum, quotquot in Peloponneso erant, concilio, petit vt Imperator exercitus aduersus Persas crearetur, quem honorem nuper Philippo patri concessérant. Id ab omnibus impetrarum, exceptis Lacedæmonijs, à quibus responsum est, non esse moris apud Lacedæmonios, vt alios in expeditionibus sectarentur, sed ipsi alijs præirent. Athenas vero noui etiam aliquid fuisse molitas ferunt. Nam vt ex oratione Æschinis in Ctesiphontem liquet, & Plutarcho in vita Demosthenis, cum hic Orator de morte Philippi occulte cognouisset, læto vultu in Senatum venit, somnium sibi oblatū simulans, quod insignem populo protenderet vtilitatem. Cum autem mox de Philippi morte nuncius esset allatus, vt in re lætissima statim à populo sacrificatum est, & Pausaniæ percussori Philippi corone decreta, & templo consecrate est. Sed primo statim Alexandri euentu non minimo metu perculsæ, plura etiam quam Philippo fecerant Alexandro detulere. Deinde in Macedoniam reuersus exercitum, quem in Asiam duceret, apparauit. Ita Arrianus de Initijs Alexandri vsq; ad veris initium: hyemem autem in crebra armorum exercitatione, studijsq; militaribus traduxit, & exercitum beneuolum sibi, atq; ad omnia obsequentem reddidit. Diod. Macedonibus immunitatem cunctarum rerum, præter militiæ vacationem, dedit: quo facto summum sibi omnium fauorem conciliauit. Iustin.

A quibus oblatum fuerat imperium in Asiam.

XVIII. Bellum in Ausonas.

In Italia porro annus hic Ausonum magis nouo, quam magno bello insignis fuit. Ea gens Cales vrbem incolebat, & Sidicinis finitimis arma coniunxerat: vnoque prælio haud sane memorabili duorum populorum exercitus fusus, propinquitate vrbium, & ad fugam promtior, & in fuga ipsa tutior fuit. Sed hoc bellum maiore cura anno sequenti susceptum, & confectum est. Liuius Consulum anni huius meminit Marc. Tull. scribens ad Papyrium Pætum, sed duobus annis tardior est eius chronologie, vt significauimus anno V.C. 413.

Liuius l. 8.

l. 9. ep. 21.

ANNVS MVNDI 3719. SEXTAE AETATIS & Imp. Pers. 203. Darij 4. Ieddoæ Pontif. 30. Alexand. 2. Olymp. CXI. An. 2. Archonte Atheniensis Euenæto. Vrbis Cond. 418. Coss. M. Valerio Coruino IV. & M. Attilio Regulo. Dict. L. Aemylio Mamerco.

ANNVS ANTE CHRISTVM 334.

I. Alexander Thraciam domat.

Alexander ineunte vere statuit per Thraciam in Triballos & Illyrios vicinos Macedoniæ excurrere, tum quod nouis eos rebus studere acceperat: tum quod nisi omnino domitos relinquendos non putabat, cū adeo longinquam expeditionem in Asiam susciperet. Arrepto itaq; ex Amphipoli itinere, Thraces Autonomos, tū Triballos, inde Getas Istri accolas, non minore celeritate, quam felicitate vicit, vt fusius explicat Arrianus sub init. l. 1. Interea autem res eius in Asia, atq; in Græcia vehementer laborare cœperunt.

Darij ...

Darius enim qui sibi à Philippo, ob magna eius incrementa metuebat, eo vino conabatur bellū ab Asia in Macedoniam euertere, vt ait Diodor. Sed postquam ille viuere desijt, metu solutus iuuentutem Alexandri non magni faciendā esse existimauit. Verū postquam eum totius Græciæ Imper. loco patris creatum accepit, & virtus eius bellica, rerumq; gerendarum felicitas prædicari cœpit, rebus suis diligentius studuit attendere, & etiam Græcos, qui in Asiam traiecerant parare, & nutus in Græcia defectionesque contra Alexandrum largitionibus excitere.

II. Memnonem ... Demosthenem ...

Nam Memnonem Rhodium cum exercitu in Phrygiā misit, qui vario ibi euentu cum Macedonibus pugnauit, & Demosthenē oratorē, summum dicendi artificem, magno auri pondere corrupit, qui Athenienses, Thebanos, & Lacedæmonios ab eo auertit, & defectionē ad Persas persuasit. Affirmauit enim omnes Macedonum copias, cum rege suo à Triballis esse deletas, producto in concionem autore, qui in eo prælio, in quo Rex ceciderat, se quoq; vulneratum diceret. Iustin. Nec eo contenti Athenienses Attalū copiarum Macedonicarum in Asia ducem, hominem imperandi magis, quam Alexandro parendi cupidum, per legatos sollicitant, vt ab eo, Græcarum ciuitatum exemplo, deficiat, quæ se vndiq; in libertatem asserebant, præsidia ejciebant ei addicta, eiectos à Philippo reuocabāt, decreta de abrogando ei imperio Græcarum copiarū faciebant. Omnia denique in eius perniciem conspirasse videbantur. Diod. Verum Deus, in cuius manu sunt regna, & imperia, quiq, eum ad euertendum Persarum imperium, & Græcorum excitandum elegerat, omnibus eum difficultatibus superiorem reddidit.

III. ... Attalus interficitur.

Nam primo Hecatæum in Asiam mittit, cum manu armatorum non exigua, qui Attalum comprehensum ad se mittat, vel si id fieri nequeat, necopinantem interficiat. Is traijcit in Asiam, & copias suas cum Parmenionis, & Attali copijs coniungit, intentus in opportunitatem exequendi mandati. Interea Attalus male se apud regem audire ab amicis certior factus, siue metu Alexandri, siue pudore facinoris, mutato consilio, epistolam à Demosthene sibi redditam, & asseruatam transmittit Alexandro, & blandimentis ingesta sibi crimine diluere conatur, cum Hecatæus eum per dolum circumuentum oppressit, sicq; Asiaticus Macedonum exercitus ad defectionem propendere desijt. Diodorus.

IV. Alexander ... Græciam componit.

Quæ cum aguntur in Asia, Alexander in Europe minime defuit rebus suis. Nam barbarorum motibus magna celeritate, felicitateq; compressis, victorem exercitum in Græciam tumultuantem induxit, tanta festinatione, vt quē Græci venire non senserant, præsentem via videre se crederent. In transitu nihilominus Thessalos sibi adiunxit, beneficiorum à Philippo acceptorum admonitos, & maternæ suæ cum ipsis ab Æacidarum gente necessitudinis: itaq; sibi deuinxit, vt omnium Thessalorum dux eligeretur, & vectigalia sua omnia, redituṡq; ipsi, tanquam legitimo principi, traderent. Iustinus. Quo factum est, vt cōterminæ etiam gentes in eundē fauorem adducerentur, nec Termopylarum transitu prohiberetur. Diod. Et quoniem tam varijs, tamq; diffitis populis à se deficientibus vim ac terrorem adhibere non poterat, aliquos humanissima oratione sibi conciliauit, vt cum Ambraciotis, qui præsidium studio libertatis eiecerant, libertatem confirmauit, eosq; occupasse dixit, quod ipse mox erat facturus.

Thessalos sibi deuincit.

Et Ambraciotas.

V. Bœotiam inuadit.

Aliqvos autem vi, ac metu frangendos suscepit. Nam copias suas citatis itineribus in Bœotiam traduxit, & castris ad arcem Thebanam positis, non ipsos modo, sed Athenienses perterrefecit. Diodorus: facilis quippe erat ac breuis à Bœotia in Atticam traiectus. Itaque Athenienses sicut primi defecerant, ita primi pœnitentiam agere cœperunt, contemptum hostis in admirationem conuertentes, Iustinus. Itaque de comportandis quas ruri habebant rebus, & mœnibus pro facultate muniendis decretum faciunt, missisque legatis pacem ab Alexandro et veniam petunt. In legatis etiam Demosthenes fuit, qui siue sibi ab Alexandro timens, siue se Regi Persarum fidum atque inculpatum reseruans, medio ea itinere domum reuersus est. Æschines contra Ctesiphontem versus

Athenienses pœnitet defectionis. Et veniam impetrant.

finem

finem ait Demosthenē 70 talenta de auro regio accepisse. Diodorus ait Alexandrum legatis Atheniensium perhumaniter respondisse: sicq; ingenti populum metu liberasse. At Iustinus probabilius ait eum, ijs auditis, grauiterque increpitis, bellum remisisse: prudenter scilicet prospexit, ne contra iunctas vtriusq; populi vires, vt nuper ad Chæroneam, sibi pugnandum esset.

VI. *Thebani soli Alexandro resistunt.* ERGO tota vis Alexandri in Thebanos incubuit, qui licet multo se impares viribus Macedonum animaduerterent, (Nam vltra triginta millia peditū, nec infra tria millia equitum Alexander tum temporis sub signis habebat, omnes bellis à Philippi quoq; regno exercitatissimos) de communi tamen consilio decretum est, vt pro Reipublicæ suæ libertate decertaretur: quamuis Alexander, qui Asiam præcipue cogitabat, pacis deprecatores libenter fuisset admissurus, si Thebani cedentes tempori, eam Atheniensium exemplo demisse postulassent. Diod. Iustinus, Plutarchus, qui etiam addit Alexandrum, vbi ad portas Thebanorum peruenisset, permissis eis adhuc præteritorum pœnitentia, duos Thebanos Phœnicem & Prothytem poposcisse, & si quis ad se transisset, fidem publicam promisisse. *Contempta pace.* At Thebani Alexandro contempto, Philotam & Antipatrum etiam citissimos sibi dedi iubent, perque præconem proclamari, vt qui se non vellent Græciam vindicare in libertatem, ipsis se adiungerent. Eadem habet Diodorus.

VII. *Et fortiter pugnant.* En facto dolore atq; iracundia exardescens Alexander, statuit Thebas excindere, omniaq; ad vrbis expugnationem parat. Venitur ad pugnam; tantaque ferocia à Thebanis, atque animorum obstinatione certatus, vt Macedones se Thebanis inferiores faterentur, tametsi recentes cum fatigatis depugnarent; quin etiam sese in fugā darent. At Alexander, inquit Arrianus, animaduersa suorum fuga, & temeraria ac confusa Thebanorum persecutione, instructa phalange in eos fertur, eosq; intra portas vrbis præcipites agit. Tantus autem fugientium metus ac perturbatio erat, vt ne de claudendis quidem portis cogitarent: sed quotquot Macedones fugientibus imminebant, vna cum ipsis intra muros propugnatoribus vacuos sese conijcerēt. Interea præsidiarij Macedones, ex arce Cadmæa egressi, Thebanos, ægerrimè Alexandro resistentes, à tergo etiam cædere cœperunt: tum demum, prout quisq; potuit Thebanorum, sibi fuga consulebant.

VIII. *Ingens victorū in Thebanos furor.* CVM ita pereunt non tam Macedones quam Phocenses, & Platæenses, alijq; Bœoti, pro insito vicinorum in vicinos odio, multis vtrimq; damnis, iniurijs, cladibusque amplificato, Thebanos non vltra resistentes, nulla moderatione, in tectis, in templis, in fuga, inermes æque atq; armatos, mulieres, pueros'q; contrucidant. Interueniente tandem nocte diripiuntur ædes, imbellis ætas vtriusque sexus, quæ ad templa confugerat, è latebris cum summa contumelia abducuntur, inaniter etiam tractantur. Ita fere Arrianus, ac Diodor. qui ait cæsa de Thebanis vltra sex millia, captos plures triginta millibus: Macedonum vero non multo plures quingentis, in obtinenda victoria cecidisse.

IX. *Agitur de excidendis Thebis.* Nec finis hic Thebanarum calamitatum fuit. Conciliū de vrbis excidio coactum est. Phocenses, & Platæenses, & Thespienses, & Orchomenij Alexandri, socij, victoriæque participes, excidium vrbium suarum, crudelitatemque Thebanorum referebant: studia in Persas non præsentia tantum, verumetiam & vetera, aduersus Græciæ libertatem increpantes. Quamobrem odium eos omnium populorum esse, idq; vel ex eo manifestum deprehendi, quod iureiurando se omnes obstrinxissent, vt victis Persis Thebas diruerent. Accedebat quod seueritas in Thebanos alijs exemplo futura erat.

Preces pro cosmisia. Tunc Eleades vnus è captiuis data potestate dicendi, non à Rege se defecisse, quem interfectum audierant, sed à Regis hæredibus: quidquid in eo sit admissum, credulitatis non perfidiæ culpam esse: eius tamen iam magna se supplicia pependisse. Deleta iuuentute, nunc senum, fœminarumque sicuti infirmum, ita innoxium restare vulgus, ipsumque contumelijs ita vexatum esse, nihil vt amarius vnquam sint passi. Nec iam pro ciuibus se, qui tam pauci remanserint, orare, sed pro innoxio patriæ solo, pro vrbe, quæ tot illustres fortitudine ac sapientia viros, ac deos etiam genuerit, quæ Philippum patrem puerum educarit.

X. *Vrbs excinditur, capti venduntur. Arx Cadmea præsidio firmatur, sacerdotibus parcitur.* POTENTIOR nihilominus fuit ira quam preces. Itaque vrbs diruitur, agri inter victores diuiduntur, captiui sub corona venduntur, ex quibus 440. talenta argenti coegit. Hæc Iustin. Arrian. autem quædam paulo exactius. Alexander auxiliaribus copijs, ob præstitam in ea oppugnatione operam de ijs quæ in vrbe erant, vt pro suo arbitratu statuerent, permittit: Cadmæam arcem præsidio firmat, vrbem solo adæquat: agros, nisi qui sacri essent, inter socios distribuit, & quotquot Thebanorum cædibus superfuissent, in seruitutem redigit, exceptis sacerdotibus vtriusq; sexus: & iis qui Philippo aut Alexandro priuatim, aut Macedonibus hospitalitatis iure deuincti essent. *Et Pindaro.* Pindari vero poetæ domum, eiusq; stirpem, ab Alexandro, Pindari reuerentia ducto conseruatam ferunt. Sic Arrianus, cuius narrationi consentit Plutarchus in Alexandro.

XI. *Alexander in Thebanos mitesit.* HÆC Thebanorum clades tum Athenienses ac reliquos Græcos terrore perculsos quiescere, ac veniam etiam petere coegit, tum ipsum Alexandrum angore animi torsit, vt propterea si quis postea offendisset Thebanos, iis sese mitiorem præberet, interea tamē cladis atrocitatem in Phocenses, aliosq; militiæ suæ socios conijciebat, quibus negare non potuisset, quin capitale suum in Thebanos odium expleret. Plutarchus.

Athenienses ad eū oratores mittunt. Athenienses porro audita ex fugitiuis clade Thebanorum, attoniti, magna mysteria quæ celebrabant, intermittunt, & res suas ex agris in vrbem conuehunt: tum legatos decē ad Alexandrū gratulabundos mittunt, quos ei maxime gratos fore arbitrabantur. Ille vicissim nouem sibi viros dedi nominatim postulat, quos nominat Arrianus, in quibus primus Demosthenes nominatur, tanquam cladis Chæronææ, omniumq; malorum autores, quæ deinceps essent consecuta. Populo in concionem vocato, Demade præside, Phocion aduersarius Demosthenis eos dedi pro Reipubl. salute iussit, ignauiæq; arguit, si exemplo maiorum mortem pro Republ. defugerent.

XII. *Populi pro suis responsio.* SED populus Demosthenis oratione, in qua fabulā de ouibus, quæ canes lupis tradere iuberentur, attulit, ad misericordiā flexus, viros se tueri velle dixit. Demades quinque talentis à Demosthene acceptis persuasus, de eximendis periculo reis sententiam tulit. Decretumque scripsit, quo & Oratorum excusatio continebatur, & populi promissio, se in reos, si supplicio digni videantur, ex legibus animaduersurum. *5 talenta 1750 aur.* Eam legationem Demades ad Alexandrum obiit, feliciterq; confecit. *Cur Alexander clemens in Athen.* Pro Thebanis etiam exulibus obtinuit, vt tuto eis Athenis esse liceret: vnum tamē Charidemum ducem, ex omnibus quos poposcerat, exulare iussit, qui mox in Asiam ad Darium regem profugit. Eam porro clementiam tum vrbis dignitati dedit, tum rerum suarum securitati: ne in Asiam proficiscens suspectum aliquid in Græcia relinqueret. Sic Arrianus & Diodorus, alter ab altero, aut vterq; à tertio aliquo, vt videtur mutuatus. At Iustinus, eo rem deductam fuisse dicit, vt retentis oratoribus, duces in exilium agerentur, eosq; ad Darium profectos, non mediocre momentum Persarum viribus attulisse.

XIII. *De profectione Asiana deliberatio.* HIS in Græcia gestis, in Macedoniam profectus, procerum suorum conciliū de Asiana expeditione cogit: & Antipatri quidem, ac Parmenionis consilium fuit, eam differri, dum Rex vxore ducta prolem ex ea susciperet. At Rex ingenio acer, accessationis omnis inimicus, contra stetit probrosum fore dicēs, si totius Græciæ Imperator electus, & florentissimis copiis instructus, domi tamdiu cunctaretur. Itaq; omnia ad profectionem in proximum ver apparari iussit, interiectū tempus ludis, sacrificiis, conuiuiisque cum ducibus suis, ac ciuitatū legatis consumpsit. Ita Diod. & Arrianus: quibus alia scelesta Iustinus addit. *Alexand. cognatos interficit.* Proficiscens, ait, ad Persicum bellum, omnes nouercæ suæ cognatos, quos Philippus in excelsiorem dignitatis locum euehens imperiis præfecerat, interfecit. Sed nec suis, qui apti regno videbantur, pepercit, ne qua materia seditionis in

Macedoniæ, se procul agente remaneret. Et de Alexandri hoc anno gestis hactenus.

XIV. *Aristot. migrat. Athenas.* SCRIBIT Laertius l. 5. Aristotelem hoc anno secundo centesimæ vndecimæ Olympiadis, Athenas Philippo iam mortuo concessisse, atque in Lycæo tredecim annos docuisse. Neq; enim oportebat Philosophū discipuli sui longinquam expeditionem sequi, & nec illi, nec iuuentuti reliquæ erudiendæ proficere: cum iam ætas quinquagenaria ducendi potius, quam militandi laborem pati posset (tot enim ab Archonte Diotrephe ad Euenætum anni numerantur.) quo Prætore insigni mendo scriptum reliquit Clemens Alexandrinus mortuum fuisse Alexandrum: cū certum sit plurimorum assertione, illum Archonte Agesia, Babylone obijsse. Dionysius Halycarnasseus ad Ammæum. Post Philippi obitum, inquit, Euæneto Prætore profectus Athenas, duodecim annos in Lycæo scholas habuit. Decimotertio autem Alexandro mortuo, prætore Cephisodoro, Chalcidem migrauit. Ita Dionys. qua de re postea suo loco dicendum erit.

XV. *Romani cum Sidicinis ...* SED Romanos aliquando oportuit, qui Sidicinis admodum erant infensi, quod iam toties aut ipsi mouerant bellum, aut mouentibus auxilium tulerant, aut causa certe armorum fuerant.

Itaq; omni ope annixi sunt, vt maximum ea tempestate Imperatorem, M. Valerium Coruinum Consulem IV. facerent, Cui M. Attilius Regulus Collega est additus. Et ne forte casu erraretur, petitum à Coss. vt extra sortem Coruini ea prouincia esset.

Is exercitu victore à superioribus Consulibus accepto, ad Cales vnde bellum erat profectum, adit, & hoste primo impetu fuso, etiam vrbem, Fabij captiui, qui per muri pinnas ad suos sese fune demiserat, monitu, vino epulisq; sopitos, per diem festum hostes oppressit: captæ vrbi præsidium imposuit, & cum præda victorem exercitum reduxit, & vrbem triumphans ingressus est.

Inde cum Collega aduersus Sidicinos profectus est, dicto prius ex Senatusconsulto Comitiorum causa Dictatore L. Æmylio Mamerco, qui Magistrum equitum Q. Publium Philonem dixit.

ANNVS MVNDI 3720. SEXTÆ ÆTATIS, & Imper. Pers. 204. Darii 5. Ieddoa Pontif. 31. Alexandr. 3. Olymp. CXI. An. 3. Archonte Ctesicle. Vrbis Cond. 419. Coss. T. Veturio Caluino, & Sp. Posthumio Albino.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 333.

I. *Alexander cum copijs in Asiam traiicit.* CELEBRIS admodum est hic annus, illustri Alexandri de Persis ad Granicum victoria, quam pleræq; aliæ sunt secutæ. Hanc Chronologiam confirmat Arrianus, & Diodorus cum Eusebio, quibus recentiores fere consentiunt, nec his repugnat Clemens Alexandrinus, cum ait Alexandrum Euænæto Prætore in Asiā traiecisse, vere enim traiecit: cū adhuc ille magistratum gerebat. Sed nos annos Iulianos intuemur. Ineunte ergo vere Alex. cum exercitu ad Hellespontum progressus, copias inde in Asiam traiicit, Macedoniæ & Græciæ administratione Antipatro cōmissa, peditum 30. millia, equitum quinq; millia secum ducēs, vt ait Arrianus, quos distinctius enumerat Diodorus, qui Alexandrum cum 50. longis nauibus in Asiam traiecisse dicit, Arrianus autem Parmenionem cum 160. triremibus, plurimisque nauibus onerarijs: cum nihilominus Antipatro plurimos ad regni tutelam relinqueret. In his copijs aliquos reges stipendiarios suspectioris ingenij, ad commilitium secum traxit, vt scribit Iustinus.

II. AVDITV QVE eum in ipso cursu, conspecta Asia incredibili ardore mentis accensum, duodecim aras, victoriæ promittendæ gratia vouisse, patrimonium omne suum, quod in Macedonia, Europaq; habebat, amicis diuisisse, Asiam sibi sufficere præfatum. Idem erat animus exercitus. Quippe obliti omnes coniugum ac liberorum, & longinquæ à domo militiæ, Persicum aurum, & totius orientis opes iam quasi suam prædam ducebant, nec belli periculorum, sed diuitiarum meminerant. Nimirum animus à tristibus cogitandis, & sibi repræsentandis alienior est, quam ab vtilibus ac lætis. Troadem appulsus, ait Diodor. Macedonum primus hastam è naui eiaculatus in littore defixit, & puppi exiliens, à dijs sibi Asiam hasta subactam accipere se dixit: moxq; sepulchra Achillis, Aiacis, cæterorumq; heroum veneratus est.

III. *Persæ consultant.* INTEREA Persæ duces, qui transitum Alexandrum prohibere non potuerant, eius celeritate præuenti, quam rationem inirent belli contra eum gerendi, inter se deliberant. Et Memnonis quidem Rhodij sententia erat, cum Alexandro collatis signis minime dimicādum esse, sed agris longe lateq; peruastatis, necessariorū inopia vlterius progrediendi facultatem Maced. intercludere: simulq; naualibus ac terrestribus Persarum copijs in Macedoniam deportatis, totam belli molē in Europam transferendā esse. Verum hæc sententia quamuis vtilissima, & Regis voluntati maxime consentanea, ab illa victa est, quæ volebat cōtra Alexand. pugnari: vanta opinionem ignauiæ: neq; sustinens regis ditionem, ac subditos, ab ipsismet regijs copijs non defendi, sed hostilem in modum deuastari. Diodorus, Arrianus.

IV. *Persarum ad Granicum copia.* CVM ergo hæc sententia, quæ Arsitis fuerat, vicisset, in Phrygiam ad Hellespontum castra mouent, eaq; ad Granicum fluuium metantur, vt illum ex vna parte pro munimento habeant, equitatus 10. millib. peditatus vero centū haud erat minor, ex varijs vterq; gentibus, Græcis atque Barbaris conflatus. Arrian. quod mirum est, non minorem facit peditatum equitatu, quem 20. millium fuisse scribit. Qua de re certior factus Alex. citatis itineribus eo pergit, & castra ita castris obijcit, vt medio tantum flumine diiūgantur. Et quamuis Persæ hostē se in fluminis transitu aggressuros statuerant, eos tamē Alex. sub primam diei lucē, traijciendis copijs anteuertit, aciemq; ad prælium instruxit, Diod. teste. Etsi Arr. & Plutarc. in ipso trāsitu acre certamē factum fuisse dicant, cum multa Macedonum iactura. Plutarch. ait traiecisse fluuium mense Dasio, quem inauspicatum Macedones ducebant, qui Iunio nostro respondet: & monentibus ea de re suis, facete respondit, vt agerent iterum Artemisium, qui scilicet proxime antecesserat, quod quidam parum fideliter, non inspecto fonte retulerunt.

V. *Pugna Alexandri cum Spithrobate.* PRIMVS factus est equitum concursus, ipseq; Alexander primus concitatum in Persas equum immisit: moxque singulari certamine cum Spithrobate Darij genero, eximiæ fortitudinis viro congreditur, eumq; postremo, post aditum magnum vitæ discrimen, interficit. Cumq; præstantissimi quiq; vtriusque exercitus barbarorum præsertim, vulneribus confecti procubuissent, ab ijs, qui contra Alexandrum stabant, initium fugæ factum est, quam deinde reliqui arripuere. Prima, summaq; victoriæ gloria ipsimet Alexandro consensu omnium, tum Thessalis equitibus attributa est. *Victoria de Persis.*

Vniuersus cæsorum numerus in acie Persarum fuit decies mille pedites, duoq; prætetea equitum millia: viui in hostium manus venerunt, vltra vicies mille.

VI. *... Ephesum, Magnesiam, Thralles, ... Miletum. Arrian.* REX vbi suos magnificæ sepulturæ tradidit, & eorum necessarijs in sua cuiq; regione, vectigalium immunitatem concessit, ad aliorum incitamentum, in Lydiam processit, & terrore præsentis victoriæ occupatos Sardianos inuadit, vrbemque, cum arcibus, & thesauris ibi conditis, Mithrine præfecto voluntariam deditionem faciente, occupat. Obuiam venisse eum primoribus Sardianorum tradit Arrianus: qui etiam addit Ephesum deditione acceptam, sicut & Magnesiam & Thralleis: nonnullas etiam Æolicas & Ionicas vrbes, quæ in barbarorum potestate erant, leui opera receptas, & omnibus libertatem, ac Democratiam restitutam. Deinde Miletum, quo Persæ ex fuga elapsi, cum Memnone duce profugerant profectus, vrbē obsidet, & mœnia assiduo verbere machinarū quassat. Deniq; licet vrbs telis, ac defensorib. abundaret, tertia tamen matique pressi, tantumque animis ex proxima clade

debili-

debilitati, quantum Macedones victoria erecti, cessere. Macedo per disiecti muri ruinas irrumpit. Milesij ritu supplicum ad Regis genua prostrati, sese, vrbemq; suam in eius fidem tradunt. Barbari partim cæduntur, partim fuga elabuntur: reliqui omnes capti, & mancipiorum loco habiti.

VII. *Classem suã dissoluit.* PRIMA hac victoria potitus, classem suam dissoluit, siue fugæ spem suis præcidendam ratus, siue Persicæ classi se inferiorem cernens, aut sumptibus vtriq; exercitui retinendo imparem, aut certe terra deinceps militaturus, qui iam bonam partem vrbium maritimarum haberet in potestate: pauculas tamen naues retinuit, ad obsidionales machinas conuehendas, inter quas viginti fere Athen. numerabantur.

Persæ confluunt Halycarnassum. Mileto capta Persæ cateruatim Halicarnassum, vrbium Cariæ maximam se receperunt. Memnon in primis, qui vxore liberisque suis ad Darium missis, tum vt periculi aleam deuitarent, tum vt Regi quasi obsides dati, eius erga Memnonem fidem augerent, ab eo summam imperij bellici accepit.

VIII. *Res ad Halycarnassum gesta.* CVM ergo Alexander ad Halicarnassi oppugnationem pararet omnia, ille vicissim ad eam frangendam omnia comparabat. Ad vrbem denique, cum multa continentique tormentorum verberatione mœnia quassarentur, viri eruptione noctu facta, ignem machinis iniecere, moxque certamine inito contra Macedonas, suis è muro adiuuantibus, istisq; fortiter resistentibus, magna editur strages, quæ non multo etiam post redintegratur.

Postremo Ephialtes Atheniensis vir fortissimus permissu Memnonis, alteram eruptionem cum duobus electorũ militum millibus suscipit, quorum pars machinis flammas inijcit, pars Macedones ad eas restinguendas accurrentes excipit. Ibi atrox pugna, præsente ipso Alexandro, & in primis de more pugnante committitur, Ephialtes quoque animi, corporisque viribus alijs præstans, obuium quemque perdebat: è muris quoque plerique Macedonum conficiebantur, Postremo etiam Memnon, cum valida, recentique manu superuenit, pedem referre Macedones cogit, regemq; Alexandrum consilij maxime dubium reddit.

Certamen Macedonib. anceps.

XI. *Resumunt animos, & vincunt.* IAMQVE præualentibus oppidanis, veterani Macedonum hac necessitate compulsi, pristinum animi vigorem exsuscitant, & in vnum coeuntes, hostem prope iam victorem excipiunt. Ac tandem Ephialte, multisque alijs neci traditis, reliquum vulgus in vrbem refugere compellunt. Vnaque Macedones cum fugientibus permixti, intra mœnia sub noctis initium proruunt. Mox tamen vbi Rex cani receptui iussisset, in castra se recipiunt.

Persæ vrbẽ deserunt, quam diruit Alexander. Ea nocte Memnon, cum cæteris Persarum ducibus, vrbe diffisi, eam relinquere statuunt, & optimorum militum præsidio, cum idoneo apparatu in arce collocato, ipsi cum reliquo milite, opibusq; Con insulam petunt. Alexander sub primum diei ortum re cognita, vrbem diruit, arcem muro, fossaque cingit.

X. *Variosque populos in Asia sibi subjicit.* TVM partem copiarum cum præfectis in mediterranea, ad vicinas gentes in ditionem redigendas ire iussit, qui ad maiorem vsque Phrygiam omnia Alexandro acquirunt, simulque commeatum ex hostico, reliquo exercitui subministrant. Ipse totam littoralem Asiam, vsque ad Ciliciã, partim vi, partim deditione recepit, donec hyems bellum intermittere coegit. Hæc fere ex Diodoro, quibus magna ex parte consentit Arrianus, qui fusius aliquanto ista persequitur. Aitque Alexandrum plerosque suorum ex Caria in Græciam dimisisse, qui paulo ante susceptam expeditionem vxores duxerant, hyemandi causa: simul etiam in mandatis dedit, vt redeuntes equitatum, ac peditatum quam maximum possent, ex ea regione deducerent: sic ergo tertius Alexandri annus abijt.

XI. *Romana res. Dictator vitio creatus.* ROMÆ nihil eximium hoc anno gestum, nisi quod Colonia Cales deducta est. Noui Consules exercitu à veteribus accepto, Sidicinorum fines ingressi, populando ad vrbis mœnia peruenerunt. Ibi quia ingenti exercitu comparato Sidicini, & ipsi pro extrema spe enixe dimicaturi videbantur, & fama erat Samnites bellum meditari, Dictatorem creari placuit P. Cornelium Ruffinum, qui mox quasi vitio factus, magistratu se abdicauit: & quia pestilentia insecuta est, velut omnibus eo vitio contactis auspicijs, res ad interregnum rediit, & M. Valerio Coruino interrege noui consules creati sunt.

ANNVS MVNDI 3721. SEXTAE AETATIS, & Imp. Persar. 205. Darii 6. Ieddoæ Pontif. 32. Alexandr. 4. Olymp. CXI. An. 4. Archonte Athenis Nicocrate, siue Nicostrato Vrbis Cond. 420. Coss. L. Papyrio Cursore, & Pœtilio Libone.

ANNVS ANTE CHRISTVM 332.

HVNC annum nos quoque sine Coss. ponendum censebamus, Cum Holoandro, Onuphrio, Sigonio, Gellio, Temporario, Gordonio, qui tabulas Capitolinas sequuntur, in quibus anno 424. Vrbis Conditæ Coss. ponuntur, L. Æmilius Mamercus, & C. Plautius Decianus, in eoque consulatu eorundem Triumphus de Priuernatibus ponitur: at nisi hic annus inseratur, incidet eorum Consulatus in annum 423. non 24. vt illæ tabulæ postulant. Nõnulli tamen annum hic vacuum nullum ponunt, quod nullum eius interregni antiquum autorem habeant. Non Liuium, non Diodorum, non Cassiodorum. In his inuenio Cuspin. Funct. Genebrard. priores tamen illos prætulerim, qui hæc posterius & diligentius examinarũt. Vacuo porro anno concesso, nullibi rectius, quam hoc loco ponitur, quo pestilentia in vrbe grassata est, omniaque auspicia vitio contacta credita sunt, vt inquit Liuius. itaque ne consularia quidem comitia, quæ auspicato gerebantur, videntur eo anno haberi potuisse, sed mansisse in magistratu eosdem consules, donec res ad interregnum redijt. Pighius tamen eos, quos adieci consules, ex Solino non male colligit, neq; in re, quæ nihil turbat chronologiam, contentiosum funem trahendum puto. I. *Huius anni confusio notatur.*

ITAQVE Asiam repetamus, & res collabantis, imo corruentis imperii Persici persequamur. Quanquam huius anni initia res Alexandri in magnum discrimen adduxere. Nam Memnon ille Rhodius, quem Darius totius belli imperatorem declararat, cum sententiam suam de transferendo in Græciam bello, à cæteris Satrapis improbatam Regi probasset, accepta ingenti ab eo vi pecuniæ, numerosisque mercenariorum copiis contractis, trecentarum nauium classem egregie instruit, Chium insulam sibi adiungit, Lesbum vniuersam expugnat, deniq; plerasq; Cycladum insulas in fidem recipit. Euboœa vniuersa metu percellitur: multique Græcorum, partim metu, partim pecunia victi, Persis sese addicebant. Cum repente Memnonem morbus, morsque breui subsecuta, multa meditantem oppressit: qua morte, res Persarum admodum labefactatæ sunt, & spes transferendi in Europam belli concidit. II. *Memnonis classis in Alexand.* *morbo interit.*

III. *Charidemi rectum pro Dario consilium.* Its cognitis Darius coacto Satraparum consilio de belli deinceps gerendi ratione deliberat, Rex ne ipse per se in certamen descendere debeat, an per fidum aliquem Satraparum. Priorem sententiam plerique amplectebantur, quod & Rex ipse vir fortis esset, & certaminibus bellicis exercitus: eo autem præsente Persas longe animosius certamen inituros. Charidemus, quem Alexander Athenis expulerat, suadet ne totius imperii aleam fortunæ temere committat, sed per alios bellum gerat, quod ipse incolumis semper redintegrare possit, seque ipsum ducem belli offert. Sed cum Satraparum inuidia, eo inclinantem Darium à proposito deduxisset. Charidemum ipsum, liberius Persas obiurgantem Rex capitis supplicio iratus affecit: cuius deinde facinoris eum vehementer, sed nimis tarde pœnituit, quod regium Persarum decretum reuocari non posset. Sicq; rex in ruinam præcipitans duces egregios duos, alterum infelicitate sua, alterum inconsulta iracundia perdidit. *morte afficitur.*

Ergo milites omnibus ex locis Babylonẽ euocat, cumq;

tem-

Darius cum copiis Ciliciã adit.

tẽpus profectionis adeſſet, peditum quadringenta millia, equitum centum millia ſub ſignis ſuis numerauit, cum quibus Babylone Ciliciam verſus profectus eſt, cum matre, vxore, filio, duabuſque filiabus.

IV. *Alexandri metus, ac morbus.*

Hæc dum à Dario geruntur; Alexander expeditione Memnonis in Græciam, atque Macedoniam vehementer perturbatus eſt: ſed accepto de ipſius obitu nuncio, omnis perturbatio reſedit. Vehementior hic animi motus in Alexandro, forte etiam morbi nonnulla cauſa fuit, quo valde periculoſo decubuit. Quanquam refert Plutarchus alios eum laboribus tribuiſſe, alios quod Cydno in Cilicia amni gelidiſſimo corpus abluiſſet: ſed eum medicus quidã præter expectationem continuo morbo liberauit, de quo pluribus idem Plutarchus, interque alia ſcriptum ait à Parmenione ad Alexandrum medicum illum magnis muneribus à Dario, & nuptiis filiæ eius, ad interficiendum Alexandrum eſſe redemptum. Quod cum nec creditum ab Alexandro, nec verum etiam fuerit, vt ex eadem narratione conſtat, permirum eſt eundem Alexandrum apud Curtium l. 4. ita ad Darium ſcribere. *Impia bella ſuſcipis, & cum habeatis arma, licitamini hoſtium capita, ſicut tu proxime talentis mille: tanti exercitus Rex, percuſſorem in me emere voluiſti.* Niſi malis has inſidias ad Alexandrum Theſſalorum ducẽ referre.

V. *Alterum Alexandri à proditore periculum.*

Morbo enim feliciter liberatum improbi, atque ingrati hominis perfidia pene oppreſſit. Nam, vt narrat Arrianus, Alexander Lynceſtæ, dux Theſſalici equitatus apud Alexandrum, quippe nuper fuerat de Philippi cæde ſuſpectus, per quendam Amyntham transfugam Dario regi ſignificat, ſe Alexandrum, ſi velit, interfecturum. Darius Aſiſemem hominem Perſam ad eum mittit, qui Darij nomine ipſi renunciet, ſi Alexandrum interfecerit, ſe ei regnum Macedoniæ, & mille inſuper auri talenta traditurum. Sed Aſiſimes in via à Parmenione comprehenſus, rem totam enunciare coactus eſt. Diodorus ait matrem Darij per litteras Alexandrum monuiſſe, vt ſibi ab Alexandro illo caueret; vtrumque potuit contigiſſe. His indicijs ille comprehenſus, atque in cuſtodiam datus eſt.

VI. *Alexander Ciliciæ anguſtias occupat.*

Post hæc Alexander edoctus Darium paucorum dierum itinere abeſſe, Parmenionem ad occupandas locorum anguſtias cum exercitu præmittit, qui Barbaris, qui illa loca inſederant, eiectis, tranſitu potitus eſt. Id interpretatus eſt Darius timorem ob militum paucitatem, non auſurum in apertis campis confligere ſibi perſuadebat. Itaque anguſta loca præoccupare ſtuduerat, vt fugam Alexandri prohiberet, tam male adhuc ille Alexandrum nouerat, prout illum ipſi adulatores de more depinxerant. Interim is Iſſam Ciliciæ vrbem non ignobilem, à qua Iſſicus ſinus nomen accepit, formidine perculſam occupat, vbi per exploratores fit certior Darium cum immenſis copijs triginta tantùm ſtadijs abeſſe. Cum ipſe ſuorum acie egregie compoſita, atque cohortatione ad certamen, quo de ſumma rerum ageretur, animata, Perſis obuiam procedit, dextrum agens agmen, cum equitum fortiſſimis; læuo cornu Theſſalis equitibus commiſſo.

VII. *Vbi cum Dario pugnat.*

Pvgna committitur, & poſt ingentes vtrimque clamores, & primam miſſilium velitationem, cominus res agitur. Alexander omni ſtudio regem oculis perluſtrans, in eum cum ſuis intendit impetum, quod Orathres Darij frater conſpicatus, Regi, ac fratri opem cum ſuorum fortiſſimis affert. Ibi ergo obſtinatiſſime vtrimque pugnatur, & fortiſſimi quique in oculis ſuorum principum pugnantes occumbunt: dumque alij alijs ſuccedunt, ingentes cadauerum ſtrues excitantur. Equi quoque regiæ quadrigæ multis affecti vulneribus, doloris impatientia Regem in medios ferme hoſtes abripiunt; feciſſentque, niſi is habenas currus ſui, præter decorum, ac conſuetudinem Perſicę maieſtatis, manibus apprehendiſſet.

VIII. *Qui victus fugit.*

Interea in alterum translatus currum, dum timorem ſuum prodit ſuis, timorem eis primum attulit, moxque exemplo ſuo coniecit in fugam, in qua innumerabiles cæſi, conculcati, protriti, plurimi etiam nocte interueniente fug[...] in vicinas vrbes, quo quemque loco forſtulit, proripuere. In hoc prælio cecidiſſe dicuntur 120. milliá peditum, equitum ad decem millia: ex Macedonum autem peditatu 300. & 150. equites, vt ſcribit Diodorus, à quo Diodori numero parum diſtant Curtius, & Arrianus. Rex quanta maxima celeritate potuit, equis ſubinde mutatis, inde ſe proripuit, Alexandri perſequentis fugiens manus, & ſuperiores Satrapias curſu capeſcens.

Alexq. reliquum exercitum.

IX. *Præda & captiui.*

Macedones perſecutione intermiſſa caſtris primo impetu captis ad prædam, Perſicaſque gazas conuertuntur, tam regiæ magnificentiæ Satraparum cæſorum, atque fugitiuorum, quam regis ipſius, regiæque familiæ, quæ in partem prædæ venit. Negat Arrianus vltra tria millia talẽtorum in caſtris fuiſſe reperta, quod Darius maiorem pecuniarum partem, & quæcunque ad ſplendidum, magnificumque apparatum pertinentia, reges etiam militantes comitari ſolent, Damaſcum præmiſiſſet. Ea tamen nihilominus ſplendidiſſima, atque opulentiſſima fuiſſe Curtius & Diodorus teſtantur. Per quam vero miſerabilis erat captiuarum mulierum ſtatus. Nam magnorum principum, ac Satraparum vxores, quæ prius in veſtitu deaurato, in pilentis magnificis, vix ſatis commode inuehebantur, nullamque ſui corporis partem, præ faſtidioſa mollicie, ac delicijs conſpici patiebantur, tunc laceratis veſtibus, vix tunica tectæ è conopeis proſiliebant, & deorum hominumque opem, cum multis lacrymis, atque eiulatu, ſparſis laceratiſque crinibus implorantes, victorum genibus aduoluebantur: à quibus plerumque ignotæ, ſeruilem in modum, omni contumeliarum genere vexabantur.

X. *Familia regia captiua. Li. 11. l. 1. c. 15.*

In ea præda fuit mater Siſygambris, atque vxor regis, Arrian. addit ſororem, ſed Iuſtinus & Paulus Oroſ. eandẽ & vxorem & ſororem fuiſſe dicit. Nec aliud dicit Arrianus, licet diligens alioqui interpres aliter intellexerit. Duæ itẽ filiæ prædæ fuerunt, ac filius puer, quos infelix Darius ritu Perſico in bellum ſecum duxerat, ne non ſatis prædæ in viris Macedones inuenirent. Earum videlicet conditio à tanto faſtigio in ſeruorum ſtatum deiecta earum, lacrymę, lamenta, infimæque preces, militares etiam animos, victoreſque commiſeratione frangebant.

Sed lacrymæ illæ, ac lamenta vehementius increbuere, cum ſub mediam noctem reuerſo Alexandro, eis falſo nunciatum eſt, Darium ab Alexandro occiſum eſſe. Qua re intellecta Rex vnum è purpuratis ſuis Leonatum mittit, qui vanum illis pauorem eximat, & inſuper polliceatur Alexandrum eas, non ſecus ac earum dignitati conueniat, tractaturum.

XI. *Alexandri in eam humanitas.*

Qvin & factis fuit quam promiſſis liberatior. Nam & Reginas Hephæſtione comite cum prima luce adiuit; & Regis matrem matris loco habuit, & vtrique omnem cultum, ornatumque, quem cum Dario habuerant, reſtituit, auxitque. Filias nubiles ſe pro earum dignitate elocaturum, ſpopondit; filium ſexennem, quem iam tum complexu, atque oſculis dignabatur, filij loco habiturum recepit. Qua tanta clementia, atque humanitate inſperata, non ſolum regiæ ipſæ mulieres, in lachrymas, gaudij ac gratiarum actionis plenas, effuſæ ſunt; ſed totius exercitus, imò totius etiam poſteritatis admirationem ac laudem meritiſſimò conſecutus eſt.

XII. *Et continentia mirabi[lis].*

Sed eam etiam laudem infinitis partibus verè magnus Alexander auxit, cum teſte Plutarcho, ac Curtio, pulcherrimo, ac maximo rege digno beneficio, virgines ac reginas excellentis formæ tam ſanctè habuit, quam ſi eodem quo ipſe parente genitæ forent: atque adeo operam dedit, nihil vt audirent, neque ſuſpicarentur, neque ſpectarent turpe, ſed quaſi non in hoſtium caſtris, verum in ſacris ac ſanctis Veſtæ templis ſeruatæ, in abdito, extra aliorum oculos, agerent. Quod cum Darius ab Eunucho vxoris ſuæ cuſtode profugo didiciſſet, manus ad cœlum cum his precibus extuliſſe fertur. [a] *Iupiter rex qui regum in terris negotia moderaris, tu mihi Medorum, ac Perſarum imperium, quod dediſti, ſtabilito. Sed ſi omnino me diutius Aſiæ regem eſſe non ſinis, nemini alteri, niſi Alexandro imperium meũ tradito.* Tantam virtutẽ admirabatur, & remunerari cupiebat ipſo regno, ſi ſuperis ita viſum eſſet. Quo facto, nõ carebat virtute propria, qui admirabatur alienam, & regno dignam putabat; nõ iniuria.

a Arian l[...] & ex eo Suidas.

AN. 206. XIII. *Quomodo sit sui victor.*

TEMPERARE enim sibi, quam hostes vincere magis regium est, magisque difficile. Nec profectò opinione fallebatur; neque quisquam sanus rerum æstimator hanc victoriam sui non multo difficiliorem præstantioremque duxerit, ac miraculo propiorem. Militiæ principem, iuuenem, victorem, vxoris expertem, veræ diuinitatis ignarū, ac deos incestos, atque adulteros venerantem, in tanta hominum corruptela, temporumque licentia, in summa impunitate; virgines, nobilitate regias, forma præstantissimas, conditione supplices, ac captiuas, nolle attingere, nolle desiderare, nolle quidquam à se, aut ab vllo alio turpe audire, aut indecorum pati. *Hæc qui faciat*, vt cum M. Tullio exclamem, *non eum ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.* Atque vtinam tam egregium facinus: non in ostentationem suæ continentiæ, vt vult Plutarchus, sed in honorem mundissimæ immaculatissimæque diuinitatis perpetrasset! tanto magis idoneus foret, qui aliquando surgeret in iudicio, & condemnaret generationē istam.

XIV. *Damascum proditione occupat.*

AB eo prælio Alexander Parmenionem Damascum mittit, qui Regias opes cum vrbe capiat. Damasci enim præfectus scriptis ad Alexandrum literis, ea omnia obtulit, ac Parmenioni, fuga simulata quasi parum oppidi munimentis fidens, proditor tradidit, quæ fusè Q. Curtius l. 3. explicat. Ex quo illud non prætermittendum videtur, debitam Proditori pœnam non diu dilatam fuisse. Namq; vnus è conscijs eius, credo Regis vicem, etiam in illa sorte reueritus, interfecti proditoris caput ad Darium tulit, opportunum solatium prodito. Quippe & vltus erat inimicum, & nondum in omnium animis memoriam maiestatis suæ exoleuisse cernebat. Hæc ibi Curtius, vbi cum ea contigisse dicat, eo tempore, quo qui humeris onera portabant, frigus tolerare non poterant, quod procella subito niuem effuderat, & humus rigebat gelu, apparet non alia hoc anno gesta, & mensem Mæmacteriorem, quem notat Arrianus, Ianuario potius, vt vertit interpres, quam Septembri, aut Octobri respondere.

Tanta proditoris.

De re autem Romana nihil scriptum est, nisi vrbem pestilentia laborantem nouis Consulibus caruisse, vt initio huius anni dictum est.

ANNVS MVNDI 3722. SEXTÆ ÆTAtis & Imp. Pers. 206. Darij 7. Ieddoæ Pontif. 33. Alexandri 5. Olympiadis CXII. An. 1. Archonte Nicerato, siue Aniceto, aut Niceto. Vrb. C. 421, Coss. L. Cornelio Cosso II. & Cn. Domitio Caluino.

Arria. l. 2. Exp. Dionys. in Dinar.

ANNVS ANTE CHRISTVM 331.

I. *Darius bellū reparat, & pacis conditiones offert.*

BELLVM Persarum hoc anno maiore conatu ac studio, maiori etiam necessitate redintegratur. Nam, vt Diodorus refert hoc anno primo centesimæ duodecimæ Olympiadis, (in qua victor fuit Grylus Chalcidensis. Callippus autem Atheniensis fraude vsus in ludis, ingenti mulcta affectus à Pausania memoratur. *a*)

a L. 5. p. 163.

Litera Darij ad Alexandrum.

Hoc in quam anno Darius cum ex Issensi pugna, ac fuga Babylonem peruenisset, reliquias belli collegit & quamlibet magna clade affectus, nequaquam tamen animo fractus est, sed per literas Alexandrum monuit, vti fortunæ beneuolentiam humanitus ferret, & magna pecuniarum vi accepta permutationem captiuorum faceret. Totum insuper Asiæ tractum, quem Halys fluuius cursu definit, cum vrbibus illi concessit, si amicus quam hostis esse mallet. Ita Diodorus. At Curtius l. 4. addit oblatas filiæ nuptias, cui tota illa regio dotis nomine traderetur; easdéque literas sub Tyri expugnationem refert, sicut & Arrianus: qui tamen aliqua ijs inserit, quæ ad posteriores literas pertinent, vt dicemus postea.

l. 2. l. 4.

II. *Fraus Alexandri in eo.*

QVOD ad has autem attinet, his omnino diuersas exhibent Arrianus, & Curtius, & longe minus afflictæ admodum Darij fortunæ congruentes. Verum nodum hunc videtur Diodorus soluere, cum ait Alexandrum veras literas occultasse, & alias, prout ad commodum ipsius vergerent, conscriptas, in amicorum concilio protulisse: sicque legatos ad Darium re infecta redijsse; fraude vtique minimè regia. Ea videlicet scripta fingebat, quæ animos Macedonum ab Dario auerterent, ne illi pacis conditiones accipiendas putarent, cum ipse bellum omnino cuperet.

Noua Darij copia.

Darius ergo res amice componi posse diffidens, in maximos belli apparatus incumbit, tantumque effecit, vt numerus eo, qui ad Issum fuisset, duplo maior euaderet. Octingenta enim peditum, & ducenta equitum millia conuenêre, præter ingentem multitudinem curruum falcatorum, qui apparatus nullo modo in annum præcedentem cadit, vt ex dictis in eius fine perspicuum est; quamuis Diodorus in fine præcedentis anni aliter sentire videatur. Tantus autem apparatus de summa rerum aleam iaci testabatur.

III. *Multas per amicos recipit in Asia ciuitates. Ipse Phœniciam adit, recipit Aradum, Marathum, Biblon, Sidonē. A Tyrijs legationē honoratur, & se recusatur ad eos vrbe.*

INTEREA Alexander Parmenionem, qui Damascum receperat, Cœlesyriæ præfectum constituit: misit etiam, vt ait Iustinus, ad classem Persicam occupandam, quæ in Phœnicia stationem habebat. Alios etiam amicos ad alias Asiæ ciuitates recipiendas misit; quæ statim audita fama victoriæ, ipsius Darij præfectis, cum magno auri pondere tradentibus se, in potestatem victorum venerunt. Ipse interea in Phœniciam profectus est, vbi Stratonem Aradiorum regem obuium habuit (est autem Aradus Phœniciæ modica insula) qui aurea corona Alexandri capiti imposita, Aradum insulam, & aliquot alias vrbes sibi subiectas ei tradidit. In quibus Marathus, vbi Darij literas, de quibus paulò ante diximus, recepit. Inde Biblon. eiusdem Phœniciæ vrbem, deditione accepit. Sidonem etiam, Sidonijs ipsis, odio Persarum, à quibus non ita pridem pessimè accepti fuerant, *b* & Darij, eum accersentibus. Tyrum inde proficiscenti Tyriorum legati obuiam venerunt, significantes Tyrios quæ imperasset Alexander, facere paratos esse. Ipse laudata & vrbe, & legatis, iussit vt reuersi Tyrijs renunciarent, velle se vrbem intrare Herculi sacrificaturum. Quod cum Tyrij recusassent, vehementer iratus, vrbem vi capere constituit.

b an. 2. Olymp. 106.

IV. *Quam ob rem Tyrum oppugnare statuit.*

SVORVM enim coacto concilio docet expeditionem in Persas parum sibi tutam fore, Persis imperium maris obtinentibus, & Ægyptum, ac Cyprum in potestate habentibus. Interim enim dum Darium in Babylonem, ac Persidem Macedones insequentur, Tyriorum vrbe dubia relicta, facilè Persis fore cum Phœnicia classe vrbes maritimas recuperare, & bellum in Græciam transferre; præsertim cum Lacedæmonij hostes sese Macedonum aperte declarassent, (Agis enim Lacedæmoniorum Rex mercenarium octo millia in Cretam, classe transmiserat, ibique aliquot vrbes Dario acquisiuerat, vt ait Diodor. in extremum hūc annum: Athenienses verò in præsentia metu magis, quam beneuolentia continerentur. Capta autem Tyro, ac Phœnicia, classem quoque Phœniciam in potestate fore, cui coniuncta Macedonica, se maris imperio potituros. & Cypro vel dedita, vel subacta, facilem in Ægyptum expeditionem fore. Ea vero etiam imperio Græcorum adiecta nihil fore quod aut de Græcia, aut Macedonia solliciti esse debeant, sed cum magna securitate, maiorique gloria Babylonicam expeditionem suscepturos. Hæc pauplo pluribus ex Arriano retuli, quod rerum gestarum seriem cum magna luce exhibeant.

Quanti id ratio Alexandri fuerit.

Lacedæmonij hostes Alexandri.

V. *Quam difficilem Tyri expugnationem redderent. Ezech. 27.*

QVÆ cum omnibus suis Alexander probasset, Tyri expugnationem aggressus est, rem in primis laboriosam. Nā Tyrus ipsa insula erat, *in corde maris*, vt Scriptura loquitur, altis vndique, validisque cincta muris, ac turribus, armis virisque potens, pollens diuitijs, omnique rerum apparatu. Classe insuper cum Persis maris imperium obtinebat, & potentissimarum ciuitatum Carthaginis in primis, fœdere, ac societate nitebatur: quò etiā imbellē multitudinem ex vrbe mature detulerunt. Addebat animos, quod se Dario vehementer gratificaturos intelligebāt, si vel Alexandri spiritus irrita obsidione debilitarent, & cursum victoriarum infringerent; vel certè in hac diuturnæ obsidio-

obsidionis mora, tempus Dario reparandarum copiarum præberent. Deinde se, in omnem euentum, ad æquas deditionis conditiones esse venturos. Verum ea spes, si qua fuit eiusmodi, eos vehementer fefellit, neque hisce difficultatibus Alexander animo fractus est.

VI. *Alexandri in eam opera. Agger 4. stadiorum.* ET in primis aggerem ex continente ad vrbem ducere statuit, id interuallum 4. stadiorum fuit. Erat in continente antiqua Tyrus, quam demolitus est, vt lignis, atque lapidibus aggerem excitaret: & accitis vndique tota ex prouincia viris, qui cum suo exercitu, aggerendis lignis saxisque, nunquam intermisso labore desudarent, moles ad ducentorum pedum longitudinem in vrbem versus iacta, ac fundata est. Verum postquam ad profundiora loca peruentum est, & ad teli ab vrbe iactum, ibi videlicet vehementer laborabatur. *Tyrii operarios vexant.* Nam operarij, qui ad opus, non ad pugnam instructi erant, ex altis murorum pinnis configebantur telis, nec vllum innoxium in tanta operarum multitudine cadebat; & insuper lembis circumcursantes Tyrij, eos etiã à tergo petebant.

VII. *Duas turres in Tyrios excitat Alexander.* VTRIQVE malo opportunè occurrit Alexander. Nam in extremo aggere duas ingentes excitauit turres, quibus propugnatores murorum ex æquo, & ad nauigantes ex alto peterentur, sicque vndique summoti hostes molem exaggerari paterentur. Ex ijs etiam turribus quasi velum quoddam obtendunt, ex corijs, pellibusque recẽtibus iumentorum, ne facilè à vibratis ignibus corripi, ac corrumpi possent, & eo opere, à missilium iniuria protegerentur. Naues quoque plurimas expeditas instruxit, in quas etiã ipse ascendit, quæ Tyriarum reditum in portum suum intercluderent, & portum etiam ipsum occuparent: *Et portum pene occupat.* multæ enim naues ad Alexandrum vndique confluxerant. Eo periculo animaduerso, Tyrij omni contentione animorum neruorumque euadere, ac portum suum subire contendunt; nec minore studio cæteri præuenire festinantes satagunt; iamque præuenerant; cum Tyrij facto impetu rumpunt aditus, viamque sibi ad portum aperiũt, & postremis nauibus amissis, salui portu atque vrbe potiuntur.

VIII. *Tyrii turres incendio petunt.* TVRRES interea certum eis moliebantur interitum, cum earum præsidio paulatim vrbs continenti committeretur; contra eam perniciem hoc subsidij genus machinati sunt. Nauem equis vectandis factam aridis sarmentis, aliaque materia, quæ facilè succendi posset, onerant; & malis duobus ad proram erectis, eos latè in orbem ea materia circumsepiunt, quam pice resina, sulphure accumulant; prætereà ad vtrunque malum binas antennas extendunt, ex quibus lebetes suspendunt plenos materia ad augendã flammam idonea: deinde saxis, arenaque, & nauticis instrumentis puppim onerant, vt eorum pondere grauata puppi, altius prora consurgat. Deinde obseruato vento, qui aggerem versus spiraret, eo nauim triremibus alligatã protrahunt, & iniecto in eam igne, quanta maxima vi possunt ad turres, & molis caput impellunt. Eo facto remiges enatant ad triremes suas.

IX. *Quanto Macedonum damno.* INGENS incendium turres comprehendit, antennæ adustæ fractæque, lebetes effundunt incendium & vehementer amplificant, cumque Macedones ad extinguendũ incendium accurrerent, à Tyriorum paratis triremibus telis petebantur. Eodemque tempore plerique ex vrbe schaphis ad aggerem delati velum Macedonum, variasque machinas, quas prius incendium non attigerat, iniectis ignibus corrumpunt. *Aliud à tempestate damnum.* Accidit & aliud non leuius malum. Nam eodem die vehementior ventus totum ex profundo mare illisit in molem, crebrisque fluctibus compages operis verberatæ se laxauere, saxaque interfluens vnda medium opus rupit. Diuulsis igitur lapidum cumulis quibus iniecta terra sustinebatur, præceps in profundum ruit, tãtæque molis vix vlla vestigia inuenit Arabia rediens Alexander. Ita Curtius l. 4. Hæc enim absente Alexandro cõtigisse tradit, quæ ante excursionem in Arabiam facta, Arrianus probabilius existimat.

X. *Nouo Alexandri conatu. Offert pugnã naualem.* DIODORVS hac ruina tantopere afflictum Alexandrum scribit, vt eum tentatæ obsidionis pœniteret. Nec tamen in futurum desperationem attulit, sed iram accendit. Plures alias machinas, turresque fabricatur; intereaque hostes ad prælium nauale, cuius à principio videbantur esse appetentes, allicit. Verum animaduersa Alexandrinæ classis magnitudine, pugnam detrectarunt; aderant quippe Alexandro facilè ducentæ triremes, quibus ipsi 80. dumtaxat obijcere poterant.

Excurrit in Arabiam. Dum autem & machinæ conficiuntur, & naues ad nauigationem pariter, & pugnam instruuntur, & moles cum ingentibus arboribus, saxisque, contra vim ventorum, ac fluctuum renouatur, Alexander moræ impatiens, cum expedita equitum peditumque manu, Arabiam versus ire contendit, ad montẽ cui Antilibano nomen est, eaque regione partim vi subacta, partim certis pactionibus in deditionem accepta, intra decem dies Sidonem reuersus est.

XI. *Auxilium ab Hebræis petit a Lu. c. 8.* Hoc erat illud tempus, quo Alexander, vt scribit Iosephus, a scriptis ad Iaddum Iudæorum pontificem literis, petebat auxilium, & vt forum rerum venalium præberet exercitui, quæq; prius Dario conferre solitus erat, ea, trãslata in Macedones beneuolẽtia, ipsis exhiberet. Cumque Pontifex nuncijs respondisset, sacramento se obligatum Dario, ne arma contra eum sumeret, idque ratum fore quamdiu ille vixerit. *Quod negãt.* Iratus illi Alexander Tyri quidem oppugnationem qua breui potiturum se sperabat, non omisit: minatus est tamen ea capta se ducturum contra Pontificem, *vt omnes discant*, inquit, *cui iusiurandum seruari oporteat*.

XII. *Sanaballetes deficit ad Alexandrum.* INTEREA Sanabelletes, qui socer erat Manassis, fratris Iaddi Pontificis, ratus iam adesse tempus idoneum, à Dario defecit, vt scribit eodem loco Iosephus, & assumptis 8. millibus de sua prouincia, in Alexandri castra se contulit. Cumque offendisset eum Tyri oppugnationem aggrediẽtem, & suam prouinciam eius fidei commisit, & hunc pro Dario dominum libenter agnouit. A quo obuijs manibus acceptus, liberè iam quid vellet eloquitur. Ait se generum habere Manassem, Iaddi Iudæorum pontificis fratrem: eũ sequi multos illius gentis homines, & velle in sua prouincia templum extruere. Idque fore in rem ipsius regis, si diuidatur Iudæorum potentia, ne forte de communi sententia rebellantes, multum negotij regibus facessant; quemadmodum soliti sunt Assyrijs imperantibus.

XIII. *Impetrat templum, atq. excitat.* QVOD vbi impetratum est, omni ope adnitens templũ ædificauit, & Manassem eius sacerdotem constituit, amplissimum hunc honorem filiæ suæ posteris relicturum se existimans. Septem verò mensibus in Tyri oppugnatione, & Gazæ duobus assumptis, Senabelletes fato functus est. Ita Iosephus. Hoc ergo anno aut extructum, aut inchoatũ est templum Hierosolymitani æmulum, quod vsque ad ipsam Christi Domini ætatem stetit, in ruinam, & euersionem multorum in Israël. *Schisma Iudæorum exoritur.* Nam vt idem tradit, si quis apud Hierosolymitanos aut illiciti cibi sumpti, aut violati sabbati, aut similis criminis reus agereiur, ad Sichimitas confugiebat, calumniam se passum esse dictitãs. Hoc ergo fuit perpetuum rixarum inter Hebræos seminarium.

XIV. *Alex. in omnibus mouet, quatit.* CÆTERVM cum cerneret Alexander Tyrios ad nauale certamen non prodire, sed triremibus, quotquot portuum fauces capere poterant, confertim aditum suis nauibus obstruere, ad vrbem cingendam nauibus, in quibus multę machinæ impositæ erant ad subruendos muros, animum adijcit. Sed huic malo Tyrij iam occurrerant, magnam quippe vim saxorum circumquaque ad muros proiecerant, vt ijs proplus accedere hostium naues, viris machinisque onustæ prohiberentur, sed ea saxa pertinaci contentione Macedonum laqueis implexa tollebantur, moxque in altum pelagus machinis sublata proijciebantur. Dum interea Tyrij nauibus tectis allapsi funes anchorarios nauium hostilium præcedebant, vt eæ sine firmitate fluitantes, certo icto mœnia quassare machinis non possent; vt Macedones catenis ferreis pro funibus anchoras ligare cogerentur.

XV. *Multa vtrimque fortiter gesta.* ITAQVE magna vndique vi muri pulsantur, sed Tyrij interiore se muro quinque cubitorum interuallo circundant, & medium spatium terra lapidibusque complent. Longum esset enumerare eruptiones, effractos, refectosque muros, captas, demersasque triremes, nocendi ac nocumenti propulsandi artes vtrimque excogitatas, atque exerci-

Vltimus co natus in Tyrum.

exercitas, quas fusius Diodorus, Arrianus, Curtius retulere. Diodorus certe & Curtius scribunt Alexandrum desperata expugnatione Tyri, in Ægyptum expeditionem constituisse. Sed pudore tanti laboris irriti; metu etiam ne id dedecus in magnum rerum gerendarum detrimentum redundaret, oppugnationem redintegrat, & copiarum duces ad pugnam vltimam cohortatus, tormenta nauibus imposita vrbi admouet, ac primo quidem impetu amplū muri spacium diruit, & retractis nauibus quibus tormenta vehebantur, duas alias cum pontibus adduci iubet, quibus per murorum strages transcendatur.

XVI. *Varijs locis distinentur.*

INTEREA Tyrios varijs in locis distineri iubet, vt tot simul periculis adesse non possent, & facilius per admotos pontes in vrbem penetrari posset. Itaque triremes suas contra vtrumque portum infestas iubet irrūpere. Naues quoque omnes machinis destinatas, & quæ sagittarios ferebant, muros circumnauigare, & quacumque via licuerit applicare iubet, aut certe intra teli iactum consistere, & negotium obsessis omni ratione facessere.

Pontibus vrbs inuaditur.

Nihilo secius per vtrunque pontem vrbi admotum scutati Admeto duce, subsequente Alexandro muros cōscendunt, indeque Tyrios, qua parte vrgebat Alexander depellunt; sed Admetus, qui primus conscenderat murū, in Alexandri oculis lancea traiectus interijt. Alexandrum confestim multi sequuntur, qui occupatis nonnullis turribus, per summa propugnacula murorum, ad regiam contendit, vnde facilior erat in vrbem descensus.

XVII. *Vterq. portus occupatur. Tyrii in plateas congl. obstinati pugnant.*

AD vtrunque portum, tam qui Ægyptum, quam qui Sidonem spectabat, Tyrij male rem gesserunt, & illo à Phœnicibus, hoc à Cyprijs occupato, claustra reuelluntur, confringuntur naues, & ex portu in vrbem penetratur à Cyprijs. Tyrij simul ac murum captum conspexere, eo deserto ad Agenoriam plateam conglobati, in Macedonas irruunt, ibi magna editur cædes. Nam & ex muris cum suis Alexander aderat, & ex portu Cyprij, alijque confluebant. Denique vulneribus, ac multitudine oppressi cessere: aliqui supplices in templa confugiunt, alij foribus ædiū obseratis, occupant liberum mortis arbitrium, nonnulli ruūt in hostem, non inulti perituri: magna pars summa tectorū obtinebat, saxa & omne telorum genus subeuntibus ingerentes. Alexander, exceptis qui in templa confugerant, omnes interfici, ignemque tectis inijci iubet, sicque Tyrus in Alexandri potestatem 7. denique mense venit, vt ait

De 7. mensibus consentit etiā Ioseph l. 11. c. 8.

Plutar. Diodorus, & Curtius, qui non multum in vrbis expugnatione cum Arriano, quem maxime secuti sumus, consonant: à quibus omnibus Iustinus videtur vehementer abhorrere, cum Tyrios per proditionem captos autumat.

XVIII. *Quanta fuerit hac clades.*

QVANTVM sanguinis fusum sit, ait Curtius, vel ex hoc æstimari potest, quod intra munimenta vrbis, sex millia armatorum trucidata sunt, quindecim millia Sidoniorum fraus & misericordia ferro eripuit, duo millia crucibus affixi, per ingens litteris spatium pependerunt, imbellis multitudo seruituti mancipata est. Et impleta est Prophetia Ezechielis c. 26. de qua primo desolationis anno ... finem dictum est, vbi multa per amplificationem dicta oportet, qualia sunt illa, v. 8. *Circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro.* Et mox *Inundatione equorum eius, operiet te puluis eorum, a sonitu equitum, & rotarum, & curruum mouebuntur muri tui, cum ingressus fuerit portas tuas, quasi per introitum vrbis dissipatæ. Vngulis equorum tuorum conculcabit omnes plateas tuas,* &c. Quæ Tyro non satis conuenire videntur, sicut illa, *Dabo te in limpidissimam petram, nec adificaberis vltra.* Non enim plane euersam fuisse ex Diodoro constat, qui Ballonymum quendam ibi regem constitutum ab Hephæstione Alexandri duce tradit; cum ille in lacerna vilissima aquas mercede hauriret. Eumque deinceps regnum obtinuisse, & Alexandro amicissimum fuisse: quæ multum deprauata apud Iustinum leguntur. Audi etiam Curtium l. 4. *Multis, inquit, casibus defuncta, & post excidium renata, nunc tam longa pace cuncta refouente sub tutela Romanæ mansuetudinis acquiescit.*

Prophetia Ezechielis. | n. 74 & seq. | *Ballonymus Rex Tyri.* | Lib. 1.

XIX. *Quomodo Prophetia congruat.*

NISI placet dicere, quæ eo Prophetæ capite continentur, partim Antiquæ Tyro conuenire, quæ ad littus maris sita erat. Quæ à Curtio, & Diodoro Palætyrus appellatur, ad quam Tyrij legati Alexandrum ad sacrificandum Herculi remittebant, ex qua ligna & lapides ad construendū aggerem sumpsit Alexander: partim recentiori, quæ mari vndique cingebatur quadrare, & priorem illam ab Nabuch. posteriorem ab Alexandro expugnatam fuisse. Illam funditus excisam, lapidibus etiam eius, & lignis in mare demersis. Hanc non plane euersam, sed humilem tamen constitisse. Et Ezechielem, quod Prophetis familiare est, propheticos oculos modo ad hanc, modo ad illam circūtulisse. Sed de Tyro hactenus. Vide quæ quarto volumine hac de re diximus.a

a e m. 3447 n. 10. & seq. & 3. 3451. n. 11.

XX. *Darii legatio ad Alexandrum an huc pertineat.*

SCRIBIT Arrianus extremo lib. 2. cum adhuc Alexander in obsidione Tyri versaretur, legatos ad eum à Dario venisse, qui Asiam omnem vsque ad Euphratem cum filiæ nuptijs offerrent: sed probabilius Diodorus, Curtius, Iustinus. Plutarchus hanc vltimam Darij ad Alexandrum legationem esse volunt, post Phœniciam omnem, atque Ægyptum subactam, non longe ante pugnam ad Arbelam, quæ sequenti anno commissa est: & omnino duas legationes in vnam confudisse videtur. Ea ergo dilata, Gazam cum Alexandro in Ægyptiaca profectione adeamus, ad hunc enim annum eius expugnatio pertinet; cum eodem mox Iosephi ductu Hierosolymam adituri. Etsi vereor, vt tuto Iosepho credi possit, Alexandrum primo deducenti Gazam, indeque eum postea Hierosolymam, bidui triduive itinere reducenti. Potius enim ex itinere Gazæo Hierosolymam profectus videtur: neque recto vrbem tantam, quæ auxilia negasset, amicitiamque respuisset, relinquere intactam voluisse. Sed cum vtrouis modo adierit, semper res in eundem annum cadat, Iosephum sequamur licet. Certe Curtius b & Arrianus autores sunt Alexandrum septimo die posteaquam à Gaza copias mouerat, in regionem Ægypti, quam Castra Alexandri vocant, peruenisse: Etsi Iosephus dicat eum digressum Hierosolymis, in alias propinquas vrbes exercitum mouisse.

b l. 4. Arria. l. 3. init.

XXI. *Gaza obsidet.*

ALEXANDER igitur capta Tyro, reliquas vrbes Ægyptū versus, quæ Palæstina censentur, facilè in potestatem redegit, Gaza renuit imperata facere. Ei præfectus erat Eunuchus quidam Batis nomine, qui conductitijs Arabibus, & loci firmitate, & apparatu ad diuturnam obsidionem fretus, Alexandrum vrbe recipere noluit. Erat vrbs captu omnino difficilis, edito loco structa, & valido cincta muro, mari ad 20. milliaria vicina, arenarum copia, accessu difficilis, & sub desertæ regionis initia collocata. Diodorus Persarum præsidio defensam fuisse dicit: quia nimirum tametsi Arabes erant, pro Persis tamen pugnabant. Itaque Curtius Arabem vocat Darij militem. Alexander statim atque ad vrbem peruenit, castra ad Austrum locat, ea parte vrbis, qua commodius obsideri posse sperabat. Et quāuis in colle sitam, ex æquo oppugnare aggressus est. Aggerem enim circumquaque erexit tantæ altitudinis, vt machinæ in ea positæ murorum fastigium æquarent. Nam duorum stadiorum latitudinem, altitudinem autem 250. pedum ei tribuit Arrianus.

Agger immensus.

XXII. *Gazæorum vis. Alexandri periculum.*

CVM ergo murus magna vi, machinarum impulsu quateretur, Gazæi eruptione facta, ignem machinis inferunt, & magna vi Macedones tantum non ex aggere quem extruxerant, repellunt. Cum Alexander, qui veritus Aristādri vaticinium sese extra teli iactum continebat, sumptis scutatis, qua maxime premebantur Macedones, accurrit, fugamque compescuit, sed thorace ac scuto catapulta traiecto, vulnus in humero accepit. Curtius geminum vitæ periculum tunc Regem adijsse tradit. Nam ait Arabem quendam Darij militem clypeo gladium tegentem, quasi transfugam genibus regis aduolutum: qui cum iubetur assurgere, gladio promptè in dextram translato, ceruicem appetit regis, qui exigua corporis declinatione euitato ictu, in vanum barbari manum lapsam gladio amputauit. Deinde cum denunciato in illum diem periculo sese perfunctum putat, dum inter primores promptius dimicat, sagitta ictus est, quam per loricam adactam stantem in humero medicus eius Philippus euellit: quo vulnere leuiter

obligato,

obligato, dum perstat in acie, manante diutius sanguine linqui animo cœpit: sicque in castra relatus, opinionem mortis & victoriæ hostibus dedit, sed breuis ea spes fuit.

XXIII. *Gaza quanto tempore oppugnata; Gazæorum fortitudo.*

INDE cuniculis varijs ea partibus suffodiuntur muri, adeò vt terra clam egesta, pluribus in locis subsidens corrueret. Et ter quidem oppidani, Macedonum impetum, multis suorum interfectis sustinuerunt.

At quarto impetu cum Alexander omni ea parte phalangem admoueret, alibi murum suffossum diruens, alibi tormentis assiduè quassans, facilem per murorum ruinas aditum suis præbuit, vbi & sano crus eius affligitur: cum nihilominus ingresso milite moxque reclusis portis, totus exercitus vrbe receptus est. Gazenses vrbe iam ab hostibus occupata, conglobati nihilominus pugnabant, eoque ipso loco, quo quisque constiterat, vitam pugnans amisit. Alexander vxoribus eorum, ac liberis in seruitutem redactis, colonisque ex finitimis in vrbem deducta, eo tanquam præsidio ad bellum est vsus. Hæc ferè Arrianus, & Curtius.

XXIV. *Alexandri in Betim crudelitas.*

ADDIT Curtius Betim dum fortiter dimicaret, à suis desertum captum fuisse, & crudeliter ab Alexandro, loro per talos traiecto, religatum ad currum, equis circa vrbem fuisse raptatum, gloriante rege, Achillem à quo genus duceret, imitatum se esse, pœna in hostem capienda. Cecidere Persarum Arabumque circiter decem millia: nec Macedonibus incruenta victoria fuit. Itaque Amyntam Rex cũ decem triremibus in Macedoniam, ad nouum delectum misit. Bimestrem fuisse obsidionem Diodorus & Iosephus tradidere. *a* Sed ille addit eo tempore Græcorum Senatum quindecim legatos cum aurea corona ad Alexandrũ misisse, qui ei victoriam ad Issum obtentam gratularentur: nec sera gratulatio, in tanto marium ac terrarum interuallo, videri debuit.

a l. 11. ant. c. 8.

XXV. *Adit Hierosolymam, ex Iosepho.*

IOSEPHVS autẽ de adita ab Alexandro Hierosolyma, solus Antiquorum, quem videre potuerim, præter eos qui tem ex ipso retulerunt, hæc tradit. *Alexander*, inquit, *expugnata Gaza, Hierosolyma properè petijt. Iaddus verò pontifex postquam hoc audiuit, solicitus hærebat inops consilij, nec inueniens quomodo regem deberet excipere, iratum, eo quod antea neglexisset imperata eius facere. Ergo indictis populo supplicationibus, & immolatis Deo victimis, ad opem eius confugit, publicam illi salutem commendans. Proxima deinde post sacrificium nocte, in somnis ei Deus apparuit, iubens vt bono esset animo, & coronata vrbe portas aperiret, cumque populus in albis vestibus prodiret obuiam: ipse verò cum reliquis sacerdotibus solenni cultu sui ordinis, securi de Dei prouidentia. Experrectus autem è somno, lætus ciuibus hoc oraculum indicat, & paratis omnibus, vt in somnis præmonitus fuerat, regis aduentum præstolabatur: & cum renunciatum esset eum iam non procul ab vrbe abesse, progressus est cum sacerdotibus, & vrbana multitudine, pompa quadam noua, & venerabili, vsque ad locum qui dicitur Sapha, quæ vox speculam significat, quod ibi vrbs & templum in prospectu sit.*

XXVI. *Chronologicus Iosephi error.*

ET cum Phœnices, & Chaldæi sperarent sibi licere quidquid iratus rex posset permittere; subsiste modicum lector, & mirare mecum, vnde Chaldæos hoc loco Iosephus educat; necdum enim Alexander Chaldæam, aut Babylonem occuparat, ac ne adierat quidem, vt eos sub signis haberet, Græcos potius, vel Macedonas dictũ oportuit. Hunc autem Iosephi errorem confirmat, quod aliquanto post ait Iudæos ab Alexandro petijsse, vt Iudæos, qui Babyloniam, ac Mediam colerent, sineret vti proprijs institutis, eumque libenter concessisse. Imo diceret, dimendimus pellem, implicata cassibus nondum fera, si superi nobis victoriam annuerint, sinam. Sed nec locus satis fideliter, quamuis à diligenti, ac fideli interprete, conuersus videtur. Sic autem ex Græco habetur. *Phœnicibus autem, & qui eum sequebantur, Chaldæis existimantibus, se irati regis mandato vrbem direpturos; & Pontificem contumeliosè affecturos supplicio plane contrarium euenit.* Pergit ergo.

XXVII. *Alexander Hebræum pontificem adorat.*

ALEXANDER *enim vt vidit è longinquo candidatum populum, & sacerdotes ante agmen in amictu byssino, pontificemque in stola hyacinthina auro distincta, tiaram in capite gestantem, cum præfixa aurea lamina insculpta Dei nomine, solus ad eum accedens, nomen illud adorauit, & salutauit pontificem. Iudæis autem omnibus vno ore Alexandrum consalutantibus, & in orbem cingentibus, Syriæ reges, & reliqui obstupuerunt, vix credentes regem mentis compotem. Solus Parmenio propius accedens rogauit familiariter, quid ita cum ipse adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Iudæorum pontificem.* Hæc quoque Parmenionis interrogatio admodum mihi suspecta est. Neque enim adhuc Alexandro in mentem venerat, vt adorari vellet, aut se Iouis Ammonij filium crederet, aut credi vellet; sed ea insania in Ægypto primũ insanire cœpit, quo nondum hoc anno venerat. Sed reliqua videamus.

XXVIII. *Domino visus Alexandro.*

AT *Alexander, non hunc se adorasse respondit, sed Deo cuius Pontifex esset, honorem eum exhibuisse. Hunc enim*, inquit, *vidi & antea hoc ipso habitu, cum adhuc essem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem quomodo Asiam possem subigere, hortatus est forti esse animo, & sine mora exercitum traijcere. Nam suo ductu potiturum me Persarum imperio. Quapropter quia nunc primum talem habitum vidi, agnoscens hunc, & visionis memor, quæ me ad hanc expeditionem impulit, puto me non sine numine in Darium exercitum ducere, & breui fore victoriæ compotem: & sublato Persarum imperio, cessura mihi omnia ex sententia. Hæc locutus ad Parmenionem, & cum ne complexus Pontificem, deducentibus sacerdotibus in vrbẽ peruenit: & ascendens in templum immolauit Deo ex sacerdotum præscripto, ac Pontifici quoque suum honorem exhibuit. Ostensoque, sibi Danielis libro, in quo Græcum quendam Persas debellaturum significat, hunc ipsum se esse interpretatus, lætus dimisit sic multitudinem.*

XXIX. *Item in Hebræos commoda.*

ALLVDIT ad octauum caput Danielis vbi Aries ab Hirco victus describitur, vt 3. anno Balthazaris Chaldæi diximus. Potest etiam ad ea respexisse, quæ c. 11. eiusdem Prophetæ leguntur. *Sequenti verò die*, inquit Iosephus, *vocatis Iudæis*, iussit vt quidquid vellent peterent. Pontifice autem, petente vt patrijs legibus viuere sibi liceret, vtque septimo quoque anno concederetur eis tributorum immunitas, concessit omnia. Rogantibus deinde vt eos quoque Iudæos, qui Babyloniam ac Mediam colerent, proprijs vti sineret institutis. Huic etiam postulationi satisfacturum se est pollicitus. Iam monui hæc præpropere à Iosepho vsurpata, quasi iam Media, ac Babylonia Alexander potiretur. Sed dicamus licet, in gratiam Iosephi, hæc regem spondere, nixum visioni suæ, diuinoque promisso. Denique addit factam Iudæis ab Alexandro potestatem, si qui vellent, saluis suis ritibus sequi eius militiam, multosque in eam expeditionem nomina dedisse.

XXX. *Quid actum cum Samaritis.*

SAMARITAS etiam ait, cum viderent Iudæos ab Alexandro magnificè tractatos, se quoque Iudæos esse professos & obuiam ei profectos rogasse, vt vrbem quoque suam, ac templum inuiseret, & tributi immunitatem 7. anno tribueret: eumque illa omnia in suum reditum distulisse. In qua etiam narratione non satis constanter locutus videtur Iosephus. Nam cum dixisset, Samaritas, videntes Iudæos iã magnificè tractari ab Alexandro, decreuisse se Iudæos profiteri, paulò post Alexandro eos interrogante an Iudæi essent, negasse ait se esse Iudæos. Vtique non satis probabiliter. Quomodo enim honorificũ nomen tum recusarũt, sub quo concessi Iudæis beneficij participes esse poterant, & eo recusato spe sua frustrarentur & factum est. Deniq; his consentanea non sunt, quæ scripsit Hecatæus apud Iosephum l. 2. contra Appionem. Ait enim Hecatæus, propter mansuetudinem atque fidem, quam Alexandro præbuere Iudæi, Samariem regionem adiecisse, vt eam sine tributis haberent. Hæc ibi.

XXXI. *Reprehenditur Iosephus a Temporario.*

CIRCA hanc Iosephi historiam refert addere, quæ tradidit Temporarius l. 3. suæ Chronologiæ, vbi de Danielis hebdomadibus disputat. Magnam ille Iosephi, & omniũ Iudæorum ignorationem rerum Persicarum fuisse contẽdit, quod Persarum, tametsi liberatorum suorum, beneficia ac tempora neglexissent memoriæ commendare; & cũ legerent 4. tantum à Daniele cap. 11. reges Persarum memorari, indeque ad Alexandrum transitum fieri, non plures Persarum reges extitisse crediderunt. Addit etiam Iaddum & Sanaballat, qui in historia Iosephi recensentur, aut alios esse ab ijs, qui ab Esdra memorantur; vel quod magis suspicor, inquit, vanissima esse Iosephi commenta, de Ieddoa & Sanaballato. Ego quidem Temporario facilè assẽtior maxima rerum Persicarum ignoratione laborasse Iu-

dæos. Itaque ex eorum maiore Chronologia sub finem perspicuum est, & ex minore etiam, vbi dicitur imperium Græcorum incepisse in diebus Mesulæ, filij Zorobabelis. Quod autem negat Ieddoam, siue Iaddum fuisse Pontificem, & inter Sacerdotes, non inter Pontifices recenseri, aperte refellitur ex secundo Esdiæ vbi Ieddoa dicitur pronepos Eliasib. Qui autem scribuntur fuisse in diebus Eliasib, & Darij Persæ, id est, Longanimi, alij fuerunt, & diuersimode in Hebræis, Græcisque codicibus scribuntur. Alium ergo Iaddum, aliumque Sanaballat oportet esse eum, qui a Iosepho hoc loco refertur, ab eo qui ab Esdra memoratur: nec nisi firmiore fundamento nixus, hæc, tanquam vana Iosephi commenta, reiecerim.

(c. 12. v. 10. — v. 22.)

XXXIV. *Metu Gallorum Romæ Dictator creatur. Rex Epiri Censores.*

A ROMANIS autem fama belli Gallici Dictatorem dici, & intentius delectum habere, quam pro finitimis bellis coëgit: formidolosum quippe hostem semper credidere. Verum per exploratores cognitum quieta apud eos esse omnia; ex Sidicino agro exercitus deductus non est, propter Suspicionem nouarum rerum apud Samnites. Hoc anno Rex Epiri Alexander, Olympiadis frater, Samnites. & Lucanos in Italia vicit, & pacem cum Romanis fecit. Censores autem P. Philo & Sp. Posthumius, Metiam & Scaptiam tribum, veteribus censu faciendo addiderunt.

ANNVS MVNDI 3723. SEXTAE ÆTATIS, & Imperij Persarum 207. Darij 8. Ieddoæ 34. Alex. 6. Olymp. CXII 2. Archonte Aristophane. Vrb. Cond. 422. Coss. M. Claudio Marcello. T. Valerio Potito.

ANNVS ANTE CHRISTVM 330.

I. *Alexandri in Aegyptum expeditio.* — *Ab omnibus sine pugna recipitur.*

ALEXANDER vniuersa Phœnicia, Syria, Palæstina in potestatem redacta, septimo postquam Gaza mouit die, Pelusium Ægypti vrbem peruenit, quo & classem suã è Phœnicia profectum reperit appulisse. Mazaces autem Persa Ægypti Satrapa à Dario constitutus, de pugna apud Granicum, & Issum commissa, deque turpi fuga Darij certior factus: Phœniciam præterea, & Syriam, magnamque Arabiæ, atque Asiæ partem in Alexandri potestatem esse redactam; cum ipse Persicum exercitum non haberet, quo hostem, cum tantis viribus terra marique irrumpentem repelleret, Alexandrum in prouinciam atque vrbes amice recepit. Ita ferè Arrianus.

II. *Etiam ab Aegyptiis.*

ADDIT Q. Curtius eum ab Ægyptijs quoque libenter receptum. quod Persarum opibus, ac superbiæ infensi essent, à quibus auare & superbe sibi imperaretur. Diodorus autem ait Ægyptios Persis infensos fuisse, quod multa nefarie in sacra ipsorum ab ijs essent perpetrata; ab Artaxerxe nimirum Ocho, vt supra anno eius vltimo retulimus. Præsidio itaque Pelusio imposito, nauibusque Memphim flumine petere iussis, ipse Heliopolim contendit. Nilum à dextris habens; oppidisque, quotquot in itinere ẽrant, deditione acceptis, Heliopolim per deserta peruenit. Inde traiecto flumine Memphim appulit, aduentumque suum sacrificijs, ludisque celebrauit. Memphi præerat Darij nomine Astaces, qui octoginta talenta Alexandro, omnemque regiam supellectilem tradidit.

(*Heliopolim adit.* — Arrian.)

III. *Alexandriã condit post reditum ex Ammone.*

HIC iam quæstio est inter scriptores, num Alexander Memphi ad vlteriora progressus, Iouis Ammonij oraculũ adierit, & reuersus Alexandriam condiderit; an verò, prius Alexandriæ initium dederit, indeque ad Ammonem profectus sit. Posterior sententia est Arriani l. 3. & Plutarchi in Alex. Verum prior sententia de adito prius Ioue Ammonio pluribus placet, & rationi magis consentanea est. Ita sentit Iustinus l. 11. quem Paul. Orosa de more sequitur. Ita Q. Curtius l. 4. Diod. 17. Nec credibile est Alexandrum Memphim delatum, magna iam parte itineris confecta. non reliquum iter confecisse potius, quam inde reuersum ad mare secundo flumine, vrbem designasse: & rursum remẽso itinere redijsse Mẽphim, indeque Ammonẽ petijsse. Ergo & nos hãc sententiam, vt probabiliorẽ sequamur.

(a l. 3. c. 28.)

IV. *Quo anno vitæ regni, &c.*

NAM Euseb. in Chron. eumque secutus S. Cyrillus Alexandrinus l. 1. contra Iuli. Alexandriam conditam volũt, anno 7. regni Alexandri, id est, anno seq. huius Olymp. Sed in hunc potius annum referendam esse, posito initio regni Alexandri anno 1. Olymp. 111. quod facit & Eusebius, series ipsa rerum gestarum per annos singulos, non patitur vltra differri conditionem vrbis huius. Nec aliter sentit Diodorus, qui huncipsum prætorem nominat, eundemque annum Olymp. Liuius Papyrium & Pœtilium Consules fuisse ait, cum Alexandria condita est, eumque secuti sunt Solinus & Cassiodorus, à quibus Velleius dissentit, & Diodorus. Sed Olympias & Prætor admodum certam faciunt fidem. Fefellit autem aliquos Diodorus in annis Alexandri, quia primum eius annum initio libri 17. prætermisit. Fuit itaque hic annus vitæ eius 26. regni autem sextus.

(AMMONIS DE ALEXANDRO ORACVLVM. *De anno quoque controuersia est quæstio.*)

V. *Alexander Ammonis oraculum adit.*

REBVS ergo in Ægypto compositis Iouis Ammonij celeberrimum oraculum, pleraque sciscitaturus adire cõstituit, itinere inter arenas desertas periculoso, ac difficili, in quo & aquas ei cœlitus datas, & dracones siue coruos viæ duces ferunt, cum arenarum cumuli ventis circumlati, vias omnes obruissent. Scribit Arrian. Diodorus, & Curtius, locum in quo fanum & lucus Iouis Ammonij est, in medio siticulosæ regionis atque arenarum, à quibus & nomen habet, constitutum, ad quinquaginta quaquauersum stadia fontibus amœnissimis, & passim manantibus irrigari; omneq́ue genus arborum, maximam partem fructus gignentium, copiose alere, & cœli temperie verno tempori simillima gaudere. Pleraque de eo loco prædicti scriptores narrant fabulis simillima, vt de fonte mirifico, qui sub diei ortum tepidam aquam emittat, quæ paulatim frigescat, donec ad meridiem frigidissima sit, indeque paulatim ad vesperam tepescat, donec media nocte vehementer ferueat; quæ ab ijs petere, & si placet etiam credere, per me licet. Non omittam tamen ritum quo Oraculum consultum, responsaque reddita scribunt Diodorus, & Curtius.

(*Cuiusmodi locus ille.*)

VI. *Ammonius Iupiter cum filium agnouisse, & illum hic patrem.*

AIVNT enim simulachrũ dei ex Smaragdis, & quibusdam alijs gemmis coagmentatum, in aurea naui ab 80. sacerdotibus circumferri, qui humeris deum gestantes, cò tendunt, quo dei nutus eos agit. Sequente ingenti matronarum virginumque turba, per totum iter pœana canentium. Porro cum in templum introductus Alexander deũ intueretur, vates natu grandior ad illum accedens. *Salue*, inquit *fili. & hanc à Deo appellationem habe.* Cui respondens ille, *accipio Pater*, ait, *tuusq; deinceps nuncupabor: si tamen orbis totius imperium mihi concesseris.* Cui mox ex adyto responsum fertur, deum quod peteret, certissime effectum dare. Postremo quærit Alexander, vtrum omnes parentis sui interfectores vltus sit. Cui vates, Parenti tuo nemo insidiàs struere potest: at Philippi interfectores supplicium omnes luerunt. Adiecit etiam inuictum deinceps fore, donec accederet ad deos: comitibus quoque Alexandri responsum est, vt Alexandrum pro deo, non pro rege colerent. Hæc plerique omnes referunt.

VII. *Idque artificiose compositum.* — παῖ Διός.

SVNT qui dicant, vt scribit Plutarch. vatem, cum appellare comiter Alexandrum vellet, dixisse χαῖρε ὦ παιδίον, vltima tamen litera mutata dixisse παιδίος, quæ dictio diuisa filium Iouis sonat: itaque salutationem ab Alexandro acceptam quasi Iouis filius duobus vocabulis appellatus esset. Curtius addit vatem in adulationem compositum ista respondisse, & vere & salubriter æstimanti fidem oraculi vana profecto responsa videri potuisse. Sed fortunam, quos vni sibi credere coëgisset, magis gloriæ auidos, quam capaces magna ex parte facere. Quasi dicat Alexandrum, cui fortuna faueret, auidum diuinæ gloriæ, cuius capax nõ esset, ista finxisse, & credi voluisse. Quin etiam Arrianus non parum labefactat ista responsa, cum ait Alexandrum eo consilio ad Ammonem profectum, vt quæ ad genus fortunamque suam pertinerent, certius cognosceret, aut, certe se nouisse iactaret. Sic Arrianus.

VIII. *Qua ex causa, & quo modo.*

DETEGIT rem totam Iustinus. Philippus, inquit, vltimo prope vitæ suæ tempore, Alexandrum filium suum non esse palam prædicauerat. Qua ex causa Olympiadẽ, velut stupri compertam, repudio dimiserat. Igitur Alexander

cupiens originem diuinitatis acquirere, simul & matrem infamia liberare, per præmissos, subornat antistites quid sibi respondere velit, &c. Itaque miser atque inconsultus imperator, diuino id agente consilio, iustaque prouidentia, dum maxime satagit vt filius Dei audiat & credatur, hoc consecutus est, vt eum omnes spurium, atque improbissimæ adulteræ, ac sanguinariæ filium esse cognoscerent, atque prædicarent. Rem paulo distinctius explicat Paul. Oros. a *Ad templum*, inquit, Iouis Ammonis pergit, vt mendacio ad tempus composito, ignominiam sibi Patris incerti, & infamiam adulteræ matris aboleret. Nam accersitum ad se fani ipsius antistitem ex occulto monuit quid sibi tanquam consulenti respondere velit, sicut historici eorum docent. Ita certus Alexander fuit, nobisque prodidit, dijs ipsis mutis & surdis, vel in potestate esse antistitis quid velit fingere; vel in voluntate consulentis quid malit audire. Ita Orosius.
(margin: a l. 3. c. 16.)

IX. (margin: Iouis filium se vocari iubet.) Iovis igitur filium, ait Curtius, se non solum appellari passus est, sed etiam iussit. Hinc est quod cum Iouis Ammonij simulachrum vidisset arietinis cornibus deformatum, vt est apud Pausaniam, b in honorem videlicet illius arietis, qui exercitum Liberi patris per medias arenas deduxisset, ipse quoque statuis atque imaginibus suis arietis cornua appingi voluit, quo modo in antiquis nummis etiam nunc visuntur, & nos in huius Annalium propylæo expressimus. Quo facinore dum rerum gestarum famam augere vult, tali appellatione corrupit. Recte Curtius, Ad diderim etiam Alexandrum hoc vno dementissimæ superbiæ, & per fraudem arrogatæ diuinitatis scelere, maiorem infamiam, atque accusationem mereri, quam omnia alia ab eo fortiter, iuste, temperanterque facta, commendationis promereantur. Sed ad cætera pergamus.
(margin: b l. 8. p. 263.)

X. (margin: Alexandriam condit, quo loco, & quo architecto, &c.) Responsis his oblectatus Alexander, cum facto sacrificio magnificis donis simulachrum, eiusque antistites honorasset, in Ægyptum reuersus, Memphim, indeque secundo flumine Mareotim paludem, ad mare mediterraneum abijt; vbi complexus quidquid loci est inter paludē & mare. Octuginta stadiorum muris ambitum destinat, opera vsus egregij architecti, quem plerique vt Vitruuius, Ammianus, Plinius, Ausonius, Solinus Dinocharem, alij Dinocratem, Strabo Chirocratem appellat, qui secūdum post conditorem inter memorabilia locum sortitus est, vt ait Solinus c. 45. Hoc ergo præcipue, & alijs, qui ædificandæ vrbi præessent relictis, eam nomine suo Alexandriam appellari iussit, eoque ex finitimis vrbibus commigrare; atque adeo ex remotis. Nam Iudæi aduocati sunt Alexandriam ab Alexandro, vt ait Ioseph. l. 2. contra Appionem sub init. *Alexander*, inquit, *eis locum ad incolendum dedit, & parem cum ipsis Macedonibus honorem consecuti sunt.* Et mox. *Nō enim propter inopiam habitatorum ciuitatis, quam studiose ædificabat Alexander, nostrorum aliquos ibi collegit, sed omnes diligenter ex virtute approbans, ac fide dignos inueniens, hoc præconium nostris exhibuit, cum gentem nostram studeret non mediocriter honorare.* Et infra. *Nos*, inquit, *Alexander quidem introduxit, reges autem auxere.*

XI. (margin: Est antiqua eius nomina; ex Ezechiele 30. 14. & Nahu 3. 8.) Cæterum quamuis in nudo solo, & ædificijs vacuo plerique scriptores huius rei, Alexandriam inchoatam significent, tamen vt ex D. Hieronymo significauimus, e hæc vrbs ante 200. annos à propheta נא No appellatur; à 70. Diospolis. Alexandriam, inquit Pausanias d in Canopico Nili ostio Alexander Philippi filius condidit: fuisse tamen & ante non magnum eodem in loco Ægyptiorum oppidum Rhacotim, memoriæ proditum est. Sic d l e. Apud Nahum Prophetam, e quam Hieronymus vocat Alexandriam populorum, 70. vero Ammon. Hebræus codex vocat No-Amon, voce ducta, non ab Idolo Ammon, id est, arenarū ab ἄμμος arena, sed ab אם, id est, mater, quo modo ciuitas Abela, f vocatur mater in Israël, id est, vt habent 70. Metropolis: quod ab ea plures coloniæ enatæ sint, vel plura minora oppida pendeant, quæ propterea filiæ dicuntur passim in sacris literis. Nisi malis ab amon אמן deducere, quod est educare, & nutrire, quod matrum est proprium.
(margin: d l. 5. p. 169.)
(margin: e c. 3. 8.)
(margin: f 2. Reg. 20. 19.)

XII. (margin: Ægypti & Africæ curatores constituit.) His ita constitutis Ægypto præficit Æschylum Rhodium, & Peucestem Macedonem, 4. millibus militum in præsidium regionis eius datis, Claustra Nili fluminis Polemonem cum 30. triremibus tueri iubet. Africæ deinde, quæ Ægypto iuncta est, præficit Apollonium: vectigalibus eiusdem Africæ, Ægyptique, Cleomenem. Sed hæc Curtij Arrianus alter, quem vide.

Et hæc quidem sub extremam hyemem peracta sunt; eo facilius, quo & hyems, quæ rerum gerendarum cursum impediat, Ægyptus pene nulla, & sine certamine, tota regio sese Alexandro tradidit. Itaque Arrianus l. 3. ait Alexandrum ineunte vere Memphi in Phœniciam mouisse, & Tyrum peruenisse, ibique classem quam præmiserat reperisse, & quibusdam rebus in Græciæ salutem dispositis, ipsum Thapsacum Syriæ vrbem, ad Euphratem contendisse, quo peruenit Archonte Athenis Aristophane, vt idem scribit. Nimirum Aristophanis Prætura nondum expleta erat. At nos qui anni Iuliani rationem habemus, hæc in annum sequentem differemus, qui Archontem habebit Aristophontem.

XIII. (margin: Alterum Roma veneficio & veneficio.) Roma veneficijs hoc anno vehementer afflicta est, adeo vt vtrunque Consulem ea pestis absumpserit: quamquam id vera pestilentia factū quidam credidere, nec rem vt certam Liuius tradit. Veneficij porro facinus à quibusdam matronis susceptum est, mente captis potius quam conscleratis, vt Liuius censet. Res ad Senatum per ancillam indicem delata, apud eas ipsas, quæ medicamenta coquebant, deprehensa est; quæ cum salutaria esse affirmarent, ex ebibere iussæ, extemplo interiere. Deinde comprehensæ earum comites magnum numerum matronarū indicauerunt, ex quibus ad 170. veneficij damnatæ pœnas dedere. Ita Liuius; quem eundem numerum tenuit Valer. Max. b At Paulus Oros. c trecentas & septuaginta damnatas, haud dubie errore ponit. D. August. qui hanc historiam attingit l. 3. de ciuit. c. 7. supra fidem multas, ac nobiles matronas in crimine deprehensas dicens, à numero referendo abstinuit. Liuius in ijs duas patriciæ gentis, Corneliam ac Sergiam nominat.
(margin: b l. 2. c. 5.)
(margin: c l. 3. c. 10.)

In hoc publico malo Senatui placuit Dictatorem claui figendi causa creari, creatus est Cn. Quintilius qui Mag. equitum L. Valerium dixit, is fixo clauo piaculi auertendi gratia, magistratu se abdicauit.

ANNVS MVNDI 3724. SEXTÆ ÆTAtis & Imperij Persarum 208. & vlt. Darij 9. & vlt. Iaddi Pontificis 35. Alexandri 7. & Imperij 1. Olympiadis CXII. An. 3. Archonte Aristophonte. Vrbis conditæ 423. Coss. L. Papyrio Crasso II. & L. Plautio Venoce,

ANNVS ANTE CHRISTVM 329.

I. (margin: Alexander transit Euphratem.) Prælium ad Arbelam, quo accisæ sunt Persarum vires, Aristophonte Prætore contigisse, testis est Dionysius Halyc. ad Ammæum: sub cuius etiam magistratu Darij mors ex communi sententia multis post mensibus contigit, quot scilicet inter Octobrem & Iunium intercedunt. Quæ tamen seiungere diuersis annorum titulis non placet, ne Chronologiam conturbemus.

Cum ergo Alexander ineunte vere, vt Arrianus ait, Tyrum peruenisset, indeq; ad Euphratem celeriter progressus esset, durante adhuc Aristophanis prætura, vadum fluuij ad Thapsacum duobus pontibus iunctum reperit, qui tamen imperfecti ad alterā vsq; ripam non pertingebant. Ibi Mazæus Darij iussu cum tribus equitum millibus, (quē numerum Curtius duplicat) ad transitum impediendum consederat. Sed is statim atque Alexandrum appropinquare cognouit, cum omnibus copijs inde aufugit. Et Alexander perfectis pontibus traduxit exercitum.

II. (margin: Transit & Tygrim labente nomine.) Inde per Mesopotamiam ad læuam habens Euphratem, & Armeniæ montes progressus est. Neque recta via ab Euphrate Babylonem contendit, quod alia via commodior exercitui, propter pabuli copiam futura esset, neq;

æstus gradientes tantopere torreret. Sic Arrianus, docens hoc iter sub finem Præturæ Aristophanis initio æstatis confectum fuisse. In itinere per exploratores didicit Darium cum maximis copijs ad Tigrim fluuium consedisse, ibique eum transitu prohibere velle. Alexander eo contendit, vbi neque Darium ipsum, neque vllum ab eo præsidium relictum inuenit. Itaq; fluuium rapidissimum ægre quidem, nec sine iactura, nullo tamen prohibente transiuit.

Lunæ defectio ante prælium. Ibi nonnihil quietis dat exercitui, quo tempore ingens Lunæ defectio fuit, quam Mathematici scribunt 20. Sept. hora octaua contigisse. Motis castris à Tigri per Assyriam exercitum duxit, à sinistra habens Sogdianorum montes, à dextera Tigrim.

Copiarum numerus. Post aliquot dies equitibus quibusdam Darij comprehensis didicit Alexander Darium cum ingenti exercitu nõ procul inde abesse, adeo vt quadraginta millia equitum, peditum decies centena millia, currus falcati ducenti, & Indici Elephanti quindecim in eo numerarentur: totus autem Alexandri exercitus septem equitum millibus, & peditum quadraginta constabat. Ita fere Arrianus, cui ceteri in numero copiarum non plane consentiunt.

III. *Iterato Darij legatio.* Svb hoc tempus etsi ingentes ad Arbelam copias haberet Darius, easq; probe instructas ad certamen, legatos tamen iterũ ad Alexandrum mittit, qui eum suo nomine laudarent, quod matrem, cæterosque captiuos tam honeste tractasset, ac peterent vt amicitia secum inita, quidquid terrarum citra Euphratem esset, triaque millia talentûm, (Iustinus & Q. Curtius habent 30. millia talentûm auri, Arrianus sub fin. l. 2. decem millia,) & filiarum alteram vxorem acciperet. Si enim gener factus, in filij quasi locũ succedat, in totius quoque regni societatem venturum. *Eius conditiones repudiantur.* Ea re ad concilium delata. *Ego*, inquit Parmenio, *si Alexander essem oblata acciperem, pacisq; fœdus iungerem*. Cui Alexander vice versa, *Acciperem & ego*, inquit, *si Parmenio essem*. Nihilominus his conditionibus repudiatis, legatis respondit, nec mundum duos Soles, nec orbem terrarum duos summos principes ferre posse. Itaque vel de summo imperio iterum esse pugnandum, vel Dario Alexandrum sibi superiorem agnoscendum esse. Proinde, inquit, aut deditionem hodie, aut in crastinum bellum paret. Hæc fuse Diodor. fusius etiam Q. Curtius, cæterique omnes, quamuis aliqui alieno tempore, vt ante diximus.

IV. *Mors vxoris Darij.* Hvic legationi occasionem datam tradit Q. Curtius ex vxoris Darij morte, quæ itineris continui labore, animique ægritudine fatigata, inter socrus & virginum filiarum manus collapsa, deinde & extincta est. Iustinus autem eam ex collisione abiecti partus decessisse tradit. Sed quacunque ea causa decesserit, constat apud omnes, Alexandrum eius obitum lacrymis prosecutum esse, non secus ac si vir eius fuisset. Deinde etiam magnifico apparatu sepelisse. *Alexandri erga eam humanitas.* Quæ cum Darius accepisset, ac certior de conseruato eius pudore factus esset, etsi omnia consilia in bellum conuerterat, victus tamen hostis continentia, & eiusdem in suas captiuas paterna beneuolentia, decem legatos ad eas quas diximus conditiones pacis ferendas misit, quas cum immensa Alexandri superbia reiecisset, desperata pace, vterque exercitus se ad eam pugnam parauit, quæ finé imperio Persico, & initiũ Macedonio allatura erat; quod cum adhuc esset ignotum, ingenti vtrimque spe ac metu acies explicantur.

V. *Apparatus ad prælium.* Consilivm Parmenionis fuit vt hostem nocturno prælio inuaderet, idque Darius facturum coniectans, frenatos equos stare, magnamque exercitus partem in armis esse iussit; quod non leue momentum Alexandro ad victoriam attulit; qui cum negaret se latrunculorum more velle vincere, & malle vt se fortunæ pœniteret, quam puderet victoriæ, exercitui nocturnam quietem attribuit; sicque postridie recentes contra fatigatos pugnarunt; & Persis diligentia nocuit, Græcis negligentia vtilis fuit.

Cum ad ipsum certamen ventum est, vterque Princeps exercitum suum, quanta maxima cura, atque affectu potest, ad fortiter pro gloria, pro salute, pro libertate pugnandum hortatur. Monet Alexander qua ratione falcatorum curruum vis eludenda sit, vel ingenti strepitu sarissarum ad clypeos in ipsum hostem auertenda, quomodo defussi mutices ab equitibus deuitandi.

VI. *Pugna ipsa, & Persarum à principio victoria.* Denique pugnatum est, effusi à principio falcati currus non leuia intulere damna; adeo vt effusa fuga Macedones ordines suos ex parte turbarent; quibus superueniens Mazæus, ad ipsa vsque Macedonum impedimenta, captiuosq; penetrauit, qui iuncti suis, Macedones ancipiti malo circumuentos inuadunt; ad quod depellendũ duces aliquos ingens cura solicitat, repugnante Alexandro, ac verente ne cura recuperandi sua, militem à prælio auerteret; ad ea nihilominus varia fortuna pugnatum est. Deinde in media acie, & maxime ad vtrumque regem belli summa vis incubuit. Curru Darius, Alex. equo vehebatur, & iunctis prope agminibus prælium accendebant. Vtruoque regem delecti tuebantur, immemores sui. Quippe amisso rege nec volebant salui esse, nec poterant: & ante oculos sui regis mortem oppetere egregium ducebant.

VII. *Initium victoriæ Macedonum.* Macedoniavs victoriæ initium fuit auriga Darij hasta transfixus, vt Curtius, Arrianus, & Diodorus tradunt. Cum enim Persæ ipsum regem occisum esse credidissent, lugubri vlulatu, & incondito clamore totam fere aciem, adhuc æquo marte pugnantem, turbauere. Dicitur acinace stricto Darius dubitasse, an fugæ dedecus honesta morte vitaret: diuque spem inter & desperationem hæsitat, sensim Persæ cedebant. Alex. mutato equo resistentium aduersa ora fodiebat, fugientium terga. Itaq; non pugna, sed cædes erat, cum Darius quoque currum suum in fugam vertit, hærebat in tergis fugientium victor, & prospectum oculorum nubes pulueris auferebat, dum par vtrinque studium erat aliorum effugere, aliorum comprehendere fugientes.

VIII. *Quam Macedones penè victi amiserant.* Verum cum ex altera parte, in qua erat Parmenio, acies Macedonum, vigente Mazæo, cum omni suorum equitatu, vehementissime laboraret, misit Parmenio ad Alexandrum, qui discriminis admoneret, & nisi subueniret fugam suorum sisti non posse. Ergo fremens subripi Darium, persequi destitit, & ad aciem redit; in qua iam audita à Mazæo regis fuga Persarum animos fregit: itaque languidius hosti instabant. Tanto ergo illi resumptis animis vrsere vehementius, denique fuga se Mazæus cum suis è pugna eijcit, & Tigri superato Babyloniam cum reliquijs deuicti exercitus intrat. *Et Babylonem adit.* Rex ingens spatium fuga emensus Arbellam peruenit, indeque trans montes Armeniæ in Mediam fugit, ratus, vt euenit, Alexandrum copias suas, & infinita prædæ impedimenta Susas, Babylonem, atque in alias populosas vrbes potius, quam in aspera Medorum deducturum.

IX. *Darius abit in Mediam.* Caedera Persarum, quorum numerus iniri potuit, ad 40. millia, Macedonum minus quam trecenti desiderati sunt. Arrianus minus quam centum capita ait defuisse: vtrunq; numerum multum Diodorus variat. Nam illinc 90. millia, hinc 50. cæsos affirmat. *Pugnæ tempus.* Calendis Octubris pugna commissa dicitur, decem diebus ab eclipsi Lunæ, vt putant Scaliger & Temporar. vel duodecimo vt Buntingus, vel vndecimo, vt Plutarchus. Valdeque fallitur interpres Arriani cum mensem Pyanepsionem Iulium vertit: nec minus Arrianus, qui eo tempore Aristophanem in magistratu retinet, nec de mense cum Plutarcho, alijsq; consentit. Reliquum anni tempus Darius in fuga, ac reparandis copijs, Alexander in reficiendo primum Babylone aliqua quiete exercitu, moxque in hoste persequendo consumpsit. *Alexander Babylonem ingreditur.* Babylonem Alexander, instructa quasi ad pugnã acie, ingressus est, Babyloniorũ vniuersa multitudine portis effusa. Sacerdotes principesq; ciuitatis ei obuiam prodiere, & munera certatim, vrbem insuper, ac regis thesauros obtulere. Hic nimirum quod ait Plutarchus, rex Asiæ salutatus Alexander, magnifice diis sacrificauit, amicis opes, domos, & principatus largitus est; & gloriose scripsit in Græciam omnes se abliturum tyrannides, &c. his consentanea. Ibi ad 30. dies moratus, Susas profectus, rebus omnibus, nemine contradicente, potitus est. Ibique Darij matrem & filias, & Ocbum filium reliquit magistris, qui eos Græcam linguam edocerent adhibitis.

Interea autem etiam in Græcia res Alexandri bene

X. *In Græcia quoq; vincit Alexander.*

cesserunt. Cum enim Græci ducibus Lacedæmonijs, vel fortunæ Alexandri inuidétes, vel timentes sue contra Antipatrum arma sumpsissent, prælium commissum est, in quo Rex Lacedæmonum Agis occisus est, Antipater, cum multa vtrinque cæde, victoriam obtinuit; vt pluribus scribit Diodorus, qui eam ad sequentem annum refert, dissentiente Curtio, vt ex init. lib. 5. constat. Vt ergo redeamus in Asiam.

XI. *Imperij Persici finis, ac duratio.*

IMPERIVM Persarum varijs Alexandri incursionibus concussum, atq; impulsum ad ruinam, hoc denique anno Darij postrema clade, & morte planè prostratum est. Dum enim ille non solum vixit, sed in spe etiam, & conatu reparandi exercitus fuit, & plurimas habuit, maximasq; regiones sibi obsequentes, tandiu non plane concidisse imperium æstimari debet. Atqui hoc demum anno mortuum Darium Aristophonte adhuc prætore Arrianus ac Diodorus tradunt, quorum ille etiam mensem Hecatombæonē, id est, Iunium nominat. Ex quo etiam apparet dimidiam sequentis anni Iuliani partem ad Imperium Darij, alteram ad Monarchiam Alexandri pertinere. Ducentos ergo & octo annos cum dimidio Imperium Persarum stetit; quæ plane communis esset omnium recentiorum sententia, nisi iam nonnulli ab eius principio decepti essent, dum idē faciunt initium Regni Cyri, atque Imperij eiusdem; cum tamen regnum eius viginti tribus annis diuturnius fuerit imperio eiusdem. Regnum quippe an. 1. Olym. 55. sumpsit exordium, Imperium autem, quod 7. tantum annorum fuit, Olymp. 60. anno 4. ex quo ad præsentem annum Olympiades 52. id est, ducenti & octo anni numerantur. Quę videtur Dionysij fuisse sententia, cum ait Persas non multum vltra ducentos annos stetisse in rerum fastigio. Itaq; cum Curtius 230. annos Persarum imperio tribuit, videtur & ipse imperium Persarum à Cyri regno, non ab Imperio, & à deuicta Babylone inchoasse.

Sub init. l. 1.

XII. *Alexander Persidem adit.*

EXERCITV nonnulla quiete refecto, Alexander Persidē cogitat, & Mediam quo confugerat Darius. Susis ergo mouens Pasitigrim amnem transgressus, Vxiorum fines ingreditur, quorū qui plana incolebant Alexandro deditionē fecerunt: atqui montana obtinebant, Alexandro transitum in Persidem negarunt, nisi certa quadam pecunia persoluta, quā ab ipsis Persarum regibus, pro transitu exigebant. Sed Alexander, Susijs ductoribus vsus, aliam inuenit viam, qua & eos incautos inuasit, & transitū occupauit, eosq; multis interfectis subiugauit, ac tributo pressit.

Geminasque occupat fauces.

Inde etiam ad alias Persidis fauces ventum est, quas Ariobarzanes muro clauserat, & tuebatur, cum magna militum manu; sed inde quoque eum Alexandri industria, ac felicitas depulit. Nam captiuorum nonnulli, cum parte copiarum, Alexandrum longo circuitu, ad alteram muri partem circumduxerunt: moxque cum vtrimque vrgerentur, fusis fugatisque aduersarijs, liberum transitum obtinuit, & flumen, Araxem vocat Diodorus, itineri Persico interiectum ponte iunxit, & cum toto exercitu transmisit.

XIII. *Quando Persepolim venit.*

INDE magnis itineribus in Persas contendit, vt nuncios aduentus sui præueniret, priusquam regij thesauri à custodibus diriperentur. Teridates quippe vrbis Persepolis præfectus, ad eum literas dederat in itinere, quibus significabatur, si subito aduentu opprimeret eos, qui vrbem Dario integram conseruare nitebantur, eam à se traditam in fidem accepturum, vt Diod. ait. Denique Persepolim peruenit. Quæ viarum moræ atque difficultates, quas ex Arriano libauimus, facile ostendunt hanc expeditionem non ante sequentis anni Iuliani initia fieri potuisse. Idque vehementer confirmat Q. Curtius l. 5. qui etiam à digressu ex arce Persepolis, ad persequendum fugientē Darium, scribit interiorem Persidis regionem sub ipsum vergiliarum sydus petijsse, quæ sub vernum æquinoctium oriuntur, vnde & nomen habere dicuntur, multisque imbribus, & prope intolerabili tempestate vexatum procedere perseuerasse. Mox etiam venisse ad iter perpetuis obsitum niuibus, quas frigoris vis gelu astrinxerat: montanis scilicet regionibus, & ad septentrionem magis vrgentibus.

XIV. *Eam diripit, in vltionem Athenarum.*

PERSEPOLIM vt peruenit, & regijs thesauris potitus est. Macedonibus conuocatis demonstrauit eam vrbem regni Persarum caput, Græcis semper infensissimam, diripiendam, atque incendendam videri. Et quamuis dissuadente Parmenione, vltus mala, quæ inde in Græciam Xerxes intulerat, Athenis præsertim incensis, eam militum prędæ, arce regia excepta, tradidit: qui Persis trucidatis, aut ad mortem effera crudelitate adactis, domos longa pace atque imperio opibus refertas expilarunt. In arce ad centum & viginti millia talentum inuenta traduntur. Quin & arx ipsa instigante Thaide quadam meretrice, per temulentiam ab Alexandro flaminis absumpta est: opus magnificentissimis operibus ad firmitatem & dignitatem videndum, quod fusius à Diodoro describitur, & Curtio; qui ait etiam vrbem eodem incendio conflagrasse. *Pudebat*, ait, *Macedones tam claram vrbem à comessabundo rege esse deletam, ipsumq;, vt primum grauatam ebrietate mentem quies reddidit, pœnituisse constat, &c.*

PERSEPOLIM EIVSQ. ARCEM INCENDIT.

Aceruus in ... ... *h Atticæ sūt 136. milliones francorum si Euboica 108.*

XV. *Adit in Mediam, Darium persequens.*

RELIQVA deinde Perside celeriter in potestatem redacta, in Mediam mouit vbi Darium esse acceperat. Expectabat enim in Ecbatanis, certus ibi subsistendi, si Alex. Susis, aut Babylone hæreret: sin contra si expeditionem susciperet, in Parthiam & Hyrcaniam, vsque ad Bractianos se recipere, totaque regione vastata, omnem progrediendi potestatē Alexandro præripere. Qui nihilominus in Mediam duodecimis castris peruenit. Cumque ab Ecbatanis trium dierum itinere abesset, didicit quintum iam diem esse, ex quo Darius fugisset, pecunia ex Media ad 7. millia talentum secum ablata, cum exercitu equitum trium millium, peditum sex millium.

si Attica, 7. milliones 350. millia francorum, si Euboica, 9. milliones & 800. millia.

XVI. *Persequitur ad portas Caspias.*

ALEXANDER vbi in Ecbatana venit, suos egregie muneratus, quosdam in Hircanos, alios in Parthos destinat, quo profectum Darium acceperat, quo & ipse maximis itineribus contendit, adeo vt multi eum consequi non possent, medioque itinere fatigati subsisterent. Nihilo secius Alexander institutum vrgens iter, vndecimis castris Rhagas peruenit. Quo videtur respexisse Plutarchus, cum ait Alexandrum in persequendo Dario, vndecim dierum spacio ter mille ac trecenta stadia perequitasse, quæ sunt 412. millia passuum. Raga porro, siue Ragia vnius diei itinere à portis Caspiis aberat, quas iam Darius erat prætergressus, multis eum deserentibus, & partim domum, partim ad Alexandrum abeuntibus. Ibi Alexander deposita spe Darium vlla celeritate comprehendendi, quinque diebus ibi substitit, & recreato exercitu suo, in Parthos ducens primo die iuxta Caspias pylas castra posuit; postridie ipsas pylas ingressus, & loca cultoribus frequentata, de commeatu exercitui prouidit, quod interiorem regionem incultam didicisset.

XVII. *Bessus Bactrianus Darium habet in vinculis, ad quem cum expeditissimis festinat Alex. Bactrianorū confinium.*

INTEREA certi nuntij ad Alexandrum referunt, quosdam Darij Satrapas, in quibus erat Bessus Bactrianorum Dinasta Darium in vinculis habere. Quo audito Alexander maiore sibi adhuc celeritate vtendum putauit: & assumptis secum amicis tantum, & equitum, peditumq; expeditissimis, ad eum properat, reliquo exercitui mandans, vt iter moderatius acceleret. Tota itaque nocte, & postero die ad meridiem vsque continuato itinere, aliquantum temporis militi ad quietem dedit. Inde rursus tota nocte progressus, diluculo in ea castra peruenit, vnde Bagistanes Babylonius, qui id nuncium Alexandro detulerat, ante discesserat. Ibi de Dario certior factus est, captiuum illum in curru portari. Bessum eo loco Darij imperium obtinere, & à Bactrianis equitibus, alijsque Barbaris, qui cum Dario fugerant, ducem electum: itaque secum statuisse, vt si andiant Alexandrum se insequi, Darium tradant, & rebus suis consulant; sin retrocessisse intelligant, exercitum quā possint maximum conscribant, & communi inter se ope imperium tueantur.

XVIII. *Eos assequitur Alex.*

ERGO Alexander, tametsi suis valde continuo itineris labore fatigatis, diebus tamē noctes adiungens, & per viatum compendia iter accelerans, sub lucem Barbaros incomposite fugientes, atque inermes assecutus est, quorum plerique conspecto Alexandro, antequam certamen experirentur, vertuntur in fugam; pauci ad arma confugere, quorum nonnullis cæsis, reliqui terga verterunt. Bessus autem eiusque comites interea Darium curru ane-

Qui Dario grauiter vulnerato aufugiunt.

hebant,

hebant, sordidis iniecto pellibus ne agnosceretur: ne tamē honos regi non haberetur, aureis compedibus eum vinxerant, noua ludibria subinde excogitante fortuna. Curtius.

Et Darius moritur. At cum Alexander eorum tergo instaret, Satibarzanes & Barzaëntes Darium abs se grauiter vulneratum ibidem relinquunt. Ipsi cum sexcentis equitibus sese in præcipitem fugam dederunt. Nec multo post Darius, antequam ab Alexandro visus esset, ex acceptis vulneribus interiit, annos natus circiter quinquaginta, morte quam vita felicior, aut vtraque potius infelix, nisi quod Alexandrum habuit successorem, qui se mortuo generum, matri filium, filiabus maritum & fratrem, filio Patrem exhibuit.

XIX. *Mortis modus ex Curtio.* Q. Curtius l. 5. latissime rem exequitur. Vbi inter cetera ait Bessum, & Narbarzanē animaduerso Alexandro imminente, hortatus Darium vt equum conscenderet, & se hosti fuga eriperet; eumq; ille se parricidas secuturum negaret, & Alexandri fidē imploraret, ab iratis multis vulneribus esse confossum. Iumenta quoq; conuulnerasse, ne longius prosequi possent, & duos seruos, qui regem comitabantur occidisse. Eoque edito facinore, vt vestigia fugæ spargerent, Nabarzanem Hircaniam, Bessum Bactra paucis comitantibus petiuisse. Interim iumenta quæ Darium vehebant, nullo regente decesserant militari via, & errore delata per 4. stadia, in quadam valle constiterant, æstu vulneribusq; fatigata. Haud procul erat fons, ad quem monstratum à peritis Polystratus Macedo siti maceratus accessit. Ac dum galea haustam aquam sorbet, tela iumentorū deficientium corporibus infixa conspicit; miratusq; confossa potius, quam abacta esse, semiuiui hominis corpus, cum propius accessisset, in sordido vehiculo reperit, atque Darium, multis quidem vulneribus confossum, adhuc tamen spirantem, esse cognouit. *Moribundus a Maced. reperitur.*

XX. *Vltima eius vota. Alexandri in Darium pietatis officia.* Iamqve deficiens aquam poposcit, quā allatam postquam bibit, Polystrato qui eam tulerat, gratias egit, referrique ab eo hæc Alexandro optauit; Alex. vero, inquit, dij, pro eius summa in meos humanitate ac clementia, grates referant. Cui hoc fidei regiæ vnicum dextræ pignus pro me dabis. Hæc dicentem accepta Polystrati manu vita destituit.

Quibus Alexandro nunciatis, ad corpus demortui perueniens, tam indignam illo fastigio mortem, lacrymis persecutus est. Demptaque sibi clamyde corpus illius contexit, atque regio ornatum cultu, ad matrem Sisygambim, patrio, regioque more sepeliendum, atque regiis maiorum suorum tumulis inferendum misit. Ita Q. Curtius, & Plutarchus. Diodorus etiam ait tradi à quibusdam, adhuc spiranti Alexandrum superuenisse, ab eoque rogatum ne cædem inultam pateretur. Iustinus eadem habet quæ Curtius, ac totidem pene verbis. Hic liber parodice cum magno Poëta dicere.

Hic finis Darij fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit, Persas victos, ac prolapsa videntem.
Imperia; tot quondam populis, regnisq; superbum.
Regnatorem Asiæ!

XXI. *Alexander Imperator.*

ALEXANDER IMPERATOR.

Etsi rationi consentaneum erat, vt Græcorū imperium ab Alexandro homine Græco partū, & aliquot annis possessum, ab eodē in annis eiusdem imperij numerandis inchoaretur: Asiani tamen, quorum consuetudinem secuti sunt Iudæi, qui libros Machabæorum, & ipsi Asiani scripserunt, initium regni Græcorum à Seleuco primo, qui & Nicanor dictus est, duxerunt, vt suo loco dicemus. Dictum porro est Græcorū imperium, non quia Græcia, aut aliqua eius vrbs imperij sedes fuerit, vt Niniue Assyriorum, Babylon Chaldæorum, Ecbatana Medorum, Persepolis Persarum, & Roma Romanorū; aut quia omnes eius principes Græci fuerint, sed quia ab homine Græco partū ad principes Græcos transfusū, apud eos per annos plurimos propagatum est, donec à Romanis euersum succubuit, eorūq; armis ac potentiæ cessit. Nos ergo Græcorum, Asianorumue numerandi rationem, quam etiam scriptura sacra secuta est, amplectemur. Nam facile erit octodecim priores annos, qui ab hoc Alexandri anno, vsque ad primum Seleuci fluxerunt, Asianæ chronologiæ adiungere.

Mortvo Dario, non distulit Alexander eius interfectores bello prosequi, siue sua ipsius, siue Darij causa. Multas enim prouincias in sua potestate habebant, quæ ad imperium Persarum, quod ipse acquisiuerat, pertinebant: nec oportebat cōsceleratos homines, principis sui parricidas, à quo nulla in se violati fuerant, sed summis honoribus, diuitiisq; aucti, tantum facinus impune ferre, præsertim cum Bessus, vt Persarum nonnulli referebant, Tiaram erectam, Persicamq; vestem regium in morē gestaret, & immutato Bessi nomine, se Artaxerxem, & Asiæ regem vocaret; nec paucas secum Bactrianorum, quorum erat Satrapa, ac Persarum, qui ad eum confugerant, copias haberet, pluresque confœderatorum Scytharum expectaret. Vni tamen istorum Satraparum tanti parricidij reo, mox veniam dedit, nec priore dignitate minuit, vt dicemus. XXII.

Interea Alexander vt se regem Asiæ factis ostenderet, firmaretque, teste Q. Curtio Oxidati nobili Persę, qui à Dario capitali suppliciū destinatus, cohibebatur, in vinculis, liberato Satrapiam Mediæ attribuit; & Oxatrē Darij fratrem recepit in cohortem amicorum, omni vetustæ claritatis honore seruato: hinc Parthienem peruenit, vbi erat vrbs, ea tempestate clara, à Græcis condita, nomine Hecatompylos, vbi statiua Rex habuit. XXIII.

Ibi incerto authore otiosi militis sparsus est rumor, regē contentum rebus quas gesserat, in Macedoniam protinus redire statuisse. Fecerant rumori fidem Græci milites domum redire iussi. Itaq; Macedones quoque finem militię adesse rati, discurrunt lymphatis similes in tabernacula, & itineri sarcinas aptant. Ea re territus Alexander, vt qui Indos, atq; vltima orientis peragrare statuisset, præfectos copiarum in prætorium contrahit, obortisq; lacrymis ex medio gloriæ spatio reuocari se, victi magis, quā victoris fortunam in patriam relaturum; conquestus est. Cumque eos sibi reddidisset ad omnia paratus & obsequentes, etiam militum concionem aduocauit, in qua per quam accurata oratione docuit belli reliquias necessario persequendas: spe etiam data non longinqui, sed clarioris longe tutiorisque reditus. Summa militum alacritate excepta est oratio, iubentium quocunque vellet, duceret.

Nec rex moratus impetum, tertioque per Parthienem die, ad fines Hircaniæ penetrat, relicto ad Parthienem tuendam pręsidio. Ibi quartum iam diem quietem militi dederat, cum literas Nabarzanis, qui Darium cum Besso interfecerat, accepit, quibus & factum excusabat, & fidem ab Alexandro postulabat: qui non dubitauit fidem dare, si venisset, inuiolatum fore. Interea Rex per Hircaniam iter facit, & totam regionem, deditione Satraparum in potestatem recepit. Iamque Rex vltima Hircaniæ intrauerat, cum Artabazus 95. annum agens Dario iampridem fidissimus, cum propinquis Darij, ac 9. suis liberis, modicaque Græcorum militum manu occurrit; dextram venienti obtulit Rex, quippe & hospes Philippi fuerat, cum Ocho regnante exularet, & hospitij pignora, in regem suum ad vltimum fidea conseruata vincebat. XXIV

Hoc ergo comiter accepto, Hyrcaniæ confinem Mardorum gentem, quæ sola nec legatos miserat, nec videbatur imperata factura, cultu quippe vitæ aspera, & latrociniis assueta, Alexander noctu confecto itinere, improuisus inuadit: tumultus magis, quā prælium fuit. Deturbati ex collibus, quos occupauerant Barbari profugiunt, proximique vici ab incolis deserti capiuntur. Sed interiora regionis adire difficillimum erat, propter syluas atque arbores, per omnes aditus intertextas. Dumque ignotis locis plerique oberrant, excepti sunt quidam ab incolis, cum equo Alexandri Bucephalo, quem ille maximi faciebat. Nam nudus vbi erat, equisonem admittebat solum: at regio instructus ornatu, ne huic quidē præbebat accessum, sed vni Alexandro, cum vellet ascendere, sponte sua genua submittebat, credebaturque sentire quē veheret: vt aiunt Curtius & Diodorus. Ergo Alexander ira ac dolore stimulatus, equum vestigari iubet, & per interpretem pronunciari, ni reddidissent neminem esse victurum. Hac denunciatione territi, cum donis equum adducunt. XXV. *Rex apud Mardos gesta.*

Sed nec sic mitigatus, cædi syluas iubet, aggestaque hu- XXVI.

mo

Ad Hyrcaniam per Zadracartam penetrat.

mo ex montibus planicie stratus impeditum exaggerari. Quo facto Barbari desperati regionem, quam occupauerant posse retinere, gentem suam dedidere. Re ab obsidibus acceptis, inde quinto die in stativa reuertitur, Anabazum deinde geminato honore, quem ei dudum Darius habuerat, domum remisit. Ipse ad vrbem Hyrcaniæ, Zadracartã Arrianus appellat, in qua regia Darij fuit, venit, vbi Nabarzanes accepta fide, cum ingentibus donis accurrit, ac veniam obtinuit, imo & regioni, quam ante obtinuerat, præfectus est. 2. His peractis Bactrianam aggreditur expeditionem: quod iter cum Arrianus per multas niues, in magna rerum omnium penuria, per summos militum labores, & pugnas finitimarum gentium confecisse dicat, eam profectionem in annum sequentem, cum Diodoro referemus.

XXVII. *Romana res.* Romæ sub huius anni Coss. Lucani Romam venerunt, orantes vt in fidem reciperentur, & ab armis Samnitium defenderentur. Ad eos Senatus legatos misit, qui denunciarent vt ab ijs populis vim abstinerent, qui in fide Romani populi essent. Paruerunt Samnites, non quia pacem volebant, sed quia nondum ad bellum parati erant.

Eodem anno Priuernates, cum Fundanis quibusdam bellũ contra Romanos suscipiunt. Sed Fundani ad Coss. pacis causa veniunt, negantes publico decreto, aut voluntate aliquos de suis contra ipsos arma suscepisse, ideoque illos à Consule victos, victi enim fuerant, non patriam Fundos, sed Priuernum petijsse. Itaque in fide atque amicitia retenti, bellum in Priuernates conuersum, & principes defectionis castigati.

Interea tumultus Gallici fama Romam peruasit, sed ea cura in nouos consules incubuit.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3724.

1. N. XX. Notatur hic annus, qui Antiphontem prætorem habuit, à Dionysio Halycarnasseo in opusc. ad Ammæum, nonus, vel decimus, vt inquit Plutarchus in vita Demosthenis, post Chæronense prælium. Sed rectius Dion. octauus est post obitum Philippi, quo tempore Alexander ad Arbelam victoria potitus est. Quo anno habitam ait à Demosthene omnium præstantissimam orationem, quæ est de Corona. Verum Philippi annus octauus fuit tantum inchoatus: victoria etiam ad Arbelam, sic intelligenda est, vt oratio habita sit ante annum ab illa victoria eueluctum. Fuit, ait Plutarch. sub fin. vitæ Demosth. hoc iudicium celeberrimum, qua oratorum fama: qua iudicum fortitudine, qui cum Demosth. accusatores plurimum id temporis possent, Macedonibusque studerent, non condemnauerunt Demosthenis caput, sed ita splendide absoluerunt, vt minus quinta quaque sententia secundum Æschinem iudicaretur. Ille confestim cessit ea vrbe, Rhodique, atque in Ionia ludum habuit, ibique ætatem exegit. Vide Sebur. in vita Demosth. hoc ipso anno.

2. N. XXIII. In Mardorum regione, lib. 12. ait Iustinus occurrit ei Thalestris, siue Minithæa Amazonum regina, cum trecentis mulieribus, 25. dierum inter infestissimas gentes itinere cõfecto ex rege liberos quæsitura: cuius conspectus aduentusque admirationi fuit, & tredecim diebus otio datis à rege, vt visa est vterum implesse discessit. Diodorus Siculus l. 17 eandem historiam narrat cum aliqua diuersitate. Hęc inquit, terras inter Phasim & Thermodoontem imperitabat, pulchritudine & robore corporis excellens, & gentis suæ, ob virilem animi celsitudinem, veneratione habita. Reliquis autem copijs in Hyrcaniæ finibus relictis, cum trecentis Amazonibus habitu bellico instructis, ad regem se contulerat, &c. sed commorationem non triginta, sed tredecim dierum duntaxat, refert. Quibus simillima scribit Q. Curtius lib. 6. nisi quod finitimam Hyrcaniæ gentem Amazonum fuisse tradit, ad ponti scilicet Euxini littora orientalia, iuxta Ptolemæum: nedum viginti quinque dierum itinere disiunctam, vt vult Iustinus. Verum Arrianus hoc loco de Amazonibus nullum verbũ. Lib. etiam 7. existimat Amazonum gentem tempore Alexandri non superfuisse, idque ex silentio Aristobuli, Ptolemæi Lagi, & Xenophontis confirmat, a quibus ea narrantur, quæ mentionem Amazonum requirerent. Itaque persuasum habet Amazones quidem aliquando extitisse, quippe a clarissimis scriptoribus celebratas: Alexandri autem tempore equestres quasdam mulieres, & more Amazonum armatas, exhibitas Alexandro ab Atropate Mediæ Satrapa. Qui de re alius erit dicendi locus, nunc equestres mulieres, quoniam plures constituunt, Amazonas appellamus licet.

ANNVS MVNDI 3725. SEXTÆ ÆTAtis 209. Imperij Alexandri 2. Regni 8. Iaddi siue Ieddoæ Pontificis 36 Olympiadis CXII. An. 4. Archonte Cephisophonte. Vrbis conditæ 424. L. Æmilio Mamerco, & Cn. Plautio Coss.

Cephisophonte Dionys. Dinarcho.

ANNVS ANTE CHRISTVM 328.

I. *Alexander in vitia mollitiem.* Iam Alexander ab obitu Darij, Parthienem, Mardorumque regionem in potestatem redegerat, cum palam cupiditates suas soluere cœpit, continentiamque ac moderationem in altissima quaque fortuna eminentia bona, in superbiam ac lasciuiam vertit; adeo vt trecentis & 60. concubinis, totidem quot Dario fuerant, regiam impleret, vt fusius lib. 6. scribit Curtius. a Cumque eam ob causam grauiter offenderetur exercitus, gratiam liberalitate, donisque recuperare tentabat. Sed liberis precium seruitutis ingratum erat. Igitur ne in seditionem res verteretur, otium bello interpellandum erat, cuius materiam suggerebat magnam atque legitimam Bessus, Bactrianorum nuper Satrapa, inde regis sui carnifex, qui Persarum ambiebat imperium. Ergo cum infesto exercitu Bactrianam regionem petit. Sed Nicanor Parmenionis filius subita morte correptus est, ad quem humandum fratrem eius Philotam, cum idonea militum manu reliquit, ipse contendit ad Bessum.

a sub medium.

II. *Expeditio in Bactrianos, & Bessum in tyrannum.* Iter facienti literæ ei afferuntur à finitimis Satraparũ, è quibus cognoscit Bessum quidem hostili animo occurrere cum exercitu; cæterum Satibarzanem quem Satrapam Areorum perseuerare, vt viuo Dario, voluisset, ab eo ad Bessum defecisse, occiso Anaxippo Alex. amico cum quadraginta equitibus, quos ei socios adiunxerat, vt inquit Arrianus. Eo cognito, quanquam Besso imminebat, tamen Satibarzanem prius opprimendum ratus, tota nocte strenue facto itinere, improuisus hosti superuenit: sed is cum duobus equitum millibus, quos temporis angustię cogere patiebantur, Bactra perfugit; cæteri montes occupauerunt, in quorum obsidione Cratero relicto, ipse Satibarzanem sequi festinabat; sed quia is longius iam aberat, ad Craterum redit, cum quo labore multo, obsessus in montibus hostes, incendio magna ex parte consumpsit, Ciuitatem Artacoanam deditione accepit. Inde digressus supplementum nouorum militum è Græcia accepit, & Nabarzanes suppliciorum metu profugit in Indiam. Cum Alexander domestico facinore tantum non periit.

In Satibarzanem mutat.

III. *Philota in Alexandrũ conspiratio.* Philotas enim Parmenionis filius, cum aliquot primatis viris, in regem coniurauerant: in quibus Dymnus quidam, qui cum exoletum Nicomachum misere deperiret, ei rem totam patefecit. Is rem ad fratrem Cebalinũ defert, qui non ausus est adire regem, ne si regiam intrasset, non assuetus adire regem, coniuratis proditos se esse rescirent. Itaque Philotæ, quæ à fratre accepisset enarrat, & sine cunctatione regi nunciare iubet. Is cum biduum distulisset, (& erant in tertium diem insidiæ comparatę.) Cebalinus per Metronem nobilem iuuenem Regi tum lauanti rem totam aperit. Is missis satellitibus Dymnum comprehendit; qui non ignarus quam ob causam à rege accerseretur, gladio se petiit, ex quo vulnere mox interiit. Cebalinus rogatus ab Alexandro quandudum de insidiis à Nicomacho comperisset, tertium iam diem adesse refert: & cum ob culpam tarditatis in vincula raperetur, exclamauit se statim atque audiuisset à Nicomacho fratre, rem ad Philotam detulisse, eumque obnixe rogasse, vt Regi periculum suum patefeceret.

IV. *Accusatur à rege.* Rex accersitum Philotam huius dissimulationis accusat. Is leuis autoris contempsisse sermonem refert, veritũ ne iurgium inter amatorem & exoletum detulisse cum aliorum risu videretur: complexusque regem orare cœpit, vt præteritam vitam potius, quam præsentis silentij culpam intueretur. Rex alius iram supprimens, vt euentus do-

tis docuit, dexteram reconciliatæ gratiæ pignus obtulit. Mox enim aduocato amicorum concilio, cui adhibitus non est Philotas, introductus est Nicomachus. In eo, annitente maxime Cratero eius æmulo, Philotas in quæstionem ad conscios aperiendos daodus decernitur. Cumque noctu iussu regis esset comprehensus, & in concionem armatam introductus, Rex de eo ac patre eius Parmenione Med. Satrapa, multa questus, milites in Philotam vehementer accendit.

V. Is cum neque ab indicibus proditionis nominaretur, & silentij veniam à rege impetrauisse sibi videretur, cum insuper religatis post tergum manibus, obsoleto amiculo velatus esset inductus, miserabili habitu exercitum ad misericordiam, in tanta fortunæ commutatione commouit. Sed rursus tam amicorum regis, quam ipsiusmet regis criminosa oratione exasperatus, ad probabilem Philotæ defensionem surdas prope aures attulit. Cum autem tormentis Philotas coniurationem fassus est, ne amicorum quidem misericordiam obtinuit, sed omnium odio oppressus, suppliciis dilaceratus interiit. Cæteri quoque, quos Nicomachus nominauit, in quibus Demetrius more patrio dato signo saxis obruti sunt. Hæc Quintius Curtius lib. 6. pluribus. At Arrianus lib. 3. iaculis confossos scribit, & Demetrium posterius comprehensum. Nec finis hic cædium domesticarum fuit. Nam, vt idem lib. 7. retulit, mox etiam Lyncostes, qui tertium iam annum tenebatur in vinculis, quod Regem occidere voluisse à duobus indicibus delatus esset: idemque iampridem in Philippi quoque necem cum Pausania conspirasse, veteri regis dolore recrudescente per periculum præsens è custodia educitur, iussusque causam dicere, hæsitans trepidusque pauca dixit, quæ hæsitatio cum conscientiæ indicium, non memoriæ vitium putaretur, ab astantibus confossus est lanceis. Amici etiam Philotæ, Amynthas in primis, eiusque minimus natu frater Polemon graue capitis discrimen adierunt. Exercitus tamen misericordia, & Regis clementia innocentes dicti, in gratiam cum rege redierunt.

VI. Non ita Parmenio Philotæ Pater. Nam concione dimissa Rex Polydamantem cum fratribus suis vocari iubet, virum Parmenioni longe gratissimum. Ei ergo dat in mandatis, vt in Mediam, Parmenionis occidendi causa, quam primum adeat, literas ad eum, tam ab Alexandro, quam Philotæ nomine scriptas, eiusque sigillo munitas deferat, tanta celeritate, vt famam cædis Philotæ anteuerteret. Eas literas dum legit Parmenio, iubet hominem confodi, præfectorum opera, ad quos proprias mittebat literas, adiutus: fratres eius interea apud regem obsides fore.

Hæc vt mandata erant, ita perfecta sunt; & tumultuantium militum seditio, Regis literis compressa est: caput ad regem delatum, reliquum corpus sepulturæ mandatum est, hic finis Parmenionis, & Philotæ fuit.

VII. His gestis Bactrianos, Bessumque tyrannum per Euergetas petijt, qui olim Ariaspi Curtio, Agriaspæ Arriano, Arimaspi Diodoro dicti fuerant: inde Euergetæ ob beneficium olim exercitui Cyri, extrema inopia laboranti præstitum dicti fuerunt. Eam gentem sexaginta dierum spatio rite ordinauit Alexander, & magna pecunia ob egregiam in Cyrum fidem donauit; & vicino quem petiuerunt agro. Eodemque loco Apollini sacrum fecit, & Demetrium vnum è custodibus corporis, quem Philotę consiliorum participē fuisse suspicabantur, comprehendit, & Ptolemæum Lagi in eius locum suffecit. Cæterum fuit hic Cyrus, magnus ille imperij Persici conditor, vt Diodorus scribit. Idem Diodorus ait Gedrosios Euergetarum finitimos, amicè quoque Alexandrum excepisse, & vtrique genti eundem prætorem Teridatem datum: quem Amenidem vocat Curtius, & scribam olim Darij fuisse refert. Gedronios Drangas, & Dragoges vocat Arrianus, & subactos ait. Inde etiam Arachosios subegit, eisque prætorem Memnonem assignauit, quatuor peditum millibus, cum sexcentis equitibus in præsidium relictis: cum qua victoria Diodorus hunc annum terminat.

Romanos porro nondum perfunctos cura Priuernatis belli, tumultus Gallici fama atrox inuasit, haud ferme vnquam neglecta patribus. Extemplo igitur consules noui Cal. Quintil. eo ipso die quo magistratum inierant, prouincias sortiti sunt. Mamerco Gallicum bellum obuenit, sed ingenti cura contracto exercitu, Gallus hostis nusquam comparuit, Polib. lib. 2. ait Gallos, vt viderunt Romanorum incrementa, etiam pacem cum ijs, ac fœdus inisse, ac per annos triginta constanter seruasse, ad annum scilicet vrbis 454. vt ibi rursum notabimus. Itaque à Gallis Priuernum omnis conuersa vis est. Ei siue capta vi vrbe, siue dedita, nam alij aliter tradidere, Vitruuius Priuernatium dux viuus in Plaucij Consulis potestatem venit, isq; Romam missus, in carcere vsque ad triumphum consulis detentus, inde post verbera cum sociis noxæ necatus est: VIII.

Mox Consul autor Senatui fuit, vt multitudini parceretur, & quoniam Romanos inter Samnitesque interiecti erant Priuernates, quam minimum iram inter Romanos ac Priuernates relinqui cupiebat, eoq; optimi quique in Senatu inclinabant; sed libertas loquendi legati Priuernatis res non paruo turbauit, cum diceret Romanos secum non diuturnam pacem habituros si malam dedissent; si vero bonam, fidam atque perpetuam. Sed Consulis prudentia factum est, vt non solum libertas fraudi non esset, sed Ciuitatis etiam iure Priuernates donarentur, Senatu Populoque consentiente. IX.

ANNVS MVNDI 3726. SEXTÆ ÆTATIS 210. Imper. Alexandri 3. Regni 9. Iaddi siue Ieddoæ Pontificis 37. Olympiadis CXIII. An. 1. Archonte Euthycrito. Vrbis conditæ 425. Plaucio Proculo, P. Cornelio Scapula Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 327.

Ad Bactrianos transiturus Alexander hoc anno, quo cœpta est Olympias 113. quæ Clitonem Macedonem victorem coronauit, Paropamisadas eis ab occidente coniunctos obiectos habuit: agreste hominum genus, & inter barbaros illos maxime inconditum; locorum quippe asperitas, etiam hominum ingenia durauerat: gelidissimum Septentrionis axem magna ex parte spectant; meridiana regio ad mare Indicum vergit teste Curtio: quæ causa videtur cur ab Arriano Indi Arachosiis finitimi appellentur. Eam regionem niuibus, geluque obsitam, per summos exercitus sui labores, ærumnasque superauit. Inde Caucasum, Taurumque montes, vnde omnia fere Asiæ flumina, alia in rubrum, alia in Caspium mare, alia in Hircanum, & Ponticum decidunt, septendecim dierum spatio cum exercitu emensus est. I.

Rvpes in Caucaso, inquit Curtius, decem in circuitu stadia complectitur, quatuor in altitudinem excedit, in qua vinctum Prometheum fuisse antiquitus tradit. Condendæ in radicibus montis vrbi sedes electa est. Septem millibus seniorum Macedonum, & præterea militibus, quorum opera vti desisset, permissum in nouam vrbem considere: hanc quoque Alexandriam incolæ appellauerunt. Eadem sese Diodorus habet in hunc annū, sed aucta de more, ac nonnihil mutata: vt cum inquit septem millia non Macedonum, sed Barbarorum fuisse, qui scilicet in medijs niuibus, in casis habitare solebant; idq; probabilius videtur. Nā Macedonibus haud dubie mitius cœlum, solumque elegisset Alexander, ipsique Macedones, quamuis fessi malis, aut reditum etiam in patriam præoptassent. Addit etiam alias quoque vrbes in ea regione ab Alexandro conditas, vnius diei itinere ab Alexandria distantes. II.

III. *Satibarzanes*

Interea duces Alexandri aduersus Satibarzanem Satrapam Areorum prælium committunt: nec prius Barbari in fugam inclinauerunt, quam Satibarzanes cum Erigyo congressus singulari certamini, iaculoque faciem transfossus cecidit. Sic Arrianus libro 3. quæ locupletius à Diodoro lib. 17. & Curtio libro septimo exaggerantur.

Bessi conatus & consilia.

Bessus porro, quem vnum maxime petebat Alexander, intelligens eum aduentare, ijs comitatus, qui cum eo participes consiliorum de Dario interficiendo fuerant, alijsq; Bactrianis fere septem millibus, & Dais vltra Tanaim fluuium habitantibus, regionem Caucaso adiacentem depopulatus est, vt Alexandrum à progressione impediret: naues quoque quibus Oxus fluuius traijciendus erat succendit. Tum inter epulas verbis ferox, & parto per scelus regno superbus, hostem contemnit, & amicum Cobarem, vel Bagodoram Diodoro, salutaria monentem, propemodum interficit. Statuitque in Sogdianos recedere, Oxumque amnem velut murum hosti obijcere, dum ex finitimis gentibus valida auxilia concurrant, vt referunt Curtius & Arrianus.

IV. *A Bactrianis desertus ad Sogdianos fugit.*

Verum posteaquam aduentare Alexandrum compertum est, Bactriani in suos quisque vicos dilapsi Bessum reliquerunt, quem intelligebant in vna fuga spem salutis habere positam. Ille cum clientum manu, qui non mutauerant fidem, Oxo amne superato, exustisque nauigiis, quibus traiecerat, ne ijsdem hostis vteretur, nouas copias in Sogdianis contrahere cœpit. Alexander autem superato per summa frigora, & ærumnas Caucaso, rerum omnium penuria conflictari cœpit; & piscibus iam herbisque deficientibus, iumentorum carnibus, quibus onera portabant, traxere vitam, dum in Bactrianos peruentum est: vbi præcipuas vrbes Aornum & Bactra primo impetu cepit, & regionem ipsam Artabazo cum præsidio commisit.

Macedonum penuria.

Bactriani domantur.

Ipse cum expedito agmine Susitanorum nocte loca deserta intrat, vbi primum æstu, sitique ab eius exercitu vehementer laboratum est.

V. *Oxium flumen quo traiecerit Alexander.*

Postquam ad Oxum ventum est, nocturno itinere nō lætior illuxit dies; quia & nauigia deerant, nec pons erigi poterat, nudo sterilique circa amnem solo. Consilium ergo necessitas suggerit, vtres quamplurimos stramētis impleuere, quibus incubantes amnem sexto demum die, vt Curtius refert, vel quinto, vt Arrianus, vniuersi transnauere. Iamque ad persequendum Bessum statuerat progredi, cum quæ circa Bessum gererentur, cognoscit: quæ aliter à Curtio, aliter ab Arriano referuntur: summa rei hæc est ex vtroque.

Bessus ab amicis coniuratis comprehenditur.

Spitamenes, qui inter amicos præcipuo à Besso honore colebatur, vt Alexandrum flumen Oxum superasse cognoscit, siue Bessi rebus diffisus, siue Darij vindicandi cupidus, ascitis Dataphernе, & Catene coniurationis socijs, Bessum Alexandro tradere statuit. Ergo ad eum nuncios mittunt, pollicentes, si aliquem ex ducibus, cum aliquibus copiis mittat, se Bessum, qui in custodia citra vincula teneretur, ei tradituros.

VI. *A Ptolemæo Lagi capitur.*

Alexander eo Ptolemæum Lagi destinat, ipse lentius exercitum ducit. Ptolemæus magna celeritate vsus, ad vicum peruenit, in quo Bessus cum paucis militibus agebat, quem cum equitatu cinxisset, edicit oppidanis omnes incolumes fore, si Bessum traderent. Ij Ptolemæum in oppidum admittunt, à quo & captus est. Curtius autem ait Spitamenem ad Bessum venisse, & remotis arbitris retulisse compertum sibi insidiatos ei Dataphernem, & Catenem, vt eum viuum Alexandro traderent; sed id dum agitant, à semet occupatos esse, ac vinctos teneri. Bessus tanto merito vt credebat obligatus, adduci eos ad se iubet. Illi manibus sua sponte religatis, ab octo iuuenibus patricibus consilij trahebantur: quos Bessus truci vultu intuens consurgit, manibus non temperaturus. At illi simulatione omissa circumsistunt eum, & frustra repugnantem vinciunt, direpto ex capite regni insigni, lacerataque veste, quam spolijs occisi regis induerat: & in equum impositum ad Alexandrum ducunt.

Modus capti Bessi ex Curtio.

Ducitur ad Alexandrū.

Bessus capitur et occiditur.

VII. *Bessus ... Verbera ... naribus, auribus, que truncatur.*

Erat is ad Tanaim amnem, cum Bessus siue à Spitamene, vt vult Curtius, siue à Ptolemæo, vt mauult Arrianus, non solum vinctus, sed reste in collum iniecto, & omni corporis velamento spoliatus, ei sistitur, vniuerso exercitui tam Macedonum, quam Barbarorum gratum spectaculum: & exprobrata Domini sui cæde, interim flagris cædi iubetur, & mox supplicium capite persoluturus, in Bactra remittitur. Bactris accusata in Darium perfidia, nares ei summasque aures præscindi iussit: deinde in Ecbatana misit, vt ibi in Medorum, Persarumque concilio morte mulctaretur. Ita Arrianus lib. 4. Curtius autem scribit traditum à Rege Oxatri fratri Darij, quem inter corporis custodes habebat, vt cruci affixus, mutilatis auribus, naribusque, sagittis configeretur: cæterum supplicium eius dilatum, vt eo loco, in quo Darium ipse occiderat, necaretur.

Minutatim conciditur.

Diodorus vero, Bessum, inquit, Darij fratri, cæterisque eius propinquis, ad supplicium illorum arbitratu, de eo sumendum concessit. Hi omni contumeliæ, & cruciatus genere in hominem grassati, corpore tandem minutatim conciso, particulas huc illucque fundis disiecerunt. Plutarchus autem duabus eum arboribus incuruatis alligatum scribit, & ab ijs in suam rectitudinem redeuntibus discerptum.

VIII. *Macedones à Barbaris male accepti. Curt. l. 7.*

Interea Macedones ad pabulum incomposito agmine egressi, à barbaris, ij viginti millia erant Curtio, 30. Arriano, qui de proximis montibus decurrerant, opprimuntur, pluresque capti, quam occisi. Barbari autem captiuos præ se agentes rursus in montes receperunt se, quos dū rex obsidet, inter promptissimos dimicans sagitta grauiter ictus est, quæ in medio crure fixa reliquerat spiculum, quem mœsti Macedones in castra retulerunt. Collis nihilominus captus est, ac plerique Barbarorum à Macedonibus cæsi, alij è rupibus sese præcipitantes interierunt, vt ex 30. millibus non plures 8. millibus euaserint, vt scribit Arrianus extremo l. 3. At Curtius l. 7. ait postero die barbaros ad Regem legatos misisse, virtutis illius admiratione perculsos, qui gentem suam in eius fidem dederent. Alexandrum autem fide data, & captiuis receptis, gentem in deditionem accepisse.

IX. *In regionem Sogdianorum adit. Maracanda.*

Castris inde motis, lectica militari ferebatur, quam pro se quisque, eques pedesque subire certabant. Hinc quarto die ad vrbem Maracanda, qua in vrbe Sogdianorum regia erat, peruentum est. 70. stadia murus vrbis amplectebatur, arx nullo cincta muro; præsidio vrbi relicto, proximos vicos depopulatur, atque vrit. Curt. l. 7.

Legatos à Scytis accepit. Asianis, & Europæis.

Paucis post diebus legati ad Alexandrum veniunt, tam à Scythis Asianis, (quos Arrianus l. 4. Abios, Curtius Abios vocat, vterque cum Homero iustissimos barbarorum fuisse tradit,) quam ab Europæis, quos à se inuicem Tanais fluuius, qui in Mæotidem paludem influit, distermiinat. Vtrosque benigne excepit Rex. Cum Europæis tamen redeuntibus Penidam quendam misit ex amicis, prętextu quidem amicitiæ per legationem componendæ, re autem vera vt Scythiam regionem agnosceret, quæ arma, quanta incolarum multitudo: eisque ediceret ne Tanaim iniussu regis transirent. Condendæ etiam vrbis sedem super ripam Tanais eligeret; quæ opportuna esset sedes ad expeditionem, quam versabat animo, in Scytas faciendam.

X. *Sogdianorum & Bactrianorum ex metu defectio.*

Sed consilium distulit Sogdianorum nunciata defectio, quæ Bactrianos quoque traxit, septem millia militum erant, quorum autoritatem cæteri sequebantur. Alexander Spitamenem & Catenem, à quibus ei traditus erat Bessus, accersit, ratus eorum opera coërceri posse, ac redigi in potestatem qui defecerant. At illi ipsi defectionis autores erant, qui fama vulgauerant Bactrianos equites omnes à rege accersiti ad Zariaspam vrbem, in quam illius prouinciæ conuentus indixisset, vt occiderentur: idque facinus sibi demandatum, non sustinuisse tamen illud exequi; nec magis Alexandri sæuitiam, quam Bessi parricidium ferre potuisse. Itaque sua sponte iam motos, metu pœnæ haud difficulter ad arma perfidiosissima calumnia concitauerunt.

Arrian.

Curtius.

X. HIS CIS rebus cognitis, Alexander varias simul vrbes per se suosque obsidere cœpit, ne sibi mutuo auxilio esse possent, & partim vi, partim deditione septem vrbes in suam potestatem redegit, magnaque ex parte diripuit. Inter has fuit Cyropolis, quam olim condiderat Cyrus, in cuius gratiam vrbi parcere statuerat. Quippe qui illum regem, sicut & Semiramidem, tam rerum gestarum gloria, quam magnitudine animi admirabatur. Cæterum oppidanorum pertinacia eius iram accendit. Itaque captam vrbem per sicci torrentis alueum, vt vult Arrianus, diripuit. Curtius cuniculo suffossa mœnia scribit, & spatio ingenti patefacto, per illud in vrbem irrupisse, eamque spoliatam diruisse. In eius obsidione & Macedonum promptissimi quique cecidere, & ipse Rex ad vltimum periculum venit. Nam caput eius & ceruix saxo ita icta est, vt oculis caligine offusa collaberetur, ne mentis quidem compos. Postmodum nondum percurato vulnere, ad obsidionem rediit, neq; ab ea destitit, donec voti compos effectus est.

XII. *Spitamenes ... Maracandam obsidet.* HINC Menedemum cum tribus millibus peditum, & octingentis equitibus ad vrbem Maracanda misit. Nam Spitamenes transfuga præsidio Macedonum inde deiecto, muris vrbis eius incluserat se, oppidanis consilium defectionis haud approbantibus.

Ad Tanaim ... Alexandria condita. Interim Alexander ad Tanaim amnem redit, & quantum soli occupauerant castris muro circumdedit: sexaginta stadiorum vrbis murus fuit, quam Alexandriam appellari iussit. Opus tanta celeritate perfectum est, vt decimo septimo die quam munimenta excitata erant, tecta quoque vrbis absoluerentur, vt inquit Curtius. At Arrianus viginti diebus vrbem muro circumpleaum Alexandrum non minus probabiliter tradit. Vterque autem aperte eos refellunt, qui dubiam reddere conantur, murorum Hierosolymitanorum restaurationem, intra duos & quinquaginta dies factam, & scripturam, *a* id aperte asserentem, violenta interpretatione in aliam sententiam detorquent. Cum tamen omne ciuitatis Ierusalem in gyro spatium triginta tribus tantum stadiis finiretur, vt habet Ioseph. *b*

a Esdr. 6. ... b ... de bello c. 6.

XIII. *Bellum cum Scythis.* REX Scytharum cuius tum vltra Tanaim imperium, erat, ratus eam vrbem, quam in amnis ripa Macedones condiderant, suis impositam esse ceruicibus, fratré Carthasim nomine, cum magna equitum manu, misit ad eam diruendam, & Macedonum copias procul ab amne submouendas. In conspectu Alexandri obequitabat hostis, & cum telis, quæ trans flumen eiaculabatur, etiam probra barbarico more iaciebat. Alexander autem adhuc æger ex vulnere, voce deficiebat, nec insistere in terra, nec equo vehi, nec suos vel docere poterat, vel hortari: cum interim & Bactriani defecissent, & Scythæ lacesserent. Itaque Aristandrum explorare euentum imminentis belli sacrificiis iubet; quæ licet parum læta esse didicisset, vate magni laboris discrimen adesse prædicente, ipse primariis ducibus ineundi cum Scythis belli necessitatem, forti atq; animosa oratione demonstrat. Cumque de modo transeundi fluminis cum iisdem consultaret, superuenit Aristander, qui egregie litatum esse diceret.

XIV. *Menedemi clades.* INTEREA Menedemus, quem Rex miserat ad obsidendum Spitamenem, Bactrianæ defectionis authorem, in insidias ab eodem Spitamine paratas incidit; in quibus ipse cum trecentis equitibus, & duobus peditum millibus fortiter pugnans occidit. Eam cladem Alexander solerti consilio texit, morte denunciata iis, qui ex prælio venerant, si acta vulgassent.

Alexander Tanaim traiicit. Postridie procedit cum thorace ad exercitum; cuius conspectu milites ita animati sunt, vt qui ante bellum recusabant, nunc feroces deposcerent. Rates ergo iussu regis iunguntur, quibus equites phalanxque transportetur, leuis armaturæ super vtres, vt nuper natando traiiciunt. Interea legati Scytharum viginti more gentis regem adeunt, & admissi, multa apud regem bellum dissuadendo philosophantur, quæ pluribus persequitur Curtius libro septimo. Iis dimissis in præparatas rates exercitum imposuit, & nequicquam eiaculantibus interea barbaris, trans flumen magno labore, industria, periculoque traduxit.

RES CONTRA SCYTAS GESTA. XV. *Scythæ Macedones fugiunt.* TVM vero non ora, non arma, non clamorem hostium Barbari tolerare potuerunt, sed omnes effusis habenis fugam capessunt, quos Rex, quamquam vexationem inualidi corporis ferre non poterat, per 80. tamen stadia insequi perseuerauit. Iamque linquente animo suis præcepit, vt donec lucis aliquid superesset, fugientium tergis inhærerent. Ii media fere nocte in castra rediere multis interfectis, pluribus captis, equosque mille & octingentos abegere: ceciderunt autem Macedonum equites sexaginta, pedites fere centum, mille saucii fuere.

Et aduenter. l. 4. Ita Curtius. Arrianus, ait cæsos è Scythis circiter mille, cum vno ex ducibus Sattace, captos 150. Quumque fugientes, inquit, Scythas in summo æstu acerrimè insequerentur, vniuersus exercitus magna siti laborauit. Ipse etiam Alexander aqua vitiosa, qualem ea fert regio, epota, vehementi profluuio alui correptus est; quæ res Macedones ab insequendis hostibus remorata est, atq; ita in summum vitæ discrimen adducto rege, Aristandri vaticinium comprobatum fuit. *Alexandri periculum.*

XVI. *Sacæ & Scythæ se Alexandro subiiciunt.* HÆC expeditio deficientem magna ex parte Asiam, ait Curtius, fama tam opportunæ victoriæ domuit. Inuictos Scythas esse crediderant; quibus fractis nullam gentem Macedonum armis parem fatebantur. Itaque Sacæ misêre legatos, qui pollicerentur gentem mandata facturam. Mouerat eos Regis non virtus magis, quam clementia in deuictos Scythas: quippe captiuos omnes sine pretio remiserat, vt fidem faceret se contra ferocissimas gentes, non ex ira, sed ex gloriæ cupiditate pugnare. Benigne igitur exceptis Sacarum legatis, etiam legati à Rege Scytarum ad Alexandrum venerunt, Arriano teste, qui negarent totius gentis communi consilio ei arma illata, sed ab iis, qui latronum more ex rapto viuerent; se imperata facere velle.

XVII. *Cur non ...* ALEXANDER qui opportunum sibi non esse iudicabat prælium eo tempore committere, excusationem humaniter accepit. Spitamenem quippe, & Maracandam, & suorum cum Menedemo cædem cogitabat, quos vlcisci, & illum punire properabat. At Spitamenes cum suis copiis, vt Alexandrum aduentare intellexit, relicta obsidione profugit. Alexander fugitiuos acriter ad Scythiæ vsque deserta insequitur: suis nihilominus in loco, in quo nuper ceciderant, more patrio cum cura sepultis. Indeq; reuersus regionem vastat, & Barbaros, qui in munitiora loca sese fuga receperant, interfecit; quod & ipsi Macedones oppressisse dicerentur. Ita Arrianus lib. 4. Verum Curtius l. 7. ait ex captiuis Sogdianorũ ad regem 30. nobilissimos, corporũ eximio robore perductos esse, qui vt didicerunt se Alexandri iussu ad suppliciũ duci, maximæ cuiusdam lætitiæ, voce gestuq; signa præferebant. Quod admirans Alexander, causam lætitiæ vbi esse didicit, quod à tanto rege omnium gentium victore occidi, ac maioribus suis reddi gauderent, eis fide data vitam dedit. Quam illi fidem deinceps Alexandro constanter retinuerunt, & partim domum remissi in fide continuerunt populares. Quatuor inter custodes corporis retenti, nulli Macedonum in regem charitate cesserunt. *Spitamenem persequitur.* *Mors Sogdianorum constans.* *Et spes vitæ futura.*

XVIII. *Alia apud Sogdianos gesta.* RVPAM etiam inaccessam 30. stadiorum altitudine, & 150. circuitu, quam Arimazes Sogdianus congestis ad biennium alimentis, cum 30. millibus armatorum obtinebat, incredibili ausu per asperrima rupium aggressus, obstupefactis omnibus, ad deditionem arbitrariam compulit. Nam præmiorum magnitudine incitauit trecentos iuuenes, qui ferreis fulcris, quæ subinde defigebant, connisi in altum paulatim euadebant. Triginta duo, in ima fallente vestigio deuoluti, periere, cæteri semilaceri, seminecesque, ad verticem enasere, & Macedones sine pennis volare posse docuerant. Quæ pluribus Q. Curtius extremo lib. 7. recenset, & Arrianus in 4. Sed ad imminentis veris initia, refert, quæ huc retulimus, nec Sogdianas res distrahamus.

XIX. *Celeritas victoriarum Alexandri.* RELIQVA etiam regione edomita, ad vrbem Zariaspa peruenit; ibique moram fecit, brumam, quæ tum vige-

bat,

bat, transacturus, vt tradit Arrianus lib. 4. Quod si quis hæc, aliaque nonnulla, quæ breuitatis causa præterij, pluta atque ampliora esse contendat, quam quæ vnius anni circuitu peragi potuisse videantur, is si incredibilem, atque ab ipso Daniele celebratam Alexandri celeritatem agendi cogitet, facile credibilia ista iudicabit; neque negabit ab Alexandro vno anno perfecta, quæ alius, etiam egregius imperator, vix decennio exequi potuisset. *Ecce autem*, ait Propheta, *hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram*. Et mox. *Et venit vsque arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ, &c.* Audis non celeritatem expeditionis, non festinationem, sed cursum, sed impetum vehementem, sed effusam omnem animi corporisque contentionem: denique, vt ait noster Sanctius, totam terram peruagari, atque occupare ea celeritate videbatur, vt pennis potius volucrum, quam hominum passibus vti crederetur.

c. 8. v. 5.

XX. *Colonia Fregellana.* Romæ porro, vt scribit Liuius l. 8. annus hic nulla re belli, domive insignis fuit: præterquam quod Fregellas colonia deducta, & Populo visceratio data à M. Flauio in funere matris, vt per speciem honorandæ matris, Populo, à quo fuerat absolutus, gratificaretur. *Visceratio Flauij.* Erat autem visceratio, non solum viscerum, sed reliquarum etiam carnium crudarum in vulgus distributio. Ea liberalitate mox Tribunatum plebis absens consecutus est.

ANNVS MVNDI 3727. SEXTÆ ÆTATIS 211. Imper. Alexandri 4. Regni 10. Iaddi Pontif. 38. Olympiadis CXIII. An. 2. Archonte Chremete. Vrbis conditæ 426. L. Cornelio Lentulo, & Publio Philone II. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 326.

I. *Alexander sex oppida condit.* Inter Eutycritum & Chremetem, inserit Prætorum catalogo Egemonem Dionys. Halyc. in Dinarcho: sed Diodorum sequitur Sigon. Schottus, Capellus, Heluicus, & author Chronol. Diodori Laurentius Rhodomanus, Dionysium collector Olympionicarū. Sequamur & nos Diodorum, quem plures sequuntur, etsi res non magni momenti est. Cæterum dum ad Zariaspa Bactrianum, vel vt alij malunt, Sogdianorum in Hybernis commoratur Alexander, & exercitum suum quiete aliqua reficit, eique nouas varijs ex locis copias adiungit, circa Marginiam vrbem sex oppidis condendis eligit sedem, quæ modicis inter se spatijs dissita, & mutuum sibi auxilium præberent, & instar freni domitarum gentium essent: nunc originis suç oblita, seruiunt quibus imperauerunt, vt ait Curt. l. 7.

II. *Macedonum à Massagetis clades.* Deinde autem Alexander, vt idem initio l. 8. memorat, tripertito copias diuidit, quarum partem vnam Ephestioni, alterā Cœnoni regendam dedit, tertiam retinuit sibi, quoniam multis locis sparsi erant hostes. Quorum exules Bactriani cum octingentis equitibus Massagetarum proximos vicos vastauerant. Ad quos coërcendos cum Attinas cum trecentis equitibus incautius processisset, ab ijs cum suis interemptus est. *Eorū deditio.* Sed ea clades mox à Cratero altero ducum Alexandri, cum vniuerso equitatu superueniente vindicata est, & mille Daharum oppressis totius regionis defectio finita est. *lib. 4. Affinitas Alexandri cum Scythis.* Hanc cladem Arrianus non Attinæ, sed Pithoni Sosiclis filio, & Aristonico tribuit: nec plures interemptos refert, quam 7. ex amicis, ex mercenarijs autem equitibus sexaginta. Vide quanta inter Scriptores diuersitas. Alexander autem Maracanda repetit. Vbi Scythæ affinitatem cum Macedonibus contrahere vt sibi liceat, ab eo postulant, & nuptias ei filiæ Regis sui offerunt. Phrataphernes etiam, qui præerat Massagetis, & Dahis misit, qui eum imperata facturum pollicerentur. Vtraque legatio benigne audita est: eadem de connubio Scytharum refert Arrianus l. 4.

III. *Cur Alexandrum mortis.* Svb hoc tempus incidit Cliti mors, quam varie Plutarchus, Curtius, & Arrianus hic quarto, ille 8. libro describunt, ex quibus quod probabilius videbitur afferemus. Hic erat Clitus Dropidis filius, qui apud Granicum amnem nudo capite Regem dimicantem clypeō suo texit. Rosacis manum, capiti regis imminentem gladio amputauit; vetus Philippi miles, multisque bellicis operibus clarus. Soror eius Hellanice, Arriano Lanice, quæ Alexandrum educarat, haud secus quam mater à Rege diligebatur. Ob has causas validissimam imperij partem fidei eius, rutelæque commiserat; & nunc ætatis excusatiōne ab Artabazo Satrapa Bactrianorum accepta, prouinciam eius destinabat Clito.

IV. *Occasio, & causa cædis eius.* Contigit autem vt solenne ab Alexandro cum principibus suis conuiuium celebraretur, in quo aderat & Clitus. Cumque Rex mero incalescens, res à se præclare gestas immodice celebrare, Philippi autem patris sui laudes obterere cœpisset, cum cæteris senioribus, tum Clito in primis ingrata narrabat. Nam in Philippi gestis deprimendis, se quoque deijci, ac contemni arbitrabantur. *Contendit verbis cum Alexandro.* Itaque Clitus vice versa prçterita efferre, prçsentia imminuere, cum magna Alexandri offensione cœpit; præsertim cū & Parmenionem commendaret, & ab Alexandri auunculo in Italia dictum referret, ipsum in viros, Alexandrum in fœminas incidisse. Addit etiam Arrianus contentionem de Baccho & Dioscuris incidisse, nonnullosque adulatorū Alexandrum illis prætulisse, & ne ab Hercule quidem abstinuisse, quin ei Alexandrum æquarent; idque vehementer Clito displicuisse, ideoq; res Alexandri depressisse, quarum gloria Macedonibus maxima ex parte deberetur.

V. *Ejicitur è conuiuio. Crimen sibi contendit. Alexander in arma ruit. Retinetur ab amicis.* Dolorem tamen Rex pressit, contentus iussisse, vt ex conuiuio excederet. Illum cunctantem proximi conabantur abducere, cum ad vinolentiam ira adiecta, Alexandro vitam seruatam exprobrat, Attali cædem obijcit, Iouis Ammonij oraculum, quem sibi patrem Alexander asserebat, eludit.

Iam tantum iræ conceperat Rex, quantum vix sobrius ferre potuisset. Itaque è lecto repente prosiliuit, & rapta lancea ex manibus armigeri, Clitum adhuc eadem linguç intemperantia furentem percutere conatus, à Ptolemæo, & Perdicca inhibetur; qui medium complexi, & obluctari perseuerantem morabantur; Lysimachus & Leonatus etiam lanceam abstulerunt. Ille militum fidē implorans, comprehendi se à proximis amicorum, quod Dario nuper accidisset, exclamat, signumque tuba dari iubet, vt ad regiam armati coirent.

VI. *Nec precibus cedit.* Tvm vero Ptolemæus & Perdiccas genibus aduoluti orant, iræ modum adhibeat, spatium potius animo det, omnia postero die iustius executurum. Sed clausæ erant aures obstrepente ira. Itaque impotens animi percurrit in Regiæ vestibulum, & vigili excubanti hasta ablata, constitit in aditu, quo necesse erat ijs, qui simul cœnauerant egredi. Abierant cæteri, Clitus vltimus sine lumine exibat. *Clitum interficit.* Quem rex quisnam esset interrogat, ille Clitum confessus est. Tum Alexander dicentis latus hasta transfixit, morientisque sanguine aspersus, *I nunc*, inquit, *ad Philippum, & Parmenionem, & Attalum*. Arrianus ex Aristobulo refert Clitum è conuiuij loco Rege furente, euasisse in arcem ad Ptolemæum Lagi: mox tamen se continere non potuisse quin rediret, & Alexandro Cliti nomen inclamanti, inconsultius occurreret.

VII. *Facinus vehementer deplorat. Sese hasta, & fame necare cupit.* At Rex posteaquam ira deferbuit, etiam ebrietate discussa, magnitudinem facinoris sera æstimatione perspexit; & qui in patrando facinore vehementer excesserat, etiam in agenda pœnitentia maius parabat scelus. Nam hastam è corpore iacentis euulsam, in semetipsum retorquebat. Iamque admouerat pectori, cum aduolant vigiles, & repugnanti è manibus extorquent, alleuatumque in tabernaculum deferunt. Ibi ille se in terram abijcit, eiusque gemitu, eiulatuque miserabili tota regia personat. Laniare deinde os vnguibus, & circumstantes rogare, ne se tanto dedecori superstitem esse paterentur: certusque mori triduum, sine cibo ac potu, iacuit inclusus. Quem vt armige-

ri, corporisque custodes ad moriendum obstinatum esse cognouerunt, vniuersi in tabernaculum irrumpunt, diuq; precibus ipsorum reluctantem, ęgrè perpulerunt vt cibum caperet.

VIII. *Eam amici consolantur.* Qvoqve minus puderet cædis, eam ad deorum iram referebant, quod anniuersarium sacrificium, Libero patri stato tempore redditum non esset. Anaxarchus quoque Sophista impudenti adulatione vsus, eam cedem iustam fuisse contendebat, quod iustitia, quæ Ioui assideret, etiam adstaret Regibus, propterea; omnia, quæ ab illis fierent, iusta esse, & à cæteris mortalibus probanda. Quasi voluntas principum, perinde ac Dei, esset regula iustitiæ & æquitatis. Cęteri quoque Macedones consolandi regis gratia, iure interfectum Clitum decreuere, sepultura quoque prohibituri, ni Rex humari iussisset. Et certe negari non potest, si quæ referuntur de eius contentione vera sunt, quin Clitus valde imprudenter se gesserit, multumque in obseruationem regi debitam peccarit; temporis, loci, personarum rationem violarit.

IX. *Pergit ... in Bactrianis ...* Igitvr decem diebus, maxime ad confirmandum pudorem, apud Maracanda consumptis, cum parte exercitus Ephestionem in regionem Bactrianam misit, commeatus in hyemem paraturum: quam autem Clito destinauerat prouinciam Amyntæ dedit. Ipse Xenippam confinem Scythiæ regionem peruenit, quo confugerant Bactriani exules, qui ab Alexandro defecerant. Hi ad duo millia & ducenti Amyntam ex improuiso adorti, diu anceps prælium fecerunt, ad vltimum septingentis suorum missis, haud inulti dedere terga victoribus, quippe 80. Macedonum interfecerunt, 350. sauciarunt: veniam tamen etiam post alteram defectionem impetrauerunt. Rem aliter narrat Arrianus, quem consule.

Nauram regionem in potestatem redegit. His in fidem receptis, in regionem quam Nauram appellant, Rex cum toto exercitu venit, quam regionem cū Sysimithre, Satrapa, & tota eius familia, opera Oxyartis in potestatem deditione redegit. Id tamen imperium eidem restituit, spe maioris etiam prouincię facta, si cum fide Alexandri amicitiam coleret; duosque iuuenes, patre tradente, secum militaturos sequi iussit.

X. *Spitamenes ab vxore ...* Dahas deinde statuerat petere, vbi Spitamenem, quem iam dudum persequebatur, esse cognorat; sed hoc eum labore, Spitamenis vxor proprio scelere leuauit. Cū enim ille vxorem perpetuæ fugæ comitem haberet, illaque excursionibus fatigata, maritum precibus fatigaret, vt victoris Alexandri clementiam expertus, placare conaretur, quem effugere non posset; illeque ad omnia monita obtigesceret; & iam suspectam haberet vxorem, ne formæ fiducia Alexandro dedi cuperet, eaque de causa eam etiam interfecturus videretur; simulauit illa redintegratam beneuolentiam: sed mox alto sopitum ex epulis somno, capite truncauit, caputque in vicina Macedonum castra, ad Alexandrum detulit. Is etsi lætus erat transfugam & proditorem, quique tantis rebus, si vixisset, iniecturus fuisset moram, interfectum esse; ingens tamen facinus auersabatur, quod optime de ipso meritum, & communium liberorum parentem (tres enim adulatos habebat ex eo susceptos liberos) per insidias interemisset. Itaque ei denunciari iubet vt castris excederet, ne exemplar licentiæ barbaræ in Græcorum mores, & mitia ingenia transferret.

XI. *Daharum deditio, & Dataphernis.* At Dahæ Spitamenis nece comperta, Dataphernem defectionis participem, vinctum Alexandro, seq; dedunt. Ita Q. Curtius l. 8.

Alia de Spitamenis morte opinio. At Arrianus lib. 4. ait Massagetas & Scythas, hos enim Dahas interpretatur, sociorum impedimentis direptis, in solitudinem cum Spitamene confugisse. Cæterum postquam intellexerunt, Alexandrum animo penetrandi deserta aduentare, interfecto Spitamene, caput eius ad Alexandrum misisse, tanquam illum à sese hoc facto auersuri. Vtri plus adhibendum fidei, lectoris malo quam meum esse iudicium; non negabo tamen vniuersè Curtium, sicut & Iustinum, & plerumque Plutarchum declamationi, Arrianum propriorem historiæ videri; cum præsertim sæpe oculatis testibus Aristobulo, & Ptolemæo Lagi nitatur.

Dum hæc aguntur superuenit hyems, & Alexander quietem exercitui ad Nautaca, quę est vrbs Sogdianæ regionis, dedit, vt habet Arrianus l. 4. & Curtius 8. qui tres menses in hybernis mansisse scribit.

Romanæ autem res hoc anno sic habebant. Palæpolis fuit vrbs haud procul inde, vbi nunc Neapolis sita est, duabusque vrbibus populus idem habitabat. Ea ciuitas cum suis viribus, tum Samnitium infida aduersus Romanos societate freta, siue pestilentiæ, quę Romam vexare ferebatur fidens, multa hostilia aduersus Romanos, agrum Campanum, Falernumque incolentes fecit. Igitur à nouis Consulibus feciales Palæpolim ad res repetendas missi sunt, vt ex Dionysio quoque Halicarnassæo constat, apud quem hæc legatio habetur seorsim à Romana historia, sicut & Samnitum responsio cum solenni indictione belli à feciale facta. Cumque à Palæpolitis responsum ferox esset relatum, ex autoritate Patrum, Populus Palæpolitanis bellum fieri iussit. Inter Coss. prouincijs comparatis, bello Græci persequendi Publio euenerunt. Cornelius altero exercitu Samnitibus, si qua se mouerent oppositus, in agro Campano stetit. Publius Senatum mouit Palæpolim munitam aduentu duorum millium Nolanorum militum, & 4. Samnitium. XII. *Bellum Romanorum in Palæpolitanos.*

Romæ etiam compertum fuit Samnium vniuersum ad bellum erectum, vicinosque populos Romanorum socios haud ambigue sollicitari. Qua de re cum legatos ad Samnites mitti placuisset, responsum ferox acceptum est, quale ab ijs expectari poterat, qui bellum, quod iamdudum parabant, mallent quam pacem. Dionys. Halycarn. in excerptis quibusdam legationibus, dicit Romanorum legatos Neapolim missos, vt si fieri posset vrbs à Samnitium amicitia descisceret, & populi Rom. amicitiam amplecteretur; re infecta discessisse. Tarentinis, Nolanis, & Samnitibus tumultuantibus. Ergo Publius siue Publilius inter Palæpolim, Neapolimque locum castris opportune cepit, vt mutua hostium auxilia impediret. Verum cum & comitiorum dies instaret, & Publilium imminentem hostium muris auocari à spe capiendæ in dies vrbis, haud è Repub. esset; actum est cum Tribunis, vt cū abisset Consulatu, idem bellum proconsul administraret; & quoniam ne Cornelium quidem in Samnium iam ingressum reuocari placebat, is per litteras Dictatorem dixit comitiorum causa, M. Claudium Marcellum, & quidem noctu, & in exercitu; quod quidam eo traxere, quasi solenne Romanis esset noctu Dictatorem dicere, quod certe ex hoc loco nō satis probatur. Verum quoniam is Plebeius erat, studio Patriciorum factum videtur, vt vitio creatus diceretur; itaque res, ad interregnum redijt; tandemque creati sunt Papyrius, atque Petilius, vt seq. anno dicetur. XIII. *Samnium bellum parat.* *Coss. prorogatum imperium.* *Dictator comitiorum causa noctu dictus.*

ANNVS MVNDI 3728. SEXTÆ ÆTAtis 212. Imperij Alexandri 5. Regni 11. Iaddi Pontif. 39. Olympiadis CXIII. An. 3. Archonte Aticle. Vrbis conditæ 427. Coss. L. Papyrio Cursore, siue Mugilano, & C. Petilio Libone.

ANNVS ANTE CHRISTVM 325.

Alexander non modo subiugandis sibi populis operam dabat, sed recte etiam regendis. Itaque dum in hybernis moratur, conuertit animum ad vindicandas eorum iniurias, quibus à prætoribus suis auarè, ac superbe imperabatur. Itaque aliquos redegit in ordinem, alios in eorum præfecturas suffecit; quæ pluribus à Curtio & Arriano referuntur. I. *Alexander suos subditos ...* *l. 8. ante medium. l. 4. paulò post med.*

His ita gestis, Indiam, atq; inde Oceanum petiturus, ne quid à tergo moueretur, quod destinata impedire posset, ex omnibus prouinciis 30. millia iuniorum legi iussit, & ad se armata perduci, obsides simul habiturus & milites. Omninoque sub signis 120. armatorum millia numerauit; qui ne magnificentia Indis cederent, cum cęteris præsta- *Expeditionem in Indiam parat.*

præstarent, scutis argenteas laminas, equis frænos aureos addidit. Loricas quoque alias auro, alias argento exornauit.

II. *Adorari vult, eoq; sibi adulatores impellunt.*

IAMQVE omnibus præparatis, quod olim praua mente conceperat, tunc esse maturum ratus, quonam modo cœlestes honores vsurparet, agitare cœpit. Et hactenus quidem Iouis filium non dici tantum se, sed etiam credi voluerat, nunc quod illi stultissimæ vanitati erat consentaneum, Macedonas Persarum more, prostratis humi corporibus, ipsum salutare iussit. Huic impietati famulabantur adulatores; Agis in primis quidam Argiuus poëtaster, & Cleo Siculus, & Anaxarchus Sophista, & alij fuatum vrbium purgamenta, quos propinquis etiam, maximorumque exercituum ducibus præferebat Alexander, quod illi cœlum aperirent, Herculemque, & Liberum patrem, & cum Polluce Castorem, nouo Numini cessuros esse iactarent. Ergo in solenni conuiuio Cleo, siue Anaxarchus, vt Arriano placet, digressu Alex. de diuinis honoribus ei tribuendis sermonem instituit, eique rei cum se offerret ducem, id maxime exemplum sapientia præditos sequi oportere contendit.

III. *Ei resistit Callisthenes philosophus.*

NON obscure in Callisthenem hæc oratio dirigebatur, cuius grauitas, ac libertas inuisa erat Regi, quasi solus Macedonas, paratos ad tale obsequium, moraretur. Erat Callisthenes genere Olynthius, Aristotelis non solum auditor, & dudum condiscipulus Alexandri; sed affinis, ex Herone Aristotelis consobrina editus; qui ab eo missus erat ad Alexandrum, rerum ab eo gestarum scriptor futurus, homo dicendi facultate tanta præditus, vt Macedonibus laudandis summum sibi fauorem, mox vituperandis offensionem incurreret, sed alioqui austerior, & loquendi libertate inconsultus fuit. Cum ergo Cleonis vel Anaxarchi orationē Callisthenes graui oratione refutasset, multa cum approbatione audientium, Rex qui omnia post aulæa occultus audierat, ad Agim & Cleonem misit, vt sermone finito, Barbaros tantum, cum intrasset, procumbere suo more paterentur. Et paulo post, quasi potiora quædam egisset, conuiuium repetit.

Cum Regis offensione.

IV. *Et in Polyspercontem ira.*

QVEM venerantibus Persis, Polyspercon, qui cubabat super Regem, vnum ex his mento contingentem humum, per ludibrium cœpit hortari, vt vehementius id quateret ad terram. Tum Rex iratus, eum è lecto præcipitat in terram. Qui cum pronus corruisset: Videsne, inquit, idem te fecisse, quod in alio paulo ante ridebas? Et tradi eum in custodiam iusso, conuiuium soluit. Cui tamen postea diu castigato ignouit. Arrianus his similia de Leonnato scribit.

Et Callisthenem.

In Callisthenem autem, quasi contumacis in se animi, pertinacioris iræ fuit; cuius explendæ occasionem dederunt pueri regij, qui sub hoc Indicæ profectionis tempus, in Regis caput conspirarant.

V. *Domestica Ephebarum in Alexandrum coniuratio.*

MOS enim erat Macedonum principibus, adultos liberos Regibus tradere in famulatum. In his quidam Hermolaus nomine, cum in venatione aprum telo occupasset, quem Rex ferire destinarat, iussu eius verberibus affectus est. Eam ignominiam deflere apud Sostratum cœpit, cum quo & consilium interficiendi Regis init: ad cuius societatem sceleris, aliquot etiam alios eiusdem cohortis allexere. Eam noctem, qua coniurati facinus perpetrare statuerant, Alexander perpotando traduxit insomnem magno coniuratorum dolore, qui videbant ipsorum excubandi ad regias fores vicem tardius rediturum, interea que, labante alicuius fide, rem fortasse patefactum iri. Itaque omnino contigit. Nam Epimenes, siue comitate regis victus, qui coniuratos pertinacius ad regias fores excubantes præmiis affecerat, quasi vehementer in se officiosos atque beneuolos, siue quia Deum cœptis obstare credebat, repente mutatus, Eurilocho fratri rem aperit. Is repente manu in fratrem iniecta, eum ad Regem deducit, eique facinus pandit, consciorumque nomina exponit, in quibus nusquam nominatus Callisthenes. Quod ipse quoque Alexander, in epistola sua ad Craterum & Attalum, confessus est apud Plut. in Alex.

Patefit regi.

VI. *[illegible]*

REX Eurilocho magnis affecto præmijs, & eius fratri data venia, sceleris authores vinctos asseruari in posterum diem iussit. Quo die conuocato concilio, coniuratos omnes introduci iussit, magna omnium admiratione, magno etiam propinquorum metu, qui more patrio, perire etiam ipsi debebant. Coniurati sine cunctatione, quæ agitauerāt inter se, confessi sunt. Cumque Rex interrogaret, quo suo merito tantum in semet facinus cogitassent, Hermolaus accusationem Regis inchoat, non minus atrocem, quā calumnijs impudentibus abundantem, quam Rex, quanquam tumultu Hermolai patre repugnante, integram patienter audiuit, & verissima responsione refutauit. Post hæc concilium dimisit, traditque damnatos iussit ex eadem cohorte hominibus; qui vt fidem suam sæuitia regi approbarent, excruciatos occiderunt: lapidibus obrutos à Macedonibus tradit Arrianus l. 4.

EPHEBORVM IN ALEXANDRVM CONIVRATIO.

VII. *Callisthenes per calumniam occiditur.*

CALLISTHENES quoque, quasi facinoris particeps tortus interiit, initi licet consilij in caput Regis innoxius, sed haud quaquam aulæ, & assentantium accommodatus ingenio. Hæc fusius Q. Curtius l. 8. & Arrianus in 4. cum aliqua, licet haud magni momenti diuersitate, quam excusare cum Arriano possumus, qui scribit etiam Aristobulum, & Ptolemæum, qui Alexandro aderant, de iis rebus diuersa mandasse monumentis, & Callisthenem conscium parricidij atque hortatorem fuisse: quod tamen ipse non credit. Multo etiam minus Curtius, qui ait nullius cædem, maiorem apud Græcos Alexandro inuidiam excitasse, quam quod præditum optimis moribus, artibusque, à quo reuocatus ad vitam erat, cum interfecto Clito mori perseueraret, non tantum occiderit, sed etiam torserit indicta causa; quam crudelitatem sera pœnitentia consecuta sit.

VIII. *Qua morte affectus fuerit, ex variis.*

CÆTERVM quod ad supplicium Callisthenis attinet, Aristobulus apud Arrianum ait Callisthenem compedibus vinctum, in exercitu ductum fuisse, ac postea morbo interijsse. Ptolemæus autem illum tortum, ac deinde suspensum vitam finisse ait. Vtramque sententiam refert Plutarchus in Alexandro. Additque Charetem scripsisse Callisthenem, postquam comprehensus fuit, septem menses in vinculis custoditum, vt in concilio, præsente Aristotele, iudicaretur: deinde postquam Alexander in Mallis Indiæ sauciatus fuit, ex corpore supra modum turgido, & morbo pediculari excessisse. Plura de eodem apud Plutarchum leges, quæ breuitatis causa missa facio. Illud tamen addam ex Laërtio in vita Aristotelis. Hermolao, inquit, in Alexandrum insidiarum socius deprehensus, cauea ferrea circumduci cœpit, pædore, ac squalore obsitus, leoni postremo obiectus, excessit è vita. hæc Laërtius, quæ etiam plenius habet Iustinus l. 15. vbi non eum, sed Lysimachū obiectum leoni tradit, Alexandri iussu, quod Callistheni in remedium calamitatum venenum dedisset. Non desunt tamen qui hoc Lysimachi factum appellent fabulam, in quibus Q. Curtius initio fere lib. 8. vbi eius occasionem tradit.

IX. *Alexander mouet in Indiam.*

HÆ porro insidiæ in Bactris ipso vere & præparatæ & patefactæ sunt. Subdit enim Arrianus l. 4. Alexandrum ex Bactris adulto iam vere coactis omnibus copiis in Indos mouisse, Amynta apud Bactrianos relicto, cum equitibus ter mille quingentis, & decem millibus peditum. In Indiam mouit, inquit Curtius, nec otium fere odis tumoribus natum alerer, semper bello, quam post victoriam clarior. Indiæ fines ingresso gentium suarum reguli occurrerunt, imperata facturi, illum tertium Ioue genitum, ad ipsos peruenisse memorantes. Patrem Liberum, atque Herculem fama cognitos esse, ipsum coram adesse, cernique. Rex benigne exceptos sequi iussit, ijsdem itinerum ducibus vsurus. Cæterum cum amplius nemo occurreret, Ephestionem, & Perdiccam cum copiarum parte præmisit ad subigendos, qui auersarentur imperium; iussitq; ad Indum flumen procedere, & nauigia facere, quibus in vlteriora transportari posset exercitus. Illi quia plura flumina superanda erant, sic iunxere naues, vt solutæ plaustris vehi possent, rursusque coniungi.

[illegible]

X. *Peruenit ad Nysam.*

ILLA secutus, non sine prælio & vulnere, quod hostium internecione vltus est, vt ait Curtius, ad Nysan vrbem peruenit: quæ sese obsidione fatigata dedidit: Arrianus tamen

men init. l. 5 à principio, legatione à Nisæis accepta, placatum esse Alexandrum scribit, nihilque in eos hostiliter perpetratum. Nisæi se à Libero patre conditos dicebant, quod eorum vrbs sub radicibus Meron montis sita esset, vnde Græci, apud quos μηρὸν femur significat, Iouis femine natum finxere. In eo monte Alexandri exercitus decem diebus inter frondes & hederas impune bacchatus, ad alias atque alias vrbes progressus, neminem pene obsistentem offendit.

Et quæ ibi gesta.

XI. *Ad Masaga itur.*

DONEC ad Masaga Assacenorum ventum est: in cuius vel expugnatione, vel obsidione non parum distat Curtius ab Arriano, vt facile qui contulerint sentient. In eo tamē consentiunt, vt in oppugnatione telo sauciatus fuerit Alexander, quo dolore affectus dixisse fertur, ait Curtius. Se quidem Iouis filium dici, sed corporis ægri vitia sentire. Hoc quoque dictum Alexandro tribuit Plutarch. Laërtius autem l. 9. Anaxarcho, quem, cum vidisset sanguinem ex Alexandri vulnere manantem, dixisse refert, hoc quidem sanguis est, non autem ille cruor qualis solet esse beatis. Ex quo liquet Anaxarchum diuinitati Alexandri repugnasse, contra quam scribit Arrianus. Ait etiam, oppidanis insolenti machinarum magnitudine, & molitione deterritis, desperata defensione vrbis Reginā Cleophem, ad regem cum magno nobilium fœminarum grege, aureis pateris vina libantium processisse, paruulumque filium genibus regis admouisse, eoque facto non veniam modo, sed pristinæ quoque fortunæ decus impetrauisse. Et credidere quidam plus formæ, quam miserationi datū; & puero ex ea genito Alexandri fuisse nomē. Arrianus autem vrbem expugnatam scribit, & milites, qui nollent cōtra gentem suam pro Alexandro pugnare, internecione deletos. Nec filij eius reginæ meminit, sed filiæ duntaxat cum matre captæ.

l. 8. l. 4.

Gens ab ea regina parent.

XII. *Noræ & Bazirensis vrbis fuga.*

HINC Polyspercon ad vrbem Noram cum exercitu missus, inconditos oppidanos prælio vicit, & intra munimenta compulsos secutus, vrbem in deditionem redegit. Verum Arrianus id factum ipsi Alexandro tribuit. Bazirenses apud quos arcē extruxerat Cœnon, Oræorum expugnatione audita, viribus suis diffisi, sub mediam noctē deserta vrbe, in petram confugiunt, quam Aornon vocant, quos & reliqui barbari imitati sunt. Hanc ab Hercule frustra obsessam esse, terræque motu coactum absistere fama vulgauerat, quo maius desiderium cepit Alexandrum eius montis occupandi. Et multis ex suis partim scandendo amissis, partim pugnando in rupis vertice; tandem deserta à propugnatoribus, incredibili Macedonum audacia attonitis, rupe potitus est, in eaque aras Mineruæ, Victoriæque locauit, & sacrificio facto præsidium imposuit. Plurimum hic quoque Arrianus distat à Curtio: nos probabiliora elegimus. Hinc autem ad Indum flumen sextis decimis castris Alexander peruenit, omniaque vt præceperat, ad traijciendum præparata ab Ephestione & Perdicca quos præmiserat, reperit.

Præparata Indi transitu.

XIII. *Taxiles se mancipando Indiæ regi.*

REGNABAT in ea regione Omphis, cognomento Taxiles, quod erat Imperij nomen, qui patri author fuerat dedendi regnum Alexandro: & post mortem parentis legatos miserat, qui consulerent eum, regnare ne se interim vellet, an priuatum opperiri eius aduentum: permissusque vt regnaret, distulit tamen in eius aduentum. Itaque venienti obuiam cum armato exercitu egressus est. Quem Alexander non socium sed hostem ratus, exercitum præparabat ad pugnam. At Indus cognito Macedonum errore iussis subsistere cæteris, ipse concitat equum quo vehebatur. Idem quoque Alexander fecit, siue hostis, siue amicus occurreret, vel sua virtute, vel illius fide tutus. Omphis adhibito interprete occurrisse se dixit cum exercitu, totas imperij vires, seq; ipsum protinus traditurum.

XIV. *Vterque regem. & munera.*

[illegible]VS Alexander simplicitate Barbari, & dexteram fidei suæ pignus dedit, & regnū restituit. Inde multa vtrimque munera cōstrata tantā magnificentia, vt Alexandri duces offenderentur. Nam Indus 56. elephantos quos secū duxerat, dedit, & tria millia taurorum, aureas coronas ipsi, amicisque omnibus, & argenti signati 80. talenta, quorum multa remisit Alexander: & præter 30. equos, regio more phaleratos, eum mille talentis donauit. Taxilla erat primaria illius ciuitas, in qua præsidium imposuit, & milites inualetudinis causa bello inutiles, ibi reliquit. Erant Taxili hostes duo reges, alteri Abiasares, Ambisarum vocat Arrianus montanorum Indorum regem, alteri Porus erat nomen, & vterque vltra Hydaspem fluuium regnabat. Abiasaris legati, in quibus erat regis ipsius frater, mature adiere Alexandrum, omniaque dinoni eius, sicuti mandatum eis fuerat, permittebant, firmataque inuicem fide, remissi sunt ad regem suum.

Fœdus cum altero rege.

XV. *Regis Pori ad bellum apparatus.*

PORVM quoque nominis sui fama ratus ad deditionem posse compelli, misit ad eum Cleocharum, qui denunciaret ei vt stipendium penderet; & in primo finium suorum aditu occurreret Regi. Porus alterum ex his facturum sese respondit, vt intranti regnum suum præsto esset, sed armatus. Et sane promissis stetit. Cum enim ad Hydaspem, quem superare decreuerat, peruenisset Alexander, in eius vlteriore ripa Porum reperit consedisse, cū 85. Elephantis, & 300. curribus, & 30. fere peditum millibus, vt hostem transitu prohiberet.

MACEDONAS non conspectus hostium solum, sed etiā fluminis, quod transeundum erat, magnitudo terrebat, quatuor in latitudinem stadia diffusum profundo alueo, & nusquam vada aperiente, speciem vasti maris fecerat. Accedebat huc, ait Arrianus, quod eo tempore omnes Indiæ fluuij, multam, eamque turbulentam aquam trahebant, & rapido cursu ferebantur. Erat enim per id anni tempus solstitium æstiuum, quo tempore creberrimi imbres in India ruunt, & Caucasi niuibus æstu solutis, amnes inde orti summopere augentur.

Macedones terret, & maxime transitus fluminis.

XVI. *Negligentia temporis in quibusdam scriptoribus.*

PERTINET hæc temporis nota ad firmandam dispositionem, & distributionem rerum ab Alexandro gestarum in annos suos; quoniam Curtius, Plutarchus, Iustinus, Arrianus annorū notas funditus omisere, nisi si quando obiter, & quasi aliud agendo vestigij aliquid humi necopinantes impressere. Diodorus autem Siculus res plerumque perturbauit potius, quam in annos digessit, vt fatebitur eruditus lector, si vel leuiter inspexerit, & cum cæteris contulerit. At nos extrema regni atque imperij Alexandrini constringunt, nec diffluere longius à littoribus patiuntur.

Terribilior erat facies vlterioris ripæ, quam præter vastis corporibus elephantos, equi virique compleuerant, vt instabiles rates nec dirigi ad ripam, nec tuto applicari possent. Itaque totum erat Alexandri studium, sicubi clam hostibus, celeriter flumen transmitteret. Erant in medio amne crebræ insulæ, in quas & Indi, & Macedones nantes, leuatis in capus armis, transibant, ibique leuia prælia conserebant, vnde vterque rex summæ rei experiebatur euentum.

XVII. *Dolus Alexandri ad transmittendum Hydaspem.*

ALEXANDER inops consilij, ad fallendum hostem, talem dolum intendit. Notarat in flumine insulam ampliorem cæteris, syluestrem eandem, & tegendis insidiis idoneam: fossam quoque prealtam haud procul à ripa citeriore quam tenebat ipse, quæ non pedites modo, sed viros etiam cum equis poterat abscondere. Igitur vt à custodia huius opportunitatis oculos hostium auerteret, Ptolemæum cum omnibus turmis obequitare iussit, procul ab insula, ad centum & quinquaginta stadia, vt notat Arrianus, & subinde Indos clamore terrere, quasi flumen tranaturus esset: quamquam Rex vulgauerat, se hyemem ad traiectum expectaturum, si nunc transitu prohiberetur.

Per complures dies Ptolemæus id fecit; eoque consilio Porum, agmenque suum, ei parti quam se petere simulabat, coëgit aduertere, adeoque progressus est, vt iam extra conspectum hostis esset insula. Et vt Regem nihil de transitu agitare persuaderet, in propatulo tabernaculum suum statui iussit, circumstante cohorte regia, Attalo quoque regem omni ornatu simulante.

XVIII. *Tempestas turbat consilia.*

CVM QVA iam maturus videretur transitus, cum vehemens tempestas primò morata est, deinde etiam adiuuit. Procella imbrem, vix sub tectis tolerabilem effudit,

obiu-

obrutique milites nimbo, nauigijs, ratibusque desertis in terram refugerunt; hoste propter ingentem tonitruorum, imbrium, ventorumque sonitum nihil sentiente. Deinde represso imbre, adeò spissæ intendere se nubes, vt vix colloquentium inter se facies noscitarentur. Ea occasione arrepta dato signo, vt omnes silentio in rates ascenderent, eam, qua ipse vehebatur, primam iussit expelli.

Vacua erat ab hostibus ripa, quæ petebatur, quippe adhuc Porus Ptolemæum tantum intuebatur: non deerant tamen speculatores à Poro dispositi, à quibus non prius conspectus est Alexander, quam præterita insula, nõ procul ab ripa abesset. Vna ergo naui, quam petræ fluctus illisetat, hærente, cæteræ euadunt. Primus Alexander in terram desiliuit. Et dum speculatores quanta maxima celeritate possent ad Porum contendunt, eique rem totam trepidi nunciant, Alexander celeriter suos, vt quique transibant, in ordines dirigebat ad pugnam.

XIX. *Vtriusque regis subcursum deceptio.* Sed vtrique contigit quod vtrũque turbaret. Nam Alexander se in continentem penetrasse ratus, inuenit se ad alteram transisse insulam, quæ aqua nocturno imbre aucta ram profunda à terra diuidebatur, vt pedites vix pectore extarent, equi ad ceruicem vsque in aquis essent. Porus aũt humani ingenij vitio, spei suæ indulgens Abiasarem belli socium, vti conuenerat, aduentare credebat. Mox liquidiore luce aperiente hostem, centum quadrigas, & quatuor millia equitum venienti agmini, duce Hage fratre suo, hostibus obiecit. Arrianus hunc Pori filium fuisse tradit & cum 120. curribus, & duobus equitum millibus venisse, ad arcendum ab ingressu Alexandrum, sed priusquam ad eũ peruenisset, vltimum vadum ex insula transisse.

XX. *Pugna vtriusque exercitus.* Dvm cæteri transeunt Alexander cum robore equitatus sui antecedit, sagittarijs & peditibus celeriter sequi iussis. Diu anceps certamen fuit, & victoria fluctuans modo in Macedonas, modo in Porũ inclinabat, Elephantis præsertim primo in hostes, deinde in suos, vulneribus Macedonum efferatis. Denique fatigati plagis pecorum modo, magis pauidi quam infesti, vltra aciem exigebantur. Cum Porus destitutus à pluribus, tela multo ante præparata, in circunfusos ex Elephãte suo cœpit ingerere, multisq; eminus vulneratis, expositus ipse ad ictus, vndiq; petebatur.

Tum multis vulneribus in Elephanto affectus. Nouem iam vulnera hinc tergo, illinc pectore exceperat, multoque sanguine profuso, languidis manibus magis elapsa, quam excussa tela mittebat, cum rector belluæ Regem conspexit fluentibus membris, omissisque armis vix compotem mentis.

XXI. *Fugit eum insequitur Alexander.* Ergo belluam in fugam concitat sequente Alexãdro. Sed equus eius Bucephalus multis vulneribus confossus, deficiensque procubuit, posito magis Rege quam effuso. Itaque dum equum mutat, tardius insecutus est Porum. Interim Taxilis Regis frater præmissus ab Alexandro, monere cœpit Porum ne vltima experiri perseueraret, dederetque se victori. At ille quamquam deficientibus viribus. *Agnosco*, inquit, *Taxilem fratrem Imperij sui proditorem*, simulq; telum in eum contorsit, quod per medium pectus penetrauit ad tergum. Iamque aderat Alexander, cum Elephãtus quoque deficiebat; & Porus grauatus telis lababat ex bellua; cum Indos qui Elephantum regabat, descẽdere eum velle ratus, more solito, Elephantum procumbere iussit in genua: qui vt se submisit, cæteri quoque (ita enim instituti erant) demisere corpora in terram, quæ res & Porum, & cæteros victoribus tradidit.

In eiusque deuenit manus.

XXII. *Fit amicus Alexandro.* Rex in semine cem sapienterque monentem miseratione commotus, & magnitudinem animi eius interritam, ac ne calamitate quidem fractam cernens, honore, beneuolentiaque prosecutus est. Ægrum curauit, haud secus, quã si pro ipso pugnasset. Confirmatum, contra spem omniũ, in amicorum numerum recepit: quam ille amicitiam constanter retinuit ac coluit, mox etiam ampliore regno donauit. Hæc fere Q. Curtius.

Vrbes deditione captæ. Arrianus autem ait Alex. vrbes septem & triginta deditione accepisse; quarum multæ decem millia incolarum habebant, minima non minus quinque millibus; præter pagorum magnum numerum, cuius totius regionis Imperium Poro dedit. Taxilem etiam Poro conciliatum in suũ regnum misit, iussum ad se cum lectissimis copijs, & Elephantis, quos posset colligere, postmodum reuerti.

XXIII. *Gratulatio & præmia ipse militibus.* Alexander tam memorabili victoria lætus, qua sibi Orientis fines apertos esse censebat, Soli victimis Persico more cæsis, milites quoque, quo promptioribus animis reliqua belli munia obirent, pro concione laudatos, præmijsque donatos, docuit quidquid Indis virium fuisset illa dimicatione prostratum: reliqua prædam tantum opimã fore. Ex quo magna alacritas eorum animis indita, præsertim quod memores essent nunquam eius affirmationem fefellisse. Et quoniam multa materia naualis in proximis montibus erat, nauigia ædificari iubet, vt cum reliquã Asiam peragrasset, finem terrarũ mare inuiseret, duas quoq; *Vrbes ædificat Hydaspis ...* vrbes in vtraque fluminis Hydaspis parte condidit. Deinde Poro amneque superato, ad vlteriora Indiæ processit, & per deserta ad flumen Hydraoton peruenit, Q. Curtio: cui iunctum erat nemus opacum arboribus alibi inusitatis, & agrestium pauonum multitudine frequens.

XXIV. *Ad Acesinem fluuium venit. Quem ægre transit. Alium Porum regem persequitur.* Verum Arrianus, qui hæc paulò accuratius perscripsit, prius ad Acesinem fluuium venisse dicit, quem in mare decursurum Ganges intercipit, vt ait Curt. l. 8. Idem, vt scribit Ptolemæus Lagi apud Arrianum, quindecim stadijs latus, magnis, asperisque cautibus transitu difficilis est, quem partim nauigijs, partim vtribus transmisit, non pauci tamẽ qui nauibus trajciebant, illisi cautibus periere. Transmisso flumine Cœnum cum suis copijs ad ripam relinquit, qui reliqui exercitus transitum curaret, & imperati in subiecta India commeatus deuectionem. Ipse cum expeditissimo milite Porum alium à priore amico, Diodorus Siculus eum Pori, qui victus est ab Alexandro, ex fratre nepotẽ fuisse scribit, *a* persequi statuit, qui se per legatos Alexandro dedebat, cum is ad Hydaspem cum Poro sibi inimico pugnaret. *a l. 16. hil* Vbi autem illi amicus factus est, regnumque eius amplificatum, vtriusque metu è regno suo aufugerat cum ijs quibus fugam persuadere potuit. In eum ergo iter direxit Alexander ad Hydraotem vsque fluuium: & & cum fugitiui Pori regnum alteri Poro dedit, (fugisse autem trans Gangem ad Gangaridarum regionem idem Diodorus tradit,) cum omnem illam regionem ei gubernandam tradidit.

XXV. *Transit Hydraotem Alexander. In Cathæos contendit.* Ipse Hydraotem fluuium, latitudine Acesine nihilo minorem; minus tamen rapidum, minore negotio traiecit, inde plerosque deditione recepit, alios vi subegit.

Hic Cathæos, strenuos in primis, ac bellicosos populos, intelligit arma in ipsum parare. Cũque illis nõnullos alios populos, contra quos Abiassares dudũ, & Porus iterũ bellũ gessissent. Vrbẽ verò, ad quam confligere statuissent, Sãgala dictam, in primis munitam esse. In Cathæos ergo cõtendit Alexander, & ex itinere vrbe Pimprama deditione accepta, venit ad Sangala, vbi Cathæi cum socijs ante vrbem, in colle non admodum arduo, castra locarant, quæ triplici curruum ordine in orbem munierant. Ipse vicissim suos in aciem digerit, atque ad pugnam parat, & assumpto equitatu, quem ad dexteram statuerat, primus in currus Indorum ad læuam sitos duxit. Cumque Indi aduersus equitatum extra currus non procurrerent, sed conscensis curribus tela ex editiore loco torquerent, desiliẽs ex equo, pedes ipse peditum phalangem in eos duxit, quæ Indos primum à prima curruum serie, inde etiam à secunda depulit. *Et eum in pugnat.*

XXVI. *Sangala ... vrbem obsidet.* Cvmqve diutius impetum ferre non possent, rapida se fuga in vrbem receperunt, quam eadem ipsa die obsidere cœpit Alexander: sed ratus vt euenit, ciues metu cladis acceptæ perculsos, nocte vrbẽ deserturos, equites suos ad stagnum vrbi vicinum, qua maxime fugam inituros videbat, collocauit. Cum ergo hostis sub alteram noctis vigiliam elaberetur, in equites incidit, qui primos cum occidissent, reliquos in vrbem repulerunt. Altera etiam fuga rursum tentata est, sed cum de ea per transfugas edoctus esset Alexander, infelicius etiam oppidanis cessit; quingentis in ea desideratis. *Fugientes capti & cæsi.*

Interea Porus aduenit reliquos elephantos adducens, & Indorum quinque millia, quibus auctus copijs lætitio *Vrbem cum muro cadit.*

ALEX. 5. muro suffosso, scalisque omni ex parte admotis, vrbem vi cepit, in cuius oppugnatione ad septemdecim Indorum millia trucidata sunt; capti supra 7. millia, curius trecenti, equites quingenti. De Alexandri exercitu 100. in tota obsidione desiderati, vulnerati mille circiter & quingenti.

XXVII. Cateri vrbes deditae. Sangalorum... Ea clades vicinas vrbes terruit, quarum ciues non expectato Alexandro, qui per nuncios deditionem exposcebat, aufugerunt, quos cum frustra esset persecutus, Sangalas reuersus, vrbem solo æquauit, regionem autem ipsam Indis, qui antea libere legibus suis viuebant, & deditionē fecerant, attribuit. Ac porum quidem cum copijs suis ad vrbes, quæ deditionem fecerāt, mittit, præsidia ijs imposituros, ipse cum exercitu ad Hypasin amnem processit: qui terminus Alexandri expeditionis fuit.

L5. Regnum Sophitis & eius mores. Sed antequam huc perueniretur, præcedenti ex Arriano narrationi addit Q. Curtius l. 9. Alexandrum in Regnū Sophitis adijsse gentem, vt apud barbaros, sapientia excellentem, vnde eis nomen à Græcis datum videri potest, ejus tamen mores non solum barbari, sed etiam feri; cum genitos liberos, vt refert etiam Diodorus, non parentum arbitrio tollant, alantque, sed eorum, quibus spectandi infantum habitum cura mandata est. qui quos segnes, aut aliqua membrorum parte inutiles notauerunt, necari iubent. Apud eosdem, authore Strabone, 4. viuæ vxores cū defunctis maritis in rogum impositæ comburuntur.

Diodorus lib. 17. de his rebus tradit. XXVIII. Rex se suaq. Alexandro dedit. CLAVSVM erat huius gentis oppidum, ad quod Alexander admouerat copias, nec vlli se in muris, & turribus propugnatores ostendebant, & Macedones vel fugam, vel fraudem suspicabantur, cum subito patefacta porta Rex Indus cum duobus adultis filijs occurrit, barbarico ornatus luxu, formæ elegantia, & corporis procera maiestate conspicuus, vt qui 4. cubitos excedebat, Diodoro teste. Baculum aureum gestabat manu, quem Berylli distinguebant. Quo tradito, precatus vt sospes acciperet, se liberosque, & gentem suam dedidit. Idemque Phagelas gentis proximæ rex præstitit. Quibus in suo regno relictis, ad fluuium Hypasin processit.

XXIX. Terminus progressionis Alexandri. QVEM tametsi die tertio superare decreuerat, vt ait Curtius, cum tamen hic finis procurrendi in vlteriorem Indiam factus sit, & rerum huius anni multitudo, satis super que huius anni decursum expleat, diuque super discessu disputatum videatur, & termini positi, ad posteritatis memoriam sempiternam, non modicum tempus exigant vt sequentia declarabunt, hoc etiam loco, vicinisue oppidis, rigidiorem hyemis partem translactam reor, & in otio datam exercitui querelarum occasionem. Accedat Diodorus, qui ait hoc loco ad 70. dies horridos ex cœlo imbres, tonitruis & fulminibus cōtinenter admixtos, præcipitasse. Ergo quæ consequuntur in proximum annum differemus, hic illud addamus. Anniclo prætore Demosthenē orationem habuisse de causa donorum, vt testatur Halycarn. Dionys. ad Ammæum in fi. idque, vt ait, sub obitum Alexandri, qui mox post sequētem annum desunctus est, vt suo loco dicetur. Agebat autem hoc tempore Demostenes ætatis annum 56. vt ex eius morte patebit, & in ortu declaratum est. Ex quo dubitari merito potest, quid sibi velit Plutar. in opusc. in quo scribit vitam Demost. & aliorum oratorum, cum ait eum attigisse annum ætatis quinquagesimum: orationes dijudicantem, an deinceps lucernæ diligentiam non adhiberet? Nunc Italiam reuisamus.

XXX. Erratum de tempore Alexandriæ. CVM M. Claudius Marcellus, gentis potius quam cœli vitio, Dictaturam exercere prohiberetur, Interreges comitiorum causa creati sunt, dilatisque alia atque alia de causa comitijs, quartus decimus demum interrex, L. Æmilius Consules creat C. Petilium, & L. Papyrium Mugilanum, siue Cursorem, vt in alijs Annalibus se inuenisse fatetur Liuius, quo eodem hoc anno proditum est conditam in Ægypto Alexandriam, eumque secutus est Solinus c. 45. tamen ad hos Coss. centesimam & duodecimam Olympiadem multiplicatur errore accommodat, cum huius anni Coss. in tertium annum 113 Olymp. incidant. Verum Alexandriam sex ante annos ædificari contigisse, dum in Ægypto esset Alexander satis constat ex ijs, quæ eo loco diximus.

ALIQVOT STRATAGEMATA. XXXI. Apparatus & contra Samnites. NOVI Coss. cum iussu populi misissent, qui indicerent Samnitibus bellum, idque ipsi magno conatu appararent, noua nec opinantibus auxilia Lucanorum & Appulorum accesserunt, arma virosque ad bellum pollicentium, tametsi ad eam diem nihil eis cum populo Rom. negotij fuerat. Fœdere ergo in amicitiam accepti sunt. Eodem tempore etiam in Samnio res prospere à Romanis gesta, tribus oppidis occupatis, alioque agro late peruastato. Bello quoque Græco iam finis aderat. Nam cum in vrbe male & contumeliose à præsidiarijs Samnitium & Nolanorum tractarentur, leuissimum malorum deditio ad Romanos visa est, idque perfectum Samnitibus & Nolanis ingeniose vrbe pulsis.

XXXII. Samnites & Nolani dolo Palæpoli expulsi. CARILAVS enim & Nymphius principes ciuitatis, communicato inter se consilio, partes ad rem agendam diuisere, vt alter ad Romanorum imperatorem transfugerat, alter ad præsidio vacuandam vrbem subsisteret. Carilaus ad Philonem venit, eique ciuitatem Palæpolim dedit. Is ab Imperatore collaudatus, tria millia militum accepit ad eam vrbis partem occupandam, quam Samnites insidebat. Sed eos interea Nymphius hac arte vrbe nocte exegerat. Persuasit enim Prætori Samnitium, vt quoniam omnis Romanus exercitus aut circa Palæpolim, aut in Samnio esset, conscensis nauibus Romam peteret, & propinqua vrbi loca propugnatoribus vacua popularetur. Ergo dum Samnites egrediuntur in littus, alia ex parte Carilaus Romanos in vrbem admittit, qua potiti dissimulantibus Græcis, Nolani per auersam vrbis partem Nolam versus effugiunt, frementibus Samnitibus, qui se turpiter & vrbe & rebus suis spoliatos agnouere. Publio triumphus decretus, quod satis credebatur hostes obsidione domitos in fidem venisse, sicque duo singularia huic viro primum contigere, prorogatio imperij, & transacto Consulatu triumphus.

Imperij prorogatio. Publio Philoni triumphus. SED ecce multiplex Romanorum gaudium, ira ac fraude Tarentinorum non leui damno ac tristitia temperatum. Cum enim Tarentini accepissent Palæpolim in fide ac potestate Romanorum esse, Lucanos insuper & Appulos eodem fœdere contineri, eoque ventum esse vt Romani aut hostes, aut domini habendi sint, discrimenque rerum in Samnitium bello verti, quorum etiam vires Lucanorum defectione non parum diminutæ essent, consilium de dirimenda Lucanorum cum Romanis societate ineunt. Lucani quidam pretio asciti iuuenes, se flagris fœdum in modum lacerant, tum nudatis corporibus, se in ciuium cœtum inferunt, vociferantes se, quod castra Romana ingredi ausi essent, iussu Consulis virgis cæsos, ac prope securi percussos esse: Credidit populus, quoniam res ignominiæ magis, quam doli speciem præ se ferebat; & subito bellum contra Romanos postulatum, societas cum Samnitibus renouata, eis obsides dati, & præsidia in munitis locis accepta. Et fraus quidem mox diluxit, postquam calumniæ architecti Tarentum commigrauere; sed amissa omni de se potestate, sola pœnitentia relicta est. Ita Liuius pluribus. Addit etiam.

XXXIII. Fraus Tarentinorum in Romanos. Lucani fraude cæsos Romanis obsidibus (?).

XXXIV. Obæratorum... Hoc eodem anno L. Papirij fœneratoris libidine & crudelitate factum esse, vt ob æs alienum corpus creditoris nexui minime dedi deinceps liceret, & vt pecuniæ debitæ bona debitoris, non corpus esset obnoxium. Quod Papyrius ille C. Publium adolescentem, qui ob æs alienum paternum nexus fuerat, (posteritas nequissimi hominis preces ?) atroci verberatione ad flagitium sollicitasset.

Denique materia Samnitici belli maior Romanis hoc anno parari cœpit, Vestino populo sese Samnitibus adiungente.

ANNUS MUNDI 3729. SEXTÆ ÆTATIS 213. Imp. Alex. 6. Regni 12. Iaddi Pont. 40. Olympiadis CXIII. An. 4. Archonte Athenis Socicle. V.C. 428. Cons. L. Furio Camillo II. & Iunio Bruto Scæua.

ANNUS ANTE CHRISTUM 324.

I. *Deliberatio de ulteriore profectione.* HABET hic annus Alexandri ex ultima prope India regressionem, quando Macedones, longinqua peregrinatione corporibus animisque fatigatis, Alexandrum iter ab Hypasi flumine reflectere domum versus perpulere. Nam ut pluribus docent l. 9. Curtius, Arrianus 5. Diodor. 17. statuebat Rex Hypasin amnem 7. stadijs latum, & saxis impeditum die tertio superare: cum Phegelam, siue Phegeum percontatus, quæ noscenda erant, undecim vel 12. dierum ultra flumen per vastas solitudines iter esse cognoscit. Excipere deinde Gangem maximum totius Indiæ fluminum ulteriores ripas colere gentes Gangaridas & Pharrasios (Tabræsios, & Gangaridas vocat Diodorus) *Qua absterrerent.* eorum regem esse Aggrammem (Diod. Xandramen) viginti millibus equitum, ducentisque deditum obsidentē vias. Ad hæc quadrigarum duo millia trahere, & præcipuū terrorem Elephantos, quos trium millium numerum explere dicebat (Diod. etiam auget incredibilem numerum, & 4. millia ponit.) Eadem porus, qui tum aderat, confirmabat. Addebat nihilominus infimæ sortis hominem qui ad imperium malis artibus, per Regis, & legitimorum hæredum cædem peruenisset.

II. *Alexandri constantia. Macedonum languor.* NON frangebatur his Alexander, siue quia hæc vana magna ex parte credebat; siue quia totius orbis imperium mente complexus, adhuc in primordio suorum operum stare se arbitrabatur. Sed Macedones animis fatiscebant, cum Regem laborem ex laboribus suscipientem, & pericula ex periculis adeuntem videbant. Conuentus etiam in castris agebant, alijs fortunam suam deplorantibus, alijs se ducentem Regem minime secuturos affirmantibus.

Eius monita ad duces. Quibus cognitis, priusquam longius malum serperet, & totius exercitus defectio sequeretur, conuocatis ordinum ducibus, docere cœpit quot quamque gloriosa opera adhuc cum ipsis præstitisset, quot prouincias, regionesque Macedonum imperio adiunxisset; cæteros qui supersint, minus formidolosos esse debere; cum præsertim experientia crebro docuisset, multa ad terrorem veris affingi. Inde eos contra beluarum atque hostium multitudinē ac feritatem roborat. Monet etiam grauissimi periculi, ne recedentibus ipsis, nondum satis stabilita victoria, qui debellandi supersunt reliquos ad defectionē adducant, sicq; tot labores ipsis perierint. Eos etiam labores periculaque suo exemplo, qui primus ea suscipiat, molliora conatur efficere.

III. *Et violenta preces.* DENIQUE vehementissimas adhibet preces, ne humanarum rerum terminos adeuntem, regem imo alumnum, commilitonemque suum deserant. *Cætera*, inquit, *imperaui vobis, hoc vnū debiturus sum. Et id vos rogo, qui nihil vnquam vobis præcepi, quin primus periculis me obtulerim; qui sæpe aciem clypeo meo texi: ne infregeritis manibus meis palmam, qua Herculem, Liberumque patrem, si inuidia abfuerit, æquabo. Date hoc precibus meis, & tandem obstinatum silentium rumpite. Vbi est clamor ille alacritatis vestræ index? Vbi ille meorum Macedonum vultus? Non agnosco vos milites, nec agnosci videor à vobis. Surdas iamdudum aures pulso, auersos animos, & infractos excitare conor.* Sed illi nihilominus, demissis in terram capitibus, tacere perseuerabant.

IV. QUIN ne tunc quidem vox illi militum exprimi potuit, cum illa tragica loqueretur. Vbi sunt illi, quorum certamē paulò ante vidi contendentium, qui potissime vulnerati regis corpus exciperent, desertus, destitutus sum, hostibus deditus: *Sed solus quoque ire perseuerabo. Obijcite me fluminibus & belluis, & illis gentibus, quarum nomina horretis, inueniam qui desertum à vobis sequantur. Mori præstat, quàm precario Imperatorem esse. Ite reduces domum, ite deserto rege ouantes; ego hic à vobis desperatæ victoriæ*, aut honestæ morti locum inueniam. Hæc verba gemitus, inde etiam lacrymæ totius exercitus, ipsiusque Regis exceperunt.

V. *Coeni oratio pro militibus.* CUM Cœnus propius ad tribunal accedens detracta capiti galea annuentibus cæteris loqui cœpit, cuius summa orationis fuit, Militem continuo labore militiæ, vulneribusque fatigatū, non detrectare eius munia, sed sustinere non posse; nec pares vires animosque eius magnitudine animi afferre maximam iam partem laboribus, morbis, vulneribus, fluctibus nimis haustos esse, atque consumptos; quo plura iam gesta sint, eo maturius finem laboribus ac periculis imponendum, ne quis infaustus exitus corrumpat omnia. Quod si omnino certum est adhuc in Indiam penetrare, suadet in meridiem flectere iter minus vastam regionem, indeque in oceanum Indicum decurrere, & tot tantasque domum referre victorias. Deinde etiam si lubebit nouam suscipere expeditionem, quocunque gentium libuerit.

VI. *Eorum ad Alexandrū confusa preces. Et illius ira.* VT finem orationi Cœnus imposuit, clamor vndique cum ploratu oritur, Regem patrem Dominum confusis appellantium vocibus, nec gregarij solum milites, sed duces ipsi præcipueque seniores, quibus ob ætatem, & excusatio honestior erat & autoritas maior eadem precabantur. Alexander ea indigne ferens, exiliens è tribunali concionem dimisit; qua postridie rursum iracunde conuocata, se quidem vlterius perrecturum dixit, neminem vero Macedonum ad sequendum coacturum, neque enim defuturos, qui regem suum sua sponte sequerentur, ijs autem qui abire statuissent, per se liberum esse, amicis porro nunciarent, Rege suo in medijs hostibus destituto, domum reuerti. Cumque hæc fellea verba dixisset, in tabernaculum se recepit, neque quemquam amicorum ad tertium ab eo diem in colloquium admisit, expectans si qua forte animorum mutatio in exercitu fieret.

VII. *Statuit demum quæ reuerti.* VERUM cum is in proposito nihilominus persisteret. Ipse quoque, vt autor est Ptolemæus apud Arrianum pro transitu sacrum fecit. Quumque exta in faustos euentus portenderent, conuocatis amicis iussit exercitui renunciari, quoniam omnia illum ab vlteriore profectione reuocarent, statutum sibi esse domum reuerti. Ea vox magna lætitiæ significatione excepta est omnibus Alexandro fausta precantibus, qui à cæteris omnibus inuictus, à suis se vinci passus esset.

Monimenta expeditionis. Ergo monumentum expeditionis suæ, & profectionis terminos statuere decreuit, ad posteritatis memoriā sempiternam. Duodecim aras ex quadrato lapide extrui iubet, altitudine quinquaginta cubitorum, vt ait Diodorus. Arrianus autem maximis turribus bellicis pares, latitudine, quam quæ turrium est, maiore, in quibus sacrificia patrio more peragens gratias dijs agebat, quod ipsum eo vsque victorem perduxissent, & laborum suorum monumenta consecrabat: ludos etiam gymnicos & equestres celebrauit. Ita Arrianus, quibus addit Curtius. Cubilia quoque amplioris formæ quam pro corporum habitu iussisse relinqui, quinum scilicet cubitorū Diodorus, qui castrorū locum triplo etiam maiorem, quam reuera fuissent, altaque fossa designari voluit, equorum quoque præsepia duplo vsitatis ampliora, denique speciem omnium augere statuit, vt posteritati fallax miraculum præpararet.

VIII. *Retrocedit versus occasum.* His peractis toti regioni ad Hypasim amnem Porum præfecit. Ipse ad Hydraotē fluuium redit, quo traiecto ad Acesinem retrocedit, atque ibi vrbem exædificatā reperit, ad quam condendam Hephestionem reliquerat. Ibi fortè Cœnus morbo extinctus est, cuius morte ingemuit Rex quidem, adiecit tamen propter paucos dies longam orationem eum exorsum, tāquam solus Macedoniam visurus esset. In eam autem vrbem inductis colonis ex finitimis, quicunque in eam commigrare vellent, & mercenarijs ad militiam ineptis. Ipse quæ ad nauigationem Oceanum versus necessaria erant parare cœpit. Et Abisarem tum ægrum prouinciæ istius satrapam constituit, & tributis quæ penderet imperatis, ad fluuium Acesinem sacrificiū rursus fecit, eoque transmisso ad Hydaspem venit, per quem paratam classem in Oceanum nauigare iussit.

IX. *Res Indicas primis constituit.*

Convocatisque amicis, omnibusque Indorum legatis ad se profectis, vniuersae Indicae regionis ab se victae Porum Regem constituit, gentium quidem omnino septem, vrbium autem, quas gentes illae incolerent, supra duo millia. Erant in Alexandri classe vt Ptolemaeus Lagi scribit, quem potissimum sequitur Arrianus, naues triginta remorum octoginta. *Eius classis.* Et in vniuersum omnes naues circiter bis mille, (Curtius & Diodorus mille tantum numerant,) quas certis spatijs disiunctas nauigare iubet, ne cum aliae alijs velociores essent, temere progressae colliderentur. Ergo secundo Hydaspis flumine defertur, & ex itinere nonnullos Indos partim vi subegit, partim deditione accepit: accelerabat autem iter, vt Mallos & Oxidracas ante quam conuenirent, occuparet. *Mare adit secundo Hydaspe.* Eos enim bellicosissimos esse didicerat; & alioqui inter se hostes, nunc in communi periculo contra Alexandrum armis, animisque coniungi velle.

X. *Harpali de eis improbitas.*

Ante quam autem progrediamur vlterius, de rebus Harpali aliquid dicendum est, etsi Diodorus eas ad annũ Chremetis refert: sed cum eius fugam post reditum, aut sub reditum Alexandri referat, necesse est eam in hoc tẽpus differre, quo reditus ille percrebrescebat. Dum Alexãder ex Indis reuertitur, multae ad eum querelae populorum de Satrapis eius deferuntur, in quos dum seuere animaduertit Harpalus, cuius fidei thesauros Babylonis, & regiae vectigalia commiserat, cum existimaret eum nunquam ex illa expeditione redituruũ, omnibus se ventris & gulae illecebris dediderat, eamque in rem ingentes pecunias profuderat, adeò vt meretriculae quam ex Attica euocarat, & regijs muneribus viuam affecerat, mortuam triginta talentis sepeliri iusserit. Cum ergo sibi male conscius aduentum Alexandri formidaret, nec eum erga se benigniorem, quam in reliquos praefectos fore persuasum haberet; solum vertere, atque in Graeciam proficisci statuit, ac populum Atheniensem in primis demereri.

XI. *Fugit in Graeciam cũ magna pecunia.*

Quinque igitur millibus talentûm congregatis, & sex millibus militum mercede conductis, ex Asia in Atticam traijcit, & se cum nauibus & pecunijs, Atheniensis populi fidei committit. Plerique oratores auro adijcientes oculos, ei praesto fuere, & populo autores facti sunt supplicem vt reciperent, ac tutarentur.

Demosthenes ait suasit primum Harpalum vt abigerent, ne eo praetextu ciuitatem bello neque iusto, neque necessario implicarent. Verum paucis post diebus cum recenseretur Harpali pecunia, Demosthenes calicem aureum eximij operis, atque ponderis conspicatus, eius desiderium prae se tulit, quem nocte sequenti cum viginti talentis ad eum Harpalus misit, eoque Demosthenem ad suas partes pertraxit. Postridie collo lana & fascijs diligenter obligato, in concionem progressus, cum vocaretur ad dicendum, nutu ostendit vocem angina sibi esse praeclusam; vbi quidam facetè cauillantes dixerunt, eum non angina, sed argentangina nocte fuisse correptum.

XII. *Demosthenis, & Oratorum auaritia.*

Id vbi populus sensit, purgare se parantem repulit, & Harpalum vrbe extemplo interdixerunt. Ac veriti ne rationem reddere cogerentur pecuniae ab Oratoribus acceptae, quaestione habita domos eorum perscrutati sunt. Hic Demosthenes re dissimulata plebiscitum scripsit, vt Areopagus hac de re quaereret, & quos curia iudicaret huius culpae affines, vt punirẽtur. In eo iudicio damnatus est Demosthenes, & lite quinquaginta talentis aestimata, in vincula coniectus. Verum cum ob pudorem criminis, & valetudinis infirmitatem impar esset ferendo carceri, alijs fauentibus, alijs dissimulantibus, fuga sibi consuluit: cumque latebras non procul ab vrbe reperisset, quidam ex eius aduersarijs commiseratione moti, eum adierunt ac viatico instruxerunt, monitum ne casum acerbe ferret. Tum vehementius ingemiscens. Qui valeam, inquit Demosthenes, non grauiter ferre, qui eam vrbem relinquo, vbi tales habeo inimicos, quales alibi amicos cupiam inuenire? ferturetiam vrbe excedens, porrectis ad arcem manibus dixisse: O domina Minerua quid tribus teterrimis bestijs delectaris, Noctua, Dracone, & populo.

XIII. *Harpali fuga iterata & mors.*

Redeamus ad Harpalum. Scribit Diodorus eum Antipatri & Olympiadis literis efflagitatum fuisse, sed pecunia Oratoribus distributa euasisse, & ad milites suos, quos in Taenaro Laconiae promontorio reliquerat, nauigasse. Illinc profectum in Cretã à Thimbrone vno ex amicis, dolo interfectum fuisse. Et Alexander quidem vbi fugam Harpali didicit, & appulsum eius in Sunium promontorium Atticae cum triginta nauibus, Harpalo atque Atheniensibus aeque infensus, classem parari iussit, Athenas protinus petiturus. Sed mox ei redditis literis de pulso Athenis Harpalo, & à suis trucidato, in Europam traijciendi consilium omisit, vt ait Q. Curtius. Sed haec aliquanto post cõtigere, quae distrahenda non fuerunt. Nunc reuisamus Alexandrum.

XIV. *Naufragij cum periculo.*

Qvinto die in eum peruenit locum, in quo Acesines in Hydaspem influit, vbi graue adijt periculum naufragij, in vndarum concurrentium aestuoso tumultu, multae certe naues quassatae, duae inter se collisae, cum multis qui in eis vehebantur, in omnium oculis periere, vt Arrianus, Curtiusque testantur. Hic etiam addit Regem in rapidissimos vortices incidisse, iamque vestem corpori detraxisse, semet in fluuium proiecturum, in quem iam amici eum excepturi desilierant; idemque Diodorus affirmat. At postquã fluminis alueus in arctum coactus sese aperire coepit, mitiore iam cursu in sinum quendam vicinum subductas naues repararunt. Ibique exercitu diuiso quosdam praecedente Ephestione duce, quosdam triduo post cum Ptolomaeo Lagi subsequi iussit, vt quicunque eum effugeret, in alterutrum exercitum siue praecurrentem, siue subsequentem incurreret.

XV. *Grauissimũ vitae discrimen adit in vrbe Mallorum,*

Ipse autem terrestri itinere per siticulosam regionem, cum tertia copiarum parte, celeriter contendit in Mallos, quibus ex improuiso superueniens, plerosque varijs praelijs fudit, ceciditque; vrbes vi captas succendit. Tandem ad vrbem vnam Mallorum, aut, vt placet Curtio, Oxydracarum venit, in qua omnium grauissimum vitae discrimen adijt, nequidquam à Demophoonte vate praenunciatum. Rem ex Arriano maxime referemus. Vrbs erat munita, cuius ne nomen quidem proditum est, in qua se ingens hostium multitudo ex fuga receperat. Eam Alexander obsidione cingit, & diuiso in duas partes exercitu, ipse alteram eorum duces, Perdiccas alteram, impetum in murum fecit, quem cum Indi sustinere non possent, desertis moenibus in arcem se recipiunt. Alexander cum suis primus perfracta quadam porta in vrbem irrupit, dum caeteri lentius muros transcendunt. Inde ventum ad arcem, quam propugnatorum corona cingebat. Macedones alij murum suffodientes, alij scalas admouentes irrumpere conabantur.

XVI. *Solus ibi contra populum pugnat.*

Cvm Alexander vni millitum ereptas scalas applicat muro, & clypeo tectus inuadit in murum, quem ijsdem scalis Peucestas, Abreas & Leonnatus cõsequuntur. Alexander qui in summum muri fastigium primus euaserat, alijs intorsum depulsis, alijs interfectis murum propugnatoribus nudauerat, sed telis eminus vndique petebatur. Amicorum fidelissimi Argyraspides de rege solliciti, dum celerius ei succurrere studẽt, fractis nimio pondere scalis in terram corruerunt, alijsque simul conscendendi facultatem sustulerunt. Interea rex, quem & armorum splendor, & audacia notum faciebat, sentiens se ibi incolumen perdurare non posse, & regredi gloriae suae indecorum ratus, audax facinus, planeque temerarium est aggressus; saltu è moenibus in arcem desilit, atque ad eius murum obfirmatus, nonnullos cominus eum lacessentes, atque ipsum Indorum ducem audacius irruentem gladio interficit, sic vt deinceps nemo propius auderet accedere, sed eminus omnes omnis generis tela iacularentur.

XVII. *Dorsum muro protegitur, & grauiter vulneratur.*

Cvrtivs regem, dum solus pugnam init, arboris vetustae praesidio tectum fuisse scribit, quae & corpore suo auersa in regem missa tela reciperet, & ramis superne deiecta. Interea qui murum cum Alexandro antequam scalae frangerentur conscenderant, ad regẽ & ipsi se saltu praecipitant, acriterque pro rege pugnant, ac varijs vulnerib⁹ afficiuntur. Alexander etiam ipse, qui iam ingentem vim telorum

lorum exceperat clypeo, cuius galeam saxa perfregerant, qui continenti labore in genua succiderat, thorace sagitta disrupto, graue in pectore vulnus accepit, quod eiusmodi fuit, vt autor est Ptolomæus apud Arrianum, vt vna cum sanguine, spiritum etiam ex vulnere sufflaret. Multo ergo sanguine, & spiritu iugiter erumpente, caligine oculorum, animique defectione correptus, pronus in scutum collapsus est. Cum superuenere Macedones, & patefacta quam quisque potuit via, lymphatis pares, obuios quosque obtruncant, nullo vel sexus, vel ætatis discrimine: quisquis occurrerat, ab illo vulneratum esse regem credebant; ad quem vbi penetrarunt, ipsum pessimè affectum, scuto efferunt, viueret necne incerti.

XVIII. Fortiter cum hostibus accipit.

REGE in tabernaculum relato, animaduertunt medici spiculum infixum pectori hamatum esse, nec aliter extrahi posse, quam vt secando vulnus augerent. Medicus Critobolus, quem Arrianus Critodemum vocat, pallebat metu; quem Rex animat, & se ad necessariam carnificinam ligari vetans, immotum corpus vti spoponderat, pandenti pectus exhibuit. a Igitur patefacto latius vulnere, & spiculo euulso, ingens vis sanguinis manere cœpit, linquique animo Rex, & caligine oculis offusa, veluti moribundus extendi, cum clamor simul ac ploratus amicorum exoritur, Regem expirasse credentium, isque rumor repente in castra, atque etiam hostes peruolauit. Tandem consistente sanguine, paulatim animum recepit, & circunstantes cœpit agnoscere.

a Vide Plutarch l. 2. de fortuna. Alex. in 6.

XIX. De vna sua fidem facit.

TOTO eo die, ac nocte quæ secuta est, armatus exercitus regiam obsedit, nec prius recessit, quam compertum est, eum somno paulisper acquiescere. Cumque nihilominus vitam regis simulari, plerique in exercitu persuasum haberent, Alexander, ne qui motus in exercitu fierent, septimo die ad Hydraotis fluuij ripas se deferri iussit, secundo amne nauigaturus in castra. Quib[us] vbi appropinquare cœpit, tentorium è nauis suæ puppi auferri iussit, vt ab omnibus conspici posset. Ac ne tum quidē credidere, corpus Alexandri exanime deferri existimantes, donec naui ad ripam appulsa, dextram multitudini porrexit. Tum ingenti clamore sublato, alij in cœlum, alij in Alexandrum manus tendunt; multis præ gaudio lacrymantibus. Nauim egressus, lectica reiecta equum ascendit, & mox etiam pedes in tabernaculum suum transijt, cum incredibili omniū gratulatione, atque lætitia.

XX. Reprehenditur ab amicis.

NEARCHVS, qui classi eius præerat, author est, Alexandrum ab amicis de tam audaci facinore reprehensum esse, quod militis non ducis officio functus, totum exercitum in summum discrimen coniecisset. Eam admonitionem Curtius Cratero tribuit, eamque eleganter l. 9. perscripsit. Ea tamen oratione nonnihil offensus est Alexander, vt putat Arrianus, quod se merito inconsultæ temeritatis reprehensum sentiret. Cæterum quod Curtius hunc annum Regni Alexandri nonum, & ætatis 28. facere videtur, nulla ratione consistere potest. Est enim reuera duodecimus, & vitæ penultimus, idemque trigesimus secundus: cum primus in centesimæ sextæ Olympiadis initium inciderit. Verum id ab eo extenuando dictum apparet, sicut eodem loco ait, ex Europa in Asiæ terminos, momento vnius horæ transisse, sic enim legendum videtur: agit quippe de transitu Bosphori Thracij, per quem ex Europa in Asiam penetrauit.

XXI. Pax cum Mallis, & Oxydracis.

INTER hæc legati à Mallis, qui reliqui erant, Alexandro totius gentis deditionem fecerunt. Oxydracæ quoque perhonorifica legatione pro ineundo fœdere [missi], ei amplissima munera detulerunt. Inter quæ numerat Curtius leones raræ magnitudinis, & tigres, vtrunque animal ad mansuetudinem domitum; parati satrapam quem daret accipere, tributa quæ imperaret pendere, obsides quos peteret tradere. Alexander mille sibi ex primoribus gentis mitti iussit, quos vel pro obsidibus teneret, vel vt militibus, ad reliquos Indos debellandos, vteretur. At illi etiam quingentos currus addiderunt, quibus receptis, mille obsides remisit, & Satrapam vtrique genti Philippum constituit.

Leones & tigres mansueti.

XXII. Versus Oceanum tendens vrbes condidit.

HIS rebus gestis, nauibusque compluribus, dum valnus curatur constructis, militeque ijs imposito, secundo flumine Oceanum versus cursum dirigit, vsque ad eum locum, in quo Acesines in Indum euoluitur, ibi plerosque populos per legatos in amicitiam recipit; ibi vrbem condi, ibi naualia extrui iubet, ratus populosam, & claram loci opportunitate ciuitatem fore. Inde Cratero cum magna exercitus parte, & elephante ad sinistram Indi fluminis partem traducta, tum propter viæ commoditatem, tum quod finitimæ gentes, non omnino amicæ essent, ipse secundo amne in Sogdiorum regiam nauigauit, ibique aliam vrbem condidit, portus & naualia extruxit, aut extrui potius quam primum, nauesque quassatas reparari iussit. Cratero deinde rursus cum exercitu per fines Arachotorum, & Drangorum emisso, ipse secundo amne in Musiconi regnum venit, quod Malaca esse non potest, quæ longissimè ab Indo flumine orientem versus distat: vt in eam secundo flumine Alex. peruenire nequiuerit, quod tamen de Musicano regno affirmat Arrianus l. 6.

Musicanum regnum.

XXIII. Vbi ...

NECOPINATO aduentu Alexandri perculsus Musicanus, obuiam ei cum amplissimis muneribus procedit, seq; gentemque suam dedit, culpam agnoscēs, quod nec prius obuiam venisset, nec legatos amicitiæ conciliandæ causa præmisisset. Alexander veniam dedit, & vrbem regionemque admiratus, pristinum illi reliquit imperium. In vrbe tamen arcem extrui iubet, in eaque præsidium imponi, vt loco idoneo ad vicinas gentes in officio continendas; quæ ipso adhuc præsente confecta sunt. Sed is paulo post, dum aliquot alios regulos in ditionem suam redigit Alexander, ab eo, Brachmanorum, qui Indorum sapientes feruntur, suasu deficit. In quem subito misso exercitu regnum eius occupat, eumque à Pithone duce captum, & ad se adductum, in sua ipsius regione laqueo suspendi iubet, vnaque cum eo quotquot Brachmani ei fuerant defectionis autores.

Qui mox deficit.

Et vi ... suspenditur.

XXIV. A regulo Pattalorum ...

EODEM tempore ad eum venit Pattalorum regulus, qui eam regionem tenebat, quam Indus in formam quartæ literæ Græcorum suo circuitu configurat: hic autem se, suaque Alexandro dedidit, qui eum sua possidere iussit, & nihilominus necessaria exercitui præparare. Hic nonnulla parte copiarum cum Elephantis in Carmaniam Cratero duce transmissa, reliquo exercitui, præter eas copias, quæ secum in oram maritimam nauigabant, Hephæstionem præfecit. Et quoniam hic se Indus bifariam diuidit, statuit per eam partem mare petere quæ dextrorsum ferebatur: sed penuria incolarum, qui nauigationis duces essent, magnum discrimen adijt. Nam postridie quam soluerat orta tempestas, ventusque æstui contrarius naues inter se ita collisit, vt pleræque quassatæ, nonnullæ vero triginta remorum prorsus dissipatæ fuerint, ægreque ad ripam, priusquam à vorticibus absorberentur, appulsæ sint.

Δ

Diuidit copias.

Tempestate vexatur.

XXV. Ex Indo in Oceanum.

ERGO mox restauratis nauibus, & Indis aliquot nauigationis ducibus captis, ad eum locum perueniunt, vbi Indus ad ducenta stadia in latitudinem extenditur, vbi cum ventus a mari incubuisset, nec facilè remis tempestas retunderetur, in sinum quēdam ducum monitu subduxere naues, vbi cum in statione essent, recedens æstus naues in sicco hærentes reliquit, magna Græcorum ex rei nouitate admiratione; quas reuertens æstus fluuio reddidit & nauigationi, reliquas, quę in solo nō hæserant, illisione labefecit. Inde in Oceanū cum expeditionibus suorum ingressus explorat qua parte fluminis, facilior in mare classis suæ descensus foret. In Oceano quoque Neptuno sacrificat, felicis nauigationis impetrandæ causa, ipse Pattala reuersus, arcem ædificauit, naualia construxit, puteos effodit, vnde classi aqua sufficeret: frumentum in quatuor menses conuexit, aliaque ad nauigandum necessaria parauit, quoniā id tempus ad nauigandum ineptum erat, hyeme scilicet ingruente, vt ait Arrianus & Curtius. Itaque hic huius anni expeditionis finis fuit.

In Pattalis hyemat.

XXVI. Bellum in Vestinos.

ROMÆ autem bellum tametsi periculosum, & anceps, quodque eo tempore maioris animi, quam consilij esse videbatur, aduersus Vestinos, populus Romanus ex patrū autoritate iussit: sed euentus docuit fortes fortunam iuuare. Ea prouincia Bruto, Samnium Camillo sorte euenit.

Exercitus contra vtrosque seorsim ducti, vt cum tremendorũ hominum implicati, arma coniungere non possent. Cæterum alterum Consulem L. Furium, cui grauior belli moles imminebat, morbo graui implicitum, bello fortuna subtraxit iussusque Dictatorem rei gerendæ causa dicere, longo clarissimum bello ea tempestate dixit L. Papyrium Cursorem: à quo Q. Fabius Maximus Rutilianus Magister eq. dictus est.

Dictator Papyrius Cursor.

Quoniam vero sequens annus sine Coss. ponitur à rei Romanæ consultissimis, Sigonio, Onuphrio, Pighio, qui pro eadem sententia Glareanum & Holoandrum laudãt, & fastos Capitolinos duces proferunt: eum ijsdem subscribant, Gordonus, Greillius in Chronologis Liuij, Temporarius, Mercator, Functius alijque in suis Chron. nolui ego plus omnibus sapere.

XXVII. *Etiam ex sequentem.*

Præsertim cum T. Liuius in eandem sententiam deduci possit. Cum enim dicat aduersus Vestinos à Bruto, contra Samnites à Camillo, prout sors tulerat, exercitus esse ductos, facile intelligi potest, dum Brutus contra Vestinos pugnat, Camillum post aliquot menses in morbum incidisse, deinde Dictatorem iussu Senatus dixisse Papyrium, qui Dictaturam serius inchoatam negotijs exigentibus in sequentem annum protraxit: & Onophrius ait eum magistratum in alterum annum continuasse. Quo etiam pertinet, quod cum vellet se Dictatura abdicare, iussu patrum prius Coss. creare iussus est, quam se abdicaret: quod interpretari possumus Senatum voluisse, vt Papyrius teneret Dictaturam, donec tempus creandorum consulum aduenisset. Nec propterea necesse est eum Dictaturam. II. dici, vt ait Sigon. Nam nec certum erat Dictaturæ tempus, nec nouum negotium, vt iterum Dictator diceretur; præsertim cum se Dictatura non abdicasset. Hoc ergo anno Brutus contra Vestinos rem gessit. Camillus autem contra Sabinos sequenti.

Res à Bruto gesta.

Itaque Brutus contra Vestinos feliciter pugnauit, eorũ agris peruastandis ipsos pertraxit ad conferendas manus, eosdemque prælio victos castris exuit, in vrbes compulsos, tutos esse passus non est. Sed Cutinam & Cingiliam vi cepit, prædam militibus tradidit. An autem etiam triumpharit, non constat.

ANNVS MVNDI 3730. SEXTÆ ÆTATIS 214. Imp. Alex. 7. Regni 13. & vlt. Ptolomæi Lagi 1. Iaddi Pont. vlt. Olympiadis CXIV. An. 1. Archonte Egesia. V.C. 429. Dictat. L. Papyrio Cursore, Mag. Eq. Q. Fab. Max. Rutil. & mox L. Papyrio Crasso, sine Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 323.

I. *Ratio temporis mortis Alexandri.*

Christi præuius trecentesimus & vigesimus tertius annus, Alexandri morte in primis est insignis, quem centesimæ decimæ quartæ Olymp. anno primo Babylone mortuum omnes prodidere, quando Micinas Rhodius in stadio victor fuit. In primis Arrianus l. 7. qui & Olympiadem, & Archontem Hegesiam nominat, sicut & Diodorus l. 17. Euseb. l. 8. de Demonstratione c. 2. decessisse ait Alexandrum anno 1. Olymp. 114. *Mortuus est autem Alexander*, inquit, *ineunte centesima & quartadecima Olympiade post Cyrum 236. annis, qui apud Persas regnare cœpit ineunte Olympiade quinta supra quinquagesimam.* In Græco ἐν ἀρχῇ τῆς ἑκατοστῆς καὶ δεκάτης ὀλυμπιάδος. Quod eò affero, quoniam quidam hunc Eusebij locum citant de anno quarto Olympiadis centesimæ decimæ tertiæ. Idem passim reliqui sentiunt. Audi enim Iosephum: *Alexandrum*, inquit, *profitentur vniuersi 114. Olympiade fuisse defunctum*, eodemque modo habetur in Græco textu eiusdem.

L. 1. contra Apionem.

II. *Anni imperij & regni.*

Chronologiam quoque nostram de annis imperij, & regni eius confirmat Seuerus l. 2. *Exacto*, inquit, *duodecimo imperij anno, septimo postquam Darium deuicerat, apud Babylonẽ defunctus est.* Continuat Eusebius, qui regnasse ait annos duodecim, & menses sex, Diodorus septem, Arrianus octo: quod tempus T. Liuius lib. 9. & 45. Æmilius Probus in Eumene, vocarunt annos 13. Arrianus pro sua assertione etiam Aristobulum laudat. Regni annos duodecim Scriptura perspicue confirmat. b *& regnauit Alexander annis duodecim &c.* Tertullianus contra Iudæos 12. etiam annos habet, vt rectè correxit Pamelius ex Hieronymo, c qui idipsum affirmat in c. 11. Danielis. Idem Theodoretus orat. to. in eundem Prophetam. Clemens etiam Alexand. ex Eratosthene, ait à Philippi morte ad Alexandri obitum annos duodecim intercurrisse. Annos quoq. nostros ab Vrbe Condita, Clemens ibidem confirmat, cum ait à Roma condita ad Babylonis à Dario euersionem, annos colligi ad ducentos & quadraginta tres: à capta autem Babylone ad mortem Alexandri, annos 186. qui duo numeri iũcti efficiunt, 429. quos præfert index anni huius. Denique duodecim regni annos confirmant tres integræ Olympiades, à Pythodemo prætore, quo mortuus est Philippus, ad Egesiam in cuius magistratu mortuus est Alexander. Non rectè itaque Gellius ei vndecim annos tribuit, aut Strabo extremo libro decimo quinto, decem vel vndecim.

b 1. Machab. c. 1. v. 8. c in c. 9. Danielis.

L. 1. Strom. p. 240. gr. lat.

L. 7. A. M.

III. *Alexandri in redeundo facta.*

Dvm Nearchus Alexandrinæ classi præfectus, tempus nauigationi opportunum expectat, vt ait Arrianus l. 6. Alexander vicinos mari populos perlustrat, & subiugat Oritas, Arabitas, Gadrosias, per ingentes difficultates, & aquæ potabilis, frumenti, aliarumque rerum necessariarum, per vasta, arenosa, ac deserta loca, penuriam, adeò vt magna exercitus pars, ac præcipuè iumenta, extincta fuerint; quorum pleraque etiam militum fames absumpsit: tandemque in Carmaniam peruenit. Vbi ob victoriam de Indis Partam, & exercitum ex Gadrosijs seruatum sacra dijs facit, Indosque musicos, ac gymnicos edit. Interea Nearchus cum iam eas regiones circumnauigasset, ad maritimam Carmaniæ oram appulit. Inde cum paucis ad Alexandrum profectus, quæ in nauigatione viderat ei refert; à quo ad classem remissus, iubetur ad Susianorum regionẽ, & Tigritis ostia nauigare.

IV. *Remigrat in Persidem.*

Ephestionem quoque cum magna parte copiarum, in Persidem mittit. Ipse aduersus Pasargadas Persidis profectus est, vbi Cyri sepulchrum perfractum, ac spoliatum, magno cum animi sui dolore, reperit, vt author est Aristobulus apud Arrianum l. 6. extremo. Idemque Aristobulus designatum se ait ad instaurandum sepulchrum: corporisque reliquias, quæ superessent, in vrnam condendas. Curtius l. 10 scribit Orsinem regem, calumnijs Bagoæ spadonis appetitum, quasi id sepulchrum violasset, morti per summam iniuriam, Alexandri iussu fuisse traditum. Verum de Cyri sepulchro supra Olymp. 62. an. secundo actum est.

Cyri sepulchrum.

Inde Alexander Persepolim Persidis Metropolim profectus, ægre tulit regiam illius à se antea per temulentiam incensam.

V. *Calani Indi mors. d Vide Salaber l. 1.*

Hoc tempore Calanus, vnus de Indorum sapientibus, qui d Alexandrum ad Persidem vsque persuasus à Taxile Indiæ Regulo, secutus fuerat, cum ægrotare cœpisset, quod nunquam ei per totam vitam contigerat, noluit se ad ægrotantium morem curari, sed statuebat mori, antequam à pristinæ vitæ consuetudine, ac felicitate decederet. Alexander primum reluctari, ac vitam persuadere, quam illi insipiens proijcere festinabat. Verum cum intelligeret eum alio quopiam mortis genere voluntati suæ factutum satis, rogum ei, vti petierat, accendi iussit, eiusque rei negotium Ptolomæo Lagi dedit. Ergo Calanus post funereum apparatum, lætus in supplicij locum lectica vectus, Indico more coronatus, & hymnos patria lingua concinens, peruenit, in rogum conscendit, decoreque compositus in medijs flammis immotus stetit; tantum est obfirmati in sententia animi in corpus imperium. Alexander funus pretiosa veste, varijs odoramentis, aureis argenteisque vasis, quæ amicis distribuit Calanus, honorare voluit. Insuper tubarum sonitu, elephantorum barritu, vniuersi exercitus festo clamore: quasi ille flammeis quadrigis cœlum triumphans inuectus esset, & non horrendum vlulans tartara subijsset.

VI. *Alexandri in Susis, labe valetus.*

Posthæc Susam profectus est, vbi in præfectos aliquot prouinciarum, qui eius reditum desperantes multa

MACEDONVM OFFENSIO, ET RECONCILIATIO.

per vim & scelus perpetrarant, extremo supplicio animaduertit; & ad nuptias suas, & amicorum celebrandas animum adiecit. Et omnino Persarum, ac Medorum illustrium filias octoginta matrimonio copulauit, omnium nuptias simul celebrauit ipse, atq; omnibus dotes contulit. Aliis quoq; Macedonibus, qui Asiaticas vxores duxissent, quorum numerus erat decem millium, sponsalia munera dedit. Ipse præter Roxanem, quam ante duxerat, Barsinem ex Darij filiabus natu maximam, & Parysatin, vt Aristobulus apud Arrianum tradit, ex filiabus Ochi natu minimam, accepit vxores. Adiecit etiam ad reliquam magnificentiam, vt omnium suorum militum debita dissolueret; quæ largitio exercitui facta dicitur ad 20. millia talentum peruenisse: dona etiam aliis alia, pro cuiusq; dignitate, ac meritis tribuisse. Ea nihilominus parum plerisque Macedonum gratum fuit, quod totus ab ille à Macedonum moribus, cultuque videretur, & ita Asianos promouere, vt Macedonibus paulatim carere posset.

VII. Offensio Macedonum, eorumq; causa.

HIS peractis ipse classe, quæ iam in Susiorum regionem erat appulsa, conscensis nauibus cum parte copiarum, & amicis per Eulæum amnem (quem à Daniele Vlai dictum Ortelius in thesauro Geogr. quâ de re actum quoque à nobis suo loco) ad mare nauigauit. Inde per mare ad Tigridis ostia contendit, & ad Opim vrbem ad Tigrim sitam venit. Ibi Rex conuocatis Macedonibus pronunciauit, se iis omnibus abeundi facere potestatem, qui vel ætate, vel membrorum mutilatione inutiles ad pugnam facti essent: qui autem manere vellent, se eos beatos facturum. Quod cum Alexander animo gratificandi Macedonibus diceret. Ipsi, qui despectui se haberi suspicabantur, in deteriorem partem acceperunt, quasi bello inutiles ab Alexandro censerentur. Itaque omnes eum adeuntes missionem petiere, adiicientes vt cum patre suo bellum gereret. Ammonem eo verbo sugillantes.

VIII. Alexandri ira in eorum seditionem.

QVA re animaduersa Alexander in iram concitatus, è solio prosiliens, tredecim ex iis, qui seditionem commouebant, per Argyraspidas suos statim comprehendi, & ad supplicium rapi iubet.

Eo facto cum reliqui attoniti siluissent, rursus in solium conscendit, & prolixa oratione sigillatim eis exprobrauit, tum pristinam eorum paupertatem, tum beneficia in ipsos, à Philippo primum, deinde à seipso collata: quem nihilominus nunc deserere, & fidei Barbarorum permittere non dubitarent. Hæc fere Arrianus, & Curtius: sed hic raptos ad supplicium post obiurgationem scribit, non ante; & sæuam paulo ante concionem ita subito metu obtorpuisse, vt cum ad supplicium trahi socios videret, nullus ex omnibus regi restiterit, sed cuncti pauore exanimati, quid deinde quoq; Rex statuendum censeret, suspensa mente expectarent. Sed redeamus ad Arrianum.

IX. [illegible]

REX prosiliens è solio regiam ingressus, neque corpus curauit, neque amicorum quemquam eo die admisit, sed ne postridie quidem. Tertio autem die vocatis ad se Persarum principibus, ducatus agminum inter eos partitus est, & quotquot cognatos effecerat, iis solis, vt deosculari ipsum liceret, sanxit. Quæ postquam cognouere Macedones, qui ante quasi attoniti obriguerant, concursu ad regiam facto, arma ante ianuam proiecerunt, quæ regi pœnitentiæ signum, & libelli supplicis loco essent. Ipsi præ foribus stantes clamorem tollebant, & se inde negantes vel interdiu, vel noctu discessuros, nisi Alexander eorũ commiseratione tangeretur. Quę vt Alexandro nunciata sunt, confestim ad eos regressus, communi omnium mœrore, atque eiulatu commotus, collacrymatus est: & redintegrata gratia, atque osculum Macedonibus, quasi cognatis permisso: qui receptis armis, ac pæana canentes in castra reuerterunt.

X. [illegible]

POSTHÆC ad eandam gratiam stabiliendam Alexander sacrificio peracto, publicum epulum instituit: accumbente ipso primùm omnibusque Macedonibus, deinde Persis, ac deinceps reliquis gentibus, prout quæque aut dignitate, aut virtute bellica illustris esset. Tum ex eodem cratere, & res & nouem millia conuiuarum libarunt, Græcis vatibus & Magis vota nuncupantibus, & cum alia fausta ac prospera, tum concordiam imperiique societatem precantibus.

Deinde dimissi sunt Macedones, qui propter ætatem, aut corporis debilitationem inutiles bello erant; quibus & exacti temporis stipendia persoluit, & viatico, quod ad reditum sufficeret, est prosecutus; & singula insuper talenta singulis est elargitus: liberos eorum Asiaticos apud se retinuit, ne turbarum fomites essent in Macedonia. In eorum etiam gratiam in Macedoniam scripsit, iubens eis coronatis priores in theatro sedes, honoris ergo concedi.

Dimissio emeritorum Macedonũ.

XI. Craterus apud Alex. gratia.

ET Craterum, quem sibi longe charissimum habebat, custodem eis, ac ducem adiunxit; addito etiam Polyperchonte, si quid ei humanitus in via contigisset, quippe qui tum corpore parum firmo esset. Eundem etiam voluit in Europa Macedoniæ, Thraciæ, ac Thessaliæ ac libertati Græcorum præesse. Antipatrum vero, in eorum qui dimissi essent locum, alios Macedones ætate ac viribus florentes, in Asiam ad se adducere. Idque prudenter ab Alexandro factum est, quoniam non bene Antipatro cum Olympiade domi conueniebat, & perpetuæ ad Regem querelæ, ab vtraque parte deferebantur.

Antipater euocari se valde iniquo animo ferens, veneno Alexandrum è medio tollere statuit, vt scribit Curtius, l. 10. etsi Alexander nullum alienioris in eum animi signum edidisset.

XII. Iubet exules in Græcia restitui.

CVM hisce emeritis militibus, qui in patriam remittebantur, videtur quoque missus Nicanor Stagirita, cum epistola Alex. de reuocandis exulibus. Hoc enim anno cum Olympia celebrarentur, præconum voce publica edixit in Olympia, vt quotquot forent exules, præter sacrilegos & homicidas, in patriam redirent. Ita Diodorus, quæ tamen ipse anno secundo 113. Olympiad. male collocat, & rursum l. 18. ait id ab Alexandro factum paulo ante mortem. Alexander, ait, paulo ante mortem omnes Græcarum ciuitatum exules reducere constituerat, tum vt gloriæ suæ inseruiret, tum vt in vnaquaque vrbe multos sibi deuinctos haberet, contra rerum nouarum motus, & Græcorum defectiones. Appetentibus igitur Olympiis Nicanorem Stagiritam, cum epistola de reuocandis exulibus, in Græciam misit, eamq; in conuentu publico, à præcone, qui multitudini victorem promulgare consueuerat, multitudini denunciari iussit.

Sub init.

XIII. Qui edicto restiterint.

EDICTVM erat huiusmodi. *Alexander Rex, Græcarum ciuitatum exulibus. Autores exilij vestri nos non fuimus, reditus vero in patriam, sceleratis tantummodo exceptis, nos erimus. Qua de re Antipatro scripsimus, vt ciuitates restitutioni suorum refragantes vrgeat.* Hæc Diodorus. Sed quo euentu, audi Curtium. Et cæteri quidem Græci, a haud ausi imperium aspernari, quanquam soluendarum legum id principium esse censebant, bona quoq; quæ extarent restituere damnatis. Soli Athenienses, (Diod. Iustin. & alii Aetolos addunt) exules finibus eiiciunt, omnia potius toleraturi, quam purgamenta quondam vrbis suæ, tunc etiam exilij admitterent: quæ res Lamiaco bello initium dedit. Cum autem Alexandro celeriter nunciatum esset, Athenienses & Aetolos eius mandatis repugnare, & libertatem bello vindicandam fremere, mille naues longas ocius parari præcepit, quibus in occidente bellum gereret, excursurusque cum valida manu fuerat ad Athenas delendas, vt ait Iustinus l. 13. sed mors erat in ianuis, quæ cuncta eius consilia disiecit. Id tamen bellum mox inter Antipatrum & Athenienses multo cum sanguine gestum est.

a circa initium l. 10.

Hephæstionis mors, & immodicus Alexandri luctus.

HÆC dum molitur Alexander, ad Ecbatana Mediæ profectus, regni negotia disposuit, & spectacula denuo & solennes indixit dies; cum Hephæstion, quem rex fratris diligebat loco, ex febre moritur, ex quo Alexander incredibili dolore affectus, multa Rege indigna perpetrasse fertur. Glauciam medicum, tanquam in curando negligentiorem, in crucem egisse, (Plutarchus eum Glaucum vocat, atque ad spectaculum abiisse, cum ille prandium cum vino in febri immoderatius sumeret.) equos omnes, mulosque tondere lugubriter iussisse, circumiectorũ murorum pinnas detraxisse, tibias, musicamque perdiu in ca-

strisque compescuisse, ædem Æsculapij in Ecbatanis euertisse, diem noctemque defuncto corpori eiulantem incubuisse, comas supra mortui corpus Achillis, quem imitari studebat, exemplo præscidisse, eidemque tanquam Heroi sacrificari iussisse. In funus atque monumentum eius, quod Babylone parari iusserat, plus duodecim talentorum millibus impendisse scribit Curtius: Arrianus per vniuersas Barbarorum regiones luctum indixisse, & tria certantium millia, qui postea gladiatores dicti, ad eius tumulum exhibuisse. De rogi magnificentia molta Diodorus hoc anno, quæ apud eum vide. *Gladiatores.*

XV. *Res ad Cossæos gesta.* INSERIT hoc loco Arrianus expeditionem in Cossæos Vxijs finitimos ab Alex. factam, antequam Babylonem adiret; sed loco vtique importuno: quippe quam hyeme factam scribit, cum constet Alexandrum nullam vltra hyemem vidisse, sed Dæsio mense, in media prope æstate obijsse. Itaq. Curt. eam expeditionem hoc loco plane prætermittit, & Vxiorum, finitimorumque res in quintum librum retulit historiæ suæ. Diod. autem ad annum adhinc tertium, *b* licet Plutarchus dicat eam à morte Hephestionis deletos, eamq; cladem Hephestionis parentationem fuisse dictam. Certe si hoc tempore Cossæos excisos fuisse concedimus, id tamen hyeme factum nullo modo concedendum est. Fuerunt porro Cossæi Mediæ populi, sicut & Vxij, ambo præda viuentes latronũ more, qui cum se montium penetralibus, hostili exercitu superueniente abderent, eoque recedente subitas populationes exercerent, eos Alexander, opera vsus Ptolemæi Lagi sedibus suis eiecit. Adeo nihil ei' virtuti bellicę inaccessũ fuit. *b Olymp. 113. 2.*

XVI. *Babylonem ne ei aditurus esset vetitum.* POSTMODVM Babyloniam reuertenti, vt ait Curtius, Chaldæi vates occurrerunt, monentes ne Babyloniam ingrederetur, profectionem eam vitæ periculo coniunctam esse. Quibus spretis, quo destinauerat ire pergit. Nuntiabatur enim ei legatos ex diuersis terrarum orbis partibus, vndique Babyloniam confluxisse, eiusq; aduentum expectare. Adeo totum orbem nominis eius terror inualerat, vt cunctæ gentes velut destinato sibi Regi adularentur. Igitur tanquam conuentum vniuersi orbis acturus, Babyloniam peruenire festinabat.

Portenta mortis prænuntia. Affert hoc loco Arrianus & Plutarchus portenta quædam mortis Alex. prænuncia, in quibus illud eminet, quod eo iuxta Babylonem nauigante, ingens ventus exortus regium capitis ornamentum, & diadema ei alligatum abripuerit, & ornamento in aquam delapso, diadema vento deferente arundini palustri adhæsisse, quod cum Seleucus Regi detulisset, regnum ei portendisse: quod post Alexandrum amplissimum obtinuit. Aristobulus ait Phœnicem quendam nautam retulisse Alexandro diadema, idque ne natando madefieret, capiti imposuisse, eaque de causa plagis affectum; vel vt alij scribunt, talentum accepisse, mox q; monitu Chaldæorum, capite plexum esse.

XVII. *Monitus de Beli sepulchro.* DIODORVS etsi alieno loco, Sosicle scilicet prætore, quod factum hoc anno constat, refert Chaldæos astrologos cognouisse imminentem Alexandro mortem, si Babyloniam ingrederetur: euadere autem posse hoc periculum, si Beli sepulchrum à Persis destructum excitaret denuo; & inhibito, quod decreuisset itinere, vrbem præteriret. Quæ cum Belephantes Chaldæos per Nearchum regis familiarem Alexan. docuisset, is territus Babylone iter deflexit, sed mox philosophorum disputationibus eo timore leuatus, Babylonem cum exercitu ingressus est. Nec plura de Beli sepulchro Diodorus. Addit autem ex Hecatæo Iosephus Alexandro quondam in Babylone constituto. & volente Beli templum, quod corruerat, renouare, cunctisq; militibus similiter rudera portare præcipiente, solos Iudæos hoc facere non sustinuisse, sed etiam multas plagas, & detrimenta pertulisse non modica: donec eis ignoscente rege securitas præberetur. Qui dum ad prouinciam, ait, propriam reuerti fuissent, templa & altaria fabricata omnia destruxere, & pro alijs quidem mulctam Satrapæ exoluere, pro alijs vero veniam consecuti sunt. Hæc ibi: Nos redeamus ad Alexandrum, qui legatos omnium gentium Babylone benigne susceptos domum remisit. *l. 1. contra Apionem.*

XVIII. *Opiniones de morte Alexandri varia.* DE morte Alexandri, quoniam ea nunc vna superest, plures fuere opiniones. Q. Curtius duas recenset. Iisdem fere diebus, ait, conuiuium apud Thessalum Medium institutum est, ad quod Rex quoque cum sodalibus vocatus venit. Ibi nondum Herculis scypho epoto, repente velut telo confixus ingemuit. Elatus è conuiuio semianimis tanto dolore cruciatus est, vt ferrum in remedia posceret. Amici causam morbi intemperiem ebrietatis diuulgarunt. Nec sine causa, vt qui tum 20. conuiuis præbiberit in eo conuiuio, & à singulis prouocatus, omnibus satisfecerit, vt ex antiquioribus recitat Athenæus. pergit Curtius. Reuera autem insidiæ fuerunt, quarum infamiam successorum potentia oppressit. Antipater enim præparatum venenum Cassandro filio, qui cum fratribus Philippo & Iola regi ministrare solebat, dederat præmunito eo, ne alij quam Thessalo & fratribus crederet. Philippus itaque & Iollas potum regis prægustare soliti, in aqua frigida venenum habentes prægustatæ potioni Regis supermiserunt, sic Curtius. Vtramque sententiam refert Diodorus, sed priorem præfert; quam in dubio relinquit Pausanias; sequuntur Suidas, Iustinus, Paulus Orosius *a* & Valerius Maximus. *b* Nec desunt, qui Aristotelem veneni auctorem prodant, vt videre est apud Plutarchum in vita Alexandri & Arrianum in fine libri septimi. Plutarchus in vita Alex. irridet scyphum Herculis: veneni etiam opinionem improbat, ac refellit, quod eius signa, tam diu post mortem asseruato corpore, appaitura fuissent, quæ tamen nemo prodit. Ipse autem, cum splendido, ait conuiuio excepisset Nearchum, atq; inde lotus de more suo, esset iturus cubitum, ad obnixe rogantem Medium iuit comessatum, apud hunc cum in sequentem diem totum perpotasset, febre est tentatus &c. Addit & Aristobulum narrantem eũ cum vehementi siti ex febre cruciaretur, vinum potasse, itaq; in phrenesim incidisse, ac 30. mensis Dæsij vita excessisse. Victor omnium, ait Solin. *c* vino & ira victus, morbo vinolentiæ apud Babyl. humiliore quam vixerat fortuna exemptus est. *lib. 10. Dipnos. / a Lib. 3. c. 20. / b Lib. 1.* *c. 14. Polyh.*

XIX. VERVM crimine sublato calumnia euanescit. *d* Nam eam perniciem, Arrianus quoq; ex Alexandri diarijs in eius comessationem refert, & compotationem cum Medio in multã noctem. T. quoq; Liuius venenum reijcit, cum eũ dicit non hominum scelere, sed fortunæ morbo extinctũ. Athenæus ex Ephippo refert Alexandrum poculum, quod duos congios capiebat, cum poposcisset, Proteę (erat is vir Macedo bibacissimus) id præbibisse: quod cum ille hausisset, & regi prębibisset, regẽ quidẽ valde ebibisse, sed cũ id perferre nõ posset, in puluinar reclinatus, inquit, & poculo à manibus dimisso, ac iam inde morbo correptus, moreretur, Baccho vt fama est irato, quod Thebas patriã suã auertisset. Sic ille. Hanc ergo sententiam quam pluribus placere video, & ab eiusdem temporis scriptoribus constanter traditam, etiam probabiliorem puto. *Vide de Scypho Herculano Senec. ep. 83. / l. 10. Dipnos.*

XX. *Postrema eorũ quæ Alexander.* ILLA autem fere communi consensu approbantur. Primarios duces apud ægrotantem frequentes fuisse, & pro foribus custodiam egisse. Cum autem reliquus exercitus mortuum suspicaretur, idq; celari crederet, eiusq; desiderium ferre non posset, ad illum videndum in regiam irrupisse. Sed iam regem, ingrediente exercitu vocem defecisse, capite tantum ægre sublenato, atq; oculis indicium aliquod animi facientibus, singulis dextram præbuisse. Arrianus quidem hoc modo. At Curtius nonnulla locutũ scribit. Exercitui quidem. *Inuenietis cum excessero dignum talibus viris regem.* Ducibus autem propius accedere iussis, detractum annulum digito, Perdiccæ tradidisse, adiectis mandatis, vt corpus suum ad Ammonem ferri iuberet. Quærentibusq; his, cui relinqueret regnũ *Optimo*, inquit, *ac præstantissimo.* Cæterũ prouidere se ob id certamen, magnos funebres ludos parari sibi. Quæ habet etiam Arria. *Annulum Perdiccæ dat.*

XXI *Regnum cui relinquerit.* IVSTINVS autem tanta illi, inquit, magnitudo animi fuit, vt cum Herculem filium, cum fratrem Aridæum, & Roxanem vxorem prægnantem relinqueret, oblitus necessitudinum, dignissimum nuncuparet hæredem. Prorsus quasi nefas esset viro forti, alium quam virum fortem succedere; aut tanti regni opes alijs, quam probatis relinqui. Verum quam id fuerit inconsultum, in tanta hominũ

ambi-

ambitione, optime de se sentientium exitus docuit, nec ipse dissimulas; subdit enim. Hac voce veluti bellicum inter amicos cecinisset, aut malum discordiæ misisset, ita omnes in æmulationem consurgunt, & ambitione vulgi tacitum fauorem militum quærunt. Hæc videlicet causa est cur apud plerasque omnes nationes Rex successione potius, quam electione statuatur: existimantibus omnibus minus esse malum in hærede non optimo, quam in Rege per vim & factiones electo. Addit Curtius, interrogatum à Perdicca. Quando cælestes honores haberi sibi vellet; dixisse, tum velle, cum ipsi felices essent. Suprema hæc vox fuit Regis, inquit, & paulo post extinguitur. Quidam etiam scribere non erubuit, ait Arrian. Alex. cum iam de salute desperaret, ad Euphratem ire voluisse, animo sese in flumen coniiciendi, vt sublatus ex hominum oculis, certiorem apud posteros fidem faceret, se ea deorum genere ortũ, ad deos rediisse. Quod cũ Roxane impediret, plorantem illum dixisse, inuidere illã sibi diuinitatis partæ gloriã.

Moriens dixisse, nomini suo optimum omnium hæredem.

XXII. *Tristis casus luctus.*

Extinctum domesticorum, atq; amicorum primo comploratio excepit, qua tota regia personabat; moxque luctus vniuersam peruasit vrbem, nobilib. portis custodiæ eius assuetis, vage & furentium in morem Babylone tota excurrentibus, quibus se vbique Persæ Macedonesq; iungebant, alius mitissimum dominum, alius optimum, fortissimum, munificentissimum regem deplorantibus. Nec muris vrbis luctus continebatur, sed proximam regionem ab ea, deinde magnam partem Asiæ cis Euphratem, tanti mali fama peruaserat: cum ad Darij quoq; matrem celeriter perlata est, quæ tam immoderate eam mortem tulit, vt post multa lamenta, dolori succumbens, obuoluto capite genibus suis assidentes neptem nepotemq; auersata, cibo pariter abstineret & luce, & quinto demum die postquam statuerat mori extingueretur. Tanta fuit eius in Alexandri clementiam inspetatam, & in se reuerentiam, beneuolentia, vt quæ sustinuerat Dario extincto viuere, Alexandro mortuo superstes esse noluerit.

Mater Darij præ mœrore se fame extinguit.

XXIII. *Quoto anno vitæ obierit Alexan.*

Mortuus est ergo Alexander vix dimidium vitæ suæ curriculum emensus, anno videlicet ætatis trigesimo secundo expleto, & trigesimo tertio inchoato. Natus quippe est ineunte Olymp. centesima sexta, in qua Philippus eius pater Olympica victoriam, & prolem ex Olympiade, & Illyrios à Parmenione superatos vno eodemque die sibi gratulabatur, vt à Plutarcho Iustino, aliisq; proditum est. Cum autem mortuus fuerit, vt supra cum Arriano, Euseb. Diod. Iosepho dictum est ineunte Olymp. centesima decima quarta Agesia prætore, necesse est eum octo Olymp. viuendo expleuisse, & nonam, in qua Agesias magistratum gessit Athenis, inchoasse. Non recte itaq; Iustin. illi annos tres & triginta, & insuper mensem vnum tribuit, nisi duos & triginta potius apud ipsum legendum putes. Ergo & 33. anni apud Suidam, & apud M. Tull. in quinta Philippica de inchoatis accipiendi sunt, sicut & 43. anni consulatus.

XXIV. *Quo mense ac die obierit. l. 2. c. 25.*

Nonnulla quoque est de mense & die mortis huius controuersia. Ælianus enim in varis historiis ait Alexandrum sexto die mensis Thargelionis apud Athenienses, & natum fuisse, & mortuum. Quod si verum est male is Februarius, Aprilis, aut Maius vertitur, præcedunt enim hi menses æstiuum solstitium, circa quod ludi Olympici celebrabantur, quibus natum diximus Alexandrum. Dæsium mensem Macedonicum Alexandro fuisse postremum scribit Plutarchus in eius vita, Aristobulum secutus, & diarios commentarios, in quibus perscribebantur, quæ singulis diebus quibus ægrotauit contigissent. Ex quorum notis ait Alexandrum fato functum Dæsij 28. die, etsi Aristobulus postremo eiusdem mortuum tradiderit. Dæsium porro respondisse Iunio Romanorum, ratio ante memorata confirmat; idque Gaza, Lilius, Giraldus, Serarius in Machab. affirmant, licet Mercator Dæsium ad signum Arietis accommodarit. Demetrius autem in Æquiuocis ait eadem die Alexandrum Babylone, & Diogenem Corinthi vita functos.

XXV. *Virtutum eius vitiorum farrago.*

Multa Curtius, Arrianus, Plutarchus, Iustinus, aliique de eius virtutibus, vitiisq; congerunt, variarum declamationum argumenta; quæ si quis ad normam fidei Christianæ, & rectæ rationis expenderit, vtique reperiet & vitia vera esse, maximaque vitia, & maximam virtutum eius partem in vitiis esse numerandam.

Illa enim magnitudo animi, illa gloriæ immensa cupiditas, illa fortitudo in periculis & laboribus, pro subiiciendo sibi orbe terrarum exantlandis, tantum laudis meretur, quantum eorum obiectum, quod constat esse iniustissimum. Quod enim Alexan. aut tot principes, & regiones in Asia bello vexandi, spoliandi bonis, tributis onerandi, maius quam in latrone aliquo, qui vias obsidet, aut pirata dum mare habet infestum? Quæ liberalitas effuse donare vel profundere, quæ auare & iniusta rapueris?

Apud Laertium in Diogene Cynico. Vir fortunatum.

Liberalitatem.

XXVI. *Clementiam in victos.*

Quæ clementia in victos, si eos tractabat humaniter, si nonnullis regna reddebat, quibus eripuerat, adiecto onere seruitutis; quibus ea non solum integre restituere, sed pro illata vltro iniuriis satisfacere, & veniã postulare ipsum oportuisset. Vt omittam Orsinem, Parmenionem, aliosq; principes viros, indicta causa morti traditos. Sed audi etiã Valer. Max. a Quid obstitit quo minus in cœlum assurgeret, nisi Lysimachus leoni obiectus, & Clitus hasta traiectus, & Callisthenes mori iussus? quia tres maximas victorias, totidem amicorum iniustis cædibus victor perdidit. Quæ continentia fuerit, & Veneris intra naturale desiderium vsus, docet Persepolis, quam vino & meretrice victus incendit; docet impurissimi Bagoæ flagitiosa & effœminata libido: vt præter 4. vxores Barsinem, Roxanem, Parysatida, & Statyram, missas faciam 360. concubinas, quas ex Curtij lib. 6. memorauimus. Ebrietatis, & comessationum intemperantiam, quæ reliqua peccata præmature castigauit, & æternæ fami sitique tradidit mors immatura monstrauit. Athenæus, & Plutarchus aiunt ea diaria eius innotescere, sæpius eum duos totos dies, noctesq; totidem cubantem, crapulam edormisse. Chares Mitylenæus apud eundem, ait Alexandrum ad honorandum Calani funus bibendi certamen instituisse, & primario victori præmium posuisse talentum secundo minas; 30. tertio decem &c. & eorum qui auidius bibissent 35. mox expirasse, sex in tentoriis paulo post periisse. b

a l. 9. c. 3.

Continentiã.

Comessationes.

b Vide Aelianum l. 2. c. 41.

XXVII. *Mortis contemptum, Pietatem, in Deum & parentes.*

Iam vero præcepa mortis contemptio, in præliis, omnibusque periculis, in inferenda vi atque iniuria, non in propulsanda, latronum, & sicariorum gloria est, non iusti Imperatoris.

Quæ pietas in Deum, sibi diuinos, per ementita oracula, honores affingere, Parentis repudiare genus; Deum diciatque haberi velle, & instar supremi numinis sacrificiis coli, & adorari? nec fuit ei pudori filium, ciuem, hominem dissimulare. c Clemens Alexand. in exhort. ad Gentes, ridet eos qui ausi sunt decimum tertium Deum Alexandrũ constituere, quem mortuum Babylon arguit. Itaq; laudat Theocritum Sophistum, qui post Alexandri mortem ridetet deos factos ex hominibus. *Bono animo este ciues*, inquit, *quoniam videtis deos ante homines mori.* Quod autem de 13. Deo dicit, id alij Philippo tribuunt, vt suo loco diximus, sed redeamus ad Alex.

c Valer. Max. l. 9. c. 5.

XXVIII. *In apotheosi impiorum.*

Quæ pietas in matrem Olympiadem tot sceleribus nobilitatam, & mariti parricidio insignem, deorum immortalium numero adscribi voluisse, diuinisque honoribus celebrari? Quam pie Philippũ vltus est, in cuius mortem conseruit, vt in eius morte dicebamus. Quam præpostera in Hephæstionem pietas, quem vbi Cleomenes homo sceleratus, templo & sacrificiis honorasset, & præteritas omnes culpas eius ignoscere, & futuras. *Si enim ego*, inquit ad eum scribens, *in Aegyptum veniens templa rite ab te Hephæstioni, vt heroi extructa inuenero, non solum si quid antea commisisti ignoscam, sed quantumque deinceps deliqueris, nihil tibi à me incommodi accidet.* Ita Arrianus l. 7. Hæc purgare oporteret, aut defendere ineptos, qui Persicum habitum, qui Macedonum neglectos ritus excusant.

XXIX. *Corporis constitutio, pulchritudo, forma.*

Alexandri corporis externa figura pulcherrimam fuisse scribit Arrianus, colore candido, qui in pectore & facie potissimum purpurissebat, vt ait Plutarchus, qui ei erectam ceruicem, & oculorum volubilitatem tribuit. Interni autem temperamenti perfectionem docet, non illa

totum laborum tolerantia, cui neminem habebat parem, illa integra sanitas, quam in magna sæpe inedia, in frequenti crapula, in diurnis nocturnisque vigiliis, ne tentatam quidem vnquam accepimus. Verum illa duo maxime, quæ in Plutarcho, & Curtio legimus. *Odorem*, inquit ille, *ex cute eius gratissimum afflasse, & os eius, totumque corpus reddidisse flagrantiam, quam interiores tunicæ retinebant, in commentariis Aristoxeni legimus.* In caussa fuit fortassis feruidum & igneum corporis eius temperamentum. Gignitur enim odoris suauitas, vt Theophrasti est opinio, concoctis à calore humoribus, vnde aridi & feruidi tractus orbis, plurima atque optima aromatum genera producunt, &c. Curtius autem hoc profert argumentum, quod cum corpus septimum iam diem in locis feruidis, & æstuosis iacuisset exanime, nulla tabe, ne minimo quidem liuore corruptum inuentum est: ex quo, vt supra dicebamus, Plutarchus veneni opinionem refellit. Vigor quoque, inquit, Curtius qui constat ex spiritu, non destituerat vultum. Itaq; Ægyptij, Chaldæique iussi corpus suo more curare, primo non sunt ausi admouere velut spiranti manus. Deinde precati vt ius fasque esset mortalibus attrectare eum, purgauere corpus, repletumque est odoribus, aureum solium, & capiti adiecta fortunæ eius insignia. Denique Ptolemæus, cui Ægyptus cessit, corpus Memphim, & inde paucis post annis Alexandriam transtulit. Et de Alexandro hactenus: ad successores tanti imperij, quoniam maior erat moles, quam vt vnus eam subire posset, transeamus.

Odoris fragrantia.

XXX. *Varia de regni successore sententia. Perdicca.*

BABYLONE corporis Alexandri custodes, in regiam principes amicorum, ducesque copiarum aduocauere. Secuta est militum turba cupientium scire, in quem Alexandri fortuna esset transitura. Perdiccas regia sella in conspectum vulgi data, in qua diadema, vestisque Alexandri, cum armis erant, annulum sibi pridie traditum à Rege, in eadem sede posuit: quasi prærogatiua suffragij, & iuris sibi à Rege concessi in commune deposita. Tum quæstionem de constituendo, ac decernendo imperij huius principe proposuit, censuitque Roxanes partum, ea sextum iam mensem prægnans erat, expectandum esse; interea disquirendum à quibus placeat tantam Rempub. administrari. Nearchus classis Alexandri hactenus præfectus, ait non expectandum nondum ortum regem, sed esse à Barsine filium Regis, cui diadema dandum sit. Ptolemæus vtrunque improbat, vt filios captiuarum, nec fas esse Macedonas, qui Persas vicerint, eorum stirpi seruire. Sentit autem vt qui dudum Regis consiliis adhibebantur, coëant; eoque quod maior pars eorum decreuerit stetur, duces præfectique copiarum his pareant.

Nearchi.

Ptolemæi.

XXXI. *Aristoni pro Perdicca suffragium.*

ARISTONVS censuit Perdiccam pro Rege habendum esse, vtpote ab Alexandro ipso electum, & traditione annuli designatum. Quod cum vniuersi verum censerent, procedere in medium Perdiccam, & Regis annulum tollere iubebant. At is pudorem inter & cupiditatem hærebat, & cunctabatur, vt illi quod expetebat, peruicacius offerrent. Imprudens, qui modestiam potius in gratiarum actione, quam in tergiuersatione non posuerit. Nam continuo Meleager ab ipso reliquos auertere conatur, & seditionem mouens ad prædam hortatur, thesaurosque regios diripiendos, quod regiarum opum populus sit hæres. Iamque ipsum armatorum frequens globus ad prænunciatam prædam sequebatur. Cum Macedo quidã Aridæo Philippo genito, Alexandri fratri suffragatur, eique iure gentium regnum deberi pronunciat. In quem mox concio vniuersa consentit, eumque regem pertinaci acclamatione declarant. Eum Meleager Perdiccæ infensus, in medium adducit in regiam, quem mox milites Philippum consalutant, Regem appellant.

Imprudentes reticentiæ.

Meleager, qui turbas mouet.

Exercitus in Aridæum consensus.

XXXII. *Principes destinant tutores nascituro regi.*

CÆTERVM hæc vulgi vox erat, principum alia sententia. Hi tutores destinant filio ex Roxane nascituro Perdiccam & Leonatum, regia stirpe genitos. In Europa Craterum & Antipatrum res administraturos: tum exactum à singulis iusiurandum, fore in potestate Regis geniti Alexandro. Quibus animaduersis Meleager supplicij metu secedit cum suis. Cedit quoque Aridæus principum autoritate conterritus. Sed rursus in eum inclinante exercitu, reducitur, & vestem fratris, quæ in Regia sella posita fuerat, induitur. Eum statim Meleager armatus assectatur, magno populi fauore, nihilque propius factum est, quam vt Perdiccas, eiusque fautores, qui ad conclaue, in quo erat adhuc corpus Alexandri secesserant, id agente Meleagro, è medio tollerentur. Sed Perdiccas primum cum multo equitatu extra vrbem exit, & hostilem in modum sæuit; moxque simulata reconciliatione cum Meleagro, trecentos, qui prima concione seditionem mouerant, & à Meleagro stabant, incautos oppressit, & simulata lustratione exercitus, pedibus elephantorum contriuit, Philippo rege nec prohibente, nec autore, sed euentum rei expectante, vt vel probaret factum vel damnaret: moxque Meleager damnata spe salutis, cum eius nomine, quem ipse fecerat regem, in perniciem suam abutentes videret inimicos, confugit in templum, ac ne loci quidem religione defensus, occiditur.

Aridæus cedit fratri accedit.

Diod. Lib. 18. tantum dicit.

Meleager occiditur.

XXXIII. *Perdiccæ imperij administratio mox demandat sub Aridæo.*

PERDICCAS perducto in vrbem exercitu, concilium principum virorum habuit, in quo imperium ita diuidi placuit, vt Rex quidem Philippus Aridæus summam eius obtineret: Satrapæ autem & Principes, alij alias prouincias administrarent; Perdiccas cum Rege esset, copiisque præesset, quæ regem sequebantur. Hæc pluribus Curtius, ex quo fere cæteri. Plutarchus in Alex. ait Perdiccam in summa fuisse potestate, Aridæo velut regni vmbra stipatum, vt qui medicamentis ab Olympiade mente debilitatus fuisset. Præterquam quod ex obscura quadam muliere Philine, corpus vulgante natus fuerat.

Vmbratili rege.

XXXIV. *Hæc turba à Daniele designata. c. 11. 4.*

ET hæc fuerunt initia turbarum, quæ Alexandri mortem in eius imperio sunt consecutæ, quæ tanto ante prænunciatæ fuerant à Daniele. *Et cum steterit,* Alexander videlicet, *conteretur regnum eius, & diuidetur in 4. ventos cæli, sed non in posteros eius, neque secundum potentiam illius, qua dominatus est: lacerabitur enim regnum eius, etiam in externos, exceptis hiis.* Statum illum Alexandri, Q. Curtij verba illa docent. *Expectauere eum fata dum Oriente perdomito, aditoque Oceano, quidquid mortalitas capiebat, impleret. Nomen quoque eius & fama rerum, in totum propemodum orbem reges, ac regna diffudit, clarissimique sunt habiti, qui etiam minimæ parti tantæ fortunæ adhæserunt.* Et paulo ante. *Adeo totum orbem nominis eius terror inuaserat, vt cunctæ gentes, velut destinato sibi regi, adularentur.* Hic ergo fuit Alexandri status, sed tamen status in præcipitii, qualis in vertice totæ esse potest. *Contritum est regnum eius,* dum abscisso capite, omnia tam vasti corporis membra procubuere. & tot regulorum, dynastarum, tyrannorum pedibus conterenda obiecta sunt.

Status regni sub Alexandro. L. 10.

XXXV. *Eius diuisio in 4. ventos. c. 8. 8.*

DIVISIONEM porro in 4. ventos cœli, alio quoque iam loco idem Propheta prædixerat. *Fractum est cornu magnum, & orta sunt 4. cornua subter illud, per 4. ventos cœli.* In Ægypto enim, inquit Hieronymus, primus regnauit Ptolemæus Lagi filius, id est, ad meridiem. In Macedonia Philippus, qui & Aridæus, frater Alexandri, id est, ad Occidentem. Syriæ, Babylonis, & superiorum locorum Seleucus Nicanor, id est, ad Orientem. Asiæ, & Ponti, cæterarumque in ipsa plaga prouinciarum Antigonus, id est, ad Septentrionem. Hæc secundum totius orbis plagas dicimus. Sic ipse. Quod autem ait Daniel, *non in posteros eius,* regnum ipsius diuisum iri, de filiis eius intelligendum est. Nam neque quem è Barsine suscepit, quem Herculem ex Garbine nominat Iustinus, qui anno ætatis 17. à Polyperchonte occisus est, neque quem Roxane edidit posthumum Alexandrum, quem cum matre, & auia veneno Cassander sustulit, particeps regni eius fuit, nec omnino quisquam aliarum vxorum, vel vniuersi concubinarum gregis. Frater tantum ex patre Aridæus, vmbra potius regis, quam Rex, vt supra ex Plutarcho diximus, primo quasi vniuersi successor imperij creatus est: deinde quoquo modo in Macedonia, Antipatro dominante regnauit, vbi denique ab Olympiade cum Eurydice vxore occiditur.

Lib.

Diod. L. 19.

XXXVI. *Et in plura regna laceratur.*

POSTREMO *laceratum regnum* Alexandri docet l. 10. Curtius, qui decem prouincias, prima quasi sortitione factas, cum totidem Satrapis recenset, quas quidam credidere testamento Alexandri fuisse distributas. Iustinus

vero

vero l. 13. tredecim, Diodorus l. 18. etiam plures. Illi deniq; externi, præter Macedones quos Propheta significat, videntur esse Indorum reges, Alexandro dedititij, Porus, Taxilles, Oxyartes Roxanes pater, aliique nonnulli, quos iidem Scriptores memorant, qui deinceps regna, quibus erant præfecti, pro regibus gubernarunt: quod de cæteris quoq; omnibus eodem loco Iustinus affirmat. *Non magno post tempore*, inquit, *quasi regna non præfecturas diuisissent, sic Reges ex præfectis facti, magnas opes non sibi tantum parauerunt, verum & posteris reliquerunt.* Idque scriptura non tacuit. (l. 1. Mach. 1. v. 9.) *Et obtinuerunt pueri eius regnum vnusquisque in loco suo, & imposuerunt sibi omnes diademata post mortem eius, & filij eorum post eos annis multis.* Quorum omnium historiam pertexere operosissimum, minimeque necessarium, aut instituto nostro conueniens foret.

XXXVII. *Quæ regna deinceps explicanda.*

Ac ne quatuor quidem illorum primariorum, siue Satraparum, siue Regum gesta in annos singulos digerenda visa sunt. Nam neque Macedonas à principio in Annalibus digessimus, sed tum suscepimus cum ad Imperium pertinuere. Neque Asiæ regnum in Antigono, sexto ab hinc anno inchoatum diu stetit, sed in eius filio Demetrio, qui sese Seleuco genero suo regi Syriæ dedidit, terminatum est; aut potius Syriæ regno coniunctum. Itaque duo regna supersunt, quæ sola persæpe deinceps à Scriptura memorantur, Syriæ & Ægypti, quorum illud Regnum Aquilonis, & Græcorum, hoc Regnum Austri appellatur.

Quæ à Scriptura memorantur.

Quæ duo regna, quoniam Annales nostros sacris literis in primis volumus famulari, deinceps persequemur, cum Romano imperio paulatim augescente. In quod illa ipsa regna, quasi maiora flumina in Oceanum tandem deriuata, & nomen & cursum suum amisere. Qua in re Scripturam imitabimur, quæ Danielis 11. hæc duo tantum regna, sub nominibus regnorum Austri & Aquilonis persequitur. Qua de re Hierony. ibid. *Idcirco autem cætera regna dimittens, Macedoniæ videlicet & Asiæ, tantum de Aegypti & Syriæ narrat regibus, quia in medio Iudæa posita, nunc ab illis, nec ab istis regibus tenebatur. & Scripturæ sanctæ propositum est, non externam absque Iudæis historiam texere, sed eam quæ Israelitico populo copulata est.* Res tamen Macedonicas, plurimis annis cum Romana Asianaque historia vehementer coniunctas, prætermittere nec possumus, nec debemus.

XXXVIII. *Regnum Ptolemæi Lagi.*

Primvs omnium amicorum ac ducum Alexandri, Ptolemæus Lagi filius prouinciam sortitus est Ægyptum, cum ea parte Africæ, quæ in ditione Macedonum erat. Eam illi prouinciam tradidit Cleomenes, qui Alexandriam iussu Alexandri ædificarat. Erat is homo improbus, quiq; multis iniuriis Ægyptios affecerat, vt testatur Arrianus l. 7. quo etiam factum est, vt Ptolemæus, qui alioqui non vulgari animi moderatione, sapientiaque pollebat, præter eximiam fortitudinem Alexandro sæpe probatam, tanto esset ei genti acceptior, tantoque faciliorem aditum inueniret ad parandum, stabiliendumque sibi, posteritatique suæ regnum, in trecentos fere annos consequentes. Eum Daniel illis verbis significat. *Et confortabitur Rex Austri.* Qui vt ait ibi Hierony. vir prudentissimus, fortissimus, ac ditissimus fuit.

XXXIX. *Cuius filius fuerit.*

Dictvs est hic Ptolemæus, Lagi filius, ad differentiam aliorum multorum, qui eodem nomine deinceps appellati sunt. Scribit tamen Pausanias in Atticis, eum non Lagi filium fuisse, sed Philippi, ex Arsinoë concubina, quæ ex Philippo grauida, ab eo tradita est Lago, & apud eum Ptolemæum enixa est, vt mirum sit Iustinum dicere (lib. 13.) eum ex gregario milite, virtutis causa, ab Alexandro prouectum. Quomodo enim regio Macedonum, ortus sanguine, in gregariis eorum militibus censeri potuit? Est porro hic primus Ptolemæi annus, qui magna ex parte cum vltimo Alexandri concurrit, quemadmodum & postremus incidit in primum Ptolemæi Philadelphi filij eius: sicque verum est quod ait Eusebius in Chronico, eum 40. annis regnasse: nec minus verum, quod alij affirmant, eum annos tantum 38. Ægyptus præfuisse, computatis scilicet, vel exclusis extremis. Sed de Ptolemæo postea pluribus.

Quamdiu regnarit.

XL. *Res à Dictatore in Samnio gestæ.*

Qvod ad Romanam rem attinet, repete lector memoria, quæ anno superiore extremo diximus de anno hoc, in quo Dictator & Mag. Equitum Consulum vices subiere, re contra Samnites gerenda. Et anno quidem præterito res inchoata est à Dictatore, & Mag. equitum. Hoc autem, propter vtriusque acerrimam contentionem, primo aliquantulum impedita; deinde Imperatoris sapientia, & in milites humanitate non exiguum habuit incrementum. Rem egregiam, aut formidolosam potius contentionem in pauca contractam ex Liuio libr. 8. Sic habet.

Dictator vrbem auspicij causa repetit.

Incertis auspiciis itum erat à Dictatore in Samnium. Itaque monitus à pullario Dictator, repetendorum auspiciorum causa Romam reuertitur, simulq; Magistro equitum denunciat, ne absente se manum cum hoste conserat.

XLI. *Magister equitum pugnat iniussus.*

At Magister equitum Fabius cum post profectionem Dictatoris per exploratores comperisset, omnia apud hostes soluta esse, opportunitate rei bene gerendæ sollicitatus & gloriæ, quam sibi Imperator præreptam vellet, iuueniliter cupidus, instruxit aciem, cum hoste conflixit, & equite peditéq; fortiter pugnante, victoriam obtinuit. Viginti millia hostium cæsa eo die traduntur: quin etiam tradidere nonnulli, bis absente Imperatore cum hoste pugnatum, bis victoriam esse relatam. Cuius felicitatis ne gloria in Dictatorem redundaret, neu spoliis suum ornaret triumphum, omnia cum armis hostilibus subiecto igne concremauit, & literas de re prospere gesta, non ad Dictatorem, sed ad Senatum misit; præ se ferens se cum Dictatore victoriæ laudem minime communicare.

Et vincit.

XLII. *Et exercitũ sibi conciliat.*

Hic Papyrius vel Imperij sui contemptu, vel violatæ disciplinæ militaris zelo incitatus, vel detractæ sibi per inuidiam militis sui gloriæ dolore commotus, plenus minarum venit in castra. Cum interim Fabius conscius audacis facti, & sibi à Dictatore metuens, exercitum magno studio sibi conciliauit, & ab eo reddidit alienum. Postremo vitam fortunasque suas militum fidei, virtutique permittens, à tota concione audiuit, bono eum animo esse oportere, neminem ei vim allaturum, saluis legionibus Romanis. Haud multo post Dictator aduenit, concionem conuocat, per præconem Mag. equi. Q. Fabium citat, & cum eo expostulat, quod incertis auspiciis, turbatisque religionibus dimicans, Rempub. in discrimen vocarit: quod spreto Dictatoris imperio, simul cum numine deorum, ausus sit cum hoste confligere.

Dictator eum accusat.

XLIII. *Et capitis damnat.*

Adversvs quæ Q. Fabio cum respondere haud facile esset, Papyrius redintegrata ira spoliari Magistrum equitum, ac virgas, ac secures expediri iussit. Iamq; lictores vestem Fabio lacerabant, cum is fidem militum implorans ad triarios se recepit, & simul tumultus in extrema concione excitatur, proxima interim irritis precibus Imperatorem sollicitante. Cumque præ strepitu ac tumultu, nec ipsius Dictatoris, nec apparitorum eius vox audiretur, extracto per multas legatorum monitiones, ac preces tempore, nox certamini finem fecit. Cumque omnes affirmarent Papyrium contentione ipsa exacerbatum, infestius exarsurum postridie: Fabius clam è castris Romam profugit, & Patre autore M. Fabio, qui tertiam Consul Dictatorq; fuerat, vocato extemplo Senatu, cum maxime conquereretur apud Patres vim atque iniuriam Dictatoris, ipse infestus adest, in curiam infert se, & ibi iterata contentione, prehendi Papyrius Fabium iussit, frustra primoribus patrum, atq; vniuerso Senatu deprecantibus.

Tumultuatur exercitus.

Mag. equit. Romam fugit.

Fabii pater irritas cernens, aduersus durum Dictatorem, Senatus vniuersi preces, Tribunos plebis appellans ad populum prouocat.

XLIV. *Eius pater ad populum prouocat.*

Ergo ex Curia in concionem itur. Vbi Fabius senex aspere primum Papyrij superbiam, & crudelitatem increpat, qui tanquam ex hostium ducibus, sic ex Romano imperatore victoriam, & triumphum petat: multaque in eam sententiam vociferans, & filium plurimis cum lachrymis complectens, Deum hominumque obtestabatur fidem; & stabat pro eo maiestas Senatus, fauor populi, tribunitium auxilium, memoria victoriæ. Ex parte altera imperium inuictum populi Rom. disciplina rei militaris, & Dictatoris edictum pro numine semper obseruatum, seuera maiorum exempla Fabio aduersabantur. Et perstabat in sententia Papyrius Dictator, grauissimaque oratione demonstrabat,

stiauat, quanta clades Reip. Rom. ex tanto violatæ disciplinæ militaris exemplo pararetur.

XV. *Populus veniam supplex pro Fabio rogat.* CVM populus vniuersus ad preces & obtestationem versus est, vt sibi pœnam Magistri equitum Dictator remitteret. Tribuni quoque orare Dictatorem insistunt, vt veniam errori humano, veniam adolescentiæ Q. Fabij daret; satis eum iam pœnarum dedisse: iam ipse adolescens, iam pater M. Fabius contentionis obliti procumbere ad genua, & iram deprecari Dictatoris.

Cur illum Dictator donat. Tum Dictator silentio facto; Bene habet, inquit, Quirites, vicit disciplina militaris, vicit Imperij maiestas, quæ in discrimine fuerunt, an vlla post hanc diem essent: non noxæ eximitur Q. Fabius, qui contra edictum Imperatoris pugnauit, sed noxæ damnatus, donatur populo Romano: donatur Tribunitiæ potestati, precarium non iustum auxilium ferenti. Viue Q. Fabi felicior hoc consensu ciuitatis ad tuendum te, quam, qua paulo ante exultabas, victoria. Hæc, aliaque cum dixisset Papyrius, Magistrum equitum nihil se morari pronunciauit, dimissaque est concio, cum multa omnium lætitia, multisque hinc Magistro equitum, inde Dictatori congratulantium vocibus.

XLVI. *Seueritatis v[...]tilitas.* FIRMATVMQVE imperium militare haud minus periculo Q. Fabij, quam supplicio miserabili adolescentis Manlij videbatur. Itaque quamuis absente Dictatore crebro Samnites mouerentur, & damnis etiam exercitum affecissent, quibus remedium adhiberi potuisset, nunquam tamen M. Valerius, qui legatus castris præerat, mouere se ausus est; & Q. Fabij memor, non tam vim hostium, quam trucem Dictatoris iram reueritus est. Quæ res *Exercitus in Dictatorem [...]* etiam exercitum ab Dictatore iam alieniorem, quod populi precibus dedisset Fabium, negatum suis, vehementius in odium concitauit, idque proxima contra Samnites pugna cognitum est. Cum enim Dictator exautorato *Ob id de impedita victoria.* Fabio, & vrbi præposito L. Papyrio Crasso Mag. equ. in castra rediisset, Samnites postero die instructa acie ad castra accesserunt. Dictator contra ita Romanas copias ad pugnam instruxit, vt si ducis consilia fauor subsecutus militum foret, debellari eo die cum Samnitibus potuisset. Verum à milite cessatum est, ac de industria, vt obtrectaretur laudibus ducis, impedita victoria est.

XLVII. *Lenit milites imperator.* QVOD cum Papyrius sensisset, temperandum ingenio suo duxit, & seueritatem miscendam comitati. Itaque adhibitis legatis, ipse sauciorum militum tentoria obiens, & singulos vt se haberent rogitans, curam eorum nominatim legatis, tribunisque, & præfectis demandabat. Rem per se popularem ita dexter egit, vt medendis corporibus, animi quoque Imperatori reconciliarentur. Itaque refecto exercitu cum hoste congressus, & præda militi denunciata, ita fudit fugauitque Samnites, vt ille vltimus eis dies conferendi signa cum Dictatore fuerit. Itaque pacem ab eo petunt: ille re ad Senatum reiecta, singula vestimenta militibus, & annuum stipendium dare iussit. Ita deductus ex Samnitibus exercitus, Dictator *Atque egregie victor triumphat.* triumphans vrbem est ingressus. Quem triumphum Capitolini Fasti Sigonij, & Onuphrij in annum V. C. 429. Non. Mart. referunt, quem sequimur cum Stephano Pighio, Temporario, Gordono, & aliis. Etsi Onuphrius & Cuspinianus hoc triumpho annum sequentem insignitum velint.

XLVIII. *Demosthenis in patriam reditus.* CONTIGIT hoc ipso anno mortis Alexandri reditus Demosthenis in patriam. Cum enim in Græcia Antipater pro Macedonibus, Laosthenes pro Græcorum libertate pugnaret, ipsumque Antipatrum prælio victum Laniæ obsideret, tota Græcia legati alij pro his, alij pro illis excurrebant, fautores suis partibus acquirere cupientes. Cum ergo Demosthenes sponte se legatis Atheniensium adiunxisset, & populos Græciæ contra Macedones libertatis oppressores excitaret, populus eo in patriam studio delectatus, ei reditum decreuit; missaque Æginam ad eum triremi, ex Pyræo in vrbem veniens, ab vniuersa ciuitate ad portas effusa acceptus est. Itaque sibi gratulatus est Demosthenes gloriosius se ab exilio, quam ipsum Alcibiadem rediisse, quod ciuibus non coactis, sed sponte reuocantibus in patriam, quam sæpe oratione defenderat, reuertisset. Pecuniariam autem 50. talentorum mulctam, ei artificiose condonarunt. Vide Plutarchum in eius vita.

ANNVS MVNDI 3731. SEXTÆ ÆTATIS, 215. Imp. Alex. 8. Ptolemæi Lagidæ & Oniæ Pont. 2. Olym. CXIV. 2. Archonte Cephisodoro. V. C. 430. Coss. C. Sulpitio Longo. II. & Q. AEmylio Cæretano.

Vide Dionys. l. 1. p. 121.

ANNVS ANTE CHRISTVM 322.

I. *Imperium Alexandri cur dicatur non mortuo.* QVAMVIS Alexander superiore anno defunctus, nunc regnare desierit, diuiso in multos successores imperio; quia tamen Imperium, quod ab ipso partum ac fundatum est, & ex vsu Chronologorum, atque ipsius etiam Scripturæ in Machabæorum libris Græcorum appellatur, nondum inchoatum est, donec res Asiæ in Seleuci potestatem cesserunt; & familia Alexandri in Aridæo, Rege Macedoniæ eius fratre, & matre Olympiade quoquo modo stabat: nec se adhuc Alexandri duces aperte Reges dicebant, reliquum tempus ad Seleucum primum, ab Alexandro Imperij Græci fundatore duximus appellandum.

Nouus pontifex Onias. Oniæ quoque pontificis primum hoc anno ponimus. Iosephum secuti, qui l. 11. extremo ait Iaddum, quem Ieddoam Scriptura vocat, eodem quo Alexandrum tempore obiisse, & Oniam filium summi sacerdotij successorem reliquisse: ei Genebr. 27. annos tribuit. Fuit autem hic Onias huius nominis Primus.

II. *Ptolemæus regnum Ægypti stabilit.* PTOLEMÆVS porro, vt scribit hoc anno Diodorus, sub initium l. 18. Ægyptum citra periculum adeptus, humanum se regionis eius incolis exhibebat, & octo millibus talentûm potitus, conductis qui æra mererentur, exercitum comparabat. Complures etiam amice erga illum propter æquitatem affecti, ad ipsum confluebant. Per legatos etiam cum Antipatro, qui in Macedonia rerum potiebatur, vt mox dicetur, societatis fœdus iniuit, quod certo futurum foret, vt Perdiccas Ægypti Satrapiam sibi adimere conaretur. Postea quam enim Perdiccas regias copias, regnique administrationem, & tutelam adeptus est, *Perdiccas vniuersum imperium Græcorum affectat Iustin. l. 13.* vniuersum Alexandri imperium affectans, Cleopatram Alexandri magni sororem sibi iungere properat, Olympiade eius matre affinitatem non aspernante. Harum enim autoritate & gratia, summam rerum potestatem sibi à Macedonibus conciliatum iri sperabat.

III. *Cogitat Antipatrum opprimere.* INTEREA verò vt Antipatrum, nihil ab ipso metuentem opprimeret, filiam eius Nicæam duxit vxorem. Itaque consilio cum suis inito, in quo Aridæus, & Alexandri magni filius, quibusdam visum est bellum in Macedoniam transferendum esse, quod Macedonia totius Imperij fons & caput esset; (vbi rerum potiebatur Antipater, cui non satis cum Olympiade conueniebat) & Aridæo & Perdiccæ in odium Antipatri fautura esset. Sed in rem potius *Et Ægyptum prius occupare.* visum est ab Ægypto incipere, ne in Macedoniam profectis, Asia interea à Ptolemæo occuparetur, sicque expeditionem Macedonicam impediret. Verum hæc Perdiccæ *Eius consilia Antipatro patefiunt.* consilia Antipatro, per Antigonum sibi amicum patefacta sunt. Antigonus enim insidiis à Perdicca appetitus, clam cum Demetrio filio ex Asia in Europam ad Antipatrum profugerat.

IV. *Antipatri & Crateri consilia contra Perdiccam.* Eo nuncio Antipater cum Cratero deterriti, bellum, quod ipsis cum Ætolis erat, quam commodissime possunt in præsentia componunt, & copias in Asiam quam celerrime transportari curant, vbi Præfecturam Asiæ Craterus acceptrurus erat, Europæ autem Antipater. Mitti etiam placuit legatos ad Ptolemæum, Perdiccæ maxime infensum, ipsisque amicum, & iisdem insidiis appetitum, societatis iungendæ causa; quæ Ptolemæo libentissimo iuncta *Societatem [...]* est. Interea Perdiccas rebus in Asia compositis, iter Ægyptum versus intendit. Sed Ptolemæus non societate solum Antipatri fortis erat; sed terminos etiam imperij, acquisita Cyrene vrbe, amplificauerat, factusque iam tantus

erat,

erat, vt non tam timeret hostes, quam timendus ipse hostibus esset. Nec res vltra hoc anno inter Perdiccam & Ptolemæum progressa est.

V. *Lamiacum bellum.* Hoc ipso anno Lamiacum bellum superiore anno inchoatum perfectum est. Athenienses enim & Ætoli cum Alexandri edicto de restituendis exulibus repugnarent, vt diximus, nec eius potentiæ aperte reluctari auderent, clam per Leosthenem quendam Atheniensem copias cótrahebant; quam rem Harpali pecuniæ, & Asiani milites exauctorati, qui ad Tænarum promontorium Peloponnesi commorabantur, valde promouebant. (*Morte Alexandri inualescit.*) Verum vbi de Alexandri morte certo constitit, populus ex professo in bellum incubuit, & belli ducem Leosthenem creauit, armis, pecunijsque instruxit, & in Ætoliam misit, vbi is 7. armatorum millibus auget exercitum, & vicinos populos (*Et Oratorum vtrinque studia.*) ad bellum Macedonibus inferendum, & Græciam in libertatem vindicandam per legatos inuitat. Idem Athenienses oratorum suorum opera faciebant. Hyperidem enim, præstantem in dicendo virum, & Macedonibus infensum in Peloponnesum mittunt, vt eam regionem ad belli societatem perduceret, cum interea Pytheas pro Macedonibus declamaret. Exulabat tum Megaris Demosthenes, qui se vltro Hyperidi socium adiunxit, & Syciona, Corinthum, Argos, cæterasque ciuitates Atheniensibus adiunxit. Ob quod factum missa ab Atheniensibus obuiam triremi, ab exilio, vt ante dixi, reuocatus est. Maximus ergo exercitus conflatus est, adeo vt ducentarum & quadraginta nauium classis ad bellum esset instructa, vt tradit Diodorus, quo nunc maxime (*lib. 18.*) vtimur.

VI. *Antipater prælio a Græcis victus.* ANTIPATER hoc apparatu territus, vndique auxilia contrahere conatur. Craterumque in primis, qui cum multis millibus, missione ab Alexandro accepta, è Cilicia in Europam traijcere parabat, ad se euocat. Interea cũ 13. millibus Macedonum, & sexcentis equitibus, (rarus enim tunc erat domesticus miles, propter supplementa copiarum, nuper in Asiam missa) classe centum & decem nauium in Thessaliam transit. Cumq; Thessali, qui maxime equitatu valebant, ei sese à principio adiunxissent, mox facti pœnitentes communi Græciæ exercitui se dediderunt. Quo facto Macedonum parte valde debilitata, & Græcorum roborata, Antipater prælio victus, cum nec acie iterum dimicare, nec tuto Macedoniam repetere posset, Lamiam Thessaliæ vrbem adit, ibiq; suppetias ex Asia (*Lamiæ se includit.*) præstolatur.

VII. *Vrbs à Græcis obsidetur.* LEOSTHENES continuo cum omnibus copijs Lamiam obsidet, & ad pugnam Macedones lacessit, & vrbem munitissimam haud facile expugnari posse sentiens, eam cómeatu intercludere, & hostem exitu prohibere parat. Cũ improuisi erumpunt Macedones, prœliumq; cum Græcis committunt in ducenda fossa occupatis. Cumq; Leosthenes suis opem ferret, saxo in capite ictus corruit, tertio die moritur, eique Antiphilus sufficitur. Interea Antipater (*Troes pugnat Leonnatus & vincitur.*) in omnem auxiliorem spem intentus Leonnatum euocat, qui cum 20. fere millibus peditum, & equitum duobus millibus, & quingentis in Macedonia celeriter contractis, per Thessaliam in hostes duxit; tum Græci soluta obsidione in eum copias educunt, vt prius cum eo confligerent, (*Soluta obsidione se vniunt.*) quam se Antipatro coniungeret. Committitur pugna, & Thessalorum equitum maxime virtute Leonnatus vincitur, multisq; vulneribus confectus occumbit. Postridie Antipater cum agmine suo se victis adiungit, duplici nomine lætus, & quod copijs auctus esset; & quod Leonnatus, ei futurus æmulus, occidisset.

VIII. *Græci classe victi. Craterus cũ copijs se iungit Antipatro. Et Græci vincuntur.* INTEREA Græci classem augent, & cum Macedonica, quæ Clytum habebat præfectum, congressi, bis prælio ad Echinadas insulas funduntur. At Craterus cum copijs non pœnitendis Macedonum atq; Persarũ venit in Thessaliam, & iunctis cum Antipatro, cui primas vltro detulit, castris, ad Peneum flumen consedit. Ibi coniunctæ Macedonum copiæ, peditum grauis armaturæ supra 40. millia, sagittariorum & funditorum tria millia, & equitum quinq; millia repertæ sunt. Græcorum autem copiæ longe minores erant. Multi enim partim in obsidione Lamiæ, vt Ætoli, partim aliquanto post defluxerant, vt summa ad 25. millia peditum, & equitum tria millia & quingentos ascenderet. Itaq; de summa rerum prælio decernere nolebant, donec sui ex vrbibus reuerterentur: sed ab Antipatro coacti in certamen veniunt, & Thessalorum equitum virtute, Macedonib⁹ propemodum pares è prælio discedunt. Cum tamen plures è suis quam Macedones amisissent, inito concilio, an post suorum reditum redintegraturi essent prælium, an de componendo bello legatos iam tum mitterent.

IX. *Cum eis pacem init Antipater.* DECRETVM est pacem quærendam, legatiq; ea de re ad Antipatrum missi: qui vt tot populos à se inuicem disiungeret, non communem cum omnib⁹ pacem, sed cum singulis per legatos agere voluit. Id cum Græci respuerent, Antipater cum Cratero Thessaliæ vrbes obsidebant, & vi capiebant, Græcis opem ferre non valentibus. Itaq; coactæ singulæ ciuitates pacem petere, eam Antipater benigne æquis conditionibus concessit.

Ad quã compelli Athenienses. Athenienses autem & Ætoli omnium inimicissimi Macedonico nomini, quiq; primi Lamiacum bellum conciuerant, à socijs derelicti, cum ducibus suis de bello frustra consultant, Antipatro in Athenienses vim omnem belli conuertente. Itaq; pacis causa Demadem mittunt ad Antipatrum, qui negat se alia conditione pacem Atheniensibus concessurum, nisi omnia sua eius potestati permitterent. Qua scilicet nuper conditione Antipatro Lamiæ incluso, se pacem facturos Athenienses eius legatis responderant.

X. *Et quib. conditionibus.* CVM ei conditioni coacti acquieuissent, perhumanum se illis Antipater exhibuit. Ad duo tamen & 20. millia, Plutarch. in Phocione supra 12. millia, tenuiorum in Thraciam è patria transtulit; reliquis Solonis legibus vrbem administrare iussis. Præfectum quoq; Menyllum cũ præsidio, qui rerum nouarum molitionibus obsisteret, recipere sicut coacti; quod Plutarchus in vita Demost. Boëdromione mense factum scribit: in Phocione, die 20. quo (*Quid cũ Ætolis gesserit.*) mysteria Eleusine celebrantur, qui mensis Augusto Romanorum respondet. Cæterum Halycar. in Dinarcho sub Philocle, qui mox Archon fuit, hæc Atheniensibus contigisse tradit. Supererant Ætoli, qui se impares viribus agnoscentes, deserta magna ex parte Ætolia, in auia se mótium loca receperunt, vbi & locorum natura, & arte muniti, grauissimis damnis Macedones, à quibus bello petebantur, afficiebant: quos etiam niues & frigidum anni tempus vexabant; cum Antipater intellectis ab Antigono Perdiccæ consiliis, pacem cum illis, vt diximus, quoquo modo composuit, sperans expeditis maioris momẽti cum Perdicca negotijs, se illos fortunis omnibus euersurum. Sicq; bellum Lamiacum cum præsenti, vt apparet, anno terminatum est.

XI. *De Demosthenis obitu fuit.* MVTATA porro celeriter Atheniensium fortuna, res quoq; Demosthenis illico in deterius conuersæ sunt. Audi enim Plutarch. in eius vita. *Non licuit ei à reditu diu frui patria, sed conuulsis illico Græcorum cœptis, cum allatum esset Antipatrum & Craterum contendere Athenas, Demosthenes cum suis occupauerunt clam vrbe excedere*, vt qui sibi conscius esset se omnibus ingenii, ac linguæ viribus, populum domi forisque aduersus Macedones concitasse. Eos populus, ex Demadis rogatione, rei capitalis damnauit, tanquam publicæ rei in grauissimis eius difficilimisq; temporib. desertores. Aliis alio dilapsis, Demosthenes primo Trœzenem se contulit, postea Macedonum violentiam, & Troëzemorum imbecillitatem veritus, in Calauriam, quæ modica est in Trœzenio sinu insula profectus est, vbi proximo anno, vt dicemus interiit.

XII. *Aristoteles Athenis fugit. Et cur.* Hoc eodem anno Aristoteles cum tredecim annis docuisset Athenis, vt tradit Laërtius, schola sua & docendi munere Theophrasto relicto, clam in Chalcidem concessit. Dionysius quidem ad Ammæum ait Aristotelem duodecim annos annos in Lyceo scholas habuisse, decimo tertio vero, Alexandro mortuo, prætore Cephisodoro Chalcidem migrasse, sed res eodem redit. Furtiui autem discessus causam afferunt, quod ab Eurymedonte Hierophanta impietatis accusatus esset. siue vt Phauorinus in omni-

omnimoda historia refert, à Demophilo, quod hymnum in Herniam scripsisset, cum eius concubinam duxisset uxorem, eique gaudio elatus sacrificasset, ut Athenienses solerent Eleusinæ Cereri. Quæ quantam mereantur fidem, viderint, qui prodidere posteris. Non est incredibile aliquid ab ipso dictum in deorum suorum contumeliam; qui persuasum haberet unum esse principem, unum cœli naturæque totius authorem. Probabilius porro est clam Athenis profugisse, quando & alij Antipatri, & Macedonum metu inde se proripuere. Nam qui infensum habuerat Alex. propter Callisthenem, sibi ab eius hæredibus, in quorum manus venturæ essent Athenæ, metuebat. Cæterum cum ad tertium & sexagesimum annum vivendo pervenerit, ut affirmat Dion. oportet eum sequenti anno, sicut & Demosthenem obiisse. *Causa probabilis.*

ibid. XIIII. In Italia Samnites, pro pace, quam quærebant, annuas inducias retulerunt, quas ne sancte quidem coluerunt, postquam Papyrium magistratu abiisse didicerunt, sed erexerunt animos ad bellum, cum sa recens Apuli eis contra Romanos adiunxerunt. Sulpitio ergo Samnites, Apuli Æmylio, sive Aulio, ut in quibusdam annalibus appellatur, sorte evenerunt; nec tamen res ulla memorabilis acta. Nocturnus terror urbem invasit, & ad arma excitavit, sic ut Capitolium atque Arx & mœnia portæque plenæ armatorum fuerint: prima autem luce nec autor, nec causa terroris comparuit; dæmone mortales sibi obnoxios pro arbitrio ludificante. *Romana res.*

ANNVS MVNDI 3732. SEXTÆ ÆTATIS 216. Imperij Alexandri 9. Ptolemæi Lagi 3. Oniæ Pontif. 3. Olympiadis CXIV. an. 3. Archonte Athenis Philocle. Urbis Cond. 431. Coss. Q. Fabio Rulliano, & L. Fulvio Curvo. A. Cornelio Arvina Dictatore.

ANNVS ANTE CHRISTVM 321.

I. MVLTIPLICI clarorum virorum morte, tam pacis quam belli artibus insignium, nobilitatus est hic annus. Perdiccas quippe ducum Alexandri clarissimus atque potentissimus, penes quem reges Macedoniæ Aridæus, & Alexandri filius, cum regiis copiis erant, in Ægypto à suis interfectus est. Craterus quoque Alexandro charissimus, & Neoptolemus, quibus etiam Polysperchonta Iustinus addit; nisi potius Polysperchonta pro Cratero per imprudentiam sumit, repugnante Diodoro, Æmylio, Plutarcho, reliquis. Postremo Philosophorum, atque Oratorum in Græcia clarissima lumina Aristoteles, atque Demosthenes è vivis abierunt. Sed quæ publicam rem magis attingunt prius tangenda sunt, quam privata funera inspiciamus. *Tres anni [illegible]*

II. SCRIBIT Diodorus Alexandri funus biennio ab Aridæo maximis sumptibus apparatum, magnificentissima pompa Babylone, in Ægyptum delatum: magnificentiam currus illius apud eundem luculenter descriptam reperies. hoc ipso anno. Ptolemæus in honorem Regis, ei cum exercitu ad Syriam usque obviam processit, & acceptum corpus maxima cura prosecutus, ei delubrum Alexandriæ construxit, & pro dignitate exequijs, ludisque funebribus honoravit. Nec iniuria, ut qui eum genere proxime ac consanguinitate contingeret. Nam ut autor est Arrianus, a & Pausanias, b Macedones Ptolemæum re ipsa Philippi filium, verbo autem Lagi fuisse existimant. Eius enim matrem uterum ferentem à Philippo Lago uxorem datam ferunt. Ita Pausanias. Hoc autem facto præter singularem, qua erga omnes utebatur humanitatem, & rerum gerendarum prudentiam, qua pollebat, omnium sibi Macedonum animos conciliavit, & ad se tuendum contra imminentes Aridæi regis copias adiunxit. Cum contrà Perdiccæ odium arrogantiæ, quam vires hostium plus noceret. *Funus Alexandri in Ægyptum latum lib. 1.* *a L. 1. p. s. [illegible] b L. 1. p. 5.*

INTEREA Perdiccas cum expeditionem in Ægyptum pararet, Eumenem virum fide, ac fortitudine præstantem, quippe Philippo septem annos, Alexandro tredecim à secretis fuerat: regiæque familiæ, quam Perdiccas tuebatur, erat addictissimus, Eumenem inquam ad Hellespontum præmiserat, cum idoneis copijs, in quibus erant Alcetas Perdiccæ frater, & Neoptolemus, unus de primarijs Alexandri ducibus, & princeps armigerorum eius, ut Antipatrum & Craterum traiectu in Asiam prohiberet; sed illi iam cum Macedonicis copijs traiecerant. Quo cognito Eumenes, dissimulans apud suos, contra quos duceret, devijs itineribus, ad hostem pervenit, & prius in aciem eduxit exercitũ, præliumque commisit, quã milites sui scirent, cum quibus arma conferrent, ut ait Æmilius Probus in Eumene. Verum id paulo post contigit: certum est enim ex Diodoro, Plutarcho, Iustino, Eumenem prius contra Neoptolemum feliciter pugnasse. III. *Perdiccas in Thraciam mittit Eumenem cum Neoptolemo.*

IV. NAM Neoptolemus indignum ratus sua dignitate Eumeni subesse, quem videlicet contemnebat, dictitans cum clypeo se & hasta, Eumenem cum stylo & tabellis Alexandrum secutum, ut Plutarch. in eius vita. Itaque insidias ei struere cœpit. Clam enim missis ad Antipatrum nuncijs, societatem cum illo pactus est; sed fraude detecta, ad manus conferendum adactus, & copias fere omnes amisit, & parum à cæde abfuit, & ex fuga collectis trecentis equitibus ad Antipatrum se contulit, & Craterum: qui paulo post per legatos Eumenem ad se pertrahere, ingentibus promissis frustra conati sunt. Cum enim ei antiquior esset rebus omnibus data Perdiccæ fides, prælium ineundum fuit. Verum enim Craterus omnibus Eumenis copijs esset acceptissimus, provideretque Eumenes, suos ægre contra illum pugnaturos, rumore vulgavit Neoptolemum iterum ingruere, & Pigrem cum Cappadocum & Paphlagonum equitatu, (in Cappadocia enim pugnabatur. Æmylius Probus apud Hellespontum:) & in acie contra Craterum non Macedonas, sed Persarum & Phœnicum equites opposuit: contra quos pugnans Craterus ex equo deiectus, semianimis à Gorgia Eumenis duce conservatus est, ut scribit Plutarchus in Eumene. Diodorus tamen ait eum, cum in terram ab equo cespitante fuisset excussus, ibi in confuso densoque equitum globo ignorum proculcatum, ignobili exitu vitam finisse. *Quo inter se pugnant, Neoptolemus victus ad Antipatrum fugit.* *Diodor.* *Crateri mors*

V. INTEREA armis odijsque infesti Eumenes & Neoptolemus acerrime inter se concurrunt; mox strictis gladijs, & remissis habenis, mutuo sibi manus iniiciunt, detrahunt cassides, & divellunt ex humeris loricas. Dum ita semutuo lacerant, equis simul subterfugientibus in terram delapsi, & connexi prehendunt alter alterum, colluctanturque. Inde Eumenes priori assurgenti Neoptolemo poplitem succidit, maturavitque attollere se in pedes. Neoptolemus altero innixus genu, altero afflictus strenue ex inferiore loco dimicabat, sed vulnera non inferebat lethalia: percussus autem secundum collum concidit, elanguitque. Quem dum Eumenes ex ira & vetereo dio spoliat, atque increpat dictis, gladio, quem adhuc tenebat, imprudentem ad extremam loricam vulnerat: sed ictus debiliter adactus, terruit magis, quam læsit Eumenem. Hæc Plutarch. quibus simillima Diodor. Atque ita Eumenes victoria potitus est, cæsis duobus hostium, & dudum Magni Alexandri primarijs ducibus. *Eumenis cum Neoptolemo certamen.* *Neoptolemi cædes.*

VI. HÆC dum in Asia fiunt, in Ægypto Perdiccas contra Ptolemæum bellum gerit. Fallitur enim Diodorus, atque secum ipse pugnat, dum ait Perdiccam audita Eumenis victoria, confidentiorem factum ad expeditionem in Ægyptum. In Ægypto enim iam erat, & victoriæ nuncius, ut ipse fatetur, non nisi postridie mortis Perdiccæ allatus est, aut, ut ait Plutarchus, post duodecim ab eius morte dies: quam Diodorus pluribus refert. Summa hæc est. *Perdiccæ in Ægyptum expeditio.*

Perdiccas non procul Pelusio castra posuerat, ubi & exercitum, in repurganda veteri fossa, irrito labore fatigavit, Nilo eius opera incrementis suis labefactante. Inde clam sub vesperam castris motis, ad oppidum venit Nilo vicinum, cui nomen erat Murus Camelorum. Id quoque *Imprudentia eius vanæ.*

frustra obsedit, Ptolemæi milite, ad loci propugnationem illapso. Ergo damnis & ignominia plenus, in castra sua reuersus, ea noctu mouet, & tacito itinere, in regionem quandam venit Memphi aduersam, vbi Nilus in duas partes scissus insulam efficit, quæ & castra & exercitum maximum recipere queat. Eo dum parat traijcere copias, supra duo millia suorum tam amnis profunditate, quam armorum & corporum pondere, & belluarum voracitate amittit.

VII. *A quibus occidatur.* Qvo facto efferati in eum Macedones, duce Pythone, vno de primarijs Alexandri amicis, vel Seleuco, & Antigono, vt ait Probus, noctu eius tentorium inuadunt, eumque obtruncant, & Ptolemæo se dedunt. Atque ita qui se totius Alexandriæ imperij hæredem fore spetabat, tertio ab eius morte anno, in magno omnium odio extinctus est; aduersario cum magna omnium gratia victoriaq; derelicto.

Antithesis Perdiccæ, & Ptolemæi. Nec sane mirum: nam, vt ex eodem Diodoro constat, Perdiccas ad cædes propensus erat. At Ptolemæus etiam cum hostibus humanitate certabat. Nam quos ex Perdiccæ exercitu fluctus hauserant, & ad eius castra eiecerant, exequijs honorifice actis, ossa ad amicos & necessarios eorum remisit. Ille hoc moliebatur vnum, vt remotis ab ab imperio cæteris ducibus, solus per vim regnū teneret. Hic sua prouincia atque administratione contentus, omnium sibi beneuolentiam benefactis conciliabat. Ille consilia per se sibi capiebat, & omnibus inscijs quo tenderet, castra noctu mouebat. Hic libenter consilia cupiebat, & sententię dicendæ libertatem ducibus integram relinquebat.

VIII. *Ptolemæi prudentia.* Ille imprudenter laboribus milites periculisq; obijciebat; hic prudenter loca opportuna bello, validis præsidijs, omnique telorum, ac commeatus genere occupabat; quo fiebat vt ei omnia recte succederent, omnes eum diligerent, ad eum confugerent, pro eo defendendo mori parati essent. Ille contra passim desertus à suis, ac

Animique moderatio. tandem obtruncatus est. Sed illud quoque moderationē animi Ptolemæi prodidit, quod occiso Perdicca postridie congressis ad concionem militibus, deuectus eo Ptolemæus, Macedones salutat, commeatum subministrat, & omnibus necessarijs castra replet, tantamque omnium gratiam consecutus est, vt Regum tutelam, & omne Perdiccæ imperium obtinere posset: id tamen non expetiit, sed Pithoni & Aridæo conciliauit: qua tamen tutelā Pithon mox abdicauit se: Macedones autem eam curam Antipatro commiserunt. Eodem porro impetu Perdiccæ amicorum cæsi sunt fidelissimi, atque adeo soror Athalanta, quam vxorem duxerat classis eius gubernator Attalus: qui hoc nuncio accepto Pelusio soluens cum classe Tyrum venit, vbi subsistens collectos Perdiccæ amicos recreauit.

IX. *Damnantur Perdiccæ fautores, cuius curæ succedit Antipater.* Perdicca extincto delatus est nuncius victoriæ Eumenis de Cratero & Neoptolemo. Quod si pridie, inquit Diodorus, Perdiccæ mortem nuncius anteuertisset, nemo illi manus, propter successus magnitudinem, ausus esset inferre: Perdiccæ quippe æmuli duorum ducum cæde valde debilitati erant. At illo extincto, quod reliquum erat Macedones Eumenem, & Alcetam Perdiccæ fratrem, aliosq; qui cum eis erant, capite damnarunt, & contra eosdem Antigonum cum Cassandro filio ducem elegit Antipater, qui in Perdiccæ curam Macedonum electione successerat. Cumque Antigonus in Asia bellum parat, Antipater cum Regibus (Alexandri filiis, Hercule, & Alexandro posthumo) Macedoniam adit, vt reges in patriam reduceret. Plutarch. ait Antipatrum cum Antigono delectos contra Eumenem.

X. *Antigonus Eumenem bello persequitur.* Antigonvs ergo Imperator Asiæ declaratus, Eumenem in Cappadocia, quam et dudum Perdiccas addi addixerat, bello persequitur, vt Diodorus tradit, eique Plutarchus, & Probus consentiunt. Licet Iustinus l. 14. eum in Europa, atq; adeo circa Ætoliam fuisse dixerat. Ætolorum quidem meminit hoc anno Diodorus, sed nihil ad Eumenem. Qui minime fractus animo, etiam bellum præparabat, optabatq; in campis Lydiis contra Antigonum ferro decernere, quod ab equitatu firmus esset; simul etiam quod Cleopatræ, quæ tum Sardibus erat, vt Iustinus notat, vires suas ostentare gestiret, & præcipuos copiarum suarum duces eius autoritate & voce confirmari, hoc ipso quod à suis partibus sororem Alexandri Cleopatram stare cernerent. Verum illius ipsius adductus precibus, verentis ne calumniæ sibi apud Antipatrum foret, superiorem Phrygiam petiuit, hybernauitque Celænis. Ita Plutarch. ex quo intelligitur, reliqua, quæ ad Eumenem pertinent, huius anni non esse, quod innuit Diod. cum ait Antigonum ex hybernis copias contra Eumenem contraxisse.

L. 18. XI. *Ptolemæus Phœniciam & Cœlesyriam acquirit.* Sed Ptolemæus iamdudum nos ad se vocat; qui interea non contentus paratam Ægyptum possidere, Perdicca cæso, & Antipatro cum regiis copiis, à se in Macedoniam amandato; animaduertens Phœniciam, & Cœlesyriam Ægypto perquam commodè adiectum iri, operam dedit, vt illis prouinciis potiretur. Nicanorem igitur vnum ex *Opera Nicanoris.* amicis suis, ducem creat, & cum iustis illuc copiis mittit. Is expeditione in Syriam facta, Laomedontem regionis Satrapam capit, Syriamque totam in potestatem redigit. Ita Phœniciæ quoque vrbes subigit, præsidiisq; munit, & operosa intra breue tempus expeditione perfunctus, in Ægyptum redit. Ita Diodorus in fin. huius anni, *init. L 12.* quibus consentiunt, quæ Iosephus Iudæis contigisse scribit: qui tamen non meminit in hac expeditione Nicanoris qui & Seleucus dicitur. & postea Syriam & Babylonem proprio nomine tenuit. Euseb. quoq; in Chronico de Iudæis eadem refert in præsentem annum tertium Olymp. centesimæ decimæ quartæ.

XII. *Et in illos Iudæos sabbato quiescentes.* Iosephvs ergo cum plurima damna vrbibus illata dixisset, ex contentionibus principum, qui Alexandrum secuti fuerant. Idem totam Syriam passam fuisse ait sub Ptolemæo Lagi. *Quem præter meritum*, inquit, *Soterem appellabant. Is & Hierosolyma occupauit, dolo tamen circunuenta. Ingressus enim vrbem Sabbato, velut sacrorum gratia, Iudæis nec attentibus, quod nihil hostile suspicarentur, & alioqui eum diem in otio & quiete agentibus, sine difficultate potitus dominio, acerbe eam, & inclementer turbauit.* Sic ipse. Qui id confirmat ex Agatharchide Cnidio, qui successorum Alexandri res gestas conscripsit, qui superstitionem Iudæis exprobrat, *l. 1. contra Appionem* quod propter eam libertatem amisissent. Eadem alibi ex Agatharchide recitat. Vbi vocat Ezechiam Pontif. Iudæorum, qui vltro in Ægyptum cum Ptolemæo profectus sit. Qui tamen non fuit summus Pont. neque enim vrbem & templum deseruisset, etsi à Iosepho vocetur ἀρχιερεύς. Verum id nonnisi ex Hecatæo refert, qui rerum Iudaicarum peritus esse potuit, vt alienigena. Eadem ex libris Machabæorum fidem accipiunt. Nam tunc quoque, mille fere homines, a qui die sabbati noluerunt defendere se, interfecti sunt.

a Vt patet ex 1. Mach. 2. 32. 33.

XIII. *Iudæi in Ægyptum translati.* Addit porro Iosephus, Ptolemæum multos Iudæos ex montano tractu, & Hierosolymorum vicinia, Samariaque & Garizin monte, in Ægyptum traduxisse, ibique sedem figere iussisse. Huc faciunt quæ habet Aristæas in libello de 70. Interp. *Ille*, inquit, *Regis Philadelphi pater, vna cum Andrea ducens exercitum per Cœlem Syriam, atque Phœniciam, omnia sibi subiecit. Nam hos quidem in coloniam, illos in prædam abduxit; cuncta terrore prosternens; adeo vt ex Iudæa hominum centum millia in Aegyptum deduceret. Ex quorum numero armatis electorum 30. millibus, eos in prouincia custodiam disposuit. Antea quoque & multi cum Persis, atque inde aliis cum sociis, qui aduersus Aethiopum regem, cum Psammitico missi sunt, venerant; sed non tanta multitudine, quantam solus Ptolemæus Lagi deduxit. Nam ille viros quosque ætate, atque robore præstantes eligens armauit. Cæteram vero colluuionem, in coloniam instituit, ea mente, vt si quando milites sui, ob bellorum necessitatem, insolescerent, his eorum iactantiam compesceret.*

XIV. *Ibi positis in præsidiis.* Qvæ autem subdit Iosephus hic consentanea posterius aliquanto videntur contigisse, sed ignorantia certi temporis his coget adiungere. *Et cum Hierosolymitas*, inquit, *pertinacissimè iurisiurandi fidem seruare compertum haberet, ex responso quod Alexandri legatis post Darij cladem dederant, multis ex eis præsidia disposuit per arces: & cum eis apud Alexandriam*

tis ciuitatum pari cum Macedonibus conditione dedisset, sacramento omnes deuinxit, seruaturos fidem posteris eius, qui tam multa ipsis crediderat. Non pauci propterea reliquorum Iudaeorum sponte in Aegyptum migrauerunt, partim vbertate terra allecti, partim Ptolemaei erga suam gentem liberalitate. Quæ fuerit hæc liberalitas non satis apparet, seruos tamen eos fuisse sub hoc Ptolemæo, & quidem maximo numero, ex ipsomet Iosepho constat, qui sub huius filio Ptolemæo Philadelpho ait Iudæos Hierosolymitas in Ægypto seruientes numero 120. millia liberos dimissos. Quæ liberalitas in eum esse potest, cui omnium pretiosissimam sustuleris libertatem?

XV. *Mors Arist. & Demost. tempus.* *lib. 5.*

Hic quoq; annus Aristotelis & Demosthenis morte insignitur à Laërtio in vita Aristotelis, vbi ex Apollodoro in Chronicis refert Aristotelem, postquam tredecim annos in Lycæo docuisset, perrexisse Chalcidem, & tertio anno centesimæ quartæ decimæ Olympiadis morbo periisse, cum esset ferme annorum sexaginta trium: quæ habet etiam Dionysius in Epist. ad Ammæum. Tot autem numerantur ab anno primo Olymp. 99. quando natum eum scribit Halycarnasseus. Sed pergit Laërtius, *quo etiam tempore Demosthenes in Calabria defunctus est sub Philocle.* Sic ibi, Sed manifestum erratum est, quod in Calabria dicatur defunctus, cum Calauria dicendum sit, vt recte quoq; Andreas Schottus noster animaduertit, & sequentia perspicue docebunt. *Et locus Calauria è Lt. & Casaub. emend.* Nam Pausanias in Atticis. *Ibi Demosthenes*, inquit, *ex arte est, quem in Calauriam* insulam Troëzeni obuersam Athenienses exilij causa concedere coëgerunt, reuocatumq; *paulo post*, iterum post cladem Lamiacam in exilium miserunt. Quo tempore in eandem insulam reuersus, *hausto veneno interijt.* Sic ipse. Mela vero. *Li. c. 7.* In Troëzenio sinu insula est Calauria inter ignobiles, alias leto Demosthenis nobilis. Meminit eiusdem insulæ Strabo l. 8. eiusq; circulum ait 30. stadiorum, & à continente freto 4. stadiorum dimidi.

XVI. *Modus mortis Demosthenis.*

Idem ex Plutarcho certum est, ex quo historia mortis eius plenius habetur. Vbi inter alia; Aliis aliò dilapsis, circummisit ad eos arripiendos Antipater satellites, quorum fuit Archias dux, quem Phygadotheram, quasi exulum venatorem appellabant, & paulo post. Hic igitur Archias Hyperidem oratorem, Aristonicum Marathonium, & Demetrij Phalerei fratrem Himeræum, ex Aiacis fano, quo Æginæ confugerant extractos, Cleonas misit ad Antipatrum, vbi interfecti sunt. Hyperidi linguam quoq; tradunt excisam. Inde ad Demosth. quem in Calauria sedere supplicem in delubro Neptuni acceperat, nauigiis actuarijs traiecit. Vt descendit cum Thracibus satellitibus suasit vt surgeret, ac secum pergeret ad Antipatrum, nihil ei mali metuendum esse. Sed ille, sustine parumper tum nonnihil domum scribam. *Mors Hyperidis.*

XVII. *Demosth. veneno se interemit.*

Sic fatus recessit in interiora templi, & sumpto libello quasi scripturus, Calamum (imbutum veneno) ori admouit; quem mordens, vt in cogitando & scribendo assueuerat, aliquantum temporis ita Calamum tenuit: tum caput obuolutum reclinauit, & aliquanto post cum ad abeundum vrgeretur, ad aram transiens concidit, & cum gemitu animam efflauit. Et paulo post. *Decessit decimo sexto die mensis Pyanepsionis, quem diem sacrum Cereris tristissimum agentes in templo Deæ ieiunant fœminæ. Et paulo post populus Atheniensis meritum honorem habens, statuam ex ære posuit, &c.* porro mensis Pyanepsion Octubri dicitur responderе. Fuit autem hic annus ætatis Demosthenis sexagesimus: 102 enim ab anno vltimo nonagesimæ nonæ Olympiadis, ad tertium centesimæ decimæ quartæ numerantur computatis extremis, & omnino quindecim Olympiades. A. quoq; Gellius 60. annos Demostheni attribuit.

XVIII. *Mors Aristotelis.*

Qvod ad mortem Aristotelis, eadem cum Laërtio narrant Halycarnasseus, Ammonius, & Strabo, qui l. 10. Chalcide incolæ Eubœæ Metropolim commoratum, & defunctum tradit. Suidas ait eum obiisse *aconito hausto, quod ob Hymnum in Hermiam eunuchum scriptum, in ius vocatus esset. Alij morbo decessisse dicunt anno ætatis septuagesimo.* Sic Suidas. Caussam mortis eandem illi quam Demostheni crediderim. vt supra significauimus. Nec inuento qui scribat vulgo iactatam fabulam, de Aristotele se in mare abijciente, quod reciprocos illius cursus, atque æstus capere non potuisset. *Primus Bibliothecam construxit.* Scribit l. 13. Strabo, Aristotelem suam Bibliothecam, & Scholam Theophrasto reliquisse. *Primus omnium*, inquit, *qui nobis noti sunt Aristoteles, Bibliothecam congestu librorum composuit; idque Aegypti reges facere docuit.* Sic ipse. Id certe facile fuit Ptolemæo Lagidæ persuadere, viro non solum militari, sed etiam erudito, cuius de Alexandri expeditione historiam, crebro citat Arrianus. Sed de Bibliotheca regum Ægypti, in Ptolemæo Philadelpho cum Iosepho dicendum erit. Nunc reuisamus Italiam.

XIX. *Bellum in Samnites sub extremum L. a.*

Refert hoc anno Titus Liuius populum Romanum contra Sabinus, vel Consule, vel Dictatore duce ancipiti marte pugnatum, nam quidam annales huic, alii illi victoriam & triumphum ascribunt. Certe cum à principio iniquiore loco à Romanis castra posita essent, quasi procul abesset hostis, dum noctu ea mouentur, ne militum virtuti damno locus esset, Samnites incursare in hostem nouissimos carpere, iniquis ad transitum locis agmen detinere, denique pugnæ necessitatem afferre. Itaque in pugna iis animis fuere, nihil vt Romanis cæderent, & ab hora diei tertia, ad octauam certamen anceps esset, donec Samnitium equitum turma vna, animaduersis Romanorum impedimentis sine custode, in ea improuidè irruerunt.

XX. *Bellū confectum.*

Qvod cum Dictatori trepidus nuncius attulisset, *sine modo*, inquit, *sese præda præpediant:* & simul Magistrum equitum, quam instructissima acie poterit, iubet in dissipatos, impeditosque impedimentis hostilibus inuadere. Inuadit, cæde omnia replet; deletoque prope equitatu, circumductis paululum alis, ab tergo pedestrem aciem adoritur, & improuiso malo terret, turbatque: cum Romanus hortatu Dictatoris renouatis animis & viribus cum clamore vrget fluctuantem hostis aciem. Itaque partim in medio cæsi, partim in fugam dissipati sunt; pedites restantes ac circumuentos cecidit, eques fugientium stragem fecit, inter quos & ipse cecidit hostium Imperator.

Quod Samnites ipsi damnant.

Hoc prælium Samnitium vires non solum infregit, sed ad belli iniquitatem damnandam, & fœderis frangendi autores, cum Romanam præda dedendos, inuitauit. In iis maxime Brutulus quidam Papius censebatur, qui voluntaria morte, ignominiæ se, supplicioq; subtraxit. Itaq; feciales Romam missi, & Brutuli corpus exanime placuit & bona eius dedi. Nihil tamen earum rerum præter captiuos, ac si qua cognita ex præda sunt, acceptum est; cæterarum rerum irrita fuit deditio. Dictator ex Senatusconsulto triumphauit.

ANNVS MVNDI 3733. SEXTÆ AETATIS 217. Imperii Alexan. 10. Ptolemæi Lagi 4. Oniæ 4. Olympiadis CXIV. an. 4. Archonte Athenis Archippo, siue Apollodoro. Vrbis conditæ 432. T. Veturio Caluino Sp. Posthumio Albino Coss. *Dionys. in Dinarcho. Diodorus.*

ANNVS ANTE CHRISTVM 320.

I. *Copiæ Antig. & Eumenis in Asia.*

Continet hic annus res primùm inter Eumenem & Antigonum in Asia gestas. Cum enim vterq; per hyemem rebus suis prouidisset, Antigonus supra decem millia peditum, quorum plerique erant Macedones, & duo millia equitum, cum triginta elephantis coëgit, vt ait Diodorus l. 18. *Eumenes vero*, inquit, *non minus viginti millia peditum, & quinque millia equitum*; sed haud dubiè erratum est in numeris. Qui enim fieri potest, vt Antigonus, qui totius Asiæ imperator declaratus erat; & secum regias habebat copias, duplo minorem exercitum haberet Eumene, iam proscripto, quique præter Antigonum, etiam Antipatrum, & Ptolemæum, qui in Macedonia, Græcia, Ægypto, Syria, Phœnica dominabantur, *Proscriptus Eumenes.*

bantur, hostes habebat. Certe quasi proscriptum tractabat Antigonus. Itaque libellos spargi curauit in castris Eumenis, centum talenta, & honestum ordinem proponentes ei, qui Eumenem interfecisset. Exarsere autem grauiter Macedones; decreueruntque vt ex præstantissimis, mille essent assidue corporis eius custodes, stationesque, & excubias vicissim agerent. Plutarchus in Eumene.

II. *Proscriptionem fama ter eludit. L. 14.* AT Iustinus elegantius: Cum reuersus, inquit, in castra esset, epistolæ totis castris abiectæ inueniuntur, quibus iis, qui Eumenis caput ad Antigonum detulissent, magna præmia definiebantur: His cognitis Eumenes, vocatis ad concionem militibus, primo gratias agit, quod nemo inuentus sit, qui spem cruenti præmij fidei sacramento anteponeret: deinde tamen callide subnectit confictas à se has epistolas, ad experiendos ad suorum animos. Cæterum salutem suam in omnium potestate esse; nec existimare se Antigonum, nec quenquam ducum sic velle vincere, vt ille pessimum in se exemplū statuat. Hoc facto, & in præsenti labantium animos detetruit, & sapienter in futurum prouidit, vt si quid simile accidisset, non se ab hoste corrumpi, sed à duce tentari milites arbitrarentur. Hactenus Iustinus.

III. *Eumenes in pugna proditione vincitur.* NON frustra tamen sollicitatos ab Antigono scribit Diodorus. Antigonus, ait, per internuncium cum Apollonide, equitum præfecto quodam, apud Eumenem agente, ingentibus promissis effecit, vt in pugna ad hostes Eumene prodito transiret; quod cum fecisset, victoria cum cæde octo millium Eumenianorum, & omnium impedimentorum præda, ad Antigonum deuolauit. *Fugit ad arcem Nora.* Tradit deinde eum in Armeniam fugere instituisse, vt Armenes in societatem armorum pertraheret; sed Antigoni celeritate præuentum, castellum quoddam munitum, Nora nomine, occupasse, cum sexcentorum amicorum, tam equitum, quam peditum manu. Et arcem quidem illam perexiguam fuisse, vt cuius ambitus duo stadia non excederet, sed firmitate, tam ab arte, quam à natura admirandam. Domos in excelsa petra habuisse constructas, & omni commeatus genere affatim in plurimos annos instructas: repugnante Plutarcho, qui frumenti quidem, & aquæ, & salis copiam ibi repositam fuisse tradit, verum quod esui esset, vel condimenti aliud nihil adfuisse.

IV. *Dimissa parte copiarum.* EAM arcem Plutarchus ad Lycaonis, & Cappadociæ confinium positam tradit, Æmylius in Phrygia, eoque cum quingentis equitibus, & ducentis peditibus refugisse; magnamque partem militum induxisse vt facesserent, quod eos trahere secum nollet, pauciores quam ad signa conferenda, neque plures quam ad tegendam fugam suam. *Iterum proditione fugatus elabitur.* Sed priusquam eo se loco includeret, ab Antigono per proditionem fusus, vt idem ait, dum consectantur fugientem, non dedit facultatem proditori, vt ex fuga elaberetur ad hostes, sed arreptum suspendit; fugiens autem contraria quam illi tenebant, qui eum insequebantur via, insciis illis conuertit iter, atque præteritis hostibus ad locum venit, vbi fuerat pugnatum. *Magnitudo animi eius.* Ibi castra metatus mortuos cremauit, excitatisq; tumulis recepit se: vt Antigonus, qui post eò peruenit, eius animi constantiam obstupesceret. Sed vide etiam prudentiam, atque temperantiam.

V. *Abstinet à præda hostili.* CVM in Antigoni impedimenta incidisset, & magnam vim liberorum capitum ac seruitiorum, & prædarum ex tot bellis & populationibus congestarum, capere posset, Menander quippe qui ea seruabat, eo loco erat, in quo ab Eumenis equitatu facile cingi, & expugnari poterat, abstinuit tamen, vel Macedonas hoc facto sibi demereri volens, vel veritus ne sui præda onusti, minus ad fugam habiles redderentur. *Et quare* Sed quia si ab eo lucro palam militem auocasset, inuidiam ferre non potuisset, eosque à se alienos reddidisset, quorum opera maxime indigebat, iussit suos curare corpora, & equis pabulum dare. Interea ipse clam Menandrum, pro veteri amicitia monet, vt se inde recipiat in locum equitatui minime obnoxium, quod ille propere est executus. Tum Eumenes propalam exploratores misit, & militē ad inuadenda impedimenta instruxit, sed referunt exploratores Menandrum se ad tutiora loca recepisse. Eumenes fingens se id moleste ferre, abduxit copias, & dimissis aliquibus, in arcem Nora se recepit.

VI. *Obsidetur in arce.* QVAM priusquam obsidione cingeret Antigonus, vt inquit Plutarchus, vel post eam duplici muro, vallis, fossisque cinctam, vt mauult Diodorus, Eumenem ad colloquium, dato obside filio fratris sui Ptolemæo, euocat, eumque pro veteri amicitia perhumaniter accipit; cumq; eum nullam veniæ, aut salutis suæ mentionem facere videret, sed potius satrapias sibi restitui, ac præmia reddi postularet; mirari omnes eius animi præsentiam. Antigonus de his se relaturum ad Antipatrum pollicitus, eum tutum & incolumem suæ arci restituit.

In qua de ijs quæ aderant facile commilitonibus communicabat, eosq; ad mensam suam inuitans conuiuium lepidis sermonibus, pro sua humanitate, & dicendi facultate condiebat: equos etiam domi artificiose exercebat.

Antigonus, relicto quod castelli oppugnationi sufficeret præsidio, ad ingruentes cum exercitu hostium duces Alcetam fratrem Perdiccæ, & Attalum eius classis præfectum contendit. Eumenes complures menses, vt ait Probus, in obsidione perseuerat, legatos autem ad Antipatrum de pace non ante annum sequentem misit, ad eius tamen vsq; mortem, in arce clausus perdurauit.

VII. *Bellū Samniticum probrosum.* HIC quoq; annus Romanis probrosus admodum, ac luctuosus fuit. Caudinam enim pacem cum Samnitibus dedecore plenissimam continet, quam Liuius ab initio l. 9. præclare pertractat, Florus in epitome vix attingit, qui gloriosam tantum Romam exhibere cupit: nos mediam de more sequemur viam.

C. Pontius insidias Romanis parat. Samnites hoc anno Imperatorem C. Pontium Herennij filium habuerunt, patre longe prudentissimo natum. Is vbi legati, qui Romam missi ad dedendas res fuerant, pace infecta redierunt, monere suos cœpit, vt quoniam ea legatione expiatum esset, quidquid ex rupto fœdere cœlestium irarum in Samnites esset, nunc bellum, dijs ipsis ducibus, contra Romanorum superbiam esse gesturos, eosque bellum, quia pacem nollent esse habituros. Ergo educto exercitu prope Caudiam Apuliæ vrbem, castra quam potest occultissime locat. Inde ad Calatiam, vbi iam Coss. Rom. castraque esse audiebat, milites decem, pastorum habitu mittit, quos non procul à Romanis præsidijs diuersos pascere iubet, vbi inciderint in prædatores, vt idem omnibus sermo constet, legiones Samnitium in Apulia esse, Luceriam omnibus copijs circumsedere, nec procul abesse quin vi capiant. Iam & is rumor, antea de industria vulgatus venerat ad Romanos, sed fidem auxere captiui, eo maxime, quod sermo inter omnes congruebat.

VIII. *In cassem fraude pertrahit.* QVONIAM ergo necessarium videbatur promptissimum Lucerinis auxilium ferre, ne optimi socij perirent, & cum ijs Apulia tota deficeret, viam compendiosam eligunt, quæ medium campum habebat, præaltis montibus, perpetuisque circumseptum, cuius aditus exitusque angusti. In eum campum cum se Romanus demisisset exercitus, & ad alias angustias protinus pergerent, septas deiectu arborum, saxorumque ingentium obiacentem molem inuenere.

Cum iam fraus hostilis, & præsidium in summo saltu appareret, retro viam remetiri moliuntur, sed aditum hostium armis clausum inueniunt. In eo carcere dum attoniti, atque immobiles consistunt, etiam ab hostibus irridentur. *De captiuis patrem consulit.* Hic Pontius patrem Herennium per literas consulit, quid facto esset opus. Ille respondet omnes inde quam primum inuiolatos dimittendos: quod cum non placuisset, secundo consultus, omnes ad vnum interficiendos censuit; quod optimum duceret cum potentissimo populo, per ingens beneficium perpetuam firmare pacem; vel tanto delero exercitu, in multas ætates bellum differre, dum vires res Romana reciperet.

IX. *Armis spoliatos sub iugum mittere placet.* MEDIAM quasi viam elegit Pontius, quæ nec amicos redderet captiuos, nec tolleret inimicos. Ergo cum

in castris Romanis multi frustra conatus ad erumpendum capti essent, & iam omnium rerum inopia esset, victi necessitate legatos mittunt, qui vel pacem æquam peterent, vel ea non impetrata, prouocarent ad pugnam. Tum Pōtius debellatum esse respondit; & quoniam ne victi quidem ac capti, fortunam fateri scirent, inermes cum singulis vestimentis sub iugum missurum. Alias conditiones pacis æquas victis ac victoribus fore, si agro Samnitium decederetur, coloniæ abducerentur, suis deinde legibus Romani, ac Samnites æquo fœdere viuerent. His conditionibus paratum se fœdus cum consulibus inire; si quid eorum quæ proponuntur, displiceat, legatos ad se redire vetat.

X. *Consentiunt duces.* Hoc nuncium tanta tristitia vniuersum exercitum affecit, quanta si nunciatum esset omnibus eo loco mortem oppetendam esse. Cum L. Lentulus legatus eam deditionem quantumuis ignominiosam suadet, quod ea sit caritas patriæ, vt tam ignominia, quam morte ciuium, si opus sit, seruanda videatur.

Totamque exercitum. Ergo Consules in colloquium veniunt; & quoniam iniussu populi fœdus feriri non posset, spondent de eo se cū populo acturos, sexcentos equites, qui obsides imperabantur daturos, arma tradituros; Spoponderunt Coss. legati, quæstores, tribuni militum. Luctuosissimus fuit eorum reditus in castra, parumq; abfuit quin eis manus inferrentur, quorum inconsulta temeritate in eam necessitatem ventum esset. Primi porro exire iussi, qui erant obsides futuri: exiere autem inermes, cum singulis vestimentis, atq; in custodiam abducti sunt.

XI. *Spoliati Coss. caeterique sub iugum transeunt.* TVM à Coss. abire lictores iussi, paludamentaq; detracta; quod tantam inter ipsos, qui paulo ante eos execrantes, dedendos, lacerandosque censuerant, miserationem fecit, vt suæ quisq; conditionis oblitus, ab illa deformatione tantæ maiestatis, velut à nefando spectaculo auerteret oculos. Primi Coss. prope seminudi sub iugum missi, tum vt quisq; gradu proximus erat, ita ignominiæ obiectus: tum deinceps singulæ legiones: circunstabant armati hostes explorantes, eludentesq;. Ita in hostium oculis sub iugum traducti, cum ex saltu euasissent, etsi velut ab inferis extracti sibi videbantur, seipsos tamen summo cum pudore intuebantur. Iraq; cum Capuam ingredi *Capuam ingredi non audent.* ausi non essent, ab vrbe omnia necessaria Consulibus, atque exercitui submissa sunt: tum Senatus, populusq; obuiam progressus, postremo ipsi in vrbe omni officio humanitatis excepti sunt. Illi nihilominus deiectis oculis, animisq; tacere, & indolem illam Romanam, cum armis amissam patefacere, quasi iugum adhuc ceruicibus ferrent, sub quo emissi essent.

XII. *Ignominiam hanc Roma prosequitur.* ROMÆ quoq; ingens vbiq; luctus sponte susceptus est, ad tam fœdæ deditionis famam, tabernæ circa forū clausæ, iustitiumq; in foro sua sponte cœptum, priusquam indictum, laticlaui, annuli aurei positi pene mœstior exercitu ipso ciuitas; nec ducibus solum, atq; autorib. sponsoribusq; pacis irasci, sed innoxios etiam milites odisse, & negare vrbe tectisue accipiendos.

Eam militis fortem rapiunt. Et lucem defende fugiunt. Quam concitationem animorum fregit aduent⁹ exercitus, etiam iratis miserabilis; non enim tanquam in patriam reuertentes ex insperato incolumes, sed captorum habitu vultuq;, ingressi sero in vrbem, ita se in suis quisq; tectis abdiderunt, vt postero atq; insequentibus diebus nemo eorum forum, aut publicum aspicere vellet. Consules in priuato abditi, nihil pro magistratu agere, nisi quod expressum Senatusconsulto est, vt Dictatorem dicerent comitiorum causa: sicq; abijt hic annus, quem Paulus Orosius non rectè 426. ab Vrbe Condita nominat, cū *l. 3. c. 14.* fasti Onuphrij atq; Sigonij 432. ponant, eisq; Cuspinianus, Sigonius, Pighius, Gordonius, Temporarius, aliiq; consentiant. Alii sequenti anno pacem Caudinam tribuunt, vt Onuphrius in cōmentarijs, Functius, Greillius, & si qui alii. Mercator vno anno verum antecedit.

* † *

ANNVS MVNDI 3734. SEXTÆ AETATIS 218. Imperii Alexan. II. Ptolemæi Lagidæ, & Oniæ 5. Olympiadis CXXV. AN. I. Archonte Athenis Neæchmo. Vrbis conditæ 433. Coss. Q. Publilio Philone III. & L. Papyrio Cursore II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 319.

I. *Antigonus potentior fit. Aliis sibi regnum moliatur.* MINVNTVR in dies præclari illi duces ac bellatores Alexandri Magni, quibuscum orbem terrarum subiugarat, & mutuis sese cladibus conficiunt. Hic enim annus Alcetam Perdiccæ fratrem, ad voluntarium interitum cogit. Attalum, Docimum, Polemonem Antigono subiicit: eique noua consilia suggerit, cum in ludorum Olympicorum stadio Damasias Amphipolita coronatus est. Antigonus enim adiunctis sibi copiis Eumenianis, *Eumenem ad se conatur pertrahere.* Satrapiisque, & reditibus illarum potitus, magnam insuper pecuniarum vim adeptus, cum nemo ex ducibus Asianis cum eo auderet de primatu contendere, ad maiora aspirare cœpit. Et quamuis in præsentia amicitiam erga Antipatrum præ se ferret, in animo tamen suo constituerat, rebus suis rite confirmatis, neque regibus deinceps, neque Antipatro obtemperare, vt scribit Diodorus. Quæ causa fuit, vt Eumenem, insignis fidei ac fortitudinis hominem, omni studio ad suas partes pertrahere conaretur, quod etiam post Antipatri mortem studiosius fecit, vt sequenti anno dicemus. Quamuis porro Eumenes arcta obsidione teneretur, vt scribit idem Diodorus; erupisse tamen crebro cum expedito equite oporter, cum Probus asserat eum, quotiescunque voluit, & apparatum & munitiones Antigoni aliàs incendisse, aliàs disiecisse.

II. *In Perdiccæ factionem mouet. Eius fratrem in Pisidia vincit. Multique duces capti.* INTEREA Antigonus in Alcetam Perdicæ fratrem, & Attalum eiusdem classis præfectum, qui soli sibi de factione Perdiccæ resistere posse videbantur, & rei summam adhuc dubiam tenere, expeditionem parat, & in Persidem è Cappadocia, vbi Eumenem vicerat, cum toto exercitu proficiscitur. Ibi quippe Alcetas erat cum suis, & intra septimum diem, continuato die noctuque itinere, bis mille & quinquaginta stadia emensus, ad vrbem quę Cretensium dicebatur, inexpectatus aduenit. Et primo cum equitatu Alcetæ feliciter inito prælio, vix ei ad pedites, post magnam iacturam, aditus patuit. Inde altero prælio cum toto exercitu commisso cum esset, & loci opportunitate, & copiis multo superior, fuso profligatoque toto exercitu, Attalus cum Docimo, & Polemone, multisque præclaris ducibus capiuntur. Alcetas cum lectissima sexcentorum Pisidarum manu, quam sibi dudum officiis, atque humanitate deuinxerat, in Pisidiæ vrbem Termessum fuga lapsus euasit.

III. *Antigonus est humaniter tractat, suosque misceri. Alcetā Perdiccæ fratrem obsidet. Qui sibi interficit.* ANTIGONVS è prælio superstites in fidem, atque ordines suos recepit, eisque exercitum vehementer auxit. Cumeoque Termessum infestus petit, & Alcetam sibi dedi postulat. Cumque seniores Alcetam dedere vellent, nec patriam ob vnum Macedonem in discrimen adducere; iuuenes, qui se Alcetæ addixerant, pertinaciter restitere. Quare illi coniuratione facta, per legatos Antigono pollicentur, se Alcetam viuum aut mortuum in eius manus manus tradituros: si quo modo ille oppidanos velitationibus eliciat, atque simulata fuga longius iuuentutem, quæ tunc eruptura erat, extraheret: tum seniores desertum Alcetam oppressuros; quod & factum est. Viuus tamen capi non potuit, quod sibi manum afferre occupasset, ne in hostium veniret potestatem.

IV. *Antigonus regreditur.* TRADITVM est cadauer Antigono, vili lacerna indutum; quod ille triduo contumeliose tractauit, cumque iam fœteret insepultum abiecit, atque ex Pisidia discessit, & iter Phrygiam versus intendit. At corpus Alcetæ Pisidæ iuuenes honorifice tumularunt. Hæc pluribus Diodorus l. 18. Quæ dum geruntur in Pi-

ib. 24.

sidia, Eumenes ex arce literas ad Antipatrum mittit, & legatos supplices, vt inquit Iustinus, auxilia contra Antigonum postulans. Quæ cum eodem scriptore concessa esse constet, oportet consilia Antigoni, aut patefacta, aut suspecta esse cœpisse, vt est ambitio suspicax: neque enim alioqui & inimicum impotem virium in gratiam reciperet, & amicum longe potentissimum, sibi sine causa redderet inimicum. Quamquam non negabo istiusmodi Antipatri auxilia mihi suspecta esse, cum de iis Diodorus, Plutarchus, Æmylius Probus plane conticescant: & solutionem obsidionis Eumenis non copiis Antipatri, sed eiusdem auditæ morti ascribant, vt sequenti anno, quo res contigit, dicemus. Annuam fuisse eius obsidionem Diodorus affirmat: qui etiam ait Aridæum male habitum ab Antigono, misisse partem exercitus cum præfecto, vt Eumenem obsidione liberaret, eique se coniungeret. Itaque Antipatrum pro Aridæo Iustinus fortasse posuerit. Nunc ad Romanos vlciscendæ contumeliæ studio flagrantes transeamus.

Eumenes egressus molitur.

V. *Pacem Caudinam dedititiones antiquandā censet summo iud. qui eam fecerat.*

M. VALERIVS Coruinus interrex Consules creauit Q. Publilium Philonem, & L. Papyrium Cursorem, haud dubio consensu ciuitatis, quod nulli ea tempestate duces clariores essent. Quo primum die creati sunt, magistratumque inierunt, de Caudina pace ad Senatum retulerunt. Et Publilius, penes quem fasces erant, quique rogabat sententias, Sp. Posthumij Exconsulis sententiam rogat. Qui vbi surrexit, eodem illo vultu, quo sub iugum missus fuerat, author fuit Senatui, quoniam populus Romanus non teneretur sponsione, quæ iniussu eius facta esset, nec quidquam ex ea, præter sponsorum corpora deberetur Samnitibus, vt per feciales nudi vinctique eis dederentur; sicque populo religione soluto, iustum piumque bellum contra Samnites de integro iniretur.

VI. *Insignis Posthumij virtus.*

NON dubitauit eam contra se ferre sententiam, quæ sibi cum acerbissimis cruciatibus, mortem apud infestos Samnites allatura videretur; quod postea exemplum, euentu licet dispari Attilius Regulus secutus est. Et concludens *vos dij*, ait, *immortales precor, quæsoque si vobis non fuit cordi Sp. Posthumium & T. Veturium Coss. cum Samnitibus prospere bellum gerere, at vos satis habeatis vidisse nos sub iugum missos, vidisse sponsione infami obligatos, vidisse nudos vinctosque hostibus deditos, omnemiram hostium nostris capitibus excipientes: nouos Consules, legionesque Romanas ita cum Samnite gerere bellum velitis, vt omnia ante nos Consules bella gesta sunt.* In qua re, vt de facti iure non disputem, fortissimus certe animus, geminaque in Deum & patriam pietate præstans, summa laude dignus est, qui primum se, ad conseruandos ciues maximæ ignominiæ dediderit: rursumque vt patriam gloriosam atque incolumem reddat, & & deos violati fœderis vltores placet, propitiosque vtbi sinæ efficiat, suppliciis sese, atque contumeliis irati hostis obijciat. Quo animo futurus erat in verum Deum; qui tali reuerentia in sacrilegos deos fuit? qua fortitudine pro cœlesti patria fuisset, qui pro terrena tam constans, tam negligens fuit sui?

VII. *Autores pacis deduntur hosti.*

QVIN plura? deditionem obtulit, ac persuasit? ipse cum reliquis sponsoribus fœderis, abdicato magistratu, traduntur fecialibus, Caudium abducuntur, in ore omnium cum eximia prædicatione versantur. Interea delectus fit in populo, ira ac belli cupiditate flagrante. Delectus omnium prope voluntariorum fuit. rescriptæ ex eodem milite nouæ legiones, ductusque ad Caudium exercitus.

Non recipiuntur.

Prægressi feciales vbi ad portam venere, vestem detrahi pacis sponsoribus iubent, manus post tergum vinciri: tum fecialis eos Samnitibus dedit; illi oblatos non recipiunt, sed vinculis solui iubent; qui fide sua liberata, in castra Romana inuiolati redierunt. Inter hæc Satricani ad Samnites defecerunt, & vtrorumq; necopinato aduentu, Fregellæ colonia nocte occupata est, multis perfidiose, ac crudeliter interfectis.

VIII. *Romanorum sponsor in Samnio sub Publilio.*

PORRO Coss. inter se partiti prouincias Papyrius in Apuliam ad Luceriam pergit, vbi obsides Romani equites ad Caudium dati custodiebantur, Publilius in Samnio substitit aduersus Caudinas legiones. Etsi autem cupiebant Samnites opem ferre Luceriæ, veriti tamen à tergo instantem Publilium, cum eo primum pugnare statuerunt: sed tantus erat militum clamor prælium poscentium, vt nec adhortatio imperatoris audiri potuerit, neque præliorum legitima seruari. Omnia quippe ira militaris vesano impetu egit. Itaque non fusi modo hostes sunt, sed ne castris quidem suis fugam impedire ausi, Apuliam dissipati petiere: Luceriam tamen, coacto rursus in vnum agmine, peruentum est. At Romanos ira eadem, quæ per medium aciem hostium tulerat, & in castra pertulit, vbi plusquam in acie sanguinis fusum, prædæque pars maior ira corrupta.

Victoria.

IX. *Papyrius Luceriam obsidet. Samnites pugnam parāt. Quam Tarentini frustra impedire cupiunt.*

ALTER exercitus cum Papyrio per loca maritima Luceriam, non sine periculis peruenere, eamque ita obsedere, vt inclusi exclusique penuria laborarent: sed Publilij aduentus cum victore exercitu, arctiorem reddidit obsessis commeatum. Itaque cum spes nulla esset obsessos diutius inopiam laturos, Samnites signa cum Papyrio conferre statuunt. Cumque vtrique se ad prælium parant, legati Tarentini interueniunt, qui vtrosque ab armis discedere non orant, sed imperant; adduntque minas, se contra eam partem, arma laturos, per quam stetisset, quo minus arma posita essent. At Papyrius nihilominus contemptis, elusisque Tarentinis, dijs authoribus copias educit, nequicquam vociferantibus Samnitibus, se in Tarentinorum autoritate manere, nec pugnaturos. At Consules eam se mentem hostibus precari dixerunt, nimirum vt incruentam de ipsis victoriam obtinere possent.

Simulque in vallum, in castra impetum faciunt, & ira exulceratos ignominia animos extimulante, armatos inermesq; occidunt, seruos liberos, puberes impuberes, homines iumentaque; nec vllum superfuisset animal, ni Coss. receptui signum dedissent, auidosque cædis milites è castris hostium imperio, & minis expulissent, monuissentq; parcendum vlterius sæuire, vt sexcentos equites Luceriæ inclusos recuperarent, ne desperata venia hostes cæcos in supplicia eorum ageret.

X. *Luceria fame expugnata.*

IO cum probatum esset, alter Consulum Publilius cum suo exercitu Apuliam peragrat, & plerosque populos circumquaque vel vi subegit, vel in societatem accipit. Alter Luceriam arctissime continet. Illi obsessis omnibus viis, quibus commeatus ad se afferri poterat, fame domiti, legatos misere ad Coss. vt receptis equitibus, qui causa belli essent, obsidioni obsisterent. Quibus Papyrius insultans respondit debuisse eos Pontium Herennij filium, quo authore Romanos sub iugum misissent, consulere quid victis patiendum censeret. Cæterum nunciare Luceriam iussit militem se cum singulis vestimentis sub iugum missurum, vlciscentem illatam, non nouam inferentem ignominiam. Nihil recusatum; septem millia militum sub iugum missa, in quibus ipsum Pontium fuisse traditum est, ad expiandam Coss. ignominiam; prædaque ingens Luceriæ capta, receptis omnibus signis, armisque, quæ ad Caudium amiserant: & quod omnia superabat gaudia, equitibus recuperatis, qui dati fuerant obsides pacis. Exercitus cum triumpho, incredibilique lætitia in vrbem reductus est: etsi aliqui triumphum in annum sequentem reiiciant, in quem Papyrij Cursoris continuatus est consulatus, vt ex Liuio, & Signnio intelliges. Nos redimus in Græciam, vbi Antipatri mors multis motibus initium dabit.

Septem millia sub iugū missa.

Obsides recepti.

·†·

totius laborum tolerantia, cui neminem habebat parem, illa integra sanitas, quam in magna sæpe inedia, in frequenti crapula, in diurnis nocturnisque vigiliis, ne tentatam quidem vnquam accepimus. Verum illa duo maxime, quę in Plutarcho, & Curtio legimus. *Odorem*, inquit ille, *ex cute eius gratissimum afflasse, & os eius, totamque corpus reddidisse flagrantiam, quam interiores tunicæ retinebant, in commentariis Aristoxeni legimus.* In causa fuit fortassis feruidum & igneum corporis eius temperamentum. Gignitur enim odoris suauitas, vt Theophrasti est opinio, concoctis à calore humoribus, vnde aridi & feruidi tractus orbis, plurima atque optima aromatum genera producunt, &c. Curtius autem hoc profert argumentum, quod cum corpus septimum iam diem in locis feruidis, & æstuosis iacuisset exanime, nulla tabe, ne minimo quidem liuore corruptum inuentum est: ex quo, vt supra dicebamus, Plutarchus veneni opinionem refellit. Vigor quoque, inquit, Curtius qui constat ex spiritu, non destituerat vultum. Itaq; Ægyptij, Chaldæique iussi corpus suo more curare, primo non sunt ausi admouere velut spiranti manus. Deinde precati vt ius fasque esset mortalibus attrectare eum, purgauere corpus, repletumque est odoribus, aureum solium, & capiti adiecta fortunæ eius insignia. Denique Ptolemæus, cui Ægyptus cessit, corpus Memphim, & inde paucis post annis Alexandriam transtulit. Et de Alexandro hactenus: ad successores tanti imperij, quoniam maior erat moles, quam vt vnus eam subire posset, transeamus.

XXX. *Varia de regni successore sententiæ. Perdiccæ.*

BABYLONE corporis Alexandri custodes, In regiam principes amicorum, ducesque copiarum aduocauere. Secuta est militum turba cupientium scire, in quem Alexandri fortuna esset transitura. Perdiccas regia sella in conspectum vulgi data, in qua diadema, vestisque Alexandri, cum armis erant, annulum sibi pridie traditum à Rege, in eadem sede posuit: quasi prærogatiua suffragij, & iuris sibi à Rege concessi in commune deposita. Tum quæstionem de constituendo, ac decernendo imperij huius principe proposuit, censuitque Roxanes partum, ea sextum iam mensem prægnans erat, expectandum esse; interea disquirendum à quibus placeat tantam Rempub. administrari. *Nearchi.* Nearchus classis Alexandri hactenus præfectus, aiebat non expectandum nondum ortum regem, sed esse à Barsine filium Regis, cui diadema dandum sit. *Ptolemæi.* Ptolemæus vtrunque improbat, vt filios captiuarum, nec fas esse Macedones, qui Persas vicerint, eorum stirpi seruire. Sententiam autem vt qui dudum Regis consiliis adhibebantur, coëant; eoque quod maior pars eorum decreuerit stetur, duces præfectique copiarum his pareant.

XXXI. *Aristoni pro Perdicca suffragium.*

ARISTONVS censuit Perdiccam pro Rege habendum esse, vtpote ab Alexandro ipso electum, & traditione annuli designatum. Quod cum vniuersi verum censerent, procedere in medium Perdiccam, & Regis annulum tollere iubebant. At is pudorem inter & cupiditatem hærebat, & cunctabatur, vt illi quod cuperebat, pertinacius offerrent. *Imprudens recusatio.* Imprudens, qui modestiam potius in gratiarum actione, quam in tergiuersatione non posuerit. *Meleagri, qui turbas mouet.* Nam continuo Meleager ab ipso reliquos auertere conatur, & seditionem mouens ad prædam hortatur, thesaurosque regios diripiendos, quod regiarum opum populus sit hæres. Iamque ipsum armatorum frequens globus ad prænunciatam prædam sequebatur. Cum Macedo quidā Aridæo Philippo genito, Alexandri fratri suffragatur, eique iure gentium regnum deberi pronunciat. *Exercitus in Aridæum consentit.* In quem mox concio vniuersa consentit, eumque regem pertinaci acclamatione declarant. Eum Meleager Perdiccæ infensus, in medium adducit in regiam, quem mox milites Philippum consalutant, Regem appellant.

XXXII. *Principes destinant tutores nascituro regi.*

CÆTERVM hæc vulgi vox erat, principum alia sententia. Hi tutores destinant filio ex Roxane nascituro Perdiccam & Leonatum, regia stirpe genitos. In Europa Craterum & Antipatrum res administraturos: tum exactum à singulis iusiurandum, fore in potestate Regis geniti Alexandro. Quibus animaduersis Meleager supplicij metu secedit cum suis. *Aridæus tuendi iure cedit.* Cedit quoque Aridæus principum autoritate conterritus. Sed rursus in eum inclinante exercitu, reducitur, & vestem fratris, quæ in Regia sella posita fuerat, induitur. Eum statim Meleager armatus assectatur, magno populi fauore, nihilque propius factum est, quam vt Perdiccas, eiusque fautores, qui ad conclaue, in quo erat adhuc corpus Alexandri secesserant, id agente Meleagro, è medio tollerentur. Sed Perdiccas primum cum multo equitatu extra vrbem exit, & hostilem in modum sæuit; moxque simulata reconciliatione cum Meleagro, trecentos, qui prima concione seditionem mouerant, & à Meleagro stabant, incautos oppressit, & simulata lustratione exercitus, pedibus elephantorum contriuit, Philippo rege nec prohibente, nec autore, sed euentum rei expectante, vt vel probaret factum vel damnaret: *Diod. lib. 18. ... dicit.* moxque Meleager damnata spe salutis, cum eius nomine, quem ipse fecerat regem, in perniciem suam abutentes videret inimicos, confugit in templum, ac ne loci quidem religione defensus, occiditur. *Meleager occiditur.*

XXXIII. *Perdiccæ imperij administratio sub Aridæo.*

PERDICCAS perducto in vrbem exercitu, concilium principum virorum habuit, in quo imperium ita diuidi placuit, vt Rex quidem Philippus Aridæus summam eius obtineret: Satrapæ autem & Principes, alij alias prouincias administrarent; Perdiccas cum Rege esset, copiisque præesset, quę regem sequebantur. Hæc pluribus Curtius, ex quo fere cæteri. Plutarchus in Alex. ait Perdiccam in summa fuisse potestate, Aridæo velut regni vmbra stipatum, vt qui medicamentis ab Olympiade mente debilitatus fuisset. *Vmbra regis.* Præterquam quod ex obscura quadam muliere Philine, corpus vulgante natus fuerat.

XXXIV. *Narratio Danielis de regno ... c. 11. 4.*

ET hæc fuerunt initia turbarum, quæ Alexandri mortem in eius imperio sunt consecutæ, quæ tanto ante prænunciatæ fuerant à Daniele. *Et cum steterit*, Alexander videlicet, *conteretur regnum eius, & diuidetur in 4. ventos cœli, sed non in posteros eius, neque secundum potentiam illius, qua dominatus est: lacerabitur enim regnum eius, etiam in externos, exceptis his.* Statum illum Alexandri, Q. Curtij verba illa docent. *Status regni sub Alexandro. l. 10.* *Expectauere eum fata dum Oriente perdomito, aditoque Oceano, quidquid mortalitas capiebat, impleret. Nomen quoque eius & fama rerum, in totum propemodum orbem reges, ac regna diffudit, clarissimique sunt habiti, qui etiam minimæ parti tantæ fortunæ adhæserunt.* Et paulo ante. *Adeo totum orbem nominis eius terror inuaserat, vt cunctæ gentes, velut destinato sibi regi adularentur.* Hic ergo fuit Alexandri status, sed tamen status in præcipiti, qualis in vertice rotæ esse potest. *Contritum est regnum eius*, dum abscisso capite, omnia tam vasti corporis membra procubuere. & tot regulorum, dynastarum, tyrannorum pedibus conterenda obiecta sunt.

XXXV. *Eius diuisio in 4. ventos. c. 8.*

DIVISIONEM porro in 4. ventos cœli, alio quoque iam loco idem Propheta prædixerat. *Fractum est cornu magnum, & orta sunt 4. cornua subter illud, per 4. ventos cœli.* In Ægypto enim, inquit Hieronymus, primus regnauit Ptolemæus Lagi filius, id est, ad meridiem. In Macedonia Philippus, qui & Aridæus, frater Alexandri, id est, ad Occidentem. Syriæ, Babylonis, & superiorum locorum Seleucus Nicanor, id est, ad Orientem. Asiæ, & Ponti, cæterarumque in ipsa plaga prouinciarum Antigonus, id est, ad Septentrionem. Hæc secundum totius orbis plagas diximus. Sic ipse. Quod autem ait Daniel, *non in posteros eius*, regnum ipsius diuisum iri, de filiis eius intelligendum est. Nam neque quem è Barsine suscepit, quem Herculem ex Garbine nominat Iustinus, qui anno ætatis 17. à Polyperchonte occisus est, neque quem Roxane edidit posthumum Alexandrum, quem cum matre, & auia veneno Cassander sustulit, particeps regni eius fuit, nec omnino quisquam aliarum vxorum, vel vniuersi concubinatum gregis. *Iust.* Frater tantum ex patre Aridæus, vmbra potius regis, quam Rex, vt supra ex Plutarcho diximus, primo quasi vniuersi successor imperij creatus est: deinde quoquo modo in Macedonia, Antipatro dominante regnauit, vbi denique ab Olympiade cum Eurydice vxore occiditur. *Diod. l. 19.*

XXXVI. *Et in plura regna laceratur.*

POSTREMO *laceratum regnum* Alexandri docet l. 10. Curtius, qui decem prouincias, prima quasi sortitione factas, cum totidem Satrapis recenset, quas quidam credidere testamento Alexandri fuisse distributas. Iustinus

IIX. AN. 7.

vero l. 13. tredecim, Diodorus l. 18. etiam plures. Illi deniq; externi, præter Macedones quos Propheta significat, videntur esse Indorum reges, Alexandro dedititi, Porus, Taxilles, Oxyartes Roxanes pater, aliique nonnulli, quos iidem Scriptores memorant, qui deinceps regna, quibus erant præfecti, pro regibus gubernarunt: quod de exteris quoq; omnibus eodem loco Iustinus affirmat. *Non magno post tempore*, inquit, *quasi regna non præfecturas diuisissent, sic Reges ex præfectis facti, magnas opes non sibi tantum parauerunt, verum & posteris reliquerunt.* Idque Scriptura non tacuit. *Et obtinuerunt pueri eius regnum vnusquisque in loco suo, & imposuerunt sibi omnes diademata post mortem eius, & filij eorum post eos annis multis.* Quorum omnium historiam pertexere operosissimum, minimeque necessarium, aut instituto nostro conueniens foret.

1. Mach. 1. v. 9.

XXXVII. *Quæ regna deinceps explicanda.*

AC ne quatuor quidem illorum primariorum, siue Satraparum, siue Regum gesta in annos singulos digerenda visa sunt. Nam neque Macedonas à principio in Annalibus digessimus, sed tum suscepimus cum ad Imperium pertinuere. Neque Asiæ regnum in Antigono, sexto ab hinc anno inchoatum diu stetit, sed in eius filio Demetrio, qui sese Seleuco genero suo regi Syriæ dedidit, terminatum est; aut potius Syriæ regno coniunctum. Itaque duo regna supersunt, quæ sola persæpe deinceps à Scriptura memorantur, Syriæ & Ægypti, quorum illud Regnum Aquilonis, & Græcorum, hoc Regnum Austri appellatur.

Quæ à Scriptura memorantur.

Quæ duo regna, quoniam Annales nostros sacris literis in primis volumus famulari, deinceps persequemur, cum Romano imperio paulatim augescente. In quod illa ipsa regna, quasi maiora flumina in Oceanum tandem deriuata, & nomen & cursum suum amisere. Qua in re Scripturam imitabimur, quæ Danielis 11. hæc duo tantum regna, sub nominibus regnorum Austri & Aquilonis persequitur. Qua de re Hierony. ibid. *Idcirco autem cætera regna dimittens, Macedoniæ videlicet & Asiæ, tantum de Aegypti & Syriæ narrat regibus, quia in medio Iudæa posita, nunc ab illis, nunc ab istis regibus tenebatur, & Scriptura sanctæ propositum est, non externam absque Iudæis historiam texere, sed eam quæ Israelitico populo copulata est.* Res tamen Macedonicas, plurimis annis cum Romana Asianaque historia vehementer coniunctas, prætermittere nec possumus, nec debemus.

XXXVIII. *Regnum Ptolemæi Lagi.*

PRIMVS omnium amicorum ac ducum Alexandri, Ptolemæus Lagi filius prouinciam sortitus est Ægyptum, cum ea parte Africæ, quæ in ditione Macedonum erat. Eam illi prouinciam tradidit Cleomenes, qui Alexandriam iussu Alexandri ædificarat. Erat is homo improbus, quiq; multis iniuriis Ægyptios affecerat, vt testatur Arrianus l. 7. quo etiam factum est, vt Ptolemæus, qui alioqui non vulgari animi moderatione, sapientiaque pollebat, præter eximiam fortitudinem Alexandro sæpe probatam, tantò esset ei genti acceptior, tantoque faciliorem aditum inueniret ad parandum, stabiliendumque sibi, posteritatique suæ regnum, in trecentos ferè annos consequentes. Eum Daniel illis verbis significat. *Et confortabitur Rex Austri.* Qui vt ait ibi Hierony. vir prudentissimus, fortissimus, ac ditissimus fuit.

XXXIX. *Cuius filius fuerit.*

DICTVS est hic Ptolemæus, Lagi filius, ad differentiam aliorum multorum, qui eodem nomine deinceps appellati sunt. Scribit tamen Pausanias in Atticis, eum non Lagi filium fuisse, sed Philippi, ex Arsinoë concubina, quæ ex Philippo grauida, ab eo tradita est Lago, & apud eum Ptolemæum enixa est, vt mirum sit Iustinum dicere eum ex gregario milite, virtutis causa, ab Alexandro prouectum. Quomodo enim regio Macedonum, ortus sanguine, in gregariis eorum militibus censeri potuit? Est porro hic primus Ptolemæi annus, qui magna ex parte cum vltimo Alexandri concurrit, quemadmodum & postremus incidit in primum Ptolemæi Philadelphi filij eius: sicque verum est quod ait Eusebius in Chronico, eum 40. annis regnasse: nec minus verum, quod alij affirmant, eum annos tantū 38. Ægyptiis præfuisse, computatis scilicet, vel exclusis extremis. Sed de Ptolemæo postea plurib.

lib. 15.

Quandiu regnarit.

XL. *Res à Dictatore in Samnio gesta.*

QVOD ad Romanam rem attinet, repete lector memoria, quę anno superiore extremo diximus de anno hoc, in quo Dictator & Mag. Equitum Consulum vices subiere, re contra Samnites gerenda. Et anno quidem præterito res inchoata est à Dictatore, & Mag. equitum. Hoc autem, propter vtriusque acerrimam contentionem, primo aliquantulum impedita; deinde Imperatoris sapientia, & in milites humanitate non exiguum habuit incrementum. Rem egregiam, aut formidolosam potius contentionem in pauca contractam ex Liuio libr. 8. Sic habet.

INITIVM REGNI PTOLEMÆI LAGIDÆ.

Incertis auspiciis itum erat à Dictatore in Samnium. Itaque monitus à pullario Dictator, repetendorum auspiciorum causa Romam reuertitur, simulq; Magistro equitum denunciat, ne absente se manum cum hoste conserat.

Dictator vrbem auspicij causa repetit.

XLI. *Magister equitum pugnat iniussus.*

AT Magister equitum Fabius cum post profectionem Dictatoris per exploratores comperisset, omnia apud hostes soluta esse, opportunitate rei bene gerendæ sollicitatus & gloriæ, quam sibi Imperator præreptam vellet, iuueniliter cupidus, instruxit aciem, cum hoste conflixit, & equite peditéq; fortiter pugnante, victoriam obtinuit. Viginti millia hostium cæsa eo die traduntur: quin etiam tradidere nonnulli, bis absente Imperatore cum hoste pugnatum, bis victoriam esse relatam. Cuius felicitatis ne gloria in Dictatorem redundaret, neu spoliis suum ornaret triumphum, omnia cum armis hostilibus subiecto igne concremauit, & literas de re prospere gesta, non ad Dictatorem, sed ad Senatum misit; præ se ferens se cum Dictatore victoriæ laudem minime communicare.

Et vincit.

XLII. *Et exercitū sibi conciliat.*

HIC Papyrius vel Imperij sui contemptu, vel violatæ disciplinæ militaris zelu incitatus, vel detractæ sibi per inuidiam militis sui gloriæ dolore commotus, plenus minarum venit in castra. Cum interim Fabius conscius audacis facti, & sibi à Dictatore metuens, exercitum magno studio sibi conciliauit, & ab eo reddidit alienum. Postremo vitam fortunasque suas militum fidei, virtutique permittens, à tota concione audiuit, bono eum animo esse oportere, neminem ei vim allaturum, saluis legionibus Romanis. Haud multo post Dictator aduenit, concionem conuocat, per præconem Mag. equi. Q. Fabium citat, & eum eo expostulat, quod incertis auspiciis, turbatisque religionibus dimicans, Rempub. in discrimen vocarit: quod spreto Dictatoris imperio, simul cum numine deorum, ausus sit eum hoste confligere.

Dictator eum accusat.

XLIII. *Et capitis damnat.*

ADVERSVS quæ Q. Fabio cum respondere haud facile esset, Papyrius redintegrata ira spoliari Magistrum equitum, ac virgas, ac secures expediri iussit. Iamq; lictores vestem Fabio lacerabant, cum is fidem militum implorans ad triarios se recepit, & simul tumultus in extrema concione excitatur, proxima interim irritis precibus Imperatorem sollicitante. Cumque præ strepitu ac tumultu, nec ipsius Dictatoris, nec apparitorum eius vox audiretur, extracto per multas legatorum monitiones, ac preces tempore, nox certamini finem fecit. Cumque omnes affirmarent Papyrium contentione ipsa exacerbatum, infestius exarsurum postridie: Fabius clam è castris Romam profugit, & Patre autore M. Fabio, qui ter iam Consul Dictatorq; fuerat, vocato extemplo Senatu, cum maxime conquereretur apud Patres vim atque iniuriam Dictatoris, ipse infestus adest, in curiam infert se, & ibi iterata contentione, prehendi Papyrius Fabium iussit, frustra primoribus patrum, atq; vniuerso Senatu deprecantibus.

Tumultuatur exercitus.

Mag. equit. Romam fugit.

XLIV. *Eius pater ad populum prouocat.*

FABII pater irritas cernens, aduersus durum Dictatorem, Senatus vniuersi preces, Tribunos plebis appellans ad populum prouocat.

Ergo ex Curia in concionem itur. Vbi Fabius senex asperè primum Papyrij superbiam, & crudelitatem increpat, qui tanquam ex hostium ducibus, sic ex Romano imperatore victoriam, & triumphum petat: multaque in eam sententiam vociferans, & filium plurimis cum lachrymis complectens, Deum hominumque obtestabatur fidem; & stabat pro eo maiestas Senatus, fauor populi, tribunitiū auxilium, memoria victoriæ. Ex parte altera imperium inuictum populi Rom. disciplina rei militaris, & Dictatoris edictum pro numine semper obseruatum, seuera maiorum exempla Fabio aduersabantur. Et perstabat in sententia Papyrius Dictator, grauissimaque oratione demonstrabat,

ftabat, quanta clades Reip. Rom. es tanto violatæ disciplinæ militaris exemplo pararetur.

Cvm populus vniuersus ad preces & obtestationem versus est, vt sibi pœnam Magistri equitum Dictator remitteret. Tribuni quoque orare Dictatorem insistunt, vt veniam errori humano, veniam adolescentiæ Q. Fabij daret; satis eum iam pœnarum dedisse: iam ipse adolescens, iam pater M. Fabius contentionis obliti procumbere ad genua, & iram deprecari Dictatoris.

Tum Dictator silentio facto; Bene habet, inquit, Quirites, vicit disciplina militaris, vicit Imperij maiestas, quæ in discrimine fuerunt, an vlla post hanc diem essent: non noxæ eximitur Q. Fabius, qui contra edictum Imperatoris pugnauit, sed noxæ damnatus, donatur populo Romano: donatur Tribunitiæ potestati, precarium non iustum auxilium ferenti. Viue Q. Fabi felicior hoc consensu ciuitatis ad tuendum te, quam, qua paulo ante exultabas, victoria. Hæc, aliaque cum dixisset Papyrius, Magistrum equitum nihil se morari pronunciauit, dimissaque est concio, cum multa omnium lætitia, multisque hinc Magistro equitum, inde Dictatori congratulantium vocibus.

XLVI. Firmatum quoque imperium militare haud minus periculo Q. Fabij, quam supplicio miserabili adolescentis Manlij videbatur. Itaque quamuis absente Dictatore crebro Samnites mouerentur, & damnis etiam exercitum affecissent, quibus remedium adhiberi potuisset, nunquam tamen M. Valerius, qui legatus castris præerat, mouere se ausus est; & Q. Fabij memor, non tam vim hostium, quam trucem Dictatoris iram veritus est. Quæ res etiam exercitum ab Dictatore iam alieniorem, quod populi precibus dedisset Fabium, negatum sois, vehementius in odium concitauit, idque proxima contra Samnites pugna cognitum est. Cum enim Dictator exautorato Fabio, & vrbi præposito L. Papyrio Crasso Mag. equ. in castra rediisset, Samnites postero die instructa acie ad castra accesserunt. Dictator contra ita Romanas copias ad pugnam instruxit, vt si ducis consilia fauor subsecutus militum foret, debellari eo die cum Samnitibus potuisset. Verum à milite cessatum est, ac de industria, vt obtrectaretur laudibus ducis, impedita victoria est.

XLVII. Qvod cum Papyrius sensisset, temperandum ingenio suo duxit, & seueritatem miscendam comitati. Itaque adhibitis legatis, ipse sauciorum militum tentoria obiens, & singulos vt se haberent rogitans, curam eorum nominatim legatis, tribunisque, & præfectis demandabat. Rem per se popularem ita dexter egit, vt medendis corporibus, animi quoque Imperatori reconciliarentur. Itaque refecto exercitu cum hoste congressus, & præda militi denunciata, ita fudit fugauitque Samnites, vt ille vltimus eis dies conferendi signa cum Dictatore fuerit. Itaque pacem ab eo petunt: ille re ad Senatum reiecta, singula vestimenta militibus, & annuum stipendium dare iussit. Ita deductus ex Samnitibus exercitus, Dictator triumphans vrbem est ingressus. Quem triumphum Capitolini Fasti Sigonij, & Onuphrij in annum V. C. 429. Non. Mart. referunt, quem sequimur cum Stephano Pighio, Temporario, Gordono, & aliis. Etsi Onuphrius & Cuspinianus hoc triumpho annum sequentem insignitum velint.

XLVIII. Contigit hoc ipso anno mortis Alexandri reditus Demosthenis in patriam. Cum enim in Græcia Antipater pro Macedonibus, Leosthenes pro Græcorum libertate pugnaret, ipsumque Antipatrum prælio victum Lamiæ obsideret, tota Græcia legati alij pro his, alij pro illis excurrebant, fautores suis partibus acquirere cupientes. Cum ergo Demosthenes sponte se legatis Atheniensium adiunxisset, & populos Græciæ contra Macedones libertatis oppressores excitaret, populus eo in patriam studio delectatus, ei reditum decreuit; missaque Æginam ad eum triremi, ex Pyræeo in vrbem veniens, ab vniuersa ciuitate ad portas effusa acceptus est. Itaque sibi gratulatus est Demosthenes gloriosius se ab exilio, quam ipsum Alcibiadem rediisse, quod ciuibus non coactus, sed sponte reuocantibus in patriam, quam sæpe oratione defenderat, reuertisset. Pecuniariam autem 50. talentorum mulctam, ei artificiose condonarunt. Vide Plutarchum in eius vita.

ANNVS MVNDI 3731. SEXTÆ ÆTATIS. 215. Imp. Alex. 8. Ptolemæi Lagidæ & Oniæ Pont. 2. Olym. CXIV. 2. Archonte Cephisodoro. V. C. 430. Coss. C. Sulpitio Longo. II. & Q. AEmylio Cæretano.

ANNVS ANTE CHRISTVM 322.

I. Qvamvis Alexander superiore anno defunctus, nunc regnare desierit, diuiso in multos successores imperio; quia tamen Imperium, quod ab ipso partum ac fundatum est, & ex vsu Chronologorum, atque ipsius etiam Scripturæ in Machabæorum libris Græcorum appellatur, nondum inchoatum est, donec res Asiæ in Seleuci potestatem cesserunt; & familia Alexandri in Aridæo, Rege Macedoniæ eius fratre, & matre Olympiade quoquo modo stabat: nec se adhuc Alexandri duces aperte Reges dicebant, reliquum tempus ad Seleucum primum, ab Alexandro Imperij Græci fundatore duximus appellandum.

Oniæ quoque pontificis primum hoc anno ponimus. Iosephum secuti, qui l. 11. extremo ait Iaddum, quem Ieddoam Scriptura vocat, eodem quo Alexandrum tempore obiisse, & Oniam filium summi sacerdotij successorem reliquisse: cui Genebr. 27. annos tribuit. Fuit autem hic Onias huius nominis Primus.

II. Ptolemævs porro, vt scribit hoc anno Diodorus, sub initium l. 18. Ægyptum citra periculum adeptus, humanum se regionis eius incolis exhibebat, & octo millibus talentûm positis, conductis qui æra merentur, exercitum comparabat. Complures etiam amice erga illum propter æquitatem affecti, ad ipsum confluebant. Per legatos etiam cum Antipatro, qui in Macedonia rerum potiebatur, vt mox dicetur, societatis fœdus iniuit, quod certo futurum sciret, vt Perdiccas Ægypti Satrapiam sibi adimere conaretur. Postquam enim Perdiccas regias copias, regnique administrationem, & curelam adeptus est, vniuersum Alexandri imperium affectans, Cleopatram Alexandri magni sororem sibi iungere properat, Olympiade eius matre affinitatem non aspernante. Harum enim auctoritate & gratia, summam rerum potestatem sibi à Macedonibus conciliatum iri sperabat.

III. Interea vero vt Antipatrum, nihil ab ipso metuentem opprimeret, filiam eius Nicæam duxit vxorem. Itaque consilio cum suis inito, in quo Aridæus, & Alexandri magni filius, quibusdam visum est bellum in Macedoniam transferendum esse, quod Macedonia totius Imperij fons & caput esset, (vbi rerum potiebatur Antipater, cui non satis cum Olympiade conueniebat) & Aridæo & Perdiccæ in odium Antipatri fautura esset. Sed in rem potius visum est ab Ægypto incipere, ne in Macedoniam profectis, Asia interea à Ptolemæo occuparetur, sicque expeditionem Macedonicam impediret. Verum hæc Perdiccæ consilia Antipatro, per Antigonum sibi amicum patefacta sunt. Antigonus enim insidiis à Perdicca appetitus, clam cum Demetrio filio ex Asia in Europam ad Antipatrum profugerat.

IV. Eo nuncio Antipater cum Cratero deterriti, bellum, quod ipsis cum Ætolis erat, quam commodissime possunt in præsentia componunt, & copias in Asiam quam celerrime transportari curant, vbi Præfecturam Asiæ Craterus accepturus erat, Europæ autem Antipater. Mitti etiam placuit legatos ad Ptolemæum, Perdiccæ maxime infensum, ipsisque amicum, & iisdem insidiis appetitum, societatis iungendæ causa; quæ Ptolemæo libentissimo iuncta est. Interea Perdiccas rebus in Asia compositis, iter Ægyptum versus intendit. Sed Ptolemæus non societate solum Antipatri fortis erat; sed terminos etiam imperij, acquisita Cyrene vrbe, ampliauerat, factusque iam tantus

erat, vt non tam timeret hostes, quam timendus ipse hostibus esset. Nec res vltra hoc anno inter Perdiccam & Ptolemæum progressa est.

V. *Lamiacum bellum.* Hoc ipso anno Lamiacum bellum superiore anno inchoatum perfectum est. Athenienses enim & Ætoli cum Alexandri edicto de restituendis exulibus repugnarent, vt diximus, nec eius potentiæ aperte reluctari auderent, clam per Leosthenem quendam Atheniensem copias contrahebant; quam rem Harpali pecuniæ, & Asiani milites exauctorati, qui ad Tænarum promontorium Peloponnesi commorabantur, valde promouebant. *Morte Alexandri ærumno incipit.* Verum vbi de Alexandri morte certo constitit, populus ea professo in bellum incubuit, & belli ducem Leosthenem creauit, armis, pecunijsque instruxit, & in Ætoliam misit, vbi is 7. armatorum millibus auget exercitum, & vicinos populos ad bellum Macedonibus inferendum, & Græciam in libertatem vindicandam per legatos inuitat. *Et Oratorum utrorumque studio.* Idem Athenienses oratorum suorum opera faciebant. Hyperidem enim, præstantem in dicendo virum, & Macedonibus infensum in Peloponnesum mittunt, vt eam regionem ad belli societatem perdoceret, cum interea Pytheas pro Macedonibus declamaret. Exulabat tum Megaris Demosthenes, qui se vltro Hyperidi socium adiunxit, & Syciona, Corinthum, Argos, cæterasque ciuitates Atheniensibus adiunxit. Ob quod factum missa ab Atheniensibus obuiam triremi, ab exilio, vt ante diximus, reuocatus est. Maximus ergo exercitus conflatus est, adeo vt ducentarum & quadraginta nauium classis ad bellum esset instructa, vt tradit Diodorus, quo nunc maxime vtimur. lib. 18.

VI. *Antipater prælio a Græcis victus.* Antipater hoc apparatu territus, vndique auxilia contrahere conatur. Craterumque in primis, qui cum multis millibus, missione ab Alexandro accepta, è Cilicia in Europam traijcere parabat, ad se euocat. Interea cum 13. millibus Macedonum, & sexcentis equitibus, (rarus enim tunc erat domesticus miles, propter supplementa copiarum, nuper in Asiam missa) classe centum & decem nauium in Thessaliam transit. Cumq; Thessali, qui maxime equitatu valebant, et sese à principio adiunxissent, mox facti pœnitentes communi Græciæ exercitui se dediderunt. Quo facto Macedonum parte valde debilitata, & Græcorum roborata, Antipater prælio victus, cum nec acie iterum dimicare, nec tuto Macedoniam repetere posset, Lamiam Thessaliæ vrbem adit, ibiq; suppetias ex Asia præstolatur. *Lamiæ se includit.*

VII. *Vbi a Græcis duce Leosthene obsidetur.* Leosthenes continuo cum omnibus copijs Lamiam obsidet, & ad pugnam Macedones lacessit, & vrbem munitissimam haud facile expugnari posse sentiens, eam commeatu intercludere, & hostem exitu prohibere parat. Cum improuisi erumpunt Macedones, prælium q; cum Græcis committunt in ducenda fossa occupatis. Cumq; Leosthenes suis opem ferret, saxo in capite ictus corruit, tertio die moritur, eique Antiphilus sufficitur. Interea Antipater in omnem auxiliorem spem totentus Leonnatum euocat, qui cum 20. fere millibus peditum, & equitum duobus millibus, & quingentis in Macedonia celeriter contractis, per Thessaliam in hostes duxit; cum Græci soluta obsidione eum copiis adducunt, vt prius cum eo confligerent, quam se Antipatro coniungeret. *Tres a pug. inst Leonnatum & vinci tur.* Committitur pugna, & Thessalorum equitum maxime virtute Leonnatus vincitur, multisq; vulneribus confectus occumbit. *Soluta obsidione se victis coniungit.* Postridie Antipater cum agmine suo se victis adiungit, duplici nomine lætus, & quod copijs auctus esset, & quod Leonnatus, ei futurus æmulus, occidisset.

VIII. *Græci classe victi. Craterus cum copiis se coniungit Antipatro. Et Græci vincuntur.* Interea Græci classem augent, & cum Macedonica, quæ Clytum habebat præfectum, congressi, bis prælio ad Echinadas insulas funduntur. At Craterus cum copijs non pœnitendis Macedonum atq; Persarum venit in Thessaliam, & iuncta cum Antipatro, cui primas vltro detulit, castra, ad Peneum flumen consedit. Ibi coniunctæ Macedonum copiæ, peditum grauis armaturæ supra 40. millia, sagittariorum & funditorum tria millia, & equitum quinq; millia repertæ sunt. Græcorum autem copiæ longe minores erant. Multi enim partim in obsidione Lamiæ, vt Ætoli, partim aliquanto post dessuaerant, vt summa ad 25. millia peditum, & equitum tria millia & quingentos ascenderet. Itaq; de summa rerum prælio decernere nolebant, donec sui ex vrbibus reuerterentur: sed ab Antipatro coacti in certamen veniunt, & Thessalorum equitum virtute, Macedonib' propemodum pares è prælio discedunt. Cum tamen plures è suis quam Macedones amisissent, inito concilio, an post suorum reditum redintegraturi essent prælium, an de componendo bello legatos iam tum mitterent.

IX. *Cum iis pacem init Antipater.* Decretum est pacem quærendam, legatiq; ea de re ad Antipatrum missi: qui vt eos populos à se inuicem disiungeret, non communem cum omnib' pacem, sed cum singulis per legatos agere voluit. Id cum Græci respuerent, Antipater cum Cratero Thessaliæ vrbes obsidebant, & vi capiebant, Græcis opem ferre non valentibus. Itaq; coactæ singulæ ciuitates pacem petere, eam Antipater benigne æquis conditionibus concessit.

Ad quã compelli Athenienses. Athenienses autem & Ætoli omnium inimicissimi Macedonici nomini, quiq; primi Lamiacum bellum conciuerant, à socijs derelicti, cum ducibus suis de bello frustra consultant, Antipatro in Athenienses vim omnem belli conuertente. Itaq; pacis causa Demadem mittunt ad Antipatrum, qui negat se alia conditione pacem Atheniensibus concessurum, nisi omnia sua eius potestati permitterent. Qua scilicet nuper conditione Antipatro Lamiæ incluso, se pacem facturos Athenienses eius legatis responderant.

X. *Et quib. conditionibus.* Cum ei conditioni coacti acquieuissent, per humanum se illis Antipater exhibuit. Ad duo tamen & 20. millia, Plutarch. in Phocione supra 12. millia, tenuiorum in Thraciam è patria transtulit; reliquis Solonis legibus vrbem administrare iussis. Præfectum quoq; Menyllum cum præsidio, qui rerum nouarum molitionibus obsisteret, recipere sicut coacti; quod Plutarchus in vita Demost. Boëdromione mense factum scribit: in Phocione, die 20. quo mysteria Eleusine celebrantur, qui mensis Augusto Romanorum respondet. *Quid cũ Ætolis gesserit.* Cæterum Halycar. in Dinarcho sub Philocle, qui mox Archon fuit, hæc Atheniensibus contigisse tradit. Supererant Ætoli, qui se impares viribus agnoscentes, deserta magna ex parte Ætolia, in aui a se montium loca receperunt, vbi & locorum natura, & arte muniti, grauissimis damnis Macedones, à quibus bello petebantur, afficiebant: quos etiam niues & frigidum anni tempus vexabant; cum Antipater intellectis ab Antigono Perdiccæ consiliis, pacem cum illis, vt diximus, quoquo modo composuit, sparans expeditis maioris momenti cum Perdicca negotijs, se illos fortunis omnibus euersurum. Sicq; bellum Lamiacum cum præsenti, vt apparet, anno terminatum est.

XI. *Demosthenes exitum fugit.* Mutata porro celeriter Atheniensium fortuna, res quoq; Demosthenis illico in deterius conuersæ sunt. Audi enim Plutarch. in eius vita. *Non licuit ei à reditu diu frui patria, sed conuulsis illico Græcorum copiis, cum allatum esset Antipatrum & Craterum contendere Athenas, Demosthenes cum suis occupauerunt clam vrbe excedere*, vt qui sibi conscius esset se omnibus ingenij, ac linguæ viribus, populum domi forisque aduersus Macedones concitasse. Eos populus, ex Demadis rogatione, rei capitalis damnauit, tanquam publicæ rei in grauissimis eius difficillimisq; temporib. desertores. Aliis alio dilapsis, Demosthenes primo Troëzenem se contulit, postea Macedonum violentiam, & Troëzeniorum imbecillitatem veritus, in Calauriam, quæ modica est in Troëzenio sinu insula profectus est, vbi proximo anno, vt dicemus interijt.

XII. *Aristoteles Athenis fugit. Et cur.* Hoc eodem anno Aristoteles cum tredecim annis docuisset Athenis, vt tradit Laërtius, schola sua & docendi munere Theophrasto relicto, clam in Chalcidem concessit. Dionysius quidem ad Ammæum ait Aristotelem duodecim annos annos in Lyceo scholas habuisse, decimo tertio vero, Alexandro mortuo, prætore Cephisodoro Chalcidem migrasse, sed tes eodem redit. Furtiui autem discessus causam afferunt, quod ab Eurymedonte Hierophanta impietatis accusatus esset siue vt Phauorinus in

omnimoda historia refert, à Demophilo, quod hymnum in Hermiam scripsisset, cum eius concubinam duxisset vxorem, eique gaudio elatus sacrificasset, vt Athenienses solerent Eleusinæ Cereri. Quæ quantam mereantur fidem, viderint, qui prodidere posteris. Non est incredibile aliquid ab ipso dictum in deorum suorum contumeliam; qui persuasum haberet vnum esse principem, vnum cœli naturæq; totius authorem. Causa probabilior. Probabilius porro est clam Athenis profugisse, quando & alij Antipatri, & Macedonum metu inde se proripuere. Nam qui infensum haberet Alex. propter Callisthenem, sibi ab eius hæredibus, in quorum manus venturæ essent Athenæ, metuebat. Cæterum cum ad tertium & sexagesimum annum viuendo peruenerit, vt affirmat Dion. oportet eum sequenti anno, sicut & Demosthenem obiisse.

Ibid. XIII. Romana res. IN Italia Samnites, pro pace, quam poscebant, annuas inducias retulerunt, quas ne sancte quidem coluerunt, postquam Papyrium magistratu abijsse didicerunt, sed erexerunt animos ad bellum, cum se recens Apuli eis contra Romanos adiunxerunt. Sulpitio ergo Samnites, Apuli Æmylio, siue Aulio, vt in quibusdam annalibus appellatur, sorte euenerunt; nec tamen res vlla memorabilis acta. Nocturnus terror vrbem inuasit, & ad arma excitauit, sic vt Capitolium atq; Arx & mœnia portæq; plenæ armatorum fuerint: prima autem luce nec autor, nec causa terroris comparuit; dæmone mortales sibi obnoxios pro arbitrio ludificante.

ANNVS MVNDI 3732. SEXTÆ ÆTATIS 216. Imperij Alexandri 9. Ptolemæi Lagi 3. Oniæ Pontif. 3. Olympiadis CXIV. an. 3. Archonte Athenis Philocle. Vrbis Cond. 431. Coss. Q. Fabio Rulliano, & L. Fulvio Curuo. A. Cornelio Aruina Dictatore.

ANNVS ANTE CHRISTVM 321.

I. Res anni huius. MVLTIPLICI clarorum virorum morte, tam pacis quam belli artibus insignium, nobilitatus est hic annus. Perdiccas quippe ducum Alexandri clarissimus atque potentissimus, penes quem reges Macedoniæ Aridæus, & Alexandri filius, cum regijs copijs erant, in Ægypto à suis interfectus est. Craterus quoq; Alexandro charissimus, & Neoptolemus, quibus etiam Polysperchonta Iustinus addit; nisi potius Polysperchonta pro Cratero per imprudentiam sumit, repugnante Diodoro, Æmylio, Plutarcho, reliquis. Postremo Philosophorum, atq; Oratorum in Græcia clarissima lumina Aristoteles, atq; Demosthenes è viuis abierunt. Sed quæ publicam rem magis attingunt prius tangenda sunt, quam priuata fuerint inspiciamus.

II. Funus Alexandri in Ægypto relatum. lib. 8. SCRIBIT Diodorus Alexandri funus biennio ab Aridæo maximis sumptibus apparatum, magnificentissima pompa Babylone, in Ægyptum delatum: magnificentiam currus illius apud eundem luculenter descriptam reperies, hoc ipso anno. Ptolemæus in honorem Regis, ei cum exercitu ad Syriam vsque obuiam processit, & acceptum corpus maxima cura prosecutus, ei delubrum Alexandriæ construxit, & pro dignitate exequijs, ludisq; funebribus honorauit. Nec iniuria, vt qui eum genere proxime ac consanguinitate contingeret. a Lib. 7. b Lib. 1. Nam vt autor est Arrianus, a & Pausanias, b Macedones Ptolemæum re ipsa Philippi filium, verbo autem Lagi fuisse existimant. Eius enim matrem vterum ferentem à Philippo Lago vxorem datam ferunt. Ita Pausanias. Hoc autem facto præter singularem, qua erga omnes vtebatur humanitatem, & rerum gerendarum prudentiam, qua pollebat, omnium sibi Macedonum animos conciliauit, & ad se tuendum contra imminentes Aridæi regis copias adiunxit. Cum contrà Perdiccæ odium arrogantiæ, quam vires hostium plus noceret.

INTEREA Perdiccas cum expeditionem in Ægyptum pararet, Eumenem virum fide, ac fortitudine præstantem, quippe Philippo septem annos, Alexandro tredecim à secretis fuerat: regiæque familiæ, quam Perdiccas tuebatur, erat addictissimus, Eumenem inquam ad Hellespontum præmiserat, cum idoneis copijs, in quibus erant Alcetas Perdiccæ frater, & Neoptolemus, vnus de primarijs Alexandri ducibus, & princeps armigerorum eius, vt Antipatrum & Craterum traiectu in Asiam prohiberet; sed illi iam cum Macedonicis copijs traiecerant. III. Perdiccam in Thraciam mittit Eumenem cum Neoptolemo. Quo cognito Eumenes, dissimulans apud suos, contra quos duceret, deuijs itineribus, ad hostem peruenit, & prius in aciem eduxit exercitum, prœliumq; commisit, quam milites sui scirent, cum quibus arma conferrent, vt ait Æmilius Probus in Eumene. Verum id paulo post contigit: certum est enim ex Diodoro, Plutarcho, Iustino, Eumenem prius contra Neoptolemum feliciter pugnasse.

IV. Quo inter se pugnant. Neoptolemus vadit ad Antipatrum. NAM Neoptolemus indignum ratus sua dignitate Eumeni subesse, quem videlicet contemnebat, dictitans cum clypeo se & hasta, Eumenem cum stylo & tabellis Alexandrum secutum, vt Plutarch. in eius vita. Itaque insidias ei struere cœpit. Clam enim missis ad Antipatrum nuncijs, societatem cum illo pactus est; sed fraude detecta, ad manus conserendum adactus, & copias fere omnes amisit, & parum à cæde absuit, & ex fuga collectis trecentis equitibus ad Antipatrum se contulit, & Craterum: qui paulo post per legatos Eumenem ad se pertrahere, ingentibus promissis frustra conati sunt. Diodor. Cum enim ei antiquior esset rebus omnibus data Perdiccæ fides, prœlium ineundum fuit. Craterus mors. Verum cum Craterus omnibus Eumenis copijs esset acceptissimus, prouideretque Eumenes, suos ægre contra illum pugnaturos, rumore vulgauit Neoptolemum iterum ingruere, & Pigrem cum Cappadocum & Paphlagonum equitatu, (in Cappadocia enim pugnabatur. Æmylius Probus apud Hellespontum:) & in acie contra Craterum non Macedones, sed Persarum & Phœnicum equites opposuit: contra quos pugnans Craterus ex equo deiectus, semianimis à Gorgia Eumenis duce conseruatus est, vt scribit Plutarchus in Eumene. Diodorus tamen ait eum, cum in terram ab equo cespitante fuisset excussus, ibi in confuso densoque equitum globo ignotum proculcatum, ignobili exitu vitam finisse.

V. Eumenes cum Neoptolemo congressus. INTEREA armis odijsq; infesti Eumenes & Neoptolemus acerrime inter se concurrunt; mox strictis gladiis, & remissis habenis, mutuo sibi manus iniiciunt, detrahunt cassides, & diuellunt ex humeris loricas. Dum ita se inuicem lacerant, equis simul subterfugientibus in terram delapsi, & connexi prehendunt alter alterum, colluctanturq;. Inde Eumenes priori assurgenti Neoptolemo poplitem succidit, maturauitque attollere se in pedes. Neoptolemus altero innixus genu, altero afflictus strenue ex inferiore loco dimicabat, sed vulnera non inferebat lethalia: percussus autem secundum collum concidit, elanguitq;. Neoptolemi cædes. Quem dum Eumenes ex ira & vetere odio spoliat, atq; increpat dictis, gladio, quem adhuc tenebat, imprudentem ad extremam loricam vulnerat: sed ictus debiliter adactus, terruit magis, quam læsit Eumenem. Hæc Plutarch. quibus simillima Diodor. Atque ita Eumenes victoria potitus est, cæsis duobus hostium, & dudum Magni Alexandri primariis ducibus.

VI. Perdiccæ in Ægyptum expeditio. HÆC dum in Asia fiunt, in Ægypto Perdiccas contra Ptolemæum bellum gerit. Fallitur enim Diodorus, atq; secum ipse pugnat, dum ait Perdiccam audita Eumenis victoria, confidentiorem factum ad expeditionem in Ægyptum. In Ægypto enim iam erat, & victoriæ nuncius, vt ipse fatetur, non nisi postridie mortis Perdiccæ allatus est, aut, vt ait Plutarchus, post duodecim ab eius morte dies: quam Diodorus pluribus refert. Summa hæc est.

Imprudentes suos vexat. Perdiccas non procul Pelusio castra posuerat, vbi & exercitum, in repurganda veteri fossa, irrito labore fatigauit, Nilo eius opera incrementis suis labefactante. Inde clam sub vesperam castris motis, ad oppidum venit Nilo vicinum, cui nomen erat Murus Camelorum. Id quoque

frustra obsedit, Ptolemæi milite, ad loci propugnationem illapso. Ergo damnis & ignominia plenus, in castra sua reuersus, ea noctu mouet, & tacito itinere, in regionem quandam venit Memphi aduersam, vbi Nilus in duas partes scissus insulam efficit, quæ & castra & exercitum maximum recipere queat. En dum parat traijcere copias, supra duo millia suorum tam amnis profunditate, quam armorum & corporum pondere, & belluarum voracitate amittit.

VII. *A quibus occidatur.* QVO facto efferati in eum Macedones, duce Pythone, vno de primarijs Alexandri amicis, vel Seleuco, & Antigono, vt ait Probus, noctu eius tentorium inuadunt, eumque obtruncant, & Ptolemæo se dedunt. Atque ita qui se totius Alexandri imperij hæredem fore sperabat, tertio ab eius morte anno, in magno omnium odio extinctus est; aduersario cum magna omnium gratia victoriaq; derelicto.

Antithesis Perdiccæ, & Ptolemæi. NEC sane mirum: nam, vt ex eodem Diodoro constat, Perdiccas ad cædes propensus erat. At Ptolemæus etiam cum hostibus humanitate certabat. Nam quos ex Perdiccæ exercitu fluctus hauserant, & ad eius castra eiecerant, exequijs honorifice actis, ossa ad amicos & necessarios eorum remisit. Ille hoc moliebatur vnum, vt remotis ab ab imperio cæteris ducibus, solus per vim regnũ teneret. Hic sua prouincia atque administratione contentus, omnium sibi beneuolentiam benefactis conciliabat. Ille consilia per se sibi capiebat, & omnibus inscijs quo tenderet, castra noctu mouebat. Hic libenter consilia capiebat, & sententiæ dicendæ libertatem ducibus integram relinquebat.

VIII. *Ptolemæi prudentia.* ILLE imprudenter laboribus milites periculisq; obijciebat; hic prudenter loca opportuna bello, validis præsidijs, omnique telorum, ac commeatus genere occupabat; quo fiebat vt ei omnia recte succederent, omnes eum diligerent, ad eum confugerent, pro eo defendendo mori parati essent. Ille contra passim desertus à suis, ac tandem obtruncatus est. Sed illud quoque moderatio- *Animique moderatio.* nẽ animi Ptolemæi prodidit, quod occiso Perdicca postridie congressis ad concionem militibus, deuectus eo Ptolemæus, Macedones salutat, commeatum subministrat, & omnibus necessarijs castra replet, tantamque omnium gratiam consecutus est, vt Regum tutelam, & omne Perdiccæ imperium obtinere posset: id tamen non expetiit, sed Pithoni & Aridæo conciliauit: qua tamen tutela Pithon mox abdicauit se: Macedones autem eam curam Antipatro commiserunt. Eodem porro impetu Perdiccæ amicorum cæsi sunt fidelissimi, atque adeo soror Athalanta, quam vxorem duxerat classis eius gubernator Attalus: qui hoc nuncio accepto Pelusio soluens cum classe Tyrum venit, vbi subsistens collectos Perdiccæ amicos recreauit.

IX. *Damnantur Perdiccæ fautores, eorum cura suscipit Antipater.* PERDICCA extincto delatus est nuncius victoriæ Eumenis de Cratero & Neoptolemo. Quod si pridie, inquit Diodorus, Perdiccæ mortem nuncius anteuertisset, nemo illi manus, propter successus magnitudinem, ausus esset inferre: Perdiccæ quippe æmuli duorum ducum cæde valde debilitati erant. At illo extincto, quod reliquum erat Macedones Eumenem, & Alcetam Perdiccæ fratrem, aliosq; qui cum eis erant, capite damnarunt, & contra eosdem Antigonum cum Cassandro filio ducem elegit Antipater, qui in Perdiccæ curam Macedonum electione successerat. Cumque Antigonus in Asia bellum parat, Antipater cum Regibus (Alexandri filiis, Hercole, & Alexandro posthumo) Macedoniam adit, vt reges in patriam reduceret. Plutarch. ait Antipatrum cum Antigono delectos contra Eumenem.

X. *Antigonus Eumenem bello persequitur.* ANTIGONVS ergo Imperator Asiæ declaratus, Eumenem in Cappadocia, quam ei dudum Perdiccas addi adiudicarat, bello persequitur, vt Diodorus tradit, eique Plutarchus, & Probus consentiunt. Licet Iustinus l. 14. eum in Europa, atq; adeo circa Ætoliam fuisse dixerat. Ætolorum quidem meminit hoc anno Diodorus, sed nihil ad Eumenem. Qui minime fractus animo, etiam bellum præparabat, optabatq; in campis Lydiis contra Antigonum ferro decernere, quod ab equitatu firmus esset; simul etiam quod Cleopatræ, quæ tum Sardibus erat, vt Iustinus notat, vires suas ostentare gestiret, & præcipuos copiarum suarum duces eius autoritate & voce confirmari, hoc ipso quod à suis partibus sororem Alexandri Cleopatram stare cernerent. Verum illius ipsius adductus precibus, verentis ne calumniæ sibi apud Antipatrum foret, superiorem Phrygiam petiuit, hybernauitque Celænis. Ita Plutarch. ex quo intelligitur, reliqua, quæ ad Eumenem pertinent, huius anni non esse, quod innuit Diod. cum ait Antigonum ex hybernis copias contra Eumenem contraxisse.

l. 18. XI. *Ptolemæus Phœniciam & Cœlesyriam acquirit.* SED Ptolemæus iamdudum nos ad se vocat; qui interea non contentus parata Ægyptum possidere, Perdicca cæso, & Antipatro cum regiis copiis, à se in Macedoniam amandato; animaduertens Phœniciam, & Cœlesyriam Ægypto perquam commodè adiectum iri, operam dedit, vt illis prouinciis potiretur. Nicanorem igitur vnum ex *Opera Nicanoris.* amicis suis, ducem creat, & cum iustis illuc copiis mittit. Is expeditione in Syriam facta, Laomedontem regionis Satrapam capit, Syriamque totam in potestatem redigit. Ita Phœniciæ quoque vrbes subigit, præsidiisq; munit, & operosa intra breue tempus expeditione perfunctus, in Ægyptum redit. Ita Diodorus in fin. huius anni, *init. l. 12.* quibus consentiunt, quæ Iosephus Iudæis contigisse scribit: qui tamen non meminit in hac expeditione Nicanoris qui & Seleucus dicitur, & postea Syriam & Babylonem proprio nomine tenuit. Euseb. quoq; in Chronico de Iudæis eadem refert in præsentem annum tertium Olymp. centesimæ decimæ quartæ.

XII. *Et in iis Iudæos sabbato quiescentes.* IOSEPHVS ergo cum plurima damna vrbibus illata dixisset, ex contentionibus principum, qui Alexandrum secuti fuerant. Idem totam Syriam passam fuisse ait sub Ptolemæo Lagi. *Quem præter meritum*, inquit, *Soterem appellabant. Is & Hierosolyma occupauit, dolo tamen circumuenta. Ingressus enim vrbem Sabbato, velut sacrorum gratia, Iudæis nec arcentibus, quod nihil hostile suspicarentur, & alioqui eum diem in otio & quiete agentibus, sine difficultate potitus dominio, acerbe eam, & inclementer turbauit.* Sic ipse. Qui id confirmat ex Agatharchide Cnidio, qui successorum Alexandri res gestas conscripsit, qui superstitionem Iudæis exprobrat, *l. 1. contra Appionem* quod propter eam libertatem amisissent. Eadem alibi ex Agatharchide recitat. Vbi vocat Ezechiam Pontif. Iudæorum, qui vltro in Ægyptum cum Ptolemæo profectus sit. Qui tamen non fuit summus Pont. neque enim vrbem & templum deseruisset, etsi à Iosepho vocetur ἀρχιερεύς. Verum id nonnisi ex Hecatæo refert, qui rerum Iudaicarum peritus esse potuit, vt alienigena. Eadem ex libris Machabæorum fidem accipiunt. Nam tunc quoque, mille fere homines, *a* qui die sabbati noluerunt defendere se, interfecti sunt.

a Vt patet ex 1. Mach. 2. 33. 38.

XIII. *Iudæi in Ægyptum translati.* ADDIT porro Iosephus, Ptolemæum multos Iudæos ex montano tractu, & Hierosolymorum vicinia, Samariaque & Garizin monte, in Ægyptum traduxisse, ibique sedem figere iussisse. Huc faciunt quæ habet Aristæas in libello de 70. Interp. *Ille*, inquit, *Regis Philadelphi pater, vna cum Andrea ducens exercitum per Cœlem Syriam, atque Phœniciam, omnia sibi subiecit. Nam hos quidem in coloniam, illos in prædam abduxit; cuncta terrore prosternens; adeo vt ex Iudæa hominum centum millia in Ægyptum deduceret. Ex quorum numero armatis electarum 30. millibus, eos in prouincia custodiam disposuit. Antea quoque & multi cum Persis, atque inde alii cum sociis, qui aduersus Aethiopum regem, cum Psammetico missi sunt, venerant; sed non tanta multitudine, quantam solus Ptolemæus Lagi deduxit. Nam ille viros quosque ætate, atque robore præstantes eligens armauit. Cæteram vero colluuionem, in coloniam instituit, ea mente, vt si quando milites sui, ob bellorum necessitatem, insolescerent, hi eorum iactantiam compesceret.*

XIV. *Ubi postea in propatulo.* QVÆ autem subdit Iosephus hic consentanea posterius aliquanto videntur contigisse, sed ignorantia certi temporis his coget adiungere. *Et cum Hierosolymitas*, inquit, *pertinacissime iurisiurandi fidem seruare compertum haberet, ex responso quod Alexandri legatis post Darij cladem dederant, multos ex eis præsidia disposuit per arces: & cum eis apud Alexandriam*

ius ciuitatis pari cum Macedonibus conditione dedisset, sacramento omnes deuinxit, seruaturos fidem posteris eius, qui tam multa ipsis crediderat. Non pauci propterea reliquorum Iudaorum sponte in Aegyptum migrauerunt, partim vbertate terræ allecti, partim Ptolemæi erga suam gentem liberalitate. Quæ fuerit hæc liberalitas non satis apparet, seruos tamen eos fuisse sub hoc Ptolemæo, & quidem maximo numero, ex ipsomet Iosepho constat, qui sub huius filio Ptolemæo Philadelpho ait Iudæos Hierosolymitas in Ægypto seruientes numero 120. millia liberos dimissos. Quæ liberalitas in eum esse potest, cui omnium pretiosissimam sustuleris libertatem?

XV. *Mors Aristot. & Demost. tempus. lib. 5.* HIC quoq; annus Aristotelis & Demosthenis morte insignitur à Laërtio in vita Aristotelis, vbi ex Apollodoro in Chronicis refert Aristotelem, postquam tredecim annos in Lycæo docuisset, perrexisse Chalcidem, & tertio anno centesimæ quartæ decimæ Olympiadis morbo perijsse, cum esset ferme annorum sexaginta trium: quæ habet etiam Dionysius in Epist. ad Ammæum. Tot autem numerantur ab anno primo Olymp. 99. quando natum eum scribit Halycarnasseus. Sed pergit Laërtius, *quo etiam tempore Demosthenes in Calabria defunctus est sub Philocle.* Sic ibi, Sed manifestum erratum est, quod in Calabria dicatur defunctus, *a* cum Calauria dicendum sit, vt recte quoq; Andreas Schottus noster animaduertit, & sequentia perspicue docebunt. Nam Pausanias in Atticis. *Ibi Demosthenes*, inquit, *ex are est, quem in Calauriam* insulam Troëzeni obuersam Athenienses exilij causa concedere coëgerunt, reuocatumq; *paulo post*, iterum post cladem Lamiacam in exilium miserunt. Quo tempore in eandem insulam reuersus, *hausto veneno interijt.* Sic ipse. Mela vero. In Troëzenio sinu insula est Calauria inter ignobiles, alias letho Demosthenis nobilis. Meminit eiusdem insulæ Strabo l. 8. eiusq; circulum ait 30. stadiorum, & à continente freto 4. stadiorum diuidi.

Et locus Calauria. a Et à Casaub. omissum.

l. 2. c. 7.

XVI. *Modus mortis Demosthenis.* IDEM ex Plutarcho certum est, ex quo historia mortis eius plenius habetur. Vbi inter alia; Alijs aliò dilapsis, circummisit ad eos arripiendos Antipater satellites, quorum fuit Archias dux, quem Phygadotheram, quasi exulum venatorem appellabant, & paulo post. Hic igitur Archias Hyperidem oratorem, Aristonicum Marathonium, & Demetrij Phaleræi fratrem Himeræum, ex Aiacis fano, quo Æginæ confugerant extractos, Cleonas misit ad Antipatrum, vbi interfecti sunt. Hyperidi linguam quoq; tradunt excisam. Inde ad Demosth. quem in Calauria sedere supplicem in delubro Neptuni acceperat, nauigiis actuarijs traiecit. Vt descendit cum Thracibus satellitibus suasit vt surgeret, ac secum pergeret ad Antipatrum, nihil ei mali metuendum esse. Sed ille, sustine parumper tum nonnihil domum scribam.

Mors Hyperidis.

XVII. *Demost. veneno se intermit.* SIC fatus recessit in interiora templi, & sumpto libello quasi scripturus, Calamum (imbutum veneno) ori admouit; quem mordens, vt in cogitando & scribendo assueuerat, aliquantum temporis ita Calamum tenuit: tum caput obuolutum reclinauit, & aliquanto post cum ad abeundum vrgeretur, ad aram transiens concidit, & cum gemitu animam efflauit. Et paulo post. *Decessit decimo sexto die mensis Pyanepsionis, quem diem sacris Cereris tristissimum agentes in templo Deæ ieiunant fœminæ. Et paulo post populus Atheniensis meritum honorem habens, statuam ex ære posuit, &c.* porro mensis Pyanepsion Octobri dicitur respondere. Fuit autem hic annus ætatis Demosthenis sexagesimus: tot enim ab anno vltimo nonagesimæ nonæ Olympiadis, ad tertium centesimæ decimæ quartæ numerantur computatis extremis, & omnino quindecim Olympiades. A. quoq; Gellius 60. annos Demostheni attribuit.

XVIII. *Mors Aristotelis.* QVOD ad mortem Aristotelis, eadem cum Laërtio narrant Halycarnasseus, Ammonius, & Strabo, qui l. 10. Chalcide insulæ Eubœæ Metropolim commoratum, & defunctum tradit. Suidas ait eum obiisse *aconito hausto, quod ob Hymnum in Hermiam eunuchum scriptum, in ius vocatus esset. Alij morbo decessisse dicunt anno ætatis septuagesimo.* Sic Suidas. Causam mortis eandem illi quam Demostheni crediderim, vt supra significauimus. Nec inuenio qui scribat vulgo iactatam fabulam, de Aristotele se in mare abijciente, quod reciprocos illius cursus, atque æstus capere non potuisset. Scribit l. 13. Strabo, Aristotelem suam Bibliothecam, & Scholam Theophrasto reliquisse. *Primus omnium*, inquit, *qui nobis noti sunt. Aristoteles, Bibliothecam congestis libris composuit; idque Aegypti reges facere docuit.* Sic ipse. Id certe facile fuit Ptolemæo Lagidæ persuadere, viro non solum militari, sed etiam erudito, cuius de Alexandri expeditione historiam, crebro citat Arrianus. Sed de Bibliotheca regum Ægypti, in Ptolemæo Philadelpho cum Iosepho dicendum erit. Nunc reuisamus Italiam.

Primus Bibliothecam construxit.

XIX. *Bellum in Samnites. sub extremum l. 8.* REFERT hoc anno Titus Liuius populum Romanum contra Sabinos, vel Consule, vel Dictatore duce ancipiti marte pugnatum, nam quidam annales huic, alij illi victoriam & triumphum ascribunt. Certe cum à principio iniquiore loco à Romanis castra posita essent, quasi procul abesset hostis, dum noctu ea mouentur, ne militum virtuti damno locus esset, Samnites incursare in hostem nouissimos carpere, iniquis ad transitum locis agmen detinere, denique pugnæ necessitatem afferre. Itaque in pugna iis animis fuere, nihil vt Romanis cæderent, & ab hora diei tertia, ad octauam certamen anceps esset, donec Samnitium equitum turma vna, animaduersis Romanorum impedimentis sine custode, in ea improuidè irruerunt.

XX. *Bellū confectum.* QVOD cum Dictatori trepidus nuncius attulisset, *sine modo*, inquit, *sese præda præpediant*: & simul Magistrum equitum, quam instructissima acie potuit, iubet in dissipatos, impeditósque impedimentis hostilibus inuadere. Inuadit, cæde omnia replet; deletoque prope equitatu, circunductis paululum alis, à tergo pedestrem aciem adoritur, & improuiso malo terret, turbatque: cum Romanus hortatu Dictatoris renouatis animis & viribus cum clamore vrget fluctuantem hostis aciem. Itaque partim in medio cæsi, partim in fugam dissipati sunt; pedites restantes ac circunuentos cecidit, eques fugientium stragem fecit, inter quos & ipse cecidit hostium Imperator.

Quod Samnites ipsi damnant. Hoc prælium Samnitium vires non solum infregit, sed ad belli iniquitatem damnandam, & fœderis frangendi autores, eum Romanam præda dedendos, inuitauit. In iis maxime Brutulus quidam Papius censebatur, qui voluntaria morte, ignominiæ se, supplicioq; subtraxit. Itaq; feciales Romam missi, & Brutuli corpus exanime: placuit & bona eius dedi. Nihil tamen earum rerum præter captiuos, ac si qua cognita ex præda sunt, acceptum est; cæterarum rerum irrita fuit deditio. Dictator ex Senatusconsulto triumphauit.

ANNVS MVNDI 3733. SEXTÆ AETATIS 217. Imperii Alexan. 10. Ptolemæi Lagi 4. Oniæ 4. Olympiadis CXIV. AN. 4. Archonte Athenis Archippo, siue Apollodoro. Vrbis conditæ 432. T. Veturio Caluino Sp. Posthumio Albino Coss. *Dionys. in Dinarcho. Diodorus.*

ANNVS ANTE CHRISTVM 320.

I. *Copia Antigoni & Eumenis in Asia.* CONTINET hic annus res primùm inter Eumenem & Antigonum in Asia gestas. Cum enim vterq; per hyemem rebus suis prouidisset, Antigonus supra decem millia peditum, quorum plerique erant Macedones, & duo millia equitum, cum triginta elephantis coëgit, vt ait Diodorus l. 18. *Eumenes vero*, inquit, *non minus viginti millia peditum, & quinque millia equitum*; sed haud dubiè erratum est in numeris. Qui enim fieri potest, vt Antigonus, qui totius Asiæ imperator declaratus erat; & secum regias habebat copias, duplo minorem exercitum haberet Eumene, iam proscripto, quique præter Antigonum, etiam Antipatrum, & Ptolemæum, qui in Macedonia, Græcia, Ægypto, Syria, Phœnice dominabantur,

Proscriptus Eumenes.

bantur, hostes habebat. Certe quasi proscriptum tractabat Antigonus. Itaque libellos spargi curauit in castris Eumenis, centum talenta, & honestum ordinem proponentes ei, qui Eumenem interfecisset. Exarsere autem grauiter Macedones; decreueruntque vt ex præstantissimis, mille essent assidue corporis eius custodes, stationesque, & excubias vicissim agerent. Plutarchus in Eumene.

II. *Proscriptionem sapienter eludit. L. 14.* At Iustinus elegantius: Cum reuersus, inquit, in castra esset, epistolæ totis castris abiectæ inueniuntur, quibus iis, qui Eumenis caput ad Antigonum detulissent, magna præmia definiebantur. His cognitis Eumenes, vocatis ad concionem militibus, primo gratias agit, quod nemo inuentus sit, qui spem cruenti præmij fidei sacramento anteponeret: deinde tamen callide subnectit confictas à se has epistolas, ad experiendos ad suorum animos. Cæterum salutem suam in omnium potestate esse; nec existimare se Antigonum, nec quenquam ducum sic velle vincere, vt ille pessimum in se exemplũ statuat. Hoc facto, & in præsenti labantium animos deterruit, & sapienter in futurum prouidit, vt si quid simile accidisset, non se ab hoste corrumpi, sed à duce tentari milites arbitrarentur. Hactenus Iustinus.

III. *Eumenes in pugna proditione vincitur.* Non frustra tamen sollicitatos ab Antigono scribit Diodorus. Antigonus, ait, per internuncium cum Apollonide, equitum præfecto quodam, apud Eumenem agente, ingentibus promissis effecit, vt in pugna ad hostes Eumene prodito transiret; quod cum fecisset, victoria cum cæde octo millium Eumenianorum, & omnium impedimentorum præda, ad Antigonum deuolauit. *Fugit ad arcem Nora.* Tradit deinde eum in Armeniam fugere instituisse, vt Armenes in societatem armorum pertraheret; sed Antigoni celeritate præuentum, castellum quoddam munitum, Nora nomine, occupasse, cum sexcentorum amicorum, tam equitum, quam peditum manu. Et arcem quidem illam perexiguam fuisse, vt cuius ambitus duo stadia non excederet, sed firmitate, tam ab arte, quam à natura admirandam. Domos in excelsa petra habuisse constructas, & omni commeatus genere affatim in plurimos annos instructas: repugnante Plutarcho, qui frumenti quidem, & aquæ, & salis copiam ibi repositam fuisse tradit, verum quod esui esset, vel condimenti aliud nihil adfuisse.

IV. *Dimissa parte copiarum.* Eam arcem Plutarchus ad Lycaonis, & Cappadociæ confinium positam tradit, Æmylius in Phrygia, eoque cum quingentis equitibus, & ducentis peditibus refugisse, magnamque partem militum induxisse vt facesserent, quod eos trahere secum nollet, pauciores quam ad signa conferenda, neque plures quam ad tegendam fugam suam. *Iterum proditorem fugatus elabitur.* Sed priusquam eo se loco includeret, ab Antigono per proditionem fusus, vt idem ait, dum consectantur fugientem, non dedit facultatem proditori, vt ex fuga elaberetur ad hostes, sed arreptum suspendit; fugiens autem contraria quam illi tenebant, qui eum insequebantur via, insciis illis conuertit iter, atque præteritis hostibus ad locum venit, vbi fuerat pugnatum. *Magnitudo animi eius.* Ibi castra metatus mortuos cremauit, excitatisq; tumulis recepit se: vt Antigonus, qui post eò peruenit, eius animi constantiam obstupesceret. Sed vide etiam prudentiam, atque temperantiam.

V. *Abstinet à præda hostili.* Cvm in Antigoni impedimenta incidisset, & magnam vim liberorum capitum ac seruitiorum, & prædarum ex tot bellis & populationibus congestarum, capere posset, Menander quippe qui ea seruabat, eo loco erat, in quo ab Eumenis equitatu facile cingi, & expugnari poterat, abstinuit tamen, vel Macedonas hoc facto sibi demereri volens, vel veritus ne sui præda onusti, minus ad fugam habiles redderentur. *Et quare.* Sed quia si ab eo lucro palam militem auocasset, inuidiam ferre non potuisset, eosque à se alienos reddidisset, quorum opera maxime indigebat, iussit suos curare corpora, & equis pabulum dare. Interea ipse clam Menandrum, pro veteri amicitia monet, vt se inde recipiat in locum equitatui minime obnoxium, quod ille propere est executus. Tum Eumenes propalam exploratores misit, & militiæ ad inuadenda impedimenta instruxit, sed referunt exploratores Menandrum se ad tutiora loca recepisse. Eumenes fingens se id moleste ferre, abduxit copias, & dimissis aliquibus, in arcem Nora se recepit.

VI. *Obsidetur in arce.* Qvam priusquam obsidione cingeret Antigonus, vt inquit Plutarchus, vel post eam duplici muro, vallis, fossisque cinctam, vt mauult Diodorus, Eumenem ad colloquium, dato obside filio fratris sui Ptolemæo, euocat, eumque pro veteri amicitia perhumaniter accipit; cumq; eum nullam veniæ, aut salutis suæ mentionem facere videret, sed potius satrapias sibi restitui, ac præmia reddi postularet; mirari omnes eius animi præsentiam. Antigonus de his se relaturum ad Antipatrum pollicitus, eum tutum & incolumem suæ arci restituit.

In qua de ijs quæ aderant facile commilitonibus communicabat, eosq; ad mensam suam inuitans conuiuium lepidis sermonibus, pro sua humanitate, & dicendi facultate condiebat: equos etiam domi artificiose exercebat.

Antigonus, relicto quod castelli oppugnationi sufficeret præsidio, ad ingruentes cum exercitu hostium duces, Alcetam fratrem Perdiccæ, & Attalum eius classis præfectum contendit. Eumenes complures menses, vt ait Probus, in obsidione perseuerat, legatos autem ad Antipatrum de pace non ante annum sequentem misit, ad eius tamen vsq; mortem, in arce clausus perdurauit.

VII. *Bellũ Samniticum probrosum.* Hic quoq; annus Romanis probrosus admodum, ac luctuosus fuit. Caudinam enim pacem cum Samnitibus dedecore plenissimam continet, quam Liuius ab initio l. 9. præclare pertractat, Florus in epitome vix attingit, qui gloriosam tantum Romam exhibere cupit: nos mediam de more sequemur viam.

C. Pontius ii. filius Romanis paratus. Samnites hoc anno Imperatorem C. Pontium Herennij filium habuerunt, patre longe prudentissimo natum. Is vbi legati, qui Romam missi ad dedendas res fuerant, pace infecta redierunt, monere suos cœpit, vt quoniam ea legatione expiatum esset, quidquid ex rupto fœdere cœlestium irarum in Samnites esset, nunc bellum, dijs ipsis ducibus, contra Romanorum superbiam esse gesturos, eosque bellum, quia pacem nollent esse habituros. Ergo educto exercitu prope Caudiam Apuliæ vrbem, castra quam potest occultissime locat. Inde ad Calatiam, vbi iam Coss. Rom. castraque esse audiebat, milites decem, pastorum habitu mittit, quos non procul à Romanis præsidijs diuersos pascere iubet, vbi inciderint in prædatores, vt idem omnibus sermo constet, legiones Samnitium in Apulia esse, Luceriam omnibus copijs circumsedere, nec procul abesse quin vi capiant. Iam & is rumor, antea de industria vulgatus venerat ad Romanos, sed fidem auxere captiui, eo maxime, quod sermo inter omnes congruebat.

VIII. *In obsidione ponde perabiis.* Qvoniam ergo necessarium videbatur promptissimum Lucerinis auxilium ferre, ne optimi socij perirent, & eum ijs Apulia tota deficeret, viam compendiosam eligunt, quæ medium campum habebat, præaltis montibus, perpetuisque circunseptum, cuius aditus exitusque angusti. In eum campum cum se Romanus demisisset exercitus, & ad alias angustias protinus pergerent, septas deiectu arborum, saxorumque ingentium obiacentem molem inuenere.

Cum iam fraus hostilis, & præsidium in summo saltu appareret, retro viam remetiri moliuntur, sed aditum hostium armis clausum inueniunt. In eo carcere dum attoniti, atque immobiles consistunt, etiam ab hostibus irridentur. *De captiuis patrem consulit.* Hic Pontius patrem Herennium per literas consulit, quid facto esset opus. Ille respondet omnes inde quam primum inuiolatos dimittendos: quod cum non placuisset, secundo consultus, omnes ad vnum interficiendos censuit; quod optimum duceret cum potentissimo populo, per ingens beneficium perpetuam firmare pacem; vel tanto deleto exercitu, in multas ætates bellum differre, dum vires res Romana reciperet.

IX. *Arma spoliis ... mittere ...* Mediam quasi viam elegit Pontius, quæ nec amicos redderet captiuos, nec tolleret inimicos. Ergo cum

lib. 14.

sidia, Eumenes ex arce literas ad Antipatrum mittit, & legatos supplices, vt inquit Iustinus, auxilia contra Antigonum postulans. Quæ cum eodem scriptore cōcessa esse cōstet, oportet cōsilia Antigoni, aut patefacta, aut suspecta esse cœpisse, vt est ambitio suspicax: neque enim alioqui & inimicum impotem virium in gratiam reciperet, & amicum longe potentissimum, sibi sine causa redderet inimicum. Quanquam non negabo istiusmodi Antipatri auxilia mihi suspecta esse, cum de iis Diodorus, Plutarchus, Æmylius Probus plane conticescant: & solutionem obsidionis Eumenis non copiis Antipatri, sed eiusdem auditæ morti ascribant, vt sequenti anno, quo res contigit, dicemus. Annuam fuisse eius obsidionem Diodorus affirmat: qui etiam ait Aridæum male habitum ab Antigono, misisse partem exercitus cum præfecto, vt Eumenem obsidione liberaret, eique se coniungeret. Itaque Antipatrum pro Aridæo Iustinus fortasse posuerit. Nunc ad Romanos vlciscendæ contumeliæ studio flagrātes transeamus.

Eumenes egressus molitur.

V. *Patres Caudinam deditionem antiquandā censent, quæ eam fecerat.*

M. VALERIVS Coruinus interrex Consules creauit Q. Publilium Philonem, & L. Papyrium Cursorem, haud dubio consensu ciuitatis, quod nulli ea tempestate duces clariores essent. Quo primum die creati sunt, magistratumque inierunt, de Caudina pace ad Senatum retulerunt. Et Publilius, penes quem fasces erant, quique rogabat sententias, Sp. posthumij Exconsulis sententiam rogat. Qui vbi surrexit, eodem illo vultu, quo sub iugum missus fuerat, author fuit Senatui, quoniam populus Romanus non teneretur sponsione, quæ iniussu eius facta esset, nec quidquam ex ea, præter sponsorum corpora deberetur Samnitibus, vt per feciales nudi vinctique eis dederentur; sicque populo religione soluto, iustum piumque bellum contra Samnites de integro iniretur.

VI. *Insignis Posthumij virtus.*

NEC dubitauit eam contra se ferre sententiam, quæ sibi cum acerbissimis cruciatibus, mortem apud infestos Samnites allatura videretur; quod postea exemplum, euentu licet dispari Attilius Regulus secutus est. Et concludens *vos dij*, ait, *immortales precor, quæsoque si vobis non fuit cordi Sp. Posthumium & T. Veturium Coss. cum Samnitibus prospere bellum gerere, at vos satis habeatis vidisse nos sub iugum missos, vidisse sponsione infami obligatos, vidisse nudos vinctosque hostibus deditos, omnem iram hostium nostris capitibus excipientes: nouos Consules, legionesque Romanas ita cum Samnite gerere bellum velitis, vt omnia ante nos Consules bella gesta sunt.* In qua re, vt de facti iure non disputem, fortissimus certe animus, geminaque in Deum & patriam pietate præstans, summa laude dignus est, qui primum se, ad conseruandos ciues maximæ ignominiæ dediderit: rursumque vt patriam gloriosam atque incolumem reddat, & & deos violati fœderis vltores placet, propitiosque vrbi suæ efficiat, supplicijs sese, atque contumelijs irati hostis obijciat. Quo animo futurus erat in verum Deum; qui tali reuerentia in sacrilegos deos fuit? qua fortitudine pro cœlesti patria fuisset, qui pro terrena tam constans, tam negligens fuit sui?

VII. *Autores pacis deduntur Samn.*

QVID plura? deditionem obtulit, ac persuasit? ipse cum reliquis sponsoribus fœderis, abdicato magistratu, traduntur fecialibus, Caudium abducuntur, in ora omnium cum eximia prædicatione versantur. Interea delectus fit in populo, ira ac belli cupiditate flagrante. Delectus omnium prope voluntariorum fuit, rescriptæ ex eodem milite nouæ legiones, ductusque ad Caudium exercitus.

Nec recipiuntur.

Prægressi feciales vbi ad portam venere, vestem detrahi pacis sponsoribus iubent, manus post tergum vinciri: tum fecialis eos Samnitibus dedit; illi oblatos non recipiunt, sed vinculis solui iubent; qui fide sua liberata, in castra Romana inuiolati redierunt. Inter hæc Satricani ad Samnites defecerunt, & virorumq; necopinato aduentu, Fregellæ colonia nocte occupata est, multis perfidiose, ac crudeliter interfectis.

VIII. *Romani fo[...] Samn[...] sub Publilio.*

PORRO Coss. inter se partiti prouincias Papyrius in Apuliam ad Luceriam pergit, vbi obsides Romani equites ad Caudium dati custodiebantur, Publilius in Samnio substitit aduersus Caudinas legiones. Etsi autem cupiebant Samnites opem ferre Luceriæ, veriti tamen à tergo instantem Publilium, cum eo primum pugnare statuerunt: sed tantus erat militum clamor prælium poscentium, vt nec adhortatio imperatoris audiri potuerit, neque præliorum legitima seruari. Omnia quippe ira militaris vesano impetu egit. Itaque non fusi modo hostes sunt, sed ne castris quidem suis fugam impedire ausi, Apuliam dissipati petiere: Luceriam tamen, coacto rursus in vnum agmine, peruentum est. At Romanos ira eadem, quæ per mediam aciem hostium tulerat, & in castra pertulit, vbi plusquam in acie sanguinis fusum, prædæque pars maior ira corrupta.

Valleriq.

IX. *Papyrius Luceriam obsidet. Samnites pugnam parāt. Quam Tarentini frustra impedire cupiunt.*

ALTER exercitus cum Papyrio per loca maritima Luceriam, non sine periculis peruenere, eamque ita obsedere, vt inclusi exclusique penuria laborarent: sed Publilij aduentus cum victore exercitu, arctiorem reddidit obsessis commeatum. Itaque cum spes nulla esset obsessos diutius inopiam laturos, Samnites signa cum Papyrio conferre statuunt. Cumque vtrique se ad prælium parant, legati Tarentini interueniunt, qui vtrosque ab armis discedere non orant, sed imperant; adduntque minas, se contra eam partem, arma laturos, per quam stetisset, quo minus arma posita essent. At Papyrius nihilominus contemptis, elusisque Tarentinis, dijs authoribus copias educit, nequicquam vociferantibus Samnitibus, se in Tarentinorum autoritate manere, nec pugnaturos. At Consules eam se mentem hostibus precari dixerunt, nimirum vt incruentam de ipsis victoriam obtinere possent.

Simulque in vallum, in castra impetum faciunt, & ira exulceratos ignominia animos extimulante, armatos inermesq; occidunt, seruos liberos, puberes impuberes, homines iumentaque; nec vllum superfuisset animal, ni Coss. receptui signum dedissent, auidosque cædis milites è castris hostium imperio, & minis expulissent, monuissentq; parcendum vlterius sæuire, vt sexcentos equites Luceriæ inclusos recuperarent, ne desperata venia hostes cæcos in supplicia eorum ageret.

X. *Luceria fame expugnata.*

Id cum probatum esset, alter Consulum Publilius cum suo exercitu Apuliam peragrat, & plerosque populos circumquaque vel vi subegit, vel in societatem accipit. Alter Luceriam arctissime continet. Illi obsessis omnibus vijs, quibus commeatus ad se afferri poterat, fame domiti, legatos misere ad Coss. vt receptis equitibus, qui causa belli essent, obsidioni obsisterent. Quibus Papyrius insultans respondit debuisse eos Pontium Herennij filium, quo authore Romanos sub iugum misissent, consulere quid victis patiendum censeret. Cæterum nunciare Luceriam iussit militem se cum singulis vestimentis sub iugum missurum, vlciscentem illatam, non nouam inferentem ignominiam. Nihil recusatum; septem millia militum sub iugum missa, in quibus ipsum Pontium fuisse traditum est, ad expiandam Coss. ignominiam; prædaque ingens Luceriæ capta, receptis omnibus signis, armisque, quæ ad Caudium amiserant: & quod omnia superabat gaudia, equitibus recuperatis, qui dati fuerant obsides pacis. Exercitus cum triumpho, incredibilique lætitia in vrbem reductus est: etsi aliqui triumphum in annum sequentem reijciant, in quem Papyrij Cursoris continuatus est consulatus, vt ex Liuio, & Sigonio intelliges. Nos redimus in Græciam, vbi Antipatri mors multis motibus initium dabit.

Septem millia sub iugū missa.

Obsides recepti.

* * † * *
*

ANNVS MVNDI 3735. SEXTÆ AETATIS 219. Imperii Alexan. 12. Ptolemæi Lagidæ, & Oniæ 6. Olympiadis CXV. an. 2. Archonte Apollodoro. Vrbis conditæ 434. Coss. L. Papyrio Cursore III. & Q. Aemylio, siue Aulio Cerretano II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 318.

I. *Aetatis annus huius.* INCIDIT in hunc annum Antipatri mors, penes quem summa rerum, vna cum Regum tutela, esse videbatur; qui viuo Alexandro Macedoniam, Græciamque pro rege gubernauerat. Chronologiam firmat Diodor. qui sub Apollodoro refert extinctum: quod confirmat Sigonius libello de Atheniensium temporibus, & Temporarius. *l.1.p.213.* Hunc quoq; annum regni Antigoni primum ponit Eusebius in chronico, quod hoc primum anno, propter magnum virium incrementum, cœperit non quidem se appellare regem, aut imponere sibi diadema, quod longe posterius fecit, sed aperte neminem agnoscere superiorẽ, & ipse per se agere res suas; sicut sextum iam annum Ptolemæus in Ægypto. Verum ab Antipatri obitu ducamus initium, quem filij eius Cassandri cum Polysperconte cõtentiones & prælia, Eumenis liberatio, Antigoni aperta defectio & dominatus, aliaq; his connexa in Asia, Macedonia, Græcia, Ægypto sunt consecuta.

II. *Antipater ægrotat.* IN Macedonia, inquit Diodorus, cum Antipater grauiorem in morbum incidisset, seniumque migrationem è vita adiuuaret, Athenienses Demadem oratorem, qui gratia erga Macedones plurimum valebat, quod eorum res Athenis semper fouisset, legatum ad Antipatrum misere postulantes, vt quemadmodum olim facturum promisisset, præsidium ex Munychia, is erat Atticæ portus, *Athenienses adeunt Demadem legant.* deduceret. Plutarchus in Phocione, Cum, inquit, Phocionem obtunderent Athenienses, vt Antipatrum induceret ad remouendum præsidium, semper illam legationem reiecit; vel quod non speraret se id Antiparro persuasurum, vel quia modestiorem populum videbat, & moderatius agentem ob metum. Perpulit tamen Antipatrũ, *Phocionis prudentia.* vt exactionem pecuniæ prorogaret. Ita Demadem relicto eo rogauerunt, qui eo cum filio Demea libenter profectus est, vltione Demost. eum in Macedoniam agente, *Plutarc. in Demosth.* vt quibus fuerat fœde adulatus, ab ijs iuste perde[illegible]ur.

III. *Litera Demadis mortis eius causa.* FVERAT initio, vt autor est Diodorus, Antip[illegible]er beneuolo in Demadem animo: postea vero quam defuncto Perdicca, inter regias literas repertæ fuerunt epistolæ quædam Demadis, hortantis Perdiccam, vt quam celerrime in Europam contra Antiparrum traijceret, ad imperium Græciæ, Macedoniæq; asserendum, quod ex vetere, & marcido stamine suspensum diceret, Antiparrum intelligens: Antipater inimicitias dissimulauit ad tempus. Nunc ergo legatum Demeam, filiumq; eius supplicio rum ministris tradidit occidendos. Ita fere Diodorus. At Plu- *Plut. in Phocione & Demosthene.* tarchus in Demosthene, ait Cassandrum Antipatri filium, primo Demeam eius filium in patris sinu iugulasse: deinde & Demadem ipsum, ingratitudine & proditione vehementius exprobrata, contumelijs affectum necasse. Idem scripsit in Phocione, nisi quod literas non ad Perdiccam, sed ad Antigonum scriptas ait, cum constet tum Perdiccam, non autem Antigonum, omnia vt regni tutorem in potestate habuisse.

IV. *Antipatri obitus.* ANTIPATER porro in extremo vitæ limine Regum curatorem & ducem, summa cum potestate designauit Polyspercontem, qui natu fere maximus erat inter omnes Alex. commilitones, & à Macedonibus in honore habebatur, filioq; suo Cassandro Chiliarchi munus tribuit, vt secundus esset potestate. Addidit etiam ne mulierem re- *Olymp. 115. An. 4.* gno præesse sinerent, vt inquit Diodorus, vtrique Olympiadem, cum qua inimicitias gerebat, & cuius crudelitatem postea experti Macedones, hanc Antipatri vocem, quasi ex oraculo missam prædicabant: deniq; morbo victus, vita & gubernatione caruit. At Cassander indignum esse iudicauit, si vir nulla generis propinquitate iunctus, patri in imperio succederet, quando filius, spectatæ iam virtutis & fortitudinis, res administrare posset. Itaq; res nouas statim moliri cœpit.

V. *Cassander filius res nouas molitur.* PRIMVM igitur cum amicis rus profectus de summa rerum Macedonicarum gubernatione colloquia instituit: vbi vnumquemq; priuatim exceptum, ad principatum sibi conciliandum sollicitat, & ingentibus promissis inducit. Occulte insuper missis ad Ptolemæum legatis amicitiam renouat, & vt societatem armorum secum iungat, hortatur, classe quamprimum ex Phœnicia in Hellespontum transmissa. Sic ad cæteros quoq; duces, & ciuitates mittit, qui ad arma cum ipso iungenda sollicitent. Ipse ad dies multos venationem instituit, ne defectionis nomine suspectus haberetur, postremo clam è Macedonia profectus Hellespontum petit, indeq; ad Antigonum in Asiam traijcit, vt eius quoque auxilio paternæ administrationi succederet. Operam veterator ille prolixe obtulit, memor vt ferebat amicitiæ in Antiparrum suæ; qui tamen cupiebat eum distineri prælijs in Macedonia, vt res ipse suas in Asia securius ageret.

VI. *Polysperconi suscepta Antipatri cura Olympiadem reuocat.* POLYSPERCON autem postquam tutelam regum ex Antiparri voluntate adijt, conuocato amicorum senatu, de illorum sententia Olympiadem accersit, eamq; exhortatur, vt filium Alexandri puellum adhuc, suæ curæ habeat commendarum, & regia fungens administratione in Macedonia deinceps agat, relicta Epiro, quò propter inimicitias cum Antipatro iampridem confugerat.

Cassander occupat Munychiam Athenarum. Addit Plutarchus in Phocione Cassandrum properantem occupare dominatum, Nicanorem propere misisse præfecturæ Menyllo, successorem, iussisseque antequam Antipatri obitus vulgaretur, occupare Munychiam: quod & factum est, non sine Phocionis inuidia, qui rem sciuisse, ac dissimulasse creditus est Athenis.

VII. *Status rerum Antigoni in Asia.* EIVSDEM mortis nuncius in Asiam ad Antigonum, per Aristodemum Milesium delatus, Antigoni spiritus vehementer auxit, & eum ad res Asiæ sibi vendicandas, nullius imperium agnoscentem penitus induxit. Nam & Macedoniam domestica Cassandri & Polyspercontis dissentione distractam videbat: ideoq; nihil inde sibi extimescendum, & Ptolemæum in alterutrius partes abiturum. In Asia se Imperatorem iampridem regiarum copiarum esse declaratum, habere in armis sexaginta peditum, & decem equitum millia, & 30. elephantos. Thesauris in Asia aut potiri se iam, aut eum liberet nemine resistente petiturum. Nec eminere quenquam in Asia à *Studet Eumenem ad se pertrahere.* quo timere, aut iuuari posset, præter vnum Eumenem, quem haberet propemodum in potestate. Ad eum ergo sibi deuinciendum animum induxit. Hieronymum eius amicum, & ciuem, & mox rerum præclare gestarum scriptorem ad se accersit, magnisq; inuitatum muneribus legationem ad Eumenem obire iubet, hortariq; vt præteritorum oblitus, amicitiam, & societatem belli secum iungat, & prouinciam ampliorem gubernandam accipiat, primusq; sit inter amicos, ac totius instituti particeps: simul etiam amicos, quos secum habebat, consiliorum ac promissorum ingentium participes facit.

VIII. *Iusiurandum offert, quod ille corrigit.* HIS Diodori, addit Plutarch. in Eumene, missum ab Antigono iusiurandum Eumeni, in quo obiter facta initio mentione regum, exigebat vt sponderet Eumenes se eundem habiturum hostem, & amicum, qui Antigono foret hostis, vel amicus. Eumenem autem de amicorum Macedonum consilio iusiurandi formulam correxisse, *Et dimittitur ex arce.* addita Olympiade & regibus, quorum in primis hostibus & amicis, hostem se vel amicum fore iurabat. Ita iurauit Eumenes, & cum suis obsidione solutus, copias quam- *Quod Antigonum male habuit.* primum contraxit, quod sibi ab Antigono timeret; qui accepta iurisiurandi formula, amarè suis rescripsit, quod eam mutari passi essent, & eum rursus obsideri, accircumuallari iussit. Sed ille emissus conquirebat milites, qui effusi ex fuga per eam regionem palabantur. Ita equites contraxit, paulo minus mille. Diod. ait eum intra paucos dies, præter quingentos qui secum obsidionem tolerarant, plusquam bis mille ad imperata promptos milites

contra-

contraxisse: etsi Iustinus scribat eum solutum quidem fuisse metu mortis, nec tamen ei magnam spem salutis dimisso exercitu fuisse, deinceps enim longo tempore omnia fuerunt Eumeni lætiora, quæ Iustinus præteruolans, saltu ad Argyraspides irruit.

IX. *Polysperconis studia pro imperio sibi stabiliendo. Ciuitates liberat.* POSTQVAM Cassandri consilia in Macedonia patuerunt, Polysperco Regum tutor magnitudinem belli sibi cum Cassandro futuri prospiciens, vt qui Antigonum & Ptolemæum habiturus secum esset, viris, pecuniisque potentissimos, coacto amicorum consilio de ratione belli cum illis gerendi disputationem instituit: decretumq; est, vt ciuitatibus Græciæ restitueretur libertas, & paucorum in illis regimen antiquaretur, id est, Oligarchia in Democratiam commutaretur; ad eum modum, quo sub Alexandro & Philippo vitam egerant. Quod decretum ciuitatum legatis, qui apud Polyspercontem, & reges erant, traditum, quam primum ab iis in ciuitates delatum est. Sed Athenæ, quæ Cassandri præsidium apud se habebant, liberæ esse nequiuerunt, vt sequens annus ostendet. Ipse autem Polyspercon scribit ad ciuitates, vt magistratus ab Antipatro constitutos de gradu deijciant, omnibusque modis Cassandri amicos vexent, ne quo modo eum iuuare possint: ad Olympiadem quoq;, vt diximus, scribit.

X. *Eumenem ad se pertrahit.* AD Eumenem etiam dat literas, suadens vt opera sua regib. addicta, inimicitias cum Antigono ne deponat, siue in Macedoniam transgressus communi secum opere tutelam Regum gerere velit, siue potius eligat in Asia remanere, & exercitibus, pecunijsq; acceptis, contra Antigonum, qui iam manifesto à Regibus desciuisset bellum gerere. Reges autem, & Satrapiam, quam ipsi Antigonus ademisset, & omnia quæ dudum obtinuisset in Asia, ipsi restituere: quinquaginta insuper talenta, ad resarcienda damna pridem accepta largiri, qua de re ad præfectos Ciliciæ, quæstoresq; scriptum sit: sicut & de alia pecunia ad copias cogendas necessaria. *Eumque valde auget.* Denique ad ductores mille Argyraspidum mandatum esse, vt sacramento Eumeni sese obligent, eumq; in omnibus alacriter iuuent, qui totius Asiæ cum summa potestate designatus sit Imperator. Et hæc quidem hoc anno, Archonte Apollodoro gesta in Asia, & Macedonia.

XI. *Æmylius Ferentanos domat.* IN Italia vero Coss. contra Samnites belli reliquias feliciter persequuntur. Nam Æmylius cum Ferentanis vno secundo prælio debellauit, vrbemq; ipsam, quo se fuga contulerat acies, obsidibus imperatis, in deditionem accepit. Pari fortuna Consul alter cum Satricanis, qui ciues Romanis cum essent, post Caudinam cladem ad Samnites defecerant, & præsidium eorum in vrbem receperant, rem gessit. Nam cum ad mœnia Satrici admouisset exercitum, conterriti Satricani pacem precibus petunt. *Papyrius Satricanos.* Respondet Consul, pacem nisi tradito Samnitium præsidio esse non posse. Negant illi satis in se virium esse, vt inermes validum & armatum præsidium dedant; cum nihilominus acerbe à Consule reiicerentur, & præsidium Samnitium proxima nocte decessurum esset, quod nihil satis præparati esset in oppido, ad obsidionem tolerendã; *Qui hostile præsidium delet.* Ciues qui defectionis causa fuerant, gratiam à Consule inituri, de hora, & porta, qua egressuri essent, monent, vt incessis circum viam syluestribus locis, nec opinato opprimeretur: quod & factum est. Alii qui in fide Romanorum steterant, portis patefactis Romanos in vrbem acceperunt, sicque eodem tempore gemina proditione, & *Defectionis authores punit.* Samnites oppressi, & Satricani capti sunt, omniaque in Consulis potestatem venerunt: qui quæstione habita defectionis autores virgis cæsos securi percussit; præsidioq; valido imposito arma Satricanis ademit. Inde Romam ad triumphum decessit; iuxta eorum sententiam, quibus placet Papyrium Cursorem non superiore, sed hoc demum anno triumphasse.

* * † * *

ANNVS MVNDI 3736. SEXTÆ ÆTATIS, 220. Imperij Alexandri 13. Ptolemæi & Oniæ Pontif. 7. Olympiadis CXV. an. 3. Archonte Archippo. Vrbis Condit. 435. M. Follio Flaccina, & L. Plaucio Venoce Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 317.

REDDITÆ sunt hoc anno Eumeni Polysperchontis literæ; redditæ sunt etiam Olympiadis, quibus ab eo sollicite opem sibi, & Regibus postulabat: Regum nomine Aridæum Alexandri Magni fratrem, & duos eiusdem filios adhuc puerulos intelligens; & quidem cum magna in eius fide ac virtute fiducia, vt qui Regiæ domui vnus omnium fidelissimus perstitisset. Et quoniam plurimum eius prudentiæ tribuebat, consilium quoque ab eo poscebat, an sibi autor esset in Epiro diutius subsistendi, an in Macedoniam reuertendi. I. *Literæ Eumeni, & Olympiadis.*

Eumenes Olympiadi respondet, consultum videri vt in Epiro ad finem vsq; belli permaneat, siue, vt est apud Æmilium Probum, quoad Alexandri filius regnum adipisceretur. Sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam, omnium iniuriarum obliuisceretur, & in neminem acerbiore vteretur imperio. Horum nihil ea fecit. Nam & in Macedoniam profecta est, & ibi crudelissime se gessit. Ita Probus, siue Cornelius Nepos. Addidit Eumenes, se in fide & beneuolentia in Alexandrum, eiusq; familiam constanter permansurum, nec Antigono regnum affectanti adhæsurum.

VERVM quoniam Antigonus contra ipsum copiosum exercitum duce Menandro mittebat, isq; magnis itineribus aduentabat, Eumenes cum copijs, quas ad manum habuit, è Cappadocia castra mouit, suis qui tardius venturi erant, minime expectatis. Sicque irritum Menandri conatum reddidit. Ipse autem Tauro monte superato, in Ciliciam deuenit, vbi duces Argyraspidum Antigenes & Teutamus Regum literis oblecuti, cum amicis Eumeni longius occurrunt, gratulantur, omnia pollicentur. Inde adueniunt etiam in occursum ad tria Argyraspidum millia, quibus tanta circa Eumenem fortunæ commutatio admirationi erat, qui paulo ante à Regibus proscriptus, nunc summus Imperator eorum nomine factus esset. II. *Eumenes relicta Cappadocia & Antigono, transit in Ciliciam.* *Quam ibi excipiunt Argyraspides.*

NEQVE vero Eumenes afflanti fortunæ sese temere credidit, nec sese superbe extulit, ex quo iustam inuidiam Argyraspidum in se conflaret, sed potestate sua modeste ac moderate vsus est. Itaque quingenta illa talenta vltro oblata Polysperchontis literis, sibi non accepit, negans sibi necessaria, qui nullum sibi quæreret dominatum; eumq; magistratum quem accepisset, necopinato delatum, inuitumque accepisse. Ideoque velle Alexandrum quasi præsentem in suis insignibus, in medio cœtu præesse, & quasi ex ipsius ore dictare quid facto esset opus. Idque Macedonibus gratissimum fuit. Ergo, vt ait Æmilius, in principijs, id est, honoratiore ac tutiore castrorum loco, nomine Alexandri statuit tabernaculum, in eoque sellam auream cum sceptro & diademate poni iussit, eoq; omnes quotidie conuenire, vt ibi de summis rebus consilia caperentur. Pecunias porro in militum delectu, & largissimis stipendijs impendit. Quo factum est vt intra breue tempus, supra 10. millia peditum, & equitum duo millia colligerentur, præter Argyraspidas, & eos quos secum ipse adduxerat Eumenes. III. *Eumenis prudentia, atque modestia.* *Liberalitas & copia.*

INIQVO animo tulit Ptolemæus, qui Antigono consentiebat, Argyraspidas Eumeni coniunctos, eosq; ab illo abducere conatus est, sed irrito conatu. Idem etiam tentauit Antigonus, haud multo meliore successu. Etsi enim Teutamum vnum è ducibus promissis labefactauit, Antigenes tamen eum reduxit in viam, docuitq; certiora sibi ab Eumene, viro in primis fideli, ac mediocris fortunæ homine speranda esse, quam ab Antigono nimium potẽti; qui ad summa prouectus, amicos suos quos velit in al- IV. *Quos illi subtrahere frustra conantur Ptolemæus & Antigonus.*

tum euectum iussit. Literæ quoq; eius ad reliquos milites irritæ fuerunt; etsi iubebantur Eumenē occidere, ni vellent se hostem cum ingenti exercitu in ipsos inuadere. Sed eos Eumenes confirmauit, ducuiq; nihil aperto Regum hosti esse cedendum, fidemq; Alexandro esse seruandam: itaq; beneuolentiam erga se militarem auxit, nedum amisit, vt sperabat, atq; ambiebat Antigonus.

V. QVONIAM vero minores habebat copias Eumenes, quam vt posset contra Antigonum, aperto marte concurrere, expeditam cœpit inire viam, qua facilem Polyspechonti transitum in Asiam daret, vt ei coniunctus, pares, aut superiores Antigono euaderent. Itaq; in Phœniciam ad classem comparandam venit, quam Ptolemæus dudum iniuste occuparat, ibique subsunt, vt simul & mare in potestate haberet, & Polyspercouta cum liberet in Asiam aduersus Antigonum transportare posset. At re parum sibi succedente, motis è Phœnicia castris, per cauam Syriam ad superiores Satrapias versus Babylonem iter intendit: cum à Seleuco impeditus, omnium copiarum discrimen adijt. Parum enim abfuit quin fossa quædam rupta, totum eius exercitium submergeret: sed aqua industriè, prompteque aliò auersa, cum copijs in Persiam deuenit, vbi per hyemem & copias recreauit, & auxilia a superioribus prouincijs virorum, pecuniarumque collegit. Diodorus ista pluribus. Æmylius addit eum in Paratacis, vrbe Persidis, siue vt alij volunt, Mediæ, cum Antigono conflixisse, non acie instructa, sed in itinere, cumque male acceptum, hyematum in Mediam redire coëgisse.

VI. HÆC in Asia, transmittamus in Græciam. Ibi Nicanor, qui Munychiam Atheois tenebat, audiens Cassandrum è Macedonia in Asiam ad Antigonum abijsse, subitumque Polyspechontis aduentum expectari, suadebat vt in fide Cassandri persisterent. Cum illi contrà præsidium Munychia deduci præfracte iuberent, aliquot dies expectari iussit, intra quos clam maiori præsidio, atque ope Munychiam instruxit. Quibus agnitis Athenienses per legatos Polysperchontem orant, vt libertatem sibi ex decreto reddi curet, & Nicanorem præsidio exigat. Interim autem dum ipsi Athenienses, de ratione belli contra Nicanorem gerendi copiose de more consultant, Nicanor Piræum, & claustra portus, per clam conductos milites occupat. Athenienses nouam hanc cladem priori seruituti additam ægerrimè ferentes, nobilissimos ciuium, & ipsi Nicanori amicus ad eum legant, in quib' erat Phocion, expostulatum de noua iniuria, & postulatum, vt iuxta decretum regium suis legibus libere viuere liceat. Is legatos ad Cassandrum ablegat.

VII. INTEREA superueniunt ab Olympiade literæ, quas Athenienses ab ea expetierant, quibus iubebatur Nicanor Munychia & Piræeo Atheniensibus cedere. Quod Nicanor quidem promisit, sed varias subinde causas prætexens negotium protraxit. Cum interea Alexander Polyspechontis filius cum exercitu in Atticam venit, quem Athenienses ad cogendum Nicanorem venire credebant; sed inani se ac breui gaudio recrearunt. Nam Cassander ab Antigono 35. naues longas, & 4. militum millia adeptus, Piræeum subijt, & portus claustra in potestatem redegit. At Munychiam Nicanor retinuit, cum manu quæ tutando castello sufficeret.

VIII. QVÆ cum Polysperchon, qoi cum Regibus in Phocide subsistebat, accepisset, in Atticam cum exercitu venit, & ad Piræeum castra ponit, ad Cassandrum obsidendum. Verum cum maiores quam pro commeatu copias haberet (2 3. enim millia peditum recenset Diodorus, & mille equites, ac 65. elephantos) eas diuisit, & parte ad Piræeum retenta, cui filium Alexandrum præficiebat; ipse cum maiore exercitus parte in Peloponnesum transit, & Megalopolitas, qui soli Cassandro fauebant, obsidet: cumq; longius protraheretur obsidio, & res ei parum feliciter hactenus cessissent, partem exercitus ad eam continuandam relinquit: ipse Clitum præfectum classis in Hellespontum mittit, qui sese Aridæo iungat, & hostium ex Asia transitum impediat. Ibi Clitus feliciter primum gnat contra Cassandri & Antigoni classem, sed mox vicissim Antigoni industria vincitur, & classe cautus dum fuga elapsus deserta naui Macedoniam cogitat, in Lysimachi milites quosdam delapsus interiit.

IX. PLERÆQVE autem Græciæ ciuitates, cum irritos Polysperchontis conatus ad Megalopolim vidissent, eo contempto ad Cassandrum defecerunt. Ipsique Athenienses cum neq; eius opera, neq; literis Olympiadis, neq; alia ratione præsidium è Munichia eiicere possent, per legatos cum Cassandro agere cœperunt de conditionibus pacis. Denique ita conuentum est vt vrbem, agrum reditus, naues, cæteraq; omnia sibi haberent Athenienses, amicique essent & socii Cassandri, Munichiam vero in præsens Cassander retineret, donec cum regibus esset debellatum. Respub. interim administretur pro ratione census, vt ad eius administrationem non admittantur, qui infra decem minas, id est, 175. francos nostrates, æstimatore Ceuali, censerentur; vno ex Atheniensibus vrbis curatore constituto, quicunque placeret Cassandro. Is tum electus est Demetrius Phalereus, qui vrbem pacificè gubernauit, annis decem vt ait Laërtius, æreisque statuis 360. bonoratus est, quarum pleræque equestres, aliæ curules erant.

X. MOX autem Nicanorè nauali contra Clitum prælio, victorem classem in Piræeum reduxit, & in magno apud Cassandrum honore fuit. Verum tumidum factum, & suis militibus, quibus Munychiam tenebat, præsidentē, dolo interceptum necauit: tum expeditione in Macedoniam suscepta, multos inuenit suorum popularium, qui ad ipsum deficerent.

Incidit in hunc annum mors Phocionis viri clarissimi, quique viuo Antiparto Atheniensem Rempub. sapienter administrarat. Archippo eam Prætore anno 3. Olymp. 115. contigisse testatur Diodorus l. 18. & ex eo Sigon. l. de Atheniensium temporibus. Nec aliter sentit Plutarch. in eius vita, qui eum in hisce turbis Cassandrum inter & Polysperchonta, ex occasione occupati Piræei occisum tradit, etsi Prætorem, aut Olympiadem non nominet.

XI. ACCVSATVS autem est quod Piræeum Nicanori prodidisset. Cum enim à Dercyllo moneretur, Cassandri præfectum Nicanorem Piræeo insidiari, negauit esse periculum, seq; eius rei obsidem fore pollicitus est. Neque ita multo post Nicanor Piræeo est potitus. Ad quem recuperandum cum populus armatus concurrisset, ipse neminem ad arma vocauit, sed ne armatis quidem præesse voluit, vt ait Æmyl. Probus. Nimirum fauebat optimatibus Phocio, quos sustentabat Cassander, & eorum gubernationem è publica re esse credebat. Defuit tamen facto prudentia, si res eo modo contigit, quem narrat Æmilius: qui addit in eum supplicio affectum tantum fuisse odium multitudinis, vt nemo eum liber ausus sit sepelire, & à seruis sepultus sit. Hæc ille. Sed libet rem paulo vberius ex reliquis scriptorib. referre, vnde videas exemplum illustre populi in viros illustres exacerbati.

XII. CVM Alexander Polysperchontis filius Piræeum & Munichiam Nicanori non eriperet, sed colludere cum eo, Phocione interueniente cum sociis, videretur: populus in concionem progressus Magistratus præsentes abrogat, & Curiaè maxime popularibus constituta, Oligarchicos partim capite, partim exilio & bonorum mulctatione damnat. Hi vrbe pulsi ad Alexandrum, eiusq; patrem Polysperconta confugiunt. Ad quem vicissim mittit populus Phocionis, & sociorum accusatores, quibus benignè auditis, Polysperchon, siue quod Phocionem odisset, vt vult Plutarch. siue quod ciuitati gratificari vellet, & à Cassandro æmulo suo alienare, Phocionem cum suis comprehendit, vinctosq; Athenas mittit, potestate concessa, vel interficiendi si vellet, vel absoluēdi. Ita Diodorus; sed Plutarchus longe acerbiorem facit Polysperchontem in Phocionem, vt qui scripserit ad populum, siue suo, siue Regis nomine, constare sibi hos esse proditores. Verum illis qui liberi iam essent, & suis legibus vterentur, permittere se iudicium.

IMPERII ALEXA. AN. 14. XIII. *Populi in Phocionem, & socios multitu.*

ERGO Athenis, vt ait Diodorus iudicium Phocioni, cæterisque reis intenditur, & accusationis præcipuum caput fuit. Quod post bellum Lamiacum bona ex parte effecissent, vt patria seruitute opprimeretur, & popularis administratio, legesq; antiquarentur. Cum autem tempus aduenisset vt Phocion pro se diceret, populus recenti dolore amissi Piræei, & Munichiæ non receptæ inflammatus, & nunc iudicij potestatem ea insperato nactus, per tumultum eius defensionem explosit. Sæpiusq; à se, aliisque capto impetu ad dicendum, semper tumultu ac vociferatione cuncta complente, eiecti sunt: tandemq; indicta causa totius populi suffragijs damnati, XI. viris traditi, in carcerem abducti, morte epota patrio more cicuta, mulctati sunt, omnibus bonis eos ad mortem prosequentibus, eorumque vicem deplorantibus. Quin etiam in sæuitiæ cumulum, extra fines Atticæ citra sepulturam proiecti sunt. Pleraque addit Plutarch. in quibus illud non prætermittendum. Dum iret ad carcerem rogauit quidam amicus, nunquid ad filium vellet Phocion? *Maxime*, inquit, *iubeo vt iniuriarum populi Atheniensis obliuiscatur.* Vox vtique vere magni animi. & patriam eximie amantis viri, & digna quæ in populo Christiano audita esset, & crebrius audiretur.

XIV. ROMÆ hoc anno à frequentibus Samnitium populis de fœdere renouando legati, cum Senatum humi strati orauissent, reiecti ad populum, non tam efficaces habuere preces. Nam de fœdere negatum est, inducias biennij, cum per aliquot dies fatigassent singulos precibus, impetrauerunt. Viuebat quippe adhuc recens memoria Caudinarum furcularum, & homines superbos, inconstantes, & ancipitis fidei, malebant perditos, quam fœderatos. Ex Apulia Teanenses, Canusinique populationibus fessi, obsidibus L. Plautio. datis Consulibus deditionem venerunt. Deniq; duæ Romæ additæ tribus, Vfentina, ac Falerina, vt placet Liuio; Diodorus tamen id anno sequenti factum scribit.

ANNVS MVNDI 3737. SEXTÆ AETAtis 221. Imperii Alexandri 14. Ptolemæi Lagidæ, & Oniæ Pontif. 8. Olympiad. CXV. an. 4. Archonte Athenis Demogene. Vrbis Cond. 436. Coss. C. Iunio Bubulco, & Q. Aemylio Barbula.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 316.

I. *Huius anni turba.*

DIODORVS initio libri decimi noni hunc annum vocat octingentesimum sexagesimum sextum ab exciso Ilio, qui nobis est 867. qui numerus ex annis 431. ante Vrbem Cond. & 436. ab eiusdem conditione consurgit. Imperium Alexandri continuamus, quandiu eius filij, & familia eum paterno iure in viuis perseuerarunt; quorum duo hoc anno ab Olympiade interempti sunt, Aridæus, qui & Philippus Alexandri frater, ex Phylinna côcubina Philippi, & vxor eius Eurydice, quæ Amyntæ & Cynæ filia, à matre militaribus artibus erudita, Macedoniæ præerat. Ei autem non bene cum Polyspercho nte regni tutore conueniebat, eamque ob causam is Olympiadem cum Alexandri filio posthumo ex Rhoxane, cui Alexandri quoque nomen inditum erat, in regnum reducere parabat. Ea re cognita Eurydice tabellarium ad Cassandrum in Peloponnesum mittit, rogans vt quam celerrime opem ferat: simul etiam Macedonum fortissimos, muneribus atq; ingentibus promissis euocatos, ad fauendum suis partibus inducit. Dumque eam Euia Macedoniæ cum exercitu & marito versatur, Polyspercho n iuncto sibi Æacida Epirotarum rege, apud quem gentilem suum Olympias Alexandri mater iamdudum versabatur, contra Eurydicem ducit exercitum, vno prælio totum regni negotium conficere desiderans.

Polyspercon reducit Olympiadem.

Obsistentes Aridæo, & Eurydice.

II. *Quo deserti fuere ab Olympiade captiuntur.*

IAMQVE erant castra castris opposita. Cum Olympiadis dignitatem reueriti Macedones, recordati Alexandri in se beneficiorum, mutarunt animos, & Philippo Aridæo atq; Eurydice desertis, ad Olympiadem & Polyspercho ntem transierunt. Ergo Philippus Rex cum suo famulitio statim capitur, Eurydice paulo post, cum Amphipolim fuga petiisset.

POLYSPERCON REDVCIT OLYMPIADEM *Et mandantur.*

Hunc ad modum regiis potita corporibus Olympias, & citra periculum regnum adepta, Eurydicem & eius maritum Philippum in arctam & tenebricosam custodiam coniectos male tractat, per multos dies: cumque eam ob crudelitatem male audiret, Philippum Aridæum quibusdam Thracibus sagittis configendum tradit, postquam sex annos & menses 4. rex fuerat. Eurydicæ autem gladium, laqueum, & cicutam misit, vt qua morte perire mallet. eligeret: quæ similia dona Olympiadi precata, zona vsa pro laqueo, vitam finiuit. Hæc fusius Diodorus. Cæterum si Alexander sub initium Olympiadis 114. mortuus est, vt plerique omnes fatentur; & Aridæus hoc anno Archonte Demogene regnare desijt, vt Diodorus scribit, oportet eum 7. annos, & aliquot insuper regnasse menses, vt fert nostra Chronologia; cui fauet Eusebij Chronicon, vbi Aridæo septem anni regni tribuuntur. Pergit autem Diodorus.

Aridæus Philippus quamdiu regnarit.

III. *Alia Olympiadis cædes, fratre Cassandri, & amicorum.*

NEC Olympias hic cædium finem fecit. Nam Nicanorem Cassandri fratrem necauit, & sepulchrum Iollæ euertit, vlciscens, vt iactabat. Alexandri mortem. Tum de Cassandri amicis centum Macedones clegit, quos omnes, cunctis eius crudelitatem detestantibus, trucidauit. Sic ipse. Nec eius crudelitatis causam affert, sed facile suspicandum relinquit, id ex odio in Cassandrum, qui Philippo & Eurydicæ fauerat, & hostis erat Polyspercho ntis, à quo in regnum fuerat restituta, factum esse. Cæterum Plutarchus, qui raro admodum temporum notas ponit, sexto anno à morte Alexandri hæc ab Olympiade perpetrata scribit, in Alexandro sub finem; quem secutus est Iustinus l. 14. Sed error ex annis Olympiadum, & Diodoro, qui hæc ad hunc annum refert, corrigendus est. Pausanias ab enumerandis annis abstinuit.

IV. *Eumenes Seleucum & Pithonem adiens.*

HÆC dum geruntur in Macedonia, Eumenes, qui in pagis Babyloniæ hyemauerat, missis ad Seleucum & Pithonem legatis, quorum hic Mediæ, ille Babyloniæ Satraps designatus fuerat, postulauit vt auxilia regibus subministrarent, & secum bello communi Antigonum impugnarent. At illi se regibus quidem necessaria exhibituros respondent; Eumeni autem, qui dudum publico Macedonum concilio capite damnatus fuerat, nunquam obtemperaturos. Quin etiam Antigenem, & Argyraspidas sollicitant vt Eumenem imperio spolient. Sed frustra. Itaque Eumenes collaudata in se militum propensione, contra vtrunque ducit exercitum, & Susa versus contendens, ad Tygrim castra posuit: vbi illorum Satraparum fraude, aperta vetere quadam fossa, magnum adijt inundationis discrimen: sed eo depulso Tigrim superat, Seleuco transitum per inducias permittente. Interim autem Antigonum monet, vt quam citissime contra Eumenem veniat, antequam se is copijs vlteriorum Asiæ prouinciarum coniungat.

A quibus et tam periculum adit.

V. *Alios Satrapas sibi conciliat, & eorum Peucestem.*

EVMENES viceuersa, qui iamdudum per literas Satrapas illos monuerat, de regum voluntate & potestate sibi commissa, eos iam alia ex causa in armis esse intellexit, in quibus erat Peucestes Alexandro quondam carissimus, & corporis eius custos. Congregata porro erant peditum 18. millia & septingenti; equitum quatuor millia sexcenti, quos ducebant sex Satrapæ; in quibus iam militum copia, quam dignitate propria facile èminebat Peucestes, qui & principatum ambiebat. Verum Eumenes eam contentionem, quæ eos perditura esset, iam ante vsurpato stratagemate, solium Alexandri in medio collocandi. sapienter sustulit; & stipendiis in sex menses è regia Thesauris large numeratis, omnium sibi animos adiunxit, omnium alacritatem renouauit; & in Susiana moras trahens, exercitum data quiete recreauit.

Antigonus autem, qui monitus Seleuci literis properabat ad Eumenem, vbi eum coniunctum Satrapis intellexit, & ipse substitit, & copias maiores contraxit. Itaq;

ALEXA AN. 15.

VI. *Res in Apulia gestæ.*

præsens fere annus in pugnarum apparatione in Asia vtrimq; transactus est.

IN Europa vero inclinatis semel in Apulia ad pacem & deditionem rebus, Theates ad Coss. nouos fœderis causa venerunt, populoq; Rom. authores erant, pacis vniuersæ Apuliæ præstandæ. Impetrarunt vt fœdus daretur, neq; vt æquo tamen fœdere agerent inter se, sed vt in ditione populi Rom. essent. Tarentum quoq; in potestatem Iunij Consulis venit. Itaq; Apulia perdomita, in Lucanos perrectum, vbi repentino Æmylij Coss. aduentu, Nerulum vi captum est, & iura legesq; à populo Rom. Antiatibus perscripta.

ANNVS MVNDI 3738. SEXTÆ AETATIS 222. Imperii Alexandri 15. Ptolemæi Lagidæ, & Oniæ Pontif. 9. Olympiad. CXVI. an. 1. Archonte Democlide. Vrbis Conditæ. 437. Coss. Sp. Nautio Rutilo, & M. Popilio Lænate. Dictat. L. Aemylio Mamercino.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 315.

I. *Antigonus Babylone societatem cū Satrapis init.*

INEVNTE Olympiade 116. aut potius transacta hyeme, & inchoante anno, in quo illa Olympias habitura erat initium, in qua victoriam stadii retulit Deinomenes Laco, & Iudæi Sabbaticum egerunt 165. Antigonus, motis è Mesopotamia castris, in Babyloniam venit, & societatem init cum Seleuco & Pithone, acceptaque ab iis militum manu, nauigiis Tigrin flumen iunxit, transportatisque copijs celeriter aduersus hostes contendit. De quibus certior factus Eumenes, assumptis copiis ad Tygrin fluuium contendit, transitu videlicet Antigonum prohibiturus. Quo loco aperte sibi videtur Diodorus contradicere: nisi dicamus eum à principio narrationis rei summam per anticipationem dixisse, de transitu Antigoni; postea vero rem exactius, & eiusdem transitus difficultatem explicare voluisse: quod tamen non fecit, sed transire conantem ab Eumene cum multa clade repulsum duntaxat retulit.

II. *Transeuntem fluuium Eumenes male accipit.*

PLVTARCHVS quoq; in Eumene, Pasitigrim amnem, is est Tigris ipse, vbi diductus in duo brachia insulam ambit, moxq; in seipsum redit. Pasitigrim ergo, ait Plutarchus aggressum transmittere Antigonum, quod cæteri qui in stationibus erant, ne senserunt quidem. Solus excepit eum Eumenes, signisq; collatis multos occidit de militibus eius, & flumen cadaueribus compleuit: cepit quatuor millia. Sic ipse. Diodorus ait occisos de Antigoni exercitu qui transierant, plusquam tria peditum millia, equites quadringentos, & eorum qui passim pabulandi causa traiicere solent, non pauciores sex millibus: & tamen paulo post desperata traiectione eundem Antigonum ad Eulæum amnem consedisse refert, quē multo vltra Tigrin collocat Ptolemæus. & in Mediam per Cossæorum gentem ducit, vbi multis suorum amissis, in Mediæ tractus habitabiles nono die peruenit. Ibiq; Pithonis opera exercitum suum multis equis, & talentis instruxit.

III. *Adueniens ... in Perside.*

QVÆ vbi Eumenes rescivit, Persepolim Metropolim Persidis cum copiis 24. dierū itinere contendit, vbi à Peuceste, qui Persidis erat Satrapa, totus exercitus epulo solenni, post sacrificia Alexandro & Philippo facta, exceptus est. Plutarchus addit eum ouem viritim militibus diuisisse ad sacra facienda; quo facto etiam sibi primatum ambiebat exultantis, & gratulabundi exercitus. Sed eius tumorem repressit, Eumenes fictis literis de Olympiade regnum Macedonicum eum Alexandri filio possidente, de Cassandro sublato, de Polysperchontis aduentu contra Antigonum, cum lectissima regij exercitus parte: quo nuncio in officio retenti, Eumeni se non difficiles præbuerunt. Alio insuper egregio stratagemate vsus est.

Eumenis stratagema pecuniæ ...

Simulauit sibi argento opus esse, atq; ab illis, qui erant sibi infestissimi, sumpsit mutuo grandem pecuniam, quadringenta talenta numerat Diodorus, vt manus ab ipso abstinerent, de credita pecunia solliciti. Itaque perfecit vt corporis custodes opes haberet alienas; & cum alii ad salutem consequendam dent opes, ipse sibi securitatem accipiendo comparauit. Ita Plutarch. in Eumene. Quo inuento etiamnunc sapienter vti videmus principes potentissimos.

420000. Plutarc. vel 140000. si erant Attica.

IV. *Eumenes aduersus Antigonum copiæ.*

INTEREA nuncius ad Eumenem affertur, Antigonum cum exercitu iter in Persidem suscepisse. Cum ipse quoque obuiam ei progreditur, vt certaminis aleam experiatur. Verum dum se omnium cupidiati Eumenes attemperat, in ægritudinem, importuno admodum tempore incidit; quo casu ita fracti sunt militum animi, vt progredi non auderent, dicerentq; alios conuiuia splendide parare. Eumenem vnum imperare & belligerare nosse.

Cumque exercitus non amplius quam vnius diei itinere distarent, ipse meliuscule habens, ex lectica circumlatus, in ordines suos egregie digessit exercitum, cum Antigoni ex edito colle inspicientis admiratione. Sine prælio tamen inde discessum est, propter locorum importunitatem, vtroque exercitu aliquot stadiis regrediente. Antigonus rursum copias Eumenis ab eo auertere promissis conatur, sed legati eius cum minis etiam repelluntur.

V. *Vterque Gabienem occupare festinat.*

DEINDE Gabienem commodam & opulentam regionem ab Antigono ad capienda castra noctu occupatum iri præsentiens, per simulatos perfugas Antigonum moneri curat, Eumenem noctu eius castra inuasurum; ad quem incursum dum ille se parat, Eumenes Gabienem præoccupare contendit. Sed Antigonus fraude agnita, nihilominus Eumenem, multum iam copiis progressum insequitur; & reliquis copiis iussis maturare iter, ipse magna celeritate cum expeditissimis vsus, in colle præalto se inspiciendum Eumeni præbet. Iratus totum cum Antigono exercitum adesse, subsistit, antequam ad optatum locum peruenire posset, atque aciem instruit; cum interea reliquæ copiæ ad Antigonum confluunt: sicque vterque dux sibi mutuis viribus imposuere.

Vterque a... instruit.

Denique vbi totus aduenit exercitus, vterque imperator egregie aciem suam instruxit, adeo, vt de huius rei peritia certamen instituisse videretur.

VI. *Copiæ vtriusque Imperatoris, & pugna.*

DVCEBAT autem in vniuersum Antigonus supra 28. millia peditum. Sic enim corrigendus est locus, vbi pro xxiix. legitur, xiix. equitum octo millia & quingentos, Elephantos sexaginta quinq;. Eumenes autem peditum ad 35. millia, equitum 6. millia & centum, elephantorum ad centum & quatuordecim. Ventum est ad pugnā, diuque ancipiti marte certatum est, aliquibus ex vtraque parte tum cedentibus tum fundentibus aduersarios, vix vt nox pugnas dirimeret: sed lassitudo, & itineris & pugnæ labor, & media quietem vel inuitis extorquerent, neuterq; exercitus sibi victoriam posset ascribere. Interempti plures ex parte Antigoni quam Eumenis, vtrobiq; tamen pauci pro multitudine copiarum.

Eumenis victoria.

Antigonus postridie procul ab hoste in Gamarga Mediæ prouinciam magnis itineribus contendit. Quem Eumenes vno die antegressum persequi noluit, sed quiete militi data mortuos magnifice sepeliuit. Ibi Ceteus Indus duarum vxorum maritus cum occisus esset, ingens vxorum contentio fuit, vtra earum impetraret, vt cum marito mortuo viua combureretur.

Mirabile certamen mulierum.

Iunior magno cum gaudio insanam victoriam adepta, riualem quæ vterum ferebat, viuere coactam, mœrore confectam reliquit, vt pluribus narrat Diodorus. Eumenes in Gabienem adhuc ab hoste intactam ad hyberna concessit.

VII. *Cassander bello venat Olympiadem.*

CASSANDER autem in Græcia Olympiadi, ob exercitam nuper crudelitatem vehementer infensus, eám omni studio bello persequi, & tutorem eius Polysperchonta instituit; & in hunc quidem Callam ducem cum copiis misit. Ipse autem in Olympiadem mouet, quæ se, cum modica, & imbelli manu, Pydnæ inclusérat, sperans se ibi copiis auxiliaribus adiutum iri. Eam ibi Cassander terra marique obsidet. Inde cum rescisset regem Epirotarum Æacidem auxilio cum valida manu Olympiadi venturum, vnum è ducibus ei in occursum mittit, quo eius conatus

IMPERII ARRA. AN. 16. *Epirota Regi suo deserto se Cassandro iungunt.*

natos irritus factus est. Nam cum plerique expeditionem in Macedoniam detrectarent, & seditionem in castris excitarent, eos Epirota ab se ablegauit, modico eum agmine sequente. Interea qui exauctorati fuerant in patriam reuersi, à Rege deficiunt, exilium ei decernunt, & cum Cassandro societatem ineunt. Quorum exemplum plerique Macedones sequuntur. Polysperchon etiam, à quo vno auxilium sperabat Olympias, copiis spoliatus est, largitione corruptis eius militibus à Callâ, quem contra eum Cassander miserat. Atque ita res Olympiadis intra breue tempus occidere, & Cassandro aditus ad Macedoniæ regnum patefactus est: quem tamen iam præcedenti Olympiade regem Macedoniæ scribit Eusebius, quia eius initium statim à Philippi Aridæi morte sumit, quem anno quarto Olympiadis 115. mortuum diximus.

VIII. *Samnites rebellant.*

IN Italia Dictator L. Æmylius Satriculam oppugnare adortus, rebellandi causam Samnitibus dedit. Duplex inde terror illatus Romanis. Hinc Samnis magno exercitu coacto, ad eximendos obsidione socios non procul à castris Romanorum castra posuit: Inde Satricani magno cum tumultu portis repente patefactis, in stationes hostium incurrerunt. Et quamquam anceps erat dimicatio, tamen vtrinque tutam aciem Dictator habuit, quia nec locum facilem ad circumueniendum castris elegerat, & diuersa signa constituit, quæ diuersis simul hostibus possent obsistere. Erumpentes ex vrbe, in vrbem cum clade repulit. Tum tota in Samnites vi conuersa, eos non dubia victoria superauit, vt tacito agmine nocte extinctis ignibus abirent; inimicos tamen animos, & nocendi cupidos non fregit. Nam spe abiecta Satriculæ tuendæ, Plistiam ipsi sociam Romanorum, vt parem busti dolorem redderent, circumsederunt.

ANNVS MVNDI 3739. SEXTÆ ÆTATIS, 223 Imperii Alexandri 16. Ptolemæi & Oniæ Pontif. 10. Olympiadis CXVI. an. 2. Prætore Praxibulo. Coss. L. Papyrio Cursore IV. & Q. Publilio Philone IV. V. C. 438. Fabio Dictat.

ANNVS ANTE CHRISTVM 314.

I. *Regni...*

DEBILITATVR hoc anno vehementer, ac pene profligatur Imperium ab Alexandro partum. Nam Eumenes maximus eius generis propugnator occumbit, Olympias eius mater iugulatur. Roxane cum posthumo Alexandri filio à Cassandro periclitatur, & custodiæ traditur. Peucestes & Seleucus satrapiis, Pithon etiam vita priuatur. Antigonus in Asia, Cassander in Græcia, Ptolemæus in Ægypto rerum potiuntur. Licet autem pleraque huius anni gesta, quæ ex Diodoro maxime sumimus, ipse in Prætorem Democlidis referat, nos ad annum præsentem retulimus, qui annos quamquam licet, à Ianuario incipimus. Ipse autem Diodorus à ludis Olympicis, quando etiam Archontes Athenis constituebantur. Cæterum quæ nunc de Antigono & Eumene referemus, ipse ab hyberno solstitio gesta fuisse testatur. Coss. huius anni, quos omisit Liuius, suggerunt tum fasti Capitolini, quos recentiores omnes sequuntur, tum Diodorus Siculus, qui nunc vno tantum anno iisdem Fastis posterior est. περὶ χειμερινὰς τροπάς.

II. *Antigonus Eumenem ... ...*

ANTIGONVS ergo hyemabat in Mediæ Gamargis, siue Gadamalis Pithonis satrapia. Eumenes autem in Gabenorum regione, distabantque à se inuicem castra decem dierum itinere, via deserta, ac siticulosa: sed si quis viam cultam, & populis frequentem tenere vellet, duplo erat maior distantia. Erant porro Eumenis castra pluribus sparsa pagis ac vicis, adeo vt postremorum tabernacula prope mille stadia essent à primis dirempta, vt ait Plutarchus, Diodorus autem itinere sex dierum; hyberna quippe sumpserat, vt ait Probus, non ad vsum belli, sed ad veteranorum luxuriam qui non tam parere duci, quam imperare postulabant, eique se admodum morosos, ac difficiles exhibebant. Ergo Antigonus, qui se copiis inferiorem, ac virtute imparem Eumenianis paratis intelligebat, eos imparatos innadere aggreditur, priusquam collecti sibi mutuo auxilio esse possent. Viam desertam ingreditur, qua occultos & insperatos superueniret dispersis & imparatis, relicta via regia. ...in Eumene. ...

ANTIGONVS EVMENEM PERSEQVITVR.

VERVM cum sæuiente frigore, ac gelu, ad necessaria remedia itum esset, crebrique ignes etiam nocte excitati, aduentus hostis agnitus est. Nam Barbari, qui in montibus desertum spectantibus pascebant, mirati pyrarum frequentiam, nuncios ad Peucestem miserunt camelis dromedariis vsi, qui non minus mille & quingentis stadiis vno die conficiunt; qui exterritus fugæ consilium cepit. Verum tumultum, ac timorem abstersit Eumenis ingeniosa prudentia; promittens se effecturum, vt hostes triduo tardius venirent quam expectabantur. Itaque primum nuncios ad suos dispersos misit, vt vnum in locum conuenirent. Deinde ipse cum expeditis ducibus excurrens, crebros ignes in regione montana, qui ab Antigono videri possent, excitari iussit, quales solent in castris per noctem accendi. Hic videlicet Antigonum ingens inuasit dolor, quod existimaret hostes, iamdudum explorato aduentu suo, sibi occurrere. Ne igitur fatigatus cum recentibus dimicare cogeretur, relicta via compendiaria, per vicos duxit & oppida, reficiens per otium exercitum. Ita Plutarch. & Probus, & fusius Diodorus, l. 19. III. *...* Diodorus.

IV. *Antigonus cum Eumene de summa rerum pugnat.*

POST paucos autem dies cum 40. stadiorum spatio castris castra distarent, dux vterque de summa rerum disceptaturus exercitum ad prælium instruit. Antigonus diuisis in cornua equitibus, sinistrum Pithoni committit, dextrum filio Demetrio, cum quo ipse quoque pugnaturus erat; peditatum in medio collocat, Elephantos ad 65. aciei obtendit, pedites erant 22. millia, equites nouem millia. Eumenes contra in læuo cornu se Antigono cum optimis quibusque opponit, tum reliquos omnes idoneis quosque locis. Erant autem peditum 36. millia & septingenti, equitum sex millia & quinquaginta; Elephanti 114. Signum pugnæ datur, initium belluæ inter se commissæ faciunt, tum multitudo equitum concurrit. Campus erat latissimus & incultus, ex quo tantum pulueris excitabatur, vt aliquantum remoti nô facile cernerentur. Impedimenta Eumenianorum quinque fere stadia à loco prælii distabant. Eo mittit Antigonus equites expeditos, qui leui pugna contra propugnatores commissa, improuidos fugant, & pulueréæ nubis densitate tecti, omnibus impedimentis potiuntur. *Impedimenta Macedonum ...*

V. *Peucestes ...*

INTEREA Antigonus cum conferto lectissimorum globo, impressione facta in Peucestem Persidis satrapam, hominem coniecit, & ex prælio, ac puluere, cum mille ac quingentis eiecit: id ex antegressa Macedonum in Eumenem conspiratione factum Plutarchus significat. Hic Eumenes, etsi tanto factus hoc loco infirmior, mori maluit quam cedere, & fortiter Antigono resistit, multis vtrinque cadentibus, sed factus aliquanto inferior, equitatum ad se recepit. Pedites virtute Argyraspidarum aduersarios fudere, & nemine suorum amisso, 5. millia hostium cecidere, reliquos coniecerunt in fugam. Eumenes vbi capta impedimenta, & Peucestem cum equitatu non procul abesse accepit, omnes in vnum contrahere, & certamine equestri denuo cum Antigono confligere instituit. Nam si pugna vicisset, non sua modo impedimenta recuperaturum, sed hosticis insuper auctum iri sperabat. Verum Eumenes, qui precario potius ducem agebat, quam summo iure, quo erat præditus, propter milites pertinaces & obstrepentes, nihil ab ipsis impetrauit. *Eumenes ...*

VI. *Macedones ... ...*

NAM Peucestes etiam longius recepit se, reliqui quid facto esset opus deliberant. Satrapæ quamprimum in superiores prouincias regrediendum suadere, Eumenes manendum: & quia phalanx aduersariorum concisa, & equitatus vtrinque par esset, dimicandum censere. Macedones amissis cum impedimentis vxoribus ac liberis fuere, ac neutris obtemperare, imo & clam contra Eumenem improbissime coniurare: & mox legatione ad Antigonum missa, correptū illi Eumenē tradunt, & recuperatis impedimentis, acceptaque fide, castris eius aggregantur. Quæ fusius maiore verborum copia, quam fide persequitur.

Scribit Plutarchus Teutamem vnum de ducibus Argyraspidarum, commisso prælio misisse actutum legatos ad Antigonum ad impedimenta repetenda: quæ ille promisit se redditurum, & cætera benigne habiturum, si ei Eumenem traderent. Itaque Argyraspides Eumenem nihil perfidiæ suspicantem, dissimulanter circunstetisse; mox impetu in illum facto ensem eripuisse, & zona manus post tergum illigasse.

Eumque comprehensum ac ligatum hosti dedunt.

VII. *Ex vinculis ... ites suos alloquitur.*

CVMQVE Nicanor ad eum accipiendum ab Antigono missus adesset, petiit Eumenes, vt per medios Macedonas duceretur. Quod cum impetrasset, facto silentio vinctus ligatus, proditores suos Argyraspidas vehementer increpuisse fertur admissi facinoris, & iurisiurandi toties ac recens Imperatori suo præstiti, violati: tum infimis precibus obtestatum esse, vt illic interficeretur. Omnino enim, inquit, cum illic interficiar vestrum id facinus erit. Nec quidquam quereretur Antigonus, qui mortuum quærit, non viuum Eumenem. Sin manibus vestris parcitis, vna manus soluta mea rem perpetrauerit. Quod si mihi gladium non creditis, obiicite viuum belluis. Id vbi feceritis, ego vos, quasi viri sanctissimi & rectissimi in ducem vestrum fueritis, omni de me soluo vltione. Hæc cum ille diceret, cæteri collacrymabantur, Argyraspides autem vociferantes abduci iusserunt. Eum Antigonus quasi elephantum, aut ferocem leonē custodiri iussit, aliquanto tamen post mitius tractatus est, & cum diutius deliberaretur quid eo faciendum esset, & Antigonus ipse, & Demetrius, & Nearchus, & alij viri principes, non alieni ab eo conseruando viderentur, vicerunt tamen Argyraspides vt tolleretur, quod negarent se cum Eumene apud ipsum esse posse: vltionem nimirum à viro fortissimo metuentes, quam tamen minime effugerunt.

Mortem orat, nec impetrat.

Antigonus ex Argyraspidum voluntate eum necari iubet.

VIII. *Inedia macceratus interficitur.*

VT igitur statuit Antigonus Eumenem tollere, imperauit cibum ei detrahi; atq; ita duos vel tres dies inedia consumebatur. Cum autem repente castra essent mouenda, missus intro quidam, inscio vt Probus ait Antigono, hominem trucidauit. Corpus concessit amicis Antigonus, eosq; id cremare permisit, reliquiasq; in vrnam argenteam conditas ad vxorem, & liberos eius deferre in Cappadociam, vt tradit Plutarch. Probus ait occisum quinque & quadraginta annos natum, quorū 7. cū Philippo, ad quem, anno vitæ vigesimo venerat, 13. eum Alexandro vixerat. Ac verò sane vt satis constet Æmylij Probi siue Cornelij Nepotis chronologia. Hic enim annus est decimus ab Alexandri morte; quibus si addideris tredecim Alexandri, & 7. Philippi, non venerit ad Philippum anno ætatis vigesimo, vt ipse ait, sed decimo quinto: quod recte conuenit cum eo quod idem author ait, Eumenē peradolescentē ad amicitiā accessisse Philippi. Pergit autē. De Eumene quanta fuerit omniū opinio eorum, qui post Alexandrū magnū Reges sunt appellati, ex hoc facile potest indicari, quod nemo Eumene viuo (qui pro Regibus inuictus stabat) Rex appellatus est, sed Præfectus. Iidem post huius occasum, statim regium ornatum, nomenque sumpserunt.

IX. *Antigonus plures duces sibi infensos tollit.*

HINC reducto, vt ait Diodorus, in Mediam exercitu, Antigonus non procul Ecbatanis hyemauit, reliquam scilicet hyemem transegit: sed primum Antigenem Argyraspidum ductorem comprehendit, viuumque in loculo conditum exussit. Tum alios etiam è ducibus sibi infensos sustulit. Pithonem quoque, defectionem in Media meditantem, promissis & spe ad se allectum, comprehendit & necauit. Eumenis & Pithonis familiares, nouas res molientes, maioribus copiis circumuentos perdidit. Inde in Persidem venit, vbi regio ab incolis honore afficitur, vt qui citra controuersiam, iam Asiæ Dominus esset. Ibi satrapias denuo constituit, in quibus Peucestes, satrapia Persidis exutus, pœnas proditi Eumenis dare cœpit: & Arachosiorum Satrapæ Sibytio Argyraspidarum turbulentissimos commendat, verbo quidem ad vsus belli, reipsa ad interitum. Priuatim enim iniunxit, vt paulatim ad eos belli vsus illos amandaret, in quibus perituri essent. Susis deniq; consistens ad 25. millia talentorum confecit, cum quibus Babyloniam vigesimis secundis castris peruenit.

De Eumene vindicta.

Et Argyraspidas.

SELEVCVS Satrapa Babylonis venientem regalibus donis honorauit, & exercitum vniuersum conuiuio excepit. Dum autem rationes prouentuum ab eo exigit Antigonus, illeque eas recusat reddere, dissidium nascitur: quo gliscente veritus Seleucus Pithonis casum, & Eumenis, ad Ptolemæum confugere statuit, qui omnes ad se confugientes singulari humanitate excipiebat. Ergo cum 50 equitibus ad eum se proripuit, Antigono gaudio triumphante, qui sine sanguine & sudore Babylonicam Satrapiam Seleuco fugiente recepisset. Verum mox monentibus Chaldæis, si Seleucus è manibus elaberetur, eum Asia tota potiturum, & Antigonum ipsum, cum eo prælio congressum, vitam finiturum; statim misit qui fugientem comprehenderent: qui eum longe antegressum frustra insecuti, infecto negotio redierunt. Ille apud Ptolemæum querelas in Antigonum congerit, & meditatam omnium principum ruinam, & totius Imperij Macedonici tyrannidem: quibus accensum Ptolemæum, ad bellum in eum mouendum induxit. Tum amicos ad Cassandrum, in Græcia, & Lysimachum mittit, qui eadem oratione eos Antigono inimicos reddant, & ad arma in eum excitent. Quæ coniecturis haud vanis Antigonus præsentiens, missis ad eos legatis rogat, vt pristinam secum amicitiam conseruatam velint, ipse Ciliciam versus iter intendit, & ad Mallum eius prouinciæ vrbem milites in hyberna dispertit, post occasum Orionis, vt ait Diodorus, id est, adulta iam hyeme.

Babyloniam Satrapiam eripit Seleuco.

XI. *Cassander Olympiadem fame Pydnæ vrget.*

INTEREA Olympias cum aliquibus copiis Pydnæ Macedoniæ inclusa, à Cassandro obsessa, incredibilem patiebatur rerum inopiam, ac famem, adeo vt muris carnibus milites victitarent: cum ineunte vere, & inualescente penuria, milites Olympiadi persuadent vt sese dimittat, quando nec illis victum præbere poterat, neque se exsoluere obsidione. Cassander transfugas benigne accipit, & in varia oppida dispertit, & qui ei suppetias allaturi videbantur ad Cassandrum mutato consilio se contulerunt. Illa rebus suis desperans Pydna excedere, & naui conscensa Pellam, vel Amphipolin confugere statuit, quas Aristoneus, & Monimus pro regibus tenebant. Verum eius fuga per transfugam cognita, Cassander nauigio potitur, eique ægre corporis incolumitatem concessit, Pydnam occupauit. Monimus qui Pellam tenebat, cognito statu Olympiadis, vrbem dedidit. Antinous quoque, acceptis ab Olympiade literis, quas expresserat Cassander, quibus iubebatur Amphipolin reddere, imperatis obsecutus, vrbem tradidit, & incolumitatis fidem accepit; mox tamen à Cassandro occisus est.

Et fugientem comprehendit.

Pydnam Pellam, Amphipolim occupat.

XII. *Olympias à Macedonibus occiditur.*

DENIQVE Olympias multorum scelerum artifex, cum se ad defendendam causam suam, in omnium Macedonum cœtu præpararet, à propinquis occisorum ab ea, in gratiam Cassandri iugulatur. Sicque ad regnum Macedoniæ viam sibi Cassander, nemine propemodum vltra resistente, patefecit.

Cassander Thessalonicam ducit. Diodorus.

Ad quod regnum sibi probabilius vindicandum, ne vi illud sibi rapuisse videretur, Thessalonicem Philippi filiam, & Alexandri ex eodem patre sororem, quæ obsidionem Pydnæ cum Olympiade tolerarat, vna cum Roxane, & filio eius Alexandro Alexandri posthumo, aliisque regiis mulieribus, quæ cum ea in Cassandri venerant potestatem, in matrimonium ducit; affinem se ac necessarium regiæ familiæ ostentare properans. Interea tamen Cassander Roxanem cum Alexandro, Alexandri magni posthumo, interficere in animum induxerat; verum in præsentia rem distulit, quod nihil adhuc de rebus Antigoni exploratum haberet, & hominum iudicia de obitu Olympiadis auscultanda iudicaret. Itaq; matrem cum filio in arcem Amphipolis translatum custodiæ tradit, easque sublato cultu regio, ad priuatorum morem viuere iussit.

Roxanem cum filio claudit Amphipoli.

XIII. *Res imperij regio more tractat.*

DEINCEPS regio more res imperij dispensans, vrbem Cassandream in Pallene condit, in quam plerosque è vicinis traducit: Eurydicem & Philippum reges, quasi eorum legitimus hæres & successor, regio more sepelit, & funebriū ludorum apparatu defunctis parentat. Thebas ab Alexandro excisas post vigesimum annum instaurat,

vt autor

Alex. An. 17.

Thebæ instauratæ.

vt autor est Diodorus, & recte. Ab Euenæto enim, qui Prætor fuit anno 2. Olymp. 111. quo anno Thebæ deletæ sunt, etiam consentiente Diodoro, præsens annus vigesimus primus numeratur. Multæ Græcorum ciuitates immo Siculæ etiam, atque Italæ, vt idem ait, Thebas quondam florentissimas miseratæ, opem eius restaurationi tulere. Athenienses, præcipuam muri partem ædificarunt. Cadmæa quoque arx iterum excitata: in qua imposito præsidio, Cassander vrbem habuit in potestate. Inde Polysperchontis filium Alexandrum in Peloponneso persequitur, qui fere vnus ex parte aduersariorum reliquus erat. Sed Ætolos habuit aduersarios in transitu Pylarum. In Peloponneso vero multas ciuitates in suas partes traduxit.

XIV. *Fratæ Q. Fabio Dictatore gesta.* Anno V.C. 439.

Romæ anno circumacto creati noui Coss. Papyrius atque Publilius; qui cum à Liuio Romæ mansisse dicantur, bellumque à Q. Fabio Dictatore in Samnites gestum, subit animum suspicio, ne id factum sit, ob veteres simultates Papyrium inter & Fabium, quem ille Magistrum equitum, dum esset ipse Dictator, in capitis discrimen adduxerat. Cuius etiam culpæ nonnullam hoc tempore videtur luisse pœnam Fabius, cum eius Mag. equitum Q. Æmylius Ceretanus, ipso Dictatore inconsulto, prælium in hostem iniit. Verum non impune, vt qui in acie, quamuis fortiter dimicans ceciderit. Nimirum *iustus Dominus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Rem hoc modo, Liuio referente, geri contigit.

Psal. 10. 8.

XV. *Et mox Magistro equitum.*

Fabius ad accipiendum ab Æmylio exercitum ad Satriculam, quæ iam ab anno superiore obsidebatur, cum supplemento venit. Samnites autem dimissa Plistia quam obsidebant, cum nouis auxiliis priora sua castra repetunt, & Romanos ad prælium lacessunt, vt cogant Satriculæ obsidionem soluere. Dum ergo ferocius obequitant vallo Romanorum, nec eos quietos esse patiuntur, Q. Æmylius Ceretanus Magister equitum, cum turmis suis magno tumultu euectus summouit hostem, sed pugna mox à Samnite redintegrata, Mag. equitum in eorum ducem inuectus, cum vno ictu exanimem equo præcipitauit: & vice versa Mag. equitum multis vulneribus saucius, à fratre imperatoris Samnitium trucidatur. Illi autem mox C. Fabius Mag. equitum suffectus est, qui cum nouis copiis ad Dictatorem venit. Postremo Samnites Satriculam deserunt, Plistiæ obsidionem redintegrant, sicque illa in potestatem Romanorũ deditione venit, hæc vi à Samnitibus capitur.

In prælio occiduntur.

XVI. *Alia ad Soram pugna.*

Mutata inde belli sedes est, & Soram è Samnio, Apuliaque traductæ legiones. Sora ad Samnites defecerat, interfectis Romanorum colonis; ibi etiam pugna ancipiti certatum est. Et cum ibi quoque intra vallum aliquot dies militem Dictator tenuisset, Magister equitum, qui cum nouo exercitu veniebat, per præmissos nuncios consulto Dictatore vbi consisteret, quando & qua parte hostem inuaderet, occultus substitit. Dictator nihil de nouo auxilio significans, milites suos ad pugnam hortatur, quasi tota spe in eorum lacertis posita: ideoq; etiam, ipsis egressis è castris, ignem se iis iniecturum denunciat, quod in parte aliqua fecit, vt simul magis eo spectaculo Romani accenderentur ad prædam, & eo flammæ indicio nouus Magister equitum moneretur, vt ex insidiis exiliens, Samnitem vtrinque interceptum concideret, quod & factum est; castraque hostium capta direptaq;. Miles ad sua, magna ex parte præter opinionem integra, præda onustus redijt. Vrbs autem Sora proximi anni Consulibus reseruata est.

Victoriaq.

ANNVS MVNDI 3740. SEXTÆ AETATIS, 224. Imperij Alexandri 17. Ptolemæi & Oniæ Pontif. 11. Olympiad. CXVI. an. 3. Archonte Nicodoro. Vrbis Conditæ 439. M. Petilio Libone, & C. Sulpitio Longo III. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 313.

I. *Bellum inter Antigonum cæterosque duces.*

Bella quæ superiore anno profligata videbantur, regiis rebus accitis, inter ipsos duces, qui rerum potiebantur, æmulatione atque inuidia grassante, acerbius redintegrantur. Nam cum Antigonus tam copiarum magnitudine, quam pecuniarum copia terribilis, in superiorem Syriam moueret, legati ad eum à Ptolemæo, Cassandro, & Lysimacho aduenere; qui ad consessum introducti postulabant, vt Cappadocia Lyciaque Cassandro, Phrygia iuxta Hellespontum Lysimacho, Syria tota Ptolemæo, & Babylonia Seleuco traderetur. Thesauros autem, quos à pugna cum Eumene sibi vendicasset, partiretur; quæ nisi faceret, coniunctis viribus bellum ipsi facturos. Verum Antigonus, qui iam in Syriam Ptolemæo imminebat, legatis asperius respondit; qui etiam re infecta redierunt. Ita fere Diodorus.

Antigoni apparatus in socios. *Horum postulato.*

Ivstinvs autem; Antigonus, ait, negauit se in eius belli prædam socios admissurum, in cuius periculum solus descendisset. Et vt honestum aduersus socios bellum suscipere videretur, diuulgat se Olympiadis mortem à Cassandro interfectæ vlcisci velle, & Alexandri regis sui filium, cum matre obsidione Amphipolitana liberare. Diodorus autem ait eum perpendentem imminentis belli magnitudinem, nationes ac ciuitates, principesque ad belli societatem inuitasse: misisse Ptolemæum ex fratre nepotem cum exercitu, qui missos à Cassandro in Cappadociam eiiceret, & eum transitu Hellesponti prohiberet. Aristodemum item Milesium cum mille talentis, vt se Polysperconti, eiusque filio Alexandro firmata amicitia iungeret, & cum eis, conducta quantam possent peregrinorum manu, Cassandrum bello peterent: amboque rem ex sententia confecere: sed Alexander diu in fide non stetit. Nam Cassandri promissis persuasus, sperans se Peloponnesi ducem fore, ad eum rursus deficit: Polysperchonte eius patre in sententia persistente. Sed Alexander intra breue tempus, à Sicyonio quodam proditione interimitur: cuius vxor virili animo bellica negotia nihilominus, cum laude, & militum beneuolentia sustentat.

II. *Anti. parati.*

Et belli apparatus.

In Europa.

Ipse autem Antigonus per vniuersam Asiam, quam in potestate habebat, faces ac tabellarios disposuit, quorum opera celeriter vteretur. Inde in Phœniciam mouet, & nauales copias contracturus, quoniam maris imperium tum penes hostes erat, & Tyrum obsessurus, ad nauium fabricam Phœniciæ regulos, Syriæque satrapas inuitat, contumaces cogit. Denique modica prælia terra mariq;, inter fautores præcipuorum ducum, vario euentu committuntur; & pars vtraque pro Græcorum libertate decreta constituit, magnum ad victoriam momentum rata, socias belli habere Græcorum vrbes. Antigonus Demetrium filium in Syria, cum validis copiis, & grauibus consiliariis relinquit, vt Ptolemæum bello vexet. Ipse Antigonus ingruente hyeme Taurum frustra superare conatus, post non paruam militum iacturam, retro in Ciliciam reuersus, ad Celænas Phrygiæ progressus, in hyberna exercitum distribuit. Quæ fusius à Diodoro recensentur, & nos anni finientes monent, & transitus ad res Romanas.

III. *Et Asia.*

Per Demetrium filium Syriam tuet.

Novi Consules Soram adeunt, ibique exercitum à Dictatore Fabio accipiunt: magna pars veterum militum dimissa est, nouis cohortibus in supplementum adductis; spes autem potiendi vrbe aut tempore longinqua, aut periculo præceps videbatur, cum Soranus quidam perfuga, viam inuadendæ arcis demonstrat, & decem Romanos in eam armatos inducit. Tum arcis captæ terrore ac vociferatione, totum populum confusum reddit, & ciuitate deserta in fugam cogit: cum interea per easdem portas ingressus Romanus exercitus, ciuitatem in potestatem redigit. 235. qui cædis colonorum, & deditionis authores censebantur, Romam ducti, virgis in foro cæsi, securibus percussi sunt. Soræ præsidium impositum. Inde Ausonum gens, quæ ad Samnites etiam defecerat, proditione vrbium, sicut Sora, in potestatem venit, triaque oppida eadem hora, eodemque consilio capta; sed in iis ducum absentia nimia crudelitate sæuitum est.

IV. *Noui Coss. Soram occupant.*

Arce proditione capta.

Et tria Ausonum oppida.

Eodem anno prodito hostibus Romano præsidio, Luceria iterum Samnitium facta est: sed non diu proditoribus impunita res fuit. Haud procul inde exercitus Romanus

V. *Luceria iterum prodita, receptaque.*

inuserat, cuius primo impetu vrbs sita in plano capitur, Lucerini ac Samnites ad internecionem cæsi. Cumque multi delendam vrbem censerent, vicit tamen sententia, quæ nouos eò colonos mittendos censebat, duoq; millia & quingenti missi, cæsorum bona occuparunt.

Capuana coniuratio. Eodem anno cum omnia infida Romanis essent, Capuæ quoque occultæ coniurationes principum detectæ sunt; de quibus cum ad Senatum relatum esset, C. Manius Dictator creatur, qui eà de re inquirat. Ingens eius magistratus terror, & sceleris conscientia nonnullos compulit ad vltro sibi inferendas manus. *Latius Romæ progressa.* Sed ea quæstio latius Romæ progressa, ad multos nobiles viros, qui magistratus ambierant, deriuabatur, quasi ea res coniuratio contra rempub. foret; cumque plerique ipsum Dictatorem etiam reum facere viderentur, ipse sponte magistratu abiit, & apud Consoles cum Mag. eq. rei facti, aduersus nobilium testimonia egregie absoluuntur; sicut & Publilius Philo, aliaque clara nomina. Verum non ita multo post ea quæstio ad viliora capita delapsa, oppressa est.

VI. *Victoria de Samnitibus.* CAETERVM spes Campanæ defectionis Samnites ex Apulia ad Caudium reuocauit, vt si res Capuæ ex eorum sententia succederet, Capuam ex vicino Romanis eriperent. Eo Consules quoque cum valido exercitu venerunt; & primo circa saltus cunctati, memores scilicet furcarum Caudinarum, ad aperta progressi sunt. Ibi post aliquot velitationes, ad prælium totis viribus progressi, non *Ingens clades Samnitum.* tunc discrimine victores facti sunt. In eo prælio ad triginta millia aut cæsa aut capta Samnitium, nisi qui Maleuentum, cui nunc vrbi Beneuentum nomen est, perfugerunt, quæ pluribus, si placet, ex Liuio disces.

ANNVS MVNDI 3741. SEXTÆ AETAtis, 225. Imperij Alexandri 18. Ptolemæi Lagidæ, & Oniæ Pontif. 12. Olympiad. CXVI. an. 4. Archonte Theophrasto. Vrbis Conditæ 440. Coss. L. Papyrio Cursore V. & C. Iunio Bubulco II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 312.

I. *Cassandri regni inconstantia.* HOc quoque anno minuta prælia commissa sunt variis locis inter duces & ciuitates, quæ alterutri parti fauebant, nec quidquam occurrit ad memoriam insigne, nisi Cassandri, propter personæ dignitatem inconstantia. Is enim cum ea conditione in Asia cum Antigono transegisset, vt milites omnes Antigono traderet, & Græcis vrbibus iuris sui libertatem concederet, ac Satrapiam quam prius habuerat, tanquam donum retineret, & firmus Antigono deinceps amicus existeret, ad eamque amicitiam firmandam fratrem Agathonem obsidem dedisset; post non multos dies fœderis pœnitens fratrem è custodia surripit, & legatione ad Ptolemæum, & Seleucum missa, vt quam primum sibi auxilia ferrent contendit. Sic illud hoc tempore in Italia, Græcia, Asia crebro confirmatum.

Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur.

II. *Antigonus Tyrum expugnat.* ANTIGONVS hoc ipso anno Tyrum occupauit. Cum enim, vt tradit Diodorus, anno superiore, maris iam potens esset, & frumenti importationem interclusisset, annum vnum ac tres menses obsidione tolerata, qui Ptolemæi nomine vrbem propugnabant, necessitate compulsi eam dediderunt. & cum rebus suis abire permissi sunt; ipse vrbem præsidio firmauit, magno vtique Ptolemæi dolore, qui eadem opera vniuersam pene Syriam, & maris imperium, quod fere apud Tyrios erat, & Phœnices, amittebat.

III. *Fregellæ capta, receptaque.* *T. Liu. l. 9.* AT Romæ simul cum Coss. nouus creatus Dictator C. Petilius, cum M. Follio Mag. equitum exercitum accepit. Cumque audisset arcem Fregellanam à Samnitibus captam, Fregellas venit, & vrbe, post hostium nocturnam fugam, sine certamine recepta, præsidioque valido imposito, ad Nolam recipiendam in Campaniam reuersus est, quo se sub Dictatoris aduentum, Samnitium & Nolana agrestis multitudo coniecerat. Dictator vrbis situ circumspecto, quo apertior aditus esset ad mœnia, omnia ædificia circumiecta muris incendit; nec ita multo post Nolam cepit. Etsi non desunt qui eam gloriam Iunio Consuli tribuant, & Dictatorem Petilium, claui figendi causa, propter pestilentiam dictum dicant. Ita Liuius, significans se pro priore sententia stare. *Sora & Nola.*

V. *Nouæ coloniæ.* NOTAT quoque Liuius, aliquot hoc anno deductas colonias à Romanis. Suessam, inquit, & Pontiam, eodem anno coloniæ deductæ sunt. Suessa Auruncorum fuerat; Volsci Pontias insulam sitam in conspectu littoris sui incoluerant: & vt Interamnum & Casinum deducerentur coloniæ S C. factum est, missaque cum triumuiris 4. millia colonorum. Hunc locum ita corrigendum esse recta monuit Sigonius. Diuersus tamen est ordo & tempus harum coloniarum apud Velleium; vbi post Luceriam, interiecto triennio ait deductam Suessam Auruncam, & Saticulam, & Interamnum post biennium. At Liuius inter Luceriam & Suessam annum tantum interserit, vt ex præcedenti anno patet. V.C. 419. B. 5.

ANNVS MVNDI 3742. SEXTAE AETAtis 226. Regni Alexandri 19. Et vlt. Ptolemæi Lagidæ, & Oniæ Pontificis 13. Olympiadis CXVII. an. 1. Archonte Polemone. Vrbis Conditæ 441. M. Valerio Maximo, P. Decio Mure Coss. C. Sulpicio Longo Dictatore.

ANNVS ANTE CHRISTVM 311.

COMMVNISSIMA Scriptorum, tam antiquorum, quam recentium sententia, initium regni Græcorum, prout in libris Machabæorum passim vocatur, aut vt alij loquuntur, Seleucidarum æram, siue Alexandream epocham hoc anno collocat, quo Olympias centesima decimaseptima inchoata est, in qua Parmeno Mitylenæus palmam tulit. Quod hoc anno Seleucum cognomento Nicanorem Babylonia potitum, ac deinceps in Asia, Syriaque regnasse constet. Eusebius certe ab hoc ipso anno imperium eius ordditur, anno scilicet post Alexandri mortem duodecimo, vt ipse libro de Demonstratione Euang. loquitur. *Onias*, inquit, *Pontificatus honore suscepto genti præfuit; cuius temporibus cum Seleucus Babylonem cepisset, Asiæ sibi diadema circumdedit, anno post Alexandri mortem duodecimo.* Et mox. *Ab hoc ipso tempore Græcorum regnum numerare incipit Machabæorum historia.* Paulo laxius numerat illos annos Eusebius. Idemque Beda, qui eum sequitur in lib. de sex Ætatibus, ait decimo tertio Ptolemæi, qui statim à morte Alexandri rerum potitus est in Ægypto, regnare cœpisse Seleucum. *A quo tempore*, inquit, *Machabæorum Hebræa historia Græcorum supputat regnum; à quo etiam Edesseni sua tempora computant.* Sic ipse. Idem sentit Pererius, *a* pro eaque sententia Sulpicium Seuerum, ac Rabanum laudat. Sentit & Serarius, *b* Gordonus, Samerius, aliique passim. A qua multum est causæ cur discedamus. I. *Regni Græcorum æra an hoc anno cœpta.* *In chron. Nem. 2. post med. & apud Hieron. in c. 9. Dan.* *a In c. 9. Daniel.* *b In l. 1. Machab. c. 13. n. 9. & 11. & c. 14. 7. n. 1. & 9.*

II. *Quo fundamento fulciatur.* SENTENTIAE enim huic duo maxime videntur obsistere. Primum quod si hoc anno incipiat regnum Græcorum, emundatio templi, quæ à Iuda Machabæo facta est anno regni Græcorum centesimo quadragesimo octauo, vt Scriptura testatur, *c* non incidet in Olympiadem 154. quod vult Iosephus, *d* sed in vltimum centesimæ quinquagesimæ tertiæ. Deinde eadem Scriptura exigit, vt annus centesimus quinquagesimus regni Græcorum, sit Sabbatis. *e.* At posito hoc loco principio regni Græcorũ, annus Sabbaticus incidet in annum 149. iuxta Torniellii tabulas, non in 150. Ex quibus sequitur annos Seleucidarum sequenti tantum anno esse inchoandos. Accedit quod totus ferme primus annus Seleuci, cum decimoquarto Ptolemæi Lagidæ, qui idem est decimus quartus ab Alexandri morte, concurrit. Eo quod, vt ex Diodoro liquet, sub extremum tantum huncannum Seleucus Babylonem recepit, eoque primum tempore cœpit in Asia dominari. Postremo liber secundus Machabæorum exigit, vt regnum Græcorum anno tantum tertio *c 1. Machab. 4. 52.* *d l. 12. c. 11.* *e 1. Lz. c. 6. v. 20. 49. 54. c. 6. v. 16.*

huius

huius Olympiadis inchoëtur. Nam cum prior liber dicat Antiochum Epiphanem mortuum esse anno centesimo quadragesimo nono, posterior refert literas Eupatoris successoris eius datas anno centesimo quadragesimo octauo, & tamen post obitum Antiochi.

III. *Confirmatur annus sequens.*

QVIBVS etsi respondeti potest modicam esse Iosephi in re chronologica autoritatem. Scripturæ tamen, & affirmationi eius de anno Sabbatico tespondere non potest. Nam annus Sabbaticus, qui est eo tempore 187. requirit necessatio, vt annus primus regni Græcorum cadat in secundū huius Olympiadis: concurrit enim cū tertio Olympiadis centesimæ quinquagesimæ quartæ, & non cum secundo, vt consequens est ex communi chronologia. Nam cum septimus annus Iosue, idemque septimus ab ingressu Israelitarum in Chananitidem, sit primus Sabbaticus, vt illo ipso anno docuimus: & ab illo ingressu 187. annorum septenaria exactè numerentur; id est, mille trecenti & nouem anni, vsque ad annum 3892. oportet eum esse Sabbaticum. Rursus posito initio Olympiadum anno mundi 3278. anni expansi inde numerati ad annum 3892. annum exhibent tertium Olympiadis 154. etsi reneta sexcenti tantum & quindecim anni inter duos illos terminos reperiantur, qui conficiunt centum duntaxat, & quinquaginta tria quaternaria annorum, & tres insuper annos, sed ea est annorum expansorum ratio. Hanc ergo de exordio regni Græcorum sententiam, quæ Scripturæ est, eique subscribunt Iosephus, & Torniellus, vt omittam sectarios, libenter amplectimur.

IV. *Ptolemæi læti successus in Aegypto, Cypro, Syria, Cilicia.*

INITIO itaque anni huius, Ptolemæus in Ægypto Cyrenæos deficientes, & Cyprios imperium detrectantes subegit. In superiore autem Syria & Cilicia res prosperè gessit; quippe singulari beneuolentia, atque humanitate milites sibi reddebat obsequentissimos, & ad omnia pericula promptos, atque expeditos. Quæ cum Demetrius Antigoni filius, qui in Cœlesyria Ægyptiis imminebat, accepisset, quam promptissime in Ciliciam, opem suis allaturus excurrit, irrito tamen conatu, oppressis iamiis, quibus vt opem ferret, iter susceperat.

Suscipit cum Seleuco bellum in Demetrium.

Interea Seleucus Ptolemæum inuitat ad expeditionem contra Demetrium, quem oderat, vt Antigoni filium, à quo Babylonica Satrapia fuerat eiectus; nec ægre lætis successibus gaudentem Ægyptum perpulit ad bellum. Eduxitque ex Ægypto 18. millia peditum, & equitum quatuor millia, & ad Gazam Syriæ, siue Palæstinæ castra posuit.

V. *Demetrius pugnam suscipit inuitis suis.*

DEMETRIVS quoque eodem milites vndique ex hybernis coëgit; cumque longe copiis impar esset, suadebant amici ne prælio decerneret: præsertim cum sibi contra sapientissimos duces Ptolemæum & Seleucum, qui ætatem cum Alexandro contriuissent, agendum esset, & Antigonus pater abesset. Ille nihilominus ferocia iuuenili, secundum quippe & vigesimum vix annum excesserat, dimicare statuerat, & habebat exercitum erga se vehementer propensum, vt erga Imperatorem qui multis naturæ dotibus esset insignis. Diodorus quidem ait eum

Eius forma.

pulchritudine ac statura corporis excelluisse; regiisq; ornatum armis, maiestatis, ac reuerentię multum præ se tulisse. Plutarchus autem in Demetrio, ait eum statura procera fuisse, forma vero, ac dignitate adeo excellenti, vt nullus plastes, vel pictor eius imaginem posset exprimere, &c. quæ vide apud eum. Itaq; habita oratione ad exercitum, eum ad certamen suscipiendum inflexit.

VI. *Vincitur, & fugit.*

EVENTVS autem infelix fuit. Nam post acre prælium, atque diuturnum cedentibus suis, ipse quoque cedere coactus est: dumque plerique Gazam sese inferunt, hostis quoque confertim illatus vrbem cepit. Demetrius Azotum alteram Palæstinæ vrbem media nocte peruenit. Diodorus lib. 19. hanc pugnam describit: refert etiam Iustinus, eamque apud Calamam factam scribit, vbi legendum Gazam notauit Ortelius, Gazam etiam habet Plutarchus, *a* in eoque prælio octo millia capta fuisse ait; & quinque millia desiderata. Diodorus autem plures quingentis occisos tradit, magna ex parte equites; in numero vero captiuorum consentit Plutarcho. Meminit etiam Io-

Gaza capitur. a in Demetrio.

sephus *b* huius pugnæ, quam ex Castore quodam refert Olympiade centesima decima septima contigisse: primo videlicet anno, additq; ex Hecatæo Abdetita, qui cum Ptolemæo commorabatur, post prælium ad Gazam, locorum quæ sunt circa Syriam, Ptolemæum dominum effectum fuisse. Sed redeo ad Diodorum.

b Li. contr. Appionem. Ptolemæus Syriæ dominus.

VII. *Ptolemæi in Demetrium humanitas.*

POSTRIDIE à prælio cum Demetrius misso præcone corpora ad sepulturam postulasset; plurimos enim clarissimos, fortissimosque viros amiserat, Ptolemæus non solum id concessit, sed regiam quoque eius suppellectilem, quæ in potestatem suam venerat, & plerosque de captiuis in aula commorari solitos, absque redemptione Demetrio remisit, vt Plutarchus quoque, & Iustinus consentiunt: adduntque isti liberalitati additum honorem verborum, non se de præda, sed de imperio, glotiaque certare. Acutum est quod addit Plutarchus, Demetrium precatum esse deos, ne eius beneficij diu debitor maneret. Reliquos captiuorum Ptolemæus in Ægypti præfecturas amandatos distribuit. Ipse Phœniciæ vrbes partim vi, partim deditione accepit, etiam Sidonem, ac Tyrum. In qua illud memorabile narrat Diodorus, Andronicum Tyrij præsidij pro Antigono ac Demetrio ducem, ad vrbem tradendam magnis præmiis atque honoribus inuitatum, non solum non consensisse, sed contumeliis etiam affectum Ptolemæum repulisse. Cum autem aliquanto post, per seditionem ciuium, in eius manus deuenisset, expectaretque commeritum linguæ procacitate supplicium, non solum veniam ei mitis Ptolemæus dedit, sed muneribus etiam affectum inter amicos cooptauit, & honorifice prouexit. Ergo hæc principis clementia ac beneficentia, vehementer ei homines adiunxit, & ad acquirendum, firmandumque imperium profuit.

Phœniciam cepit.

Magnitudo animi Ptolemæi in Andronicum.

VIII. *Demetrius nouas cogit copias.*

DEMETRIVS autem cum se Tripolin Phœniciæ recepisset, misso ad Patrem tabellario, auxilia magna cum celeritate ad se mitti postulabat; & ipse è Cilicia, & remotioribus ab hoste locis, quas poterat copias euocabat; cum Ptolemæus, relicto Cillene quodam Macedone cum valido exercitu, ei dat in mandatis, vt Demetrium prope iam profligatum tota Cœlesyria exigat. Verum is dum incautius castra locat, à superueniente cum expeditissimis Demetrio oppressus, viuus capitur, & ille exercitu sine prælio potitus, cladem priorem præsenti felicitate compensauit. Plutarchus in Demetrio ait eum Cillenem, & amicos eius magnifice donatos ad Ptolemæum remisisse. Iustinus autem id de filio, & fratre Ptolemæi tradit; neutrum apud Diodorum repetio. Interea Antigonus è Phrygia mouens, ad filium Demetrium celeriter se contulit, & cum eo copias coniunxit; quæ dum parantur Ptolemæus suorum consilio adhibito, Phœniciam magna ex parte spoliatam deseruit, & in Ægyptum, hostem, expectaturus recessit; sicque Antigonus sine prælio Phœniciam in potestatem redegit.

Vnus è ducibus Ptolemæi vincitur, & capitur.

Antigonus superueniens Phœniciam recepit.

IX. *Seleucus Babyloniam recuperat.*

SELEVCVS interea commodissimam ratus opportunitatem præfecturæ Babylonicæ recuperandæ, acceptis à Ptolemæo octingentis peditibus, & equitibus ducentis, Babylonem tendit, certo persuasum habens Babylonios, pro veteri erga se beneuolentia, propense partibus suis accessuros. Suos autem trepidantes spe, atque oraculis confirmat, & sibi omni humanitate deuincit; auget etiam copias in Mesopotamiæ Carrhis, & Babyloniam ingressus, plurimos incolarum quos quadriennij præfectura sibi deuinxerat, sibi socios adiunxit. Inde cum iis arcem oppugnatam in potestatem redegit, & amicos, iamdudum in custodia detentos, libertati restituit, omnesque ciues ad sui defensionem, & obsequium propensos reddidit.

X. *Nicanorem Mediæ præfectum Antigoni profligat vincit.*

QVÆ cum Mediæ præfectus Nicanor accepisset, mox cum validis copiis ad Babyloniam recuperandam venit. Habebat secum supra decem millia peditum, equitum vero septem millia: Seleucus vero vix tria millia peditum, & equos quadringentos. Ergo quod vi se effecturum desperabat, consilio, atque arte perfecit.

Transgressus Tigrim vbi hostem propinquare didicit, suos in propinquis paludibus occultat. Nicanor cum

promotis ad Tigrim lignis hostem non inueniret, fugisse eum ratus, negligentius castra communit, & contempto hostis, haud sollicite excubias agit. His ergo superueniens Seleucus, tumultu, pauore, ac cædibus omnia replet, & aliquos etiam ex Satrapis ac ducibus cædit. Magna pars militum ab Antigono ad Seleucum transit, eoque exercitu potitus, Nicanore ad deserta fugiente cum paucis, ipse dum humanum se omnibus præbet, facile Susianam & Mediam, & nonnulla de conterminis locis ditioni suæ adiecit. Ac de rebus à se gestis ad Ptolemæum, cæterosq; amicos perscripsit, iam regiam maiestatem, & gloriam principatu dignam consecutus.

Susianam & Mediam sibi adiungit.

XI NEQVE tamen se regem adhuc appellauit Seleucus, aut sibi diadema imposuit, nisi postquam, victoria in Cypro à Demetrio contra Ptolemæum obtenta, Antigonus primum, vna cum Demetrio filio, se reges dixere. Inde enim Ptolemæus Lagides regia insignia, nomenque sumpsit, eosque mox imitati sunt Seleucus, Cassander, Lysimachus, vt Diodorus post sex annos tradit, & Plutarchus in Demetrio. Iustinus quoque l. 15. Qui etiam addit regiæ maiestatis ornamentis tandiu omnes abstinuisse, quandiu filij sui regis superesse potuerunt, quorum vnus anno proximo, alter biennio post Cassandri opera sunt interempti. Quo pertinet quod ait eodem loco Plutarchus, Diodoro consentiente, anno decimo quinto à bello Lamiaco Athenienses omnium primos, Antigonum & Demetrium reges appellasse, post restitutam sibi ab ipsis libertatem. Quod si vtrumque Diodori locum verum esse volumus, dicendum erit, regis titulum maturius istis ducibus fuisse tributum ab alijs, quam id ipsi admittere voluerint.

Quando hi duces se reges appellarint.

XII. CORRIGENDVS itaque videtur Æmylius Probus, siue Cornelius nepos, cum ait Eumene viuo neminem ducum Alexandri regem appellatum esse, sed præfectum: post eius autem mortem statim regium ornatum, nomenque sumpsisse. At Eumenes quartum iam annum obierat, nec nisi post aliquot annos se reges dixerunt, aut ab alijs dicti sunt. Nec Scriptura, quæ ait omnes istos Alexandri duces imposuisse sibi diadema post mortem eius, tempus notat quo id contigerit. Corrigendus & Eusebius, cum ait Seleucum diadema totius Syriæ & Asiæ capiti suo imposuisse, anno duodecimo ab Alexandri morte. Commodam tamen interpretationem suggerit Plutarchus in Demetrio, cum ait postquam cæteri duces diadema gestare cœperunt, id ipsum etiam fecisse Seleucum dum Græcos alloqueretur, qui tamen antea quoque Barbaris, cum eodem ornatu responsa dederat; quod ad hoc tempus referre possumus, quo deuicto feliciter Nicanore Mediæ præfecto, & Mediam & Susianam suę potestati subiecit, quando illum Diodorus ait regiam maiestatem, & gloriam principatu dignam esse consecutum.

Aliorum de re opiniones.

1 Mach. c. 1.

l. 9. Demonst. c. 2. Corriguntur.

XIII. NVNC ergo maxime iacta sunt fundamenta imperij Seleucidarum, siue regni Græcorum, quod firmum Seleuco, & posteris eius plurimis annis stetit. Ab ipso tamen principio statim periclitari visum est. Nam cum Nicanor Mediæ dux cladem suam, & Seleuci successum perscripsisset ad Antigonum, ipse de superioribus prouinciis sollicitus, Demetrium filium mittit, cum Macedonum peditum quinque millibus, & mercenariorum decem millibus, & quatuor equitum millibus. Ei imperatum erat, vt Babylonem vsque ascenderet, & recuperata Satrapia celeriter descenderet ad mare. Demetrius Damasco Syriæ egressus Babyloniam adit, dumque ad Mesopotamiam peruenisset, Patrocles Seleuci præfectus imparem se Demetrio cernens, vrbem cum suis deserit, varijs in locis latitans, vt per insidias aliquid perpetraret; interimque Seleucum de tota re certiorem facit, & suppetias quam celerrime postulat. Ergo Babylonem ingreditur Demetrius militibus desertam, & arcium alteram expugnat, & diripit, alteram obsidendam vni ex amicis suis relinquit, quoniam regressionis tempus à patre constitutum vrgebat. Quæcumque ex illa prouincia rapere possent, inquit Plutarchus, in prædam suam vertere milites iussit: firmius Seleuco relinquens imperium, quippe cedere videbatur, dum vastat quasi non iam suum. Sic ipse, & recte sane. Chaldæi quippe hoc fiebant Seleuco amiciores, & Antigono, Demetrioque infestiores, quo ab illo mitius, ab his insolentius & hostilius tractabantur. Quæ quia exeunte ferme anno contigerunt, Seleuci regnum, vnaq; regnum Græcorum ad an. seq. dilatum est.

Demetrius Babylonem occupat, & vastat.

DEMETRIVS BABYLONEM OCCVPAT, ET VASTAT.

XIV. VALERIO & Decio Coss. cum Samnitium bellum pene profligatum esset, Hetrusci belli fama Senatum ad metum, & ad Dictatorem requirendum induxit. Itaque altero Consulum in Samnio reliquias belli persequente, Decius Romæ æger Dictatorem dixit C. Iunium Bubulcum, vel potius C. Sulpicium Longum, qui Magistrum equitum dixit C. Iunium Bubulcum, vt recte notauit ex fast. Capitolinis Sigonius, & alioqui solet Liuius Mag. equitum non prætermittere. Sulpicius ergo intentiore cura delectu habito, & iunioribus sacramento ad bellum adactis, non tamen de inferendo bello agitat, quieturus, nisi priores Hetrusci vltro bellum inferant. Eadem in comparando, cohibendoque bello consilia & apud Hetruscos fuere, neutri finibus egressi sunt.

Belli Etrusci metus.

XV. CLARA hoc anno Appij Claudi censura fuit, in qua & viam, quæ vocata est Appia, muniuit, quam & strauit lapidibus, & ab vrbe ad Algidum perduxit, (quæ Cassilinum progressa, viginti stadiis à Capua Latio vix iungitur. Cuspinianus:) per mille amplius stadia, Diodorus. Aquam etiam fluminis Anienis in vrbem deduxit per 80. stadia, autore Diodoro, quam in Auentini vsque verticem compulit, quæ etiam ipsa Appia vocata est. Quod autem hæc initio Olympiadis centesimæ decimæ quartæ acta scribat Eusebius in Chronico, id est, ante annos duodecim ferri non potest, idque iampridem improbauit Cuspinianus. Afferam hæc de re Iulij Frontini verba, initio l. de aquæductibus, quæ Eusebium refellunt, & chronologiam nostram eleganter confirmant. Ab vrbe condita, inquit, per annos quadringentos quadraginta vnum, contenti fuerunt Romani vsu aquarũ, quas aut ex Tiberi, aut ex fontibus hauriebant; & mox. Nunc autem in vrbem influunt aquæ nouem, quas enumerat, & addit, Appia M. Valer. Max. & P. Decio Mure Coss. anno 30. post init. Samnitici belli. (Recte Cuspinianus emendat trigesimo: rectius diceretur trigesimo secundo. Ab anno enim quadringentesimo decimo, & consulatu Coruini III. & A. Cornelij Cossi tot numerantur computatis extremis) inducta est ab Appio Claudio Crasso censore, cui postea Cæcus fuit cognomen, qui & viam Appiam à porta Capena, vsq; ad vrbem Capuam muniendam curauit.

Via & aqua Appia.

Ratio temporis ex Frontino.

XVI. COLLEGAM habuit Caium Fabium, cui ob inquisitas eius venas Venocis cognomen datum est (C. Plautium Liuius l. 9. appellat, Diodorus autem L. Claudium habet, & hanc censuram in vltimum huius Olympiadis annum differt.) sed is intra annum & sex menses deceptus à Collega, tanquam idem facturo, abdicauit se à Censura. Nomen aquæ ad Appij tantum honorem peruenit, qui multis tergiuersationibus extraxisse censuram traditur, donec & viam & aquæductum consummaret. Hæc & plura de hac aqua Frontinus. At Liuius ait eius collegam se abdicasse magistratu, quod nollet videri particeps infamis, & inuidiosæ Senatus lectionis. Indignos quippe eo ordine plerosq; allegerat, etiam è libertinorum censu, vt Diodorus ait, qui mox repudiati sunt, nec cum à Consulibus Senatus cogeretur vocati; Liuius. Valerius agens de neglecta religione, refert eum ob neglectam religionem excæcatum, sicut & Potitiam gentem extinctam, ob solennia sacra aræ maxime Herculis seruis publicis communicata: Diodorus autem ait eum abdicato, tandem magistratu, inuidiam Senatus reformidantem, excitatis simulatione domi se continuisse.

Collega Claudij in Censura.

Claudij cæcitas, eiusque causa.

Liu.

* * † * *

REGNVM GRAECORVM.

ANNVS MVNDI 3743. SEXTAE AETATIS 227. Regni Græcorum & Seleuci 1. Ptolomæi Lagidæ & Oniæ Pontif. 14. Olympiadis CXVII. an. 2. Archonte Simonide. Vrbis Conditæ 442. C. Iunio Bubulco III. & Q. Aemylio Barbula II. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 310.

I. *Initium regni Græcorum.*

QVÆ de stabilienda Regni Græcorum chronologia dicenda videbantur, ea proximo anno, quo plerique illius exordium collocandum putant, satis opinor diximus. Illo ergo fundamento posito, erit hic annus exordium Imperij Græcorum, quo Seleucus recuperata Babylone dominari cœpit, neminem agnoscens superiorem, & propter eximiam humanitatem erga omnes; toti populo acceptissimus fuit: quo etiam factum est, vt in posteros eius subditos, qui Asiam & Syriam incolerent, annus hic notabilis transmittendus videretur. Ergo Iudæi, qui in Syria censentur, ab hoc anno regnum Græcorum, quibus scilicet parebant, numerare cœperunt. Chaldæi tamen, quod mirum est, in annum sequentem distulerunt, vt ex libro secundo Machabæorum constat, in quo author vno ferme anno posterior est in censendis temporibus, quam author libri primi, diuersos enim esse, vel hinc intelligi potest. Ille quippe Chaldaicam supputationem sequitur, iste Iudaicam. Mirum inquam est, oportebat enim Babylonios, & Chaldæos, qui præsentem habebant Seleucum, prius hunc ei honorem, quam Iudæos remotiores deferre; aut vtrosque id expectare tempus, quo sibi diadema imposuit, & regium nomen assumpsit.

Varie à Iudæis & Chaldæis vsurpatũ initium.

Vide Scaligerum l. 5. de emend. & Serar. sub init. li. 1. Mach.

II. *Male sumitur ab Alexandro.*

QVOD autem nonnulli regnum Græcorum ab Alexandro Magno inchoandum putarunt, siue regnante, siue imperante, siue mortuo, pluribus annis hallucinatos esse constat; nec vllum habere annum in Machabæis, in quo Scriptura sacra cum profana consentiat, sed totis duodecim, vel octodecim, vel quatuor & viginti annis à recta, & communi Chronologia distare, quam Iosephus, Eusebius, Hieronymus, & recentiores omnes sequuntur, si à Lyrano discesseris, cui Suares noster nimium credidit, & Annio, quem omnes merito imposturæ, atque inscitiæ accusant, dum corruptelæ libros Machabæorum arguit, quos sine notis annorum editos tradit, male autem adiectam à Iosepho Chronologiam, vt quæ annis Alexandri non congruat. Verum ille non vidit male se hos annos ab Alexandro numerare, & Ecclesiam Catholicam hos libros, prout editi sunt in editione vulgata, semperq; lectos sacrosanctos, minimeque viciatos agnoscere. Ergo Annio Ioannes Lucidus, & Driedo nimium fidei habuerunt: sed de his satis.

III. *Pax inter principes facta.*

SCRIBIT Diodorus hoc anno Cassandrum, Ptolemæum, & Lysimachum pacem cum Antigono fecisse; ea conditione vt Cassander summus Europæ dux esset, donec Alexander è Roxane ad maturam ætatem peruenisset; Lysimachus Thraciam in potestate haberet; Ptolemæus Ægypto, & conterminis in Africa & Arabia vrbibus imperaret: Antigonus præesset toti Asiæ, Græcique suis legibus viuerent. Hæc pacta, cum nullam Seleuci mentionem faciant, credibile est ab Antigono inita, vt vires omnes suas, totamque belli molem in Seleucum conuerteret, à quo se tota Asia spoliatum iri non sine causa metuebat. Verum principes hi non diu hisce pactis steterunt, vt Diodorus affirmat: sed vnusquisque eorum probabiles captans prætextus, subinde ditionem suam amplificare nitebatur.

IV. *Cassander Alexandrũ cum Roxane interimit.*

IN primis autem nefarium fuit Cassandri consilium, qui ad priora scelera, etiam hæc adiecit, vt filium Alexandri Magni, domini sui posthumum, cum eius matre interficeret. Cum enim hunc Alexandrum, sic enim vocabatur, cerneret adolescere, & certe pubertatis annos erat ingressus; & sermones per Macedoniam à quibusdam spargerentur, decere vt puero è custodia producto, regnum paternum traderetur; sibi ipsi metuens, Glauciæ custodiæ præfecto imperauit, vt Alexandrum cum Roxane matre obtruncaret, & cadaueribus occultatis, factum nemini mortalium aperiret. Hoc imperata executo, Cassander, Lysimachus, Ptolemæus, itemque Antigonus, metu, qui à rege immineret, exoluti fuere. Cum enim nullus restaret imperio successor, vnusquisque deinceps gentes, aut vrbes in potestate habens, spes regias alebat, & Prouinciam, cui præfectus erat, tanquam regnum armis partum obtinebat. Quæ sane mirum est à Diodoro dici, cum superstes adhuc esset Hercules Alexandri ex Barsine filius, quem Cassander post biennium interficiendum curauit, vt idem Diodorus est author, & nos suo loco dicemus.

V. *Bellum ad Cluuianum gestum.*

Noui Coss. Romæ prouincias inter se partiti sunt. Iulio Samnites, Æmylio Herruria nouum bellum obtigit. In Samnio Cluulam præsidium Romanum, quia nequiuerat vi capi, obsessum fame in deditionem acceperant Samnites, & deditos verberibus fœdum in modum laceratos occiderant. Huic infensus crudelitati Iunius, nihil antiquius oppugnatione Cluuiana ratus, quo die aggressus est mœnia vi cœpit, atque omnes puberes interfecit. Inde Bouianum ductus victor exercitus, oppidum Samnitium longe ditissimum, eoque spe prædæ accensi milites breui potiuntur, vnde plus prædæ pene, quam ex omni Samnio vnquam egestum, benigneque militi omnis concessa. Nec ita multo post Romanus exercitus spe prædæ in loca aspera, & saltuosa delatus, ab occultato Samnitium exercitu, in graue periculum deuenit. Vbi tamen se collegit ex magnitudine periculi, non animos abijciens, sed fortitudinem amplificans, contra Samnitem tanto ardore pugnauit, vt viginti hostium millia cæsa dicantur: latebræ quippe ante quæsitæ, autores suos impediebant, ne sese fuga morti eripere possent; itaque perpaucis effugium patuit: victorque Romanus, ad oblatam vltro ab hoste pecorum prædam, securus discurrit.

Et ad Bouianum.

Bellum ad Sutrium.

Dum hæc geruntur in Samnio, iam omnes Hetruriæ populi, præter Aretinos, Surrium, vrbem sociam populi Romani, quasi claustra Hetruriæ obsidebant: inde bellum ingens auspicati. Conuenit vtraque acies, & dum alteri alteros, dum pugnæ initium detur, expectant, vltra meridiem dilatum est certamen. Tandem Tusci, ne re infecta abiretur, clamorem tollunt, concinunt tubæ, & signa inferuntur; nec segnius pugna à Romanis initur, illi numero, hi fortitudine excellebant. Pugna diu anceps fuit, donec in mutuam obstinatos cædem nox pugnare prohibuit. Victoriam Romanis attulit, quod fessa prima acie, ei secunda integra successit, quod cum Hetrusci non prouidissent, fatigati à recentibus non fugati, sed in vestigio trucidati sunt. Nullo vnquam prælio fugæ minus, nec plus cædis fuisset, ni obstinatos mori Tuscos nox texisset. Certe Romani multi in prælio, ex vulneribus autem plures postea in castris decesserunt, nec vlterius hoc anno in Hetrusco bello progressum. Vterque Consul alter de Hetruscis Idib. Sextil. alter de Samnit. Nonis Sextil. triumphauit, vt in fastis Capitol. annotatum est.

Et prælium obstinatum.

Epicurus hoc anno cum ageret ætatis 32. Mitylene & Lampasci scholam ad annos quinque restituit. Laertius in eius vita.

* * *

ANNVS MVNDI 3744. SEXTÆ ÆTATIS 228. Imperii Græcorum & Seleuci 2. Ptolemæi Lagidæ, & Oniæ Pontif. 15. Olympiadis CXVII. an. 3. Archonte Hieromnemone. Vrbis Conditæ 443. Q. Fabio Maximo Rulliano, C. Martio Rutilo Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 309.

I. *Solis deliquium Ptolemæus bellum in Antigonum mouet.*

NOTAM insignem habet hic annus deliquium Solis, quod tantum fuisse Diodorus tradit, vt interdiu, stellis vbique apparentibus dies omnino noctis instar esset; idq; tum contigisse, cum Agatocles ea Sicilia in Africam bellum transferret, octauo eius siue regni, siue tyrannidis anno. Quam eclipsim miror à Buntingo silentio præteritam. Addit & aliam huic anno notam Diodorus, cum ait eum esse ab excisa Troia 883. in quem numerum certum est irrepsisse mendum. Nam initio l. 19. quem ait res 7. annorum comprehendere, scribit in illud initium incidere annum ab excisa Troia octingentesimum sexagesimum sextum, vt suo loco notauimus, vnde consequens est hunc illi annum esse septuag. tertium supra octingentesimum, non 83. qui nobis est 874. conflatus ex annis ante V.C. & annis ab V.C.

Olymp. 117. an. 4. 431. 443. 874.

Ptolemæus, vt à pactione inita cum Antigono deficeret, eum criminatus est, quod Græcas vrbes cum præsidio teneret, cum tamen in communi eorum fœdere esset comprehensum, vt eæ liberæ esse, ac legibus viuere permitterentur. Itaque bellum in Antigonum renouauit, & missis cum Leonide præfecto copijs, asperæ Ciliciæ vrbes Antigono subiectas potestatis suæ faciebat. Sed contra eum missus Demetrius Antigoni filius, Ptolemæi duces vicit, & vrbes recuperauit.

II. *Polysperchon Herculem Alexandri filium regno promouet.*

INTEREA Polyspercon in Peloponneso agebat, & Macedonia se à Cassandro priuatum ægre ferens, qua se via tutum in eam prouinciam insinuaret animo versabat. Commoda visa est Herculis Alexandri, & Barsines filij, qui Pergami educabatur, in patrium auitumque regnum restitutio. Agebat is annum 17. Ergo Cassandrum adolescentis regno incubantem criminatur, hospites, amicosque suos orat, vt in eam rem auxilia conferant. Ætolos quoque sibi iampridem amicos sollicite hortatur, vt suppeditatis copijs in societatem expeditionis veniant, eamque rem eis fructuosam fore pollicetur. Nec irritæ preces & conatus fuit, Ætoli cum multis alijs, ad noui regis moliendum reditum confluunt; conueniunt ad 20. millia peditum & equites mille. Et Polyspercon in belli apparatum incumbens pecunias colligebat, & Macedonas sibi addictos, ad auxilia præbenda missis nuncijs excitabat. Sed quam luctuosum res exitum habuerit, annus sequens, in quem Diod. eum differt, edocebit.

III. *Appius Censuram non resignat.*

ROMÆ cum iam Appius in Censura decimum octauum mensem superasset, nec abiret magistratu iuxta legé Æmyliam, quæ ea de re ante tan. annos lata fuerat, à Tribunis plebis acerba oratione vexatus est, cuius orationis hic exitus fuit, vt eum prehendi, & in vincula duci iuberet, & approbantibus sex tribunis actionem Collegæ, tres appellanti Appio auxilio fuere. Itaq; cũ summa omnium ordinum inuidia, in illo magistratu perseuerauit.

Tusci obsessis opem adferunt.

Interea Sutrium Hetrusci obsidebant; cui cum Fabius Consul per extrema montium opem ferre vellet, occurrit Hetrusca acies numerosissima, & tanta alacritate in Romanos inuadit, vt abiectis missilibus, strictis statim gladijs in hostem irruerent. At Romani telis primum, & saxis, quibus eos armabat locus, rem non male gessere, perfractis scutis, galeisq; conquassatis. Inde vtrinque ad gladios ventum est, & redintegrato clamore ab hastatis fortiter pugnantibus, auersa est ad castra Hetruscorum acies fugitiua. Sed equites Romani præuecti per obliqua campi, cum se fugientibus obtulissent, illi omissu ad castra itinere, montes petunt. Inde inermi pene agmine, ac vexati vulneribus in Ciminiam syluam penetrarunt.

IV. *Et victoria Romana de Hetruscis.*

ROMANI duodequadraginta militaribus signis captis, castris etiam cum insigni præda potiuntur, & tentata per dolum Ciminia sylua, post latè vagatam depopulationé, victores ingenti præda opulenti in castra redeunt, quo tempore Roma venerant à Senatu legati, qui consulem prohiberent Ciminiam adire, memores Caudini saltus. At illi prius periculum gloriosi superauerant, quam de eo vitando monerentur; & qui bellum impedituri venerant, nuncij victoriæ reuertuntur: quæ tamen non tam victoria, quam belli propagatio fuit. Nam ea vastatione concitati, non modo Hetruriæ populi, sed Vmbriæ finitima, ad exscindendum Sutrium, quanto nunquam antea exercitu, conuenerunt: & instructa acie pugnæ auidi, Romanos, quos multitudo terrebat, ad prælium cunctantes inuitant. Consul eos continet, & ad bene rem gerendam in tempore animat, non solum cohortatione ordinaria, sed spe alicuius auxilij, quod simulabatur. Deinde curatis corporibus, cibo, ac quiete, vsque ad quartam noctis vigiliam, in hostem sine tumultu inuadunt, eo tempore, quo dulcissimus somnus æstiuis noctibus fatigata labore membra complectitur, & eum partim dormientem, partim semisomnem, & arma expedientem, tanta strage prosternit, vt cæsa, aut capta eo die dicantur ad 60. hostium millia. Itaque legati pacis causa à præcipuis Hetruriæ populis Romam missi, inducias in 30. annos impetrarunt.

Belli redintegratur.

Et induciæ in 30. annos.

V. *Res cum Samnite gesta.*

NEC minus interea C. Martius Rutilius, cui Samnites obuenerant, bene rem gerebat, vicos, & castella aut delebat, aut integra in potestatem redigebat. Verum Samnitibus animus nihilominus creuerat, dum rumore nuncio ad eos delatum fuerat Romanos Ciminia sylua, vt pridem Caudinis saltibus interclusos; & in communi gaudio vnus ille vrebat dolus, quod deleti Romani exercitus non Samnitium, sed Hetruscorum gloria futura esset. Itaque armis virisque ad obterendum C. Martium, quasi is vnus cladi superesset, concurrunt. Obuius ijs Consul fuit, dimicatum prælio vtrinq; atroci, atq; incerto euentu est. Fama tamen de aduersa pugna Romam delata, ad dicendum Dictatorem, eumque Papyrium Cursorem, in quo tum rei bellicæ summa ponebatur, inuitabat.

VI. *Papyrius à Fabio magno sui victoria Dictator dicitur.*

ET cum Martius, qui in pugna vulnus acceperat, mortuus putaretur, ad Fabium dicendi causa Dictatoris ventum erat; sed ille infensus erat Papyrio, ex quo sub eo Magister equitum, ob initam pugnam capitis discrimen adierat. Itaque Senatus ad eum legatos ex Consularium numero misit, qui priuata & publica autoritate monerent, vt patriæ remitteret pristinam memoriam simultatum, & Papyrium Dictatorem diceret; ille accepto Senatusconsulto, & monitione legatorum, demissis in terram oculis tacitus discessit. *Nocte deinde silentio, vt mos est, L. Papyrium Dictatorem dixit.* Cui cum ob animum egregie victum legati gratias agerent, obstinatum silentium tenuit, eosque sine responso dimisit: vt appareret insignem dolorem ingenti animo comprimi. Hæc ex Liuio, & iuxta eius temporis rationem diximus; sequentia enim ad sequentem Dictaturis annum referre cogunt nos Fasti Capitolini.

ANNVS MVNDI 3745. SEXTAE ÆTATIS 229. Imp. Græcorum, & Seleuci 3. Ptolemæi Lagidæ & Oniæ Pontificis 16. Olympiad. CXVII. an 4. Archonte Demetrio Phaleræo. Vrbis Cond. 444. sine Coss. L. Papyrio Cursore Dictat. II. C. Iunio Bubulco Mag. eq. II.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 308.

I. *Res à Ptolemæo Lagide gestæ.*

HOc anno, quem Sabbaticum ordine 166. Iudæi numerabant, Ptolemæus male in Cilicia à ducibus suis gesta correxit: nonnulla enim oppida, atque arces munitas in Asia minore, Lycia, Pamphilia, alijsque locis occupauit. Tum in insulam Con profectus acciuit Ptolemæum,

IMPERII GRÆCORVM AN. 3. *Antigonum nepos deserit, & perit.*

mæum, Antigoni ex fratre nepotem, qui relicto patruo cum exercitu ad Ptolemæum Lagidem defecerat. Eum igitur ex Chalcide profectum, & Con delatum, initio humaniter Ptolemæus accepit. Postea vero cum ille se insolentius gereret, & duces muneribus sibi, colloquijsque deulnciret, veritus ne quid insidiarum moliretur, præoccuparum custodiæ tradidit, & cicutam bibere coegit: eius autem milites promissis allectos ordinibus suis immiscuit. Atque ita ambitio, quæ hominem desertorem fecerat, etiam perdidit.

Luctuosius etiam ab ambitione facinus, quod in hunc annum cadit, ex eodem Diodoro exponendum est.

II. *Polysperchon filium Alex. regno inferre parat.* POLYSPERCHON cum numerosum exercitum coegisset, vt Herculem Alexandri Magni; & Barsines filium in paternum Macedoniæ regnum induceret, ad vrbem, quæ Stymphalia dicitur, castra collocarat, cum Cassander cum exercitu superuenit. Cum autem castra à castris haud procul abessent, nec illubentes viderent Macedones regis sui reditum, metuens Cassander ne ijdem natura procliues ad mutationem, ad Herculem transfugerent, legationem mittit ad Polyspercontem; qua de *Cassander ei sui det eiusde cadem.* Rege eum docet, si is regno restituatur, eum ad alijs obtemperandum adactum iri; sin auxiliatus sibi adolescentem sustulerit, pristinas statim largitiones in Macedonia consecuturum; fore etiam vt adiunctis sibi copijs, summus militiæ dux in Peloponneso declaretur, & omnium in principatu Cassandri, cum honoribus amplissimis consors reddatur.

III. *Et persuadet.* TANDEM ingentibus promissis inescatum Polyspercontem, fœdere clanculum inito, adduxit, vt regem dolo necaret. Sic Diodorus: eadem narrat Iustinus, sed ordine præpostero: nam filium Roxanes posterius quam Barsines interfectum artibus Cassandri refert, qui eiusdem Peloponnesi ducatu promisso, iamdudum sibi Alexandrum filium Polyspercontis adiunxerat, vt Græcarum ciuitatum libertatem quam ille vrgebat, impediret, & eum *Cassandri crudelitas in Alex. Mag.* ab Antigono abstraheret. Cum ergo hæc tam immania scelera Cassander in Alexandri matrem Olympiadem, filios Alexandrum & Herculem, vxores Barsinem & Roxanem perpetrasset, nihil mirum si cum Delphis inambularet, contemplareturque statuas, simulachro Alexandri conspecto, subito horrore toto corpore contremuerit, & ad illius imaginis conspectum æstuans, ægrè collegerit se, vt refert Plutarchus in Alexandro. Vltrix enim tantorum criminum conscientia, hunc in modum concutiebat hominem, potius quam leues illæ & obliteratæ Alexandri minæ, quæ ibi à Plutarcho referuntur.

IV. *Polysperchon Peloponnesũ frustra tentat.* SVBLATO igitur adolescente, Polysperchon iam aperte cum Cassandro communicans, donationes in Macedonia obtinuit, prout conuenerat, & Macedonicorum peditum 4. millia, equites Thessalos quingentos: cumque alios etiam voluntarios adsciuisset, per Bœotiam transitum in Peloponnesum tentauit, verum à Bœotis & Peloponnesijs prohibitus, retro mouit, digressusque ad Locros Achaiæ, non magnæ Græciæ, illic hybernauit.

Dum vero hæc aguntur in Macedonia Lysimachus in Chersoneso vrbem condidit, quam à se Lysimachiam nũcupauit; quam varijs postea casibus afflictam, Antiochus *a. m. 3858. n. 13.* magnus post annos centum & tredecim instaurauit: eodemque iure diuersis temporibus Seleucus, Cassander, Antigonus, Alexandrum magnum imitati, vrbibus sua nomina indiderunt.

V. *Papyrius Dictator vincit Hetruscos.* ROMANVS autem Dictator cum nouis copijs in Etruriam venit, postquam C. Iunium Bubulcum Mag. equitum dixit; & vetere exercitu à Martio recepto, copias in aciem eduxit: nec hostes detrectare visi pugnam. Cum tamen à neutris prælium inciperetur, nox instructos, armatosque oppressit. Mox tamen ad Vadimonis lacum summa & pertinaci contentione certatum est, eaque *Et Samnites vincit.* primum dies fortuna vereri abundantes Hetruscorum fregit opes: cæsum in acie, quod roboris fuit, castra eodem impetu capta, ac direpta sunt. Pari sub id tempus periculo, gloriæque euentu bellum in Samnitibus fuit, qui præter reliquum belli apparatum, operam dederant, vt acies sua nouis armorum insignibus fulgeret, & partis vnius scuta auro, alterius argento cælata essent: sed ea res neque Samnitum fortitudinem auxit, neq; minuit Romanorum; Cursor quippe suos eam expectare prædam docuit, non timere.

PAPYRII DICTATORIS VICTORIÆ

DEXTRVM cornu Dictator ducebat, Sinistrum Mag. equitum; eratque inter eos non minus certamen, ex vtra parte victoria inciperet, quam de ipsa victoria. Prior forte Iunius summouit, ac retroegit hostem; quod vbi sensit Dictator, vehementius verbo milites, & exemplo, ad vrgendam victoriam excitat. Nec ducum studijs aut milites ipsi, aut legati Consulares M. Valerius & P. Decius defuerunt. Denique fuga à Samnitibus cœpta, campi corporibus, armisque insignibus repleti, neque in castris, ad quæ confugerant, substitere. Ea enim mox capta, direptaque, & ante noctem incensa fuerunt. Parta victoria Dictator ex Senatusconsulto triumphauit; cuius triumpho longe maximam speciem arma captiua præbuere, quæ deinde ad ornandum forum argentarijs diuisa sunt. VI. *Vinciturque, ac de vtrisque triumphat.*

EODEM anno cum reliquis Hetruscorum Fabius Consul, neque enim magistratu legitur abijsse, nisi per creationem Dictatoris, feliciter rem gessit. Nam Perusiam deditione accepit, præsidioque imposito, legationes Hetruriæ pacem postulantes, præ se Romam ad Senatum misit, qui in eum, ob dictum Papyrium Dictatorem, iam propensius erat. Itaque non minore gloria, quam Dictator Romam triumphans inuectus est. Et hæc quidem T. Liuius ad præcedentem annum, propter materiæ eiusdem connexionem retulit; cui Diodorus & Cassiodorus consentiunt, alijque hos secuti. Verum Verrius Flaccus & Fasti Capitol. apud Sigonium, Onuphrium, & Stephanum Pighium, hunc annum 444. sine Coss. ponunt, & Dictatori Papyrio, cum Mag. eq. Iunio Bubulco attribuunt, sicque res vnius anni, iuxta Liuium, in duos partiuntur. Sententiæ tamen Verrij subscribunt Græcum Eusebij chronicon, Temporarius, Grellius, Gordonus, Rhodomanus à Diodoro in eius Chronologia discedens. A quibus ne nobis quidem recedendum est: neque parum probabile est tot prælia, tot exercitus, tantam rerum gestarum molem vnum annum non capere. Ergo hic annus nobis quoque sine consulibus erit. VII. *Fabius Consul cum reliquis Hetruscorum feliciter pugnat.*

ANNVS MVNDI 3746. SEXTAE ÆTATIS 230. Imp. Græcorum & Seleuci 4. Ptolemæi & Oniæ Pontificis 17. Olympiad. CXVIII. an 1. Archonte Charino. Vrbis Condit. 445. Coss. Q. Fabio Rulliano III. & P. Decio Mure II.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 307.

CONSENTIENTEM habemus hoc anno Diodorum in Olympiadis, & Prætoris Atheniensis anno, & quod nouum apud ipsum est, Romanis huius anni Consulibus. Victoriam retulit in Olympicis hoc anno Apollonides Tegeates, Diodoro teste, licet alij Andromenem Corinthium referant. Hic etiam annus Alexandri Magni sanguine cruentatur. Cleopatra enim eius soror, Philippi Amyntæ filia, cuius nuptiæ cum Alexandro auunculo, ipsius Philippi cæde funestatæ fuerant, hoc anno Antigoni iussu interficitur. Eius nuptias ambiebant Cassander, Lysimachus, Ptolemæus etiam, & Antigonus, & maximi quique procerum Macedonicorum; cum quisque, eorum qui Macedoniæ imperium affectabant, speraret Macedones hoc coniugium secuturos, eiusque in partem inclinaturos, cui Cleopatra nupsisset. At Cleopatra Antigono, in cuius erat potestate, infensa, & in Ptolemæum propensa, Sardibus abire, & ad Ptolemæum transportari cupiebat, Sardium præfecto, discessum ex mandato Antigoni prohibente. Denique Præfectus hic Antigoni I. *Ratio temporum.* *Cleopatra soror Alexandri occiditur.* *Iussu Antigoni.*

GRAECORVM an. 5.

...ultu, & muliercularum quarundam opera, dolose illam necauit: cuius necis infamiam dum vitare molitur Antigonus, scelus scelere cumulauit. Quasdam enim ex illis mulieribus, quasi viri illius insidiatas, capite plexit, & funus regia magnificentia curauit.

II. *Ptolemæus Græcia urbes restituit.* Hoc quoque anno Ptolemæus Græciæ vrbibus libertatem ex parte restituere conabatur, quod multum rebus suis ex Græcorum beneuolentia accessurum sperabat; reque ipsa Andrum abducto præsidio liberauit: inde ad Isthmum cum classe profectus, Sicyonem & Corinthum à Cratesipoli vxore dudum interfecti Alexandri Polysperchontis, recepit. Verum vrbes cum frumentum & pecunias suppeditare iussæ, nihil promissorum facerent: Indignatus Ptolemæus pacem cum Cassandro, qui Athenas cum præsidio tenebat, ea conditione iniuit, vt quas quisque tum vrbes haberet in potestate, eas retineret. Tū Sicyone ac Corintho præsidio firmatis, cui Cleonidem præfecit, virum incorruptum, ac fide præstantem, vt ex Plut. Demetrio constat, in Ægyptum traiecit.

III. *Romana res.* ROMÆ deuictorum Samnitium decus, magna ex parte legatis P. Decio, & M. Valerio tribuebatur; iisque populi fauor Decio alterum Consulatum, M. Valerio quartam Præturam conciliauit. Q. autem Fabio, ob Hetruriam egregie perdomitam, Consulatus continuatur. Prouincias sorte partitis, Hetruria Decio, Samnium obuenit Fabio; vbi prælijs aliquot secundis rem bene gessit: nominatim autem Marsos & Pelignos, tum primum à Romanis deficientes, compressit.

Induciæ annuæ cum Etruscis. Decio quoque alteri Consuli secunda belli fortuna fuit. Circumferendo enim per Hetruriam bello, tantum sui terrorem incussit; vt nomen omne Hetruscum fœdus à Consule peteret. Neque tamen quidquam præter annuas inducias imperrauit, quas etiam annuo stipendio in exercitum Romanum, cum binis in militem tunicis redemerunt.

IV. *Vmbri Romanos bello petunt.* TRANQVILLAS res Hetruscorum, Vmbrorum defectio repentina turbauit, gentis à belli cladibus integræ, nisi quod exercitus Romani transitum ager eius senserat. Hi concitata omni iuuentute sua, & magna parte Hetruscorum ad rebellionem compulsa, tantum copiarum contraxerunt, vt vrbem ipsam oppugnare auderent, vel certe iactarent. Ea fama Decium Consulem ad vrbem magnis itineribus vltro deduxit. Legati nihilominus ex vrbe ad Fabium missi, eum quod aliquid à bello Samnitico laxamenti esset, in vrbem contra Vmbros reuocarunt: qui etiam ad Menaniam, vbi tum Vmbri consederant, castra posuit. Eius necopinatus aduentus, in Samnio quippe distentus bello putabatur, tantum Vmbris terrorem iniecit, vt de fuga potius, quam de bello cogitarent.

V. *A Fabio Consule vincuntur.* Mox tamen ne nihil egisse tanto conatu viderentur, etiam data, vt videbatur, occasione victoriæ, Fabium castra vallantem adorti sunt. Verum vbi se collegere Romani, tantam in hominibus ignauiam offendere, vt pene sine vulnere vincerent, signa eriperent, signiferos ad Consulem traherent, & sicubi certamen esset, scutis & vmbonibus magis, quam gladijs sterneretur hostis. Denique inter ipsum certamen arma posita, factaque deditio est à primis autoribus belli; postero, insequentibusque diebus, cæteri vmbrorum populi deduntur. Ita Fabius in ea prouincia, quæ Collegæ forte obtigerat, victor, in suam prouinciam reduxit exercitum. Verum ob res tam fœliciter gestas, sicut priore anno populus ei continuarat Consulatum, ita Senatus in insequentem annum eidem prorogauit imperium.

* * *

DEMETRII expeditio in Græciam.

ANNVS MVNDI 3747. SEXTÆ ÆTATIS 231. Imperii Græcorum & Seleuci 5. Ptolemæi & Oniæ Pontif. 18. Olympiadis CXVIII. an. 2. Archonte Anaxicrate. Vrbis Conditæ 446. Coss. Appio Claudio Cæco, & L. Volumnio Flamma.

ANNVS ANTE CHRISTVM 306.

INSIGNIS habetur hic annus Democratia, seu libertate Græcorum, in primisque Atheniensium recuperata: & rebus in Cypro, Ptolemæum inter atque Demetrium gestis, quæ à Diodoro narrantur: qui etiam de Coss. cum Liuio & Fastis Capitolinis consentit. I. *Expeditio Demetrii in Græciam.*

Cæterum suscipiendæ huius expeditionis causam eam crebro Diodorus inculcat fuisse, vt acquisita vrbium beneuolentia, atque subsidijs, facilius singuli æmulis ducibus præualerent. Plutarchus autem in Demetrio, alteram causam gloriæ cupiditatem ponit. Cum enim Ptolemæus Halycarnassum obsideret, eamque illi Demetrius succurrens eripuisset, eoque facto ingentem gloriam esset consecutus, magna cupido Demetrium incessit atque Antigonum vniuersam Græciam liberandi, quæ Cassandri, & Ptolemæi dominatu premebatur; quod eo bello nullum splendidius esset, aut iustius. Nec defuit qui Antigono suggereret Athenas, si essent eis potiti, præsidio ipsis quasi pro scalis Græciæ retinendas. Inde enim ad reliquas omnes vrbes gradum fieri posse. Alia mens Phocionis viri sapientissimi, atque integerrimi fuit, cum author erat Alexandro Polysperchontis, Athenas præsidio retinere. Non enim ciuium suorum seruitute, sed virtute ac modestia lætabatur, quam maiorem agnoscebat in timore præsidij, quam in laxiore libertate, vt iam supra ex Diodoro notauimus. Verum consiliario illi respondit Antigonus, scalas præclaras, in primisque firmas esse beneuolentiam; Athenas vero, vt orbis terræ speculam, mox res à se gestas, apud omnes mortales laudibus illustraturas. *Eiusque causa.* *Phocion Demetrium improbat.* *Leo.*

Cum ergo Demetrius, vt ait Diodor. hoc loco, ab Antigono patre in mandatis accepisset, vt omnes per Græciam vrbes, primamque omnium Athenas, quæ Cassandri adhuc præsidio tenebantur, in libertatem vindicaret, cum ingenti classe, omnique telorum apparatu Epheso soluit.

II. *Athenas venit.* PLVTARCHVS ait Demetrium Athenas nauigasse quinque millibus talentûm argenti, & nauium ducentarum classe succinctum, & 26. die Thargelionis, id est, Aprilis in Piræeum appulisse, magnamque Demetrio Phalereo, qui ciuitatem Cassandri nomine regebat, & Dionysio, qui Munychiam cum valido præsidio tenebat, conturbationem necopinato aduentu attulisse, quod eam classem Ptolemæi esse, non Demetrij credidissent. Fauces ergo portus nactus apertas Demetrius, in eum inuectus est, (etsi vi captum Diodorus tradat) & omnibus factus conspicuus, imperrato silentio præconis voce proclamauit se à patre ad libertatem Athenarum, & præsidium ex vrbe tollendum missum esse. Eam vocem ingentes populi clamores, plausus, gratulationes sunt consecutæ. Phalereus cum de retinenda vrbe desperaret, quam videbat Demetrio sese incredibili consensione dedere, eundemque cum maxima classe portum occupasse, non minus sibi à ciuibus in hac recuperatione libertatis, quam ab hostibus timens, ad Demetrium ipsum confugit: à quo benigne, atque honorifice exceptus est; tum Thebas eum vti petebat, addito præsidio deduci iussit; Qui inde ad Ptolemæum in Ægyptum perfugit, cum vrbis administrationem decem annos tenuisset, vt ait Diodorus. *Libertatem iis restituit, præsidium quo tollit. Phalereus urbe cedit.*

III. *Demetrius Munichiam obsidet.* DEMETRIVS porro negauit se prius in vrbem intraturum, etsi eius rei desiderio in primis teneretur, quam sublato præsidio, libertatem ei solidam reddidisset. Munichiam ergo fossa valloque cinxit. Dumque tenet obsidio,

Capit, excindit. dio, Megaram infestam à Cassandro infestus nauigauit, eamque captam, Atheniensium precibus, & à depraedatione,& à præsidij seruitute liberauit. Inde ad Munichiā reuersus,ea potitus deiecit præsidium, arcemque excidit; tum denique inuitantibus, atque excipientibus Atheniensibus vrbem ingressus,concioneque aduocata, veterē eis Reip. formam, post annum decimum quintum à Lamiaco bello confecto,restituit, vt ait Plutarchus & Diodorus,quod intellige non computatis extremis. Alioqui enim hic decimus septimus numeratur annus, ex quo Athenienses Antipatro sese dedidere. Quod anno tertio

Olymp. 114. 2. 2. Philocle prætore contigisse Dionys. Halycarnass. in Dinarcho scriptum reliquit.

IV. *Fœdus init cum Atheniensi. ab ijsq; insigniter honoratur cum patre.* AMICITIÆ quoque & societatis cum eis fœdus sancit. Ob.quæ communi decreto,quod Stratocles scripserat, à populo sciscitur, vt Antigoni, Demetriique statuæ ex auro prope Harmodium & Aristogitonem in curru erigantur, & vterque ducentorum talentūm corona insigniatur, araque ipsis dicata Seruatorum appelletur, ad decem præterea tribus, alias duas Antigonidem, & Demetrianam adijciant, pro quingentis sexcenti Senatores fiant, quod singulæ tribus quinquagenos Senatores haberent.Denique ludos,pompamque & sacrificium quotannis exhibeant,ita vt vterque Mineruæ peplo intexatur. Ita Diodorus.Plura etiam Plutarchus addit de incredibili Atheniensium in Demetrium adulatione, quam & ipse reprehendit, & prodigijs diuinitus damnatam ostendit. Primum ait Reges appellatos, quod tamen nomen nondum

Adulatio Atheniensiū. ipsi vsurpatant, 2. factos etiam deos seruatores, 3. eisque consecratum quotannis Sacerdotem, qui nomina ipsorum Mineruæ peplo cum reliquis dijs intexeret: (qui ritus etiam paulo post apud eundem Plut. iteratur. Sigonius de temp. Athen. pro nominibus imagines ponit,) & à quo annus vetere Archontum ritu abrogato, diceretur; quem tamen ritum nihilominus perseuerasse, Archontes consequentes declarant. 4. Locum etiam vbi primum de curru desilierat, consecrarunt, aramque ibi excitatam Demetrij desultoris nominauere. 5. Legatos qui ad eos mitterentur theoros diei voluerunt, sicut qui Delphos & Olympiam, ad Iouem & Apollinem mittebantur. 6. Mensem quoque Munychiona, id est, Martium, Demetriona, & diem mensis trigesimum, Demetriadem; deniq; Bacchanalia Demetrialia appellari, Stratocle rogante sanxerunt.

V. *A quo benigne accepti eunt.* SED horum omnium vanitatem, quæ breui sunt consecuta declararunt. Illud satis constat eos hæc omnia facili lege commentos esse, vt ab ijs, quibus adulabantur, frumentum, ac naues impetrarent. Antigonus enim, vt ait Diodorus, cum Atheniensium legatio ad ipsum profecta ei decretum de scitis honoribus exhibuisset, simulque de frumento,& lignis ad structuram nauium egisset, ille 150. millia medimnûm tritici, & quantum materiæ ad

Antigonus Demetrium in Cyprum mittit. 100. naues sufficeret,populo elargitus est. Tum scriptis ad Demetrium filium literis mandauit,vt Senatum è ciuitatibus socijs constitueret, qui de communi Græciæ vtilitate tractaret.Ipse vero transportatis in Cyprum copijs, quam citissime cum Ptolemæi ducibus, qui eam insulam tenebant,bellum gereret. Ille,etsi ægrè tulit bellum pro Græciæ libertate missum facere, quod sibi gloriosius fore indicabat,tamen patris mandata exequens eum Cleonidem pecunia frustra tentasset, ad Sicyonem & Corinthū præsidio liberandas, vt tradit Plutar. in Demet. primo in Cariam traiecit, & Rhodios ad bellum contra Ptolemæum irrito conatu adhortatus est: Inde in Ciliciam, postremo in Cyprum classe delatus est, quæ 15. millibus peditum,& 400. equitibus constabat.

VI. *Quæ ibi gesserit Demetrius.* EO igitur postquam peruenit, aliquot vrbibus vi captis,& relicta tutandis nauibus custodia, Salaminem cum infesto exercitu petijt, vbi Menelaus Ptolemæi frater insulæ præses versabatur. Is obuiam Demetrio cum 12. millibus peditum,& octingentis equitibus venit: sed primo statim certamine fusus, 4. millibus amissis in vrbem confugit,vbi simul se ad tolerandam obsidionem parat,simul fratrem de rerum suarum statu edocet, & auxilium, vt in magno positus discrimine postulat.

Salaminam obsidet. Helepolis. Demetrius vice versa machinas ad vi capiēdam vrbem parat; vnam præsertim quam Helepolim à capiendis vrbibus vocauit,in vnoquoque laterum quadragenos quinos cubitos latam, & 90. cubitos altam, inq; 8. contignationes distinctam, quæ 4. totis firmissimis, octonisq; cubitos altis incumbens ageretur; parauit & arietes, qui saxa,omniaque telorum genera,in muros, eorumque propugnatores,magna cum clade spargerent. Denique cum muri partem Helepolis deiecisset, noctu ab incolis immissis flammis exarsit.

VII *Ptolemaus cum classe aduenit Paphon.* CUM nihilominus Demetrius in obsidione persisteret, Ptolemæus cum ingenti classe,ex Ægypto in Paphon Cypri vrbem delatus est, & monito Menelao vt 60. naues, quas habebat, in ipso ardore certaminis in Demetrium immitteret, totis ipse viribus in hostilem classem inuectus est: & cornu quidem sibi oppositum fudit, fugauitque. Sed vice etiam versa Demetrius alterum cornu perruperat, & toti classi perterritæ vi maxima imminebat.

Cum Demetrio pugnat. Quod cum animaduertit Ptolemæus Citium retrocessit; sexaginta vero naues Menelai inito acri certamine cum decem nauibus, quas Demetrius in faucibus portus ad prohibendum exitum collocarat, eas profligarunt, & classiarios ad fugam ad terrestres Demetrij copias com-

Et vincitur. pulerunt. Ipsi tamen serius ad Ptolemæum iuuandum cum venissent, Salamina redierunt: Demetrius nauibus, virisque, ac spolijs innumeris potitus, totam etiam insulam in deditionem accepit, præsidiarios in ordines suos cooptauit.

VIII. *Amissa Cypro in Ægyptum redit.* DUMQUE Cypri rebus despetatis Ptolemæus cum octo nauibus, quæ solæ euaserant, vt ait Plutarch. Diodorus autem minimum viginti longas naues reliquas fuisse tradit;cum his ergo mœrens in Ægyptum reuertitur. Demetrius nuncios de rebus fœliciter gestis ad patrem misit, in ijs Aristodemum,cuius illa vox fuit. *Salue Rex Antigone, vicimus prælio nauali Regem Ptolemæum, Cyprium tenemus, militum sedecim millia & octingentos captiuos habemus.* Sic Plu-

Demetrius patri nunciat victoriam. tarch. At Diodorus. Antigonus inquit, vbi de victoria cognouit,successus magnitudine elatus, diadema sibi imposuit,& Regis deinceps nomen (nuper ab Atheniensibus per adulationem delatum) vsurpauit, eundemque titulum & honorem Demetrio filio concessit. Quin & Ptolemæus nihil de animi celsitudine, ob acceptam cladem remittens, ipse quoque diadema capiti suo imposuit, & in omnibus exinde literis regem se appellauit. Horum

Omnes hi duces se reges dicunt. exemplo reliqui etiam principes Seleucus, Cassander, Lysimachus sese Reges appellarunt. Verum siue id nomen ipsi sibi tunc vsurpauerunt, vt ait Diodorus, siue in delatum à multitudine honorem consensere, vt Plutarcho placet, certe hæc mutatio titulorum, vt idem ait, illorum animos vehementer sustulit, moribusque, & congressionibus eorum fastum addidit, ac supercilium; tragicorum histrionum more, vnà cum persona incessum, vocem, accubitum, salutationemque versantium.

Antigonus in Ptolemæū expeditionem parat. PORRO Antigonus rebus gestis Demetrij intumescens, confestim in Ptolemæum mouit, vt Plutarchus ait. Diodorus tamen eam expeditionem in sequentem differt annum. Idque gemini exercitus ab Antigono comparati magnitudo probabilius facit.

IX. *Appius fit de Censore Consul.* ROMÆ in Consulum creatione nonnihil certatum est. Nam Appius Claudius in Censura magistratum petebat, sed prius abdicare se Censura coactus est, L. Furio Trib. plebis eius interpellante comitia. Ipse quoque vice versa aduersabatur Fabio, ne ei prorogaretur imperium, impudenti sane intercessione, qui sibi ipse Censuram tandiu protogasset. Creatus Consul, cum collegæ nouum bellum Salentini hostes decernerentur, Romæ ipse mansit, vt vrbanis artibus opes augeret, quando belli decus apud alios esset; quibus vtique artibus plurimum valuisse necesse est, vt inuito propemodum vniuerso Senatu, ac populo, Censuram tandiu continuaret, eiusque mox dominationem in Consulatum transferret.

Fabius ad Allifas. Volumnius in prouincia multa secunda prælia fecit, & benignitate militi gratus fuit. At Fabius Proconsul ad vrbem

uicerat Auitus cum Samnitibus confligit, fusosque atque in castra compulsos circumsedit; mane etiam Samnites cum singulis vestimentis emissos sub iugum misit, eorum socij sub corona venire, è quibus Hernici Romam ad Senatum missi, per Latinos populos custodiendi dati sunt, sed quoniam iam noui Consules creabantur, res ad eos integra dilata est.

Samnites sub iugum missi.

ANNVS MVNDI 3748. SEXTÆ ÆTATIS 232. Imperii Græcorum & Seleuci 6. Oniæ Pontif. & Ptolemæi Lagidæ 19. Olympiadis CXVIII. an. 3. Archonte Corybo. Vrbis Conditæ 447. Coss. P. Cornelio Aruina, & Q. Martio Tremulo.

Corœbus Dionys.

ANNVS ANTE CHRISTVM 305.

I. *Antigoni res aduersæ.*

HIc annus Antigoni, Demetriique animos prospera fortuna tumentes, inopina clade compressit. Ipsa quippe anni tempestas, eos magis, quam arma Ptolemæi afflixere. Accessit & filij eius natu minimi è viuis excessus, quem regio funere tumulauit, vt Diodorus author est. Videtur autem is fuisse, qui à patre in Hellespontum contra Phœnicem missus fuerat, ante 4. annos, Olymp. 117. 3. In hanc ergo expeditionem intentus, etsi annos iam pene octoginta natus erat, vt Plutarchus est author, Demetriū è Cypro ad se euocat, & copias ad Antigoniam, quam nuper ipse condere cœperat, conuenire iubet. Constabat terrestris exercitus, cuius ipse ductor erat, plus octoginta millibus peditum, equitum octo millibus, Elephantis ...ibus & octoginta. Classi Demetrium præfecit, quem secundum copias terrestres oram legere iussit, cum 150. nauibus longis, & 100. militaribus, in quibus omne telorum, atque armorum genus.

Antigonus ... Eius expeditio in Aegyptum.

II. *Tempestate affliguntur.*

NAVIVM magistri incommodam nauigationi tempestatem significabant, pleiadum quippe occasum intra octo dies imminere, quos ille vt nimium timidos increpauit. Sed cum Gaza nocte intempesta soluissent, post aliquot dies tempestas classem disiecit, vt naues quæ tela vehebant, partim haustæ fluctibus perirent, partim retro Gazam repetere cogerentur, aliæ cum portum idoneum capere non possent, prope Nilum in medio mari iactis anchoris consistere cogebantur; nec in littus hostile licebat appellere, & aqua potabilis iam defecerat. Eo deniq; deuentum est, vt si tempestas vnum adhuc diem perdurasset, omnes sitienecti perituri viderentur, sed tempestate remittente Antigonus cum exercitu adfuit, & classiarijs opem tulit.

III. *Aegypto prohibitus Syriam repetit.*

PTOLEMÆVS autem omnia loca, quibus aditus in Ægyptum patere poterat, magna ope communierat, littusque cum validissimis copijs ipse tenebat, vt nusquam hosti tuto liceret exscendere, sed retrocedere cum tota classe cogeretur; è qua nonnullas naues abreptas Boreas in littus ad Ptolemæum eiecit. Copiæ etiam terrestres, flumine restagnante accessu prohibitæ, nihil poterant: & iam viris frumentum, animantibus pabulum deesse cœperat. Itaque capto suorum consilio in Syriam reuertit, commodiore tempestate expeditionem redintegraturus. Ptolemæus eo periculo defunctus Alexandriam profectus in gratiarum actionem sacrificat, & de prospero rerum suarum euentu Seleucum, Cassandrum, & Lysimachum certiores facit. Ita Diodorus & Plutarchus. Ex quo corrigendus Sigonius de temp. Athen. qui gemino errore lapsus, Antigonum Demetrij patrem, bene in Ægypto cū Ptolemæo pugnasse scribit, eaque victoria elatum se regem appellasse. Nam & in Ægypto male pugnauit, aut potius ne pugnauit quidem, nisi cum tempestatibus & procellis; & regium nomen à pugna Cypria accepit, vbi Demetrius non Antigonus bene rem gessit.

IV. *Bellum ab Hernicis, &c.*

IN Italia Hernici moti suorum periculo, qui pro Samnitibus contra Romanos pugnarant, bellum Romanis indicunt: in Samnio quoque, quia discesserat Fabius, noui motus exorti, & profecto quidem mirabiles. Mirum enim est qui fieri potuerit, vt eis ad quotidianas propemodum clades, vel viri vel animi sufficerent; nec res vllo modo fide digna videretur, nisi aliquid simile in scriptura legeretur. a *Domini enim sententia fuerat vt indurarentur corda eorū*, &c. Eodem enim modo Romanis iustum totius Italiæ imperium paulatim parabatur; cum victi quieti esse non poterant, vnius vrbis magnitudinem, nedum dominatū, peruicaci animo ferre non valentes, & ex clade victoriam aliquando fortuna reflante sperantes, & vice versa imperium in eos affectantes, quo vniuersę clades repararentur. Qualis ludentium spes est, quam iacturæ sequitur incrementum potius, quam leuatio.

Samnites renouantur.

a Iosue c. 11. 20.

V. *Noui motus in Samnio.*

SED qui tandem hi motus in Samnio? Calatia, & Sora, præsidiaque Romana, quę in ijs erant expugnata à Samnite, & in captiuorum militum corpora fœde sęuitum. Itaq; eo P. Cornelius cum exercitu missus, contra Hernicos autem Martius. Hi porro hostes, etsi difficili locis, animis tamen coniuncti, occupant loca intermedia, vt ab vno exercitu Romanorum ad alterum expeditus nuncius peruadere non posset; neque aut mutuo pericula nosse, aut auxilio sibi esse possent, idque in maius eorum detrimentum cessit. Nam cum is metus Romam manasset, nouus delectus iuuentutis est habitus, tantus, vt duo iusti exercitus scriberentur: quid tamen his copijs factum sit Liuius non scribit. Cæterum Hernicum bellum nequaquā pro præsenti terrore, ac vetustate gloriæ gentis fuit: nihil vsquam dictu dignum ausi; trinis castris intra paucos dies exuti, triginta dierum inducias bimestri stipendio, frumentoque, & singulis in militem tunicis redemerunt. Martius gentem deditione accepit.

Hernicum bellū imbelle.

VI. *Bellum in Samnio gestum.*

ALTER consul in Samnio superior viribus, locis impeditior erat, omnia itinera obsepserant hostes, neque subuehi commeatus possent, neque elici ad certamen poterant. Cum subactis Hernicis superuenit Martius, Collegæ auxilio futurus. Verum Samnites veriti, ne simul cum duobus exercitibus sibi pugnandum foret, qui vni vix pares essent; incomposito agmine Martium aggrediuntur, sed eam pugnam tum elatus clamor, tum puluis à longe conspectus prodidit. Itaque alter Consul Cornelius confestim arma capit, & transuersam hostium aciem, & alio iam certamine occupatam inuadit, clamitans summum flagitium fore, si alterum Martij exercitum vtriusq; victoriæ compotem fieri sinerent, nec ad se sui belli vindicarent decus. Ergo qua impetum dederat perrumpit, perq; mediam aciem in hostium castra tendit, & vacua defensoribus capit, atque incendit. Quæ vbi flagrantia conspexere Samnites, fugam passim ineunt, sed omnia occupauit cædes.

Ab vtroque Consule.

VII. *Noua auxilia Samnitū profligantur.*

IAMQVE triginta millibus hostium cæsis, signum receptui Coss. dederant: cum repente visæ procul nouæ hostium cohortes, quæ clade veteranorum suorum perculsæ, facile à victore exercitu dissipatæ, atque in fugam actæ sunt: & cum pacem omnes peterent, imperato interim tributo, ad Senatum missi. Cornelius in Samnio relictus, Martius de Hernicis triumphans in vrbem redijt; cui etiam equestris statua in foro decreta, quæ ante Castoris templum posita est.

Martij triumphus, & statua.

Eodem anno fœdus cum Carthaginensibus tertiò renouatum est, comiterque legatis comitet munera missa, vt tradit Liuius. Polyb. autem lib. 3. hoc tertium fœdus refert ad tempus circa Pyrrhi transitum in Italiam, quod contigit sub annum Vrb. cond. 475. idque longe probabilius est, cum in eo fœdere de Pyrrho fiat mentio, vt suo loco dicetur.

Fœdus cum Tyro.

* *
*

ANNVS MVNDI 3749. SEXTÆ ÆTAtis 233. Imperii Græcorum & Seleuci 7. Ptolemæi & Oniæ Pontif. 20. Olympiadis CXVIII. An. 4. Archonte Xenippo. Vrbis Conditæ 448. L. Posthumio Megello, & T. Minutio Augurino Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 304.

I. Rhodius à Demetrio oppugnatur.

MAGNAM huius anni partem, magnam item consequentis tenuit Rhodiorum à Demetrio oppugnatio, quæ terra marique suscepta, non minore contentione defensa, quam oppugnata est. Eam fuse Diodorus l. 20. describit, tangit Plutarch. in Demet. eamque obsidionem scribit fuisse diuturnam.

Qua belli causa.

Rhodij neutrarum partium in his Macedonum bellis.

Causa belli huius fuit, quod cum Demetrius Cyprum classe peteret, eam insulam erepturus Ptolemæo Lagi, Rhodij ad belli societatem inuitati, negarunt se vlli principum Macedonicorum bellum gesturos, sed pacem cum omnibus æque seruaturos. Id quippe eorum erat instituturum, vt dum omnes sibi amicos retinent, omnium fauoribus augerentur, omnes ad suam amicitiam ambiendam allicerent. Iamque eos potentes pax diuturna reddiderat. In primis autem in tuenda Ptolemæi amicitia operam dabant, quod maximam commodorum suorum partem ex Ægypto, per mercatores eò commeantes, accipiebant.

II. Alia belli causa.

ALIAM causam affert Plutarch. quæ priuatim ipsum tangebat Demetrium, quod cum eius vxor Phila, literas, vestem stragulam, & pallia ei curasset, Rhodij captum nauigium, misissent cum omnibus rebus ad Ptolemæum: nec Atheniensium imitati essent humanitatem; qui Philippi hostis sui captis tabellarijs, cæteras literas legerunt, solam epistolam Olympiadis non soluerunt, sed bona fide obsignatam remisere. Verum Diodorus, id durante obsidione contigisse tradit. Menedemum enim quendam Nauarchum erupisse, & quadriremem è Cilicia venientem, quæ vestem regiam, cæteram supellectilem vehebat, à Phila Demetrio missam inuasisse, & ad Ptolemæum misisse, & nautas, cum reliquis quos ceperat, vendidisse.

III. Demetrij apparatus.

ITAQVE infensus Rhodijs Antiochus, postquam eius minæ irritæ fuerunt, nec honoribus à Rhodijs vltrò delatis placari potuit, filium Demetrium hoc anno cum valido exercitu, & obsidionalibus machinis, quarum is erat egregius artifex, vnde & poliorceris, id est expugnatoris vrbium nomen accepit, in Rhodios misit. Habebat ille sub signis naues longas variæ magnitudinis ad 200. actuarias plus 170. quibus fere 40. millia militum vehebantur, adiunctis simul equitibus, & pyratarum auxilijs, & omni telorum ac machinarum apparatu.

Ergo in insulam appellit, non sine incolarum omnia spectantium metu; statimque emittit qui insulam terra marique populentur: castra sua ingenti opera fossis tergeminis communit, vallis densis ac prægrandibus.

IV. Et Rhodiorum.

RHODII contra ad pacem impetrandam omnia mouent, quod cum frustra fecissent, per legatos à Ptolemæo, Cassandro, & Lysimacho iusta debitaque auxilia implorant, vt qui propter conseruatam eis fidem periclitarentur. Inde emissa turba inutili, quæ vrbi nihil præter inopiam annonæ afferre posset, ciuium ad arma idoneorum sex millia, inquilinorum mille iuuentutem, omnes honoribus ac promissis in defunctorum corpora, familiasque omnem, ad bellum egregie animarunt. Tum machinis, balistisque dant operam, rebusque omnibus ad propugnandam vrbem necessarijs. Inde nauallibus excursionibus prædas agunt, & hostem fatigant. Qui interea duas testitudines ingentes fabricatur, atque onerarijs imponit: duas item 4. tabulatorum turres construit, quarum vtraque geminis nauigijs inter se valide connexis portaretur, quibus portum occupare inuitis propugnatoribus conabatur. At illi suis illa machinis irrita pro viribus efficiebant. Quid plura? multis diebus in occupando & defendendo portu, incendendis demergendisque machinis & nauibus, non sine multo vtrorumque damno certatum est.

Contentiosa vtrinque pugna.

Nec minus interea terra certabatur, muri eorum crebro ariete, tum saxorum talenti pondere vibratione quassabantur, ac cum ipsis turribus deijciebantur, & vbi machinæ deerant, crebræ admouebantur scalæ, mœnia occupabantur, vt tot simul malis obsessi pares esse non possent. Sed illi non solum pares, sed superiores etiam fuerunt, vt Demetrium ad reparanda detrimenta dies 7. quiescere cogerent, ipsique vicissim se suaque omnia animosius restaurarent.

Arma Demetrij.

Erant jam tunc in vsu thoraces ferrei, qui in Cypro cudebantur, vnde duo ad Demetrium allati sunt, appendentes ambo minas quadraginta. Horum duriciem & robur vt ostenderet Zoilus artifex, 26. passuum spatio intorqueri iussit sagittam à catapulta; neque tamen eo ictu ruptus est thorax, obscuram modo notam accepit, quæ scalpello videretur impressa. Vnum gestauit Demetrius, alterum Alcimus Epirota, qui solus armatura, non vnius talenti, vt cæteri, sed duorum vtebatur. Hæc Plutarchus in Demetrio.

V. Redintegratur certamen.

POST eos dies certamen ad portum studiose redintegratur. Desperabat enim Demetrius vrbe se potiri posse, nisi eam commeatu, occupato portu excluderet. In quo Rhodij non solum strenuè tuentur sua, sed vltro improuisos aduersarios, cum tribus expeditissimis nauigijs, cum fortissimo quoque ciuium inuadunt, vt machinis subiectas naues rostris demergant; idque per mille tela volitantia, vallo etiam ferrato perrupto atque superato perfecerunt.

Rhodiorum virtus.

Plurimis enim ictibus verberatas naues aquam accipere cogunt, sicque duas machinas depresserunt; sed dum obstinatius vrgent opus, nauis vna, cum classis prætore alijsque, in hostium manus venit, reliqui periculum effugere. Non ita multo post aliam machinam fabricatus est Demetrius, triplo ijs quas amiserat ampliorem: cum qua dum in certamen venit, aduersa tempestate vtitur, qua Rhodij opportune vsi, ad quadringentos Demetrianos positis armis dedere se cogunt; eodemque tempore à Cnosiis, & Ptolemæo auxilia sexcentorum & quinquaginta virorum acceperunt. Atque hunc finem rerum hoc anno gestarum apud Rhodios ponit Diodorus.

VI. Res in Samnio gestæ.

Hoc ipso anno Consul vterque in Samnium missus, cum diuersas regiones Tifernum Posthumius, Bacianum Minutius petissent, Posthumius prior pugnauit, Samnitibusque deuictis, 30. millia cepisse dicitur à quibusdam, eam tamen opinionem præferre videtur T. Liuius, qui æquo marte pugnatum tradit, ac Posthumium metu simulato montes petijsse, & castris communitis aduersus duo hostium millia, qui insecuti erant, cum magna copiarum parte, ad Collegam Minutium venisse, qui & ipse aduersus alios sedebat, eique pugnam persuasisse, in qua ipse hosti defatigato superueniens, facilem Romanis victoriam dedit; deletoque exercitu vnum & viginti signa obtinuere, moxque vterque exercitus victor, ad castra Posthumij, & priora illa duo millia iam victoriæ fama perculsa, regressi, hostem fuderunt, fugaruntque, signa sex & viginti ceperunt, ipsumque etiam Samnitium Imperatorem Cellium. Sed vice versa Minutius ex vulnere in castra relatus occubuit: cui suffectus M. Fulvius Boudanum oppidum breui cepisse dicitur, & magna rerum gestarum gloria, cum Collega Coss. triumphauit.

ANNVS MVNDI 3750. SEXTAE AETATIS 234. Imperii Græcorum & Seleuci 8. Ptolemæi & Oniæ Pontif. 21. Olymp. CXIX. an. I. Archonte Pherecle Vrbis Condit. 449. Coss. P. Sulpitio Auerrione, & P. Sempronio Sopho.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 303.

I. *Tanto tempore.* HOc anno, quo Olympias decima nona supra centesimam acta est, in qua curriculi victor renunciatus est Andromenes Corinthius; & quæ mundanum inbi-læum quintum supra septuagesimum terminat, hoc inquam anno Antigoni filius Demetrius cum nauale obsidionem parum votis suis animaduerteret respondere, rursus à terra aggressus alteram Helepolim construit, basi quadrangula, cuius vnumquodque latus ad 50. cubitos eduxit, ex lignis quadratis, ferroque reuinctis compaginatum: in cuius angulis columnæ ad centum fere cubitos assurgerent, & tota structura 9. contignationibus diuideretur, & laminis ferreis tribus ex partibus obtegeretur, nequid ei ignita missilia nocerent. Tota moles octo firmissimis, grandibusque innixa rotis mouebatur, certisque instrumentis facile in quamcumque partem versabatur. Plutarchus in Demetrio, isti machinæ 60. cubitos altitudinis tribuit, latitudinis 48. sed Diodorus omnia augere solet. Tanto porro æquilibrio constructa erat, vt dum moueretur loco, ter mille & 400. viris partim intus, partim etiam foris artificiose eam promouentibus, nullam in partem nutaret, aut fluctuaret, vt idem Plutarch. affirmat & Diodor. qui etiam quaternas vtrimque testudines additas refert, quæ arietem 120. cubitorum singulæ haberent, ferro probe munitum, qui violentum impulsum à mille viris acciperet.

Demetrij in Rhodios machina. Helepolis.

Testudines.

II. *Rhodiorum in propugnando industria.* CONTRA eam machinam Rhodij alium intrinsecus murum exstruunt, illi respondentem, qui in oppugnatione laboraturus erat. Interim nouem naues ad commeatum afferendum, & damna hosti inferenda emittunt: quæ statim euolantes comprehendendis, demergendis, incendendis nauibus, commeatu auertendo, materiam machinis destinatam corrumpendo, viris occidendis, distrahendis, captiuandis, multa Demetrio damna intulerunt; quæ pluribus persequitur Diodorus.

Cuniculis quoque tentata in vrbem irruptio; sed opposito cuniculo labor irritus, aut potius hostri noxius tactus est. Murus machinis pertumpebatur, cum Cnidij primum legati, & aliquanto post etiam Athenienses, & ab alijs Græcorum ciuitatibus alij, Demetrium ad pacem componendam adducere frustra conati sunt.

III. *Et nunc à Ptolemæo, & aliis auxilia.* SVB id tempus Ptolemæus, Cassander, & Lysimachus magnam frumenti, alteriusque id genus commeatus copiam, vento remisque concitatis nauigijs, in portum passis velis intulere, ne quidquam Demetrio ea in castra sua auertere satagente. Ea re facti animosiores Rhodij, nocte illuni sub secundam vigiliam ignes facesque machinis inferre conati sunt; non irrito plane conatu. Nam qui ad opem ferendam accurrebant, saxis telisque alijs improuiso iactu rotatis quatiebantur, & ferreæ laminæ crebris ictibus dimotæ decidebant, nudatoque loco faces in detecta operis ligna incidebant; vt extra teli iactum eas educere Demetrius coactus sit, eisq; reficiendis dies aliquot ponere.

Quo tempore oppidani tertium etiam murum interiorem lunati forma ædificant, ambitu eius complexi quidquid de mœnibus periculo expositum erat, & collapsam muri partem profunda fossa cingunt. Refectis machinis Demetriani ad muri diuerberationem redeunt, duo interturria deijciunt, ibique dum contentiosius vtrimque pugnatur, Rhodiorum ductor Aminias cum alijs fortibus viris occumbunt, sed eam iacturam Ptolemæus mille & quingentis militibus subsidio cum commeatu missis copiose resarcit.

IV. *Demetrius frustra vrbē inuadit.* INDVXIT nihilominus animum Demetrius, ea parte vrbem nocte inuadere, qua fuerat deiectus murus, eamque in rem mille & quingentos de præstantissimis eligit, quos circa secundam noctis vigiliam ad murum accedere quiete iussit, interim dum ipse omnibus ex locis terra marique, ingenti clamore ac tubarum sono, vrbem adoriretur. Signo dato mandata strenue omnes exequuntur, illique in primis delecti interfectis ad fossam excubijs, in vrbem irrumpunt, & circumiecta theatro loca occupant, vt turba puerorum ac mulierum per vrbem captam patriam, lamentabili eiulatu prosequerentur. At Rhodij iussis omnibus suam stationem tueri, & hostem extrinsecus inuadentem repellere, ipse cum agmine lectissimorū, qui recens Alexandria venerant, ijs occurrunt, qui in vrbem inuaserant, & prælium, neutram in partem inclinante victoria, committunt: donec superuenientibus subinde Rhodijs, fortissimi quique cum ipsis ducibus oppressi sunt; reliqui deditionem fecere, cæteri cum damno omnibus ex locis repulsi sunt.

V. *Pacem conficit.* HIC Demetrius, etsi iam diffidebat se vrbis compotem fore, tamen se ad instaurandam oppugnationem parabat, cum ei ab Antigono patre venere nuncij, vt quibus posset conditionibus pacem cum Rhodijs conficeret. Ptolemæus quoque, etsi nouum & virorum & commeatus auxilium promittebat, hortabatur tamen vt honestis conditionibus de pace conuenirent. Itaque ambo pacis cupidi erant, neutri videri cupiebant, vtriq; commodam occasionem præstolabantur; cum superuenere Ætolorum legati de pacificatione, (Plutarchus tamen pacis huius interpretes Athenienses facit) quorum interuentu in eas conditiones conuentum est, vt vrbs sui iuris, & præsidiorum militarium immunis remaneret, prouentus suos retineret, armorum societatē Antigono præstaret, nisi forte bellum Ptolemæo inferret; obsides denique centum ex ciuibus traderet, quos postulasset Demetrius, ijs exceptis qui magistratu fungerentur.

Eius conditiones.

VI. *Gratus Rhodiorum animus.* ITA liberati obsidione difficili, atque diuturna Rhodij, suos laudibus, præmijsque affecerunt, tum Cassandro, & Lysimacho statuas erexerunt; in Ptolemæo vero honorando, gratiaq; referenda omne fas meritumque excessere. Miserunt in Libyam ad Ammonem Theoros sciscitatum os an Ptolemæum diuinis honoribus affecturi essent; quo annuente, lucum illi quadratum in vrbe consecrarunt, extructa ad vnumquodque latus porticu, ad stadij longitudinem, & locum Ptolemæum indigetarunt; tum ad vrbem reparandam, atque exornandam conuersi sunt. Plutarchus ait Rhodios bello composito machinas aliquot à Demetrio petiuisse, & quidem Helepolin maxime vt credibile est, quo & illius potentiæ, pariter & virtutis suæ haberent monimentum; nec videntur ab eo repulsam tulisse, quamuis tacente Plutarcho. Plinius *a* tradit Rhodios hoc tempore excitasse Solis Colossum 70. cubitorum altitudinis, quem terræmotus post 56. annos, vt ipse habet, aut potius vnum & octoginta, vt suo loco probabitur, euertit. Vide quæ de eo diximus anno mundi 3455.

a l.14.c.7. Rhodius Colossus.

a. 2.& 7.

Inde autē digressus Demetrius, Antigoni iussu liberandæ Græciæ operam dedit, quā interea Cassander & Polysperchon sibi subiugabant; in quos etiā bellum cōuertit, quod cum Diodoro in annum sequentem differemus.

VII. *Finis belli Samnitici.* ADDIT autem hoc anno pacem cum Samnitibus à Romanis per legatos initam, fine imposito bello, quod per annos viginti duos, ac sex menses gestum fuerat.

AT Liuius inchoatum tradit, L. Papyrio & C. Petilio Coss. qui anno vrbis 427. Consulatum gessere: quod vides præclare cum nostra Chronologia consentire. Verum quid de hoc fœdere scribat Liuius audiamus. Samnites seu finem, seu dilationem belli quærentes, legatos de pace Romam misere, quibus suppliciter agentibus responsum est, nisi sæpe bellum parantes pacem petijssent, de pace transigi potuisse; nunc quando hactenus verba vana retulissent, rebus standum esse. P. Sempronium Consulem

lem breui in Samnio fore; eum ad bellum, pacemue inclinent animi, animaduersurum, comperta omnia Senatui relaturum, decedentem è Samnio Consulem legati sequerentur. Ergo cum pacatum Samnium exercitus Romanus, benigne accepto à Samnitibus commeatu peragrasset, fœdus antiquum Samnitibus est redditum. Ita fere Liuius. Bellum tamen in Samnites post aliquot annos renouatum est: vsque adeo inuiti Italiæ populi, Romani imperij laboriose excrescentis iugum accipiebant.

VIII. *Bellum contra Æquos renouatur.* Hoc ipso anno ad Æquos veteres hostes bellum conuersum est. Fauerant ipsi Samnitibus & Hernicis, & diuturna pace vsi, se inuictos fore somniabant, & feciales res de more repetentes, aspernabantur. Coss. ambo ad nouum profecti bellum, 4. milliarij ab hostium castris consederant. Illi alternante sententia an prælio decernere, an castra propugnare, an vero singula oppida sua tutari satius esset, hac vincente sententia, castris suis desertis, ad oppida sua propugnanda quique profecti sunt, res suas deportantes.

Romani prima luce signis prolatis in acie consistunt, & vbi nemo ibat obuius, pleno gradu ad castra hostium tendunt: ibi insolito mori silentio, metu insidiarum subsistunt; transgressi deinde vallum cum deserta omnia inuenissent, comperto hostium consilio, ad singulas vrbes circunferendo bello, vnum & quadraginta oppida intra dies sexaginta, omnia oppugnando ceperunt, (Diodorus habet 40. oppida intra dies 50.) quorum pleraque diruta atque incensa, nomenque Æquorū prope ad internecionem deletum. Coss. de Æquis triumpharunt, exemploque eorum clades fuit, vt Marrucini, Marsi, Peligni, Ferentini Romam legatos de pace mitterent, atque obtinerent.

40. oppida à Romanis intra 50. vel 60. dies capta.

IX. *C. Flauius sit curulis præses.* EODEM anno C. Flauius libertino patre natus, scriba in ædilium comitijs ædilis curulis factus est, quod ciuile ius, repositum in penetralibus pontificum, euulgasset, Fastosque circa forum in Albo proposuisset, vt quando lege agi posset, sciretur; idque Appio Claudio hortatore, cuius scriba fuerat. Tanto autem fauore populi, vt consularibus nati patribus in eius magistratus petitione præterirentur; tanto dolore nobilitatis, vt plerique nobilium annulos aureos, phalerasque, tanquam in luctu, deponerent. Ædem etiam Concordiæ magna cum nobilitatis inuidia dedicauit. Rem fusius explicat Plin. *a* & simul huius anni Consules, & annum Vrb. Condit. 449. recte confirmat, & ita legit Cuspin. & vtrique ex Fastis Capitolinis legendum est, etsi 448. legatur in vulgatis Plinij libris.

a l. 33. c. 1.

X. *Aedem Concordiæ vouet, ac dicat.* EXISTIMAVIT etiam Cuspinianus, eo Plinij loco, vbi dicitur Flauium vouisse ædem Concordiæ, legendum esse Fabium, qui hoc anno Censor fuit: sed Plinij sententiam Liuius aperte confirmat. De Fabio vero hæc habet, nulla ædis mentione facta. *Ex eo tempore in duas partes discessit ciuitas, aliud integer populus, fautor, & cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat: donec Q. Fabius & P. Decius censores facti, Fabius simul Concordiæ causa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in 4. tribus coniecit, vrbanasque eas appellauit: adeoque eam rem gratis animis acceptam ferunt, vt Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret.* Cæterum quod iam ante Fabius appellatus est Maximus, id à Liuio per occupationem temporis factum est. Sic Antigonum, Demetrium, Ptolemæum, aliosque reges numeramus, antequam vulgo reges dicerentur. Meminit Flauij Cic. 1. de Orat. & pro Murena.

Fabius vnde maximus dictus.

Gellius Valerius, alij.

Gell. l. 6. c. 9. Valer. l. 2. c. 5.

* * *

ANNVS MVNDI 3751. SEXTÆ ÆTATIS 235. Imperii Græcorum & Seleuci 9. Oniæ Pontif. & Ptolemæi Lagidæ 22. Olympiad. CXIX. An. 2. Archonte Athenis Leostrato. Vrbis Conditæ 450. Coss. L. Genucio, & Ser. Cornelio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 302.

I. *Demetrius Athenas liberat à Cassandro.* INCEPTVM pro Græciæ libertate à Demetrio annis superioribus bellum, hoc anno strenue promotum est. Et Diodorus quidem liberatos præsidio Sicyonios hoc statim anno recenset. Verum admodum credibile videtur esse Athenienſibus primo laborantibus auxilio venisse Demetrium. Athenas enim bello fatigabat Cassander, vt fatetur Plutarch. quæ causa videtur cur Athenienses per se, perque Antigonum cum Demetrio tam studiose egerint pro bello Rhodio terminando: & cur ipse Demetrius, qui non ignorabat illud. *Non minor est virtus quam quærere parta tueri*, ad conuentiones pacis descenderit, ne ei Athenæ perirent. Itaque & Sigon. l. de temp. Athen. res pro Atheniensibus gestas recte in hunc annum refert. Accersiuerunt ergo Athenienses Demetrium ait Plutar. quod vrbem eorum obsideret Cassander, (præsidium enim suum inde eiectum, & arcem Munichiam solo æquatam ægre, vt par est ferebat, sed pergit.) Ille nauibus aduectus triginta supra trecentas, cum magna peditum manu, non Attica terra modo Cassandrum summouit, sed fugientium tergo inhærens, vsque ad Thermopylas fudit, Heracleamque vltro se dedentem recepit, ac Macedonum sex millia ad eum transierunt.

II. *Et alias Græcas vrbes.* IN reditu Græcos circa Thermopylas in libertatem asseruit, Cenchreis potitus est, Philemque & Panacton præsidia Atticæ à Cassandro incessa, in potestatem redegit, restituitque Atheniensibus. Qui quamuis effusi antea in illum fuerant, & omnis generis honores exhauserant, rationem tamen excogitauerunt, vt tunc quoq; recentes, & noui assentationibus apparerent. Siquidem Parthenonis partem posteriorem attribuerunt ei pro diuersorio, ibique agebat, & Minerua dicebatur eum hospitio excipere, non nimium castum hospitem, neque vt apud virginem diuertentem honeste. Et paulo post. Cum Mineruam debuisset, si nulla alia de causa, certe vt maiorem natu sororem, id enim dici volebat, erubescere, tanta in pueros ingenuos, & vrbanas matronas lasciuia cōspurcauit arcem, vt locus ille maxime mundus putaretur, vbi cum Chryside, Lamia, Demo, Anticyra scortis, in omni lasciuia volutaretur. Hæc & plura Plutarch.

Atheniensium assentatio.

Demetrij nequitia.

III. *Alios in Peloponneso gesta.* ALIQVANTO inferius subdit progressum in Peloponnesum; quod nemo hostis subsisteret, fugerentque omnes, & oppida deserent. Adiunxit sibi Acten quam vocant, Arcadiamque, dempta Mantinea, Argos, Sicyonem; Corinthum redemit centum talentis, quæ præsidiarijs numerauit. Verum de Sicyone & Corintho Diodorum consulamus. Illud autem in primis ait fuisse memorabile, quod vrbem Sicyoniorum, quæ præsidio Regis Ptolemæi tenebatur, noctu adortus, occupauit, præsidiarijs in arcem refugientibus. Ad eam expugnandam cum machinas, quibus erat formidabilis, admoturus esset, pacta incolumitate eam præsidiarij dedunt, & in Ægyptum auchuntur. Persuasis inde Sicyonijs vt in arcem locum amplum ac spaciosum, aquis irriguum, accessu machinis imperuium, sedes transferrent, etiam ædificationi cum vrbana multitudine operam dedit, & partem vrbis portui adiunctam complanauit. Sicque libertate populo reddita, à populo gratulabundo eo honore affectus est, vt restauratam, *b* vrbem suam Demetriadem nuncuparent, sacraque & festos conuentus tanquam Deo, ludos item annuos, aliosque honores, tanquam Conditori exhibendos sancirent: quæ tamen subsecutum tempus abrogauit, vt idem Diodorus notat.

b De Demetriade, vide Plut. in Demet. t. 10.

IV. INDE Corinthum mouit, quā pro Cassandro Prepelaus

cum

IMPERII GRÆCORVM an 10

cum præsidio tenebat, & statim noctu per ostiolum, à quibusdam ciuibus introductus, vrbem cum portubus in potestatem redegit. Cumque præsidiarij partim in Sisyphium, partim in Acrocorinthum refugissent, adhibitis ad muniendum machinis, multo labore vi Sisyphium cepit, obiectis in Acrocorinthum transfugientibus; quem etiam locum perterrefacti machinis, quibus et nemo par erat dedidere. Quamquam vero libertatem Corinthijs reddiderat, ciuium tamen rogatu Acrocorintho præsidium imposuit, quod sub eius tutela permanere cuperent ciues, donec cum Cassandro debellatum esset. Prepelaus autem Corintho turpiter eiectus, ad Cassandrum se recepit. Non ita Strombychus, qui à Polysperchonte Ægio Achaiæ vrbi gubernator datus, cum non solum dedere se Demetrio nollet, sed multis etiam cum conuitijs à se repelleret, Rex machinis mœnia disiicit, & vrbe potitus Strombychum cum alijs 80. in crucem egit, reliquos milites in ordines suos distribuit. Inde autem pleraisque alias vrbes in Achaia, Insulisque alijs libertati restituit, quæ Polysperchonti, & Cassandro parebant: quod ab ipsis nihil auxilij contra ingentes Demetrij copias, machinasque expectarent.

V. Nouæ Coloniæ.

ROMÆ ab externis ferme bellis otium fuit, Soram atque Albam Coloniæ deductæ, Albam in Æquos sex millia colonorum scripta. Sora agri Volsci fuerat, sed possederant Samnites, eo quattuor hominum millia missa. In Vmbria quidam in spelunca latitantes non paruo numero, agros populabantur: in eam ingredientibus obscuro in loco multa illata vulnera, donec altero specus eius ore (Nam peruius erat) reperto, vtræque fauces congestis lignis accensæ; ita intus fumo, ac vapore ad duo millia armatorum, ruentia nouissime in ipsas flammas, dum euadere tentant absumpta sunt.

Ingens latronum consumptio in Vmbria.

ANNVS MVNDI 3752. SEXTAE AETATIS 236. Regni Græcorum & Seleuci 10. Ptolemæi & Oniæ 23. Olymp. CXIX. 3. Archonte Nicocle. V.C. 451. M. Liuio Dentre; & M. Aemylio Paulo Coss. C. Iunio Bubulco Dictat.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 301.

I. Res huius anni.

VLTIMVM nobis hunc annum, qui fuit Hebræis Sabbaticus 167. vltimumq; Prætorem suggerit Diodorus Siculus, reliquis iniuria temporum desideratis: apud quem & res gestæ Demetrij apud Athenienses contra Cassandrum desiderantur, quæ commodum ex Plutarcho in vita Demetrij suggessimus. Habet autem hic annus apparatum belli, quod in Asia de summa rerum ab his regibus seq. anno gestum est, in quo Antigonus occisus est, Seleuci imperium vehementer confirmatum, Demetrij autem deiectum. Sed nunc quod vicinius est, atque instat agamus.

II. Cassander ab Antigono pacem quærit.

CASSANDER Macedoniæ Rex multis à Demetrio spoliatus vrbibus, ac præsidijs, non in Græcia modo, sed in Macedonia quoque, vt ex Plut. dicebamus, de regno suo vehementer cœpit esse sollicitus, & afflantem mirum in modum fortunam Demetrio, & Græcis vereri. Itaque missis in Asiam legatis, Antigonum de pace orauit, siue quod pacem, nisi ex ipsius nutu Demetrius non esset facturus, siue quod hunc successibus & ætate ferocem, minus tractabilem fore arbitraretur. Sed ne eius quidem partem modo attinuerit. Respondit enim Antigonus nullam se pacem cum Cassandro facturum, nisi se ille resque suas Antigoni potestati permitteret: quam ille superbiam ac fiduciam sui magno mox emit. Eo enim ille responso territus, Lysimachum, qui apud Thraces regnabat, vicinum atque amicum, & Demetrio longe infestissimum accersit, & consilio de communibus periculis inito, legatos ad Ptolemæum, & Seleucum mittunt, & ad bellum contra Antigonum & filium eius Demetrium, quasi contra communem hostem concitant; à quibus etiã con-

Nec impetrat.

Adsciscit belli socios contra eum.

scribuntur exercitus, ad Antigonum in Asia opprimendũ.

DEMETRII SVPERBIA, ET IMPIETAS.

III. Bellum in Antigonum susceptum.

PRIMVS Cassander eum parte exercitus sui Lysimachũ in Asiam misit, vbi in transitu multas sibi vrbes adiunxit, cum Prepelao, & nihilominus aliquoties adito, ac vitato ab Antigono periculo, in hyberna, dum vniuersæ copiæ vndiq; confluerent, concessit. Ipse autem Cassander cum reliquo agmine in Thessaliam mouit, Demetrium oppugnaturus, & Græcos.

Demetrius Dux Græciæ renunciatur in conuentu.

Interea Demetrius in non ua Demetriade, præ superbia non erat compos sui. Cum enim ad vicinum Isthmum Peloponnesi conuentus publicus celebraretur, multique mortales eo connuenissent, renunciatus est dux Græciæ, vt ante Philippus & Alexander; quibus ille, vt ait Plut. præsenti fortuna & potentia inflatus, non populo se præstare censebat. Et cum Alexander multis regibus imperaret, eiusque beneficio regnarent; nunquam tamen se vel Regem regum appellauit, aut eos Regis appellatione priuauit. At Demetrius si quis alium præter se, aut patrem Antigonum appellaret Regem, irridebat, libenterque audiebat, cum inter pocula quis postulato vino, propinaret Demetrio regi, Seleuco Elephantorum magistro, Ptolemæo classis præfecto, Lysimacho à Thesauris, Agathocli Rectori Siciliæ.

Superbia eius.

IV. Eleusinia eodẽ Athenis.

PORRO repetens tunc Athenas, scripsit velle se, vbi eò venisset illico, paruis magnisque sacris Eleusinijs initiari, & recondita, quæ Epoptica appellabantur, cuncta sub idem tempus inspicere. Quod nefas erat, & ante id tẽpus inauditum. Nam parua sacra peragebantur mense Anthesterione, id est Ianuario, magna Boëdromione, id est, Augusto: Recondita inspiciebant, interiecto à magnis vt minimum anno. Lectis literis eius, vnus intercessit sed fuit Pythodorus; incassum tamen, seruiebant quippe Demetrio Athenienses, & ei in sacris profanisq; turpiter lenocinabantur. Ergo lata ex Stratoclis adulatoris sententia lege, Mensem Munichionem, qui erat Martius, Anthesterionem esse, id est Ianuarium voluerunt, vt in eo Demetrium sacris initiarent. Mox iterum ab Anthesterione Munichion conuersus in Boëdromionem, vt reliquas ceremonias reciperet, simulque ad inspectionem sacrorum admissus est Demetrius, sacris Atheniensium illudens.

Eorũ sacris, ac patriis illudit.

Sed illusit etiam pecunijs. Cum enim eis propere 250. talenta imperasset, & præcipitata fuisset exactio, & acerbe exercita, vbi coactum vidit argentum, id iussit Lamiæ, cæterisq; suis meretricibus dari, pudore magis quam iactura ciues affligente.

V. In Cassandrũ mouet.

DEMETRIVS initiatus Athenis discedens in Cassandrũ proficiscebatur, sed aditus ab eo occupatos sentiens, mari proficiscitur, habebat sub signis Cassander, vt ait Diodorus, 29. millia peditum, & equitum duo millia. Demetriũ vero sequebantur mille & quingenti equites, è Macedonia octo millia peditum, & viginti quinque millia mercenariorum ex vrbibus Græciæ, præter octo millia lixarum, calonum, & aliorum qui prædæ causa sequuntur exercitus. Iamque per multos dies castra in conspectu erant, & neutra pars in pugnam descendebat, expectatione rerum quæ in Asia gererentur.

Variæ que copiæ.

At Rex Antigonus certior factus Seleucum ex superioribus prouincijs cum numerosis copijs descendere, veritus ne si omnes conuenissent, prius certare cogeretur, quam Demetrius ex Græcia aduenisset, ad eum mittit vt rebus cum Cassandro in Græcia quoquo modo compositis, ipse in Asiam penetret. Cum ergo sub hoc tempus nũcius ad Demetrium delatus esset, pacem cum Cassandro fecit, si modo pacta ab Antigono patre probarentur, quæ ille certo sciebat irrita fore, vt qui armis bello finem statuisset imponere.

Pacẽ inuito patre Antigono.

Si is ratam habuerit.

VI. Demetrius ... vrbes ...

ERGO omnibus ad cursum comparatis, cum tota classe soluit, atque Ephesum appellit. Eam vrbem, quæ paulo ante opera Prepelai ad Cassandrum defecerat, recepit; & præsidio eius eiecto, in arce collocauit suum: eodemq; modo alias in transitu recuperauit vrbes. Et in his circa Ponti ostia copias suas ad hyemandũ dispertitus est. Cassander autem vice versa post Demetrij discessum, maritimas vrbes imperio suo iterum vindicauit. Tãta erat vel

vrbium infirmitas, vel hominum leuitas atque inconstantia. Et quoniam hoste tum carebat, Plistarchum cum exercitu 12. millium peditum, & quingentis equitibus ad Lysimacho ferendam opem in Asiam misit: qui in traiectu bonam copiarum partem, tam hostium quam tempestatis incursu amisit, ipseque vix fragmento nauis suffultus in portum peruenit: & ad Lysimachum ad hyberna se contulit.

VII. *Ptolemæus ab Antigono ficto nuntio decipitur.* EODEM ipso tempore ex Ægypto profectus Ptolemæus cum instructissimo exercitu, omnes vrbes in caua Syria in potestatem redegit. Dum autem Sidonem obsidet, falsus delatus est nuncius commissi inter reges prælij, & deuicti Lysimachi atque Seleuci, & Antigoni victoris cum exercitu ad recuperandam Syriam aduentantis: quo deceptus cum Sidonijs inducias ad 5. menses fecit, & præsidio munitis, quæ subegerat, oppidis in Ægyptum remeauit. Et nisi valde fallor, nuncius ille Antigoni strategema fuit, ad auertendum à se Ptolemæum, ne simul ipsi contra tres exercitus, Seleuci, Lysimachi, & Ptolemæi pugnandum esset. Cui etiam fictioni occasionem aliquā dare potuit, defectio duûm millium, & octingentorum militum, qui à Lysimacho ad Antigonum, per id tempus transfugerant; quos ille in suos ordines distribuerat, stipendijs persolutis: quam illi defectionis causam prætexebant.

VIII. *Seleuci apparatus ad bellum.* SELEVCVS autem eodem tempore, magno ex superiori Asia coacto exercitu in Cappadociam venit, milite sque præparatis tabernaculis, in Hybernis collocauit. Habebat autem sub signis viginti millia peditum, equitum cum equestribus sagittarijs duodecim millia, elephantis 480. currusque falcatos supra centum. 120. habet Plutarchus, elephantos autem tantum 400. Hæ igitur omnes copiæ cogebantur, proximam ad bellum gerendum tempestatem idoneam præstolantes. Et hæc quidem nec plura deinceps Diodorus, nisi quæ ex fragmentis eius colligi potuerunt. Porro huc pertinet quod Iustinus sub finem l. 15. scribit de Sandrocotto quodam, qui Indiæ partem ab Alexandri morte occuparat, titulo libertatis in seruitutem post victoriam conuerso, cum quo facta compositione Seleucus, compositisque in oriente rebus, in bellum Antigoni descendit.

IX. *Bellū contra Æquos.* ROMÆ autem M. Liuio Dentre, & Æmylio Coss. bellum contra Æquos redintegratum est. Coloniam enim ægre patientes suis finibus impositam, summa eam vi expugnare adorti, ab ipsis colonis pelluntur. Cæterum tantum Romæ terrorem fecere, vt tumultus eius causa Dictator diceretur C. Iunius Bubulcus, cum M. Titinio Mag. eq. quia vix credibile erat, tam affectis rebus, solos per se Æquos bellum suscepisse. Verum Dictator primo congressu Æquos subegit, ac die octauo triumphans in vrbē cum redijsset, Ædem salutis, quam Coss. vouerat, Censor locauerat, Dictator dedicauit. Triumphus eius in tertium Calend. Sexti. refertur in Fastis apud Sigonium, & Stephanum Pighium. De illa æde lege etiam Plinium, vbi de pictura Romæ honorata, qui hunc annum vocat vrbis conditæ 450. additque eam ædem Claudij principatu exustam. Lege & Valerium Maximum. Eam pictam à Fabio Pictore aiunt, vnde Pictorum in gente Fabia, vna familia cognomen accepit. Eodem anno classis Græcorum Cleonymo duce Lacedæmonio, appulsa ad Italiæ littora, Thurias vrbem in Salentinis cepit, aduersus quem missus Coss. Æmylius, prælio vno fugatum compulit in naues. Thuriæ redditæ veteri cultori, Salentinoque agro pax parta. Ita Liuius, qui eiusdem Cleonymi irritam excursionem in mare Adriaticum pluribus exequitur, vtique in gratiam patriæ suæ.

(35. c. 4. 1. c. 14.)

* * *

ANNVS MVNDI 3753. SEXTÆ ÆTATIS 237. Regni Græcorum & Seleucii. 11. Ptolemæi Lagidæ, & Oniæ Pontificis 24. Olympiad. CXIX. An. 4. Archonte Calliarcho. Vrbis Conditæ 452. Dictat. Q. Fabio Max. Rul. II. & M. Valerio Coruo II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 300.

I. *Ingentes regū copiæ in Asia collectæ.* INTENTI erant in bellum reges Alexandri successores, habebantque Demetrius & Antigonus sub signis pedites supra 70 millia, decem equitum, elephantos quinque & 70. At Seleuco, Lysimacho, & Cassandro, 74. millia, equitum 10. millia & quingenti, elephanti quadringenti, & currus 120. Ita Plutarchus in Demetrio. Accusat Antigonum Diodorus in eclogis l. 21. in hoc bello suscipiendo ambitiosæ cupiditatis, ex qua factum sit, vt bello 4. regibus intra se consentientibus illato, pugna commissa interficeretur. At Plutarchus eundem insuper insignis arrogantiæ ac superbiæ accusat. *Antigoni superbia.* Et quidem videtur Antigonus, inquit, si paululum de iure suo discessisset, atque ex insana ambitione remisisset, retenturus sibi perpetuo, & filio relicturus principatum: verum ingenio ferox & contemptor aliorum, verbisque ac factis insolēs, multos & iuuenes, & potentes efferauit, exacerbauitque viros. Atque coitionem illam regum ac societatem iactauit se, sicut auium pascentium globum, vno lapide ac strepitu disturbaturum. Sic ipse, quæ in nouo bellatore, quam in veterano imperatore tolerabiliora fuissent.

II. *Præsagia mortem suā. Demetrij cū Seleuci filio pugna, & eius victoria.* PAVLO post præsaga futuri mens hominem cogitabundum & taciturnum reddidit, adeo vt præter morem solus cum Demetrio in tabernaculo suo colloqueretur, eum exercitui ostenderet, ac commendaret, successorem designando, si quid ei humanitus contigisset. Addit præmuncia cladis somnia & ostenta Plutarch. quæ apud eum leges. Cum in prælio ad manus ventum esset, Demetrius cum lectissimis equitibus concurrit cum Antiocho Seleuci filio, qui patri postea in regno successit, eumq; profligauit ac fudit: sed hostium tergis insolenter, & ambitiose instando, victoriam labefecit. Neq; enim regressus cōiungere se peditatui valuit, elephantis interiectis.

Eius copiæ ad Seleucum transiunt. Cernens autem Seleucus aciem Antigoni equitatu nudatam, non irrupit in eam, sed irruptionem minitans circūuectus est, ac potestatē militibus fecit transeundi ad se, quod & factum est. Magna enim pars abrupta transitionē voluntariam ad illum fecere, reliqui dederunt terga.

III. *Antigonus telo obruitur.* TVM ingens hostium globus Antigonum petit. Is dum Demetrium expectat, pugnam sustentans, frustraque filium, si qua erumpat, respectans, grandine in eum telorū coniecta occubuit. Demetrius agnita clade, cum 5. millibus peditum, & quatuor equitum fugam arripuit, & citato cursu Ephesum delatus, veritus ne sui ob pecuniæ difficultatem, à Dianæ templo non abstinerent, raptim signa mouit, & cursum in Græciam direxit, vt qui spem maximam in Atheniensium erga se beneuolentia reposuisset: proptereaque apud eos classem, pecuniam, coniugem Deidamiam reliquisset. *Demetrius fugit Ephesū, & inde in Græciam.*

Ab Atheniensibus repellitur. Verum Atheniensium legati ei ad Cycladas insulas occurrunt, vt vrbe abstineret orantes, eo quod populus decreto sanxisset, ne quis ex Regibus vrbe acciperetur: vxorem autem eius Deidamiam Megaram honorifice, & magno cum commeatu miserunt.

IV. *Demetrij ira.* QVÆ res maximam eius iram in Atheniensium perfidiam inflammauit, qui quem nuper tanquam Deum coluerant, nunc ne mœnibus quidem reciperent: insigni documento quanti facienda esset, aut fides popularis, aut fauor: qui hæc proprijs metitur commodis, non eorum quibus ad tempus abblanditur.

Ac Demetrius quidē, etsi insigni iniuria se affectū cerneret, vlciscendi tamen tempus minime adesse, leuiter cū Atheniensibus per legatos expostulauit, petijtq; vt classem sibi remitterent, qua accepta in Isthmum nauigauit.

Ita

Ita est e Plutarchos; etsi Diodorus loco citato eum dicat cum matre sua Stratonice, quę tum in Cilicia morabatur, cunctisque opibus in Cyprum, quàm habebat in potestate nauigasse.

Interea vero victores reges Antigonum regio honore sepelierunt, vt idem ait, sed eius imperium, sicut magnum corpus discerptum diuiserunt inter se, eiusq; prouincias, pro cuiusq; commoditate, adiunxerunt suis. Seleucus in primis Asiæ ac Babyloniæ imperium sibi magis, magisq; confirmauit. Insi Demetrius Antigoni filius id sibi regnũ vindicare conaretur, & per annos septendecim, vt ait Eusebius in chron. varia fortuna vsus ambierit.

V. HVNC annum 12. Seleuci constructio Antiochiæ nobilitat apud Eusebij chronicom. Eam vrbem prius ædificare cœperat Antigonus, Demetrij pater, & proprio nomine inscribere: sed ea breui interuallo temporis, & nomen amisit & fundatorem. Ei porro nomen Antiochi patris sui Seleucus tradidit, qui sub Philippo Alexandri patre clarus fuerat. Est autem apud veteres scriptores, inter omnes vrbes, quæ hoc appellatæ sunt nomine, omnium celeberrima hæc Antiochia Syriæ Metropolis super Orontem fluuium sita, ad Daphnem nemus delicijs, & amœnitate inclytum. Eam Philostratus differentiæ causa magnam appellat. Plerique μητρόπολιν τῆς ἑω, & μεγίστην τῆς ἑω, non sine autore, licet illa nomina Alexandriæ Ægypti deberi possint, quæ non solum magna, sed etiam πόλις à Stephano per excellentiam dicta est, & ab Ammiano vertex omnium ciuitatum: & cum esset præfectura Augustalis longe antecedebat Antiochiam, quæ erat tantum proconsularis. Ideoque licet Antiochia prius esset constituta sedes Petri, quam Alexandria Marci, hæc tamen ordine patriarcharum illam antecessit: ea tamen non censetur ad Orientem pertinere.

VI. ROMÆ Consulum series impedita est, inserta gemina Dictatura Q. Fabij Maximi, cum M. Æmylio Paullo Mag. eq. & rursum M. Valerij Corui, cum P. Sempronio Sopho Mag. eq. quos hoc anno Dictatores ex Capitolinis Fastis eleganter elicit Sigonius in hunc annum, quem consule, in Græco chron. Euseb. apud Scaligerum habetur hic annus notatus, ἄνευ ὑπάτων. Eadem sentit Onuphrius in Fastis, & Stephanus Pighius in suis Annalibus. Gordonius, Grellius, Temporarius, Scaliger. Nec repugnat, qui reliquis facem quærendo prætulit, horum inuestigator Cuspinianus, & post eum Glareanus. In quorum sententiam ratio ipsa nos ducit, quando, nisi hoc anno interiecto, multorum sequentium annorum notata à scriptoribus tempora conspirare, ac congruere non possunt, sed omnia vno anno tardiora esse oportebit. Quæ causa fuit, vt Titus Liuius annos V. C. via nominet, vt chronologiæ lapsus, ex comparatione cum ijs, quæ autores classici passim produnt, non deprehendatur.

VII. CVM ergo Hetrusci, Marsique rebellassent, dictus est Dictator Q. Fab. Max. qui profectus cum exercitu prælio vno Marsos fudit: deinde in vrbes munitas compulsis, & vrbibus aliquot intra paucos dies captis, agri partem eis ademit, fœdus restituit, nec triumphi vlla est mentio.

Tum in Hetruscos verium bellum, quod nono Dictatori tribuendum est, isq; duobus notatur signis, triompho & consulatu anni sequentis, quod vtrumque M. Valerio Coruino tribuitur, neutrum Q. Fabio, etsi eundem Dictatorem Liuius in vtroq; bello agnoscat; eum ait Dictatorem auspiciorum repetendorum causa Romam profectũ esse, intereaq; Mag. eq. pabulatũ egressum ex insidijs circumuentum fuisse, signisq; aliquot amissis fœda aliquot militum cæde, ac fuga in castra esse compulsum. Sed quocunque tandem modo, aut culpa damnum à Romanis acceptum fuerit, deterendus est hoc loco Liuius, eorum quos citauimus exemplo. Itaq; licet non appareat à quo, aut quomodo nonos Dictator est dictus, sed idem videatur in suum remissus exercitum, nonus tamen agnoscendus est M. Valerius Coruinus.

VIII. EA ergo clades maiorem quam res erat terrorem exciuit. Nam vt exercitu deleto ita iustitium indictum, custodiæ in portis, vigilię vicatim exactæ, arma, telaq; in muros congesta. Omnibus iunioribus sacramẽto adactis, Dictator ad exercitum missus, omnia tranquilliora inuenit, aut fama, aut opinione sua. Et in primis exercitum delendæ ignominiæ, amissorum aliquot signorum, cupiditate flagrantem. Hetrusci licet animosiores ex re bene gesta facti, tamen insidijs iterum agere moliuntur, sed deprehensa re, in apertum campum prodeunt, & legati copias præmissas fortiter pugnando præualente multitudine fatigant. Dictator, licet monitus, cunctanter tamen progreditur, quãtumuis milite festinare cupiente; vt scilicet fesso hosti integrum militem, eumque pugnæ auidissimum immittat. Eam procellam fessus hostis non tulit, sed euasit ad castra, ex quibus etiam elapsi plerique. Hoc prælio fractæ iterum Hetruscorum vires, & pacto annuo stipendio, & duum mensium frumento permissum à Dictatore, vt Romam legatos de pace mitterent; Pax negata, induciæ biennij datæ. Dictator triumphans in vrbem redijt. Notatur triumphus apud Sigon. anno 452. 10. Cal. Decembr.

ANNVS MVNDI 3754. SEXTAE ÆTAtis 238. Imp. Græcorum, & Seleuci 12. Ptolemæi Lagidæ 25. Simonis Pontificis 1. Olympiad. CXX. an 1. Archonte Hegemacho. Vrbis Conditæ 453. Coss. M. Valerio Coruino V. & Apuleio Pansa.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 299.

INITIO huius Olympiadis, quæ vigesima supra centesimam numeratur, habuitq; Olympionicam Pythagoram quendam Magnesium: nouum quoque Pontificem Hierosolymis habuit. Hoc itaq; anno Simonem Iudæorũ Pontif. Max. Oniæ filium ponimus, Eusebium secuti: cui, inquit, cognomẽtum Iusto fuit, propter sollicitam in Deũ religionem, & in ciues suos pronam clementiam: quæ verba fideliter sunt ex Iosepho deprompta. Apud eum tamen ita legimus ex interpretatione Gelenij, Onia pontifice defuncto, filius ei Simon successit, Iustus cognominatus, quod & Deum pie coleret, & eius summa potiretur beneuolentia. Coruinum autem & Pansam Consules, quamuis dissentiente Liuio, suggerunt iidem, quos pro geminis Dictatoribus suggessimus. Et quidem Coruinum siue Coruum V. vt anno sequenti sextum Consulatum suffectus gesserit, vt ijdem consentiunt. I.

CIRCA hanc Olympiadem floruisse perhibetur Arcesilaus Philosophus, apud Laertiom ex Apollodoro in Chronicis; homo, si Laertiũ audimus, impurissimus, atq; impudentissimus, vt qui cum scortis congrederetur palã, & in pocules delicias maxime pronus esset: vnde illum Aristo Chius Stoicus φθορέα τῶν νέων, καὶ κιναιδολόγον, καὶ θρασὺν appellabat. Primus dicitur mediam inuenisse Academiã, & in vtramque partem differendo disputasse: eius in pauperes liberalitas egregia, & à fastu aliena commendatur. Eumenem coluit è ducibus Alexandri, Antigonum non coluit, neque aulicam politicamue vitam. Obijt vt Hermippus ait, cum merum immodicè hausisset, ac processisset anno ætatis septuagesimo quinto. Qualia erat obsecro iuuentus, reliquusque populus sub talibus magistris! Vix enim vllum apud Laertium inueniss, non istis flagitijs sordidum, ac propudiose inquinatum. II.

INTEREA Demetrius exclusus Athenis magno animi mœrore afficiebatur: præsertim quod exemplum Athenarum secuti plerique in Græcia, præsidia eius eijciebant, quæ ad eius hostes Cassandrum ac Lysimachum deficiebant. At Demetrius relicto in Græcia Pyrrho, cursum in Chersonesom intendit, vbi vice versa vastans Lysimachi ditionem, præda ditabat, ac retinebat copias suas; cũ hominem insperata sua munifice recreauit. Nam breui post ait Plutarch. perijt per legatos Seleucus dari sibi coniugẽ Demetrij & Philæ filiam Stratonicem. Erat quidem ei iã ex Apama Perside Antiochus filius, sed partes suas sufficere vel pluribus successoribus, & illius necessitudinem III.

postulare

postulare arbitrabatur. Quandoquidem Lysimachũ quoque videbat ex Ptolemæi filiabus, vnam sibi, filio alteram in matrimonium assumere. Ita Plutarchus in Demetrio. Siculi principes in æmulos quisq; suos intenti, vt se vnos eorum affinitatibus roborare nitebatur, ita alter vice versa res suas stabiliebat, & coniugijs quasi vinculis complectebatur, quos idoneos arbitrabatur ad fulciendam infirmitatem suam: vt quoddam rerum quasi æquilibrium constituerent, & neutra pars nimium erigeretur ac præualeret.

IV. *Quæ Seleuco consilia.*

ERGO Seleucus, quamuis in Asia superiorum prouinciarum dominatu esset valde potens, veritus tamen ne Lysimachus Ptolemæo coniunctus in eam euaderent potentiam, vt armis animisq; coniunctis, multum sibi negotij facesserent, Demetrium quamuis afflictum demereri, ac sibi adiungere statuit. Quam ille affinitatem quasi insperatã salutem, libenter amplexus est, assumptaq; puella cum tota classe nauigauit in Syriam: & in transitu in Quindam Ciliciæ profectus, in qua regij thesauri pridem custodiebantur, mille & ducenta talenta quæ reperit, obiter exportauit. Mox ei Seleucus ad Ozossum obuiam venit, vbi se mutuo amice ac beneuole acceperunt, incustoditi ambo atq; inermes, qui ad eam diem infestis inter se armis animisque pugnarant. Postquam aliquot feriati fuot dies, Seleucus ducta secum Stratonice, magna cum pompa Antiochiam perrexit. At Demetrius Ciliciam occupauit, aut amissam potius recepit, quam Plisthenes Cassandri frater tenebat, extra ordinem sibi à regibus donatam, postquam cum Antigono debellatum est, vxoremq; Philam ad Cassandrum misit, quæ id factum purgaret.

Nuptiæ inter Demetrium et Seleucum celebrantur.

V. *Demetrij cum Ptolemæo affinitas.*

INTEREA Deidamia ad Demetrium ex Græcia nauigauit, cumque non diu apud eum fuisset, morbo extincta est: mox Seleucus nouas nuptias socero suo cõciliauit. Ptolemaidem enim Ptolemæi Lagi sororem in Deidamiæ locũ suffecit. Sed mox Seleucus siue huius officij, siue illius affinitatis mercedem pro certa pecunia postulauit à Demetrio Ciliciam: quam cum hic recusaret, cum stomacho Sidonem ac Tyrum poposcit: quas ille quoque intrepide negauit, affirmans se in animum non inducturum Seleuci affinitatem mercede amplecti: itaq; ijs vrbibus præsidio firmatis, nauigauit in Græciam. Violenter vtiq; atq; auare visus est agere Seleucus, qui cum in sua haberet potestate quidquid inter Indiam ac mare Syriæ totum iacet, adeo tamen esset inops, atq; appetens, vt duorum causa oppidorum socerum suum, fortunæ casibus afflictum agitaret, vt notauit Plutarchus in Demetrio.

Seleucus cupiditatis notatur.

VI. *Demetrius migrat in Græciam.*

HVIVS porro profectionis causa fuit, quod cum accepisset dissentientibus Atheniensibus Lacharem quendam tyrannidem moliri, sperauit repentino incursu vrbe se facile potiturum, & Atheniensea vlturum. Verum cum pelagus magna classe incolumis pertransisset, Atticam prætereuehens tempestate iactatus, non exiguum nauium, atq; hominum amisit numerum. Ipse sospes cum euasisset, irrito insultu Athenienses inuasit: vbi nihil profecit, missis certis qui classem denuo cogerent, ipse transijt in Pelopõnesum, & Messenem obsedit: vbi vulneratus magnum vitæ discrimen adijt. Nec plura videntur hoc anno à Demetrio gesta, etsi occupatas Athenas Sigonius tradat: id enim negotium operosius fuit, quam vt huius anni angustijs coarctari possit, vt sequens annus docebit.

Cupiditas vltionis.

VII. *Romæ quies.*

HIC autem M. Valerium habuit non Maximum, vt diximus, sed Coruinum, factum ex Dictatore Consulem, & quidem neq; petentem, neq; præsentem, cum Appuleio: quibus Coss. satis pacatæ foris res fuere, vt ait Liuius l. 10. Nam Hetruscum aduersæ belli res, & induciæ quietum tenebant, Samnitem multorum annorum cladibus domitum, nondum fœderis noui pœnitebat. Romæ quoq; plebem quietam, & exoneratam deducta in colonias multitudo præstabat, cum mota est quæstio inter Patricios & Plebeios de sacerdotijs cum plebe communicandis. Certamen inierunt C. & Cn. Ogulnij Tribuni plebis, qui rogationem promulgarunt, vt cum 4. augures, totidemq; pontifices ea tempestate essent, placeretq; augeri numerũ: quatuor pontifices, quinq; augures, de plebe omnes adlegerentur. Et quamuis minus placeret ea res patrib. contra plebem, à qua in omnium honorum contentione victi semper essent, nec plebeiorum adhuc Consulum, Censorum, Dictatorum pœniteret.

Noui pontif. & augures ex plebe.

VIII. *Non sine certamine patriciorum.*

IN suadenda tamen lege, inter Appium Claudium, & P. Decium Murem dissensio fuit, illo plebem auito more deprimente, hoc vicissim extollente, negantéq; quicquam indignũ videri posse, eis viris quos populus sellis curulibus, toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali, laureaque honorauerit, quorum domos spolijs hostium affixis insignes inter alias fecerit, pontificalia atque auguralia signa adijcere. Et inter alia Claudium alloquens Decius, Ne fastidieris, inquit, Appi, nos in sacerdotum numerum accipere, multa nobiscum decora afferimus, imo eadem omnia quæ vos superbos fecerũt. L. Sextius primus de plebe Consul est factus, C. Licinius Stolo primus Mag. eq. C. Martius Rutilius primus & Dictator, & Censor, Q. Publilius Philo primus Prætor &c. Denique ingenti consensu accepta lex est, Pontifices è plebe creantur, Suasor in primis legis P. Decius Mus, P. Sempronius Sophus, qui proximo anno Censor factus est, C. Martius Rutilius, M. Liuius Denter, omnes consulares. Quinq; augures item de plebe, C. Genutius, P. Ælius Petus, M. Minutius Fessus, C. Martius, T. Publilius. Ita octo põtificum, nouem augurum numerus factus est, vt ternario singulas classes essent Ramnensium, Titientium, Lucerum, quæ erant antiquæ tribus, siue centuriæ.

Summe magistratus à plebe viri eximij.

Octo pontifices, & 9. augures.

ANNVS MVNDI 3755. SEXTAE AETATIS 239. Regni Græcorum & Seleuc. 13. Ptolemæi Lagidæ 26. Simonis Pontif. 2. Olymp. CXX. An. 2. Archonte Euctemone. Vrb. Cond. 454. Coss. M. Fuluio Pœto. T. Manlio Torquato, cui suffectus est M. Valerius Coruus VI.

ANNVS ANTE CHRISTVM 298.

I. *Demetrius obsidet Athenas.*

MESSENEM Peloponnesi oppugnabat Demetrius, cum telo ex catapulta in faciem eius, & os per maxillam adacto, in discrimen venit. Vt recolligit se, & oppida aliquot quæ defecerant, recepit, incurrit de integro in Atticam, captaq; Eleusine, & Ramnunte, Atticæ pagis, fines fœdauit, ac naue capta frumento onusta, quod importabatur Athenas, negotiatorem & gubernatorem suspendit: vnde alijs deterritis, pressa est ingenti fame vrbs: prætereque famem aliarum rerum difficultate laborabat: quæ satis ostendunt non paucorum dierum, sed multorũ mensium hanc obsidionẽ fuisse. Neq; enim tam opulenta vrbs tam breui tempore commeatu destituta fuisset, qui apud mercatores, & mediocris fortunæ ciues satis copiosus esse solet. Exiguam populo Atheniensi respirationem centum quinquaginta naues præbuerunt circa Æginã conspectæ, quas Ptolemæus ei subsidio misit. At cum mox multas Demetrius ex Peloponneso, multas ex Cypro accepisset naues, essentq; omnes numero trecentæ, classis Ptolemæi dedit se in fugam, aut se ad Cyprum potius Demetrio eripiendam conuertit, vt mox declarauit euẽtus, & tyrannus Lachares deserta profugit vrbe. Athenienses vero licet sanxissent pœnam capitalem in eum, qui pacis cum Demetrio, & fœderis fecisset mentionem, protinus tamen proximam portam patefecerunt, legatosque miserunt: non quod quidquam ab eo expectarent clementiæ, sed quia eam legationem desperatio exprimebat.

Et fame vexat.

Territum à Ptolemæo auxilium.

II. *Vrbem ingreditur, & miti ergo agens.*

INGRESSVS ergo vrbem Demetrius omnes in theatrum coegit, quod armatis circumcinxit: cum superueniẽs ipse, quasi Tragœdus terrorem incussisse contentus, vocis contentioni, & verborum amarulentiæ parcens, molliter ac beneuole castigauit eos, atq; in gratiam cum ijs redijt, & singulari lenitatis exemplo, donauit eis centũ millia medimnum tritici, magistratusq; præfecit, qui populo maxime grati forent. Quod dum cum varijs acclamationibus acciperet populus, non intellexit eam esse escam, qua deli-

Seruitute premit.

nitus in laqueos se iterum induceret. Diomochides orator siue sponte sua, seu potius Demetrij iussu legem promulganit, vt Demetrio Regi Pyræum & Munichia traderentur: quia perlata collocauit Demetrius per se præsidium in Musæo quoq; : vt scilicet tribus ea locis ciuitatem perfidam haberet in potestate.

III. REDACTIS in potestatem Athenis, mox appetijt Lacedæmonem: atque rege Archidamo, qui apud Mantineam sibi occurrit, signis collatis fuso fugatoq; in Laconiam inuasit: atque in ipsius Spartæ conspectu conflixit iterum cũ eo, captisque quingentis, ducentis cæsis tantum non videbatur vrbem ad illam vsq; memoriam nunquam captam cœpisse: cum tristes eum nuncij alio abstraxerunt, gaudente fortuna alternatim hominem in altum excitare, & ex alto volucri vicissitudine deijcere: Nunciatur enim Lysimachum ei Asianas vrbes abstulisse: Ptolemæum autem Cyprum vna, excepta vrbe Salamina, cepisse, in eaq; liberos eius matremq; obsessos circumsedere. Anceps vtique fuit quam se primum in partem verteret: expeditionem tamen Asianam in multos annos fuisse dilatam declarauit euentus.

IIII. Cassandri obitus. INTEREA Cassander Antipatri filius, qui vbi totam pene Alexandri familiam crudelissime deleuisset, Macedoniæ regnum occuparat, & fere octodecim annis administrarat (nam initium regni eius certum non est) intercute hoc anno perijsse traditur, iuxta Eusebij chronologiá. Accipe rem totam ex Pausaniæ Bœoticis. Restituisse Thebas inquit Cassandrum crediderim Alexandri maxime odio: eius enim domum totam funditus euertere contendit. Ná & Olympiadem Alexandri matrem, ijs Macedonum qui in eam acerrimis flagrabant odijs lapidibus obruendam tradidit, & Alexandri filios Herculem Barsine, Alexandrũ ex Rhuxane susceptos venenis peremit. Neq; ipse tamen fortunatus è vita discessit: ex morbo enim aquæ subter cutem fusæ, viuens etiamnum erumpentibus vndiq; vermibus extabuit. Hæc ex Pausania.

V. Diuina vindicta in eius familiam. VERVM sicca morte defunctum tyrannum non sera numinis vindicta prosecuta est: quæ gladiũ, quem ille in domini sui immeritam familiam strinxerat, in eius domum conuertit. Nam è tribus filijs, quos post se reliquit, Philippus primogenitus mox tabe interijt. Antipater secũdogenitus matrem Thessalonicam, quæ fratri præ se fauere videbatur, propria manu obtruncauit, qui & ipse mox à Lysimacho socero interficitur. Supererat 3. Alexãder, qui matris cædem vindicaturus Demetrium aduocat, sed eum dum parat interficere, præuentus regno vitaq; spoliatur, sicq; intra annos 4. scelerati hominis familia deleta est. Iustinus sub init. l. 16. ait Lysimachum verentem aduentum Demetrij, persuasisse genero suo Antipatro, vt mallet cum fratre redire in gratiam, quam paternum hostem in Macedoniam admittere: inchoatam autem inter fratres reconciliationem cum præsensisset Demetrius, Alexandrum per insidias interfecisse. Sed hæc obiter hoc loco dicta, suis temporibus iteranda erunt.

VI. APPVLEIVS porro Consul in Vmbria Nequinum oppidum circumsederat, locum arduum, & ex vna parte præcipitem, qui nec vi, nec munimento capi poterat. Itaq; infectam rem noui Consules accepere: vbi cum segni obsidione tempus tereretur, duo ex oppidanis, quorum erant ædificia iuncta muro, specu ad stationes Romanas itinere occulto perueniunt, inde ad Cõsulem, is erat M. Fuluius Pætus, siue Pætinus, deducti, præsidium armatũ se intra mœnia accepturos confirmant. Nec aspernanda res visa, nec incaute credenda, cum altero eorum, nam alter obses retẽtus, duo exploratores per cuniculum missi: per quos satis comperta re, trecenti armati, transfuga duce in vrbem ingressi, nocte portam, quæ subterraneo isti cuniculo proxima erat, cepere: qua refracta Cõsul, exercitusq; Romanus, sine certamine vrbem inuasere: sed & triumphantes, septimo Calend. Octobris, Romam redijsse Liuio tacente lapides Capitolini loquuntur. Eo Romani Coloniam aduersus Vmbros misere, quæ Narnia à flumine appellata est.

VII. T. MANLIO Coss. Hetruria sorte obuenit, qui vix dum ingressus hostium fines, cum exerceretur inter equites, ab rapido cursu circumagendo equo effusus, ex templo prope expirauit, tertius à casu dies mortem Consuli attulit. Quo velut omine belli accepto, deos pro se bellum commisisse Hetrusci memorantes, animos sustulere. Romæ tristis is nuncius fuit, tum viri desiderio, tum temporis incommoditate. Nam Hetruscis Galli iuncti ferebantur. Et reuera in Hetruscos illi inuaserant, sed pecunia victi, se belli socios pro hostibus fore spoponderunt, inde promissione, maligna interpretatione elusa, cum Hetrusca pecunia domum redicre. Ita quidem Liuius. At Polyb. l. 2. vbi plures Gallorum in Romanos irruptiones enumerat, hanc 30. an. post pacem ab eis cum Romanis initam dicit, & reuera hic annus 30. numeratur ab anno 424. quo rumor Gallici belli potius, quam bellum fuit: vtrobique nonus interpres tardior tribus annis est in sua Polybiana chronologia. Verum Polybius ait Gallus secum in expeditionem hanc transalpinos, à quibus vexabantur armis, muneribus allectos adduxisse, & cum eis per Hetruscorum fines, qui & ipsi expeditionis participes erant, impressione facta, prædam quidẽ magnam auertisse, & Romanis finibus incolumes excessisse: verum in patriam vbi redijssent, mutua cupiditate rerum captarum impulsos ad seditionem, & prædæ & exercitus sui bonam partem amisisse. Sic Polyb. nec facile dixerim vter maiorem mereatur fidem, id lectoris eruditi iudicium esto.

VIII. Sextus Valerij Corui consulatus. ROMAM nihilominus metus occupauit, vt auctor est Liuius, iussurique erant patres, vt M. Valerius Coruus Dictator diceretur, sed consentientibus omnibus centurijs, Cõsul in locum demortui suffectus est, qui sextus atq; vltimus eius consulatus fuit. Sex eius consulatus memorat Cic. in Catone maiore. M. quidem Valerium Coruinum accepimus ad centesimum annum vitam perduxisse, cum esset exacta iam ætate in agris, eosq; coleret: cuius inter primum & sextum consulatum sex & quadraginta anni interfuerunt. Ita quantum spatium ætatis maiores ad senectutis initium esse voluerunt, tantus illi cursus honorum fuit. Eadem habet fere totidem verbis Plin. additq; in sella curuli semel ac vicies sedisse, quoties nemo alius, id est, vicies ac semel curulem gessisse magistratum. Plutarchus in Mario quinq; tantum & 40. primum inter & vltimum consulatum interijcit. Valerius autem Maximus ann. 47. qui vtiq; proxime omnium ad veritatem accessit. 7. c. 48. .c. 24.

IX. NAM si, vt constat, anno ab vrb. cond. 405. consul fuit cum M. Popilio Lenate, certe vsq; ad 454. qui nunc agitur, 48. anni numerantur, etiam non computatis extremis. Deinde quod Valer. eum scribit tertium ac vigesimum ann. ingressum, consulem factum esse, idque Liuius quoque l. 7. tradit, qui & adolescentem vocat, dubium reddit vitæ Coruini diuturnitas. Nam si centesimum annum attigit, 28. annos sine consulari magistratu egerit, etsi viribus mẽtis ac corporis valens, quod videtur postulare, vt grandiorem natu factum consulem primum suspicemur. Verum nihil affirmarem, nisi animaduerterem non temere virum eruditum, & diligentem Cuspinianum suspicari eum decem ab hinc annis fuisse Consulem cum Nuctua, & pro 46. annis 56. esse legendum: sic autem dicendum esset hunc consulatum, in quo suffectus est, non esse numerandum: & certe initium senectutis, de quo loquitur M. Tullius, rectius in quinquagesimum sextum annum quadrabit, quam in quadragesimum sextum.

X. ADVENTV noui, eiusdemq; veterani Consulis Hetruscos compressit, adeo vt nemo extra munimenta egredi auderet: nec vlla aut agrorum vastatione, aut villarum incendio elici possent ad pugnam. Verum dum hoc bellum segnius geritur, bellum à Samnitibus renouari, se ad illud inuitari, Picentes noui socij nunciant. Itaque magna pars curiæ ab Hetruscis ad Samnites versa est, contra quos bellum anno proximo redintegratum est. Liuius lib. 10.

ANNVS MVNDI 3756. SEXTAE AETATIS 240. Imp. Græcorum, & Seleuci. 14. Ptolemæi Lagidæ 27. Simonis Pont. 3. Olymp. CXX. An. 3. Archonte Mnesidemo. Vrbis Cond. 455. Coss. L. Cornelio Scipione, & Cn. Fuluio Max. Centumalo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 297.

I. *Mors filij & uxoris Cassandri.* CASSANDRO mortuo successit in regno Macedoniæ Philippus filiorum eius natu maximus, qui haud diu tenuit regnum Macedonum, vt ait Plutarchus in Demetrio, & Iustinus init. l. 16. vt propterea Cassandri regis, filijque eius Philippi continuas mortes appellet, quæ causa fuit, vt eum Eusebius in chronico prætermiserit. *Et reliquorum contentio.* Thessalonice Regina, ait Iustinus, vxor Cassandri non magno post tempore, ab Antipatro filio, cum vitam etiam per vbera materna deprecaretur, occiditur. Causa parricidij fuit, quod post mortem mariti in diuisione regni inter fratres propensior fuisse in Alexand. videbatur, quod facinus eo grauius omnibus visum est, quod nullum maternæ fraudis vestigium fuit. Quamquam in parricidio nulla satis iusta causa ad sceleris patrocinia prætexi potest. Ita Iustin. & *Sub fi. l. 1.* post eam Paulus Orosius. Sed cum Antipater etiam fratrem Alexandrum regno pellere conaretur, is belli socios euocauit ex Epiro Pyrrhum, ex Peloponneso Demetrium, vt & maternam cædem vlcisceretur, & regnum suum conseruaret: quo tamen eum spoliare vterque vehementer ambiebat. Pyrrhus, vt inquit Plutarchus, maturauit venire, at Demetrius alijs rebus occupatus, tardius venit. Rem autem ab Alexandro contra Antipatrum fratrem, auxilio Pyrrhi gestam, in annum sequentem cum Sigonio differemus.

II. *Sociorum ad Romanos de Samnitibus querela.* PICENTES imminentis belli à Samnitibus nuncij fuerant, quo iam pressi Lucani Romam querelas deferunt ad nouos Coss. quia nequiuerint se conditionibus pellicere ad societatem armorum, Samnites infesto exercitu ingressos, fines suos vastare, belloque ad bellum cogere: omnia tamen malle perpeti, quam deinceps violare Romanos. Itaque orare patres, vt & Lucanos in fidem accipiant, & vim, atque iniuriam ab se Samnitium arceant: & in fidei pignus etiam obsides offerunt. Sic Liuius. Sed hæc explicatius, & fortassis etiam verius habet Dionys. Halycar. in excerptis legation. Et ait ille quidem bellum occasione Lucanorum à Romanis contra Samnites esse susceptum, non tamen Samnites priores aggredi voluisse Romanos, aut contra eosdem Lucanos conatos compellere.

III. *Ex Dionys. Halycar. belli huius occasio.* AIT ergo bellum Samniticum denuo hac occasione excitatum, quod Samnites aduersus Lucanos gentem finitimam dudum arma sumpserant, vetere quadam simultate impulsi. Id bellum cum Lucani ferre non possent, sed omnibus prælijs inferiores discederent, & multis iam locis amissis, de reliqua etiam prouincia sua periclitarentur, Romam ad opem implorandam confugisse: & quia olim fidem fefellerant (id factum ante ann. 28. vrb. cond. 427.) ex vnaquaque ciuitate nobilissimos pueros cum legatis obsides misisse: Senatum accipiendos obsides, & iungendam cum Lucanis amicitiam decreuisse, idque populo probatum esse.

Romani Samnites monent. Pacto cum Lucanis per legatos fœdere, legat Senatus viros ætate, atque honore præstantes, qui Samnitum consilium adeunt, Samnitibus significant Lucanos amicos ac socios esse populi Rom. rogantq; vt rum ademptum Lucanis agrum restituant, tum nihil amplius hostile in eos admittant.

IV. *Samnites superbe agunt.* QVIBVS auditis indignari Samnites, ac negare ea conditione pacem à se cum Romanis initam, vt eorum iniussu neminem liceret, vel hostem, vel amicum ducere: deinde fœdus cum Lucanis non antiquum esse, sed recens, cum iam Samnitium hostes essent, atque ita nec iustum, nec decentem soluendi fœderis prætextum à Romanis quæri. Cum vice versa Romani legati superbe à Samnitibus deuictis obedientiam exigerent, abire iussi sunt, & vtrimque bellum in Romanos decretum ac paratum est. Hæc fere Halicarnassæus in reliquijs amissi operis, & quantouis auro redimendi: vbi etiam addit speciosam Samnitici belli causam fuisse Lucanorum protectionem, qui ad ipsos confugissent, occultam vero, & quæ amicitiam dirimere cogebat, fuisse Samnitium crescentem in dies potentiam, quæ subactis Lucanis, aliisq; deinceps, Romanos etiam ipsos subiugare possent. Sed redeamus ad Liuium, qui mauult semper belli iustitiam Romanis adscribere. *Vera belli causa.*

Dvo ergo conscripti sunt exercitus, Scipioni Hetruria, Fuluio Samnites obuenerunt, diuersique ad suum quisq; bellum proficiscuntur. Verum Scipioni segne bellum, & simile prioris anni expectanti, hostes ad Volaterras occurrerunt: vbi maioris partis diei pugnam, incertamq; victoriam, nox diremit, atq; patefecit. Hostis quippe intempesta nocte castris desertis, discedens victum sese confessus est. V. *Duo in Samn. Hetruriam & Samnium.*

Fuluius autem in Samnio claram de Samnitibus ad Bouianum victoriam retulit, & aliquot vi captis oppidis Romæ triumphauit Idib. Nouemb. vt habetur in Fastis, vbi tamen etiam de Hetruscis triumphasse legitur, contra quos non ipse, sed Scipio eius Collega pugnarat.

ANNVS MVNDI 3757. SEXTÆ ÆTATIS 241. Regni Græcorum & Seleuci. 15. Ptolemæi Lagidæ 28. Simonis Pont. 4. Olymp. CXX. An. 4. Archonte Antiphäde. Vrb. Cond. 456. Coss. Q. Fabio Maximo IV. P. Decio Mure III.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 296.

CERTABANT inter se odiis, armisque Antipater & Alexander fratres, Cassandri filii, quorum ille Lysimachum Thraciæ regem, eundemque socerum sibi habebat fauentem: hic autem Pyrrhum Epirotarum regem, atque Demetrium. Verum Lysimachus, atque Demetrius aliis occupati negotiis, suis clientibus mature adesse non potuerunt. Affuit atque occurrit Alexandro Pyrrhus, eiusq; ope rem contra fratrem ipsius Antipatrum bene gessit, eique nonnullas Macedoniæ vrbes eripuit. Sui autem auxilii mercedem postulauit Nymphæam regionem Macedoniæ maritimam: atque ex prouinciis adiectis Ambraciam, Acarnaniam, Amphilochiam. Cedente his adolescente, tenuit ea sibi, & præsidiis firmauit, reliqua quæ detraxit Antipatro, parauit illi. I. *Filij Cassandri mutuo pugnant in suam perniciem.*

LYSIMACHVS autem qui genero opem armis ferre non poterat, fraude Pyrrhum ab Alexandro auertere conatus est. Cum enim sciret Pyrrhum omnia Ptolemæo Lagi gratificaturum (eum quippe parentis loco habebat, propter vxorem Antigonem, filiam Berenices vxoris Ptolemæi) literas adulterinas Ptolemæi nomine ad Pyrrhum misit, quibus ei author erat expeditionem in Antipatrum omittendi, mercede ab eo accepta trecentorum talentorum. Sed fraudem Pyrrhus agnouit, quod epistola solita consuetam salutationem non ostenderet, Pater filio S. D. sed Rex Ptolemæus Regi Pyrrho. Nihilominus fœdus erat inituros, sed ostento superuenientre arietis sponte mortui, pacem diremit. Hæc ex Plutarcho in Pyrrho. Iustinus addit, vt ante dixi, Lysimachum verentem aduentum Demetrii, persuasisse genero suo Antipatro, vt mallet cum fratre in gratiam redire, quam paternum hostem in Macedoniã admitti: verum inchoatam reconciliationem, Demetrii aduentus euertit. Cæterum ex eodem Plutarcho, Pausanio & Iustino, quos Sigon. Temporar. aliique merito sequuntur, corrigendus est Eusebius in Chron. Græco Latinoque, vbi Antigonum & Alexandrum filios Cassandri ponit, pro Antipatro & Alex. quod miror neq; Pontacum, neq; nostrum Gordonum, neq; emendatorem temporum emendasse. II. *Lysimachi fraus pro Antipatro inanis.*

IN comitiis consularibus, cum fama Hetrusci, Samnitici que belli Romæ terrorem attulisset, omnes in Q. Fab. III. *Q. Fabius rursus fit Consul. Liuius l. 10.*

Max. primo non petentem, deinde, vt inclinata studia vidit, etiam recusantem conuertit. Sed cum ea modestia populi fauorem augeret, vt ne audiri quidem legem, deinteriicendo inter Consulatus eiusdem decennio, pateretur (lata fuerat ea lex anno ab Vr. Con. 412. C. Marcio, & Q. Seruilio Hala Coss. sed raro obseruata fuit.) Illud certe Fabius, cedens populi voluntati petijt, atq; impetrauit, vt eundem Decium Murem Collegam haberet: Recte porro notauit hic Glareanus, obliuione lapsum videri Liuium, in hac lege vsurpanda, cum hic annus 11. esset à quo Fabius Consul fuerat, à 445. videlicet ad 456. consentiente Onuphrio, Pighio, Temporario, & Sigonio, qui Glareanum in Liuianis commentarijs male ea nomine reprehenderat.

Lex de non iterando Consulatu. Liuij lapsus.

IV. *Consul vterque diuersa via Samnium inuadit.*

Qvoniam vero perferebatur, ab Hetrusceis de pace publica agitari consilia, Coss. vterq; in Samnium profecti sunt, Fabius per Soranum agrum, Decius per Sidicinum: vterque populabundus per hostium graditur fines, sed hostis ad Tifernum occultam valle latitans deprehensus est, vbi se è loco superiore Romanos ingressos inuasurum sperabat: verum patefactis insidijs ad apertam vim descensum est. Samnites siue quia quidquid erat in tota ditione roboris contraxerant, siue quia de summa rerum pugnabant, siue quia animos aduersus Romanorum superbiam iusta indignatio faciebat, iuxta ea quę ex Dionys. anno superiore diximus, tam generosos se in acie præstiterunt, vt quocunque tandem Romanorum conatu, nusquam de gradu suo mouerentur, vt Fabius ad equites mitteret tribunos, vt si quando vnquam equestri ope adiutam Remp. meminissent, eo die anniterentur, & reliquam spē in eorum impetu esse positam: qui tamen irritus fuit. Nam aduersus incitatas turmas stetit immota Samnitum acies, neeparte vlla loco pelli, aut perrumpi potuit.

Samnitum in pugna virtus.

V. *Tandem victi.*

Donec subtracti quidam è legionibus Romanis occulto circuitu, ex montibus descendere visi sunt, terga hostiū inuasuri, quos cum alterum Consulem esse cum exercitu iactasset Fabius, tantum animi, viriumque additum est Romanis, quantum Samnitibus detractum. Ergo ne fessi obijcerētur integris, passim in fugam dissipati sunt, 3400. cæsi, capti trecenti ferme & triginta, signa militaria tria & viginti capta.

Apuli a Decio deuicti.

Samnitibus Apuli se ante prælium coniunxissent, ni P. Decius Coss. ijs ad Maleuentum castra obiecisset, extractosque deinde ad certamen fudisset. Vbi duo millia hostium cæsa: spretoq; mox hoste Decius in Samnium legiones duxit. Ibi duo Consulares exercitus diuersis vagati partibus omnia spatio quinque mensium euastarunt, 40. & quinq; loca in Samnio fuere, in quibus Decij castra fuerunt, alterius Consulis sex & octoginta. Fabius etiam vrbem Cimetram cepit, vbi capta armatorum 2400. cæsi ferme pugnantes ad 430. Inde comitiorum causa Romam profectus est.

VI. *Suspecta fides.*

Mihi autem fateor permirum videri, post tantam hoc vno anno, vt mittam cæteros factam hominum cædem, tantum captiuorum in vna prouincia numerum, tantam totius agri, ad 130. & amplius loca, inductam vastitatem, non dicam ad vnum annum, sed ad triginta minimum annos non fuisse debellatum. Certe plerisque locis videmus hostilis vastitatis vestigia, ad integra sæcula remanere, nec populum armatam iuuentutem ad plurimos annos posse sufficere. Hic autem singulis annis Samnites ingentibus affecti cladibus, quotannis, quasi ex inferis redituri existerent, in prælio armatas acies proferunt. Proximo enim anno, & alijs deinde consequentibus pugnatur in Samnites, & clades cladibus aggeruntur. Verum de his nos dubitasse contenti, veritatem autori veritatis Deo permittamus.

* * † * *

ANNVS MVNDI 3758. SEXTÆ ÆTATIS 242. Imperij Græcorum, & Seleuci. 16. Simonis Pontif. 5. Ptolemæi Lagidæ 29. Olymp. CXXI. An. 1. Archonte Nicia. Vrb. Cond. 457. Coss. Appio Claudio Cæco II. Et L. Volumnio Flamma II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 295.

I. *Demetrius vastat Samariam.*

Tradit Eusebius hoc anno ineuntis Olympiad. centesimæ vigesimæ primæ, quæ rursum victorem in stadio celebrauit Pythagoram: Demetrium Samaritanorum vrbem vastasse, quam Perdiccas, inquit, construxerat: quæ posterior pars in Græco textu non legitur: ipsius autem rei gestæ historiam nusquam apud Iosephum, aut alibi reperio. Tenuisse hoc tempore Demetrium bonam Syriæ partem argumento est, quod nuper à Seleuco genero stomachabundus discesserat, recusatis Tyro & Sydone, quas etiam abiens præsidijs firmauerat. Quoniam vero Syriam nuper Ptolemæus tenuerat, credibile est Samaritas pro eo stare voluisse, & victos à Demetrio fuisse, atq; vastatos.

Venit ad Alexandrum Cassandri.

Inde Demetrius rebus Alexandri compositis, ad eum venit; cuius Alexander potentiam atq; autoritatem veritus (cum exercitu enim aderat) ei ad Dion obuiam processit, atq; illum quidem salutauit, comiterq; accepit, sed res suas negauit iam præsentiam eius requirere. Hinc mutuæ extiterunt suspitiones, quæ proximo anno in Alexandri cædem erupere.

II. *Imperium prorogatum Coss. prioribus.*

Hoc quoq; anno Q. Fabium Consulem comitia creaturæ erant, nisi is obnixe restitisset. Id maxime nobilitas vrgebat, & Appius Claud. Consulatus candidatus, cupiēs vtrumque è patritijs creari Consulem. Verum Fabius in sententia perstitit, & Appio datus est collega Vulumnius, qui primum cum eo Coss. fuerat. Veteribus nihilominus Coss. imperium in sex mēnses prorogatum est, quorum Decius in Samnio adhuc restiterat, nec desinebat agros populari, nusquam Samnite ad prohibendum occurrente, donec eum finib. suis pulsum, Hetruriam petere compulsit, vbi illi principum Hetruriæ concilium petiere, omnemque mouerunt lapidem, vt viribus omnibus Romani, pro sua ipsorum libertate, armis peterentur.

Decius oppida Samnij expugnat.

Interea Decius destitit in Samnio vicatim circumferre bellum, & in præcipua oppida arma conuertens Murgantiam, Romuleam, Ferentinum vi cepit, multisq; hominum millibus cæsis captisq; ac, diripuit, etsi quidam partem gloriæ huius ad Fabium deriuent: alij eam ninorum Consulum, aut etiam vnius Volumnij fuisse dicant, vt est apud Liuium. *libro 10.*

III. *Appius & Volumnius in Hetruria rem bene gerunt.*

In Hetruria interim bellum ingens multis ex gentibus Romanis concitur, autore Gellio Egnatio Samnite: ideoque etsi Volumnius iam in Samnium cum exercitu profectus erat, alterum tamen exercitum cum altero consule Appio in Hetruriam mitti placuit, vt vel præsentia Romani exercitus hostem contineret. Appius ibi rem parum feliciter gerebat, parumq; erat militibus acceptus, togæ scilicet magis, quam sagi peritus. Itaque milites, Appij nomine literas ad Volumnium accersendum misere. Qui cum venisset, mirari Appius, negare à se euocatum, deteriorem in partem aduentum interpretari, hominem à se in prouinciam suam dimittere. Et ille quidem abiturus erat, sed contentiosissima militum postulatione ac vociferatione retentus est, & vna cum Appio fœliciter cum hoste pugnauit, æmulatione socij vtrinsq; vim atque industriam acuente. Appius in ipso prælij aditu templum Bellonæ vouit, eamque victricem agnouit, castra capta direptaque, præda ingens parta, & militi concessa est. Septem millia ac trecenti hostium occisi, bis mille centum & viginti capti.

IV. *Samnites Campaniam infestant.*

Dvm hæc ab vtroque Consule aguntur in Hetruria, & Fabius Deciusque explero prorogati imperij tempore Romam reuersi sunt. Samnites Campaniæ agrum populationibus infestant. Dumque Volumnius magnis itineribus redit in Samnium, terrificus rumor prius Romam

per-

peruenit, qui veris falsa permiscens iustitium indici, & omnis generis hominum delectum haberi, quasi in Gallico tumultu coegit, & vero etiam Galli ingenti precio sollicitati ferebantur. At Volumnius vt in Calenum agrum venit, & ipse vidit recentis cladis vestigia: & Caleni narrarunt tantum iam prædæ hostes secum trahere, vt agmē via explicare possent, tanto illos opportuniores plagis ratus Consul, captata matutini temporis, quo agmen cum præda expediebat hostis, commoditate, omnia terrore, fuga, cædibus repleuit. Captiui deficiunt, & Romanis iuncti, in prædones suos arma conuertunt, quæ in sarcinis deligata rapuerant: & memorabili facinore ducem ipsum Egnatiū inuadunt, captumque ad Romanum Consulem rapiunt. Cæsa ad sex millia hostium, duo millia & 500. capti: in eis tribuni militum 4. signa militaria triginta, & quod lætissimum erat, captiuorum recepta 7400. præda ingens sociorum, accitis dominis restituta. Tam læti nuncij Romā delati, Senatum magna parte curæ exonerarunt, & remisso decem & octo dierum iustitio, lætæ supplicationes Consulis nomine decretæ sunt, & de colonijs eo deducendis, quæ præsidio regioni forent deliberatum est: sed grauis, ac multiplicis belli imminentis cura, eam cogitationem disiecit, atque in aliud tempus distulit.

Romani Volsinios affligunt cædit. [margin note, partly legible]

Ingens victoria.

ANNVS MVNDI 3759. SEXTÆ ÆTAtis 243. Imperij Græcorum & Seleuci Nicanoris 17. Simonis Pont. 6. Ptolemæi Lagidæ 30. Olymp. CXXI. An 2. Archonte Nicostrato. Vrbis Cond. 458. Coss. Q. Fabio Max. Rulliano V. P. Decio Mure IV.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 294.

I. *[illegible] Demetrius.*

SABBATICVM an. 168. Hierosolymis agebant Iudæi, cū interim Macedoniam ambiebat Demetrius, vt exitus ipse patefecit, neque id ignorabat Alexander, qui quem acciuerat ad se, grauiter ferebat præsentem, ac cupiebat vel longe dissitum, vel occisum, & vero etiam destinabat cædi, vt author est Plutarchus in Demetrio, pergentique ad cœnam, cum esset inuitatus ab adolescente Demetrius, indicat non nemo insidias, cædem ei inter pocula parari. Ille nihil attonitus, verum iter suum minus maturans, imperauit ducibus suis vt copias in armis tenerent, cubicularijsque ac ministris, quotquot eum sequebantur (erant hi longe quam Alexandri plures) vt in triclinium comitarentur se, ibique dum exurgeret, remanerent. Hoc veriti Alexandri ministri, non sunt ausi eum aggredi. Demetrius autem simulans corpus suum ad compotationem nō esse cōparatum, cito est digressus. Postridie iussit vasa conclamari, noua negotia sibi oblata dicens: orauitque Alexandrum vt de maturiore abitu ignosceret sibi, alias vbi vacaret, futurum se cum eo diutius. Gauisus est Alexander non infensum, sed vltro ea ditione sua Demetrium digredi, atque in Thessaliam vsque est eum prosecutus.

II. *Larissæ Alexandrum occidit.*

VT ventum est Larissam, iterum alter alterum, molientes inuicem insidias, inuitauerunt ad conuiuia, quod Alexandrum maxime fecit Demetrio ad cædem opportunū. Nam cum cauere sibi nollet, ne cauere vicissim doceret illum, dum cunctatur efficere ne ille euadat, insidijs, quas machinabatur, est occupatus. Quippe ad cœnam vocatus venit ad Demetriū. Vt hic media cœna surrexit, trepidus Alexāder vna surrexit, & vestigijs eum ad fores secutus est. Vt ergo peruenit Demetrius ad fores, vbi stabant stipatores eius, hoc solum locutus, Cæde sequentem, egressus est, Alexander vero ab ijs est trucidatus, vnaque qui opem ferebant amici eius, quorum vnum dum obtruncarent, dixisse referunt, vno die Demetrium eum anteuertisse.

III. *Conciliat sibi Macedones, & fit rex.*

TVMVLTVM ea nox, qualem verisimile est, habuit. Vbi diluxit consternans Macedonibus, & Demetrij formidantibus copias, eus Demetrius aduocatos, nulloque oblato terrore, benigne allocutus est, nec prolixa oratione ad factum purgandum opus fuit. Cum enim Antipatrum odissent matris parricidam (nondum enim erat extinctus) neq; haberent præ manibus meliorem, Regem illum Macedonum appellauerunt, receptumq; deduxerunt in Macedoniam, vbi anno sequenti regnare cœpit, vt author est Eusebius. Hæc ea Plutarcho tradimus: Iustinus tamen mutuas insidias non agnoscit: sed totam in Demetrium culpam conijcit, qui veritus fratrum recōciliationem, quæ authore Lysimacho cœperat coalescere, Alexandrum per insidias interfecerit. Nec admodū probabile est adolescētem pene precario regnantem, (Nam partem vnam regni Antipater, alteram Pyrrhus, tertiam via ipse tenebat) non maluisse Demetrium potentem seruare amicum, quam incerto, ac pernicioso conatu velle perdere, præsertim regni finibus iam egressum. Et hæc anno Hebræorum sabbatico 168. gesta sunt.

Iustino [illegible] probabilior.

IV. *Hetruriæ bellum ingrauescit.*

L. VOLVMNIVS Romam comitiorum causa reuocatus erat, cum crebræ ab Appio, qui in prouincia cum exercitu restiterat, literæ deferuntur ad Senatum, Hetruriæ bellum ingrauescere, quatuor gentes arma conferre Hetruscos, Samnites, Vmbros, Gallos, castra iam bifariam facta esse, quod tantam multitudinem locus vnus capere non posset. Ergo conuocatum ad comitia populum hortatur Volumnius, vt meminerint se Consules duos aduersus 4. populos deligere, se, nisi confideret eum populi consensu declaratum iri, qui tum primus ductor habeatur, Dictatorem fuisse extemplo dicturum. Neminis dubium erat, quin Q. Fabius omnium consensu destinaretur, eumque & prærogatiuæ, & primo vocatæ omnes centuriæ Consulem cum L. Volumnio dicebant. Fabij oratio fuit qualis ante bienniū, deinde vt populi consensu vinci se animaduertit, populum exorauit vt consuetum sibi Collegam Decium restituerent. Nec repugnauit Volumnius, qui expertus esset in Appio, quam periculosa esset mutua ducum dissentio. Impetrauit Collegam Fabius, nec Volumnius propterea honore priuatus est, ei quippe in annum hunc imperium prorogatum est.

V. *Et Fabius & Decius designantur.*

Q. ERGO Fabius V. P. Decius IV. Consulatum ineunt, tribus Consulatibus, Censuraq; collegæ, nec gloria magis rerum, quæ ingens erat, quam concordia inter se clari. In prouincijs tamen accipiendis nonnulli certamen ferunt. Quod Decius vellet rem de more sorti committi, Fabius extraordinariam, quam Senatus de se fecerat, electionem tueri. Verum cum populi iudicio res permissa esset, non minore populi consensu quam Senatus prouincia Hetruria extra sortem Fabio decreta est. Inde concursus ad eum factus iuniorum, et nasuspicijs militare cupientium, è quibus 4. millia peditum duntaxat, equites sexcentos elegit. Cum quibus ad Appij castra, quæ sibi tam insignem rectorem gratulabantur, peruenit, eumque Romam Prætorem remisit. Qui cum Romæ Hetrusci belli terrorem, vt literis ante fecerat, ita verbis augeret, vnumque parem 4. populis esse non posse contenderet, reuocatus est Romam Fabius, vt de tota re ipse audiretur. Ibi alieno magis timori indulgens, quam suo, aut reipub. periculo, rogauit, si belli sibi adiutorem dari vellent, vt Decium collegam darent. Sin Collega quid aliud malit, sibi L. Volumnium darent adiutorem. Cumq; omnes omnia Fabij arbitrio permisissent, Decius ei socius, summa omnium gratulatione datus est, Volumnius in Samnium iter fecit.

Ingens Fabij gratia.

Cum Decio Hetruriam adit.

VI. *Senones vnā legionem cū Scipione delent.*

ANTEQVAM Coss. in Hetruriam peruenirent, Senones Galli multitudine ingenti ad Clusium veniunt, vbi L. Scipionem proprætorem, cum vna legione vndiq; circūuentum, oppressere, vt ne nuncius quidem cladis superesset. Nec ante huius cladis fama ad Consules delata est, quam Gallorum equites in conspectu essent ouantes de victoria. Id primum Consules mouit, vt alios duos exercitus Hetruriæ oppositos haud procul vrbe, quibus Cn. Fuluius, & L. Posthumius præerant, vnus in Falisco, alter in agro Vaticano, euocarent ad fines Hetruriæ populandos, vt dum hi ad tuendos fines suos accurrerent, minus hostium simul expugnandum Consulibus relinquerent. Consilium autem hostibus erat vt ne simul in aciem descenderent, sed Samnitibus Galli iuncti pugnam inirent, inter ipsum autem certamen Hetrusci Vm-

Coss. hostium copias distrahunt.

briique Romana castra oppugnarent: quæ caussa fuit Fabio satagendi per Fuluium, & Posthumium, eos à se inuicem distrahendi. Idq; ex sententia successit: instituere inde Coss. vt ijs absentibus pugnaretur.

VII. *Pugnant cū Gallis & Sānit.* Post velitationes aliquot, tertia die cum omnibus copijs in campum descensum est. Dextro cornu Galli, Sinistro Samnites constiterunt. Primo concursu adeo æquis viribus gesta res est, vt si affuissent Hetrusci, & Vmbri, aut in acie, aut in castris, quocunque se inclinassent, accipienda clades fuerit. Romani apud Fabium arcebant magis, quam inferebant pugnam, vt fatigatos facilius prope recentes sternerent. *Prouidentia.* Quia ita persuasum erat duci, Samnites & Gallos primo impetu feroces esse, quos sustinere satis sit; longiori certamine sensim residere Samnitium animos, *Iugiū Liuij notādum.* (& cui non mortalium hominum?) Gallorum quidem etiam corpora intolerantissima laboris atque æstus fuere, primaque eorum prælia plusquam virorum, postrema minus quam fœminarum esse. Ita Liuius, quæ ineptè quis, & præter mentem autoris, retulerit ad eos, qui nunc Galli, siue Franci appellantur. *Ad Italos pertinere.* Nam Senones illi Galli, Itali omnino sunt, quos Strabo circa Flaminiam, Polybius in Piceno collocat.

VIII. *Decius se vouet dijs manibus.* Decivs autem quidquid virium habuit primo certamine effudit, tum pedestri pugnæ, equestrem substituit, contendens vt ab læuo cornu, in quo ipse pugnabat, victoria inciperet. Iamque bis Gallicum equitatum auerterat, cum è curribus pugnātes hostes superfusi, insolito fragore ac tumultu Romanorum equos conterruere. Ita victorem iam equitatum velut lymphaticus pauor dissipat, sternit inde ruentes equos, virosq; improuida fuga: simulque hostis acrius territis fugientibusque instabat. Cū Decius exemplum patris secutus, se, hostesque dijs manibus, *Et occiditur.* M. Liuio pontifice præeunte deuouit. Sicque in confertissimam Gallorum coniecit aciem, vbi telis infestis interfectus est. Idq; quarto eius Consulatu contigisse scribit Cic. in Catone maiore. Hic terrorem diuinitus iniectum, ac stuporem hostibus, tradit Liuius.

IX. *Fabius demūque vincit.* Inde Fabius, qui cunctando extraxerat diem, acrius instare hosti cœpit, dum interim præfectos equitum ad latus Samnitiū circumducere alas iussit, & in transuersos quanto maximo possent impetu transcurrere. Nec sustinuere Samnites impetum, quin præter ipsam Gallorum aciem, relictis in dimicatione socijs, ad castra effuso cursu ferrentur. Interea Galli, ait Liuius, testudine facta conferti stabant, (quorum tamen postrema prælia minus quam fœminarum esse dicebat) sed neque ij adhuc victi, donec à tergo circumuenti, & templum à Fabio Ioui victori votum est. Cæsa eo die hostium 25. millia, 8. capta. Nec incruenta *Quæ vtrinque clades.* victoria fuit, ex P. Decij exercitu cæsa 7000. ex Fabij 1200. spolia hostium in aceruum congesta, Ioui victori cremata sunt. Consulis corpus postridie inuentum, omni honore, *Fabij triumphus.* laudibusq; celebratum est. Fabius relicto in Hetruria Deciano exercitu, suis legionibus deductis ad vrbem, de Gallis, Hetruscis, ac Samnitibus triumphauit, milites donis affecti.

X. *Quid de hoc bello Polybius.* Polyb. l. 2. hunc annum quartum numerat à proxima cum Hetruscis expeditione, atque in agro Camertiorum (Liuius Clusinos vocat) cum Romanis acie dimicasse, & magnam eorum cædem fecisse. Romanos vero clade accepta vehementius irritatos, paucis diebus interiectis copias eduxisse, tandemque omnibus legionibus in agro Sentinati inito prælio, partem maximam illorum concidisse, reliquos effusa fuga in sua quemque compulisse. Hæc nouus interpres in annum vrbis 459. retulit, qui est tantū 458. *Pestilentia.* nec ann. ille 459. respondet Archonti Nicostrato, nec an. 2. Olymp. 121. Fuit etiam hic annus victoribus pestilentia grauis, vt fatetur Liuius. Orosius autem hanc cruentam, inquit, tristemque victoriam pestilentia ciuitatis onerauit, & triumphales pompas obuiæ mortuorum exequiæ polluerunt. Nec erat cui de triumpho gaudium suaderetur, cum tota ciuitas aut ægris suspiraret, aut mortuis.

XI. *Res gesta in Perusinos.* His rebus ista gestis nondum in Samnio, aut Hetruria pax erat. Nam Perusinis autoribus, post deductum à Consule exercitum, rebellatum fuerat, & Samnites in agrum Romanum prædatū descendere, Fabius 4. millia & quingentos Perusinorum occidit, cepit ad 1740. qui redempti sunt, præda militi concessa.

Et Samnites tum vagranti eorum clade. Contra Samnites Appius ac Volumnius infestissimis animis pugnauere, hinc ita stimulante aduersus toties rebellantes, illinc ab vltima iam spe dimicantibus. Cæsa ergo Samnitium 16300. capta vero 2700. è Romano exercitu 2700. occisi. Nec tamen in tot cædibus, & tot annorū bellis prope semper aduersis, abstinere bello poterant: adeo ne infœliciter quidem defensæ libertatis tædebat, & vinci malebant, quam non tentare victoriam, vt ait hoc loco Liuius. Cæterum quod hunc ann. 6. & quadragesimū numerat à M. Valerio Coru. & A. Cornel. Cosso Coss. qui primi Samnio arma intulerunt, aperte constat eum annos tres, 420. 444. & 452. quos ex tabulis capitulinis, cum Sigonio, Onuphrio, Stephano Pighio, alijsq; interiecimus, non agnouisse. Cuspin. etiam hoc loco fatetur Liuium 45. *In quos ad annos 48. pugnatū est.* tantum Consulatus habere. Cum autem illi Coss. fuerint an. 410. nō duodecimo, vt Glareanus putat, certe ad hunc vsque ann. non 46. sed 48. numerantur. Sigonius quoq; in Fastis agnoscit Liuium ab hac supputatione discedere, etsi aliter in suis in Liuium scholijs. Sed de his satis.

ANNVS MVNDI 3760. SEXTAE AETAtis 244. Imp. Græcorum, & Seleuci. 18. Simonis Pontif. 7. Ptolemæi Lagidæ 31. Olymp. CXXI. An. 3. Olympiodoro Archonte. Vrb. Cond. 459. Coss. L. Posthumio Megillo, & M. Attilio Regulo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 293.

I. *Demetrius fit Rex Macedonum.* Demetrivs extincto Alexandro hoc anno regnare cœpit in Macedonia, vt Eusebio placet, licet adhuc Antipater viueret, sub cura Lysimachi, distulisse porro videtur in hunc annum Demetrius, ne præpropera Regni Macedonici occupatio, ambitiosam in Alexandrum crudelitatem, & perfidiosa auxilia patefaceret.

Cum ergo in Macedoniam ab Alexandri cæde cum eius comitibus reuertisset, non abhorruerunt qui dum ita erant ab hac mutatione Macedones, memores semper Cassandri scelerum, quæ in Alexandrum magnum defunctū admiserat, & proinde liberis eius infesti. Quod si qua etiam memoria veteris Antipatri superesset, hæc quoque Demetrio fauebat, quod Philam eius filiam in matrimonio haberet, atque ex illa filium Antigonum Gonatam, regni successorem iam adultum, qui castra patris sequebatur. Hæc fere Plutarch. in Demetr. nec admodum diuersa Iustin. lib. 16.

II. *Recuperat liberos & vxorem.* Hoc rerum secundarum cursu Demetrius accipit liberos suos, & vxorem, quos Ptolemæus expugnata Salamina Cypri comprehēderat, ab eo cum muneribus honoribusque dimissos, parem scilicet reddens gratiam Demetrio, quam ab eo multos ante annos acceperat. Affertur etiam filiam eius Stratonicem, quam Seleuco in matrimonium dederat, Antiocho Seleuci filio nupsisse, ac superiorum *Nouercæ illi priuigno nupsit.* prouinciarum renunciatam reginam. Seleucus enim filio suo eam perdite amanti cesserat, arte Erasistrati medici, quam historiam fuse in Demetrio narrat Plutarchus. Qui deinceps refert Demetrium vindicata Macedonia, etiam Thessalia potitum: cumq; magna ex parte Pelopōnesum, Megaram, atq; Athenas teneret, bellum mouisse Bœotijs, & pacem cum eis æquis conditionibus confecisse, quæ tamen non diuturna fuit: eorum defectionem Sigonius in annum seq. refert.

III. *Attilius male gerit cū Samnitib.* Samnivm ambobus Coss. decreta est prouincia, quia fama erat tres scriptos hostium exercitus, vnū Hetruriam, alterū Campaniæ populationem repeti, tertium tuendis finibus parari. Et quoniam Posthumium aduersa valetudo Romæ tenuit, Attilius extemplo profectus, obuios habuit Samnites, in Samnij finibus, vt vterque exercitus vim alterius à suis finibus propulsaret. Cum castra castris collata

essent,

essent, Samnites audax facinus densa nebula tecti aggressi sunt. Hac enim velut latebra insidiarum fieri, vixdum satis certa luce, & eam ipsam premente caligine, in castra necopinati peruenerunt, militem segniter agentem vigilias opprimunt. Quæstorum capiunt, Quæstorem Opimium Pansam occidunt, & antequam satis parati essent ad repugnandum Romani, vel in ipso tumultuario conflictu, ad 230. de suis amiserunt, plures etiam de Samnitibus desiderati dicuntur.

IV. Ea fama L. Posthumium viadum validum coegit ea vrbe proficisci, & Soram cum exercitu, indeque in Samnium ad castra Collegę perrexit. Samnites qui gemino exercitui se impares agnoscebant, in munitas vrbes recepere se. Quos Posthumius insecutus, Milioniam, post diutinam oppugnationem, occupat, ioca 4. ipsas horas pugnat, Samnitum 3200. cædit, cap. 4200. præter prædam aliam. Ferentinum noctu à ciuibus desertum, sicut & pleræque aliæ vrbes, quibus Consul sine pugna potitus est.

Alteri porro Consuli M. Attilio nequaquam tam facile bellum fuit. Nam ad Luceriç fines cum ei Samnites occurrissent, atrox prælium atque anceps fuit, Romanique vulneribus animisque fracti, pleni luctu in castris victos se ferebant: quod si tum superuenisset hostis, facile totum exercitum deleturus videbatur. Minus cladis cæterum non plus animorum apud hostes erat, & prima luce abire sine certamine cupiebant, sed eam capere viam, qua ad Romanorum castra inuadenda ferri videri poterant.

V. Hic Attilius militem arma capere cunctantem increpat, hostem iam imminere castris, eis nisi victoriam pugnando amplectantur, aut mortem aut seruitutem patiendam. Illi negant quidquam sibi virium, aut sanguinis superesse, hesterna pugna esse confectos. Denique tantum profecit vrgendo, ac vociferando Consul, vt legati, tribuni, ductores ordinum, & cum ijs magna pars equitum, peditumque arma corriperet: at neque viriliter neque animose, sed mœsti ac prope victi procedunt aduersus hostē. Samnites autem rati necessitatem sibi pugnæ à Romanis afferri, ad eam se comparant: neutris tamen erat animus ad pugnandum, diuersique, atque intacti abijssent, si alter alterius nosset animos. Denique paululum à Consule irritata pugna est, sed eam mox fuga Romanorum subsecuta est: & Samnites terga cædebant. Cum Attilius Ioui Statori, Romuli exemplo ædem vouet, & simul cædem suis in castra tendentibus minitans, & fugientibus equites opponens, qui aut redintegrare pugnam cogerent, aut suorum ferro perire, eos conuersa facie in hostem remittit.

VI. Omnes ergo annisi ad restituendam pugnam, facile Samnitem non nimis auidum pugnæ superauere, dum à fronte pedites, à tergo equites circumuecti medios vndiq; cædunt. Captiuorum numerus fuit 7300. qui omnes nudi sub iugum missi, cæsos retulere ad 4800. Ne Romanis quidem læta victoria fuit, amissi biduo 7300. Ergo Romæ triumphū peteti negatus est, etsi Romam venienti altera ei de Samnitibus Interamnæ coloniæ prædatoribus victoria contigisset. Consul alter Posthumius, quia in Samnitibus materia belli deerat, in Hetruriam traducto exercitu rem bene gessit, multa hominum millia partim cecidit, partim cepit: tres validissimæ vrbes Hetruriæ capita, Volsinij, Perusia, Arretium pacem petiere, inducias in 40. annos impetrauere, mulcta in singulas ciuitates imposita. Quas ob res cum Consul triumphum à Senatu peteret, nec impetraret, siue quod tardius ex vrbe exisset, siue quod iniussu Senatus è Samnio in Hetruriam transisset, ad solatium etiam Collegæ in æquata repulsa, ad populum confugit, & auxilio trium tribunorum plebis, aduersus intercessionem 7. tribunorum, & consensum Senatus, diem populo celebrante, triumphauit. Hoc anno inchoatam Romæ pestilentiam, quæ triennio continuo durauit, autor est Valer. Maximus, quæ aduectu Æsculapij sedata dicitur, anno ab V.C. 461.

ANNVS MVNDI 3761. SEXTÆ ÆTATIS 245. Imperij Græcorum, & Seleuci. 29. Simonis Pontif. 8. Ptolemæi Lagidæ 32. Olymp. CXXI. an. 4. Archonte Philippo. Vrb. Cond. 460. Coss. L. Papyrio Cursore, & Sp. Caruilio Maximo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 292.

I. Multos deinceps annos prætoribus Atheniensibus vacuos, imo omnes perpaucis exceptis habebimus, quoniam iamdudum nos Diodorus Siculus deseruit, & hunc Philippum vltimum suggerit Dinarchus Halycarnassæi, vbi dicitur sub hoc Archonte reditum datum esse à Demetrio, & alijs exulibus, & Dinarcho oratori septuagesimum tum annum agenti. Cum autem ibi catalogū Prætorum 68. duntaxat contexuerit, perspicuum est duos casu aliquo excidisse, quos ex Diodoro suppleuimus.

Hoc anno Cleonymus Lacon Acrotati Regis Spartanorum frater, & Arei regis patruus, Thebas cum exercitu intrauit, Bœotiorum animos ad defectionem erexit, annitente Piside Thespiensi, qui ciuium princeps erat opibus ac dignitate. Verum Demetrius mox Thebas machinis admotis obsedit. Perterritus aūt subduxit se ex vrbe Cleonymus, Bœotij deditionem fecere. Demetrius imposito vrbi præsidio, magnaq; exacta pecuniæ summa, relicto etiam eis procuratore ac præside Hierone historiographo, clementer cum eis egit, Pisidis potissimum causa, quē captum, non modo nulla affecit iniuria, sed Polemarchum etiam Thespijs creauit. Plutarc. in Demetr.

II. Interea Lysimachus cum bello Dromichetis regis Thracū premeretur, ne eodem tempore aduersus Demetrium, prospera tum fortunæ vtētem, regemq; Macedoniæ declaratum, dimicare necesse haberet, parte Macedoniæ, quam ipse pro genero suo Antipatro matricida habebat, Demetrio tradita, pacem cum illo fecit. Sicque ille male quæsita recte perdidit, & quæ ab inuito genero acceperat, inuitus dedit: Demetrius autem totam obtinuit Macedoniam, exceptis ijs, quæ ab Alexandro Pyrrhus mercedis nomine extorserat, quod etiam belli, Demetrium inter & Pyrrhum, seminarium fuit. Verum Antipater, regnum sibi soceri fraude ademptum queritur: additur ei querelarum socia eius vxor Eurydice Lysimachi filia. At Lysimachus generum interficit, filiam in vincula conijcit. Atque ita vniuersa Cassandri domus, Alexand. magno seu necis ipsius, seu stirpis extinctæ pœnas, partim cæde, partim supplicio luit. Ita Iust. l. 16. De Seleuco autem ac Ptolemæo interea nihil traditur.

III. Romanas autem huius anni res ita Liuius aggreditur. Sequitur in hunc annum & Consul insignis L. Papyrius Cursor, qua paterna gloria, qua sua, & bellum ingens, victoriaque quantam de Samnitibus nemo ad eam diē, præter L. Papyrium patrem, Consul pepererat. Eam insignem fecit Samnitium apparatus, quorum tanto maior clades fuit, quanto maior fuerat ad eam vitandam contentio. Ad Aquiloniam vrbem 40. millia militum conuenere: edictū quippe fuerat, vt qui ad Imperatoris mandatum non conuenisset, quiue iniussu abisset, eius caput Ioui sacratum esset. Ibi medijs in castris, aras inter & cæsas victimas, & circumstantes strictis gladijs centuriones, nobilissimi quique sigillatim iureiurando spondebant, se nihil eorum, quæ eo loco visa, audita ue essent, enunciaturos.

IV. Deinde iurare cogebantur diro quodam carmine, in exsecrationem capitis, familiæq; & stirpis composito, nisi isset in prælium, quo imperatores duxissent, si aut ipse ex acie fugisset, aut si quem fugientem vidisset, non extemplo occidisset. Id primo quidam abnuentes iuraturos se, circa altaria obtruncati sunt, iacentes deinde inter stragem victimarum, documento cæteris fuere ne abnuerent. Primoribus Samnitium ea detestatione obstrictis, decem nominati ab imperatore sedecim millia elegere, quæ legio linteata dicta: ab integumēto quo sacrata in ijs nobilitas erat ornata. His arma insignia data; & cristatæ galeæ, vt

inter cæteros eminerent. Paulo plus 20. millium alius exercitus fuit, non linteatæ legioni apparatu, aut gloria dispar. Totus hic exercitus ad Aquiloniam consedit.

V. *Catulius Amiternum, Papyrius Duroniam expugnat.*

COSS. ambo ex vrbe in Samnium profecti. Prior Carnilius, cui veteres Attilij copiæ Interamnæ relictæ traditæ sunt, dum Samnites sese execrationibus obligant, eis vi eripit Amiternum, cedit hominum 2800. c. 4270. Inde Papyrius cum nouo exercitu Duroniam expugnauit: minus quã collega cepit hominum, plus aliquanto occidit. Inde Carnilius ad Cominium, Papyrius ad Aquiloniam, vbi summa rei Samnitium erat, peruenit. Nec gemina Romana castra plusquam 20 millib. aberant à se mutuo, vt sibi consilio, auxilioq; adesse possent. Ergo conueniunt vt eodem die Cominium Catulius quanta maxima vi posset obsideret, ne quid auxilij socijs ad Aquiloniam laborantibus vrbana afferre possent.

VI. *Papyrius suos excitat.*

NEC minus interea Papyrius militem suum pugnæ desiderio incendit, & contemptu replet apparatus superstitiosi, atque magnifici, qui, vt olim contra Papyrium patrẽ, gloriæ victoribus futurus sit, non tegumento victis. Adfuturos Romanis immortales deos, cõtra tot fœderum violatores, qui nulli vnquam exercitui visi sunt infestiores, quam qui nefando sacro, mista hominum, pecudumq; cæde respersus esset, ancipitique Deûm iræ deuotus. Hæc aliaq; Papyrius apud Liuium: quæ retigisse voluimus, vt ipsis quoque ethnicis execrandas, & superis inuisas crederas duceremus eiusmodi execrationes: quibus tamen Deciorum deuotiones affines fuisse, earum verba solennia satis declarant. Iam pene ventum erat ad pugnam, cum pullarij auspices altercari inter se cœperunt, cum vnus tripudium solistimum, ac prosperum nunciasset, alter ambiguum diceret. Rem Papyrius contempsit, atque pugnam parauit. Cum à pullarijs auguribus, ait Oros. à vana coniectantibus congredi prohiberentur, irridens eos Papyrius consulum feliciter confecit bellum, quod constanter arripuit.

Execrationes hostium, & suorum auguria contemnit.

Oros. l. 3. c. 22.

VII. *Pugnat ad Aquiloniam.*

VENTVM est ad pugnam, aciem Papyrius ordinat. Promouent & signa Samnites, insequitur acies ornata, armataque, vt hostium quoq; magnificum spectaculum esset. Ornata dicit illa sedecim millia, armata reliqua, quamquam & vtraque acies sine dubio armata erat. Sed Romanos ardor animi, ira, spes, odium Samnitium fœdifragorũ, & conscia virtus impellebat ad pugnam. Samnites iam toties victos, necessitas, ac religio inuitos magis resistere, quã volentes pugnare cogebat, nec primum clamorem, atque impetum Romanorum sustinuissent, ni potentior ille metus insidens pectoribus, à fuga retineret. Quippe in oculis erat omnis ille occulti sacrificij apparatus, & armati sacerdotes, & promiscua hominum, pecudumq; strages, & respersæ fando nefandoque sanguine aræ, & dira execratio, ac furiale carmen detestandæ familiæ, stirpique compositum. Quo minus autem fugæ fuit, hoc magis bacchata est cædes.

VIII. *Victoria, cum ingenti Samnitum cæde.*

CVM autem apparuit à colle Sp. Naucius, qui iussu Cos. longe maiorem quam pro militum numero puluerem, etiam trahendis arborum ramis excitabat, & Consul clamauit adesse alterum Consulem capto Cominio, simulq; ex condicto prouolãtibus in hostem equitibus, ilicet funduntur linteatæ cohortes, & iurati pariter iniuratique fugiunt, ad castra pedites, equites Bouianum, aut potius Aquiloniam, vt legendum puto, compulsi. Mox Volumnius castra cepit. Scipio etiam vrbẽ aliquanto post facta testudine, perruptisque portis, potitus est: nocte oppidum ab hostibus desertũ est. Cæsa illo die ad Aquiloniam 30340. capta 3870. signa militaria 97. Aufugere ergo ad mille & octingentos.

IX. *Cominium expugnatum.*

EADEM fortuna ab altero Consule ad Cominium gesta res est, totis copijs corona cinxit vrbem, subsidiaq; firma, ne eruptio fieret, portis opposuit, scalas ad muros ferri omnes ex patria iussit, ac testudine ad portas successit, simul & refringebantur portæ, & vis vndique in muros fiebat. Quibus occupatis, Samnites in medium densati forum, paulisper pugnam tentauere, deinde abiectis armis ad 15400. in fidem Consulis venere, cæsa ad 4380. Vterque ex alterius sententia Consul captum oppidum diripiendũ militi dedit: exhaustis deinde tectis ignem iniecit: eodemque die Aquilonia, & Cominium deflagrauere. Coss. cum mutua gratulatione castra iunxerunt, & milites donis ornauere.

Ex direptione...

Tres aliæ vrbes captæ in Samnio.

Inde vt perdomitum Samnium insequentibus Coss. tradi posset, quando nullus exercitus hostium erat, qui signis collatis dimicaturus videretur, vrbium oppugnationes aggressi sunt. Catulius tres vrbes breui tempore cepit Volanam, Palumbinum, & Herculaneum, in quibus aut capta, aut cæsa decem millia hominum. Papyrius ad Sepinũ diutius hæsit, tandẽ vrbẽ expugnauit, ideoq; plus cædis in ea editum, 7400. cæsi, capta minus 300. millia hominũ.

Itemque Sepinum.

X. *Vterque Consul triumphat.*

INTERIM cum in Hetruscos rebellantes, eisque adiunctos Faliscos ducendus esset exercitus, sors Catulio fauit secundum vota militum, qui vim frigoris iam in Samnio non patiebantur. Ibique re bene gesta Romam ad triumphum venit. Sed prior Papyrius magna cum gloria, militũ ornamentis atque donarijs, & spolijs Samnitium magnificis, quæ decore ac pulchritudine paternis comparabãtur, quæ visebantur in publico, triumphauit: multum æris argentique in ærario fuit conditum. Ædem Quirini à Dictatore patre votam, filius Consul dedicauit, & hostium spolijs exornauit. A triumpho exercitum in agrum Vestinum, quia ea regio à Samnitibus infesta erat, hybernatum duxit. Catulius quoque, vt minus splendidum de Samnitibus triumphum egit, ita cumulo Hetrusci belli Papyrij Collegæ gloriam æquauit.

XI. *Primum coronatorum, & palmarum...*

Hoc anno, qui est vrbis 460. vt numerat etiam Glareanus, cum Cuspiniano, Sigonio, Pighio, Temporario, coronati primum, ob res bello bene gestas, ludos Romanos spectauerunt, palmæque tum primum, translato è Græcia more, victoribus datæ. Verum dum Romani tam multa hominum millia in Sabinis, & Hetruscis morti dant, vicissim eos vlta pestilentia populatur, præter multa Romanorum millia in prælijs & obsidionibus desiderata, vt tam multis rebus lætus annus, vix ad solatium illius mali suffecerit. Quæsitum remedium, aditi libri: inuentum est Æsculapium ab Epidauro Romam accersendum: id in ann. seq. dilatum, hoc vnum diem Æsculapio supplicatum est. Sed hic quoq; annus luctuosus historiæ Romanæ contingit, quo nos Liuius, amissa secunda decade, ad quinque & 70. an. deserit, annis nobiscum 460. decursis.

Pestilentia Romæ.

ANNVS MVNDI 3762. SEXTÆ AETATIS 246. Imperij Græcorum, & Seleuci 20. Simonis Pont. 9. Ptolemæi Lagidæ 33. Olymp. CXXII. Ann. 1. Vrbis Cond. 461. Coss. Q. Fabio Gurgite, D. Iunio Bruto Scæua.

ANNVS ANTE CHRISTVM 291.

I. *Lysimachus male pugnat, & capitur.*

LYSIMACHVS in pœnam prodit anno superiorẽ generi, atque occisi, hoc anno ineuntis Olympiadis centesimæ vigesimæ secundæ, in qua Antigonus quidam Macedo optimus cursorum fuit, cum Dromichete Thraciæ rege pugnat infeliciter, ac capitur. Quapropter, vt scribit Plutarch. in Demetr. properante in Thraciam Demetrio, & sperante vacuam se occupaturum, defecerunt iterum Bœotij, simulq; nunciatur Lysimachum dimissum esse. Igitur confestim ira flagrans Demetrius retro recepit se, expertus dum temere quis aliena festinat inuadere, iuste amittere sua. Verum Demetr. inuenit Bœotios iam acie à filio suo Antigono cæsos, ac Thebas iterum obsedit.

Bœotij à filio Demetrij victi. Thebæ obsidentur.

Depopulante autẽ Thessaliam Pyrrho, & vsq; ad Thermopylas excurrente, relinquens ad continuandam obsidionem Antigonum, contendit in illum. Qui cum propere fugisset, decem millib. peditum, & mille equitibus ad præsidium Thessaliæ relictis, rursus pressit Thebanos, machinamq; Helepolim instituit vrbi admouere, tanto labore, vix vt duobus mensibus duo stadia promoueretur.

II. *In magnum adit discrimen Demetrius.*

IN ea obsidione tum multos amisit milites, ingemiscente nequidquam Antigono eius filio, tum ipse vitæ graue discrimen adiit, eius enim collum acuto telo traiectum

est.

IMPERII GRÆCORVM AN. 21.

est. Nec tamen obsidione destitit, donec vrbe tandem potitus est. Vrbem ingressus minas, & terrorem præ se tulit, quasi atrociter in eos consulturus, sed tredecim interfectis, & nonnullis in exilium pulsis, cæteros noxa liberauit. Ita vrbi Thebanæ accidit, vt cum fuisset haud dum decem annos instaurata, bis hoc spatio caperetur. Ita Plutarch. in Demetrio, itaq; etiam habetur in Græco: minime dubio vtrobique error, siue is exscribentium, siue Scriptoris fuit. Constat enim restauratas à Cassandro Thebas Olymp. 116 an. 2. vnde ad hanc diem fere sex Olympiades, quæ quatuor & viginti annos explent, numerantur.

Totam captam, vt pote in se fuit.

ann. mun. 3739 n. 12. Tyrann. Athenas agit.

Instantibus Pythijs ludis, cum angustias apud Delphos insedissent Ætoli, ludum & festum egit apud Athenienses, quasi illic potius colere deceret Apollinem, qui scilicet præses vrbis esset, & originis eorum perhiberetur author. Sic Plutarch. ibid. Ex quo intelligimus etiam Pythia an. 3. Olymp. solita celebrari: minus tamen frequentata initio tradunt, nono scilicet quoq; anno. a

a Vide 3. post. Scal. c. 23.

b L. 3. c. 22.

II.
Fabius Gurges male re gesta, patris opera redintegratur.

De rebus à Fabio Gurgite gestis hæc habet Orosius, b Fabius Gurges Consul male aduersus Samnites pugnauit. Namq; amisso exercitu victus in vrbem refugit. Tria millia Romanorum cæsa scribit Eutrop. Itaque cum Senatus de eo summouendo deliberaret, pater eius Fabius Max. ignominiam filij deprecatus, legatum se filio iturum victo obtulit, si illi depellendæ ignominiæ, & gerendi iterum belli facultas daretur. Qua impetrata, prælioque conserto, cum subito pugnantem filium Consulem, insistente Pontio Samnitum duce, & infestis hostium telis conclusum videret, in medium se agmen pius senex, equo vectus ingessit. Quo facto permoti Romani tota ibi incubuere acie, donec ipsum ducem Pontium, deleto hostili exercitu, victum; oppressumque ceperunt. Cæsa sunt in eo prælio Samnitum viginti millia, capta autem 4. millia cum Rege suo: tandemq; Samniticum bellum, quod per 49. an. multa Romanorũ clade trahebatur, capti ducis destructione finitum est. Sic Oros. Liuij Chronologiam secutus, qui an. vrbis 458. 46. belli Samnitici numerauit, vt ibi diximus.

Pontius dux Samnitum capitur.

IV.
Non bellũ Samniticum tunc terminatum. Quando Imperium filij patr. tom. 2.

CÆTERVM non est mens Orosij hoc anno prorsus terminatum bellum Samniticum, quod mox ipsemet redintegratum narrat. Sed bellum Samniticum, huius an. 49. morte Pontij ducis terminatum. Florus in epit. ait Fabium Gurgitem de Samnitibus triumphasse, C. Pontium imperatorem Samnitium ductum in triumphum, securiq; percussum: verum triumphus ad annum seq. pertinet. At Zonaras scribit iuniori Fabio datũ à principio legatũ Fabium patrem, illumque præmature cum hoste pugnasse, veritũ ne si patris aduentum expectasset, non sibi, sed illi victoriæ gloria tribueretur. Verum Orosio, Floro, Eutropio potius assentiendum est: qui non nisi post acceptam cladem, Fabium filio legatum fuisse tradunt, Fabius Max. pater, inquit Florus, deprecatus hanc sibi ignominiam, eo maxime Senatum mouit, quod iturum se filio legatum pollicitus est. idq; præstitit &c. Nec videtur rationi consentaneum patrem tot magistratib. summis clarum, iampridem summæ autoritatis, & tunc vltimæ senectutis, filio legatum, nisi hac necessitate datum fuisse. Idem Zonaras alterum Consulem rem bene contra Faliscos gessisse, Sp. Caruilij ope, tradit.

ANNVS MVNDI 3763. SEXTAE AETATis 247. Imp. Græcorum, & Seleuci 21. Simonis Pontif. 10. Ptolemæi Lagidæ 34. Olymp. CXXII. An. 2. Vrbis Cond. 462. Coss. L. Posthumio Megello III. & C. Iunio Bruto Bubulco.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 290.

I.
Demetrius aitolos vastat.

CVm Demetrius Pythia egisset Athenis, in Macedoniam regressus est, vt habet Plut. in eius vita, & iratus Ætolis, qui ei aditum Delphicũ interclusérant, in eos mouit exercitũ. Nam neq; ipse ad quietem natus erat, & Macedonas in expeditionibus magis sibi audientes habebat quam domi, vbi eos seditiosos, & nouarum rerũ cupidos experiebatur. Vastatis ergo Ætolorum finibus, relictoque ibi, cum magna exercitus parte, Pantaucho, in Pyrrhum Epiri Regẽ arma conuertit, qui Thessaliã paulo ante populatus erat, eiq; pariter in Epiro gratiã repulsus Demetrius.

CERTAMEN PYRRHI & PANTAVCHI

II
certamen Pyrrhi & Pantauchi.

INTEREA autem Pyrrhus cum in Pantauchum incidisset, expediuit se ad prælium. *Concursus extitit militum acris, & ingens certamen, præcipue vbi duces agebant. Namq; Pantauchus virtute & manu, & viribus corporis inter Demetrij duces longe primus, audaxq; & animosus prouocauit ad congrediendum, secum Pyrrhum. Ex altera parte Pyrrhus fortitudine & gloria nulli regum secundus, & qui Achillis laudes studeret virtute sibi magis quam genere asserere, perrexit per antesignanos infestus in Pantauchum.*

Primum hastis velitati, inde comminus non solum arte, sed & lacertis gladios tractauerunt. Pyrrhus vno accepto vulnere, inflictis duobus, altero in femur secundum collum altero, pepulit, prostrauitq; Pantauchum, nec tamen occidit eum, amicis ipsum eripientib. Epirota victoria regis erecti, & virtutem stupentes, impressione facta Macedonum Phalangem propulerunt, tergisq; inhærentes fugientium magnum numerum interfecerunt, ceperunt quinq; millia. Hæc Plutarch. in Pyrrho: qui in Demetrio ait hac victoriã, Demetrij res potissimum afflictas, quod præter acceptam cladem, Pyrrhi virtus ac fortitudo Macedonum animos sibi vehementer conciliasset: quippe quem Alexandro magno audacia, & strenuitate simillimum agnoscebant, eaque opinio faciliorem ei aditum ad regnum Macedoniæ muniuit.

III
Triumphus Fabij Gurgitis. tom. 2.

Hoc anno Fabio Gurgiti, id nomen male deuorato patrimonio adeptum ait Macrobius, prorogatum est imperium, patris vt apparet studio. Id significat Zonaras. Ea de causa, inquit, cum ipsi Fabio honos est habitus, tum etiam filio permissum, vt etiam deinceps pro Consule imperaret: tum quoq; Patre legato vtens, qui nihil senectuti suæ parcens, ipse administrauit omnia, sed dissimulanter, vt à filio acta esse viderentur. Victos ergo Samnites castris exuit, agros vastauit, & ingentem prædam, partim militibus distribuit, partim in ærarium retulit. Sic Zonar. Valerius autem. c Idem Fabius, scilicet pater, triumphantis currum equo insidens sequi, quem ipse paruulum in triumphis suis gestauerat, in maxima voluptate posuit: nec accessor gloriosæ illius pompæ, sed auctor spectatus est.

c l. 5. c. 7.

IV.
Aesculapij Romam deportatio. d l. 3. c. 22.

Ad hunc ipsum annum pertinet Æsculapij Romam deportatio, altero scilicet anno, quam Gurges male pugnarat, vt ait Oros. d cui consentiunt Cuspin. Sigon. Idem innuit Liuius li. l. 10. Flori ex Epitome l. 11. res colligitur: *Cum ciuitas, inquit, pestilentia laboraret, missi legati vt Aesculapij signũ Romam ab Epidauro transferrent, anguem, quo se ipsum contulerat, in quo ipsum numen esse constabat, deportauere. eoq; in Tiberis insulam egresso, eodem loco sedes Aesculapij constituta est.* Auget miracula, siue mendacia Author lib. de viris illust. Romani, inquit, ob pestilentiam responso monẽte, ad Æsculapium Epidauro arcessendum decem legatos principe Q. Ogulnio miserũt. Qui cum eo venissent, & simulachrũ ingens mirarentur, anguis è sedibus suis elapsus, venerabilis, non horribilis per mediam vrbem cum admiratione omnium, ad nauem Romanorum perrexit, & se in Ogulnij tabernaculo conspirauit. Legati Deum vehentes Antiũ prouecti sunt, vbi per mollitiem maris, anguis proximum Æsculapij fanum petijt, & post paucos dies ad nauẽ rediit. Et cum aduerso Tiberi subueheretur, in proximam insulam desiluit: vbi templum ei constitutum, & pestilentia mira celeritate sedata est. Hæc ibi: quæ pluribus apud Valerium leges, e quod est de miraculis.

e l. 1. c. 8.
f l. 3. de ciu. c. 17

V.
Insultat huic superstitioni Aug.

INSVLTAT huic superstitioni D. Aug. f Vbi erant, inquit, illi dij, quando itidem alia intolerabili pestilentia, Æsculapium ab Epidauro quasi medicum Deum Roma aduocare; atq; adhibere compulsa est: & quoniam regem omnium Iouẽ, qui iam diu in Capitolio sedebat, multa stupra, quibus adolescens vacauerat, nõ permiserant fortasse discere medicinam. Nihil autẽ nulla narratur historia, quod non facile à veterno, & veteratore illo serpente, qui primæ parenti illusit, facile fieri potuerit. Motus enim ille omnis & quies, tanquam ab intelligente prouenisset, facilior fuit, quam imitatio locutionis humanæ.

ANNVS MVNDI 3764. SEXTAE AETATIS 248. Imperij Græcorum & Seleuc. 22. Simonis Pontif. 11. Ptolemæi Lagidæ 35. Olymp. CXXII. Ann. 3. Vrb. Cond. 463 Coss. P. Cornelio Rufino, M. Curio Dentato.

ANNVS ANTE CHRISTVM 289.

I. *Seleucus Iudæos ciuitate vbique donat.*

ANNO 3. Olymp. 122. Seleucus, vt Eusebio placet, in eas vrbes, quas extruxerat, Iudæos transfert, ius eis ciuium & municipalem ordinem cum Græcis æquali honore concedens. Vrbes autem intelligit, quas ante nominarat Antiochiam, Laodiciam, Seleuciam, Apameam, Edessam, Berœam & Pellam, primam à patre nominauit, alteram à matre, tertiam à se, quartam ab vxore, reliquas ab vrbibus Macedoniæ. Cæterum hæc Eusebius ex Iosepho *a* mutuatus est, vbi tamen nihil de translatione, sed tantum de concessione iure ciuitatis, honoris & officij causa. *Sed & ab Asiæ regibus*, inquit, *honorati sunt propter nauatam in militia bonam ac fidelem operam. Nam Seleucus cognomento Nicanor in conditis à se per Asiam, & inferiorem Syriam vrbibus, in ipsa denique metropoli Antiochia ius ciuitatis eis dedit, voluitque pares ibi cum Macedonibus, ac Græca conditione degere, quo iure nunc quoque viuunt inter eos homines.* Sic ipse.

a l. 12. c. 3.

II. *Pyrrhi excursus in Macedoniã regno Demetrio.*

PORRO Demetrius cum Pellæ Macedoniæ in ancipitem morbum incidisset, totam pene amisit Macedoniam, incurrente subito Pyrrho, qui vsque ad Edessam est progressus. Sic Plutarch. in Demetrio; in Pyrrho paulo latius. Nunciato, inquit, Demetrium esse graui morbo implicitum, irrupit in Macedoniam, quasi incursionem aliquam, & populationem facturus. Cæterum parum abfuit quin omnia simul occuparet, caperetque sine sanguine regnum, Edessam vsque progressus obsistente nullo, multis quoque ad eum deficientibus, & arma eius sequentibus. Id periculum Demetrium, vt præter vires ageret, excitauit. Amici eius & duces, breui ingentibus copijs contractis, impigre & alacriter in Pyrrhum mouerunt. At hic qui prædandi potius, quam bellandi causa venerat, non expectauit illos, sed fugiens partem exercitus in itinere, prementibus Macedonibus amisit. Nec Demetrius tamen, quod facile Pyrrhum & cito finibus suis summouisset, continuo contempsit eum. Sed quia res magnas animo agitabat, & paternum Asiæ regnum recuperare ingenti cum exercitu cogitabat, noluit cum Pyrrho confligari, vel vicinum relinquere Macedonibus durum & grauem. Verũ cum sibi non vacaret illum bello persequi, icto fœdere ac pace composita, expeditam sibi aliorum Regum aggressionem fecit. Ita fere Plutarch. Reliquum ergo tempus in apparatu Asiatico consumpsit, de quo commodius anno sequenti.

Fugatur.

Demetrius regnũ Asiæ cogitat.

III. *Quid Curius in Samnites.*

M. CVRIVM Romæ hoc anno Consulem agnoscit Cic. de Senect. Vixerat, inquit, M. Curius cum P. Decio, qui quinquennio ante eum Consulem se pro Rep. 4. Consulatu deuouerat. Est autem hic quintus annus à morte, & deuotione Decij. De re porro hoc anno gesta, ita scribit Orol. *b* Anno subsequente cum Sabinis Curio Cons. bellum gestum est: vbi quot millia hominum interfecta, quot capta sint, ipse Consul ostendit, qui cum in Senatu magnitudinem acquisiti agri Sabini, & multitudinem capti populi referre vellet, numerum explicare non potuit. Verum hæc de Samnitibus refert Victor de Viris illust. *c* & quidem longe probabilius. Nam Sabinus ager, vt vicinus Romanis, neque magnus erat, neque ignotus. Samnites autem ita domuit ad mare vsque superum, vt Samnitico bello finem imposuerit, & ad pacem petendam compulerit: cum quibus fœdus quarto renouatum esse scribit Florus: quod ipsum perpetuum non fuit, sed 9. post an. Tarentini belli occasione diremptum.

b l. 3. c. 22.

c c. 33.

IV. *Quid in Sabinos.*

CVM Sabinis etiam bellum gessit. Audi enim Florum in Epit. Liuij. Curius Dentatus Consul Samnitibus cæsis, & Sabinis, qui rebellauerant victis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magistratu triumphauit. Sic ipse. Comitem triumphi habuisse collegam Rufinum ex Plinio liquet, *e* qui eum triumphalem senem appellat, & Eutropin qui ambos Coss. contra Samnites missos refert, eosque ingentibus prælijs rem confecisse, & bellum contra Samnites post 49. annum sustulisse: certe ratio postulat, vt laboris socius, fuerit etiam honoris. Addit Victor. l. de vir. ill. etiam ouantem hoc anno Curium de Lucanis vrbem ingressum fuisse, contra quos Tyrrhenis auxilium ferre placuerat, vt habet Flor. in Epi. Ex quo intelligitur initium belli contra Lucanos, fuisse eorũ arma contra Tyrrhenos.

e l. 11. c. 11.

Tres triumphi & ouatio.

V. *Cur aurum Curio à Samnitibus oblatum.*

Ad hoc tempus referunt Steph. Pighius, Cuspinianus, Sigon. in Fastis illud Cicer. in Catone Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati ab eo sunt, non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit, sed ijs qui haberent aurum imperare. Id post tres M. Curij Triumphos contigisse tradit Plutarc. in Cat. maiore, & quidem in agello suo, vbi rapas elixabat. Ex quo colligi potest non missum aurum à Samnitibus hominis corrumpendi causa, vel vt mitius tractarentur, vt Valer. *d* & Cuspin. hoc loco arbitrantur, quippe iam bellum erat confectum, fœdus 4. renouatum, triumphus de ijs actus, Curius casæ suæ, ac rusculo restitutus, sed grati potius animi gratia, quod eius autoritate pacem neque meritam, neque speratam obtinuissent.

d l. 4. c. 3.

Eximiam viri continentiam etiam illud Aurelij Victoris ostendit, quod cum interuersæ pecuniæ argueretur, gutum ligneum, quo vti ad sacrificia consueuerat, in medium protulit, iurauitque se nihil amplius de præda hostili in domum suam conuertisse. Sic ipse, sed quando id factum fuerit non reperio.

De Vir. ill. c. 33.

ANNVS MVNDI 3765. SEXTÆ AETATIS 249. Imperij Græcorum, & Seleuci 23. Ptolemæi Lagidæ 36. Simonis Pont. 12. & vlt. Olymp. CXXII. ann. 4. Archonte Diphilo. Vrbis Cond. 464. Coss. M. Valerio Coruino. & Q. Cædicio Noctua.

ANNVS ANTE CHRISTVM 288.

I. *Obitus Simonis Iusti.*

REFERIMVS ad hunc annum mortem Simonis pontificis cognomento Iusti, Eusebium secuti, qui annum sequentem notat principio pontificatus Eleazari fratris eius, cum Simon pontificatum duodecim annis administrasset, ab initio Olympiadis centesimæ vigesimæ, vsque ad finem centesimæ vigesimæ secundæ. Qua in re potuit Torniellus Eusebium sequi, cum alium doctè haberet neminem, eiusque pontificatus ab eo notari initij, vel finis habere rationẽ, sed rem incertam ratus, eius pontificatus initiũ in Seleuci principia coniecit. Verum cum duo reperiantur pontifices Simones Oniæ filij, prior qui cognominatus si Iustus, & Iosepho teste fratrem habuit Eleazarum, & posterior, qui quartus est pontifex ab illo priore, & eius est nepos, non admodum celebris, dubium est vter in libro Ecclesiastici à Iehu Syrachide commendetur. Quo autem res tota sit apertior, series Pontificum, qui his temporibus ab Alexand. magno Pontif. gesserunt, sub aspectum vnum ponenda est.

l. 12. c. 2. c. 3. v. 2.

II. *Series Pontificũ Hebræorum ijs temporibus.*

1. IADDVS siue Ieddoa Pontifex Iudæorum, tempore Alexand. Magni. Iosephus l. 11. c. 8.
1. 2. Onias filius Ieddoæ sub Ptolemæo Lagida, à morte Alexand. Ioseph. l. 11. in fine.
12. 3. Simon filius Oniæ Iustus, qui & Priscus. sub eodem Lagida. Ioseph. l. 12. cap. 2. ante medium. ad Olymp. 120. Eusebius.
4. Eleazarus frater Simonis, quod filius Simonis paruulus esset: Iosephus, l. 12. c. 2. ab Olymp. 123. pontifex fuit Euseb.
5. Manasses Eleazari, & Simonis patruus, frater Oniæ, Pontif. assumpsit, Iosephus l. 12. c. 3. fine. viuo adhuc Philadelpho, ineunte Olymp. 131. Euseb.
31. 6. Onias Simonis Iusti filius. sub Ptolemæo Euergete. Iosephus l. 12. c. 3. fine. Euseb. in chron. n. 1771.
31. 7. Simon filius Oniæ. Iosephus l. 12. c. 4. fi. sub eodem Rege, apud Euseb.

III. 8. Onias filius Simonis, ad quem putatur scripsisse Arius Rex Lacedæmonum. Iosephus l. 12. c. 4. fi. & c. 5. qui etiam restitit Heliodoro. 2. Machab. 3.

Inde Iason & Menelaus vsque ad Mathatiam patrem Machabæorum. Ioseph. l. 12. c. 6.

III. *An Simon posterior in Scriptura commendetur.* a in chron. Olymp. 137. b in lib. Mach. in citat. ho ū pont. c a. m. 3737.

VT ergo ad dubitationem ipsam veniamus, nonnulli interpretes, Eusebium vt arbitror secuti, a in quib. est noster Serarius, b Sigonius l. 5. de Republica Hebræorum c. 2. Adrichomius, c præter Rabanum. Lyranum, Dionysium. Hi ergo Simonem, qui à Iesu Sirachide celebratur, Simonem secundum ordine, in hac tabula septimum fuisse putant. Eo argumento moti, quod qui hunc librum interpretatus est ex Hebræo, nepos Sirachidæ, meminerit Ptolemæi Euergetis, qui successit Ptolemæo Philadelpho filio Ptolemæi Lagidæ: & probabile sit impensius à Iesu Sirach extremo libero Ecclesiastici laudari Simonem quem viderit, & cuius virtutum testis fuerit. Addit Serarius id probari ex felicitate, quæ describitur c. 50. eius libri, quæ in priorem Simonem non cadit, cuius tempore Ptolemæus Lagides Hierosolymam cepit, & multa Iudæorum millia transtulit in Ægyptum: sed in posteriorem, qui fuit Antiocho Magno amicus, vt ait Philo Iudæus.

IV. *An potius prior refellitur contraria opinio.*

VERVM his facile responderi potest. Non est enim necesse si interpres, qui fuit ex filio nepos, fuerit tempore Euergetis, etiam auum sub eodem principe vixisse. Quin potius id argumentum hanc opinionem valide impugnat. Deinde cū laudario illa mortuo Simone facta videatur, vt illa verba significant, *qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum*: & in eius laudatione terminet librum suum author Ecclesiastici, nec Eleazari viri valde egregij meminerit, credibile est eum vltra Simonem Iustū diu vitam non produxisse: nedum ad Simonem secundum peruenisse, cuius pontificatus, à prioris morte distat annis circiter 57. Iam vero quæ felicitas sub Simone in Ecclesiastico describatur, non video, vt mox parebit. Et Ptolemæus Lagides, si Iosepho credimus, etsi Iudæos à principio acerbe & inclementer tractauit, postea tamen eorum fidelitate cognita, multa ex eis præsidia per arces disposuit, eisque Alexandrinæ ius ciuitatis, pari cum suis Macedonibus conditione dedit: adeo vt non pauci Iudæorum sponte in Ægyptum migrarint, partim terræ vbertate allecti, partim Ptolemæi erga gentem suam liberalitate.

V. *Tertia firmatur.*

MIRVM quoque à Sigonio & Serario viris peteruditis, dici præteritum ab Eusebio hunc priorem Simonem. In quo vtique falluntur: nam is aperte apud eum habetur sub Olympiadem centesimam vigesimam, tam in Græco, quam Latino textu: cuius etiam tam fratrem quam filium memorat Olympiade centesima vigesima tertia. Posteriorem etiam celebrat Olympiade centesima trigesima septima, anno decimo quinto Ptolemæi Euergetæ. Itaque hic Simon, quem hoc anno cum Eusebio mortuum ponimus, ille idem est quem eximie laudat Ecclesiasticus libri sui ca. 50. Itaque sentit Iansenius accuratus interpres, limatique iudicij vir, in commentarijs in illum librum. Torniellus d quoque, Genebrardus l. 2. chronol. Emanuel Sa. & Scaliger in Eusebium, e vbi illum propterea non male arguit anachronismi. Illud autem non bene, quod ait Sirachidem ponere Simonem Iustum inter vetustissimos, quos nunquam vidit. Apparet enim illum sub Simone viuere desijsse, qui eius successorem Eleazarum virum clarissimum in laudatorum virorum catalogo non posuerit. Sed illud magis in Scaligero reprehendendum, tam hoc loco, quam in l. 5. Emendationis temporum, vbi agit de initio Philadelphi, qui auum cum nepote confuderit, Iesum Syrachidem, cum interprete libri, qui Iesum istum appellat auum suum, vt videre est in prologo Ecclesiastici Itaq; non male nos eundem vicissim arguemus anachronismi annorum ferme 50.

d an. 3928. 6. ætatis. e n. 1785.

VI. *Laus Simonis, & res ab eo gesta.*

HIc ergo *Simon Oniæ filius Sacerdos magnus* c. 50. Ecclesiastici dicitur *in vita sua suffulsisse domū*, Dei scilicet, cui id nomen extra ordinem datur: sequitur enim, *& in diebus suis corroborauit templum*. Intelligendum est à tempore Zorobabelis & Esdræ aliqua collapsa, aut cum ruinam minatentur, sustentata fuisse, sic fere Iansen. & Torniel. Nec sane absurdum est eguisse templum restauratione: nam ab ann. 6. Darij Hystaspis, quo templum absolutum est, qui est 21. Imperij Persarum, ad hunc annum numerantur anni 230. Quod autem dicitur, *templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, & excelsi parietes templi*, obscurum sane est. deficiente historia, quæ id explicet, & miror locum nullibi à Villalpādo tangi, Lumē aliquot videor elicere ex Græco, vbi legitur in regijs Biblijs, ϰ̀ ἐπ' αὐτοῦ ἐθεμελιώθη ὕψος διπλοῦν: [illegible] ἱεροῦ, vel potius περιβόλου ἱεροῦ, vt habent Xisti codices, & Basileenses, alijq; omnes. Alioqui sententia non satis constat, quæ est huiusmodi, *& sub ipso fundata est altitudo duplex, munimentum excelsum periboli, siue ambitus templi.*

Persarum 230. A. Alexandro 10. Seleuci 23.

VII. *Templi substructio, & peribolus.*

VT hęc, & aliqua sequentia intelligātur, meminisse potes lector, quod alio loco dictum est, Salomonem dum in vertice montis Moriæ templum vellet extruere, illiusque montis vertex impar esset amplitudini ædificij, quod parabat, ab imis montis radicibus ingentes substructiones ædificasse, ad solum templi dilatandum & aggestam terrā sustentandam (aggesta, inquit Iosephus, ad quadringentos cubitos terra, eam vertici montis, in quo templum extructum est, æquauit) ipsius tamen substructionis altitudinē, ad trecentos tantum cubitos erigit Villalpandus, crassitudinem vero ad cubitos 50. præter anterides, siue erismata, quæ arcus obnitentes vocant, quorum crassitudo in imo ad 150. cubitos procurrens, sensim ascendendo minuebatur, vsq; ad 50. cubitos in summo. Cæterum in substructionis apice erat peribolus ambiens totum vndequaq; ipsū, ne quis obambulans ex alto in præceps rueret. Cum ædificaueris, ait Dominus, domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, in præceps ruente. Eum murum 70. coronam, alij peribolum appellarunt, cuius altitudinem, lōgitudinem, & latitudinem scriptura calamo vno definit, id est, senis cubitis, & palmo.

l. 8. c. 2.

Deut. 22.

VIII. *Simon quas substructiones renouauit.*

REDEAMVS ergo ad Simonem sacerdotem magnum. Is dicitur in vita sua suffulsisse domum, & in diebus suis corroborasse templum, quia has substructiones, quibus extrema sustentabatur templi area, à Chaldæis incendio disiiparas, à Zorobabele prætermissas, siue properante, sine regijs parcente sumptibus, ne eius liberalitate abuti videretur, ipse ædificauit. Earum dicitur altitudo duplex, vt habent Septuag. quia templum, qua parte altissimum fuit, non nisi 120. cubitorū fuit: substructio vero, à radice montis ad eius verticem, 300. id est, altior duplo, atque eo amplius. Et quoniam firmissimum erat id ædificium, dicitur munimentum excelsum periboli templi, quem scilicet peribolum in summa ora sustentabat. Et ne periboli nomen, quod in Græco est, quispiam aliorsum trahat, mox sequitur, *curam gerens populi sui, à casu*, pro quo in vulgata eodem sensu legitur, *qui curauit gentem suam, & liberauit eam à perditione*, videlicet iuxta legem Domini. Quod non intelligens Scaliger, pro λαοῦ quod habent libri omnes, ipse ναοῦ legi vult, ex malo ariolo, peior criticus in textum sacrum. Hoc autem facto, simul etiam *ingressum domus, & atrij amplificauit*, vt est in Vulg. quia excitatis vndique his molibus, laxior area tota circumquaq; facta est. Ex quibus vehementer arbitror confirmari fabricam Villalp. in templo Salomonis. Nec obstat, quod in vulgata, si quis nolit eam ex Græco textu explicari, dicitur altitudo templi fundata & excelsi parietes templi, cum expositio nostra templum ipsum nō attingat: templum enim aliquādo pro ipsa sola domo Domini accipitur, alibi autem passim, & nominatim hoc loco, pro complexu omnium ædificiorum, porticuum, arearum, ad ipsum pertinentium. Duplex ædificatio dicitur, quod duplo maior altitudine, vt dixi, & crassitie esset, reliquis quibuscunque templi muris.

λαοῦ πλησίως. Deut. 22. 8.

v. 5.

IX. *Et ciuitatem amplificauit.*

QVOD autem dicitur præualuisse amplificare ciuitatē, accipi quidem potest, vt verba sonant, de aucta ædificijs ciuitate, aut dilatatis pomerijs, vel ciuium amplificato numero, sed id non satis huic tempori videtur congruere, quo 120. Iudæorum millia Ægyptum incolebant, vt paulo ante cum Iosepho dicebamus. & reliquæ vrbes,

quas Seleucus in Asia, Syriaque extruxerat, in quas Eusebius in chronico scribit Iudæos à Seleuco fuisse translatos, innumeris Iudæis abundabant. Ideoque placet id de templo, cum omnibus suis atrijs, porticibus, cellis, ædificijs interpretari. Nam & hoc modo accipitur ciuitas apud Ezechielem cap. 40. vbi Richardus, Rectè dicitur hoc ædificium habere similitudinem ciuitatis, eo quod esset vndique cinctum muris, firmatum portis, multis stipatum ædificijs. Idem Lyranus, & Rabbini apud Villalpandum in eum locum: & verba sequentia in textu, *& ingressum domus, & atrij amplificauit*, quasi interpretando ponuntur, ad explicandum insequentem vocabuli ciuitatis acceptionem. Hæc est ergo prior Simonis laus à rebus ad templum gestis petita.

X. *Aliud Simonis opus.* Posterior autem est, quod *in diebus ipsius manauerunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum.* Significatur, inquit Iansenius, quod cum in diebus ipsius putei aquarum defecissent, deficientibus aquis, quæ per aquæductus in ciuitatem influere solent, opera Simonis rursum quasi mare abunde repleti sunt: ita vt curauerit aquæductus reparari & restitui: quemadmodum supra dictum est de Ezechia, quod induxerit aquas in ciuitatem: quæ facilis est, & expedita loci huius sententia. Tigurina: Huius temporibus receptacula aquarum assiccata sunt, æneaque fuit pars maris fere tertia. Vbi valde coactè mare vocat æneû, id est, siccum, quomodo cœlum æneum aliquando dicitur; sed hæc expositio id habet incômodi, quod nihil pertinent hæc verba ad laudem Simonis: tolerabilior est altera, quæ locum hunc ad mare æneum refert, quia in singulari legitur ἀποδοχεῖον receptaculum, vt significetur, mare æneum in restauratione templi factum fuisse multo minus, quam olim à Salomone: à Simone autem fuisse factû περίμετρον, id est, supra modum amplum, & capax: vel vt alij habent, τρίμετρον id est, triplo maius. Scaliger interpretatur, a cisternam quandam ab eo fuisse munitam laminis æneis, ad aquam continendam: vertique vult, sub eo laminis æneis instrata cisterna, cuius ambitus est instar maris, scilicet Salomonici. Sed hanc expositionem ipse conficit sibi, mutatis tribus vocabulis in voîco versu: nam pro ἠλαττώθη ἀποδοχεῖον χαλκός, ipse legit ἐλατώθη ἀποδοχεῖον χαλκῷ quo modo facile est quælibet loca, ad quem placebit sensum traducere.

a in Euseb. chronic. Olymp. 117.

XI. *Et Tornielli improbatur.* Torniellus hæc refert ad templi aquæductus, quibus cruor victimarum expurgabatur, quorum meminit Aristæas & Eusebius, adde & Hieron. & Septuag. apud Villalp. b Sed quod inuentionem horum aquæductuum Simoni tribuit, non sans mihi id probat. Nam absurdum est à sapientissimo Salomone, imo ab ipso architecto Deo nô fuisse prouisum, vt tanta sanguinis & sordium copia, quæ ex victimis colligebatur, non quam primum per loca subterranea ab hominum oculis abduceretur. Verum de aquæductibus Salomonis, Oziæ, Ezechiæ, vide Villalpandum. c Sed nec rectius colligere videtur ex cap. 47. Ezech. vbi dicitur, *Et ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad orientem, & descendebant in latus templi dextrum, ad meridiem altaris*, aliud fuisse templû Ezechielis, à templo Salomonis, quia si, inquit, aderant aquæ iugiter manantes, frustra fuissent Iuteres, & mare æneum. Non rectè inquam colligit. Nam hinc æque colligeretur, neq; Iuteres nec mare æneum in posteriori templo fuisse, quod absurdum est.

b to. 2. l. 4. 41. *c to. 3. l. 2. c. 13.*

Et de rebus à Simone gestis hactenus: nam gloriosi tituli ex varijs similibus congestis, qui ei celebrando tribuuntur, à Scriptura ipsa peti possunt; nobis ad Græcam Romanamque historiam transeundum est.

XII. *Demetrius studet recuperare regnû Asiæ.* Luctuosus oritur hic annus, iuxta Eusebij chronologiam, regi Demetrio, qui eum paternum Asiæ regnum recuperare contendit, proprium, & à se quæsitum Macedoniæ regnum amisit. Id ex Plutarchi Demetrio, & Pyrrho discemus. In priore loco, Instituerat, inquit, rem non exiguam, totum scilicet imperium, quod obtinuerat pater eius Antigonus repetere. Huic spei & molitioni respondebat apparatus. Siquidê exercitum habebat iam conscriptum, peditum centum millium, duobus millibus minus; ad hæc equitum paulo minus duodecim millia. Ad classem, nauium quingentarum paratam materiam. Et paulo post memorata naui 40. ordinum Ptolemæi Philopatoris, subdit. Tantis viribus Asiæ imminentibus quantas secundum Alexandrum nemo habuit, tres in Demetriû conspirauere, Seleucus, Ptolemæus, Lysimachus, qui cômuni nomine missis ad Pyrrhum legatis, hortati cû sunt Macedoniam vt asseretet, neq; duceret inducias, quas Demetrius non ipsi, ne bello lacesseretur, dederat, sed sibi sumpserat, quo bellum prius quibus vellet posset mouere.

Ei aduersarij Pyrrhum suscitant.

Id vbi probauit Pyrrhus, comitem se, d & belli socium eis iungit, sperans non difficilius Demetrium Macedoniâ amittere posse, quâ acquisierat. Nec spes frustra fuit, quippe exercitu eius corrupto, ipsoq; in fugam acto. Macedoniam occupauit. Ita Iustinus paucis, quæ ex Plutarch. loc. citatis supplenda sunt. Alia ergo machina vsi sunt reges ad Pyrrhum, quem bellatorem egregium didicerant, ad bellû rupto fœdere aggrediendum. Lanassa Agatoclis Syracusani tyranni filia, Pyrrho nupta, Corcyram oppidum à patre captum, in dotem attulerat, ex eaque Pyrrhus duos susceperat liberos, Alexandrum, & Olympiadem. Verum Lanassa Pyrrho infensa, quod plus deditus esset vxorib. barbaris, Corcyram marito repudiato recessit, cupidaq; regij connubij, acciuit Demetrium, sciens eum præ cæteris regibus facilem ad nuptias contrahendas. Demetrius Corcyram nauigauit, acceptaq; in matrimonium Lanassa, præsidium reliquit in oppido.

d Iustin. l. 16. XIII *Qui mouet reges fuit.* *Et interim vxoria. Lanassa marito repudiato.*

XIV. *Demetrium Ptolemæus Seleucus, Lysimachus Pyrrhum mouent.* Seleucus ergo & Ptolemæus monent Pyrrhum per literas, ne cum in multa distractum Demetrium nunc e a igore Macedonia valeat, præstolerur dum sibi sit pro aris & focis in Molossis dimicandum cum vacuo, & viribus aucto, idque Corcyra nuper per eum cum vxore capta. Hęc cum ad Pyrrhum scripsissent reges, cum eo cuncti Demetrium Asianam expeditionem agitantê inuaserunt. Nam Ptolemæus Lagi cum magna classe in Græciam profectus, ciuitates sollicitauit, & aliquas ad se pertraxit. Eodem têpore superiorem Macedoniam Lysimachus ex Thracia, ex vicino Pyrrhus excursionibus populati sunt: in Berœam enim mouit, sperans quod euenit, dum occurrit Lysimacho Demetrius, inferiora regni vacua relicturum.

XV. *Aureus adit in Lysimachum.* Demetrius multis malis circumuentus, Asiæ concilia necessario distulit, non abiecit: filium Antigonum in Græcia reliquit, ipse ad tuendam Macedoniam primum petijt Lysimachum, quod nihil sibi à Pyrrho, fœdere non ita pridem coniuncto timeret. Verum dum Demetrius occurrit Lysimacho, Pyrrhus nocturno Alexandri magni visu ac promissione roboratus, raptim per interiecta loca exercitu ducto, Berœam vrbem in Emathia regione Macedoniæ occupauit. Quo nuncio omnia apud Macedonas in exercitu Demetrij perturbata sunt, omnia gemitu ac querelis repleta: cuncti missionê petebant, verbo, vt rebus suis domi consulerent, reipsa, ad Lysimachum vt transirent. Itaq; visum est Demetrio, quam longissime à Lysimacho deflectere, & in Pyrrhum mouere. Illum enim popularem esse cogitabat, & compluribus ex Alexandri militia familiarê: aduenam vero, & hospitem Pyrrhum, & Macedonas sibi non prælaturos. Verum hæc cum spes admodum fefellit. Nam vt castra Pyrrhi castris contulit, multi Berœenses primum ad Pyrrhi castra, cuius iamdudum virtutem admirabantur, ac prædicabant in recipiendis deuictis hostibus lenitatem, defectione transiere, multosq; secum abduxere. Pyrrhus quoq; nonnullos specię Macedonum submittebat, qui defectionem accenderent: eo successu, vt palam etiam ad illum deserto Demetrio transfugerent. Deniq; etiam ipsum quidam suorum adiere, monentes bene sibi consulturum si cederet, & imperium deponeret. Fatigatos enim iam Macedonas pro illius luxu bellum gerere.

Mox in Pyrrhum mouet. *Deseritur à suis.* *Ab irrisione.*

XVI. *Fugit vili habitu, & Macedoniæ regnum amittit.* His dictis congruentem cernens exercitus motum, trepidus vili tegmine capitis, & humili lacernula tectus, prosipuit se clam ex castris, deposita scilicet illa tragica, ac gloriosa clamyde, quæ mundi, ac syderum erat simulachrum. Ea fuga cognita, vt ait idem Plutarchus in Demetrio, properantibus plerisque statim ad prædam, atq; inter se digladiantibus, dilacerantibusq; tabernaculum Demetrij, superueniens Pyrrhus castra sine puluere occupauit,

prædas

prædictis habuit, Rex Macedonum consalutatus est. Hic finis regni Macedonici Demetrij, quod Plutarchus septem annorum fuisse dicit, & quidem quietum, & à nemine inturbatum; at verius Eusebius in chronicis sex eitantum tribuit, quem secuti sumus; & ipsemet Plutarchus in Pyrrho ait, dum Pellæ ægrotaret Demetrius, quod præcedente anno contigisse diximus, eum totam penè Macedoniā Pyrrhi incursionibus amisisse. Anno item secundo huius Olymp. quinque Macedonum millia, in pugna Pyrrhi cōtra Pantauchū, desiderasse. Sed reliqua nihilominus Demetrij, quæ in hunc annum cadunt, ex ipso petamus.

XVII. Nvdatvs regno Demetrius cum Cassandriam refugisset, vxor eius Phila dolore victa, non sustinuit iterum priuatum, & exulem videre Demetrium, sed abiecta omni spe, fortunam eius execrata hausto, veneno extincta est. Athenienses quoque ab afflicto Demetrio defecerunt, ac Diphilum, qui in acta relatus Seruatorum sacerdos erat (id est, Demetrij, eiusque patris Antigoni, quos illi in deos retulerant, & Archontum loco annis nomen dare voluerant) ex fastis expunxerunt, sciueruntque vt Archontes denuo, de more crearentur. Quin & antiquæ gloriæ memores, in spem libertatis excitati, duce Olympiodoro Macedonas Athenis, & Musæo, quod ab eis tenebatur, expulerunt, Pyræeum, ac Munichiam receperunt; denique Macedonas Eleusinem inuadentes comparata Eleusiniorum manu prælio fuderunt. Demetrius autem siue non satis se tutum Cassandriæ maritima vrbe Macedoniæ ratus, siue reliquias naufragiorum suorum adhuc colligere deliberans, contendit in Græciam, ducesque & amicos, quos ibi habebat, collegit.

XVIII. Romæ autem Coruinum Consulem, Sigonius, Onuphrius, Pighius, sine vlla dubitatione affirmant filium fuisse Coruini, qui decem ab hinc annis suffectus consul fuerat: potestque hic quoque consulatus, omisso illo, Patri attribui, vt anno vrb. 454. dicebamus.

ANNVS MVNDI 3766. SEXTAE ÆTATIS 250. Imperij Græcorum, & Seleuci 24. Ptolomæi Lagidæ 37. Eleazari Pontificis 1. Olymp. CXXIII An. 1. Vrb. Cond. 465. Coss. Q. Martio Tremulo II. P. Coruino Aruina II. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 287.

I. Novvm Iudæorum Pōtificem, nouamque Olympiadem suggerit hoc anno Eusebius; de quo Iosephus. *Simone mortuo, inquit, Superstite vnico filio paruulo, frater Eleazarus, de quo nunc est mentio, pontificatum assumpsit.* Sic ipse: filius autem ille paruulus dictus est Onias, qui postea sub Ptolemæo Euergete Pontificatum gessit, vt notauit Eusebius initio regni eiusdem. Commodum autem cœpit anno Sabbato ordine centesimo decimo nono. Inter Oniā aūt & Simonem patrem, duo intercessere pontifices, Eleazarus & Manasses, de quibus ordine dicemus. Olympionica porro fuit hac Olympiade Antigonus quidam Macedo, idem qui centesima vigesima secunda.

II. Hvnc ipsum annum tribuit Eusebius Pyrrho, quem septem duntaxat menses Macedonia potitum scribit; & initio regni Lysimachi, qui illo pulso, totam Macedoniam aliquot annos tenuit, eumque Sigonius in libro de temporib. Athenis secutus est. Sed res ordine temporis ex Plutarcho mutuemur, ex quo intelligemus expulsionem Pyrrhi ad sequentem annum pertinere: quippe qui à Lysimacho bello petitus fuit, post deuictum à Seleuco Demetrium, quod anno sequenti contigit. Plutarchus ergo in Pyrrho ait superuenisse Lysimachum, dum Pyrrhus communi exercitus Macedonici, qui Demetrium deseruerat, suffragio Rex Macedonum consalutatus est; qui etsi id minus libenter integrum atque illibatum capturus erat; Lysimacho tamen contendente Demetrij oppressionem vtriusque esse commune opus, & regni partem postulante, Pyrrhus nondum satis fidens Macedonibus, sed ancipitem ducens eorum fidem annuit postulatis Lysimachi, regionesque, & vrbes inter se diuisere; sed breui ea partitio discordiarum semen, atque querelarum fuit.

III. Intereà Demetrius spem denuo, quasi regiam ingressus viam, corpus ac speciem regni circa se habere cœpit, nec Asiatici belli cogitationes abijcere: sed prius Athenienses vlcisci cupiebat, qui tempori seruientes modo blandissimos adulatores agebant, modo hostes improbissimos. Eam ad rem vt fortior fieret, Thebanis popularem Reipublicæ suæ administrationem restituit, vt scribit Plutarchus: itaq. inflammatus in Athenienses mouit, & eorum vrbem valida obsidione cinxit. Athenienses autem cum agnoscerent Demetrium opinione sua potentiorem, simul Pyrrhum è Macedonia exciuere, simul ad eum Cratetem philosophum magnæ sapientiæ, atque autoritatis virum misere; qui tantum apud eum oratione sua, precibusque perfecit, vt Demetrium ad soluendam obsidionem impelleret. Nam vt arbitror, veritus est Demetrius infelicem cum Pyrrho pugnam, aut diuturnitatem obsidionis, quibus Asiana consilia, aut nimirum tardarentur, aut etiam penitus frangerentur. Sicque Athenienses, & vetere Demetrij dominatu, & nouo periculo ab eodem liberati sunt.

IV. Solvta obsidione, & facta cum Pyrrho pace, quæ tamen sollicitante Lysimacho, perbreuis fuit, coactisque nauibus suis omnibus, ac militum vndecim millibus cum equitatu impositis; in Asiam, ad Cariam & Lydiam Lysimacho adimendam nauigauit, & ducta in vxorem circa Miletum Ptolemaida, Ptolemæi filia, protinus ad vrbes oppugnandas se conuertit; quarum multæ vltro in eius potestatem venere, multæ vi ab eo subactæ sunt. Cepit etiā Sardeis, defeceruntq; ad eum nonnulli Lysimachi milites, qui ei pecuniam & copias secum adduxerunt. At superueniente cum exercitu Lysimachi filio Agathocle, cum eo pugnans aliquot leuioribus prælijs superior fuit: sed necessariarum rerum penuria vigente, varia obire loca, multosque suorum amittere, pestilentia præsertim ex fame ortā coactus est: & cum Seleuco hoste illo quidem, sed affine per litteras ad obtinendum commeatum agere.

V. Qvem ille primum misericordia in Regem afflictum, & Socerum commotus concessit: tum veritus nouam aliquam Demetrij felicitatem, suadente Patroclo amico, contra eum Ciliciam versus duxit exercitum. Mutatione mitatus Demetrius, missis ad eum legatis impetrauit, vt ad duos menses in Cataonia hybernaret, quæ est Asiæ minoris prouincia, confinis Cappadociæ, datis ipsi primarijs amicis obsidibus, simulque fauces, quib⁹ patet iter in Syriā, obstruxit. Itaque clades Demetrij, quæ post hyemē obtigit, & deditio ad sequentem annum differenda est, & consequenter Lysimachi de Pyrrho victoria, quam Plutarchus in Pyrrho tradit deuicto in Syria Demetrio cōtigisse.

VI. Laertivs in Stratonis vita scribit eum hoc anno scholæ fuisse propositum: ergo & mortuum Theophrastum, cum scholæ peripateticæ annis triginta sex ab Olympiade centesima decima quarta præfuisset, & innumera volumina edidisset, quę recēset idem Laertius: qui ait ad duo millia discipulorum ad eum audiendum concurrisse, obijsse annos natum quinque supra octoginta, cum ab studiorum contentione ad paucos dies ob discipuli nuptias secessisset, vt inquit Suidas. Itaque alios contentio vt arcum frangit, hunc laxatio.

VII. Magna vtique gloria eius est, quod magni fieret ab Aristotele præceptore, summi ingenij viro: à quo & Theophrasti nomen accepit, cum antea Tyrtamus diceretur, vt nomen ipsum diuinam hominis eloquentiam testaretur. Nec erat proterea ingenio minor. Fertur enim Aristot. de Theophrasto & Callisthene dixisse, quod antea de ipso & Xenocrate Plato dixerat, Theophrastum videlicet incredibili acumine, quidquid intellectu percipi posset interpretari, Callisthenem autem tardo ac segni esse ingenio, itaque illum fræno, istum indiguisse calcaribus. Demetrio Phalereo, qui tum Athenis regebat Rempublicam, amicus ac familiaris fuit.

VIII. Mortvvm Athenienses pedibus publice prosecuti hono-

honorauerunt, & Stratonem Lampsacenum eius loco præfecerunt, vt refert Apollodorus in chronicis, quã scholam cum decem & octo annis tenuerit oportet mortuum Olympiadis an 2. Fuit autem Strato vir disertissimus, & Physicorum scientissimus, vnde & Physici nomen accepit. Ptolemæi Philadelphi præceptorem fuisse ferunt, ab eoque 80. talentis donatum. Laërtius.

Romana res.

Quod ad rem Romanam attinet, gesserant Tremulos & Atinia vnà consulatum ante annos octodecim, anno scilicet V. C. 447. quorum res hoc consulatu gestæ scriptorum inopia, vel iactura in obscuro mansere: scribant, inquit Cuspinianus, qui se integrum Liuium habere glorianiue.

ANNVS MVNDI 3767. SEXTÆ ÆTATIS 251. Regni Græcorum & Seleuci 25. Ptolemæi Lagidæ 38. Eleazari Pontificis 2. Olympiadis CXXIII. An. 2, Archonte Philippo. Vrb. C. 466. Coss. M. Claudio Marcello; & Sp. Nautio Rutilo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 286.

I. Demetrius cum Seleuco feliciter pugnat.

ARCHONTAM Athenis, Philippum habet nouus interpres Polybij, in Chronologia Olympionicarum. Cæterum, vt inquit Plutarchus in Demetrio, inclusus vndique instar feræ Demetrius: nam hinc Agathocle Lysimachi, inde Seleucum habebat obiectos, vertit se necessario ad vim, finesque Seleuci depopulatus est, ac cum adoriente confligens Seleuco, semper euasit superior. Currus falcatos aliquando in se emissos superauit, atque fudit, fugauitque. Ad hæc claustra Syriæ, deiectis munitionibus, in suam redegit potestatem. Iamque plane omnino erectus, cernensque milites suos alacres, instituit cum Seleuco de rerum summa dimicare.

Seleuci fluctuatio.

Seleucus autem vehementer animo dubius atque anceps fuerit, quippe qui iam Lysimachi auxilia reiecerat, quod ei diffideret, & suis rebus ab eo metueret. Dubitabat vero solus cum Demetrio signa conferre desperationem eius formidans, perpetuamque ipsius fortunæ vicissitudinem.

II. Demetrii morbus res eius affligit.

At grauis morbus interea Demetrium occupans, cum corpus eius vehementer debilitauit, tum res eius afflixit; quoniam pars militum eius ad hostes transiere, pars dilapsi sunt. Tandem diebus 40. est recreatus, trahensque secum reliquias exercitus speciem præbuit, & mouit hostibus suspicionem se Ciliciam petere. Mox nocte sine tuba in alteram partem motis signis, superatoque Amano, is mons est in Cilicia, qui eam à Syria diuortio aquarum diuidit, vt inquit Cicero, incursauit subiectam regionem Cyrresticam, quæ in Syria est ad Septentrionem, quam Singas fluuius intersecat, & se in Euphratem exonerat, apud Ptolemæum in tabula quarta Asiæ.

Seleucum oppressurus detegitur.

Cum superuenisset Seleucus, & castra metatus esset in propinquo, excitauit Demetrius exercitum suum, mouitque in eum noctu, diu nihil sentientem, & sopitum. Verũ à perfugis quibusdam de periculo edoctus cohortuit, exiliensque ex lecto signa iussit canere, ac dum crepidas induit, acclamauit ad amicos commissum se cum immani fera. At Demetrius ex hostium trepidatione consilium suum animaduertens detectum, recepit se propere.

III. Ab eo pugnat, & a suis deseritur.

ORTA luce cum instaret Seleucus, certum de suis in alterum cornu misit, ipse oppositum sibi cornu in fugam egit. Mox tamen ipse Seleucus dimisso equo, galeaque detracta, & parma sumpta processit in primam aciem, mõstrans se mercenarijs, hortatusque est eos ad se vt transirent, tandemque intelligerent, hoc tandiu egisse se, vt illis parceret, non Demetrio. Ibi omnes salutantes eum, & regem appellantes transitionem fecere.

...rgit, mare ...gitat.

Demetrius qui multarum conuersionum extremam hanc premere se intelligebat, deflectens de via ad Amani montis angustias refugit, & cum amicis quibusdam, & ministris admodum paucis densam assecutus syluam expectauit ibi noctem, certus, si quã fieri posset, viam Caunum versus arripere, atque ad propinquum illic mare, vbi classem sperabat se inuenturum, euadere.

DEMETRIVS MITTITVR IN CVSTODIAM.

IV. Irrito conatu

VBI vero comperit, ne in illum quidem diem suos satis habere viatici, ad alia cõsilia animum applicabat: cum commodùm aduenit eius amicus Sosigenes cum quadringentis aureis, quibus vitam toleraturos se vsque ad mare sperantes per tenebras contenderunt ad montium iuga superanda. Cæterum quia hostium frequentes ignes in illis lucebant, illo deplorato itinere, retro se vnde digressi erant, receperunt; neque omnes tamen, aliqui enim profugerunt, neque perinde alacres erant, qui remanserant: Quorum cum quidam ausus esset dicere Seleuco, vt se traderet, admouit manum gladio ad se interficiendum. verum circumfusi amici, consolantesque induxerunt eũ, vt id consilij sequeretur. Ita missis nuncijs, Seleuci fidei salutem suam permisit. Ita Plutarchus.

Amici deditionem suadent.

...ut persuadent.

V. Iustinus arguitur.

IVSTINVS autem & improbe, & inscienter. *Demetrius quoque, inquit, à tot exercitibus circumuentus, cum posset honeste mori, turpiter se dedere Seleuco maluit.* Improbe, inquam, quod honestam mortem vocat, quam sibi aliquis vitro consciscat, cum sit huiusmodi facinus omnium flagitiorum deterrimum, & naturæ, eiusque autori maxime inuisum, atque inimicum. Inscienter vero, qui pluribus tum exercitibus Demetrium circumuentum scribat, cum vnicum haberet Seleucum, à quo premeretur. Sed redeo ad Plutarchum. Nunciata, inquit, Seleuco deditione Demetrij, negauit Seleucus ipsius fortuna incolumem esse Demetriũ, sed sua; quæ cum reliqua felicitate, humanitatis sibi, & clementiæ ostendendæ materiam præberet. Ac vocatis procuratoribus statui tabernaculum regale præcepit, omniaque ad eum splendide excipiendum parari.

VI. Ab eo consilio metu deducitur.

ERAT tum quidam apud Seleucum Apollonides, Demetrio quondam familiaris. Hunc statim Rex ad eum misit, qui eum consolaretur, diceretque se non hostem aditurum, sed generum. Quæ vox cum multos rursum Demetrio conciliasset, quod sperarent eum summo loco apud Seleucum futurum, & se videlicet eius gratiæ participes fore. Ea res miserationem Demetrij in inuidiam vertit, æmulisque data est occasio Seleuci humanitatem impediendi, eumque à nouarum rerum periculo deterrendi, cum primum Demetrius conspiceretur in castris. Ergo dũ Apollonides lætiora illa Demetrio nunciat, superuenit à Seleuco, qui ab aulicis à misericordia in inuidiosum metũ traductus fuerat, Pausanias cum mille circiter peditib⁹, simul & equitibus, qui comprehensum Demetrium non in Seleuci conspectum, sed in Chersonesum Syriæ abduxit.

VII. Habetur in regia custodia.

EA in Chersoneso Demetrius, valida cinctus custodia, reliquum ætatis egit, quod teste Plutarcho in eius vita fermè triennium fuit. Suppeditante illi interea Seleuco abũde, quæ ad curam corporis, & splendidam vitæ rationem pertinebant. Deuicto in Syria Demetrio, ait idem in Pyrrho, securus iam Lysimachus, & negotijs vacuus, mouit confestim in Pyrrhum; qui cum ad Edessam haberet statiua, Lysimachus in commeatum incidit, qui el supportabatur, eumque abstulit. Ita annonæ difficultate primo macerauit eum; tum principes Macedonum literis & nuncijs corrupit, improperans eis quod peregrinum, & cuius maiores semper seruissent Macedonibus, fecissent dominum; amicos vero & familiares Alexandri extruderent Macedonia; multis ita commotis, metuens sibi Pyrrhus discessit, cum Epiroticis & socialibus copijs: atque eadem qua quæsierat, ratione amisit Macedoniam.

De Romanis rebus, nihil quoque hoc anno traditur, sub bis Coss. ponit Onuphr. Appij Claudij cæci Dictaturam, apparet tamen ea ijs, quæ anno seq. dicemus, vrbem plebeis seditionibus, ob æs alienum esse turbatam.

ANNVS

ANNVS MVNDI 3768. SEXTÆ ÆTATIS 252. Imperij Græcorum, & Seleuci Asiæ & Syriæ Regis 26. Eleazari Pontificis 3. Ptolemæi Lagidæ 39. Ptolemæi Philadelphi 1. Olympiadis CXXIII. An. 3. Vrbis Conditæ 467. M. Valerio Max. C. Aelio Pæto Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 285.

I. *Seleucus rex Asiæ Syriæque.* SELEVCVS, cum in potestate haberet Demetrium, qui se vltro victus dediderat, quique Syria aliqua ex parte potiebatur, simul etiam Syria tota potitus est, seque Regem Asiæ ac Syriæ deinceps appellauit. Potiitum autem aliqua saltem parte Syriæ Demetrium, illud certo demonstrat, quod ea causa fuerit, cur Demetrius à genero Seleuco infensus discesserat, quod nollet postulatam à se Tyrum & Sidonem ei, sub nuptias Stratonicæ filiæ suæ, tradere, vt ex Plutarcho suo loco diximus, ad quod tempus erat ad impetrandum in primis idoneum. De anno capti Demetrij dubium fuisse Eusebium, aut diuersas potius de more retulisse sententias, ex eo satis constat, quod eandem historiam in annum 25. & 28. Seleuci retulit: prior autem sedes recte cum nostra chronologia, & vt arbitror, cũ ipsa veritate congruit.

II. *Humaniter tractat Demetrium.* CÆTERVM Demetrius in Syria custodiebatur, sed regia custodia. Nam præter necessaria quotidie prolixe subministrata, curriculi etiam ei assignati sunt, & ambulationes regiæ, & instructa feris viuaria. Ad hæc amicis, quicunque fuerant eius fugam comitati, quicunque vellent, potestas facta cum eo viuendi. Aliqui etiam quotidie ad eum à Seleuco veniebant, cum benignis mandatis, bono esse animo hortantes, spemque libertatis, certorum pactorum interuentu, facientes, vbi Seleuci filius Antiochus, & vxor eius Stratonice filia Demetrij aduenissent.

Nihilominus Demetrius, postquam in eam decidit fortunam, principum fraudes suspectas habens, mandauit filio suo, ducibusque & amicis qui Athenis, & Corinthi erant, ne literis, vel annulo suo fidem haberent, sed perinde ac si mortuus esset, reseruarent oppida, & reliquias regni Antigono, & diu in Macedonia postea regnauit.

III. *Antigonus filius Demetrij in luctu.* ANTIGONVS autem allatam patris captiuitatem grauiter ferens, sumpta veste lugubri cum ad alios reges, tum ad Seleucum ipsum supplex scribit, & quidquid relictum ipsi fuerat, atque adeo seipsum pro parente obsidem offert. Eadem orarunt multæ ciuitates, & Dynastæ, præter Lysimachum, qui etiam pecuniam per legatos obtulit Seleuco, si necasset Demetrium. Sed eum Seleucus execratus est: Antiocho vero & Stratonicæ reseruans Demetrium, vt illorum beneficium foret, protrahebat tempus libertatis, vt ait Plutarch. in eius vita: quod, dum protrahitur prius è vita, quam è custodia excessit, vt sequẽti anno, quo mors eius contigit, dicemus.

IV. *Initium regni Pto. Philadelphi.* REGNARE cœpit hoc anno cum patre Ptolemæus Philadelphus. Nam Claudius Ptolemæus ex Timocratis Mathematici obseruationibus, ait annum à Nabonassaro 476. incurrere in annum Philadelphi tertium decimum cum dimidio, id est, decimum quartum decurrentem. Idemque rursum ait prædictum annum à Nabonassaro esse quinquagesimum secundum à morte Alexandri. Quæ contingere nequeunt, nisi hic annus sit Philadelphi primus, & trigesimus nonus à morte Alexandri, siue ab exordio regni Lagidæ, & à Nabonassaro 463. vt in expansis annis licet animaduertere.

Cum autem annum primum Nabonassaris fixerimus in anno mundi 3306. necesse est hunc annum esse à Nabonassare 463. numeratis extremis. Rursum ab octaua Olympiade, vsque ad præsentem annum, qui est tertius 123. reperies centum & 15. Olympiades totas, & insuper tres annos Olympiadis, quæ nunc in cursu est. Ex quo apparet recte progredi Chronologiam nostram.

REGNI porro quam dixi patris cum filio societatem, sequitur communis sententia plurimorum, qui ad annum vsque quadragesimum regnum Ptolemæi Lagidæ producunt. Rem autem ipsam præclare confirmat Iustinus libro 16. Finito bello, inquit, Seleuci videlicet cum Demetrio, Ptolemæus cum magna rerum gestarum gloria moriturus, contra ius gentium, minimo natu ex filijs ante infirmitatem regnum tradiderat, eiusque rei populo rationem reddiderat: cuius non minor fauor in accipiendo, quam patris in tradendo regno fuerat. Inter cætera patris & filij mutuæ pietatis exempla, etiam ea res amorem populi iuueni conciliauerat, quod pater regno ei publicè tradito, quasi priuatus officium regi inter satellites fecerat, omnique regno pulchrius regis esse patrem duxerat. Eadem confirmat Appianus, vbi de Sylla dictaturam deponente. Quæres, inquit, mihi miranda videtur, hunc virum ad eam ætatem imperium tantum nemine cogente cessisse non filio, sicut Ptolemæus in Ægypto, Ariobarzanes in Cappadocia, Seleucus in Syria, sed his ipsis, quos tyrannide presserat. Sic Appianus.

VI. *Non fuerit natu minimus.* QVOD autem de minimo natu filio Ptolemæi Lagidæ dixit Iustinus, declaratione, aut etiam correctione indiget. Audi enim Pausaniam. Cum, inquit, Eurydicem Antipatri filiam vxorem duxisset, ex eaque liberos etiam suscepisset, Berenices nihilominus, quam Eurydices comitem in Ægyptum Antipater miserat, amore captus, filios ex ea quoque genuit. Ex his Ptolemæum iam prope moriens, sibi regni successorem declarauit. A quo Atheniensibus tribus vna est. De Philadelpho autem paulò post subdit. Minorem autem fratrem Argæum, eundemque vterinum, insidias sibi comparantem, vt fama est, interfecit. Non ergo minimus natu fuit in Lagidæ filijs. Liberos autem ex Eurydice reperimus præter filias tres, Arsinoẽn, quæ primum Lysimacho, deinde Philadelpho nupsit, Lysandram nuptam Agatocli Lysimachi filio, & Ptolemaidem nuptã Demetrio, qui hoc ipso anno mortuus est. Liberos ergo habuit Ptolemæum Ceraunum, qui regnum Macedoniæ, Antigono pulso, ad breue tempus occupauit. Alter autem innominatus à Philadelpho interfectus est, auctore Pausania, quod Cyprios ad defectionem sollicitaret. Itaq; duorum fratrum interfector, per antiphrasim dictus est Philadelphus.

VII. *Seditio plebis, & secessio in Ianiculum.* SVB hoc tempus Romæ post lustrum conditum seditio exorta est. De qua Florus in epit. 11. libri. Plebs, inquit, propter æs alienum, & graues & longas seditiones, ad vltimum secessit in Ianiculum, vnde à Q. Hortensio Dictatore deducta est, isque in ipso magistratu decessit. Sic Florus; explicat aliquid Zonaras t. 2. cum ait. Post hæc cum Tribb. plebis legem de nouis tabulis rogarent, cui creditores intercesserunt, orta seditio non conquieuit prius, quam hostes vrbem inuaserunt: post vnum videlicet, alterumque annum. Meminit & D. August. vbi & hostilis direptionis cum meminit, vtique significat secedentem plebem vim molitis domibus (creditorum puta) attulisse. Id autem mihi non solum animaduertendum, sed iterum etiam obstupescendum videtur, post congestas Romæ ex vniuersa pene Italia prædas, post tot vrbes opulẽtas à milite direptas; tanta etiam penuria vexatam plebem Romanam, vt alieno ære obruta, in seditionem versa, vrbis locupletes domos diripuerit, patriam desperata salute deseruerit. Nimirum quæ per vim Romanus rapuerat, per vim à suis illatam perdidit: & qui congregabant opes, quasi eas in dolium pertusum conijceerent, egentiores illico exinaniti reddebantur.

* * *

briqueRomana castra oppugnarent: quæ causa fuit Fabio satagendi per Fuluium,& Posthumium, eos à se inuicem distrahendi. Idq; ex sententia successit: institere inde Coss. vt ijs absentibus pugnaretur.

VII. *Pugnant cū Gallis & Samnit.* POST velitationes aliquot, tertia die cum omnibus copijs in campum descensum est. Dextro cornu Galli, Sinistro Samnites constiterunt. Primo concursu adeo æquis viribus gesta res est, vt si affuissent Hetrusci, & Vmbri, aut in acie, aut in castris, quocunque se inclinassent, accipienda clades fuerit. Romani apud Fabium arcebant magis, quam inferebant pugnam, vt fatigatos facilius prope recētes sternerent. *Periculosi.* Quia ita persuasum erat duci, Samnites & Gallos primo impetu feroces esse, quos sustinere satis sit; longiori certamine sensim residere Samnitium animos, *Elogiū Liuij Gallis.* (& cui non mortalium hominum?) Gallorum quidem etiam corpora intolerantissima laboris atque æstus fuere, primaque eorum prælia plusquam virorum, postrema minus quam fœminarum esse. Ita Liuius, quæ ineptè quis, & præter mentem autoris, retulerit ad eos, qui nunc Galli, siue Franci appellantur. *Ad Italos pertinere.* Nam Senones illi Galli, Itali omnino sunt, quos Strabo circa Flaminiam, Polybius in Piceno collocat.

VIII. *Decius se vouet Dijs manibus.* DECIVS autem quidquid virium habuit primo certamine effudit, tum pedestri pugnæ, equestrem substituit, contendens vt ab læuo cornu, in quo ipse pugnabat, victoria inciperet. Iamque bis Gallicum equitatum auerterat, cum è curribus pugnātes hostes superfusi, insolito fragore ac tumultu Romanorum equos conterruere. Ita victorem iam equitatum velut lymphaticus pauor dissipat, sternit inde ruentes equos, virosq; improuida fuga: simulque hostis acrius territis fugientibusque instabat. Cū Decius exemplum patris secutus, se, hostesque dijs manibus, *Et occiditur.* M. Liuio pontifice præeunte deuouit. Sicque in confertissimam Gallorum coniecit aciem, vbi telis infestis interfectus est. Idq; quarto eius Consulatu contigisse scribit Cic. in Catone maiore. Hic terrorem diuinitus iniectum, ac stuporem hostibus, tradit Liuius.

IX. *Fabius demique vincit.* INDE Fabius, qui cunctando extraxerat diem, acrius instare hosti cœpit, dum interim præfectos equitum ad latus Samniriū circumducere alas iussit, & in transuersos quanto maximo possent impetu transcurrere. Nec sustinuere Samnites impetum, quin præter ipsam Gallorum aciem, relictis in dimicatione socijs, ad castra effuso cursu ferrentur. Interea Galli, ait Liuius, testudine facta conferti stabant, (quorum tamen postrema prælia minus quam fœminarum esse dicebat) sed neque ij adhuc victi, donec à tergo circumuenti, & templum à Fabio Ioui victori votum est. *Qua vtrinque clades.* Cæsa eo die hostium 25. millia, 8. capta. Nec incruenta victoria fuit, ex P. Decij exercitu cæsa 7000. ex Fabij 1200. spolia hostium in aceruum congesta, Ioui victori cremata sunt, Consulis corpus postridie inuentum, omni honore, laudibusq; celebratum est. *Fabij triumphus.* Fabius relicto in Hetturia Deciano exercitu, suis legionibus deductis ad vrbem, de Gallis, Hetruscis, ac Samnitibus triumphauit, milites donis affecti.

X. *Quid de hoc bello Polyb.* POLYB. l.2. hunc annum quartum numerat à proxima cum Hetruscis expeditione, aitque in agro Camertiorum (Liuius Clusinos vocat) cum Romanis acie dimicasse, & magnam eorum cædem fecisse. Romanos vero clade accepta vehementius irritatos, paucis diebus interiectis copias eduxisse, tandemque omnibus legionibus in agro Sētinati inito prælio, partem maximam illorum concidisse, reliquos effusa fuga in sua quemque compulisse. Hæc nonus interpres in annum vrbis 459. retulit, qui est tantū 458. nec ann. ille 459. respondet Archonti Nicostrato, nec an. 2. Olymp. 121. *Pestilentia.* Fuit etiam hic annus victoribus pestilentia grauis, vt fatetur Liuius. Orosius autem hanc cruentam, inquit, tristemque victoriam pestilentia ciuitatis onerauit, & triumphales pompas obuiæ mortuorum exequiæ polluerunt. Nec erat cui de triumpho gaudium suaderetur, cum tota ciuitas aut ægris suspiraret, aut mortuis.

XI. *Res gestæ in Perusinos.* HIS rebus ista gestis nondum in Samnio, aut Hetruria pax erat. Nam Perusinis autoribus, post deductum à Consule exercitum, rebellatum fuerat, & Samnites in agrum Romanum prædatū descendere, Fabius 4. millia & quingenros Perusinorum occidit, cepit ad 1740. qui redempti sunt, præda militi concessa.

Contra Samnites Appius ac Volumnius infestissimis animis pugnauere, hinc ira stimulante aduersus toties rebellantes, illinc ab vltima iam spe dimicantibus. *Et Samnites cum ingenti eorum clade.* Cæsa ergo Samnitium 16300. capta vero 2700. è Romano exercitu 2700. occisi. Nec tamen in tot cædibus, & tot annorū bellis prope semper aduersis, abstinere bello poterant: adeo ne infœliciter quidem defensæ libertatis tædebat, & vinci malebant, quam non tentare victoriam, vt ait hoc loco Liuius. Cæterum quod hunc ann 6. & quadragesimū numerat à M. Valerio Coru. & A. Cornel. Cosso Coss. qui primi Samnio arma intulerunt, aperte constat eum annos tres, 420. 444. & 452. quos ex tabulis capitolinis, cum Sigonio, Onuphrio, Stephano Pighio, alijsq; interiecimus, nonagnouisse. Cuspin. etiam hoc loco fatetur Liuium 45. *In quos ad annum 42. pugnatū est.* tantum Consulatus habere. Cum autem illi Coss. fuerint an. 410. nō duodecimo, vt Glareanus putat, certe ad hunc vsque ann. non 46. sed 48. numerantur. Sigonius quoq; in Fastis agnoscit Liuium ab hac supputatione discedere, etsi aliter in suis in Liuium scholijs. Sed de his satis.

ANNVS MVNDI 3760. SEXTAE AETAtis 244. Imp. Græcorum, & Seleuci. 18. Simonis Pontif. 7. Ptolemæi Lagidæ 31. Olymp. CXXI. An. 3. Olympiodoro Archonte. Vrb. Cond. 459. Coss. L. Posthumio Megillo, & M. Attilio Regulo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 293.

I. *Demetrius fit Rex Macedonum.* DEMETRIVS extincto Alexandro hoc anno regnare cœpit in Macedonia, vt Eusebio placet, licet adhuc Antipater viueret, sub cura Lysimachi, distulisse porro videtur in hunc annum Demetrius, ne præpropera Regni Macedonici occupatio, ambitiosam in Alexandrum crudelitatem, & perfidiosa auxilia patefaceret.

Cum ergo in Macedoniam ab Alexandri cæde cum eius comitibus reuertisset, non abhorruerunt qui domi erant ab hac mutatione Macedones, memores semper Cassandri scelerum, quæ in Alexandrum magnum defunctū admiserat, & proinde liberis eius infesti. Quod si qua etiam memoria veteris Antipatri superesset, hæc quoque Demetrio fauebat, quod Philam eius filiam in matrimonio haberet, atque ex illa filium Antigonum Gonatam, regni successorem iam adultum, qui castra patris sequebatur. Hæc fere Plutarch. in Demetr. nec admodum diuersa Iustin. lib. 16.

II. *Recuperat liberos & vxorem.* Hoc rerum secundarum cursu Demetrius accipit liberos suos, & vxorem, quos Ptolemæus expugnata Salamina Cypri comprehēderat, ab eo cum muneribus honoribusque dimissos, parem scilicet reddens gratiam Demetrio, quam ab eo multos ante annos acceperat. Affertur etiam filiam eius Stratonicem, quam Seleuco in matrimonium dederat, Antiocho Seleuci filio nupsisse, ac superiorum *Nouerca & priuignus amantes.* prouinciarum renunciatam reginam. Seleucus enim filio suo eam perdite amanti cesserat, arte Erasistrati medici, quam historiam fuse in Demetrio narrat Plutarchus. Qui deinceps refert Demetrium vindicata Macedonia, etiam Thessalia potitum: cumq; magna ex parte Peloponēsum, Megaram, atq; Athenas teneret, bellum mouisse Bœotijs, & pacem cum eis æquis conditionibus confecisse, quæ tamen non diuturna fuit: eorum defectionem Sigonius in annum seq. refert.

III. *Attilius male gerit. cū Samnitib.* SAMNIVM ambobus Coss. decreta est prouincia, quia fama erat tres scriptos hostium exercitus, vno Hetturiam, altero Campaniæ populationem repeti, tertium tuendis finibus parari. Et quoniam Posthumium aduersa valetudo Romæ tenuit, Attilius exemplo profectus, obuios habuit Samnites, in Samnij finibus, vt vterque exercitus vim alterius à suis finibus propulsaret. Cum castra castris collata essent,

essent, Samnites audax facinus densa nebula tecti aggressi sunt Hacenim velut latebra insidiarum fieri, vixdum satis certa luce, & eam ipsam premente caligine, in castra necopinati perueniunt, militem segniter agentem vigilias opprimunt. Quæstorium capiunt, Quæstorem Opimium Pansani occidunt, & antequam satis parari essent ad repugnandum Romani, vel in ipso tumultuario conflictu, ad 230. de his amiserunt, plures etiam de Samnitibus desiderati dicuntur.

IV. *Restitus alter consulum Posthumius.*

Ea fama L. Posthumium vixdum validum coegit ex vrbe proficisci, & Soram cum exercitu, indeque in Samnium ad castra Collegę perrexit. Samnites qui gemino exercitui se impares agnoscebant, in munitas vrbes recepere se. Quos Posthumius insecutus, Milioniam, post diutinam oppugnationem, occupat, in ea 4. ipsas horas pugnat, Samnitum 3200. cædit, cap. 4200. præter prædam aliam. Ferentinum noctu à ciuibus desertum, sicut & pleræque aliæ vrbes, quibus Consul sine pugna potitus est.

Anceps Attilij prælium

Alteri porro Consuli M. Attilio nequaquam tam facile bellum fuit. Nam ad Lucerię fines cum ei Samnites occurrissent, atrox prælium atque anceps fuit, Romanique vulneribus animisque fracti, pleni luctu in castris victos se ferebant: quod si tum superuenisset hostis, facile totum exercitum deleturus videbatur. Minus cladis cæterum non plus animorum apud hostes erat, & prima luce abire sine certamine cupiebant, sed eam cepere viam, qua ad Romanorum castra inuadenda ferri videri poterant.

V. *Coacta pugna, & insperata victoria.*

Hic Attilius militem arma capere cunctantem increpat, hostem iam imminere castris, eis nisi victoriam pugnando amplectantur, aut mortem aut seruitutem patiendam. Illi negant quidquam sibi virium, aut sanguinis superesse, hesterna pugna esse confectos. Denique tantum profecit vrgendo, ac vociferando Consul, vt legati, tribuni, ductores ordinum, & cum ijs magna pars equitum, peditumque arma corriperet: atneque viriliter neque animose, sed mœsti ac prope victi procedunt aduersus hostē. Samnites autem rati necessitatem sibi pugnæ à Romanis afferri, ad eam se comparant: neutris tamen erat animus ad pugnandum, diuersique, atque intacti abijssent, si alter alterius nosset animos. Denique paululum à Consule irritata pugna est, sed eam mox fuga Romanorum subsecuta est: & Samnites terga cædebant. Cum Attilius Ioui Statori, Romuli exemplo ædem vouet, & simul cædem suis in castra tendentibus minitans, & fugientibus equites opponens, qui aut redintegrare pugnam cogerent, aut suorum ferro perire, eos conuersa facie in hostem remittit.

Ioui Statori ædes vota. an. mu. 3106. nu. 4

VI. *Quanta vtriusque exercitus dāna.*

Omnes ergo annisi ad restituendam pugnam, facile Samnitem non nimis auidum pugnæ superauere, dum à fronte pedites, à tergo equites circumuecti medios vndiq; cædunt. Captiuorum numerus fuit 7300. qui omnes nudi sub iugum missi, cæsos retulere ad 4800. Ne Romanis quidem læta victoria fuit, amissi biduo 7300. Ergo Romæ triumphū peteti negatus est, etsi Romam venienti altera ei de Samnitibus Interamnæ coloniæ prædatoribus victoria contigisset. Consul alter Posthumius, quia in Samnitibus materia belli deerat, in Hetruriam traducto exercitu rem bene gessit, multa hominum millia partim cecidit, partim cepit: tres validissimæ vrbes Hetruriæ capita, Volsinij, Perusia, Arretium pacem petiere, inducias in 40. annos impetrauere, mulcta in singulas ciuitates imposita. Quas ob res cum Consul triumphum à Senatu peteret, nec impetraret, siue quod tardius ex vrbe exisset, siue quod iniussu Senatus è Samnio in Hetruriam transisset, ad solatium etiam Collegæ in æquata repulsa, ad populum confugit, & auxilio trium tribunorum plebis, aduersus intercessionem 7. tribunorum, & consensum Senatus, diem populo celebrante, triumphauit. Hoc anno inchoatam Romæ pestilentiam, quæ triennio continuo durauit, autor est Valer. Maximus, quæ aduentu Æsculapij sedata dicitur, anno ab V. C. 461.

Attilio negatus triumphus.

Quod Posthumius agro a populo extorquet.

ANNVS MVNDI 3761. SEXTÆ ÆTATIS 245. Imperij Græcorum, & Seleuci. 29. Simonis Pontif. 8. Ptolemæi Lagidæ 32. Olymp. CXXI. an. 4. Archonte Philippo. Vrb. Cond. 460. Coss. L. Papyrio Cursore, & Sp. Caruilio Maximo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 292.

I. *Archontes desiciunt.*

Mvltos deinceps annos prætoribus Atheniensibus vacuos, imo omnes perpaucis exceptis habebimus, quoniam iamdudum nos Diodorus Siculus deseruit, & hunc Philippum vltimum suggerit Dinarchus Halycarnassæi, vbi dicitur sub hoc Archonte reditum datum esse à Demetrio, & alijs exulibus, & Dinarcho oratori septuagesimum tum annum agenti. Cum autem ibi catalogū Prætorum 68. duntaxat contexuerit, perspicum est duos casu aliquo excidisse, quos ex Diodoro suppleuimus.

Res Thebis a Spartanis & Demetrio gesta.

Hoc anno Cleonymus Lacon Acrotati Regis Spartanorum frater, & Arei regis patruus, Thebas cum exercitu intrauit, Bœotiorum animos ad defectionem erexit, annitente Piside Thespiensi, qui ciuium princeps erat opibus ac dignitate. Verum Demetrius mox Thebas machinis admotis obsedit. Perterritus aūt subduxit se ex vrbe Cleonymus, Bœotij deditionem fecere. Demetrius imposito vrbi præsidio, magnaq; exacta pecuniæ summa, relicto etiam eis procuratore ac præside Hieron. historiographo, clementer cum eis egit, Pisidis potissimum causa, quē captum, non modo nulla affecit iniuria, sed Polemarchum etiam Thespijs creauit. Plutarc. in Demetr.

II. *Demetrius tota Macedonia potitur*

Interea Lysimachus cum bello Dromicheris regis Thracū premeretur, ne eodem tempore aduersus Demetrium, prospera tum fortuna vtētem, regemq; Macedoniæ declaratum, dimicare necesse haberet, parte Macedoniæ, quam ipse pro genero suo Antipatro matricida habebat, Demetrio tradita, pacem cum illo fecit. Sicque ille male quæsita recte perdidit, & quæ ab inuito genero acceperat, inuitus dedit: Demetrius autem totam obtinuit Macedoniam, exceptis ijs, quæ ab Alexandro Pyrrhus mercedis nomine extorserat, quod etiam belli, Demetrium inter & Pyrrhum, seminarium fuit. Verum Antipater, regnum sibi soceri fraude ademptum queritur: additur ei querelarum socia eius vxor Eurydice Lysimachi filia. At Lysimachus generum interficit, filiam in vincula conijcit. Atque ita vniuersa Cassandri domus, Alexand. magno seu necis ipsius, seu stirpis extinctæ pœnas, partim cæde, partim supplicio luit. Ita Iust. l. 16. De Seleuco autem ac Ptolemæo interea nihil traditur.

Lysimachi in generum & filiam improbitas.

III. *Apparatus Samnitum & bellum.*

Romanas autem huius anni res ita Liuius aggreditur. Sequitur in hunc annum & Consul insignis L. Papyrius Cursor, qua paterna gloria, qua sua, & bellum ingens, victoriaque quantam de Samnitibus nemo ad eam diē, præter L. Papyrium patrem, Consul pepererat. Eam insignem fecit Samnitium apparatus, quorum tanto maior clades fuit, quanto maior fuerat ad eam vitandam contentio. Ad Aquiloniam vrbem 40. millia militum conuenere: edictū quippe fuerat, vt qui ad Imperatoris mandatum non conuenisset, quiue iniussu abisset, eius caput Ioui sacratum esset. Ibi medijs in castris, aras inter & cæsas victimas, & circumstantes strictis gladijs centuriones, nobilissimi quique sigillatim iureiurando spondebant, se nihil eorum, quæ eo loco visa, audita ue essent, enunciaturos.

Errū insiurandum.

IV. *Per vim extortum.*

Deinde iurare cogebantur diro quodam carmine, in execrationem capitis, familiæq; & stirpis composito, nisi isset in prælium, quo imperatores duxissent, si aut ipse ex acie fugisset, aut si quem fugientem vidisset, non extemplo occidisset. Id primo quidam abnuentes iuraturos se, circa altaria obtruncati sunt, iacentes deinde inter stragem victimarum, documento cæteris fuere ne abnuerent. Primoribus Samnitium ea detestatione obstrictis, decem nominati ab imperatore sedecim millia elegere, quæ legio lintreata dicta: ab integumēto quo sacrata in ijs nobilitas erat ornata. His arma insignia data; & cristatæ galeæ, vt

Legio lintreata.

inter cæteros eminerent. Paulo plus 20. millium alius exercitus fuit, non linteatæ legioni apparatu, aut gloria dispar. Totus hic exercitus ad Aquiloniam consedit.

V. *Caruilius Amiternũ, Papyrius Duroniam eripit.* Coss. ambo ex vrbe in Samnium profecti. Prior Caruilius, cui veteres Attilij copiæ Interamnæ relictæ traditæ sunt, dum Samnites sese execrationibus obligant, eis vi eripit Amiternum, cedit hominum 2800. c. 4270. Inde Papyrius cum nouo exercitu Duroniam expugnauit: minus quã collega cepit hominum, plus aliquanto occidit. Inde Caruilius ad Cominium, Papyrius ad Aquiloniam, vbi summa rei Samnitium erat, peruenit. Nec gemina Romana castra plusquam 20. millib. aberant à se mutuo, vt sibi consilio, auxilioq; adesse possent. Ergo conueniunt vt eodem die Cominium Caruilius quanta maxima vi posset obsideret, ne quid auxilij socijs ad Aquiloniam laborantibus vrbani afferre possent.

VI. *Papyrius suos excitat.* NEC minus interea Papyrius militem suum pugnæ desiderio incendit, & contemptu replet apparatus superstitiosi, atque magnifici, qui, vt olim contra Papyrium patrẽ, gloriæ victoribus futurus sit, non tegumento victis. Adfuturos Romanis immortales deos, cõtra tot fœderum violatores, qui nulli vnquam exercitui visi sunt infestiores, quam qui nefando sacro, mista hominum, pecudumq; cæde respersus esset, ancipitique Deûm iræ deuotus. *Execrationes hostium, & suorum auguria contemnit.* Hæc aliaq; Papyrius apud Liuium: quæ tetigisse voluimus, vt ipsis quoque ethnicis execrandas, & superis inuisas creditas doceremus eiusmodi execrationes: quibus tamen Deciorum deuotiones affines fuisse, earum verba solennia satis declarant. Iam pene ventum erat ad pugnam, cum pullarij auspices altercari inter se cœperunt, cum vnus tripudium solistimum, ac prosperum nunciasset, alter ambiguum diceret. Rem Papyrius contempsit, atque pugnam parauit. *a l. 3. c. 22.* Cum à pullarijs auguribus, ait Oros.a vana coniectantibus congredi prohiberentur, irridens eos Papyrius consultum feliciter confecit bellum, quod constanter arripuit.

VII. *Pugnat ad Aquiloniã.* VENTVM est ad pugnam, aciem Papyrius ordinat. Promouent & signa Samnites, insequitur acies ornata, armataque, vt hostium quoq; magnificum spectaculum esset. Ornata dicit illa sedecim millia, armata reliqua, quamquam & vtraque acies sine dubio armata erat. Sed Romanos ardor animi, ira, spes, odium Samnitium fœdifragorũ, & conscia virtus impellebat ad pugnam. Samnites iam toties victos, necessitas, ac religio inuitos magis resistere, quã volentes pugnare cogebat, nec primum clamorem, atque impetum Romanorum sustinuissent, ni potentior ille metus insidens pectoribus, à fuga retineret. Quippe in oculis erat omnis ille occulti sacrificij apparatus, & armati sacerdotes, & promiscua hominum, pecudumq; strages, & respersæ fando nefandoque sanguine aræ, & dira execratio, ac furiale carmen detestandæ familiæ, stirpique compositum. Quo minus autem fugæ fuit, hoc magis bacchata est cædes.

VIII. *Victoria, cũ ingenti Samnitium clade.* CVM autem apparuit à colle Sp. Naucius, qui iussu Cos. longe maiorem quam pro militum numero puluerem, etiam trahendis arborum ramis excitabat, & Consul clamauit adesse alterum Consulem capto Cominio, simulq; ex condicto prouolãtibus in hostem equitibus, ilicet funduntur linteatæ cohortes, & iurati pariter iniuratique fugiunt, ad castra pedites, equites Bouianum, aut potius Aquiloniam, vt legendum puto, compulsi. Mox Volumnius castra cepit. Scipio etiam vrbe aliquanto post facta testudine, perruptisque portis, potitus est: nocte oppidum ab hostibus desertũ est. Cæsa illo die ad Aquiloniam 30340. capta 3870. signa militaria 97. Aufugere ergo ad mille & octingentos.

IX. *Cominium expugnatũ.* EADEM fortuna ab altero Consule ad Cominium gesta res est, totis copijs corona cinxit vrbem, subsidiaq; firmã, ne eruptio fieret, portis opposuit, scalas ad muros ferri omni ex parte iussit, ac testudine ad portas successit, simul & refringebantur portæ, & vis vndique in muros fiebat. Quibus occupatis, Samnites in medium densati forum, paulisper pugnam tentauere, deinde abiectis armis ad 15400. in fidem Consulis venere, cæsa ad 4380. Vterque ex alterius sententia Consul captum oppidum diripiendũ militi dedit: exhaustis deinde tectis ignem iniecit: eodemque die Aquilonia, & Cominium deflagrauere. Coss. cum mutua gratulatione castra iunxerunt, & milites donis ornauere. *Et direptum*

Tres aliæ vrbes captæ in Samnio. Inde vt perdomitum Samnium insequentibus Coss. tradi posset, quando nullus exercitus hostium erat, qui signis collatis dimicaturus videretur, vrbium oppugnationes aggressi sunt. Caruilius tres vrbes breui tempore cepit Volanam, Palumbinum, & Herculaneum, in quibus aut capta, aut cæsa decem millia hominum. Papyrius ad Sepiniũ diutius hæsit, tandẽ vrbẽ expugnauit, ideoq; plus cædis in ea editum, 7400. cæsi, capta minus 300. millia hominũ. *Itemque Sepinum.*

X. *Vtriusque Consulis gloria, & triumphus.* INTERIM cum in Hetruscos rebellantes, eisque adiunctos Faliscos ducendus esset exercitus, sors Caruilio fauit secundum vota militum, qui vim frigoris iam in Samnio non patiebantur. Ibique re bene gesta Romam ad triumphum venit. Sed prior Papyrius magna cum gloria, militũ ornamentis atque donarijs, & spolijs Samnitium magnificis, quæ decore ac pulchritudine paternis comparabãtur, quæ visebantur in publico, triumphauit: multum æris argentique in ærario fuit conditum. Ædem Quirini à Dictatore patre votam, filius Consul dedicauit, & hostium spolijs exornauit. A triumpho exercitum in agrum Vestinum, quia ea regio à Samnitibus infesta erat, hybernatum duxit. Caruilius quoque, vt minus splendidum de Samnitibus triumphum egit, ita cumulo Hetrusci belli Papyrij Collegæ gloriam æquauit.

XI. *Noua mos coronarum, & palmarũ.* Hoc anno, qui est vrbis 460. vt numerat etiam Glareanus, cum Cuspiniano, Sigonio, Pighio, Temporario, coronati primum, ob res bello bene gestas, ludos Romanos spectauerunt, palmæque tum primum, translato è Græcia more, victoribus datæ. Verum dum Romani tam multa hominum millia in Sabinis, & Hetruscis morti dant, vicissim eos vlta pestilentia populatur, præter multa Romanorum millia in prælijs & obsidionibus desiderata, vt tam multis rebus lætus annus, vix ad solatium illius mali suffecerit. Quæsitum remedium, aditi libri: inuentum est Æsculapium ab Epidauro Romam accersendum: id in ann. seq. dilatum, hoc vnum diem Æsculapio supplicatum est. Sed hic quoq; annus luctuosus historiæ Romanæ contingit, quo nos Liuius, amissa secunda decade, ad quinque & 70. an. deserit, annis nobiscum 460. decursis. *Pestilentia Romæ.*

ANNVS MVNDI 3762. SEXTÆ AETAtis 246. Imperij Græcorum, & Seleuci 20. Simonis Pont. 9. Ptolemæi Lagidæ 33. Olymp. CXXII. Ann. 1. Vrbis Cond. 461. Coss. Q. Fabio Gurgite, D. Iunio Bruto Scæua.

ANNVS ANTE CHRISTVM 291.

I. *Lysimachus male pugnat, & capitur.* LYSIMACHVS in pœnam proditi anno superiorẽ generi, atque occisi, hoc anno ineuntis Olympiadis centesimæ vigesimæ secundæ, in qua Antigonus quidam Macedo optimus cursorum fuit, cum Dromichete Thraciæ rege pugnat infeliciter, ac capitur. Quapropter, vt scribit Plutarch. in Demetr. properante in Thraciam Demetrio, & sperante vacuam se occupaturum, defecerunt iterum Bœotii, simulq; nunciatur Lysimachum dimissum esse. Igitur confestim ira flagrans Demetrius retro recepit se, expertus dum temere quis aliena festinat inuadere, iuste amittere sua. Verum Demetr. inuenit Bœotios iam acie à filio suo Antigono cæsos, ac Thebas iterum obsedit. *Bœotij à filio Demetrij victi. Thebæ obsidentur.*

Depopulante autẽ Thessaliam Pyrrho, & vsq; ad Thermopylas excurrente, relinquens ad continuandam obsidionem Antigonum, contendit in illum. Qui cum propere fugisset, decem millib. peditum, & mille equitibus ad præsidium Thessaliæ relictis, rursus pressit Thebanos, machinamq; Helepolim instituit vrbi admouere, tanto labore, vix vt duobus mensibus duo stadia promoueretur.

II. *Ibi magnum adit discrimẽ Demetrius.* IN ea obsidione tum multos amisit milites, ingemiscente nequidquam Antigono eius filio, tum ipse vitæ graue discrimen adiit, eius enim collum acuto telo traiectum est.

est. Nec tamen obsidione destitit, donec vrbe tandem potitus est. Vrbem ingressus minas, & terrorem præ se tulit, quasi atrociter in eos consulturus, sed tredecim interfectis, & nonnullis in exilium pulsis, cæteris noxa liberauit. Ita vrbi Thebanæ accidit, vt enim fuisset haud dum decem annos instaurata, bis hoc spatio caperetur. Ita Plutarch. in Demetrio, itaq; etiam habetur in Græco: minime dubio vtrobique errore, siue is exscribentium, siue Scriptoris fuit. Constat enim restauratas à Cassandro Thebas Olymp. 116 an. 2. vnde ad hanc diem fere sex Olympiades, quæ quatuor & viginti annos explent, numerantur.

Triennium capta, neque decem annos instaurata.

An. mundi 3739. an. 2. Tyrium Athenis agit.

Instantibus Pythijs ludis, cum angustias apud Delphos insedissent Ætoli, ludum & festum egit apud Athenienses, quasi illic potius colere deceret Apollinem, qui scilicet præses vrbis esset, & originis eorum perhiberetur author. Sic Plutarch. ibid. Ex quo intelligitur etiam Pythia an. 1. Olymp. solita celebrari: minus tamen frequentata initio tradunt, nono scilicet quoq; anno. a

a Vide 1. part. Secl. c. 11.
b l. 3. c. 22.

II. *Fabium Gurgitem male re gesta, pater opera redintegrauit.*

De rebus à Fabio Gurgite gestis hæc habet Orosius, b Fabius Gurges Consul male aduersus Samnites pugnauit. Namq; amisso exercitu victus in vrbem refugit. Tria millia Romanorum cæsa scribit Eutrop. Itaque cum Senatus de eo summouendo deliberaret, pater eius Fabius Max. ignominiam filij deprecatus, legatum se filio iturum vltro obtulit, si illi depellendæ ignominiæ, & gerendi iterum belli facultas daretur. Qua impetrata, prælioque conserto, cum subito pugnantem filium Consulem, insistente Pontio Samnitum duce, & infestis hostium telis conclusum videret, in medium se agmen pius senex, equo vectus ingessit. Quo facto permoti Romani tota sibi incubuere acie, donec ipsum ducem Pontium, deleto hostili exercitu, victum, oppressumque ceperunt. Cæsa sunt in eo prælio Samnitum viginti millia, capta autem 4. millia cum Rege suo: tandemq; Samniticum bellum, quod per 49. an. multa Romanorum clade trahebatur, capti ducis destitutione finitum est. Sic Oros. Liuij Chronologiam secutus, qui an. vrbis 458. 46. belli Samnitici numerauit, vt ibi diximus.

Pontius dux Samnitium captus.

III. *Non bellum Samniticum tunc terminatum. Romanis ingens filij pater. tom. 2.*

CÆTERVM non est mens Orosij hoc anno prorsus terminatum bellum Samniticum, quod mox ipsemet redintegratum narrat. Sed bellum Samniticum, huius an. 49. morte Pontij ducis terminatum. Florus in epit. ait Fabium Gurgitem de Samnitibus triumphasse, C. Pontium imperatorem Samnitium ductum in triumphum, securiq; percussum: verum triumphus ad annum seq. pertinet. At Zonaras scribit iuniori Fabio datum à principio legatum Fabium patrem, illumque præmature cum hoste pugnasse, veritum ne si patris aduentum expectasset, non sibi, sed illi victoriæ gloria tribueretur. Verum Orosio, Floro, Eutropio potius assentiendum est; qui non nisi post acceptam cladem, Fabium filio legatum fuisse tradunt, Fabius Max. pater, inquit Florus, deprecatus hanc sibi ignominiam, eo maxime Senatum mouit, quod iturum se filio legatum pollicitus est. idq; præstitit &c. Nec videtur rationi consentaneum patrem tot magistratib. summis clarum, iampridem summæ autoritatis, & tunc vltimæ senectutis, filio legatum, nisi hac necessitate datum fuisse. Idem Zonaras alterum Consulem rem bene contra Faliscos gessisse, Sp. Caruilij ope, tradit.

ANNVS MVNDI 3763. SEXTAE AETATIS 247. Imp. Græcorum, & Seleuci 21. Simonis Pontif. 10. Ptolemæi Lagidæ 34. Olymp. CXXII. An. 2. Vrbis Cond. 462. Coss. L. Posthumio Megello III. & C. Iunio Bruto Bubulco.

ANNVS ANTE CHRISTVM 290.

I. *Demetrius Ætolos vexat.*

CVM Demetrius Pythia egisset Athenis, in Macedoniam regressus est, vt habet Plut. in eius vita, & iratus Ætolis, qui ei aditum Delphicum intercluserant, in eos mouit exercitum. Nam neq; ipse ad quietem natus erat, & Macedonas in expeditionibus magis sibi audientes habebat quam domi, vbi eos seditiosos, & nouarum rerum cupidos experiebatur. Vastatis ergo Ætolorum finibus, relictoque ibi, cum magna exercitus parte, Pantaucho, in Pyrrhum hostem Regem arma conuertit, qui Thessaliam paulo ante populatus erat: eiq; pariter in Epiro grassanti repulit Demetrius.

INTEREA autem Pyrrhus cum in Pantauchum incidisset, expediuit se ad prælium. *Concursus extitit militaris acer, & ingens certamen, præcipue vbi duces agebant. Namq; Pantauchus virtute & manu, & viribus corporis inter Demetrij duces longe primus, audaxq; & animosus prouocauit ad congrediendum; secum Pyrrhum. Ex altera parte Pyrrhus fortitudine & gloria nulli regum secundus, & qui Achillis laudes studeret virtute sibi magis quam genere asserere, perrexit per antesignanos infestus in Pantauchum.*

II *Certamen Pyrrhi & Pantauchi.*

Primum hastis velitati, inde comminus non solum arte, sed & lacertis gladios tractauerunt. Pyrrhus vno accepto vulnere, inflictis duobus, altero in femur, secundum collum altero, pepulit, prostrauitq; Pantauchum, nec tamen occidit eum, amicis ipsum eripientib. Epirotæ victoria regis erecti, & virtutem stupentes, impressione facta Macedonum Phalangem propulerunt, tergisq; inhærentes fugientium magnum numerum interfecerunt, ceperunt quinq; millia. Hæc Plutarch. in Pyrrho: qui in Demetrio ait hac victoria, Demetrij res potissimum afflictas, quod præter acceptam cladem, Pyrrhi virtus ac fortitudo Macedonum animos sibi vehementer conciliasset: quippe quem Alexandro magno audacia, & strenuitate simillimum agnoscebant, eaque opinio faciliorem ei aditum ad regnum Macedoniæ muniuit.

III *Triumphus Fabij Gurgitis. tom. 2.*

Hoc anno Fabio Gurgiti, id nomen male deuorato patrimonio adeptum ait Macrobius, prorogatum est imperium, patris vt apparet studio. Id significat Zonaras. Ea de causa, inquit, cum ipsi Fabio honos est habitus, tum eius filio permissum, vt etiam deinceps pro Consule imperaret: tum quoq; Patre legato vtens, qui nihil senectuti suæ parcens, ipse administrauit omnia, sed dissimulanter, vt à filio acta esse viderentur. Victos ergo Samnites castris exuit, agros vastauit, & ingentem prædam; partim militibus distribuit, partim in ærarium retulit. Sic Zonar. Valerius autem. c Idem Fabius, scilicet pater, triumphantis currum equo insidens sequi, quem ipse paruulum in triumphis suis gestauerat, in maxima voluptate posuit: nec accessor gloriosæ illius pompæ, sed auctor spectatus est.

c l. 5. c. 7.

IV. *Æsculapij Romam deportatio.*
d l. 3. c. 22.

Ad hunc ipsum annum pertinet Æsculapij Romam deportatio, altero scilicet anno, quam Gurges male pugnarat, vt ait Oros. d cui consentiunt Cuspin. Sigon. Idem innuit Liuius si l. 10. Flori ex Epitome l. 11. res colligitur: Cum ciuitas, inquit, *pestilentia laboraret, missi legati vt Æsculapij signum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui sese in nauem contulerat, in quo ipsum numen esse constabat, deportauere. eoq; in Tiberis insulam egresso, eodem loco sedes Æsculapij constituta est.* Auget miracula, siue mendacia Author lib. de viris illust. Romani, inquit, ob pestilentiam responso monere, ad Æsculapium Epidauro arcessendum decem legatos principe Q. Ogulnio miserunt. Qui cum eo venissent, & simulachrum ingens mirarentur, anguis è sedibus suis elapsus, venerabilis, non horribilis per mediam vrbem cum admiratione omnium, ad nauem Romanorum perrexit, & se in Ogulnij tabernaculo conspirauit. Legati Deum vehentes Antium prouecti sunt, vbi per mollitiem maris, anguis proximum Æsculapij fanum petijt. & post paucos dies ad nauem redijt. Et cum aduerso Tiberi subueheretur, in proximam insulam desiliuit: vbi templum ei constitutum, & pestilentia mira celeritate sedata est. Hæc ibi: quæ pluribus apud Valerium leges, e quod est de miraculis.

e l. 1. c. 8.
f l. 3. de ciu. c. 17

V. *Insultat huic superstitioni August.*

INSVLTAT huic superstitioni D. Aug. f Vbi erant, inquit, illi dij, quando itidem alia intolerabili pestilentia, Æsculapium ab Epidauro quasi medicum Deum Roma aduocare; atq; adhibere compulsa est: & quoniam regem omnium Iouem, qui iam diu in Capitolio sedebat, multa stupra, quibus adolescens vacauerat, nó permiserant fortassis discere medicinam. Nihil autém in illa narratur historia, quod non facile à veterator. & vaferatore illo serpente, qui primæ parenti illusit, facile fieri potuerit. Motus enim ille somnis & quies, tanquam ab intelligente prouenient, facilior fuit, quam imitatio locutionis humanæ.

ANNVS MVNDI 3764. SEXTAE AETAtis 248. Imperij Græcorum & Seleuc. 22. Simonis Pontif. 11. Ptolemæi Lagidæ 35. Olymp. CXXII. Ann. 3. Vrb. Cond. 463 Coss. P. Cornelio Rufino, M. Curio Dentato.

ANNVS ANTE CHRISTVM 289.

I. *Seleucus Iudæis ius ciuitatis vbique concedit.*

ANNO 3. Olymp. 122. Seleucus, vt Eusebio placet, in eas vrbes, quas exstruxerat, Iudæos transfert, ius eis ciuium & municipalem ordinem cum Græcis æquali honore concedens. Vrbes autem intelligit, quas ante nominarat Antiochiam, Laodiceam, Seleuciam, Apameam, Edessam, Berœam & Pellam, primam à patre nominauit, alteram à matre, tertiam à se, quartam ab vxore, reliquas ab vrbibus Macedoniæ. Cæterum hæc Eusebius ex Iosepho *a* mutuatus est, vbi tamen nihil de translatione, sed tantum de concesso iure ciuitatis, honoris & officij causa. *Sed & ab Asiæ regibus*, inquit, *honorati sunt propter nauatam in militia bonam ac fidelem operam. Nam Seleucus cognomento Nicanor in conditis à se per Asiam, & inferiorem Syriam vrbibus, in ipsa denique metropoli Antiochia ius ciuitatis eis dedit, voluitque pari sibi cum Macedonibus, ac Græcis conditione degere, quo iure nunc quoque viuunt inter eos homines.* Sic ipse.

a l. 12. c. 3.

II. *Pyrrhi excursus in Macedoniam ægro Demetrio.*

PORRO Demetrius cum Pellæ Macedoniæ in ancipitem morbum incidisset, totam pene amisit Macedoniam, incurrente subito Pyrrho, qui vsque ad Edessam est progressus. Sic Plutarch. in Demetrio; in Pyrrho paulo latius. Nunciato, inquit, Demetrium esse graui morbo implicitum, irrupit in Macedoniam, quasi incursionem aliquam, & populationem facturus. Cæterum parum abfuit quin omnia simul occuparet, caperetque sine sanguine regnum, Edessam vsque progressus obsistente nullo, multis quoque ad eum deficientibus, & arma eius sequentibus. Id periculum Demetrium, vt præter vires ageret, excitauit. Amici eius & duces, breui ingentibus copijs contractis, impigre & alacriter in Pyrrhum mouerunt. At hic qui prædandi potius, quam bellandi causa venerat, non expectauit illos, sed fugiens partem exercitus in itinere, prementibus Macedonibus amisit. Nec Demetrius tamen, quod facile Pyrrhum & cito finibus suis summouisset, continuo contempsit eum. Sed quia res magnas animo agitabat, & paternum Asiæ regnum recuperare ingenti cum exercitu cogitabat, noluit cum Pyrrho confligtari, vel vicinum relinquere Macedonibus durum & grauem. Verũ cum sibi non vacaret illum bello persequi, icto fœdere ac pace composita, expeditam sibi aliorum Regum aggressionem fecit. Ita fere Plutarch. Reliquum ergo tempus in apparatu Asiatico consumpsit, de quo commodius anno sequenti.

Fugatur.

Demetrius regnũ Asiæ cogitat.

III. *Quid Curius in Samnites.*

M. CVRIVM Romæ hoc anno Consulem agnoscit Cic. de Senect. Vixerat, inquit, M. Curius cum P. Decio, qui quinquennio ante eum Consulem se pro Rep. 4. Consulatu deuouerat. Est autem hic quintus annus à morte, & deuotione Decij. De re porro hoc anno gesta, ita scribit Oros. *b* Anno subsequente cum Sabinis Curio Cons. bellum gestum est: vbi quot millia hominum interfecta, quot capta sint, ipse Consul ostendit, qui cum in Senatu magnitudinem acquisiti agri Sabini; & multitudinem capti populi referre vellet, numerum explicare non potuit. Verum hæc de Samnitibus refert Victor de Viris illust. & quidem longe probabilius. Nam Sabinus ager, vt vicinus Romanis, neque magnus erat, neque ignotus. Samnites autem ita domuit ad mare vsque superum, vt Samnitico bello finem imposuerit, & ad pacem petendam compulerit: cum quibus fœdus quarto renouatum esse scribit Florus: quod ipsum perpetuum non fuit, sed 9. post an. Tarentini belli occasione diremptum.

b l. 3. c. 22.

c. 33.

IV. *Quid in Sabinos.*

CVM Sabinis etiam bellum gessit. Audi enim Florum in Epit. Liuij. Curius Dentatus Consul Samnitibus cæsis, & Sabinis, qui rebellauerant victis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magistratu triumphauit. Sic ipse. Comitem triumphi habuisse collegam Rufinum ex Plinio liquet, *c* qui eum triumphalem senem appellat, & Eutropio qui ambos Coss. contra Samnites missos refert, eosque ingentibus prælijs rem confecisse, & bellum contra Samnites post 49. annum sustulisse: certe ratio postulat, vt laboris socius, fuerit etiam honoris. Addit Victor. l. de vir. ill. etiam ouantem hoc anno Curium de Lucanis vrbem ingressum fuisse, contra quos Tyrrhenis auxilium ferre placuerat, vt habet Flor. in Epi. Ex quo intelligitur initium belli contra Lucanos, fuisse eorũ arma contra Tyrrhenos.

c l. 33. c. 11.

Fuit triumphus & ouatio.

V. *Cur aurum Curio a Samnitibus oblatum.*

AD hoc tempus referunt Steph. Pighius, Cuspinianus, Sigon. in Fastis illud Cicer. in Catone Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati ab eo sunt, non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit, sed ijs qui haberent aurum imperare. Id post tres M. Curij Triumphos contigisse tradit Plutarc. in Cat. maiore, & quidem in agello suo, vbi rapas elixabat. Ex quo colligi potest non missum aurum à Samnitibus hominis corrumpendi causa, vel vt mitius tractarentur, vt Valer. *d* & Cuspin. hoc loco arbitrantur, quippe iam bellum erat confectum, fœdus 4. renouatum, triumphus de ijs actus, Curius casæ suæ, ac rusculo restitutus, sed grati potius animi gratia, quod eius autoritate pacem neque meritam, neque speratam obtinuissent.

d l. 4. c. 3.

Eximiam viri continentiam etiam illud Aurelij Victoris ostendit, quod cum interuersæ pecuniæ argueretur, quitum ligneum, quo vti ad sacrificia consueuerat, in medium protulit, iurauitque se nihil amplius de præda hostili in domum suam conuertisse. Sic ipse, sed quando id factum fuerit non reperio.

De Vir. ill. c. 33.

ANNVS MVNDI 3765. SEXTÆ AETAtis 249. Imperij Græcorum, & Seleuci 23. Ptolemæi Lagidæ 36. Simonis Pont. 12. & vlt. Olymp. CXXII. Ann. 4. Archonte Diphilo. Vrbis Cond. 464. Coss. M. Valerio Coruino. & Q. Cædicio Noctua.

ANNVS ANTE CHRISTVM 288.

I. *Obitus Simonis Iusti.*

REPERIMVS ad hunc annum mortem Simonis pontificis cognomento Iusti, Eusebium secuti, qui annum sequentem notat principio pontificatus Eleazari fratris eius, cum Simon pontificatum duodecim annis administrasset, ab initio Olympiadis centesimæ vigesimæ, vsque ad finem centesimæ vigesimæ secundæ. Qua in re potuit Torniellus Eusebium sequi, cum alium duce haberet neminem, eiusque pontificatus ab eo notati initij, vel finis habere rationẽ, sed rem incertam ratus, eius pontificatus initiũ in Seleuci principia coniecit. Verum cum duo reperiantur pontifices Simones Oniæ filij, prior qui cognominatus fi Iustus, & Iosepho teste fratrem habuit Eleazarum, & posterior, qui quartus est pontifex ab illo priore, & eius est nepos, non admodum celebris, dubium est vter in libro Ecclesiastici à Iehu Syrachide commendetur. Quo autem res tota sit apertior, series Pontificum, qui his temporibus ab Alexandr. magno Pontif. gesserunt, sub aspectum vnum ponenda est.

l. 12. c. 2. c. 50. v. 1.

II. *Series Pontificũ Hebræorum huius temporis.*

1. IADDVS siue Ieddoa Pontifex Iudæorum, tempore Alexand. Magni. Iosephus l. 11. c. 8.
I. 2. Onias filius Ieddoæ sub Ptolemæo Lagida, à morte Alexand. Ioseph. l. 11. in fine.
I. 3. Simon filius Oniæ Iustus, qui & Priscus. sub eodem Lagida. Ioseph. l. 12. cap. 2. ante medium. ad Olymp. 120. Eusebius.
4. Eleazarus frater Simonis, quod filius Simonis paruulus esset: Iosephus, l. 12. c. 2. ab Olymp. 123. pontifex fuit Euseb.
5. Manasses Eleazari, & Simonis patruus, frater Oniæ, Pontif. assumpsit; Iosephus l. 12. c. 3. fine. viuo adhuc Philadelpho, ineunte Olymp. 131. Euseb.
II. 6. Onias Simonis Iusti filius. sub Ptolemæo Euergete. Iosephus l. 12. c. 3. fine. Euseb. in chron. n. 1771.
II. 7. Simon filius Oniæ. Iosephus l. 12. c. 4. fi. sub eodem Rege, apud Euseb.

III 8. Onias filius Simonis, ad quem putatur scripsisse Arius Rex Lacedæmonium. Iosephus l. 12. c. 4. fi. & c. 5. qui etiam testitit Heliodoro 2 Machab 3.

Inde Iason & Menelaus vsque ad Mathatiam patrem Machabæorum. Ioseph. l. 12. c. 6.

III. *An Simon posterior in Scriptura commendetur.* a in chron. Olymp. 137. b in lib. Mach. in catal. hu. & pont. c a. m. 3787.

Vt ergo ad dubitationem ipsam veniamus, nonnulli interpretes, Eusebium vt arbitror secuti, a in quib. est noster Serarius, b Sigonius l. 5. de Republica Hebræorum c. 2. Adrichomius, c præter Rabanum, Lyranum, Dionysium. Hi ergo Simonem, qui à Iesu Sirachide celebratur, Simonem secundum ordine, in hac tabula septimum fuisse putant. Eo argumento moti, quod qui hunc librum interpretatus est ex Hebræo, nepos Sirachidæ, meminerit Ptolemæi Euergetis, qui successit Ptolemæo Philadelpho filio Ptolemæi Lagidæ. & probabile sit impensius à Iehu Sirach extremo libero Ecclesiastici laudari Simonem quem viderit, & cuius virtutum testis fuerit. Addit Serarius id probari ea felicitate, quæ describitur c. 50. eius libri, quæ in priorem Simonem non cadit, cuius tempore Ptolemæus Lagides Hierosolymam cepit, & multa Iudæorum millia transtulit in Ægyptum: sed in posteriorem, qui fuit Antiocho Magno amicus, vt ait Philo Iudæus.

IV. *An potius prior restitutor templi.*

Verum his facile responderi potest. Non est enim necesse si interpres, qui fuit ex filio nepos, fuerit tempore Euergetis, etiam auum sub eodem principe vixisse. Quin potius id argumentum hanc opinionem valide impugnat. Deinde cum laudatio illa mortuo Simone facta videatur, vt illa verba significant, *qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum*: & in eius laudatione terminet librum suum author Ecclesiastici, nec Eleazari viri valde egregij meminerit, credibile est eum vltra Simonem Iustum diu vitam non produxisse: nedum ad Simonem secundum peruenisse, cuius pontificatus, à prioris morte distat annis circiter 57. Iam vero quæ felicitas sub Simone in Ecclesiastico describatur, non video, vt mox patebit. Et Ptolemæus Lagides, si Iosepho credimus, etsi Iudæos à principio acerbe & inclementer tractauit, postea tamen eorum fidelitate cognita, multa ex eis præsidia per arces disposuit, eisque Alexandrinæ ius ciuitatis, pari cum suis Macedonibus conditione dedit: adeo vt non pauci Iudæorum sponte in Ægyptum migrarint, partim terræ vbertate allecti, partim Ptolemæi erga gentem suam liberalitate.

V. *Propria forma.*

Mirum quoque à Sigonio & Serario viris pereruditis, dici præteritum ab Eusebio hunc priorem Simonem. In quo vtique falluntur: nam is aperte apud eum habetur sub Olympiadem centesimam vigesimam, tam in Græco, quam Latino texto: cuius etiam tam fratrem quam filium memorat Olympiade centesima vigesima tertia. Posteriorem etiam celebrat Olympiade centesima trigesima septima, anno decimo quinto Ptolemæi Euergetæ. Itaque hic Simon, quem hoc anno cum Eusebio mortuum ponimus, ille idem est quem eximie laudat Ecclesiasticus libri sui ca. 50. Itaque sentit Iansenius accuratus interpres, limatique iudicij vir, in commentarijs in illum librum. Torniellus d quoque, Genebrardus l. 2. chronol. Emanuel Sa. & Scaliger in Eusebium, e vbi illum propterea non male arguit anachronismi. Illud autem non bene, quod ait Sirachidem ponere Simonem Iustum inter vetustissimos; quos nunquam vidit. Apparet enim illum sub Simone viuere desijsse, qui eius successorem Eleazarum virum clarissimum in laudatorum virorum catalogo non posuerit. Sed illud magis in Scaligero reprehendendum, tam hoc loco, quam in l. 5. Emendationis temporum, vbi agit de initio Philadelphi, qui auum cum nepote confudent, Iesum Syrachidem, cum interprete libri, qui Iesum istum appellat auum suum, vt videre est in prologo Ecclesiastici Itaq; non male nos eundem vicissim arguemus anachronismi annorum ferme 50.

d an. 3986. n. 5. e n. 1785.

VI. *Laus Simonis, & eius ob res gesta.*

Hic ergo *Simon Oniæ filius Sacerdos magnus* c. 50. Ecclesiastici dicitur *in vita sua suffulsisse domum*, Dei scilicet, cui id nomen extra ordinem datur: sequitur enim, *& in diebus suis corroborauit templum*. Intelligendum est à tempore Zorobabelis & Esdræ aliqua collapsa, aut cum ruinam minarentur, sustentata fuisse, sic fere Iansen. & Torniel. Nec sane absurdum est eguisse templum restauratione: nam ab ann. 6. Darij Hystaspis, quo templum absolutum est, qui est 21. Imperij Persarum, ad hunc annum numerantur anni 230.

Persarum 186. Alexandri 10. Seleucid. 24.

Quod autem dicitur, *templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, & excelsi parietes templi*, obscurum sane est, deficiente historia, quæ id explicet, & miror locum nullibi à Villalpando tangi. Lumé aliquot videor elicere ex Græco, vbi legitur in regijs Biblijs, καὶ ἐπ' αὐτοῦ ἐθεμελιώθη ὕψος διπλῆν ἀνάλημμα ὑψηλὸν περιβόλου ἱεροῦ, vel potius περιβόλου ἱεροῦ, vt habent Xisti codices, & Basileenses, alijq; omnes. Alioqui sententia non satis constat. quæ est huiusmodi, *& sub ipso fundata est altitudo duplex, munimentum excelsum peribolis, siue ambitus templi*.

VII. *Templi substructio & peribolus.*

Vt hæc, & aliqua sequentia intelligantur, meminisse potes lector, quod alio loco dictum est, Salomonem dum in vertice montis Moriæ templum vellet extruere, illiusque montis vertex impar esset amplitudini ædificij, quod parabat, ab imis montis radicibus ingentes substructiones ædificasse, ad solum templi dilatandum & aggestam terram sustentandam (aggesta, inquit Iosephus, ad quadringentos cubitos terra, eam vertici montis, in quo templum extructum est, æquauit) ipsius tamen substructionis altitudinem, ad trecentos tantum cubitos erigit Villalpandus, crassitudinem vero ad cubitos 50. præter anterides, siue erismata, quæ arcus obnitentes vocant, quorum crassitudo in imo ad 150. cubitos procurrens, sensim ascendendo minuebatur, vsq; ad 50. cubitos in summo. Cæterum in substructionis apice erat peribulus ambiens totum vndequaq; spatium, ne quis obambulans ex alto in præceps rueret. Cum ædificaueris, ait Dominus, domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, in præceps ruente. Eum murum 70. columnam, alij peribolum appellarunt, cuius altitudinem, longitudinem, & latitudinem scriptura calamo vno definit, id est, senis cubitis, & palmo.

l. 8. c. 2. Deut. 22. 8

VIII. *Simonis substructiones.*

Redeamus ergo ad Simonem sacerdotem magnum. Is dicitur in vita sua suffulsisse domum, & in diebus suis corroborasse templum, quia has substructiones, quibus extrema sustentabatur templi area, à Chaldæis incendio dissipatas, à Zorobabela prætermissas, siue properante, siue regijs parcente sumptibus, ne eius liberalitate abuti videretur, ipse ædificauit. Earum dicitur altitudo duplex, vt habent Septuag. quia templum, qua parte altissimum fuit, non nisi 120. cubitorum fuit: substructio vero, à radice montis ad eius verticem, 300. id est, altius duplo, atque eo amplius. Et quoniam firmissimum erat id ædificium, dicitur munimentum excelsum periboli templi, quem scilicet peribolum in summa ora sustentabat. Et ne periboli nomen, quod in Græco est, quispiam aliorsum traheret, mox sequitur, *curam gerens populi sui, à casu*, pro quo in vulgata eodem sensu legitur, *qui curauit gentem suam, & liberauit eam à perditione*, videlicet iuxta legem Domini. Quod non intelligens Scaliger, pro λαοῦ quod habent libri omnes, ipse ναοῦ legi vult, ex malo ariolo, peior criticus in textum sacrum. Hoc autem facto, simul etiam *ingressum domus, & atrij amplificauit*, vt est in Vulg. quia excitatis vndique his molibus, laxior area tota circumquaq; facta est. Ex quibus vehementer arbitror confirmari fabricam Villalp. in templo Salomonis. Nec obstat, quod in vulgata, si quis velit eam ex Græco textu explicare, dicitur altitudo templi fundata & excelsi parietes templi, cum expositio nostra templum ipsum non attingat: templum enim aliquando pro ipsa sola domu Domini accipitur, alibi autem passim, & nominatim hoc loco, pro complexu omnium ædificiorum, porticuum, atearum, ad ipsum pertinentium. Duplex ædificatio dicitur, quod duplo maior altitudine, vt dixi, & crassitie esset, reliquit quibuscunque templi muris.

λαοῦ ναοῦ. Deut. 22. 8. v. 2.

IX. *Et ciuitatem amplificauit.*

Quod autem dicitur præualuisse amplificare ciuitaté, accipi quidem potest, vt verba sonant, de auctis ædificijs ciuitate, aut dilatatis pomerijs, vel ciuium amplificato numero, sed id non satis huic tempori videtur congruere, quo tot Iudæorum millia Ægyptum incolebant, vt paulo ante cum Iosepho dicebamus. & reliquæ vrbes,

Gat. L... An. 23.

quas Seleucus in Asia, Syriaque extruxerat, in quas Eusebius in chronico scribit Iudæos à Seleuco fuisse translatos, innumeris Iudæis abundabant. Ideoque placet id de templo, cum omnibus suis atrijs, porticibus, cellis, ædificijs interpretari. Nam & hoc modo accipitur ciuitas apud Ezechielem cap. 40. vbi Richardus, Recte dicitur hoc ædificium habere similitudinem ciuitatis, eo quod esset vndique cinctum muris, firmatum portis, multis stipatum ædificijs. Idem Lyranus, & Rabbini apud Villalpandum in eum locum: & verba sequentia in textu, *& ingressum domus, & atrij amplificauit*, quasi interpretando ponuntur, ad explicandum infrequentem vocabuli ciuitatis acceptionem. Hæc est ergo prior Simonis laus à rebus ad templum gestis petita.

X. Alia Simonis opus.

Posterior autem est, quod *in diebus ipsius manauerunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum*. Significatur, inquit Iansenius, quod cum in diebus ipsius putei aquarum defecissent, deficientibus aquis, quæ per aquæductus in ciuitatem influere solent, opera Simonis rursum quasi mare abunde repleti sunt: ita vt curauerit aquæductus reparari & restitui: quemadmodum supra dictum est de Ezechia, quod induxerit aquas in ciuitatem: quæ facilis est, & expedita loci huius sententia. Tigurina: Huius temporibus receptacula aquarum assiccata sunt, æneaque fuit pars maris fere tertia. Vbi valde coacte mare vocat æneũ, id est, siccum, quomodo cælum æneum aliquando dicitur; sed hæc expositio id habet incõmodi, quod nihil pertineret hæc verba ad laudem Simonis: tolerabilior est altera, quæ locum hunc ad mare æneum refert, quia in singulari legitur ἀποδοχεῖον receptaculum, vt significetur, mare æneum in restauratione templi factum fuisse multo minus, quam olim à Salomone: à Simone autem fuisse factũ περίμετρον, id est, supra modum amplum, & capax: vel vt alij habent, τρίμετρον id est, triplo maius. Scaliger interpretatur, a cisternam quandam ab eo fuisse munitam laminis æneis, ad aquam continendam: verumque vult, sub eo laminis æneis instrata cisterna, cuius ambitus est instar maris, scilicet Salomonici. Sed hanc expositionem ipse conficit sibi, mutatis tribus vocabulis in vnico versu: nam pro ἐλαττώθη ἀποδοχεῖον χαλκός, ipse legit ἐλατώθη ἀποδοχεῖον χαλκῷ quo modo facile est quælibet loca, ad quem placebit sensum traducere.

a in Euseb. chronic. Olymp. 117.

XI. Et Torniell. improbatur.

Torniellus hæc refert ad templi aquæductus, quibus cruor victimarum expurgabatur, quorum meminit Aristæas & Eusebius, adde & Hieron. & Septuag. apud Villalp. b Sed quod inuentionem horum aquæductuum Simoni tribuit, non sane mihi id probat. Nam absurdum est à sapientissimo Salomone, imo ab ipso architecto Deo nõ fuisse prouisum, vt tanta sanguinis & sordium copia, quæ ex victimis colligebatur, non quam primum per loca subterranea ab hominum oculis abduceretur. Verum de aquæductibus Salomonis, Oziæ, Ezechiæ, vide Villalpandum. c Sed nec rectius colligere videtur ex cap. 47. Ezech. vbi dicitur, *Et ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad orientem, & descendebant in latus templi dextrum, ad meridiem altaris*, aliud fuisse templũ Ezechielis, à templo Salomonis, quia si, inquit, aderant aquæ iugiter manantes, frustra fuissent luteres, & mare æneum. Non recte inquam colligit. Nam hinc æque colligeretur, neq; luteres nec mare æneum in posteriori templo fuisse, quod absurdum est.

b t. 2. l. 5. c. 40.

c t. 3. l. 3. c. 11.

Et de rebus à Simone gestis hactenus: nam gloriosi tituli ex varijs similibus congestis, qui ei celebrando tribuuntur, à Scriptura ipsa peti possunt; nobis ad Græcam Romanamque historiam transeundum est.

XII. Demetrius dum vult recuperare regnũ Asiæ...

Luctvosvs oritur hic annus, iuxta Eusebij chronologiam, regi Demetrio, qui cum paternum Asiæ regnum recuperare contendit, proprium, & à se quæsitum Macedoniæ regnum amisit. Id ex Plutarchi Demetrio, & Pyrrho discemus. In priore loco, Instituerat, inquit, rem non exiguam, totum scilicet imperium, quod obtinuerat pater eius Antigonus repetere. Huic spei & molitioni respondebat apparatus. Siquidẽ exercitum habebat iam conscriptum, peditum centum millium, duobus millibus minus; ad hæc equitum paulo minus duodecim millia. Ad classem, nauium quingentarum paratam materiam. Et paulo post memorata naui 40. ordinum Ptolemæi Philopatoris, subdit. Tantis viribus Asiæ imminentibus quantas secundum Alexandrum nemo habuit, tres in Demetriũ conspirauere, Seleucus, Ptolemæus, Lysimachus, qui cõmuni nomine missis ad Pyrrhum legatis, hortati eũ sunt Macedoniam vt assereret, neq; duceret inducias, quas Demetrius non ipsi, ne bello lacesseretur, dederat, sed sibi sumpserat, quo bellum prius quibus vellet posset mouere.

Sed aduersarij Pyrrhum suscitant.

Pyrrhus in Demetrium suscitatur.

In vbi probauit Pyrrhus, comitem se, d & belli socium eis iungit, sperans non difficilius Demetrium Macedoniã amittere posse, quã acquisierat. Nec spes frustra fuit, quippe exercitu eius corrupto, ipsoq; in fugam acto, Macedoniam occupauit. Ita Iustinus paucis, quæ ex Plutarch. loc. citatis supplenda sunt. Alia ergo machina vsi sunt reges ad Pyrrhum, quem bellatorem egregium didicerant, ad bellũ rupto fœdere aggrediendum. Lanassa Agatoclis Syracusani tyranni filia, Pyrrho nupta, Corcyram oppidum à patre captum, in dotem attulerat, ex eaque Pyrrhus duos susceperat liberos, Alexandrum, & Olympiadem. Verum Lanassa Pyrrho infensa, quod plus deditus esset vxorib. barbaris, Corcyram marito repudiato recessit, cupidaq; regij connubij, acciuit Demetrium, sciens eum præ cæteris regibus facilem ad nuptias contrahendas. Demetrius Corcyram nauigauit, acceptaq; in matrimonium Lanassa, præsidium reliquit in oppido.

d Iustin. lib. 16.

XIII. Qui mouet regnũ ....

Et iniuria vxoris Lanassæ mariti repudiat.

XIV. Demetrium Ptolemæus Seleucus, Lysimachus, Py. ... ...

Selevcvs ergo & Ptolemæus monent Pyrrhum per literas, ne cum in multa distractum Demetrium nunc eiigere Macedonia valeat, præstoletur dum sibi sit pro aris & focis in Molossis dimicandum cum vacuo, & viribus aucto, idque Corcyra nuper per eum cum vxore exutus. Hęc cum ad Pyrrhum scripsissent reges, cum eo cuncti Demetrium Asianam expeditionem agitantẽ inuaserunt. Nam Ptolemæus Lagi cum magna classe in Græciam profectus, ciuitates sollicitauit, & aliquas ad se pertraxit. Eodem tẽpore superiorem Macedoniam Lysimachus ex Thracia, ex vicino Pyrrhus excursionibus populari sunt: in Berœam enim mouit, sperans quod euenit, dum occurrit Lysimacho Demetrius, inferiora regni vacua relicturum.

XV. Amoret ... in Lysimachum.

Demetrivs multis malis circumuentus, Asiæ concilia necessario distulit, non abiecit: filium Antigonum in Græcia reliquit, ipse ad tuendam Macedoniam primum petijt Lysimachum, quod nihil sibi à Pyrrho, fœdere nuper ita pridem coniuncto timeret. Verum dum Demetrius occurrit Lysimacho, Pyrrhus nocturno Alexandri magni visu ac promissione roboratus, raptim per interiecta loca exercitu ducto, Berœam vrbem in Emathia regione Macedoniæ occupauit. Quo nuncio omnia apud Macedonas in exercito Demetrij perturbata sunt, omnia gemitu ac querelis repleta: cuncti missionẽ pẽtebant, verbo, vt rebus suis domi consulerent, reipsa, ad Lysimachum vt transirent. Itaq; visum est Demetrio, quam longissime à Lysimacho deflectere, & in Pyrrhum mouere. Illum enim popularem esse cogitabat, & compluribus ex Alexandri militia familiarẽ: aduenam vero, & hospitem Pyrrhum, & Macedonas sibi non prælaturos. Verum hæc eum spes admodum fefellit. Nam vt castra Pyrrhi castris contulit, multi Berœenses primum ad Pyrrhi castra, cuius iamdudum virtutem admirabantur, ac prædicabant in recipiendis deuictis hostibus lenitatem, defectione transiere, multosq; secum abduxere. Pyrrhus quoq; nonnullos specię Macedonum submittebat, qui defectionem accenderent: eo successo, vt palam etiam ad illum deserto Demetrio transfugerent. Deniq; etiam ipsum quidam suorum adiere, monentes bene sibi consulturum si cederet, & imperium deponeret. Fatigatos enim iam Macedonas pro illius luxu bellum gerere.

Mox in Pyrrhum mouet.

Deseritur à suis.

Cũ irrisione.

XVI. Fugit vili habitu, & Macedoniæ regnum amittit.

His dictis congruentem cernens exercitus motum, trepidus vili tegmine capitis, & humili lacernula tectus, proripuit se clam ex castris, deposita scilicet illa tragica, ac gloriosa clamyde, quæ mundi, ac syderum erat simulachrum. Ea fuga cognita, vt ait idem Plutarchus in Demetrio, properantibus plerisque statim ad prædam, atq; inter se digladiantibus, dilacerantibusq; tabernaculum Demetrij, superueniens Pyrrhus castra sine puluere occupauit,

præditus habuit, Rex Macedonum consalutatus est. Hic finis regni Macedonici Demetrij, quod Plutarchus septem annorum fuisse dicit, & quidem quietum, & à termine turbatum; at verius Eusebius in chronicis sex eiusdem tribuit, quem secuti sumus; & ipsemet Plutarchus in Pyrrho ait, dum Pellæ ægrotaret Demetrius, quod præcedente anno contigisse diximus, eum totam penè Macedoniā Pyrrhi incursionibus amisisse. Anno item secundo huius Olymp. quinque Macedonum millia, in pugna Pyrrhi cōtra Pantauchū, desiderasse. Sed reliqua nihilominus Demetrij, quæ in hunc annum ceciderunt, ex ipso petamus.

XVII. *Eius vxor sponte perit. Athen. ab eo desciscunt, & præsidia recipiunt. Ipse redit in Græciam.* NVDATVS regno Demetrius cum Cassandream refugisset, vxor eius Phila dolore victa, non sustinuit iterum priuatum, & exulem videre Demetrium, sed abiecta omni spe, fortunam eius execrata hausto, veneno extincta est. Athenienses quoque ab afflicto Demetrio defecerunt, ac Diphilum, qui in acta relatus Seruatorum sacerdos erat (id est, Demetrij, eiusque patris Antigoni, quos illi in deos retulerant, & Archontum loco annis nomen dare voluerant) ex fastis exponxerunt, sciueruntque vt Archontes denuo, de more crearentur. Quin & antiquæ gloriæ memores, in spem libertatis excitati, duce Olympiodoro Macedonas Athenis, & Musæo, quod ab eis tenebatur, expulerunt, Pyræeum, ac Munichiam receperunt: deniqueMacedonas Eleusinem inuadentes comparata Eleusiniorum manu prælio fuderunt. Demetrius autem siue non satis se tutum Cassandreæ maritima vrbe Macedoniæ ratus, siue reliquias naufragiorum suorum adhuc colligere deliberans, contendit in Græciam, ducesque & amicos, quos ibi habebat, collegit.

XVIII. *Res Romana varia & confusa.* ROMÆ autem Coruinum Consulem, Sigonius, Onuphrius, Pighius, sine vlla dubitatione affirmant filium fuisse Coruini, qui decem ab hinc annis suffectus consul fuerat: potestque hic quoque consulatus, omisso illo, Patri attribui, vt anno vrb. 454. dicebamus.

ANNVS MVNDI 3766. SEXTAE ÆTATIS 250. Imperij Græcorum, & Seleuci 24. Ptolomæi Lagidæ 37. Eleazari Pontificis 1. Olymp. CXXIII An. 1. Vrb. Cond. 465. Coss. Q. Martio Tremulo II. P. Coruino Aruina II. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 187.

NOVVM Iudæorum Pōtificem, nouamque Olympiadem suggerit hoc anno Eusebius; de quo Iosephus.
I. *Nouus Hebræorum pontifex Eleazarus.* *Simone mortuo*, inquit, *Superstite vnico filio paruulo, frater Eleazarus, de quo nunc est mentio, pontificatum assumpsit.* Sic ipse: filius autem ille paruulus dictus est Onias, qui postea sub Ptolemæo Euergete Pontificatum gessit, vt notauit Eusebius initio regni eiusdem. Commodum autem cœpit anno Sabbato ordine centesimo decimo nono. Inter Oniā aūt & Simonem patrem, duo intercessere pontifices, Eleazarus & Manasses, de quibus ordine dicemus. Olympionica porro fuit hac Olympiade Antigonus quidam Macedo, idem qui centesima vigesima secunda.

II. *Pyrrhus & Lysimachus Macedonia potiuntur.* HVNC ipsum annum tribuit Eusebius Pyrrho, quem septem duntaxat menses Macedonia potitum scribit; & initio regni Lysimachi, qui illo pulso, totam Macedoniam aliquot annos tenuit, eumque Sigonius in libro de temporib. Athenis secutus est. Sed res ordine temporis ex Plutarcho moneamur, ex quo intelligemus expulsionem Pyrrhi ad sequentem annum pertinere: quippe qui à Lysimacho bello petitus fuit, post deuictum à Seleuco Demetrium, quod anno sequenti contigit. Plutarchus ergo in Pyrrho ait superuenisse Lysimachum, dum Pyrrhus communi exercitus Macedonici, qui Demetrium deseruerat, suffragio Rex Macedonum consalutatus est; qui etsi id minus libenter integrum atque illibatum captutus erat; Lysimacho tamen contendente Demetrij oppressionem vtrinsque esse communione opus, & regni partem postulante, Pyrrhus nondum satis fidens Macedonibus, sed ancipitem ducens eorum fidem annuit postulatis Lysimachi, regionesque, & vrbes inter se diuisere; sed breui ea partitio discordiarum semen, atque querelarum fuit.

III. *Demetrius Athenas obsidet.* INTEREA Demetrius spem denuo, quasi regiam ingressus viam, corpus ac speciem regni circa se habere cœpit, nec Asiatici belli cogitationes abijcere: sed prius Athenienses vlcisci cupiebat, qui tempori seruientes modo blandissimos adulatores agebant, modo hostes improbissimos. Eam ad rem vt fortior fieret, Thebanis popularem Reipublicæ suæ administrationem restituit, vt scribit Plutarchus: itaq. inflammatus in Athenienses mouit, & eorum vrbem valida obsidione cinxit. Athenienses autem cum agnoscerent Demetrium opinione sua potentiorem, simul Pyrrhum è Macedonia exciuere, *Et cur tamen soluerit.* simul ad eum Craterem philosophum magnæ sapientiæ, atque auctoritatis virum misere; qui tantum apud eum oratione sua, precibusque perfecit, vt Demetrium ad soluendam obsidionem impelleret. Nam vt arbitror, veritus est Demetrius infelicem cum Pyrrho pugnam, aut diuturnitatem obsidionis, quibus Asiana consilia, aut nimirum tardarentur, aut etiam penitus frangerentur. Sicque Athenienses, & vetere Demetrij dominatu, & nouo periculo ab eodem liberati sunt.

IV. *Rem bene gerit in Asia.* SOLVTA obsidione, & facta cum Pyrrho pace, quæ tamen sollicitante Lysimacho, perbreuis fuit, coactisque nauibus suis omnibus, ac militum vndecim millibus cum equitatu impositis; in Asiam, ad Cariam & Lydiam Lysimacho adimendam nauigauit, & ducta in vxorem circa Miletum Ptolemaide, Ptolemæi filia, protinus ad vrbes oppugnandas se conuertit; quarum multæ vltro in eius potestatem venere, multæ vi ab eo subactæ sunt. Cepit etiā Sardeis, defeceruntq; ad eum nonnulli Lysimachi milites, qui ei pecuniam & copias secum adduxerunt. At superueniente cum exercitu Lysimachi filio Agathocle, cum eo pugnans aliquot leuioribus prælijs superior fuit: sed necessariarum rerum penuria vrgente, varia ubire loca, multosque suorum amittere, pestilentia præsertim ex fame orta coactus est: & cum Seleuco hoste illo quidem, sed affine per literas ad obtinendum commeatum agere.

V. *Seleucus cum eo manet bello petit.* QVEM ille primum misericordia in Regem afflictum, & Socerum commotus concessit: tum veritus nouam aliquam Demetrij felicitatem, suadente Patroclo amico, contra eum Ciliciam versus duxit exercitum. Mutatione miratus Demetrius, missis ad eum legatis impetrauit, vt ad duos menses in Cataonia hybernaret, quæ est Asiæ minoris prouincia, confinis Cappadociæ, datis ipsi primarijs amicis obsidibus, simulque fauces, quib⁹ patet iter in Syriā, obstruxit. Itaque clades Demetrij, quæ post hyemē obtigit, & deditio ad sequentem annum differenda est, & consequenter Lysimachi de Pyrrho victoria, quam Plutarchus in Pyrrho tradit deuicto in Syria Demetrio cōtigisse.

VI. *Mors Theophrasti.* LAERTIVS in Stratonis vita scribit eum hoc anno scholæ fuisse propositum: ergo & mortuum Theophrastum, cum scholæ peripateticæ annis triginta sex ab Olympiade centesima decima quarta præfuisset, & innumera volumina edidisset, quę recēset idem Laertius: qui ait ad duo millia discipulorum ad eum audiendum concurrisse, obijsse annos natum quinque supra octoginta, cum ab studiorum contentione ad paucos dies ob discipuli nuptias secessisset, vt inquit Suidas. Itaque alios conterit in vt arcum frangit, hunc laxatio.

VII. *Nomen, & ingenium Theophrasti.* MAGNA vtique gloria eius est, quod magni fieret ab Aristotele præceptore, summi ingenij viro: à quo & Theophrasti nomen accepit, cum antea Tyrtamus diceretur, vt nomen ipsum diuinam hominis eloquentiam testaretur. Nec erat proterea ingenio minor. Fertur enim Aristot. de Theophrasto & Callisthene dixisse, quod antea de ipso & Xenocrate Plato dixerat, Theophrastum videlicet incredibili acumine, quidquid intellectu percipi posset interpretari, *καθ' ὑπερβολὴν ὀξύτητι.* Callisthenem autem tardo ac segni esse ingenio, itaque illum fræno, istum indiguisse calcaribus. Demetrio Phalereo, qui tum Athenis regebat Rempublicam, amicus ac familiaris fuit.

VIII. *Successio Stratonis Lampsaceni.* MORTVVM Athenienses pedibus publice prosecuti

ANNVS MVNDI 3768. SEXTÆ ÆTATIS 252. Imperij Græcorum, & Seleuci Asiæ & Syriæ Regis 26. Eleazari Pontificis 3. Ptolemæi Lagidæ 39 Ptolemæi Philadelphi 1. Olympiadis CXXIII. An. 3. Vrbis Conditæ 467. M. Valerio Max. C. Aelio Pæto Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 285.

I. *Seleucus rex Asiæ Syriæ*. SELEVCVS, cum in potestate baberet Demetrium, qui se vltro victus dediderat, quique Syria aliqua ex parte potiebatur, simul etiam Syria tota potitus est, seque Regem Asiæ ac Syriæ deinceps appellauit. Potitum autem aliqua saltem parte Syriæ Demetrium, illud certo demonstrat, quod ea causa fuerit, eur Demetrius à genero Seleuco infensus discesserat, quod nollet postulatam à se Tyrum & Sidonem ei, sub nuptias Stratonicæ filiæ suæ, tradere, vt ex Plutarcho suo loco diximus, *a* quod tempus erat ad impetrandum in primis idoneum. De anno capti Demetrij dubium fuisse Eusebium, aut diuersas potius de more retulisse sententias, ea eo satis constat, quod eandem historiam in annum 25. & 28. Seleuci retulit: prior autem sedes recte cum nostra chronologia, & vt arbitror, cũ ipsa veritate congruit.

II. *Honorifice tractat Demetrium*. CÆTERVM Demetrius in Syria custodiebatur, sed regia custodia. Nam præter necessaria quotidie prolixe subministrata, curriculi etiam ei assignati sunt, & ambulationes regiæ, & instructa feris viuaria. Ad hæc amicis, quicunque fuerant eius fugæ comitati, quicunque vellent, potestas facta eum eo viuendi. Aliqui etiam quotidie ad eum à Seleuco ventitabant, eum benignus mandans, bono esse animo hortantes, spemque libertatis, certorum pactorum interuentu, facientes, vbi Seleuci filius Antiochus, & vxor eius Stratonice filia Demetrij aduenissent.

Nihilominus Demetrius, postquam in eam decidit fortunam, principum fraudes suspectas habens, mandauit filio suo, ducibusque & amicis qui Athenis, & Corinthi erant, ne literis, vel annulo suo fidem haberent, sed perinde ac si mortuus esset, reseruarent oppida, & reliquias regni Antigono, & diu in Macedonia postea regnauit.

III. *Antigonus filius Demetrij in luctu*. ANTIGONVS autem allatam patris captiuitatem grauiter ferens, sumpta veste lugubri cum ad alios reges, tum ad Seleucum ipsum supplex scribit, & quidquid relictum ipsi fuerat, atque adeo seipsum pro parente obsidem offert. Eadem orauerunt multæ ciuitates, & Dynastæ, præter Lysimachum, qui etiam pecuniam per legatos obtulit Seleuco, si necasset Demetrium. Sed eum Seleucus execratus est: Antiocho vero & Stratonicę reseruans Demetrium, vt illorum beneficium foret, protrahebat tempus libertatis, vt ait Plutarch. in eius vita: quod, dum protrahitur prius è vita, quam è custodia excessit, vt sequẽti anno, quo mors eius contigit, dicemus.

IV. *Initium regni Ptol. Philadelphi*. *b l. 10. Almag. c. 4.* *c l. 10. c. 9.* REGNARE cœpit hoc anno cum patre Ptolemæus Philadelphus. Nam Claudius Ptolemæus *b* ex Timocratis Mathematici obseruationibus, ait annum à Nabonassaro 476. incurrere in annum Philadelphi tertium decimum cum dimidio, id est, decimum quartum decurrentem. Idemque rursum *c* ait prædictum annum à Nabonassaro esse quinquagesimum secundum à morte Alexandri. Quæ contingere nequeunt, nisi hic annus sit Philadelphi primus, & trigesimus nonus à morte Alexandri, siue ab exordio regni Lagidæ, & à Nabonassaro 463. vt in expansis annis licet animaduertere.

3306 / 463. Cum autem annum primum Nabonassaris fixerimus in anno mundi 3306. necesse est hunc annum esse à Nabonassare 463. numeratis extremis. Rursum ab octaua Olympiade, vsque ad præsentem annum, qui est tertius 123. *3768. Na. Al. Ph. 463. 39. 1.* septies centum & 15. Olympiades totas, & insuper tres annos Olympiadis, quæ nunc in cursu est. Ea quo apparet recte progredi Chronologiam nostram.

Regni ante Philadelphi 40. 2. ... de bel. ciui. REGNI porro quam dixi patris cum filio societatem, requirit communis sententia plurimorum, qui ad annum vsque quadragesimum regnum Ptolemæi Lagidæ producunt. Rem autem ipsam præclare confirmat Iustinus libro 16 Finito bello, inquit, Seleuci videlicet cum Demetrio, Ptolemæus cum magna rerum gestarum gloria moriturus, contra ius gentium, minimo natu ex filijs ante infirmitatem regnum tradiderat, eiusque rei populo rationem reddiderat: cuius non minor fauor in accipiendo, quam patris in tradendo regno fuerat. Inter cætera patris & filij motuæ pietatis exempla, etiam eares amorem populi iuueni conciliauerat, quod pater regno ei publicè tradito, quasi priuatus officium regi inter satellites fecerat, omnique regno pulchrius regis esse patrem duxerat. Eadem confirmat Appianus, vbi de Sylla dictaturam deponente. Quæres, inquit, mihi miranda videtur, hunc virum ad eam ætatem imperium tantum nemine cogente cessisse non filio, sicut Ptolemæus in Ægypto, Ariobarzanes in Cappadocia, Seleucus in Syria, sed his ipsis, quos tyrannide presserat. Sic Appianus. *V. Vna cũ patre*.

VI. *Non fuerit natu minimus. L. p. 6. & 7.* QVOD autem de minimo natu filio Ptolemæi Lagidæ dixit Iustinus, declaratione, aut etiam correctione indiget. Audi enim Pausaniam. Cum, inquit, Eurydicem Antipatri filiam vxorem duxisset, ex eaque liberos etiam suscepisset, Berenices nihilominus, quam Eurydices comitem in Ægyptum Antipater miserat, amore captus, filios ex ea quoque genuit. Ex his Ptolemæum iam prope moriens, sibi regni successorem declarauit. A quo Atheniensibus tribus vna est. De Philadelpho autem paulò post subdit. Minorem autem fratrem Argæum, eundemque vterinum, insidias sibi comparantem, vt fama est, interfecit. Non ergo minimus natu fuit in Lagidæ filijs. Liberos autem ex Eurydice reperimus præter filias tres, Arsinoën, quæ primum Lysimacho, deinde Philadelpho nupsit, Lysandram nuptam Agatocli Lysimachi filio, & Ptolemaidem nuptã Demetrio, qui hoc ipso anno mortuus est. Liberos ergo habuit Ptolemæum Ceraunum, qui regnum Macedoniæ, Antigono pulso, ad breue tempus occupauit. Alter autem innominatus à Philadelpho interfectus est, autore Pausania, quod Cyprios ad defectionem sollicitaret. Itaq; duorum fratrum interfectos, per antiphrasim dictus est Philadelphus. *δεύτερον δὲ ἀδελφὸν ἀπέκτεινεν Ἀργαῖον. Cur dictus Philadelphus*.

VII. *Seditio plebis, & secessio in Ianiculum*. *d 3. de ciu. 17.* SVB hoc tempus Romæ post lustrum conditum seditio exorta est. De qua Florus in epit. 11. libri. Plebs, inquit, propter æs alienum, & graues & longas seditiones, ad vltimum in secessit in Ianiculum; vnde à Q. Hortensio Dictatore deducta est, isque in ipso magistratu decessit. Sic Florus; explicat aliquid Zonaras t. 2. cum ait. Post hæc cum Tribb. plebis legem de nouis tabulis rogarent, cui creditores intercesserunt, orta seditio non conquieuit prius, quam hostes vrbem inuaserunt: post vnum videlicet, alterumque annum. Meminit & D. August. vbi & hostilis direptionis eum meminit, vtique significat secedentem plebem vim multis domibus (creditorum puta) attulisse. Id autem mihi non solum animaduertendum, sed iterum etiam obstupescendum videtur, post congestas Romæ ex vniuersa pene Italia prædas, post tot vrbes opulẽtas à milite direptas; tanta etiam penuria vexatam plebem Romanam, vt alieno ære obruta, in seditionem versa, vrbis locupletes domos diripuerit, patriam desperata salute deseruerit. Nimirum quæ per vim Romanus rapuerat, per vim à suis illatam perdidit: & qui congregabant opes, quasi eas in dolium pertusum conijcerent, egentiores illico exinanitis reddebantur.

* * *

IMPERII GRÆCORVM 19. an. V.C. 457 Olymp. 464.

finem constat.a Hunc porro terremotum, ac Lysimachiæ ruinam, Iustinus portendisse dicit etiam Lysimachi, quam stirpis eius, & regni vicinum interitum.

II. Pharus Alexandriæ. b L.17.

Hoc quoque anno vult Eusebius Sostratum Gnidium Pharum in Alexandria construxisse, quam non plane omisisse patet. Rem vtique celeberrimam, & alias vini futuram. *Pharus*, inquit Strabo, b *insula quædam est oblonga, quæ continenti adiacet, ancipitem ad eam portum faciens.* Et paulò post. *In intermedio freto petræ sunt partim aquis opertæ, partim eminentes, continue occurrentium ex pelago fluctuum exasperantes. Ipsum adeò insulæ promontorium est petra quadam mari circundata, turrim habens ex albo lapide mirificè structam multis fastigijs, eodemque insulæ nomine. Eam Sostratus Gnidius regum amicus posuit, ob nauigantium salutē, quod hæc epigraphe notatur.* SOSTRATVS GNIDIVS, DEXIPHANIS FIL. DIIS SERVATORIBVS PRO NAVIGANTIBVS.

III. Pro nau. vsu ac salu. Reges Seruatores. c ann. praeced. n. 4.

PHARI hic vsus & finis fuit, ne temerè nautæ in insulam importuosam prouecti, naufragium in portu facerēt; sed maturè, dum adhuc in alto nauigarent, accensa in Pharo face monerentur. Deos porro seruatores suspicor intellexisse reges Ægypti, quorum amicum fuisse hunc architectum scribit Strabo. Nam Ptolemæus Lagi, Soter dictus est, vt supra diximus: c in gratiam verò filij eius Philadelphi plurali vsus est numero, quia etiam Philadelphus Soter dictus est à Rhodijs. Cæsar lib. 3. de bello ciuili extremo. *Hæc insula*, inquit, *obiecta Alexandriæ portum efficit: sed à superioribus regibus in longitudinem passuum nongentorum in mare iactis molibus angusto itinere, & ponte cum oppido coniungitur.* Sic Cæsar, ille autem Isthmus ἑπταστάδιον dictus est. Id testatur Iosephus.d Vbi ait Demetrium deduxisse in Pharū 70. interpretes. *Assumptis eis*, inquit, *transijt aggerem illum septem stadiorum, & pontem, qui insulam continenti adiungit*, &c.

d L.12.c.2.

IV. Bellum Gallorum Romanorum ex Polyb.

RVRSVM hoc anno, atque his Romæ Coss. bellum Senonicum contra Gallos Senonas gestum est. Nam Polyb. l.2. vix decem elapsi erant anni (& profectò hic vndecimus est annus à 458. ab Vrbe Condita, quo Samnitibus iuncti Galli in agro Clusinorum contra Romanos pugnauerant, in quo Decius iunior deuotione perierat) ecce iterum Gallos magna belli mole Arretium patentes obsidere, (ea est Thusciæ vrbs, & Romanorum colonia.) Ergo adsunt Romani ad ferendam opem; sed ante vrbem collatis signis inferiores è pugna discedunt. In eo prælio cum occisus fuisset Lucius belli dux, in eius locum Manius Curius est suffectus. Hic postmodum legatos de redemptione captiuorum ad Gallos mittit, quos ipsi datam fidem fallentes necant. Ita Polyb. Nam cætera quæ de Gallis deuictis subdit ad annum seq. pertinent, quo Dolabella Consule bellum prosperè confectum est.

V. Ex Paulo Oroso. e L.3.c.22.

PAVLVS autem Oros.e duo bella, duorum Consulatuū in vnum annum permiscet. Anno ab V.C. 462. Dolabella & Domitio Coss. Lucanis, Brutij, Samnites quoque cum Etruscis, & Senonibus Gallis facta societate, cum rediuiuum contra Romanos bellum molirentur, Romani ad exorandos Gallos misere legatos. Quos cum Galli interfecissent, Cæcilius prætor ob vlciscendam legatorum necē, & comprimendum tumultum hostium cum exercitu missus, ab Etruscis Gallisque oppressus interijt. Septem præterea tribuni militum in ea pugna occisi, multi nobiles trucidati, tredecim millia etiam militum Romanorum illo bello prostrata sunt. Ita quotiescunque Galli exarserūt, totis opibus suis Roma detrita est.

Romanorum clades.

VI. Emendatur.

ITA Oros. apud quem pomum corrigendus est omentus. Nam Dolabella non fuit Cos. anno 462. sed octo post annis, id est 470. Deinde non fuit Prætor Cæcilius: eum enim Polybius στρατηγὸν tantum, non ὕπατον vocat, eique suffectum dicit Man. Curium, qui vtique Cos. fuit; nec prætori Consul sufficitur. Nec Dolabella Consule victi sunt Romani, sed victores, Gallorum copijs deletis. Et credibilius est Gallos, post ius gentium violatum aduersus legatos, fuisse deuictos; etsi Florus in Epit. l. 12. Orosio cōsentiat, in eo quod & vnicum bellum ponit, & legatos ante violatos dicit, quam bellum fuerit à Cæcilio gestum. Ergo Polybium sequimur, cum Sigonio in Fastis. Onuphrius tacuit, Cuspinianus non distinxit.

Vel & Florus.

LYSIMACHVS FILIVM TOLLIT.

ANNVS MVNDI 3771. SEXTÆ ÆTAtis 255. Imperij Græcorum, & Seleuci 39. Eleazari Pontif. 6. Ptolomæi Philadelphi 4. Olympiadis CXXIV. An. 2. Vrbis conditæ 470. P. Cornelio Dolabella, Cn. Domitio Caluino Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 282.

I. Ratio temporis.

HABET hic annus secundus Olymp. 124. Lysimachi mortem, si Eusebij Chronico credimus, qui statim ei Ptolemæum cognomento Ceraunum substituit, Polybius l. 2. agens de Achæorum insigni concordia, incremētis, & societate, qua multæ Græciæ ciuitates continebantur. *Olympias*, inquit, *agebatur 124. cum Patrenses & Dymei concordiæ huius fundamenta iecerunt.* Vtrique Achaiæ in Peloponneso populi sunt, oppida Patræ, & Dyme. Pergit. *Quo tempore Ptolemæum Lagi filium, Lysimachum, itemque Seleucum, & Ptolemæum cognomine Ceraunum vitam cum morte commutarunt. Omnes enim isti circa eandem Olympiadem in viuis esse desierunt.* Hæc ipse. Ratione temporis aliquanto laxiore. Verum cū Ceraunus non nisi post mortem Seleuci regnauerit, vt ex Iustino constat, & Seleucus fere adhuc triennium regnarit, necessario tam Lysimachi mors, quam Cerauni regnū differendum est. Tanto autem magis in culpa est Caluisius, qui Lysimachi mortem in præcedentem annum refert.

II. Lysimachus filium Agathoclem veneno tollit.

Hoc igitur anno, qui est V.C. 470. Lysimachus Macedoniam pacatus obtinebat, nemine ei foris molestiam exhibente; cum ipse domestico scelere omnia turbauit. Nā, vt Iustinus refert init. l. 17. breui tempore à Lysimachia terræmotu prostrata; Agathoclem filium suum, quem in successionem regni ordinauerat, per quem multa bella prosperè gesserat, non solum patrium, verum etiam humanū vltra morem perosus, ministra Arsinoë nouerca, veneno interfecit. Hæc Arsinoë, fuit Ptolemæi Lagi filia, vt ostendit Tempor. in stemmate Lagidarum: f sed illa magno id scelus breui luit, trium scilicet liberorum suorum cæde, vt dicemus. Causam autem mortis Agathoclis Iustinus tacet, non tacet tamen, quæ eam sunt consecuta. Hæc illi prima mali labes, inquit, hoc initium impendētis ruinæ fuit. Nam parricidium, principum cædes secutæ sunt, luentiū supplicia, quod occisum iuuenem dolebant. Plerique autem ad Seleucum defecerunt.

f Vide Pausan. l. 1. ne. mine & Paul. Oros. l. 3 sub fin.

III. Dolabella de Gallis victoria.

ROMÆ interea prosperè à Dolabella contra Gallos pugnatum est. Cum enim, vt refert Polybius, M. Curius legatos de redemptione captiuorum ad Gallos misisset, illique eos contra ius gentium necauissent, indignissime facinus illud Romani tulere; ac statim ducto in hostes exercitu, cū Gallis Senonibus obuiam prodeuntibus manū conserunt. Cum Romanis secunda fortuna pugnæ fuisset, eorum partem maximam ceciderunt, reliquos sedibus expulerunt, ita potiti vniuersa Senonum ditione, primam Galliæ coloniam in vrbem misere, Senam dictam, de eorum Gallorum nomine, qui eam prius tenuere. At Boij, vt excidisse patria Senones vident, metu similis fortunæ, omnibus suis, qui arma ferre poterant, excitis, Etruscis etiam aduocatis, aduersus Romanos proficiscuntur. Postquam ad lacum Vadimonis vniuersæ copiæ conuenerant, acie instructa certamen ineunt; cæsi sunt plerique omnes Hetrusci, Boiorum perpauci fuga euasere. Ita Polyb.

IV. Etiã magna inde victoria, & triumphus. Italiæ fines diuersi.

EVTROPIVS autem etiam Samnites cum Hetruscis & Boijs, quos Gallos vocat, contra Romanos venisse dicit, eorumque copias à Dolabella Deletas. Hac victoria potitum etiam triumphasse putat Sigon. Ab Æsi quippe fluuio Picenorum, quondam Italiæ finibus, vsque ad Rubiconem, Italiæ termini insigni hac eius victoria producti sunt. Eiusdem victoriæ meminit Dionys. Hali. cum de legatione ad Pyrrhum missa loquitur. Ait enim in legatis fuisse P. Cornelium, qui quarto anno antè Consul, totam Celtarum gentem Senonas dictos, acerrimos Romano-

rum hostes, bello deuictos, omnes quotquot iuuenili ætate essent, contrucidauerat.

ANNVS MVNDI 3772. SEXTÆ ÆTATIS 256. Imperij Græcorum, & Seleuci 30. Eleazari Pontif. 7. Ptolemæi Philadelphi 5. Olympiadis CXXIV. An. 3. Vrb. Cond. 471. C. Fabricio Luscino, & Q. Aemylio Papo Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 281.

I. Defectio à Lysimacho. a Oros. fine l. 1.

LYSIMACHI in amicos, domesticosque crudelitas, (nã præter Agathoclem regni designatum hæredem, alios etiam filios suos sustulit, *a* adeo vt ante mortem quindecim amisisse varijs casibus scribat Iustinus,) militum animos valde ab eius fide beneuolentiaque disiunxit. Itaque etiam ij, qui exercitibus præerant, certatim ad Seleucum deficiebant, in quibus alter filius eius Alexander, vt habetur in Stemmate Lysimachi ex Appiano, eumque pronum iam ex æmulatione gloriæ, bellum Lysimacho inferre cõpellunt, vt idem ait. Sed certamine vltimo ante annum sequentem dimicatum non est.

II. Bellum in Romanos iteratur.

IN Italia Boij, Etruscique iterũ conspiratione facta, hoc anno bellum renouarunt. Sic enim habet Polybius. Nec tamen ob eam stragem cecidere animis, quin proximo anno iterum aduocatis viribus, collectaq; omni iuuentute, quæ ad vsum armorum apta videbatur, in Romanos exirent. Vbi adeo fusi profligatique fuere, vt pene ad internecionem delerentur. Quamobrem mitigatis paulumper animis fœdus cum Romanis per legatos percutiunt. Ita Polybius apud Perottum, quem male correxit Casaub. *b* qui τὸν ἑξῆς δὲ ἐνιαυτὸν vertere prætermisit, quod plurimum facit ad distinguenda tempora huius historiæ. Rectius etiam, ac verius meo iudicio vertemus quod sequitur, & non parũ ad stabiliendam Chronologiam nostram facit. Contigit ait Polybius hæc fieri anno tertio priusquam Pyrrhus in Italiam traijceret, & quinto ante eam cladem, quam Galli apud Delphos accepere. Vetus interpres male πρότερον in post vertit: nec recte nouus habet triennio prius, & quinque annis ante. Nam Polybius, sicut & Halicarnass. in legationibus habet τρίτῳ ἔτει, καὶ πέμπτῳ. Et tertius annus, vnum tantum requirit intermedium, triennium autem antegressum, saltem duos; idemque de quinto & quinque esto iudicium; tertius autem annus & quintus, historiæ rectissime quadrant. Non enim anno sequenti venit in Italiam Pyrrhus, sed altero post, vrbis scilicet 473. nec Galli ad Delphos nisi quinto ab hinc anno profligati sunt.

b p. 108. l. 2

III. Res à Fabricio gesta.

DE re à Fabricio gesta hæc pauca Dionys. in excerptis legationibus. C. Fabricius tertio anno ante Consul, Samnites, Lucanos, & Brutios magnis prælijs superauit, Thuriosque obsidione liberauit. Victoriam hanc cessisse Fabricio, proptereaque triumphasse colligit ex Fastis Sigon. Hic est ille Fabricius multorum literis, & Ciceronis in primis eloquentia, ob diuitiarum contemptum commendatus; cuius eximium specimen mox cum Pyrrho verbis cõgressus ostendit.

IV. Belli Tarentini origo. c l. 4. c. 1. d t. 2.

HOC ipso anno bello Tarentino causa data est. Quæ ex Orosio, *c* Zonara, *d* & Halicarnass. in primis in excerptis legationibus, fuit huiusmodi. Tarentini otio atque opibus & libertate insolentes, vt ex Pyrrho Plutarchi constat, Etruscis, Gallis, & Samnitibus contra Romanos bella gerẽtibus sese coniunxerant; nec tamen, licet belli autores, aperte adhuc in aciem descenderant. Cum autem L. Valerius Romanæ classis præfectus, Tarentum esset appulsurus, quod vrbem sociã esse arbitrabatur, vt inde postmodum vela faceret, ad eum locum, ad quem mittebatur, Tarentini, qui tum in Theatro ludibundi spectaculis intererant, ex quo in portum ac mare apertus erat prospectus, ex facinorum suorum conscientia contra se missam classem suspicati, eam hostiliter inuaserunt, quinque tantum nauibus vix per fugam elapsis, cætera retracta in portum classis, & profligata est, præfecti nauium trucidati, omnes bello vtiles cæsi, reliqui pretio venditi sunt.

Atrox Tarentinorum facinus.

V. Romanorum querela.

HIS Romam delatis, etsi omnes grauiter eam iniuriam ferebant, non prius tamen ad arma veniendum putarunt, quam de iniuria per legatos expostulassent; inuiti quippe nouos hostes, nondum perdomitis veteribus, accipiebant: ideoque etiam recente iniuria accepta, de bello contra eos statim suscipiendo aut differendo certatum est, vt ait Halicar. Missus autem est L. Posthumius cum collegis aliquot. Is cum in theatro sibi commissam legationem exponeret, Tarentini quasi res nihili, & non de Reipublicæ suæ salute tractaretur, si quid non exactissimè Græcè diceretur obseruabant, ridebant, barbarum vocitabant. Denique è theatro eiecerunt. Cumque abirent, scurra quidam ebriosus, nomine Philonides, cognomento Cotyla, propinquus legato factus, vestes eius lotio dispersit. Hic toto theathro in risum effuso, Ridete, inquit Posthumius, dum vobis per tempus licet. Nam posthæc diu flebitis, dum vestes has multo sanguine eleuetis. Ijs dictis Romam abierunt, eoque peruenerunt, cum L. Æmylius Barbula recens magistratum inijsset. Hæc pluribus Dionys. Halicarnass. à quo, quæcumque inuenire possumus, libenter mutuamur.

Legati fœde tractantur.

VI. Tarentini Pyrrhum euocare cogitant.

INTEREA Tarentini cum se nequaquam pares Romanis armis esse intelligerent, de accersendo Pyrrho, & eo belli duce constituendo deliberabant, quod præ cæteris regibus maxime esset in otio, & magnam belli gerendi peritiam haberet. Ei consilio maiores natu, atque optimi quique ciuium reluctabantur; sed clamore & impetu plebis explodebantur. Quidam tamen Meton nomine, vir probus, ebrietatem simulans, & tibicina præeunte ludibundus est concionem ingressus, cumque expectaret populus vt mulier tibia, vir voce saltans caneret, facto silentio. *Benefacitis*, inquit, *quod ludere & saltare cuilibet dum licet permittitis. Nam vbi Pyrrhus vrbem ingressus fuerit, alia vita ducẽda erit*. Mouit ea oratio plebem, & assentiebatur, sed qui timebant, ne si pax cum Romanis fieret, ipsi dederentur, populum ab ea sententia reuocarunt, & Metonem è concione eiecerunt. Ita decretum de mittendis in Epirum legatis factum est. Hæc ferè Plut. in Pyrrho.

VII. Legatio ad eũ mittuntur.

LEGATOS autem etiam hoc anno traiecto mari in Epirum peruenisse, consentaneum est, vt rebus gerendis satis temporis tribuamus. Nec prudenter à Zonara factum videtur, quamuis non improbante Sigonio in Fastis, quod legatorum missionem differt in id tempus, quo iam ab Æmilio Consule victi fuerant. Imprudentissimi enim fuissent, in hac cessatione, cum scirent quam potentem in se hostem, ac promptum manu concitassent. Missi ergo in Epirum legati, qui non suo tantum, sed Italicorum etiam nomine dona Pyrrho ferant, eique exponant prudẽte sibi duce, & celebri opus esse. Italiam ingentes copias suppeditaturam, equitum 20. millia, peditum ferme ad trecenta & quinquaginta millia, ex Lucanis, Messapijs, Samnitibus, Tarentinis. Quæ non Pyrrhum modo excitarunt, qui otij impatiens erat, sed Epirotas quoque ad eam expeditionẽ suscipiendam impulerunt.

VIII. Acquiescit Pyrrhus, & qua eius conditione.

NAM Pyrrhus qui magnam sibi Græciæ partem vel beneficijs, vel terrore deuinxerat, vt scribit Zonaras, & iampridem Siciliam, Sardiniam, & Carthaginem sibi subijcere cupiebat, & tamen Romanos armis lacessere verebatur, auxilia legatis pollicitus est, ratus Tarentinorum societatem ad cõsilia sua peropportunam fore; sed ne ea patescerent, se domum statim esse rediturum dixit, & in fœderibus excepit, ne diutius quam opus esset, ab eis in Italia detineretur. Hæc pactus maiorem legatorum partẽ, quasi operam in colligendo milite nauaturos, obsidum vice retinuit; paucos & Cineam cum exercitu præmisit. Hæc ferè Zonaras. Cineæ aduentus ad sequentem annum pertinet, quo Æmilius Consul iam Tarentinos bello vexabat, vt suo loco dicemus.

ANNUS MUNDI 3773. SEXTAE ÆTATIS 257. Imperij Græcorum, & Seleuci 31. & vlt. Eleazari Pontificis 8. Philadelphi 6. Olympiad. CXXIV. An. 4. Vrbis conditæ 472.
L. Aemilio Barbula, & Q.
Marcio Philippo
Coss.

ANNUS ANTE CHRISTUM 280.

I. *Lysimachi et Seleuci bellū vltimum.* HABET hic annus, qui est Sabbaticus 170. vltimum certamen commilitonum Alexandri magni, vt autor est Iustinus, & velut ad exemplum fortunæ, par reseruarum, Seleucum inter L. Lysimachum, quorum ille Asiam & Syriam, hic Macedoniam tenebat & Græciam. Lysimachus quatuor & septuaginta annos natus erat, Seleucus septem & septuaginta, sed in ea ætate vtrique animi iuueniles erant, imperijque cupiditatem insatiabilem tenebant. Quippe cum orbem terrarum duo soli tenerent, angustiis sibimet inclusi videbantur, vitæque finem non annorum spatio, sed imperij terminis metiebantur.

IN eo bello Lysimachus, amissis antea variis casibus quindecim liberis, non instrenue moriens, postremus domus suæ ruinæ cumulus accessit. Ita Iustin. ex quo Paulus Orosius. Nec plura nobis suggerit Græcia, sed viceversa deinceps historia Romana copiosior erit. *l. 3. fin.*

II. *Mors Lysimachi.* VIDETUR quidem significare Iustin. eum orbatum liberis omnibus interiisse: sed res aliter habet. Nam mox aliquot filiorū ipsemet meminit, quos Ceraunus in oculis matris interfecit. Scribit Appianus in Syriacis eum ad annos 40. regnasse, annumeratis, quibus Satrapam egit, & septuagenarium in bello pugnantem occidisse: extinctum eius corpus canem domesticum diu protexisse, aduersus alites ac feras, donec Thorax Pharsalius inuentum sepeliit. Sunt qui dicant sepultum ab Alexandro filio, qui metu ad Seleucum fugerat, quando alterum filium Agathoclem occidit Lysimachus: inuentum autem corpus diu quæsitū canis indicio, cum iam tabe difflueret. Ita Appianus.

III. *Chronologia vitæ, & regni Seleuci.* IPSIUS etiam Seleuci hunc annum vltimum prodit Eusebius, duos quippe & triginta illi annos nobiscum attribuit, siue totas octo Olympiadas, ab ineunte decima septima, ad exeuntem vigesimam quartam. Quæ est Sulpitij quoque Seueri Chronologia, & Polybij, quem paulo ante retulimus. *a* Appianus tamen Alexandrinus sub finē libri de bellis Syriacis, mortuum ait ætatis anno 73. regni 40. mendo vtrumque in numerum, vt videtur illapso. Nam Iustinus, vt paulo ante dicebamus, ei septem & 70. vitæ annos attribuit. Eusebius autem & reliqui, regni triginta duos, verum eius regni anni cum annis regni Græcorum concurrunt; cuius regni si recte numerauimus nunc annus agitur tantum trigesimus primus. Quid quod Appianus ipse fatetur Seleucum occisum à Ptolemęo Cerauno, qui cum 9. tantum menses regnarit, non vix vltra biennium. *a a. m. 3771. n. 8.*

IV. *Iudæi Seleuco vectigales.* DE eodem Seleuco Sulpicius Seuerus l. 2. Primus, inquit in Syria post Alexandrum Seleucus Rex fuit, subiecta eidem Perside ac Babylone. Qua tempestate Iudæi annuum stipendium trecenta argenti talenta regi dabant, nec tamen per externos magistratus, sed per sacerdotes suos regebantur, patrioque ritu viuebant. Recte Sigonius externos ibi magistratus mutat in externos; quod autem ait vehementer errare Sulpicium, si credidit Iudæam post Alexandrum tributum pependisse regi Syriæ Seleuco, cui Babylon & Persis paruerit; eo quod Iudæa Ptolemæo Lagidæ primum, tum Philadelpho, & Euergeti, & ad extremū Philopatri paruerit. Ipse potius vehementer hallucinatur. Nam ex supradictis satis constat eum deuicto Demetrio Syriam plane possedisse, & se Regem Asię ac Syriæ appellasse. *b* Quod tamen non prohibet, quin vere à Iosepho scriptum fuerit Iudæos à regibus Asiæ honoratos: *c* & hunc ipsum Seleucum in conditis à se vrbibus, ipsaque metropoli Antiochia ius ciuitatis eis concessisse, voluisseque vt pari ibi conditione cum Gręcis, ac Macedonibus degerent. Nam optimi quique subditi regibus suis certa, staturaque pendunt vectigalia. *b Vide Seleuci annum 27. n. 2. c lib. 12. c. 3.*

V. *Seleuci mors. d l. 17.* DE Seleuci porro morte hæc habet Iustin. *d* Lætus tanta victoria Seleucus, (de Lysimacho scilicet) & quod maius victoria putabat, solum se de cohorte Alexandri mansisse, victoremque victorum extitisse, non humanum opus esse, sed diuinum munus gloriatur; ignarus prorsus non multò post fragilitatis humanæ seipsum exemplum futurum. Quippe post menses admodum septem, à Ptolemæo, cuius sororem Lysimachus in matrimonium habuerat, per insidias circumuentus occiditur. Regnumque Macedoniæ, quod Lysimacho eripuerat, cum vita pariter amisit. De eadem morte Pausanias, *e* Ptolemæus, inquit, Lysandriæ frater, cum Seleuci exercitum Lysimachiam attigisse certior factus esset, eum adortus fudit & occidit. Omnem vero eius pecuniam cum regibus diripiendam tradidisset, Macedoniæ regno potitus est. Celebrat ibidem Pausan. Seleuci iustitiam & pietatem. *e l. 1. p. 14. fi. græ.*

VI. *Bellum à Romanis in Tarentinos suscipitur.* CUM Romæ Consules recens Consulatum inijssent, aduenit Tarento Posthumius cum collegis, nullum responsum à Tarentinis referens, sed pro eo contumelias, quarum vestis inquinata Posthumij fidem faciebat. Quæ cum magnam omnibus indignationem mouissent, Æmilius & collega coacto Senatu diu consultarunt, quid facto opus esset. Erant enim qui suaderent ne id bellum tum susciperetur, dum Lucani & Brutij defecissent, & Samnitum numerosa ac bellicosa gens, atque ad ipsas fores sita Etruria nondum subiugata esset. Aliis ne minimum quidem temporis expectandum videbatur, sed bellum è vestigio decernendum; quæ etiam sententia vicit, vt ait Halicarn. quæ causa etiam fuisse videtur cur Æmilius, cui id bellum obtigit, ita illud à principio gesserit, vt pacis se amantem apertè demonstraret. Cum enim eo appulisset, vt ait Zonaras, idoneis verbis animos eorum tentauit, æquis conditionibus pacem amplexuros ratus. *Cum desidetio pacis.*

VII. *Iterata ad Pyrrhum legatio.* DISSENTIONE tamen inter ciues perseuerante, senioribus & ditibus pacem expetentibus, reliquis bellum flagitantibus, deterior pars meliorem vicit. Et iterata legatione Pyrrhus sollicitatus est. Nam Iustinus, *f* alteram ad Pyrrhum legationem agnoscit. Sic enim ait. *Pyrrhus Epiri rex cum iterata Tarentinorum legatione, additu Samnitium, & Lucanorum precibus, & ipsis auxilio aduersus Romanos indigentibus fatigaretur, non tam supplicium precibus, quam spe inuadendi Italia imperij inductus, venturum se esse cum exercitu pollicetur.* *f l. 18.*

Romanos, inquit Oros. *g* qui quantique hostes circumstreperent, permetientes, vltima adegit necessitas proletarios quoque in arma cogere; quippe cum frustra de prole cura sit, nisi rebus præsentibus consulatur. Itaque irruit in vniuersos. Tarentinorum fines cum Æmilio Consule Romanus exercitus, igni ferroque vastat omnia, plurima expugnat oppida, iniuriam insolenter acceptam, crudeliter vindicat. Sic Oros. at mitius Zonaras. *g l. 4. c. 1.*

VIII. *Res Tarenti ab Æmilio gesta.* QUO cognito, inquit, Æmilius agrum populatur & vastat, eosque in aciem egressos profligat, vt Romani deinceps impune prædas agerent, & quędam castella caperent. Cum autem captiuos diligenter curaret Æmylius, & aliquot è potentioribus dimisisset, Tarentini & humanitatē eius admirati, & in spem pacis impetrandæ erecti, Agidem Romanis amicum ducem, cum summo imperio creauerunt: qui cum vix Magistratum inijsset, Cineas legatus à Pyrrho præmissus consilia pacis euertit. Nam eius aduentu confirmati Tarentini, pacificatione repudiata, imperium Agidi abrogatum, vni ex legatis detulerunt. Plutarchus eum cum tribus tantum millibus militum aduenisse dicit, Zonaras addit non multo post Milonem cum copiis à Pyrrho item præmissum, qui arcem ad suum aduentum occuparet, & mœnia custodiret. Gratū id Tarentinis fuit, quod neque in præsidiis esse, neque quicquam laboris capere cogerentur. Itaque militi cibaria præbuerunt, Pyrrho pecuniam miserunt. *Tarentinorū inconstantia, & ignauia.*

IX. *Æmilius ad Hyberna recedit.* ÆMILIUS, qui ad id tempus in castris se tenuerat, Pyrrhi militum aduentu cognito, cum per hyemē oppugnare

IMPERII GRÆCO. AN. 32.

vrbem non posset, in Apuleiam abire statuit. Sed cum Tarentini, angustis quibusdam faucibus occupatis, per qua transeundum erat, iter ei iaculis, sagittis, & fundis inter clusissent, captiuos eorum in fronte constituit: illi veriti ne suos pro Romanis conficerent, destiterunt. Hęc ex Zonara, de initijs belli Tarentini. Aduentus autem Pyrrhi, quia ad sequentis anni initium pertinet, quamuis sub his ipsis Consulibus contigerit, differetur. Quantum enim datur ad annos Iulianos res gestas accommodamus.

ANNVS MVNDI 3774. SEXTÆ ÆTATIS 258 Imperij Græcorum 32. Antiochi Soteris 1. Eleazari Pont. 9. Philadelphi 7. Olymp. CXXV. An. 1. Archonte Gorgia. Vrbis conditæ 473. Coss. P. Valerio Læuino. Ti. Coruncanio. Nepote.

ANNVS ANTE CHRISTVM 279.

I. Ratio temporum. Regnum Cerauni. VALERIVM Consulem, non Læuinum, sed Albinum vocat Plutarchus in Pyrrho. Sed omnes qui Consules Romanos digerunt, antiqui & recentiores, Læuinum vocant, vti & Iustinus l.18. qui eo Consule Pyrrhum in Italiam traiecisse refert. Archontem autem Gorgiam suggerit Sigonius, in Atheniensium temporibus & Collector Olympionicarum; qui etiam Ladam Ægieum stadio in Olympicis ex Pausania victorem memorat. Fuit hic Ladas autore Pausania *a* cursor eximius, vt qui omnes ætatis suæ homines pedum pernicitate anteiret; cuius etiam stadium, in quo ille se exercere solebat, à posteris celebratum repetitur. Cadit porro in hunc annum breue Ptolemæi Ceraunl regnum, vel 7. mensium, vt ex Iustino diximus, vel 9. vt habet Eusebius in Chronico Græco Latinoque, ita vt sequentem quoque attingat; quamquam rectius fortasse fuerit, ei vltra annum vnum attribuere, vt ex sequentibus intelligetur. Dictus est autem Ceraunus, siue fulmen, quod esset, vt ait Pausanias, *b* audax & manu promptus.

a L.2. p et gr. *b* l.1. & 10. πολυμήτης ... πρόχειρος.

II. Cerauni & Soteris initia. CERAVNVM porro hoc anno in Macedonia regnare cepisse, sicut in Asia Antiochum Soterem filium Seleuci, ex Iustino l.17. colligitur, vbi ait Pyrrhum in Italiam pro Tarentinis proficiscentem, ab Antiocho filio Seleuci pecuniam, à Ptolemæo Macedonum auxilia accepisse, quæ ponunt eos iam regno esse potitos. At hoc anno constat Pyrrhum mature in Italiam esse profectū. Eusebius quoque Antiochi Soteris annum primum refert in 1. Olymp. 125. etsi Ceraunum biennio ante regē constituat in Chronico. De hoc porro Fulminatore, & eius in regnum ingressu dicamus aliquid: quoniam res eius cum Philadelphi & Soteris rebus connexæ sunt. *Igitur Ptolemæus*, ait Iustinus, (Ex Iustino l.17.) *cum & in gratiam memoriæ magni Ptolemæi patris* (qui scilicet Lagi filius dictus est) *& in fauorem vltionis Lysimachi* (de Seleuco acceptæ) *ambitiosus*, (id est, gratiosus) *apud populares* (Macedones) *esset, primò Lysimachi filios conciliare sibi statuit, nuptiasq; Arsinoes sororis suæ matris eorum petit, puerorum adoptione promissa, vt cum in locum eorum successisset, nihil illi moliri, vel verecundia matris, vel appellatione patris auderent.*

III. Ceraunus ambit Philadelphum. FRATRIS quoque (Philadelphi) Regis Ægypti concordiam per epistolas deprecatur, professus deponere se offensam erepti paterni regni. (Cui scilicet tanquam primogenito debebatur) neque amplius à fratre quęsiturum, quod honestius à paterno hoste (Seleuco occiso) perceperit. Omnique arte adulatur Eumeni & Antigono (Gonatæ) Demetrij filijs (quos scilicet Macedoniæ regnum affectare suspicabatur, quod eorum pater Demetrius aliquot ante annos tenuisset. Ideoq; subditur, (Sic enim verba disponenda sunt.) *Cum quibus bellum habiturus erat, & Antiocho filio Seleuci* (cuius scilicet patrem occiderat,) *ne tertius sibi hostis accederet.*

IV. Ambit & Pyrrhum. SED nec Pyrrhus Rex Epiri omissus, ingens momentum futurus, vtri parti socius accessisset; qui & ipse spoliare singulos cupiens, omnibus se partibus venditabat. Itaque Tarentinis aduersus Romanos laturus auxilium, ab Antigono naues, ad exercitum deportandum mutuo petit, ab Antiocho pecuniam, qui opibus quam militibus instructior erat, à Ptolemæo Macedonum militum auxilia, qui ei quinque millia peditum, equitum quatuor millia, elephantos quinquaginta, non amplius quam in biennij vsum dedit. Sic Iustinus. Manifestus error in numeris, nec vnicus irrepsit. Quomodo enim à Cerauno acceperit Pyrrhus equitum 4. millia, qui tria tantum millia toto suo exercitu habuit? Quomodo quinquaginta elephantos, cum 20. tantum in exercitu eius numerati sint? teste Plutarcho. Plinio, *c* Solino. *d* Cæterum abeunte Pyrrho hoc ipso anno bellum à Ptolemæo Cerauno, contra Antiochū Soterem & Antigonū Gonatam filium Demetrij inchoatum est. Nam alterius patrem occiderat, alterius regnum tenebat. Sed veniamus ad Pyrrhum.

c l.8. c.6. *d* c.18.

PYRRHI IN ITALIAM TRANSITVS.

V. Pyrrhus in Italiam aduentus. PYRRHVS ergo vere non expectato, vt ait Zonaras, cum magno lectissimoque exercitu abiens, & 20. elephantis, quæ animalia non prius in Italia conspecta stuporem & admirationem hominibus attulerunt, dum Ionium traijcit tempestate orta, multis amissis cæteris dissipatis, pedestri itinere Tarentum ægre peruenit. Addit Iustinus venisse in Italiam Pyrrhum relicto custode regni filio Ptolemæo, annos quindecim nato; duobus interim paruulis filiis Alexandro & Heleno, in solatia longinquæ secum expeditionis adductis; (L.18. init.) sed aduentū Pyrrhi persequitur plenius Plutarch. in eius vita. Multis nauibus, inquit, quas hippagogas vocant, tectis insuper, & diuersis pontonibus Tarento adductis Elephantos viginti, equitum tria, peditum viginti duo millia, sagittarios & funditores quingentos imposuit. Omnibus instructis soluit classem. In altum prouectum cum medium teneret mare Ionicum, corripuit classem, præter anni articulum, coortus boreas. Vim venti tamen, virtute & promptitudine nautarū ac gubernatorum superauit, terręque multo labore ac periculo varie disiecta classe appropinquauit.

VI. Magna tempestate iactatur. ET cæteris quidem nauibus in Siciliam & Libiam expulsis, regia, quamdiu ex alto voluebantur fluctus, resistebat, & mole sua atque robore sustinebat impetum maris. Verum vbi circumegit se ventus, & à terra reflauit, periculumque fuit ne prora vndarum vi aduersa percussa perfringeretur, abiecit se in mare Pyrrhus, ibique certatim amici eius, pro eo ex periculo eripiendo, aduersus ventis & fluctibus tota nocte laborabant. Cum vix tandem luce orta cadente vento in terram euasit, corpore quidē prorsus inualidus, sed animi magnitudine, aduersis egregie reluctans. Simul Messapij, quorum in littus est eiectus, pro præsentibus facultatibus, ad ferendum sedulo auxilium concurrerunt, ac nonnullas naues, quæ ex tempestate emergebant collegerunt. In his equites erant perpauci, peditum duo millia minus, Elephanti duo. Ambigua videtur oratio, duone Elephanti perierint, an decem & octo, & item viginti ne millia peditum perierint, an circiter duo millia. Verum sequentia docent duos tantum periisse elephantos, & consequenter etiam duo fere millia peditum, sed pergit Plutarch.

VII. Ibique Dominum agit, non socium. HIS copiis Pyrrhus profectus est Tarentum; Cineas de aduentu eius certior factus, processit ei cum militibus obuiam. Ad hunc modum vrbem ingressus, nihil inuitis Tarentinis, nec coactis instituit, vsque dum incolumes ex mari adfuerunt naues, & exercitus maxima ex parte conuenit. Tunc multitudinem aduertens nisi acriter compulsam, neque seruari ipsam, neq; seruare posse alios, sed tanquam ipso propugnante, domi residere, balneis indulgentem & conuiuiis; Gymnasia ambulationesque occlusit, in quibus spatiantes, res gerendas verbis dispensabant; compotationibus, commessationibus, & ludis intempestiuis interdixit. Pubem suis ordinibus inseruit, ne seorsim instructi belli tempore nouis rebus studerent, & perpetua armorum tractatione exercuit: quarū rerum molestia quibusdā se subducentibus, qui hæc insolentia parendi, quòd nō liceret in delicijs viuere, seruiturē vocabant, suos portis præfecit qui neminē exire paterentur. His igitur rebus, & commeatus suppeditatione, & satellitū in ędes receptione onera-

oneratos, sera pœnitentia Tarentinos inuasit, quod non socium, sed Dominum accitissent.

VIII. PYRRHVS vero veritus ne his de causis ad Romanos inclinarent, Reip. gerendæ, tractandoq; populo idoneos, partim per causas aliquas in Epirum ad filium misit, partim clam sustulit. Aristarchum vero summum apud illos virũ, & eloquentia præstantem sibi conciliauit, vt eum redderet populo sua familiaritate suspectum. Quod cum non succederet, in Epirum ire iussit: qui cum refragari non auderet, se illò nauigaturum simulans, Romam est profectus. Sic fere Zonaras, & Plutarchus.

Sicut & Romani. Romani interea Pyrrhi aduentu minime læti, tum quod Italiam infestam haberent, tum quod illum bellicosum, & inuictis instructum copijs fama ferebat; delectibus habitis, coactaque pecunia, sociis ciuitatibus præsidia imposuerunt, ne illæ quoque deficerent, & quas nouis rebus studere velle præsenserant, earum principes mulctarunt.

IX. *Læuinus mouet in Pyrrhum.* NOVIS Coss. creatis, Tarentinum bellum obtigit Valerio Læuino, qui parte exercitus in vrbe præsidij causa relicta, statim Roma profectus est, vt bellum quam longissimè à patria gereret, & terrorem Pyrrho incuteret, qui ab ijs vltro lacesseretur, quorum se mœnia oppugnaturum opinabatur. Cum ergo nunciatum esset Pyrrho Læuinum Romanum Consulem (sic enim legendum est non Albinum, vt supra dixi) ingenti exercitu in ipsum mouere, simulque euastare Lucaniam; quamuis nondum conuenerant ad eum socij, quia tamen fœdum ducebat pati hostẽ propius accedere, signa mouit, præmisitque ad Romanos caduceatorem, placeretne eis, ante quam arma mouerent, vt se iudice ac disceptatore, ipsis Itali satisfacerent? *Quem recusat iudicem.* Respondit Consul Populum Rom. neque disceptatorẽ Pyrthum capere, neque formidare hostem. Ita Plutarch. quæ Zonaras longe acerbiora facit, atque contumeliosiora.

X. *Pyrrhus Romana castra contemplatur.* ERGO Pyrrhus progressus, castra medio campo inter Pandosiam vrbem, & Heracleam metatus est. Vt intellexit in propinquo Romanos esse, & vltra Sirin amnem castra ponere, excurrit ad amnem speculandi causa. Ibi hostilem exercitum contemplatus obstupuit, & vnum ex amicis appellans, Megacle, inquit, ordo hic barbarorum, Barbarus non est. *Et pugnam differre cupit.* Plutarch. Zonaras ait Leuinum speculatores aliquot comprehendisse, eosque per castra circumduxisse, & cum gloriatus apud eos esset, se alium etiam maiorem exercitum habere, dimisisse. Itaque Pyrrhus de rei euentu sollicitus, pugnam detrectauit, tum quod fœderati eius nondum conuenissent, tum quod Romanos in hostili agro commeatus penuria laboraturos sperabat. Eadem Læuinus quoque reputans, confligere, quamprimùm statuit, flumine traiecto, quamuis apposita à Pyrrho ad flumen statione. *Romani amnem transmittunt.* Et iam vado pedites, equitesque diuersis locis transmittebant; cum veriti Græci ne circumuenirentur, recepere se. Plutarch.

XI. *Et Pyrrhum ad pugnam compellunt.* EO nuncio perculsus Pyrrhus, præcepit peditum ductoribus, vt extemplo aciem instruerent, & armati consisterent. Euectus ipse cum equitatu, (tria millia erant) spectabat in transitu adhuc dissipatos, & inconditos opprimi esse tum se Romanos, vt vero frequentia scuta contemplatus est super fluuium extantia, equitesq; ordine inuehere, globo facto intulit se primus, & militis fortissimi, & sapientissimi ducis partes exequens: cumque armis insignibus cõspicuus, omnium in se arma conuerteret, mutato habitu, armisque cum Megacle amico mutatis, ipse in Romanos irruit. *Megaclem pro Pyrrho interficiunt.* Romani Megaclem, quem Pyrrhum putabant, non cessant armis infestis persequi, donec interficiant. Dexter is fuit, qui casside detracta & clamyde, ad Consulem aduolat, occisum Pyrrhum vociferans. Ea res cum mirum in modum Romanos animaret, Græcos percelleret, Pyrrhus nudo capite obequitat aciem, dextram pugnantibus porrigit, & quis esset voce significat.

XII. *Elephantorũ ope vincuntur.* ELEPHANTIS demum Romanos prementibus, cum equi prius quam propius venirent, nõ ferrent odorem belluarum, sessoresque transuersos auferrent, in turbatos immisso Thessalico equitatu, eos cum magna cæde conuertit in fugam. Ita fere Zonaras, & Plut. Eutrop. Flor. a Iustinus quoque victoriam belluis tribuit. Romanos iam vincentes, inquit, inusitata ante Elephantorum forma stupere primo, mox cedere prælio coëgit, victoresque iam, noua Macedonum monstra repente vicerunt. Nec hostibus incruenta victoria fuit. Nam & ipse Pyrrhus grauiter vulneratus est, & magna pars militum eius cæsa, maioremque gloriam eius victoriæ quam lætitiam habuit. Ita Iustin. cæsorum vtrinque numerum apud Plutarchum reperies, ex variis authoribus, sed male consentientem. Plurimos vtrinque in hostium venisse potestatem missę de captiuis legationes ostendunt. Iustino Zon. consentit.

a l. 1. c. 18.

XIII. *Quid de Pyrrhus victoria.* EAM victoriam, inquit, cum quidam Pyrrho gratularentur, *Si denuo, inquit, ita vicerimus, actum de nobis erit*: suorum quippe præstantissimos amiserat. Sed id Plutarchus ad secundum prælium differt, sicut & Pyrrhi vulnus: addit Zonaras, *& Romanos quamuis victos admiratus, si eis imperasset, dixit se orbis imperio esse potiturum.* Eadem Eutrop. Elegantius etiam Florus, b O quam facile erat, inquit, orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis. Iam castra quoq; deserta à Romanis cepit, socias ciuitates ab eis abalienauit, agros late vastauit, eoq; est progressus, vt non plus triginta sex millibus abesset ab vrbe. A pugna coniunxerunt se ei Lucani, & Samnites. Quorum licet incusaret moram, aperte tamen gaudebat, gloriabaturque, quod cum solis Tarentinis Romanorum copias profligasset. Plutarchus in Pyrrho.

b l. 1. c. 18.

XIV. *Romani exercitum renouant.* ROMANI ergo merito non abrogauerunt Læuino imperium, quamuis C. Fabricium fama sit dixisse, non ab Epirotis Romanos, sed Læuinum à Pyrrho victum: censentent non militibus cladẽ, sed duci esse tribuendam. Quin potius Læuino supplementum miserunt, & altero Consule Tib. ex Hetruria reuocato, vrbem præsidiis firmarunt. Nam Pyrrhum ad eam tendere audierant. Læuinus renouato exercitu Pyrrhum assectando vexauit, & Capuam, *Capuam occupat.* cuius illum capiendæ cupidum esse audierat, occupando defendit. Eo consilio frustratus, Neapolim contendit; qua cum potiri non posset, ad Romam occupandam properans, & per Hetruriam transiens, vt eam quoque gentẽ sibi adiungeret, vbi eos cum Romanis fœdus percussisse didicit, & Tib. sibi obuiam ire, Læuinum à tergo sequi, veritus ne ab eis in regione ignota circumueniretur, vlterius non est progressus. *Pyrrhus Romam tetendit, moxque recedit.* Vt vero recedenti, & Campaniæ fines ingresso, Læuinus cum exercitu longe maiore quam prius, se ostendit. *Hydræ instar*, inquit, *Romanorum legiones cædendo renascuntur*, & aciem quidem ad terrorem incutiendũ Romanis instruxit, sed cum eos ad clamorem militum, barritum elephantorum, armorum sonitum nihil moueri agnouit, sed elatiore etiam vociferatione respondere, & suos potius exterreri, pugnam inire noluit, sacta inauspicata causatus. Sed Tarentum captiuos reduxit. c

c Zonaras.

XV. *Duplex inter hostes legatio.* SEQVITVR duplex legatio, altera Pyrrhi ad Romanos de pace, altera Romanorum ad Pyrrhum de captiuis; in illa primarium agebat legatum Cyneas, homo excellenti sapientia, atque eloquentia: in hac C. Fabricius vir rerum gestarum gloria, & diuitiarum contemptu celeberrimus. Vtra legatio antecesserit non liquet, Plutarchus Cyneę legationem priorem ponit, Fabricij posteriorem; eademque videtur Dionysij Halicarnas. sententia, in exponenda legatione Fabricij. Zonaras autem qui accuratè hoc bellum perscribit, Iustinus, Eutropius, imo & T. Liuius, vt *Et vtra prior.* ex 13. Epitome Flori apparet, prius Fabricium ad Pyrrhum missum scribunt, idque videtur probabilius, etsi inuitus à Dionysio discedo. Quanquam non aperta est eius in contrarium sententia, & ea legatio imperfecta est. Legatos nominat Dionysius C. Fabricium, eiusque in Consulatu Collegam Q. Æmilium, & P. Cornelium, à Senatu ad Pyrrhũ missos, vt captiuos liberarent, siue corpora corporibus mutare vellet, siue certum singulis pretium imponere.

XVI. *Pyrrhi deliberatio de pace, & captiuis.* EAM optionem cum Pyrrho obtulissent, re cum amicis deliberata, Milo suadebat vt neque captiuos redderet, neque pacem faceret, sed Romanis iam victis instaret, & belli reliquias persequeretur. Cyneas autem & captiuos gratis esse reddendos, & legatos atque pecuniam Romam mitten-

mittendos, pacis ac fœderis impetrandi gratia: cuius sententiæ & cæteri, & ipse Pyrrhus assensus est, vt ait Zonaras. Itaque aduocatis legatis, vt est apud Dionys. Rem indignam facitis, inquit, Romani, dum nō amicitiam mecum inire voltis, sed bello captos recipere, vt illis ipsis corporibus ad bellum contra me gerendum vti possitis. Quod si optime rebus vestris consultum vultis, & quid in commune vtrisque nostrum conferat dispicitis, composito bello quod mecum, sociisque meis geritis, gratis à me accipite vestros cum ciues, tum socios vniuersos; alia conditione tam multos ac præstantes viros vobis nequaquam dimisero. Sic ille coram.

XVII. MOXQVE seductum Fabricium modis omnibus sollicitat, volens eo mediatore atque interprete ad pacem componendam vti, atque adeo ad se pellicere. Nam hinc viri virtutem commendabat, eius paupertatem miserabatur: inde diuitias ingentes, amicitiam suam, honores apud se primarios offerebat; etiam quartam regni partem, vt scribit Eutropius, Dionysius autem: *Post pacem firmatam*, inquit, *mecum proficiscere, futurus meorum omnium consiliorum conscius, & à me secundus in ducendo exercitu, regniq́; felicitatis consors*. Quæ omnia à Fabricio repudiata, fuse Dionysius persequitur. Illud tantum acute ab eo dictum non omiserim, quod refert Plutarchus in Pyrrho. Illum, inquit, inuitauit priuatim vt se pace confecta comitaretur, viueretq; secum, offerens ei primum locum inter amicos suos, & duces. Cui summisse fertur respondisse Fabricius. Atqui non fuerit Rex, idē re tua. Nam illi ipsi, qui nunc venerantur ac suspiciunt te, si me probauerint, me præoptent Regem tibi.

XVIII. *Et captiuos committit.* QVAM animi celsitudinem cum amicis ille prædicasset, captiuos vnius illius fidei credidit, hac lege, si pacem abnuisset Senatus, vt salutatis propinquis, & Saturnalibus celebratis, ad se remitterentur. Ita Plutarch. quæ indicant hæc sub extremum annum esse pertractata. Nam Saturnalia in 14. Cal. Ianuar. incidebant, vt habet Macrobius, & nos alio quoque loco significauimus.

Et Cyneam Romam mittit. Sic legati, Fabriciusq; in primis ab auro intacti, receptis captiuis Romam redierunt. Pyrrhus autem Cyneam, multo cum auro, & ornamentis muliebribus omnis generis, Romam misit, vt si viri postulata Pyrrhi aduersarentur, vxores ornamentis allectæ viros corrumperent. Romam vt peruenit Cyneas, non statim Senatum adijt, sed varia causatus ad moram, potentium ædes circumijt, eosque & verbis, & muneribus sibi conciliauit.

XIX. *Quid ille Romæ in Senatu egerit.* CVM iam multos sibi deuinxisset, curiam ingressus retulit Pyrrhum in Italiam venisse, non vt Romanos bello vexaret, sed vt Tarentinos sibi supplices factos eis reconciliaret, propterea q́ue captiuos sine precio restituisse. Et cum agrum eorum vastare, & vrbem oppugnare potuisset, se in numerum amicorum ac sociorum ascribi malle, & mutuis inter se meritis beneficijsque certare. Sic Zonar. Eutropius addit petitum à Cynea Pyrrhi nomine, vt partem Italiæ, quam iam armis occupauerat, retineret: Florus in Epitome, vt pacis componendæ causa Rex in vrbem reciperetur. Plutarchus in Pyrrho, operam à Rege promissam Romanis ad Italiam subiugandam: sed nemo quem viderim de corruptis Romanis à Cynea, præter Zonaram; qui forte non minus assecutus est historiæ veritatem; legatorum credo ea virtus fuerit, non populi totius, neque mulierum. Nec sane videntur mihi sine auxesi accipienda illa Iustini verba Cyneas Romam cum ingentibus à Pyrrho donis missus, neminem cuius domus muneribus pateret, inuenit: quæ habet etiam Plutarchus & Florus magnus Romanorum laudum decantator. Nimirum non omnes Fabricij erant, aut Curij. Addit Iustinus exemplum aliud continentiæ Romanorum, quod ad Philadelphum, annumque Vrbis Conditæ 480. pertinet. Sed redeamus in Senatum pacem inter bellumque fluctuantem.

Lib. 18.

XX. *Senatus in pacem inclinat.* HONESTISSIMA erat Cyneæ oratio, cui fauebant multi Senatores auro victi; fauebant captiui gratis redditi, quibus, nisi pax conficeretur, in captiuitatem redeundum erat, periculumque grauius ob contemptam amicitiam extimescendum; fauebat prærogatiua suffragij C. Fabricij legati; fauebat acceptæ iam cladis dolor, & non leuioris ab eo imminentis metus. Nam quantum vires Romanorum imminutæ fuerant, tanto potentior nouorum sociorum aduentu Pyrrhus euaserat: cumque dies multi deliberando consumpti essent, sententia de pace vincebat.

A qua deterretur ab Appio. Id cum Appius Claudius accepisset, in curiam se deferri iussit, vt Senatum inclinantem ad pacem cum Pyrrho, fœdusque faciendum, de sententia deduceret; vbi non dubitauit illa dicere, quæ versibus persecutus est Ennius, apud Ciceronem in Catone.

Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant,
Ante hac, dementis sese flexere ruina?

Cæteraque grauissimè. Sic ibi.

XXI. SENTENTIÆ summa fuit, vt ex Plutarcho & Zonara colligimus. Non esse è Republica pacem cum Pyrrho fieri, non propterea illum ex Italia discessurum, sed Romanos contemptui habiturum, si suas in eos contumelias nō solum impune ferat, sed accipiat insuper præmium. Ergo Cyneam, qui ciuitatem donis peruerteret, statim vrbe pellendum; per eumque Pyrrho significandum, vt domum reuersus, siue de pace, siue quid aliud vellet, legatos mitteret: cum eo bellum, quandiu in Italia versaretur, omni ope gerendum, captiuos remittendos. Eam sententiam frequens Senatus secutus est. Plutarchus author est peracto festo Saturnaliorum remissos fuisse captiuos, quod Senatus sanxisset in eum mortem, qui domi remansisset.

XXII. *Quid factum captiuis.* ZONARAS ait eos militari quadam ignominia notatos, neque ijs Romanos duces contra Pyrrhum vsos, neque vsquam alibi voluisse, nequid coniuncti nouarum rerum molirentur, sed alios in præsidia amandatos. Eutropius ait eos prohibitos ad priorem statum reuerti, antequam sibi notorum hostium spolia retulissent. Quos vt Plutarcho conciliemus, dicendum est hæc de captiuis decreta fuisse, postquā secundò gratis remissi fuerunt, ob reuelatas medici insidias, Fabricio iterum consule. Porro hunc annum Cicero in Catone maiore vocat decimum septimum ab altero Appij Claudij consulatu, qui incidit in annum 457. Sic enim intelligi oportet illa verba. *Atque hæc ille egit septem & decem annis post alterum consulatum*. Nam alioqui tuti septendecim anni non inueniuntur nisi computatis extremis, quod Sigonius quoque notauit in fastis: ex quo pete quæ ab altero Consule gesta dicuntur.

ANNVS MVNDI 3775. SEXTÆ ÆTATIS 259. Regni Græcorum 33. Antiochi Soteris 2. Eleazari Pont. 10. Philadelphi 8. Olymp. CXXV An. 2. Archonte Anaxicrate. Vrbis conditæ 474. L. Coss. P. Sulpitio Sauerrio. & P. Decio Mure.

ANNVS ANTE CHRISTVM 278.

IN Græcia diffidentibus inter se bello Ptolemæo Ceraunо, & Antiocho Sotere, & Antigono Gonata regibus, omnes ferme Græciæ ciuitates ducibus Spartanis, velut occasione data, ad spem libertatis erectæ, missis inuicem legatis, per quos in societatis fœdera alligarentur, in bellum prorumpunt, & Ætolos Antigoni socios haud prospero satis euentu inuadunt. Interea inter Reges bellum finitur. Nam Ptolemæus Philadelphus pulso Antigono, ac nauali prælio deuicto, vt inquit Iosephus, cum regnum totius Macedoniæ occupasset, pacem cum Antiocho facit, affinitatemque cum Pyrrho, data ei in matrimonium filia sua, iungit. Exinde externo metu deposito impium & facinorosum animum ad domestica scelera cōuertit. Ita Iustin. Quæ non nihil pugnare videntur cum ijs, quæ idem author habet l. 17. vbi primò Lysimachi filios, eorumque matrem sibi conciliare voluisse dicit, hic autem post externum metum depositum. I. *Bellum in Græcia intra.* L. 12. c. 2. L. 24.

II. SED ex eodem tragicam Cerauni in sororem, ac filius

eius crudelitatem, maxima fraude ac periurio accumulatam, cum pœna mox subsecuta audiamus.

Insidias, inquit, *Arsinoe sorori suæ instruit, quibus & filios eius vita, & ipsam Cassandreæ urbis possessione priuaret*, quo ut peruenirer, sororis, cuius virum interfecerat, nuptias petit, ac fidem obligat iureiurando, se filiis eius rutorem fore, quorum patrem Lysimachum peremerat. Spe & metu victa mulier consentit in matrimonium. At ille mox in vrbem ingressus, occupari arcem iubet, pueros que interfici: quod & factum est, & Arsinoë etiam filiorum orbata cadaueribus, scissa veste, crinibus sparsis, cum duobus seruulis ex vrbe extracta, Samothraciam in exilium abiit. Hæc pluribus Iustinus. Putant infelix meminisse priuigni Agathoclis, quem furente in eius mortem Lysimacho eius parente, marito suo, ipsa veneno sustulerat. Quæ ergo non pepercit alieno, nunc misere amittit suos, & quæ mariti sui iussu, carnifex in eius filium fuerat, maritum suum carnificem in filios suos experitur, & quidem carnificem tanto detestabiliorem, quod iidem & nepotes fuerant, & pupilli, & filij; & quod caput est innocentes: ipse Auunculus, & vitor, & vitricus. Sic iterum impletur illud, *Per quæ peccat quis, per eadem & punitur*, Deo permittente vnius peccatum alterius scelere vindicari.

III. *Ceraunus à Gallis occiditur.* PERGIT porro Iustinus. Sed nec Ptolemæo inulta scelera fuerunt, quippe dijs immortalibus tot periuria, & tam cruenta parricidia vindicantibus, breui post à Gallis spoliatus regno, captus que vitam ferro, vt meruerat, amisit: idemque Pausanias l. 10. confirmat. Id hoc ipso anno contigisse oportet, cum Ceraunum ne integrum quidem annum regnasse Eusebius tradat in chronico. Cum ergo Galli, qui totam Europam armorum suorum terrore complebant, Macedoniam quoq; inuadassent, Ceraunus hic superbia tumens, qui militer haberet eorum filios, qui magno Alexandro duce, totum orientem subegerant, spreta etiam legatione Dardani, qui ei viginti millia armatorum offerebat, cum paucis, atque incompositis, quasi bella non difficilius quam scelera patrarentur, parricidiorum furiis agitatus occurrit. Cumque Galli duce Belgio Bolgium Pausanias vocat, pacem ei per legatos offerrent, si eam vellet emere, ille timorem interpretatus, legationem eam cũ fastu repulit, obsides dari sibi iubens, & arma tradi. Risere Galli, & acie instructa prælium conserunt; victi Macedones cæduntur, Ptolemæus multis vulneribus saucius capitur, caput eius amputatur, & lancea fixum tota acie, ad terrorem hostium circumfertur. Paucos ex Macedonibus fuga seruauit, qui totam Macedoniam luctu & terrore compleuerunt.

p. 331. gr.

IV. *Ceranno in Macedonia successores.* DESPERANTIBUS omnibus, Sosthenes Macedo in spem aliquam publicam rem erigere cœpit. Nam contracta iuuentute, Gallos exultantes victoria compescuit, & Macedoniam depopulatione defendit: cui etiam mox regnum delatum est. Ita Iustinus fere, omisso Meleagro, qui menses duos, & Antipatro qui 45. dies in Macedonia, Eusebio authore regnasse perhibentur. Hoc etiam anno Euseb. Antigoni Gonatæ primum annum ponit, quo Lacedæmonem quoque obtinuisse tradit. Verum historia captæ Lacedæmonis non ad hunc Antigonum pertinet, sed ad eum qui post Demetrium huius filium regnauit, & Cleomenem vicit, vt est apud Plutarchum, in vita Agidis & Cleom. nec captam hoc tempore Spartam apud vllum inuenias, sed tantum à Pyrrho post septem annos in magnum discrimen adductam. Quod mirum est à Scaligero non animaduersum, imo in eumdem errorem Suidã trahere, quamuis repugnantem voluisse, qui captam Spartam Antigono tribuit, sed non Gonatæ, verum ei, qui ab omnibus Græcis Doson, Tutor, Euergetes appellatus est; qui pugnauit cũ Cleomene, nepote Cleonymi, qui Pyrrhũ Lacedæmonem induxit, vt postea ex Plutarcho dicemus. Itaque ne natus quidem erat hoc tempore Cleomenes, ac forte ne eius quidem pater Leonidas. Vide Polyb. l. 2. & inuenies hunc emendatorem temporum plusquam quadraginta annorum parachronismo hallucinari.

V. *Versio Sept.* PERTINERE arbitramur ad octauum hunc Philadelphi annum, quem decurrimus, sacrarum scripturarum interpretationem à 72. Iudæis factam, vt aliquanto post latius disseremus. Qua de re priusquam disputem, non erit opinor ingratum lectori, post tam diuturnum rerum sacrarum silentium, neque à re nostra alienum, si in hac versione diuinum beneficium Ecclesiæ suæ collatum agnoscamus; eoque libentius, quo à plerisque vehementius impugnatur; à quibus tota propemodum huius interpretationis historia, in commentis censetur, ad fabulas amandatur: senes de singulis tribubus eluduntur; quippe confusæ rum erant, & decem iampridem exulabant; cellæ 70. cachinnis excipiuntur, Aristeas commentitius eijcitur, & cum eo, Demetrius Phalereus quem nunquam huic negotio interuenisse cõtendunt, vt qui iam esset ante mortuus. Quidam eis maximam sui laboris partem eripiunt, dum Moysis tantum libros vertisse persuadere volunt. Alij totam interpretationem mutilam & contaminatam arbitrãtur, nihil integrum remansisse, sed confusum quid ex editionibus Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & aliorum, si quæ aliæ prodierunt. Qui in re vehementer fidei nostræ hostibus, vel imprudenter, vel sponte gratificantur.

VI. *A multis quoque defenditur.* ERAT autem etiam inter recentiores, plerique non desunt, qui in asserenda huius historiæ veritate magna sunt cum laude versati, istasque vel cauillationes, vel dubitationes doctrinæ ac sapientiæ suæ luce dispellere, in quibus Leo Castrus in disput. de Translationibus sacræ scripturæ, quam præuiam fecit suis in Esaiam comment. August. Iustinianus in opusc. de 70. interpr. Baron. t. 2. Annal. a Alphonsus Salmeron b Bellarminus c Sext. Sen. lib. 8. Biblioth. d aliique complures idem argumentum obiter atque in cursu attigere, nobis tamen non licet, pro suscepti operis instituto, hunc laborem defugere, & in tam celebri dicendi materia elinguem esse. Vicerunt etiam eorum labore, qui ad illustrandam veritatem operam suam contulerunt: imo luculentam facem, obscuras antiquitatis vias ingredientibus, prætulere.

a an. Christi 231. b tr. 1 comment. p... leg. c t. 1. l. 2. c. 5. & 6. d hæresi.

VII *Necessitas huius versionis.* DIVINUM igitur beneficium in ista 70. interpretum versione gratis animis agnoscendum est. Nam vel ipso authore æternæ vitæ Christo teste, *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* e Ea cognitio & diuinis literis, tam noui, quam veteris Testamenti continetur, quæ inter se admirabili conspiratione cõsentiunt, sic vt quæ in nouo gesta sunt, in vetere promissa demonstrentur, & antiqua prædictio recentis historiæ veritatem necessaria demonstratione cõfirmet. Quoniam vero non solis Iudæis Hebræarum literarum peritis, sed Ethnicis nationibus præparabatur salus, apud quas Græca tunc lingua, vt in Græcorum imperio, frequentabatur, & Iudæi pro suæ obstinationis malitiæ, non solum Christum Dominum non erant agnituri, neque recepturi, sed aliis etiam nationibus lucem veritatis inuisuri, implentes illud Christi Domini. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi Hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare:* necesse fuit sacra oracula in eam linguam transferri, quæ passim intelligeretur, & ita transferri, vt interpretum fide & peritia, ab improbissimis Iudæis probabiliter mentiri non liceret; & tanta cura conseruari, quantam ea volumina merebantur, quæ & res sanctissimas continere constaret, & tam insigni miraculo essent in Græcum idioma à tot tantisque viris conuersa.

e Ioan. 17.

Domina clericorum pro...

VIII. *Ea vsi sunt Apostoli Euangelistæ & S. Patres.* ITAQUE horum interpretatione tanquam S. Spiritus oraculis Apostoli ipsi, atque Euangelistæ, omissa quam vocant hebraica veritate, sunt vsi, in libris & epistolis, quas ad Ecclesiæ doctrinam, atque institutionem posteritati reliquere; & exemplo ipsi suo, tanquam diuina oracula approbauere: eadem tam ipsi, quam Sancti Patres Christũ Dominum vbiq; docuere, & mundum vniuersum ad eius fidem amplectendã perpulere; sicut postmodum Romanis rerum dominis eadem sacra volumina in Latinum sermonem conuersa sunt, & illa editio facta est, quæ Italicæ nomen accepit, & aliquot seculis in Ecclesia visui fuit. Ea cum temporis decursu non satis emaculata censeretur, alia versio ad omnium gentium, quæ isti imperio paruerunt, vsum in Romanam linguam Hieronymo interprete

facta est, eaque Ecclesia Catholica approbante, vsi sunt Ecclesiæ Patres, atque Doctores, sub ea præsertim tempora, quibus Iudæi agnoscentes se apertissimis 70 interpretum testimonijs de Christo conuinci, atque confligi, Græcam versionem è suis synagogis expulerunt, proque ea Aquilam, Symmachum, Theodotionem, Iudæos, & imposteros audire maluerunt, & nobilem illam versioné, quantum licuit, partim autem licuit sparsis toto orbe voluminibus, corrumpere satagerunt, aut etiam tanquam ab Hebraica, quam illi vt quidam putant, corrupissent, veritate alienam, & si superis placet, ab imperitis versam impudenter damnauere. Sibi ergo isti de Scriptura sacra blandiuntur, qualis ab ipso Deo Moysi, & Prophetis, reliquisque sanctis viris dictata est; Christianos humanis septuaginta virorum inuentis, aut Diui Hieronymi contentos esse iubent.

IX. *Similis calumnia Hæreticorum.* Qva in re mihi sane eodem modo ridendi videntur, atque castigandi, quo hæreticos solemus de Scriptura gloriantes, quasi pro ipsis ea stet; & nobis Hieronymos, Augustinos, Cyprianos, Ambrosios, Gregorios, Chrysostomos, Cyrillos concedunt, quos (ne si rumpantur quidem) in sua traducere castra non possunt. Sic enim agimus. Nequaquam ô miseri scriptura vestra est, & nostri patres: Sed isti, vestra ipsorum confessione nostri sunt, & illa, veritate ipsa clamante nostra est. At idem vos de Scriptura dicitis: quis erit contentionis, & iurgiorum finis? Num ad Salomonis *a* gladium accurremus, vt partem eius vobis tribui permittamus, nos in altera parte acquiescamus? Minime sane; Nam Salomon ea simulatione vsus est ad veritatem, quam testibus deprehendere non poterat, prudenter eliciendam: nos testibus innumeris causam nostram tuebimur; iisque fidelissimis, & omni exceptione maioribus.

Reuincitur. *a* 3. Reg. 3.

X. *Patres docent ad quos Scriptura pertineat.* Tv ergo dicis Scripturam stabilire errorem tuum; ego inficias eo; tu mihi negas adhibendam fidem, ego multo minus tibi credendū esse contendo; testes iudicesve controuersiæ, non ab inferis excitemus, sed ab ipso cœlo, viros eruditione clarissimos, vitaque sanctissimos, plerosque tum martyrio, tum confessione, rebusque gestis celeberrimos, vt neque falli, tanto præsertim numero consentientes, facile possint, neque fallere, propter vitæ integritatem velint: denique viros antiquitate ipsa venerabiles, vt qui minimum mille annis ante exortas cōtentiones nostras floruere, vt ab alterutris corrupti esse non potuerint. Illi ergo cum nostri sint vt fatemini, & Scripturam pro nobis interpretentur, quod negare non potestis, vestrosq; errores in antiquissimis hæreticis iampridem damnatos iugulent, vtique victi confectique iugulum datis, & patribus vestro testimonio, & scriptura, patribus ipsis testibus, destituti estis.

XI. *Septuaginta Iudæi inter nos & Hebræos dirimunt.* Eadem nobis est cum Iudæis, ac Iudaizantibus concertatio; obtrudunt Hebraicam veritatem, nos eam à nobis stare contendimus; illi verò pernegant, & nos ad Hebræos codices, & lexica, quæ Chimius nescio quis dolo malo architectatus est, prouocant, ea tantum sacrosancta haberi volunt, quæ ipsi habent. Nos Iudæos repudiamus, vt hostes Christiani nominis infestissimos, contendimus multa passim loca ab ijs abrasa, multa leui punctorum, apicum, simillimarum literarum permutatione deprauata, & in alienum sensum traducta; illi calumniam vociferantur, loca proferimus, corrupta contendimus, corrupta negant. Si nemo in sua causa iudex esse debet, quo maxime modo fraudis istos conuincere possumus, quam Septuaginta virorum interpretationem, & testimonium proferendo, quos constat à Iudæis ipsis, Philone ac Iosepho habitos esse sapientissimos, & linguæ vtriusque peritissimos; & omnino eiusmodi viros, vt causam cur mentiri in re tanta vellent, & fauere Christianis, tribus fere seculis postea nascituris, nullam prorsus habuerint.

XII. *Et nobis adiudicant.* Cvm ergo id legimus in Septuag, quod cum Hebræo textu consentire non possit, quod sane rarius contingit, si modo fateri volumus, vt debemus, Septuag. non verba verbis appendisse, sed plerumque in re obscura paraphrasin, aut breué expositionem pro verbi interpretatione attulisse, *b* imo etiam dictante eodem Spiritu S. nonnulla addidisse, tanquam prophetas, quæ futuris seculis vsui forent,) id tamen si contigerit, id vero ab aduersariis nostris Hebræis corruptum vel mutilatum, aut falsa interpretatione vitiatum, sine vlla dubitatione contendimus: Loca pleraque proferunt Leo Castrius, Alphonsus Salmeronus, Bellarminus, Gordonus, alij, quæ breuitatis causa prætermittimus. Quanto, inquit Leo, *c* metiendū est precio, quod quoties inter nostros & Iudæos, de intellectu scripturarum orta est concertatio, à 70. Iudæis statim pugna dirimitur, qui secundum nos litem dant, & Iudæos damnant semper; quod quoties Iudæi robustissima illa argumenta, quæ insolubilia maiores nostri appellant, nobis è manibus extorquere conantur, & inuertere & obscurare, & alio deflectere, Septuaginta semper nobiscum faciunt, refellunt Iudæos & cæt. quæ pluribus ille persequitur, vir non solum Græce, atque Hebraice peritissimus, sed in hoc certaminis genere primipilus: vt qui Græcos, Hebræosque codices, pro egregio in fidem Catholicam zelo, diligenter excusserat.

b vide Pin. fol. 3. Turr. n. 13 14 4. Loca ab Hebræis corrupta. c c. 2. disput.

XIII. *Obiectio de Græca editione vitiata.* Habemvs igitur contra Hebræos, duos & septuaginta testes, quibus & illi fidere merito deberent, propter fauorem generis, & vtriusque linguæ peritiam: & nos nullam eos reijciendi causam habemus: quibus patres omnes fauent, quibus Apostoli ipsi atque Euangelistæ, atque ipse Christus Dominus patrocinatur, dum scripturam vix, nisi ex septuaginta interpretatione, proferunt, vt paulo ante dicebamus.

Responsio prior. Recte tu quidem ista, inquies, si versio Scripturarum in græcam linguam ea mansisset, quæ primum edita fuit: verum nunc alia omnino videtur ab ea, quæ quondam fuit: nō pauca ex Aquila, Symmacho, Theodotione irrepsere, sublatis obelis & asteriscis: multa à sciolis addita, detracta, mutata, quod variæ passim lectiones probant. Respondeo primum. Id fortasse negari non posse: eam enim sibi causam fuisse Hieronymus fatetur, grauem nouæ interpretationis laborem subeundi, vt alia fidelis editio, ex incorruptis Hebræis cuderetur, quæ propius verborum ipsorum vim sectaretur; vt vtriusque subsidio, Iudæorum atque Hæreticorum perfidia reuinceretur: dum ex vna diuinæ verba fidelia, ex alia sententiam fidelem educimus.

XIV. *Manere eandem versionem, licet alicubi corruptam.* Deinde quam multa in Cicerone, Virgilio, Homero, Demosthene deprauata sunt? docent id tam multa scholia & coniecturæ criticorum, tot variæ lectiones, nec vbique consentientia exemplaria. Quis propterea aut libros de oratore M. Tullio, aut Æneidem Virgilio conatur eripere, Philippicas Demostheni, Homero Iliadem, atque Odyssæam? Quod si Euangelia ipsa pro veris Euangeliis agnoscimus, quæ pro talibus ab Ecclesia agnoscuntur, nonne Ecclesia nobis Septuag. virorū interpretationem proponit, quasi eorum opus, vel certe quod ad id, quam proxime accedat? an propterea spurium dicendum, quod aliquibus in locis non satis emaculatum est? quod tandem opus hac ratione authori suo relinquatur? Neque existimandum est vltro Iudæos corrumpere voluisse 70. si quādo in gypsatas eorum manus incidere, nisi odio Christianorum, in locis, quę Christo & Christianis fauebant: quota autem ea pars est sacrorum bibliorum, & quam multa etiam fauebant, quæ illis erant occulta?

Nec multa esse vitiata.

XV. *Idem ex alijs versionibus confirmatur.* Nonne innumeras apud patres sententias ex septuaginta citatas reperias, quas Septuag. qui nunc habentur præ manibus, fidelissime repræsentant? quota denique pars est, quæ Theodotionis, Aquilæ, Symmachi dici possit? Imo illud insigne argumentum est integram 70. versionem conseruatam, quod passim in S. Hieron. aliisque patribus, & in eius operis scholiis legimus, quomodo talis sententia apud Aquilam, Symmachum, ac Theodotionem legatur. Sed hisce de rebus nonnulla iam in Præfatione tertij tomi diximus, & plura in editione 70. reperies, Xisti quinti pontificis maximi autoritate Romæ, tam Græce quam Latine excusa, in qua, *Volumus*, inquit pontifex, *& sancimus ad Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem, vt vetus Græcum Testamentum iuxta Septuaginta, ita recognitum & expolitum, ab omnibus recipiatur, & retineatur, quo potissimum ad Latinæ vulgatæ*

gatæ editionis, & veterum sanctorum Patrum intelligentiam vtantur. Nos autem ad ea, quæ magis ad historiam, nostrumque pensum pertinent, conuertamus orationem.

XVI. *Quando facta sit hæc versio.* *Non ante Philadelphi tempus.*

PRIMVM autem inquirendum videtur, quo tempore hæc sacrorum voluminũ interpretatio à Septuaginta duobus Iudæis facta fuerit. Qua de re sententias aliquot reperio, quarum quæ certissima sit non facile statui potest. Et in primis duæ sunt extremæ sententiæ, si nõ tamen sententiæ, & non potius lapsus memoriç dicendę sint eorum, qui extra Philadelphi tempus hanc interpretationem factam videntur existimasse. Nam sanctus Irenæus *a* Ptolemęum Lagidem memorat, qui Hierosolymis interpretes Alexandriam euocarit. Theodoretus, cuius orationem recitat Eugubinus in libello de Editione Vulgata, & Leo Castrius in disputatione de Translationibus sacræ Scripturæ. *b* Eã orationem Theodoretus ita concludit. Prima hæc translatio facta est ante trecentesimum primum annum, *c* ante aduentum cum carne ad nos Dei Verbi, & D. nostri Iesu Christi. Quæ chronologia requirit annum Ptolemæi Lagidæ vigesimo tertio priorem.

a l. 3. c. 25. *b c. 11. p. 22. edit. Salmant.* πρὸ τριακοσίου πρώτου ἔτους, &c.

XVII. *Et sub Ptol. Lagida.*

LAXIOR est ratio temporis Clementis Alex. *d* qui non multum ab Iren. dissentiens, versas ait fuisse Script. & legis, & prophetarum ex Hebr. sermone in linguam gręcam tempore Ptolemei Lagi filij, aut dicunt nonnulli tempore eius qui cognominatus fuit Philadelphus, cum maximam ad eam rẽ contulisset diligẽtiam Demetrius Phalereus, &c. Anatolius autem in canonibus Paschalibus apud Eusebium in historia Ecclesiastica, *e* vtrique principi id attribuit; significans rem à patre susceptam, à filio fuisse perfectam. Huc pertinet Ioannes Mariana, qui in opusculo pro editione vulgata, *f* ait Septuag. diuinos libros græce interpretatos trecentis amplius annis ante Christi ortum, iussu Ptolemæi Philadelphi regis Ægypti. Respexit vtique Mariana ad Theodoretum. Verum trecenti anni ante Christum cum Philadelpho congruere non possunt. Philadelphus enim citra non vltra trecentesimum annum ante Christum regnauit.

d l. 1. Strom. 310. græ. lat. *e l. 7. c. 26.* *f cap. 6.*

XVIII. *Et post Philadelphum.*

ALTERA extrema sententia manifestus est memoriæ lapsus Iustini martyris, cum inquit Ptolemæum ad Herodem, tum in Iudęa regnantem misisse huius interpretationis causa. Quæ fuit quibusdam causa existimandi, nec ab ea opinione abhorret Mariana, *g* nouam translationem, tempore vltimi Ptolemæi factam. Præsertim cum Iust. idem in cohortatione ad Græcos, eius quæ à Sept. facta est, copiose meminerit. Et in hac posteriore geminæ legationis mentio fit, qua primum libri petiti & impetrati sunt, deinde exorati interpretes. Verum hęc infirma sunt, & facile refelli possunt. Itaque Scaliger, pro sua in sanctos patres reuerentia, eum & temporum & historię ignorationis accusat. Modestius Langus interpres & Sylburgus, eadem licet fuligine tincti, memorię lapsum agnoscunt, & Herodi regi Eleazarum pont. substituendum putant; quod Perionus in eundem Iust. locum ante notauerat: & potest duplex illa legatio ad Eleazarum à Ptol. mitti, vt Epiphanius habet, *h* & in vnam breuitatis causa constringi narrationẽ. Huc etiam pertinet S. Chrysost. qui ait Septuag. ante centum & amplius annos dominici aduentus Scripturam interpretatos esse.

In 2. Apolog. *g ibid. c. 14.* ἀντιστρατηγίας ᾗ ἀναχωρήσεως. *h l. de pond. et mens. n. 10. & 11.* *Hom. 5. in c. 1. Matt.*

XIX. *Quo ergo tempore.*

DENIQVE cęteri omnes antiqui recentioresq; in Philadelpho consentiunt. Sed quadruplex est circa eum chronol. Quidam enim hanc interpretationẽ principio regni eius attribuunt, primęve decadi, alij, secundæ aut tertiæ, nonnulli deniq; fini, postremisve annis regni eius. Ad quã tamen classem S. Athanasium in Synopsi referam, non habeo: apud quem licet Philadelphum notet, ducentos tamen & 30. tantũ annos intermedios ponit inter hanc versionem. & Christi Domini aduentum; cum ab hoc anno ad Christi Domini ortum 278. annos numeremus.

Primo decennio. *forte πλ pro ex. scriptum fuit, 230. pro 280. vt 3. an. Chr. 324. n. 17.*

Sit ergo tertia Eusebij sententia, qui in Chro. annum 3. Philadelphi hac historia insigniuit. Etsi enim manuscripti codices nonnihil varient, omnes tamen ad hæc initia eandem referunt, quę videtur etiam fuisse Anatolij sententia, vt paulo ante significauimus: eamq; sequitur Baronius *i* cum ait hanc interpretationem diuino consilio elaboratã 280. annis ante Christi aduentum; eademq; videtur esse Iosephi *k* & Aristæi. Nam vterq; in epistola Philadelphi ad Eleazarum scribit illum eum primum adeptus est principatum liberasse Iudæos captiuitate, idq; eo fine, vt libros sacros, & eorum fidos interpretes facilius impetraret.

i *k l. 12. c. 2.*

XX. *Confirmatur hæc sententia.*

NEQVE obstat huic sententiæ, quod Scaligero verisimile non sit Ptol. regni sui initijs ad bibliothecam potius instituendam, & libros conuertendos, quam ad res ipsius regni, quæ erant ex iusta fratrum æmulatione turbatæ, animum applicuisse. Verum turbæ fuerunt modici temporis: & hoc opus neque operosum ipsi regi fuit, neque diuturnum. Epiphanius qui anno 7. Philadelphi hanc versionẽ factam habet. & non 17. vt ex Græco textu constat, huius sententiæ est. Numerat autem ab anno 7. Philadelphi vsque ad mortem Cleopatræ annos 249. qui numerus à 7. absoluto ad finem Cleopatræ in nostra chronol. exacte reperitur. Nam si anno mundi præsenti addas, 429. peruenies ad annum quater millesimum vigesimumquartum, quo anno Cleopatra regnare desiit, & regnum Ægypti excisum est. Anno porro 7. subscribit Leo castrius, & qui textum Græcum Eusebij consuluerunt.

l. de pond. & mens. n. 12. 3775. 249. — 4024. *l. de Translat. c. 32.*

XXI. *Qui secundo; id est anno decimo septimo.*

QVARTA sententia huic propinqua est, atque affinis, sed nititur corrupto loco Epiphanii, *l* vbi annus decimus septimus latine pro septimo græco vertitur. Qui error plerosque induxit in fraudem Temporarium, Functium, Caluisium, Beroald. Buntingum, Codomanum, sectarios; Atque adeo è Catholicis Bellarminum, *m* & Iustũ Lipsium, in libro de bibliothecis. Quam versionem, siue Græci textus emendationem non improbat noster Dionysius Petauius, qui nuper de S. Epiph. & vertendo, & notis illustrando præclare meritus est. Non improbat, inquam, quod anni 249. non à septimo Phil. sed à decimoseptimo consurgant: sed illi 10. anni non addendi sunt Philadelpho, sed Cleopatræ, cui Epiphanius tribuit annos duos & 30. detrahendi, iuxta Eusebij, & cæterorũ chronologiam, qui duos ad summum & viginti annos Cleopatræ tribuunt.

l l. de pond. n. 12. *m tom. 1. ad 2 c. 6. cap. 2.*

XXII. *Qui tertio decennio.*

QVINTA opinio tertium decennium amplectitur. Nã Aristæas & Iosephus, *n* ex quibus Freculphus, *o* tradunt eodem die Septuag. Alexandriam ad regẽ peruenisse, quo is nauali prælio Antigonum vicerat. Sigonius autẽ in lib. de Temp. Athen. in annum 3. Olymp. 129. qui est Philadelphi 25. eam referre videtur, cum ait Antigonum Gonatam Atheniensibus bellum intulisse, atque Athenas maritimis ac terrestribus copijs oppugnasse; Philadelphum autem, Patroclum cum classe Atheniensibus subsidio misisse: feliciter autem pugnasse prædicti testantur. Innuit etiam insulæ nomen, quæ inde Patrocli dicta videri potest, propter pugnam ab eo duce ad illam commissam; aut potius propter insulam à Patroclo tum occupatam, & contra Antigonum Demetrij filium muro, & vallo munitam, vt inquit Pausanias initio libri primi. Sed ipse lapsus memoria Pausanias Ptolemæum Lagi pro Philadelpho posuit. Libro autem tertio, vbi de hac expeditione agit, eamque collocat sub rege Spartanorum Areo Acrotati filio, nullam Patrocli vel Ægyptiorum victoriam memorat, neque distinctius tempus notat. Fit nihilominus ex hac historia non parum probabilis ista sententia.

n l. 12 c. 2. *o t. 1. l. 3. c. 7.* *p. 17. græ.*

XXIII. *Qui quarto, &c.*

AD sextam classem, postremosque Philadelphi annos pertinet Africanus, si Scaligero credimus, *p* qui hanc interpretationem conijcit in Olymp. 132. hoc est annũ Philadelphi 35. aut etiam vltiorem: quod rectum minime dubitamus, inquit. In eadem est naui Ludouicus Viues, qui huic negotio operam dedisse putat Philadelphum. cum iam ætate maturior morbis affligeretur, & procul à bellis esse cogeretur. Idem sentit Torniellus, sub annum 56. regni Græcorum, & Petrus Galatinus, qui anno circiter 250. ante Christi natiuitatem hanc historiam contigisse putat, qui est Philadelphi 36. Nos nihilominus in anno septimo Phil. absoluto, vel octauo ineunte hæremus; quoniam tota illi chronologia nostra cohæret: ad quam sententiam probabilitate proxime accedit, quę 25. Philadelphi elegit; cui tamen ætas Demetrij Phalerei videtur officere; quem Laërtius ait cœpisse administrare Rempublicam eo tempore, quo Harpalus Alexandrum fugiens Athenas venit,

p in an. Eu-seb. 1734. f. ff. *in l. 18. de ciuit. c. 42.* *an. 332. & at. l. 1. c. 3 de arcanis.* *Conclusio.*

id coorigit sub mortem Alexandri Magni, id est, ante annos quatuor & viginti. Et de tempore hactenus, nunc rem ipsam videamus. Ad quam primum causa versionis huius, & occasio pertinent, tum personæ quæ huic toti negotio interuenerunt: deinde rei gestæ modus: postremo quid ab eis conuersum fuerit in sacris Bibliis.

b c.4. XXIV.

CAVSAM tradit Eusebius in Præparatione Euangelica, quam ea noua, fideli, atque eleganti Vigerij nostri versione profero. Sic autem habet.

Cum felix illud tempus instaret, quo salutaris huius Seruatoris nostri doctrina lex, sub Romanis Imperatoribus in cunctos sese homines longe lateq; diffunderet, adeoque præcipua tum quadam ratio postularet, vt quæ de ipso extarent oracula, necnon Hebræorum illorum vita, & religiosa disciplina leges, quos Deus ipse longe charissimos habuisset, tum tot iam seculorum interuallo patrij sermonis integumentis clausa latuissent, cæteris tandem aliquando nationibus, quæ postmodum in cognitionis diuinæ communionem vocandæ erant omnibus paterent: Deus ille tantorum bonorum author, diuina scientia ve futurum intuitus, singulari egit prouidentia, vt quæ de venturo paulo post generis humani Seruatore, eodemque Doctore futuro prædicta iam olim essent, ea demum accurata explicatione patefacta, & publicis in bibliothecis collocata, cunctorum in lucem venirent, immissa hac Ptolemæo regi mente diuinitus; nimirum vt quædam quasi penus esset, vnde illa postmodum in populorum omnium vsum, fructumq; promerentur.

Diuina prouidentia.

XXV. Iudæorum inuidia.

ENIMVERO *quorum aliter nulla nobis vnquam à Iudæis, suorum nobis oraculorum cognitionem inuidentibus, copia fieret, eorum diuino consilio promissam interpretationem accepimus, atq; ab illis ipsis, qui plurimum apud eos cum prudentia, tum gentilitiarum quoq; literarũ scientia præstabant elaboratã.* Eadẽ est de Iudæorũ Inuidia, ac malignitate in Christianos Diui Irenæi sententia. *Qui quidem,* Iudæi, ait, *si cognouissent nos futuros, & vsuros his testimonijs, quæ sunt ex Scripturis, nunquã dubitassẽt ipsi suas comburere scripturas, quæ & reliquas omnes gentes manifestam participare vita; & eos qui gloriantur domum se esse Iacob, & populum Israel exhæredari ostendunt à gratia Dei.* Sed Eleazarus etiam pont. vt mox dicemus in epistola sua, ad Philadelphum satis ostendit, ægrè se literas sacras communicare, præterque ingenium facere, sed beneficientiæ ipsius resisti non posse. Non rectè ergo Iosephus, a ait Ptol. sacros libros petenti Eleazarum non inuidisse hanc vtilitatem, *reclamaturi omnino, ait, nisi consuetudinem haberemus à maioribus acceptam res bonas, & honestas celare neminem.*

a In præfat. l. 1. ant.

XXVI. Occasio versionis eam.

OCCASIONEM Aristæus & Iosephus, ex quibus cæteri omnes, afferunt cupiditatem Philadelpho diuinitus iniectam exornandi nobilissimam Alexandriæ bibliothecam, cuius cum præcipuum ornamentum futuri crederentur Iudæorum libri, quos ipsi diuinos profitebantur, & summo studio conseruabant, nec in vulgus patiebantur efferri, Ptolemæus collato in Iudæos ingenti beneficio, vim eis sapienter iniecit, vt sacros libros in Græcum idioma vertendos præberent, atque adeo peritissimos probatissimosque interpretes, qui eam curam fideliter susciperent, feliciterque conficerent. Id beneficium fuit libertas 120. millium Iudæorum, qui tum in Ægypto seruiebant, vt author est Iosephus, b ex eoq́ue Eusebius eo magna ex parte à Ptolemæo Lagi abducti: quam libertatem Aristæas impetrauit, sapienter vsus desiderio, quo Rex erga libros Iudaicos ferebatur. Sed rem ex fonte ipso petamus, Aristæa videlicet, ex quo ad verbum pene Iosephus.

b l.12. c.2. ant. in chro.

XXVII. Bibliotheca Philadelphi.

DEMETRIVS, inquit ille Phalereus, cum esset diligenti studio, multa & varia impendit, ad colligendos, si quo modo fieri posset, omnes totius orbis libros. Nam & emptionibus & descriptionibus librorum à se procuratis studuit, quantum in se esset regis perficere voluntatem. Ex quo præsentibus nobis interrogatus, quot iam myriades librorum adessent, adsunt rex ait vltra viginti, sed breui efficiam, vt reliquis adimpleantur 50. quæ sunt quingenta millia. De numero consentiunt Ioseph. & Eusebius.

de pond. mens.

At Epiphan. *Cum libri,* ait, *vndequaque accumularentur, interrogauit Rex eum cui Bibliothecam commiserat quadam die, quotnam essent libri in Bibliotheca collecti. Ille vero regi respondit. Iam quidem,* ait, *sunt quinquaginta quatuor millia librorum, & eo amplius minum;* sic Epiph. vtris potius credendum sit, iudica lector.

XXVIII. Librorum numerus variat. c.1. l.5. c.2. lib. 22.

CERTE immanis mihi videtur ille numerus, idemque visus est Georgio Cedreno, qui totam illam summam ad centum millia voluminum contraxit, multoq́ue magis Isidoro, qui ad septuaginta millia librorum, Freculpho c qui ait Demetrium respondisse, 20. millia iam adesse, paulo post vsque ad 50. millia posse peruenire, myriadibus in chiliades conuersis. Ammianus tamen Marcel. l. 22. ait bello Alexandrino septingenta librorum millia Cæsare Dictatore conflagrasse; quem numerum apud A. quoque Gellium leges: d nimirum posteriores reges bibliothecam amplificauerant. Eum minuit Seneca non parum, l. de Tranquil. c. 9. cum ait quadringenta millia librorum Alexandriæ arsisse. Fortasse autem libros intelligit opuscula diuersi fere argumenti, qualia in veteri testamento duo ac 20. ab Hebræis, Epiphanio, Hieronymo memorantur, qualia à Laërtio, Theophrasti, Aristotelis, Demetrij, & aliorum multa millia recensentur.

d l. 6. c. vlt.

XXIX Demetrius monet de libris Hebræorum.

PARGIT autem apud Aristæam Demetrius relatum ad se Iudæorum leges dignas esse quæ describantur, & in tuam bibliothecam, ait, seponantur. Tum rex; Quid ergo est, ait, quod te id facere prohibet, cum tibi omnia quæ ad huius rei procurationem faciunt, sint commissa? cumq́ue Demetrius eas interpretatione indigere respondisset, propter characterum & linguæ ab Ægyptiaca, Syriaca & Græca diuersitatem. Rex dixit se ad summum Sacerdotem Hebr. scripturum, vt prædicta perficerentur. Hæc ibi, quæ nonnihil à Iosepho variantur. Hic Aristæas ratus est adesse tempus agendi cum rege, de liberandis Hebræorum captiuis, qui in Ægypto seruiebant, quos Ptol. Lagides adortus partes Cœlesyriæ & Phœniciæ, partim in colonias traduxerat, partim captos adduxerat: passimq́; terrore iniecto ita subiugarat omnia, vt ad decem myriades ex Iudæa in Ægyptum abduceret. (Iosephus 12. myriades posuit, interpres vero addidit etiam duodecimam. Eusebius fideliter reddidit Aristæam.)

XXX. Aristæas petit libertatem Iudæorum.

ARISTÆAS ergo regem monet prouidendum esse, ne turpe sit beneficium diuinæ legis, eiusque interpretationis à Iudæis petere, quorum multa millia premat seruitute: præsertim cum idem Deus, ait, qui ipsis legem dedit, te tuumq́ue regnum feliciter gubernet. Itaque suadet, vt eos seruitute liberatos dimittat, ad quam liberalitatem impetrandam. Andreas quoque & Sosibius deprecatores non irriti accesserunt. Nam rex 20. drachmas, & non 120. vt habet Iosephus, nam εἴκοσι legitur in Græcis etiam manuscriptis. Timuit nimium Iosephus ne nimis vilia Iudæorum capita Romanis haberentur, sicut olim Ægyptiis. Ergo rex 20. drachmas de suo pro singulis corporibus, edicto proposito numerari iussit, quæ pecunia ibidem vltra quadringenta talenta peruenisse dicitur. In ære Gallico cũ vncia argenti sit 55. solid. & drachma sit eius octaua pars, tota summa ascẽdet ad 687. millia Franc. & insuper quingenta: quæ sunt talenta Heb argentea 166. & duæ tertiæ, quarum singula sunt 4125. Franc. ex sententia Epiphanii. Ipsum edictũ, ne longiores simus, apud Iose. & Arist. leges.

XXXI. Demetrij ad regem libellus supplex.

HIS peractis iussit Rex Demetrium scripto comprehensam sententiam suam offerre, de libris Iudæorum describendis, quæ fuit epistola, aut supplex ad eum libellus. Nam nihil inconsiderate, ait Aristæas, aut temere, sed omnia ex mandato, & cum magna diligentia apud hos reges administrantur. Prima ergo hæc causa est cur scripto cum rege etiã præsente ageretur, quo pertinet illud Poëtæ. *Quasi regem adiri solere cum aiunt per epistolam,* vt omnia diligentius essent præmeditata, vt ait Iosephus. Spectabat id quoque ad venerationem regiam; denique in rebus maioris momenti, quæ ad posteritatis notitiam essent peruenturæ, ita diligentius fidei historiæ, ac veritati consulebatur. Illud autem in epistola Demetrii, quæ apud Aristæam & Iosephum legitur, videtur obscurius, quod ait legum Iudaicarum libros, quæ lingua constant, literisq́ue Hebraicis, negligentius esse conscriptos, nec ita vt reipsa se habent, propterea que regiam desiderare prouidentiam.

XXXII. *Qui libri sacri dicantur scripti negligentius.*

MIRVM sane videri possit negligentius conscriptos, aut habitos à Iudæis libros sacros, & oportuisse, vt accedente regia prouidentia, diligentius accurati haberentur; cũ, vt cõstat ex ijs, quę ex ipsomet Iosepho dicemus, scriptæ essent hi libri in membranis politissimis, & quidẽ literis aureis. Itaque libenter assentior Leoni Castrio, dicenti à Demetrio significatum esse Hebræorum libros nõ exactè esse conscriptos, neque ita vt res exigebat, vti in græca, latinave contingit; eo quod partim vocales deessent, & diuinandũ esset, quibus motionibus adhibitis vocabula legi oporteret; partim consonantes aliquæ quiescerent, atque abundarent. Hanc ergo Hebr. linguæ proprietatem Ægyptij, ipseque Demetrius negligentiæ Iudæorum non consilio, aut idiotissimo tribuebant, volebantq; regiam his curam accedere, qua fieret vt conuersis in Græcum idioma Hebr. libris, facilius esset hebræa ex Græcis legere, atque intelligere, cum Septuag. quomodo legenda essent, ex sua versione indicassent.

In disputat. de Trans lat. c. 11.

XXXIII. *Magni fiebant ab Ethnicis.*

Ex hoc porro loco idem Castrius contendit Septuag. inuentores esse punctorum, siue motionum; quibus Hebræa legi nunc solent. Certe Christus Dominus cum meminit apicum legis, puncta ista vocalia iam excogitata fuisse innuit. Addit deinde Demetrius, quæ doceant, quo in pretio sacræ literæ apud Ethnicos ipsos forent. Rectum inquit fuerit, & hos libros accurate elaboratos, extare inter tuos, quia hæ leges & sapientiores, & sanctiores sunt alijs, vt quæ sint diuinæ. Hoc enim cũ alij Scriptores poëtę, tum historici omnes abstinuere à mentione, & librorum istorũ & virorũ illorũ, qui secundũ leges has administrant & administrarunt Rempub. quia vt Hecatęus Abderites asserit, plane sanctã quandã & venerandã contineant in se sententiam, & contemplationẽ. Sic ipse. Atsi Hecatęus meminit, quomodo nullus meminit? Adde quod Iosephus passim in Antiquitatibus, & in libris aduersus Apionem, multos scriptores, Gręcos, Ægyptios, Chaldęos memorat, qui rerum Iudaicarum meminerunt.

ἁγνὴ λίαν καὶ σεμνὴν ... τούτοις θεωρίαν.

XXXIV. *Suadet Demetrius scribi ad Eleazarum.*

SI *ergo visum fuerit tibi rex*, ait Demetrius concludens epistolam suam, *scribetur ad principem sacerdotum Hierosolymis, vt mittat ad te ex quaq; tribu sex viros maxime honestate vitæ, senio & prudentia legum suarum præstantes: vt ita ex pluribus per diligentem examinationem nacti consentientem & accuratã interpretationem hos libros præclare, vt & rei ipsius, & tuæ voluntatis dignitas postulat recondamus.* Ea relatione facta iussit Rex ad Eleazarũ istis de rebus scribi, & indicari factam redemptionem captiuorum, cui liberalitati adiecit & alteram. Misit enim ad confectionem crateratum, phialarum, mensæ, & vasorum libationum auri 50. talenta, argenti 70. & pretiosorum lapidum ingentem numerum. Iussit præterea fisci præfectos facere artificibus copiam eligendi, quæ vellent, & de pecunia expendere ad sacrificia, & res alias ad talenta centum. Ita Aristæas; & Iosephus; nisi quod hic imprudens argenti talenta 70. prætermisit.

XXXV. *Regis ad Pontificem epistola.*

REGIS autem epistola ad pontificem breuis est, in hæc verba. *Quoniam contigit, vt multi ex Hebræis incolerent regionem nostram, quorum alij Hierosolymis abducti sunt à Persis, cum illi rerum potirentur.* Plerique nimirum Israëlitæ in tot terum, atque bellorum turbis, in Ægyptum, regionem cęteris quietiorem, ex Perside & Chaldæa defluxerant; vt minus mirum sit aliquot è singulis tribubus postmodum Hierosolymis inueniri potuisse: simul autẽ captiuitatis inuidiam rex à patre suo in Persas, Chaldæosue deriuat, scribens ad Iudæum; cum supra in decreto libertatis, nullam alienigenarum, solins patris mentionem fecerit. Addit nihilominus alios Hebræorum captos, cum patre suo in Ægyptũ peruenisse. *Ex quibus*, inquit, *ille multos selectos in exercitum, & ad militiæ vsum stipendijs amplioribus recepit. Et quia illos priores sudicabat plurimos esse, his loca ad præsidia munita commisit, ne Ægypti populus sibi ab illis timeret.*

XXXVI. *Iudæi in castris, et præsidijs Ægypti.*

NEGATIONEM quoque, in postremis hisce verbis; habebant Græci codices iam editus, quam manuscriptus: Apertaque est sententia timuisse regem ne Ægyptij multitudinem alienigenarum suspectam haberent, ne res nouas molirentur, aut ad aduersarios, cum sese res daret, deficerent, neque à paucioribus, aut non multo pluribus Ægyptijs facile in officio retineri possent. Itaque regem eos, à quibus nihil sibi ipse timeret, in varia præsidia dispertitum esse. At Iosephus negationem sustulit, vel non inuenit; ait enim id à rege factum vt terrori essent indigenis. Alius quoque interpres Aristæi, vt insolescentes, inquit, Ægyptios compesceret. Neque sane absurdum est Ptolemæum Lagidem, nouum in Ægypto regem atque alienigenam, etsi beneuolentiam indigenatum multis sibi modis obligarat, sese tamen per alienigenas, quorum fidem didicisset esse pertinacem, tutiorem in omnem euentum reddere voluisse: pręsertim in magna ciuium suorum Macedonũ paucitate, & vicinitate Iudæorum. Prior tamen simplicior videtur & certior, hæc autem nonnihil à Iosephi ambitione suspecta.

XXXVII. *Philadelphus bene de Iudæis meritus. ὑπὲρ δέκα μυριάδας.*

PERGIT Philadelphus. *Nos vero regni administrationem consecuti, cum alijs omnibus exhibemus nos humaniores, tum vero præcipue ciuibus tuis, quorum vltra centum millia captiuitate liberauimus, persoluto singulis dominis idoneo pretio. Simul etiam corrigimus, si qua ex impetu multitudinis perperam sunt acta. In quo persuasum habemus nos pie agere, & offerre munus animi grati magno Deo, qui regnum nobis in pace, maximaq; gloria toto terrarum orbe conseruauit.* Quis aliam vocem à Christiano principe desideret? vide etiam humanitatem. *Præterea ætate & viribus valentiores in exercitum recepimus, qui vero idonei essent, vt circa nos versarentur, illos dignos iudicauimus, quibus aulæ nostræ negotia committeremus. Sed cum non solum his cupiamus gratificari, sed omnibus etiam Iudæis, qui in toto terrarum orbe versantur, atque adeo illis qui in posterum sunt futuri, constituimus legem vestram ex Hebraica lingua in Græcam interpretatione traducere, vt hæ leges vestræ cum alijs regijs libris, in nostra bibliotheca reperiantur.*

Vbique eos tuam, etiam in futurum

XXXVIII *Iudæi ignari linguæ Heb.*

ELEGANTER beneficium non à Iudæis accipere, sed eisdem velle conferre prę se fert, & eorum vtilitati nõ propriæ curiositati, aut delectationi seruire velle. Gratificabatur vtique Iudæis, quorum pars maxima, quę Asiam, Ægyptum, Græciam incolebat, in Hebræa lingua noui erant atque peregrini, vtpote in illis nati educatique prouinciis, eamque discebant ex libris, quemadmodum nos græcam, & latinam & multo magis Hebræam. Ea vero vtebantur quæ materna erat, græca præsertim, quæ tum latissime patebat, ex qua Hellenistæ dicebantur; cum Ethnici & infideles vt plurimum in nouo testamento Hellenes, id est, Græci dicerentur. Iudæi ergo Hellenistæ græcis bibliis in suis synagogis vtebantur: itaque Philo perpetuo, Iosephus pene semper vestigiis Septuaginta interpretum insistit, & cæteri totis ducentis & 78. annis ante Christum vsi sunt, & deinceps, vsque ad tempora Iustini martyris, ac Tertulliani, vt ex eorum libris apologeticis aperte cõstat: donec intellectum est ea versione Iudæorum impietatem conuelli, & sacrosanctam in Christum fidem eorum interpretum testimonijs roborari.

ἑλληνισταὶ Act. 6. 1. c. 9. 29. & ca. 11. 20. ἕλληνες. Ioan. 7. 35. 12. 20. Act. 16. 1. &c. vide Præfat. t. 1. n. 2

XXXIX. *Rex petit interpretes, et libros sacros.*

REDDAMVS reliquam epistolam. *Præclare itaque, & pro dignitate instituti nostri feceris, si ad nos miseris electos ex quaq; tribu sex viros seniores, qui & honeste vitam traduxerint, & in legum peritia sint exercitati, & interpretandi facultate polleant, vt in studio, & tractatione rei magna, germana & consentiens eius veritas à pluribus erutã deprehendatur.* Et mox. *Misimus autem ad te Andream præcipuum corporis nostri custodem, & Aristæam, viros apud nos magno in honore constitutos, qui tecum hac de re agant, & afferant tibi secum, & in templum primitias donariorum: & ad sacra, aliosque vsus pecuniæ talenta centum. Si autem & tu ad nos scripseris, si quid est quod desideres, rem gratam nobis; & amicitia nostra dignam feceris. Nos quamprimum curabimus, quæ te cupere intelligemus. Vale.*

XL. *Responsio Eleazari. γνησίῳ.*

ELEAZARVS ad eam epistolam magna cum humanitate respondit in hanc sententiam. *Eleazarus summus sacerdos Regi Ptolemæo, Amico verissimo S.* Verum vocat ac syncerũ amicum, qui singulari humanitate in totam Iudæorum gentem, ac magnificentia in Dei cultum, & non nudis verborum pigmentis; & inanibus promissis, veritatem beneuolentiæ suæ comprobarat: *Si vales, & regina Arsinoë soror tua, liberiq;, bene est, & vti cupimus; nos quoque recte valemus.* Nõ recte Gelenius apud Iosephum, apud quem extat quoque hæc epistola, addidit *communes liberos.* Neque enim Phi-

l. 1. p. 7. g

Filij Ptolemæi vnde nati.

ladelphus ex sorore liberos vllos suscepit. Audi enim Pausaniam. *Huic filij ex Arsinoe, non sane sorore, sed ea quæ Lysimachi filia fuit, nati sunt. Nam soror, quam sibi matrimonio iunxerat, antequam pareret, diem suum obijt, à qua Arsinoites præfectura cognomen accepit.* Hæc ibi. Ea altera vero Arsinoë filia Lysimachi, suscepit Ptolemæum Euergetem, & filias duas Laodicen & Berenicen, de quibus suis locis dicetur: nunc ipsam audiamus epistolam.

XLI. *Gratiæ aguntur pro muneribus.*

ACCEPTA *epistola tua valde gauisi sumus ob egregiam tuam voluntatem, aduocataque concione multitudini vniuersæ, eam legimus, vt cognoscerent tuam erga Deum nostrum pietatem. Quibus monstrauimus etiam phialas quas misisti 20. aureas, & argenteas triginta: crateras item quinque, & mensam super quam ferent oblationes, & sacra peragerentur: tum pecuniæ talenta centum, ad alios templi vsus. Quæ quidem attulerunt Andreas tibi charissimus, & Aristæas viri honesti & boni, doctrinaque præstantes, tua familiaritate, ac virtute dignissimi. Qui etiam exposuerunt nobis omnia sibi abs te commissa, & a nobis vicissim cognouerunt, quæ literis tuis respondenda viderentur. Itaque quæcunque tibi cordi fuerint, etiamsi quid præter ingenium nostrum facere oporteat, exequemur; id enim est amicitiæ ac beneuolentiæ argumentum. Magnis quippe beneficijs, & quæ nulla deleturа sit obliuio, magnum ciuium nostrorum numerum affecisti.*

Ἔχει τοῦ Ζῆν Φίλον ἰέναι.

XLII. *Postulatio interpretum.*

QVAMOBREM *continuo pro te, & sorore tua, liberis & amicis hostias obtulimus vniuersi, vt perpetuo feliciter tibi cuncta succedant, vtque omnium moderator Deus regnum tuum in gloria & pace tueatur. Et sacra legis interpretatio ex animi tui sententia, & multa cum tranquillitate contingat. Ac nos quidem in præsentia omnium elegimus honestos & bonos viros, ætate graues, ex singulis tribubus senos, quos ad te vna cum lege misimus. Tu vero Rex iuste, præclare facies, si post absolutam ex mandato tuo librorum translationem, curabis vt isti viri rursum nobis tuto restituantur.* Hactenus epistola, quæ donaria illa, vt par erat, numerat duntaxat; at singulorum ornatum & magnificentiam diligenter apud Aristæam & Iosephum explicata reperies; quæ nos breuitatis causa prætermittimus.

XLIII. *Mensa thymiamatis non fideliter expressa.*

ILLVD tamen tacitus præterire non possum, quod apud vtrumque scriptorem legimus, de mensa, siue altari thymiamatis, quod Ptolemæus repræsentare voluit. Cupiens enim longe maiorem facere mensam, mandauit explorari eius, quæ tum Hierosolymis erat magnitudinem, quod nollet ad ostentationem duntaxat illam in templo residere, sed vsui esse sacris ministeriis. Itaque dixit ille se æqualẽ facturum; sed artificij elegantia, quod magnitudini deesset, compensaturum. Iosephus ergo huius mensæ modum ac mensuram in longitudinem duorum cubitorum & semis, in latitudinem vnius, altitudine sesquicubitalem fuisse scribit. Aristæas autem omissa latitudine, longitudinem ponit duorum cubitorum, in altitudine Iosepho consentit. Qui in eo vehementer errat, quod cum profiteatur hanc mensam ad prioris modum, Mosaicæ videlicet, esse factam, illaque apud Mosem descripta sit, ista illi neque longitudine, neque latitudine, neque altitudine respondet. Nam neque altera parte longior esse debuit, sed quadrata, neque longitudo cubitorum duorum & semis, sed vnius, eademque latitudini par: nec altitudo sesquicubitalis, sed cubitorum duorum. Sicque in re maxime obuia, triplici vanitate lectoris abutitur fide.

Exod. 30. 1

XLIV. *Alia in eadem descriptione desiderata.*

TOLERABILIVS erat Aristæas homo peregrinus, non templi sacerdos, cum eius altaris mensuras non recte, & iuxta legis præscriptum refert. In descriptione autem ornatus tam mensæ, quam cæterorum donariorum, vereor ne ab vtroque cacozelia peccetur. Et cum mensæ varia ornamenta tribuantur, miror prætermissa, quæ lege præscripta erant, cornua altaris, craticulam, annulos. Postremo Aristæi verbis donaria ista concludo. *Sæpe rex, inquit, omissis publicis occupationibus studiose assidebat artificibus, vt illi perficerent omnia, prout decebat locum, cui illa destinabat. Itaque magnifice absoluta sunt omnia, & pro regis mittentis potentia, & pro summi pontificis, qui templo Dei præerat, dignitate. Nam pretiosi lapides & magnitudine conspicui, & numero multi, non pauciores quinque millibus, adhibiti erant. Tam artis solertia omnia ita excellebant, vt artificium industria, & lapidum valor quintuplo pretium auri superarit.* Cum tamen de mensa superius dixerit,

Cacozelia.

eam vndique ex auro probato solidam, & non aureis laminis extrinsecus obductam; eiusque crassitudinem fuisse semicubito non minorem.

XLV. *Ptolemæus Rex versionis curator primarius. Eam lau. an. 19. & seqq.*

IAM vero personæ, quæ huic negotio interuenerunt, vel recensendæ sunt, vel examinandæ. Ptolemæus occurrit primus, quem etsi fuisse Philadelphum, supra demonstratum est, a libet tamen hoc loco audire Philonem, l. 2. de vita Mosis. *Id opus,* inquit, *puta conuertendarum scripturarum, quia magnum erat, & Reipub. vtilissimum, non priuatis hominibus obuenit, nec mediocribus istis principibus & regulis, sed Regi omnium longe celeberrimo. Is Ptolemæus fuit, Philadelphus cognomine, tertius ab Alexandro Ægypti Rex, virtutibus regijs, supra omnes ætatis suæ, superiorumque seculorum principes nobilis; cuius nunc quoque ex tanto temporum interuallo decus est inclytum, ob tot relicta per ciuitates, regionesque, monumenta magnificentiæ, vt in prouerbium abierint sumptuosa opera, ab illo Philadelphea denominata. Quandoquidem in vniuersum Ptolemæorum domus cæteris regijs præstitit, inter Ptolemæos Philadelphus. Vnus enim hic plura laude digna gessit, quam omnes reliqui eius familiæ; quippe qui tantum inter illos eminuit, quantum caput in corpore. Talis princeps capitus nostræ legis amore ac desiderio, eam in Græcam linguam è Chaldæa (imo ex Hebræa) transferendam curauit.* Hæc ille.

Sumptuosa opera, Philadelphea.

XLVI. *Philadelphi laus.* b c. 18. c p. 789. gr. lat.

TERTVLLIANVS in Apologetico b Ptolemæorum eruditissimum vocat, & omnis literaturæ sagacissimũ; quod ex Strabone l. 17. c firmatur. c Iosephus & Aristæas eum nobis depingunt ingenio subtilem, ac solertem, pium, magnificum, gloriæ amantem ac literarum. Eiusdem liberalitati prudentiam adiungit sociam Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. *Cum de legis, inquit, & diuinorum prophetarum scriptis audisset, multoque præclarius censeret non ab inuitis, & vi coactis libros parare, sed donis potius, & amicitia possessores conciliare, sciretque, quidquid inuitorum esset sæpenumero temere tradi,* id explicans interpres addit, *adulteratum iri, quod vero sponte, consultoque daretur, syncerum, veruмque ab omnibus commodis, præstarique,* &c. Certe non sine causa à sapiente patre, qui Ægypti regnum sibi parasset, tot annisque conseruasset, adhuc superstite, neglectis maioribus natu fratribus, regno præpositus est. Nec minore ipse sapientia ad annos duodequadraginta illud administrauit.

XLVII. *Demetrius curator versionis fundatorum.* d l. 12. c. 2. & l. 2. contra Appionem sub init. e l. 8. præpar. c. 1. f c. 17. q. 3.

ALTER est Demetrius Phalereus regiæ bibliothecæ præfectus, quem intermedium ad hanc traductionẽ agnoscunt nominatim Iosephus, d Aristæas apud Euseb. e Gregorius; & Latinus qui extat t. 7. biblioth. patrum. Clemens Alexand. l. 1. Strom. Epiphan. lib. de pond. Tertullianus in Apologet. c. 18. Aristobulus Iudæus peripat. in epist. ad Ptolem. Philometorem, qui ait Demetrium Phalereum πεπραγματεῦσθαι τὰ περὶ τούτων. circa hæc elaborasse. D. Cyrillus Hierosolym. Catech. 4. Quibus facile assentiuntur recentiores Leo Castrius l. c. Serar. in proleg. f Lipsius de Bibliothecis c. 2. Gretserus, Bellarminus, Sixtus Senens. l. 4. Bibl. alijque innumeri. Denique omnes vno ore & Demetrium Phalereum curatorem Bibliothecæ Philadelphi fuisse, & eo suggerente sacros Hebræorum libros conuersos dicunt, vt fatetur Scaliger in Euseb.

XLVIII. *Quod non damnum fecisset.* g Vide Gretser. defens. l. 2. c. 6.

EVM nihilominus omnibus non paulò sapientiorem, g ac suo ipsius, & adulatorum iudicio plane sapientem, h non parua super ea re inuasit admiratio, quod Demetrius Phalereus statim initio regni Philadelphi perierit, & maximo in odio ei semper sub Ptolemæo Lagi fuerit. Quid ita? quoniam consuluisset Regi Ptolemæo Lagi, vt filijs, quos ex Euridice susceperat, impartiretur regnũ. Illo non obtemperante, sed ei quẽ ex Berenice genuerat, diadema tradente, ab hoc ipso post patris mortem fuisse asseruatum in prouincia, quoad aliquid de eo statuisset. Sic Laërt. l. 5. in vita Demetrij, ex Hermippo quodã. Sed istũ vnũ, tanta talium testium nubes facile obruit; cũ præsertim rẽ ipsam disertè asseuerent; hic vnus id tantum dicat, ex quo contrarium colligi videatur. Non enim consequens est, si Demetrius offendit Philadelphum, eiusque iussu asseruatus est in prouincia, vt statim mori iussus sit, quod ille vult.

Scriptor absurdus.

XLIX. *Confirmatur contraria sententia.*

QVIN potius contrarium significat Laërtius: nimirum talem visum esse Demetrium Philadelpho, viro alioqui ingenio miti & literarũ amãti, qui propter varias animi dotes dignus esset vt asseruaretur, quoad statueretur,

quid

quid facto eſſet opus, mortene ſcilicet afficiendus, an potius conceſſa venia demerendus, & eius doctrina, induſtria, rerumque gerendarum prudentia vtendum. Nam Cic. pro C. Rabirio Poſth. ait Demetrium iſtū, & ex Rep. Athenienſium, quā optime digeſſerat, & ex doctrina nobilem & clarum fuiſſe. Hieronym. in c. 11. Danielis oratorem & philoſophum appellat. Potuit ergo interueniſſe reconciliatio; potuit etiam illa eſſe columnia, eaq; purgata, gratia redintegrari. Adde quod Demetrij culpam valde minuit Heraclides apud eundē Laërtium; quippe qui refert Demetrium dixiſſe tantum Ptolemæo abdicare ſe volenti regno, *Si alteri dederis, ipſe non habebis*; quod amorem in patrem, nō vllum odium peculiare in hunc filium prodit.

Cui mors Demetrij non obſtat. SED nec Demetrij mors Burdoni fauet, quam ipſe nullo cuiuſquam teſtimonio niſus, aſſumit ſtatim illatā fuiſſe: & cum in eo rei totius cardo vertatur, id ſine probatione deſerit, affirmare contentus, ſane confidenter. *Hic ille*, inquit Laërt. *mæſtior vixit, ac veluti dormitans ab aſpide manum morſus e vita migrauit.* Generoſos eius animos ait Serar. *a* culpa etiam condonata vellicat, & credita aliquandiu calumnia, neſcio quam innocentiæ candori ſumi nigredinem afflare ſolet, quo deinceps affligatur. Sed mors ipſa vltro accerſita non videtur & aſpis illa vel caſu dormientem momordit, vt ſignificare videtur, Hermippus, vel voluntariam certe mortem Demetrius, alia quapiam interueniente cauſa delegit; quod illis temporibus, non raro contigit ijs, qui apud Ethnicos ſapientiæ laude claruerunt.

a in proleg. bibl. c. 17. § 1.

L. *Non fuerit Ariſteam.* SED quid de Ariſtæa dicemus? Primum nemini eſſe dubium, quin is Præfectus ſatellitij regij fuerit, quem propterea Hyperaſpiſtem Ptolemæi Hieronymus vocat, Ioſephus principem cuſtodum corporis eius; etſi id epitheton Rex apud Ariſtæam alteri legato Andreæ tribuat: quos idem Ioſephus, ex epiſtola Eleazari ad regem, vocat viros bonos & doctrina præſtantes, & amicorum regis honoratiſſimos. Sed omiſſo Andrea, negari non poteſt, ſi Euſebio & cæteris patribus credimus, quin Ariſtæas fuerit vir doctus, regi ob modeſtiam, quæ in eius quoque libro ſe prodit, admodum charus, Regis ad Eleazarum legatus: & quin hiſce rebus gerendis interfuerit, eaſque diligenter conſcripſerit, vt Epiphanius quoque author eſt. Illud tamen nunc reuocari cœpit in dubium, iſne liber qui Ariſtææ, ſiue Ariſtæi nomine Græce, Latineque circumfertur, & habetur tum in regiis manuſcriptis, tum initio tomi ſeptimi Bibliothecæ Patrum, ſit legitimus Ariſtæi liber, an ſuppoſititius.

Præf. in Pē. ſet ad deſider. l. 9 de Præpar. c. 2.

I de pond. & menſ. n. 9

LI. *Non ſuppoſititium putent & quamobrē.* SVPPOSITITIVM primus auſus eſt dicere Ludonicus Viues in l. 18. Auguſt. de ciuit. c. 42. nullo prolato aut calumniæ, aut accuſationis argumento. Eum ſecutus eſt Leo Caſtrius in diſput. de translat. c. 35. vbi putat libellum iſtum confictum à Iudæo quopiam Ariſtæa nomine, ad eleuandam fidem 70. virorum, & obſcurandum 70. cellarum miraculum ca. 36. alia obijcit vix vllius momenti, & cap. 42. ait Iudæos ſuſtuliſſe de medio Ariſtæum, qui eorum hiſtoriam conſcripſerat. Penes Iudæos quippe fuiſſe, nō penes infideles nationes, qui libros ſacros ridebant, & hiſtoricos, qui illorum hiſtoriam ſcripſerant. Quod ſi qui codices tuto orbe ſparſi erant, non peperciſſe operæ, neque ſumptibus vt eos de medio tollerent. Probat autem prædicto c. 35. quod prior ille Ariſtæus, hic Ariſteas dicatur apud Antiquos. Deinde quod Epiphan. & alij patres, multa ſcripſerint de 70. viris, quorum Ariſtæum teſtem citant, quæ in hoc non reperiantur, vt dicere oporteat, vel hunc eſſe ſuppoſititium, vel hos eſſe mentitos. In eadem eſt ſententia Salmeron. *b* & Scal. in Euſeb. *c* quem accurate refutat Gretſerus. *d*

b t. 1. proleg. 6. p. 64. c Chron. p. 121. d t. 1. in defenſ. l. 2. c. 6.

LII *Refutantur.* VERVM oportuiſſet Caſtrium aliqua de illis multis ad fidem faciendam protuliſſe, non dolore cellularum prætermiſſarum, librum repudiaſſe. Quid porro ſibi velit Burdo non intelligo, dum ait, Ariſtææ nomine confictum librum à Iudæis Helleniſtis, qui hodie in manibus omnium ſit, & ex quo hauſerit Ioſephus, & alij qui hac de re tractarunt. Quomodo enim hauſit Ioſephus, & alij antiqui ſcriptores ex conficto Ariſtæa? certe quicunque confictum Ariſteam dicunt, recens confictum dicunt. Quomodo ergo Ioſephus & alij antiqui ex recente ſcripture hauſerunt, multis ſcilicet ſeculis antequam ederetur in lucem; aut ſi etiam antiquus confictus fuit, quomodo non meras nugas narrant, quicunque eius ſcripta referunt, Ioſephus, Euſebius, Hieronym. Tertul. Epiphanius?

Contrariam ſententiam tuetur Bellarm. l. 2. de verbo Dei. c. 6. & Gretſerus in eundem locum, Perion. in Iuſtini parænesin ad Gentes, Pamelius in Apolog. Tertul. *e* idque probat Bellar. quod omnia quæ Ioſephus, Tertullianus, Euſebius, & Hieronymus ex Ariſtæo proferunt, in hoc noſtro, qui nunc extat, ad verbū inuenimus. Aliqui tamen rem in medio relinquere maluere, vt Serar. in prolegum. *f* & fere Gretſerus in illum Bellar. locum.

e n. 276.

LIII. *Propria ſententia de libro Ariſtæ.* MIHI ſane libellum ſatis accurate legenti, & cum iis quæ à Ioſepho, Epiphanio, Euſebio, alis, de eo traduntur conferenti, nequaquam condemnandus videtur. Neque arbitror mihi æquum lectorem ægre aſſenſurum, ſi quædā poſuerimus, quæ ſunt rationi conſentanea. Primùm, non videri exigendam ab eo accuratiſſimam rerum quas narrat cognitionem, præſertim de templo, & rebus ad ipſum ſpectantibus, vtpote homine militari, & qui nec tribu, nec gēte ad Hebræos pertineret, vt ipſe ait, & repetit Ioſephus. 2. Ioſephum admodum infideliter atque oſcitanter erga ſacras ipſas literas ſe gerere, vt iam toties euicimus, vt nil mirum ſit profanum ab eo ſcriptorem pro arbitrio deſcribi, præſertim cum verba ipſa Ariſtæi, ſe redditurum non ſpondeat. *f* 3. Neque Euſebium, neque Epiphanium, cum aliqua ex eo aſſumunt, curare verba verbis appendere, ſed ſententiam liberius breuitatis cauſa repræſentare: etiam in epiſtolis, quæ fidelius apud Ariſtæam latinum leguntur, quam apud verſionem Trapezuntij, ſed mox de epiſtolis iterum.

f Vide de Ioſepho leonem Caſtr. in diſput. c. 35. ſine.

LIV. *Suſpecta de ceſſulis narratio tranſitum.* QVARTO, vt omittam, quod in tam antiquis ſcriptoribus non admodum moroſum eſſe conueniat, cum pleraque ex æquo & bono eſſe interpretāda ſapientes cenſeant, ſi qua in eo diſplicent, merito vel iniuriis temporum, in libello, qui ante mille & nongentos annos in lucem exiit, tribui poſſe; vel Iudæorum malitiæ, qui cum libros etiam ſacros truncarint, ac variis in locis deprauarint, vel locupletiſſimus autor eſt Origenes, & Iuſtinus martyr, & Leo Caſtr. paſſim in diſput. *g* idem in Ariſtæa facilius aggreſſos eſſe ſatis opinor conſtat; quo pertinet narratio de cellulis, quā non ab authore omiſſam, ſed à Ioſepho, aut alio quopiam iſtius farinæ viro, abraſam, & aliam quam ipſe habet, ſuffectam crediderim; vt ne miraculum incredibile videretur ijs, quibus ſcribebat, & quorum gratiam aucupabatur, & fidem. Quæ ei cauſa fuit vt paſſim diuina miracula, & res à communi ſenſu alienas, vel omittat, vel extenuet, & ad aliquam probabilitatem reducat, vt Leo quoque Caſtrius diligenter notauit. *h*

g Maximo 20. 51. 2. p. 8.

h Diſput. c. 33 & 37.

LV. *Idem nunc Ariſteam qui tempore Hieron.* 5. Talem nunc extare Ariſtæam, qualem D. Hieronymus, alijque Patres circa ea tempore legerunt. Negat S. Hieronymus quidquam Ariſtæam, aut Ioſephum ſcripſiſſe de cellulis, nihil extat in vtrolibet. Quæ à Ioſepho de quæſtionibus à Philadelpho propoſitis, ab Ariſtæa petenda dicuntur, apud hunc Ariſtæam cumulate reperiuntur: Quæ de mundis immundiſque animalibus ab eo ſcripta dicit Euſebius, *i* apud ipſum leguntur. Nomina 70. Seniorum, epiſtolæ Eleazari ſubſcripta tradit Ioſephus, Ariſtæas & epiſtolam prodit & nomina. Denique cum Ariſteas hic in opinione & poſſeſſione bonæ fidei, nonendecim ipſa ſecula vixerit inter homines, oportet eos, qui eum impoſturæ criminantur, idoneas accuſationis proferre cauſas, verum Ariſtæam prodere, hunc recentis ortus conuincere, pugnantem eum antiquis patribus demonſtrare. Id niſi fecerint, nihil fecerint, niſi quod calumniæ ſe potius, quam illum impoſturæ ſuſpectum reddiderint.

Prolog. in Pent.

i l. 8. c. 9.

LVI. *Obiectio de ſtylo, &c. refutantur.* AT enim de ſtylo epiſtolarum trahit Scaliger argumentum ad infirmandam hanc ſententiam. Qua de re libeat audire Gretſerum noſtrū. *k Hoc numerum expectabam*, inquit, *vt Criticus ad ſtylum confugeret. Quid ergo ſtylus?* (Clamat tres illas epiſtolas eſſe vnius hominis) *in cuius auribus? Burdonis non meis, non veterum, non Ioſephi, non Tertulliani, non Epiphanij,*

k in defenſ. c. 6. l. 2.

non aliorum. (Apud Epiphanium, inquit, duæ aliæ producuntur, & verbis & sententia ab illis diuersissimæ.) *de stylo, Naga, de verbis & sententia, gerra: conferat qui volet. Odium veritatis & vetustatis, amorque nouitatis has & similes voces ex pectore Bardonis excussit.* Hactenus Gretser. Respondeo etiam Epiphanium non affirmare has epistolas Philadelphi ex Aristæa sumptas esse, illum enim solum citat, pro senis viris ex singulis tribubus, quos ille nominatim recensuit in libello suo, vt non mirum sit nonnulla in ijs esse diuersa.

LVII. *An duo Aristeæ.* Et sane sunt qui putent non vnum Aristæam hanc historiam scripsisse, sed alium præterea quempiam iuniorem, qui non plane cum Aristæa consentit. Idque ex Iustino ipso confirmari potest, qui [a] cohortatione ad Græcos eadem habet, quæ Aristæas & Iosephus, præter cellulas. In Apologia vero 2. rem narrat consentanee ijs, quæ habet Epiphan. & August. [a Lib. 4. 42.] a ex alio quopiam scriptore mutuatā; apud quem etiam Herodem pro Eleazaro inuenerit. Et Aristæas quidem vnicam habet legationem, & epistolam Ptolemæi ad Eleazarum, qua & libri & interpretes petiti, & impetrati sunt. Alter vero duas, quarū priore libri petiti sunt, posteriore interpretes. Nec nouum est scriptores diuersus, eandem rem diuersimode tradere, imo prope perpetuum. Cuius rei exempla non ex Halicarnassæo solum & Liuio, sed libris etiam Regum & Paralip. imo ex Euangelijs peti possunt. Vnus venisse tradit Centurionem ad Dominum, alter misisse Iudęos, Marci 10. discipuli primatum petunt, Matt. 20. non ipsi, sed eorum mater. Ioannes vnicum galli cantum memorat, reliqui duos. Ioannes primam Petri negationem ad Annam contigisse dicere videtur, reliqui in domo Caiphæ omnes contigisse scribunt: nemo falsum dixit, sed quæ videntur pugnare commoda expositione concilianda sunt. Isti quoque forte conciliari possent. Quamquam non repugno, quin ille alter, quem secutus est Epiph. deceptus sit. Plures enim ex antiquis Aristæi sententiam de vnica legatione, quam Philo Iudęus, & maxime Iosephus amplexi fuerant, sunt secuti.

LVIII. *De numero interpretum.* Venio ad ipsosmet Septuaginta interpretes, seu potius Septuaginta duos senes, ex singulis tribubus electos, vt fatentur omnes, nemine repugnante, etsi breuitatis causa passim 70. vocant, sicut & Christi discipulos. Addit Epiphanius, assumpturum quidem fuisse Eleazarum 70. viros exemplo Moysi, [b Exod. 24. v. 9.] b sed veritū ne aliquæ tribus offenderentur, à quibus quinque tantum electi essent, 72. assumpsisse. Eum etiam numerum ex singulis tribubus à Rege postulatum tradunt Aristæas, Iosephus, Eusebius, Cyrillus Hierosolymitanus antistes, & si qui alij, quorū omnium nomina per singlas tribus Aristæas prodidit. Sed accusat Aristęam Scaliger, qui nō veritus sit id dicere, & cæteros omnes antiquos, recentioresque quibus id persuasit, apud cuius tribunal omnes rei sunt; *Scaliger vitilitiones.* Aristæas quidem inuerecundæ impostturæ, cæteri fatuæ credulitatis. At ipse non est sicut cæteri hominum, creduli, fatui, impostores. Quid ergo affert cur ab omnibus dissentiat? Quasi tunc, inquit, duodecim tribus extarent, quarum decem tempore Ezechiæ in Mediam deportatæ fuerant. An aliæ tribus in Iudæa eo tempore præter Iudam & Beniamin?

LIX. *Monstratur absurdū esse.* Respondeo cum Gretsero, alias tribus integras non fuisse tunc, præter Iudam & Beniamin, fuisse tamen ex omnibus alijs tribubus quosdam tribules, & reliquias, partim in Iuda & Beniamin, partim in antiquis sedibus, & domicilijs. [In 2. Paral. c 2. Paral. 30. & 31.] Neque enim omnes ad vnum tempore Ezechiæ translati sunt, præsertim si quæ traduntur c post abductos in Mediam Israëlitas contigerunt, vt quibusdam placet, vt 1. anno Ezechiæ notauimus. Et Bethulia, post decem tribuum deportationē, vrbs erat celebris & populosa in tribu Zabulon, & multi ex Samaritis erant in regno decem tribuum. [d Vt patet ex 1. Esdr. 4. & seqq. & Iosepho l. 10. c. 1.] d Quin etiam ipso Christi tempore, totam Galilæam fuisse incolis frequentissimam, ex Euangelijs apertū est; quæ tamen ad tribum Isachar, Zabulon, Nephtalim pertinebat, vt ex tabulis Adrichomij patet. Et D. Iacobus duodecim dispersis tribubus scribit. At Tribus, inquit, cōfusæ erant, cum legamus in Euangelio Annam filiam Phanuel de tribu Aser, mansisse Hierosolymis, nusquam recedentem de templo.

Quamuis habitationes cōfusos dicamus Iudæos, quid tamen vetat agnouisse ipsos ad quam quisque tribum pertineret; idque à patribus per manus didicisse?

LX. *Cuiq. sua sua tribus.* Verum quoniam anxius est Scaliger, quomodo summus Pontifex Eleazarus istos 70. ad manum & in numerato habere potuerit, vt potenti regi statim suppeditaret, facile hunc ei scrupulum eximere possemus, si negaremus temporis vllum spatium à Rege Pontifici definitum: sed [*Qui in promptu erant.*] placet audire Aristæam. *Eliguntur, inquit, viri optimi & doctrina præstantes, omnes clari parentibus orti, non Iudaicarum tantum literarū eruditione excellentes, sed qui Græcam quoque linguam multa meditatione excoluerunt. Quapropter ad legationes commode semper parati, aderant: munus huiusmodi, si quando res postulat, ipsi obeunt. Conciones etenim & responsa de lege mira facultate peragunt, & ad dicendum, & ad iudicandum prompti.* Hęc ipse. Plerique igitur ex istiusmodi legis peritis atque doctoribus pontifici in promptu erant. Et quamuis ab vrbe omnes, quod absurdum est, abfuisse concederemus, annon facile fuit ad edictum pontificis conuocari Hierosolymis peritos quosque ex quacunque tribu, & ex singulis eligi peritissimos?

LXI. *Quod eorum ordinarium munus.* Verum libenter assentior D. Hilario in Ps. 2. qui hos interpretes nō alius fuisse putat ab ijs, qui primum à Moyse instituti ad manum erant summo Pontifici, in ijs maxime difficultatibus, quæ ad legem pertinebant. [e De quib. Num. 11. 16.] e Quibus Dominus spiritum Moysis communicauit, vt non mirum sit eorum etiam posteros in hac versione prophetasse: vt cum antiquis patribus etiam Philo testatur; sed audiamus Hilarium. *Medio, inquit, legis temporibus priusquam vnigenitus Dei filius, ante secula manens Deus, verbum homo nasceretur, poscente rege Ptolemæo, 70. Seniores libros veteris testamenti ex Hebraicis literis in Græcas transtulerunt. Erat autem iam à Mose antea institutum in Synagoga omni septuaginta esse Doctores. Nam idem Moses, quamuis veteris testamenti verba in literis condidisset, tamen separatim quadam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimauerat.* Et mox. *Doctrina ergo horum in posterum, quæ ab ipso scriptore legis accepta, in hoc seniorum & numero & officio conseruata est. Hi itaq. seniores, libros hos transferentes, & spiritalem, secundum Mosi traditionem, occultarum cognitionum scientiam adepti, ambigue lingua Hebraica dicta, & varia quadam ex se nunciantia, secundū virtutes rerum certis & proprijs verborum significationibus transtulerunt.* [f Baron. t. 2. an. Christi 91. n. 6.] Ita D. Hilar. f

LXII. *Quorum hic nomina. An Eleazarus?* Horum nomina ex Aristæa peti possunt; in quibus legi qui existimaret venerabilem illum Eleazarum, qui nonagenarius in Machabæis occiditur, numerari. Iosephus Gorionis citatur à nostro Serario g sed longe fallitur; sicut [g in Proleg. c. 17. n. 8.] & cum asserit omnes fuisse sacerdotes, quasi sacerdotes ad omnes tribus, & non ad solam tribum Leui pertinerent. Vnus quidem Eleazarus legitur in decima tribu. At qui fieri potest, vt hic idem sit cum illo Machabæano, quem oportuisset non ad 90. sed vltra 150. annos vitam produxisse, si vel quadragenarium dicamus, cum officio interpretis fungeretur. Mortuus est enim anno Mundi 3888. Itaque nenatum quidem fuisse illum hoc tempore necesse est, nedum iam seniorem ad Ptolemæum legatum fuisse.

LXIII. *An Iesus Syracides, & Philo.* In hunc potius senatum admittendus est Iesus ille Syrach author libri Ecclesiastici: nam in Aristæi catalogo tres huius nominis reperiuntur, & tempus consentit. Nepos enim eius vixit sub Ptolemæo Euergete, qui Philadelpho in regni administratione successit, vt ex illius libri prologo constat, vbi opus ab auo Hebraice scriptum, ipse Græcum fecisse se dicit. Genebr. in sua Chron. Iesus, ait filius Sirac Hierosolymita Ecclesiasticum Hebraicè scripsit, quod exemplar vidit D. Hieronymus h è Septuaginta interpretibus fuisse perhibetur. [h Præfat. in libb. Salom.] Sic ipse. Qui etiam mox authorem libri Sapientiæ (quem Hieronymo teste ibid. nonnulli scriptorum veterum Iudæi Philonis affirmant) ex eodem interpretum numero fuisse credit: sed Philonis nomen in eo catalogo non reperiuntur. Nec tamen consequens est si 70. fuere prophetæ, etiam hos licet prophetas, fuisse è numero 70. interpretum. Nihilominus nihil repugnat: nam potuit hic Philo (quem necesse est alium esse ab eo, qui Claudij, & Caij temporibus vixit, & in cuius operibus,

neque

neque Hieronymus, neque alij librum Sapientiæ inseruit,) alio etiam nomine in illo indice appellari.

LXIV. *Interpretes cum muneribus abeunt.* OMNIA VT ad profectionem paratis missi sunt 72. seniores Alexandriam, sub legatorum Andreæ & Aristæi auspicijs, qui & ipsi non sine muneribus ad regem remissi sunt. Ita Iosephus, quæ auget Aristæas. *Eleazarus*, inquit, *factis primum de more precibus, viros quos ad regem mitteret delegit; præclara inde munera regi ac cimelia, nos vero quietos dimisit.* Nec tamen dissimulatius ea munera recenset. Sed instar omnium munerum erant sacri libri, quos profanis hominibus communicare, summum beneficium putabant. Præsertim quod eam gloriam, ipsorum hactenus propriam, ea communicatione diminui, & quasi inquinari arbitrabantur. Nec læsatus est dæmon viam Gentibus ad veri Dei cognitionem & cultum, paulatim, & quasi à longe præparari. Sed vim quandam afferebat Philadelphi mira atque inusitata beneficentia; præsertim cum id, siue per se, siue per Soterem, Antiochum ac Syriæ regem, cui parebant Iudæi, extorquere posset. Quod autem in Epistola Pontifex tantum sibi seniores cum sacris libris orat, valde consentaneum est ijs, quæ Aristæas habet; qui id Andreæ valde cōmendatum à Pontifice tradit; quod vereretur ne Rex, qui istiusmodi viros omni studio conquireret, & apud se habere vellet, hos quoque cum magno Hebraicæ Reip. damno retinere vellet. Sed reliqua videamus.

LXV. *Alexandriæ à rege excipiuntur.* POSTQVAM Alexandriam omnes appulere, confestim rex legatos Andream & Aristæum accersit: ab ijsque & epistolam Pontificis recepit, & multa præterea sciscitando didicit. Et cum vehementer cuperet congredi cum 72. senioribus, qui Hierosolymis ad interpretandam legem venerant, cæteros, qui negotiorum causa aderant, dimittit. Vt verò senes illi venerunt cum muneribus à pontifice missis, & cum membranis, quæ legem aureis literis inscriptam continebāt, primum de libris eos rogauit: vt vero ex inuolucris depromptos obtulerunt, multum denique miratus membranæ subtilitatem, & cōmissuras, quæ ita latebant, vt visu discerni non possent, gratias se illis habere dixit qui venerint, & maiores etiam ei qui miserit; sed longe maximas Deo cuius leges attulerint. Hæc ferè Ioseph. & Aristæas, qui omnia paulo explicatius habet. Illud autē non omittendum. Hæc dies, inquit, per omne vitæ tempus magna mihi semper in annos erit & celebris, in qua & vos mihi affuistis, & accidit vt aduersus Antigonum nauali prælio victor euaderem. Ita Aristæas & Iosephus totidem pene verbis, quadam re plura superius dicta sunt.

LXVI. *Et apud eum pransi sunt.* PORRO Interpretes magnifico apud regem conuiuio excepti, eorum curam gerente Dorotheo, & cibaria pro victus eorum peculiari ratione ministrante, vt fusius Iosephus & Aristæas: qui addunt iussu regis vnum è sacerdotibus conuiuis Elisæum nomine, vel Eleazarum, vt Aristæo placet, omnium ætate prouectissimum precatione mensā consecrasse, vel vt loquitur Aristæas votū fecisse: rem antiquis ritus non negligendam ita tradit Ioseph. Postquam autem discubitum est, iussit Dorotheum illis ministrare, sicut solebat hospitibus ad se ex Iudæa venientibus: quapropter præconibus, & sacrificulis, alijsque id genus, quorum est à suis precatiunculis auspicari conuiuium, locus hic nō fuit, sed vnum ex conuiuarum numero sacerdotem, Elisæum nomine precatione mensam consecrare ipse rex iussit, *Consecratio mensæ.* & qui stans in medio precatus est omnia fausta regi simul atque subditis, applausumque atque acclamatū est ab omnibus libenti atque hilari animo: quo facto fruebantur appositis. *ἀπευχόμεναι κατευχαί.*

LXVII. *Quibus facta verba.* ARISTÆAS ipsa etiam precationis verba addit. *Impleat te Rex bonis omnibus quæ fecit omnipotens Deus, detque tibi, vxori, & liberis, & amicis ea omnia immota esse per omne vitæ tempus.* Eo adhuc dicente, sequitur diuturnior cum clamore plausus, gaudij, & exultationis plenus; moxque rebus iucunditate multa præparatis in lætitiam vertuntur, ministris, quemadmodum instituerat Dorotheus, festiuissime cuncta præbentibus: sed illud mirum, inter quos, inquit, & regij liberi, & honoratissimi quique ministrabant. Post vbi sermoni tempus opportunum visum est, Rex per interualla quædam, vt omnes ordine secundum ætatem assederant, eum qui primo loco discubuerat, interrogat.

Regis interrogationes & responsa. Quonam pacto regnum incolume in finem vsque conseruetur. Ille parum percunctatus, inquit. Hoc maxime modo regnum optime dispones, si Dei mansuetudinem in rebus omnibus imitatus, patientia ac longanimitate vteris, extollesque dignos, elatos autem affabilitate ex malo in pœnitudinem traduces.

TVM & alios nouem ordine interrogauit, qui & ipsi ea tempore prudenter admodum responderunt, omnia ad Deum singuli referentes: quæ apud Aristæam leguntur. Sequenti die instaurato conuiuio, decem alij rogantur, tertio quoque ac quarto, & ita deinceps vsque ad septimū (etsi Iosephus 12. conuiuio dies assignet) à rege interrogationes factæ sunt in cœtu aliorum philosophorum, qui & ipsi eorum sapientiam ac pietatem vehementer comprobarunt. Quantum porro fidei huic toti Aristæ narrationi adhiberi debeat, his ipse verbis ostendit. LXVIII. *Veritas enarrationis Aristææ.* *Verum enim vero legentium hæc fidem excellere arbitror, & maiora videri, quam quisquam credere possit. Sed qui ipse falsum adijcere voluerim, cum eadem & ita regis monumenta testari liceat, in quibus vel minimam prætermitti summa sceleri ducatur? Vera igitur, atque vt singula gesta sunt, omni prorsus errore abiecto referimus. Quare vt quo verius singula teneremus, ea diligentia vsi sumus, vt assumptis regijs actis, in quibus gesta regis, dicta quæque, & responsa, conscriptaque reseruantur, nostra hæc ex illis metiaremur.*. Hæc ibi, & aliquanto post reliquam narrationem persequitur.

LXIX. *Interpretes ducuntur in insulam.* POST tres verò dies, inquit, quam ea gesta sunt. Demetrius viros ad maris insulam deduxit, transmissoque aggere 7. stadiorum, pontem transgreditur regionem inde quæ ad Boream vergit petens, ad præparatum consessum venit. Domus erat supra littus per quam decenter ornata, & quæ multo silentio quiesceret, rebus omnibus ad vitæ vsum elegantissimè dispositis. Illic eos ad peragendam interpretationem hortatur. *Quis interpretandi modus ex Aristæo.* Viri singula inter se, differendo consonum quid edebant; eorumque ex ijs, in quibus omnium consensus accesserat, illa Demetrio habenda seruabant, quæ digniora elegantioraque videbantur. Extendebatur vero consessus huiusmodi, & disceptatio ad nonam vsque diei horam: solutoque huiusmodi consilio ad curanda corpora discedebatur. Sic Aristæas.

LXX. *Disputatio de separatis cellis, Recentiores & S. Hieron.* Hic vero est certaminum locus de separatis exedris, hic campus Marathonius, in quo antiqui pene omnes patres, recentioresque doctores, ingentibus animis studijsq; pro astruendo miraculo, dissentiente Hieronymo, dissimulante Iosepho, & Eusebio, constiterunt. Nam D. Hieronym. cum scripturas sacras ex Hebræis fontibus fidelissime vertisset, multosque haberet aduersarios, qui versionem à septuaginta viris factam summa veneratione complectebantur, quasi diuinitus editam, quæ tamen noua hac interpretatione antiquari, atque suggillari videbatur; idem nihilominus tam erratorum, quæ in illam interpretationem postea irrepserant conscius, quam diligentiæ ac fidei suæ in sacris codicibus ex Hebræo interpretandis, vt erat animo acer, incaluit, eamque interpretationem non raro stylo aculeato perstrinxit; illa præsertim ad Desiderium epistola, quæ est præfatio in Pentateuchum. Vbi nescio quis, inquit, *primus autor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit; quibus diuisi eadem scriptitarint, cum Aristæas eiusdem Ptolemæi Hyperaspistes, & multo post tempore Iosephus nihil tale retulerint, sed in vna basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse.* Sic Hieron. qui vtrunque sane fideliter retulit.

LXXI. *Nouatores negant.* HIERONYMVM plerique secuti, præsertim nouatores, communem antiquorum patrum sententiam detrectere. Catholici contra recentiores, pro patribus suis certamen animose susceperunt; in quibus eminet Leo Castrius in disputatione de translationibus sacræ Scripturæ, & post eum Alphonsus Salmeron, Gretserus, Baronius, Serarius. *t. 1. proleg. 3. & 4.* Quorum insistens vestigijs, primùm breuiter proferam eos patres, qui perspicue hanc separatarum exedrarum interpretationem tradidere; tum eos quos eadem sensisse, ex ipsorum verbis aperta colligitur; postremo eadem veritas ratione confirmabitur.

S. Iustinus martyr. In prima classe chorum ducet S. Iustinus martyr, natione Palæstinus, patria Samarita, siue Flauianus, vt ipsemet

tradidit initio Apologiæ suæ posterioris; vir vndecunque rerum Iudaicarum potissimus, vt ait Baron. qui in cohortatione ad Græcos non solum eam rem affirmat, sed etiam visu ipse suo, audituque ex incolarum constanti traditione comprobat.

LXXI. Illustre eius testimonium οἰκίσκοις μικροῖς. ATQVE vt illi, inquit, *extra omnem turbam constituti, primo quoque tempore interpretationem absoluerent, non in vrbe ipsa, sed septem ab ea stadijs, vbi Pharos exstructa est pari eum interpretibus numero, domunculas extrui præcepisse, vt singillatim pro se quisque interpretationem perficeret. Illa quoque curâ ijs qui operam eis dare iussi fuerant, mandata, vt omnibus quidem modis ipsis inseruirent, à congressu autem mutuo illos prohiberent; quo exquisita interpretationis veritas ex ipsorum etiam consensu cognosci posset. Et cognito Septuaginta istos viros non solum eadem sententia, verum etiam eisdem esse verbis in translatione vsos, ac ne vna quidem dictione alium ab alio dissensisse, vsque adeo eadem de eisdem omnia conscripserant, admiratione attonitum, cum diuina virtute interpretationem absolutam esse credentem; tum quouis honore dignos illos, vt Dei amantes, & vicissim Deo caros viros iudicantem, cum muneribus multis in patriam suam redire iussisse: ac libros, ita vt par erat, exosculatum esse, & Deo consecratos in bibliotheca reposuisse.*

LXXII. Ab eodem confirmatur. HACTENVS S. Martyris testimonium, quod egregiè confirmans subdit. *Hæc vobis, viri Græci, non vt fabulam, neque vt confictam historiam renunciamus: sed qui ipsi Alexandriæ fuerimus, & vestigia domuncularum apud Pharum adhuc reliqua viderimus: & ab incolis, qui res patrias à maioribus per manus sibi traditas acceperunt, audiuerimus, commemoramus.* Non potuit vir sanctissimus suffragium afferre manifestiùs, neque confirmatius, neque dignius, quod ab omni posteritate, tanquàm ipsius veritatis testimonium, cum debita veneratione consensuque reciperetur. At enim Iustinum deceptum à Iudæis, ipsi fabulam à se confictam persuadentibus, putat Bellar. *a* quem meritò refellit Serar. *b* tum quia gratis dicitur à Iudæis ostensa vestigia cellularum: cur non potiùs ab incolis Christianis, qui ibi iam à D. Marci tempore habitabant? tum quia ille satis norat Iudæorum fraudes, vt qui creberrat in disput. contra eos, vt non facile sibi pateretur imponi. Denique id est S. Iustinum accusare imprudentiæ, in re, quam ipse tam serio à se actam ostendit.

a t.1.l.2.c.6. *b* in proleg. c.17.q.10.

LXXIII. Testimonium S. Irenæi. D. IRENÆVS ei ætate, doctrina, authoritate, sanctitate suppar, non tam clarè quidem, clarissimè tamen loquitur. Cum enim dixisset Ptolemæum petijsse ab Hierosolymitis interpretes sacrarum Scripturarum, & ab eis, quod adhuc Macedonibus parerent, obtinuisse viros seniores Septuaginta vtriusque linguæ peritos, subdit *c* *Ille autem experimentum eorum sumere volens, & metuens ne forte consentientes, eam veritatem, quæ esset in Scripturis, absconderent per interpretationem, separans eos ab inuicem, iussit omnes eandem interpretari scripturam, & hoc in omnibus libris fecit. Conuenientibus autem ipsis in vnum apud Ptolemæum, & comparantibus suas interpretationes Deus glorificatus est, & scripturæ verè diuinæ creditæ sunt, omnibus eandem, & eisdem verbis, & eisdem nominibus recitantibus, ab initio vsque ad finem.* Sic S. Irenæus; quæ recitat quoque Eusebius in historia Ecclesiastica. *d*

c l.3.c.25. *d* l.5.c.8.

LXXIV. S. Cyrilli Hierosolymitani. D. CYRILLVS Hierosolymitanus Catechesi 4. inter alia. *Et vt diuinæ legis esse hos libros experientia disceret, & ne ij qui fuerant ad illum missi mutuo conspirarent, prospiciens in insula Pharo, quæ est prope Alexandriam, singulis interpretibus singulas domos distribuit, & vnicuique, vt separatim omnes scripturas interpretaretur, mandauit. Qui cum 72. diebus negotium id perfecissent, simul omnium interpretationes ex diuersis domibus prodeuntes, protulerunt: collatis autem simul, non solum in sensibus, verum etiam verbis consonas inuenit.* Hæc B. Cyrillus.

LXXV. S. Epiphanii. S. EPIPHAN. lib. de pond. & mens. etsi diuersum numerum domorum ponere videtur; omnes tamen à se inuicem sepositos fuisse tradit. *Duo enim, inquit, ac 70. Viri, in Pharo insula, quæ terra superior dicitur è regione vrbis Alexandrinæ in sex & 30. cellulis, bini scilicet in singulis, à primo diluculo ad vesperam conclusi sunt. Sub vesperam porro 36. scaphis ad Ptolemæi Philadelphi palatium aduecti, ad eius epulas adhibebantur. Tum in 36. cubiculis, bini scilicet in vnoquoque dormiebant, ne capita conferre possent: sed sincere ac fideliter interpretarentur. Ptolemæus enim illas 36. quas dixi cellulas in illa insula condidit, easdemque duplices, quibus singulis paria conclusit, cum duobus famulis cibi parandi, ac ministrandi gratia, vna cum notarijs. In his cellulis nullas in parietibus fenestras aperuit, sed è tecto superne eas fecit, quas anaphoticas nominant.*

Iustinianus Imperator Nouell. Cōstit. 146. propius Epiphanium secutus, prædicat miraculum quod in interpretando accidit. Nam eum semper, inquit, bini seorsim conclusi essent, & diuersis locis interpretarentur, vnam tamen omnes compositionem ediderunt. Ita Imperator, quem cum dicimus, Senarum grauissimorum virorum dicimus. Eadem habet Philastrius Episcopus Brixianus Hæresi 90. & Eusebius in Chronico Græco, sub initium Philadelphi.

LXXVI. S. Augustini l.18. de ci. c.42. D. AVGVST. *e* *Traditur sane tam mirabilem, ac stupendum, planeque diuinum in eorum verbis fuisse consensum, vt cum ad hoc opus separatim singuli sederint, ita enim eorum fidem Ptolemæo regi placuit explorare, in nullo verbo quod idem significaret, & tantumdem valeret, vel in verborum ordine alter ab altero discreparet, sed tanquam si vnus esset interpres, ita quod omnes interpretati sunt vnum erat, quoniam reuera spiritus erat vnus in omnibus.* Sic ipse, cui traditioni cum penitus assentiri, quæ seq. cap. disputat, apertè demonstrant. *Etsi*, inquit, *non in eis vnus apparuisset spiritus sine dubitatione diuinus, sed inter se verba interpretationis suæ 70. docti more hominum contulissent, vt quod placuisset omnibus hoc maneret, nullus eis vnus interpres debuit anteponi. Cum verò tantum in eis signum diuinitatis apparuit, profectò quisquis alius illarum scripturarum ex Hebræa in quamlibet aliam linguam, interpres est verax, aut congruit illis 70. interpretibus aut si congruere non videtur, altitudo ibi prophetica esse credenda est.* Et q.169. super Genes. *Septuaginta, inquit, interpretum autoritas quæ tanto etiam diuinitus facto miraculo commendatur; tanta in ecclesijs vetustate firmatur, &c.*

LXXVII. Ab eodem cella confirmantur. • DE cellis apertius l.2. de doct. Christiana. c. 15. *Septuaginta, inquit, interpretum, quod ad Vetus Testamentum attinet, excellit autoritas, qui iam per omnes peritiores ecclesias tanta præsentia Spiritus sancti interpretati esse dicuntur, vt os vnum tot hominum fuerit. Qui si, vt fertur, multique non indigni fide prædicant, singuli cellis etiam singulis separati, cum interpretati essent, nihil in alicuius eorum codice inuentum est, quod non ijsdem verbis, eodemque verborum ordine inueniretur in cæteris; quis huic autoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat?*

Ruffini, & Hebræorum f l.2. contra D. Hieron. g c.4. Sen. Chorum claudat extremus Ruffinus *f* *Vt omittam*, inquit, *illud dicere, quod 72. virorum per cellulas interpretantium vnam & consonam vocem, dubitandum non est Spiritus sancti inspiratione prolatam, &c.* Addi possunt Thalmudistæ quasi epimetron, ex Mariana prodit. vulg. *g* Hi Initio tractatus, quem inscripserunt Tractatum scribarum, sic aiunt. *Ptolemæus Rex conuocauit 72. senes, collocauitque in totidem cellis cumque nondum aperuisset, qua de causa conuocati essent, ingressus ad singulos dixit eis, scribite mihi legem Mosis magistri vestri. Porro Deus ita cuiusque mentem dirigebat, vt cum scriberent singuli, tandem omni ex parte legem omnes scriberent.* Eadem ex Iosepho Gorionis, & Iosippo referuntur.

LXXVIII. Philonis Iudæi. IN secunda classe erit Philo, quem pro hac sententia laudat Iustinus. Is l.2. de vita Moysis, Sumptis, inquit, in manus sacris voluminibus tendebant eas ad cœlum supplices, Deum inuocando vt cœptis faueret. Exaudiuit ille vota, vt si non vniuersum genus humanum, certè maxima pars instrueretur ad bene viuendum, præceptis optimis & sapientissimis. In eo secessu cum consedissent solitarij, nemine interueniente arbitro, præter naturæ partes, terram, aquam, aërem, cœlum, de quibus primum proditurii erat mysteria (Nam mundi opificium est legum exordium) tanquam numine correpti prophetabant, non alia alij, sed omnes ad verbum eadem, quasi quopiam dictante singulis inuisibiliter. Hæc ibi. Quomodo sedebant solitarij, siue ἐν ἀποκρύφῳ, id est occultò, & nemine præsente, si quisque 70. habebat arbitros? Quomodo tanquam numine correpti prophetarunt, si communi interpretum more inter se contulere? Et quid mirum omnes ad verbum eadem dixisse, si aderant omnes simul?

LXXIX Tertulliani. SECVNDO prodeat Tertullianus, homo stylo seuerus ac moribus, hec amicus fabulis, & qui hostibus tradebat excutiendâ, quæ scribebat. Is ergo in Apologe-

tico a Ne notitia vacaret, inquit, *hoc quoque Ptolemæo à Iudæis subscriptum est septuaginta duobus interpretibus indultu. quos Menedemus quoque philosophus prouidentiæ vindex, de sententiæ communione suspexit* Sic Tert. quid erat quod suspiceret Menedemus multos congregatos in eandem sententiam scribendo conuenisse? quotidianum enim est, vt post altercationē aliquam, in vnam conueniant sententiam. At vbi sepositi fuerint, habuit in quo diuinam prouidentiam admiraretur, diuinæ prouidentiæ vindex Philosophus. Affuit hic Menedemus apud Philadelphum hoc tempore, vt est apud Aristæam & Iosephum, ad cuius verba Tertullianus alludit. Sic enim habet. *Quos sermones cum non solum rex admiratus esset, sed Menedemus etiam philosophus fateretur omnia gubernari prouidentia, &c.*

LXXX. *Clemente Alexandrino.*

CLEMENS Alexand. poterat ad primam admitti classem, quia tamen domunculas, aut cellas non nominat, huc transferatur: cuius hæc sunt verba l. 1. Strom. *Illi autem, vt qui adhuc obedirent Macedonibus, ex ijs qui apud se erant probatissimos, & maxima existimationis scripturarum peritos, & Græcæ linguæ scientes, septuaginta seniores delectos ad eum miserunt cum libris diuinis. Cum autem vnusquisque sigillatim ex sua propria interpretatus esset prophetias, conspirarunt omnes simul collata interpretationes, & sententijs, & dictionibus.* Ita Clemens. *ἐν μέρει.* Audis sigillatim, vel in parte, seorsim; vtique separatis in cubiculis aut cellis, & non simul in ampliore cænaculo. Cui adiungi potest D. Chrysost. qui 70. interpretes reliquis omnibus, non solum ob numerum, & temporis antiquitatem, sed etiam, ob consensum antepouit. Addamus & nos communissimum piorum consensum, qui patrum suorum iudicia, & testimonia egregie conspirantia, cum debita veneratione complectuntur, quique contrariam opinionē, nisi obstaret debita in D. Hieronymum reuerentia, leuem, vt arbitror, censura castigarent.

S. Chrysost. Hom. 5 in c. 1. Matth.

LXXXI. *Rationes pro hac sententia.*

DENIQVE rationes non incongrue à prædictis sanctis patribus, alijsque doctoribus afferuntur cur æquum fuerit hanc versionem huiusmodi miraculo commendari. Siue vt harum scripturarum sanctitas Ptolemæo, alijsque deinceps gentibus probaretur, tamque studiosius in futuram eorum conuersionem pura atque illibata conseruaretur: siue vt horum Iudæorum in vertendo fides, atque integritas declararetur, quos constabat ægrè admodum res suas, hanc præsertim, quam vita chariorem habebant, communicare velle; siue quia decebat legem, quæ Hebræis cum tot portentis atque miraculis data fuerat, etiam tunc gentibus, non sine miraculo, per Græcam interpretationem communicari. Denique ei miraculo apertè patrocinantur, quæ postea ex Philone dicemus à Rege ad perpetuam tantæ rei memoriam fuisse instituta.

XXCII. *Quid de Iosepho & Aristæa dicendum.*

VARIVM Iosephus & Aristæas aliter sentiunt. De Aristæa facile crediderim eius historiam in hac parte esse diminutam ab impijs Iudæis, qui huic versioni 70. seniorum, per quam in disputationibus quotidie confodiebantur, per quam infensi erant, nec eam tanto miraculo comprobari ferre poterant. Et quis credat profano libro pepercisse, qui sacris codicibus profanas manus toties inferendo, addēdo, detrahendo, Origene, & Iustino teste intulissent? De Iosepho, quem etiam parum fauisse Christianis satis docet Castrius, nihil mirum, quippe cui solenne sit, vt toties demōstratum est, & copiose probat Leo Castrius, in disput. de translat. miracula vel dissimulare, vel extenuare, ne quid minus probabile profanis auribus, quarum gratiam ambiebat, & quibus veritatis ac diuinæ gloriæ studium postponebat, attulisse videretur. Eum nihilominus in reliqua historia audiamus.

XXCIII. *Conuentus pro absoluta versione.*

VERSIONE autem legis intra septuaginta duos dies absoluta, qua temporis breuitate aperte se instrumenta esse diuini Scribæ velociter scribentis docuerunt, Demetrius aduocatis omnibus Iudæis in locum vbi versa fuerat, præsentibus etiam interpretibus, perlegit codicem. Concio vero & seniorum interpretationem approbauit, & Demetrium ipsum collaudauit, cuius suggestionis occasione maxima bona percepissent, rogaueruntque vt etiam optimatibus earum copia legendi fieret. Sic ipse, quibus similia habet Aristæas. Quod autem copia legendi postulata est, significauit Demetrium non multa coram populo, nedum omnia perlegere potuisse. Verum hæc repudianda sunt, cum omnium verba sententiasque in vnum conuenisse, diuino miraculo sit tot testimonijs confirmatum. Satis enim fuit illam consensionem in pluribus locis, in quos incidissent, agnosci, & communi admiratione omniū approbari, nec verbatim omnia ad calcem à capite recitari.

XXCIV. *An sola Moysis libri conuersi.*

SED hic etiam aliud non obscurè Ioseph. indicat, solos videlicet Moysis libros, qui nomine legis præcipuè intelliguntur, à Septuaginta senioribus fuisse conuersos: a memor eorum quæ in præfatione librorum Antiquitatum scripserat. *Proinde mihi quoque,* inquit, *conuenire duxi, vt & pontificis nostri Eleazari imitarer magnanimitatem, & hodie quoque regis illius multos persimiles putarem, duntaxat quod ad discendi cupiditatem attinet. Neque enim totam scripturam accepit ille, sed legē solam ei tradiderunt interpretes, qui ob hoc Alexandriam missi fuerant.* Sic ipse. Et procul dubio eadem est Philonis sententia, libro 2. de vita Mosis, vbi legum Mosaicarum duntaxat subinde meminit; datumque ait hisce interpretibus, aut potius prophetis, sincerissimas Mosis cogitationes purissimo spiritu assequi; & optabile esse populis ac magistratibus, relictis patrijs legibus ad harum obseruationem transire.

Id putat Philo.

XXCV. *Non ita sensisse Hieron. Marian.*

IOSEPHVS hanc ipsam opinionem visus est S. Hieronymo non vno in loco persuasisse. *b* Is tamen in ea sententia non perstitit. Nam suis ipse in Prophetas commentarijs, ipsam seniorum interpretationem adiungit, & crebro expendit, ipsorumque esse non diffitetur. Persuasit & Ioanni Marianæ in opusculo pro editione vulgata. *c* Idque cōfirmat styli dissonantia inter Pentateuchum, & reliquos libros: quodque non videntur intra duos & septuaginta dies totam Scripturam, quæ tunc Hebraicè extabat, conuertere potuisse, præsertim collatione facta. At styli dissonantia, si quam placet admittere, ex diuersitate authorū Hebraicorum peti potest. Et oportuit ex hac ipsa temporis breuitate miraculum celebrari. Nam illi quinque libelli ab vtriusque linguæ bene perito, facile intra quindecim dies industrio amanuensi dictari possunt. Itaque probandum non est quod addit, videri sibi ex pluribus interpretationibus ante Christum factis vnam coaluisse, quæ ipsis Septuaginta tribueretur, quod primæ illius partis authores essent.

b Præfat. qq in Gen. c. 2 in Ezech. & c. 2 in Michæam. c cap. 2.

XXCVI. *Et omnes Iosephus.*

a NEC est quod aliqui inuitum Iosephum explicent, eū legis nomine sacros omnes libros intellexisse. Sic q; Christum Dominum dixisse Iudæis. Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi dij estis? Et rursum. Vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est. Quia odio habuerūt me gratis. Quæ non ex Pentateucho, sed ex Psalmis 81. & 68. sumpta sunt. At in illo operis sui procemio, legem à Senioribus explicatam, opponit reliquæ historiæ sacræ, quā se profitetur libris suis explicaturum.

Ioan. 10. 3 Ioan. 15. 25

Refutatur.

Eius tamen opinio & rationi ipsi, & communi sanctorū Patrum sententiæ aperte repugnat. Nam vel ex ipso S. Hieronymo constat Christum Dominum, Apostolos & Euāgelistas Vetus Testamentum iuxta Septuaginta interpretationem citare; at identidem Psalmos & Prophetas afferunt. Respondet Mariana Clementem Alexandrinum, & Eusebium ex Aristobuli sententia affirmare, libros Hebræorum, priusquam rerum potiretur Alexander, in Græcam linguam fuisse conuersos, vnde Philosophi & poëtæ multa mutuati sint. Eademque sentiunt Bellarminus & Gretserus: merito dissentiente Baronio, & probabilius existimante ethnicos non ex versione librorum, sed consuetudine cum Iudæis pleraque de sacris libris didicisse. Audi Epiphanium. Primum omnium sacras literas ex Hebræo in Græcum transferre 72. viri aggressi sunt, Ptolemæo Philadelpho in Ægypto regnante.

Ab alio ad antiquiore. Strom. 1. 5 Præpar. c. 3

1. l. 2. c. 6. & 8 & ibi Gretserus de pōd. n. 3

XXCVII. *Non solum Pentateuchum fuisse conuersum.*

DATIO ista ratiocinatur Iosephus, quasi Ptolemæis Iudaicam viuendi formam sectari, & non bibliothecam suam omnium librorum copia locupletare voluerit; aut ingentem eius librorum famem quinque Mosis libelli exsaturare possent; relictis præsertim ijs libris, qui sui desiderium maxime excitare possunt, quales sunt prophetici, qui res futuras prænunciant, quorum scientiā hominea

vehe-

vehementer ambiunt, vtpote supra captum hominum & angelorum positam, ac plane diuinam: quales & historici, qui regum & principum res præclare gestas continent, & Dei ipsius, suorum vel peccata punientis, vel honeste facta multiplici felicitate cumulantis. Denique Iudæi male viderentur regiæ Ptolemæi magnificentiæ, planeque maligne respondisse.

XCVIII. *Ita sentit S. Irenæus* Iren. l. 3. c. 25. *Clemens Alexand.* Clem. Str. 1. Hanc quoque opinionem Sancti Patres euertunt. Irenæus. *Cupiens eam Bibliothecam, quæ à se fabricata esset, in Alexandria, omnium hominum dignis conscriptionibus ornare.* An Dauidem & Prophetas ea prodidisse credidit, quæ conscriptione indigna essent? Clemens Alexand. *Versas autem fuisse scripturas, & legis, & Prophetarum, ex Hebræo sermone in linguam Græcam aiunt tempore Ptolemæi:* & mox, *voluit vt Hierosolymitani quoque eas, quæ apud se erant, Prophetias in sermonem Græcum interpretarentur.* *S. Iustinus.* Iustinus exhort. Iustinus. *Quod si quis asseueret Moysis quoque, & aliorum prophetarum scripta Græcis edita literis, is discat Aegypti regem Ptolemæum,* &c. & in Apol. 2. *Cum autē Ptolemæus Aegyptiorum Rex bibliothecam institueret, & omnium hominum scripta comportare conaretur, de prophetijs hisce quoque certior factus, ad Herodem Iudæorum tum regem misit, copiam sibi fieri propheticorum librorum petens.* *S. Epiphan.* Epiph. de pond. Epiphan. singulos libros enumerat ab ipsis conuersos, vsque ad Esdram & Hester, excluso Ecclesiastico, & libro Sapientiæ.

XCIX. *S. Hilarius.* Hilar. in ps. D. Hilar. Prol. in Psal. *Sed 70. Seniores secundum Moysi traditionem, ad custodiendam legis doctrinam in Synagoga manentes, posteaquam illis à Rege Ptolemæo transferenda ex Hebræo in Græcum sermonem, totius legis cura mandata est, spirituali & cælesti scientia virtutem psalmorum intelligentes, in numerum eos, atque ordinem redegerunt.* Et iterum in Psal. 2. *Hi ergo psalmos inter cæteros libros transferentes, & in numerum redegerunt, & in ordinem collocauerunt,* *S. Cyrill. Hierosol.* Cyrill. Cath. 4. D. Cyrillus. *Diuinas lege scripturas veteris Testamenti, libros viginti duos, quos septuaginta duo interpretes transtulerunt.* Et paulò post. *Ptolemæus Philadelphus vndique libros colligens cum à Demetrio Phalereo de legis, & diuinorum prophetarum scriptis audisset,* &c. Et infra, *horum libros lege duos atque viginti, nihilque cum apocryphis habeto commune, hos solos studiose meditare, quos & in ecclesia secure tutoque recitamus.* Eos autem *S. Augustin.* August. de doct. mox enumerat D. Aug. l. 2. de Doct. Christ. c. 15. Septuag. ait interpretum, quod ad vetus testamentum attinet, excellit autoritas &c. *S. Chrysostomus.* Chrysost. D. Chrysost. hom. 5. in 1. Matth. ex 70. versione citat & commendat. *Ecce virgo concipiet &c.* Nec aliter sentit *Eusebius.* Euseb. in Chron. ad 3. annum Philadelphi, tam in versione Hieronymi, quam in textu Græco, & in isto maxime.

XC. *Quot exemplaria scripta fuerint.* Satis hic opinor testium ad obstruendum os falsa loquentis Iosephi. Porro Cyrillus vniuersa à singulis interpretata tradit: ex quo sequitur septuaginta duo exemplaria primum edita fuisse librorum sacrorum. Id autem supponere videtur 72. exemplaria Hebræa allata fuisse, si singuli in suis cellis clausi interpretabantur ex Hebræo, aut oportet Spiritum sanctum eis memoriter cuncta dictasse. Epiph. autem tricies & sexies ait conuersam, à singulis interpretum paribus semel; quod scilicet singulis paribus vnus tradebatur liber, verbi gratia Genesis; quorum vnus, priorem mediam partem, alter posteriorem conuerteret, dum interea duo alij eodem modo Exodum & Leuiticū cæterosque interpretarentur: & sic vno absoluto libro, quælibet paria alterum nondum à se conuersum accipiebant: nec tamen hinc sequitur singulos dimidiam tantum libri cuiusque partem vertisse. De septuaginta porro & duobus diebus, Aristææ & Iosepho, Cyrillus & Epiph. cōsentiunt. Postremo cum interpretationem omnes comprobassent, imo Rex ipse à Demetrio acceptos libros adorasset, asseruari iussit diligenter, vt incorrupti manerent. Asseruatum porro & exemplar Hebraicum apud regem, videtur existimare Tertul. *Hodie,* inquit, *apud Serapæum Ptolemæi bibliotheca, cum ipsis Hebraicis literis exhibentur.* Est autem Serapæum locus ad Serapidis templum pertinens. (a 1. Apolog.)

XCI. *Imprecatio in violatores librorum sacrorum. Pœna Theopompi & Theodectæ.* Addita est etiam imprecatio solennis ab ijsdem interpretibus, si quis vel addere vel mutare, transferre vel delere auderet quidquam eorum quæ scripta essent. Denique dimissi sunt domum cum donis ingentibus, quæ quia superant fidem meam, tu illa apud Iosephum, & Aristæam si placet leges. Quin ne illis quidem assentior in Theopompi & Theodectæ pœnis, quod Hebræorum leges attrectare, & quidpiam è sacris libris in sua opera transferre ausi essent. Vnde enim illa haurire potuissent? cum & Hebræa apud vnos Iudæos incommunicata extarēt, nec Græcè viceversa essent, cum hæc prima fuerit editio, vt testatur Epiphanius; nec illi Hebræa intelligerent: quæ autē auditione ab alijs accepissent, non ipsi soli scribere ausi essent, vt ex Iosepho ipso constat, qui multo passim, vt supra diximus, commemorat; multos etiam Eusebius, & Clemens Alexand. apud quem Numenius Philosophus Pythagoreus aperte scribit. *Quid enim est Plato, nisi Moyses Atticè loquens.*

XCII. *Annua celebritas huius versionis.* Non omittam quod Philo scribit, valetque plurimum ad confirmandam mirabilis conuersionis fidem. *Hodie,* inquit, *solemnis celebritas renouatur in Pharo insula, ad quam non tantum Iudæi, sed & alij plurimi traijciunt, locum veneraturi, in quo primum visa est hæc interpretatio, & pro tanto beneficio quasi recenti, acturi Deo gratias. Post vota autem, & gratiarum actiones, alij tentoriis fixis in littore, alij discumbentes in ipsa arena sub dio cum amicis & domesticis epulantur.* Scio esse qui hanc celebritatem annuam referant ad victoriam naualem de Antigono Gonata à Philadelpho obtentam, sed frigide. Ea enim perexigui momenti fuit, cum nihilominus Athenarum obsidio soluta non fuerit, sed in Antigoni potestatem deditione deuenerint. Sed iam tempus est, vt repetamus Italiam, & Pyrrhi præclara facinora cum Romanis spectemus.

XCIII. *Alterum Pyrrhi cum Romanis prælium.* In Italia cum Pyrrhus disiecta pacis consilia cerneret à Romanis, & interiectis diebus sociorum exercitus superuenisset iterato prælium cum Romanis facit; in quo par fortuna priori bello fuit. Ita Iustinus paucis, a Gellius b ait Pyrrhum vnam atque alteram pugnam prospere in Italia pugnasse, antequam de eo veneno tollendo ad Fabricium veniretur. (a l. 18. b l. 3. c. 8.) Florus quoque in Epit. 13. *Iterum aduersus Pyrrhum dubio euentu pugnatum est.* Quia scilicet hinc Consul occisus, inde Pyrrhus acie cessit. Dionysius apud Plutarch. in Pyrrho negat liquidam fuisse Pyrrhi victoriam, quæ apud Asculum contigit: quæ satis consentanea videntur ijs, quæ Eutropius & Zonaras gesta narrant, Sulpitio & Decio huius anni Consulibus.

XCIV. *Mutuus ad illud apparatus. Decij deuotio.* ἔτι ὁμολογουμένως ἡττᾶσθαι Ῥωμαίων. Per hyemem, inquit Zonaras, vtrique se ad bellum instruxerunt. Vere instante Pyrrhus impressione in Apuliam facta, multa vi, multa deditione occupauit, donec Romani ad Asculum oppidum contra eum castra posuerunt; ac dies complures mutuo metu quieuerunt. Romani Epirotas vt victores timebant, Epirotæ Romanos vt desperatos. Decium quippe ad deuouendum semetipsum, exemplo patris atque aui, paratum esse fama vulgatat. Contra quam deuotionem Pyrrhus exercitum confirmauit, docēs nec vnius hominis obitu multos debellari posse, nec incātationum præstigias plusquam viros & arma valere. Indagatoque habitu, quo se Decij deuouissent, monuit si quē ita ornatum cernerent, ne eum occiderent, sed viuentem comprehenderent, exquisitis mactandum supplicijs, idque Decio nunciari iussit. Nuncium Coss. contemptim accepere. Varie enim aduersus Gallos exerciti prælijs aduersus Pyrrhum athletæ perfecti bellicorum certaminum euasere, vt ait Polybius. c Pergit Zonaras. (c l. 1. p. 6 & l. 2. p. 102. gr lat.)

XCV. *Pugna committitur.* Et cum profundum flumen castra inimica dirimeret, sciscitati sunt vtrum ipse impune transire, an sibi transeundi potestatē facere mallet, vt æquali pugna copijs integris commissis, certum ferri posset de fortitudine iudicium. Pyrrhus multum elephantis suis fretus, Romanos flumen transire passus est, qui aduersus elephantos ferrata cornua vndique prominentia curribus inseruerunt, ex quibus tū alia missilia, tum ignem eiaculantes, belluas repellerent. Cum ad manus ventum esset Romani Græcos sero quidē, sed tandem pepulerunt: donec Pyrrhus elephantis in auxilium, non qua falcati currus stabant, sed in alteram partē adductis, equitatum Romanum, terrore belluarum, ante congressum profligauit; peditibus parum nocuit. (*Vsus elephantorum.*) Interea quidam Apuli, Epirotarum castra aggressi, causa victoriæ Romanis extiterunt.

Nam

XCVI. *Caussa victoriae Romanorum.* NAM cum Pyrrhus aliquot è pugna eduxisset aduersus Apulos, reliqui omnes turbati & tentoria capta esse, & illos fugere opinati, inclinarunt, eorumque multi caesi sunt, Pyrrhus ipse, & ex praecipuis complures vulnerati, ac post cum ob commeatus, tum ob medicamentorum inopiam grauiter afflicti, Tarentum, priusquam Romani sentirent, discesserunt. Quos tamen Romani vulneribus debilitati persequi non potuerunt, sed in vrbes Apuliae hybernatum recepti sunt. Hunc pugnae victoriaeque modum refert Zonaras. Mortuum porro in hoc praelio Decium Consulem, *Mors Decii Consulis.* locuples testis est M. Tullius, imo patris atque aui exemplum imitatum esse. Sic enim loquitur 2. de fin. *Quod quidem eius factum* (Auij Decij deuotionem) *nisi esset iure laudatum non esset imitatus quarto Consulatu suo filius: neque porro ex eo natus, cum Pyrrho bellum gerens, Consul cecidisset in praelio, seque è continenti gereret tertiam victimam Reip. praebuisset.*

XCVII. *Crumena vulnerata.* li. 4. c. 18. FABRICIVM tum legatum Consulis in praelio vulneratum refert Orosius. Eutropius lib. 1. & Orosius aiunt hoc praelio viginti hostium millia caesa, Romanorum autem quinque millia; regis signa ablata 53. Romanorum vndecim: addit etiam Elephantos interfectos. Parum autem probabiliter Florus *a* docet in Consulatu Curij & Fabricij belluas à C. Minucio occidi coepisse: cum tamen Curius & Fabricius in Consulatu collegae non fuerint, in quem tamen errorem autor lib. de vir. illust. impegit, vel eum infeliciter imitatus est. Deinde, vt dicemus anno seq. in Consulatu Fabricij contra Pyrrhum pugnatum non est. Res igitur tota in hunc annum cadit. De profligatis Elephantis, in quibus maximum erat momentum victoriae, Florus ait eorum terrorem exoleuisse postquam C. Minutius quartae legionis hastatus, vnius proboscide abscissa, mori posse belluas ostenderat. Itaque, inquit, & in ipsas pila congesta sunt, & in turres vibratae faces, tota hostium agmina ardentibus ruinis operuerunt. At Orosius, *Cades Elephantorum.* *Elephanti*, inquit, *prima pugna vulnerari, atque in fugam cogi posse deprehensi, deinde subiectu inter posteriora & mollia ignibus exagitati, ardentes insuper machinas furore trepido circunferentes, exitio suis fuere.* Significans hinc Romanis victoriae principium exortum, quando belluae, quibus maxime confidebat Pyrrhus, etiam damno esse coepissent dominis atque ductoribus.

a Li. 1. c. 18.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3775.

I. N. XIX. SEquitur & Gordonus noster in Chronologia sua capite decimo sexto numero decimo, vbi, inquit, quosdam referre finitam versionem anno decimo quarto Philadelphi: sed haec de re, inquit, vix constat. Imo vero inquam satis constat, si Aristaeo credimus, aut Iosepho, qui volunt Septuaginta duobus diebus fuisse absolutam. Sixtus quoque Senensis l. 4. Bibliothecae sanctae ad hanc classem pertinet. Olympiade quippe centesima vigesima quarta, editam hanc interpretationem tradit. Sed in eo labitur; si abest mendum à numeris, quod ab eo tempore ad Christum annos numerat trecentos quinquaginta, quod fieri vtique non potest.

2. N. XXXV. In Graeco Aristaei, tam edito quam manuscripto, & apud Eusebium habetur, ἀμελέστερον δὲ, καὶ οὐχ ὡς ὑπάρχει, σεσήμανται, quae Trapezuntius vertit, feruntur enim abiecte nonnulla translata: Male vtique, non dum quippe translata fuerant sacra biblia, cum prima translatio fuerit Septuaginta interpretum, vt clare affirmat Epiphanius. li. de Pond. & Mens. Garbitius autem, sed negligentius, nec ita vt reipsa se habent, sunt conscripti. Iosephus habet συμβέβηκε δ' αὐτὰ καὶ ἀμελέστερον ἢ ἔχει σεσήμανται, Castilius ad verbum vertit. Accidit autem haec negligentius, quam habet, esse significata, Gelenius, sunt enim negligentius quam par est habiti: haud scio an re satis intellecta.

3. N. XXXIII. Interpres Aristaei, qui est in Bibliotheca Patrum, vertit affirmatiue sententiam quasi multi scriptores Ethnici meminerint horum librorum; nec satis attendit quid esset πόῤῥω γεγόνασι τῆς ἐπιμνήσεως, quomodo in Graeco edito, & manuscripto habetur. Longe fieri à commemoratione, sine multum abesse à commemorando, non est frequenter meminisse. Iosephus certe libro duodecimo cap. 2. habet οὐκ ἐμνησθῆναι idque ipse ex Ecataei sententia, non ex sua refert, ne secum ipse plurimis locis aperte pugnet. Nec tamen laudo, quod ait neminem caeterorum scriptorum meminisse librorum Hebraicorum, quod ij non debeant profano ore tractari: tum quia haec caussa fictitij neque est apud Demetrium, neque sane conuenit eum suos omnes scriptores βίβλια σεμνὰ appellare: caussa potius fuit, quod libri occultarentur à Iudaeis, nocentibus sanctum dare canibus, &, vel in promptu positi, legi non possent.

4. N. XXXVIII. Ἑλληνιστὰς & Ἕλληνας in nouo testamento distingui vti diximus, pridem notauit Lorinus noster Acto. 14. 1. & ca. 18. 17. & post eum Scaliger in Eusebium: qui neque proprie, neque satis Latine Ἕλληνας paganos interpretatur, qui propriè sunt pagorum coloni: ne tamen nimium sibi in ea distinctione placeat, sciat non esse constantem, atque perpetuam. Nam sanctus Lucas Act. 17. 4. Ἕλληνας σεβομένους vocat, quos dicimus Ἑλληνιστάς, eosque interpretatur Oecumenius, religione Iudaeos natos, qui Graecè loquebantur. Et cap. 17. 18 Graeci dicuntur Iudaei in Graecia nati, vt Lorinus ex Chrysostomo notat. Vide etiã Gretserum to. 1. defens. l. 2. c. 6. fine.

5 N. L. Addamus etiam, etsi isthaec assertio caussae nostrae fauet, non plane verum esse, quod Scaliger & Casaubonus in illum Laertij locum affirmant, omnes scriptores Ecclesiasticos, qui de translatione τῶν Septuaginta literis aliquid mandauerunt, Demetrij Phalerei meminisse. Nam Philo eum praetermittit, & Iustinus, tam in Apologia secunda pro Christianis, quam in cohortatione ad Graecos. Et Irenaeus l. 3. c. 25. & Diuus Hilarius praefat. in Psal. & in Psal. 2. Theodoretus praefat. in Psal. & sanctus Augustinus l. 18. de ciuitate c. 42. & 43. & l. 2. de doctrina Christiana c. 15. & Diuus Chrysostomus tam Homil. 4. in Genesi, quam 5. in primum caput Matthaei. An illos in scriptoribus Ecclesiasticis non numerant? plerique etiam recentiores non meminerunt, quia compendiosius eam historiam tradebant, vt Bellarminus to. 1. l. 2. c. 6. Baron. to. 2. anno Christi 231. Galatin. de arcanis l. 1. c. 9.

ANNVS MVNDI 3776. SEXTAE AETATIS 260. Regni Graecorum 34. Antiochi Soteris 3. Eleazari Pontificis 11. Philadelphi 9. Olympiadis CXXV. An. 3. Archonte Damocle Vrb. C. 475. Coss. C. Fabricio Luscino II. & Q. Aemilio Papo II. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 277.

I. Ratio temporu. *l. 2. p. 208* HVius anni chronologiae patrocinatur Polybius, cum tradit Boios atque Hetruscos magna clade caesos (quod Fabricio primum consule contigit) quinto anno ante Delphicam Gallorum cladem, quo scilicet Fabricius iterum, cum eodem Collega factus est consul. Eandem *an. vt. coi 471.* roborat Pausanias, cum ait. *Gallorum hac in Graciam irruptio, pariter & strages facta est, summum Athenis magistratum gerente Anaxicrate, anno altero Olympiadis 125. qua de stadio vicit Ladas* *Lib p. 340* *Aeginensis*: haec scilicet duobus proximis annis, de praesenti vero addit. *Insequenti vero anno Damocle Athenis eundem honorẽ gerente, rursus in Asiam Galli transmisere.* Hactenus Pausanias: nimirum clades accepta in Graecia hoc anno à Gallis contigit priore anni parte, cum Anaxicrates adhuc praeturam agebat: posteriore autem in Damoclis magistratu, rursus in Asiam Cichorio duce, vt scribit Diodorus in eclogis libri vigesimi secundi, trãsmisere, vbi se paululum ex clade collegere: tametsi Iustinus ac Diodorus tradãt, aut diuinae aut humanae cladi superfuisse neminem. At Polybius ait partẽ istorum, qui periculo ad Delphos defuncti fuerant, duce *L. 4. p. 313.* Comontorio ad Hellespontum venisse, & nequaquam in *gr. lat.* Asiam traiecisse, sed bonitate agri circa Byzantium captos, *Sigon. in temp. Athen.* sedes ibi fixisse. Alij nihilominus in Asiam traiecisse aiunt, atque Ancyra Phrygum oppido occupata, supra Sangariũ amnem consedisse, atque inde Gallo-graecos appellatos.

II. Delphica Gallorum clades. *l. 22. n 13.* EAM cladẽ fuse narrat Iustinus l. 24. ex quo haec pauca Brennus adunatis centum quinquaginta millibus peditũ, & quindecim millib. equitum, vel potius, vt habet Diod. 140. millibus scutatorum, 10. millibus equitũ, aliaq; turba in Macedoniam irrupit. Cum agros villasq; popularetur, occurrit ei cum instructo Macedonũ exercitu Sosthenes; sed pauci à pluribus, trepidi à valentibus facile vincuntur. Itaque cum victi Macedones intra muros vrbium se cõdi- *Cibo se ae potu ingurgitant.* dissent, victor Brennus nemine prohibente, totius Macedoniae agros populatur. Inde quasi spolia profana sordetẽt, animum ad templa conuertit, scurriliter iocatus, locupletes deos largiri hominibus oportere. Vbi ad Tẽpli Delphici conspectum venit, deliberabat nũ statim illud inuaderet, an fessis de via militibus proximam noctem ad quietem daret: sed id Gallorum vulgus integrum duci non reliquit. Nam ex longa inopia, vbi primum vino, caeterisque commeatibus referta rura inuenit, late se per agros effudit, desertisque signis ad occupanda omnia pro victoribus

vaga-

vagabantur. Eumque in finem dicuntur moniti oraculis oppidani, vt ne commeatum villis efferrent, quo ea mora Gallis iniecta, finitimorum auxilia conuenirent.

III. *Delphos oppugnantur.*

PRIVS itaque vrbem suam Delphi aucti viribus sociorum permunivere, quam Galli, vino velut prædæ incubantum ad signa reuocarentur: collecti tandē ad sexaginta quinque millia ad prædā festinabāt. Delphorū, sociorūque non nisi 4. millia erant, qui scandentes Gallos ex summo montis vertice, partim saxis, partim armis obruebant. Cætera deinde fabulæ propiora quā historiæ. Dū scilicet opē Apollinis suppliciter implorant antistites, Iuuenē supra humanum modum insigni pulchritudine occurrisse, duabus stipatum armatis virginibus, quæ ex propinquis Dianæ, & Mineruæ ædibus prodijssent. Diuinam præsentiam statim sensisse Delphos. Nam & terræ motu, inquit, portio montis abrupta, Gallorum strauit exercitum, & confertissimi cunei, non sine vulneribus hostium dissipati ruebant. Insecuta deinde tempestas est, quæ grandine, & fulgure, ex vulneribus saucios absumpsit.

IV. *Bella inuisa auctio.*

FABVLÆ dixi, quam historiæ propiora. Quāquam potuit dæmon speciem deorum, humana longe angustiorē, miseris hisce mortalibus eius cultoribus exhibere, & in eorum hostes sæuire, ac terra sæuire, quo modo contra Gallos pugnasse Iostinus: qui pergēs, Dux ipse Brennus, inscribit, quit, cum dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finiuit, cum prius suis author fuisset, vt creato sibi rege Cichorio oēs saucios barbara plane crudelitate interficerent, vt vult Diodorus: itaque ad viginti millia languētem animam suorum ferro exegerunt. At Iustin. Alter, inquit, ex ducibus punitis belli autoribus, cum decem millibus sociorum, citato agmine ex Græcia excessit: additque quocumque illi pergerēt, carptim ab omnibus populis lācinatus, ad vnum omnes misere perijsse. Quæ quamuis nō parū vltra veritatē aucta videātur, multum tamen fidei accipiunt, ex eo quod, vt idem testatur historicus, Galli proprijs viribus, ac multitudine freti, nullo periculorum metu in bellum ruebant. Delphi autem plus diuino auxilio, quam humano robore nitebantur: quodque voluit Dominus etiam falsæ diuinitatis contemptum, qui in verā destinabatur, vindicare; & vice vera spem in æstimatum Deū positā non confundere. Vt tanto magis intelligamus, pijs eum verè colentibus, & ad eius præsidium suppliciter cōfugientibus, ipsum contra impios ac profanos hostes non defuturum; vt sexcentis historijs, ex Musaicis libris maximeque ex libris Iosue, Regum, & Paralipomenon intellectum est, vt posteriora tempora omittamus.

Diuinum iudicium

V. *Carthago ex fide Romanis auxilio fuerunt.*

IAM verò quod ad Romanam rem attinet, Chartaginēses, qui magna Ciciliæ parte potiebantur, non sine causa suspicati sunt Pyrrhū, cuius gloria & res cū Romanis gestæ rumore nuncio circūferebātur, à Siculis in Siciliā euocatū iri. Itaq; eū in Italia retinere, cū fœderatorum sibi Romanorū pernicie conati sūt. Author l. 18. Iustinus. *Interea Mago*, inquit, *dux Carthaginensium in auxilium Romanorū cum cētum viginti nauibus missus, Senatum adijt; ægrè tulisse Carthaginenses affirmans, quod bellum in Italia à peregrino rege paterentur, ob quā causam missum sit, vt quoniam ab externo hoste oppugnarentur, externis auxilijs iuuarentur. Gratiæ à Senatu Carthaginensibus actæ, auxiliaq; remissa.* Sic ipse. Remissa vero quis dixerit, siue quia totam deuicti Pyrrhi gloriam suā esse voluerint: siue quia fraudem senserant, & præuaricationem timebant eorum, quos vafro, & infido ingenio esse non dubitabant, & incrementorum populi Romani timido.

Epitom. 13. Liuij.

VI. *Tertium aut quartum est eo fœdus. a πλῆθος μισοῦντας... vel vt alii habent codices, πλῆθ-*

NIHILOMINVS, vt scribit Florus, fœdus cum ipsis quarto renouatum est. Memorat libro tertio Polybius hoc fœdus cum Carthaginensibus, & postremum vocat, a quod ictum fuisse dicit sub aduentum Pyrrhi in Italiam. Id Perotthus interpretandi causa Tertium appellauit; quia tria tantum fœdera numerat Polybius. Eius hoc erat initium. *Si Societatem cum Pyrrho populus Romanus, aut Carthaginensis inierit, fœderis legibus vterque cauto, vt si alterutrius ditionem hostis inuaserit, inuicem sibi ferre opem liceat: &c.* Ita sub dubitatione fœderis ineundi cum Pyrrho Romani cum Pœnis agunt, quia amicitiam & societatem Romanorum Pyrrhus ambiebat, nec eam Romani negabant, si prius ille Italia excessisset. Rursum etiam Pœni videntur eum suerj fieri voluisse, vt eum ex pacto, quod cum eo iniretur, Sicilia auerterent. Id Iustinus non obscurè significat, dum subdit, Mago punico ingenio post paucos dies tacitus, quasi pacificator Carthaginensium Pyrrhum adit, speculaturus consilia eius de Sicilia, quo eum ab incolis accersiri fama erat.

l. c. 18.

VII. *Non Fabricium cum Pyrrho hoc anno pugnasse.*

QVID porro Fabricio Consule contra Pyrrhum hoc anno gestum sit, non admodum certum est. Nam pugnatū esse ab eo contra illum autor est L. Florus. Plutarchus etiam alteram Fabricij pugnam in hoc consulatu recenset, quem secutus est Cuspinianus. Certior tamen est altera sententia, quæ negat hos consules manum cum Pyrrho conseruisse, nedum victoriam de eo retulisse: tum quia tradunt Fabricium anno præsenti 475. vrb. cond. Idibus Decembris de Lucanis Brutijs, Tarentinis, Samnitibus triumphasse; non tacituri Pyrrhum, sicut postea de eo, & triumpho Curij aperta est mentio: tum quia multo plures autores contra sentiunt, Liuius in Epithome Flori. Dionysius apud Plutarchum in Pyrrho, Eutropius, Paulus Orosius, Zonaras: & ex Recēt. Sigonius in fastis, & quicunque initio huius consulatus Fabricij, insidias contra Pyrrhum memorant, eumque statim in Siciliam dimittunt, & duo tantum prælia Pyrrhi ante eius transitum in Siciliā agnoscunt.

VIII. *Instructa tempore ad Tarentum acies.*

CERTVM tamen est instructas fuisse, tam à Pyrrho, quam à Fabricio consule ad Tarentum acies. quo post superioris anni pugnam Rex se receperat, vbi & milites cōparatat, & pecunias domo aduehi iusserat. Sed vbi in Fabricium sibi pugnandum esse sensit, in ea sententia nō permansit, vt inquit Zonaras, siue quia viri virtutem diligebat, siue quia eius fortitudinem, magna dudum clade affectus, metuebat. Sed hostis virtutem domestici perfidia nobilitauit. Nā, vt ex Valerio Antiate narrat Gellius, Ambraciensis quispiam Timochares, Regis Pyrrhi amicus, ad C. Fabricium Consulē furtim venit, ac petito præmio promisit Regem venenis necare: idque facile esse factu dixit, quoniam filij sui pocula in conuiuio Regi ministrarent. Eam rem Fabricius ad Senatum scripsit. Senatus legatos ad Regem misit, mandauitque vt de Timochare nihil proderent, sed monerent vti Rex circumspectius ageret, atque à proximorum insidijs salutem tutaretur. Istum Quadrigarius & Zonaras Niciam appellant. Plutarch. & Autor vit. ill. medicum: nec Senatum interuenisse aiunt; res enim erat minime dubia, & iter longinquum, vt consuleretur à Consule.

Perfidia medici Pyrrhi.

IX. *Rege patefit à Romanis.*

MEDICI scelus, inquit Plutarchus, Fabricius aueisatus, cum in eandem sententiam adduxisset Collegam, literas propere ad Pyrrhum mittit, monens vt caueret insidias. Eæ scriptæ in hunc modum fuerunt. C. Fabricius & Quintus Æmylius Consules Romani, Pyrrho regi Salutem. *Videris neque in amicis, neque in hostibus iudicandis felix. Etenim lectis nostris ad te literis cognosces bonis te, & iustis viris bellum facere, malis & iniustis credere. Neque verò hæc in tuam gratiam tibi indicamus, sed ne tuus casus calumniam, aduersus nos excitet, & videamur bellum, cum virtute non potuissemus, fraude confecisse.* Aliter habetur hæc epistola apud Gellium ex Quadrigario, quem si videtur consule. Ibi proditor Nicias proditur, quem Plutarchus tacet.

l. 3. c. 8.

Pyrrhus perlecta epistola, deprehensisque insidijs medicum affecit supplicio, Fabricio, & populo Romano, gratiæ referendæ causa, gratis captiuos donauit, & Cineam iterum ad pacem peragendam misit: populus totidem Tarentinus & Samnites ei liberos remisit, & de pace tunc quoque agere missit, cum Italia excessisset. Plutarchus, Zonaras.

non frustra.

X. *Plutarchi de liberando Pyrrho.*

TAM constans Romanorum de pace sententia, non leue momentum videtur attulisse Pyrrho, animo circa profectionem fluctuanti. Eodem enim tempore Irgari aderant ex Sicilia, vt ait Plutar. qui ei Agrigentum, Syracusas, & Leontinos dedebant, orabantque vt ad exigendos Pœnos, & ad vindicandam à Tyrannis insulam suppetias ferret. Ex Græcia vero nunciabatur Ptolemæum Ceraunum cum exercitu in conflictu contra Gallos occubuisse, mox-

moxque etiam Sosthenem; nunc ipsum opportunissimo tempore, quærentibus regem Macedonibus, superuentutum. Ex his intelligis mortem Ceraumi recte anno proximo esse collocatam, & non triennio ante cum Eusebio. Hic Pyrrhus multum fortunam incusauit (demens qui se Deum accusare non intelligebat) quod magnarum rerum occasiones in vnum momentum sibi conclusisset, reputans, si ambo capere vellet, alterum, aut vtrumque potius se amissurum.

II. *Expeditionem suscipit in Siciliam.*

Tandem existimans Siciliam aditum sibi ad res maiores patefacturam, ad eam expeditionem adiecit animum; tum Locris filium suum Alexandrum cum valido præsidio reliquit, socias vrbes reliquas firmauit, Tarentinis inuitis præsidium imposuit, cui Milonem præposuit: illis nequicquam postulantibus, vt ipsis bello contra Romanos adesset, vel si deseteret, quales inuenerat, relinqueret. Ille silentium imperauit, & reditum suum expectare iussis, vela fecit, cum triginta millibus peditum, equitum duobus millibus & quingentis, & nauibus ducentis. Plutar. Diodorus Siculus in Excerptis ait Pyrrhum in Italia bellum gessisse annos duos & menses 4.

L. 22. n. 11.

Res à Fabricio gesta à Pyrrho defecto. *L. 1. c. vlt.*

Post eius discessum rem bene gestam à Fabricio contra Pyrrhi socios, eiusdem triumphus, qui in extremum hunc annum cadit, vt paulo ante diximus, satis declarat: quo pertinet illud Valerii Maximi, Martem auxilio venisse Romanis, Fabricio contra Brutios ac Lucanos bellum gerente: ad pugnam euocasse, vallum admotis scalis primum conscendisse, & impulsu suorum armorum prostratos hostes, capiendos iugulandosque Romanis tradidisse, viginti millia cæsa, quinque millia, cum Statio Statilio duce vtriusque gentis, & tribus atque 20. militaribus signis capta esse. Cumque postridie quæreretur iuuenis, qui primus vallum conscenderat, vt vallari corona donaretur, nusquam inuentus est, supplicatio Marti, in oblati auxilij testimonium decreta est, quæ Deo Domino exercituum, & victoriarum debebatur.

ANNVS MVNDI 3777. SEXTÆ AETAtis, 261. Imperij Græcorum 35. Antiochi Soteris 4. Eleazari Pontificis 12. Ptolemæi Philadelphi 10. Olympiad. CXXV. an. 4 Vrb. Conditæ 476. Coss. P. Cornelio Rufino II. & C. Iunio Bruto Bubul II. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 276.

I. *Antigonus Gonatas in Macedonia regnat, Gallosque vincit.*

Occiso à Gallis Ptolemæo Ceranno, & Sosthene quoque, vt apparet, vel sublato, vel fracto viribus, immensis Brenni copiis, Macedones Pyrrhum regem expetebant, vt ex Plutarcho supra dicebamus, qui ad imperium Siciliæ animum adijcere maluerat. Interea Antigonus Gonatas Demetrii filius pacem cum Antiocho Sotere statuit. Ambiebat scilicet regnum Macedoniæ Soter, quod pater ipsius Seleucus occiso Lysimacho adeptus erat, & quod mox à Ceranno occisus amiserat. Id autem Antigonus Gonatas quasi hæreditarium, & à Demetrio patre iampridem possessum sibi vendicabat. Soter igitur, qui longe lateque in Asia, Syriaque regnabat, Macedonia cessit Antigono. Is cum in Macedoniam reuerteretur, nouus eidem repente hostis exortus est, vt tradit Iustinus l. 25. Quippe Galli, qui à Brenno ad terminos gentis tuendos, relicti fuerunt, deuictis proximis Macedoniæ gentibus, legatos ad nouum regem miserunt, pacem ei venalem offerentes. Is cum imprudenter suas ei copias diuitiasque ostentasset, non eis terrorem sed prædæ cupiditatem iniecit. Ad quam cum auide atque imprudenter conuolassent, à parte exercitus Antigoni oppressi sunt, vt fusius refert Iustinus; quem quis non temere dixerit Antigoni diuitias ibi vehementius amplificasse, quippe qui adhuc fere priuatam vitam egisset, & Macedoniam tot proxime cladibus attritam accepisset.

II. *Pyrrhus in Sicilia felix.*

Pyrrhus autem vt appulit in Siciliam, cuncta eius spei responderunt, ciuitatesque certatim se ei tradiderunt, vt ait Plutarchus: vbi certamine, & vi opus erat, nihil ei obsistebat. Nam cum iis copiis, quibus Siciliam inierat, Pœnos profligauit, prouinciam eorum subegit, Erycem munitissimum oppidum, quod magnum habebat præsidium; magna vi, parique felicitate expugnauit, vt idem fusius explicat, & Diodorus Siculus in Excerptis. a Iustinus, b & Zonaras c aiunt eum primum Syracusas venisse, ibi summa rerum ipsi permissa, regem Siciliæ sicut Epiri appellatum fuisse, breuique temporis spatio tantum euasisse, vt Pœni metu illius ex Italia milites conducerent.

a L. 22. n. 11. & 14. b L. 23. c t. 2. Annal.

Hac rerum felicitate lætus, Heleno filio Siciliam, velut auitum regnum (nam susceptus fuerat ex Agathoclis Syracusani regis filia) Alexandro autem Italiæ regnum destinat. Sic Iustin. Illa Agathoclis filia Lanassa dicta fuit; quæ susceptis ex Pyrrho duobus liberis, eo relicto Demetrio nupserat. Sunt tamen qui Helenum ex Bircenna Illyriorum regis filia natum dicant.

Vt patet in Stemmate Pyrrhi apud Tempor. p. 218.

III. *Romani Samnitas imprudenter adorientes.*

Interea Romani, vt scribit Zonaras, per absentiam Pyrrhi animis confirmatis, ad vltionem eorum, à quibus accersitus fuerat, conuersi, Tarentinorum vindicta in aliud tempus dilata, Rufini & Iunij consulum ductu, & auspiciis, Samnium inuasere, agrisque vastatis, castella quædam ab incolis deserta occuparunt. Samnites enim in montes Cranitas, à coruorum frequentia ita dictos, carissima pignora & pretiosissima quæque contulerant. Romanis igitur, per contemptum, ac nimiam fiduciam sui, animosi Imperatoris ductu, eos montes, asperos licet atque arduos, conscendere ausis, multi occubuerunt, multi capti sunt; Deo mortalium superbiam de more comprimente. Eius cladis culpam Consules alter in alterum conferentes, de communi sententia bellum gerere destiterunt. Ac Iunius partem Samniticæ ditionis vastauit. Rufinus Lucanos & Brutios afflixit: de quibus tamen Iunius Brutus in Fastis legitur triumphasse.

IV. *Rufinus Consul Crotonem adoritur.*

Cæterum Rufinus, vt scribit idem Zonaras, ad Crotonem recuperandam profectus est. Ea est magnæ Græciæ vrbs, ad sinum Tarentinum, quæ defecerat à Romanis. Rufinum aduocabant eius amici Crotonienses, sed cæteri ante aduentum eius; præsidium, cui Nicomachus præerat, à Milone accersiuerant. Cuius rei ignarus, cum vt ad amicorum mœnia negligentius accessisset, subita hostium eruptione cladem accepit. Nihilominus arte quadam mox vrbe potitus est.

Duos enim captiuos transfugarum nomine Crotonem misit; quorum alter diceret eum desperata vrbis expugnatione Locridem, quo à proditoribus vocetur, discessurum: alter deinde affirmaret eum iam in itinere esse. Quæ oratio, vt esset probabilior, sarcinis collectis se properare simulauit.

V. *Et per fraudem occupat.*

Id Nicomachus verum esse ratus, nam speculatores idem renunciabant, Crotone deserta, per viam breuiorem celeriter Locros contendit. Quo cum peruenisset, Rufinus conuerso ad Crotonem, itinere animaduertente nemine, quod & præter expectationem aderat, & nebula conspectum eripuerat, vrbem cepit. Quo Nicomachus cognito Tarentum rediturus, cum in itinere in Rufinum incidisset, multos amisit, Locri ad Romanos se contulerunt. Crotonem captam male apud Eusebium legimus anno secundo Philadelphi, quo tempore nondum Pyrrhus in Italiam venerat, quod Pontac. & Scal. quoque notarunt. Meminit captæ Crotonis Frontinus, & aliquo tempore frustra obsessam tradit.

lib. 3.

VI. *Rufini auaritia, & fortitudo.* *l. 4. c. 2.* *lib. 12. c. 1.*

Addam huius Cornelii Rufini moribus, quod notauit lib. 2. de Oratore M. Tullius, quod non pœnituit Aul. Gellium & Quintilianum repetere. Cum C. Fabricio, ait, P. Cornelius homo, vt existimabatur auarus & furax, sed egregie fortis, & bonus imperator gratias ageret, quod se homo inimicus consulem fecisset; bello præsertim magno & graui. *Nihil est, ait, quod mihi gratias agas, si malui compilari, quam venire.* Nimirum significabat se suffragio suo eius competitoribus fauere noluisse, quod eos, licet alioqui viros bonos, imbelles tamen, & artis imperatoriæ imperitos existimabat, verebaturque ne eorum auspiciis Romani à potenti hoste victi, captique venundarentur, maiore Rei

Filij Ptolemaei, & vxores.

ladelphus ex sorore libros vllos suscepit. Audi enim Pausaniam. *Huic filij ex Arsinoë, non sane sorore, sed ea quæ Lysimachi filia fuit, nati sunt. Nam soror, quam sibi matrimonio iunxerat, antequam pareret, diem suum obijt, à qua Arsinoitis præfectura cognomen accepit.* Hæc ibi. Ex altera vero Arsinoë filia Lysimachi, suscepit Ptolemæum Euergetem, & filias duas Laodicen & Berenicem, de quibus suis locis dicetur: nunc ipsam audiamus epistolam.

XLI. *Grates agit de muneribus.*

ACCEPTA *epistola tua valde gauisi sumus ob egregiam tuam voluntatem, aduocataq; concione multitudinis vniuersa, eam legimus, vt cognoscerent tuam erga Deum nostrum pietatem. Quibus monstrauimus etiam phialas quas misisti 20. aureas, & argenteas triginta: crateras item quinque, & mensam super quam fierent oblationes, & sacra peragerentur: tum pecuniæ talenta centum, ad alios templi vsus. Quæ quidem attulerunt Andreas tibi charissimus, & Aristæas viri honesti & boni, doctrinaq; præstantes, tua familiaritate, ac virtute dignissimi. Qui etiam exposuerunt nobis omnia sibi abs te commissa, & à nobis vicissim cognouerunt, quæ literis tuis respondenda viderentur. Itaque quæcunque tibi cordi fuerint, etiamsi quid præter ingenium nostrum facere oporteat, exequemur; id enim est amicitiæ ac beneuolentiæ argumentum. Magnis quippe beneficijs, & quæ nulla deletura sit obliuio, magnum ciuium nostrorum numerum affecisti.*

ἢ εἰ παρὰ φύσιν ἐστιν.

XLII. *Postulata acquiescit.*

QVAMOBREM *continuo pro te, & sorore tua, liberis & amicis hostias obtulimus vniuersi, vt perpetuo feliciter tibi cuncta succedant, vtque omnium moderator Deus regnum tuum in gloria & pace tueatur. Et sacræ legis interpretatio ex animi tui sententia, & multa cum tranquillitate contingat. Ac nos quidem in præsentia omnium elegimus honestos & bonos viros, ætate graues, ex singulis tribubus senos, quos ad te vna cum lege misimus. Tu vero Rex iuste, præclare facies, si post absolutam ex mandato tuo librorum translationem, curabis vt isti viri rursum nobis tuto restituantur.* Hactenus epistola, quæ donaria illa, vt par erat, numerat duntaxat; at singulorum ornatum & magnificentiam diligenter apud Aristæam & Iosephum explicata reperies; quæ nos breuitatis causa prætermittimus.

XLIII. *Mensa thymiamatis non fideliter expressa.*

ILLVD tamen tacitus præterire non possum, quod apud vtrumque scriptorem legimus, de mensa, siue altari thymiamatis, quod Ptolemæus repræsentare voluit. Cupiens enim longe maiorem facere mensam, mandauit explorari eius, quæ tum Hierosolymis erat magnitudinem, quod nollet ad ostentationem duntaxat illam in templo residere, sed vsui esse sacris ministeriis. Itaque dixit illi se æqualem facturum; sed artificij elegantia, quod magnitudini deesset, compensaturum. Iosephus ergo huius mensę modum ac mensuram in longitudinem duorum cubitorum & semis, in latitudinem vnius, altitudine sesquicubitalem fuisse scribit. Aristæas autem omissa latitudine, longitudinem ponit duorum cubitorum, in altitudine Iosepho consentit. Qui in eo vehementer errat, quod cum profiteatur hanc mensam ad prioris modum, Mosaicæ videlicet, esse factam, illaque apud Mosem descripta sit, ista illi neque longitudine, neque latitudine, neque altitudine respondet. Nam neque altera parte longior esse debuit, sed quadrata, neque longitudo cubitorum duorum & semis, sed vnius, eademq; latitudini par: nec altitudo sesquicubitalis, sed cubitorum duorum. Sicque in re maxime obuia, triplici vanitate lectoris abutitur fide.

Exod. 30.

XLIV. *Alia in eadem descriptione desiderata.*

TOLERABILIVS erat Aristæas homo peregrinus, non templi sacerdos, cum eius altaris mensuras non recte, & iuxta legis præscriptum refert. In descriptione autem ornatus tam mensę, quam cęterorum donariorum, vereor ne ab vtroque cacozelia peccetur. Et cum mensæ varia ornamenta tribuantur, miror prætermissa, quæ lege præscripta erant, cornua altaris, craticulam, annulos. Postremo Aristæi verbis donaria ista concludo. *Sæpe rex*, inquit, *vinissis publicis occupationibus studiose assidebat artificibus, vt illi perficerent omnia, prout decebat locum, cui illa destinabat. Itaque magnifice absoluta sunt omnia, & pro regis mittentis potentia, & pro summi pontificis, qui templo Dei præerat, dignitate. Nam pretiosi lapides & magnitudine conspicui, & numero multi, non pauciores quinque millibus, adhibiti erant. Tum artis solertia omnia ita excellebant, vt artificium industria, & lapidum valor quintuplo pretium auri superaret.* Cum tamen de mensa superius dixerit,

Cacozelia.

eam vndiq; ex auro probato solidam, & non aureis laminis extrinsecus obductam; eiusque crassitudinem fuisse semicubito non minorem.

XLV. *Ptolemæus Rex versionis curator primarius. Eius laus. a n. 19. & seqq.*

IAM vero personę, quæ huic negotio interuenerunt, vel recensendæ sunt, vel examinandæ. Ptolemæus occurrit primus, quem eum fuisse Philadelphum, supra demonstratum est, *a* libet tamen hoc loco audire Philonem, l. 2. de vita Mosis. *Id opus*, inquit, *puta conuertendarum scripturarum, quia magnum erat, & Reipub. vtilissimum, non priuatis hominibus obuenit, nec mediocribus istis principibus & regulis, sed Regi omnium longe celebratissimo. Is Ptolemæus fuit, Philadelphus cognomine, tertius ab Alexandro Aegypti Rex, virtutibus regijs, supra omnes ætatis suæ, superiorumq; seculorum principes nobilis; cuius nunc quoq; ex tanto temporum interuallo decus est inclytum, ob tot relicta per ciuitates, regionesq; monimenta magnificentiæ, vt in prouerbium abierint sumptuosa opera, ab illo Philadelphæa denominata. Quandoquidem in vniuersum Ptolemæorum domus cæteris regijs præniuit, inter Ptolemæos Philadelphus. Vnus enim hic plura laude digna gessit, quam omnes reliqui eius familiæ; quippe qui tantum inter illos eminuit, quantum caput in corpore. Talis princeps captus nostræ legis amore ac desiderio, eam in Græcam linguam è Chaldaica* (imo ex Hebræa) *transferendam curauit.* Hæc ille.

Sumptuosa opera, Philadelphæa.

XLVI. *Philadelphi dotes. b c. 18. c p. 789. gr. lat.*

TERTVLLIANVS in Apologetico *b* Ptolemæorum eruditissimum vocat, & omnis literaturæ sagacissimum; quod ex Strabone l. 17. firmatur. *c* Iosephus & Aristæas eum nobis depingunt ingenio subtilem, ac solertem, pium, magnificum, gloriæ amantem ac literarum. Eiusdem liberalitati prudentiam adiungit sociam Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. *Cum de legis*, inquit, *& diuinorum prophetarum scriptis audisset, multoq; præclarius censeret non ab inuitis, & vi coactis libros parare, sed donis potius, & amicitia possessores conciliare, sciretq; quidquid vi extortum esset sæpenumero temere tradi*, id explicans interpres addit, *adulteratum iri, quod vero sponte, consultoque daretur, syncerum, verumq; ab omnibus concedi, præstarique*, &c. Certe non sine causa à sapiente patre, qui Ægypti regnum sibi parasset, tot annisque conseruasset, adhuc superstite, neglectis maioribus natu fratribus, regno præpositus est. Nec minore ipse sapientia ad annos duodequadraginta illud administrauit.

XLVII. *Demetrius curator versionis fornandarius. d Li2. c. 2. & l. 2. contra Appionem sub init. e l. 8. præpar. c. 5.*

ALTER est Demetrius Phalereus regiæ bibliothecæ præfectus, quem internuntium ad hanc traductioné agnoscunt nominatim Iosephus, *d* Aristæus apud Euseb. *e* Grecus; & Latinus qui extat t. 7. biblioth. patrum. Clemens Alexand. l. 1. Strom. Epiphan. lib. de pond. Tertullianus in Apologet. c. 18. Aristobulus Iudæus peripat. in epist. ad Ptolem. Philometorem, qui ait Demetrium Phalereum πεπραγματευμένον τὰ περὶ τούτων. circa hæc elaborasse. D. Cyrillus Hierosolym. Catech. 4. Quibus facile assentiuntur recentiores Leo Castrius l. c. Serar. in proleg. *f* Lipsius de Bibliothecis c. 2. Gretserus, Bellarminus, Sixtus Senens. l. 4. Bibl. aliique innumeri. Denique omnes vno ore & Demetrium Phalereum curatorem Bibliothecæ Philadelphi fuisse, & eo suggerente sacros Hebræorum libros conuersos dicunt, vt fatetur Scaliger in Euseb.

f c. 17. q. 5.

XLVIII. *Quid rem dubiam fecerit. g Vide Greet. defens. l. 2. c. 6.*

EVM nihilominus omnibus non paulò sapientiorem, *g* ac suo ipsius, & adulatorum iudicio plane sapientem, *h* non parua super ea re innasit admiratio, quod Demetrius Phalereus statim initio regni Philadelphi perierit, & maximo in odio ei semper sub Ptolemęo Lagi fuerit. Quid ita? quoniam consuluisset Regi Ptolemæo Lagi, vt filijs, quos ex Euridice susceperat, impartiretur regnū. Illo non obtemperante, sed ei qué ex Berenice genuerat, diadema tradente, ab hoc ipso post patris mortem fuisse asseruatum in prouincia, quoad aliquid de eo statuisset. Sic Laërt. l. 5. in vita Demetrij, ex Hermippo quodā. Sed istū vnū, tanta talium testium nubes facile obruit; cū præsertim ré ipsam disertè asseuerent; hic vnus id tantum dicat, ex quo contrarium colligi videatur. Non enim consequens est, si Demetrius offendit Philadelphum, eiusque iussu asseruatus est in prouincia, vt statim mori iussus sit, quod ille vult.

Satisfit obiectis.

XLIX. *Confirmatur communis sententia.*

QVIN potius contrarium significat Laërtius; nimirum talem visum esse Demetrium Philadelpho, viro alioqui ingenio miti & literarū amāti, qui propter varias animi dotes dignus esset vt asseruaretur, quoad statueretur,

quid

quid facto esset opus, mortene scilicet afficiendus, an potius concessa venia demerendus, & eius doctrina, industria, rerumque gerendarum prudentia vtendum. Nam Cic. pro C. Rabirio Posth. ait Demetrium istū, & ex Rep. Atheniensium, quā optime digesserat, & ex doctrina nobilem & clarum fuisse. Hieronym. in c. 11. Danielis oratorem & philosophum appellat. Potuit ergo interuenisse reconciliatio; potuit etiam illa esse columnia, eaq; purgata, gratia redintegrari. Adde quod Demetrij culpam valde minuit Heraclides apud eundē Laërtium; quippe qui refert Demetrium dixisse tantum Ptolemæo abdicare se volenti regno, *Si alteri dederis, ipse non habebis*: quod amorem in patrem, nō vllum odium peculiare in hunc filium prodit.

Cur mors Demetrij non obsit.

Sed nec Demetrij mors Burdoni fauet, quam ipse nullo cuiusquam testimonio nisus, assumit statim illatā fuisse: & cum in eo rei totius cardo vertatur, id sine probatione deserit, affirmare contentus, sane confidenter. *Hic ille*, inquit Laërt. *mæstior vixit, ac veluti dormitans ab aspide manum morsus e vita migrauit.* Generosos enim animos ait Serar. *a* culpa etiam condonata vellicat, & credita aliquandiu calumnia, nescio quam innocentiæ candori fumi nigredinem afflare solet, quo deinceps affligatur. Sed mors ipsa vltro accersita non videtur & aspis illa vel casu dormientem momordit, vt significare videtur, Hermippus, vel voluntariam certe mortem Demetrius, alia quapiam interueniente causa delegit; quod illis temporibus, non raro contigit ijs, qui apud Ethnicos sapientiæ laude claruerunt.

a in proleg. bibl. c. 17. q. 1.

L. *Quis fuerit Aristæas. Præf. in Pē-tat. ad dos-der. l. 2 de Præpar. c. 2.*

Svo quid de Aristæa dicemus? Primum nemini esse dubium, quin is Præfectus satellitij regij fuerit, quem propterea Hyperaspistem Ptolemæi Hieronymus vocat, Iosephus principem custodum corporis eius; etsi id epitheton Rex apud Aristæam alteri legato Andreæ tribuat: quos idem Iosephus, ex epistola Eleazari ad regem, vocat viros bonos & doctrina præstantes, & amicorum regis honoratissimos. Sed omissa Andrea, negari non potest, si Eusebio & cæteris patribus credimus, quin Aristæas fuerit vir doctus, regi ob modestiam, quæ in eius quoque libro se prodit, admodum charus, Regis ad Eleazarum legatus: & quin hisce rebus gerendis interfuerit, easque diligenter conscripserit, vt Epiphanius quoque author est. Illud tamen nunc reuocari cœpit in dubium, isne liber qui Aristææ, siue Aristæi nomine Græce, Latineque circumfertur, & habetur tum in regiis manuscriptis, tum initio tomi septimi Bibliothecæ Patrum, sit legitimus Aristæi liber, an suppositirius.

l. de pond. & mens. n. 9

LI. *Qui suppositium putent & quam ob rē.*

Svppositivm primus ausus est dicere Ludouicus Viues in l. 18. August. de ciuit. c. 42. nullo prolato aut calumniæ, aut accusationis argumento. Eum secutus est Leo Castrius in disput. de translat. c. 35. vbi putat libellum istum confictum à Iudæo quopiam Aristæa nomine, ad eleuandam fidem 70. virorum, & obscurandum 70. cellarum miraculum ca. 36. alia obijcit vix vllius momenti, & cap. 42. ait Iudæos sustulisse de medio Aristæum, qui eorum historiam conscripserat. Penes Iudæos quippe fuisse, nō penes infideles nationes, qui libros sacros tidebant, & historicos, qui illorum historiam scripserant. Quod si qui codices toto orbe sparsi erant, non pepercisse operæ, neque sumptibus vt eos de medio tollerent. Probat autem prædicto c. 35. quod prior ille Aristæus, hic Aristeas dicatur apud Antiquos. Deinde quod Epiphan. & alij patres, multa scripserint de 70. viris, quorum Aristæum testem citant, quæ in hoc non reperiantur, vt dicere opus sit, vel hunc esse suppositirium, vel hos esse mentitos. In eadem est sententia Salmeron. *b* & Scal. in Euseb. *c* quem accurate refutat Gretserus. *d*

b t. 1. proleg. 4. p. 64. c Chron. p. 121. d t. 1. in defens. l. 2. c. 6.

LII. *Refutantur.*

Varvm oportuisset Castrium aliqua de illis multis ad fidem faciendam protulisse, non dolore cellularum prætermissarum, librum repudiasse. Quid porro sibi velit Burdo non intelligo, dum ait, Aristææ nomine confictum librum à Iudæis Hellenistis, qui hodie in manibus omnium sit, & ex quo hauserit Iosephus, & alij qui hac de re tractarunt. Quomodo enim hausit Iosephus, & alij antiqui scriptores ex conficto Aristæa? certe quicunque confictum Aristæam dicunt, recens confictum dicunt. Quomodo ergo Iosephus & alij antiqui ex recente scriptore hauserunt, multis scilicet seculis antequam ederetur in lucem; aut si etiam antiquus confictus fuit, quomodo non meras nugas narrant, quicunque eius scripta referunt, Iosephus, Eusebius, Hieronym. Tertul. Epiphanius?

Contrariam sententiam tuetur Bellarm. l. 2. de verbo Dei. c. 6. & Gretserus in eundem locum, Perion. in Iustini parænesin ad Gentes, Pamelius in Apolog. Tertul. *e* idque probat Bellar. quod omnia quæ Iosephus, Tertullianus, Eusebius, & Hieronymus ex Aristæa proferunt, in hoc nostro, qui nunc extat, ad verbū inuenimus. Aliqui tamen rem in medio relinquere maluit, vt Serar. in prolegom. *f* & fere Gretserus in illum Bellar. locum.

e n. 276.

LIII. *Propria sententia de libro Aristæ.*

Mihi sane libellum satis accurate legenti, & cum iis quæ à Iosepho, Epiphanio, Eusebio, aliis, de eo traduntur conferenti, nequaquam condemnandus videtur. Neque arbitror mihi æquum lectorem ægre assensurum, si quædā posuerimus, quæ sunt rationi consentanea. Primum, non videri exigendam ab eo accuratissimam rerum quas narrat cognitionem, præsertim de templo, & rebus ad ipsum spectantibus, vtpote homine militari, & qui nec tribu, nec gēte ad Hebræos pertineret, vt ipse ait, & reperit Iosephus. 2. Iosephum admodum infideliter atque oscitanter erga sacras ipsas literas se gerere, vt iam toties euicimus, vt nil mirum sit profanum ab eo scriptorem pro arbitrio describi, præsertim cum verba ipsa Aristæi, se redditurum non spondeat. *f* 3. Neque Eusebium, neque Epiphanium, cum aliqua ex eo assumunt, curare verba verbis appendere, sed sententiam liberius breuitatis causa repræsentare: etiam in epistolis, quæ fidelius apud Aristæam latinum leguntur, quam apud versionem Trapezuntij, sed mox de epistolis iterum.

f Vide de Iosepho Leonem Castr. in disput. c. 35. fine.

LIV. *Suspecte de ipsis poe- nam truncatam.*

Qvarto, vt omittam, quod in tam antiquis scriptoribus non admodum morosum esse conueniat, cum pleraque ex æquo & bono esse interpretāda sapientes censeant, si quæ in eo displicent, merito vel iniuriis temporum, in libello, qui ante mille & nongentos annos in lucem exiit, tribui posse; vel Iudæorum malitiæ, qui eum libros etiam sacros truncarint, ac variis in locis deprauarint, vel locupletissimus autor est Origenes, & Iustinus martyr, & Leo Castr. passim in disput. *g* idem in Aristæa facilius aggressus esse satis opinor constat; quo pertinet narratio de cellulis, quā non ab authore omissam, sed à Iosepho, aut alio quopiam istius farinæ viro, abrasam, & aliam quam ipse habet, infectam crediderim; vt ne miraculum incredibile videretur ijs, quibus scribebat, & quorum gratiam aucupabatur, & fidem. Quæ ei causa fuit vt passim diuina miracula, & res à communi sensu alienas, vel omittat, vel extenuet, & ad aliquam probabilitatem reducat, vt Leo quoque Castrius diligenter notauit. *h*

g Maximo c. 20. 21. l. 2. 3. 8.

h Dispnt. 11 & 17.

LV. *Idem nunc Aristææ tempore Hieron.*

5. Talem nunc extare Aristæam, qualem D. Hieronymus, alijque Patres circa ea tempore legerunt. Negat S. Hieronymus quidquam Aristæam, aut Iosephum scripsisse de cellulis, nihil extat in vtrolibet. Quæ à Iosepho de quæstionibus à Philadelpho propositis, ab Aristæa petenda dicuntur, apud hunc Aristæam cumulate reperiuntur: Quæ de mundis immundisque animalibus ab eo scripta dicit Eusebius, *i* apud ipsum leguntur. Nomina 70. Seniorum, epistolæ Eleazari subscripta tradit Iosephus, Aristæas & epistolam prodit & nomina. Denique cum Aristęas hic in opinione & possessione bonæ fidei, nouendecim ipsa secula vixerit inter homines, oportet eos, qui eum imposturæ criminantur, idoneas accusationis proferre causas, verum Aristæam prodere, hunc recentis ortus conuincere, pugnantem cum antiquis patribus demonstrare. Id nisi fecerint, nihil fecerint, nisi quod calumniæ se potius, quam illum imposturæ suspectum reddiderint.

Prolog. in Gene.

i l. 8. c. 9.

LVI. *Obiectio de stylo, &c. refellitur.*

At enim de stylo epistolarum trahit Scaliger argumentum ad infirmandam hanc sententiam. Qua de re libeat audire Gretserum nostrū. *k Hoc mirarum expectabam*, inquit, *vt Criticus ad stylum confugeret. Quid ergo stylus?* (Clamat tres illas epistolas esse vnius hominis) *in cuius auribus? Burdonis non meis, non veterum, non Iosephi, non Tertulliani, non Epiphanij,*

k in defens. c. 6 l. 2.

non aliorum. (Apud Epiphanium, inquit, duæ aliæ producuntur, & verbis & sententia ab illis diuersissimæ.) *de stylo, Nugæ, de verbis & sententia, gerræ: censeat qui volet. Odium veritatis & vetustatis, amorq; nouitatis has & similes voces ex pectore Burdonis exinpsit.* Hactenus Gretser. Respondeo etiam Epiphanium non affirmare has epistolas Philadelphi ex Aristæa sumptas esse, illum enim solum citat, pro senis viris ex singulis tribubus, quos ille nominatim recensuit in libello suo, vt non mirum sit nonnulla in ijs esse diuersa.

LVII. Et sane sunt qui putent non vnum Aristæam hanc historiam scripsisse, sed alium præterea quempiam iuniorem, qui non plane cum Aristæa consenserit. Idque ex Iustino ipso confirmari potest, qui *a* cohortatione ad Græcos eadem habet, quæ Aristæas & Iosephus, præter cellulas. In Apologia vero 2. rem narrat consentaneè ijs, quæ habet Epiphan. & August. a ex alio quopiam scriptore mutuatus; apud quem etiam Herodem pro Eleazaro inuenerit. Et Aristæas quidem vnicam habet legationem, & epistolam Ptolemæi ad Eleazarum, qua & libri & interpretes petiti, & impetrati sunt. Alter vero duas, quarũ priore libri petiti sunt, posteriore interpretes. Nec nouum est scriptores diuersos, eandem rem diuersimode tradere, imo prope perpetuum. Cuius rei exempla non ex Halicarnassæo solum & Liuio, sed libris etiam Regum & Paralip. imo ex Euangelijs peti possunt. Vnus venisse tradit Centurionem ad Dominum, alter misisse Iudæos, Marci 10. discipuli primatum petunt, Matt. 20. non ipsi, sed eorum mater. Ioannes vnicum galli cantum memorat, reliqui duos. Ioannes primam Petri negationem ad Annam contigisse dicere videtur, reliqui in domo Caiphæ omnes contigisse scribunt: nemo falsum dicit, sed quæ videntur pugnare commoda expositione concilianda sunt. Isti quoque forte conciliari possent. Quamquam non repugno, quin ille alter, quem secutus est Epiph. deceptus sit. Plures enim ex antiquis Aristææ sententiam de vnica legatione, quam Philo Iudæus, & maxime Iosephus amplexi fuerant, sunt secuti.

LVIII. VENIO ad ipsosmet Septoaginta Interpretes, seu potius Septoaginta duos senes, ex singulis tribubus electos, vt fatentur omnes, nemine repugnante, etsi breuitatis causa passim 70. vocant, sicut & Christi discipulos. Addit Epiphanius, assumpturum quidem fuisse Eleazarum 70. viros exemplo Moysi, *b* sed veritũ ne aliquæ tribus offenderentur, à quibus quinque tantum electi essent, 72. assumpsisse. Eum etiam numerum ex singulis tribubus à Rege postulatum tradunt Aristæas, Iosephus, Eusebius, Cyrillus Hierosolymitanus antistes, & si qui alij, quorũ omnium nomina per singlas tribus Aristæas prodidit. Sed accusat Aristæam Scaliger, qui nõ veritus sit id dicere, & cæteros omnes antiquos, recentioresque quibus id persuasit, apud cuius tribunal omnes rei sunt; Aristæas quidem inuerecundæ impostura, cæteri fatuæ credulitatis. At ipse non est sicut cæteri hominum, creduli, fatui, impostores. Quid ergo affert cur ab omnibus dissentiat? Quasi tunc, inquit, duodecim tribus extarent, quarum decem tempore Ezechiæ in Mediam deportatæ fuerant. An aliæ tribus in Iudæa eo tempore præter Iudam & Beniamin?

LIX. RESPONDEO cum Gretsero, alias tribus integras non fuisse tunc, præter Iudam & Beniamin, fuisse tamen ex omnibus alijs tribubus quosdam tribules, & reliquias, partim in Iuda & Beniamin, partim in antiquis sedibus, & domicilijs. Neque enim omnes ad vnum tempore Ezechiæ translati sunt, præsertim si quæ traduntur *c* post abductos in Mediam Israëlitas contigerunt, vt quibusdam placet, vt 1. anno Ezechiæ notauimus. Et Bethulia, post decem tribuum deportationẽ, vrbs erat celebris & populosa in tribu Zabulon, & multi ex Samaritis erant in regno decem tribuum. *d* Quin etiam ipso Christi tempore, totam Galilæam fuisse incolis frequentissimam, ex Euangelijs apertũ est; quæ tamen ad tribum Issachar, Zabulon, Nephtalim pertinebat, vt ex tabulis Adrichomij patet. Et D. Iacobus duodecim dispersis tribubus scribit. At Tribus, inquit, cõfusæ erant, cum legamus in Euangelio Annam filiam Phanuel de tribu Aser, mansisse Hierosolymis, nusquam recedentem de templo.

QVAMVIS habitatione cõfusos dicamus Iudæos, quid tamen vetat agnouisse ipsos ad quam quisque tribum pertineret; idque à patribus per manus didicisse?

LX. Verum quoniam anxius est Scaliger, quomodo summus Pontifex Eleazarus istos 70. ad manum & in numerato habere potuerit, vt potenti regi statim suppeditaret, facile hunc ei scrupulum eximere possemus, si negaremus temporis vllum spatium à Rege Pontifici definitum: sed placet audire Aristæam. *Eligantur, inquit, viri optimi & doctrina præstantes, omnes claris parentibus orti, non Iudaicarum tantum literarũ eruditione excellentes, sed qui Græcam quoque linguam multa meditatione excoluerint. Quapropter ad legationes eiusmodi semper paratiq; aderant: munus huiusmodi, si quando res postulat, ipsi obeunt. Contiones etenim & responsa de lege mira facilitate peragunt, & ad dicendum, & ad iudicandum prompti.* Hęc ipse. Plerique igitur ex istiusmodi legis peritis atque doctoribus pontifici in promptu erant. Et quamuis ab vrbe omnes, quod absurdum est, abfuisse concederemus, annon facile fuit ad edictum pontificis conuocari Hierosolymis peritos quosque ex quacunque tribu, & ex singulis eligi peritissimos?

LXI. VERVM libenter assentior D. Hilario in Ps. 2. quibus interpretes nõ alios fuisse putat ab ijs, qui primùm à Moyse instituti ad manum erant summo Pontifici, in ijs maxime difficultatibus, quæ ad legem pertinebant. *e* Quibus Dominus spiritum Moysis communicauit, vt non mirum sit eorum etiam posteros in hac versione prophetasse: vt eum antiquis patribus etiam Philo testatur; sed audiamus Hilarium. *Moditi, inquit, legis temporibus priusquam vnigenitum Dei filius, ante secula manens Deus, verbum homo nasceretur, poscente rege Ptolemæo, 70. Seniores libros veteris testamenti ex Hebræis literis in Græcas transtulerunt: Erat autem iam à Mose antea institutum in Synagoga omni septuaginta esse Doctores. Nam idem Moses, quamuis veteris testamenti verba in literis condidisset, tamen separatim quadam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta senioribus, qui Doctores deinceps manerent intimauerat.* Et mox. *Doctrina ergo horum in posterum, qua ab ipso scriptore legis accepta, in hoc seniorum & numero & officio conseruata est. Hi itaq; seniores, libros hos transferentes, & spiritalem, secundum Mosi traditionem, occultarum cognitionum scientiam adepti, ambigue lingua Hebraica dicta, & varia quadam ex se nunciantia, secundũ virtutes rerum certis & proprijs verborum significationibus transtulerunt.* Ita D. Hilar. *f*

LXII. HORVM nomina ex Aristæa peti possunt; in quibus legi qui existimaret venerabilem illum Eleazarum, qui nonagenarius in Machabæis occiditur, numerari. Iosephus Gorionis citatur à nostro Serario *g* sed longe fallitur; sicut & cum asserit omnes fuisse sacerdotes, quasi sacerdotes ad omnes tribus, & non ad solam tribum Leui pertinerent. Vnus quidem Eleazarus legitur in decima tribu. At qui fieri potest, vt hic idem sit cum illo Machabæano, quem oportuisset non ad 90. sed vltra 150. annos vitam produxisse, si vel quadragenarium dicamus, cum officio interpretis fungeretur. Mortuus est enim anno Mundi 3888. Itaque ne natum quidem fuisse illum hoc tempore necesse est, nedum iam seniorem ad Ptolemæum legatum fuisse.

LXIII. IN hunc potius senatum admittendus est Iesus ille Syrach author libri Ecclesiastici: nam in Aristæi catalogo tres huius nominis reperiuntur, & tempus consentit. Nepos enim eius vixit sub Ptolemæo Euergete, qui Philadelpho in regni administratione successit, vt ex illius libri prologo constat, vbi opus ab auo Hebraice scriptum, ipse Græcum fecisse se dicit. Genebr. in sua Chron. Iesus, ait filius Sirac Hierosolymita Ecclesiasticum Hebraicè scripsit, quod exemplar vidit D. Hieronymus *h* è Septuaginta interpretibus fuisse perhibetur. Sic ipse. Qui etiam mox authorem libri Sapientiæ (quem Hieronymo teste ibid. nonnulli scriptorum veterum Iudæi Philonis affirmant) ex eodem interpretum numero fuisse crediti sed Philonis nomen in eo catalogo non reperitur. Nec tamen consequens est si 70. fuere prophetæ, etiam hos licet prophetas, fuisse è numero 70. interpretum. Nihilominus nihil repugnat: nam potuit hic Philo (quem necesse est alium esse ab eo, qui Claudij, & Caij temporibus vixit, & in cuius operibus,

neque

Marginal notes: *LVII. duo Aristeæ.* — *b* c. 42. — *LVIII. numero interpretum.* — *b* Exod. 24. — *Scaligeri obiectiones.* — *LIX.* — *c* 1. Paral. … Paral. … & 31. — *d* patet … Esdr. … & seqq. … Iosepho … 6. 4. — INTERPRETVM NVMERVS ET TRIBVS. — *LX. Cong. … suo tribu.* — *Qui in promptu essent.* — *LXI. Quod …* — *e* De quib. Num. 11. 16. — *f* Baron … an. Christi … 18. — *LXII. Qui in hoc nominatum. An Eleazarus?* — *g* in Proleg. c. 17. n. 6. — *LXIII. An Iesus Syrach, & Philo.* — *h* Præfat. in libb. Salom.

neque Hieronymus, neque alij librum Sapientiæ inserūt,) alio etiam nomine in illo indice appellari.

LXIV. OMNIBVS ad profectionem paratis missi sunt 72. seniores Alexandriam, sub legatorum Andreæ & Aristæi auspicijs, qui & ipsi non sine muneribus ad regem remissi sunt. Ita Iosephus, quæ auget Aristæas. *Eleazarus*, inquit, *sacris prius de more peractis, viros quos ad regem mittat deligit; præclaraque munera regi accumulans, eos itineri quietos dimisit.* Nec tamen distinctius ea munera recenset. Sed instar omnium munerum erant sacri libri, quos profanis hominibus communicare, summum beneficium putabant. Præsertim quod eam gloriam, ipsorum hactenus propriam, ea communicatione diminui, & quasi inquinari arbitrabantur. Nec lætatus est dæmon viam Gentibus ad veri Dei cognitionem & cultum, paulatim, & quasi à longe præparari. Sed vim quandam afferebat Philadelphi mira atque inusitata beneficentia, præsertim cum id, siue per se, siue per Soterem, Asiæ rum ac Syriæ regem, cui parebant Iudæi, extorquere posset. Quod autem in Epistola Pontifex remitti sibi seniores cum sacris libris orat, valde consentaneum est ijs, quæ Aristæas habet; qui id Andreæ valde cōmendatum à Pontifice tradit; quod vereretur ne Rex, qui istiusmodi viros omni studio conquireret, & apud se habere vellet, hos quoque cum magno Hebraicæ Reip. damno retinere vellet. Sed reliqua videamus.

LXV. *Alexandria à rege excipiuntur.* POSTQVAM Alexandriam omnes appulere, confestim rex legatos Andream & Aristæum accersit: ab eisque & epistolam Pontificis recepit, & multa præterea sciscitando didicit. Et cum vehementer cuperet congredi cum 70. senioribus, qui Hierosolymis ad interpretandam legem venerant, cæteros, qui negotiorum causa aderant, dimittit. Vt verò senes illi venerunt cum muneribus à pontifice missis, & cum membranis, quæ legem aureis literis inscriptam continebāt, primum de libris eos rogauit: vt vero ex inuolucris depromptos obtulerunt, multum denique miratus membranæ subtilitatem, & cōmissuras, quæ ita latebant, vt visu discerni non possent, gratias se illis habere dixit qui venerint, & maiores etiam ei qui miserit; sed longe maximas Deo cuius leges attulerint. Hæc ferè Ioseph. & Aristæas, qui omnia paulo explicatius habet. Illud autē non omittendum. Hæc dies, inquit, per omne vitæ tempus magna mihi semper in annos erit & celebris, in qua & vos mihi affuistis, & euenit vt aduersus Antigonum nauali prælio victor euaderem. Ita Aristæas & Iosephus totidem pene verbis, qua de re plura superius dicta sunt.

LXVI. *Et apud eum pransi sunt.* PORRO Interpretes magnifico apud regem conuiuio excepti, eorum curam gerente Dorotheo, & cibaria pro victus eorum peculiari ratione ministrante, vt fusius Iosephus & Aristæas: qui addunt iussu regis vnum è sacerdotibus conuiuis Elisæum nomine, vel Eleazarum, vt Aristæo placet, omnium ætate prouectissimum precatione mensā consecrasse, vel vt loquitur Aristæas vota fecisse: rem antiqui ritus non negligendam narrat Ioseph. Postquam autem discubitum est, iussit Dorotheum illis ministrare, sicut solebat hospitibus ad se ex Iudæa venientibus: quapropter præconibus, & sacrificulis, alijsque id genus, quorum est à suis precatiunculis auspicari conuiuium, locus hic nō fuit; sed vnum ex conuiuarum numero sacerdotem, Elisæum nomine precatione mensam consecrare ipse rex iussit, *Conseruatio mensa.* à qui stans in medio precatus est omnia fausta regi simul atque subditis, applausumque atque acclamatū est ab omnibus libenti atque hilari animo: quo facto fruebantur appositis.

LXVII. *Quibus facta verba.* ARISTÆAS ipsa etiam precationis verba addit. *Impleat te Rex bonis omnibus quæ fecit omnipotens Deus, detque tibi, vxori, & liberis, & amicis ea omnia immota esse per omne vitæ tempus.* Eo adhuc dicente, sequitur diuturnior cum clamore plausus, gaudij, & exultationis plenus; moxque rebus iucunditate multa præparatis in lætitiam vertuntur, ministris, quemadmodum instituerat Dorotheus, festinissime cuncta præbentibus: sed illud mirum, inter quos, inquit, & regij liberi, & honoratissimi quique ministrabant. Post vbi sermoni tempus opportunum visum est, Rex per interualla quædam, vt omnes ordine secundum ætatem sederant, eum qui primo loco discubuerat, interrogat.

Quonam pacto regnum incolume in finem vsque conseruetur. Ille parum percontatus, inquit. Hoc maximo modo regnum optime dispones, si Dei mansuetudinem in rebus omnibus imitatus, patientia ac longanimitate vteris, extollesque dignos, elatos autem affabilitate ex malo in pœnitudinem traduces.

TVM & alios nouem ordine interrogauit, qui & ipsi ex tempore prudenter admodum responderunt, omnia ad Deum singuli referentes: quæ apud Aristæam leguntur. Sequenti die instaurato conuiuio, decem alij rogantur, tertio quoque ac quarto, & ita deinceps vsque ad septimū (etsi Iosephus 12. conuiuio dies assignet) à rege interrogationes factæ sunt in cœtu aliorum philosophorum, qui & ipsi eorum sapientiam ac pietatem vehementer comprobarunt. Quantum porro fidei huic toti Aristææ narrationi adhiberi debeat, his ipse verbis ostendit. *Verum enim vero legentium hac fidem excellere arbitror, & maiora videri, quam quisquam credere possit. Sed qui ipse falsum adijcere voluerim, cum eadem & in regijs monumentis cernere liceat, in quibus vel minimum prætermitti summo sceleri ducatur? Vera igitur, atque vt singula gesta sunt, omni prorsus errore abiecto referimus. Quam in re quo verum singula teneremus, ea diligentia vsi sumus, vt assumptis regijs actis, in quibus gesta regis, dicta quoque, & responsa, continuaque referuntur, nostra hæc ex illis metaremur.* Hæc ibi, & aliquanto post reliquam narrationem pertexens.

LXIX. *Interpretes deducuntur in insulam.* POST tres verò dies, inquit, quam ea gesta sunt, Demetrius viros ad maris insulam deduxit, transmissoque aggere 7. stadiorum, pontem transgreditur: regionem inde quæ ad Boream vergit petens, ad præparatum consessum venit. Domus erat supra littus perquam decenter ornata, & quæ multo silentio quiesceret, rebus omnibus ad vitæ vsum elegantissimè dispositis. Ille eos ad peragendam interpretationem hortatur. Viri singula inter se disserendo consonum quid edebant: talia itaque ex ijs, in quibus omnium consensus accesserat, illa Demetrio habenda seruabant, quæ digniora elegantioraque videbantur. Extendebatur vero consessus huiusmodi, & disceptatio ad nonam vsque diei horam: solutoque huiusmodi consilio ad curanda corpora dimittebantur. Sic Aristæas.

LXX *Disputatio de separatis exedris.* HIC vero est certaminum locus de separatis exedris, hic campus Marathonius, in quo antiqui pene omnes patres, recentioresque doctores, ingentibus animis studijsq; pro astruendo miraculo, dissentiente Hieronymo, dissimulante Iosepho, & Eusebio, constiterunt. Nam D. Hierony. cum scripturas sacras ex Hebræis fontibus fidelissime vertisset, multosque haberet aduersarios, qui versionem à septuaginta viris factam summa veneratione complectebātur, quasi diuinitus editam, quæ tamen noua hac interpretatione antiquari, atque suggillari videbatur; idem nihilominus tam errarosum, quæ in illam interpretationem postea irrepserant conscius, quam diligentiæ ac fidei suæ in sacris codicibus ex Hebræo interpretandis, vt erat animo acer, incaluit, eamque interpretationem non tacito stylo aculeato perstrinxit; illa præsertim ad Desiderium epistola, quæ est præfatio in Pentateuchum. *Vbi nescio quis*, inquit, *primus autor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit; quibus diuisi eadem scriptitarint, cum Aristæas eiusdem Ptolemæi Hyperaspistes, & multo post tempore Iosephus nihil tale retulerint, sed in vna basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse.* Sic Hieron. qui vtrunque sane fideliter retulit.

LXXI. HIERONYMVM plerique secuti, præsertim nouatores, communem antiquorum patrum sententiam deserere. Catholici contra recentiores, pro partibus suis certamen animose susceperunt; in quibus eminet Leo Castrius in disputatione de translationibus sacræ Scripturæ, & post eum Alphonsus Salmeron, Gretserus, Baronius, Serarius. Quorum insistens vestigijs, primùm breuiter proferam eos patres, qui perspicue hanc separatarum exedrarum interpretationem tradiderē; tum eos quos eadem sensisse, ex ipsorum verbis aperte colligitur; posttremo eadem veritas ratione confirmabitur.

S. Iustinus martyr. In prima classe chorum ducet S. Iustinus martyr, natione Palæstinus, patria Samaritanus, siue Flauianus, vt ipsemet

tradidit initio Apologiæ suæ posterioris; vir vndecunque rerum Iudaicarum peritissimus, vt ait Baron. qui in cohortatione ad Græcos non solum eam rem affirmat, sed etiam visu ipse suo, audituque ex incolarum constanti traditione comprobat.

LXXI. Iustini testimonium. b Paræn. ad Græcos.

Atqve vt illi, inquit, extra omnem turbam constituti, primo quoque tempore interpretationem absoluerent, non in vrbe ipsa, sed septem ab ea stadijs, vbi Pharos exstructa est pars cum interpretibus numero, domunculas extrui præcepisse, vt singillatim pro se quisque interpretationem perficeret. Illa quoque curâ ijs qui operam eis dare missi fuerant, mandata, vt omnibus quidem modis ipsis inseruirent, à congressu autem mutuo illos prohiberent; quo exquisita interpretationis veritas ex ipsarum etiam consensu cognosci posset. Et cognito Septuaginta istos viros non solum eadem sententia, verum etiam ijsdem esse verbis in translatione vsos, ac ne vna quidem dictione alium ab alio dissensisse, vsque adeo eadem de eisdem omnia conscripsisse, admiratione attonitum, cum diuina virtute interpretationem absolutam esse crederet; tum quouis honore dignos illos, vt Dei amantes, & vicissim Deo caros viros iudicantem, cum muneribus multis in patriam suam redire iussisse: ac libros, ita vt par erat, exosculatum esse, & Deo consecratos in bibliotheca reposuisse.

LXXII. Ab eodem confirmatio.

Hactenvs S. Martyris testimonium, quod egregie confirmans subdit. Hæc vobis, viri Græci, non vt fabulam, neque vt euasictam historiam renunciamus: sed qui ipsi Alexandriæ fuerimus, & vestigia domuncularum apud Pharum adhuc reliqua viderimus: & ab incolis, qui res patrias à maioribus per manum sibi traditas acceperunt, audierimus, commemoramus. Non potuit vir sanctissimus suffragium afferre manifestius, neque confirmatius, neque dignius, quod ab omni posteritate; tanquã ipsius veritatis testimonium, cum debita veneratione consensuque reciperetur. At enim Iustinum deceptum à Iudæis, ipsi fabulam à se confictam persuadentibus, putat Bellar. a quem merito refellit Serar. b tum quia gratis dicitur à Iudæis ostensa vestigia cellularum: cur non potius ab incolis Christianis, qui ibi iam à D. Marci tempore habitabant? tum quia ille satis norat Iudæorum fraudes, vt qui creber erat in dispu. contra eos, vt non facile sibi pateretur imponi. Denique id est S. Iustinum accusare imprudentiæ, in re, quam ipse tam serio à se actam ostendit.

a l. 2. de V. D. l. 2. c. 6. b in proleg. c. 17. q. 10.

LXXIII. Testimonium S. Irenæi.

D. Irenævs vei ætate, doctrina, authoritate, sanctitate suppar, non tam clarè quidem, clarissime tamen loquitur. Cum enim dixisset Ptolemæum petijsse ab Hierosolymitis interpretes sacrarum Scripturarum, & ab eis, quod adhuc Macedonibus parerent, obtinuisse viros seniores Septuaginta vtriusque linguæ peritos, subdit c Ille autem experimentum eorum sumere volens, & metuens ne forte consentientes, eam veritatem, quæ esset in Scripturis, absconderent per interpretationem, separans eos ab inuicem, iussit omnes eandem interpretari scripturam, & hoc in omnibus libris fecit. Conuenientibus autem ipsis in vnum apud Ptolemæum, & comparantibus suas interpretationes Deus glorificatus est, & scripturæ verè diuinæ creditæ sunt, omnibus eandem, & eisdem verba, & ijsdem nominibus recitantibus, ab initio vsque ad finem. Sic S. Irenæus; quæ recitat quoque Eusebius in historia Ecclesiastica. d

c l. 3. c. 25. d l. 5. c. 8.

LXXIV. S. Cyrilli Hierosolymitani.

D. Cyrillvs Hierosolymitanus Catechesi 4. inter alia. Et vt diuinæ legis esse hos libros experientia disceret, & ne ij qui fuerant ad illum missi mutuo conspirarent, prospiciens in insula Pharo, quæ est prope Alexandriam, singulis interpretibus singulas domos distribuit, & vnicuique, vt separatim omnes scripturas interpretaretur, mandauit. Qui cum 72. diebus negotium id perfecissent, simul omnium interpretationes ex diuersis domibus prodeuntes, protulerunt: collatæ autem simul, non solum in sensibus, verum etiam verbis consonæ fuerunt. Hæc B. Cyrillus.

LXXV. S. Epiphanii.

S. Epiphan. lib. de pond. & mens. etsi diuersum numerum domorum ponere videtur, omnes tamen à se inuicem sepositos fuisse tradit. Duo enim, inquit, ac 70. Viri, in Pharo insulâ, quæ terra superior dicitur è regione vrbis Alexandrinæ in sex & 30. cellulis, bini scilicet in singulis, à primo diluculo ad vesperam conclusi sunt. Sub vesperam porro 36. scaphis ad Ptolemæi Philadelphi palatium aduecti, ad eius epulas adhibebantur. Tum in 36. cubiculis bini scilicet in vnoquoque dormiebant, ne capita conferre possent: sed sincere ac fideliter interpretarentur. Ptolemæus enim illas 36. quas dixi cellulas in illa insula condidit, easdemque duplices, quibus singula paria conclusit, cum duobus famulis ad parandi, ac ministrandi gratia, vna cum notarijs. In his cellulis nullas in parietibus fenestras aperuit, sed e tecto superne eas fecit, quas anaphoticas nominant.

Iustinianus Imperator in Nouell. Cõstit. 146. propius Epiphanium secutus, prædicat miraculum quod in interpretando accidit. Nam cum semper, inquit, bini seorsim conclusi essent, & diuersis locis interpretarentur, vnam tamen omnes compositionem ediderunt. Ita Imperator, quem cum dicimus, Senatum grauissimorum virorum dicimus. Eadem habet Philastrius Episcopus Brixianus Hæresi 90. & Eusebius in Chronico Græco, sub initium Philadelphi.

LXXVI. S. Augustini. e Lib. 18. de ci. c. 42.

D. Avgvst. e Traditur sane tam mirabilem, ac stupendum, planeque diuinum in eorum verbis fuisse consensum, vt cum ad hoc opus separatim singuli sederint, ita enim eorum fidem Ptolemæo regi placuit explorare, in nullo verbo quod idem significaret, & tantundem valeret, vel in verborum ordine alter ab altero discreparet, sed tanquam si vnus esset interpres, ita quod omnes interpretati sunt vnum erat, quoniam re vera spiritus erat vnus in omnibus. Sic ipse, cui traditioni eum penitus assentiri, quæ seq. cap. disputat, aperte demonstrant. Etsi, inquit, non in eis vnus apparuisset spiritus sine dubitatione diuinus, sed inter se verba interpretationis suæ 70. docti more hominum contulissent, vt quod placuisset omnibus hoc maneret, nullus eis vnus interpres debuit anteponi. Cum vero tantum in eis signum diuinitatis apparuit profecto quisquis alius illarum scripturarum ex Hebræa in quamlibet aliam linguam, interpres est verax, aut congruit illis 70. interpretibus aut si congruere non videtur, altitudo ibi prophetica esse credenda est. Et q. 169. super Genes. Septuaginta, inquit, interpretum auctoritas quæ tanto etiam diuinitus facto miraculo commendatur; tanta in ecclesia vetustate firmatur, &c.

LXXVII. 1 a ordine cello confirmatur.

Dat cellis apertius l. 2. de doct. Christiana. c. 15. Septuaginta, inquit, interpretum, quod ad Vetus Testamentum attinet, excellit autoritas, qui iam per omnes peritiores ecclesias tanta præsentia Spiritus sancti interpretati esse dicuntur, vt os vnum tot hominum fuerit. Qui si, vt fertur, multique non indigni fide prædicant, singuli cellis etiam singulis separati, cum interpretati essent, nihil in alicuius eorum codice inuentum est, quod non ijsdem verbis, eodemque verborum ordine inueniretur in cæteris, quis huic autoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat?

Ruffini & Hebr. ... contra D. Hier. ... g c. 1. ...

Chorum claudat extremos Ruffinus f Vt mittam, inquit, illud dicere, quod 72. virorum per cellulas interpretantium vnam & consonam vocem, dubitandum non est Spiritu sancti inspiratione prolatam, &c. Addi possunt Thalmudistæ quasi epimetron, ex Mischna procedit. vul. g Hi initio tractatus, quem inscripserunt Tractatum scribarum, sic aiunt. Ptolemæus Rex conuocauit 72. senes, collocauitque in totidem cellis cumque nemini aperuisset, qua de caussa conuocati essent, ingressus ad singulos dixit eis, scribite mihi legem Mosis magistri vestri. Porro Deus ita cuiusque mentem dirigebat, vt cum scriberent singuli, tandem omni ex parte legem omnes scriberent. Eadem ex Iosepho Gorionis, & Iosippo referuntur.

LXXVIII. Philonis Iudæi.

In secunda classe erit Philo, quem pro hac sententia laudat Iustinus. Is l. 2. de vita Moysis, Sumptis, inquit, in manus sacris voluminibus tendebant eas ad cœlum supplices, Deum inuocando vt cœptis faueret. Exaudiuit ille vota, vt si non vniuersum genus humanum, certe maxima pars instrueretur ad bene viuendum, præceptis optimis & sapientissimis. In eo secessu cum consedissent solitarij, nemine interueniente arbitro, præter naturæ partes, terram, aquam, aërem, cœlum, de quibus primum prodituri erãt mysteria (Nam mundi opificium est legum exordium) tanquam numine correpti prophetabant, non alia alij, sed omnes ad verbum eadem, quasi quopiam dictante singulis inuisibiliter. Hæc ibi. Quomodo sedebant solitarij, sine ἐν ἀποκρύφῳ, id est occulto, & nemine præsente, si quisque 70. habebat arbitros? Quomodo tanquam numine correpti prophetarunt, si communi interpretum more inter se contulere? Et quid mirum omnes ad verbum eadem dixisse, si aderant omnes simul?

LXXIX. Tertulliani.

Secvndo prodeat Tertullianus, homo stylo seuerus ac moribus, nec amicus fabulis, & qui hostibus tradebat excutienda, quæ scribebat. Is ergo in Apologetico,

tico a Menotetia vacaret, inquit, hoc quoque Ptolemæo à Iudæa subscriptum est, septuaginta duobus interpretibus sodalitio, quos Menedemum quoque philosophum providentiæ vindex, de sententia communione suspexit Sic Tert. quid erat quod suspiceret Menedemus multos congregatos in eandem sententiam scribendo convenisse? quotidianum enim est, vt post altercationem aliquam, in vnam conveniatur sententiam. At vbi sepositi fuerint, habuit in quo divinam providentiam admiraretur, divinæ providentiæ vindex Philosophus. Affuit hic Menedemus apud Philadelphum hoc tempore, vt est apud Aristæam & Iosephum, ad cuius verba Tertullianus alludit. Sic enim habet. *Quos sermones tam non solum rex admiratus esset, sed Menedemus etiam philosophus fateretur omnia gubernare providentiam, &c.*

LXXX. *Clementis Alexandrini.* Clemens Alexand. poterat ad primam admitti classem, quia tamen domunculas, aut cellas non nominat; huc transferatur: cuius hæc sunt verba l. 1. Strom. *Illi autem, vt qui adhuc obedirent Macedonibus, ex iis qui apud se erant probatissimos, & maxima existimationis scripturarum peritos, & Græcæ linguæ scientes, septuaginta seniores delectos ad eum miserunt cum libris divinis. Cum autem vnusquisque sigillatim ex sua propria interpretatus esset prophetias, conspirarunt omnes simul collata interpretatione, & sententiis, & dictionibus.* Ita Clemens. Audis sigillatim, vel in parte, seorsim; vtique separatis in cubiculis aut cellis, & non simul in ampliore cœnaculo. Cui adiungi potest D. Chrysost. qui 70. interpretes reliquis omnibus, non solum ob numerum, & temporis antiquitatem, sed etiam, ob consensum anteponit. Addamus & nos communissimum piorum consensum, qui patrum suorum iudicia, & testimonia egregie conspirantia, cum debita veneratione complectuntur, quique contrariam opinionem, nisi obstaret debita in D. Hieronymum reverentia, severa, vt arbitror, censura castigarent. *S. Chrysost. Hom. 5 in c. 1. Matth.*

LXXXI. *Rationes pro hac sententia.* Denique rationes non incongrue à prædictis sanctis patribus, aliisque doctoribus afferuntur, cur æquum fuerit hanc versionem huiusmodi miraculo commendari. Sive vt harum scripturarum sanctitas Ptolemæo, aliisque deinceps gentibus probaretur, tantoque studiosius in futuram eorum conversionem pura atque illibata conservaretur: sive vt horum Iudæorum in vertendo fides, atque integritas declararetur, quos constabat ægrè admodum res suas, hanc præsertim, quam vita chariorem habebant, communicare velle; sive quia decebat legem, quæ Hebræis cum tot portentis atque miraculis data fuerat, etiam tunc gentibus, non sine miraculo, per Græcam interpretationem communicari. Denique ei miraculo apertè patrocinantur, quæ postea ex Philone dicemus à Rege ad perpetuam tantæ rei memoriam fuisse instituta.

XXCII. *Quid de Iosepho & Aristæa dicendum.* Varias Iosephus & Aristæas aliter sentiunt. De Aristæa facile crediderim eius historiam in hac parte esse diminutam ab impiis Iudæis, qui huic versioni 70. seniorum, per quam in disputationibus quotidie confodiebantur, per quam infensi erant, nec eam tanto miraculo comprobari ferre poterant. Et quis credat profano libro pepercisse, qui sacris codicibus profanas manus toties mutando, addendo, detrahendo, Origene, & Iustino teste intulissent? De Iosepho, quem etiam parum fauisse Christianis satis docet Castrius, nihil mirum, quippe cui solenne sit, vt toties demonstratum est, & copiose probat Leo Castrius, in disput. de translat. miracula vel dissimulare, vel extenuare, nequid minus probabile profanis auribus, quarum gratiam ambiebat, & quibus veritatis ac divinæ gloriæ studium postponebat, attulisse videretur. Eum nihilominus in reliqua historia audiamus.

XXCIII. *Communis approbatio versionis.* Versione autem legis intra septuaginta duos dies absoluta, qua temporis brevitate apertè se instrumenta esse divini Scribæ velociter scribentis docuerunt, Demetrius advocatis omnibus Iudæis in locum vbi versa fuerat, præsentibus etiam interpretibus, perlegit codicem. Concio vero & seniorum interpretationem approbavit, & Demetrium ipsum collaudavit, cuius suggestionis occasione maxima bona percepissent, rogaveruntque vt etiam optimatibus earum copia legendi fieret. Sic ipse, quibus similia habet Aristæas. Quod autem copia legendi postulata est, significavit Demetrium non multa coram populo, nedum omnia perlegere potuisse. Verum hæc repudianda sunt, cum omnium verba sententiasque in vnum convenisse, divino miraculo sit tot testimoniis confirmatum. Satis enim fuit illam consensionem in pluribus locis, in quos incidissent, agnosci, & communi admiratione omnium approbari, nec verbatim omnia ad calcem à capite recitari.

XXCIV. *An soli Moysis libri conversi.* Sed hic etiam aliud non obscurè Ioseph. indicat, solos videlicet Moysis libros, qui nomine legis præcipuè intelliguntur, à Septuaginta senioribus fuisse conversos: meminit enim quæ in præfatione librorum Antiquitatum scripserat. *Proinde mihi quoque, inquit, convenire duxi, vt & pontificis nostri Eleazari imitarer magnanimitatem, & huius quoque regis illius multos persimiles putarem, duntaxat quod ad discendi cupiditatem attinet. Neque enim totam scripturam occupavit ille, sed legis solam ei tradiderunt interpretes, qui ob hoc Alexandriam missi fuerant.* Sic ipse. Et procul dubio eadem est Philonis sententia, libro 2. de vita Mosis, vbi legum Mosaicarum duntaxat subinde meminit; datumque ait hisce interpretibus, aut potius prophetis, sincerissimas Mosis cogitationes purissimo spiritu assequi; & optabile esse populis ac magistratibus, relictis patriis legibus ad harum observationem transire. *Id putat Philo.*

XXCV. *Quis eo sententiæ Hieronymum & Marianam.* Iosephus hanc ipsam opinionem visus est S. Hieronymo non vno in loco persuasisse. *b* Is tamen in ea sententia non persistit. Nam suis ipse in Prophetas commentariis, ipsam seniorum interpretationem adiungit, & crebro expendit, ipsorumque esse non diffitetur. Persuasit & Ioanni Marianæ in opusculo pro editione vulgata. *c* Idque confirmat styli dissonantia inter Pentateuchum, & reliquos libros: quodque non videntur intra duos & septuaginta dies totam Scripturam, quæ tunc Hebraicè extabat, convertere potuisse, præsertim collatione facta. At styli dissonantia, si quam placet admittere, ex diversitate authorum Hebraicorum peti potest. Et oportuit ex hac ipsa temporis brevitate miraculum celebrari. Nam illi quinque libelli ab vtriusque linguæ bene perito, facile intra quindecim dies industrio amanuensi dictari possunt. Itaque probandum non est quod addit, videri sibi ex pluribus interpretationibus ante Christum factis vnam conflasse, quæ ipsis Septuaginta tribueretur, quod primæ illius partis authores essent. *b Præfat. q. in Gen. & 2. in Ezech. & 2. in Michæam. c Cap. 2.*

XXCVI. *Et omnino Iosephum.* Nec est quod aliqui mitius Iosephum explicent, eum legis nomine sacros omnes libros intellexisse. Sicque Christum Dominum dixisse Iudæis. Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi dii estis? Et rursum. Vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt me gratis. Quæ non ex Pentateucho, sed ex Psalmis 81. & 68. sumpta sunt. At in illo operis sui procemio, legem à Senioribus explicatam, opponit reliquæ historiæ sacræ, quam se profitetur libris suis explicaturum. *Ioan 10. Ioan. 15. 25.*

Eius tamen opinio & rationi ipsi, & communi sanctorum Patrum sententiæ apertè repugnat. Nam vel ex ipso S. Hieronymo constat Christum Dominum, Apostolos & Evangelistas Vetus Testamentum iuxta Septuaginta interpretationem citare; at identidem Psalmos & Prophetas afferunt. Respondet Mariana Clementem Alexandrinum, & Eusebium ex Aristoboli sententia affirmare, libros Hebræorum, priusquam rerum potiretur Alexander, in Græcam linguam fuisse conversos, vnde Philosophi & poëtæ multa mutuati sint. Eademque sentiunt Bellarminus & Gretserus: merito dissentiente Baronio, & probabilius existimante ethnicos non ex versione librorum, sed consuetudine cum Iudæis pleraque de sacris libris didicisse. Audi Epiphanium. Primi omnium sacras literas ex Hebræo in Græcum transferre 72. viri aggressi sunt, Ptolemæo Philadelpho in Ægypto regnante. *Refutatur. An alia ad antiquior. Strom. 1. l. 9. Præpar. c. 2. 1 Lr. 2. c. 8. o & ibi. Gretserus de pond. c. 5.*

XXCVII. *Non solum Pentateuchum fuisse conversum.* Denique ita ratiocinatur Iosephus, quasi Ptolemæus Iudaicam vivendi formam sectari, & non bibliothecam suam omnium librorum copia locupletare voluerit; aut ingentem eius librorum famem quinque Mosis libelli exaturare possent; relictis præsertim iis libris, qui sui desiderium maxime excitare possunt, quales sunt prophetici, qui res futuras prænunciant, quorum scientiâ homines

vehe-

vehementer ambiunt, vtpote supra captum hominum & angelorum positam, ac plane diuinam: quales & historiæ, quæ regum & principum res præclare gestas continent, & Dei ipsius, suorum vel peccata punientis, vel honeste facta multiplici felicitate cumulantis. Denique Iudæi male viderentur regiæ Ptolemæi magnificentiæ, planeque maligne respondisse.

XCVIII. Ita fuisse S. Irenæus Præn. l. 3. c. 25. Clemens Alexand. Clem. Str. 1.

HANC quoque opinionem Sancti Patres euertunt. Irenæus. *Cupiens eam Bibliothecam, quæ à se fabricata esset, in Alexandria, omnium hominum dignis conscriptionibus ornare.* An Dauidem & Prophetas ea prodidisse credidit, quæ conscriptione indigna essent? Clemens Alexand. *Versas autem fuisse scripturas, & legis, & Prophetarum, ex Hebræo sermone in linguam Græcam aiunt tempore Ptolemæi:* & mox, *voluit vt Hierosolymitani quoque eas, quæ apud se erant, Prophetias in sermonem Græcum interpretarentur.* Iustinus. *Quod si quis asseueret Moysis quoque, & aliorum prophetarum scripta Græcis edita literis, is discat Ægypti regem Ptolemæum,* &c. & in Apol. 2. *Cum autē Ptolemæus Ægyptiorum Rex bibliothecam instituerct, & omnium hominum scripta comportare conaretur, de prophetijs hisce quoque certior factus, ad Herodem Iudæorum tum regem misit, copiam sibi fieri propheticorum librorum petens.* Epiphan. singulos libros enumerat ab ipsis conuersos, vsque ad Esdram & Hester, excluso Ecclesiastico, & libro Sapientiæ.

S. Iustinus. Iustinus exhort.

S. Epiphan. Epiph. de pond.

XCIX. S. Hilarius. Hilar. in ps.

D. Hilar. Prol. in Psal. *Sed 70. Seniores secundum Moysi traditionem, ad custodiendam legis doctrinam in Synagoga manentes, posteaquam illis à Rege Ptolemæo transferenda ex Hebræo in Græcum sermonem, totius legis cura mandata est, spirituali & cælesti scientia virtutem psalmorum intelligentes, in numerum eos, atque ordinem redegerunt.* Et iterum in Psal. 2. *Hi ergo psalmos inter cæteros libros transferentes, & in numerum redegerunt, & in ordinem collocauerunt.* D. Cyrillus. *Diuinas lege scripturas veteris Testamenti, libros viginti duos, quos septuaginta duo interpretes transtulerunt.* Et paulò post. *Ptolemæus Philadelphus vndique libros colligens cum à Demetrio Phalereo de legis, & diuinorum prophetarum scriptis audisset,* &c. Et infra, *horum libros lege duos atque viginti, nihilque cum apocryphis habeto commune, hos solos studiose meditare, quos & in ecclesia secure tutoque recitamus.* Eos autem mox enumerat D. Aug. l. 2. de Doct. Christ. c. 15. Septuaginta interpretum, quod ad vetus testamentum attinet, excellit autoritas &c. D. Chrysost. hom. 5. in 1. Matth. ex 70. versione citat & commendat. *Ecce virgo concipiet* &c. Negaliter sentit Euseb. in Chron. ad 3. annum Philadelphi, tam in versione Hieronymi, quam in textu Græco, & in isto maxime.

S. Cyrill. Hierosol. Cyrill. Cath. 4.

S. Augustinus. August. de doct.

S. Chrysostomus. Chrysost. Eusebius.

XC. Quot exemplaria scripta fuerint.

SATIS hic opinor testium ad obstruendum os falsa loquentis Iosephi. Porro Cyrillus vniuersa à singulis interpretata tradit: ex quo sequitur septuaginta duo exemplaria primum edita fuisse librorum sacrorum. Id autem supponere videtur 72. exemplaria Hebræa allata fuisse, si singuli in suis cellis clausi interpretabantur ex Hebræo, aut oportet Spiritum sanctum eis memoriter cuncta dictasse. Epiph. autem tricies & sexies ait conuersam, à singulis interpretum paribus semel; quod scilicet singulis paribus vnus tradebatur liber, verbi gratia Genesis, quorum vnus, priorem mediam partem, alter posteriorem conuerteret, dum interea duo alij eodem modo Exodum & Leuiticū cæterosque interpretarentur: & sic vno absoluto libro, quælibet paria alterum nondum à se conuersum accipiebant: nec tamen hinc sequitur singulos dimidiam tantum libri cuiusque partem vertisse. De septuaginta porro & duobus diebus, Aristæ & Iosepho, Cyrillus & Epiph. cōsentiunt. Postremo cum interpretationem omnes comprobassent, imo Rex ipse à Demetrio acceptos libros adorasset, asseruari iussit diligenter, vt incorrupti manerent. Asseruatum porro & exemplar Hebraicum apud regem, videtur existimasse Tertul. *Hodie,* inquit, *apud Serapeum Ptolemæi bibliotheca, cum ipsis Hebraicis literis exhibentur.* Est autem Serapæum locus ad Serapidis templum pertinens.

Tert. Apolog.

XCI. Imprecatio in violatores librorum sacrorum. Pœna Theopompi & Theodectis.

AUDITA est etiam imprecatio solennis ab ijsdem interpretibus, si quis vel addere vel mutare, transferre vel delere auderet quidquam eorum quæ scripta essent. Denique dimissi sunt domum cum donis ingentibus, quæ quia superant fidem meam, tu illa apud Iosephum, & Aristæam si placet leges. Quin ne illis quidem assentior in Theopompi & Theodectæ pœnis, quod Hebræorum leges attrectare, & quidpiam è sacris libris in sua opera transferre ausi essent. Vnde enim illa haurire potuissent? cum & Hebræa apud vnos Iudæos incommunicata extarēt, nec Græcè viceuersa essent, cum hæc prima fuerit editio, vt testatur Epiphanius; nec illi Hebræa intelligerent: quæ autē auditione ab alijs accepissent, non ipsi soli scribere ausi essent, vt ex Iosepho ipso constat, qui multo passim, vt supra diximus, commemorat; multos etiam Eusebius, & Clemens Alexand. apud quem Numenius Philosophus Pythagoreus aperte scribit. *Quid enim est Plato, nisi Moyses Attice loquens.*

XCII. Annua celebritas huius versionis.

Non omittam quod Philo scribit, valetque plurimam ad confirmandam mirabilis conuersionis fidem. *Hodie,* inquit, *solemnis celebritas renouatur in Pharo insula, ad quam non tantum Iudæi, sed & alij plurimi traijciunt, locum venerantes, in quo primum visa est hæc interpretatio, & pro tanto beneficio quasi recenti, aguntur Deo gratiæ. Post vota autem, & gratiarum actiones, alij tentoriis fixis in littore, alij discumbentes in ipsa arena sub dio cum amicis & domesticis epulantur.* Scio esse qui hanc celebritatem annuam referant ad victoriam naualem de Antigono Gonata à Philadelpho obtentam, sed frigide. Ea enim perexigui momenti fuit, cum nihilominus Athenarum obsidio soluta non fuerit, sed in Antigoni potestatem deditione deuenerint. Sed iam tempus est, vt repetamus Italiam, & Pyrrhi præclara facinora cum Romanis spectemus.

XCIII. Alterum Pyrrhi cum Romanis prælium. a l. 18. b l. 3. c. 8.

IN Italia cum Pyrrhus disiecta pacis consilia cerneret à Romanis, & interiectis diebus sociorum exercitus superuenisset, iterato prælium cum Romanis facit; in quo par fortuna priori bello fuit. Ita Iustinus paucis, a Gellius b ait Pyrrhum vnam atque alteram pugnam prospere in Italia pugnasse, antequam de eo veneno tollendo ad Fabricium veniretur. Florus quoque in Epit. 13. *Iterum aduersus Pyrrhum dubio euentu pugnatum est.* Quia scilicet hinc Consul occisus, inde Pyrrhus acie cessit. Dionysius apud Plutarch. in Pyrrho negat liquidam fuisse Pyrrhi victoriam, quæ apud Asculum contigit: quæ satis consentanea videntur ijs, quæ Eutropius & Zonaras gesta narrant, Sulpitio & Decio huius anni Consulibus.

XCIV. Maiorum ad illud apparatus. Decij deuotio. ὥστε ὅμοιον ... Ῥωμαίων.

PER hyemem, inquit Zonaras, vtrique se ad bellum instruxerunt. Vere instante Pyrrhus impressione in Apuliam facta, multa vi, multa deditione occupauit, donec Romani ad Asculum oppidum contra eum castra posuerunt; ac dies complures mutuo metu quieuerunt. Romani Epirotas vt victores timebant, Epirotæ Romanos vt desperatos. Decium quippe ad deuouendum semetipsum, exemplo patris atque aui, paratum esse fama vulgarat. Contra quam deuotionem Pyrrhus exercitum confirmauit, docēs nec vnius hominis obitu multos debellari posse, nec incātationum præstigias plusquam viros & arma valere. Indagatoque habitu, quo se Decij deuouissent, monuit si quē ita ornatum cernerent, ne eum occiderent, sed viuentem comprehenderent, exquisitis mactandum supplicijs, idque Decio nunciari iussit. Nuncium Coss. contemptim accepere. Varie enim aduersus Gallos exerciti prælijs aduersos Pyrrhum athletæ perfecti bellicorum certaminum euasere, vt ait Polybius. c Pergit Zonaras.

c l. 2. p. 4. & l. 3. p. 108. gr. lat.

XCV. Pugna committitur.

ET cum profundum flumen castra inimica dirimeret, sciscitati sunt vtrum ipse impune transire, an sibi transeundi potestatē facere mallet, vt æquali pugna copijs integris commissis, certum ferri posset de fortitudine iudicium. Pyrrhus multum elephantis suis fretus, Romanos flumen transire passus est, qui aduersus elephantos ferrata cornua vndique prominentia curribus inseruerunt, ex quibus tū alia missilia, tum ignem eiaculantes, belluas repellerent. Cum ad manus ventum esset Romani Græcos sero quidē, sed tandem pepulerunt: donec Pyrrhus elephantis in auxilium, non qua falcati currus stabant, sed in alteram partē adductis, equitatum Romanum, terrore belluarum, ante congressum profligauit; peditibus parum nocuit. Interea quidam Apuli, Epirotarum castra aggressi, causa victoriæ Romanis extiterunt.

Vsus elephantorum.

Consul. vulnera Romanorum. NAM cum Pyrrhus aliquot è pugna eduxisset aduersus Apulos, reliqui omnes turbati & tentoria capta esse, & illos fugere opinati, inclinarunt, eorumque multi cæsi sunt, Pyrrhus ipse, & ex præcipuis complures vulnerati, ac post cum ob commeatus, tum ob medicamentorum inopiam grauiter afflicti, Tarentum, priusquam Romani sentirent, discesserunt. Quos tamen Romani vulneribus debilitati persequi non potuerunt, sed in vrbes Apuliæ hybernatum reuersi sunt. Hunc pugnæ victoriæque modum refert Zonaras.

Mor. Decii Consulis. Mortuum porro in hoc prælio Decium Consulem, locuples testis est M. Tullius, imo patris atque aui exemplum imitatum esse. Sic enim loquitur 2. de fin. *Quod quidem eius factum* (Auij Decij deuotionem) *nisi esset iure laudatum non esset imitatus quarto Consulatu suo filius: neque porro ex eo natus, cum Pyrrho bellum gerens, Consul cecidisset in prælio, seque è continenti genere tertiam victimam Reip. præbuisset.*

XCVII. Cruenta victoria. l. 4. c. 15. FABRICIVM tum legatum Consulis in prælio vulneratum refert Orosius. Eutropius lib. 2. & Orosius aiunt hoc prælio viginti hostium millia cæsa, Romanorum autem quinque millia; regis signa ablata 53. Romanorum vndecim: addit etiam Elephantos interfectos. Parum autem

a l. 1. c. 18. probabiliter Florus a docet in Consulatu Curij & Fabricij belluas à C. Minucio occidi cœpisse: cum tamen Curius & Fabricius in Consulatu collegæ non fuerint, in quē tamen errorem autor lib. de vir. illust. impegit, vel eum infeliciter imitatus est. Deinde, vt dicemus anno seq. in Consulatu Fabricij contra Pyrrhum pugnatum non est. Res igitur tota in hunc annum cadit. De profligatis Elephantis, in quibus maximum erat momentum victoriæ, Florus ait eorum terrorem exoleuisse postquam C. Minutius quartæ legionis hastatus, vnius proboscide abscissa, mori posse belluas ostenderat. Itaque, inquit, & in ipsas pila congesta sunt, & in turres vibratæ faces, tota hostium

Cædes Elephantorum. agmina ardentibus ruinis operuerunt. At Orosius, *Elephants*, inquit, *prima pugna vulnerari, atque in fugam cogi posse deprehensi, deinde subiectis inter posteriora & mollia ignibus exagitati, ardentes insuper machinas furore trepido circumferentes, exitio suis fuere.* Significans hinc Romanis victoriæ principium exortum, quando belluæ, quibus maxime confidebat Pyrrhus, etiam damno esse cœpissent dominis atque ductoribus.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3775.

1 N. XIX. SEquitur & Gordonus noster in Chronologia sua capite decimo sexto numero decimo, ubi, inquit, quosdam referre factam versionem anno decimo quarto Philadelphi: sed hac de re, inquit, vix constat. Imo vero inquam satis constat, si Aristæo credimus, aut Iosepho, qui volunt Septuaginta duobus diebus fuisse absolutam. Sixtus quoque Senensis l. 4. Bibliothecæ sanctæ ad hanc classem pertinet. Olympiade quippe centesima vigesima quarta, editam hanc interpretationem tradit. Sed in eo labitur, si abest mendum à numeris, quod ab eo tempore ad Christum annos numerat trecentos quinquaginta, quod fieri vtique non potest.

2 N. XXV. In Græco Aristæi, tam edito quam manuscripto, & apud Eusebium habetur, ἀμελέστερον δὲ, καὶ ὡς ὑπάρχει σεσήμανται, quæ Trapezuntius vertit, feruntur enim abiecte non-[illegible] translata: Male vtique, nondum quippe translata fuerant sacra biblia, cum prima translatio fuerit Septuaginta interpretum, vt clare affirmat Epiphanius li. de Pond. & Mens. Garbitius autem, sed negligentius, nec ita vt res ipsa se habens, sunt conscripti. Iosephus habet συμβέβηκε δ᾽ αὐτοῖς καὶ ἀμελέστερον ἃ ἔχει σεσήμανται. Castrius ad verbum vertit. Accidit autem hæc negligentius, quam habet, esse significata. Gelenius, sunt enim negligentius quam par est habiti: haud scio an re satis intellecta

3 N. XXVIII. Interpres Aristæi, qui est in Bibliotheca Patrum, vertit affirmatiue sententiam quasi multi scriptores Ethnici meminerint horum librorum; nec satis attendit quid esset πόρρω γεγόνασι τῆς ἐπιμνήσεως, quomodo in Græco edito, & manuscripto habetur. Longe fieri à commemoratione, sive multum abesse à commemorando, non est frequenter meminisse. Iosephus certe libro duodecimo cap. 2. habet ἐν ἡσυχίᾳ γεγόνασιν, ut quod que ipse ea Ecatæi sententia, non ea sua refert, ne secum ipse pluribus locis aperte pugnet. Nec tamen laudo, quod ait neminem cæterorum scriptorum meminisse librorum Hebraicorum, quod ij non debeant profano ore tractari; tum quia hæc causa silentij neque est ap. ad Demetrium, neque hanc concurrit eum fuisse omnes scriptores βίβλων σῶμα appellare, causa potius fuit, quod libri occultarentur à Iudæis, non enibus sanctam dare canibus, & vel in promptu positi legi non possent.

ἐθνικοὺς & ἕλληνας in nouo testamento distingui vii diximus, pridem notauit Lorinus noster Acto. 14. 1. & ca. 18. 17. & post eum Scaliger in Eusebium, qui neque proprie, neque satis Latine ἕλληνας paganos interpretatur, qui propriè sunt pagorum coloni: ne tamen nimium sibi in ea distinctione placeat, sciat non esse constantem, atque perpetuam. Nam sanctus Lucas Act. 17. 4. ἕλληνας σεβομένους vocat, quos dicimus ἐθνικούς, eosque interpretatur Oecumenius, religione Iudæos natos, qui Græcè loquebantur. Et cap. 17. 18 Græci dicuntur Iudæi in Græcia nati, vt Lorinus ex Chrysostomo notat. Vide etiā Gretserum to. 1. defens. l. 2. c. 6. fine.

3 N. L. Addamus etiam, etsi isthæc assertio causæ nostræ fauet, non plane verum esse, quod Scaliger & Casaubonus in illum Laertii locum affirmant, omnes scriptores Ecclesiasticos, qui de translatione τῶν Septuaginta aliquid mandauerunt, Demetrij Phalerei meminisse. Nam Philo eum prætermittit. & Iustinus, tam in Apologia secunda pro Christianis, quam in cohortatione ad Græcos. Et Irenæus l. 3. c. 25. & Diuus Hilarius præfat. in Psal. & in Psal. 2. Theodoretus præfat. in Psal. & sanctus Augustinus l. 18. de ciuitate c. 42. & 43 & l. 2. de doctrina Christiana c. 15 & Diuus Chrysostomus tam Homil. 4. in Genesi, quam 5. in primum caput Matthæi. An istos in scriptoribus Ecclesiasticis non numerant? plerique etiam recentiores non meminerunt, quia compendiosius eam historiam tradebant, vt Bellarminus to. 1. l. 2. c. 6. Baron. to. 2. anno Christi 231. Galatin. de arcanis l. 1. c. 5.

ANNVS MVNDI 3776. SEXTÆ ÆTATIS 260. Regni Græcorum 34. Antiochi Soteris 3. Eleazari Pontificis 11. Philadelphi 9. Olympiadis CXXV. An. 3. Archonte Damocle Vrb. C. 475. Coss. C. Fabricio Luscino II. & Q. Aemilio Papo II. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 277.

I. Ratio temporum. l. 2. p. 108. HVius anni chronologiæ patrocinatur Polybius, cum tradit Boios atque Hetruscos magna clade cæsos (quod Fabricio primum consule contigit) quinto anno ante Delphicam Gallorum cladem, quo scilicet Fabricius

an. vr. cond. 475. iterum, cum eodem Collega factus est consul. Eandem roborat Pausanias, cum ait. *Gallorum hæc in Græciam irruptio, pariter & strages facta est, summam Athenis magistratum gerente*

l. 10 p. 342 *Anaxicrate, anno altero Olympiadis 125. qua de stadio vicit Ladas Aeginensis.* hæc scilicet duobus proximis annis, de præsenti vero addit. *Insequenti vero anno Damocle Athenis eundem honorē gerente, rursus in Asiam Galli transmisere.* Hactenus Pausanias: nimirum clades accepta in Græcia hoc anno à Gallis contigit priore anni parte, cum Anaxicrates adhuc præturam agebat: posteriore autem in Damoclis magistratu, rursus in Asiam Cichorio duce, vt scribit Diodorus in eclogis libri vigesimi secundi, transmisere, vbi se paululum ea clade collegere: tametsi Iustinus ac Diodorus tradāt, aut diuinæ aut humanæ cladi superfuisse neminem. At Polybius ait partē istorum, qui periculo ad Delphos defuncti fuerant, duce

l. 4 p. 313. 1 lat. Sigon. in temp. Athen. Comontorio ad Hellespontum venisse, & nequaquam in Asiam traiecisse, sed bonitate agri circa Byzantium captos, sedes ibi fixisse. Alij nihilominus in Asiam traiecisse aiunt, atque Ancyra Phrygum oppido occupata, supra Sangariū amnem consedisse, atque inde Gallo-græcos appellatos.

II. Delphica Gallorum clades. l. 22. c. 13. EAM cladē fuse narrat Iustinus l. 24. ex quo hæc pauca. Brennus adunatis centum quinquaginta millibus peditū, & quindecim millib9 equitum, vel potius, vt habet Diod. 140. millibus scutatorum, 10 millibus equitū, aliaq; turba in Macedoniam irrupit. Cum agros villasq; popularetur, occurrit ei cum instructo Macedonū exercitu Sosthenes; sed pauci à pluribus, trepidi à valentibus facile vincuntur.

Cibo se ac potu ingurgitant. Itaque cum victi Macedones intra muros vrbium se cōdidissent, victor Brennus nemine prohibente, totius Macedoniæ agros populatur. Inde quasi spolia profana sordetēt, animum ad templa conuertit, scurriliter iocatus, locupletes deos largiri hominibus oportere. Vbi ad Tēpli Delphici conspectum venit, deliberabat nū statim illud inuaderet, an fessis de via militibus proximam noctem ad quietem daret: sed id Gallorum vulgus integrum duci non reliquit. Nam e a longa inopia, vbi primum vino, cæterisque commeatibus referta rura inuenit, late se per agros effudit, desertisque signis ad occupanda omnia pro victoribus

vaga-

moque etiam Sosthenem; nunc ipsum opportunissimo tempore, quærentibus regem Macedonibus, superuentuerum. Ex his intelligis mortem Ceraunі recte anno proximo esse collocatam, & non triennio ante cum Eusebio. Hic Pyrrhus multum fortunam incusauit (demens qui se Deum accusare non intelligebat) quod magnarum rerum occasiones in vnum momentum sibi conclusisset, reputans, si ambo capere vellet, alterum, aut vtrumque potius se amissurum.

XI. *Expeditionem suscipit in Siciliam.* TANDEM existimans Siciliam aditum sibi ad res maiores patefacturam, ad eam expeditionem adiecit animum; tum Locris filium suum Alexandrum cum valido præsidio reliquit, socias vrbes reliquas firmauit, Tarentinis inuitis præsidium imposuit, cui Milonem præposuit: illis nequicquam postulantibus, vt ipsis bello contra Romanos adesset, vel si desereret, quales inuenerat, relinqueret. Ille silentium imperauit, & reditum suum expectare iussis, vela fecit, cum triginta millibus peditum, equitum duobus millibus & quingentis, & nauibus ducentis. Plutar. Diodorus Siculus in Excerptis ait Pyrrhum in Italia bellum gessisse annos duos & menses 4. *Lib. 22.*

Res à Fabricio gestæ à Pyrrho defectis. Lib. 1. c. vlt. Post eius discessum rem bene gestam à Fabricio contra Pyrrhi socios, eiusdem triumphus, qui in extremum hunc annum cadit, vt paulo ante diximus, satis declarat: quo pertinet illud Valerii Maximi, Martem auxilio venisse Romanis, Fabricio contra Brutios ac Lucanos bellum gerente: ad pugnam euocasse, vallum admotis scalis primum conscendisse, & impulsu suorum armorum prostratos hostes, capiendos singulatimque Romanis tradidisse, viginti millia cæsa, quinque millia, cum Statio Statilio duce vtriusque gentis, & tribus atque 20. militaribus signis capta esse. Cumque postridie quæreretur Iuuenis, qui primus vallum conscenderat, vt vallari corona donaretur, nusquam inuentus est, supplicatio Marti, in oblati auxilij testimonium decreta est, quæ Deo Domino exercituum, & victoriarum debebatur.

ANNVS MVNDI 3777. SEXTÆ AETAtis, 261. Imperij Græcorum 35. Antiochi Soteris 4. Eleazari Pontificis 12. Ptolemæi Philadelphi 10. Olympiad. CXXV. an. 4. Vrb. Conditæ 476. Coss. P. Cornelio Rufino II. & C. Iunio Bruto Bubul II. Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 276.

I. *Antigonus Gonatas in Macedonia regnat, Olympiade vno.* OCcisо à Gallis Ptolemæo Cerauno, & Sosthene quoque, vt apparet, vel sublato, vel fracto viribus; immensis Brenni copiis, Macedones Pyrrhum regem expetebant, vt ex Plutarcho supra dicebamus, qui ad imperium Siciliæ animum adiicere maluerat. Interea Antigonus Gonatas Demetrii filius pacem cum Antiocho Sotere statuit. Ambiebat scilicet regnum Macedoniæ Soter, quod pater ipsius Seleucus occiso Lysimacho adeptus erat, & quod mox à Cerauno occisus amiserat. Id autem Antigonus Gonatas quasi hæreditarium, & à Demetrio patre iampridem possessum sibi vendicabat. Soter igitur, qui longe lateque in Asia, Syriaque regnabat, Macedonia cessit Antigono. Is cum in Macedoniam reuerteretur, omnis eidem repente hostis exortus est, vt tradit Iustinus l. 25. Quippe Galli, qui à Brenno ad terminos gentis tuendos, relicti fuerunt, deuictis proximis Macedoniæ gentibus, legatos ad nouum regem miserunt, pacem ei venalem offerentes. Is cum imprudenter suas ei copias diuitiasque ostentasset, non eis terrorem sed prædæ cupiditatem iniecit. Ad quam cum auide atque imprudenter conuolassent, à parte exercitus Antigoni oppressi sunt, vt fusius refert Iustinus; quem quis non temere dixerit Antigoni diuitias ibi vehementius amplificasse, quippe qui adhuc fere priuatam vitam egisset, & Macedoniam tot proxime cladibus attritam accepisset.

II. *Pyrrhus in Sicilia felix.* PYRRHVS autem vt appulit in Siciliam, cuncta eius spei responderunt, ciuitatesque certatim se ei tradiderunt, vt ait Plutarchus: vbi certamine, & vi opus erat, nihil ei obsistebat. Nam cum iis copiis, quibus Siciliam inierat, Pœnos profligauit, prouinciam eorum subegit, Erycem munitissimum oppidum, quod magnum habebat præsidium; magna vi, parique felicitate expugnauit, vt idem fusius explicat, & Diodorus Siculus in Excerptis a Iustinus, b & Zonaras c aiunt eum primum Syracusas venisse, ibi summa rerum ipsi permissa, regem Siciliæ sicut Epiri appellatum fuisse, breuique temporis spatio tantum euasisse, vt Pœni mercenarium ex Italia militem conducerent. *a l. 22. n. 12. & 14. b l. 23. c 2. Annal.*

Hac rerum felicitate lætus, Heleno filio Siciliam, velut auitum regnum (nam susceptus fuerat ex Agathoclis Syracusani regis filia) Alexandro autem Italiæ regnum destinat. Sic Iustin. Illa Agathoclis filia Lanassa dicta fuit; quæ susceptis ex Pyrrho duobus liberis, eo relicto Demetrio nupserat. Sunt tamen qui Helenum ex Bircenna Illyriorum regis filia natum dicant. *Vt patet in Stemmate Pyrrhi apud Tempor. p. 218.*

III. *Romani Samnites imprudenter adoriuntur.* INTEREA Romani, vt scribit Zonaras, per absentiam Pyrrhi animis confirmatis, ad vltionem eorum, à quibus accersitus fuerat, conuersi, Tarentinorum vindicta in aliud tempus dilata, Rufini & Iunij consulum ductu, & auspiciis, Samnium inuasere, agrisque vastatis, castella quædam ab incolis defecta occuparunt. Samnites enim in montes Cranitas, à cornorum frequentia ita dictos, carissima pignora & pretiosissima quæque contulerant. Romanis igitur, per contemptum, ac nimiam fiduciam sui, animosi Imperatoris ductu, eos montes, asperos licet atque arduos, conscendere ausis, multi occubuerunt, multi capti sunt; Deo mortalium superbiam de more comprimente. Eius cladis culpam Consules alter in alterum conferentes, de communi sententia bellum gerere destiterunt. Ac Iunius partem Samniticæ ditionis vastauit. Rufinus Lucanos & Brutios afflixit: de quibus tamen Iunius Brutus in Fastis legitur triumphasse.

IV. *Rufinus Consul Crotonem recuperat.* CÆTERVM Rufinus, vt scribit idem Zonaras, ad Crotonem recuperandam profectus est. Ea est magnæ Græciæ vrbs, ad sinum Tarentinum, quæ defecerat à Romanis. Rufinum aduocabant eius amici Crotonienses, sed cæteri ante aduentum eius; præsidium, cui Nicomachus præerat, à Milone accersiuerant. Cuius rei ignarus, cum vt ad amicorum mœnia negligentius accessisset, subita hostium eruptione cladem accepit. Nihilominus arte quadam mox vrbe potitus est.

Duos enim captiuos transfugarum nomine Crotonem misit; quorum alter diceret eum desperata vrbis expugnatione Locridem, quo à proditoribus vocetur, discessurum: alter deinde affirmaret eum iam in itinere esse. Quæ oratio, vt esset probabilior, sarcinis collectis se properare simulauit.

V. *Et per fraudem occupat.* In Nicomachus verum esse ratus, nam speculatores idem renunciabant, Crotone deserta, per viam breuiorem celeriter Locros contendit. Quo cum peruenisset, Rufinus conuerso ad Crotonem, itinere animaduertente nemine, quod & præter expectationem aderat, & nebula conspectum eripuerat, vrbem cepit. Quo Nicomachus cognito in Tarentum rediturus, cum in itinere in Rufinum incidisset, multos amisit, Locri ad Romanos se contulerunt. Crotonem captam male apud Eusebium legimus anno secundo Philadelphi, quo tempore nondum Pyrrhus in Italiam venerat, quod Pontac. & Scal. quoque notarunt. Meminit captæ Crotonis Frontinus, & aliquo tempore frustra obsessam tradit. *lib. 3.*

VI. *Rufini auaritia & fortitudo. l. 4. c. 8. lib. 11. c. 1.* ADDAM huius Cornelii Rufini moribus, quod notauit lib. 2. de Oratore M. Tullius, quod non pœnituit Aul. Gellium & Quintilianum repetere. Cum C. Fabricio, ait, P. Cornelius homo, vt existimabatur auarus & furax, sed egregie fortis, & bonus imperator gratias ageret, quod se homo inimicus consulem fecisset; bello præsertim magno & graui. *Nihil est, ait, quod mihi gratias agas, si malui compilari, quam venire.* Nimirum significabat se suffragio suo eius competitoribus fauere noluisse, quod eos, licet alioqui viros bonos, imbelles tamen, & artis imperatoriæ imperitos existimabat, verebaturque ne eorum auspiciis Romani à potenti hoste victi, captique venundarentur, maiore Rei

publicæ damno, quam si ab homine forti fortunis quidem minuerentur, sed augerentur victoria. Vides autem non solum Fabricij, in comitiis autoritatem rebus præclare gestis partam, sed egregium in patriam amorem, cuius vtilitatem priuatis inimicitiis antetulerit, vt alibi de Aristide notauimus. Inimicum porro etiam morum illa dissimilitudo faciebat, quod alter diuitiarum esset contemptor egregius, alter earum appetentissimus.

An. m. 3773. n. 4.

ANNVS MVNDI 3778. SEXTÆ AETATIS, 262. Regni Græcorum 36. Antiochi Soteris 5. Eleazari Pontificis 13 Philadelphi 11. Olympiadis CXXVI. an 1. Vrb Conditæ 477. Coss. Q. Fabio Maximo Gurgite II. C. Genutio Clepsina.

ANNVS ANTE CHRISTVM 275.

I. *Pyrrhus in Sicilia secunda res.*

HISTORIA Græcorum hoc anno conticessit, nisi quatenus Pyrrhum attingit; quem vicissim hoc anno aduersæ res in Sicilia perculerunt, quamuis eius initia priuris anni, cultum respuisse videantur. Nam Iustinus l. 23. ait Pyrrhum, post filios suos Italiæ ac Siciliæ reges destinatos, multa secunda prælia cum Carthaginensibus fecisse; quorum aliqua ad hunc annum oportet pertinere, sicut & rem cum Mamertinis gestam: qui cum maiorem in modum Græcos Siciliæ incolas premerent, & nonnullos insuper fecissent vectigales, Pyrrhus exactores tributorum comprehendit, necauitque, illos acie fudit, oppida eorum pleraque excidit. Ita Plutarchus de Mamertinis Messanæ vrbis incolis, quos numerosos & pugnaces fuisse tradit, ideoque Mamertinos: quasi Martiales dictos. sed res nuda est, id potius quod de Carthaginensibus subdit Plutarchus audiamus.

In Carthaginenses & Mamertinos.

I. 6. (?)

II. *Prosperitate insolescit.*

CARTHAGINENSIBVS, inquit, pacem petentibus, pecuniamque offerentibus ei pendere, si secuta pax esset, & classem remittere: pluribus inhians responsum dedit, vnam pacis & amicitiæ secum ineundæ rationem esse, si tota Sicilia excessissent, & mari africo, quasi termino, cum Græcis vterentur.

Et asperius egit.

Porro secundo rerum cursu, & præsentibus inflatus viribus, cum vigeret spem, quæ principio ipsum domo exciuerat, Africam petere cogitabat, copiam habebat nauium, at remigibus & classiariis militibus deficiebatur. Porro cogendis in naues classicis non comiter cum ciuitatibus, nec blande egit, sed pro imperio & iracunde coëgit eas suppliciis intentatis; qui tamen ab initio humanitate ac comitate sibi conciliauerat homines. Inde ex populari versus in Tyrannum, comparauit cum sæuitia ingratitudinis, ac perfidiæ opinionem.

III. *Siculi ab eo auertunt.*

VERVNTAMEN his Siculi, vt necessitatis quamuis acerbis conniuebant, vt vero Thœnonem & Sostratum principes ciuitatis Syracusanæ, qui in Siciliam eum primi inuitauerant, in vrbemque suam venienti illico aperuerant, ac socii in conficiendis plerisque Siciliæ rebus fuerant, suspectos habuit, quod eos nec trahere secum posset, nec in Sicilia vellet relinquere, & Sostrates timore adductus ab eo defecit. Thœnu autem, quasi eius consiliorum particeps, interfectus est, tum demum res eius non minutatim se vertere cœperunt. Ciuitates enim summo in eum concepto odio, aliæ ad Carthaginenses defecerunt, aliæ Mamertinos acciuere. Sicque modico tempore rerum facies in Sicilia conuersa est.

IV. *Reuocatur in Italiam.*

IAM vndique defectiones & conspirationes audiebat, cum literas accipit à Samnitibus, & Tarentinis, qui opem eius implorabant, quod vndique à Romanis pulsi, ægre bellum à mœnibus propulsarent. Hic ei idoneus prætextus, aut color fuit, ne discessus eius pro fuga, & rerum Sicularum desperatione haberetur. Cum ergo denuo Italiam peteret, fertur ad insulam respectans comitibus dixisse, se eam palæstram Carthaginensibus, & Romanis relinquere. Quod nō multo post, vt coniecerat, euenit.

In transitu male pugnat.

IN traiectu conflixit cum Pœnis, ac magna ex parte classem amisit; cum reliquis nauibus confugit in Italiam, vt scribit Plutarchus, longe probabilius quam Iustin. qui etiam hac pugna cum Pœnis victorem fuisse, eamque in ipsa Sicilia gestam scribit, & nihilominus eius discessu quasi fugæ æstimato socios ab eo defecisse: itaque imperium Siciliæ, tam cito amisisse, quam facile acquisierat, quod ei tota vita perpetuum fuit, vt quæ sequuntur, aperte docebunt.

V. *Refutatur Iustinus.*

LONGE inquam Plutarchus probabilius quam Iustinus, qui sibi non satis constat. Nam mox, *In Sicilia*, inquit, *Pyrrhus à Pœnis nauali prælio victus, ab Antigono Macedoniæ rege, supplementum militum per legatos petit, denuntians ni mittat, redire se in regnum necesse habere, & incrementa rerum, quæ de Romanis voluerat, ab ipso quæsituram.* Hæc ibi; at non alio prælio nauali victum legimus Pyrrhus à Pœnis, quam eo quod ex Plutarcho retulimus. Qui etiam addit Pyrrhum in ipso in Italiam ingressu cum Mamertinis, quorum decem millia paulo ante transmiserant, pugnasse; sed insultibus ac velitationibus, non aperto Marte, iisque duos elephantos, & multos ea nouissimo suorum agmine amisisse, ipsumque in capite vulnus accepisse; & in caput vnius hostium eum insolenter prouocatis, tanta vi atque ira gladium vibrasse, vt medium hominem horrendo ictu diffinderet, statimque dissectæ partes hinc atque inde deciderent. Eares Mamertinos à progressu cohibuit, & Pyrrho tutam reliquam viam Tarentum vsque reddidit.

Vexatur à Mamertinis.

Robur ingens Pyrrhi.

VI. *Pestilentia Romæ, & eius causa.*

INTEREA, vt scribit Orosius, cum foris à Romanis cessatur à prælio, agitur introrsum ira de cœlo. Nam Fabio Gurgite iterum, & C. Genutio Clepsina Coss. pestilentia grauis vrbem ac fines eius inuasit, quæ omnes, tum præcipue mulieres, pecudesque corripiens, necatis in vtero fœtibus, futura prole vacuabat, & immaturis partubus, cum periculo matrum earum abortus proiiciebantur, &c. Causa mali credita Sextilia virgo Vestalis, quæ incesti Romæ conuicta, damnataque ad portam Collinam viua defossa est. Oros. & Eusebij Chron. Olymp. 126. 1. quando in ludis Olympicis Idæus, siue Nicator Cyrenæus in cursu palmam tulit. Meminit eius Pausanias, sed numerus Olympiadis diminutus est, detrita vltima litera, quæ fuit nota sexti numeri. Sed illud obserua, pie lector, quantum flagitium Romani existimarent, violatam corporum Deo consecratorum puritatem, quando vnius Vestalis culpam, tot publicis malis crederent, vindicatam. *l. 4. c. 2.* *l. 4. c. 2.* *l. 6. p. 189.*

VII. *Fabij Gurgitis triumphus.*

NON plane à præliis cessasse hoc anno Romanos oportet, cùm in fastis Capitolinis legatus Fabius Gurges II. Coss. de Samnitibus, Lucanis, ac Brutus triumphasse. Victoriam autem fuisse ingentem, recte conicit Sigonius, ea eo quod Tarentini & Samnites rebus suis diffisi, Pyrrhum ex Sicilia reuocarant, vt ex Plutarcho & Iustino retulimus: qui etiam ait à discessu Pyrrhi Siculos Hieronem primo magistratum, deinde regem creasse. Eum nouum ab Agathocle Syracusanorum tyrannum vocat Pausanias, loco iam citato.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3778.

DVra vtique notatione nominis, si recentiorem Latinorum nomenclaturam spectemus, non si antiquam Oscorum, apud quos pro Marte Mamers dicebatur, vt inquit Festus, sicut postea à poetis Mauors: inde etiam Mamercus, vel Mamertus prænomen in eadem dialecto esse dicitur, quod Martium significat, vide Sigon. de nom. Romanorum. Polyb. l. 1. p. 7. Mamertini (hoc namque sibi nomen Campani, qui dudum sub Agathocle tyranno Syracusano meruerant, occupata Messana indiderunt. Idem habet Diodorus Siculus in Excerptis l. 21. n. 13. Ergo Mars non solum Mauors, sed etiam Mamers per epenthesin dictus est. 1. N. 1.

* † *

ANNVS MVNDI 3779. SEXTAE AETAtis 263. Imperii Græcorum 37. Antiochi Soteris 6. Eleazari Pontificis 14. Ptolemæi Philadelphi 12. Olympiad. CXXVI. an. 2. Vrb. Conditæ 478.
Coss. M. Curio Dentato III. & L. Cornelio Lentulo II.
Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 274.

I. *Postremus Pyrrhi annus in Italia.* L. 4. c. 2. L. 2. c. 18.

HIc est postremus Pyrrhi annus, ex quo primum in Italiam inuasit: quinq; annis eum in Italica expeditione fuisse scribit Orosius, & Zonaras. Verum, vt mox cum Plutarcho dicemus, omnino hic sextus dicendus est. Nam 473. primus fuit, cum iam 72. suos præmisisset. Itaque nimis ampla est illa Flori diminutio, vno bello Tarentino intra quadriennium maximam partem Italię in ditionem pop. Rom. fuisse redactam. Verum satis constat Florum minuvesse accuratum, dum verborum sonitum sectatur, & pop. Rom. magnificentiam exaggerat; sed de re hoc anno gesta Plutar. audiamus. *Tarenti in Romanos prœlium.* Pyrrhus Tarentum cum viginti millibus peditum, & tribus equitum venit, (Oros. octoginta millia peditum habet, equitum sex millia,) atq; eductis secum Tarentinorum delectissimis, in Romanos, qui statiua habebant in Samnio, signa mouit. Res accisæ erant Samnitium, qui compluribus prœliis à Romanis contusi, animos fractos gerebant.

II. *Copias bipartito diuidit.* QVIDQVID autem habebat copiarum bipertitus, partim in Lucaniam, ad detinendum alterum Consulem misit, ne subuenire valeret Collegæ, partim duxit contra M. Curium, qui tuto loco ad Beneuentum considens, ex Lucania auxilia expectabat; quem etiam aruspices, & pullarij à pugna deterrebant. *Aciem in Curianum instruit.* Hunc aggredi prius quam ille subueniret, maturans Pyrrhus, fortissimos quosque milites, & pugnacissimos ex elephantis elegit, atque cum iis ad castra Romana contendit. Qui vbi ex vertice montium visus est, motum excitauit in castris. Quia tamen læta fuerant auspicia, vbi tempus certamen poposcit, eductis copiis primam adortus est aciem; qua profligata multis cæsis, & elephantis aliquot captis, terror totum inuasit exercitum. *Ab eo qua vincatur.* Hoc victoriæ initium M. Curium ad prælio decernendum protraxit in campum, atque aperto marte, signis collatis pepulit ab vno cornu hostem.

III. *Elephanti quoque victi.* i. Schol. *De Pyrrho victoria Romano imperium parauit.* In altero belluarum impetu pedem referre ad castra coactus, stationem frequentem, quæ sub vallo stabat, & recenserat, excitauit. Hæc à locis editis decurrens, coniectis in belluas telis, auerterunt eas. Illæ fuga retro per suos delatæ turbauerunt & dissipauerunt ordines, quæ res pariter victoriam Romanis, & imperium dedit. Nam ex hisce rebus contra Pyrrhum gestis, cum animus sumpsissent, opesque & nomen quasi insuperabiles quæsissent, Italia statim, Sicilia paulo post sunt potiti. Ita Pyrrhus cum hisce in bellis sex annos contriuisset, viresque suas imminuisset, ab spe Italica atque Siciliensi excidit. Hæc fere Plutarchus.

Eutropius 23. hostium millia ea die cæsa tradit, & quatuor elephantos Romam à Curio in triumphum adductos, Orosius triginta tria millia virorum cæsa, captos autem mille trecentos. *Vt victi Elephanti.* Elephantos vero deuictos ait, cum malleolos stupa inuolutos ac pice oblitos, vncis insuper aculeis tenaces præparauissent, eosque flammatos in terga belluarum, turresque vibrarent, non difficile furentes, ardentesque belluas in eorum excidia, quorum subsidia fuerant, retorsisse. Hoc etiam prælium apud Lucanos, in L. 1. c. 18. Arusinis campis gestum tradit Lucius Florus. At Plutarchus in Samnio ad Beneuentum, cui consentit Zonaras: qui addit etiam oppugnasse Regium, ibique vulneratum multos amisisse de suis, Locros recepisse, qui Romanum præsidium ceciderant.

IV. *Pyrrhi ex Italia discessus ex Liuio.* DE discessu Pyrrhi ex Italia luculentus est apud Titum Liuium locus l. 29. vbi legati Locrenses in Senatu de Q. Pleminio legato Romano queruntur, *Fanum est apud nos Proserpinæ*, inquiunt, *de cuius sanctitate templi, credo famam ad vos aliquam peruenisse Pyrrhi bello: qui cum ex Sicilia rediens Locris classe præteruehertur, inter alia fœda, quæ propter fidem nostram erga vos, in ciuitatem nostram facinora edidit, thesauros quoque Proserpinæ, intactos ad eam diem, spoliauit, atque ita pecunia in naues imposita, ipse terra est profectus. Quid ergo euenit? P. C. Classis postero die fœdissima tempestate laccrata, omnesque naues, quæ sacram pecuniam habebant, in littora nostra eiectæ sunt. Qua tanta clade edoctus tandem deos esse superbissimus rex pecuniam omnem inquisitam, in thesauros Proserpinæ referre iussit. Nec tamen illi vnquam postea prosperè quidquam euenit, pulsusque Italia, ignobili atq; inhonesta morte, temere nocte ingressus Argos, occubuit.* Sed id longius postea contigit: illa autem fani expilatio sub [illegible] annis huius, priusquam à Curio vinceretur, idq; Iusti[illegible] innuit, quem nunc referam.

V. *Ex Iustino.* DE illo ergo discessu reddamus rhetoricum ex Iustino epilogum. Sicut ante, ait, secunda fortuna rebus supra vota fluentibus Italiæ, Siciliæque imperium, & tot de Rom. victorias attraxerat, ita nunc aduersa, velut in ostentationem fragilitatis humanæ, destruens quæ cumulauerat Siciliensi ruinæ naufragium maris, fœdam aduersus Romanos pugnam, turpemque ab Italia discessum adiecit. Sic ipse, verum tot illas victorias amplificando dictas accipe. Nam ter tantum iusto prælio contra Romanos decertauit, primo victor, altero aut victus fuit, aut certe victoria in ambiguo fuit, tertio plane deuictus, atque Italia pulsus est, Plutarchus, Florus, alij. Breuiter Florus. Eædem feræ quæ primam victoriam abstulerant, secundam parem fecerant, tertiam sine controuersia tradidere.

VI. *Pyrrhi inconstantia.* HANC autem varietatem Plutarchus non fortunæ, sed hominis ingenio tribuit, qui quæ fortiter pugnando acquirebat, semper rerum nouarum spe corrumpebat. Vnde comparabat eum Antigonus aleatori, qui multa & secunda iaceret, sed iactu nesciret vti: audisset quod multo post poëta monuit.

Non minor est virtus, quam quærere parta tueri.
Casus inest illic, hic erit artis opus.

Quo pertinet, & illud Annibalis ducis; *vincere scis Annibal, victoria vti nescis.* Abiens autem in Epirum, vt breui rediturus, Milonem cum præsidio Tarenti reliquit, data sella, quæ Ioris è Niciæ ob proditionem occisi pelle constricta erat, vt inquit Zonaras. Addit Iustinus alteram profectionis causam, vt Antigonum subsidia militaria recusantem vlcisceretur. Nam vbi ea negata legati retulerunt, dissimulatis causis repentinam fingit profectionem. Socios interim parare bellum iubet, & arcis Tarentinæ custodiam Heleno filio, & amico Miloni tradit. Transportauit autem in Epirum octo millia peditum, equites quingentos. Plut.

VII. *Consulum triumphus de Pyrrho.* DE triumpho Lentuli alterius Consulis, & censura Fabricij, qua Cornelium Rufinum consularem, imo & Dictatorium Senatu mouit, quod decem pondo argenti facti haberet, vide Sigonium in fastis, & quos ille citat. De Curij autem triumpho audi Florum. Eodem postea bis exuto castris, bis saucio, & in Græciam suam trans mare ac terras fugato, pax & quies: & tanta adeo de opulentissimis tot gentibus spolia, vt victoriam suam Roma non caperet. Neque enim temere vllus pulchrior in vrbem, aut speciosior triumphus intrauit; cum ante hunc diem nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum fracta Samnitium arma vidisset. Tum si captiuos aspiceres, Molossi, Thessali, Macedones, Brutius, Apulus, atque Lucanus. Si pompas, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæq. deliciæ. Sed nihil libentius pop. Rom. aspexit, quam illas quas timuerat cum suis turribus belluas, quæ non sine sensu captiuitatis, summissis ceruicibus victores equos sequebantur.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3679.

AT Zonaras & Florus l. 1. c. 18 de Elephantis aliter. Aiunt enim pullum Elephanti vulneratum, sessoribus excussis eum matrem passim quæreret, eaque perturbata etiam cæteri Elephanti concitati essent, omnia confusa fuisse, tandemque Romanos multis occisis, & octo Elephantis captis, castris & victoria potitos; Pyrrho cum paucis equitibus Tarentum refugiente. 1. N. III.

RATIO TEMPORVM. Graec. an. 39. & 40.

ANNVS MVNDI 3780. SEXTAE AETAtis 264. Imperii Graecorum 39. Antiochi Soteris 7. Eleazaris Pontificis 15. Ptolemaei Philadelphi 13. Olympiad. CXXVI. an. 3. Vrb. Conditae 479. Coss. Ser. Cornelio Merenda, M. Curio Dentato IV.

ANNVS ANTE CHRISTVM 273.

I. PYRRHVS qui proximis annis Italiam, Siciliamque turbauerat, hoc anno Mac[illegible] otij impatiens perturbauit, incrementa rerum; q[illegible] Romanis, Siculisque volueras, de Macedonibus q[illegible]. Inopia rei pecuniariae pressus, bellum vnde aleret exercitum quaerebat, vt ait Plut. Cum autem Galli aliquot ei se adiunxissent, in Macedoniam, vbi regnabat Antigonus Demetrij, ad praedandum & populandum incursionem fecit. Vbi cum multa oppida cepisset, & transissent ad eum duo millia militum, spe affulgente maiore, mouit in Antigonum; cui in faucibus, quae Stena Graecis dicuntur (Stenas Liuius ad Antigoniam locat, in Chaonia prouincia Epiri) occurrens omnes copias explicauit. Galli autem, qui magno numero agmen Antigoni claudebant, pugnabant strenue, quorum plerique acri praelio commisso concisi. Elephantorum duces circumuenti, seque bestiasque omnes dedunt. Hac facta accessione, Pyrrhus fortuna magis quam consilio fretus, impetum in Macedonum Phalangem dedit, metu ex accepta clade, tumultuque consternatam: sed illi a pugna abstinebant. Pyrrhus autem dextram protendens, pariterque duces, & ordinum ductores omnes nomine salutans, peditatum seiunxit ab Antigono.

II. Et [illegible] tamen oppida aliquot maritima, reliqua Pyrrhus a pugna recepit. Haec ex Plutarch. Iustinus inquit Antigonum Thessalonicam se recepisse, quae est vrbs in intimo sinu Thermaico septentrionem versus, vt inde cum conducta Gallorum mercenaria manu bellum repararet. Pyrrhum vero relictum Tarenti filium Helenum, & amicum Milonem in Macedoniam accersiuisse: sed reditus Milonis non nisi post annum sequentem contingere potuit. Helenus autem quam primum transmisit ad patrem, quippe cui morienti affuit, vt ex Plut. dicetur. Verum Milo non admodum futuris hinc anno, atque abierit ierat Tarenti. Nam, vt tradit Zonaras, Tarentini quidam Milonem, a quo male accepti fuerant, Nicone duce aggressi, cum nihil profecissent, castello quodam suae ditionis occupato, eum infestabant. Et cum didicissent Romanos contra se bellum moliri, legatis Romam missis pacem impetrarunt. Huncenim illi aditu aperiri gaudebant, ad totam regionem Tarentinorum possidendam.

Fuit hic annus Sabbaticus ordine centesimus septuagesimus primus; Initium enim primi septennij cadit in annum bis millesimum quingentesimum octogesimum quartum, qui est annus ingressus in Chanaan eiusdem, a quo hic annus est millesimus centesimus nonagesimus septimus.

ANNVS MVNDI 3781. SEXTAE AETAtis. 265 Imperii Graecorum 40. Antiochi Soteris 8. Eleazari Pontif. 16. Philadelphi 14. Olympiadis CXXVI. an. 4. Vrbis Conditae 480. Coss. C. Fabio Dorsone Licino & C. Claudio Canina.

ANNVS ANTE CHRISTVM 272.

I. MEMINIT huius anni Ptolemaeus in 4. Almag. & cum nostra Chronologia congruit, cum ait decimum tertium cum dimidio Philadelphi, id est, decimum quartum ad medium vsque progressum, esse secundum & quinquagesimum a morte Alexandri Magni, vt diximus anno primo Philadelphi, quem statuimus esse trigesimum nonum ab Alexandri obitu.

His Coss. quos Eutropius C. Fabricium Luscinum, & C. Claudium Cinnam vocat; caeteri omnes Fabium Licinium, & Claudium Caninam; in quibus Onuph. qui ait in manuscripto Eutropio suo antiquissimo legi Fabium & Caninam; quemadmodum Cuspinianus legit, & Sigonius; quomodo etiam habent Velleius & Cassiodorus, vt pluribus apud Sigonium leges. His ergo Consulibus, Eutropius legatos Alexandrinos a Ptolemaeo missos, Romam venisse ait, & a Romanis amicitiam quam petierant, obtinuisse. Paulo pluribus Zonaras.

II. PTOLEMAEVS, inquit, Philadelphus Aegypti Rex Pyrrhi cladibus, & Romanorum incrementis cognitis, & munera eis misit, & amicitiam pepigit. Quo Romani delectati, vicissim legatos ad illum miserunt, qui magnifice ab illo donati, munera in aerarium referre voluerunt: sed ea Senatus non admissa, ipsos habere iussit. Meminit etiam Florus Epit. 14. & Iulius Valer. Max. 4. qui legatos nominat Q. Fabium Gurgitem Consularem, cum Fabio Pictore, & Q. Ogulnio. Eorum continentia probata populus post aliquot annos Consules fecit, & collegas esse voluit magistratus, qui fuerant legationis. Iustinus autem longe aliter hanc scribit historiam, sine certa temporis nota; cum ea tamen nota, quam diuersas esse historias prohibeat dicere.

III. CVM enim de Romanorum continentia, in non admittendis Pyrrhi donis ageret, subdit: Huic continentiae Romanorum simile exemplum iisdem ferme temporibus fuit. Nam missa a Senatu in Aegyptum legatione, cum ingentia sibi a Ptolemaeo Rege missa munera spreuissent, interiectis diebus ad coenam inuitatis, aureae coronae missae sunt, quas illi honoris causa receptas, postera die statuis regis imposuerunt. Sic ipse. Sed Valerio & Zonarae potius credendum videtur. Nullo autem modo Eusebij Chronico, apud quem haec legatio sub Ptolemaeo Lagi primum anno eius 32. Olymp. 122. 4. prochronismo migratum 5. Olympiadum, & non octodecim annorum, vt putat Scaliger; qui inde reprehendit Sigonium, quod hanc legationem in hunc annum referat; nec Zonaras, quod ipse asserit, eam ad tempus Censurae Fabricij refert, sed immediate commemorat ante Papyrij & Carvilij Consulatum, qui proxime sequitur. Hoc quoque anno legimus Romanos colonias Ariminum ac Beneuentum misisse.

ANNVS MVNDI 3782. SEXTAE AETAtis, 266. Imperii Graecorum 41. Antiochi Soteris 9. Eleazari Pont. 17. Philadelphi 15. Olympiadis CXXVII. an. I. Vrbis Conditae 481. Coss. L. Papyrio Cursore II. Sp. Caruilio Max.

ANNVS ANTE CHRISTVM 271.

I. ANTIGONVS Gonatas, vt rerum gestarum series exigit, hoc anno celebratae Olympiadis 127. qua Perigenes Alexandrinus cursor excelebrauit, bellum comparauit, & cum mercenaria Gallorum manu, spe recuperandae Macedoniae, contra Ptolemaeum Pyrrhi filium congressus, ab eo funditus victus est, ita vt cum septem comitibus fugiens, non recuperandi regni spem; sed salutis latebras, ac fugae solitudines captaret. Ita quidem Iustinus l. 25. At ex Plutarcho discimus plerasque adhuc vrbes in fide Antigoni remansisse. Ergo Pyrrhus altera aduersarij victoria laetus, & legationibus Atheniensium, Achiuorum, Messeniorum gratulantium hilaratus, in tanto fastigio regni collocatus, Graeciae, Asiaeque regna meditatur, vt ait Iustinus. Antigonum etiam per ludibrium vocauit impudentem, quod non sumeret pallium, sed purpuram adhuc gestaret, Plutar.

II. QVA re ingenij leuitatem sui, atque insolentiam prodebat, hoc minus tolerabilem, quo plures ille iam rerum vicissitudines erat expertus; quibus etiam non multo post afflictus, planeque prostratus est: quo eius casu Antigonus, cui ille illudebat, erectus, & regno suo restitutus est, vt mox dicetur: Id enim factum his Consulibus Zonaras significat, eique assentitur Sigon. in Fastis, (lib. autem de tempor. Athen. Pyrrhi mortem in huius Olympiadis

annum 4.

annum 4. differt: cui tamen non assentimur, quoniam totus ille locus, qui de Pyrrho est, valde apud eum perturbatus est, & confusus) quæ autem Plutarchus de Pyrrho narrat ante eius mortem, longiorem temporis moram non videntur postulare: nec recte Caluisius in præcedentem annum retulit, etsi Zonaras cognitam eius mortem in Italia ac Tarenti tradat, Papyrio Consule; breuis enim ac facilis est traiectus ex Epiro in Italiæ oram illam, & quem fama facile peruolet.

III. *Spartam à Cleonymo inuitatur.*

VLTIMA ergo Pyrrhi expeditio in Peloponnesum fuit, in qua tam ipse, quam filius eius Ptolemæus occubuit. Causa modusque ex Plutarcho, & Iustino hic fuit. Cleonymus Lacedæmonius oriundus erat ex stirpe regia; sed quod animum præ se ferret violentum & imperiosum, ciuibus erat ingratus, & regnum obtinebat Areus eius ex fratre nepos. Vxor quoque eius Chelidonis regio orta sanguine, quam ille adolescentem grandæuus duxerat, hominem fastidiebat, seq; Acrotato Arei filio addicebat. Itaque cum ad publicam ægritudinem domestica accessisset, ira & animi dolore consultoribus, Pyrrhum Spartam inuitauit, adduxitque minime repugnantem cum 25. millibus peditum, equitum duobus millibus, & viginti quatuor elephantis. Qui apparatus statim docuit Pyrrhum nō Cleonymo Spartam quærere, sed Peloponnesum sibi; cum tamen præ se ferret, & legatis Lacedæmoniorum diceret, se velle vrbes, quas tenebat Antigonus, in libertatem asserere.

IV. *Laconiam vastat.*

NIHILOMINVS cum primum Laconiam attigit, agrum populari, ac prædas agere cœpit, ac legatorum Spartanorum querelas contempsit. Inde Lacedæmonem mouit; quam cum moneret Cleonymus vt ex itinere oppugnaret, veritus Pyrrhus, vt fertur, ne nocte irruentes milites vrbem diriperent, rem in sequentem distulit diem, nihil enim prohibiturum sperabat, quod pauci in vrbe essent, & ob repentinum huius aduentum imparati. Etenim Rex Areus aberat, qui Gortyniis in Creta bello pressis suppetias ferebat. Sed ea illum fiducia fefellit.

Imprudens eius dilatio. Lacænarum egregia virtus.

Lacedæmonij primis tenebris fœminas in Cretam amandare cogitabant, sed illæ restiterunt, negantes se euersa Sparta velle viuere. Inde fossam statuerunt ducere ex aduersu castrorum hostilium, cuius ex vtraque ora plaustra collocarent, quæ ad medias vsque rotas defoderent, vt sic belluas distinerent. Hoc opus aggrediuntur virgines, & matronæ, & senes, & quicunque prælio postridie non erant decertaturi, qui interea quietem capiebant: spatioque per seipsas dimenso, tertiam fossæ partem perfecerunt, sex cubitos latam, altam quatuor, longam octoginta. Vbi diluxit cum mouerent se hostes, subministrauerunt arma iuuenibus, fossam tuendam tradiderunt. At Chelidonis restim collo iniecerat, ne vrbe capta veniret in Cleonymi potestatem.

Regina restē sponte parat.

V. *Pyrrhus cum Spartanis pugna.*

PVGNATVM est acriter tum à Pyrrho, cuius in præliis impetum nemo solebat sustinere, tum à Ptolemæo filio eius, cum duobus Gallorum millibus, & delectis ex Chaonia, sed Spartanos habebant aduersarios, & quidem muri persuasos, & de summa rerum in oculis patriæ, & in extrema desperatione certantes. Tota die pugnatum est, nox prælium diremit. Postridie certamen redintegratur, hinc Lacedæmonij supra vires defendunt Spartam suam: præsto sunt fœminæ, quæ tela suggerunt, cibum & potum petentibus præbent, vulneratos excipiunt. Inde Macedones fossam complere moliuntur, materiam affatim congerunt, qua iniecta arma & cadauera contecta sunt. Pyrrhus fossa, plaustrisque superatis, equo in vrbem irrumpit, clamor vndique tollitur, mulieres lymphatæ discurrunt, cum Pyrrhi equus ventrem sagitta Cretica ictus, Pyrrhum in fastigium lubricum ac pronum effudit: amicis circa eum tumultuantibus, accurrunt Spartiatæ, telorumque vi omnes exegere.

Eius filium p...

VI. *Ab vrbe repellitur, ... auxilio.*

INTERRA elapsus Pyrrhus receptui cecinit, arbitratus Lacedæmonios, quod saucij omnes, multi eorum interfecti essent, fore infractiores. Sed commodum eos prospera vrbis fortuna seruauit. Ammenias Phocensis Antigoni dux Corintho adfuit, & cum auxilio externorum militum in vrbem illapsus est. Vix in vrbe recepti erant, cum Areus Rex ex Creta, cum duobus millibus militum aduenit.

Ibi fœminæ extemplo domos suas dilapsæ, non immiscuerunt se vltra rebus bellicis; illis quoque dimissis, quos præter ætatem ad arma necessitas coëgerat; recentes bellatores ad pugnam se accinxerunt, & Pyrrhum ab vrbe cum detrimento repulerunt. Qui peruicax in vrbis obsidione hyemem traducere cogitabat, sed eum res alia inde celerius abduxit.

VII. *Pyrrhus adit Argos.*

ARISTIPPVS & Aristias Argiui primarij, inter se dissidebant, cumque Aristippus Antigono fauere putaretur, maturauit Aristias Pyrrhum Argos adducere. Is spem ex spe voluens, & aduersa prosperis sarcire laborans, Argos è vestigio contendit. Cumque abeuntes per insidias Areus idoneis locis vbique vexaret, & extremos carperet, mittit Ptolemæum Pyrrhus, qui assumptis familiaribus auxilium laborantibus ferret: dum ipse ocyus ex angustiis exercitum extraheret. Sed Ptolemæus inita pugna strenue dimicans occumbit: ad cuius casum terga vertente eius caterua, dum insequuntur Lacedæmonij, relicto peditatu coniecerunt se imprudentes in apertum campum. Vbi Pyrrhus audita filij nece, ingenti dolore percitus, Molossorum equitatum conuertit, atque ipse ante alios inuectus, cæde se satiauit Lacedæmoniorum. Hæc fere Plutarch.

Amittit Ptolemæum filium.

VIII. *Alia de eius morte opinio.*

VERVM aliter atque alio loco Ptolemæum occisum tradit Iustinus. Porro Ptolemæum, inquit, filium eius adeo strenuum, & manu fortem fuisse traduut, vt vrbem Corcyram solus cum sexaginta ceperit. Idem prælio nauali triremem ex scapha cum septem insiluerit, captamque tenuerit; In oppugnatione quoq; Spartanorum vsq; in mediam vrbem cum equo præcurrerit, ibique concursu multitudinis interfectus sit: cuius corpus vt relatum patri est, dixisse Pyrrhum feruot, aliquanto tardius eum, quam timuerit ipse, vel temeritas eius meruerit occisum esse. Vter potius ad scopum veritatis attigerit prudens Lector iudicabit; ego Plutarchi narrationi, quam Iustini declamationi libentius accesserim. Sed redeo ad Plutar.

IX. *Pyrrhus Argos occupare conatur.*

PYRRHVS postquam filio quasi inferias dedit, magnificamque edidit, tanquam ludos funebres pugnam, ac magnam partem mœroris in iram effudit hostilem, mouit Argos, & Antigonum, qui in editis locis consederat, multis cum probris prouocauit ad pugnam. At legati Argiuorum vtrumque adierunt, orantes ne ciuitatem vtriusque studiosam, in potestatem alterius redigere tenerent. Antigonus assensus est, deditque Argiuis filium obsidem. Pyrrhus vero cum recepisset, se castra inde moturum (ad Naupliam autem Argiuorum nauale consederat) nec daret, pignus suspectior erat. Cumque multa de nocte ad muros venisset, portam reperit sibi ab Aristea patefactam, nec donec Galli, quos secum habebat, insinuassent se in vrbem, forumque occupassent, quicquam eius sensit aduentum, sed re tandem in strepitu elephantorum animaduersa, Argiui Antigonum per alias vrbis portas accersunt. Qui exercitu prope admoto substitit imminens in occasionem; duces vero filiumque cum magno subsidio in vrbem summisit. Affuit Areus quoque cum mille Cretensibus, & expeditissimis Spartiatis. Ibi per tenebras reliqua nocte, magna rerum confusione certatum est.

X. *Mox eius ... frustra molitur.*

VBI illuxit Pyrrhus vrbem plenam armis hostilibus intuitus, perculsus est; maxime cum inter fori ornamenta vidisset ex ære lupum cum tauro pugnantem, & meminisset sibi prædictum instare sibi mortem, cum primum vidisset taurum cum lupo certantem. Cum ergo vellet se ex vrbe recipere, & portarum timeret angustias, Heleno filio, quem dudum Tarento reuocarat, & extra vrbem cum magna copiarum parte reliquerat, mandat, vt muri partem diruat, & excipiat exeuntes, si hostes vrgerent. Cæterum cum nuncius, præ festinatione & trepidatione, nihil certi nunciasset, in vrbem adolescens per portam, ad ferendam parenti opem, pergit. Iam regrediebatur Pyrrhus, cum incurrit in suos, qui magna copia affluebant; & inter vociferationes regis imperium non exaudiebatur:

præsertim cum maximus elephas casu suo aditum portæ obstruxisset: itaque ipsimet in angustiis, dum alij ingredi, alij egredi properarent, vt erant strictis ensibus & sagittis, confodiebant se, & insuper hostium sagittis à tergo petebantur.

XI. Hic Pyrrhus conuertit sese in hærentem hostem, & corona amico tradita, pugnam init, & vulnus accipit minimè letale, à gregario quodam Argiuo, contra quem dum congreditur, mota periculo filij mater, ingentem tegulam ambabus correptam manibus, & in Pyrrhi libratam caput, abiecit. Id extra muros contigisse Iustinus putat, Plutarchus intra vrbem, vt ex dictis patet: vtut fuerit, Pyrrhus illo ictu in terram amissis habenis, mersis caligine oculis, ignotus prolabitur. Apparet cerebrum illi confractum fuisse, vt quondam Abimelecho: a nec tamen armigeri sui gladium implorauit sed hostilem inuenit. Nam à Zopyro, & aliis quibusdam Antigoni militibus agnitus, & in vestibulum quoddam raptatus est, cum iam se ex ictu colligeret. Hic Zopyrus gladium ad caput eius abscindendum stringebat, cum ille tam horribili eum intuitu, ac furioso aspexit, vt ille expauescens tremulis manibus exsecta gula, vix longo tempore illi caput abscinderet.

XII. Innotverat iam casus tumultus, cum accurrens Alcyoneus Antigoni filius postulauit caput, quod acceptum ad patrem detulit, & ad pedes eius abiecit. Qui vt caput aspexit, & agnouit, filium cum baculo, ac conuitio abegit à se, nefarium & barbarum vocans; ac clamyde oculis admota illachrymauit, Aui Antigoni, & patris Demetrij, domesticorum exemplorum ad fortunæ vices recordatus. Caput & truncum Pyrrhi cremauit magnifice, filium eius Helenum ad se adductum, comiter exceptum, & ornatum in Epirum remisit: Amicosque Pyrrhi, castris & exercitu toto in potestatem suam redactis, humaniter appellauit. Sic fere Plut. Iustinus tamen, b ait Antigonum Heleno Pyrrhi filio insepulti patris ossa, in patriam referenda tradidisse. Addit deinde Pyrrhi laudes, multum aperta cum veritate pugnantes, quas referre piget ac refutare.

XIII. Atqve ita Antigonus in Macedoniæ regnum restituitur. Nec facile dixerim vllum ne regnum vsquam gentium tam breui tempore tot dominos mutasse. Nam ab Alexandri morte ibi dominatum tenuit Antipater, Philippus Aridæus, & Euridice, omnes cum summa potestate, mox Polysperchon, & Olympias cum filio Alexandri. Paulo post regnum inuadit Cassander, quod tradidit Philippo filio, qui statim mortuus, Antipatro & Alexandro, id reliquit. Hi autem inter se dissidentes regno priuati sunt ab iis, quos belli socios accersebant, Demetrio, Pyrrho, Lysimacho: qui omnes Macedoniæ reges fuerunt vndecim numero, dum vnus Ptolemæus in Ægypto regnauit. Occisi Lysimachi regnum 7. menses tenuit Seleucus, indeque Ceraunus non multo amplius, tum Meleager menses duos, Antipater dies 45. Sosthenes annum vnum, aut aliquanto amplius. Inde Antigonus; eoq; pulso Pyrrhus, cum filio Ptolemæo: quibus occisis, rursum Antigonus regnum Macedoniæ capessit, quo etiam aliquanto post à Pyrrhi filio priuatus est, vt suo loco dicetur.

XIV. Romanis autem hic annus admodum felix fuit, fuit, quo magnæ partis Italiæ imperium obtinuere, bello Samnitico & Tarentino fide imposita, quorum illud 72. annos tenuit, ab anno scilicet 410. quo Valerius Coruinus, & Cornelius Cossus erant Consules, ad annum præsentem computatis extremis, quibus bellum & inchoatum & terminatum est; cum de ipsis tricies & semel triumphatum esset, vt in Sigonij fastis numerauimus; etsi Florus 4. & viginti duntaxat numerer triumphos. c *Hos tamen*, inquit, *quinquaginta annis, per Fabios & Papyrios, patres, eorumque liberos, ita subegit ac domuit, ita ruinas ipsas vrbium diruit, vt hodie Samnium in ipso Samnio requiratur, nec facile appareat materia 4. & viginti triumphorum.* Sic ipse. Non minus in annorum numero, quam triumphorum lapsus. Tarentinum autem hoc etiam anno terminatū est, decimo à quo fuerat, Tarentinorū insolentia inchoatū;

Vtrivsqve belli reliquias paucis persequitur Zonaras. Post hæc inquit, Samnites per Caruilium subegerunt, Lucanos & Brutios per Papyrium vicerunt. Idem Papyrius etiam Tarentinos domuit. Qui cum Milonem ægre paterentur; & à suis, Miloni, vt dictum est, infestis, vrgerentur, Carthaginensium opem implorarunt, Pyrrhi cognito interitu.

At Milo in angustias redactus Romanis terra, Carthaginensibus mari prementibus, arcem Papyrio ea conditione tradidit, vt sibi cum pecuniis & militibus incolumi discedere liceret. Inde Carthaginenses, vt Romanis fœderati, recesserunt, vrbs Papyrio deditionem fecit, armis & nauibus traditis, mutisque diruitis & tributo impusito. Ita Zonaras, cui videtur repugnare Florus epit. 14. cum ait Carthaginensium classem auxilio Tarentinis venisse, eoque facto fœdus ab eis fuisse violatum. Et Orosius, d Tarentini, inquit, Pyrrhi morte comperta, iterum noua aduersus Romanos arma sollicitant, Carthaginensium auxilia per legatos poscunt atque accipiunt: conserto prælio vicere Romani; vbi iam tunc Carthaginenses, quamuis nondum hostes adiudicati, vinci tamen à Romanis se posse senserunt. Hæc ibi.

Dici potest Carthaginenses non contra Romanos aperte venisse, sed contra Milonem, qui arcem pro Pyrrho inuitis Tarentinis tenebat, quem etiam Milonem ipsi Romani vrgebant, & per quem stabat, quo minus se Tarentini Romanis dederent. Eo enim abeunte deditio facta est.

XV. Rem paulo aliter Frontinus, e narrat. Lurius, inquit, Papyrius Cursor Consul apud Tarentum, Miloni, qui cum præsidio Epirotarum vrbem obtinebat, salutem ipsi & popularibus, si per illū oppido potiretur, pollicitus est. Quibus præmiis ille corruptus, persuasit Tarentinis, vt se legatum ad Consulem mitterent. A quo plena promissa ex pacto referens, in securitatem oppidanos resoluit, atq; ita incustoditam vrbem Cursori tradidit. Hæc ibi. Quæ cum Papyrio Consule facta constet, mirum est ab Eusebio in annum 2. præcedentis Olympiadis referri, quo Curius erat Consul, non Papyrius, quo abiit ex Italia, non quo mortuus est. Sed pleraq; sunt in opere illo perturbata, & suis emota sedibus, vt exemplis permultis intelligitur, & Scalig. hic prochronismum triennij agnoscit. Vide hic Pontac. cui tamen caue credas Pyrrhum anno superiore, & non isto potius mortuum, vt supra docuimus.

ANNVS MVNDI 3783. SEXTÆ ÆTATIS, 267 Imperij Græcorum 41. Antiochi Soteris 10. Eleazari Pontif. 18. Ptomelæi Philadelphi 16. Olympiadis CXXVII. an. 2. Archonte Pytharato. Vrbis Conditæ 482. Coss. C. Quintio Claudo L. Genutio Clepsina.

ANNVS ANTE CHRISTVM 270.

I. Epicvri mors notata apud Laërtium in eius vita, hunc nobis Archontem suggerit, vt patet in textu Græco: non recte autem Sigon. in Athen. temp. Epicuri mortem totis 4. annis differt, vt ex eodem Diogenis Laërtij loco certum est. Vbi habetur ex Apollodoro in Chronicis, eum natum centesimæ nonæ Olymp. anno 3. Archonte Sosigene: ex quo ad hunc diem duo & 70. impleti sunt anni. Obiisse autem calculo exitum vrinæ impediente, ex Hermacho tradit, quatuordecim dierum morbo fatigatum, cum in peluim æneam calentibus aquis plenam descendisset; petiissetque merum sibi ad sorbendum dari, & amicos, ad ipsius decretorum retinendam memoriam cohortatus esset, inter verba defecisse. Vide Andream Scotum in vita Demosthenis an. 40.

II. A Pyrrhi morte Antigonus Gonatas non diu tranquillam tenuit Macedoniam, & quæ possidebat adhuc in Græcia: aliqua tamen oppida in Peloponneso acquisiuit. Testis Iustinus. Post mortem Pyrrhi, inquit, non in Macedonia tantum, verum etiam in Asia, Græciaque magni bellorum motus fuere. Nam & Peloponnesij per proditionem Antigono traditi, & variante hominum partim

dolore,

a Iud. 9. 13. b L. 25. c L. 1. c. 16. d L. 4. c. 3. Orosius. e L. 3. c. 3. exemplo 1.

dolore, partim gaudio, prout singulæ ciuitates, aut exilium de Pyrrho sperauerant, aut metus sustinuerant, ita aut cum Antigono societatem iungebant, aut mutuis inter se odijs in bellum ruebant. Ita ipse, quem illos Asiæ motus saltem attigisse optarem, ne Antiochi Soteris, omnia pene gesta tenebris obsita iacerent. Macedonios autem motus intelligit, quos Philadelphus & Lacedæmonij in eum proximo anno excitarunt.

III. Tyrannis Aristotimi. lib. 26.

HOC autem ipso anno arbitror occupatam ab Aristotimo in Epiro tyrannidem, Heleni, vt apparet cõtemptu, quem Pyrrho patre mortuo, & Ptolemæo fratre natu grandiore, Antigonus in Epirum cum patris ossibus remisit. Ab hoc porro Aristotimo, vt scribit Iustinus. *Cum multi ex primoribus occisi, plures in exilium acti essent, Aetolis per legatos postulantibus, vt coniuges liberosque exulum redderet, primo negauit: postea quasi pœniteret, proficiscendi ad suos omnibus patronis potestatem dedit, diemque profectionis statuit. Illæ quasi in perpetuum cum viris exulaturæ, preciosissima quæque auferentes, cum ad portam, quasi vno agmine profecturæ conuenissent, omnibus rebus spoliatæ in carcerem retruduntur, occisis prius in gremio matrum paruulis liberis, virginibusq; ad stuprum direptis.*

IV. Coniuratione deletus.

VIOLENTIORA hæc erant, quam vt diuturna esse possent. Itaq; ad tam immanem feram celeriter præfocandam humana protinus industria euigilauit. Nam *ad tam sæuam dominationem stupentibus omnibus, princeps eorum Hellanicus senex, & liberis orbus, vt qui nec ætatis, nec pignoris respectu timeret, contractos domum fidissimos amicorum in vindictam patriæ hortatur. Cunctantibus priuato periculo publicum finire, & deliberandi spatium postulantibus, accersitis seruis iubet obserari fores, tyrannoq; nunciari, mitteret qui coniuratos apud se comprehenderent, obiectans singulis se, quia liberandæ patriæ autor esse non possit, desertæ vltorem futurum. Tunc illi ancipiti periculo circumuenti, honestiorem viam eligentes coniurant in Tyrãni necem: atq; ita Aristotimus quinto postquam tyrannidem occupauerat mense opprimitur.* Hactenus Iustin. quæ in hũc quoque annum retulit Caluisius. Sed Sigon. l. de temp. Athen. hunc tyrannum Eleorum vocat, & post sex menses à Cylene occisum refert, autore tacito.

V. Perfidia Romanæ legionis. a l. 1 p. 7.

AD hunc ipsum annum pertinet castigatio perfidiæ vnius Romanæ legionis de qua Polybius. a *Rhegini*, inquit, *quo tempore Pyrrhus in Italiam traijciebat, tum aduentu noui hostis perculsi, tum Carthaginenses, pœnos quos maris erat imperium veriti, auxilium à Romanis acciuerant, qui oppidum numero quatuor millia, duce Decio Campano, ingressi;* Iubellium vocat Valer. Max. b eoq; mortuo M. Cæsium scribam eius, delectum imperatorem memorat, *cum oppidum & fidem suam aliquandiu seruassent, tandem Mamertinos æmulati, eosdemq; adiutores nacti, fidem mutarunt: & ciuibus partim morte, partim exilio mulctatis, oppidum in sua potestate retinuerunt.* Addit Zonaras, eos Crotonem proditione captam euertisse, Romanos in vrbe deprehensos occidisse, Mamertinos Messanæ habitatores, belli societate sibi adstrinxisse. Pergit Polybius.

b l. 2. c. 8.

VI. A Genutio Consule castigatur.

GRAVITER *id Romani tulerunt, sed alijs bellis impliciti differre vindictam coacti sunt; donec ea cura defuncti, conclusos intra Rhegium ipsos obsident. Demum vt pugnando vicerunt, plurimos eorum in ipsa occupanda vrbe, quam eo pertinacius propugnabant, quod imminens infortunium prouidebant, obtruncant, viuos in potestatem redigunt amplius trecentos; quibus Romam missis, Prætores productos in forum vniuersos, flagrisq; cæsos, pro more populi Rom. securi percusserunt: vt fidem suam apud socios labefactatam, istorum supplicio in integrum restituerent.* Hæc fere Polyb. Cæterum quod nouus interpres maluit στρατηγοὺς vertere Prætores, quam cum Perotto Coss. non recte fecit. Nam isti belli duces erant Consules, non Prætores: & nominatim L. Genucius, vt clare asserit Oros. c qui hanc legionem octauam appellat, & integram Romã missam asserit, integramq; virgis cæsam, ac securi percussam; quod ille ex Epit. 15. Flori didicerat. Sed Polybium opinor probabiliora narrare.

c l. 4. c. 3

VII. Obsidio Rhegij diuturna.

ZONARAS docet obsidionem diuturnam fuisse. Ait enim Romanos, dum Rhegium obsident, & cibariorum penuria, & alijs incommodis conflictatos esse, donec ab Hierone frumento & milite adiuti, vrbem expugnarant, veterum ciuium reliquiis redderent, & de iis, qui eam per insidias oppresserant, supplicium sumerent: eoque primum beneficio Hieronem, qui sibi à Carthaginensib. metuebat, Romanos deuinxisse. Valerius ait quinquagenos virgis quotidie cæsos, & obtruncatos, vt minore cum inuidia id perageretur. Verum vt arbitror parum probabiliter; quia inuidia, toties iterato tristi ciuium spectaculo, maior existebat, quam si semel omnes trecenti occisi fuissent. Nam de trecentis, vt dixi, id vero similius narratur à Polybio. Quis enim credat neminem è tota legione in propugnanda ciuitate occisum? præsertim cum non dubitarent, certissimum sibi de tot sceleribus imminere supplicium.

VIII. Aratus poeta.

ARATVS poëta, à quo Phænomena, quæ extant scripta perhibẽtur, hoc tempore clarnit, iuxta Eusebij Chronologiam Græcam Latinamque. Illum Suidas Solensem fuisse ait, è Cilicia oriundum, Athenodori filium, natum Olympiade 124. temporibus Antigoni Gonatæ regis Macedoniæ, cui & familiaris fuit, & apud eum obiit. Auditor fuit Menecratis Ephesij Grammatici, Timonis autem & Menedemi philosophorum: æqualis Antagoræ Rhodij, & Alexandri Ætoli. Plurima scripsit, quæ apud Suidam commemorantur. Eius Phœnomena vertit M. Tullius adolescens.

IX. Stratonis mors.

MORTVVS est hoc anno Strato Lampsacenus Theophrasti successor, iuxta ea, quæ de eo ineunte Olympiade 123. diximus. Cui in Philosophiæ magisterio successit Lycon iuxta testamentum Stratonis, Olymp. 127. vt est apud Laërtium. Ex quo hæc pauca. Vir fuit in dicendo suauissimus, proptereaq; à quibusdam non Lycon, sed Glycon dicebatur. Pueris instituendis peridoneus fuit, quod circa ipsos pudore & laudis studio, vt freno & calcari vteretur. Cum vestium cultu mundissimus, tum corporis exercitatione valentissimus fuit. Attalo & Eumeni regibus in primis charus. Scholæ præfuit annos duos supra 40. aut potius, vt est in Græco textu, ἔτη τετταράκοντα. Ergo inchoatum hoc anno eius magisterium, ad Olympiadis centesimæ trigesimæ septimæ annum primum perductum est numeratis extremis.

Lyconis magisterium.

ANNVS MVNDI 3784. SEXTÆ AETATIS 268. Imperii Græcorum 42. Antiochi Soteris 11. Eleazari Pontif. 19. Ptolem. Philadelphi 17. Olympiadis CXXVII. an. 3. Vrbis Conditæ 483. Coss. C. Genutio Clepsina II. Cn. Cornelio Blasio.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 269.

I. Gonatæ bellum in Spartanos. l. 26.

DVm Aristodimi in Epiro tyrannis opprimitur, Antigonus Gonatas multiplici bello & Ptolemæi regis, & Spartanorum premitur, vt Iustino placet. Eius rei causam conditioni horum temporum satis consentaneam suspicari licet; quod Antigonus à morte Pyrrhi multis vrbibus in Græcia, & Peloponneso potitus, cuperet etiam sibi Spartanos subiicere, quos Pyrrhus paulo ante mortem, tum in obsidenda vrbe, tum in vlciscenda filij sui morte grauiter attriuerat. Illi autem ad Philadelphum, viris opibusq; florentem videntur confugisse, à quo & adiuti sunt, inita armorum societate aduersus Antigonum. Quem etiam nouus hostis præter opinionem conterruit. Gallogræcij fuerunt, qui iamdudum à Rege Bithyniæ in auxilium euocati, regnum cum eo parta victoria diuiserant: eamq; regionem Gallogræciam cognominarant, vt author est Iustinus. Hi ergo ex Asia necopinato effusi, in Antigonum arma conuertunt; aduersus quos totis virib9 Gonatas proficiscitur.

Quibus adest Philadelph.

Gallogræci. l. 25.

II. Suorum furor & cædes.

GALLI in auspicia pugnæ hostias cædunt: quarum extis cum magna cædes, interitusque omnium prædiceretur, non in timorem, sed in furorem versi sperantesque deorum minas expiari cæde suorum posse, coniuges, & liberos suos trucidant, auspicia belli à parricidio in-

choantet. Tanta rabies feros animos inuaserat, vt non parcerent ætati, cui hostes pepercissent. Ita quasi scelere vitam victoriamque redemissent, sicut erant cruenti ex recenti suorum cæde, in prælium, non meliore euentu quam omine, proficiscuntur. Siquidem pugnantes prius parricidiorum furiæ, quam hostes circumuenere, obuersantibusq; ante oculos manibus interfectorum, omnes occidione cæsi sunt. Tanta strages fuit, vt dij pariter cum hominibus consensisse in excidium parricidarum viderentur.

III. *Antigonus mouet bellum Atheniensibus.* POST huius pugnæ euentum Ptolemæus & Spartani, victorem hostium exercitum declinantes, in tutiora sese recipiunt. Antigonus quoque, vbi eorum discessum videt, recenti adhuc ex priori victoria militum ardore, bellum Atheniensibus infert. Hæc fere Iustinus. Refert in hunc annum Eusebius mortem Polemonis Philosophi, adolescentis olim vitæ inquinatissimæ, qui cum ebrius & coronatus scholam Xenocratis esset ingressus, illeq; de temperantia disputaret, eius oratione ita mutatus est, vt illi etiam in schola regenda succederet; incipiens ab Olympiade 116. Ex quo sequitur eum ad annos 6. & 40. philosophatum fuisse. Cratetem habuit vehementer studiosum sui, & in Philosophiæ professione successorem, vt auctor est Laërtius, in Cratetis vita. Et vt Crates Polemonis, ita Crantoris Arcesilaus perstudiosus fuit, eodemq; ferme tempore omnes floruere.

IV. *Romana res.* FRAGMENTA Capitulina, Cn. Cornelium Blasionem de Sassinatibus triumphasse memorant. Ad hunc etiam annum illa Zonaræ pertinent. *Posthec*, inquit, *sæuissima hyeme Tyberis in magnam altitudinem conglaciauit, arbores arvuerant, Romani afflicti sunt, iumenta ex pabuli inopia perierunt.* Sic ipse, quæ ad hunc annum pertinere id manifesto probat, quod quæ mox insequenti anno contigisse dicit, ea ex communi confessione ad proximum annum pertinent.

ANNVS MVNDI 3785. SEXTÆ AETAtis 269. Imperii Græcorum 43. Antiochi Soteris 12. Eleazari Pontificis 20. Ptolemæi Philadelphi 18. Olympiadis CXXVII. an. 4. Vrbis conditæ 484. Coss. C. Fabio Max. Pictore. Q. Ogulnio Gallo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 268.

I. *Bellum Gonatæ in Athenienses. a l. de temp. Athen. Eius causa.* ANTIGONVS victoria de Gallogræcis parta, concepto exercitus sui ardore vtendum ratus, Atheniensibus bellum intulit, vt ex Iustino rescivebamus. Belli causam non male Sigonius putat, *a* Quod quondam à Demetrio patre suo defecissent, & præsidium Athenis, & in primis Musæo, quod ille muniuerat, depulissent. Ad de quod Græcia, quam ambiebat, nunquam se potiturum sperabat, nisi Spartam atque Athenas haberet in potestate; quam ad rem nullus ei nunc Pyrrhus, aut Ceraunus obsistebant. Non recte autem Sigonius hoc bellum ad annum tertium Olymp. 129. confert. Etenim series narrationis Iustini aperte refragatur. Hoc porro bellum grauissimum fuit, Athenas quippe terra marique oppugnauit.

II. *Eis fert opem Philadelphus.* AT Ptolemæus Philadelphus, qui Spartam superiore anno contra Antigonum defenderat, hoc Athenas contra eundem defendit. Id enim innatum videtur regibus, vt vicinos principes augescere nolint, etiam sine damno suo: ne forte potantiores effecti, ipsis molesti ac formidolosi euadant. Itaque ad eorum subsidium Patroclum cum classe misit, qui & feliciter contra Antigonum pugnauit; cuius rei testes, habemus Iosephum, *b* & Aristæam, qui ambo affirmant eodem die iam nuncium ad Philadelphum de victoria nauali contra Antigonum venisse, quam 70. interpretes Alexandriam Hierosolymis euocati appulisse. *b l. 12. c. 2.* Quod non malum est argumentum in hunc annum Philadelphi nobilissimam illam Scripturarum in linguam Græcam interpretationem à 72. senioribus lu-*Interpretatio Græca Bibliorum*

dæorum factam incidisse. Qua de re quia commodiore loco, vt arbitramur actum est, pauca quæ de illo bello referuntur addamus. Spartanos videlicet, quibus idem Antigonus erat infestus, Areo rege duce, Athenis subsidio venisse. Neutra tamen auxilia Athenas obsidione liberare potuerunt: ea enim perseuerauit, donec salute desperata Antigono sese dedere coacti sunt: quod non videtur ante annum sequentem contigisse. *Obsidio Athenarum.*

III. *Romana res.* DE rebus à Consulibus actis traditur eosdem fuisse, qui quadriennio ante legati in Ægyptum missi fuerant, fœderum ac Societatis causa: & hoc anno bellum contra Picenos commotum, sequenti oppressum fuisse. Quod autem Plinius *c* scribit Fabio Consule argentum primum Romæ signatum, quinq; annis ante primum bellum Punicum, hunc annum sine dubio notat, sed is non est Vrb. Cond. 585. vt ibidem corrupte legitur, sed 484. vt Cuspi. Sigon. & Pontac. notarunt. Nam constat, vt ex seqq. patebit, primum bellum punicum anno V. C. 489. initium habuisse, Appio Claudio, & M. Fuluio Coss. Non recte autem Pontacus retulit illud Eusebij in Chron. *Argenteum nummum primum in vrbe figuratum*; ad an. 3. Olympiadis 172. Sic enim non quinque anni vsque ad 1. bellum Punicum, sed sex omnino reperirentur. Peius etiam alii ad annum secundum. *d* *c l. 33. c. 3. Nummum primum Romæ signatum. d Vide supra. Vr. 346 nu. 17.*

IV. *Argentei nummi occasio.* OCCASIONEM argenteæ monetæ tradit Zonaras. *Anno sequente*, inquit, *Lollius Samnis Romæ obses, fuga elapsus, manuque facta, & munito sua regionis castello occupato, latrocinium exercuit. Eum tamen sui, qui tonacna erant, & iacermei maiori ex parte Q. Gallus, & C. Fabius comprehenderunt* Sed Caricinorum oppugnatio, apud quos prædam reposuerant, difficilis fuit. Deinde vero transfugarum opera superato muro, in tenebris pœnæ cæsi fuissent, non ob noctem illunem, sed propter niuium procellas. Cum autem Luna illuxisset, subito castellum expugnarunt. Eo tempore auctis opibus Romani drachmas argenteas vsurpare cœperunt. Hæc ibi. Magnam scilicet argenti vim ex præda Lollij reperernnt, sed maiorem etiam ex Pyrrho, Tarentinis, Samnitibus, aliisque populis paulo ante deuictis. *Nummus argenteus Romæ primum signatus.* Huc pertinet quod refert Suidas in verbo Moneta. Iuno, inquit, à Romanis hac de causa Moneta dicitur. Cum bello Tarentino cum Pyrrho pecunia egerent, votum fecerunt Iunoni. Ea vero illis respondit. Si armis intenti fuerint cum iustitia, pecuniam eis non defuturam. Voti itaque compotes facti Romani coluerunt Iunonem Monetam, hoc est, Consultricem, & vt nummi in eius fano cuderentur decreuerunt. Hæc ibi. Ad hunc quoque annum pertinent prodigia varia, quæ Oros. *e* recenset, vbi mutandus est numerus V. C. 477. in 484. Nam ibid. subdit sequenti anno Sempronium fuisse Consulem, quod cadit in annum 485. *Iuno Moneta. e l. 4. c. 4.*

ANNVS MVNDI 3786. SEXTÆ AETAtis 270. Imperii Græcorum 44. Antiochi Soteris 13. Eleazari Pontif. 21. Philadelphi 19. Olympiadis CXXVIII. an. 1. Vrbis Conditæ 485. Coss. P. Sempronio Sopho, & Appio Claudio Ruffo.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 267.

I. *Ratio temporum.* OLYMPIADE centesima vigesima octaua Olympicam in Elide victoriam cursu consecuta est Seleucus quidam Macedo. Bigarum vero, quæ pullis equorum traherentur, palmam retulit Belistiche fœmina è maritima ora Macedoniæ, vt testatur Pausanias. *f* Quod ad Græciæ res attinet, diuturnam Atheniensium obsidionem testatur Sigonius in temp. Athen. idq; sumit ex Pausania, *g* qui de hoc toto bello hæc habet. *Areo Acrotati filio regnante, Antigonus Demetrij filius Athenas terrestrib. maritimisq; copiis oppugnare aggressus est. Atheniensib. subsidio missus cum classe Patroclus ex Ægypto. Lacedæmonij quoq; cum voluntariorum manu, Areum regem secuti, præsto fuere. Cum Antigonus autem vrbem vndiq; ita obsessam teneret, vt aditu omni sociorum auxilia prohiberentur, Patroclus per nuntios Areum & Lacedæmonios mouit, vt* *f l. 5. p. 155. græ. Obsidio Athenarum ab Antigono. g l. 1.*

prælium cum Antigono inirent, se interim Macedonum terga inuasuram; quod sui nequaquam pedestri acie pares essent Macedonibus; quippe qui Aegypti, & nautæ essent.

II. *Spartani Athenas deseruit.* EO nuncio commoti Lacedæmonij, ijdemq; cum Atheniensium amicitia, tum vero nominis sui gloriam ad posteros propagandi studio ducti, prælij aleam subire nil recusabant. Verum Areus commeatu iam fere omni consumpto, exercitum domum reportauit. Quippe qui quod erat opum reliquum, ad patriæ vsus conseruandum, neq; temere sociorum causa profundendum censeret. Ait enim, cum Athenienses diu acriter restitissent, Antigonus pace facta præsidium illis in Musæo imposuit, quod tamen non multo post vltro deduxit. Hactenus Pausanias, quæ superius alia occasione attigimus. Itaq; obsidionis diuturnitas nobis causa fuit, vt eorum deditionem in hunc annum differremus. *Athenienses*, inquit ille, diu obsessi se dedere Antigono, & iterum in Musæo præsidium recipere coacti sunt; ijdem tamen erga Ptolemæum grati, tribum vnam ab eo Ptolemaidem nominarunt.

III. *Macedoniam rex Epiri vastat.* INTERIM autem dum Atheniensi bello occupatur Antigonus, Alexander Rex Epiri, patris sui Pyrrhi mortem vlcisci cupiens, fines Macedoniæ depopulatur, vt ait Iustinus. Id Atheniensium consilio factum merito quis crediderit, vt solicitus de regno proprio defendendo, alienum dimitteret. Verum perstitit nihilominus in inceptis Antigonus, donec Athenas sibi subiecit. Fuit autem hic Alexander, cui Pater regnum Italiæ destinabat, quem ex Lanassa Agathoclis Syracusani filia suscepit. Habuit autem Alexander hic eandem sororem & vxorem Olympiadem; quod crimen plerique etiam alij sub hæc tempora perpetrarunt. Nam, vt supra diximus, Ptolemæus Philadelphus, Arsinoem, quod Ægyptiorum lege fecisse ait Pausan. l. 1. & Ptol. Ceraunus eiusdem nominis sororem & coniugem habuerunt. Eurydice soror & coniux Philopatoris fuit, a quo & interfecta est. Ptol. Philometor Cleopatram habuit sororem & coniugem; alia Cleopatra soror Alexandri magni nupsit Alexandro Epirotæ, auunculo suo; quæ videntur Macedones à Persis mutuati, apud quos Xerxes Artayntam filiam fratris, habuit coniugem siue concubinam; & quid mirum, cum Artaxerxes Mnemon Atossam simul & Amestrim vxores habuerit, & filias?

Herod. l. 9.

IV. *Bellum contra Picentes.* REM à Romanis gestam Paulus a Oros. ita explicat. Sequenti ab hinc anno Sempronius Consul aduersus Picentes duxit exercitum; & cum directa intra iactum teli vtraq; acies constitisset, repente ita cum horrendo fragore terra tremuit, vt stupore miraculi vtrunq; pauefactum agmen hebesceret: diu attoniti vtrimq; populi hæsitauere, præiudicata inceptis conscientia: tandem procursu concito iniere certamen. Triste adeo id bellum fuit, vt merito dicatur tantum humanum sanguinem suscepturam, etiam cum gemitu horrisono terra tremuisse. Romani, qui pauci admodum ex prælio euasere, vicerunt. Ita Oros. & Frontinus; b vbi pro Fr. Sempronio Graccho, legendum P. Sempronium Sophum, recte monuit Cuspin. Sigon. & qui recens Front. edidit. Addit Florus, c campum inter prælium tremuisse, ducemq; Sempronium Tellurem deam promissa æde placauisse.

a l. 4. c. 4.

Terra mouetur.

b L. 1. Strata. c. 12. n. 4.

c L. 1. c. 19.

V. *Ariminum & Beneuentum coloniæ.* CONDITAS his Consulibus à Romanis vrbes duas Ariminum in Gallia, & Beneuentum in Samnio autor est Eutrop. l. 2. & Paterculus in fi. l. 1. *Interiecto quinquennio*, inquit, *à Fabio Dorsone, & Claudio Canina Coss.* fuerunt hi in eo magistratu anno Vr. Cond. 480. vt supra positum est, pergit. *Sempronio Sopho, & Appio Caci filio Coss. Ariminum & Beneuentum coloni missi, & suffragij ferendi ius Sabinis datum.* Iis consentit Florus Epit. 15. & recentiores Cuspin. Sigonius, Scalig. Pontac. qui & corrigunt Eusebium, qui initium earum vrbium anno 39. Ptolemæi Lagi collocat, id est, totis octodecim annis citius, quam res postulet. Nihilominus hoc ipso anno Eusebius ait colonias à Romanis deductas, multasq; vrbes eis iunctas in Sicilia.

ANNVS MVNDI 3787. SEXTÆ ÆTATIS, 271. Imperij Græcorum 45. Antiochi Soteris 14. Eleazaris Pontif. 22. Ptole. Philadelphi 20. Olympiad. CXXVIII. an. 2. Vrb. Cond. 486. Coss. M. Atilio Regulo. & L. Iulio Libone.

ANNVS ANTE CHRISTVM 266.

I. *Res Macedonum Antigoni Gonatæ.* REBVS ex sententia in Græcia compositis: Antigonus in Macedoniam reuertitur, ibi contra Alexandrum Epirotam, regni sui prædonem pugnaturus: dum apud Hebræos agebatur annus Sabbaticus 172. tot enim annales hebdomadæ à principatu Iosue inchoatæ sunt euolutæ. Sed transitione militum destitutus, regnum Macedoniæ cum exercitu amittit. Hæc nimium breuiter Iustinus. Quod autem subdit de Demetrio Gonatæ filio, qui puer admodum regnum paternum, pulso Alexandro recuperauit, ad quod tempus sit referendum non liquet; tanta est scriptorum penuria, qui res horum temporum persequantur. Ex Eusebio certe constat Antigonum adhuc ad viginti tres annos Macedoniæ regnum administrasse: ex quo sequitur eius filium Demetrium, qui nunc armis tractandis erat idoneus, regnum paternum matura iam ætate adiisse. Itaq; transitus ille militaris à patre ad filium exigui temporis fuerit, & vtriusq; prudentia compositus deinceps quieuerit.

II. *Et Romanorum contra Brundusium.* AT certior est testatiorq; historia Romana. Nam Eutropius & Florus tam in historia, quam in Epitome, his Coss. bellum contra Sallentinos, & regionis caput Brundusium gestum esse testantur; sed belli causam tacent; memorat Zonaras, in hæc verba. Deinde Calabriæ arma intulerunt, id criminis dantes, quod Pyrrhum recepissent, & socios infestassent; sed verior causa fuit, vt Brundusium subigerent, propter portuum commoditatem, & facilem in Illyriam, & Græciam traiectum. Eodem enim vento spirante ex eo portu & soluere, & in eundem appellere licebat. Sic ipse. Nec te moueat quod Calabriam nominet, non Sallentinos; Nam extremus ille procursus Italiæ versus orientem, qua Ionium respicit mare, & orientem solem, Calabria Ptolemæo dicitur, qua vero sinum Tarentinum & occidentem, Sallentini; quo modo si placet regionem illam diuidere, Brundusium non est apud Sallentinos, sed Calabros.

Quæ belli causa.

III. *Quo modo victoria &c.* IN hoc certamine periclitatos Romanos ad vota confugisse coniectura est, ex eo quod Florus d ait, victoriæ pretium pastoriam Palem templum sibi vltro poposcisse. Gestum est ab Atilio Regulo Consule, eumq; de his triumphasse autor est Aurelius Victor. c. 40. de viris illustribus. Victores autem facti, colonos non modo Brundusium, sed & in alia loca miserunt. Zonar. At Velleius in fi. l. 1. Torquato, Sempronioque Consulibus, missam Brundusium coloniam tradit, id est; anno V. C. 509. eique consentit Flor. epit. Liuij 19. Dici potest Coloniam hoc primum anno missam, deinde vero vigesimo tertio renouatam.

d l. 1. c. 20.

Brundusium coloni.

IV. *Ius gentium Romani vindicant.* CAPTO Brundusio, & Sallentinis deuictis, in magnam Romani exereuere potentiam: nec tamen ita extulere animos, vt ius gentium à suis violatum negligerent. Nam Q. Fabium Senatorem; ob contumeliam legatis factam, Apolloniatibus dediderunt, vt ait Zonar. At Florus in Epitome decima quinta, ait eos à quibusdam iuuenibus pulsatos, eisdem fuisse deditos. Est autem Apollonia in altera continente ad orientem, prope è regione Brundusij. Rem paulo vberius explicat Valer. Max. e *Legatos*, inquit, *ab vrbe Apollonia Romam missos, Q. Fabius & Cn. Apronius ædilitij orta contentione pulsauerunt. Quod vbi comperit Senatus, continuo eos per feciales legatis dedidit, quæstoremq; cum ijs Brundusium ire iussit, ne quam in itinere, à cognatis deditorum, iniuriam acciperent. Illam curiam quis mortalium concilium, ac non fidei templum dixerit?* Sic ipse, quibus addit Zonaras, Apolloniates domum incolumes dedititios remisisse.

e L. 6. c. 6.

ANNVS

ANNVS MVNDI 3788. SEXTÆ ÆTATIS, 272. Imperij Græcorum 46. Antiochi Soteris 15. Eleazari Pontif. 23. Philadelphi 21. Olympiad. CXXVIII. an. 3. Vrb. Cond. 487. Cn. Fabio Pictore, & D. Iunio Pera Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 265.

I. Bellum Magae & Soteris in Philadelphum.

HISTORIA Græcorum hicieiuna, ac prope inanis est. Sub hæc tamen tempora, quibus Antiochus Soter nubilem filiam habere poterat, contigisse videntur, quæ scribit Pausanias in Atticis, Magam, qui Cyrenæis cum imperio præerat, hostili animo fuisse erga Philadelphum, quamuis fratrem. Itaque Apamen Antiochi filiam vxorem duxisse, soceroq; persuasisse, vt violato fœdere, quod ab eius patre Seleuco cum Ptolemæo ictum fuerat, in Ægyptum cum exercitu inuaderet. Quod cum Antiochus comparato exercitu moliretur, Ptolemæum in omnes populos imperio Antiochi subiectos, copias dimisisse, quæ partim excursionibus & populationibus, partim acie instructa omnem eius ditionem infestam redderent, atque in metu continerent. Quod sane consilium omnem Antiochi proficiscendi in Ægyptum facultatem præcidit.

II. Salentini iterato vincuntur. a V. C. 483. IN extremis autem Italiæ finibus Salentinos, etsi proxime præterito anno deuictos triumphatosque, sicut & Sassinates ante annos tres, rebellasse hoc anno, iteratæ de ipsis victoriæ, triumphique testantur; & quidem hoc ipso anno de vtrisque gemini. Si Fastis Sigonij credimus, nam Onuphri Fasti triumphos, & bella fere prætermittunt. Orosius *a* ingentem pestilentiam Romæ flagrasse ait, quæ vltra biennium vastando porrecta sit, quod scilicet primum bellum Punicum antecessit: atque eam vsque adeo vrbem depopulatam esse, vt census indictus fuerit, qui non quantum hominum deperisset, sed quantum superfuisset inquireret. Verum istam tantam cladem census anni sequentis, quo finem pestis accepit, non docuit quin potius magnum populi incrementum. Nam præcedenti lustro, qui extat anni 478. censa sunt 271224. ciuium capita, vt est apud Florum in Epit. at præsens lustrum suggerit apud eiusdem Epit. 292224. qui numerus maior est præcedenti viginti & vno millibus ciuium Rom. Verum potuit numerus in vrbe diminui, & foris augescere. Ad hunc annum initia primi belli Punici refert Dionys. Halicarnasseus, si locus mendo vacat, *b* sed ea de re mox dicetur accuratius.

Testificatio Romæ.

a l. 4. c. 5.

b Sub init. l. 1.

Florus, e quos sequuntur Cuspin. Sigon. Stephanus Pighius. At Oros. videtur in annum præced. Onuphr. in sequentem: qui tamen nobiscum in eo facit, quod id bellum immediate ante primum bellum Punicum ponit. Cæterum quamuis contra Volsinios hoc anno pugnatum sit, bellum tamen ad annum vsque sequentem protractum est, in quo de Volsiniis à M. Fuluio Flacco triumpharum est, vt ex Sigonij Fastis liquet, eiusdemque commentario.

a l. 1. c. 21.

De hoc bello scribit Zonaras, Volsinios Hetruriæ populos, quos recte dixeris eosdem esse cum Volscis, aut eorum certe reliquias, qui diu contra Romanos olim nuperq; pugnarunt. Certe apud Ptolemæum in sexta Europæ tabula, admodum vicini sunt situ, sicut & nominibus: & innuit Zonaras, qui ait Tyrrhenorum antiquissimos fuisse, & potentiam, mœniaq; fortissima sibi parasse, & Reip. bonis ornata legibus vsos fuisse, Romanisque longissimo tempore restitisse. Scribit ergo Volsinios, Volscorum posteros Romanorum fœderatos, in delicias delapsos, Reipubl. suæ administrationem, & bellorum gerendorum curam seruis suis commisisse, eosque tandem eo euexisse, vt opibus atque animis elati, ipsi sese in libertatem assererent, dominas suas vxores ducerent, dominis succederent, in Senatum legerentur, magistratus gererent, omnem denique autoritatem obtinerent: iniurias sibi à dominis factas, in illos maiore petulantia regererent.

Volsiniis quid.

Seruorum insolentia.

III. Semel iterumque à Romanis vincuntur.

VETERES igitur ciues, cum eos neq; ferre, neq; suis viribus vlcisci possent, clam legatos Romam misêrūt, qui precibus secreto impetrarunt, vt Senatus, ne res palam fieret, in priuatis ædibus conueniret. Atque illi quidem, quasi nemine audiente deliberabant.

Samnis autem quidem ædium Domini hospes ægrotans, per incuriam ibi relictus, cognito Senatusconsulto monuit eos, qui accusabantur. Illi igitur quæstionibus habitis de legatis, cum quid ageretur, intellexissent, & illos, & primores ciuitatis occiderunt. Quapropter Fabius à Romanis contra eos missus, omnes qui in aciem descenderant, profligauit, in fuga multos occidit, reliquos in vrbem compulsos oppugnauit; vbi cum ex vulnere occubuisset, serui resumpta fiducia eruperunt: sed victi atque obsidione famem redacti, deditionem fecerunt. Sic Zonaras. Verum hæc deditio, sicut & triumphus, in annum sequentem differatur. Eandem historiam apud Orosium leges, & ex parte apud Valer. simulem autem de Tyriorum seruorum in heros dominatu, apud Iustinum.

L. 4. c. 5. L. 9. c. 1. l. 18.

ANNVS MVNDI 3789. SEXTÆ ÆTATIS, 273. Imperij Græcorum 47. Antiochi Soteris 16. Eleazari Pontif. 24. Ptolemæi Philadelphi 22. Olympiadis CXXVIII. an. 4. Vrbis Cond. 488. Coss. Q. Fabio Max. Gurgite. III. L. Mamilio Vitulo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 264.

I. Vestalis incesti rea.

PESTILENTIA hoc anno perseuerante Sibyllini libri Consulti, cælesti ira impositam responderunt. Deprehensa est Capparonia Vestalis incesti rea, quæ suspendio periit. Corruptor eius, conscijque serui supplicio affecti sunt. Ita Oros. *c* ex Eusebio, vt videtur, apud quem aliqui codices hunc annum proferunt, alii vero præcedentem, vt videre est apud Pontac. Ex Græco autem Eusebij codice intelligitur illam sibi manus intulisse, suspendio periret, & mortua potius quam viua defoderetur. Aliam etiam Vestalem supplicio affectam habet idem Euseb. anno primo Olymp. 126. de qua supra diximus, quæ iram etiam diuinam ac pestilentiam conciliasse credita est. vt ex eodem Oros. *d* intelligi potest.

c l. 4. c. 5.

ἑαυτὴν ἀν εἷλε.

d l. 4. c. 2.

II. Volsiniensi bellum.

VOLSINIENSE bellum ad hunc annum refert Zonaras; qui tamen Æmylium, pro Mamylio Consulem habet, vt notarunt etiam Onuphr. & Pighius, refert &

ANNVS MVNDI 3790. SEXTÆ AETATIS 274. Imperii Græcorum 48. Antiochi Soteris 17. Eleazari Pontificis 25. Ptolemæi Philadelphi 23. Olympiadis CXXIX. an. 1. Vrbis cond. 489. Coss. Appio Claudio Caudice. & M. Fuluio Flacco. Belli Punici I.

ANNVS ANTE CHRISTVM 263.

I. Ratio temporum belli Punici primi. ex Coss. L. 6. p. 149. &c.

OLYMPIADE centesima vigesima nona ineunte, Philinus Chous in stadio victor fuit, vt est in catalogo Olymp. De quo Pausanias, *Philino Coo Hegepolidis filio sua patria honorem habuit, quod illustri ad modum gloria fuit. De cursu enim Olympicas quinque, Pythicas quatuor, Nemeorum totidem, ab Isthmo vnam amplius quam decem palmas abstulit.* Sic ille. Valde autem insignis est hic annus initio primi belli Punici. Quem omnes antiqui recentioresque, qui consulum notam temporibus addunt, sub prædictis Consulibus contigisse prodiderunt: in quibus Polybius l. 1. Titus Liuius trigesimo primo. Eutropius l. 2. contra Afros, inquit, bellum susceptum est primum, Appio Claudio, & Q. Fuluio Coss. In Sicilia contra eos pugnatum est &c. Cui consentit Victor in libello de viris illustribus, cap. de Appio Claudio Caudice. Distinctius autem Gellius, Anno, inquit, post Romam conditam quadringentesimo

ferme

ferme nonagesimo, Coss. Appio Claudio, cui cognomen Caudex fuit, Appij illius cæci fratre, & M. Fuluio Flacco bellum aduersus Pœnos primum cœptum est. Hunc finem, ait Valerius Paterculus, habuit Romani imperii Carthago æmula, cum qua bellare maiores nostri cœpere, Claudio & Fuluio Consulibus. Adde Plinium, Florum, Orosium; qui tamen Fabium Consulem pro Fuluio posuit.

II. *Ex anno vrbis, in Polyst. c. 3.* NOTAVIT quoque Gellius, vt audisti, annum ab vrbe condita, sed addit *ferme*, quod noslet illum annum diuersimode à diuersis numerari. Solinus habet 489. Liuius 88. vt male Glareanus emendat ex Dionysio (& peius etiam Sigonius 86.) si enim primus vrbis conditæ est primus septimæ Olympiadis, primus centesimæ vigesimæ nonæ erit 489. Ipse autem primum huius vltimæ Olympiadis non numerauit. Eidem vrbis anno subscribit Sigonius in commentariis in Fastos, quamuis ipse in Liuium, & sua Liuiana chronologia annum 86. reponendum putasset. Eidem fasti Capitolini, Stephanus Pighius, Torniellus, Gordonus; quibus chronologia nostra nos aggregauit subscribunt: quibus addi possunt plerique sectarii Functius, Beroaldus, Temporarius, Buntingus &c.

Alii vero non pauci existimant illum consulatum incidere in annum vrbis 490. quem nominat Gellius, amplectuntur Onuphrius, Grellius, & è sectariis Caluisius, Capellus. Longius abest à vero anno Paulus Orosius, cum ait cœptum hoc bellum anno vrbis quadringentesimo octogesimo tertio. Apparet eum in mendosos, ac deprauatos annales incidisse; nam in reliquis annis sæpe ab omnibus diuersus est; sicut hoc ipso in loco in Collega Claudii.

III. *Ex Olympiade.* SVPEREST tertia temporis nota, quæ ex Olympiadib. petitur, quam ponimus centesimam vigesimam nonam ineuntem, eamq; requirit stabilitus iam annus vrbis, iuxta Halicarnassei chronologiam. Ipse tamen sub initium operis sui. Deducam, inquit, narrationem vsq; ad initia primi belli Punici, quod incidit in annum tertium Olympiadis centesimæ vigesimæ nonæ. Polybius autem. Prima, inquit, Romanorum extra Italiam traiectio incidit in

L. 1. p. 1. gr. lat. vigesimam nonam supra centesimam Olympiadem, quod de ineunte intelligi solet, cum nihil additur, & ita accepit Glareanus, Onuphrius, Torniellus, & alii. Cum ergo Dionysii chronologia, hoc loco non satis sibi ipsa consentiat, oporter numerum, quem pridem corruptum fatentur interpretes, non satis emendatum fuisse. Mirum est autem Sigonium, in temporibus Athenienfium, huius belli initium ad Olympiadem centesimam trigesimam referre, quacum annus vrbis, ab ipsomet in Fastis positus, congruere nullo modo potest. Sit ergo constitutus terminus anterior primi belli punici, Annus primus Olympiadis centesimæ vigesimæ nonæ, vrbis autem conditæ quadringentesimus octogesimus nonus.

IV. *Causa belli Punici.* QVIBVS de tempore constitutis causæ illius exponendæ sunt, quas paucis hisce verbis attingit Zonaras. Belli causæ prætendebantur à Romanis, quod Carthaginenses Tarentinis opem tulissent: à Carthaginensibus, quod Romani cum Hierone amicitiam iniissent. Sed vera causa illa erat, quod inuicem se suspectos habebant, & vtrique incolumitatem suam in eo sitam esse putabant, si alteros subegissent. Sic Zonaras: similia his Florus, sed sonora magis ac florida. & inter alia. Ecce, inquit, vltro Romanis viam pandentibus fatis, nec occasio defuit, cum de Pœnorum impotentia fœderata Siciliæ ciuitas Messana quereretur. Affectabat enim vt Romanus, ita Pœnus Siciliam, & eodem tempore paribus vterque votis ac viribus, imperium orbis agitabat. Igitur specie quidem sociosiuuandi, re autem sollicitante præda, ille rudis, ille pastoritius populus ostendit nihil interesse virtutis equis, an nauibus, terra, an mari dimicaretur. Verum amicitia cum Hierone non potuit prætendi causa belli à Pœnis, cum ea sequenti tantum anno contigerit, vt ipsemet Zonaras est autor, & reliqui autores aperte significant, qui prius victum Hieronem tradunt, quam factus sit amicus.

VERAM causam accuratius enarrat Polybius, quod Mamertinis latronibus, qui Messanam occuparant, auxilio venissent, & eiecto ex arce Messanensi Hannone Carthaginensium duce, vrbem occupassent. Nam Mamertini, qui vicinis suis ante terrori fuerant, dum Romanorum præsidio, qui Rhegium occuparant, iuuarentur, istis sublatis, supplicioque affectis, vt anno 482. retulimus, aliis prædæ esse cœperunt, & ab Hierone Syracusanorum duce magna clade affecti sunt; tanta Syracusanorum approbatione, vt Syracusas reuersus ab omnibus Rex salutatus sit. Ergo fracti viribus Mamertini ad auxilia vicinorum oculos circumtulere. Aderant Carthaginenses cum classe valida, indemque totius pœnæ insulæ domini, non longe aberant Romani, à quibus auxilium dudum accipiebant, dum in Rhegio versabantur. Verum in eandem sententiam non omnes conuenere, pars Carthaginenses prætulere, eisque se, arcemque suam dediderunt; pars missis ad populum Romanum legatis, vrbem eis offerunt, auxiliumque velut à cognatis postulant. V. *Vera causa ex Polybio. Mamertini ab Hierone afflicti. Partim arcem Pœnis tradunt. Partim Romanos vocant.*

ROMANI diu inter se quid faciendum esset, dubitauerunt. Perabsurdum enim putabant se, qui paulo ante in proprios ciues, ob occupatum contra fidem Rhegium, tam grauiter animaduertissent, nunc Mamertinis, qui eiusdem sceleris contra Messanam & Rhegium rei essent, auxilio venire. Itaque cum diu cunctaretur Senatus, populus id fieri iussit; sicque vtilitas vicit honestatem, formidantibus Romanis, ne si totam Siciliam Pœni occuparent, quibus sola fere Messana, quam præsidio iam tenebant, & Syracusæ deerant: qui præter Africam totam, etiam pleraque Hispaniæ loca possidebant, quique toto mediterraneo mari pene dominabantur, cum haberent pontem ad traiectum in Italiam, eiusque imperium, quod Romani tot prælis, totque seculorum grauissimis ærumnis tandem acquisierant, occupandum. Itaque bellum plebiscito decretum, & alteri consulum Appio Claudio demandatum est. Ita ex Polybio. VI. *Romani de auxilio dubij.*

INTEREA dum Romani cunctantur Carthaginenses, vt refert Zonaras, veriti auxilia Romanorum, & cum Mamertinis, & cum Hierone, qui eos oppugnabat, pacem inierunt, & vrbem tenuerunt, ac fretum ad impediendum transitum Romanorum Hannone duce cum classe obsederunt. VII. *Pœni pacem ineunt cum Siculis.*

Interea C. Claudius Tribunus militum ab Appio Claudio, cum paucis nauibus præmissus, Rhegium venit, sed hostili classe territus, non ausus traiicere, cum nauicula Messanam appulit, & cum Mamertinis ea collocutus est, quæ tempus ferebat. Ad conflandum autem aduersus Carthaginenses odium, qui occuparant iam quod Romani ambiebant, præ se tulit se liberandæ ciuitatis ergo adesse, eaque re confecta abiturum: Carthaginenses autem recedere iussit, aut, quam causam manendi haberent, exponere. Id cum Carthaginenses, qui vrbem tenebant, contemnerent, & Mamertini Romanorum orationem cum laude excepissent, apparebat eos inuitos teneri, & si Romana classis adesset, ei se facile dedituros. Claudius ergo Rhegium statim rediit; ac paulo post cum tota classe vi traiicere conatus partim ob multitudinem, & industriam Carthaginensium, partim ob freti sæuitiam, & tempestatem subito exortam, triremibus aliquod amissis, cum reliquis Rhegium ægre tenuit. *C. Claudius Messanam explorat, vide Deorum Siculum in excerptis l. 23. n. 2.* *Sed que tempestate repellitur.*

Nec tamen animo fractus est Claudius, sed naues reficit; Hanno causam rupti fœderis Romanis adscripturus, etiam captas triremes Claudio remisit, captiuosque restituit, eumque ad pacem prouocauit: sed cum ille nullas pacis conditiones admitteret, minatus est se non passurum, vt Romani vel manus in mari abluerent. Claudius vero freti natura considerata, captauit refluxum eius, & ventos simul ex Italia in Siciliam ferentes. Itaque in insulam nemine prohibente traiecit, & Mamertinis in portu inuentis; (Nam Hanno cum ciues haberet suspectos, in arcem se receperat,) pro concione persuasit, vt Hannonem accerserent, qui etsi descendere nolebat, tamen veritus ne Mamertini res nouas molirentur, in concionem venit; vbi post multa verba vltro citroque VIII. *Pœnus frustra Romanos vetat, cum classe Messanam adeunt. Hannonem ducem comprehendunt, et vrbem cum arce occupant.*

habita,

habita, Mamertinis approbantibus, à quodam Romano comprehensus, in carcerem coniicitur, (deinde dimissus in crucem à Pœnis actus est, vt tradit Polybius,) sicq; tota Messana amissa est.

IX. *Pœni Romanos abire Sicilia iubent.* HIC Carthaginenses caduceatorem mittunt, qui suo nomine iubeat, eos vrbe, totaque Sicilia intra certum diem excedere. Romanis vero non obtemperantibus, Italos qui apud ipsos stipendia merebant, occiderunt, & Hierone adiuuante, impetu facto Messanam obsederunt. At Consul deceptis Pœnis, quos vt inquit Frontinus in opinionem induxit, se in Italiam vela facturum, mox vbi illi abijssent, aut certe negligentius fretum custodirent, *Romani Messanam veniunt.* velificatione conuersa, & freto transmisso, noctu non procul à castris Hieronis appulit, eumque statim aggressus, antequam vel ille satis apud se esset, vel Carthaginenses illi auxilio esse possent, etsi ab equitatu succubuisset, grauis tamen armaturæ milites superiores euasere. Hiero primum in montes, inde Syracusas se victus contulit. l. 2. c. 2. Ita Zonaras. Addit Florus Regem Hieronem tanta celel. 4. c. 7. ritate victum, vt ipse ille se prius victum, quam hostem videret, fateretur: eadem habet Orosius. Sed redeamus ad Zonaram.

X. *Res ad Syracusas gesta.* HIERONE ad fugam compulso, Claudius Mamertinos recreat, & contra Pœnos à Siculis destitutos inuadit, & in eorum castra impetum facit; quæ cum essent & ingenio loci & arte munitissima, nihil admodum profecit. Ergo ad Hieronem & Syracusas conuertit animum, præsidio Messanæ relicto. Dum Syracusas oppugnat, in eruptionibus ciuium victoria alternatim Romanis ac Syracusanis fauebat. Et consul aliquando in angustias redactus, captus fuisset, nisi antequam circumueniretur, ad Hieronem de pacis conditionibus legatum misisset. Qui cum hominem misisset ad Consulem, quocum de pace tractaret. inter colloquendum paulatim recessit, donec in tuta peruenit. Moxq. Rhegium traiecit, quod & Syracusæ non facile capi poterant, & ipse peste ac comeatus inopia fatigabatur. Hæc fere Zonaras. Author etiam Eutropius Appium Claudium de Afris, & rege Siciliæ Hierone triumphasse, qui primus de Pœnis triumphus fuit.

XI. *Num Syracusæ captæ hoc tempore.* NEC est qui Syracusas hoc tempore captas, ac ne quadraginta quidem post annos, dicat, præter vnum Eusebium in chron. quem propterea Pontacus recte emendat, vt Messanam pro Syracusis substituat: aut si retinere placet Syracusas, verbum *capiunt* in *obsident* mutet. Agnoscit etiam erratum Scaliger, sed male Syracusas mutat in Agrigentum; quæ vrbs neque hoc, neque sequenti anno capta est, sed tertio deinde, vt suo loco idoneis testibus conuincemus, atq; adeo illo ipso Zonara, quo abutitur, qui id factum refert non Appio Claudio & Fuluio Coss. sed Posthumio & Æmylio.

XII. *Zenonis ætas quanta.* NON omittamus hoc loco Zenonem Cittieum, Cyprium, Stoicæ disciplinæ principem, cuius mortem in huius Olympiadis 129. initium refert Euseb. in chronico Græco Latinoque: quem tamen adhuc in viuis fuisse Olymp. 130. scribit in eius vita Laërtius. Nec recte apud Suidam legitur, floruisse ipsum sub Antigono Gonata, Olympiade centesima vigesima; quando vix natus erat ille Gonatus, cuius literæ apud Laërtium in vita Zenonis ad eum leguntur, quæ egregium discendi studium, in eo principe produnt; mutuæque Zenonis ad ipsum, in quibus octogenarium se tunc esse scribit; ideoque neque ad eum se adire posse, vt regis desiderio satisfaceret. Itaque mirum est Persæum quendam apud Laërtium scripsisse Zenonem septuaginta duorum annorum è vita migrasse, cum Athenas concessisset anno ætatis vigesimo secundo. Non ergo scholæ annos 58. præfuit, vt author est Appollonius.

XIII. *Verior ex Laërtio sententia. Mors eiusdem & mores.* IDEM Laërtius ait eum 8. supra 90. annos vixisse, & incolumem, ac sine morbo vita excessisse: quam valetudinem merito continentiæ tribuit, quæ tanta fuit vt etiam in prouerbium abiret, diceretur; Zenone continentior; erat enim parcissimi ac simplicissimi victus, ad eamq; vitæ rationem discipulos instituebat suos. De eius morte ita Laërtius cecinit.

Cittiensem variè extinctum Zenona loquuntur.
Hi confectum annis, hi periisse fame.
Ast alij dixisse ferunt, lapsu male læsum,
Ecce tibi vltro adsum, quid me ita quæso vocas?

Familiarem aliquem dæmonem videtur allocutus, cuius monitu se continuo strangulans interiit. Eius nihilominus funus Athenis magnifice curatum est, publicoque decretoq; ornatum, propter diuturnam in eadem vrbe l. 17. c. 21. Philosophiæ professionem & vitam, vt illis locis, tempo- *Res ad Volsinios gesta.* ribusq;, laudabilem. Sub hoc tempus Callimachus poëta celebrari cœpit, vt author est Gellius.

ALTER etiam Consul Volsinios obsidione domitos deditione cœpit, vt scribit Zonaras: & eos qui suis dominis magistratus eripuerant, excruciatos necauit, vrbem euertit, indigenas & seruos, qui in dominorum fide permanserant, alibi collocauit, & Romam ad triumphum venit.

ANNVS MVNDI 3791. SEXTÆ ÆTAtis 275. Imperij Græcorum 59. Antiochi Soteris 18. Eleazari Pontif. 26. Ptolemæi Philadelphi 24. Olympiadis CXXIX. an. 2. Vrbis Cond. 490. Coss. M. Valerio Maximo, & M. Otacillo Craso. Belli Punici 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM 262.

AVGENTVR hoc anno in Sicilia bellici motus Romanos inter ac Pœnos. Nam, vt scribit Zonaras, I. *Coss. Siciliam adeunt.* Romani rebus Etruriæ compositis, atque Italia plane pacata, Carthaginensium autem viribus increscentibus, vtrumque consulem in Siciliam ire iusserunt. Igitur Va- L. 2. c. 5. lerius Maximus, & Otacilius Crassus, tam seorsim, quam vna Insulam peragrantes multos in deditionem acceperunt; ac locis plerisque, tam Syracusanorum, quam Pœ- *Plurima oppida sibi adiungunt.* norum adiectis, vsq; ad quinquaginta ciuitates, vt ait Eutropius, Syracusas contenderunt. Diodorus Siculus in Excerptis, ait oppida 67. Romanis deditionem fecisse, eorumq; copiis assumptis, Syracusas petiisse Hieronem oppugnaturos. Quorum successibus, ait Zonaras, Hieron territus, redditis vrbibus, quas eis ademerat, promissaq; pecunia, & captiuis dimissis, pacem petiit atq; impetrauit. Sic ille. At Polybius nec redditarum vrbium meminit, nullas quippe Romanis ademerat, & pecuniã centum talentorum exprimit; Eutropius & Orosius ducentorum, Diodorus 140. millium drachmarum, & captiuos absq; precio restituros.

II. *Cum Hierone pugnant.* VERVM enimuero cum fasti Capitolini aperte tradant Valerium de Pœnis, & Hierone triumphasse, & Messallæ cognomen, ob Messanam vrbem deuictam, in hoc honore adeptum esse, dici recte potest initio huius anni Hieronem cum Romanis pugnasse, deinde rem cum eo pacifice fuisse transactam. Certe Florus in Epitome decima sexta ait aduersus Hieronem sæpius bene pugnatum fuisse, tum petenti pacem datam. Aurelius quoque Victor in viris illustribus, ait Hieronem sese apud Syracusas dedidisse, antequam pacem peteret, & impetraret. Deditionis causam explicata pertius Diodorus Siculus. Quod *Mox de pace agitur. lo. cit.* cum grauiter ferre obsidionem Syracusanos videret, & scilicet nollet offendere populum, qui regnum illi vltro detulisset, post afflictos Mamertinos legatos, de bello dirimendo ad Coss. miserit. Consules autem, inquit, cum solis Carthaginensibus debellare properantes, conditionem non inuiti admittebant. Libenter etiam initam cum Hierone pacem à Romanis Zonaras tradit, quod eius opera commeatu necessario potiri possent, cuius inopia superiore anno laboratum fuerat, quod Pœni potirentur mari.

III. *Pax cum Hierone mutuo probatur.* ITAQVE, ait Diodorus, pacem ad annos 14. composuere, acceptis 140. millibus drachmarum: quæ si argenteæ fuerunt, cum singulæ sint octaua pars vnciæ, summa ad æs Gallicum redacta, ascendit ad 48. millia Francorum

&in-

& insuper 125. Pergit Diodor⁹, & postquam captiuos reddidisset, regnum illi Syracosanum, cum vrbibus illi subiectis, habere permiserunt. Hæc ibi.

Hoc fœdere Romam perlato, & approbatis, ac populi iussu firmatis conditionibus pacis, deinceps non vniuersas copias in Siciliam mittere decreuerunt, sed duas tantum legiones. Nam & coniunctione Regis belli onere nonnihil subleuatos se putabant, & hoc modo exercitum omnino rerum copia abundaturum arbitrabantur. Hoc autem anno 4. totas legiones Romanas in Siciliam transuectas fuisse, præter sociorum auxilia Polybius ait: erant autem singulæ, vt idem ait, 4. millium peditum & equitum trecentorum. Perstitit in fide Hiero, non minore sua, quam Romanorum gloria, & vtilitate; & perstitit, si Liuio credimus, ad annos quinquaginta, cum nonagenarius è viuis excessit. Ex quo consequens est eum tunc fuisse quadragenarium. Zonaras ait Consules hoc anno Rhegium hyemandi causa reuertisse.

L. quinquagenario ... Liu. lib. 24.

ANNVS MVNDI 3792. SEXTÆ ÆTATIS, 276. Imperij Græcorum 50. Antiochi Soteris 19. & vlt. Eleazari Pontif. 27. Philadelphi 25. Olympiad. CXXIX. an. 3. Vrb. Cond. 491. Coss. L. Posthumio Albino, siue Megello, & Q. Mamilio Vitulo. Belli Punici 3.

ANNVS ANTE CHRISTVM 261.

I. Antiochi Soteris mors.

DECIMVM nonum, eundemq; vltimum Antiochi Soteris annum attingimus, quo eum obijsse tradit Eusebij chronicon: cui consentiunt Sulpitius Seuerus. l. 2. hist. sacræ, Genebrard. Torniel. Gordon. cæterique pæssim omnes Catholici, allophylique, præter vnum, qui vel bo illi viginti annos tribuit, in singulorum autem annorum distributione 19. Appianus Alexandrin. in Syriacis de eius annis tacet, nec quidquam de mortis genere attingit, aut rebus ab eo gestis. Philadelphus quoq; nulla se ce none, quod sciam prodit: reliquum ergo est, vt Romana videamus. Ea consequenter Polybius ita describit.

II. Res ad Agrigentum gesta.

CARTHAGINENSES qui hostem sibi factum Hieronem cernerent, & Romanos maiore studio Siciliam sibi vendicare, maiore apparatu ad eis resistendum incumbunt; ad quod Agrigentum deligunt, vbi & commeatum, & conductum ex Liguria, Gallia, & Hispania militem cogunt. Interea noui Coss. L. Posthumius, & Q. Mamilius in Siciliam cum legionibus veniunt, & hostium consilio animaduerso, cæteris belli partibus omissis, Agrigentum ipsum cum vniuerso exercitu inuadunt, octo ab vrbe stadiis castra locant: dumq; sub messem ad colligendas fruges diuturnæ obsidioni prospicientes, incautius prodeunt, eruptione ex vrbe facta multos ex suis amittunt, multos etiam fortiter resistendo interficiunt, & in vrbem cædendo compellunt, vt & illi deinceps timidius erumperent, & hi cautius frumentatum irent.

III. Romani vrbem obsident.

INDE Consules bipertito exercitu ciuitatem obsident, seque egregie communiunt, ne quid sibi ab vrbe damni, ne quid hosti in vrbem commodi afferatur. Et iam quintum mensem eadem illic erat rerum facies, velitationes aliquæ factæ erant, de summa rei pugnatum non erat: iam inclusos, qui erant ad quinquaginta millia, duce Annibale seniore premebat fames; cum Hanno alter dux Carthaginensium cum exercitu valido aduenit, cum equitibus, vt inquit Orosius, mille quingentis, & triginta millibus peditum, & triginta elephantis, & vrbe Erbesso, ex qua commeatum accipiebat Romanus exercitus, proditione occupata, in magnas angustias annonæ penuria eum adducit; sed eis Hiero commode affuit, & inopiam subleuauit.

Denique cum obsessi obsidentesque variis & famis, & morborum vrgerentur incommodis, prælium vtriq; generale affectabant.

IGITVR eductis vtrinque copiis, in medium locum inter vtraque castra pugna committitur. Post diuturnum certamen tandem Romani mercenarios Carthaginensium, qui in prima acie rem gerebant, in fugam vertunt; qui dum in Elephantos incidunt, & stantes à tergo reliquos ordines; vniuersus Pœnorum exercitus tumultu impletur: sequitur mox totius aciei inclinatio, cæduntur plerique omnes, pauci Heracleam se fuga recipiunt. Romani & bestiis quamplurimis, & omni supellectile potiuntur. Quum oborta nox esset, atque ipsi partim lætitia bene gestæ rei, partim lassitudine, negligentius excubias agerent, Hannibal desperatis in oppido rebus, sub mediam noctem cum stipendiariis egressus, atque oppletis fossis, quæ erant discessuris obuiæ, hostibus inscius exercitum abduxit incolumem.

IV. Pugna Romanorum cum Pœnis & victoria Hostis vobis ... Oros. l. 11.

EA recognita, Romani impetum in oppidum conuertunt, & præsidiis nudatum occupant, diripiunt, multoq; omnis generis apparatu potiuntur. Hæc copiosius Polybius. A quo non multum abest Zonaras, qui etiam ait milites Hannonis in vrbe deprehensos, partim à Romanis, partim etiam ab Agrigentinis occisos fuisse; nec tamen eā re ciues veniam impetrasse, sed opibus direptis omnes venisse, Consules Messanam in hybernis concessisse.

V. Romani vrbē occupant, & diripiunt.

QUI nuncius Romam perlatus, non magna solum lætitia cumulauit omnes, verum etiam in spem erexit totius insulæ potiundæ. De Agrigento reuersi in vrbem Coss. teste Eutropio hoc anno triumpharunt, qui fuit alter de Pœnis triumphus, cuius tamen nulla est in Fastis Capitolinis mentio, vt notant Sigonius, & Pighius. Res tamen ipsa per se triumpho digna fuit, & populus vniuersus in publica gratulatione & lætitia, ad eum concedendum pronus.

Coss. triumphant.

ANNVS MVNDI 3793. SEXTÆ AETATIS 277. Imperii Græcorum 51. Antiochi Dei 1. Eleazari Pontificis 28. Ptolemæi Philadelphi 26. Olympiadis CXXIX. An. 4. Vrb. cond. 492. Coss. L. Valerio Flacco, & T. Otacilio Crasso. Belli Punici 4.

ANNVS ANTE CHRISTVM 160.

I. Nouus Asiæ rex.

NOVVM hoc anno Asiæ ac Syriæ Regem cum Eusebio proferimus, nisi quod ille Philadelphi hunc annum 24. vocat, qui est 26. iuxta ea quæ initio regni eius attulimus. Fuit autem hic Antiochus Antiochi Soteris & Stratonicæ filius, quæ primum Soteris nouerca, deinde vxor fuit. Dei autem cognomen accepit à Milesiis, quando Timarchum eorum tyrannum sustulit, vt ait Appianus Alexandrinus in Syriacis.

II. Res gesta à Demetrio, Gonata filio.

IAM supra diximus Sigonium & Clauisium in hunc annum referre, quod Iustin. l. 26. extremo de Antigoni Gonatæ filio Demetrio tradit, eum scilicet admodum puerum absente patre reparato exercitu, non solum amissam Macedoniam recepisse; verum etiam Epiri regno Alexandrum spoliasse. Quo autem modo res tanta contigerit silentio Epitomico conteait, id vnum contentus addere. Tanta vel mobilitas militum, vel fortunæ varietas erat, vt vicissim reges, nunc exules, nunc reges viderentur. Nā hic ipse Alexander cum exul ad Arcadas confugisset, non minore Epirotarum desiderio, quam sociorum auxilio, in regnum restituitur. At quo id potissimum anno factum sit, credo scire neminem: ideo præcedentibus, propter argumenti similitudinem atteaui.

III. Similia inter Pœnos et Romanos dimicā.

ROMA porro noui profecti Consules rem bene gestam in Sicilia studiose promouent: & cum terrestri certamine essent formidabiles, multæ vrbes mediterraneæ se illis adiungebant: & vice versa maritimæ, Africanæ classis terrore, vel se dedebant Carthaginensibus, vel in eorum fide perstabant; quo fiebat vt belli palma alternatim nunc in Pœnos, nunc in Romanos inclinaret. Accedebat quod Carthaginēses Italiæ oram classe infestam habebant, Romani vice versa nihil Carthaginensibus in Africa damni afferre poterant. Itaq; classem construendam, & hostem

An. 52. vide sup. Olymp. 128. an. 2. *Classem Romani parant.* Scal. Pontac. *Pœnorum dux Hamilcar.*

maris imperio superbum, vel vincendum, vel fatigandum nauali bello statuerunt.

Erant autem tum nauigandi rudes, & à classe imparati, cum ad hanc diem conductis tantum nauigiis Tarentinorum, Locrensium, Rhegiorum, in Siciliam delati essent. Occupata porro vna Carthaginensium triremi, quæ impacta litrori, in potestatem Romanorum deuenerat, ad eius exemplum classem vniuersam ædificarunt, quæ celeriter confecta est. Verum quia illa ad sequentem annum passim refertur, etsi apud Eusebii Chron. hoc anno ponatur, vnius anni prochronismo, & negotium erat, non exigui temporis, neq; paucorum dierum, nec tempus omne nauigationi commodum, eam nos quoq; differamus.

Carthaginenses autem Hannoni ob Agrigentinam cladem irati, Hamilcarem Barchinum successorem dederūt, Imperatorem egregium; qui cum Siciliam ipse tueretur, Annibalem classi præfectum, in Italiam, oræ infestandæ causa misit; sed præsidiis in mari vbiq; collocatis, nihil admodum profecit; sed neq; consules quidquam memorabile hoc anno in Sicilia gessere.

ANNVS MVNDI 3794. SEXTÆ ÆTATIS, 278. Imperij Græcorum 52. Antiochi Dei 2. Eleazari Pontif. 29. Ptolemæi Philadelphi 27. Olympiadis CXXX. an. 1. Vrbis Cond. 493. Coss. Cneio Cornelio Scipione, Asina, & C. Duillio. Punici Belli 5.

ANNVS ANTE CHRISTVM 259.

I. *Bellum Antiochi Dei. Olymp. 130.*

Bellum Antiochi Dei, cum Philadelpho, idq; diuturnum memoratur à Caluisio, sine authore. At nos Hieronymum commodiore loco proferemus. Nihil tamen vetat id bellum, quod multiplex fuisse tradit idem Hieronymus, mature hoc secūdo anno regni eius inchoare, indeq; producere. Quæ autem causa potentissimos principes in arma compulerit, neq; D. Hieron. neq; alius, quod sciam, tradit.

Est autem hic annus apud Græcos nouæ Olympiadis initium, in qua celebritate Philinus Chous iteratam è cursu palmam tulit. Et apud Hebræos annus Sabbaticus centesimus septuagesimus tertius in cursu fuit. Memorat Laërtius Persæum Philosophum Demetrij filium, Zenonis familiarem, qui 130. Olympiade floruerit. Sed Romanæ res non paulo his temporibus vberiores, nos ad se vocant: Græcæ deinceps fere conticescunt, nisi quatenus connexæ sunt Romanis.

II. *Prima Romana classis. 130. vel 160. nauium.*

Admodum autem celebratur hic annus prima Romanorum nauali victoria, primoq; triumpho. Illa tanto admirabilior fuit, quanto hostis non solum potentior, sed etiam exercitatior; Romanus autem horum certaminum insolentior. Rem ex Polyb. lib. 1. sic accipe.

Cum consilium conficiendæ classis superiore anno captum, in rem deductum esset, & centum & triginta nauium classis intra sexaginta dies, ex quo cæsæ fuerant arbores, staret in anchoris, vt ait Orosius, (Florus habet naues 160.) eas Cornelius Consul oram Italiæ legere iussit, quod paulo ante Pœni faciebant: ipse quo nauali exercitui de necessarijs omnibus prospiceret, cum nauibus aliquot antecessit, Messanam versus, dato nauarchis mandato, vt simul ac instructa classis foret, ad fretum nauigarent.

III. *Cornelius temere vrbem occupare aggreditur. Capitur à Pœnis.*

Hvic cum Messanæ oblata esset occasio moliendæ proditionis oppidi Liparæorum, spem illam promptius quam par erat amplexus, cum septendecim nauibus eo pergit, & ad murum appellit. Quo cognito Annibal senior, Panormi tum agens, Boodem cum viginti nauib. eo mittit, qui noctu nauigatione confecta Cornelium in portu concludit. Vbi illuxisset, fugere socii nauales in terram. Hic Scipio metu attonitus, cum aliud nihil posset, deditionem fecit, Carthaginenses & nauibus, & duce hostium capto, ad Annibalem confestim proficiscuntur. Orosius in vinculis necatum tradit, Florus etiam, quem sequitur Orosius, habet eum à Pœnis simulato colloquio euocatum, atq; oppressum, in perfidiæ Punicæ documentum. Zonaras autem ea dicit; quæ Polybium reliquis nō ægrè concilient. Ait enim Cornelium bello terrestri, quod ei mandatum fuerat, neglecto, Liparam cum suis nauibus venisse, spe proditionis, quam Pœni vafre confinxerant, ibiq; à Boodo Annibalis legato circumuentum fuisse. Cū autem ad defensionem se pararet, illum Romanorum audaciam veritum, eos ad pacis conditiones prouocasse. Cumq; Consuli, & tribunis militum persuasisset, vt ipsius triremem conscenderēt, quo cum præfecto classis colloquerentur, eos Carthaginem misisse, cæteros non repugnantes cepisse. Ita Zonaras. Hoc fuit primum naualis pugnæ rudimentum, vt tanto mox lætior esset victoria.

IV. *Ei succedit Duilius.*

Interea, inquit Polybius, Romana classis Siciliæ appropinquabat, & intellecta Cornelii clade, nunciisq; statim ad C. Duillium, qui terrestribus copijs præerat, missis, eius aduentum præstolabantur, simulq; classem omnem ad prælium, ob vicinam hostium classem, comparabant, rudi quidem artificio adornatam, sed manib. ferreis, siue coruis instructam, quibus in alienas naues iniectis, eas immobiliter suis adiungebant, vt facilius in eas inuadere, & vel à fronte, vel à lateribus comprehensas tenere, & in iis firmiore vestigio, sicut in terra pugnare possent. C. Duillius vbi primum de casu præfecti classis cognouit, postquam terrestres copias tribunis tradidisset, ipse ad classem traiecit.

& classi ducis in hostem.

Classis hostilis victa coruis vincitur.

Carthaginenses viso hoste læti, in altum cum 130. nauibus euehuntur, rudi hostium classe contempta: nouitatem tamen erectorum in proris coruorum mirantes. Dux classis erat Annibal, is qui noctu copias Agrigento extulerat, & septiremi quæ Pyrrhi fuerat, vehebatur. Signo dato triginta naues in Romanos impetum faciunt; quæ illico iniectis coruis illigatæ, Romanis aditum ad pugnam in tabulatis ipsis dederunt, & in potestatem venerunt, in quibus etiam Prætoria; ex qua tamen Annibal se in scapham eiecit, atq; euasit. Reliquæ naues etsi coruos vitabant, quantum poterant, & cæteri in omnes se partes lubrica celeritate versabant, non tamen propius ad pugnam venire poterant, quin & ipsæ comprehenderentur. Ad extremum machinæ nouitate attoniti, amissis quinquaginta nauibus, reliqui se in fugam dederunt.

V. *In terra quoque res bene gerutur.*

Romani victores exscensione in Siciliam facta, Ægestanos ad vltima iam redactos, obsidione liberarunt. Indeq; mox profecti, Macellam oppidum vi expugnarunt. Annibal cum 4. fere millia sociorum Romanorum, qui à legionibus secesserant, ob natam ex prædæ diuisione discordiam, incautos oppressisset, cum reliquis nauib. Carthaginem petiit. Hæc fere Polybius. Addit Victor De viris ill. & Zonaras Senatum adiisse dissimulata clade, & interrogasse quid faciendum censerent. Omnibus vt pugnaret acclamantibus, feci, inquit; & victus sum; sic pœnam crucis effugit: (nam apud Pœnos dux male re gesta puniebatur,) puduit quippe punire quod ipsis autoribus factum esset. Zonaras ait vitam illi fuisse concessam, imperium abrogatum: contra quàm videtur sentire Polybius, qui eum non multo post inde cum nauibus rediisse tradit. c. 11.

VI. *C. Duilij triumphus.*

At Duillius firmatis ciuitatib. transacta æstate Romā reuectus, magno plausu Romæ exceptus triumphauit, qua de re Florus. Victor ergo ad Liparas (ea est insula ad latus aquilonare Siciliæ) mersa & fugata hostium classe, primum & maritimum egit triumphum. Cuius quod gaudium fuit? cum Duillius imperator non contentus vnius diei triumpho, per vitam omnem, vbi à cœna rediret, prælucere funalia, & præcinere sibi tibias iussit, quasi quotidie triumpharet. Ei etiam columnam in foro positam testatur Plinius l. 34. Tacitus ait templum ab eo in foro olitorio Iano constructum. In nummis quoq; argenteis victoriæ huius memoria propagata est, in quibus Romæ galeatæ caput visitur, & Neptunus cum suo tridente in quadriga triumphali, vt Goltzius & Pighius annotarunt. l. 2.

ANNVS MVNDI 3795. SEXTÆ AETATIS 279. Imperii Græcorum 54. Antiochi Dei 3. Eleazari Pontificis 30. Philadelphi 28. Olympiadis CXXX. an. 2. Vrb. cond. 494. Coss. C. Aquilio Floro, & L. Cornelio Scipione. Belli Punici 6.

ANNVS ANTE CHRISTVM 258.

I. Res à Floro gestæ in Sicilia. Calvis.

REFERT hoc anno quidam terminatum bellum difficile se diuturnum, inter Philadelphum & Antiochū, affinitate inter ipsos contracta. Nam socer eius factus est Philadelphus, data ei in vxorem filia Berenica. Sed is nimium cito finem bello imponit, quod post multos tandem annos finitum fuisse Hieronymus affirmat. Præterquam quod hic Antiochus duos iam habebat liberos ex priore vxore, cum hanc duxit, vt ait idem Hieronymus. (In Dan. c. 11.) C. Aquilius Florus in Sicilia, Scipio in Sardinia & Corsica rem hoc anno bene gesserunt. Nam, vt scribit Zonaras, post Duillii abitum, Hamilcar Drepanum muniit, eoque res maximi pretii contulit, Erycinum vrbem euertit, ciuesq; alio transtulit, ne munitissimus locus Romanis ad bellum gerendum vsui esset; vrbes alias vi, alias proditione cepit; ac nisi à C. Floro, qui ibi hybernabat coërcitus fuisset, totam Siciliam subegisset. Sic ipse.

II. Et à Scipione in Corsica.

POLYBIVS tamen nihil in Sicilia hoc anno memoria dignum gestum esse tradit. Cornelii quippe Scipionis res clariores, nouæq; in nouo solo victoriæ, Flori virtutem obscurarunt. Is teste eodem Zonara, in Sardiniam & Corsicam duxit, Insulas in Tyrrheno mari sitas, tam exiguo interuallo separatas, vt ex longinquo pro vna habeantur; (minore tamen interuallo fretum Siculum Italiam à Sicilia distinguit, in tabulis Ptolemæi) sed pergit: ac primum Corsicæ principe vrbe Valeria vi capta, reliquis citra laborem est potitus. Eam vrbem Aleriam coloniam vocat Ptolemæus, Florus autem Carsalem, & ait, Scipionem transisse in Corsicam, ibiq; Caralæ vrbis excidio incolas terruisse. (Europ. t. 6. l. 1. c. 2.) Suspicetur aliquis Caralæ scriptum pro Calaræ, aut Calari; sed Calaris in Sardinia est, non in Corsica, qua de agimus; Florum sequenti anno pro consule de Pœnis triumphasse Fasti tradunt.

III. Et in Sardinia.

IN Sardiniam porro nauigaturus Scipio, cum classem Carthaginensem conspexisset, in eam impetum fecit: sed cum illa, priusquam veniretur ad manus, se dedisset in fugam Olbiam vrbem inuasit, vbi nauium Carthaginensium conspectu territus (neq; enim à peditatu satis ad pugnam paratus erat) domum versus iter intendit. Sic Zonaras. (Strategematum. l. 3. c. 10.) At Frontinus id dedita factum opera, fallendi hostis causa refert. L. Scipio, inquit, in Sardinia cuiusdam ciuitatis per tumultum relicta oppugnatione, quam instruxerat, speciem fugientis præstitit; insecutisque temere oppidanis, per eos quos in proximo occultauerat, oppidum inuasit. Sic Frontinus. In huius porro vrbis oppugnatione Hannonem ducem fortissime pugnantem occubuisse autor est Valerius, vbi & insignem humanitatem Cornelii prædicat. (Hannonis cædes.)

(L. 5. c. 1. I V. Cornelij in eum humanitas.) L. Cornelius Coss. primo Punico bello cum Olbiam oppidum cepisset, pro quo fortissime dimicans Hanno dux Carthaginensium occiderat: corpus eius è tabernaculo suo amplo funere extulit; nec dubitauit hostis exequias ipse celebrare; tum demum victoriam, & apud deos, & apud homines minimum inuidiæ habituram credens, cum plurimum humanitatis habuisset. Fasti Capitolini tradunt eum de Pœnis, Sardinia, & Corsica triumphasse. Seruilem etiam coniurationem Romæ extinctam hoc anno refert Zonaras t. 2. Annal. Eodem anno, inquit, tria millia seruorum, & quatuor millia naualium sociorū, in vrbis Romæ excidium coniurarunt, & nisi maturata proditio consilium præuenisset, destituta præsidio ciuitas, seruili manu periisset. Sic Oros. (Oros. l. 4. c. 7.) Zonaras in naualibus illis sociis Samnites memorat; rem autem patefactam ait per quendam Erium Potilium, qui coniurationem finxit vt patefaceret.

ANNVS MVNDI 3796. SEXTÆ ÆTATIS, 280. Imperij Græcorum 55. Antiochi Dei 4. Eleazari Pontif. 31. Philadelphi 29. Olympiadis CXXX. an. 3. Vrb. Cond. 495. Coss. A. Attilio Calatino, & C. Sulpitio Paterculo Punici Belli 7.

ANNVS ANTE CHRISTVM 257.

I. Romani in Sicilia vrbes aliquot capiunt.

HVIVS anni res Romanas breui admodum cōpendio perstrinxit Polybius, plenius aliquanto Zonaras, qui etiam vtriusq; Consulis gesta distinguit. Nos quæ vni desunt ex altero supplebimus. Coss. ait Polyb. cum Panormi Carthaginensium copiæ hybernabant eo duxerunt, & prope vrbem aciem instruxerunt, sed nemine hostium prodeunte, inde profecti Hippanam obsident, & capiūt. (Hippanam.) Pergit Zonar. Cum Attilius Calatinus, (Sic enim legendum est, non Latinus, vt habet textus Græcus & Latinus) in Siciliam venisset, atque Mutistratum vrbem à Floro obsessam inuenisset, copiis illius vsus est. Oppidani principio cum Carthaginensibus ei fortiter restiterunt; sed suorum comploratione victi, Pœnis noctu elapsis, postridie portas vltro aperuerunt. Verum Romani ingressi nemini pepercerunt, donec Attilius viuos prædæ reseruari iussit, moxque vrbs direpta, atque incensa est. Sic Zonar. Diodor. Sicul. in excerptis, ait Romanos Mystraton, sic enim vocat, per septem menses obsedisse, & multas machinas fabricasse; nihilominus multis suorum amissis, re infecta discessisse. (Mystratum. l. 23.) Deinde tertio obsessam, captam fuisse ac solo æquatam, ciuibus qui supererant, venditis sub corona.

II. Camarinam.

CAMARINORVM etiam vrbem, quæ paulo ante ab eis defecerat, admotis tum operibus, & muris deiectis occuparunt. Polyb. Quibus consentanea scribit Diodorus Siculus, a atque accitis ab Hierone machinis bellicis vrbe potitos, & maiorem captiuorum partem vendidisse. (a l. 23.) Sed vterque tacet Romanos improuide eam vrbem aggressos, atq; in insidias esse delapsos. Quod Zonaras, Orosius, Florus, Victor lib. de vir. illustr. aliique multi agnoscunt. Camarinam, inquit, Zonaras, inconsulte aggressi, atque in loca insidiis occupata delapsi, omnes periissent, ni M. Calphurnius tribunus militum, calamitatem eam arte correxisset. (Romanorum ad eam periculum, & clades.) Nam cum ex omnibus vnum tumulum, ob præcipitium non occupatum vidisset, trecentos à Consule milites petiit, quos cum propere illuc adduxisset, vt hostibus in se conuersis cæteri effugerent, non est deceptus. Nam hostes eorum impetu perculsi; Consule cum suis vt iam captis relictis, contra Calphurnium concurrerunt; & atroci pugna commissa, multi quidem Pœni, sed omnes 300. perierunt, præter vnum Calphurnium; qui cum præ vulneribus instar mortui inter cadauera iacuisset, viuus repertus euasit incolumis. Interea vero dum trecenti pugnant, etiam Consul Attilius euitato periculo, Camarina & aliis vrbibus partim vi, partim deditione subactis, ad Liparam proficiscitur, de qua seq. anno dicendum.

III. Res à Sulpitio contra Annibalem gesta.

NON omittam tamen dicere, quæ ad Sulpitium Consulem pertinent. Is authore Zonara, non modo Sardiniæ pleraque loca diuexauit, sed successibus elatus, etiam contra Libyam iter intendit. At Carthaginenses cum Annibale Gisconis filio patriæ metuentes soluerunt, sed vento aduerso repulsi sunt, amboque recesserunt. Deinde Annibal, Attilii fraude per subornatos transfugas deceptus, quasi eo rursum Romani proficiscerentur, celeriter è portu soluit. At Sulpitius contra cum inuectus, plerasque naues eius, præ caligine diu ignorantes quid rei esset, ac turbatas demersit; reliquæ ad terram profugerunt, atque inanes captæ sunt, Hannibal quippe eas deseruit, quod portum minime tutum videret, & in vrbem Sulmos se contulit, vbi orta contra eum seditione, à suis interemptus est. Ita Zonaras. (Annibalis senioris interitus.) Orosius quoque in hunc annum Annibalis senioris interitum refert, cum nauali prælio à

Romanis victus esset, & ab exercitu lapidibus obrutum dicit, nec repugnat tempori Polybius, licet tempus narrando anteuerrat: mortem autem repugnat, cum ait inclusum à Romanis in portu quodam, quia multas ibi naues amiserat, confestim à Carthaginensibus, qui cladi superfuerant, comprehensum, & in crucem actum esse. Polybio autem consentit Epitome Liuij. Zonaras periisse dicit, mortis genus non dicit. Rem tamen ipsam reliquis clarius & probabilius recenset.

li. 17.

ANNVS MVNDI 3797. SEXTAE AETATIS 281. Imperii Graecorum 56. Antiochi Dei 5. Eleazari Pontificis 32. Ptolem. Philadelphi 30. Olympiadis CXXX. an. 4. Vrb. cond. 496. Coss. C. Atilio Regulo, qui & Serranus, & Cn. Cornelio Blasione II. Punici Belli 8.

ANNVS ANTE CHRISTVM 256.

I. Prophetia Danielis de Antiocho & Ptolemaeo Philadelpho. Dan 11 6.

CIRCA hoc tempus videntur contigisse, quae Daniel prophetia de Antiocho & Ptolemaeo tanto ante praedixerat, illis verbis. *Et post finem annorum foederabuntur, filiaque regis Austri veniet ad Regem Aquilonis, facere amicitiam, & non obtinebit fortitudinem brachij, nec stabit semen eius; & tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam iuuenes eius, & qui confortabant eam in temporibus.* Quae sic interpretatur D. Hieronym. Primum Syriae regnauit, vt diximus, Seleucus cognomento Nicanor. Secundus Antiochus, qui appellatus est Soter. Tertius & ipse Antiochus, qui vocabatur Θεός, id est, Deus. Iste aduersus Ptolemaeum Philadelphum, qui secundus imperabat Aegyptijs, gessit bella quamplurima, & totis Babylonis atque orientis viribus dimicauit. Volens itaq; Ptolemaeus Philadelphus post multos annos molestum finire certamen, filiam suam nomine Berenicem Antiocho vxorem dedit, qui de priore vxore, nomine Laodice duos habebat liberos, Seleucum, qui cognominatus est Callinicus, & alterum Antiochum Hieracem. Deduxitq; eam (Philadelphus pater) vsq; Pelusium, & infinita auri & argenti millia dotis nomine dedit, vnde Φερνόφορος, id est, dotalis appellatus est.

Expositio S. Hieronymi.

II. Declaratur.

ANTIOCHVS autem Berenicen consortem regni se habere dicens, & Laodicen in concubinae locum, post multum temporis amore superatus, Laodicen cum liberis suis reduxit in regiam. Sic D. Hieronym. Verum haec reductio, vt idem significat, non multum huius Antiochi Dei mortem antecessit, ideoq; ad illa tempora differatur. Significat ergo Daniel Berenicen filiam Regis Austri, id est, Aegypti, quae maxime australis est, venturam vt sponsam ad Regem Syriae & Asiae Antiochum, quae prouinciae sunt Aegypto ad Aquilonem, venturam inquam ad amicitiam inter duos reges, patrem & maritum nuptiali foedere copulandam. Verum ea non obtinuit fortitudinem brachij, quia non perseuerauit Regina, imperij orientalis viribus subnixa, nec stetit semen eius, filius quippe eius ab aemula sorore occisus est, sicut & ipsa, & amici eius, quod illa Prophetiae verba significant. *Et tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam, adolescentes eius, & qui confortabant eam in temporibus.* Quibus scilicet illa florebat, nempe pater & maritus, quorum illa fouebat amicitiam, & qui illam vicissim potentem efficiebant.

III. Attilij cosul. & periculum.

Hoc anno, vt tradit Polybius, C. Attilius Consul cum Tyndaridem applicuisset, (id oppidum est Siciliae, ad eius septentrionale latus situm inter fluuios Tymethum & Eliconem apud Ptolemaeum) praeternauigantem agmine incomposito classem Carthaginensium conspicatus, cum reliquas naues sequi iussisset, ipse cum decem praeit. Conuersi Poeni, antecedentes inuadunt, & vndiq; cinctas perdunt. Praetoria etiam ipsa cum viris suis pene capta est; sed remigum contentione, praeter omnium opinionem, tandem periculo se subduxit. Interea reliquae naues Romanae, paulatim in vnum coactae pugnam capessunt, decem naues cum hominibus capiunt, octo deprimunt; Poeni cum reliqua classe in Liparam se recipiunt. Et quoniam ex eo praelio ita ambo exercitus discesserant, vt pari vtrinque periculo, & damno pugnasse viderentur, vtraq; pars ad comparandas maiores copias nauales, & asserendum maris imperium omne studium conuertit.

Maritima Poenorum clades IV. Eadem historia ex Zonara.

PER id tempus terrestres copiae nihil memoria dignum gessere. Haec paulo pluribus Polyb. Paulo aliter Zonaras. Ait enim Consules Liparam oppugnasse, ibiq; didicisse Carthaginenses sub Tyndario promontorio in insidiis esse: tum alterum Consulem dimidia parte classis promontorium circundedisse. Cumq; eum solum esse credidisset Hamilcar, contra ipsum naues suas eduxisse; sed reliquis etiam se ostendentibus, in fugam versum, maximā nauium partem amisisse. Ita Zonar. cui sane Polybium hoc quidem loco anteferendum putarem. Erant quippe velociores, & ad fugam magis expeditae naues Poenorum quam Romanorum, vt hae illas fugientes assequi, nedum comprehendere, non valerent.

ANNVS MVNDI 3798. SEXTAE AETATIS, 282. Imperij Graecorum 57. Antiochi Dei 6. Manassis Pontificis 1. Ptolemaei Philadelphi 31. Olympiadis CXXXI. an. 1. Vrb. Conditae 497. Coss. L. Manlio Vulsone Longo, & Q. Caedicio, cui suffectus est M. Attil. Regulus II. Belli Punici 9.

ANNVS ANTE CHRISTVM 255.

I. Olymp. 131.

SVFFECTVM Regulum Caedicio mortuo, ostendunt Capitolina marmora, quae sub haec tempora integra leguntur, quorum defectu multum laborauit Cuspinianus, qui facem posteris praetulit. Olympionica vero hoc anno fuisse perhibetur Ammonius quidam Alexandrin⁹: qua ipsa Tlepolemus Lycius desultorij equi palmam tulit, vt ait Pausanias. a Caeterum duo nobis hoc anno suggerit Eusebius. Primum redditam Atheniensibus ab Antigono Gonata libertatem; de qua non ita pridem ex Pausania in Laconicis dicebamus, Antigonum pace facta praesidium ipsis in Musaeo imposuisse, & vltro inde praesidium ἀνὰ χρόνον deduxisse. Amasaeus vertit, non multo post, ad verbum, per tempus, *auec le temps*, neq; longo, neq; breui tempore designato.

a l. 5. p. 155. grae.

II. Nouus Pontifex Manasses.

ALTERVM, quod quidam libri (vt Scaligeri) ad annum seq. referunt, est de nouo Iudaeorum pontifice Manasse, qui Eleazari auunculus fuerit. In Graeco est θεῖος, quae vox auunculo, & patruo tribuitur; hunc tamen fuisse patruum patet ex ijs, quae anno Graecorum 24. diximus. Sumpta sunt autem à Iosepho. b *Post obitum*, inquit, *Eleazari Manasses eius patruus pontificatum assumpsit, quo defuncto Onias successit*, &c. De Manassis autem gestis verbum nullum refert. Hoc anno natum putat c Torniellus Eleazarum illum, qui nonagenarius senex sanctissime pro patrijs legibus, fortissimeque defunctus est, anno regni Graecorum 147. Sed non est necesse illum numerum nonagenarium sine amplificatione sumere: vt suo loco anno Antiochi Epiphanis nono dicturi sumus.

b l 12. c. 3. fi.

c Sextae aet. an. 352.

III. Pugna Romanorum cum Poenis.

ILLVSTRATVR hic annus tum gloriosis Romanorum de Poeno victorijs, tum Attilij Reguli Africana clade, atque vinculis. Romani rebus adhuc bene gestis contra Carthaginenses animosiores facti, Siciliam iam quasi suam ducentes Libyam, & Carthaginem petere ausi sunt. Zonaras rem breuiter perstrinxit: plenius Polybius l. 1. Is ergo scribit Romanos cum classe trecentarum & 30. nauium longarum, & tectarum Messanam appulisse, rebusque in Sicilia bene constitutis, inde praeternauigasse, & Pachino promontorio superato, vlterius Ecnomum versus contendisse, quod illis in locis terrestres copiae ipsorum essent.

Vtrorumque copiae, & studia.

Carthaginenses vero cum 350. nauibus armatis in altum prouecti, Lilybaei primo portum tenent, deinde ad Heracleam Minoam, classem in portu constituunt. Optabant quidem Romani Africam ipsam belli fontem ac caput petere, Poenosque cogere ad agros suos, saluteemque

IV. *Pugna nauali.* propugnandam. Pœni contra eis aditum omni ratione intercludere cogitabant, naualiq; prælio decernere.

ERGO Romani copias suas quadripertito diuidunt, formam tamen triquetram retinent, sed triarios, quasi basim & quartam classem in extremo collocant. Pœni cornua in latum deducunt, quasi exercitum Romanum ambituri. At Romanus, impetu in mediam aciem facto, eam facile loco mouent, & in fugam simulatam vertit: donec conuersa facie ad datum ab Amilcare signum animose decertant. Interea triarios Hanno inuadit, atq; in magnas redigit angustias; postremo alia Carthaginensium manus, tertiam Romanorum classem aggreditur, vt sex simul exercitus inter se pugnare viderentur. Duobus Coss. Attilio & Manlio, duo duces Hanno & Amilcar, qui nuper ad Tyndaridum pugnarat contra Romanos, erant oppositi, & propemodum paribus viribus inter se confligebant. Nam quantum Carthaginenses nauium celeritate, ac numero, & vsu rei nauticæ; tantum Romani pugnandi violentia, & coruorum apparatu præstabant. Illos ingens metus imminentis domi cladis vrgebat; istos gloriæ amor, ardor quoq; ac consuetudo vincendi.

V. *Romanorum victoria.* TANDEM Amilcar vim Romanorum non sustinens, in fugam se cum suis dedit, L. Manlius captiuas naues alligat suis. Attilius secundam classem adhuc integram auxilio triariis, ac tertiæ classi adducit, quo deficientibus restauratus est animus, & Carthaginenses à fronte ac tergo cæsi, freti celeritate nauium in altum proficiscuntur, atq; ita saluti suæ fuga consulunt. Deniq; summa victoriæ penes Romanos stetit, quorum naues 4. & viginti periere, nulla cum viris in hostium potestatem venit. At Pœnorum amplius triginta demersæ, tres & sexaginta cum viris in manus Romanorum deuenere.

Romani iterum quærunt. Cæterum tam illustri victoria non contenti, quasi sublato obice, ad eam victoriam, quam primum ambiebant, obtinendam properant, classem quam celeriter restaurãt, a commeatu instruunt, & Africam versus vela faciunt.

VI. *Hamilcaris consilium.* His Polybij addit Zonaras, quod minime prætereundum videatur. Hamilcar cum nec victus Romanis auderet resistere, & eorum profectionem in Africam retardare vellet, sperans nouas sibi domo copias allatum iri, Hannonem ad eos per speciem petendæ pacis misit. Quem cum quidam comprehendendum esse clamitarent, quod etiam Carthaginenses Cornelium fraude cepissent. *Hannonis solertia.* *Si istud*, inquit, *feceritis, Afris nihilo iam præstantiores eritis.* Qua tam opportuna adulatione incolumis euasit, Romani quo destinarant iter intendunt, Hanno ad Carthaginem tutandam properat. Sic Zonaras. Trepidasse Romanos ad terrorem Punici maris, ait Florus, *a* augente insuper Tribuno Mannio metum, in quem nisi paruisset, securi districta Imperator, metu mortis nauigandi fecit audaciam. Redeo ad Polybium.

a I. 2. c. 2.

VII. *Romani Africam attingunt.* CVM primis, inquit, nauibus ad promontorium Hermæum appulissent, quod è sinu toto Carthaginensi prominens, in altum longe Siciliam versus excurrit, expectatis eo loco nauibus quæ sequebantur, cunctaq; in vnum coacta classe, oram Africæ tandiu legunt, donec Aspidẽ, siue Clypeam, hoc vrbi nomen est, perueniant. *Aspis, & Clypea.* Apud Ptolem. in eodem Mercurij promontorio duæ vrbes inueniuntur, è regione sitæ, vtraque in littore maris: vnam Clypeam, alteram Aspidem appellat. Cæteri non vrbium, sed nominum solam differentiam agnoscunt, & nomen à specie vrbis datum. Ibi exscensu facto, & nauibus in portum subductis, iisdemq; vallo ac fossa munitis, quia deditionem oppidani recusabant, obsidionem parant. Quo cognito Carthaginenses, qui oram vrbi præiacentem, & naualibus, & terrestribus copijs custodiebant, omissa priori cura obseruandi eorum aduentum, vrbem, & regionem præsidijs firmarunt. At Zonaras ait oppidanos viso statim hoste vrbem deseruisse, Romanos vacuam occupasse.

VIII. *Clypeam capiunt, agrum populantur.* ERGO Romani Clypea potiti, relicta manu idonea ad oppidi agriq; custodiam, & legatis Romam missis, qui quæ gesta essent, nunciarent, &, quid deinceps fieri placeret scirentur, mox omnibus profecti copijs ad vastandum agrum ire pergunt, nemine occurrere audente, multas villas magnifice structas corrumpunt, magnam quadrupedum prædam abigunt, mancipiorum amplius viginti millia ad naues adducunt, suorum plerosq; prioribus bellis captos recipiunt. Zonaras addit, eos alias vrbes vi, alias deditione accepisse. At Orosius, Inde Carthaginem petentes, trecenta, aut eo amplius castella populati sunt, infesta Carthagini signa circumtulerunt: eadem pene Florus. Verum castella vocant, quæ Polybius villas magnifice structas. Nec recte Scaliger ex Orosio Eusebium arguit, anachronismi vndecim annorum cum confusione historiæ, quod dixerit centum Lybiæ vrbes à Romanis captas; non πόλεις, inquit fuerunt, sed πολίχνια & non centum, sed supra trecenta; non recte inquam. Nam ille ipse Orosius præter illa castella, mox à Regulo oppida octoginta duo deditione accepta refert, Eutropius tres & septuaginta ciuitates; de quibus, non de Castellis, oportuit Eusebium à Scaligero explicari, non scribere, eum confusione historiæ, cum anachronismo peccare. Nec anachronismus illius vndecim annorum est, sed quinque duntaxat. *I. 1. c. 2. οἰκήσεις ἐπιφανῶς κατεσκευασμένας.*

IX. *Partem copiarum cum spolijs Romã remittunt.* INTEREA, inquit Polybius, Roma redeunt qui Senatus mandata referunt, vt alter Coss. cum idoneis viribus remaneat, alter exercitum Romam reportet. Mansit M. Attilius seruatis nauibus quadraginta, peditibus ad millia quindecim, equitibus quingentis. L. Manlius sine periculo Siciliam præteruectus, Romam peruenit. Non temere notat Polyb. sine periculo præteruectum; nam hyeme nauigauit. Cum hyems superuenisset, inquit Zonaras. Manlius cum manubiis Romam nauigauit. Orosius & Eutropius plenius. Manlius Consul, inquit ille, ab Africa cum victrici classe decedens, viginti septem millia captiuorum, cum ingentibus spolijs Romam reuexit, ibique de nauali contra Pœnos victoria triumphauit, vt est in lapidibus Capitolinis. Quoniam igitur hyems nobis superuenit, reliqua Reguli Consulis gesta, in sequentem annum Iulianum differemus, cuius quantum licet habemus rationem; nec minus propterea annum sequentem à Consulibus ordinariis denominabimus, licet aliquot mensibus serius creati fuerint.

ANNVS MVNDI 3799. SEXTÆ ÆTATIS, 283. Imperij Græcorum 57. Antiochi Dei 7. Manassis Pontif. 2. Ptole. Philadelphi 32. Olympiadis CXXXI. an. 2. Vrb. Cond. 498. Coss. Scr. Fuluio Nobiliore, M. Aemylio Paulo. Belli Punici 10.

ANNVS ANTE CHRISTVM 254.

I. *Pœni se instruunt.* CARTHAGINENSES vbi sensere ad diuturnius bellum Romanos se comparare, Hasdrubalem Hannonis filium, & Bostoarum duces creant: deinde Hamilcarem Heraclea propere accersunt, qui assumptis equitib. quingentis, peditum quinq; millibus Carthaginem venit, ibi dux tertius eligitur: placet regionem tueri, prohibere populationes. *Ea populatur Attilius.* Attilius nihilominus, populabatur vicos, occupabat oppida, vel obsidebat. In quibus cum Adin oppugnaret, Pœni copias educunt, sed eas imperitè incommodo loco constituunt. *Eosque prælio superat.* Nam cum spem suam in Elephantis reponerent, non tamen loca plana, sed montosa delegerant. At studiose Consul operam dedit, vt eis in pugna neque equi, neque Elephanti vsui essent. Itaq; & victi sunt, Romanus castris direptis, liberius deinceps agros, vrbesq; incursare cœpit. Nec plura de hac pugna Polyb. aut Zonaras.

II. *Multæ vrbes vtrinque captæ, eædque.* AT Eutropius. *Contra tres*, inquit, *Carthaginensium duces dimicans victor fuit, octodecim millia hostium cecidit, quinque millia, cum octo Elephantis cepit*, (aliqui 18. legunt) *septuaginta tres ciuitates in fidem accepit.* Eadem habet Orosius; nisi quod octoginta duo oppida dedita refert, cæsa 17. millia hostium. Eusebius autem etiam centum Libyæ vrbes captas asseruit, vt anno superiore diximus. Quid quod Vi-

ctor in viris illustribus ait Atilium oppida ducenta, & hominum ducenta millia cepisse? quæ ducenta oppida etiam Appianus Alexand. l. 1. Pun. confirmat. Pergit Polybius. Deinde oppido, cui Tuneti nomen positus, intra vrbem castra ponit, illectus opportunitate loci, ad ea quæ moliebatur: & maxime quia eius situs erat opportunus ad Carthaginem, vicinamque ei regionem diuexandam. Hinc facit quod hæc vrbs, quam Thunisam vocat Ptolemæus, in eat emo sinu Carthaginensi sita erat.

p. 40. Res ad Tunetum gesta.

III. *Serpens horrendus occisus. l. 2. c. 2. l. 4. c. 8. epit. 18. l. 1. c. vlt. l. 6 c. 5.* NON omittam hoc loco alteram Reguli victoriam, de qua Florus & Orosius. Liuius, Valerius Maximus, Gellius. Nec cum hominibus modo, sed cum monstris quoq; dimicatum est. Quasi in vindictam Africæ nata miræ magnitudinis serpens, posita apud Bagradam castra vexauit: vbi, ait Oros. cum plurimos militum aquandi necessitate ad flumen descendentes deuoraret, Regulus ad expugnandam bestiam cum exercitu profectus est. Sed nihil in tergo eius proficientibus iaculis, atque omni telorum ictu irrito, quæ per horrendum squammarum cratem, quasi per obliquam scutorum testudinem laberentur, mirumque in modum, ne corpus læderent, ipso corpore pellebantur. Cum insuper magnam multitudinem morsu comminui, impetu proteri, halitu etiam pestifero exanimari videret, ballistas deferri imperauit, per quas saxum murale spinæ eius incussum, compagem totius corporis soluit, & mox circumuentos telis oppressos est. Corium autem eius Romam deuectum, quod fuisse centum viginti pedum spatio ferunt, aliquandiu cunctis miraculo fuit. Eadem breuius habet Zonaras. Hanc eandem pugnam, victoriamque leges in Silio Italico, sub fi. 6. Punicorum.

l. 1. p 12. grn. lat.

Lentus arenoso spumabat Bagrada campo
Viperea sauus, &c.

IV. *Reguli ambitio rerum prauua.* REGVLVS interea cum Carthaginenses terra marique vicisset, eorum mœnibus immineret, eaq; se mox potiturum putaret, anxiè sollicitus erat, ne successor Consul confecti belli titulum occuparet, vt ait Polybius. Itaq; de pace sermones intulit, hosti vtiq; gratos, qui obsidionem in horas expectabat; sed conditiones tam acerbas protulit, vt eas ne auditu quidem accipere legati vellent, & omnia potius pati mallent. Improuide sane, si vere pacem volebat. Eutropius, Orosius, Florus Zonaras ab ipsis Carthaginensibus pacem quæsitam ostendunt, & quidem vt videtur probabilius: sed tam molesta ab eo postulata sunt, vt pacis conditiones nihil aliud quam excidium indicarent. Itaq, Regulus, ait Zonaras, ad id vsq; tempus prospera fortuna vsus, animis & fastu adeo plenus fuit, vt Romã scriberet se metu obsignatas habere Carthaginis portas. Idem affectus & eius militum, & ciuium Romanorum fuit, vnde factum est, vt impingerent.

V. *Xantippus Lacedemonius Pœnorum imperator.* NAM Carthaginensibus tum alij, tum Xantippus Lacedæmonius in auxilio venerunt; præmiserant quippe qui militem in Græcia mercede conducerent, ait Polybius. Xantippus Imperator omnium consensu creatus, cum alia probe ordinauit, tum Carthaginenses à tumulis, in quibus præ metu agebant, in planiciem deduxit, vbi & equitatus eorum, & elephanti plurimum poterant. Hic alijs temporibus quietus, expectauit dum Romani castra negligentius tuerentur. Elati enim victoria, & Xantippum, vt græcolum hominem nihili facientes, securi agitabant. Verum Polybius nequaquam incautos deprehensos ait Romanos, sed acies vtrinque ex animi sententia constitutas, & vtrosque congressionis opportunitatem captauisse. Pergit Zonaras. Sic affectos Romanos adortus, eorumq, equitatu per elephantos profligato, multos occidit, multos cepit, atque ipsum imperatorem Regulum. Ita Zonaras.

VI. *Eadem in ... enarratio.* EVTROPIVS cladem distinctius explicat. *Regulus*, inquit, *victus est vltima pernicie. Nam duo millia hominum tantum ex omni Romano exercitu remanserunt, quindecim millia cum imperatore Regulo capta sunt: triginta millia occisa. Regulus ipse in catenas coniectus.* Valde diuersus est apud Orosium numerus. *a Ingens tibi ruina*, inquit, *Romanarum virium fuit Nam viginti millia Romanorum in illa tunc congressione prostrata sunt. Regulus ille dux nobilis cum quingentis viris captus est, & in catenas coniectus: decimo demum anno Punici belli, nobilem triumphum Carthaginensibus præbuit.* Polybius de duobus millibus seruatis, qui hostem persequentes periculo erepti Clupeam miraculo euaserunt, & quingentis cum duce captis consentit Orosio: cæsorum multitudinem non recenset, nisi octingentorum mercenariorum, qui à Pœnis stabant. Interim vides lector Orosium nostram firmare chronologiam, & vt videtur rationem habere anni Iuliani? Nam nonus adhuc agebatur Consulatus, ex quo Punicum bellum inchoatum fuerat.

a l. 4. c. 9.

VII. *Dominos superbos euertit.* VIDES quoque vt Dominus superbos, nimium sibi præfidentes, & aliorum contemptores deijcit, eorum ipsorum opera qui contemnuntur. Priusquam humiliarer ego deliqui, ait fortissimus & ipse bellator. Sed audi etiam hoc loco Polybium hominem ethnicum sapienter monentem. *Quod*, inquit, *fortunæ non sit confidendum vtiq, in rebus latis, per ea quæ Regulo acciderant omnib. factum est manifestissimum. Nam qui paulo ante nullum misericordiæ locum dabat, neq, vllam afflictis veniam concedebat, mox ductus ipse est, pro sua salute supplicaturus.* Eodem pertinet & successoris metus. Hanc quoq; Reguli superbiam alij scriptores notant, in propositarum pacis conditionum acerbitate, atq; duricia, sed reliqua videamus. *Conuersis ad externa auxilia hostibus*, ait Florus, *cum Xantippum illis ducem Lacedæmon misisset, à viro militiæ peritissimo vincimur, cum fœda clade, Romanisq, vsu incognita, viuus in manus hostium venit fortissimus imperator, sed ille quidem par tantæ calamitati fuit. Nam nec Punico carcere fractus est, nec legatione suscepta.*

VIII. *Reguli ...* VERVM de legatione postea, de carcere autem Reguli, ac cæterorum Romanorum, longe dissimilia hæc accipe ex Zonara. *Carthaginenses*, inquit, *captiuos conseruarunt, ne quoq, quos pridem Romani ceperant, occiderentur.*

Ac cæteros quidem bene tractarunt, Regulum autem omnibus modis afflixerunt. Nam & tantum cibi præbebant, vnde vitam sustentare posset, & continenter Elephantum ad eum adducebant, à quo territus, neq, animo, neque corpore conquiesceret: denique post has vexationes eum in carcerem coniecerunt. Sic ipse, ex quo etiam audies insignem eorum ingrati animi labem, in eos quibus salutem debebant, vtique dignam cladibus subsecutis. *Cum ea*, inquit, *quæ illi promiserant præstare non possent, eos dimiserunt, vt stipendia non multo post persoluturi; sed vectores eorum iusserunt, vt in deserta quapiam insula expositis, clam discedere.* Ferunt Xantippum ab alijs abeuntem persecutis submersum; alij nauem ei datam veterem & rimarum plenam, extrinsecus recens picatam, vt in ea per se submergeretur. Quo is animaduerso, alia naui conscensa euaserit. Id vero factũ, ne ab illo seruati viderentur. Putabant enim eo sublato, etiam rerũ gestarum gloriã vna perituram. Eadẽ habet Appianus Alex. b innuit etiam Polybius: Orosius de eius discessu illud tantũ habet, eum tam audacis facti conscium, popularem inuidiam, & rerum mutationem timentem, illico ex Africa in Græciã demigrasse.

Xantippi obitus. *b l. 1. de bel. pun.*

IX. *Classem Romanorum instaurant.* SED nunc ad res ab nouis consulibus gestas conuertamus orationem, quam ex Polybio maxime mutuabimur. Romani nuncio inopinato accepto de iis, quæ in Africa acciderant, ad reparandam classem animum statim applicant, ad eos periculo eximendos, qui Clupeæ à Carthaginensibus obsidebantur. Id cum Pœnis esset nunciatum, breui tempore ducentarum nauium classem instruxere, cum quaobrem copiis M. Æmylii, & Ser. Fuluii prodiere, qui initio æstatis cum trecentis & quinquaginta nauibus Africam petebant, qui tamen ad Corsuram insulam tempestate delati, eam occuparunt, præsidioque munierunt. Zonar. Inde repetito cursu versus Carthaginem, & mox circa Hermæum promontorium, inito cum classe Punica certamine, primo statim impetu hostem in fugam vertunt, nauibus centum & quatuordecim, cum omnibusqui in iis erant, potiuntur, deinde suis, qui ad Clupeam erant acceptis, Siciliam petunt, Romam statim recto itinere profecturi.

X. *Prosperam quo ...* ZONARAS tamen ait magnum ad victoriam momentum attulisse Romanos, qui in Clypea erant, qui à tergo Carthaginenses ex improuiso adorti fuerint: multos etiã

captiuos seruasse propter Regulum, & socios eius, qui erant in vinculis. Ergo cum iis cursus initur, quantumuis reclamantibus nautis, & aliam viam adiri, tempusq; commodius nauigationi expectari flagitantibus. Bellatoribus contra omnia summa violentia atque audacia perrumpere, & triumphum Romæ agitare festinantibus. Iam medium mare sine periculo erant emensi, & Camarinæorum ditioni appropinquabant, cum in tantam inciderunt tempestatem, tantasque calamitates vt ne referri quidem satis pro rei magnitudine possint. Ex quatuor enim & sexaginta supra trecentas nauibus, vix octoginta incolumes à tempestate superfuere. Reliquæ omnes (284.) aut submersæ vndis, aut scopulis infractæ vniuersum littus naufragiis cadaueribusque compleuerunt. Eadem ferè habet Eutropius & Orosius.

Naufragiū Romanorum.

XI. *Idem ex Diodoro Siculo.* Ex l. 23. At Diodorus Siculus in Excerptis, Romani, inquit, ab ipsa Camarina in discrimen venerunt, nauesque longas 340. Hippagines præterea, aliaque nauigia trecenta perdiderunt, ita vt à Camarina Pachinum vsque cadauera hominum & brutorum, fractarumque nauium reliquiæ iacerent. Qui euaserant eos Hiero benigne suscepit, ac vestibus, cibo, ac reliquis necessariis recreatos, Messanam vsque saluos & incolumes deduxit. Hæc Diodorus, qui res solet vehementer exaggerare. Hoc naufragium Florus in historia silentio dissimulat; in epito. 18. obiter attingit. *Res à ducibus Romanis,* inquit, *terra marique prosperè gestas, deformauere naufragia classium.* Fama huius cladis Carthaginenses in spem erexit Siciliæ adhuc armis retinendæ. Continuo itaque Hasdrubal, cum classe trecentarum nauium, & elephantis centum & sexaginta a in Siciliam est missus, qui copiis expositis, socias Romanorum ciuitates grauiter infestauit. Nec plura his Consulibus gesta. Diodorus ait Carthalum quendam Carthaginensem, post Romanum naufragium, Agrigentum obsidione cinctam subegisse, oppidum incendisse, mœnia destruxisse.

Pœni Siciliam recipiunt.

a Polyb. 140.

ANNVS MVNDI 3800. SEXTÆ AETATIS 284. Imperii Græcorum 58. Antiochi Dei 8 Manassis Pontificis 3. Ptolem. Philadelphi 33. Olympiadis C X X X I. an. 3. Vrbis Conditæ 499. Coss. A. Atilio Catalino II. Cn. Cornelio Scip. Asina II. Belli Punici 11.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 253.

I. *Iubilæus 74. Romani fortitudo.* ANno ab ortu rerum ter millesimo & octingentesimo, quiestmundanus Iubilæus septuagesimus sextus, Romani, quorum potentia inualescebat in dies, de naufragio ab iis qui euaserant edocti, etsi magnum quendam cepere dolorem, ob tantam virorum ac rerum iacturam, lætitiam in luctum repente conuersam, & cytharam in vocem flentium; stetere tamen animis, certi Pœnis nusquam cedere. Itaque trimestri spatio naues 120. ædificant, in quibus noui Consules fretum traiciunt, & assumptis Messanæ, quæ naufragio superfuerant nauibus, classem trecentarum nauium conflant. Ita Polybius, Eutropius rectius ducentarum. Nam paulo ante dictum est à Polybio, cæterisque, octoginta tantum naues superfuisse naufragio, quibus adde 120. nouas, nō plures ducentis efficies.

II. *Tempori Siciliam adeunt.* TEMPORI omnino aduenisse in Siciliam Consules autor est Zonaras, alioqui totam Siciliam Hasdrubale recepturo. Atque id factum anno ab Vr. Cond. quingentesimo. Id fauet Onuphrij Chronolo. At nostra quæ Fastis Capitolinis congruit, quæ est Sigonij, Cuspin. Temporar. Gordoni, Functij, Casaub. & aliorum vno anno antecedit. Romani ergo ducentis nauibus instructis Panormum, quod erat in Sicilia Punicæ ditionis caput, inuaduńt, & machinis duobus in locis expugnare moliuntur; deiectaque turri, quæ ad mare sita erat, inde ingressi milites vrbis partem, quæ noua dicebatur occuparunt: vetus periclitabatur, deditionem oppidani fecere, Consules vrbe potiti, & præsidio in ea relicto, Romam reuertetunt. Diodor. ait ciues in ea deditione cum Romanis conuenisse, vt singula capita duabus minis suam libertatem

l. 23. redimerent, idque factum à quadraginta millibus, reliqua triginta millia venisse. Alias etiam deinceps vrbes enumerat, quæ se Romanis dedidere. Panormi exemplum secutæ. Addit Zonaras Pœnos, obseruato Romanarum nauium reditu, multas earum pecunia plenas intercepisse.

Romamque redeunt.

Interim Iudaicæ res, etiam apud Iosephum, vsque ad Antiochum Magnum obrutæ silentio delitescunt; sacræ autem vsque ad Antiochum Epiphanem; sicut & res Asiæ regum & Ægypti: Romanis & Pœnis interea fortunæ ludum in hoc mundano Theatro ludentibus.

Res sacra, & Iudaica.

ANNVS MVNDI 3801. SEXTÆ ÆTATIS, 285. Imperii Græcorum 59. Antiochi Dei 9. Manassis Pontific. 4. Ptolem. Philadelphi 34. Olympiadis C X X X I. an. 4. Vrbis Conditæ 500. Coss. Cn. Seruilio Cæpione, & C. Sempronio Blæso. Bel. Punici 12.

ANNVS ANTE CHRISTVM 252.

QVINGENTESIMVS Vrbis annus, qui Iudæis fuit Sabbaticus 174. tot enim annorum septenaria ab ingressu in Chananitidem, ad hanc diem numerantur, non alia re fere, quam duobus Romanorum naufragiis insignitur. Ineunte sequentis anni æstate, inquit Polyb. noui Coss. Cn. Seruilius, & C. Sempronius cum vniuersa classe sublatis anchoris in Siciliam traiciunt; vnde mox in Africam proficiscuntur. Nauigantes autem secundum Africæ littus, pluribus locis excensionem faciunt, aut potius, si Diodoro credimus, facere conantur, Carthaginiensibus eos vndique, ne portum capere possent, repellentibus. Itaque, vt ait idem Polybius, nulla re memorabili gesta, ad Lotophagorum insulam, quæ Meninx dicitur, neque longe à Syrti minore abest, deueniunt, vbi delapsi in breuia, recedente maris æstu, inopes consilij in sabulo hæsere: sed mox redeunte mari, facto omnium onerum iactu ægre tandem naues subleuarunt, indeque fugientibus similes discessere. Sic Polybius, cui potius credimus quam Orosio, cum ait vniuersam oram maritimam, quæ circa Syrtes iacet, à Romanis populatam, atque in superiora progressis, captis euersisque plurimis ciuitatibus, ingentem eos prædam ad classem deuexisse. Cæterum æstus hic non totius maris mediterranei, sed loci huius proprius videtur. Nam nostra Gallia, non nisi in Oceano, æstum experitur. Pergit Polybius.

I. *Romani rursum Siciliam & Africam classe petunt.*

l. 23.

Delapsi in Syrtes iacturam faciunt.

DELATI in Siciliam superato Lilybæo, Panormi naues in portum applicant; quo ex loco temere traiectum in vrbem aggressi, (Sic enim corrigendus est Casaubonus, qui fretum Siciliæ hoc loco fingit, quod hinc tantum distat, quanta est totius Siciliæ latitudo: ad Messanam enim fretum est, non ad Panormum, sed pergamus) iterum tempestate iactati sunt, adeo vehementi, vt amplius centum & quinquaginta naues amitterent. Oros. de numero nauium consentit; contigisse autem naufragium ait circa Palinuri promontorium, quod à Lucanis montibus in altum excurrit, & vbi illisas scopuliis naues, nobilem prædam crudeliter acquisitam, infeliciter perdidisse. Diodorus quoque 150. naues hoc ipso naufragio amissas tradit, cum cætero hippaginum & spoliorum apparatu.

II. *Iterum naufragio amittunt 150. naues.* l. 1. p. 40.

Hæ clades, atque naufragia, populum Romanum, quamuis gloriæ cupiditate flagrantem, à classe deinceps paranda aliquandiu cohibuerunt, atque ad spem in terrestribus copiis, oraque Italiæ, 60. tantum nauibus tuanda, collocandam impulerunt, ratum ea detrimenta ex rei naualis imperitia contigisse. Verum id decretum continuo, adacti indomita cupiditate rupetunt. Orol. Zonar. Polyb. Eutropius.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3801.

IS contigit anno mundi 2583. absoluto, quibus si iungas 174. annorum septenaria, id est, 1218. annos, incides in præsentem mundi annum 3801. Vides quoque annos Vrbis Conditæ rectè nobis cum Olympiadibus procedere. Nam septima Olympiade posuimus Vrbis initia cum Dionysio. Præterea autem annus

I. N. I.

capiet Olympiadem centesimam trigesimam primam, id est, annus centesimus 24. à quibus si sex integras Olympiades sustuleris, id est, annos 24. eius iniu superetunt anni quingenti vrbis, quos index anni huius exhibet. Anni quoque Græcorum, qui inchoati sunt secundo Olympiadis 117. recte progrediuntur; inde enim 15. fere Olympiades, id est, 59. anni exacte numerantur.

ANNVS MVNDI 3802. SEXTÆ ÆTAtis, 286 Imperii Græcorum 60. Antiochi Dei 10. Manassis Pontific. 5. Philadelphi 35. Olympiadis CXXXII an. 1. Vrbis Conditæ 501. Coss. C. Aurelio Cotta, & P. Seruilio Gemino. Punici Belli 13.

ANNVS ANTE CHRISTVM 251.

I. Olymp. 132.

NOVVM seculum Romanis, cum noua Græcorum Olympiade illucescit, quæ in curriculo Olympico victorem celebrauit Xenophanem Ætolum: quo tamen initio nihil plane de rebus Græcis occurrit, modicum aliquid de Romanis, adeo vt hos Consules Polybius & Eutropius prætermiserint; reliqui tamen suo ordine collocarunt. Præsertim Zonaras, qui eos in Siciliam profectos, tum alia loca, tum Himeram cepisse ait, sed vacuam ciuibus, quos Carthaginenses noctu asportarant. Erat hæc vrbs prope Panormum, & Himeram fluuium sita, occidentem versus, iuxta Ptolemæi tabulas; qua deleta ciues in vicinum Thermarum oppidum transmigrarunt.

II. Res ab Aurelio ad Liparam gestæ. Ex Zonara.

POST hæc Aurelius Cotta, vt ait idem Zonaras, nauibus ab Hierone acceptis, & Romanis omnibus, qui in insula erant assumptis, Liparam traiecit (est ea insula ad septentrionale Siciliæ littus sita, non longe à Peloro promontorio, & freto Messanensi) Ibique Q. Cassio Tribuno mil. relicto, qui eam sine pugna obsideret, domum rediit; sed Quintius, mandato Consulis neglecto, vrbem aggressus multos amisit. Qua deinde Aurelius expugnata, omnes occidit, & Cassio magistratum abrogauit.

Et Frontino. l. 4. c. 1. n. 30. & 31.

At Frontin. l. 4. Stratag. eum Valerium vocat, aitque in ipsum, quamuis ex gente Valeria virum nobilem, virgis animaduertisse. Moxque refert Aur. Cottam Consulem, P. Aurelium sanguine sibi iunctum, quem obsidioni Lipararum, ipse ad auspicia repetenda Messanam transiturus, præfecerat, cum agger incensus, & capta castra essent, virgis cæsum, in numerum gregalium peditum referri, & eorum muneribus fungi iussisse. Vides quanta sit in breui narratione diuersitas. Refert hoc factum Sigon. in Fastis, sed mendose Valerium pro Aurelio ponit, quod erat Cottarum nomen. Apparet huc quoque pertinere illud eiusdem Frontini.

l. 4 Strat. c. 1. n. 21.

Aurelius, inquit, *Cotta Consul, cum ad opus equites necessitate cogente iussisset accedere, eorumque pars detrectaret imperium, questus apud Censores effecit vt notaretur. A Patribus deinde obtinuit ne eis præterita æra procederent.* Id est, opinor, vt quæ eis à Republica stipendia militiæ debebantur, ne soluerentur, sed eius pecuniæ iactura mulctarentur.

III. Et ad Thermas Diodorus, &c. l. 23.

DIODORVS Siculus in Excerptis, ait Thermas & Liparas deditione in Romanorum potestatem venisse, idque hoc anno contigisse significat Polybius, & recte affirmat Sigon. De Thermis autem narrat facinus memorabile, quo auaritia merito supplicio castigata fuerit.

Diodor. l. c.

Dum portæ Thermarum præfectus, ob necessaria negotia peregre abest, à Romanorum exercitu comprehenditur; qui per internuncium cum Imperatore agit, si dimiserit ipsum, noctu ciuitatis portam se illi aperturum. Is certum tempus pactus, hominem abire sinit, & mille viros noctu illuc mittit.

Auaritiæ pœna.

Quibus præstituto tempore ille portam aperit, eamque præcipui ac nobiles ingressi, custodi portæ iniungunt, vt occludat, nec alium quemquam intromittat: quod soli diuitias ciuitatis auferre cuperent. At hi omnes concisi, dignam cupiditate sua mortem opperiere.

Porro Cotta hoc anno legitur triumphasse de Pœnis ac Siculis. Idib. Aprilis.

ANNVS MVNDI 3803. SEXTÆ AETAtis 287. Imperii Græcorum 61. Antiochi Dei 11. Manassis Pontificis 6. Ptolem. Philadelphi 36. Olympiadis CXXXII. an. 2. Vrbis Conditæ 502. Coss. L. Cæcilio Metello, & Cn. Furio Pacilo. Bel. Punici 14.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 250.

I. Summa rerum anni huius, & rerum status.

INSIGNIS est hic annus Metelli rebus bene gestis in Sicilia, & M. Attilij Reguli legatione, omnium scriptorum litteris decantata. Rebus bene gerendis à Metello aditum patefecit Pœnorum superbia, quam ingens etiam deiectio excepit. Nam Romani tot tempestatibus naufragiisque vexati, maris imperio Pœnis cedebant, & Elephantorum concursu in Africa duce Xantippo male habiti, ac dissipatis ordinibus contrucidati, eos exhorrescebant, vt scribit Polyb. ita vt biennio toto nunquam aut prælium primi inuadere, aut omnino in plana descendere, dum impressionem bestiarum reformidant, ausi fuerint. Quæ res à Pœnis animaduersæ, eorum animos mirum in modum extulerant, & ad Romanorum contemptũ paulatim adducebant. Idem erat Romanorum metus, cum Coss. noui in Siciliam cum 60. tantum nauibus, iuxta decretum Senatus, traiecerunt ad commeatum exercitui importandum, supplendasq; legiones Quorum alter non diu post, cũ dimidia copiarũ parte, in Italiam rediit.

II. Hasdrubalis in Romanos copia.

HIC Hasdrubal Carthaginensium copiis præfectus, qui iam non semel Romanos belluarum metu pauitantes animaduerterat, vbi alterum etiam Consulem cum copiis abiisse didicit, Cæcilium Panormi agere, ex Lilybæo cum exercitu contra eum profectus est. Quantus esset hic exercitus docet Oros.

l. 4. c. 9.

L. Cæcilio Metello, inquit, & C. Furio Pacilo Coss. Hasdrubal nouus Carthaginensium Imperator cum Elephantis centum triginta; & equitum peditumque amplius triginta millibus Lilybæum venit ex Africa, & continuo cum Metello Consule apud Panormum pugnam conseruit, &c.

L. 23.

Diodorus Siculus, ait Asdrubalem male audisse apud suos, quod non pugnaret. Ideoque cum toto exercitu digressum, per Selinunciæ terræ difficultates, Panormum peruenisse, vicineque amne superato, circa muros castra posuisse, quæ, propter hostis contemptum, nec vallo, nec fossa cinxisset.

III. Metelli ad pugnam apparatus.

POLYBIVS autem ait Cæcilium de industria se continuisse portis, vt hostium crescente audacia, flumen vniuersi traicerent, ne scilicet fuga elaberentur, aut fugientes fluctibus haurirentur. Deinde expeditam manum ante vrbem & ad muros mœnia, & in fossis collocasse, vt appropinquantes bestias telis obruerent.

Prior pugna cum elephantis.

Cumque iam pugna à velitantibus inchoata, aliis atq; aliis subinde succedentibus, acrior fieret atque sæuior, Rectores belluarum æmuli gloriæ Hasdrubalis, suam facere victoriam optantes, vno omnes impetu in primos pugnatores irrumpunt; quos facile auersos in fossas compellunt. In hos acti Elephanti, cum & ab iis, qui è mœnibus sagittas mittebant, ferirentur; & pilis hastisque velitantibus, ab integris illis, qui pro fossis positi fuerant, configerentur, mox telis toto corpore confossi, vulneribusque confracti sæuire incipiunt, & conuersi in suos ruunt, ac tum singulos proculcando interimunt, tum ordines ipsos conturbant, & dissipant.

IV. Tessera cum hominibus.

HOC cognito Cæcilius copias extemplo educit, & cum recentibus suis, compositaq; acie hostium incompositorum latera cum inuasisset, fusis magna clade hostibus, multos eorum occidit, reliquos in effusam fugam auertit. Belluæ cum Indis suis captæ sunt decem; cæteræ quæ rectores deiecerant, post pugnam omnes ab equitibus circumuentæ, captæque sunt. Modum explicat Zonaras.

Qui capta belluæ.

Cum, inquit, elephantis notis sibi magistris destituti ferocius exasperarentur, Metellus præconio edici iubet salutem magistris illis, qui capti essent, & incolumitatem se polliceri. Itaque eorum opera mansuetissimis captis, etiam cæteros attraxerunt, qui 120. numero per fretum Romam sunt traducti. Orosius, viginti millia Carthaginen-

ginensium in eo prælio cæsa dicit, Elephantos viginti sex interfectos, centum & quatuor captos, & per Italiam ductos, maximum Italicis gentibus spectaculum præbuisse.

V. *Victoria ex Floro. l. 2. cap. 2.*

FLORVS Metello Consule, spirantibus altius Pœnis, & reuerso in Siciliam bello apud Panormum sic hostes cæsi sunt, vt ne amplius in ea insula concitarentur. Argumentum ingentis victoriæ, centum circiter elephantorum captiuitas, quia scilicet aliquanto plures. *Eutropio.* Eutropius cætera consentit Orosio, sed de elephantis sex inquit & viginti cepit, reliquos errantes per Numidas, quos in auxiliis habebat collegit, & Romam deduxit ingenti pompa, cum 130. elephantorum numerus omnia itinera compleret. *Diodoro. l. 23.* Diodorus autem in excerptis, hanc Carthaginensium cladem Celtarum ebrietati attribuit, à quibus turbata sint omnia: Elephantos autem tantum 60. Romam deductos ait, sed cæteri meo iudicio, & de victoriæ causa, & de elephantorum numero probabiliora tradidere.

VI. *Mors Hasdrubalis.*

QVID porro factum est Hasdrubali? Cum paucis Lilybæum profugisse, atque absentem à Pœnis capite damnatum fuisse scribit Orosius. Addit Zonaras, à Carthaginensibus reuocatum, atque in crucem actum esse. Atque hic annus fuit decimus quartus Punici belli primi, vt scribit Polyb. licet ea verba, quasi alieno loco, per parenthesin inserta videantur, & ad sequentes Consules relata, quorum etiam nomina victoriæ Metelli, per quandam præoccupationem anteuertuntur. Idque intellexit Perotus cum Coss. C. Attilium & L. Manlium, non creatos dixit, vt Casaubonus, sed designatos in sequentem annum. Quæ mox ex Reguli captiuitatis annis, Orosius aperte firmabit. Hæc victoria contrarios, vt par erat, animorum motus in Pœnis & Romanis excitauit.

VII. *Tunc pacem petunt per legatos.*

NAM Pœni tot fessi malis petendam esse à Romanis pacem decreuerunt. Ad quam rem Atilium Regulum, antea Romanum ducem, quem iam per quinque annos captiuum detinebant, inter cæteros legatos præcipue mittendum putauerunt. Oros. vt pacem à Romanis obtineret, ac permutationem captiuorum faceret, Eutrop. *Additur Regulo captiuus.* Iureiurando adstrictum, vt nisi ea impetraret Carthaginem ad vincula reuerteretur. Zonaras. Ille Romam cum venisset se pro Carthaginense gessit, dixitque se ex illa die, qua in potestatem Afrorum venisset, Romanum esse desiisse, Eutrop. Itaque neque vxorem ad colloquium admisit, neque vrbem quamuis vocaretur ingressus. *Eius in Senatu oratio.* Sed Senatu extra vrbem coacto) ita enim respondere legatis hostium moris erat) in concilium introductus dixit. *Nos P.C. Carthaginenses ad vos miserunt. Nam ego quoque iure belli seruus eorum factus sum, petentes in primis vt pax iis conditionibus, quas vtrinq. probaueritis, fiat, sin id nolitis, saltē vt captiui permutentur.*

VIII. *Iubetur interesse deliberationi.*

HÆC locutus cum legatis secessit, vt Romani soli deliberarent. Cum autem à Coss. interesse deliberationi iuberetur, non paruit, priusquam id Carthaginenses permisissent. Ac tacitus assidens cum sententiam rogaretur. *Ego, inquit, P.C. si vel millies captus fuero, vnus vestrum sum. Corpus Africanis iuris est, animus Romanus est; itaque cum vobis consultum cupiam, pacem cum Pœnis nullo modo è re vestra esse duco.* Zonaras. *Illos enim tot fractos casibus, spe meliorum destitutos esse, se tanti non esse, vt tot millia captiuorum propter vnum se, & senem & paucos, qui ex Romanis capti fuerant, redderentur.* *Dissuadet pacem, & captiuorum permutationem. a an. Vr. C. 498. n. 6.* Sic Eutropius; qui tamen paulo ante Attilium captum narrauit cum quindecim millibus Romanorum, vt supra notauimus, *a* quem sane numerum magna Romanorum fortitudo, mortem vinculis, & seruituti præferentium, parum probabilem facit. Quingenti certe fuerant, vt cum Orosio dicebamus, verum pauci erant ad multa millia Pœnorum, tot victoriis in captiuitatem abductorum.

IX. *Eiusdem fortitudo, & contemptus sui.*

SVBIECIT Regulus non dubitare se exitium sibi imminere. Neque enim Carthaginenses latere posse quid suaserit, sed vtilitatem Reip. ducere suis commodis antiquiorem. Addidit sibi vel aufugere, vel Romæ remanere integrum non esse, dato de reditu iureiurando, quod seruata fide solus ærumnam passurus esset, violata tota ciuitas periurij crimine obstricta teneretur. *Fides.*

Cumque nihilominus Senatum ad pacem ac permutationem, salutis illius causa, propendentem videret, simulauit se epoto dudum veneno Carthagine, breui periturum: vt aiunt Zonaras & Gellius, *b* ex Tuditani libris. *b l. 6. c. 4.* Addit Eutropius, negasse se in vrbe mansurum, in qua, postquam Afris seruierat, dignitatem honesti ciuis habere non posset. Pergit Zonar. Ita neque pace, neque captiuorum permutatione facta, cum eum cum legatis abeuntem, præter alios vxor & liberi retinerent: Consules neque manere volentem detenturos, neque abeuntem detenturos esse dixerunt.

X. *Redit in Africam repugnantibus suis.*

ITAQVE propriæ pudore seruitutis victus, & iureiurandi religione priuatis affectibus anteposita, discessit. Valet ergo hoc quoque loco illud magni poëtæ,

Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido.

Quę vereor ne hominem in fraudem induxerit, dum contemptum mortis ac suppliciorum, veram fortitudinem arbitratur; quæ, si nihil adsit aliud, etiam in tauris, apris, leonibus inueniatur. *Auctoris.* Dum publicam vtilitatem priuatæ anteponere se putat, dum iusiurandi religionem, etiam in male promissis, obseruandam existimat. Certe imprudens atque inconsulta fortitudo id nomen non meretur, qualis ea est quæ in rectum finem, ac rationi consentaneum non feratur, quæ patriæ detrimenta pro commodis, inani delusa specie amplectatur.

XI. *Videri eum damnosum patriæ.*

NAM fortissimus Imperator, qualem hi affectus ostendunt fuisse Regulū, & rerum gerendorum peritia ac gloria illustris, vel vnicus in Repub. instar est multorum millium, vt illo ipso tempore intellectum est, quo, cum quingentis militibus, captus est ipsemet Regulus; quo Xantippus factus est Carthaginiensium imperator, cū attriti iam quotidianis cladibus Pœni, statim victores facti sunt, & Romanos ad eum diem victores, damnis maximis affecerunt, fuderunt, fugarunt, & pene ad internecionem deleuerunt. Itaq; nec Reipub. vtile fuit Regulum, & eius quingentos socios, in manibus crudelissimorum hostium deserere, qui plus Reip. prodesse poterant, quā multo plures hostes eidē nocere, nec æquum vel decorū ciues charissimos, & bene de Rep. meritos sponte perdere, vt inimicos, qui nocere non possint, vlciscare. Imo debuit grata ciuitas, in gratiam veterani, ab bene meriti imperatoris, pro eius salute multo maiorem vtilitatem aspernari, atque abiicere. Quod etiam ciuitas ipsa agnouit, ac voluit, nisi per Regulum stetisset, qui rigidus sui suorumque contemptor, Remp. ad istiusmodi ingratitudinem atque iniuriam, pernicioso in seipsum mendacio vsus, pepulit.

XII. *Promissionē irritandam fuisse.*

QVOD si de re iniusta, ac Reip. noxia promissio mala est, certe perspicuum est, de huiusmodi re iusiurandum editum, sublato scandalo irritandum fuisse: & in hoc toto negotio Regulum veniam potius ignorantiæ, quam laudem eximiæ cuiusdam fortitudinis mereri, si res ad viuum resecetur. Quemquam, vt in illis tenebris educatus, iure laudari possit, præeunte Augustino, qui *c* cùm eū multis patribus Catoni prætulisset; *Inter omnes suos,* inquit, *laudabiles, & virtutum insignibus illustres viros, non proferunt Romani meliorem, quem neque fœlicitas corruperit, nam in tanta victoria pauperrimus permansit: Nec infœlicitas fregerit, nam ad tanta exitia reuertit intrepidus.* *c l. 1. de ciu. c. 23. Laudatur ab Aug.* Eadem supplicia idem Augustinus alibi *d* recensuit. *Ast illi eum,* inquit, *excogitatis, atque horrendis cruciatibus necauerunt. Inclusum quippe angusto ligno,* quidam arcam, alij dolium, & vas, & machinam appellant, Florus etiam crucem, *vbi stare cogeretur, clauisque acutissimis vndique confixo, vt se in nullam eius partem sine pœnis atrocissimis inclinaret, etiam vigilando peremerunt.* *d l. 13. eiusdem operis. Supplicium de eo sumptum.* Addit Zonaras Pœnos eum præcisis palpebris, vel sursum deorsumque insutis, ne conniuere posset, aliquandiu in tenebris conclusisse, & mox in illo inclusum dolio, etiam ardentibus solis radiis obiecisse; quæ etiam amplificat Gellius, *e* ex Tuberonis historiis. *f* *e l. 6. c. 4. f Val. l. 1. 9. c. 2.*

XIII. *Eiis Pœna à Romanis.*

HIS Romæ auditis Romani, principes captiuorum, eius liberis vicissim, & excruciandos, & necandos tradiderunt, & Coss. C. Attilio Reguli fratri, & L. Manlio bellum Africanum decreuerunt. Zonar. Cum autem à Senatu nobilissimi Pœnorum liberis Reguli dediti fuissent, ab iis in armario muricibus præfixo inclusi sunt, ibique

desti-

destituti, & eadem insomnia cruciari interierunt. *a* In quo Senatus ipse Romanus grauiter deliquisse videtur, qui non tradidit tortori puniendos reos, sed odium cruciatibus exaturandum in innocentes, aut certe tantum supplicium minime promeritos: vt qui crudelitatis ciuium suorum non fuerunt vlla ratione participes. Sic fere Alexandri Bessum interfectorem Darij, fratri Darij excruciandum dedit; Romani accepto nuncio tam illustris à Metello partæ victoriæ, efferri omnes lætitia, non ideo quod amissis Elephantis multum hosti de suis viribus decessisset; sed quod militibus post bestias superatas, animi spiritusque rediissent. Iraque obfirmato rursus animo ad pericula, Coss. cum classe copiisque naualibus, rursum in expeditionem mittere decreuerunt. Id anno proximo, factum est, quo & Metellus de Pœnis speciosissimum triumphum egit, tredecim ducibus hostium, & centum viginti elephantis in eo ductis, vt est in Epit. 19. Liuiana.

a Gellius l. 6 c. 4. *Iustin. l. 12.*

ANNVS MVNDI 3804. SEXTÆ AETATIS, 288. Imperij Græcorum 62. Antiochi Dei 12. Manassis Pontificis 7. Ptolemæi Philadelphi 37. Olympiadis CXXXII. an. 3. Vrb. Conditæ 503. Coss. C. Atilio Regulo II. Et L. Manlio Vulsone II. Belli Punici 15.

ANNVS ANTE CHRISTVM 249.

I. *Romani classem in Panormo reparant.*

CVM Romani mutata sententia animum ad maris imperium iterum adiecissent, magna vi & nouas fabricare naues, & classem reparare cœperunt, bello isti finem modis omnibus imponere cupientes; præsertim cum intelligerent, iuxta ea quæ ante diximus ex scriptoribus antiquis, naufragia præterita non mari, aut fortunæ, sed ducum, siue Nauarchorum temeritati, atque importunitati esse tribuenda. Itaque paratis omnibus ad expeditionem naualem necessariis, cum classe ducentarum nauium in Siciliam Consules ambo proficiscuntur. Ita fere Polyb. Diodorus Siculus in excerptis, *b* ait Romanos cum 240. longis nauibus & Cercuris 60. omnique nauigiorum genere Panormum delatos, indeque Lilybæum traiecisse. Cercuros nauigij quoddam genus esse perspicuum est, quale autem non item. Si quid licet ex nominis notatione conijcere, naues ita dictas à gemina cauda suspicor, anteriore in prora, in qua erant illi siue corui, siue ferreæ manus, cum tigno quod ad 4. vlnas protendebatur, vt ait Polyb. posteriore in puppi, in qua instar caudæ alterius erat gubernaculum.

Et Siciliam repetunt Consules. *b l. 24. init.*

II. *Res gestæ apud Lilybæum.*

CVM Lilybæum appulissent, & pedestres etiam copiæ, quæ in Sicilia erant, eodem illis occurrissent, eius oppidi obsidendi consilium ineunt; quippe eo capto bellum se facile in Africam translaturos, nulla Pœnis arce belli in Sicilia relicta; quod cum Pœnis quoque notum esset, vterque populus alter in oppugnanda, alter in propugnanda illa ciuitate omnia conferebat. Polyb. Carthaginienses Selinunciorum, vrbis à se euersæ, ciues Lilybæum opportune transtulerant; quibus etiam 4. millia Carthaginiensium subsidio venere. Diodor.

Vrbem munitissimam.

Vrbs erat egregie munita muris, & alta in circuitu fossa, & aquis restagnantibus, per quas aditus ad portum patet. Vrbem Romani vtraque ex parte castris cingunt, vallo, fossa, muroque muniunt; tum turres septem, quæ ad mare prospectum habebant, crebro ariete deiiciunt; oppidanis indefesso labore, tum quassata restaurantibus, tum ignes machinis miscere molientibus: quod sæpius frustra tentatum, cum multa militū iactura, tandem tempestate ac vento obsecundante magna cum clade Romanorum perfectum est.

III. *Noua vtrimque auxilia.*

CVM QVE insuper missa Carthagine auxilia, quæ Annibal Hamilcaris filius ductabat, nauibus in vrbem in oculis Romanorum penetrassent; & proditionis consilia irrita fecissent, Romani abiecta spe Lylibæi per vim expugnandi, sese ad diuturniorem obsidionem comparant. Quibus Romæ cognitis conscriptus est decem millium exercitus, & eum nouo consule in Siciliam missus: quæ pluribus Polybius, Zonaras breuius persequitur; amboque in eo consentiunt, vt Carthaginensium res meliore hoc anno esse loco viderentur, quam Romanorum. Ait etiam Diodorus Romanorum exercitum peste ac fame vehementer laborasse, & ab Hierone recreatum. Famis causam Zonaras refert; quod cum Pœni equos in locorū angustiis inutiles viderent, eos Drepanū misissent; qui inde excursionibus crebris Romanos pabulatione & commeatu prohibebant, eorum socios infestabant, dum interim Adherbal nunc Siciliæ, nunc Italiæ oram populatetur.

Pœnorū res meliore loco quam Romanorum. Hieronis clades.

ANNVS MVNDI 3805. SEXTAE AETATIS 289. Imperii Græcorum 63. Antiochi Dei 13. Manassis Pontificis 8. Ptolemæi Philadelphi 38. Olympiad. CXXXII. an. 4. Vrb. Conditæ 504. Coss. P. Claudio Pulchro, & L. Iunio Pullo. Punici belli 16.

ANNVS ANTE CHRISTVM 248.

ANNVM Philadelphi trigesimum octauum plerique duce Eusebio, etiam vltimum esse putauerunt, qui cum ineunte Olympiade 124. regnum adiisse putant. At nos qui ipsum biennium circiter cum patre regnasse putamus, vt in principio regni eius accurate probauimus, etiam regnum eius ad quadragesimum vsque annum producimus; nihil aucta propterea, aut variata chronologia Regum Ægypti, aut Regum Syriæ, quam Eusebius in chron. secutus est. Quod autem Iosephus, & eum secutus Tertullianus, in libro contra Iudæos Philadelpho, vndequadraginta annos tribuunt, sicut & Torniellus, cum Ptolemæi Almagesto conuenire non possunt, vt Philadelphi anno primo demonstratum est.

I. Ratio temporis Philadelphi. *Lib. 12. c. 2. initio.*

TRISTIS est hic annus Romanæ Reipublicæ, clade ad Drepanum accepta, quam pluribus à Polybio expositam paucis accipe. P. Claudius consul cum ad Romana castra, cum decem millium supplemento peruenisset, Drepanum cum omni classe adire, & ibi Adherbalem nec opinantem opprimere aggressus est. Itaque media nocte soluit, sub lucem venientem conspicatus Adherbal, etsi rei nouitate obstupefactus, non abiecit tamen animos, sed conuocatis suis, ad rem bene gerendam metu calamitosæ obsidionis, vehementer accendit, & se præeuntem sequi iubet. Iam portum subibat Publius, miratus Adherbalem non cogitare deditionem, sed pugnam, & aperto mari naues ad pugnam instruentem. Ergo Consul naues suas partim intra portum receptas, partim portum subeuntes, conuersione facta retro nauigare omnes iubet, magno cum tumultu nauium, nautarumque in angustiis concurrentium, & remos sibi inuicem detergentium. Eductas ad littus collocat, dum reliquas naues, paulatim prodeuntes è portu, expectat.

II. Claudius Consul Drepanum adit. *Pugnam in Adherbalem parat.*

SIGNVM ex vtraque prætoria ad certamen datur. Et quamuis vtrimque à principio paribus momentis pugnaretur, quod ab vtraque parte flos pedestrium copiarum decertabat, paulatim tamen res Pœnorum superior esse cœpit. Nam & peritia remigum, & fabrica nauium, & celeritate nauigandi longe vincebant: quibus omnibus accedebat opportunitas loci bene cogniti, atque explorati; vbi & retrocedere, & circumagi, & in omnem sese partem flectere poterant, siue ad vitandum periculum, siue ad subueniendum à tergo periclitanti. Quibus omnibus cum Romani carerent ad littus compulsi, & vice versa in breuia inciderent, vel solo illiderentur, nec suis laborantibus opem ferre possent, vtiq; vincebantur. Quæ conspicatus Claudius à læua fugam capescit cum 30. nauibus. Cæteras ad tres & nonaginta, cum omnibus qui intus erant, ceperunt Pœni paucis exceptis, qui è nauibus suis, quas in littus impegerant, aufugere, mox naues captas cum viris Adherbal Carthaginem misit.

III. Confligit, & vincitur. *Causa & magnitudo cladis ex Polybio.*

MAGNAM ex hoc prælio gloriam consecutus est Adherbal, vt qui solus prouidentia, ac fortitudine singulari visus, author victoriæ extitisset: Publium contra lacerare maledictis Romani, quod imprudentia ac temeritate sua

IV. Eadem clades ex Orosio.

te malegesta, Rempublicam in discrimen adduxisset: vnde postea, habito de eo iudicio, grauiter molestatus magnum periculum adiit. Hæc ex Polybio. Cladem breuiter ac distincte Orosius explicat his verbis. Post hos Claudius consul cum classe centum viginti nauium, ad Drepanum portum contra hostem profectus, ibique mox exceptus classe Pœnorum superatus est. Et ipse quidem cum triginta nauibus Lilybæum in castra confugit; reliquæ omnes, hoc est, nonaginta aut captæ, aut demersæ fuerunt; octo millia militum cæsa, viginti millia capta referuntur. *Et Diodor.* Diodorus l. 24. classem Romanam fuisse dicit ducentarum & viginti nauium, amissas septemdecim supra centum, viginti hominum millia amissa. De Pœnis autem cum nonaginta tantum haberent naues, non solum neminem occubuisse, sed paucos etiam fuisse vulneratos. Sed Diodorus, vt sæpius monui, res vehementer augere solet, atq; adeo, si obserues, Pœnis magis fauere quam Romanis.

V. *Causa cladis imperata ex Floro, M. Tullio.* CLADIS huius causam plerique tradidere. In quibus Florus simple & rotunde vt solet. P. Claudio Consule populus Romanus, non ab hostibus, sed à diis ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat; ibi statim classe demersa, vbi ille præcipitari pullos iusserat, quod pugnare ab iis vetaretur. Eadem Valerius l. 1. & alij. Sed instar multorum sit M. Tullius, qui primo de diuinat. Hunc Appij Cæci filium fuisse tradit. *Nihil nos*, inquit, *P. Claudij bello Punico primo temeritas mouebit, qui etiam per iocum deos irridens, cum cauea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam iussit, vt biberent, quoniam esse nollent: qui risus classe deuicta multas ipsi lacrymas, magnam populo Romano cladem attulit. Quid cum collega Iunius eodem bello, nonne tempestati classem amisit, cum auspiciis non paruisset? Itaque P. Claudius à populo condemnatus est, Iunius necem sibi ipse conscivit.* Sed de Iunio paulo post. *Et Valerio Maximo.* De P. Claudij condemnatione hæc Valerius. P. Claudius nescio religionis maiore, an patriæ iniuria (siquidem illius vetustissimum morem neglexit, huius pulcherrimam classem amisit,) infesto populo obiectus, cum effugere debitam pœnam nullo modo posse crederetur, subito coorti imbris beneficio, tutus fuit à damnatione. Discussa enim quæstione, aliam velut diis interpellantibus, de integro instaurari non placuit. Ita cui maritima tempestas causæ dictionem contraxerat, cœlestis salutem attulit. Hæc ibi.

VI. *Res ab altero consule gesta.* QVOD ad Iunium attinet, is iussus est Lilybæum obsidentibus annonam deferre, auxiliaque sufficere. Ergo cum sexaginta nauibus, quæ commeatui præsidio essent, Messanam venit, & aliis sibi assumptis, Syracusas cum longis nauibus 120. & vt ait Polybius, onerariis, quæ commeatum ferrent, prope octingentis contendit. Inde Quæstores præmittit cum parte nauium atque commeatus; ipse Syracusis, expectans naues quæ subsequebantur, substitit.

Et Carthalonem Romanos ad Lilybæum. Eodem tempore Adherbal Carthalonem, alterum Pœnorum ducem, nauibus triginta ei traditis, præter alias septuaginta, cum quibus Carthagine aduenerat, dimittit: iubetque vt naues hostium, quæ Lilybæi in anchoris stabant, repente adortus quascunque poterit, capiat, cæteris ignem iniiciat. Quæ cum ille summo mane impigre, atque animose exequitur, tumultus videlicet ingens in castris Romanis excitatur, quo simul excitus Lilybæi præfectus, qui oppidum illud aduersus Romanos propugnabat, militem mercenarium ex vrbe insuper immittit, vt Romani malis vndique circumuenti, obruantur. Inde Carthalo Heracleam versus proficiscitur. (Ex medio in littore est eius oræ Siciliæ, quæ Africam respicit) omnia circumspiciens, quo Romanos impediret, ne ad exercitum nauigarent. Ideo certior factus à speculatoribus magnum numerum nauium omnis generis aduentare, iamque in propinquo esse; pugnæ auidus, vt qui ex proxima bene gesta re Romanos contemneret, aduersus eas properauit.

VII. *Romani se pugnam deuitant.* EODEM modo Romani quoque adesse classem hostium à speculatoribus agnouere. Qui cum se longe impares esse ad bellum nauale arbitrarentur, in proximum forte litus, iuxta quod erat oppidum Romanæ ditionis, naues subduxere. Erant in iis locis recessus quidam atque anfractus, quibus desuper rupes imminebant. Iuxta consistentes Romani lapidibus, machinisque petrariis, quæ in oppido fuerant inuentæ, naues hostium arcebant. Illi nonnullis onerariis ex hostili classe comprehensis, ad proximum amnem se recepere.

Iunius Consul in aduentum. Interea Consul rebus confectis antegressos Quæstores suos sequebatur, & Pachino promontorio superato, Lilybæum petebat, omnium quæ suis contigerant ignarus. Cum Carthalo iterum fit certior à speculatoribus hostes apparere, atque aduentare. Qui statim in occursum properat, cum iis pugnare appetens, dum quam longissime à suis absunt.

VIII. *Pugnam ab Carthalo detrectat.* IVNIVS, qui multo ante Punicam viderat classem, & ingentem nauium numerum, committere pugnam non audebat, fugere ob propinquitatem hostium non licebat: fugientem enim Pœnus, nauium suarum celeritate, facile occupare, atque anteuertere potuisset. Quare ad loca aspera, atque periculosa conuersus, eo coniicit naues: satius iudicans quemuis subire casum, quam integrum exercitum hostium permittere potestati. Pœnus optabat quidem decertare, ad loca tamen tam periculosa accedere noluit, sed promontorio quodam occupato, classem illuc applicat; ibique medius inter vtramque Romanam classem ambas obseruabat, in vtramque pariter intentus, cum exorta tempestate, Carthalo, ægre superato Pachino euadit.

IX. *Classis tempestate conquassata est.* AT Romana classis vtraque, in locis confragosis, importuosisque deprehensa, fluctibus & saxis ita conquassata ac confracta est, vt ne tabula quidem vllius vsus ex naufragio superesset. Diod. Sicul. hæc longe aliter narrat, nec meo iudicio probabilius. Inter alia fugisse consulem Syracusas versus, sperantem ab Hierone auxilium: sed ad Camarinam deprehensum, ad loca aspera, vadosaque confugisse; quæ tu lector, si videbitur consules. Rem autem ad Geloum litus contigisse ait, quod nomen vel ab vrbe Gela, vel à Gela fluuio, quem Himeram Ptolemæus vocat, accepit. Eutropius ait exercitum saluum fuisse, quia vicina erant litora. Eam cladem ad neglecta auspicia Cic. Valerius, aliique retulerunt: partim suorum ignauiæ, & imprudentiæ, quam Polybius accusat, partim vanissimæ religioni patrocinari cupientes.

ANNVS MVNDI 3806. SEXTÆ ÆTATIS, 290. Imperij Græcorum 64. Antiochi Dei 14. Manassis Pontificis 9. Ptolemæi Philadelphi 39. Olympiadis CXXXIII. an. 1. Vrbis Conditæ 505. Coss. Seruilio Gemino II. & C. Aurelio Cotta. II. Punici belli 17.

ANNVS ANTE CHRISTVM 247.

I. *Laodicea fit uxor in gradum suum.* SVA extremos hosce Antiochi & Philadelphi annos contigerunt ea, quæ paululum ante vtriusque mortem legimus contigisse, quæ ex sancto Hierony. in vndecimum Danielis notauimus. Qui postquam nuptias Antiochi Dei cum Berenice, altera filia Ptolemæi Philadelphi retulit, & reiectam Laodicem in concubinæ locum: *Post multum vero tempora*, ait, *amore superatus*, *Laodicem cum liberis suis reduxit in regiam. Quæ metuens ambigui viri animum, ne Berenicem reduceret, virum per ministros veneno interfecit.* Sic ipse. Sed mors non nisi sequenti anno, qui est vltimus regni vtriusque contigit. De 39. porro anno Philadelphi, quem aliqui vltimum eius regni putant, diximus anno præcedenti. Præsentem illustrat noua Simyli Olympionicæ in Elide victoria. *an. 1.*

II. *Iunius Erycem occupat.* SVB huius anni initium, antequam noui Coss. Romæ magistratum inirent, Iunius ad legiones post naufragium reuersus, animi anxius in eam curam incumbebat totus, vt nouo aliquo, & memorabili facinore acceptum detrimentum repararet. Itaque tandem nactus occasionem Erycem proditione occupauit, & tam Veneris ædem; quam vrbem ipsam in potestatem redegit. Vtraque in monte est, ad mare quod Italiam respicit, sita, inter Drepanum & Panormum, omnes Siciliæ montes præter

Ærhnam superans, vt ait Polybius; quem mirum est à Ptolemæo prætermissum. Ad Erycem porro aliquot annis magna contentione, atque obstinatione animorum, inter Amilcarem, ac Romanos pugnatum esse scribit Polybius, sed quo quidque anno factum sit, nec distinguit ipse, nec distingui posse putat. Itaque ne Consules quidem vsque ad C. Lutatium proferr, quo rursum consilia de nauallbus prælus, ad quinque annos reiecta, complexi sunt.

III. *Terrarem gunt.* Porro Aurelius & Seruilius cum classe carerent, & Romani naufragiorum tædio, ac damnis, de maris imperio Pœnis concederent, Lilybæum & Drepanum infestantes, terra Carthaginenses prohibuerunt; eorumque socias ciuitates afflixerunt. At Carthalo multis contra eos frustra tentatis, ad oram Italiæ vexandam profectus est, vt aut Consules eo traduceret, aut interea agros vastaret, & vrbes caperet. Sed ibi quoque irriti fuerunt eius conatus. Nam aduentante vrbis præfecto in Siciliam rediit, vbi cum conductitius miles ob stipendium tumultuaretur, multos ipse, eiusque successor male perdidit, vt ait Zonaras: qui in hunc etiam annum refert sancitam perpetuam cum Hierone amicitiam, remissis tributis annuis, in quæ victus consenserat.

IV. *Parthi quando defecerint.* Scribit Eusebius in Græco Latinoque chronico, Parthos hoc anno à Macedonum & Antiochi dominatu defecisse. Primum apud eos regem fuisse Arsacem, à quo Parthorum reges Arsacidæ dicti sunt. Iustinus l. 41. ait Parthos à Seleuco Callinico pronepote primi Seleuci, qui dictus est Nicator, siue Nicanor defecisse, primo Punico bello L. Manlio Bulsone, & M. Attilio Regulo Coss. qui scilicet Coss. fuerunt ante biennium, anno vrbis conditæ 503. quod Scaliger quoque in Eusebii chronicon probat. Sed corrigendus est primum Iustinus in nominibus Coss. Nam prior dictus est Vulso, posterior autem C. Nam M. Regulus non fuit Collega Vulsonis eum hæc contigerunt, vt qui iam apud Pœnos excruciatus perierat. Errat item Scaliger, cum ait his Consulibus fugam Consulis Claudij contigisse. Quomodo enim illis Coss. Claudij Consulis contigit fuga? quomodo clades, quæ illi in suo consulatu contigit, potuit aliis consulibus accidisse? num tres consules eodem anno fuerunt? Corrigendus quoque Iustinus, cum ait hanc defectionem sub regno Seleuci Callinici contigisse, & sub prædictis consulibus, qui consules fuerunt quadriennio antequam ille regnum adiret. Quoniam ergo satis constat, vt suo loco dicemus, Arsacem tempore Callinici à Macedonibus, qui regno Persarum successerant, desciuisse, rem totam ad istius Seleuci tempora differamus.

ANNVS MVNDI 3807. SEXTÆ ÆTAtis, 291. Imperii Græcorum 65. Antiochi Dei 15. Et vlt. Manassis Pontificis 10. & vlt. Ptolemæi Philadelphi 40. & vlt. Olympiadis CXXXIII. an. 2. Vrbis Conditæ 506. Coss. L. Cæcilio Metello II. Num. Fabio Buteone. Belli Punici 18.

ANNVS ANTE CHRISTVM 246.

I. *Mors Antiochi Dei.* Postremvs est hic annus Antiochi Dei, Asiæ ac Syriæ regis, qui omnium consensu quindecim annis regnauit, quem eius vxor Laodice, vt ante significauimus, interficiendum curauit. Nam, vt refert Diuus Hieronymus. Cum Laodice in regiam cum filiis reducta, inconstantem viri animum metueret, ne forte se iterum repulsa, sorori suæ Berenicæ primas daret, virum per ministros veneno interfecit: (idemque affirmat Appianus lib. de bellis Syriacis.) rata si hunc sustulisset, non ægre se reliqua confecturam: Sororem scilicet, eiusque filium perdituram, se filiumque suum Asiæ, Syriæque regno, nullo interpellante potituram. Quatenus autem voti compos facta fuerit, sequentes anni docebunt. Cæterum quod de Berenice apud Danielem legimus, *& tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam adolescentes eius*, Septuaginta legunt, *adolescens eius*, Pagninus autem, & Arias Montanus, & Tigurina vertunt, *& genitor eius*, nimirum eadem est vtriusque vocis origo ia lad, quod est gignere, ex quo & generans, siue parens, & adolescens, qui illda deducitur.

Mors Philadelphi. ילד ילד

II. *Mors Philadelphi.* Qvod si accipimus, in verbis Danielis Philadelphi quoque mors expressa reperietur: sic enim habet Tigurina, *& tradetur ipsa, & deducentes eam, & parens eius, & qui retinuerat eam eodem tempore*, Rex scilicet Antiochus. Existimo autem probabiliter dici posse, mortem Philadelphi præcessisse aliquantulum mortem Antiochi, & patris mortem animos dedisse Laodicæ, contra Maritum & Sororem. Nam quod Temporarius, in Stemmate Lagidarum & Seleucidarum, à patre Philadelpho occisam dicit, repugnat Appiano Alex in Syriacis, qui aperte scribit Ptolemæum Philadelphi filium, (nempe Euergetem,) vt eam iniuriam vlcisceretur, de Laodice sumpsisse supplicium: repugnat Hieron. *a* vt infra anno secundo Seleuci Callinici dicemus: repugnat etiam historiæ, quæ docet Berenicem anno sequenti mortuam, immissis à Laodice percussoribus. Non ergo potuit à Philadelpho occidi, quem hoc anno secundo Olymp. 133. omnes, cum Eusebio fatentur fuisse mortuum. *a in c. 11. Daniel.*

III. *Genus mortis & ætas.* Qvo autem mortis genere è viuis excesserit, non est memoriæ proditum, morte naturali defunctum licet intelligere, ex eo quod Strabo, tradit eum fuisse tenuissima valetudine, & corpore maxime imbecillo, semperque noui aliquid perquisisse, quo se, sine labore ac molestia occuparet, atque oblectaret. Qua eius dispositione vsus est Dominus ad desiderandam, & obtinendam sacrorum librorum conuersionem in Græcam linguam: quo etiam facto maximam præ omnibus Ægypti regibus nominis celebritatem, apud sacros, profanosque scriptores est consecutus. Apparet autem eum mortuum non admodū grandem natu, etiam post 40. regni annos, vt qui à posteriore vxore Lagi natus fuerit, & minimus natu à Iustino dicatur in regnum à patre cooptatus, annorum forrasse viginti.

IIII. *Manassis pont. mors.* Cvm huius etiam Regis morte, Eusebius pontificis Manassis iungit interitum; siue is vere hoc anno contigit, siue circa hæc tempora: de quibus cum non certo constaret, constaret autem successorem eius sub Euergete vixisse, Manassem pontificem, cum Philadelpho vita & pontificatu functum, hoc anno posuit. Certe diu in Pontificatu viuere non potuit, cum fuerit Eleazari pontificis patruus, qui ante ipsum 32. annos pontificatum gessit, & Simonis Iusti qui 12. & Oniæ frater, qui tres & viginti, vt fere centenarius mortuus fuerit, si 20. annorum eum fuisse dicamus, cum frater eius Onias factus est pontifex. *20. vitæ 33. Oniæ. 13. S m. 33. Eleaz. 10. Ma.*

V. *Res ab Amilcare gesta hoc anno.* Aliqvot deinceps annos rebus gestis pene vacuos Roma exhibet. Polybius tamen octauodecimo huius belli anno, dicit Carthaginenses ducem constituisse Amilcarem cognomento Barcam, & classis imperium illi tradidisse, eaque assumpta ad deuastandam Italiam fuisse profectum, & Locrorum, ac Brutiorum agros populatum, in fines Panormitanos cum vniuersa classe appulisse, ibique locum occupasse Erycem inter ac Panormum, ex quo multum Romanis negotij facessiuerit, qua de re Polyb. pluribus.

Et priuatim à Romanis gesta. De hoc anno Zonaras. *Sequenti anno*, inquit, *bello nauali propter crebras clades, & impensas publice abstinuerunt*; sed quidam priuatim nauibus postulatis, quas restituerent, & prædam sibi vendicarent, cum alias clades hostibus intulerunt, tum Hipponem vrbem Libyeam ingressi, nauigia omnia, & multas ædes cremarunt. Et cum ciues portus aditum catenis clausissent, ex magno periculo magna industria euaserunt. Nam festinanter in catenas inuecti, cum eas rostra iam iam ractura viderentur, in puppes onere grauandas transierunt, ita proræ assurgentes catenas superauerunt; cumque rursus in proras transiluissent, puppes leuatæ transierunt. *Strategema nauticum.*

VI. *Ortus Annibalis.* Hoc ipso anno in magnas & Africæ & Italiæ clades, natus est Annibal. Nam Polybius l. 15. anno 17. 2. belli Punici, qui est vrb. cond. 551. eum quadragesimum quintum annum egisse testatur, cui & Liuius astipulatur: ex quo sequitur necessario hunc annum exclusiue accipiendum

endum esse. Alioqui si annus vrbis quingentesimus sextus sit primus Annibalis, eius quadragesimus quintus erit vrbis quingentesimus quinquagesimus, non quingentesimus quinquagesimus primus.

Res gesta in Sicilia à Consulibus. Consulum alter Cæcilius Metellus ad Lilybæum fuit, alter Numerius Fabius Drepanum obsedit, & insulā Colubaniam, Peliadem vocat Zonaras, occiso Pœnorū præsidio, occupauit, & contra vim Hamilcaris tenuit; & angustias paludesq; interiectas aggeribus continenti iunxit.

Lustrum Romæ. Lustrum autem interea Romæ conditum exhibuit ciuium capita ducenta & quinquaginta, & vnum millia, ducenta & viginti duo, vt est in Epitome decima nona. Ex qua intelligi potest quantam hominum iacturam Romanis Siculæ clades attulerint. Nam si hunc numerum cum numero proximi lustri contuleris, inuenies præsentem altero minorem, quadraginta sex millibus quingentis septuaginta quinque ciuium Romanorum capitibus.

ANNVS MVNDI 3808. SEXTAE ÆTATIS 292. Imp. Græcorum 66. Seleuci Callinici Asiæ & Syriæ Regis 1. Oniæ Simonis Iusti F. 1. Ptolemæi Euergetis 1. Olymp. CXXXIII. an. 3. Vrbis Condit. 507. Coss. M. Fabio Licino, & M. Otacilio Crasso. belli Punici 19.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 245.

I. *Initia Euergetis & Callinici.* EXTINCTO Ptolemæo Philadelpho, successit filius Ptolemæus cognomento Euergetes, à præclaris in Ægyptum, vt dicemus promeritis. Antiocho autem Deo filius ex Leodice improbissima muliere Seleucus Callinicus. Non desunt qui Seleucum Gallinicum vocent, eisque fauet historia: à Gallis enim victus est, vt ex Iustino suo loco dicetur, & contra Callinici nomen, quod præstantissimum victorem sonat, quod & Herculis olim cognomen fuit, parum ei conuenit; vt ex rebus ab eo gestis intelligetur: nisi quis forte per antiphrasin dictum velit, vt Philadelphus, Philopator, &c. Quidam id illi cognomen à matre inditum putant, quasi victoriam de domesticis hostibus matris opera consecuto. Inuenio etiam Pogonem dictum, Polybius enim l. 2. extremo. *Mortuus vero etiam Seleucus,* (scilicet Ceraunus) *qui filius fuit Seleuci Callinici, qui etiam Callinicus Pogon cognominatus est.*

II. *Laodice caedibus domesticis sibi ac filio aditum ad regnum aperit.* LAODICE vbi mariti cæde nefaria, aditum sibi filioque suo Seleuco Callinico in regnum patefecit: Sororis suæ Berenices, filijque eius mortem accelerat; in eos quippe Zelotypiæ, & ambitionis incensa facibus, furebat: maior quippe natu erat, & prior regina fuerat, ideoque ipsis viuis, nec se, nec filium suum regnare posse intelligebat. Itaque, vt scribit Diuus Hieronymus, Berenicem cum filio, qui ex Antiocho Deo natus erat, Icadioni & Genneo Antiochiæ principibus, occidendos tradidit, filiumque suum maiorem Seleucum Callinicum in patris loco regem constituit. Sic Hieronymus. Hanc cædem Iustinus l. 27. Callinico tribuit, sed hortante matre, sic enim habet. Mortuo Syriæ rege Antiocho (Deo) cum in locum eius filius Seleucus (Callinicus) successisset, hortante matre Laodice, quæ inhibere debuerat, auspicia regni à Parricidio cepit. Quippe Berenicem nouercam suam, Sororem Ptolemæi (Euergetis) regis Ægypti, cum paruulo fratre ex ea suscepto interficit. Quo facinore perpetrato, & infamiæ maculam subijt, & Ptolemæi bello se implicuit. Distinctius autem mortem Berenices explicans subdit.

III. *Mors Berenices.* PORRO *Berenice cum ad se interficiendam missos didicisset, Daphne se claudit.* Id est suburbanum Antiochiæ Syriæ deliciosissimum, in quo nemus amœnitate inclitum, in cuius medio Asylum erat, & templum Apollinis, ac Dianæ; pergit Iustinus. *Vbi cum obsideri eam cum paruulo filio, nunciatum esset ciuitatibus Asiæ, recordatione paterna, maiorumque dignitatis eius, & casum tam indignæ fortunæ miserantes, auxilia ei omnes misere. Frater quoque Ptolemæus periculo sororis exitus, relicto regno cum omnibus viribus aduolat; Sed Berenice, ante aduentum auxiliorum, cum vi expugnari non posset, dolo circumuenta trucidatur.* Hæc ibi. Quoniam vero sera fuisse hæc auxilia constat, Euergetis aduentum, & res ab eo in Syria, atque Asia gestas differemus.

Vide Strab. l. & Sozom. l. 3. c. 18.

IV. *Erycem capit Hamilcar.* CAPTAM hoc anno Erycem, etsi distincte non traditur, series tamen Polybianæ narrationis indicat. Custodiebant, inquit, Romani Erycem præsidio vertici imposito, & ad radices montis. Hamilcar Erycinorum vrbem inter ipsum verticem, & eos qui in imo monte consederant sitam occupat. Diodorus, noctu occupatam dicit, cum primus ipse Barcas, sic enim cognominatum diximus, Hamilcarem istum ascensu, triginta stadiorum superato, vrbem esset ingressus: omnes autem occidisse tradit, nimirum Romanos, vel potius qui in armis erant; subdit quippe, eum reliquos Drepana transtulisse. *In Excerptis lib. 24.*

Inde autem eueniebat, inquit Polybius, vt Romani, qui summum fastigium tenebant, ab hoste obsessi mira animi præsentia quæuis aspera sufferrent: Carthaginenses vero, supra hominum fidem, ipsi quoque hostibus vndique prementibus resisterent: accedente etiam commeatuum difficultate, quod vno duntaxat loco, & vnico aditu maris vsum retinerent; integro tamen biennio hic pugnatum esse testatur Polybius. Nimirum continenter: nam bellum etiam vsque ad Catuli consulatum progressum fuisse constat.

V. *Onias apud Iudaeos pontificatum.* EVSEBIVS in Chronico refert ad hos Consules, & ad hæc duorum principum initia Oniæ pontificis exordium; viri, qui Simonem iustum haberet patrem, parum tamen ipse iustus, vt quem amatorem pecuniæ Iosephus depingit. At Sapiens. *Nihil est,* inquit, *iniquius quam amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet.* *Eccl. 10. 10.*

His Consulibus 25. millibus grauis æris, (id est 500. libris Turon. nam mille æris valent 20. francis vt ait Cenalis) mulctata est. P. Claudij soror; ob linguæ intemperantiam; quod cum à ludis diuertens, à circumfluente turba premeretur, optauit fratrem suum iterum classem ducere, & scilicet multos de tot mortalibus naufragio perdere. Rem pluribus narrat Gellius. Meminit & Florus. *L. 10. c. 6. Epito. 19.*

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3808.

IN Græco enim habetur μετήλλαξε δὲ καὶ Σέλευκος, ὁ Σελεύκου τοῦ Καλλινίκου, τοῦ καὶ Πώγωνος ἐπικληθέντος, vbi mirot Casaubonum ita vertere. Obijt & Seleucus, Seleuco patre genitus, auo Callinico, qui etiam Pogon cognomine est dictus. At Polybius passim eum docere potuit Seleucum, eundemque Callinicum fuisse patrem Seleuci iunioris, qui dictus est Ceraunus, & fratris eius Antiochi cognomento Magni. Audi Polybium. Antiochus, inquit, filius erat natu minor Seleuci, qui & Callinicus cognominatus est, postquam defuncto patri successit in regno Seleucus frater maior Antiochi &c. sed nec recte alter interpres pro Callinico habet Callimachum; & Seleucum iuniorem, quasi gemino patre natum, dicit Seleuci Callimachi, & Pogonis filium. *1. N. b.*

ANNVS MVNDI 3809. SEXTAE AETATIS 293. Imperii Græcorum 67. Seleuci Callinici 2. Oniæ Pontif. 2. Ptolemæi Euergetis 2. Olympiad. CXXXIII. an. 4. Vrbis Conditæ 508. Coss. M. Fabio Buteone. C. Atilio Bulbo. Belli Punici 18.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 244.

BERENICES filijque eius mors, à priuigno & fratre, à sorore & amita illata, cum omnibus res indigna videretur, vniuersas ciuitates ad defectionem compulit, quæ & ingentem classem compararunt, & Ptolemæo, qui recens ex Ægypto aduenerat, sese tradiderunt, in vltionem eius quam defensuri erant: qui nisi in Ægyptum domestica seditione reuocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset, tantum vel illi odium parricidiale, vel huic fauorem indigne interemptæ mors sororis attulerat. Sic fere Iustinus. Sed audiendus est Propheta Daniel, eiusque interpres Hierony. hæc paulo plenius exponentes. 1. *Euergetes vltionem de Callinico expetit.*

Et stabit de germine radicum eius plantatio, & veniet cum exercitu, & ingredietur prouinciam regis Aquilonis, & abutetur eis, (quia scilicet subditos Callinici contra ipsum armauit,

cuique ad eius ruinam vsus est, in cuius protectionem, vt subditi, armari debuerunt, & vt loquitur Iustinus, *in vltionem eius quem defensuri erant*: sed propheta pergit, *& obtinebit insuper & deos eorum, & sculptilia, vasa quoque pretiosa auri & argenti captiua ducet in Aegyptum, &c.* quæ ad reditum Euergetis differenda sunt.

II. *Et S. Hieronymus.* OCCISA *Berenice*, inquit Hieronymus, *& mortuo Ptolemæo Philadelpho patre eius in Aegypto, frater illius, & ipse Ptolemæus, cognomento Euergetes, tertius successit in regnum, de plantatione, & de germine radicis eius, eo quod esset germanus: & venit cum exercitu magno, & ingressus est prouinciam regis Aquilonis, id est Seleuci cognomento Callinici, qui cum matre Laodice regnabat in Syria.* Audi Hieronymum dicentem Philadelphum mortuum, & Laodicem regnantem? quomodo ergo hæc ab illo occisa est? sed pergit. *Et abusus est eis, & obtinuit, in tantum, vt Syriam caperet, Ciliciam superioresque partes trans Euphratem, & propemodum vniuersam Asiam.* Sic Hieronymus: quæ non videntur nisi sequenti anno perfici potuisse. *Laodice occiditur.* In primis autem captam & interfectam à Ptolemæo fratre Laodicem tot criminum ream, & belli cruentissimi originem, Syriam inter & Ægyptum, auunculum & nepotem, scribit Appianus sæpe citatus; quorum cædem, inquit, vt Ptolemæus vlcisceretur, Laodicem interfecit, & in Syriam deducto exercitu, Babyloniam inuasit.

III. *Defectio Arsacis, & Parthorum.* ATQVE *ex hoc tempore*, inquit Appianus, *Parthi primum defecerunt à Macedonibus, veluti iam perturbato Seleucidarum regno.* Sic ipse, Macedones vocans Seleucidas ortos à Macedonibus, qui iam reuera Asiani erant, & in Asia nati. Huic chronologiæ belle famulatur Suidas, vbi de Arsace. *Arsaces*, inquit, *Parthus, Macedonibus, qui Persicum regnum annos 293. tenuerunt, eiectis, Parthis regnum peperit.* Sic ipse. Est autem nobis hic annus sextæ Ætatis, quæ ab imperio Cyri sumit initium, 293. vt in anni huius indice vides: eamque chronologiam frustra turbare nititur Scaliger, qui cum fateretur istorum annorum exordium à Cyro sumendum esse: *sed absunt*, inquit ille, *à Consulatu Vulsonis & Reguli annis 17. post mortem Alexandri 57.* *Arguitur Scaliger. In can. Isag. p. 176.* Verum iam ostensum est nihil ad rem facere hos Coss. qui multum regnum Callinici antecedunt. Deinde illi decem & septem anni, quos abesse cauatur, ostendunt illum annos regni Cyri & imperij confundere, cum imperium Persarum non nisi vigesimo tertio regni Cyri erectum fuerit. *c.II.9.* Denique neque illorum consulatus est post mortem Alexandri annis 57. sed 75. Consules enim illi fuerunt anno regni Græcorum 63. quibus addendi sunt duodecim anni à morte Alexandri: forte tamen in numero, mendum illapsum est, vt 57 pro 75. ponerentur.

IV. *Causa defectionis Parthorum.* CAVSAM defectionis Parthorum refert Appianus ad turbas in Regno Syriæ & Asiæ ob mortem Berenices, ab Euergete fratre excitatas, quæ verius occasio fuit, quam dominandi cupiditas oblatam libenter arripuit. Aliam occasionem suggerit Iustinus, libro quadragesimo primo. Huius, inquit, defectionis impunitatem, illis duorum fratrum regum Seleuci & Antiochi discordia dedit, qui dum sibi inuicem eripere regnum volunt, persequi defectores omiserunt. Hic Antiochus dictus est Hierax, qui postea fratrem adiuuit in recuperando regno, quod ei Euergetes magna ex parte rapuerat, vt dicemus. Vt mirum sit Georgium Monachum in suo chronico hæc scribere. *Syriæ & Asiæ rex fuit Antiochus cognomine Callinicus, qui idem & Seleucus.* *ὁ αὐτὸς ὁ Σέλευκος.* Nimirum nomen Antiochi appellatiue sumit, sicut & Ptolemæi. Vnde subdit. *Sub hoc Antiocho Persa*, sic enim Parthos appellat, *à Macedonum & Antiochorum*, siue vt alij sequuntur Seleucidarum, *principatu defecerunt, regnum in Persas ab Alexandro conditum finientes.*

V. *Alia causa in Georgio monacho.* ALIAM ipse defectionis causam prodit non parum probabilem. Arsaces inquit, quidam, & Teridates fratres, qui genus à Persarum regibus ducebant, Bactrianorum satrapæ erant, Agathocle Macedone Persidis Præside: qui cum Teridatem amaret, eique insidias strueret, vt ei vim afferret, spe frustratus, ab ipso fratris Arsacis ope, interfectus est, simulque Arsaces regnum Persarum occupauit ad annos duos, eoque occiso Teridates frater eius annis 37. regnauit. Hæc ex Georgio. Arsacem tamen Scytham fuisse Strabo tradidit, & ab initio infirmum, ægre bellum aduersus eos, quibus Parthiam eripuerat, sustinuisse, & Callinicum regem fugisse. Postea tamen in tantam excreuisse potentiam, vt Romanæ propemodum æquaretur. Itaque non decuit tanti populi, de quo erit in sequentibus multa mentio, initia silentio premere.

VI. *Alia ex Iustino. lib. 41.* IVSTINVS. *Erat*, inquit, *eo tempore Arsaces vir, sicut incertæ originis, ita virtutis expertæ. Hic solitus latrociniis, & rapto viuere, accepta opinione Seleucum à Gallis in Asia victum, solutus regis metu, cum prædonum manu Parthos ingressus, præfectum eorum Andragoram oppressit.* (Hunc videtur Georgius Agathoclem dicere) *sublatoque eo, imperium gentis inuasit. Non magno deinde post tempore Hircanorum quoque regnum occupauit.* Et aliquanto post, *hic Arsaces quæsito simul, constitutoque regno, non minus memorabilis Parthis, quam Cyrus Persis, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus, matura senectute decedit. Cuius memoriæ hunc honorem Parthi tribuerunt, vt omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncupent.* Sic ipse, quod confirmat Strabo, Eusebius, Georgius, alijque passim. Sed Georgius parum cum Iustino conuenit, cum dicat Arsacem biennio tantum regnasse, eique successisse, non filium, vt ait Iustinus, sed Teridatem fratrem, quod nobis videtur probabilius.

De filio autem illo, quoniam non erit alius dicendi locus, eiusque fortitudine liber hæc ex Iustino addere. *Huius filius & successor regni, Arsaces & ipse nomine, aduersus Antiochum Seleuci filium centum millibus peditum, & viginti millibus equitum instructum, mira virtute pugnauit; Ad extremum in societatem eius adscitus est.* Sic Iustinus, forte non sine culpa. Antiochus enim Seleuci Callinici, de quo agimus, filius non fuit, sed nepos. Seleucus enim Ceraunus interiectus est.

VII. *Romanorum pugna nauali.* ETSI autem nauali bello iam secundùm populus Romanus abstinere decreuerat, (& reuera quinquennium, atque eo amplius abstinuit, vt ex Polybio suo loco dicetur) hoc tamen anno alterum ex Floro nauale certamen occurrit, alteri populo inutile, alteri perniciosum. M. Fabio, inquit, Buteone Consule, classem hostium in Africo mari apud Ægimurum, iam in Italiam vltro nauigantem cecidit. *Et victoria præmia naufragio perdita.* Ex quo intelligitur hanc Romanam classem, non ad inuadendos Pœnos, sed ad tutandam Italiam ab eorum incursibus, destinatam fuisse: vlterius autem progressam ad Ægimurum, hostium tergo institisse, ibique victoria potitam esse, sed breui; subdit enim Florus. Quotus ò tum triumphus tempestate intercidit! cum opulenta præda classis aduersis acta ventis, naufragio suo Africam & Syrtes, omnium imperia gentium, insularum littora impleuit. Magna clades, sed non sine aliqua principis populi dignitate intercepta tempestate victoria, & triumphus perijt naufragio. Et tamen cum Punicæ prædæ omnibus promontorijs, insulisque allisæ fluitarent, populus Romanus triumphauit. Ita Florus.

ANNVS MVNDI 3810. SEXTÆ ÆTATIS 294. Imperii Græcorum 68. Seleuci Callinici 3. Oniæ Pontif. 3. Ptolemæi Euergetis 3. Olympiadis CXXXIV. an. 1. Vrbis Conditæ 509. Coss. A. Manlio Torquato Attico, & C. Sempronio Torquato II. Belli Punici 21.

ANNVS ANTE CHRISTVM 243.

I. *Euergetes redit in Aegyptum.* VICTORIAM habuit in Olympicis hic annus Laconem Alcidam, vt est in Catalogo Olympionicarum; quo anno cum Ptolemæus Euergetes fœliciter res in Asia gereret, & occupata vniuersa Syria, magnam Asiæ partem in potestate haberet, imo totum pene regnum Seleuci occupasset, (quippe plurimæ ciuitates ab initio ab eo defecerant, vt ex Iustino diximus, excitata præter spem in Ægypto seditione, in regnum suum reuocatus est, vt idem

ait. Eandem rem attingit Propheta Daniel. a *Insuper & deos eorum, inquit, & sculptilia, vasa quoque pretiosa auri & argenti captiua ducet in Aegyptum. Ipse praualebit aduersus Regem Aquilonis. Et intrabit in regnum Rex Austri, & reuertetur in terram suam.* Ita Propheta.

a c.11. &. Cum multa grad. ex Daniele.

II. *Et S. Hieronymo.* QVEM illustrans D. Hieron. *Obtinuit, inquit, in tantum, vt Syriam caperet, & Ciliciam, superioresque partes trans Euphratem, & propemodum vniuersam Asiam. Cumque audisset in Aegypto seditionem moueri, diripiens regnum Seleuci, quadraginta millia talentorum auri tulit, & vasa pretiosa, & simulachra deorum duo millia quingenta: in quibus erant & illa, quæ Cambyses capta Aegypto in Persas portauerat. Denique gens Aegyptiorum idololatriæ dedita, quia post multos annos deos eorum retulerat, Euergetem, id est benefactorem appellauit.* *Vnde illi Euergetis nomen.* *Et Syriam quidem ipse obtinuit, Ciliciam autem amico suo Antiocho gubernandam tradidit, & Xantippo alteri duci prouincias trans Euphratem.* Hactenus D. Hieron. & Beda cum eo. Vide quanti stetit Laodicæ, & eius filio Seleuco facinus in Berenicem, eiusque filium perpetratum: tametsi Laodice prior fuerat coniux, & filio eius regnum debebatur iure primogenitorum, quod valuit vbique gentium. Deinceps autem multis annis Syriam retinuit Euergetes, & in ea Seleuciam tenebat cum præsidio diu postea Rex Ægypti.

III. *An Hierosolymis sacrificarit.* SIMVL autem & tota Iudæa, ac Palæstina, quasi illius particula potitus est. Itaque & Hierosolymam venit, siue vt eam occuparet, sibique firmaret, siue vt Deum veneraretur, vt Iosephus prædicat, altero libro contra Apionem, non longe à principio. Tertius Ptolemæus, inquit, qui vocatur Euergetes, fortiter obtinens Syriam vniuersam, non dijs Ægyptiacis pro victoria solennitates gratificas immolauit, sed veniens Hierosolymam multas hostias, sicut nostri moris est, Deo gratificauit, dignissimaque dicauit ornamenta victoriæ. Ita Iosephus. Quæ probabiliora etiam redduntur ex religiosis muneribus, quæ Pater eius Philadelphus obtulit Deo, vt eius anno octauo diximus. Hæc nihilominus non ad Euergetem, sed ad filium eius Philopatorem pertinere, ex tertio qui dicitur Machabæorum, suo loco dicemus. Ex his autem iterum Sigonium virum doctissimum redarguas, Seuerum Sulpitium reprehendentem, quasi putarit Syriam & Iudæam, non ad Ægypti reges, sed ad Seleucidas pertinuisse iam ab ipso Alexandro. Nam si Ægypti reges semper Syriam obtinuerunt, quomodo hic Euergetes hoc tempore factus est eius Dominus, vt omnes historiæ cum D. Hieronymo profitentur? Hæc de Græcis.

IV. *Bellum ad Erycem pertinax.* AD Romanam rem pertinent, quæ habet Polyb. de Eryce. Nam hoc quoque anno Romani cum Pœnis ad vrbem Erycem pugnarunt, imo & sequenti, vt ex eodem dicemus. Verum hic quoque, inquit, posteaquam omnibus atribus quibus expugnari vrbes solent, omnique violentia alij aduersus alios vsi essent, nullum inopiæ genus non tolerassent: omnis denique inuasionis & pugnæ periculum fecissent, tandem non vt Fabius ait exhausti viribus & victi malis, sed vt viri nullo malorum sensu præditi, atque inuicti sacram coronam fecerunt. Morem quendam referre videtur, quo pugiles, dum neuter socio cederet in certamine, ambo quasi victoriam Deo tribuentes, sacram ei coronam offerebant. Pergit: Prius enim quam alij alios vincerent, etsi per biennium item continuum eodem loco certarum est ab ipsis, accidit vt alia quadam ratione bello finis imponeretur. Nimirum Lutatij Catuli classe intercluso commeatu, quem vrbs mari accipiebat, ex quo intelligitur non duos tantum annos, sed plures etiam certamen perdurasse: is enim tertiodemum anno factus est Consul.

V. *Alia vtrinsque populi gesta.* HVC etiam videntur illa Zonaræ pertinere. Carthaginenses, inquit, Romanis crebra detrimenta inferebant, nunc in Siciliam, nunc in Italiam traijciendo. Captiuos viritim permutarunt, cæteros, quia tantum numerum non habebant, Carthaginenses pecunia redemerunt. Cæterum plerosque his annis Consules nil historia dignum gessisse ait. Ideoque illos ne nominauit quidem sicut nec Polybius, cuius rei causam affert Zonaras. Nam illud, inquit, maximo detrimento Romanis fuit, quod duces quotannis mutabant; eosque qui imperatoria munia adhuc discebant, reuocabant. Quasi non rei gerendæ, sed exercitationis causa missi fuissent. Denique hoc anno, atque his Coss. Brundusium coloniam deductam autor est Velleius sub finem libri primi, meminit & Florus in Epitom. 19.

ANNVS MVNDI 3811. SEXTAE AETATIS 295. Imperii Græcorum 69. Seleuci Callinici 4. Oniæ Pontif. 4 Ptolemæi Euergetis 4. Olympiad. CXXXIV. an. 2. Vrbis Conditæ 510. Coss. C. Fundanio Fundulo, & C. Sulpitio Gallo. Bel. Punici 22.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 242.

ONIAM Pont. hoc anno detrectasse tributum Ægyptio regi soluere, quod solebat Syrio, non leuis ex missa ex Ægypto in Iudæam legatione suspicio est. Homo enim auarus, qualem describit Iosephus, a mutato Domino, hoc se onere leuatum iri aut sperabat, aut moliebatur, sed frustra. Audiamus Iosephum. *Manasse defuncto, Onias successit in sacerdotium, Simonis iusti filius, quem Simonem Eleazari fratrem fuisse diximus. Is Onias pusillanimis erat, & auarus. Quæ causa fuit vt tributum, quod pro populo maiores eius de suo solebant Regi pendere, talenta argenti viginti non soluendo, ad iram commouerit Ptolemæum Euergetem patrem Philopatoris. Qui misso Hierosolymam legato incusabat Oniam, quod tributum non redderet; minabaturq; ni faceret, regionem eius militibus suis se diuisurum, & nouas colonias eo deducturum; quod audientes Iudæi perterriti sunt, licet Onias perfricta fronte hæc contemneret, nihil curans præter pecuniam.* Hæc Ioseph. qui deinceps exponit qua ratione Iosephus quidam, huius pontificis ex sorore nepos, legationem ad Regem susceperit, eique factus amicus, imminentem Iudæis calamitatem depulerit. Meminit huius quoque historiæ Euseb. in Chron. vbi eum vocat ducem Iudææ, qui apud Iosephum est redemptor vectigalium. I. *Onias Euergeti se negat tributum soluere.* *a lib.12. c.4.&.*

POST discessum Ptolemæi Euergetis, Seleucus cum aduersus ciuitates quæ defecerant ingentem classem comparasset, repente velut dijs ipsis parricidium vindicantibus, orta tempestate classem naufragio amittit; nec quidquam illi ex tanto apparatu, præter nudum corpus & spiritum, & paucos naufragij comites residuos fortuna fecit. Misera quidem res, sed optanda Seleuco fuit; siquidem ciuitates, quæ odio eius ad Ptolemæum transierant, velut dijs arbitris satisfactum sibi esset, repentina animorum mutatione in naufragij misericordiam versæ, imperio se eius restituunt. Ita Iustin. quod tamen neque de Parthicis, quæ sub Arsace perstiterunt, neque de Syriacis, quæ sub Euergete, dici potest; nouo enim bello, ad eas recipiendas opus fuit. II. *Seleucus naufragus recuperat ciuitates suas.* l.27.

Hoc anno Aratus Sicyonius Prætor II. præsidiũ quod Antigonus Gonatas in Acrocorintho habebat, militum proditione recipit, & Peloponnesios ingẽti metu liberat; Corinthios in libertatem vendicatos, Achæorum Reip. adiungit; sicut & Megarenses astu in potestatem redactos. Factum hoc anno priusquam Carthaginienses illa afficerentur clade, per quam vniuersa excedere Sicilia, & tributum Romanis pendere tunc primum sunt coacti. Ita Polyb. id porro factum est anno seq. Lutatio Consule. Hinc intelligi potest hoc etiam anno vixisse Gonatam, quem tamen præcedenti anno mortuum ponit Eusebij Chron. hoc autem anno primum filij eius Demetrij, qui decem tantum regnauit annos, vt scribit Polyb. ibid. Verum Eusebium conciliare possumus Polybio, si huius anni priorem partem Patri, posteriorem filio tribuamus. III. *Aratus Sicyonius prætor 2.* [illegible] *lib.2.* *Polyb. lib.2.*

Hoc primum anno stipendiario milite vsos Romanos ex Zonara intelligitur. Ad hunc enim annum illa pertinent. Galli Carthaginensibus socijs infensi, quod ab illis male acciperentur, præsidium quoddam suæ fidei commissum, Romanis pecunia prodiderunt, ab eisque, vna IV. *Stipendiarij milites nunc primũ apud Romanos.*

cum alijs, qui à societate Carthaginensium defecerant, stipendio conducti sunt, cum prius peregrinum alere militem Romani non consueuissent. His freti, & classe priuatorum hominum Africam infestantium, mare diutius negligere nolentes, naues denuo compararunt. Quibus scilicet Luctatius Consul proximo anno victor euasit.

ANNVS MVNDI 3812. SEXTÆ ÆTATIS 296. Imperij Græcorum 70. Seleuci Callinici 5. Oniæ Pontif. 5. Ptolemæi Euergetis 5. Olympiadis CXXXIV. an. 3. Vrbis Conditæ 511. Coss. C. Lutatio Catulo, & A. Posthumio Albino. Punici Belli 23.

ANNVS ANTE CHRISTVM 241.

I. *Seleucus male pugnat contra Ptol. Euergetem.* SELEVCVS lætus ciuitatum suarum reconciliatione, quam paulo ante ex Iustino dicebamus, in luctu tamen de maxima regni sui parte amissa versabatur; neque ei malo remedium apparebat vllum, nisi in eum, à quo victus, & spoliatus fuerat, arma conuerteret. Lætus ma- *L.27.* lis suis, inquit Iustinus, & damnis ditior redditus, velut par viribus bellum Ptolomæo infert: sed quasi ad ludibrium tantum fortunæ natus esset, nec propter aliud opes regni recepisset, quam vt amitteret, victus prælio, non multo quam post naufragium comitatior, trepidus *Opem à fratre petit.* in Antiochiam confugit. Inde ad Antiochum fratrem literas fecit, quibus auxilium eius implorat, oblata ei Asia intra fines Tauri montis, in præmium latæ opis. Hæc Iustinus, paucis omnino multa complexus; sed his paucis contentos esse oportet, in summa Scriptorum rerum Græcarum penuria.

II. *Classem iterũ Romani instruunt.* DVAS alias classes hoc anno mediterraneum mare tulit, & duorum aliorum hostium cædibus cruentatum est. Nam Romani, quiiam semel atque iterum naualia certamina publice damnarant, & terrestribus copijs Siciliam obtinendam statuerant, marisq; imperium Pœnis relinquendum, quod viderent exercitus suos ad Lilybæum, ad Drepanum, ad Erycem, multos iam annos nullo emolumento versari, seque mercenario auctos milite, minore iactura, atque periculo, maiore spe in mari posse versari, tertio sententia commutata Classem instruxerunt, etsi annis ferme iam quinque mari penitus abstinuerant, vt ait Polyb. Numerat autem à Consulatu Cæcilij & Fabij, quo vel decretum publice factum est, vel publice cum abstinere vellent, priuatas tamen excursiones in Pœnos permisere, vt ibid. ex Zonara diximus. Alioqui à cladibus P. Claudij, & Iunij Pulli, hic annus non quintus, sed septimus numeratur. Hunc porro annum 23. belli Punici numerat Eutropius.

III. *Noui Coss. Transitus.* CREATI sunt Coss. Lutatius & Posthumius. Verũ Cæcilius Metellus Pont. Max. A. Posthumium Consulem, quoniam idem & flamen Martialis erat, cum ille ad bellũ gerendum proficisci vellet, in vrbe tenuit, nec passus est à sacris recedere, vt est in Epit. Liuij 19. Quæ causa fuisse videtur, vt Sigonio etiam placet, vt Prætores duo hoc primum anno crearentur, quorum vnus ius in vrbe diceret, alter Consuli in bello adesset, quoniam alter Consulum vrbe excedere non permittebatur. Hunc Prætorem, Volsio Ædilem, non rectè, Zonaras Q. Valerium Flaccum vocat, lapides autem Capitolini Faltonem.

Apparatus Romanæ classis. De apparatu Romanæ classis scribit Polyb. cũ exhaustum esset ærarium, priuatis sumptibus multas naues fuisse constructas. *Nam pro modo facultatum*, inquit, *singuli, aut bini, vel etiam terni vnam quinqueremem, cum omni suo instrumento, præbendam suscipiebant, idque ea lege, vt rebus ex sententia confectis sumptus reciperent.* Hoc collationis genere paratæ quinqueremes ducentæ, quarum fabricam instituerunt, ad illius exemplar, quam Rhodio cuidam nauarcho, ad Lilybæum iamdudum eripuerant.

IV. *Et Africana* HABES hic ducentas tantum quinqueremes, Orosius trecentas naues numerat, totidem Eutropius, Africanas autem vtrasq; quadringentas, Libellus de vir. illustr. sexcentas. Diodorus Siculus. Lutatium Catulum valde corrupto vocabulo Ligatinum vocat: deinde cum trecentis longis nauibus, alijsque nauigijs, & pontonibus septingentis, quæ simul mille efficiebant, ait in Siciliam transmisisse; Hannonem autem Carthagine cum 250. nauibus lõgis, & onerarijs in sacram insulam traiecisse. Impares facit copias, vt mirum non sit superatos Pœnos. Nimirum passim omnibus alijs contradicit, & Pœnis fauet, secutus scilicet Philinum, quem citat, qui vt testatur Polyb. lib. 1. ex affectu & beneuolentia in suos deceptus, omnia prudenter fortiterque à Pœnis gesta tradit, à Romanis autem contra. In quo vitio pro Romanis viceuersa Fabium Pictorem fuisse, idem Polybius autor est, cui Florum addere potuit. *ROMANA CLASSIS RENOVATA. lib. 24. n. 5. Historiar. in fin.*

V. *Aduersum Consule in Siciliam.* CONSVL ergo cum Prætore socio in Siciliam profecti, terra mariq; Drepanum aggressi, partem muri deiecerunt, oppidumque cepissent, nisi Consule vulnerato milites circa illum occupati fuissent. Zonar. Cui narrationi fidem facit, quod in certamine de triumpho inter Valerium & Catulum, ille protestatus est Consulem ea pugna claudũ in lectica iacuisse, se omnibus imperatorijs partibus functum esse. Apertius etiam Orosius, *a* Lutatius, inquit, cũ classe trecentarum nauium in Siciliam transuectus, dum apud Drepanum ciuitatem, inter primores Siciliæ pugnã cieret, transfixo fœmore, ægerrime, cum iam obrueretur ereptus est. Eutropius ait Lutatium ægrum nauem conscendisse, in superiore nescio qua pugna vulneratum. Placet tamen priori sentẽtiæ adhærere, vt probabiliori. Quis enim credat missum belli ducem, qui lectica indigeret in tanta præsertim bellatorum copia. Eius pugnæ Polybius non meminit, ait que tantum, cum initio æstatis profecti essent, Siciliæ ex inopinato apparuisse; nulla quippe Romanorum classis iam tot annis visa fuerat: quæ causa erat cur vniuersæ naues Punicæ recessissent. Vt autẽ Siciliam attigere, portum in Drepano, stationes in Lilybæo occupasse, & circa Drepana operá ad expugnationem molitum: intereaq; suos ad naualem pugnam diligenter comparasse, & exercuisse. *a L. 4. c. 10. Et pugna ad Drepanum.*

VI. *Naualis pugna paratur.* POENI autem, vt idem ait, vbi cognouerunt Romanos cum classe in mari esse, illudque sibi rursum velle asserere, extemplo naues instruunt, easque annona, & omnibus rebus necessarijs oneratas in hostem mittunt, Hannone duce, qui omni studio contendebat ad Erycem inscijs Romanis appellere, vt commeatibus expositis, & nauibus onere leuatis; deinde assumptis in classiarium militem lectissimis quibusque mercenariorum, in primisque Amilcare Barca, posset cum hoste confligere. Quę cum Lutatius conijceret, fortissimum quemque è pedestribus copijs assumit, & in insulam Ægusam, Lilybæo oppositam petit. Militem cohortatur, in sequentem diem prælium nauale indicit. Vt illuxit, ventus erat secundus hostibus, Romanis aduersus. Hic anceps animi hæret Lutatius; tandem statuit aduerso potius vento congredi cum hoste vnico, cuius naues oneratæ, minus essent ad pugnam habiles; quam secundum ventum expectando, in geminum pro vno Imperatorem, & in ijs Amilcarem, audacissimum atque strenuissimum ducem, geminumque exercitum, in eoque contra militem veteranum exercitatissimum, & naues leuatas oneribus pugnam conserere.

VII. *Pugnatur.* ERGO naualem aciem instruit, & transitum obstruit Pœnis, qui contractis velis sese ad pugnam exacuunt, in qua Romani superiores effecti sunt. Nam etsi Pœni ventum habebant obsecundantem, tamen nec nauium celeritate superiores erant. Nam ad eorum normam Romanæ fabricatæ erant, & Punicæ graues erant commeatu; nec Romanos exercitatione antecedebant, & generosa pugnandi vincendique scientia, Pœni Romanis cedere nescijs, non parum cedebant. Ergo primo statim congressu superati sunt, demersis 50. nauibus: captis cum ipsis vectoribus 70. reliqua classis mutato vento Hieronesum repetijt. Quæ insula non potest eadem esse cum Hiera, vt suspicatur Ortel. Nam Hiera Ægusæ pene contigua est ad occidentem; Hieronesum autem ad meridiem Carthagi- *Romani vincunt. Quanta clades.*

nem

nem versus Polybius videtur collocare. Cæterũ hæc Florus Polybium secutus confirmat, sed suo more exaggerat, adeò vt etiam de excindendis hostium mœnibus quæsitum putet. *Sed superuacuum visum est*, inquit, *in arcem murosque sæuire, cum iam in mari esset deleta Carthago.* Sic ipse. Polyb. ait remigrasse Consulem Lilybæum, cum decem millibus captiuorum. Philinus apud Diodorum, 6. milliã concedit; alij apud eundem 4. millia & 40.

VIII. Ex Tanis Orosio. Orosius contra videtur hæc nimium augere; forte Fabium secutus. *Crudescente pugna*, inquit, *victus Hanno, nauem auertit, & dux fuga primus fuit. Aliquanta cum eo pars exercitus sui Africam petijt, alij confugere Lilybaum; 63. Punicæ naues captæ sunt, 125. demersæ, triginta duo millia hominum capta, cæsa 14. millia fuere. Romanorũ autem duodecim naues demersæ sunt.* Nos Polybium mediocritatem sectantem tutius sequemur; etsi Orosio Eutropius fere consentiat. De Hannone porro duce scribit Zonaras, eum statim Carthaginem properasse, sed à ciuibus, iracundia & metu commotis, in crucem actum esse. At Polybius id alia occasione in Sardinia factum scribit. *(Hannonis exitus.)*

IX. Lutatius Erycinam deditione recipit. Lutatius deinde, vt scribit idem Oros. ad Erycinam ciuitatem, quam Pœni tenebant venit, ibique duo millia Carthaginensium conserta pugna interfecit. Verum Polybius & Zonaras aperte significant, eos amissa spe commeatus, quem mari ad id tempus receperant, deditionem fecisse: nihilque Hamilcarem præter missionem sub iugum, recusasse: & Scipio apud Liuium. *Licuit*, inquit, *si voluissemus ad Erycem clausos vltimo supplicio humanorum fame interficere, veniam dedimus precantibus, emisimus ex obsidione*, & paulo ante, *ab Eryce duodeuicenis denarijs æstimatos emisimus.* (L.21.) Iidem quamprimum legatos de pace missos ad Catulum tradunt, quam ille certis conditionibus confecit, si populo Romano probarentur. Ergo de ijs simul anno sequenti agemus, quo bellum hoc plane terminatum est.

ANNVS MVNDI 3813. SEXTAE ÆTATIS 297. Imp. Græcorum 71. Seleuci Callinici 6. Oniæ Pontif. 6. Ptol. Euerg. 6. Olym. CXXXIV. an. 4. Vrbis Cond. 512. Coss. Q. Lutatio Cercone. & A. Manlio Torquato Attico II. Punici Belli 24. & vlt.

ANNVS ANTE CHRISTVM 240.

I. Antiochus Hierax Seleuco fert opem. Callinici historiam pertexit Iustinus, & Antiochi fratris eius improbitatem in ipsum Seleucum ostendit. Antiochus, inquit, cum esset annos 14. natus, supra ætatem regni auidus, occasionem non tam pio animo quã offerebatur arripuit, sed latronis more totum fratri eripere cupiens, puer sceleratam virilemq; sumit audaciam, vnde Hierax est cognominatus; quia non hominis sed accipitris ritu, in alienis eripiendis vitam sectaretur.

Ptol. Euergetes pacem init cũ Seleuco. Interea Ptolemæus cum audisset Antiochum in auxilium Seleuco venire, ne cum duobus vno tempore dimicaret, in annos decem cum Seleuco pacem facit. Sed pax ab hoste facta interpellatur à fratre, qui conducto Gallorum mercenario exercitu, pro auxilio bellum, pro fratre hostem se imploratus exhibuit.

II. Antiochus fratri se hostem exhibet. In eo prælio virtute Gallorum victor quidem Antiochus fuit. Sed Galli arbitrantes Seleucum in prælio cecidisse, in ipsum Antiochum arma vertunt; liberiùs depopulaturi, Asiam si omnem stirpem regiam extinxissent. Quod vbi sensit Antiochus, velut à prædonibus auro se redemit, societatemq; cum mercenarijs suis iungit. Hæc Iustinus, summa vt vides breuitate, & per summa capita, nullibi tempus annotans, neq; res temporum distinguẽs notis, vt eas coniectura distinguere necesse sit. Vides omissa loca certaminum, omissas conditiones pacis, omissas illius interpellatæ causas, vt res potius in cursu degustasse, tanquam canem è Nilo, quam exposuisse dicendus sit. Meminit d dissensionis huius inter fratres Strabo in descriptione Phœniciæ, *a* atque in ea dissensione Aradios Callinico adhæsisse, eo lege vt ad se è regno confugientes (Aradiorum priuilegium.) (a l. 16. p. 754. gr. lat.)

Finis primi Belli Punici. recipere liceret, nec tradere inuitos, nec iniussu regis permittere enauigare, quo priuilegio, quasi iure Asyli, ait valde locupletatos fuisse.

III. Pœni pacem petunt. Ll. Carthaginenses autem, vt scribit Polyb. tanta accepta clade, etsi animis fracti non erant, Romanis tamen mare tenentibus. Siciliæ subuenire, suis in primis, quos ad Erycem esse putabant, non poterant, cum nondum scirent eos editionem fecisse. Itaque ad Barcam magna diligentia mittunt, summamque rerum illi permittunt. Is rerum necessitatem intuitus, & de salute suorum sollicitus, legatos de pace ad Consulem misit. Grata Lutatio res accidit, vt qui attritas hoc bello populi Romani opes, suisque iam graue id onus esse probe sciret. Pacis conditiones in hunc fere modum sunt scriptæ. Amicitia Carthaginiensibus cum Romanis, si ita populo Ro. videatur, his legibus esto.

Leges pacis. POENI VNIVERSA SICILIA EXCEDVNTO, CVM HIERONE BELLVM NE GERVNTO. SYRACVSANOS ARMIS NE PETVNTO, NEQVE SYRACVSANORVM SOCIOS. CAPTIVOS OMNES SINE PRECIO CARTHAGINENSES ROMANIS REDDVNTO. ARGENTI TALENTA EVBOICA BIS MILLE ET DVCENTA, INTRA ANNOS VIGINTI ROMANIS POENI PENDVNTO.

IV. Romani legati ea emendant. His conditionibus Romam perlatis, cum pacis conditiones corrigi vellet populus Rom. decem legatos ad res inspiciendas misit. Qui vt venere, de summa eorum, quæ conuenerant, nihil mutarunt, leges tantum Pœnis impositas nonnihil intenderunt. Tempus namque pensionis tributi coarctarunt, vt pro viginti annis decem annis ponerentur, talenta mille quæ in præsentia soluerentur, ad summam adiecerunt. Tributi porro nomen abusiuè sumitur, non enim annuum vectigal imponebant, sed summam certam, quæ paulatim diminueretur, pro cõmoditate debitorum. Mens ergo scriptoris est, si hunc locum cum altero libri 3. contuleris. Concessisse Catulum legatis Pœnorum, vt pro belli sumptibus à Romanis exantlatis, intra 20. annos duo millia talentorum Euboicorum, & præterea ducenta persoluerent. At seuerius egerunt legati Romani, qui eandem summam intra decem annos pendi voluerunt à Pœnis, & insuper mille talenta statim numerari. Idque clarum est ex l. 3. vbi fœdus habetur quale hoc anno in Sicilia correctum est, vbi habetur; Carthaginenses vt intra decem annos duo millia & ducenta talenta conferrent, mille sine mora darent, &c.

V. Alia cond. pacis, & [illegible]. Additum etiam est à legatis ad conditiones pacis, vt Pœni omnibus insulis, quotquot sunt intra Siciliam, atque Italiam, excederent. His igitur legibus, inquit Polyb. atque hoc modo finitum est bellum inter Romanos & Carthaginienses de Sicilia gestum, postquam annos continuos viginti quatuor perdurasset. Sic Polyb. cui de tempore consentit Diodorus. *Bello*, inquit, *à Romanis cum Carthag. per 24. annos continuato, & Lilybæo decennium obsesso, pacem inter se fecerunt.* (l. 24.) Zonaras, autem; Atque ita primo bello Punico anno quarto & vigesimo à Romanis confecto Catulus triumphauit. Et Liuius lib. 21. Ægates insulas, Erycemque ante oculos proponite, quæ terra marique per quatuor & viginti annos passi sitis. Nec repugnat Eutropius, qui anno belli Punici 23. bellum à Catulo contra Afros commissum esse dicit. Nam id cæteri quoque sentiunt; sed non potuit bellum dici terminatum, donec de conditionibus pacis plane conueniret, quod hoc denique anno factum est; & ita Oros. interpretandus est. Ergo corrigendus est Plutarch. in Marcello, dum ait primum bellum Punicum vigesimo & altero anno finitum esse.

VI. Catulus Proconsul de Pœnis triumphat. Triumphum egit hoc anno Catulus Proconsul de Pœnis, ei quippe honos & imperium prorogatum fuit. Contendit pro triumpho etiam Valerius proprætor, & arbitro Atilio Calatino victus est, apud Valer. Max. *b* triumphasse tamen in tabulis Capitolinis inuenitur prid. nonas Oct. anni 512. bidno post Catulum, qui quarto nonas ex Sicilia naualem egit triumphum. (b l. 2. c. 8.)

Libycum bellum. Hoc ipso anno inchoatum est Carthagine, quod vocatum est Libycum bellum, quod à mercenarijs contra Carthaginenses crudelissimum gestum est: quod fuse Polybius vsque ad finem libri primi persecutus est. Hoc inquam anno inchoatum est, cum Polybius dicat, statim post ictum fœdus, Hamilcarem copijs, quæ ad Erycem erant Lilybæum deductis, imperium deposuisse, & Gesconem vrbi præfectum mercenarios milites per partes Carthaginem amandare cœpisse, vt per partes quoque ibi stipendijs suis acceptis, ad suas quisque prouincias facesserent: sed cum id factum non esset, quin potius inconsulte omnes conglobati fuissent, deficiente pecunia res in seditionem, mox que in apertam vim, ac ciuile bellum cruentissimum erupit.

VII. *Consules de F[alisc]is triumphant.* Qvod ad res gestas ab huius anni Coss. attinet, bellum ab ijs contra Faliscos, quæ ciuitas Italiæ opulenta quondam fuit, illatum est, quia Genucius quidam tribunus plebis contumelia ab ijs affectus fuerat, vt scribit Plutar. in Gracchis. Id bellum ambo Coss. intra sex dies quam venerant transegerunt quindecim millibus hostium cæsis, cæteris pace concessa, agro tamen ex medietate sublato. Ita Eutropius, nec repugnat Orosius, nisi quod hoc bellum ad triennium differt. Zonaras autem M. Torquato agrum Faliscorum vrente, cum eis congressus peditatu succubuit, equitatu victor. Deinde repetita pugna eos domuit, armis, equis, supellectile, seruitijs, & agri semisse mulctatos. Tandem etiam antiqua vrbs in arduo sita monte euersa, aliaque condita in planitie oppugnatu facilis. Sic ipse. Consul vterque in Capit. tabulis legitur triumphasse, alter Calend. Martij, alter quarto nonas eiusdem. Ex quo intelligitur creatos iam tum Consules ante mensem Martium.

VIII. *Clades vrbis ob inundationes.* *a l. 4. c. 11.* Vervmenimvero, admodum mihi mirum videtur, Romæ hoc tempore intra sex menses quater triumphari potuisse, cum vrbem his ipsis Consulibus, (nam error in annorum numerum irrepsit V pro X) scribat Orosius, *a* aquarum eluuione, & incendio vehementissime afflictam fuisse. *Q. Lutatio,* inquit, *& A. Manlio Coss. diuersarum, aquarumque clades penè absumpsere vrbem. Nam Tiberis insolitis auctus imbribus, & vltra opinionem vel diuturnitate, vel magnitudine redundans, omnia Romæ ædificia in planis posita deleuit. Diuersæ qualitates locorum ad vnam conuenere perniciem: quoniam & quæ segnior redundatio tenuit madefacta dissoluit, & quæ cursus torrentis inuenit, impulsa deiecit.* Hæc ille de priori calamitate sequitur posteriori.

IX. *Et ab incendio.* Aqvarvm grauissimam cladem, grauior ignis secuta vastatio est: qui ignis incertum vnde surrexit, plurimas ciuitatis partes peruagatus, cum hominum domorumque miserabilem stragem fecit, tum etiam tantum opum vno consumpsit incendio, quantum plurimæ, & peregrinæ victoriæ conferre vix possent. Deinde cum omnia in circuitu fori popularetur, ædem Vestæ corripuit. Et ne sibi quidem dijs subuenientibus, ignem illum qui æternus putabatur, temporarius ignis oppressit. Vnde etiam Metellus, dum arsuros deos eripit, vix brachio semiustulatus aufugit.

b l. 7. c. 43. Plinius. *b* Is Metellus, inquit, orbam luminibus exegit senectam, amissis incendio cum Palladium raperet ex Æde Vestæ, memorabili causa, sed euentu misero. Et mox. *Tribuit ei populus Rom. quod nulli alij ab condito æuo, vt quoties in Senatum iret, curru veheretur ad curiam. Magnum & sublime, sed pro oculis datum.* Hæc ibi.

X. *Num diuinis sint seruati. c Val. Maxim. l. 1 c. 4.* Meminit huius incendij Euseb. in Chron. Sed refert in annum præced. Epitome 19. Liuij, & Valer. Maximus. *c* Qui vt id factum diuinitus crederemus, monitionem quandam præcessisse ait, quæ rerum præscia diuinitati vtique tribuenda sit, & rerum sibi sacrarum curam agenti. Cum Metellus, inquit, pontifex Maximus Tusculanum peteret, corui duo in os eius aduersum, velut iter impedientes, aduolauerunt, vixque extuderunt vt domum rediret. Insequente nocte ædes Vestæ arsit; quo incendio Metellus inter ipsos ignes raptum Palladium incolume seruauit. Sic ille. Obsecutæ sunt huiusmodi alites Domino, cum eius voluit famulis suis obsequium præstare. *d*

d 3. Reg. 17. 4. 6. Eliæ, Paulo, Antonio Heremitis. At hic, si re vera res contigit, num Deus voluit superstitionem iuuare? Nimirum dæmones, qui incendium illud præuidebant, speciem coruorum accepere, quo superstitio, quæ religio putabatur, magis magisque firmaretur. Quod Dominus permittens, obstruebat ora impiorum Epicuræorum, diuinam prouidentiam, & curam rerum humanarum, scelerate tollentium.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3813.

1. N. III. Videtur vertendum fuisse ἐν ἔτεσιν εἴκοσι, in annis viginti, id est intra annos viginti, vt etiam idem vertit lib. 3. vbi de hac re iterum disputatur. Sic apud Liuium l. 37. vbi pax Antiocho à Scipione datur, iubetur ille intra 12. annos 15. millia talentum Euboicorum pendere, præsentia 2500. cum Senatus pacem probasset, deinde millena per duodecim annos.

2. N. IV. Porro tota summa trium millium & ducentorum talentorum Euboicorum facile intelligetur, si ponamus Euboicum talentum valuisse 80. minas, sicut Atticum 60. & minam 100. drachmas pependisse, quarum singulæ Cenali iudice, valent tribus solidis cum dimidio. Inde enim consequens est minam 17. Francis cum dimidio respondere, & talentum Euboicum 1400. Atticum 1050. sublato scilicet quadrante. Ergo tria millia talentum Euboicorum valent 4480000. Francis Gallici æris. Atticorum vero 3360000.

ANNVS MVNDI 3814. SEXTAE ÆTATIS 298. Imperij Græcorum 72. Seleuci Callinici 7. Oniæ Pontificis 7. Ptolemæi Euergetis 7. Olympiadis CXXXV. An. 1. Vrbis conditæ 513. Coss. C. Claudio Centhone, & M. Sempronio Tuditano.

ANNVS ANTE CHRISTVM 239.

I. Bellis Eumenes bellum fratrib. infert. Lib. 27. Sparsis, consumptisque fratribus bello intestinæ discordiæ, inquit Iustinus, de Callinico & Hierace scribens, Rex Bithyniæ Eumenes, quasi vacantem Asiæ possessionem inuasurus, victorem Antiochum Gallosque aggreditur; nec difficile saucios adhuc ex superiore congressione, integer ipse viribus superat. Hæc ipse, quæ alij de Attalo Pergameno referunt. Habuit autem hic primus annus Olympiadis 135. Olympionicam Eratuuem Æiolum in stadio. Pugilatu vero, seu lucta Cleoxenum Alexandrinum.

II. Legatio Romanorum ad Ptol. Euergetem. Ad hunc annum videtur omnino pertinere illa legatio Romanorum ad Ptolemæum Euergetem, de qua Eutropius init. lib. 3. *Finito igitur Punico bello, quod per 22. annos tractatum est* (erratum haud dubie hic est. Nam paulo superius idem Eutropius annum Punici belli 23. numerat: itaque 24. legendum videtur, si placet annum pacis initæ annumerare, vt præcipui scriptores faciunt, vt anno præcedenti docuimus; sed pergit Eutrop.) *Romani iam clarissima gloria noti, legatos ad Ptolemæum Ægypti regem miserunt auxilia promittentes, quia Rex Syriæ Antiochus ei bellum intulerat,* (frater erat is Regis Syriæ Seleuci Callinici, non autem Rex. Neque tamen ille tum Syriam obtinebat, sed Euergetes;) *qui gratias Romanis egit, auxilia non accepit, iam enim fuerat pugna transacta. Eodem tempore potentissimus Rex Siciliæ, siue Syracusarum, Hiero Romam venit ad ludos spectandos, & ducenta millia modiorum tritici populo dono dedit.* Hæc Eutropius; sed non recte mox Hieronem ad triennium differt, vt mox dicam.

III. Quo ludos advertit Flor[alium]. Qvinam autem fuerint hi ludi, quos Eutropius memorat, colligo ex Vellei. l. 1. qui & Chronologiam nostram confirmat, cum ait *post triennium,* interiectum videlicet, à Torquati & Sempronij Consulatu, Spoletum Coloniam deductam. Quo anno, inquit Floralium ludorum factum est initium. Hi sunt illi ludi, in quos non semel iustissimus Patrum, & nominatim D. Augustini, zelus exardescit. Vir *1 2. de ciu. c. 27.* grauis, inquit, & Philosophus Tullius ædilis futurus clamabat in auribus ciuitatis, inter cætera sui magistratus officia, sibi Floram matrem, ludorum celebritate placandam. Qui ludi tanto deuotius, quanto turpius celebrari solent. Dicit in alio loco iam Consul, in extremis periculis ciuitatis, & ludos per decem dies factos, neque rem vllam 3. Catil. quæ ad placandos deos pertineret, prætermissam. Quasi non satius erat tales deos irritare temperantia, quã

placare

placare luxuria; & eos honestate etiam ad inimicitias prouocare, quam tanta deformitate lenire. Neque enim grauius fuerant quamlibet crudelissima immanitate nocituri homines, propter quos placabantur, quam nocebant ipsi, cum vitiositate fœdissima placarentur.

IV. *Floralium ludorum turpitudo. c. 33.* Et iterum l. 1. de consensu Euangelistarum vbi eadem Ciceronis verba, de Floræ placatione retulisset, subdit; In quibus ludis tanta exhiberi turpitudo consueuit; vt in eorum comparatione cæteri honesti sint: à quibus tamen etiam ipsis agendis viri boni prohibeantur. Quæ est ista Flora mater, qualis dea est, quam celebrior, & liberioribus effusioribus laxata conciliat, & propitiat turpitudo? Quanto tam honestius in scenam Roscius intrabat, quam Cicero deam talem colebat? Sic ipse. Cęterum non solū credebant sapientiores Romanorum dedecere virum bonum, qualem putabant Roscium, hæc agere, sed illi etiam ipsi mimi, huiusmodi ludis indecorum putabant, virum grauem interesse, imo in eorum conspectu ea exhibere verecundabātur. Vt de Catone minore refert Plutarch. Quod autem tam crebro audis de Flora, & dijs hoc ludorum genere placandis, suspicionem præbet inuectos hosce ludos ad placandos deos, quos annus præcedens infestos atque iratos, inundatione atque incendio demonstrarat: itaque nec vltra differendos rear, nec ad eos Hieronis aduentum. De his autem ludis Consule si placet nostrum Bulengerium.

V. *Sicilia in formam Prouinciæ redacta.* Q. Lvtativs, vt inquit Zonaras, post Consulatum (nimirum suum *[illegible]*) in Siciliam profectus cū fratre Catulo, omnia ibi ordinauit. Siculis arma adempta, tota insula, Hieronis regno excepto, à Romanis subacta, & amicitia cum Carthaginiensibus constituta. Significat Siciliam ab illis in formā Prouinciæ redactam esse, quod significat M. Tul. qui in Verrem vocat eam principē Prouinciarum populi Rom. Sed addit Zonar. quæ ad hunc quoque annum pertineant, nimirum Carthaginensium

Legatio ad Pœnos. stipendiarios & seruitia emitatis, & multos ea fiducia, aduersa Carthaginensium fortuna fretus, eos inuasisse. Romanos autem, cum ab hostibus illorum accerserētur, adeo non assensisse, vt cum per legatos reconciliare illos

[illegible] non possent, omnes Carthaginentium captiuos gratis dimitterent, frumentum mitterent, è socijs prouincijs conscribendi militis potestatem facerent, non tam vt rationibus illorum consulerent, quam vt humanitatis & clementiæ laudem consequerentur. Sic ipse; qui propterea merito audient, *receperunt mercedem suam*. Significat autem Zonaras bellum Mercenariorum, quod fuit, vt ante diximus, à Polybio descriptum est.

VI. *Liuius Poeta primus Romæ dat fabulam.* Cæterum hunc C. Claudium Centhonem, Claudij cæci filium fuisse testatur Cic. in Bruto. *Atque hic Liuius*, inquit, *primus fabulam C. Claudio Cæci filio, & M. Tuditano Coss. docuit, anno ipso antequam natus est Ennius, post Romam cond. autem* 410. legendum omnino 510. quomodo & legitur in prima Tusculana, in emendatioribus exemplaribus, pergit; *vt hic ait, quem nos sequimur. Est enim inter scriptores de numero annorum controuersia.* Recte non affirmat de anno M. Tull. contentus Atticum sequi, qui vt credi non absurde

Attici & Gellij Chronologia. potest, annos Consulibus vacuos prætermisit; itaque factus est ei annus 510. qui reuera est 513. Eandem dubitationem vides in Gellio, lib. 17. cap. vlt. quod est caput totum Chronologicum; vbi nihil tradit, quod non habeat ferme atque ferè coniunctum. Exemplo sit quod ad rem nostram facit. *Annis deinde*, inquit, *paulo pluribus quam viginti, cum Pœnis pace facta, Coss. Claudio Centhone, Appij Cæci filio, & M. Sempronio Tuditano primus omnium L. Liuius poeta fabulas docere Romæ cœpit, &c.* Vt mirum sit hunc Liuium Andronicum in Eusebij Chronico dici floruisse sub medium Olymp. 148. id est tribus & 50. annis post hunc annum. Est autem hic annus 2. Mercenarij belli apud Carthaginienses.

ANNVS MVNDI 3815. SEXTÆ ÆTATIS 299. Imperij Græcorum 73. Seleuci Callinici 8. Oniæ Pontif. 8. Ptolemæi Euergetis 8. Olympiadis CXXXV. an. 2. Vrbis Conditæ 514. Coss. C. Mamilio Turrino. Q. Valerio Faltone.

ANNVS ANTE CHRISTVM 238.

I. *Aut rebus Asiæ in stratū ... [illegible]* Victo Antiocho Hierace, cum Eumenes maiorem Asiæ partem occupasset, ne tunc quidem fratres, perduo præmio, propter quod bellum gerebant, concordare potuerunt, sed omisso externo hoste, in mutuum exitiū bellum reparant. In eo Antiochus denuo victus, multosū dierum fuga fatigatus, tandem ad Socerum suum Ariamenem regem Cappadociæ prouchitur. A quo cum primum benignè susceptus esset, interiectis diebus, cognito quod sibi insidiæ pararentur, salutem fuga quæsiuit. Sic Iustinus, sed quam diu hęc fuga durarit conijci vix potest, nedum certo affirmari.

II. *Romanæ pax, ac ... clausum Iani. l. 2. c. 3.* An hoc ipsum tempus pertinent illa Flori. *Peracto*, inquit, *Punico bello, secuta est breuis sane, & quasi ad recipiendum spiritum requies, argumentumque pacis, & bona fide cessantium armorum; tunc primum post Numam clausa fuit porta Iani, sed statim & sine mora patuit*, bello scilicet Ligustico, quod anno sequenti gestum est. Verum hæc pax, & clausa Iani ianua ab alijs ad quartum abhinc annum refertur, Manlio Torquato & Attilio Bulbo Coss. in quibus Eutrop. Oros. Plutarch. in Numa. Velleius, vt suo loco dicetur. Hoc tempore Mercenarium bellum maxime ardebat in Africa; quando etiam factum est vt pax inter Romanos ac Pœnos inita nutaret. *l. 3. l. 4. c. 12. l. 2.*

III. *Romanorum ... pax nutat.* Romani mercatores ex Italia in Africam commeatum hostibus Carthaginensium comportabant: eos illi comprehensos in vincula conijciebant, commeatum cum nauibus suis in portus deducebant; iamque ad quingentos inclusos habebant, cum Romani grauiter succensere illis eo nomine cœperunt; sed ijdem missis legatis, vbi rogatu suo eos omnes Romani recepissent; gratum adeo id officium habuerunt, vt extemplo Carthaginiensibus ipsi vicissim donarent quotquot adhuc apud ipsos restabant captiui è bello Siculo. Ab eoque tempore prompte omnia Pœnis à Romanis exhibebantur: qui & vetuerunt ne sui eorum hostibus commeatum afferrent, sed ad Carthaginenses necessaria exportarent. Cumq; Mercenarij, qui in Sardinia fidem mutauerant, ipsos in insulam vocarent, eos audire noluerunt, sicut nec Vticenses, qui se dedere ipsis volebant. Hæc Polyb. sed non diu ea abstinentia constiterunt. *l. 1. p. 84.*

Hunc annum, atq; hos Coss Gellius memorat, ex Varrone, quibus natus est, Q. Ennius Poeta, cui Cic. non vno in loco assentitur, vt proximo anno dicebamus. *l. 17. c. vlt.* Q. Ennius Poeta, ait Hieronymus apud Eusebij Chronicum, Tarenti nascitur, qui à Catone Quæstore Romam translatus, habitauit in monte Auentino, parco admodū sumptu contentus, & vnius ancillæ ministerio. Hæc ibi. Vide Suetonium de claris poetis. Est autem hic annus Sabbaticus ordine 176. & à principatu Iosue millesimus ducentesimus trigesimus secundus; qui anni exactè in 176. septenaria diuiduntur.

ANNVS MVNDI 3816. SEXTAE AETATIS 300. Imperij Græcorum 74. Seleuci Callinici 9. Oniæ Pontificis 9. Ptolemæi Euergetis 9. Olympiad. CXXXV. an. 3. Vrbis Conditæ 515. Coss. T. Sempronio Gracco, & P. Valerio Faltone.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 237.

I. *Finis belli Libyci. l. 25.* Bellvm Libycum, quod Pœni cum mercenarijs suis atrocissimum gessere terminatum est, vna cum trecentesimo anno ab imperio Cyri. Huic bello dat Diodo-

Hamilcaris virtus.

tus annos 4. & menses totidem; sed nihil habet hic scriptor accuratum. Liuius autem etiam quinque annos. Audiendus potius Polybius, qui illud ex instituto persecutus est. *Tres, inquit, annos, & menses ferme quatuor Mercenarij cum Carthaginensibus bellum fecere, omnium de quibus fando accepimus longe crudelissimum, & maxime nefarium*, in quo, post grauissima damna atque pericula, victoria tandem potiti sunt Carthaginenses, & grauissima meritissimaq; supplicia belli authores omnes obruerunt. Sed & ipsi Carthaginenses pœnas imprudentiæ suæ, in differenda talium hominum missione dederunt, & nimiæ in vicinos populos seueritatis. Id bellum Hamilcaris Barcæ virtute ac fortitudine in primis confectum est. Quæ plutibus Polybius l. 1. prosecutus est.

II. *Cur in Hispaniam ex. ducitur.* Polyb. l. 3. p. 167.

SVB initium secundi addit, quæ huc referamus, & sequentibus deinceps vsui sint futura. Carthaginenses, inquit, vbi primum in Africa res sunt compositæ, copijs coactis Hamilcarem in Hispaniam miserunt. Hic exercitu accepto, & filio Annibale nouem tum annorum puero, marique ad Herculis columnas traiecto, Carthaginiensium imperium in Hispania instaurabat. Vbi nouem ferme annos moratus, multis populis Pœnorum dominatui subiectis, occubuit. Existimat Polyb. l. 3. Hamilcarem eo consilio confestim ad res Hispanas animum adiecisse, vt præsidia aduersus Romanos inde sibi compararet. Si hic nonus est annus Annibalis, eum natum oportet anno primo Callinici, belli que Punici decimo nono, qui est Vrbis Cond. septimus supra quingentesimum. Quidam tamen eum vno anno seniorem fuisse putant. Vide quæ illo anno notauimus. num. 6.

III. *Annibalis iusiurandum.* l. 3. p. 167. gr. lat.

QVID autem anno isto nono ab Annibale, patris arbitrio factum sit, ipse Antiocho post plurimos annos fassus est, vt est apud Polybium. Ait enim se quo tempore Hamilcar in Hispaniam cum exercitu proficiscebatur, illo Ioui sacra faciente, ad altare se adstitisse, ibique à patre rogatum an comes expeditionis secum proficisci vellet: illo annuente, ac precibus etiam ab eo contendente, partem dextra filium prehendisse, ad altare admouisse, & tactis sacris iureiurando adegisse, nunquam amicum populo Romano fore. Hæc ibi, quæ deinceps plerique alij prodidere. Quæ perpetuum illum odiorum incentorum sapiunt, ad cuius aras puerulus admotus est. Est enim nefarium huiusmodi propositum, & sacrilegum iusiurandum, quod in homines, non in vitia directe fertur.

Sar...

DE re autem in Sardinia gesta idem consequenter subdit. Eodem fere tempore Romani ab illis mercenarijs inuitati, qui Sardinia pulsi ad illos transfugerant, in eam insulam nauigare instituerunt, quod cum ægre ferrent Pœni, & ad se potius insulam pertinere dicerent, & arma ad repetendam insulam compararent; Romani eam occasionem arripiunt, & contra Carthaginienses bellum decernunt, quod dicerent eum belli apparatum non tā contra Sardiniam, quam contra seipsos fieri. At Carthaginienses qui ægre, ac præter opinionem omnium superiore bello liberati, modis omnibus male parati erant ad suscipiendas nunc cum populo Ro. inimicitias, tempori cedendum rati, non solum Sardinia cessere, verum etiam ...ucenta Romanis talenta adiecerunt, ne bellum hoc tempore cogerentur. Hæc Polyb. Ex quibus ...non omnia bella iure à Romanis suscepta, vel ... Nam qui iamdudum arma in Siciliam ad præ...nertinos defendendos intulerant, nunc ad ...s transfugas protegendos arma ostentant; nō ...niæ nunc audi, quam tunc fuerant Siciliæ. ...ppetitus comedendo crescit.

...olybius propius veritatem attigit, vicinior ...um, quam Eutropius, apud quem ita le...enses tum bella reparare tentabant, Sardi... conditione pacis Romanis parere debe...ndum impellabant. Venit tamen legatio ...m Romam, & pacem impetrauit. Verum ...erbis, quæ extant apud Polyb. nulla fit ... Deinde quomodo bellum renouare ...s iam vehementissime debilitatos bello Punico 24. annorum, excepisset bellum Mercenariorum, quo plane attriti fuerant; aut si bellum ambiebant, qui factum est vt pacem mille ac ducentis talentis redimerent, ac Sardinia insuper cederent, ne ea capta Romani Carthaginem insuper peterent. Sed infirmiores præter damnum, etiam damni culpam à potentioribus sustinent. Cæterum amissio Sardiniæ in causis redintegrati belli Punici à Polybio l. 3. ponitur.

GALLICVM bellum hoc anno contra Romanos renouatum esse, author est Polybius. *Quieuere*, inquit, *post has detrimenta Galli per annos quinque & quadraginta*: sic enim ex Græco emendanda est versio Casauboni, *pacem cum Romanis colente*. Recte: tot enim numerantur ab anno 470, quo à Dolabella ingenti clade prostrati fuerant. Zonaras quoque & Orosius ad hos Consules bellum cum Gallis Cisalpinis & Boijs referunt; sed id Zonaras in tertium vsque annum diducit. Porro hi Galli, & Boij terras ad sinum maris Adriatici incolebant, apud Ptolemæum, vbi Rauenna, Atria, Forum Liuij, Patauium. De ipso autem bello ita Polyb. Posteaquam per ætatem è viuis excesserant priorum malorum oculati testes, successerantque illis iuuenes, animosæ temeritatis pleni, & bellicorum malorum rudes, rursus in Romanos leuibus de causis exasperati sunt, & alios ex Alpibus asciuere socios. Id cum à ducibus inscia multitudine factum esset, & iam illi Transalpini Ariminum vsque processissent, Boiorum multitudo parum illis fidei habens: seditione etiam tum aduersus duces, tum aduersus eos qui aduenerant excitata, Reges primum suos Atem & Galatum occidit, deinde mutuis cædibus inter se, signis etiam collatis sunt grassati. Romani, qui horum aduentu territi copias suas eduxerant, certiores facti de pernicie, quam sibi ipsis hostes intulerant, domum rediere.

VI. *Gallicum bellum renouatur.* L. 2.

Inter se mutuo confligunt Polybio.

VERVM Orosius & Zonaras consentiunt à Valerio Cōsule bis pugnatum esse contra Gallos: & primo quidem prælio victum fuisse, amissis 3500. Romanorum: cumque sibi Roma mitti auxilia didicisset pugnam anteuertisse, desiderantem aut per se victoria potiri, aut mortem oppetere. Fauit illi victoria, quatuordecim millia Gallorū cecidit, duo millia cepit, sed ob priorem cladem, triumphus Consuli negatus est. Sicilli. Quibus libentius accesserim. Quanquam etiam ea quæ refert Polybius, ex ijs quæ tertio anno de hoc bello referemus, nam triennium tenuit, lucem accipient, & ipse trium simul annorum gesta breuiter perstrinxit. Bellum etiam Ligusticum tres annos tenuit, quod hoc ipso anno à Sempronio Graccho inchoatum est, qui, vt autor est Zonaras, Ligures victor afflixit. Ad hoc bellum Romanos eorum latrocinijs fuisse prouocatos, significat L. Florus. Denique hoc anno colonia Valentia deducta est, biennio post Floralium ludorum initium, Velleius sub finem prioris libri.

VII *Idem bellum ex Orosio & Zonara.*

L. 2. c. 3.

ANNVS MVNDI 3817. SEXTÆ ÆTATIS 301. Imperii Græcorum 79. Seleuci Callinici 10. Oniæ Pontificis 10. Ptolemæi Euergetis 10. Olympiadis CXXXV. an. 4. Vrbis Conditæ 516. Coss. L. Cornelio Lentulo, & Q. Fuluio Flacco.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 236.

I. *Bellum Gallicum & Ligusticum continuatur.*

HOc quoq; anno bellum Gallicum & Ligusticū gestū esse, tū triumphus qui describitur in tabulis Capitolinis, tum Eutropius & Zonaras confirmant, qui his Consulibus rem contra hos populos gestam narrant. Accedit etiam Polyb. qui ait quinto anno ab hoc Gallico tumultu M. Lepidum Consulem agrum Picenum diuisisse: is autem quinto ab hinc anno Consul fuit, à superiore autem sextus foret, sed à sequenti etiam dici quintus potest computatis extremis.

Quid in eo gest.

De hoc porro bello ita Zonaras. Nam Eutropius tantum habet his Coss. contra Ligures intra Italiam bellum gestū esse, & de his triumphatū. Ille autem sequēti anno, inquit, L. Lentulus & Q. Flaccus bello cōtra Gallos suice...

pro, dum vnà agebant insuperabiles erant: sed cum separati loca quædam maioris prædæ cupiditate vastare cœpissent, Flacci castra noctu circundata in periculo fuerũt. Barbari vero tum repulsi, multis socijs ascitis, cum magna manu Romanos denuo inuaserunt. Sic ipse. Scribit Sigonius in Fastis hos primos Consules trans Padum Romanas duxisse legiones, pugnatumque ibi esse cum Insubribus & Liguribus, quorum interfecta sint viginti tria millia, & quinque millia capta, eamque triumphi materiam fuisse. Eadem ex Eutropio refert Cuspinianus.

ANNVS MVNDI 3818. SEXTAE ÆTATIS 302. Imperij Græcorum 76. Seleuci Callinici 11. Oniæ Pontificis 11. Ptolemæi Euergetis 11. Olympiadis CXXXVI. An. 1. Vrbis conditæ 517. Coss. P. Corn. Lentulo Caudino, & C. Licinio Varo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 235.

I. *Galli Romanos lacessunt.* TERTIVM etiam hunc annum Romani contra Gallos Liguresque decertarunt. De Gallis enim sic scribit Zonaras, Galli P. Lentulo & Licinio Varo se ob multitudinem suam, vel sine pugna terrorem incussuros arbitrati, per legatos Ariminensem agrum repetierunt, & eos ipsa vrbe, quæ sua esset cædere iusserunt. Consules vero nec ob paucitatem confligere, neque illa concedere ausi, inducias fecerunt, vt ijs de rebus legati à Gallis Romam mitterentur. Qui cum apud Senatum eadem postulassent, neque quicquam impetrassent, in castra reuersi res suas perditas repeterunt. Quidam enim ex eorum socijs mutata sententia, Romanos timentes Boios sunt aggressi, atque vtrinque multi ceciderunt, vnde reliqui domum redierunt, Boij per pactiones magna agri sui parte mulctati sunt. *Et mutuo confligunt.* Eadem habet Polybius de mutuo Gallorum cõflictu, sed causam diuersam, & fortasse probabiliorem. Neq enim probabilem affert causam Zonaras noui Gallorum metus, quibuscum vterq; Consul paulo ante confligere formidarat. Sed & admodum imprudenter Galli, dum Romanos timent, copias inter se suas coniunctas distrahunt, quas oportuisset disiunctas, ad firmitatem vnire atque coniungere.

II. *Varus Corsicam petit.* GALLICIS bellis iam confectis, ait Zonaras, Lentulus contra Ligures arma cepit, & ijs qui occurrebant, profligatis, castella quędam subegit. Varus Corsicam petiturus, cum propter nauigiorum penuriam trajcere non posset, Claudium Cliniam legatum cum parte copiarum præmisit: qui Corsis territis in colloquium venit, & pro autoritate pacem cum eis fecit. *Claudius pacem facit.* Varus autem nulla pactionis habita ratione, eos oppugnare non destitit, donec subegisset. Romani vero violati fœderis crimen à se remouentes, Claudium eis dediderunt, non receptum expulerunt. *Hostique deditur a Senatu.* Ita Zonaras. At Valerius l. 6. c. de Seueritate. *M. Claudium Senatus,* inquit, *Corsis dedidit, quia turpem cum his pacem fecerat. Quem ab hostibus non acceptum, in publica custodia necari iussit. Semel læsa maiestate imperij, quot modis ira pertinax vindex! Factum eius rescidit, libertatem ademit, spiritum extinxit, corpus contumelia carceris, & detestanda Gemoniarum scalarum nota fœdauit.*

III. *Nam idrecte factum.* ET quidem, si verum fateri volumus, non solum seuere, quod vltro fatetur Valerius, sed etiam crudeliter. Mẽsuram quippe delicti, longe superauit supplicij modus. Nam satis erat, vel remedij pro incolumitate Reipublicæ; vel pœnę pro culpa delinquentis, vel monitionis pro cautione, & exemplo reliquorum præfectorum, eius acta ignominiose rescindere. At imprudẽtiam grauiore fortasse culpa vacantem, fortasse etiam à clementia, atq; humanitate laudabilem, expulsione patriæ, & luctuosa suorum omnium priuatione, atq; adeo hostili deditione castigase; neq; his contentum libertatem adimere, spiritum extinguere, corpus contumelia carceris, & detestanda Gemoniarum scalarum nota fœdare; hæc qui faciat, nõ eum in seueris numero, sed tyrannis crudelissimis simillimum indico. Quin etiam illa deditio quid haberet æquitatis, vel expiationis sane non intelligo. Nam si totam Rempublicam promissio vnius obligabat, vnius deditio non reddit vniuersos vinculis exolutos, sicut solutio aut abscissio legati digiti, nexus non expedit omnium membrorum. *Deditio improbatur.* Si non obligabat, vtpote quæ sub ea conditione ferebatur, si ita S.P.Q.R. probaretur, quid deditione opus erat? cum satis esset acta non probare, eaq; nota hominem, qui male negotium publicum gessisset, afficere.

TERTIOS ludos seculares his consulibus Romæ celebratos, docet Censorinus, in libello de natali die. Tertij ludi fuerũt, inquit, Antiate Liuioque autoribus, P. Claudio Pulchro, C. Iunio Pullo Coss. Fuit hic annus 504. ab vrbe condita: aut vt in libris quindecim virorum scriptũ est, anno quingẽtesimo duodeuigesimo, P. Cornelio Lẽtulo, C. Licinio Varo Coss. IV. *Tertij ludi seculares. cap. 16.* In quo anno Censorinus Plinianam & Ciceronianam sequitur summam, vt ait Sigonius, non Capitolinam. Eandem sequitur Onuphrius: vterq; tamen cum Pighio & marmoribus Capitolinis Censores hoc anno produnt L. Cornelium Lentulum, & Q. Lutatium Cerconem, qui quinquennio ante Consul fuerat, & in hoc honore mortuus traditur, & Collega de more abdicante, nullum conditum fuisse lustrum. Cursor autem in noua Olympiade omnium velocissimus fuit Pythocles Sicyonius.

ANNVS MVNDI 3819. SEXTAE AETATIS 303. Imperii Græcorum 77. Seleuci Callinici 12. Oniæ Pontificis 12. Ptolemæi Euergetis 12. Olympiad. CXXXVI. an. 2. Vrbis Conditæ 518. Coss. T. Manlio Torquato, & C. Atilio Bulbo. II.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 234.

BELLVM in Sardinia hoc anno gestum, atq; his consulibus, Eutropius & Orosius *a* perspicue tradidere. V. *Sardi rebellantes debellati a lib. 4. c. 12.* Zonaras quoque Sardos dicto non audientes à Romanis debellatos affirmat, puta à T. Manlio Torquato, quem de Sardis triumphasse tabulæ Capitolinæ cõfirmant. Sed audiamus Orosium. T. Manlio Torquato, C. Attilio Bulbo Coss. Sardinia insula rebellauit, authoribus Pœnis; vnde mox Sardi subacti, & oppressi sunt. Carthaginensibus autem violatoribus pacis, quam ipsi poposcissent, inferri bellum decretum est. Contra Carthaginenses pacem suppliciter poposcerunt, & cum bis missis legatis nihil profecissent, post etiam decem principibus bis æque supplicantibus, nec impetrarent; nouissime Annonis hominis minimi inter legatos oratione meruerunt. *Pœni Sardo ea volle fiducia.* Alia videtur hæc res gesta in Sardinia ab ea, quam ante triennium ex Polybio retulimus. Eo enim tempore acquisita est Sardinia, isto recuperata. Nam insulam rebellasse scribit Orosius, & Zonaras ait dicto non fuisse audientes, subditi ergo erant. Acquisitio sub bellum Lybicum contigit, vt idẽ Polybius habet, receptio sub Gallicum, atque Ligusticũ. *Et cur.* Studiose autem Pœni pro pace apud Romanos egisse videntur, propter Amilcarem cum copijs absentem: quem, cum bene res in Hispania gereret, non videbatur è Republica medio ex cursu reuocare.

ADDIT Orosius hoc anno portam Iani Gemini clausam fuisse, quod sub Numa Pompilio tantum contigerat, idque ad vnum annum duntaxat, imo ad aliquot menses. VI. *Porta Iani clausa.* Per annos, inquit, prope septingentos, id est ab Hostilio Tullo vsque ad Cæsarem Augustum, vna tantummodo æstate, Romana viscera sanguinem non sudarunt. Velleius l. 2. Sardinia inter primum, inquit, & secundum bellũ Punicum, ductu T. Manlij Coss. certum recepit imperij iugum. Immane bellicæ ciuitatis argumentum, quod semel sub Regibus, iterum hoc T. Manlio Consule, tertio Augusto principe, certæ pacis argumentum, Ianus Geminus clausus dedit. Verum quam incerta, atque inconstans hæc pax fuerit in Sardinia, quatuor ipsi anni sequentes docebunt.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3819.

i.N.I. a.19.l.2. HIc decimus est, idemq; vltimus annus Demetrii ex Antigono Gonata geniti in Eusebii chronico. At Polybius illum tradit mortuum circa id tempus, quo Romani primum in Illyrium traiecerunt: anno scilicet v.c.524. sed illud *circa* non præcise sumit, vt patet ex iis, quæ de tempore mortis Gonatæ diximus, an. v. con. 510. num.3.

ANNVS MVNDI 3820. SEXTAE ÆTATIS 304. Imp. Græcorum 78. Seleuci Callinici 13. Oniæ Pontificis 13. Ptolemæi Euergetis 13. Olympia. CXXXVI. an.3. Vrbis Condit. 519. Coss. L. Posthumio Albino, & Sp. Caruilio Maximo Ruga.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 233.

I. Primũ Romæ diuortium. SIc enim Sp. Caruilium hoc anno cognominat Gellius. Anno, inquit, post Romam conditam quingentesimo vndevigesimo Sp. Caruilius Ruga primus Romæ, de amicorum sententia, diuortium cum vxore fecit, quod sterilis esset; iurassetque apud Censores vxorem se liberorum quærendorum causa habere. Sic Gellius, idque confirmatur ex Capitolinis tabulis, in quibus hoc anno ponuntur Censores C. Attilius Bulbus, & A. Posthumius Albinus, hic Consulis frater, ille anno superiore Consul fuit. Lustrum autem numeratur quadragesimum. Eodem anno, ait idem Gell. C. Næuius poëta fabulas apud populum dedit. Sed publica videamus.

II. Sardi, Corsi, Ligures deficiunt. Hoc anno Sardos, Corsos, & Ligures defecisse ex condicto, satis apparet ex vicinitate locorum. Nam Sardiniæ Corsica pene iuncta est, ex qua traiectus, nec ita magnus est in Liguriam traiectus. Idque satis ex Zonara constat. Is ait Romanos copias trifariam diuisisse, vt hostes simul bello pressi, auxilia sibi inuicem ferre non possent; quod scilicet fuerant ante meditati: Posthumium Albinum in Liguſticum, Sp. Caruilium contra Corsos, in Sardiniam P. Cornelium ædilem misisse. Consules licet haud citra laborem, citra moram tamen mandata executos. Caruilium Sardos, nihil modicum animis agitantes, ingenti prælio subegisse: de quibus & triumphasse tabulæ Capitolinæ testantur. At quomodo Caruilius Sardos prælio subegit, qui missus fuerat in Corsos? Apparet successisse P. Cornelio demortuo: eum enim cum multis militibus morbo periisse, idem Zonaras affirmat; additque Romanis digressis, Sardos & Ligures de integro defecisse.

Subinguntur.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3820.

i.N.I. CÆterum idem Gellius libro 4. cap.3. vbi Seruio Sulpitio id contigisse dicit anno Vrbis Condit. 523. M. Attilio, & P. Valerio Coss. qui tamen in fastis inueniuntur Coss. anno Vrb. Cond. 526. Dionysius Halycarnasseus lib.2. hoc repudium refert in annum 520. quo dicit M. Pomponium & C. Papyrium fuisse Coss. Olymp. 137. quos inuenimus consules an. 522. Dionys. sequitur Valerius Maximus lib.2. cap.1. atque vterque eum propterea factum populo odiosum: quia nec cupiditatem quidem liberorum coniugali fidei proponi debuisse arbitrabantur. Sed quid facias Plutarcho, qui in comparatione Lycurgi & Numæ, ait hoc contigisse anno Vrb. Cond. 230. sic enim habetur in Græco, licet interpres habeat 330. Sed ego nihilominus maneo in prima Gellii sententia: quoniam cæteræ aut aperte falsæ, aut non satis sibi ipsæ consentiunt. Nisi forte placeret in Gellio legere non vndevigesimo sed vigesimo secundo. In Dionysio autem biennium abest, sicut & in primi belli Punici initio notauimus.

ANNVS MVNDI 3821. SEXTÆ ÆTATIS 305. Regni Græcorum 79. Seleuci Callinici 14. Oniæ Pontif. 14. & vlt. Ptolemæi Euergetis 14. Antigoni Tutoris 1. Olympiadis CXXXVI. an. 4. Vrb. Con. 520. Coss. Q. Fabio Maxmo verrucoso, & M. Pomponio Mathone.

ANNVS ANTE CHRISTVM 232.

I. Mors & merces Oniæ II. Pontif. VLTIMVM hunc annum tribuit Eusebius Oniæ pontifici, huius nominis secundo, qui à primo Onia quintus fuit, vt *a* alio loco perspicue docuimus. Pontificatum ergo gessit annis quatuordecim: diuturniorem tamen Iosephus innuit, *b* qui Tobiam eius nepotem ait viginti duobus annis prospera fortuna vsum, & eodem fere tempore mortuum, quo patruum eius Oniam pontificem, qui tamen pontifex erat, priusquam ille regem adiret Ptolemæum, & eius negotia feliciter tractaret. Res tamen incerta est, eo quod Iosephus tempus mortis Oniæ reliquit ambiguum. Non tamen eius mores, nam vno in loco *c* virum angusti animi fuisse dicit, & pecunijs deditum, quique pecuniarum amorem publicis necessitaribus perfricta fronte anteferret. In alio *d* ait Tobiam eius ex sorore nepotem in eum inuectum, qui non curaret securitatem publicam, sed modo pecunijs parceret, populum in periculum conijceret. Denique dicentem inducit, neque principatum se morari, & pontificatum etiam, modo liceat, libenter se depositurum. Et merito, si hæc vera sunt: nihil enim habuit, quod pontificem deceret, aut principem.

a 2. m. 3785. n.1.&2. *b* l.12.c.4. ἀπέθανε δὲ τῇ ἀρχῇ. *c* l.12.c.3. *d* c.4.

II. Ad quem scripta litera ab Ario sit. ARBITRAMVR autem ad hunc secundum Oniam Simonis Iusti filium, missas fuisse literas ab Ario, siue Areo Lacedæmoniorum rege, de quibus in primo Machabæorum *e* scriptum est, & à Iosepho, *f* & eum secuto Eusebio in Chronico: *g* sed vterque eas ad tertium Oniam refert, qui fuit secundi nepos. Scaliger in illum Eusebij locum, longe falli Eusebium & Iosephum, propter ἀνισοχρονίαν scribit, esseque hic metachronismum, vt minimum annorum 140. Quod Onias ille, ad quem Arius rex Lacedæmoniorum legatos misit, erat Ladduę filius, vixitque sub Seleuco Nicanore, nec alius postea Arius in regia familia fuerit. Et lib.3. Canonum Isagogicorum ait istum Arium, siue Areum, quem Diodorus Siculus Aretam vocat, *i* & 44. annos regnasse tradit, successisseque Cleomeni: istum inquam Arium regnare cœpisse, anno primo Olympiadis centesimæ secundæ, ad annum vigesimum Seleucidarum. Oniam vero istum tertium ad tempora Demetrij Soteris, & successoris eius Alexandri pertinere; nimirum centum annis abesse à temporibus Seleuci Nicanoris. Quid mihi hac de re tota, & de Scaligeri censura videatur, tribus propositionibus aperio.

e c.12.20. *f* l.12.c.4.&. *g* n.109. Olymp.148 *h* p.118. *i* l.20. p.747 &c.

III. Non ad tertium Oniam. CENSEO igitur primum falli Iosephum, atque Eusebium, dum Oniam illum tertium Ario æqualem faciunt. Nam primo, vt ex Liuio anno decimo septimo Antiochi Magni docebimus, Machanidas tyrannus eo tempore rerum potiebatur Lacedæmone, non Arius, eique Nabis alter tyrannus successit, vt tradunt Pausanias lib.8. & Polyb. lib.13. Deinde Arius, siue Areus regnauit eodem tempore, quo Antigonus Gonatas, Demetrij Poliocretæ filius, Athenas maritimo ac terrestri exercitu oppugnare aggressus est: quibus auxilio venit Patroclus ex Ægypto, nussu Philadelphi, & Areus Lacedæmone, vt autor est Pausanias in Laconicis, *k* idque in annum Philadelphi decimum octauum cadit, vt suo loco docuimus. Cœpit autem regnare Areus sub extrema Pyrrhi tempora. Nam Cleonymus patruus Arei, eiusque regni æmulus, cum nepotem iudicio Senatus sibi prælatum vidisset in successione regni, Pyrrhum ex Italia reducem, in Laconicam regionem reduxit: quæ fuit vltima Pyrrhi expeditio, vt diximus anno Philadelphi 15. A quo anno ad tertij Oniæ pontificatum, qui ab Eusebio ponitur Olympiade cẽtesima quadragesima tertia, anni sexaginta quinque numerantur, cum tamen illi Diodorus tantum qua

k l.3. p.87. &c.

tuor & quadraginta regni annos attribuat. Non potuit ergo Arius ad tertium Oniam peruenire.

IV. *Neque ad primum.* CAVSA secundo non recte poni à Scaligero Arium æqualem Oniæ primo, qui in viuis esse desiit, & filio Simoni Iusto pontificatum reliquit, anno primo Olympiadis centesimæ vigesimæ, qui fuit Ptolemæi Lagi vigesimus quintus, vt affirmat Eusebius in chronico, quem nos quoque secuti sumus; à quo ad initium regni Arij anni 28. numerantur; cœpit enim regnare, vt diximus, sub decimum quintum Philadelphi, qui fuit primus Olympiadis centesimæ vigesimæ septimæ. Mortuus ergo erat primus Onias 28. annis, ante quam regnaret Arius. Non potuit ergo idem rex ad Oniam primum scribere, quod vult Scaliger.

Propterea ad secundam. Censeo tertio, quod ex his consequens est, eas Arij regis literas ad Oniam secundum, quem nunc defunctum cum Eusebio ponimus, fuisse missas. Cum enim ad Oniam missæ fuerint ab Ario, vt non solum Iosephus, *a* & Eusebius, sed Scriptura etiam ipsa testatur, neq; ad primũ, vel tertium mitti potuerint, satis omnino constat ad secundum fuisse missas. *a L. 12. c. 4. & 5. & l. 13. c. 9. 1 Mach. 12. v. 20.* Deinde quartus & 40. Arij annus cadit in vltimum Olympiadis centesimæ trigesimæ septimæ. Secundus autem Onias vixit in pontificatu ab anno tertio Olympiadis centesimæ trigesimæ tertiæ, vsque ad annum quartum centesimę trigesimæ sextæ, vt Eusebius author est; annis ergo 14. coæuus eius fuit. Hoc igitur primum sit hoc loco Scaligeri erratum.

V. *Aliquot in Scaligero.* ERRAT quoque secundo in suo 140. annorum metachronismo. Nam à secundi Oniæ initio, ad tertij principium, quadraginta tantum anni numerantur, siue Olympiadis decem: centum ergo annis, vt minimum hallucinatur. *L. 4. p. 27. 51.* Errat tertio quod neget alium fuisse in regia familia Arium. Eum enim refellit non solum Pausanias, cuius hæc sunt verba in Laconicis *Areo Acrotatus gignitur, Acrotatus minor Areus*; Sed Scaliger ipsemet, qui in canon. Isagog. vbi de Dinastia Lacedæmoniorum agit, *p. 312.* mouet tres Onias summos sacerdotes fuisse, & duos Areos Lacedæmonios. Cautius dixisset, fortassis & verius, post hunc Arium neminem alium ei cognominem regnasse. Nam idem Pausanias eodem loco hunc minorem Areum morte consumptum tradit annum agentem octauum: & potuit regnasse nihilominus. Nam hoc ipso tempore Philippus paucorum mensium infantulus, sub Antigono Tutore regnabat. Certe in Sparta ipsa Agesipolis Pausaniæ filius, propter ætatis infirmitatem, Tutorem habuit Aristodemum.

VI. *Alia eiusdem errata.* ERRAT quarto cum ait Areum anno primo Olympiadis centesimæ secundæ regnare cœpisse: quia prior ille Areus successit patri defuncto, vt vult Diodorus, anno quarto Olympiadis centesimæ decimæ septimæ, id est totis sedecim Olympiadibus posterius, siue sexaginta quatuor annis, quam Diodorus dicat. Re autem vera regnare cœpit, vt probauimus, sub tertium Olympiadis centesimæ vigesimæ secundæ.

Errat quinto, quod ab illo primo centesimæ secundæ Olympiadis ad vigesimum Seleucidarum ponit 40. annos, quibus Arius regnauerit, cum id spatium totas viginti Olympiades, id est octoginta annos comprehendat. Nã vigesimus Seleucidarum cadit in annum primum Olympiadis centesimæ vigesimæ secundæ. Aberrat ergo sex & triginta annis à recta supputatione, non solum à recta chronologia.

Errat sexto, quod tertium istum Oniam refert sub Antiocho Magno claruisse, & tamen significat pontificatum produxisse ad Demetrij Soteris, & eius successoris Alexandri tempora: quorum hic peruenit ad Olympiadem centesimam sexagesimam. *L. 12. ant. c. 9.* Oportuisset ergo eum non solum 64. annis egisse pontificem, sed etiam occupare totũ pontificatum Iasonis, & Menelai Pseudopontificum, vt de reliquis taceam, quos Antiochus Epiphanes, defuncto Onia pontifices fecit, vt ex Iosepho constat, quiq; pontifices fuerunt ante Demetrium Soterem. Hęc de tempore, nunc rem ipsam videamus.

VII. EXTAT exemplar eius epistolæ apud Iosephum in hæc verba. *Rex Lacedæmoniorum Arius Oniæ S. Incidimus in quandam scripturam antiquam, in qua inuenimus cognationem intercessisse inter nostras origines, & vestrum quoque genus non esse alienum à posteris Abrahæ. Aequum igitur est, vt cum fratres nostri sitis, petatis à nobis quæcunque libuerit. Idem nos quoque faciemus, & res vestras tanquam nostras existimabimus, nostras item vobiscum communes habituri. Demoteles est qui has vobis reddit literas, in pagina quadrangula scriptas, & obsignatas aquilæ sigillo, vnguibus draconem tenentis.* Hæc ibi, quæ paraphrasis quædam est illius epistolæ, quæ in priore Machabæorum habetur in hæc verba. *L. 12. ant. c. 5. Epistola regis Arij ad Oniam. l. 1 Mach. 12. 20.* *Arius Rex Spartiatarum, Oniæ sacerdoti magno S. Inuentum est in scriptura de Spartiatis & Iudæis, quoniam sunt fratres, & quod sunt de genere Abraham. Et nunc ex quo hæc cognouimus, benefacitis scribentes nobis de pace vestra; Sed & nos rescripsimus vobis. Pecora nostra, & possessiones nostræ, vestra sunt, & vestra nostra: mandauimus itaq; hæc nunciari vobis.* Omissus est lator epistulæ, cui cætera verbo commissa erant, & mentio sigilli, de quo vide nostrum Serarium.

VIII. *Quomodo cognati Hebræorum Lacones.* NAQVE est quod quenquam moueat, quod epistola hæc hebraismum potius, quam Laconismum sapiat, vt illud, *scribentes de pace vestra* Hebræorum enim est, non Græcorum pacem pro fortuna prospera, & rebus ad nutum fluentibus accipere. Nimirum Græca epistola in Hebræũ primum versa est, qua lingua primum Machabæorum librum plerique non absurde scriptum putant, deinde rursum ex Hebræo in Græcum, Latinumque conuersa est. Vnde autem illa Iudæorum cum Spartanis cognatio, ab ipso Abrahamo repetita, difficile dictu est. Plerasq; affert coniecturas Serarius in illum locum. Quidam putauerunt Oebalum patrem Tyndarei, auum Castorum & Helenæ, esse Ebal filium Iectan, qui capita decimo Geneseos memoratur: at Ebal longe prior Abrahamo fuit, si fuit immediatus filius Iectan. Oebalus autem longe posterior, vt et que aliquot seculis ab Abrahamo, & à se inuicem abfuerunt.

IX. *Coniectura noua de re.* QVOD si nobis quoque conijcere licet, fieri potest vt aliquis de Abrahami & Ceturæ filiis, qui 25. Geneseos recensentur, puta is, ex quo Latusim, vel Laomim dicti sunt, per mare mediterraneum coloniam deduxerit, & Peloponneso adita nomen suum populo dederit, quod progressu temporis in Lacones & Lacænas fuerit deformatum. Certe Iosephus testatur Abrahamum autorem fuisse omnibus filijs suis, ac nepotibus, quos ex Cetura susceperat, deducendi colonias, eosque occupasse Troglodyticam regionem, & Arabiæ felicis quidquid ad rubrum mare pertinet: alios etiam in Lybiam penetrasse. *L. 1. ant. c. 15.* Quidni etiam se aliquis eorum mari commiserit, & terras quas mare circumfluit, adierit. D. quoque Hieronymus in Isaiam scribit, cum Tyrus à Nabuchodonosore obsideretur, ante annos 370. multos inde nauibus ad Ionij, Ægæique maris insulas, in Cyprum, Macedoniam, Græciamque profugisse. Non ergo ridiculum est, vt putauit Scaliger, coloniam aliquam Abrahamitarum in agrum Spartanum esse deductam: ab ijsque per manus traditam posteris originem suam, & ad hæc, atque his vlteriora tempora fuisse conseruatam. *L. 3. can. p. 311.*

X. *Antigonus Tutor.* ADDIMVS deinceps Antigonum Tutorem, cæterosque Macedonum reges, quod eorum res vehementer cum Romanis coniunctæ sunt, & ægre altera sine alteris intelligi aut explicari possunt. Hoc ergo anno circiter euenit mortuum esse Demetrium Gonatæ filium ex Polybio satis constat, iuncta ex quæ supra diximus, qui enim Democratiæ restituisse, tyrannidi, sic enim vocat Monarchiam, in Peloponneso fauisse ait. *vrb cond. 510. 1. 8.* Et quoniam Eusebius hunc annum primum Antigoni esse volt, priorem anni partem Demetrio, posteriorem huic Antigono dabimus, cui cognomen eo Tutoris ipsum eius officium dedit. Nam Philippi Demetrij filij. tum paruuli Tutor fuit. *in vita Coriolani. lib. 40. ad fin.* Dictus est etiam Doson, vt Plutarcho placet, quod magnus promissor esset, & in repræsentandis promissis cunctaretur. Regiæ, inquit Liuius, vir maiestatis; nobili etiam pugna aduersus Cleomenem Lacedæmonium clarus.

IMPERII GRÆCORVM an. 80.

Addit Suidas, in Antigono, eum dictum etiam Euergetem. Nam Cleomene, inquit, Lacedæmoniorum rege pugna victo, etiam Sparta penitus, cum sito arbitratu, & de vrbe, & de ciuibus statuere posset, tantum abfuit vt in victos sæuiret, vt patria Reipublicæ forma, & libertate restituta, maxima beneficia in Lacedæmonios publice, priuatimque conferret. Nec eo tantum tempore benefactor est habitus, sed & defunctus Seruator. De huius regni principio; in Macedonia, ait Iustinus, Demetrius Rex relicto filio Philippo paruulo admodum decedit. Cui Antigonus Tutor datus, accepta in matrimonium matre pupilli (ea erat Phythia Alexandri Epirotæ filia, Pyrrhi neptis) regem se constituere laborat. Erat hic pupillus omnino infantulus paucorum mensium. Nam eum 14. annos tantum natum regnare cœpisse tradit Iustinus. Itaque oportet, neque primum Tutoris annum integrum esse, neque postremum.

XI. *Eur. dictus ... gesta.* — *Σωτὴρ.* — l. 28. 6. & l. 29. init.

XII. *Sardi & Ligures iterum deficiunt.*

Rem Romanam Zonaras hoc tempore cæteris accuratius persecutus est, qui aliquot annos intactos prætereunt alij attingunt, duntaxat. Ille igitur, Romanis digressis, inquit, Sardi & Ligures de integro defecerunt. Contra Ligures missus est Q. Fabius Maximus, in Sardiniam Pomponius Manius. Hic est ille Fabius maximus, qui *cunctando restituit rem* tempore secundi belli Punici, quo periculosissime contra Annibalem à Romanis pugnatum est. Cæterum hos aduersarios à Pœnis suscitatos Romanis, vt ijs attriti, faciliorem de ijs victoriam postea obtinerent significat Zonaras, cum subdit.

Opera Pœnorum.

Carthaginenses, vt eorum bellorum authores, hostes iudicati, iussi numerare pecuniam (quæ scilicet ex pactis Siciliẽsibus debebatur) & omnibus cedere insulis, vt quæ Romanorum essent. Et vt sententiam suam magis declararent, hastam illis & caduceum miserunt, optione data vtrum mallent. Sed Carthaginenses nihil territi, tum ad alia respondetunt asperius, tum se neutrum velle dixerũt, sed illud alacriter accepturos, quod legati reliquissent. Hinc mutuis odijs conceptis, neutri bellum auspicari sunt ausi. Hæc ibi.

XIII. *Simmira bellorum eisdem. Fabij triumphus de Liguribus, & ædes Honoris dicata.* l. 10. c. 27.

Quibus perquam similia habet Gellius, vbi epistolam à Fabio Coss. missam dicit, & hoc specimen ponit populi vtriusque animose de imperio orbis terrarum decertantis. Addit postremo Varronem affirmantem non hastam ipsam, neque ipsum caduceum missa, sed duas tesserulas, in quarum altera caduceum, in altera simulachra hastæ fuerant incisa. Hoc etiam anno Q. Fabium Maximum de Liguribus triumphasse, Pomponium de Sardeis Capitolinæ tabulæ docent. Plutarch. Fabius, inquit, ex quinque consulatibus quos gessit, in primo triumphauit de Liguribus, qui signis collatis ab eo fusi, intra Alpes multis amissis coacti sunt, repressiq; à populanda & vexanda proxima Italiæ ora. Etiam dedicasse templum Honori ait Cic. Vides Virtutis templum; vides Honoris à M. Marcello renouatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico à Q. Maximo dedicatum.

XIV. *Ortus Catonis Maioris.*

Hoc anno natum se esse prædicat Cato maior apud Tull. de Senect. septem scilicet annis à Centhone, Tuditanoque Coss. idque probatur ex eodem libello, vbi ait se 4. annum & 80. agere. Vrbis scilicet conditę 603. L. Quinctio & M. Acilio Coss. quo anno factus est pontifex Max. P. Cornelius Scipio Nasica vir optimus, vt ibid. habetur. At si hunc annum ponas Catonis primum, sexcentesimus tertius vrbis erit 84. vitæ eius, & 65. incidet in consulatum Cæpionis & Philippi, cum legem Voconiam suasit. At quid eidem faciamus init. lib. de Senect. vbi de Fabio Maximo agens. *Anno*, inquit, *postquam Consul primum fuerat, ego natus sum.* anno ergo sequenti, non isto natum oportet. Vidit opinor hunc scopulum Manutius, & leuicula voculæ traiectione vitare conatus est. Legit enim, Anno enim post consul primum fuerat, quam ego natus sum: ex quo sequitur illum non hoc, sed præcedenti anno esse natum. Verum cum de veritate ex pluribus locis constet, hunc qui varie in varijs codicibus legitur, ad veritatem aptari par est, legique *Anno enim quo*, vel quum *primum consul fuerat, ego natus sum.*

ANTIGONVS EGREGIE SEDITIONEM SEDAT.

ANNVS MVNDI 3822. SEXTÆ ÆTATIS 306. Regni Græcorum 80. Seleuci Callinici 15. Simonis 15. Pontif. 1. Ptolemæi Euergetis 15. Antigoni Tutoris 2. Olympiadis CXXXVII. an. 1. Vrbis Conditæ 521. Coss. M. Aemylio Lepido. & M. Publicio Malleolo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 231.

I. *Initium pontificatus Simonis II. Olymp. 137. Sabbat. 177. ... n. 1.*

Novum in Iudæa pontif. suggerit Eusebij chronicum, cum ineunte Olymp. 137. quæ Olympionicam habuit Menesteum, & annum Sabbaticum 177. ideque 14. tantum annos pontificatus Oniæ tribuit. At Iosephus longe plures videtur tribuisse, vt paulo ante diximus. *Iudæorum* ait Euseb. *Pont. Max. Simon Oniæ filius clarus habetur, sub quo Iesus filius Sirach Sapientiæ librum componens, quem vocant Panareton, etiam Simonis in eo fecit mentionem.* Ita Euseb. qui sine dubio confundit Simonem Oniæ filium priorem, qui propterea Priscus & Iustus dictus est, cum hoc posteriore Simone Oniæ filio: qua de re pluribus egimus anno V. C. 464. Viuere ac docere hoc anno desiit Lycon Philosophus, iuxta ea, quæ supra, Olymp. 127. diximus. Scholæ, ait Laertius, principatum tenuit annos 40. (ita græcè) obijt autem annos natus 74. afflictus podagræ morbo. Successorem Peripateticæ scholæ nominauit neminem. Sed amicis curam commisit præficiendi quemcunque permansurum in scholâ, maximeque vtilem futurum existimarent.

Lycon Philosophus mors. an. 2. O. 9.

II. *Incursiones Dardanorũ.*

Ad hunc annum referre possumus, Dardanorum & Thessalorum incursiones in Macedoniam, quas Antigonus Tutor compressit. Quod ille postea in seditione mitiganda sapienter vsurpauit. *Interiecto deinde tempore*, ait Iust. *cum seditione minaci Macedonum, clausus in regia teneretur, in publicum sine satellitibus procedit*, proiectoque in vulgus diademate, ac purpura, dare hæc eos alteri iubet, qui aut imperare illis sciat, aut cui parere ipsi sciant: se adhuc inuidiosum illud regnum non voluptatibus, sed laboribus ac periculis sentire. Commemorat deinde beneficia sua, vt defectionem sociorum vindicauerit, vt Dardanos, Thessalosq; exultantes morte Demetrij regis cõpescuerit; vt deniq; dignitatem Macedonum nõ solum defenderit, verum etiam auxerit: quorum si illos pœniteat, deponere se imperium, & reddere illis munus suum; ipsi regem quęrant, cui imperent. Cum populus pudore motus, recipere eum regnum iuberet, tandiu recusauit, quoad seditionis autores supplicio traderentur. Hæc Iustinus, quæ licet ad Reges Syriæ, vel Ægypti non pertineant, in hac tamen rerum Græcarum penuria, non duximus prętermittendã. Habent enim non vulgare pacatæ seditionis, atque inuidiæ exemplum.

III. *Contra Sardos pugnatũ.* — *Corsorum iniuria.*

Rem Romanam paucis attingit Zonaras, paulo pluribus Polyb. Eutropius, Orosius, Florus, reliqui prætermittunt, dum ad maiora festinant. Zonaras ergo; contra Sardos, inquit, denuo tumultuantes ambo Coss. M. Malleolus, & M. Æmylius exercitum duxerunt: qui cum magnã prædam cepissent à Corsis, cum eo appulissent, eis erepta est. Qua de causa post Romani vtrosque inuaserunt. At Polyb. l. 3. *Quinto ab hoc tumultu anno* (tumultum belli Gallici dicit, de quo quinto abhinc anno dictum est) *M. Aemil. Lepido Consule, Romani Galliæ Cisalpinæ agrum Picenum dictum, quem deuictis Senonibus ademerant, diuiserunt; postquam C. Flaminius studio gratificandi populo, legem hanc suasisset, ac tulisset*, quantumuis inuito ac repugnante Senatu, vt ait Valerius Maximus, imo quamuis ei pater, pro Rostris legem ferenti manus iniecisset, ipseque tum priuato fractus imperio, è Rostris descendisset: quod Tullius quoq; in l. 2. de Inuent. notauit.

p. 109. gr. la. — l. 5. c. 4.

IV. *Gallici belli origo & causa.*

Qvam profecto legem, vt si quid aliud, populi Romani mores in deterius mutasse existimandum est, eandemque illi bello causam præbuisse, quod postea cum ijs gentibus Romani gesserunt. Multi enim Gallorum populi, præsertim Boij, in societatem eius belli nomina dederunt, quod Romanis essent contermini. Quippe non

iam de imperio secum illos certare, sed vt ipsos sedibus suis funditus euerteret, ac perderet. Statim igitur communi consilio, duæ inter illas potentissimæ gentes, Insubres & Boij, legationem ad eos Gallos misere, qui inter Alpes Rhodanum accolebant, Gæsati è re dicti, quod æra bellando merere soliti, id enim vox illa proprie significat. Sic Polybius, qui proculdubio fallitur, licet illi assensus sit Plutarch. in Marcello, imo & Paulus Orosius. a A Gæsis enim ferendis, quod est teli Gallici genus, dicta esse Virgil. non obscure significat.

a l.4.c.13.

— Duo quisq; Alpina coruscat
Gæsa manu.

Sic & cetrati milites dicuntur, & galeati. Cæterum malum adhuc erat in cunabulis: de eo cum adolauerit, atq; eruperit, dicetur, nunc maximi belli originem, ac causam suo loco attigisse sufficiat.

ANNVS MVNDI 3823. SEXTÆ ÆTATIS 307. Imperij Græcorum 81. Seleuci Callinici 16. Simonis Pont. 2. Ptolemæi Euergetis 16. Antigoni Tutoris 3. Olymp. CXXXVII. Ann. 2. Vrb. Cond. 522. Coss. M. Pomponio Mathone II. C. Papyrio Masone.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 230.

I. Anno Corsis & Sardis gesta.

HVnc annum primo diuortio assignat Dionys. Halicarnasseus l.2. Cui Sigonius, Cuspinianus, Caluis. Funccius, & si qui alij assentiuntur. Sed ea de re supra, anno Vrb. Cond. 519. iam diximus, suo vt putamus loco. Ambo Consules Corsorum rapinam vlturi, & Sardos inquietos, eas insulas cum exercitu adierunt: de quibus Zonaras. M. Pomponius, inquit, qui Sardos infestabat, cum eorum plurimos in saltuosis specubusq; abditos indagare non posset, sagaces canes ex Italia accersiuit, & eorum opera, hominum atque animalium semita inuestigata, multos inde extraxit. C. vero Papyrius Corsos planicie pulsos, cum in montes abegisset, per insidias multos amisit: & præ siti plures amisisset, ni sero tandem aqua inuenta, Corsis vt deditionem facerent, persuasisset. Ita Zonaras.

II. Triumphus in Albano monte.

De his etiam primum in monte Albano triūphasse hoc anno. 3. Non. Mart. habetur in fastis Capitolinis, & apud Valer. Papyrius, inquit, Maso, cū bene gesta Repub. (Contra Corsos) triumphum à Senatu non impetrasset, in Albano monte triumphandi, & ipse initium fecit, & cæteris postea exemplum præbuit, proq; laurea corona, cum alicui spectaculo interesset, myrtea semper vsus est. Festus addit, quod Corsos in campis myrteis superasset: eadē habet Plin. Exemplum Papyrij secutus est tolerante Senatu, Marcellus victis Syracusanis. Nam ipse quoque postea in monte Albano triumphauit, qui mons non procul ab vrbe erat, vt notauit Sigon.

l.15.c.29.

ANNVS MVNDI 3824. SEXTAE AETATIS 308. Imperij Græcorum 82 Seleuc. Callinici. 17. Simonis Pontif. 3. Ptolemæi Euergetis 17. Antigoni Tutoris 4. Olymp. CXXXVII. Ann. 3. Vrb. Cond. 523. Coss. Marco Aemylio Barbula, M. Iunio Pera.

ANNVS ANTE CHRISTVM 229.

I. Amilcaris mors ex Polybio.

NOnus annus agitur à fine belli Africani, quod Carthaginenses cum Mercenarijs gesserunt, quo mortuus est Amilcar Annibalis pater, vt supra ex Polybio retulimus. Hunc annum Paulus Orosius vocat 517. ab vrbe condita. quo, inquit Amilcarem ducem Carthaginensium ab Hispanis in bello, cum aliud bellum aduersus Romanos clam pararet, occisum esse. Sed Orosius abest à vera chronologia quinque totis annis. Sic supra vocauit vrbis conditæ annum 7. qui omnium confessione est duodecimus. Polyb. de eius morte illud tantum, cum cum fortissimo, potentissimoq; hoste signis collatis dimicantem, dū miraquadam audacia in mediam se infert dimicationem, vitam cum morte fortiter commutauisse: Pœnos imperiū ad Asdrubalem triremium præfectum, & affinitate illi coniunctum detulisse. Diodorus, quem mox afferam, ait Amilcarem socerum fuisse Asdrubalis, data ei filia in vxorem. Consentit Polybius. b

Amilcaris mors. Nova Cartago.

b l.2. p.167 græ lat.

II. Ex Diodoro ... c Lib. 25.

De Amilcaris igitur morte, longe alia diuersaq; scribit Diodor. Siculus, c dum ait Amilcarem Helicem in Hispania obsedisse, eique vrbi Orissonem regem suppetias tulisse, etsi fingeret se eas Amilcari ferre: sicq; in fugam vertisse Amilcarem, qui omnes fere copias suas in hyberna dimiserat, dumque Rea fugientem persequitur, in profundum flumen cum equo ingressum, ab eo excussum, sub vndis perijsse. Annibalem vero & Hasdrubalem eius filios, in Acrem candidam, quam vrbem non ita dudum condiderat Amilcar, saluos peruenisse. Diuersam etiam mortis eius rationem habet Zonaras. Nam cum aciem, inquit, contra Hispanos instruxisset, illi currus facibus & pice plenos, ante copias Carthaginensium produxerunt, eumque prope ventum esset, ijs incensis, iumenta incitata in rabiem egerunt, eaq; re aduersarios turbatos, diuulsos, & in fugam versos assectati, & ducem, & plurimos alios ciciderunt.

Ex Zonara.

III. Hasdrubal successit, Noua Carthago.

HAMILCARI post diuturnam felicitatem ad hunc modū interfecto, gener Hasdrubal successit, ac duodecim, vt Diodorus ait, Hispaniæ vrbibus subactis, Carthaginem patriæ cognominem condidit ad maris littus. Addit Diodorus eum post nouem annos Præturæ, ministri familiaris exceptum insidijs, iugulatum fuisse. Contigerit ergo id an. 4. Olympiadis centesimæ trigesimæ nonæ, vt suo loco dicemus.

IV. Galli pecuniam ad bellū colligunt.

INTEREA Galli, vt tertio abhinc anno dictum est, bellū parabant: & quia in pecunia magnum momentum, ad res bellicas conficiendas, positum est, præsertim si mercenario milite vtendum est, quales erant Gesatæ, quos Galli, & Boij autore Polybio contrahebant: Ideo ex venditione tū aliarum rerum, tum plurimorum captiuorum, magnam pecuniæ vim colligebant. Itaque veriti Romani ne ijs opibus contra se vterentur, edixerunt ne quis homini Gallo, vel aurum, vel argentum daret, vt ait Zonaras. Addit etiam Carthaginenses M. Æmilij, & M. Iunij in Ligusticum expeditione cognita, se ad Romam inuadendam parauisse. Quo Consules intellecto, ex improuiso eos adorti terruerunt, dissimulantes tamen, quasi per amicitiæ speciem eis obuiam egrederentur. Simularunt illi quoque se non contra illos esse profectos, sed per eorum agrum in Liguriam ituros. Sic ipse. Verum quod Zonaras Carthaginensibus tribuit, recte Sigonius quasi à Gallis factum emendat. Nam Carthaginenses copiæ erant tunc in Hispania.

V. Semina Illyrici belli.

Hoc ipso anno Illyrici belli semina iacta sunt, de quo multa Appianus libro toto de bello Illyrico, & Polyb. ab ipso init. l.2. ex quo pauca libabimus. Agro Illyrici Rex cōtra Ætolos re bene gesta, gaudio & ebrietate intra paucos dies consumptus, regnum Teutæ Reginæ vxori suæ reliquit administrandum. Hæc siue ob præteritam victoriam fastu tumens, siue eorum voluntati acquiescens, quorum consilijs in regni gubernatione vtebatur, suos contra obuios quosque piraticam exercere permittebat, non priuatis nauigijs, sed totis etiam classibus. Itaq; contigit vt plerosque, qui ex Italia nauigabant, damnis atque iniurijs afficerent. Maxime autem cum Phœnicem præcipuam Epiri vrbem occupatam tenerent, plures simul è classe discedentes mercatorum Italicorum, alios deprædati sunt, alios trucidarunt, nec paucos cepere viuos, & cum ingenti præda ex Phœnice collecta, secū abduxerunt.

Teuta pyratis à permittit.

VI. Romanorum per legatos querela. d l.14.c.8.

ROMANI, qui hactenus querelas suorum de Illyricorum iniurijs contempserant, tunc cum plures simul iniurias in Senatum detulissent, legatos in Illyrium decernunt C. & L. Coruncanos, vt de ijs accurate cognoscerent. Plinius, d hos P. Iunium, & T. Coruncanum appellat. Tenta teneris ex Epiro lembis, multitudinem prædæ demirata, ad la-

Teuta fere ...

cessendos iniurijs Græcos animosior est reddita. Cum autē Issam, quæ vrbs est in cognomine insula maris Illyrici, obsideret, Romani aduenerunt, qui ad colloquium admissi, de suis iniurijs expostularunt. Teuta dum illi verba faciūt, ingentem animi ferociam præ se ferre: cum autem finē dicendi fecissent, ait curæ sibi futurum, ne quā Romano populo ab Illyrijs publicē fiat iniuria. Cæterum vt impediat, quo minus priuatim quam potest quisq; vtilitatem è mari capiat, hoc vero Regibus in more nequaquam esse. Tulit indigne hæc illius verba iunior legatorum, & simul. *Romanis*, inquit, *ô Teuta, mos est priuatas iniurias publice persequi, & iniuriam passis opem ferre. Itaq; dabimus operam, vt hac tua instituta condemnes.*

VII. *Et crudelitas in Legatos.* *a Epito. 20.* *b l.4.c.13.* *c l.4.c.6* *d l.2.c.5.*

EAM libertatem tam iracunde atq; impotenter Regina accepit, vt spreto gentium iure mitteret, qui legatos insecuti, liberioris dicti autorem interficerent. Hæc inter alia Polybius. Consentit de vno legato occiso Liuius. *a* At Orosius, *b* & Plinius, *c* & Florus, *d* legatos numero multitudinis occisos asserūt, quibus Plinius populum statuas posuisse ait. Florus autem *legatos quippe nostros*, inquit, *ob ea quæ* (Illyrij) *deliquerant iure agentes, nec gladio quidem, sed vt victimas securi percutiunt, præfectos nauium igne comburunt, idq;, quo indignius foret, mulier imperabat.* Zonaras quoq; de legatis hisce agens, alios occisos fuisse ait, alios in vincula coniectos. Non dicam Polybij ac T. Liuij autoritatem cæteris præponderare. Dici tamen potest vnum de legatis occisum, de comitibus autem eorum plures, qui forte in legatis numerantur ab ijs, qui plures occisos tradūt, ab alijs nō numerantur, quia reuera legati non erant, eorum tamē iniuria pertinet ad legatos, & ad populum in primis cuius erant legati, cuius personam ac dignitatem repræsentabant.

ANNVS MVNDI 3825. SEXTAE AETATIS 309. Imper. Græcorum 83. Seleuci. Callinici 18. Simonis Pontif. 4. Ptolemæi Euergetis 18. Antigoni Tut. 5. Olymp. CXXXVII. An. 4. Vrb. Cond. 524. L. Posthumio Albino. Cn. Fuluio Centumalo Coss.

ANNVS ANTE CHRISTVM 228.

I. *Bellum Illyricum.* *e l.4.c.13*

GESTVM est hoc anno magna ex parte bellum Illyricum, quod atrocissimum fuisse testatur Orosius, *e* In quo multis oppidis, inquit, populisque deletis, reliqui se Fuluio Posthumioq; Coss. dediderunt. Sed hæc deditio in sequentem annum cadit, quæ autē huius anni sunt Polybius copiose suggeret. Ex quo hæc. Teuta Regina pro sua improuida ac muliebri superbia, nihil cogitans quales sibi hostes in Italia peperisset, nauales copias suas partim Dyrrhachium, partim in Corcyram misit, & illo tantum non primo in cursū ab exercitu occupato, in Corcyram appellunt, eamq; ad deditionem, amissa nauali pugna, compellunt. Illyrij præsidium Corcyræ, præside Demetrio Phario, imponunt. Sed Demetrius, quibusdam eum apud Teutam criminantibus, sibi ab illa metuens, ad Romanos mittit, qui nunclent, se & vrbem, & quæcunq; haberet in sua potestate traditurum.

Teuta ad bellum apparatus. *Corcyra petitur.*

II. *Quæ se Romanis dedit.*

CIRCA hoc tempus C. Fuluius Cos. cum ducentarum nauium classe, dum Posthumius cum terrestribus copijs Roma proficiscitur, Corcyram appellit, læti Corcyrenses Præsidium Illyriorum, consentiente Demetrio, Romanis tradunt. Deinde de communi cunctorum sententia, Romanorum hortatu fidei ipsorum se omnes dedunt, rati hac sola ratione se in posterum tutos ab Illyriorum immanitate fore.

Itemque Apollonia.

Romani Corcyrensibus in amicitiam receptis, Apolloniam classe petunt, ducemq; ad peragenda reliqua Demetriū habent. Interea Posthumius terrestres copias Brūdusio traiecit, pedites ad 20. millia, equites ad duo millia. Statim atq; vterq; exercitus Apolloniam attigit, Apolloniates eos vrbe recipiunt, se suaq; illis permittunt. At Cōsules cum audirent Dirrhachium ab Illyrijs obsideri, sta-

Et Dyrrachium.

tim portu soluunt. Illyri cum primum aduentum Romanorū sensere, obsidione soluta effusam fugam capessunt.

III. *Ab his quoque ...*

His quoque in fidem receptis, ad vlteriora Illyrici progrediuntur, subactis obiter Ardyæis. Affuere mox plures legationes aliorum populorum, qui cum se omnes fidei Romanorum permitterent, in amicitiam sunt recepti. Ita ventum ad Issam, quam Illyrij obsidebant, sed illico soluta est obsidio, & 20. lembi, præda Peloponesiaca, vt ait Zonaras, onusti, obsessoribus erepti, qui varie dissipati Arbonem confugerunt, (Apud Plutar. pro Arbone Narbonam coloniam leges,) & Issæi in fidem recepti. Sed & per vim, dum oram illam prætereuehuntur, Coss. quædam Illyricorū oppida expugnauere: in his Nutriam, ad quam multos suorum Romani amisere. Phariis, qui Issam obsederant, in gratiam Demetrii parcitum est. Pharia insula est in Adriatico mari iuxta Illyridem cognominem habens ciuitatem, sicut Issa, Tragurium &c. apud Ptolemæum, tab. 5. Europæ.

IV. *Teuta fugit.*

REBVS omnibus Romanis è sententia fluentibus, Teuta cum paucis Rizonem euasit, quod oppidum erat egregie munitum, procul à mari, ad fluuium Rizonem situm, vt ait Polyb. ex quo patet non esse idem cum Risino Ptolemæi, quod alluitur mari. Romani autem plerisq; Illyrici populis Demetrio subiectis, vtrumque exercitum Dyrrhachium reducunt. Romam inde Cn. Fuluius, cum maiori parte naualium, terrestriumque copiarum, est reuersus. Posthumius cum 40. longis nauibus est relictus, & nouo exercitu, qui ex vicinis populis collectus, amicos in officio, inimicos in metu contineret.

Fuluius urbem repetit.

ANNVS MVNDI 3826. SEXTAE AETATIS 310. Imperij Græcorum 84. Seleuc. Callinici. 19. Simonis Pontif. 5. Ptolemæi Euergetis 19. Antigoni Tut. 6. Olymp. CXXXVIII. Ann. 1. Vrb. Cond. 525. Coss. Q. Fabio Maximo II. & Sp. Caruilio Ruga.

ANNVS ANTE CHRISTVM 227.

I. *Iust. l.27.*

AD huncannum, qui Demetrium Alexandrinum habuit Olympionicam, quique mortem Seleuci Callinici, & fratris eius Antiochi antecedit, referre possumus illa Iustini de Antiocho. Cui cum profugo nusquam locus tutus esset, ad Ptolemæum Euergetem, quamuis hostem decurrit, quod eius fidem tutiorem, quam fratris existimabat, memor vel quæ facturus fratri esset, vel quæ meruisset à fratre. Sed Ptolemæus non tam ei ex deditione amicus, quam hostis factus, seruari eum arctissima custodia iubet. Hæc ibi. Sed adeamus pro Romana re Polybium, qui huius anni res à præcedentibus aperte seiungit, cum ait.

II. *Conditiones pacis cum Teuta.*

SVB *initium veris Teuta*, multum videlicet à feroci illa legatorum violatione mutatus, *legatis ad Romanos missis, pacem cum illis hisce conditionibus sancit. Vt tributa quæ ipsi imperarentur, quotannis penderet. Illyrico toto, prater pauca admodum loca, excederet, & ne vltra Lissum pluribus quam duobus lembis, iisque inermibus, liceret ei nauigare.* Est Lissus maritima ciuitas vicina Dyrrachio ad Septentrionem. Sicque Romani iam totius Italiæ domini, omniumque insularum, quæ Italiam inter & Africam sitæ sunt, ad alteram Europæ continentem delati, Imperium obtinere ceperunt: id ne & inuidiosum, simul & formidolosum foret Græciæ vniuersæ, eamq; aduersum se concitaret, operam dederunt vt rebus, prout gestæ fuerant, recte intellectis, nec ambitionem, quæ nullum facit appetendi aliena, atq; ambiendi finem, in Romanis accusarent; neq; superbiam, quæ reliquos mauult habere subditos, quam amicos. Propterea Polybius.

III. *Romanorum ad Græcos legatio.*

HIS *rebus gestis*, inquit, *Posthumius*, quem in Illyrico superiore anno cum 40. nauibus remansisse diximus, legatos ad Ætolos, & Achæorum gentem misit, qui causas primū belli, & traiectionis Romanorum in illas oras eis exposuerunt. Deinde quæ gesta erant commemorarunt, fœdus cū Illyriis ex tabulis recitatūr: mox ea, qua par erat, comitate

ab vtro-

Imperii Græcorvm an 85.

Romanis cum Athenienſibus amicitia.

… utroque populo habiti, Corcyram reuertuntur, Græcis … bus magno ab Illyrijs metu liberatis. Quod primum fuit Romanorum cum Græcis per legationem commer… in. Sic Polyb. Addit Zonaras Romanos à Corinthijs fuiſſe laudatos, & ad Iſthmiacos ludos admiſſos. Inita quoq; cum Athenienſibus amicitia, ad myſteria eorũ fuiſſe receptos. De Illyrijs Romæ C. Fuluius 10. Cal. Quint. naualem triũphum egit, vt eſt in Capitolinis tabulis. Meminit huius Fabij Conſulatus Cic. in Catone, vbi ait Fabiũ collega Caruilio quieſcente, C. Flaminio Tribuno plebis agrum Picenum & Gallicum viritim, contra autem Senatus, diuidenti quoad potuit reſtitiſſe: ſed id quadriennio ante contigiſſe ea Polybio diximus, quod Pighio quoque perſuaſum fuit. a Quid ſi ei repetitus eſt Tribunatus, & quod priore cõſequi nõ potuit, poſteriore eſt conſecutus?

a an. Vr. 522

Non mediocriter profuere Carthagienſibus iſti tumultus, vt interea tuto res in Hiſpania componerent. Romani enim propter vicinum à Gallis periculum, ea quæ in Hiſpania gerebantur, negligere ſunt coacti, ne dum lõgius arma proferrent, domi à vicinis hoſtibus proprijs ſedibus pellerentur. Ergo per legatos fœdus cum Haſdrubale, qui Amilcari ſucceſſerat, ſanxerunt, quo vltra Iberum amnem continere ſe Carthaginenſes oportebat, nulla de reliqua Hiſpania mentione facta. Tum omnium conſenſu, ad Gallicum bellum præparandum omnes cogitationes ſuas cõuerterunt. Polyb. l. 2. Sardiniam & Siciliam Prætores hoc primum anno receperunt, illam M. Valerius, hanc C. Flaminius: colligit ex Epit. Liuij Sigon. Sed Sardi perpetuam Romani Prætoris præſentiam ægre ferentes, ſeditionem mouerunt, ſed denuo ſubacti ſunt. Zonar.

Initivm Selevci Ceravni.

IV. *Et fœdus cũ Haſdrubale.*

ANNVS MVNDI 3827. SEXTÆ ÆTATIS 311. Imperij Græcorum 85. Seleuci Callinici 20. & vlt. Simon. Pont. 6. Ptolemæi Euergetis 20. Antigoni Tut. 7. Olymp. CXXXVIII. An. 2. Vrb. Cond. 526. Coſs. P. Valerio Flacco M. Attilio Regulo.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 226.

I. *Mors Callinici, & regni tempus.*

MORITVR hoc anno Seleucus Callinicus, Rex Aſiæ, Syriæque, ſed titulo magis, quam reipſa. Quippe ab ipſo fere initio regni ſui ab Euergete, Syria, magnaq; parte Aſiæ ſpoliatus, pauper & inglorius reliquum vitæ ac regni, ad vigeſimum vſque annum traduxit. Tot enim illi annos Euſebius tribuit in ſuo Chronico: quibus tres addidit Caſaub. in Chronol. Polybij, ſed non autore Polybio, nec recentiores eius regnum vltra vigeſimum annum producunt, vt Torniellus, Gordonus, Genebrard. Peter. l. 13. in Daniel. & interpretes Euſebij Pontacus & Scaliger. Henricus Samerius, Mercator, Functius, Bunringus, Capellus, &c. Viginti & vnum annum habet Sulpicius lib. 2. quem ſequitur Sigon. & Caluiſ. qui tamen 21. an. promitteos, liberaliter exhibet 22.

II. *Geſta eius.*

REGIS huius geſta perobſcura ſunt. Legimus tamen apud Strabonem l. 16. eum Antiochiam, Syriæ metropolim amplificaſſe. Antiochia, inquit, quadriurbis eſt, ex 4. partibus conſtituta, quæ & ſingulæ ſuo, & omnes communi muro ſunt circumdatæ. Primam partem Nicanor condidit, habitatoribus ea Antigonia traductis, quam paulo ante Antigonus Philippi F. in propinquo conſtruxerat. Secunda pars eſt multitudinis habitatorum, Tertia Seleuci Callinici, Quarta Antiochi Epiphanis opus eſt. Vrbs hæc caput Syriæ eſt, & qui regioni imperant, hic regiam habẽt. Potentia quidem & magnitudine non multo à Seleucia ſuperatur, quæ ad Tygrim eſt, & ab Alexandria Ægypti. Hactenus Strabo. Cæterum quo tempore id facere potuerit Callinicus, valde mihi incertum eſt. Nam initia eius fuerunt perturbatiſſima, in ijſq; totam amiſit Syriam, nec, quod ſciam, toto reliquo regni ſui tempore eam recuperauit.

Antiochia magnitudo.

III. *Mors eius, & fratris.*

MORTEM eius, itemque fratrum ipſius in idem tempus conijcit Iuſt. l. 27. extremo. Sed de fratre primum Antiocho Hierace. Quem vbi dixiſſet ſeſe Ptolemæo Euergeti dedidiſſe, ab eoque iuſſum ſeruari arctiſſima cuſtodia, ſubdit. *Hinc quoq; Antiochus opera cuiuſdam meretricis adiutus, quam familiarius agnouerat, deceptis cuſtodibus elabitur fugiensq; à latronibus interficitur. Seleucus quoq; iiſdem ferme diebus, amiſſo regno, equo præcipitatus finitur. Sic fratres, & quaſi germani caſibus, exules ambo, poſt regna ſcelerum ſuorum pœnas luerunt.* Ita Iuſtin.

Romanorum de Gallis b timor. b ex Polyb. l. 2.

Per hæc tempora Romani, b cum & multa de Gallorum conſilijs audirent, & imminens periculum facile ipſi pro ſua prudentia conijcerent, inter metus ac trepidationem aſſidue verſabantur, adeo vt modo exercitus conſcriberent, parandiſque commeatibus operam darent, modo copias ad fines vſq; educerent, hoſtes adeſſe rati, qui è patria nondum mouerant.

ANNVS MVNDI 3828. SEXTÆ ÆTATIS 312. Imperij Græcorum 86. Seleuci Ceravni 1. Simon. Pont. 7. Ptolemæi Euergetis 21. Antigoni Tut. 8. Olymp. CXXXVIII. An. 3. Vrb. Cond. 527. Coſs. M. Valerio Meſſala, & L. Apuſtio Fullone.

ANNVS ANTE CHRISTVM 225.

I. *Initium Sel. Ceraun. c Daniel.*

MEMINIT Propheta Daniel c regis Seleuci Cerauni, qui nunc primum regnum Syriæ & Aſiæ, patri ſuccedens adminiſtrare cœpit. Simul autem de ipſius fratre Antiocho, qui poſtea Magni cognomen accepit, loquitur in hæc verba. *Filij autem eius prouocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum, & veniet properans & inundans, & reuertetur, & concitabitur, & congredietur cum robore eius.* Inchoat propheta orationem nomine multitudinis, quia de vtroque ſimul fratre agit, ſed priore, qui breui tempore regnaturus erat, cito omiſſo, ad alterum regni longioris tranſit, ac ſingulariter loquitur. Sed præſtat hoc loco audire totidem verbis Hieron. in illum Daniel. locum.

c Daniel.

II. *In explicatione Hieronymi.*

POST *fugam*, inquit, *& mortem Seleuci Callinici duo filij eius Seleucus cognomento Ceraunus, & Antiochus qui appellatus eſt Magnus, prouocati ſpe victoriæ, & vltione parentis exercitu congregato, aduerſus Ptolemæum Philopatorem arma corripiunt, cumque Seleucus maior frater, tertio anno imperij eſſet occiſus in Phrygia, per dolum Nicanoris, & Apaturij, exercitus, qui erat in Syria, Antiochum fratrem eius cognomento Magnum, de Babylone vocauit ad regnum.* Sic S. Hieronym. Nam quæ ſequuntur ad Antiochum pertinent. In prioribus autem illis neceſſe eſt D. Hieronym. lapſum eſſe memoria, cum ſit vtrunque fratrem contra Ptolemæum Philopatorem arma corripuiſſe: dictum enim oportuit contra Euergetem. Nam Ceraunus hic, cum triennio tantum regnarit, occiſus eſt antequam Euergetes regnare deſineret: ei quippe Euſebius, & Beda, & paſſim omnes 26. annos tribuunt, quorum hic eſt vigeſimus primus.

III. *Explicatio Prophetiæ.*

VERVM ſicut eum dicuntur à propheta irritati ambo, congregatum exercitus plurimos, id ſucceſſiue accipiendum eſt, quia Ceraunõ bellum agente, Antiochus in ſuperiore parte regni priuatam vitam agebat, vt author eſt Polyb. l. 5. 1. Imo & impubes erat, cum regnum accepit, occiſo in Aſia fratre, teſte Iuſtino l. 29. Sic & hoſtes ea ordine accipiendi ſunt, primo Ptolemæus Euergetes, deinde Ptolemæus Philopator, prior Euergeti infeſtus fuit, poſterior vtrique. Cæterum Seleuci Ceraunj primus annus, in apparando bello contra hoſtem Attalum, antequam in Euergetem moueret, conſumptum eſt. Ille enim, vt ſcribit Polybius, d omnem cis Taurum Aſiam imperio ſuo ſubiecerat, qui nuper Pergami tantum rex fuerat, ſicut & maiores eius.

d l. 4. p. 315.

IV. *Nefarium Romanorum ſacrif. e l. 4. c. 13.*

QVOD ad Romanos attinet de hoc anno ſic Oroſ. e *Tertio deinceps anno, à deuictis Illyrijs, miſeram ciuitatem ſacrilegi ſacrificijs male potentes funeſtauere pontifices. Namque decemuiri conſuetudinem priſca ſuperſtitionis aggreſſi, Gallum virum, & Gallam fœminam cum muliere ſimul Græca, in foro Boario viuos*

defoderunt. Rem explicat, & auget Zonaras. *Cum aliquando Romanis oraculum esset redditum, Græcos & Gallos vrbem occupaturos, duos Gallos, & totidem Græcos vtriusq; sexus, in medio foro viuos defoderunt, vt ita fatu satisfactum esse, itaq; defossi partem vrbis aliquam tenere viderentur.* Sic Zonaras: sed quo fructu audi Oros. *Seb obligamentum hoc magicum in contrarium continuo versum est. Nam diras illas, quas fecerant externorum mortes, fœdissimis suorum cædibus expiauerunt.* Eadem habet Plutarch. in Marcello, nisi quod id ex vaticinijs librorum Sibyllinorũ factum refert, quibus, ait, ad hunc vsq; diem Græcis & Gallis sacra arcana & nefanda faciunt mense Nouemb. Liuius l.22. ait Romanos mox à Cannensi clade, id sacrificium peregisse. *Interim, inquit, ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta, inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro Boario sub terra viui demissi sunt, in locum saxo conseptum, ibi antea hostijs humanis minime Romano sacro imbutum.* Quomodo non antea facta huiusmodi sacrificia, si hoc anno, id est decennio ante?

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3828.

Interprete Perotto, ἐν τοῖς αὐτῷ τόποις ἐποιεῖτο διατριβὴν, vbi Casaubonus, parum vt arbitror Latine, *ibiq; se aliquandiu tenuit* Erat autem adhuc puer Antiochus.

ANNVS MVNDI 3829. SEXTÆ AETATIS 313. Imperij Græcorum 87. Seleuci Ceraunj 2. Simonis Pont. 14. Ptolemæi Euergetis 22. Antigoni Tut. 9. Olymp. CXXXVIII. Ann. 4. Vrb. Cond. 528. L. Coss. C. Atilio Regulo, & L. AEmyl. Papo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 224.

I. *Seleucus in Attalum mouet.* *a l.4 p.315.* SELEVCVS Ceraunus cum Achæo principe, qui eum cognatione attingebat, & copioso exercitu Taurum montem superauit, anno sabbatico 78. paterni regni partem Attalo erepturus, vt autor est Polyb. *a* sed quo fructu, sequens annus, quo eum ibi contigit interfici, declarabit. Interea vero Hermiæ cuidam è Caria homini improbo, ac crudeli, regnum administrandum tradit, *b* qui in alios propter leuia delicta, quæ interpretatione sua grauiora faciebat, animaduertebat alios per calumniam falsis criminationibus appetens, in exorabilem se & immitem iudicem præbebat, potentioribus autem propter inuidiam struebat insidias.

b l.5.p.386.

II. *Bellum Gallorum erumpit.* *c l.2.p.111.* ERVPIT hoc anno bellum, quod octauum iam an. Insubres, Boij, Gallique finitimi, contra pop. Romanum meditabantur. Nam Gæsatæ Galli, vt scribit Polyb. *c* cum regibus suis Concolitano & Aneroesto, & ingenti exercitu magnifice rebus omnibus instructo, superatis Alpibus ad Padum, & Cisalpinos Gallos venere: quo etiam alij quoq; Galli, octauo demum anno, post eius agri, qui Senonum fuerat, diuisionem, se contulerunt. Et in suscepto quidem consilio Insubres ac Boij persistebant. Veneti vero ac Cenomani, accepta à Romanis legatione, eorum arma sequi maluerunt, vt necesse fuerit Gallorum regibus, quod sibi ab istis metuerent, partem copiarum ad fines tuendos relinquere. Qua ratione egregie sibi Romani consuluere, dũ & illorum populorum decessione, Gallorum vires diminuerunt, & auxerunt suas: & insuper aliam partem copiarũ suarum subducere Galli coacti sunt, ad prohibendam vim eorum, à quibus auxilium à principio sperauerant.

Romanorum prudentia.

III. *Copiæ Gallorum.* IPSI nihilominus cum ingenti exercitu qui supererat, in quo numerabantur peditum circiter quinquaginta millia, equitum ac bigarum ad viginti millia, Hetruriam versus iter arripuere. Diodorus Siculus, *d* exercitum ducentorũ millium, siue 20. myriadum conflauisse scribit, quod forte de vniuersis Gallorum copijs intellexit, Romani audito Celtas traiecisse iam Alpes, magna celeritate L. Æmylium Consulem cum legionibus Ariminũ miserunt, si forte hostis illac impetum esset facturus. Vni Prætorum decreta est

d l.25. n.3. *Et Romanorum.*

Hetruria. Nam alter Coss. Atilius in Sardiniam cum parte copiarum erat profectus. Romæ omnia versabat metus: itaq; omnia belli præsidia tanta cura ac copia congerunt, quantam nemo poterat meminisse. Tradit Diodor. Hieronem Syracusæ regem, etiam huic bello Romanis auxilio fuisse, vt magna frumenti missa, cuius preciũ bello confecto receperit. Addit Polyb. senes, qui legitima stipendia confecerant, & sacerdotes, qui militiæ perpetua vacatione gaudebant, ad sacramentum adactos fuisse.

Immunitas sacerdotum.

IV. *Tota Italia in bellum apparatur.* TOTA quoq; Italia aduentu Gallorum perterrita, non iã vt Romanorũ socia, pro eorũ imperio, sed tanquam pro aris, focisque proprijs certatura, ad hoc bellum alacris concurrebat. Itaq; tam ex vrbe, quam ex socijs populis collecta sunt, & disposita varijs locis, ad septingenta peditum millia, equitum septuaginta. Numerat diuersos exercitus Polyb. quorum summæ fere ad eum numerum ascẽdunt. Eutropius & Orosius, ex Fabio historico, qui ei bello interfuit, referunt octingenta millia hominum parata ad id bellum fuisse. Polybius exacte num. 777. millia & trecentos. Epitome lib. 20. Liuij numerat sociorum populi Rom. trecenta millia. Diodorus peditum 70. myriades, equitum 7.

Qui Etruriã populantur. Postquam in Etruriam peruenere Galli, late regionem incursantes, impune populantur: inde Romam petunt. Iamque Clusium, vrbem tridui Roma distantem attigerant, cum nuncius eis affertur, Romanum exercitum, qui in finibus Etruriæ eis erat obiectus, insequi ipsos à tergo, & iam imminere. Erant illi Hetruscorum ac Sabinorum ad 50. peditum millia, equitum 4. millia, quibus præerat Prætor Romanus.

V. *Pugnant cũ Romanis.* Eo cognito Galli agmen conuertere, obuiam hostibus procedere, pugnandi cum ipsis desiderio ardere. Quũ vergente ad occasum Sole inuicem appropinquassent, vtriq; castris positis constiterunt. Nocte vero oborta accensis ignibus equitatum suum Galli relinquunt, mandatumque dant, vt postquam luce prima se hostibus conspiciendos præbuissent, per eadem mox vestigia se subsequerentur. Vbi illuxit Romani solos equites conspicati, Gallos aufugisse rati, equitatum recedentem magno studio insequuntur. Qui vbi ad suos peruenit, statim ad prælium consurgũt omnes, & acri vtrimque pugna commissa, superiores fuere Galli, Romanorum ad sex millia periere: Pleriq; qui euaserant in editum quendam collem euadunt: eos Galli obsidere statim parabant: verum quietem aliquam tam pugnæ, quam præteritæ noctis labor persuasit. Ergo relicta ad collis custodiam parte equitatus, corpora curant. Orosius scribit ex historicis tria tantũ millia cecidisse, eoq; ignominiosius fuisse, quod reliquæ omnes copiæ se in fugam dederint. Tantus erat Gallici nominis terror Romanis Italicisq; mentibus impressus.

Et vincunt.

VI. *Eruadit Consul cum suis copijs.* INTEREA L. Æmylius Consul, qui ad tutandam Adriatici maris oram Arimini resederat, cum audisset in Etruriã hostes irrũpisse, neq; ab vrbe longe abesse, ad eos magna celeritate copias ducit. Cumq; non longe ab hostibus cõsedisset, illi qui in collem confugerant, aduentu suorum cognito, ad eos nonnullos de suis inermes mittunt, qui de rerum statu Consulem doceant. Is iubet tribunos luce prima pedites educere, ipse cum equitatu, ad suos periculo eximendos, proficiscitur. Galli autem, qui ex crebris ignibus nouum hostem adesse facile suspicabantur, deliberãt quid ipsis facto sit opus. Aneroesti regis sententia fuit, quã frequens procerum consensus secutus est, immensæ prædæ suæ habendam esse rationem: eam vbi domum deportarint, ad debellandos Romanos, si ita visum fuerit, reuersuros. Ergo priusquam illucesceret castra mouent, & per fines Hetruscorum secundum mare ire pergunt. Lucius reliquijs amissi exercitus, quæ collem teneb. ut, ad suum adiunctis, hostem persequi statuit, non iusto prælio dimicaturus, sed occasionem ei nocendi capturus.

Galli recedunt.

VII. *Incidunt in Reguli copias.* PER idem tempus C. Attilius alter Consul exercitum è Sardinia commodum reportarat, & contrarium Gallis, in eadem inferi maris ora, Romam versus iter habebat. Iam circa Telamonem Etruriæ promontorium Galli erant, cũ eorum pabulatores, in Reguli præcursores incidunt, capti-

captique ad Consulem ducuntur, eumq; de re tota exactè docent. Lætatur Atilius in medio duorum exercituum Romanorum Gallos teneri, seq; ad prælium parat, quod apud Aretiũ cõmissũ scribit Orosius, vt totius rei bene gestæ decus ad se transferat. Collem igitur opportunum occupat, quem Gali in transitu subire cogebantur, qui non nouum illum exercitum esse, sed equites Æmylij, qui nocturno itinere antegressi essent, arbitrabãtur. Verum mox de rei veritate edocti, aciem gemina fronte instruunt, vt hi Æmilio, illi Attilio obiecti, vtrunq; simul impugnarent. Dum ergo Galli Atilium ex colle deturbare conantur, atrox pugna committitur, in eaq; dum Consul inconsultius pugnam capessit, occiditur, caputq; eius præcisum ad reges affertur: collem tamen Romani retinuere.

VIII. *Ab vtroque exercitu cæduntur.* Iam ad pedites ventum erat, & à tribus exercitibus magnis omnino viribus, audacia, experientia, rerum successu pugnabatur, à Gallis præsertim, qui nullum ad fugam aditum sibi relictum videntes, omnino statuebãt sibi aut vincendum esse, aut moriendum: & fortasse vicissent, nisi gæsati nimia confidentia, braccis sagisque reiectis, nudi cum solis armis expeditius pugnare, & primos ordines occupare statuissent. Nam iaculatoribus, Romanæ militiæ more, ante aciem progressis, & densa in nudos tela mittentibus, obruebantur: vnde præ ira ac desperatione, quidam se vltro in mortem dabant, alij ex primis ad secundos ordines paulatim referebant se, eosq; conturbabant: accessit ad victoriam, quod Romani armis ad offendendum ac defendẽdum magis idoneis vtebantur. Cum autem Romani equites è colle descendentes, apertum Gallicæ aciei latus inuasissent, omnia cæde, pauore ac fuga repleuerunt.

IX. *Victoria Romanorũ, & Gallorum clades.* Periere Gallorum ad quadraginta millia, capti sunt non pauciores 10000. De cæsorum numero consentiunt Diod. Eutrop. & Oros. sed de captiuis alij tacent, alij confuse tradunt, in captiuis alter Regum erat Concolitanus. Alter autem Rex Aneroestus, paucis comitantibus, in quendam locum fuga se recepit, vbi mox sibi ac necessarijs suis manus intulit. Romanus dux collecta spolia Romam misit, prędam ijs reddidit, à quibus fuerat abacta. Ipse cum vtroq; exercitu, secundũ Liguriæ fines iter faciens, in Boiorum agrum irrumpit, satiatisq; præda militibus, paucis diebus copias Romam vniuersas reduxit. Signis militaribus, & maniacis (ita vocant armillas aureas, ad collum, & gestari à Gallis solitas,) Capitolium Consul ornauit, reliqua spolia, & captiuorum turbam, ad triumphi apparatũ, quando vrbem ingrederetur seruauit. Hunc finem habuit Gallorum expeditio, quæ Romam tumultu, vniuersam Italiam terrore compleuerat. Hæc fere Polyb. l. 2.

X. *Triumphus Æmylij Consulis.* Æmylium Romæ triumphasse de Gallis 4. idus Mart. anni V. C. 528. testantur Capitol. tab. Captiuorum principes armatos in Capitolium perduxit, insolentiam eorum irridens, quod se thoraces non prius exuturos iurassent, quam in Capitolium venissent. Id scribunt Zonaras, & Florus, a qui illam vanitatem & iactantiam Britomaro eorum duci maxime tribuit.

a l. 2. c. 4.

XI. *Bellum Cleomenicum.* Sub hoc ipsum Gallici belli tempus, etiam Cleomenicũ gestum est, quod magnam Græciæ partem varijs motibus & cladibus labefecit. De eo pleraq; Plutarch. in Arato, & Cleomene, & Polyb. l. 2. quorum iste Cleomeni videtur infensior, propter illius odium in Achæos, quos Polyb. vehementer colit. Adde quod Megalopolim eius patriam Cleomenes euerterat, quod amicitiæ suæ, Achæorum societatem antetulissent. b At Plut. videtur odisse Aratum, cuius studio Antigonus Tutor è Macedonia in Peloponnesum euocatus; Spartam inuaserat. & Græcis multa mala intulerat. c Adde quod Plutarc. Phylarchi historiam videtur secutus, quam plurimum reprehendit Polybius. Ipse autem sequitur Arati commentarios, in quibus non est existimandum ipsum contra se testimonium fuisse dicturum. Ex vtroque tamen apparet rem hoc modo gestam.

b Plut. in Cleom.
c Plut. ibid.

XII. *Bellum Cleomenis in Achæos.* Achæorum Resp. plurimas in Peloponneso, & Græcia complexa ciuitates, Prætorem ac propugnatorem habebat Aratum Sicyonium, popularis administrationis amantem. Ætoli Achæos pessime oderant, & in odij societatem Cleomenem Regem Lacedæmoniorum traxerant. Cleomenes quoque exsuscitata Spartæ regia potestate, Ephororum cæde, qui eam oppressam tenebant, cum esset animo armisq; acer, totam Peloponnesum vel sociam habere cupiebat, vel subditam. Ergo Achęos, eorumq; socios multis damnis fatigauit, multis prælijs fudit, fugauit, attriuit. Tum legatos misit postulatum, sibi vt permitterẽt imperium, de reliquis facile sibi cum ipsis cõuenturum, imo se captiuos, & quę iam occupasset statim restituturum.

Achæi eum ad pacem his conditionibus accipiendam parati essent, Cleomenem accersebant Lernam, quo concilium gentis indixerant. Verum cum Cleomenes in morbum incidisset conuentus prorogatus est. Id res Græciæ labefecit.

XIII. *Aratus pacis consilia disturbat.* Aratus enim siue diffidentia & timore Cleomenis, siue insperatæ prosperitati eius inuidens, ac probrosum putans, vt sibi qui tres & 30. an. principatum obtinuerat, nomen simul & opes iuuenis subito detraheret, primum Achæos à fœdere deterrere conatus est. Id cum frustra tentasset, facinus aggressus est cum nulli honestum Græco, tũ illi longe turpissimum, in Græciam vt Antigonum Tutorem acciret, & Macedonibus Peloponnesum impleret, quos ipse adolescens inde pepulerat, liberato Acrocorintho. Verum vt eius rei declinaret inuidiam, dedit clam operã vt auxilia ab Antigono, Achęorũ nomine ac cõsensu, peterentur: ad quæ etiam difficilem se ipse præbuit, ne si quid contigisset præter expectationem, ipse, vt eius rei author, ne accusaretur. Allexit autem Antigonũ metu Cleomenis, & Ætolorum, quasi iunctis viribus subacta Græcia, in Macedoniam impetum facturi essent. Ipse autem vice versa & res suas recuperaturus esset in Peloponneso, & de amicis bene meriturus.

XIV. *Euergetes in bellum fouet.* Interea Ptolemæus Euergetes, qui Achæis adhuc fauerat, videns eos ad Antigonum sese conuertere, ipse Cleomeni adesse, ac necessaria suppeditare cœpit: præsertim cũ ad impedienda Macedoniæ consilia, maiorem in Lacedæmonijs, quam in Achæis spem poneret. Itaq; aduersus Antigonum Cleomenem stimulabat. qua in re satis probabat se neq; Achæos, neq; Lacedæmonios magni facere, nec magis Aratum, quam Cleomenem diligere, sed illa omnia sua vtilitate metiri. Reges enim, vt dicebat Aratus apud Polyb. l. 2. neminem natura vel hostem vel amicum ducũt verum ex suis semper vtilitatibus amicitias æstimant, eodem fere consilio, ac mente, affinitates cum externis principibus contrahunt. sed de belli Cleomenici causis, initijsque hæc dicta sunto.

Infida regũ amicitia.

ANNVS MVNDI 3830. SEXTÆ ÆTAtis 314. Imperij Græcorum 88. Seleuci Ceranni 3. & vlt. Antiochi Magni 1. Inchoatus. Simon. Pont. 9. Euergetis 23. Antigoni Tutor. 10. Olymp. CXXXIX. An 1. Vrb. Cond. 529. Coss. T. Manlio Torq. II. Q. Fuluio Flacco II.

ANNVS ANTE CHRISTVM 223.

I. *Cleomenis in Achæos rem feliciter gerit.* Difficile quidem est Cleomenici belli partes ex certa scientia annos ita digerere, vt media primis, extremisque vsquequaq; consentiat. Omnia tamen sursum deorsumq; circumspicienti occurrit, minima cum difficultatẽ dici posse, hoc anno ea contigisse, quæ Polyb. l. 2. tradit, desperata scillicet inter Achęos & Lacedęmonios pace, tertiaq; iam à Cleomene victoria de Achæis parta, nouẽ eis vrbes non ignobiles eripuisse. Quibus cum etiam 10. Corinthum, & eius arcẽ adiecisset, damnum attulit quod esset cum quadam vtilitate coniunctum. Nam illa arce occupata, abstulit occasionem dissidij, quod inter Achæos & Antigonum futurum erat, repetente Antigono Acrocorinthum, quam sibi ante multos annos Aratus abstulerat. Cum primum vero Antigonus Peloponnesum est ingressus. Quamuis Ætolis & Lacedæmonijs repugnãtibus, Atgis ab Achæis occupatis; res Cleomenis collabi cœpere,

eoque Spartam abeunte, Antigonus Acrocorinthum recipit, Argos se cõfert, & vbiq; res omnes placide componit: statiua Corinthi & Sicyone, hyeme superueniente habuit. Quæ fusius ex Polybio accipies. Nam hęc cũ ad imperium Græcorum, quorum gesta digerimus, non directe pertinere, paucis sat est perstringere: & inuitat alioqui rerum Græcarum penuria.

II. *Seleucus Ceraunus occiditur.*

Svb huius vero anni exordium, & Olymp. centesimæ vndequadragesimæ, quæ Argiuum Iolaidam victorem celebrauit, Ceraunus hic, & regnum amisit & vitam, fulmen quippe intra breuem tempus vim suam omnem effundit, Sic & alter Ptolemæus Ceraunus Macedo, intra anni vnius terminos regnare cœpit, & desijt. De illius porro morte ita Polyb. (l. 4. p. 315.) *Iunior Seleucus*, inquit, *statim à suscepto regno factus certior de Attalo, qui omnem iam cis Taurum Asiam suo imperio subiecerat rebus suis consulendis impetum cepit. Sed vbi Taurum magno cum exercitu esset transgressus, dolo appetitus*, eum dolum Appianus venenum interpretatur, *ab Apaturio Gallo, & Nicanore, vitam cum morte commutauit.*

(l. ὑχ. Nonimpune) Huius cedem Achæus è vestigio vlciscens, tanquam occisi cognatus, Apaturium, & Nicanorem trucidauit, copias vero & res vniuersas cum prudentia, tum magnitudine animi singulari administrauit.

III. *Achæi virtus, & fides.*

Nam cum diadematis occupandi opportunam occasionem nactus esset, populiq; ipsi regnum certatim deferrent, restitit ipse fortiter, & Antiocho iuniori filio imperiũ conseruans, perq; omnes regiones bellum circumferrens, quidquid cis Taurum fuerat amissum, recepit. Sic Polyb. (lib. 5. p. 386.) Et alibi his consentanee. Mox vbi Seleucus Taurum trãsgressus per dolum fuit cæsus, Antiochus imperium defuncti adeptus, regnauit: & totius cis Taurum Asiæ dominatione Achæo concredita, superiores regni Prouincias Moloni, & eius fratri Alexandro regendas dedit, eratq; Molo Mediæ Satrapa, Alexander Persidis.

IV. *Initium regni Antiochi magni.*

Hoc porro anno regnare cœpisse Antiochum, suadent, primum breuitas temporis necessarij ad ea peragenda, quę à Seleuco facta sunt. Nam, vt paulo ante ex Polybio retuli, statim à suscepto regno aggressus est in Attalũ cogere copias, mox autem transgressus Taurum occisus est. Ad hæc non triennium festinanti, sed vix biennium lente agenti requiritur. Suadet etiam Appianus Alex. in Syriacis qui ei biennium tantum tribuit: vbi & de eius morte hæc habet. (Ex Appiano) *Antiocho Deo successit in Syria regnum Seleucus filius genitus è Laodice, cognomine Callinicus: deinde, ex ætatis ordine, duo eius filij, Seleucus, & Antiochus*, quorum maior nec valetudine firmus, nec opibus, exercitum in officio continere nõ potuit. Veneno sublatus purpuratorum perfidia, & ad annos tantum duos regnauit, καὶ ἐς ἔτη δύο μόνα ἐβασίλευσεν. Denique idem Appianus ibid. & Sulpitius Seuerus lib. 2. historiæ sacræ successori eius 37. annos regni tribuunt, non 36. vt Euseb. Id autem verum esse non potest, nisi hoc ipso an. Antiochus regnare cœperit. Cæterum admodũ adhuc puer, regno initiatus est, vt habet Polybius, vt propterea nõ diu post Satrapas suos, eius pueritiam contemnentes, tyrannos expertus fuerit, vt suo loco dicemus.

(Init. l. 4. ἔτι κομιδῇ ὤν.)

V. *Res gestæ à Coss.*

De re Gallica, quam in tres adhuc annos propagari contigit, hæc habet hoc anno Polyb. *Post hanc victoriam*, præcedentis scilicet annis, *in spem adductus pop. Romanus posse Gallos è circumpadanis regionibus à se penitus expelli*, Coss. ambos, qui sequente anno sunt creati, Q. Fuluium & T. Maulium cum exercitu & ingenti apparatu contra illos misit. (In Boios.) Hi Boios primo impetu perterrefactos, se fidei Romanæ permittere coegerunt. Toto dein expeditionis reliquo tempore, propter imbres immodicos, grassantemq; pestilentiam, nihil planè memoria dignum gestum est.

At Orosius, qui sciret Boios proximo iam anno afflictos, scribit ab his consulibus trans Paduin Romanas ductas fuisse legiones, pugnatumq; ibi cum Insubribus Gallis, quorum interfecta sint viginti tria millia, quinque millia capta. Nec repugnat Zonaras. Ab eo tempore, inquit, Boiorum terram omnem occuparunt, & Eridano superato Insubres inuaserunt, eorumque agros vastarunt.

Consentit & Epitome vigesima
Liuij.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3830.

Meminit huius quoq; mortis idẽ Polybius, sub finem libri secũdi, μετήλλαξε δὲ καὶ Σέλευκος, ὁ Σελεύκου, ὃ Καλλινίκου, ὃ καὶ Πώγωνος ἐπικληθέντες, Ἀντίοχος δὲ διεδέξατο τὴν ἐν Συρίᾳ βασιλείαν, ἀδελφὸς ὢν αὐτοῦ. Obijt, ait nouus interpres, & Seleucus. Seleuco patre genitus, auo Callinico. qui etiam Pogõ cognomine est dictus. Habuit hic in Syriæ regno successorem Antigonum fratrem suum. Apertus est lapsus improuide festinantis in Antigono, pro Antiocho. Sed & ille etiam grauior, vbi Callinicum facit auum Seleuci Cerauni, qui erat reuera pater, vt cum Eusebio fatentur omnes: nec est qui tres Seleucos continenter ponat. Nimirum non animaduertit illud ὃ non referre υἱὸν, sed ἐπικληθέντες. Nec culpa vocat, cum paulo ante omisit ex Polybio dicere, patrem Philopatoris Euergetem morbo decessisse.

ANNVS MVNDI 3831. SEXTÆ AETATIS 315. Imperij Græcorum 89. Antiochi Magni 2. Simonis Pont. 10. Ptolemæi Euergetis 24. Antigoni Tut. 11. Olymp. CXXXIX. Ann. 2. Vrb. Cond. 530. Coss. C. Flaminio Nepote, a & P. Furio Philo. vel C. Q. Flaminio. b

a Tab. Capit. b Plut. in Marc.

ANNVS ANTE CHRISTVM 222.

I. *Antigonus Græciam domat.*

Qvod ad bellum Cleomenianum attinet, ineũte statim vere Antigonus Tutor copias ex hybernis, vt ab eo ducamus initium, educit, & tertijs castris Tegeam adijt, quo & Achæi magno studio confluxerunt. Cumq; opera Macedonum, in expugnandarum vrbium arte valde peritorum, strenue vteretur, cuniculis præsertim, oppidanos ad deditionem compulit. Ea vrbe præsidio firmata in Laconicam raptim copias ducit, vbi Cleomenes in finibus aderat, in hostis aduentum intentus. Cumq; velitationibus aliquibus tentasset quid animi haberet ad generale certamen, nunciatum est præsidiarios ex Orchomeno Cleomeni auxilio venisse. Ibiq; castris confestim motis, illuc tendit, & vrbem primo impetu cepit. Inde Mantineã aggressus obsedit, ac Macedonum motu proculsam deditionem facere coegit. Inde ad alias duxit, quas sponte ad deditionem allexit. Postremo hyeme iam appetente, Ægium ad conuentum Achæorum se contulit, Macedones ad hyberna domum dimisit.

II. *Cleomenes Megalopolim capit, et vastat.*

Eam occasionem Cleomenes libenter arripuit, ad Megalopolim occupandam. Cũ enim ea ciuitas propter amplitudinem, & recentes clades, & vicinitatem Antigoni, negligentius custodiretur, noctu in vrbem irrupit: & post aditum amittendæ vrbis ac salutis periculum, Megalopolim retinuit, & magna in eã crudelitate grassatus est: quod eam vrbem suis studijs semper aduersariam esset expertus. Hæc fere Polyb. Addit Plut. oppidanos resistendo animose id effecisse, vt fugientibus ciuibus securitatem præberẽt abeundi Messenem, omninoq; paucos in hostium potestatem venisse: in quibus Lysandridas vir illustris persuasit Cleomeni, vt gloriæ acquirendæ causa, vrbem captam nõ attingeret, sed ciuibus restitueret inuiolatam, si eius amicitiam colere, Achæorum societatem missam facere vellent. Id cum Megalopolitani hortatore Philopœmene recusassent, iratus fortunas ciuium in prædam concessit, signa tabulasq; pictas Spartam misit, vrbis plurimas & maximas partes solo æquauit ac prorruit: inde domum se, Antigoni, & Achæorum metu, recepit.

III. *Auxilium ab Euergete obtinet, dato obside matre Eius muliere fortissima.*

Intrea autem cum Cleomenes à Ptolemæo auxiliũ peteret, id Rex non alia conditione spopondit, quã si matrem cum liberis (& vxor quæ dudum fuerat Agidis recẽs obierat) obsides daret. Id cũ ille diu palam facere vereeundaretur, euicit virago vetula, non solum vt rem patefaceret, sed etiam vt perficeret. *Hoccine erat*, inquit illa cachinnans, *quod sæpe dicere aggressum destituit animus? Quin nos potius nauigio impositos amandas, quo res Spartana postulauerint, quã hic senio desides extinguamur*? Ita Cratesiclea: sic enim vocabatur. Nauem conscensura seduxit Cleomenem remotis arbitris in fa-

insanum Neptuni. Ibi complexa deosculataq; mœrentem & commonitum. *Age, inquit, Rex Lacedemoniorum, caue vbi foras egressi erimus, quisquam non lacrymantes conspiciat, aut quid Sparta indignum committentes.* Vt in Ægyptum appulit, didicitq; filium ab Achæis ad pacem inuitari. Veteri autem, matris obsidis causa, bellum non assentiente Ptolemæo componere, scripsit ei agerer quod è dignitate Spartæ foret, neque vnius anus gratia, & parui pueri semper Ptolemæum metueret. Hæc illa mulier è spiritu Spartano, mulieris vtrique fortior viris.

IV. *Achæus recuperat ditionem Antiochi ab Attalo. Romani in Insubres contrant. Fusque debellant.* *a l. 4. p. 311. b l. 2.*

Hoc quoq; anno Achæus Antiochi regis tunc pueri, cis Taurum Satrapa res domini sui fideliter gessit, & multis subactum cladibus Attalum, in ipsam vrbem Pergami, paternique regni fines compegit, vt habet Polyb. *a* Qui etiam significat Achæum circiter bienniunt in fide mansisse: cum Romani Consules, vt idem tradit, *b* in Gallorum fines, per Anamaros Massiliensibus vicinos, conciliata ipsorum beneuolentia, in regionem Insubrum traiecerunt. Verum & in transitu, & dum castra ponunt multis affecti damnis, ex pacto mox illis locis excessere. Deinde per proximas regiones multos dies vagati, transmisso flumine Clusio in Cenomanorum ditionem venerunt. Quibus assumptis, quod socij essent Romani populi, è subalpinis locis in planiciem Insubrum, exercitu infesto, iterum venerunt, ibiq; agros exusserunt, villas deuastarunt.

V. *Insubres arma parant.*

ITAQVE Insubrum principes, desperato cum Romanis fœdere, de rerum summa cum ijs prælio decernere statuũt, quinquaginta hominum millia omnibus necessarijs instruunt, signa etiam sacra è templis in aciem educunt.

Romani longe ab ijs numero vincebantur, sed inconstantiam fœderatorum sibi Gallorum veriti, eorum auxilia fluuium traijcere iubent, ipsi ad alteram eius partem remanent. Deinde pontes flumini impositos rescindunt, atque eadem opera & Gallis nocendi potestatem adimunt, & vnicam eis spem salutis victoriam relinquunt, quoniam fluuius vado traijci non poterat. Pugnatum est, victoria

A Romanis vincuntur.

penes Romanos stetit, vt qui & disciplinæ militaris legib. & armorum commoditate, & aciei collocatione hostes suos longe superarent: spolijs potiti, prædaq; onusti Romam rediere. Hæc fere hoc anno Polyb.

VI. *Auspicijs à Flaminio contemptis. c l. 4. c. 13.*

ADDIT Oros. *c* cæsorum captorumq; numerum. *Flaminius Consul, inquit, contemptis auspicijs, quibus pugnare prohibebatur aduersum Gallos, conflixit & vicit. In quo bello nouem millia Gallorum cæsa, decem & septem millia capta sunt.* Sed illa de contemptis auspicijs explicat Plutarch. in Marcello. Per initia huius belli Gallici, inquit, cum Romani nunc insignes victorias obtinerent, nunc fœdè cæderentur, nihil perfectũ ad summã belli, donec C. Quintius Flaminius, & P. Furius Philo Consules in Insubres ingentes copias duxere. Tum, qui per agrum Picenum perfluit, amnem sanguine conspexerunt manantem: fama fuit tres lunas visas Arimini. Comitijs autem Consularibus vitio creatos Coss. augures obnunciauerunt. Extemplo igitur misit in castra Senatus literas, quibus Consules accersiuerunt, & reuocauerũt Romam, vt Consulatu se primo quoq; tempore abdicarent, ne quidquam pro imperio aduersus hostes gererent.

VII. *Eiusdem audacia.*

EAS ad se allatas Flaminius non prius soluit, quam fusis fugatisq; Barbaris, fines eorum esset depopulatus. Quare redeunti cum ingenti præda non prodijt obuiam populus imo quia literis, quibus retrahebatur, non statim paruisset, sed eas contemptui habuisset, nihil proprius factũ est, quã vt ei negaret triumphum. Secundum triumphum, extemplo ei cum Collega magistratum abrogauit, eosq; redegit

Male accepius Romæ.

in ordinem. Sic Plut. & Zonar. Voluit Dominus, etiam contemptis nefarijs auspiciorum sacrilegijs, interdum victoriam contingere, interdum cladem, vt ea nihil in alterutram partem facere à prudentib. intelligeretur. Quamquam potuit & culpam ducum, contra conscientiam pugnantium, clade castigare.

Colossi ruina ex terræmotu.

Quod ad illa prodigia pertinet, ea cumulatius tradit Orosius, additq; inter alia, extitisse terræ motum ingentem, in Caria & Rhodo insulis, tantum, vt labentibus vulgo tectis, ingens quoque ille Colossus rueret. Habet hæc de terræ motu & Colossi ruina Euseb. hoc anno 2. Olympiadis 139. meminit & Polyb. libr. 5. sed tempus non notat.

d l. 34. c. 7. VIII. *Eius ex Plinio descriptio.*

FVISSE hanc Solis statuam altam cubitos 70. scribit Plin. *d* id est, vt ait Festus, pedes centum & quinque, cubitus enim sesquipedem habet. De eius magnitudine ita Plin. *Ante omnes autem in admiratione fuit Solis Colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius Lysippi discipulus, Septuaginta cubitorum altitudinis fuit.* Cedrenus *e* tamen 80. fuisse scribit, idq; ex carmine inscripto docet, in quo habetur ὀκτάκις δέκα πήχεων, octies decem cubitorum. Pergit Plinius. *Hoc simulacrum post quinquagesimum sextum annum terræ motu prostratum, sed iacens quoque miraculo est. Pauci pollicem eius amplectuntur, maiores sunt digiti quam pleraq; statuæ, vasti specus hiant defractis membris. Spectantur intus magnæ molis saxa, quorum pondere illud stabiliuerat constituens. Duodecim annis tradunt effectum trecentis talentis, quæ contulerant ex apparatu regis Demetrij, relicto moræ tædio.* Quia scilicet obsidio longius opinione sua protrahebatur. Quamquam etiam ab Antigono patre in Asiã reuocatum supra suo loco dictum est: *f* ex quo tempore ad hunc annum non quinquaginta sex, sed vnus & octoginta numerantur. Sed alia quoq; hic à Plinio peccata alibi docuimus. *g*

e a. m. 6134. *f an. ab V. C. 449.* *g an. mun. 3451. n. 7.* IX *Et Scaligeri nota.*

PORRO Emendator temporum, in pondere huius statuæ inquirendo vehementer hallucinatur. Sic enim habet in hunc Eusebij locum. *Iacuit in solo illa ingens ænea moles annos 977. donec Mauuia Arabs Rhodo capta, mercatori cuidam hunc Colossum vendidit,*° *qui nongentos camelos illius fragmentis onerauit. Cameli vero onus, est duplum adonus muli: est enim 800. pondo. Itaq; secundum hanc rationem materia illius Colossi fuerit 720. millia pondo, vulgo vt mercatores nostri loquũtur, essent 144. Quintalia. Asportata fragmenta fuisse scribit Cedrenus anno Christi vulgari, 655. millesimo vero 305. vt ipse nugatur, postquam erectus fuit. Quod si verum esset, erectus fuisset anno secundo Olymp. 17. quo nihil vanius.* Sic ipse. At non sine lapsu. Cedrenus autem ipse sic habet. *Ann 12. Constantis* scilicet imperatoris. *Mabias Rhodo potitus Colossum euertit, anno postquam is positus fuerat 1365. quem cum quidam mercator emisset, ære illo nongentos camelos onerauit.* Ita Cedrenus.

X. *In multis arguitur.* κατηλ.

STABAT ergo tum Colossus, quem Mabias euertit, à quopiam post præsentem ruinam restitutus. Non recte igitur Scaliger tot annis eam molem iacuisse dicit. Quin ne recte quidem illos ann. 977. numerauit. Nam si ex Cedreno fragmenta asportata sunt anno Christi 655. aut potius 652. vt ex Cedreni textu patet, si eis addas annos ante Christum 222. efficies annos 874. centum ergo & tribus annis aberrat à vero. Errat 3. quia 720. millia pondo, non efficiunt 144. Quintalia, sed quinquagies plura, nimirum septem millia & ducenta, nisi forte solus ignorat Quintale esse pondus centum librarum. Neq; ad 144. Quintalia necessarij essent nongenti Cameli, sed sufficerent octodecim, quorum singuli ferrent octingentas libras, id est, octo Quintalia. Errat 4. quod hanc æneam molem credidit fuisse septingentorum & viginti millium pondo, quasi solido ex ære conflata esset, cum in Plinio legamus. *Vasti specus hiant defractis membris, & spectantur intus magnæ molis saxa, &c.* Nisi forte mercator saxis quoque camelos suos onerauit.

SCOLIVM IN ANNVM MVNDI 3822.

Errat quinto, quod ait, si dentur 1305. anni à quo erectus fuit Colossus, vsque ad tempus quo fragmenta exportata fuerunt, fore vt eius erectio incidat in annum secundum Olymp 17. Errat inquam, quia ab anno Christi 655. sursum ascendendo, peruenies ad annum secundum Olymp. 32. Nam 655 à Christo, & 650. ante Christum efficiunt 1305. at 650. annus ante Christum incidit in Olymp. 32. 2. & annum V. C. 102. aberrat ergo totis quindecim Olympiadibus, id est 60. annis. Itaq; pro 305 legendum apud ipsum 365. Re autem vera erectus est Colossus trecentis & tribus annis ante Christum, quib. si addas 652. efficies 855. non 1365. I. N. 2.

655
650
1305.

ANNVS MVNDI 3832. SEXTAE AETAtis 3.6. Imper. Græcorum 90. Antiochi Magni 3. Simonis Pontif. 11. Ptol. Euergetis 25. Antigoni Tut. 12. Olymp. CXXXIX. Ann. 3. Vrb. Cond. 531. Coss. Cn. Cornelio Scipione Caluo. M. Claudio Marcello.

ANNVS ANTE CHRISTVM 221.

I. *Antigoni cū Cleomene pugna.*

CAPTA Megalopoli Antigono Tutore in vrbe Argiuorum hybernante, Cleomenes ineunte statim vere contrahit copias, suosq; adhortatus, in fines Argiuorū impressionem facit, aut attracturus ad pugnam sine iustis copijs Antigonum, aut dum in eius oculis vastatur ager, ciuium probris eum obiecturus, sibi gloriam, suis nouos animos acquisiturus, quod vtique consecutus est.

Initio æstatis copiæ vndiq; ad Antigonum confluxerūt, peditum omnino viginti octo millia, equitum mille ducenti. Cleomenes ad 20. millia subsignis habuit, quæ bipertito diuisa in collibus, qui fauces Spartæ adeundæ efficiunt, collocauit, præclareq; communiji, vt per vim eò penetrare desperaret Antigonus. Post aliquot dies in pugnam vtrique consensere. Magna in vtramque partem fortunæ vi, vt Polyb. & Plutarchus notarunt. Si enim aliquot adhuc dies dilata esset pugna, Antigonus domum vel inuitus retrahebatur, barbaris Macedoniam deuastantibus. Itaq; & pacē facere conditionib. idoneis cum Cleomene cogebatur, isq; minimum regnum suum retinuisset. Nunc autem maturius editā pugna, quam literæ ex Maced. delatæ essent, Cleomeni omnia infausta, Antigoni prospera contigere.

II. *Antigoni victoria.*

EVCLIDAS frater Cleomenis cornu vnum ductabat, à quo cladis initium factum est. Ex altera parte Rex in Regē cum quinq; millibus vtrinq; acriter depugnabant, postremum fuit peditum certamen, Phalange Macedonū contra Laconicam iuuentutem diu ancipite victoria confligente. Tandem victoria penes Antigonum stetit, cædes fugaq; totis castris plurima. Refert Phylarchus apud Plutarchum, proditionem in castris Cleomenis à Damotele quodam perpetratam.

Cleomenes cum paucis equitibus Spartam incolumis se recepit. Vnde per noctem ad Gythium descendit, nauibusque ibi conscensis, quas multo ante ad incerta casuum parauerat, nonnullis amicorum comitantibus Alexandriā est profectus. Addit Plutarchus, cum multos in hoc prælio cecidisse mercenarios, tum cunctos Lacedæmonios, demptis ducentis, fuerant autem sex millia numero. Postquam autem ad vrbem venit, monuisse occurrentes ciues vt Antigonum reciperet, se vel vitam, vel mortem, prout è Rep. futurum esset, ei seruaturum. Ideoq; mox Therycionem quendam vrgentem, vt sibi manus inferret, non minus forti, quam sapienti oratione repulit, quam oporteret militarium virorum auribus insonare. Nihilominus Therycion, vt primum opportunitatem habuit à Cleomene digrediendi, deflexit per littus, ibique semetipse stulta temeritate confodit.

III. *Sparta vi si oppressa(?) ... lib. 28.*

ANTIGONVS repentina inuasione Sparta potitus, inquit Polybius, cum in cæteris humanitate singulari, & animi magnitudine vsus est erga Lacedæmonios, tum etiam auita Reipublicę forma illis restituta, paucis diebus copias ex vrbe eduxit. Ex his nonnulla in Iustino corriges, quod quatuor millia è pugna superfuisse dicat Spartanorum, & non cum Plutarcho ducentos, quod cum vxore & liberis in Ægyptum profectum putet, cum vxor iam mortua esset & liberi cum matre iamdudum in Ægypto essent. De moderatione autem animi Antigoni erga Spartanos, ita Plutarchus. In Lacedæmonios clementer cōsuluit, neq; Spartæ dignitatem ludibrio habuit, neq; ei insultauit. Verum legibus, & Rep. illis reddita, & sacro dijs facto, recessit tertio die. Quibus non dissimilia in Iust. l. 28. extremo reperies. Nos ad Antiochum transeamus.

IV. *Achæus ab*

CVM Achæus egregie mortem Seleuci domini sui, Nicanoris & Apaturij parricidarū morte vltus esset, quidquid cis Taurū amissum fuerat, recepisset, fortiter oblatū diadema repulisset, integrā Antiocho fidē biennium fere seruasset, ambitione transuersum se agi permisit. Postquā enim Attalum in ipsam vrbem Pergami conclusisset, omniaque alia loca in potestatē suam redegisset, inopinato rerū successu elatus, è vestigio ab honestis consilijs deflexit, diadema, nomenq; regium assumpsit, factusq; est omnium regū ac Dynastarum cis Taurum potentissimus. Hęc Polyb. qui etiam addit factum id in Laodicęa Phrygię, impulsore Syniride quodam exule. Hoc ipso tempore Molo, & Alexāder fratres, Satrapæ ambo, ille Mediæ, iste Persidis, Regis ætatem aspernati, spe etiam illa ducti, quasi Achæus consilia cum ipsis esset consociaturus, præcipue autem veriti crudelitatem, peruersam mentem, & calumnias Hermiæ, qui omnia in aula poterat, deficiendi & auertendi à Rege superiores satrapias consilium inter se inierunt.

Antiocho deficit. Regnumque vsurpat. *Molo & Alexander satrapæ deficiunt.* L. 4. p. 115. L. etiam 5. p. 401.

V. *Antiochi super ea re consilium.*

HÆ defectiones vt ad Regem Antiochum sunt delatæ, coacto principum & ducum suorum cœtu, sententias exquirit, quomodo rebellantium audaciæ occurrendū putarent. Ibi Epigenes [a] primarius regiarum copiarum dux, quem Hermias pessime oderat, censuit nihil cunctandum; sed Regi ipsi contra Molonem progrediendum esse, sic enim rebelles, præsentia regis moros, facile tyrannum deserturos, vel in potestatem etiam Regis tradituros. Hic statim Hermias proditorem clamat Epigenem, qui Regem paucis comitatum hostium manibus dedere conetur.

[a] Polyb. l. 5. p. 387. &c.

Mittit in Molonem.

Ipse autem expeditionem in Molonem declinans, vt qui ignauus, & rerum bellicarum insolens, pericula horreret, contra Ptolemæum exercitum ducere suasit, haud dubia spe huiusmodi bellum propter Regis ignauiam, citra periculum fore. Videtur Polybius intelligere Philopatorem, qui tamen nondum regnare cœperat, vt suo loco probabitur, viuo adhuc Energete, qui tamē ab ignauia nō male audijt. Ita vniuerso consessui terrore iniecto, bellum aduersus Molonem, ducibus Zenoni & Theodoto gerendum mandauit, quod Epigenes censuerat ab ipsomet rege suscipiendum.

VI. *Excitatur aduersus Ptol. ad Syriam recuperandam.*

IDEM interea nullum finem faciebat Antiochum stimulandi ad Syriam recuperandam, quo Rex adolescentulus belli curis omni ex parte premeretur, & dum ipsius opera in negotiorum multitudine, ac difficultate Rex indigeret, neque præteritorum scelerum pœnas daret; neque dignitate quam obtinebat, exueretur. Cumque nondum vulgatum esset Achæum, sibi diadema sumpsisse, finxit epistolam, quasi ab Achæo missam, eamq; regi offert, qua significabat Achæus sollicitatum se ab Ptolemæo, vt imperiū sibi vendicaret, polliceri Ptolemæum naues, pecuniam, omnia incepto necessaria, modo diadema assumeret, & palam imperij insignia arrogaret, cum ei iam imperium fortuna tribuisset: quibus literis cum Rex fidem haberet, prono animo in Syriaeam expeditionem ferebatur. Hæc pluribus l. 5. Polyb. Cæterum non ita multo post, tam Molo cum fratre & suis, quam Hermias pœnas regi dederunt. Achæus autem propter ingruentia maiora negotia, diutius dilatus, tarditatem pœnæ supplicij grauitate persoluit, vt idem l. 8. perscribit. Sed redeamus ad secundum, in quo de re Gallica.

p. 186. & seq.

p. 128.

VII. *Coss. respondent Gallicā pacē.*

INSECVTO dein anno, de pace legatos miserunt Galli, quascumque conditiones accipere parati, quæ ne illis cōcederentur, per eius anni Consules M. Claudium & Cn. Cornelium effectum est, nolebant nimirum præripi sibi materiam gloriosi triumphi, propriamq; gloriam publicæ vtilitati anteponebant: sed pergit: Quamobrem Galli vltimam spem sibi tentandam rati, ad mercede conducenda auxilia gessatarum Gallorum, qui Rhodanum accolunt, denuo se conuertunt, quorum vbi 30. mil. accepissent, hostis aduentum præstolantes, paratos in armis eos habent, quorum dux erat Virdomarus Rex.

In Insubres ducunt.

Consules primo vere legiones in āgros Insubrū ducūt, vrbem deinde Acerras, inter Padum & montana Alpium sitam, admotis castris obsident. Insubres cum suis opem ferre, occupatis ab hoste locis omnibus, non possent, traiecto

iecto Pado in ditionem Romanorum transeunt, & Clastidium obsident.

VIII. *Eorum cum Marc. pugna.*

Eius rei factus certior Marcellus, equites & peditum partem secum trahens, obsessis opem ferre properat. Galli cognito eius aduentu, discedunt ab obsidione, & obuiam progressi Marcello aciem dirigunt, pugnant, resistunt, circumueniuntur, fugiunt, cæduntur, in amnem se præcipitant. Romani interim Acerras expugnant: Galli Mediolanum se recipiunt, tunc iam Insubrum caput, quod ipsum in Cn. Cornelij potestatem venit, post pugnam, in qua fugam, & magnam suorum stragem passus est.

Insubrum deditio.

Post hanc cladem principes Insubrum, omni spe salutis amissa, Romanis se dediderunt. Hic Gallici belli exitus fuit. Hæc fere Polybius & Zonaras. Cæteri addunt Virdomarum regem in pugna à Marcello singulari certamine ad Clastidium prostratum, victoremque spolia opima Quirino suspendisse. Eam rem celebrat præ cæteris Magnus poeta.

Marcelli de Virdomaro victoria.

Aspice vt insignis spolijs Marcellus opimis
Ingreditur, victorq; viros supereminet omnes.
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques, sternet Pœnos, Gallumq; rebellem:
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.

Virgil. l. 6.

Tertia dixit, nam secunda à Romulo retulit Cossus, ille de Acrone, hic de Tolumnio, de Virdomaro Marcellus. Prima Iouis, altera Martis, tertia Quirino dicata feruntur, à Seruio, omnia Feretrio Ioui à Floro. *Virdomaro Rege*, inquit, *Galli Vulcano Romana arma promiserant, aliorsum vota ceciderant. Occiso enim Rege Marcellus tertia post Romulum Patrem Feretrio Ioui opima suspendit.* Addit explicatius Eutropius, *ac triumphans Marcellus spolia Galli stipiti imposita humeris suis vexit.* Sed de his satis.

Opima spolia.

ANNVS MVNDI 3833. SEXTAE AETAtis 317 Regni Græcorum 91. Antiochi Magni 4. Simonis Pontif. 5. Ptolemæi Euergetis 26. & vlt. Antigoni Tut. 13. Olymp. CXXXVIIII. an. 4. Vrb. Cond. 532. Coss. P. Cornelio Scipione Asina, & M. Minutio Rufo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 220.

I. *Tempus obitus Euergetis dubium. Maluit vide an. mun. 3832.*

PTOLEMÆVS Euergetes anno regni sui vigesimo sexto finem viuendi fecit, vt Eusebio placet, quem sequitur Beda, l. de sex Ætat. & vtrumq; recensent Petauius in Danielem, Torniel. Gordon. Item Mercator, Caluis. Funct. Casaub. Heluicus, Buntingus, & si qui alij eiusdem farinæ: & qui Eusebium explicant Pontac. & Scalig. Epiphanius ei assignat 24. annos, cum sequitur Geneb. & Capellus. Tertul. l. contra Iudæos habet 25.

Certe ad huncannum vitam, regnumq; protulisse ex Polybio non obscurum est, qui agens de regni Ægypti insidiatoribus, sub Philopatore profligatæ vitæ principe. Primus omnium, inquit, Spartanus fuit Cleomenes. Hic vir quamdiu Ptolemæus Euergetes viuebat, quicum societatem & fœdus (cum adhuc esset Lacedæmone) inierat, nihil mouit, quod semper speraret idonea se ab eo auxilia impetraturum, ad regnum paternum recuperandum, sed postquam ille obijt &c.

II. *Eius cum Cleomene familiaritas.*

Id iam plenius intelliges ex Plutarcho, qui Cleomenem, à fuga sua in Ægypto aliquandiu cum Ptolemæo seniore (sic enim Euergetem vocat) conuersatum tradit. *Cleomenes*, inquit, *postquam soluit ex Aegialia*, quæ insula est ad Peloponnesum, *Africam appulit, deductusq; à ministris regijs, peruenit Alexandriam. Itaque aduentus sui humanum erga se Ptolemæum expertus est qui vbi Cleomenis prudentiam, vrbanitatem, fortitudinē ab adulatione alienam, aliasq; virtutes vita consuetudine expertus est, non solum eum vehementer dilexit, sed valde etiam doluit, quod talem virum neglexisset, & tueri ab Antigono permisisset, vnde tantam gloriam, & opes comparasset. Itaq; honoribus & beneuolentia complectens Cleomenem spem fecit cum nauibus & pecunia, se eum in Græciam remissurum, ac regno suo restituturum.*

ATTRIBVIT etiam ei annua viginti quatuor talenta, stipendij nomine, qua ex pecunia ille se, & amicos frugaliter, sobrieque sustentans, magnam partem largiendo in Græcos, qui in Ægyptum cōfugerant, insumebat. Verum Ptolemæus senior priusquam promissum repræsentaret, decessit. Confirmat mortem Euergetis Polyb. l. 2. extremo, quamuis aliquanto laxius, cum ait circa Olympiadem centesimam trigesimam nonam, mortuum Seleucum Callinici filium, Ptolemæum Euergetem, & Antigonum Tutorem: quibus Antiochus, Philopator, & Philippus successerunt. Eadem fere habet Iustinus, vbi addit apud Spartanos & Cappadoces nouam regum successionē, in Cappadocia Ariarathi admodum pueri, & Spartæ in locum Cleomenis, Lycurgi. Sed id aliquanto post, nam Cleomenes aliquandiu cum Philopatore vixit. Addit & initia præfecturæ Annibalis, de qua mox dicemus.

III. *Regū succes[illegible]*

IV. *Antiochi Magni matrimonium.*

INCIDIT in hoc tempus Antiochi magni matrimoniū, quantum ex serie rerum gestarum, quæ à Polybio l. 5. narrantur, colligi potest. Nam cum Hermiæ impulsu Ptolemæo bellum inferre omni studio conaretur, & in Seleucia ad Zeugma ageret, aduenit Diognotus nauarchus è Cappadocia ad Euxinum, Laodicem Mitridatis Regis filiam ducens, virginem matrimonio Regis destinatam. Mithridates hic genus suum referebat ad vnum è septem illis Persis, qui Magum occiderant, tributumque iam olim maioribus suis à Dario dominatum ad Euxinum Pontum, perpetuo exinde conseruauerat. Antiochus autem virgini cum idoneo comitatu occurrit, eaque cum regia pompa suscepta, nuptias quamprimum celebrat. Inde Antiochiam descendit, ibiq; Laodicem Reginam salutari iubet: cætera totus in belli apparatum intentus. Quæ mirum est non lecta à Temporario, cum in Stemmate Seleucidarum inquit vxorem Antiochi Magni ignorari.

V. *Res à Molo gestæ.*

EODEM etiam tempore Molo præfecturæ suæ populos ad omnia præparabat, hi spe commodorum, illi metu iniecto à rege, à quo minaces fugiebat literas: fratrem quoque adiutorem ad omnia paratum habebat: prouidit denique ne quid sibi à proximis prouincijs metuendum esset, eorum principibus largitione conciliatis. Ergo cum ingenti exercitu, aduersus regios duces Xenonem & Theodotum est profectus, qui eius aduentu perturbati, sese in vrbes recipiunt. Quo facto vehementer aucti sunt animis, qui eum sequebantur, adeo vt Seleuciam obsidere: statuerent sed nauibus ad traijciendum destituti, Ctesiphontem sese ad hyberna contulere.

VI. *Res a Romanis Coss.*

RES porro à Coss. gestas hoc anno, breui omnes compendio perstrinxerunt. Imminens enim secundi belli Punici fulgor vicina tempora obscurauit. Zonaras hoc tantum. Deinde P. Cornelius, & M. Minucius ad Istrum duxerunt exercitum, & multas illius loci gentes, partim vi, partim deditione subegerunt. Causam dedit Eutropius l. 3. quia latrocinati naues Romanorum fuerant, quæ frumenta exhibebant. Caue autem Istrum, Danubium putes: neque enim adhuc in Germaniam Romani arma intulerant, sed Istrum alium ad Dalmatiam, ex quo dicta sit Istria Prouincia, Italiæ contermina, ad extremum sinum Adriatidem: eum tamen fluuium in Ptolemæi tabulis non reperies, quem Plinius recte negat ex altero Istro deriuatum in Adriaticum influere.

L. 3. c. 18.

VII. *Asdrubalis mors.*

ASDRVBAL Amilcaris gener post administratam octo annis prouinciam Hispaniam, noctu in hospitio suo perijt, à Gallo quodam, priuatas iniurias vlciscente, per dolum cæsus. Hic vir Carthaginensium imperium vehementer auxit, non tam armis, quam comitate, qua Regulos demerebatur. Eandem prouinciam Carthaginenses Annibali, licet admodum iuueni detulere, quod in omnibus quæ institueret, magni ingenij, virtutisque specimen daret, hæc Polybius, & Liuius libro vigesimo primo, qui illud addit memorabile, si tamen verum, hunc barbarum, qui Asdrubalem obtruncauit, comprehensum à circumstantibus, haud alio quam si euasisset vultu fuisse, tormentis quoq; cum laceraretur, eo fuisse habitu oris, vt superante lætitia dolores, ridentis etiam speciem præbuerit.

L. 2. p. [illegible]

His

VIII. *Annibalis ætas.* His Coss. hæc contigisse affirmat Sigonius, & numerus annorum Polybij confirmat. Affirmat Zonaras eum, cum successit Hasdrubali, annum egisse sextum & vigesimum. At Eutropius inquit eum Saguntum oppugnare cepisse vigesimum ætatis annum agentem. Propius abest à vero Zonaras, si Tito Liuio credimus, qui initio l. 21. *Fama etiam est*, inquit, *Annibalem annorum ferme nouem, pueriliter patri Amilcari blandientem, vt duceretur in Hispaniam, cum perfecto Africo bello exercitum eo traiecturus sacrificaret, altaribus admotum tactis sacris iureiurando adactum, se cum primum posset, hostem fore populo Romano*: quæ superius suo loco ea Polybio retulimus. Si ergo ad nouem pueri annos, addas nouem gubernationis Amilcaris in Hispania, & octo Asdrubalis, quod vtrumq; Liuius ibidem affirmat, inuenies eum hoc tempore annos sex & viginti natum, vt vult Zonaras.

IX. *Res primæ in Hispania gestæ. Polybius l. 3. p. 163. græ. lat.* ANNIBAL simul ac dux creatus est, ad subijciendam Pœnorum imperio Olcadum gentem animum appulit. Sunt hi Hispaniæ populi intra Iberum fluuium, qui postea ad regnum Toleti pertinuere. Ergo Althæam primariam eorum vrbem, atque opulentam oppugnare cœpit: in eaque oppugnatione adeo se formidabilem præbuit, vt eam breui ad sua vota compelleret: cuius vrbis exemplum pleraq; oppida sunt secuta. Quæ rudimenta militiæ, atq; pugnarum spes ingentes in militaribus animis, & egregiam de nouo duce opinionem concitauerunt. Cumque in ijs oppidis essent argenti fodinæ, earum factus est Dominus, eisque mox venditione distractis, maximis iam opibus abundans Carthaginem nouam sead hyberna recepit, vbi stipendijs militi persolutis magnum sui amorem excitauit, qui fuit erga ipsum, in tanta bellorum & casuum varietate, ac diuturnitate perpetuus. Ex quibus non leuiter confirmantur, quæ in priore Machabæorum leguntur, de metallis auri & argenti, quæ in regione Hispaniæ esse memorantur, quæ postea Romani in suam redegerunt potestatem. *1. Mach. c. 8. v. 3.*

ANNVS MVNDI 3834. SEXTAE AETATIS 318. Imper. Græcorum 92. Antiochi Magni 5. Simonis Pontif. 13. Ptol. Philopatoris 1. Antigoni Tut. 14. Philippi Maced. 1. Olymp. CXL. An. 4. Vrb. Cond. 533. Coss. L. Veturio Philone. C. Lutatio Catulo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 219.

I. *Mors Ptol. Energetæ.* PTOLEMÆI Euergetis Ægypt. regis filius Philopator regnum inuadit, sub initium Olymp. 140. quæ victorem Zopirum Syracusium palma decorauit. Inuasit autem *patre ac matre interfectis*, vt scribit Iustin. initio l. 29. *cui ex facinoris crimine, ait, cognomentum Philopator ex contrario fuit*, & rursus lib. 30. *Regno, ait, parricidio parto, & ad necem vtriusque parentis, cæde etiam fratris adiuncta, velut rebus feliciter gestis, luxuriæ se tradiderat.* Eius rei quem habeat autorem Iustinus, ignoro, certe Polybius l. 2. affirmat Euergetem morbo consumptum, quod non recte nouus interpres tacuit, eiusque regnum excepisse Ptolemæum, qui Philopator est appellatus. Plutarch. in Cleomene Euergetem decessisse ait, non occisum esse, quod vtiq; taciturus non erat, cum ibidem luxu perditum statim initio regni tradat: sic enim habet. At senior Ptolemæus priusquam promissum repræsentaret, Cleomeni scilicet, decessit:

II. *Status Ægypti sub Philopatore.* Mox regno in multam lasciuiam, vinolentiam, & fœminarum arbitrium delapso, neglectum etiam est Cleomenis negotium. Quippe vsq; eo rex ipse effœminatus lustris & vino erat, vt vbi sobrius magis & sedulus erat solito, ludos celebraret, sacrificaret, cum tympano per regiam cursitaret: dum interim præcipua regni negotia, amica eius Agathoclia, eiusq; mater & læna Oenanthe procurarent: sic enim legendum esse, nō lenonē Oenanthē, vt habet nouus interpres, ex Græco patet. Huius nequitiæ causa Strabo l. 17 ait omnes Ægypti reges post tertiū Ptolemæū, male regnū *Fuit luxu perditus.* gessisse, luxu perditos: omniū vero pessime quartū, qui est hic Philopator, & septimum, & vltimum, qui & Auletes.

III. *Dictus Gallus, & cur.* EIVSDEM nequitiæ non leue argumentum est, illi inditum Galli cognomen, cuius testis est Author Etymologici, cuius hæc sunt verba fideliter conuersa. Gallus, Philopator Ptolemæus, eo quod Gallorum ritu folijs hederæ cōpunctus esset: semper enim in sacris Dionysiacis hedera coronabantur. Scaliger ait stigmata foliorum hederæ inusta ipsi fuisse. at inustionem non probat, certe non eam sibi pœnam vltro inferret, quam Iudæis vehementer iratus inflixit, vt ann. 6. regni eius dicemus: & satis est, ex perpetua gestandarum coronarum consuetudine, notas ad frontē, & tempora impressas fuisse. Forsitan etiam id ei nomen inditum, quod Matri deorum esset addictior, cuius sacrificuli Galli vocabantur, à Gallo flumine Phrygiæ, vbi initiabantur illi diuæ, simulque execabantur, vt neq; viri essent, neq; mulieres, vt scribit idem Etymologus. Certe Plutarc. in Cleomene eum vocat μητραγύρτην, quod nomen erat eorum, qui Matri deûm initiati stipem, ei colligebant tympana pulsantes, teste Budæo.

IV. *Antigoni Tutoris obitus.* MORTVVS est hoc anno Antigonus Tutor, anno regni sui 14. nec integro, vt supra anno Vrb. Cond. 520. diximus, eique successit multos in annos Philippus: cuius res gestas cum Romanis, Asianis, & Ægyptijs implicatas, negligere non possumus. Illius mortem Plutarchus explicat in Cleomene, scribens Antigonum post deuictum Cleomenem, Spartamque occupatam, accepto nuncio de Barbaris Macedoniam deuastantibus, tertió die decessisse, licet eum iam morbus tentaret, et tamen non cessisse, quod mallet in prælio regnum propugnando contra barbaros gloriose occumbere. Itaq; factū: nam vociferationib. in prælio pulmonem dirupit, vt perhibet Plutarch. Alij tradunt obtenta victoria, in ludis clamantem præ lætitia, *O faustum diem!* dirupta vena vim sanguinis effudisse, atq; acri febre correptum expirasse. Hæc fere Plutarchus.

V. *Initium Philippi, & eius ætas.* Eo ita mortuo Philippus Demetrij filius etiamnū puer Macedoniæ regnum suscepit. Eam pueritiam Iustin. l. 29. quatuordecim annos interpretatur, aitque à Dardanis, finitimisque populis contemptu ætatis assidue lacessitum; non solum defendisse sua, sed aliena etiam bello appetiuisse, sed hæc postea. Adijsse porro eum hoc anno regnum Macedoniæ, consequens est ex ijs, quæ de eius Tutore diximus, sub quo, præceptore vtique non pœnitendo, didicisse eum regnandi artem, eamq; diu cum potentibus aduersarijs exercuisse, sequentia docebunt. Eusebius initium regni eius differt ad biennium. Polybio tamen consentimus, *Ia. extra.* non solum quia eum regnare cœpisse ait circa Olympiad. 39. à qua proxime abest nostra chronologia, quæ initium habet Olympiad. 40. quam etiam nominat initio l. 3. sed maxime quia ab initio Philippi, vsque ad excisum regnum Macedonicum annus 53. semel iterumq; numerat: qui hinc vsque ad annum vrbis 585. siue ad initium Olympiad. 153. exacte reperiuntur, & annis 42. Philippi, & vndecim Perses explentur, vt suis locis deinceps ostendemus: interea ad Antiochum reuertamur. *ex Polybi l. p. 390.*

VI. *Alia in Molonem pro Antiocho expeditio.* REX vt Molonem progredi in expeditione suscepta, suos vero pedem referre cognoscit, voluit expeditione in Ptolemæum omissa, sua in illum arma conuertere. Sed eū rursus Hermias reuocauit, persuasitque, vt alius dux Xenœtas contra Molonem mitteretur, quod Regem in regem bellum gerere, non in ducem aliquem conuenire diceret. Itaque factum est: propter ætatem enim iuuenem Regem Hermias habebat in potestate. Ille igitur in Molonem, hic cum rege Syriam versus profectus est: sed illum vel superbia, vel imperitia perdidit. Nam castra Molonis, qui diffidens de suo exercitu noctu discesserat, cum occupasset, & securus genio cum suis egregie indulgeret, intempesta nocte reuersus Molon. nec opinantes oppressit, geminis castris cauit, Xenœtam ipsum temere pugnantem interfecit. Inde Seleuciam cum exercitu celeriter aduenit, eamque primo impetu cepit, aliaque è re sua gessit.

VII. *Antiochus ipse contra Molonem.* REX autem cui parum feliciter res in Syria succedebāt, spei de Syria renuncians, ad hoc bellum omnem ani-

mi vim conuerterit. Et concione aduocata suorum procerum cum Epigenes, prout antea quoque senserat, autor esset Regi, vt vel tunc ipsemet contra Molonem arma caperet, ab Hermia cum conuitio reiectus est, contendente Syriacam expeditionem Regi vrgendam esse. Id cum iam cæteris, quam ipsi quoq; Antiocho molestum esset, communi decreto bellum in Molonem probatum est. Tum demum Hermias huic quoque sententiæ subscripsit, in vindictam nihilominus contra Epigenem intentus. Ea sic oblata est. Coactæ erant Apameæ copiæ, vnde cum reuocato itinere Asiam repetere exporrigeret, de non persolutis stipendijs exorta est seditio admodum alieno tempore. Quare cum Hermias Antiochum metu perculsum videret, eum adijt, recepitque omnia se militi stipendia de suo persoluturum, si modo sibi rea concederet, vt ne huic expeditioni Epigenes interesset, quod propter mutuas inter ipsos offensiones, nihil recte in exercitu administrari, vtroque præsente posset.

VIII. *Hermias in Epigenem sæuitia.*

AVDIIT hæc non sine dolore Antiochus, sed præsenti necessitati paruit inuitus. Epigenes iussus Apameæ restitit, exercitus cum Rege atque Hermia progressus est: qui exercitum sibi persolutione stipendij beneuolũ sentiẽs, omnibus regis amicis formidini erat, præsertim cum non Epigenem calumnia perdidisset, opera vsus Alexidis arcis Apameæ custodis. Hic cum edoctus ab Hermia epistolam scripsisset, tanquam à Molone ad Epigenem missam, corrupto quodam illius puero, et ingentibus promissis persuasit, vt acceptam epistolam in domum Epigenis inferret, alijsque eius chartis insereret. Quod vbi factum est, adest extemplo Alexis, qui Epigenem interrogat, annon aliquid literarum à Molone accepisset: id cum ille constanter negaret, ad inquisitionem ventum est, eaque inuenta Epigenes, quasi in manifesta proditione deprehensus, innocens calumnia oppressus interijt.

Quo & opprimitur.

IX. *Antiochus in hybernis.*

REX Antiochus, vt ad Euphratem venit, assumptis quas ibi habebat copijs Antiochiam in Mygdonia circa brumã peruenit, ibique dum desæuiret hyems substitit. Hæc ex Polyb. l. 5. vbi etiam addit Achæum cum nouo rege Ptolemæo, inimico Domini sui, consiliorum societatem inijsse, idque Antiocho notum factum esse. Hoc porro tempore, inquit Plutarchus, non inutilis Ptolemæo Cleomenes, Spartanus dudum Rex fuit. Nam Ptolemæus fratrem cognomento Magam formidans, quod multum apud milites per matrem Berenicem gratia valeret, Cleomenem asciuit, atq; arcanis adhibuit consilijs, deliberans fratrem de medio tollere. Verum Cleomenes, licet assentientibus omnibus, deterruit eum, quod diceret plures si fieri posset, gignendos Regi fratres esse, ad regni securitatem, ac firmamentum. Cumque Sosibius, cuius maxima inter amicos regis erat auctoritas, negaret viuo Maga firmam fore mercenariorum fidem, spopondit ex mercenarijs, qui tum in Ægypto stipendia facerent, tria Peloponnesiorum millia ad nutum cum armis præsto fore: ijs Polyb. l. 5. addit mille Cretenses.

X. *Metuque illis fuisse eius.*

SENSIT autem imbecillitate Ptolemæi, timiditatem eius intendente, Cleomenes vt erat vir acer & bellicosus, & rerum quæ gerebantur obseruator, redditus est Ægyptijs formidolosus, adeo vt vulgo diceretur, versari hunc inter oues leonem, quem neque retinere satis possent, neq; à se dimittere. Ergo spem petendi naues & milites deposuit. Cum autem accepisset Antigonum esse defunctum, implicatos bello Ætolico Achæos, Peloponnesum tumultu ac dissidio agitatam, præsentiam suam postulare, petijt vt solus cum amicis dimitteretur. Sed Sosibius, qui omnia regebat, Rege lustris, tripudijs, ac comessationibus immerso, non assentiebatur audacem virum, & ægrotantis regni speculatorem dimittere: nec inuitum retinere tutum putabat. Itaque vt libens maneret, muneribus hominem demulcere conabatur, sed eum magis libertatis amor, quam Ægyptiæ deliciæ capiebant, vt auiculas caueis non assuetas. Hæc eadem habet Polybius l. 4.

Abire cupit, nec impetrat.

XI. *... flamini ... que.*

DE Coss. anni huius, hoc tantum habet Zonaras, eos vsq; ad Alpes progressos, citra pugnam sibi multos adiunxisse. Romæ autem C. Flaminius Censor viam Flaminiam muniuit, & circum Flaminium construxit, vt autor est Cassiodorus, ne Romani milites otio diffluerent, vt ait Liuius l. 38. & notauit Cuspinianus, qui nobiscum in annis bis, & Olympiacis plane consentit: at Polybius l. 3. sequentis anni Coss. anno primo 140. Olympiadis ascribit.

211 *Res Annibalis hoc anno.* l. 3. p. 169. lib. 21.

DE rebus Annibalis, quæ ad hunc annum pertinent, Polyb. rebus primo anno ab eo gestis, hæc subijcit. Sequenti vere suscepta in Vaccæos expeditione Salmanticam (sic enim Ελμαντικὴν vertit nouus interpres Liuius habet Hermandicam) repentina inuasione occupauit. Arbucalam quoque magnis cum difficultatibus per vim tandem cepit. At mox in reditu impetum Carpetanis in ipsum facientibus, maxima pericula ex inopinato adijt. Nam validissimæ Carpetanorum genti, se vicini populi adiunxerant, & deuictarum vrbium exules, verum callide sensim relato gradu, Tagum flumen munimenti loco hostibus opposuit vt nõ cum totis simul copijs eorum, sed cum partibus flumen traijcientibus pugnaret, quod & fecit, eosq; tum elephantis suis quos ad 40. habuit, proterendos, tum equitibus concidendos dedit. Indeq; ipse flumine transmisso reliquias copiarum, quamuis maximas, ad centum enim hominum millia fuisse dicuntur, vertit in fugam. Quibus ita deuictis nemo amplius vltra Iberum amnem fuit, Saguntinis exceptis, qui contra Carthaginenses oculos auderet attollere: qui interea in futurũ prospicientes, Romanos crebris nuncijs fatigabant. Annibal rursum Carthaginẽ nouã hyemis causa concessit. Eadem fere habet Liuius lib. 21.

ANNVS MVNDI 3835. SEXTÆ AETATIS 319. Imperij Græcorum 93. Antiochi Magni 6. Simonis Pont. 14. Ptolemæi Philopatoris 2. Philippi Macedonis 2. Olymp. CXL. Ann. 2. Vrbis Cond. 534. Coss. L. AEmyl. Paulo, & M. Liuio Salinatore.

ANNVS ANTE CHRISTVM 218.

I. *Mors Cleomenis in Ægypto.* l. 4. p. 104

HOc anno mortuum esse in Ægypto Cleomenẽ, turbas contra Philopatorem concitantem, author est Polyb. Nam quod ad tempus quidem attinet, is tradit Rẽpublicam Spartanorum tertium iam annum à Cleomenis fuga patrijs legib. administratã fuisse: simulatq; autẽ audita est Cleomenis mors, ad Reges creandos statim se accinxisse. Causas vero modumq; mortis has ex Polybio, ex quo Plutarchus, paucis accipe. Cũ Cleomenes vrgeret, aut publicam cum classe & cõmeatu, aut priuatam suã cum amicis dimissionem, nec Sosibius, (Nam rea nulli serio negotio attendebat,) assentiretur, quippe cui formidini erat hominis audacia, & mercenariorum in ipsum propensio, & Antigoni inimici eius interitus, & regis sui ignauia ac fatuitas, & variæ inuadendi regni opportunitates, consilium cum amicis suis init, de eo, antequam euaderet, comprehendendo, atque includendo.

l. 5. p. 381. *De eius morte consilia.*

II. *Inimicitia Nicagoræ Cleomenis.*

HVIC rei aditum aperuit Nicagoras quidam Messenius, cui cum Cleomene antiquæ erant inimicitiæ: propter Archidamum alterum Spartæ regem, quem Cleomenes exulare coegerat. Eius autem hospes Nicagoras, renouando inter ipsos fœdere multam operam collocarat: eumq; Archidamus pactis confisus, cum Nicagora Spartam rediret, Cleomenes Archidamo factus obuiam eum interfecerat, parcens Nicagoræ. Ex eo infensus erat Cleomeni Nicagoras, erant tamen inimicitiæ tectæ, nõ publicæ ac patentes. Aliam quandam inimicitiarum causam minus probabilẽ habet Plutarchus, quem si videtur consule. Nicagoras ergo cum equis venalibus Alexandriam appulerat, & naui egressus Cleomenem, Pantheum, aliosque eius amicos in portus crepidine ambulantes inuenit, & post consueta vrbanitatis officia, quæsiuit Cleomenes cuius rei gratia adesset. Ille respondet se equos venales Regi adduxisse. Vellem, ait Cleomenes, equorum loco catamitos, & sambucistrias potius adduxisses: in his enim nouus Rex studium omne suum ponit. Ridere tum Nicagoras, & hanc vocem silentio premere.

III. *Insidiæ in Cleomenem.*

INTERIECTIS vero diebus aliquot, per hanc occasionẽ

equo-

equorum factus Sosibio familiarior, ad inuidiam Cleomenis, sermonem quem modo retulimus recitat, simulq; verus suum in Cleomenem odium aperit. Ergo Sosibius ab eo promissis ac muneribus impetrat, vt scribat epistolam, qua criminetur Cleomenem, nisi cum idoneo apparatu dimitteretur, res nouas in imperio Regis esse moliturum. Fecit ille, & vela faciens puero dedit, qui eam Sosibio tradidit. Is regem adit, amicosque eius, exeisque eam sententiam exprimit, vt ampla domo, quasi honorario carcere coerceretur Cleomenes: quem ad desperationem libertatis aliud factum adduxit, quod narrat Plutarch. Erat Ptolemæus Chrysermi filius, qui cum magna Cleomeni familiaritas. Is rogatu Cleomenis captiuum adijt, & regem excusauit, suspicionesq; leui oratione eleuauit. Mox digrediens ex ædibus, cum sequentem à tergo vsque ad ostium Cleomenem non animaduertisset, castigauit acriter custodes, quod sæuam feram, captuque difficilem segniter atque socorditer seruarent. Hoc Cleomenes ipse excepit, & priusquam sentiret Ptolemæus, recepit se, & narrauit amicis.

IV. *Retinetur in custodia.* Despirans ergo Cleomenes reditum in patriam, meditari cœpit quomodo generosa morte defungeretur. Igitur obseruata Regis profectione Canopum, rumorem inter custodes sparsit se à rege liberatum iri. Itaque & ipse cũ suis ea de causa epulatur, & epularum participes custodias facit, quibus vino sepultis, cum amicis & famulis numero tredecim, strictis gladijs erumpit foras. Progredientibus *Seditionẽ fru stra molitur.* occurrit in platea Ptolemæus, qui ad vrbis custodiam tum relictus fuerat, sed is, nox, comitib. eius attonitis, de quadriga deijcitur, & custodiæ mancipatur. (Plutarchus eum à tribus occisum dicit,) simul populum ad libertatem vocant. Cum nemo tam audacis facinoris se præberet sociũ. Arcem petunt coniurati, sontes è vinculis educturi, & comites seditionis habituri: sed frustra, valido præsidio arcis *Seque interficit.* porta communita. Itaq; hac quoq; spe frustrati, manus sibi, generoso ac Laconico animo intulerunt.

V. *Non forti sed ignauo animo.* Hæc fere Polyb. quem dicere oportuit ignauo animo, ac meliorum desperatione fracto, atque ad ferendam præsentem calamitatem inualido & impotenti. Sed is tum mortales error occupauerat, tenuitque multos etiam deinceps, vt non intelligerent veram fortitudinem magis in patiendo emicare, quam in aggrediendo. Quæ causa est, vt martyrum fortitudo, atque constantia, multis partibus militarem fortitudinem, in gladios ac tela ruentem antecedat.

Cladis modus ex Plutarcho. Sed quæ his Plutarch. addit audiamus. Cum nemo per vrbem incursantibus se adiungeret, sed omnes trepidi fugerent: Nihil mirum, inquit, est, imperare fœminas viris libertatem refugientibus, hortatusque cunctos est, vt vitam deponerent, sicut se, rebusque gestis dignum esset. Primus Hippotas precibus à quodam ex iunioribus obtinuit, vt occideret se. Mox aliorum quisque æquo animo & intrepide seipsum interemit, pręter Panteum, cui Rex pręcepit, vt cum omnes interfectos vidisset, tum ipse quoque se interficeret. Omnibus iam humi stratis accedens Panteus & pugione singulos fodiens, explorabat num quis adhuc forte respiraret. Cum Cleomenem quoq; in planta pedis punxisset, atq; aduertisset faciem eum contrahere, osculum illi tulit, inde assedit ei, hinc exanimem iam complexus, semetipsum super eum confodit.

VI. *Mors matris & liberorum Cleomenis.* Nec finis hic funerum fuit. Nam Cratesiclea mater, liberos complexa Cleomenis, se in lamentationes dedit, sed paru maior clapsus, è fastigio domus in caput se præcipitẽ dedit: cumque adhuc viueret, & tolleretur, fremebat, quod interpellaretur mori. Ptolemæus vbi hæc accepit, corpus Cleomenis excorlatum in crucem agi imperauit, insuper liberos eius, supplicio vtique nõn indebito patri, tot funeruum reo, super attentata seditione in legitimum principẽ, & sui ipsius parricidio perpetrato. Iubet præterea rex matrem ac fœminas comites necari: matre frustra orante, vt saltem ante pueros tolleretur. In morte autem istarum maxime enituit vxoris Pantei fortitudo, de qua pluribus Plutarch. sed de Cleomene hactenus.

VII. *Cœlesyria præfectus à Philopatore deficit.* Nec multo post quam hæc acciderunt, defecit pariter à Ptolemæo Theodorus Cœlesyriæ præfectus genere Ætolus, partim contemptu Ptolemæi, ob luxum atque impuram ipsius vitam, partim quia procerum erga se suspectam habebat voluntatem, vt qui non multo ante, cum egregiã regi nauasset operam, dum Antiochus Syriam primum peteret, nihil præmij accepisset: sed accitus etiam Alexandriam capitis periculum adijsset. His ergo de causis Antiochum conuenire statuit, eique Cœlesyriæ vrbes tradere: breuique rem ad exitum perduxit, vt suo loco dicetur.

Interea Antiochus qui Antiochiæ in Mygdonia hyemauerat, cum studio persequendi Molonem flagraret, quadragesimo post die Libam Mesopotamiæ vrbem venit. Ibi Rege suos consulente qua via aduersus Molonem progrediendum esset, Hermia inęquum concilium dante, Zeuxis, etsi Epigenis exitum formidabat, ausus tamen est sententiam contrariam dicere, de Tigri traijciendo, quam Rex libenter est amplexus. Cumque vicini essent exercitus, velitationesque inter præcursores agitarentur, recessit Molo ad quinque millia: veritusque ne si aperta acie cum rege confligeret, à suis desereretur, noctu Regem adoriendum statuit. Delectis ergo ex omni numero fortissimis, in regis exercitum per occultos quosdam calles ducit, vt è superiore loco impetum faceret. Verum vbi cognouit decem iuuenes, ex his ipsis ad regem transisse, ab incepto desistens, redijt vnde fuerat digressus: sub lucem primam in castra reuersus, exercitum tumultu ac trepidatione compleuit. VIII. *Antiochus Molonem persequitur.* *desperi formidantem.*

Rex ad dimicandum paratus prima luce copias è castris educit, & aciem instruit. Molo quoque, etsi timide ex proximo tumultu, suos tamen ad formam regiæ aciei componit, & sinistrum cornu Neolao fratri committit, dextrũ retinet sibi. Vbi concurrere acies, dextrum cornu in fide perstitit, & acerrime cum regiis conflixit, at læuum, simul ac in regis conspectum venit, ad eum transitionem fecit. Molo suorum transfugia animaduertens, cum prope iam vndique cingeretur, animo reputans cruciatus ac tormenta sibi parata, si viuus in hostium potestatem veniret, manus sibi ipse intulit, pariterque omnes, qui coniurationis participes fuerant, domum suam quisque profecti, similẽ ibi vitæ finem inueniũnt. Neolaus quoque vbi pugna euasit, & in Persidem ad Alexandrum Molonis fratrem peruenit, matrem & Molonis liberos obtruncat, deinde super mortuorum cadaueribus ipse se iugulat, postquam Alexandro persuasisset, vt ipse quoque idem faceret. IX. *Instruuntur acies, Molo à suis desertus, manus sibi consciscit.*

Rex direptis hostium castris, Molonis corpus loco totius Mediæ maxime conspicuo, iussit in crucẽ tolli: rebellẽ exercitum duris verbis increpitum, data dextra in fidem recepit, certosq; viros cõstituit, qui istos in Mediam reducerent, & eam prouinciam recte constituerent. ipse Seleuciam versus regrediens, præfecturarum statum mansuetudine atq; humanitate rite composuit, pleraq; præter Hermiæ feri hominis ac potentis voluntatem: sed non diu id ei impune fuit. X. *Antiochi victoria.*

Antiochus lęto rerum suarum successu ferox, etiam terrorem vicinis Dynastis inferre voluit, ne facile suis satrapis in defectione auxilio essent. Itaque Artabazanem, qui in illis eminebat, aggredi statuit, non consentiente Hermia, qui Ægyptiacum bellũ minus formidolosum ambiebat. Quoniam tamen sub id tempus Regem filio esse auctum nuncij attulerant (hic videtur fuisse Seleucus cognomẽto Philopator, qui post patrem duodecim annis regnauit) ratus fieri posse, vt Regi in superioribus illis tractibus, cum Barbaris bellum gerenti, aliquid humanitus contingeret, aut eius tollendi è medio aliqua ex rebus ipsis opportunitas nasceretur, in eam expeditionem consensit: persuasus, si semel è viuis Antiochum sustulisset, tutorem se infantis futurum, & omne imperium in sua potestate habiturum. Zagro monte superato in fines Artabazanis irruit. Verum is ætate decrepitus, ad omnis pacis conditiones descendit. *In Artabazanẽ mouet.* *Augetur filio, Hermia molitiones.*

Hac pace firmata, Apollophanes medicus Regi admodum dilectus, ab Hermiæ impotentia, & sibi timens, & XI. *Hermias suspectus Regi.*

Regi,

Regi, Antiochum adit, eique suspectum Hermiam facit, monetque vt caueat, ne quis eum casus, sicut, & fratrem, è medio tollat, & omnes eius amicos, sicut nuper Epigenem, in eandem perniciem præcipitet. Rex apud Medicum fatetur sibi odio esse Hermiam, seque ab illo sibi metuere: gratias autem agit de illius erga se cura, opemque petit; paratum inuenit, capita inter se conferunt, denique hoc prætextu visum est vti. Quod vertigine quadam Rex laboraret, ad paucos dies familiam, & eos qui circa regem stationes obibant, dimittit. Ita cum Regem amici, pro se quisque inuiserent, conueniendi separatim quoscunque vellent illorum opportuna fuit occasio. Præparatis igitur illis, qui ad negotium idonei esse videbantur, quod facilè fuit omnibus Hermiæ odio deflagrantibus.

In conspiratio.

XII. *Occiditur, rege sub ... susciente.* ANTIOCHO medici imperant, vt luce prima dum adhuc frigidius est aër, prodeat ambulatum. Ad consuetam horam præsto est Hermias, & vna cum eo, quotquot ex amicis consilij participes facti fuerant. A reliquis cessatum est, quia Rex multo maturius solito exibat: hoc pacto Hermias abductus è castris, in solum quendam locum. Deinde vbi Rex paululum ex itinere, quasi necessitatis cuiusdam gratia deflexisset, à circumstantibus confoditur, supplicio nulla ex parte eum suis sceleribus comparando. Id factum omnes prouinciæ laudibus extulerunt, omnibus quippe grauis ac formidolosus fuerat.

Occiduntur & domestici eius. Exempla perfidia punita. Eodemque tempore Apamensium vxores, vxorem Hermiæ, liberi liberos lapidibus obruerunt. Antiochus domum reuersus copias ad hybernandum dimisit. Hæc pluribus libro quinto Polybius: ex quo etiam vides nobis annorum distinctionem, notata hyeme subministrari, sed & exempla egregia punitæ subditorum in suos Reges perfidiæ. Cleomenis, Hermiæ, & Molonis, quæ in eo fuit aliquanto seuerior, quod præter diuinam legem in innocentes quoque redundauit.

XIII. *Romana res anni huius.* IAM vero quod ad Romanam rem attinet, duo se illustria bella offerunt: Saguntinum in Hispania, quo Romanorum fidelissimi socij ab Annibale deleti sunt, quam cladem anno ab V. C. 534. contigisse autor est Orosius, isque nobis in cursu est. & Illyricum ab huius anni Consulibus gestum contra Demetrium Pharium, vt pluribus docet Polyb. l. 3. qui ita non in eo à communi Chronologia dissentit, quod hos Consules, Æmylium dico & Liuium in annum primum Olympiadis 140. refert, cum oportuerit in annum secundum, qui respondet 534. Vrbis Conditæ.

a l. 4. c. 14.

Et primum Demetrio Phario. De hoc Demetrio Phario, vt ab hoc ducamus initium, vt tempus etiam ipsum exigit (Nam dum Romani Consules in Illyrico pugnant, Saguntinis defuere.) Pleraque iam ex Polybio suo loco exposuimus, quo hic erimus breuiores.

XIV. *Quo a Romanis defecit.* ERGO circa id tempus quo Annibal Saguntinis imminebat, Demetrius Pharius, oblitus beneficiorum quæ populus Rom. in ipsum contulerat, cum iam contemnere eos cœpisset, cum ijs tantas Gallorum copias infestas cerneret, & nunc, propter metum eis à Carthaginensibus impendentem, minime sibi formidales arbitraretur, ab eis deficit præsertim quod Macedonum vires sibi auxilio fore speraret, quibus in bello Cleomenico adfuisset. Vrbes itaque Romanæ ditionis in Illyrico vastare cœpit, & in suam potestatem redigere, & vltra Lissum, contra leges pacis, quinquaginta lembis nauigare, multas è Cycladibus insulas incursare. In eum Romani ineunte vere L. Æmylium in Illyricum cum exercitu mittunt. Eo cognito, Demetrius Dimalum idoneo præsidio, rebusque necessarijs instruit. In cæteris vrbibus, necatis qui contrariæ factionis erant, illarum in gubernacula amicis suis tradit. Ipse ex omni subditorum numero fortissimos selegit, ad sex millia, eosque Phari collocat.

... ipse.

Romanorum in eum expeditio.

XV. *Æmylius Dimalum expugnat.* CONSVL vero in Illyricum appulit, cognita fiducia hostium, circa Dimalum vrbem omnibus rebus instructam, vt hosti perterrefaceret, eam omnium primam inuadere aggressus est, & adhibitis machinis septimo die expugnauit. Quæ res ita hostium animos fregit vt confestim vndique accurrerent, qui se Romanorum fidei permitterent. Eos Consul receptos, Pharum versus, contra Demetrium, nauigare iubet. Quoniam vero metuebat ne illic diuturnior esset obsidio, arte Pharios aggreditur.

Pharum ... aggreditur. NOCTV cum omnibus copijs insulam appulsus, maiorem exercitus partem in terram exponit, & locis cauis ac syluosis occultat, ipse cum 20. nauibus, palam vbi illuxisset, proximum vrbi portum petit. Eas naues Demetrius conspicatus, & paucitatem aspernatus, ex vrbe cum suorum manu egreditur, exscensionem prohibiturus. Vbi semel atroci prœlio res agi cœpit, plures subinde ex vrbe suppetias veniebant, donec tandem omnes ad certamen exierunt.

XVI. *Et occupat.* INTEREA Romani qui noctu expositi fuerant, per ignota loca facto itinere, adueniunt, & collem qui medius erat inter vrbem & portum occupant, & eos, qui ad pugnandum exierant, vrbe excludunt. Demetrius relictis ijs, qui in portu erant, contra nouas has copias aciem instruit, qui in eos è superiore loco impetum faciunt: quo tempore etiam qui in nauibus erant egressi, hostium terga cædere cœperunt, turbatosque in fugam vertunt, pars in vrbem fugit, plures alijs itineribus per insulam dissipati sunt.

Fuga ipsius Demetrij. Demetrius ad lembos suos, quos habebat expeditos ad fugam, se contulit, in quibus noctu ad Philippum Macedonem se recepit: apud quem etiam reliquum vitæ transegit, vt Polybio placet. Iustinus l. 29. tradit eum Philippum in Romanos concitasse. At Æmylius Pharum repentino incursu inuadit, eamque mox captam diruit. Deinde Illyrico vniuerso in potestatem redacto, rebusque omnibus ex animi sententia compositis, affecta iam æstate triumphum egit magnificum, nec minorem solertiæ, quam fortitudinis laudem è prouincia reportauit. Hæc ferè Polyb. Alij vtrumque Consulem in Illyrico rem gessisse, & vtrunque triumphasse testantur, in quibus autor libri de viris illustribus, & Zonaras, qui rem confusius narrat, & aliquot rebus diuerse, & inter alia Pharum proditione captam dicit.

XVII. *Res Liuij ... consulis.* IN Liuium tamen Consulem ingratus populus desæuijt. Post Consulatum enim eum damnauit, quod prædam militibus inæqualiter diuisisset. Frontin. l. 4. Reum peculatus vocat lib. de vir. illust. c. 50. Quam ignominiam adeo ægrè tulit, vt & rus migrarit, & per multos annos & vrbe & omni cœtu caruerit hominum: donec octauo ferme post damnationem anno M. Claud. Marcellus & M. Valerius Læuinus Coss. reduxerunt eum in vrbem: sed erat veste obsoleta, capilloque & barba promissa, præferens in vultu habituque insignem memoriam ignominiæ acceptæ. L. Veturius & P. Licinius censores eum tondere & squalorem deponere & in Senatum venire iusserunt. Denique tr. annis interiectis factus est Coss.

XVIII. *Legatio Romanorum ad Annibalem pro Saguntinis.* RES autem Saguntina, narrante Polybio, sic se habuit. Cum anno proximo Annibal rebus ex sententia apud Vallæos, & ad Tagum gestis, Carthaginem nouam hyemandi causa se recepisset, ibique legationem Populi Ro. inuenisset, facta sui adeundi potestate, differentes de mandato negotio audiuit. Qui deûm atque hominum fidem attestantes monebant, vt à Saguntinis, qui in fide ac clientela populi Rom. essent, abstineret, vtque ex eo fœdere, quod cum Asdrubale ictum erat, amnem Iberum ne traijceret. Eos legatos Liuius tradit ad Annibalem peruenisse, cum medio in cursu esset obsidio: ijsque obuiam ad mare missos ab Annibale qui dicerent, nec tuto eos adituros inter tot tam efferatarum gentium arma; nec Annibali in tanto rerum discrimine operæ esse legationes audire. Et quoniam apparebat non admissa, protinus Carthaginem ituros, literas nunciosque ad principes factionis suæ præmisisse, vt præpararent suorum animos, ne quid pars altera Romanis gratificari posset. Verum Polybius rectius eam legationem obsidioni præmittit, vt mox patebit.

XIX. *Sua tergiuersatio, & querela.* ANNIBAL, inquit, militaris ferociæ plenus, & iuuenis, & rerum successu superbus, nec minus odij in Romanos plenus, quam eorum perdendorum auidus, vicissim pro Saguntinis contra Romanos falsam querelam ineptamque instituit, de quibusdam Saguntinis, an olim à Romanis iniqua morte interemptis: cum posset iustius si non Siciliam, certe Sardiniam repetere, & ob ingentem pecuniæ vim, per aduersa Carthaginiensium tempora à Romanis extortam conqueri. Carthaginem porro sciscitatum misit, quid opus esse,

facto, cum Saguntini amicitia Romanorum freti, populos ditionis ipsorum iniurijs lacessant.

Legati Carthaginem adeunt.

Legati post hæc Carthaginem proficiscuntur, vt eadem apud Carthaginenses testarentur. Hos legatos Liuius l. 21. P. Valerium Flaccum, & Q. Bebium Pamphilum vocat, quos sub seqq. Coss. ponit, ad quos etiam Sagunti obsidionem referre videtur; & ita sentit cum Polyb. Sigon. in Liuium. Sed narrata Saguntina obsidione difficultates eius sententiæ agnoscit, quibus facile mederi potest relata in hunc annum eius vrbis occupatio, in quam omnes fere consentiunt. Porro Carthagine in Senatu ab Annone contra Annibalem acerbe declamatum esse, apparet apud Liuiũ.

XX. *Annibal Saguntum obsidet.*

DVM Romæ de bello multa deliberantur, & legati Africam petunt, Annibal ad centum & quinquaginta millia hominum in armis habens, vt ait Liuius l. 21. Carthagine noua profectus, Saguntum versus iter instituit: quæ vrbs mille ferè passibus à mari dissita, ad Iberiæ & Celtiberiæ fines iacet. Positis ad Saguntum castris Annibal obsidionem magno animo incipit, atque vrget: eius quippe vrbis expugnationem permagnum habere momentum intelligebat ad ea, quæ parabat. Nam & spem belli gerendi in Hispania se Romanis ademturum confidebat, & finitimos omnes populos terrore oppressos facile subacturum: & nullo à tergo hoste relicto, ad vlteriora tuto perrecturum. Magnam insuper vim, ad promouenda incepta consecuturum, & milites præda promptiores ad pugnam effecturum; spolijs denique Carthaginem missis, domesticos sibi conciliaturum.

Eius longique consilia.

XXI. *Eandem acriter vrget.*

ERGO obsidionem acriter vrgebat, & muliendis operibus ipse in primis desudabat, omnibus se periculis temere obiectabat; adeo vt dum murum incautius subit, aduersum femur tragula grauiter ictus ceciderit, simulque tanta circumfuga ac trepidatio fuerit, vt non multum abesset, quin opera ac vineæ desererentur. Mox autem renouata pugna, quassati deiectique muri turresque, & vtrimq; inter ruinas murorũ, quasi in aperto campo inusitata contentione pugnatum est: ita vt Pœni fracti malis, repulsique sua castra repeterent. Ibi quies aliquos diebus data, & accẽsi militum animi, vrbis præda militi ab Imperatore promissa. Interea vero Saguntini continuato dies noctesque labore, dirutum murum restaurarunt, ad quem postea etiam contentiosius pugnatum est, sed recens restauratio, machinarum & hominum subruentium violentiæ facilè cessit, ita vt magna iam pars vrbis in hostium esset potestate.

XXII. *De pace colloquia, & acerba conditiones.*

INTEREA Alcon Saguntinus, inscijs ciuibus suis, de pacè cum Annibale agit, cuius conditiones cum essent acerbissimæ, ad suos non ausus redire, apud hostem mansit. Alorius Hispanus miles Annibalis, Saguntinis amicus, se pacis eius interpretem fore pollicetur. Et ad prætorem Sagũtinum admissus, ad eas accipiendas coactum Senatum adhortatur. *Vrbem vobis*, inquit, *quam ex magna iam parte dirutam, captam fere totam habet, adimit, agrum relinquit, locum assignaturus in quo nouum oppidum ædificetis: aurum argentumque omne, priuatum publicumque ad se iubet deferri; coniugum, vestraque corpora, ac liberorum vestrorum seruat inuiolata, si inermes cum binis vestimentis Sagunto exire velitis. Hæc victor hostis imperat.* Hic primores secessione facta, priusquam responsum daretur, argentum aurumque omne publicum priuatumq; in forum collatum flammis iniiciunt, in quas se plerique præcipitarunt. Hæc Liuius pluribus. Denique intra octo menses vrbem cepit, & quæcunque animo destinarat, dũ obsideret vrbem, consecutus est, vt ait Polyb. nec Liuius dissentit.

XXIII. *Occupatæ vrbis modus.*

OCCVPATÆ vrbis modum, sicut & reliquam obsidionem fusius enarrat Liuius, in hæc fere verba. Dum ex ea legatione totam vrbem pauor, ac trepidatio peruasisset, alius insuper tumultus ex arce auditur. Turris diu quassata prociderat, perque ruinam eius cohors Pœnorum impetu facto, cum signum Imperator dedisset, nudatam stationibus, custodijsque solitis vrbẽ, nihil cunctandum ratus Annibal vrbem momento cepit, signo dato vt oẽs puberes interficerentur, quod imperium crudele, cęterum prope necessarium euentu ipso cognitum est. Nam viri aut inclusi cum coniugibus ac liberis, domos super seipsos concremarunt, aut armati nullum ante finem pugnæ, quam morientes fecerunt. Præda etsi tota ferè à ciuibus corrupta, aliqua tamen conseruata est, eaque partim militi distributa, partim Carthaginem missa. Hæc ex Liuio; nec multum ab his diuersa tradit Zonaras. Et hæc fuerunt initia Punici belli secundi, cuius proximus annus primus numeratur: quo non iam Romanorum socij, sed Romani ipsi bellum contra Pœnos, & eorum ducem Annibalem, cruentissimum, periculosissimumque gessere.

ANNVS MVNDI 3836. SEXTÆ ÆTATIS 320. Imperij Græcorum 94. Antiochi Magni 7. Simon. Pont. 15. Ptolemæi Philopatoris 3. Philippi 3. Olymp. CXL. An. 3. Vrb. Cond. 535. Coss. P. Cornelio Scipione & T. Sempronio Longo. Secundi belli Punici 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM 217.

I. *Antiochus de Syria recuperanda deliberat. l. 5. p. 400. & deinceps.*

ANTIOCHVS post sumptum de Hermia supplicium, dum in hybernis agit, nuncios ad Achæum mittitat, quibus eum defectionis arguit, & cladem cæteris tyrannis ac perduellibus familiarem minatur, vt habet l. 5. Polyb. Cæterum omni studio in Ptolemæum se comparabat. Cõuocato enim ineunte vere Apameam exercitu, amicis consultandum proposuit, ecqua potissimum via impressio in Syriam tentanda esset. Cumque in eam rem varia à varijs opportuna dicerentur, Apollophanes quidam genere Seleuciensis, dixit imprudenter tanto studio Cœlesyriam peti, cum Seleucia primaria Asiatici regni vrbs, isto tempore in manibus Ægyptiorum permittatur, quæ, præter ignominiam, magnis priuet rei bene in Syria gerendæ opportunitatibus: & multa si recipiatur, emolumenta omnem in partem Antiocho sit allatura.

II. *Seleuciam petit. l. 5. p. 404. Syriæ fauces occupat.*

Ea sententia cum omnium suffragijs probata esset Rex Diogneto nauarcho mandat, vt ad Seleuciam, quæ Pieria dicitur, classe nauiget, cuius vrbis satis accuratam descriptionem reperies apud eundem Polyb. a Mittit & Theodorum Hemiolium cum idonea manu, qui Syriæ fauces occupet, illique regioni præsideat. Ipse Apamea cum exercitu profectus, stadiorum ferè quinque interuallo, iuxta Hippodromum castra constituit. Inde in vrbem mittit, qui principibus viris pecuniam offerrent, maximaque in posterum beneficia pollicerentur, si modo vrbem absque certamine traderent: quos cum flectere non posset, eorum, qui partes aliquas Reip. curabant, nonnullos corrupit. Quibus confisus copias parabat, tanquam à mari classico milite vrbem esset inuasurus, à continente, per eos qui erant in castris. Hoc autem modo inter regem & proditores conuenerat, vt si per vim caperent suburbium, mox illi vrbs traderetur. Et ferè vndique vrbs etiam scalis erat inaccessa, pręterquam ex suburbio, in quod ingenti vi animi, classiarij milites scalis penetrarunt.

Suburbium capit.

III. *Vrbem deditione recepit.*

QVO occupato confestim duces, qui à Rege corrupti erant, quique varias ciuitatis partes propugnabant, ad Leõtium, penes quem summum erat imperium, accurrunt, ab eoque postulant, vt ad Antiochum legati de pace mittantur, priusquam per vim vrbs expugnetur.

Ciues humane tractat.

Leontius, qui fraudem ducum suorum ignorabat, consternatione illorum perterritus, missis ad Antiochum, qui pro securitate omnium, qui in vrbe erant, paciscerentur. Rex acceptis conditionibus quæ offerebantur, liberis nihil se nociturum pollicetur; erant autem ad sex millia; tradita autem vrbe non solum pepercit liberis, sed etiam restitutis in patriam exulibus, & leges suas ciuitati, & cuique priuatorum facultates suas restituit; portum vero & arcẽ præsidijs firmauit.

IV. *Theodotus Antiocho Syriam promittit.*

DVM Rex hæc maxime ageret, ei literæ à Theodoro Ætolo afferuntur; qui cum post rem bene gestam pro Philopatore, etiã capitis discrimen adijsset, vt ante diximus, in vltionis & libertatis occasionẽ erat intẽtus. Ijs ergo literis

Regem

Regem rogabat, quam primum ut contenderet in Syriã, se eam totam in eius manus traditurum. Ergo Rex, expeditione in Achæum in aliud tempus dilata, in Syriam ad Theodotum progreditur, qui iam patefacta proditione, à Nicolao Ptolemæi duce in Ptolemaide obsidebatur. Sed victo Nicolao in faucibus Beryti, obsidioneque soluta, obuiam venit Antiocho Theodotus, eique Ptolemaidem tradit, simulque amicus Panætolus Tyrum, vrbes multo apparatu bellico, naualique præsertim instructas. Rex Theodotum cum suis benigne excepit, multisque deinceps in rebus operam eius vtilem expertus est. Naues Nauarcho suo Diogneto commisit.

Ptolemaidè & Tyrum proditione occupat.

V. *Cœlesyriam peragrat, sed Pelusium frustra.* ITAQ; cum Pelusium adire cuperet, cum Regem inde abesse didicisset, ibique eius copias præparatas, & Nili aggeribus reclusis, omnes aquæ dulcis scaturigines obrutas, mutata sententia Cœlesyriam peragrãs, multas vrbes alias vi, alias deditione accepit; nulla interim rerum suarũ cura Ptolemæum vrgente. Pleræque autem tam ingenio loci, quam arte munitæ, ac commeatu egregiè instructæ in fide manebant, & diuturnam obsidionem terebant.

Aegyptii desidiosam pacem, & Antiochum fallere studuit. INTEREA Agathocles, & Sosibius, penes quos erat Ægypti imperium, statuunt in parando bello omnem operam ponendam esse, sed initio, quantum fieri posset, Antiocho. Interea legatos ad eum mittendos, qui eius impetum relaxent, & Antiochum in ea, quam de Philopatore habebat, opinione confirment, nunquam illum armis acturum, sed per amicos ac colloquia: ac Cœlesyria vt excedat rogaturum. Ergo partim mercenarium militem Alexandriam vndique cogunt, ibique eius studiosissime ad bellicas exercitationes conformant, eodemque commeatum omnis generis comportant: partim ipsi Memphi habitantes, multis legationibus vltro citroque missitandis, temp' consumunt.

VI. *In Doram obsidet.* INTEREA Antiochus vrbem Dura premebat obsidione, ea est Dora Ptolemæo in Phœnicia, infra Tyrũ & Ptolemaidem, meridiem versus, sed nullo emolumento. Nam & locus erat natura munitus, & obsessis subinde opem ferebat Nicolaus. Appetente iam hyeme, missis à Ptolemæo legatis dextram annuit, vt & induciæ ad menses 4. fierent, & de summa re ad conditiones æquissimas se descẽsurum diceret. Ergo relicto Theodoto, qui rem bellicam in Syria curaret, ipse Seleuciam hyemem traducturus venit, & militẽ ad hyberna dimisit, nullam curam gerens disciplinæ militaris, quippe qui rem prope confectam putaret, vt qui iam partem Cœlesyriæ & Phœniciæ in potestate haberet, & reliqua deditione, & fœderibus pacisse acceptuurum speraret. Et hic finis fuit rerum hoc anno in Syria gestarum, inter Antigonum & Ptolemaũ, iuxta exactam temporis à Polybio obseruati rationem.

Seleuciã ad hyberna proficiscitur.

VII. *Turbatio Romanorum.* SED iamdudum nos ad se Romana res vocat, quam præ cæteris Polybius l. 3. Liuius 21. tradidere. Sub idem scilicet tempus & legati, qui Carthagine redierant, Romam retulerunt omnia hostilia esse, & Sagunti excidium nunciatũ est: tantusque simul mœror, patres, misericordiaque sociorum indigne peremptorum, & pudor non lati auxilij, & ira in Carthaginenses, metusque de summa rerum cœpit, velut si iam ad portas hostis esset, vt tot vno tempore motibus animi turbati, trepidarent magis, quam consultarent. Liuius. Nihilominus legatos Carthaginem properare iubent, qui Annibalem, eiusque socios fœdera violatores, dedi Romanis iubeant, alioqui bellum denuncient.

Legatos iterũ mittunt in Africam.

VIII. *Hi frustra disputarunt, circa fœdera.* CARTHAGINE iniquis auribus auditi legati, varijsque tergiuersationibus fœdus Asdrubalis eleuatum est. Siculo fœderi stari volebant, quo nihil de Hispania, aut Sagunto agi contendebant. Verum & illo tenebantur, quo diserte cauebatur, vt vtriusque populi Socij, ab vtroque populo tuti essent: & Asdrubalico præterea, quo vterque populus consenserat, vt Carthaginenses belli causa Iberum amnẽ non transirent. Itaque hac parte iniuste bellum hoc à Pœnis conflatum est, & Sagunti euersione inchoatum. Sin belli causam statuas ademptam Sardiniam, & pecuniam simul extortam: iuste bellum contra Romanos susceptum est à Carthaginensibus, vlciscentibus iniuriam sibi aduersis suis temporibus illatam. Hæc fuse Polyb. qui postremo addit, Legatorum natu maximum sinum ijs qui aderant collectum ostendisse, dixisseque, hic & bellum vobis, & pacem portamus vtrum placuerit sumere promam. Excipit Rex Carthaginensium, vtrum visum illis foret promerent; cum dixisset Romanus, bellum se prompturum. Accipere se à pluribus succlamatum. Itaque conuentus solutus est. Hæc Polyb.

IX. *Mittunt in Hispaniam, Galliamque.* NEC dissimilia Liuius, qui addit legatos in Hispaniam traiecisse, siue vt populos in societatem pellicerent, siue vt à Pœnis auerterent. Sed cum eis obiecta esset Saguntinorum defectio, passim ab Hispanis reiecti, Gallias peragrũt, non meliore successu: quippe iam ab Annibale præoccupati, irrisere Romanos, qui peterent Pœnos transitu prohiberi; vt scilicet bellum in Italos destinatum, in se transferrent. Responsumque est legatis, neque Romanorum in se merita esse, neque Carthaginiensium iniuriam, ob quæ aut pro Romanis, aut aduersus Pœnos arma sumerent. Contra audire se gentis suæ homines in Italia agris finibusque pelli, tributa exinanim, atque alia indigna pati. Eadem in alijs Galliæ concilijs dicta, auditaque, præterquam Massiliæ, antiquis socijs Romanorum. Itaque legati Hispania, Galliaque peragrata, Romam redicee. Liuius.

X. *Annibalis industria, & apparatus ad bellum.* INTEREA prospexit Annibal vt Hispanos hyberna quiete promptiores ad imminentem expeditionem redderet, & Asdrubalem fratrem, quem Hispaniæ præsidem relinquebat, monitis in omnem euentum, magnisque copijs omnis generis instrueret, quas ex ænea tabula Polybius descripsit. Et quo securitati Africæ consuleret Afros milites in Hispaniam, Hispanos in Africam traduxit, & crebris literis subalpinos, cisalpinosque Gallos, à populo Romano toties attritos, sollicitabat, & eis omnia prolixe, ad bellum contra Romanos secum gerendum, offerebat. A quibus cũ læta nuncia accepisset, & de traijciendis Alpibus spem fecissent, probari quoque domi bellum didicisset, exiluit gaudio, exercitumque maxime in Romanos animauit, qui se, ducesque exercitus dedi sibi postulassent. Ergo primo vere copias educit, in quibus erant peditum nonaginta millia, equites ad 12. millia. Eius progressionem copiose prosequitur Polybius. Nos de Romano apparatu Liuium audiamus.

XI. *Romanorum copiæ.* COSS. sortiti iussi prouincias, Cornelius Hispania, Sempronio Africa cum Sicilia euenit. Sex in eum annũ decretæ legiones, & sociorum quantum ipsis videretur, & classis quanta parari posset, 4. & 20. peditum Rom. millia sunt scripta, mille & octingenti equites; sociorum 44. peditum, & 4. equitum millia. Naues 220. quinqueremes, celeres 20. deductæ. Latum inde ad populum, vellent, iuberent, populo Carthaginensi bellum indici: eiusque belli causa supplicatio per vrbem habita, atque adorati dij, vt bene ac fœliciter eueniret, quod bellum populus Rom. iussisset. Docent hæc apertè quanta cum cura ac metu hoc bellum Romani susciperent, quod sibi contra maximas copias & ipsis tribus & 20. annis assiduis bellis duratas, atq; sub clarissimis imperatoribus exercitas gerendum esset.

Magna cura & metu bellum suscipitur a Romanis.

XII. *Annibal in Italiã tendit.* INTEREA Annibal per Hispaniam versus Apenninum iter habebat cum copijs, eum ei per quietem spectum visum est, quod se ipsi in Italiam ducem præbiturum esset, secumque traheret Italiæ vastitatem. Sub Pyrenæum aliquot subegit populos, quibus Hannonem præfecit, assignatis ei 10. millibus peditum, & mille equitibus, vt fauces, quæ Hispanias Gallijs iungunt, in potestate essent. Postquam autem per Pyrenæum saltum exercitus traduci cœptus est, & rumor de longinqua expeditione, & bello Romano manauit, tria millia Carpetanorum peditum iter auerterunt. Quos callidus imperator finxit à se dimissos, ne exemplum serperet malum; & alijs insuper abeundi potestate facta, supra septem hominum millia domum remisit.

Obitur à Gallis transitum. IAM imminebat Galliæ Annibal, cum Galli commouentur, veriti ne qui Hispanos subegerat, etiam sibi vellet inferre seruitutem. Iamque Ruscinonem aduersus eum conuenerant. Verum Annibal, moram magis quam bellum metuens, oratores mittit, colloquitur, hospitem

se Galliæ, non hostem venisse, nec stricturum ante gladiũ, si per Gallos liceat, quam in Italiam venisset. Ad verba blanda, cum & munera accessissent, concessus est Pœnis transitus.

XIII. AVDITVM erat in Italia à Massiliensium legatis Annibalem Iberum transisse, cum Boij sollicitatis Insubribus, quasi iam Alpes superasset, propere defecerunt; maxime quod Colonias nuper circa Padum, Placentiam, & Cremonam in agrũ pattibantur; illa cis Padum, hæc trans eundẽ fluuium condita est, & vtrique vbi sena colonorum millia assignata. Itaque ad arma concurritur, legati de pace à Romanis missi comprehenduntur, aut vt Polybio placet, triumuiri ad agrum metandum missi; quorum vnus erat Consularis C. Lutatius, duo prætorij. L. Manlius Prætor in eos cum exercitu missus, inconsulte se in insidias, & loca confragosa syluarum semel iterumque præcipitauit: vnde non nisi cum multa suorum cæde elapsus, in apertos campos euasit, octingentos quippe milites, & sex signa dicitur amisisse, donec Cannetum vicum, Tanetum Polyb. vocat, propinquum Pado contendere vbi se ad tempus, aduersus crescentem in dies hostium multitudinem, tutabantur. Sed misso ad eum Roma nouo quinque millium sociorum. C. Atilio Prætore duce, cum vna legione Romana subsidio, hostes diffugerunt.

XIV. INEVNTE vere Coss. classe in suas prouincias proficiscũtur, Sempronius cum 160. nauibus lõgis in Africam, quam adiunctu Siciliæ copijs se occupaturum sperabat. P. Cornelius ea vrbe cum 60 longis nauibus, præter oram Hetruriæ Ligurumque, & inde Sallyum, quos hodie Prouincisles vocant, mox peruenit Massiliam, & ad proximum ostium Rhodani castra locat. Vixdum satis credens Annibalem superasse Pyrenæos mõtes; quẽ de Rhodani quoque transitu agitare animaduertit, incertus quonam ei loco occurreret, necdum satis refectis à maritima iactatione militibus. Delectos interim trecentos equites ducibus Massiliensibus, & auxiliaribus Gallis, ad explorãda omnia præmittit. Eadẽ ferè Polyb. ex quo sine dubio Liuius, tam hæc quam omnia sequentia: Liuium tamen sequimur ducem, eumque ex Polyb. & reliquis locupletamus. Pergit ergo. At Annibal in Volcanum agrum peruenerat, quos cupidos exonerandi fines suos tot militaribus copijs, & insuper donis pellectos ad contrahenda, conficiendaque nauigia ad traiectum idonea adduxit.

XV. SED cum hostis ex aduerso Rhodani appareret, omnẽque ripam equis virisque obtineret, Annibal Hannonem Amilcaris filium, (siue Bomilcaris Polybio. Zonaras habet Magonem fratrem Annibalis) præmittit ad eos auertendos. Nam prima vigilia noctis, iubet eum cũ parte copiarũ, ducibus Gallis, diei vnius iter aduerso flumine nauigare, & idoneo loco quam occultissimè traijcere. Polyb. tertia nocte profectos tradit, & non nauigasse, sed propter fluuium iter habuisse, ad quinque & 20 millia progressos, ad locum quendã vbi diuisus fluuius insulam effecit, idq; probabilius. Nã nauigatio aduersi fluminis operosissima erat, & minime necessaria. Ibi aũt ex proximis syluis compactis ratibus, tuto Rhodanum nemine obsistente trãsmiserũt. Id vbi factum, excitato fumo dant signũ Annibali se traiecisse, & haud procul abesse. Quod vbi accepit Annibal ne tempori deesset, dat signum ad traijciendum.

XVI. Id dum fit magno vtrimque clamore agitur, his vim fluminis & hostium perrumpere satagentibus; illis è terra telis hostem exscensionem facere prohibentibus, & ritu patrio, scuta super capita cũ vociferatione quatientibus. Sed ecce terribilior à tergo exoritur clamor, castris ab Hannone captis, ipsoque imminente cum suis. Cum ergo è nauibus immensa vis armatorum in terram euaderet, & à tergo improuisa premeret acies, trepidi Galli huc illucque diffugientes, liberum traiectum Annibalis copijs omnibus præbuere. Quo tempore excogitatum illud est, vt equos nantes è puppibus lemborum traherent, quos ex vtroque latere ternos quaternosque vnus homo ductabat, itaque factum, vt primo traiectu multi statim transmissi fuerint. Maior in traiectione elephantorum labor fuit, de quibus pluribus Liuius.

DVM Elephanti 7. & 30. vt Polibius ait traijciuntur, Annibal Numidas equites quingentos ad castra Romana miserat speculatum: qui cum in trecentos illos, quos diximus à Cornelio missos, incidissent, prælium atrocius quam pro numero committitur, & præter multa vulnera, cædes prope par vtrimque fuit; fuga Numidarum Romanis iam admodum fessis victoriam dedit. Victores ad 160. nec omnes Romani, sed pars Gallorum: victi amplius ducenti ceciderunt. De victis eadem Polyb. de victoribus, 140. tantum cecidisse tradit. Hoc principium simulque omen belli, vt summæ rerum prosperum euentum, ita haud sanè incruentam, ancipitisque certaminis victoriam Romanis portendit. XVII.

Re ita gesta, ad vtrunque ducem sui redierunt. Et erat in animo Cornelio totis copijs pugnare contra Annibalẽ, si quam illæ pugnæ occasionem præberet. Verum is cum Boiorum legatorum consilio, integras vires in Italiam transferre mallet, aduerso itinere Lugdunum vsque peruenit, vbi Rhodano Arar immergitur. Ibi cum dissidentes de imperio fratres cõciliasset, ad traiectum Alpium instructus est; verum improbato vt videtur illo transitu, meridiẽ versus Druentiam vsque deflexit.

P. CORNELIVS cum Annibalem ad pugnandum se consequi non posse animaduertit, maximam copiarum partẽ Cn. Cornelio fratri suo tradit, quem in Hispaniam mittit, siue ad tutandos veteres socios, nouosque conciliandos, siue ad pellendum Hispania Hasdrubalem; præsertim cum illa prouincia sorte ipsi obuenisset, vt ipse mox in oratione quam ad milites suos habuit iuxta Ticinum aperte significat. Ipse cum reliquis copijs ad occursum Annibalis ex Alpibus descendentis se comparat, Genuamque repetit, eo qui circa Padum erat exercitu Italiam defensurus. XVIII.

Annibal vero per immensos labores, ac pericula, iacturamque hominum & iumẽtorum, quinto decimo die Alpes superauit, quinto mense ex quo Carthagine noua discesserat. Eadem vere quæ Liuius de temporis mora in itinere transituque consumptis, de grauissimis difficultatibus, ac damnis, in superandis Alpibus ab Annibale exantlatis habet Polyb. quem tamen permirum est ea paulo superiore sermone vehementer eleuasse, ac facilitatem etiã propriæ inspectionis testimonio cõfirmare voluisse. Quin idem ipse fatetur à trãsitu Rhodani, vsque ad exitum Alpium, de 38. peditum millibus, equitum octo & amplius, dimidium ferme amisisse, superantibus tantum 20. peditũ, & sex equitum millibus. Cornelius quidem in oratione prædicta ait Annibalem duas partes exercitus sui equitum, peditumque in transitu Alpium amisisse. Sed agnoscenda est hyperbole ad milites animandos. Orosius tamẽ præter antiquorum sententiam, & probabilitatem ait Annibalem nono demum die à Pyrenæis ad Alpes peruenisse, vbi dum Montanos Gallos, repellere ab ascensu obnitentes bello superat, atque inuias rupes igni ferroq; rescindit quatriduum commoratus, quinta demum die cum maximo labore ad plana peruenit. At vel circa rupem illã quatriduum fuisse consumptum, deijciendis immanibus arboribus & strue conficienda inflammandaque rupe ardẽtibusque saxis infusu aceto putrefaciendis, autor est Titus Liuius, quod tamen à Polybio non accepit.

XIX. AD reficiendum exercitum statiua iuxta Taurinos habuit. Cornelius cum Pisas nauibus venisset, properabat cũ Pœnis illuuie, frigore, fame, labore vehemẽter attritis pugnare: acceptoque à Manlio Attilioque prætoribus tyrone exercitu, & à nouis ignominijs trepido, Placentiam venit. Id nimirum est quod Annibal in augendis suorum animis mox vsurpauit. *Pugnabitis, inquit, cum exercitu tyrone, hac ipsa æstate cæso, victo, circumcesso à Gallis, ignoto adhuc duci suo, ignorantique ducem, &c.* Sed iam ex statiuis mouerat Annibal, & caput gentis Taurinorum, quia volens in amicitiã non veniebat, triduo expugnarat, iunxissetq; sibi nõ metu solum, sed etiam voluntate Gallos accolas Padi, ni eos circumspectantes defectionis tempus, subitò aduentus Cõsulis oppressisset. Polyb.

XX. IAM prope in conspectu erant exercitus, cõuenerantq; duce

duces, vterque alterius admiratione imbutus. Annibal Scipionem hoc ipso magni faciebat, & præstantem virum credebat, quod aduersum se dux potissimum lectus esset, & relictus in Gallia, obuius esset in Italiam transgresso: Scipio Annibalem conatu tam audaci traijciendarum Alpium, & effectu, egregium Imperatorem credebat. Occupauit Scipio Padum traijcere, & ad Ticinum amnem motis castris, suos egregia oratione ad fortitudinem animauit. Annibal gladiatorum aliquot paribus ex Alpium incolis datis, suos eo spectaculo ad pugnam primo exacuit: adiecit etiam orationem, promissa, iuramenta; sicque suorum alacritate ac pugnæ desiderio repleuit: cum vice versa Romani etiam prodigijs territi essent, quæ omnia præterquam de prodigijs, habet ferè Polybius.

Scipio cum equitatu, & iaculatoribus expeditis, ad speculanda hostium castra profectus, obuius fit Annibali, & ipsi cum equitibus ad exploranda loca profecto; neutri alteros primo cernebant, densior deinde puluis signum propinquantium hostium fuit.

XXI. Pugna spe[illegible]

Constitit vtrimque agmen, & prælio sese expediebant; Scipio iaculatores, & Gallos equites in fronte locat, Romanos, sociorumque quod roboris fuit, in subsidijs. Annibal frenatos equites in medium accipit, cornua Numidis firmat. Vixdum clamore sublato iaculatores fugere, inter subsidia ad secundam aciem, quam etiam turbauere.

Consulem [illegible]

Anceps aliquandiu certamen fuit, donec Numidæ, qui in cornibus erant, circumuecti paululum, à tergo se ostendere. Auxit timorem Consulis vulnus, quem morti vel seruus, vel vt alijs placet, is filius tum primum pubescens eripuit, cui confecti huius belli laus Africani peperit nomen. Id magis placet Floro, Orosio, & Zonaræ, quorum illi iuuenem prætextatum dicunt, hic septemdecim annorum. Idem etiam Liuio probatur, & Polybio l. 10. qui rem fusius etiam tradit, additque Publium patrem insperata salute potitum, primum omnium filium suum saluatorem salutasse cunctis audientibus.

XXII. Romani [illegible]

Ergo proxima nocte vasa Romani silentio collegere, & ponte, quo Ticinum amnem iunxerant, Placentiam prius peruenere, quam satis sciret Annibal à Ticino profectos.

[illegible] Gallorum defectio.

Annibal aliquot diebus traiecto Pado, Placentiam versus contendit, & instructa acie pugnæ potestatem Romanis fecit. Insequenti nocte tumultus in castris Romanorum exortus est, duobus Gallorum millibus cum ducentis equitibus ad Annibalem deficientibus. Quos Pœnus benigne allocutus, & promissis ingentibus oneratos ad suos sollicitandos dimisit. His addit Polyb. Boios cum reliquis venisse, & ad Annibalem tres illustres viros, quos Roma agris diuidendis missos comprehenderant, deduxisse. Annibalem autem ijs redditis monuisse, vt illos, ad recipiendos obsides suos conseruarent. Scipio reliquorum etiam Gallorum defectionem veritus, quamuis grauis adhuc vulnere erat, nocte insequenti quarta vigilia tacito agmine ad Trebiam fluuium profectus est. Vbi castra communijt, dum Collegam ex Sicilia re bene gesta ad præsentia pericula à Senatu reuocatum, præstolatur.

Scipio ad Trebiam proficiscitur.

XXIII. Annibal Clastidium [illegible] capit.

Annibal cum non procul inde consedisset, quinque millium interuallo, vt ait Polyb. & penuria commeatus laboraret, Clastidio vico, in quem magnum numerum frumenti Romani congesserant, vim parat, sed proditionis spe facta, modica pecunia ei locus à præfecto præsidij traditur: in captiuos, vt fama clementiæ colligeretur, nihil sæuitum est, sed abducti captiui.

Res à Sem[illegible] classe [illegible] Gemina classis Punica.

Cæterum quod ad Sempronium Consulis collegam attinet. Dum Annibal Italiam peteret, Carthagine gemina classis emissa est: altera 20. nauium ad vastandam Italiæ oram, eaque tempestate disiecta, ab Hierone Syracusano rege, Messanam magna ex parte captiua deducta est. Captiui docuerunt imminere alteram classem 35. nauium, ad Lilybæum occupandum, & veteres socios sollicitandos. Ijs cognitis Hiero Romanum prætorem certiorem de re tota facit. Romani omni ope Lilybæum communiunt, & ad prælium se comparant. Adueniunt Pœni, & quia secum imparatis rem habituros crediderant, non magno labore vincuntur. 7. Punicæ naues extemplo circumuentæ, & in ijs 1700. viri, fugam reliquæ cepetunt: classis Romana portum incolumis repetijt. Interea Messanam Sempronius appulit, vbi ab Hierone, qui operam suam huic quoque bello prolixe deferebat, didicit quæ priori classi contigerant, & cum vterque Lilybæum petijt, de altera quoque victoria fit certior. Ergo Syracusas Hiero cum classe Regia, Consul Melitã, quæ Punico præsidio tenebatur, adijt, eamque insulam cum oppido dedutione recipit.

Gemina classis Punica afflicta. Ope Hieronis [illegible]

XXIV. Venit [illegible] Sempronius

Refertant Siciliam elliteræ à Senatu redduntur, de traiectu Annibalis in Italiam, cum mandatis de ope Collegæ quam primum ferenda. Ergo copias omnes, quæ in Sicilia in potestate populi Ro. erant, tripertito diuidit; partem vnam Æmylio prætori attribuit, ad tuendam Siciliã: alteram Sex. Pomponio legato, ad prædones Afros, ex ora Italiæ summouendos: tertiam, quæ erat longe maxima, Ariminum in superum mare nauibus præmittit, quo ipse quoque mox cum decem nauibus appulit. Transijsse per vrbem tradit Polyb. ac bonam spem victoriæ Romanis attulisse, qui priorem calamitatem defectioni, & proditioni Gallorum tribuebant. Inde cum exercitu suo profectus ad Trebiam flumen, Collegæ coniungitur. Cornelius trahi rem malebat; recentia animi alter, eoque ferocior, nullam dilationem patiebatur.

XXV. Pœnus Gallos [illegible]

Pœnus iniquo ferebat animo Gallos, per ambiguum fauorem, grauiam victoris spectare, à quibus se accitum ad eos liberandos dictitabat. Ob eam iram, simul vt præda militem aleret, duo millia peditum, & mille equites, aliosque ad eorum agros ad ripam vsque Padi populandos misit. Galli ad Consules confugiunt, quorum Cornelius cunctabatur, Sempronius contra feruebat, id quippe maximum vinculum, socijs in fide continendis, esse arbitrabatur. Itaque equitatum suum cum mille iaculatoribus, ad defendendum Gallicum agrum, trans Trebiam mittit. Ij sparsos, & incompositos, & oneratos præda plerosque, cũ inopinantes inuasissent, ingentem terrorem, cædem, ac fugam ad castra vsque, stationesque hostium fecere. Polyb. eadem habet, vt facile eius historiam in Liuio agnoscas.

Vastatores à Romanis male mulctantur.

XXVI. Sempronius prælium [illegible]

Sempronius autem exultare gaudio, & reliqua omnia persimilia futura opinatus, Collegæ cunctationem carpebat; quem etiam propinquum tempus comitiorum stimulabat, ne in nouos Consules bellum differretur, & occasio in se vnum vertendæ gloriæ, dum æger collega erat. Itaque nequidquã dissentiente Cornelio, parati ad propinquum certamen milites iubet: idque vel maxime cupiebat Annibal, rebusque suis cõducere intelligebat, dum miles hostium esset tyro; dum meliorem ex ducibus inutilem vulnus faceret, & alterum ingenio feroci ac præcipiti, & læto successu ferociorem, in fraudem facilius esset inducere; dũ Gallorum animi vigerent, quos difficilius longius ab domo traherentur. Eadem Polyb. fuse.

Et ipse Annibal.

XXVII. Eoque parat insidias.

Itaque cum à speculatoribus didicisset, Romanos quoque optare, ac parare certamen, locum ad insidias idoneum circumspectat, in quo mille equites, totidemque pedites Magoni fratri committit, qui pugnantem hostem ex improuiso adorirentur, & scissum integri debilitent. Tum mature cibo refici omnem exercitum iubet, & Numidas equites, Trebiam flumen transgressos, obequitare hostium portis, iaculandoque in stationes, elicere ad pugnam hostem.

Sempronij imprudentia.

Sempronius ad tumultum Numidarum, primum oẽm equitatum, ferox ea parte virium, deinde sex millia peditum, postremo omnes copias ad destinatum locum auidus pugnæ eduxit: sed dum refugiẽtes Numidas insequũtur, in aquas niuali tumidas præfugidas, pectoribus tenus ieiuni ingrediuntur, egrediunturque rigido corpore, vixq; ad tenenda arma idoneo; cum suos per otium curaret Annibal, qui peditum habuit ad 20. millia, equites plures decem millibus. Erant autem Romani pedites ad sexdecim millia, socij ad millia viginti: equites ad 4. millia.

.XXVIII. Annibalis ad Trebiam victoria.

Ergo venitur ad certamen, longe dispari alacritate ac robore armisq; certantiũ: nec diu anceps pugna fuit, præ-

lestini superuenientibus à tergo, qui in insidijs diu latuerant; cædes & fuga vndique facta, decem millia mediam aciem impetu facto perrupere, & Placentiam se recepere, alij repentes castra fluctibus hausti, alij oppressi hostibus cæsi, alij equis & elephantis protriti, & contrucidati sunt, finem insequendi hostis flumen attulit. Neque admodum ipsi Annibali fuit læta victoria, Elephanti omnes aut vulneribus aut frigore, vno excepto periere, vt ait Polyb. & ex eo Zonar. præter ingentem eum aliorum, tum maxime Gallorum, qui perfide defecerunt, cædem. At Liuius etiam ad transitum Apennini multos reseruat elephantos. Nam ibi septem tradit absumptos. Insequente nocte Cornelius Cos. reliquias exercitus Placentiam, inde Cremonam perduxit: quæ duæ erant coloniæ hoc ipso anno deductæ aut perfectæ, vt ex 3. Polybij constat. Is addit Sempronium, etsi cladis magnitudinem non ignoraret, misisse tamen qui nunciarent, conflictu habito hyemem sibi victoriam de manibus eripuisse; at res tota mox patefacta est.

XXIX. *Roma turbatur.* ROMAM tantus terror ex hac clade perlatus est, vt iam ad vrbem crederent hostem esse venturum; Territis Sempronius Consul aduenit, ingenti periculo; per effusos passim ad prædandum hostium equites, audacia magis quam consilio, transgressus. Id quod vnum maxime in præsentia desiderabatur, comitijs Consularibus habitis, in hyberna rediit. Polyb. cum tempus hybernæ conuersionis adesset. Hæc maxima ex parte Liuius l. 21. & Polyb. & ex vtroque Plutarchus in Annibale, si tamen Plutarchus. Vterque autem his postremis verbis, & luculentius paulò ante, ex niue & frigore brumali temporis, quo pugnatum est ad Trebiam, satis docent non sub æstatem, sed sub hyemen Consules, eo saltem anno fuisse creatos, qui etiam tardius Consulatum inierunt. Fuit autem hic annus sabbaticus apud Hebræos ordine centesimus septuagesimus nonus.

οὔσης δὲ τῆς ὥρας περὶ χειμερινὰς τροπάς.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3836.

1. N. vt. ETsi Scaliger in Euseb. an. 1797. per eclipses Solis & Lunæ, belli tertij ab hinc anni, in præsentem trahere frustra nitatur, quem tota series narrationis Polybij erroris conuincit. vt sequentia perspicue à Polybio notata docebunt. Nam passim initia annorum vere ineunte notat, hyeme finem. Errat autem in primis quod ait Polibiū dicere Attalum Gallo græcos ineunte vere post Lunæ defectionem dimisisse. Cum Polybius ostendat id non ante adultam æstatem, aut etiam autumnum contigisse. Ait enim, eo tempore, quo Achæus erat in expeditione contra Selgenses occupatus (id autem fuit eadem æstate, qua Antiochus Iudæam oppidatim sub potestatem suam redigebat, vt patet ex eodem Polyb. l. 5. p. 415.) Attalum Gallos per vrbes Æolidis secum ductasse, & plurimas earum partim vi, partim deditione accepisse: quæ ibi longa narratione pertexuntur, tum demum, cum super Megistum amnem castra posuisset, Lunam defecisse, cum Galli molestias itineris ægrè iampridem ferentes, quod Lunæ acciderat loco ostentus habentes, negarunt vltra se progressuros. Hæc ibi. Ergo cum hæc expeditio æstate inchoata sit, imo legatio pro ea postulanda missa sit. quomodo potuit eclipsis Lunæ, quæ contigit post tantum itineris emensum, tot vrbes occupatas, ineunte verè, aut 25. Februarij contigisse? Cum igitur super hanc basim extruat diuinationem temporis nulli cogniti, vt ipse ait, quomodo non omnia corruant necesse est? Cæterum res plane puerilis hominem, qui vir summus audiebat, induxit in fraudem. Vidit vno in loco l. 5. fieri mentionem veris ineuntis, paulo vero ante eclipsim memorari, eclipsim veris præuiam arripuit, puta 25. Februarij: nec animaduertit ea duo ad diuersos annos pertinere.

ANNVS MVNDI 3837. SEXTÆ ÆTATIS 321. Imperij Græcorum 95. Antiochi Magni 8. Simon. Pont. 16. Ptolemæi Philopatoris 4. Philippi 4. Olymp. CXL. An. 4. Vrb. Cond. 536. Coss. Cn. Seruilio Gemino, & C. Flaminio II. cui suffectus est M. Atilius Regulus. Secundi belli Punici 2.

ANNVS ANTE CHRISTVM 216.

I. *Bellum Antiochi in Aegyptios.* TAM DIV Ptolemæi legati tempus altercationibus, & crebro aditu redituque extraxerunt, dum bellicus eius apparatus, qui Alexandriæ diligenti ducum exercitatione hyemem traduxerat, paratus esset ad prælium: maximam autem vtrisque difficultatem afferebat Achæi negotium. Nam Ptolemæus, aut eius nomine Sosybius, summo id studio agebat, vt fœderibus comprehenderetur. Antiochus contra nullā omnino eius mentionē fieri patiebatur, rē indignā esse clamans, quod Ptolemæus rebelles protegeret. Cū ergo nihil de pace transigeretur, Antiochus ineunte iā vere copias contraxit, habens in animo reliquam Syriam terra marique inuadere, sibique subijcere, & progrediens ad Ptolemæum loca nonnulla occupauit.

PTOLEMÆVS summam totius bellicæ rei Nicolao Ætolo, viro egregio cōmittit, is Perigene Nauarcho eximio vtebatur, qui cataphractas naues, siue tectas habebat 30. onerarias ad quadringentas, quibus cōmeatus rerum omnium Gazam affatim conuehebat, cum copijs pedestribus atque maritimis. Nicolaus faucibus ad Platanum Phœniciæ vrbem occupatis, etiam angustum ad Libanum tramitem, quà is vergit in mare, valido præsidio ac munitione obsedit, alia item loca, quibus vlterius in Syriam progredi Antiochus poterat. II. *Belli apparatus Ptolemæi.*

Antiochus tripertito exercitum diuisit, partem vnam Theodoro, qui ad eum anno superiore defecerat, commisit, eumque montem Libanum occupare iussit; alteram Menedemo, cui etiam atque etiam imperauit, vt Nicolaū, qui in angustissimo, munitissimoque cliuo consederat, inde deturbaret; tertiam ad res mari gerendas reseruauit. Ipse inter omnes medius, cum prætoria sua cohorte stetit, quasi testis omnium, quæ gererentur futurus, & vt quæque pars laboraret opem laturus. Diognetus quoque & Perigenes nauales copias in prælium direxerant, terræ quantum poterant proximi, vt terrestris naualisque aciei vnica facies appareret. *Et Antiochi.*

DATO ad pugnam signo vndique concurritur, & in mari quidem certamen æquabatur. In terra Nicolaus à principio superior erat, loci natura vehementer adiutus. At cum Theodotus, qui deiecto præsidio in superiora mōtis euaserat; è superiore loco in eum impetum faceret, in effusam fugam se Nicolaus dedit, in qua ad duo millia perierunt; nec pauciores viui sunt capti; reliqui Sidonem cōfugerunt. Classis præfectus Perigenes cladem terrestrem animaduertens, & ipse Sidonem recessit. Quam vrbem vt munitissimā Antiochus obsidere noluit, sed classe Tyri appulsa, ipse Mediterranea Iudææ peragrat, Philateriam ad lacum Tiberiadis, indeque Scythopolim ad Iordanem deditione accepit, Bethsameam vocat Iosephus, & in tribu Manassis ponit.[a] Inde bonæ spei plenus, montibus superatis Atabyrium in colle situm adijt, quem esse montem Thabor in Galilæa, Christi transfiguratione gloriosum, omnes consentiunt; ad cuius summum verticem ait Polib. quindecim stadia numerantur. Eum locum Antiochus insidijs occupauit; dum oppidani incautè progressi Antiochenses persequuntur, & in medio hostium deprehensi sunt, eamque vrbem præsidio firmauit, & ex itinere Pellā, Camum, Gephrum deditione accepit: de quibus consule Adrichomium, sed Gephrus ignota manet. III. *Antiochus terra mariq. vincit.* *Iudæam peragrat.* *a Vide Adrichō. Manasse n. 13.* *Mons Thabor.*

Eodem ex tempore duo Præfecti Ptolemæi, Hippolochus, & Ceræas, cum magna manu ad Antiochum defecerunt. Hic fœlix rerum successus adiacentis Arabiæ populos mouit, vt cohortationibus mutuis incitati, communibus suffragijs se illi omnes adiungerent. Qua noua spe auctus rex, in Galatidem deuenit, eaque potitus, Abilam cum omnibus qui ei auxilio venerant, in potestatem redegit. Supererat Gadara, quam licet munitissimam ita operibus terruit, vt deditionem faceret. Rabath Ammonitarum diutius restitit, & euersis magna ex parte muris impulsu machinarum, non cessit, donec fugitiuus quispiam subterraneum meatum ostendit, per quem obsessi aquabantur; quo obstructo oppidani deditionem fecerūt. Vrbe potitus Antiochus præsidiū in ea imposuit sub cura Nicharchi, Hippolochum & Cheræam cum 5. millibus prouinciæ Samariæ præesse iussit, & omnes, qui eius imperium agnoscerent, tutari. IV. *Ad eū multi deferunt.* *Multæ vrbes subiiciuntur.* *Rabath Ammonitarum.*

Antiochus Ptolemaide hyemat. *a l. 3. pag. 1. b l. 12. c. 5.*

IPSA Ptolemaidem versus castra mouit, illic hybernaturus. Pugna autem contra Ptolemæum sequenti vere contigit, teste Polyb. a quæ omnia mirum est à Iosepho penitus fuisse prætermissa. Cum enim b Seleuci Cerauni obitum memorasset, & quidem post regni septennium, quod, vt alibi diximus, vix triennium fuit, ei fratrem successisse ait Antiochum cognomento Epiphanem, aut potius Magnum. Nam Antiochus Epiphanes, tertius ab Antiocho magno Syriæ & Asiæ rex fuit. Sed errat quoque in Ptolemæo Epiphane, cum hoc tempore regnaret Philopator. Cum ergo hæc cursim libasset, ad Antiochum Iudæorum crudelem vexatorem saltu peruenit. Interea Achæus non exiguos in Asia progressus fecit, contraque Attalum Pergamenum bellum gessit, qui Gallos Lunæ defectu territos dimisit; qua de re præcedenti anno contra Scaligerum actum est.

Achæus in Asia progressus.

VI. PORRO in Italia ne hyberna quidem, vt ait Liuius, Romanis quieta erant, vagantibus passim Numidis equitibus, alijsque Annibalicis; quo fiebat vt omnes commeatus clausi essent, nisi quos Pado naues subueherent. Emporium prope Placentiam fuit, & opere & præsidio munitum; quod cum ex insperato inuadere vellet Annibal, nocte cum equitibus ac leui armatura profectus, non fefellit vigiles: tantusque repente clamor est sublatus, vt Placentiæ quoque audiretur. Itaque sub lucem cum equitatu Consul affuit (nondum enim noui Consules magistratū inierant) iussis quadrato agmine legionibus sequi. Equestre prælium interim commissum est, in quo Annibal saucius è pugna eductus, reliquis timoré iniecit, & præsidium conseruatum est.

Annibal in hybernis Romanos fatigat.

VII. MOX autem ad Emporium Victumuias oppugnandum progressus, ad triginta quinque hominum millia, qui ei armati occurrerant, ipse cum paucis fudit, & deditione mox facta, præsidio intra mœnia posito, armis spoliat oppidanos, oppidum quasi vi captum, militi diripiendum præbet: & omnis crudelitatis, libidinis, & inhumanæ superbiæ exemplū in miseros edit. Nec multo post tempore, ad prima ac dubia signa veris, ex hybernis in Hetruriam ducit, eam quoque gentem aut vi sibi, aut voluntate adiuncturus. Transeuntem autem Apenninum adeo atrox tempestas adorta est, vt Alpium fœditatem prope superauerit. Ibi cum immani ventorum procella cum imbribus & tonitruum fragore, cum frigore, glacie, grandine, nimbus, depugnatum est; adeo vt neque progredi, neque subsistere, neque animam reciprocare possent. Cumque castra ponere illo ipso in loco cogerentur, neque explicare quidquam, nec statuere poterant, nec quod statutum esset manebat, omnia perscindente vento & rapiente. Biduum eo loco velut obsessi mansere, multi homines, multa iumenta, elephanti quoque ex ijs, qui prælio ad Trebiam superfuerant septem absumpti.

Victumuias deditam crudeliter tractat. *Hetruriam petit.* *Apenninum frustra tentat.*

VIII. ERGO digressus Apennino retro Placentiam mouet, & ad decem millia progressus, consedit. Postero die duodecim millia peditum, quinq; equitum aduersus hostem ducit: nec Sempronius, qui iam Roma redierat, detrectat certamen; vario euentu pugnatum est. Primo concursu adeo res Romana superior fuit, vt non acie vincerent solum, sed perculsos hostes in castra persequerentur: mox castra quoque oppugnarent ad defatigationem vsque.

Iterum cum Sempronio pugnat.

Id nimirum expectabat Annibal. Cum enim desperata expugnatione castrorum, receptui caneretur, extemplo equitibus dextra læuaque emissis in hostem, ipse cum peditum robore de castris erupit: pugna raro vlla magis læua; & cum vtriusque partis pernicie clarior fuisset, nisi tenebris dirempta esset: fere pari vtrimque clade discessum est, ab vtraq; parte plus sexcentis peditibus, & dimidium eius equitum cecidit; sed maior Romanis quam pro numero iactura fuit, quia equestris ordinis aliquot, & tribuni militum quinque, & præfecti sociorum tres sunt interfecti. Secundum eam pugnam Annibal in Ligures, Sempronius Lucam concessit.

Ambigua victoria.

IX. DVM hæc in Italia geruntur, Cn. Scipio in Hispaniam cum classe & exercitu missus, cum ab ostio Rhodani profectus, Pyrenæosque montes circumuectus, Emporiis appulisset classem, (id oppidum est Hispaniæ Tarraconensis, quod Ptolemæus inter Clodianum fluuium ab ortu, & Sambrocam alterum fluuium ab occasu collocat,) exposito ibi exercitu, orsus à Lacetanis, omnem oram vsque ad Iberum flumen, partim renouandis societatibus, partim nouis instituendis Romanæ ditionis fecit; conciliataque fama clementiæ, etiam validas auxiliorum cohortes ex mediterraneis collegit. Hanno priusquam alienarentur omnia occurrendum ratus, exercitum ad conspectum hostium in aciem eduxit, non inuito Scipione, qui contra singulos duces, quam coniunctos pugnare malebat. Pugnatum est, victus est Hanno, imo & captus cum castris suis, sex hostium millia cæsa, duo millia capta, & Stissum propinquum castris oppidum expugnatum. Vilis ea præda fuit, sed castra militem ditauere, non eius modo exercitus, qui victus erat; sed & eius qui cum Annibale militabat, qui omnia fere chara transitu Pyrenæi, ne impedimento essent longinquo itineri, illic dimiserat. Eadem habet Polyb. l. 3. Inde autem variè contra Asdrubalem decertatū est, nullaque re admodum memorabili edita, Tarraconem in hyberna rediit. Vberius rem Polybius, & ex eo Liuius suggerent.

Scipio felix dementia Hispaniam. *Cum Hannone feliciter pugnat.* *Κίσσαν vocat Polyb. l. 3.* *Et cum Asdrubale variè.*

X. AT Romæ eadem hyeme multa circa vrbem edita prodigia, aut certe nunciata, & temere credita, quæ recenset Liuius; quibus imminentia mala indicari videbantur, ijsq; multis supplicationibus, ac votis occursum est. Sed homines quoque ea sibi sponte accersiere. Nam Consulum designatorum alter Flaminius, cui eæ legiones, quæ Placentiæ hybernabant sorte euenerant, edictum & literas ad Consulem misit, vt is exercitus Idibus Martiis Arimini esset in castris. Huic in prouincia Consulatum inire consilium erat, memori veterum certaminum cum patribus, quæ tribunus plebis, & quæ postea Consul, prius de consulatu, qui abrogabatur, deinde triumpho habuerat: qua de re sexto ab hinc anno, in primo eius consulatu dictum est. Inuisus etiam Senatui ob legem Q. Claudij, quam suaserat, qua Senatoribus quæstus omnis eripiebatur; quæ suasio vt inuidiam Senatus, ita fauorem populi, & alterum Consulatum ei peperit.

Prodigia Romæ. *Flaminius Romæ vitentus.*

XI. OB hoc ratus auspiciis ementiendis, Latinarumque feriarum mora, & alijs impedimentis, se vrbe retentum iri, simulato itinere priuatus clam in prouinciam abijt. Ea res vbi palam facta est, nouam iram Senatus mouit, quasi non cum patribus modo, sed cum dijs etiam immortalibus Flaminius bellum gereret. Consulem ante inauspicato factum, reuocantibus ex ipsa acie dijs atque hominibus, non paruisse; & nunc conscientia præteritorum, & Capitolium, & solennem votorum nuncupationem fugisse; lixæ in modum, sine insignibus, sine lictoribus profectum, clam, furtim, haud aliter, quam si exilij causa solum vertisset. Retrahendum vniuersi reuocandumque censuerunt, & cogendum omnibus prius præsentem in deos, hominesque fungi officiis, quam ad exercitum, & in prouinciam iret. Missi legati nihilo magis eum mouerunt, quā priore cōsulatu literæ mouerant à Senatu missæ.

Clam prouinciam adit. *Cum ira Senatum.* *Qui frustra eum reuocat.*

XII. PAVCOS post dies magistratum iniit, immolantique ei vitulus iam ictus è manibus sacrificantium cum profugisset, multos cruore respersit, idque à plerisque in omen magni terroris acceptum. Congeruntur, & augentur hæc à Liuio prodigia, vsque ad fastidium, quæ Polybio aut ignota, aut contempta, certe prætermissa sunt: eo autem pertinent, vt contemptor rerum sacrarum, & autoritatis Senatus meritus eam cladem videatur, quam mox in hoc ipso Consulatu pertulit. Legionibus inde duabus à Sempronio ex consule, totidem a C. Atilio ex prætore acceptis, in Hetruriam, per Apennini tramites peruenit Arretium. Addit Polyb. l. 3. Coss. auxilia sociorum conscripsisse, commeatus partim Ariminum, partim in Hetruriam conuexisse, ab Hierone Syracusano rege Cretenses quingentos, & cetratos mille accepisse. Moxque vere apperente Flaminium per Hetruriam itinere facto, Arretium peruenisse. Cn. Seruilium Ariminum, vt illo aditu hostem prohiberet, contendisse. Cæterum quæ de Flaminij peruicacia tradit Liuius, omnia à Polybio prætermittuntur.

Inter magistratum, auspicia terrifica. *Auxilia Hieronis.*

XIII. *Annibal à Gallis petitur & seruat.*

INTEREA prodigia Romæ ingeminantur; Seruilius Idibus Martiis consulatum init, cum omni ritu solemni, cumque de more ad Senatum de Repub. retulisset, redintegrata in Flaminium inuidia est. Annibal eum frustra prius Apenninum transgredi conatus esset, tunc denique vere appetente ex hybernis mouit, maturius etiam quam alioqui erat facturus, insidijs & perfidia Gallorum incitatus, quorum in finibus, dum vterque exercitus hyberna transigeret, ab vtroque afflictus, in Annibalem iram conuertebat. Petitus sæpe, ait Liuius l. 22. principum insidiis, ipsorumque inter se fraude, eadem leuitate qua consenserant, consensum indicantium, seruatus erat: & mutando nunc vestem, nunc tegumenta capitis, errore etiam sese ab insidijs munierat. Alludit sane ad Polybium, qui l. 3. *Cum leuitatem Gallorum*, inquit, *reformidaret, metueretq́, ne vita sua insidiarentur, vtpote recens contracto inter ipsos amicitiæ vsu, capillamenta conquisiuit omnium ætatum formis conuenientia, quæ notabilem differentiam hominis afferunt. His sic vtebatur, vt alia aliis subinde mutaret. Cum capillamenta autem, & vestes congruas cuique coram capiebat, vt non solum à quibus repente esset visus cum ignorarent, sed ipsi quoque familiares ægre agnoscerent.*

Vide Liu. à l. 21 ad v. 347

XIV. *Transit Apenninum.*

IS cum toto exercitu, Afris, & Hispanis præeuntibus, Gallis sequentibus, extremum agmen equitibus claudentibus, per palustria loca quatriduum, & tres noctes luctatus est, cum aquis, & limo, cum vigilia atq; inedia, nocturno insuper humore, & verna intemperie, palustrique cælo grauante caput, cum medendi nec locus, nec tempus esset, altero oculo captus est: quæ pluribus habet Liuius, sed totidem prope verbis à Polybio mutuatus est. Multis hominibus iumentisque fœde amissis, cum tandem de paludibus emersisset, vbi primum in sicco potuit, castra locauit, statimq; locorum naturam, ingenium ducis, consilia hostium indagare studiose cœpit: quem cum studiosum pugnæ didicisset, etiam vltro prouocare cœpit, late regionẽ ferro flammaque populando. Eam contumeliam sibi fieri ratus Flaminius, suis nequicquam hortantibus, hostem, ab effusa prædandi licentia, leuioribus excursionibus prohibere, de summa rei non prius decernere, quam Collega Seruilius aduenisset, vt maiori consilio viribusque res gereretur, & monita neglexit & prodigia. Nam cũ increpans ocyus signa conuelli iussisset, & ipse in equum insiluisset, equus repente corruit, consulemque lapsum super caput effudit; simulque territis omnibus nunciatur, signum omni vi molente signifero conuelli non posse. Conuersus ad nuncium, num literas quoque, inquit, à Senatu affers, quæ me rem gerere vetent? Abi, nuncia signũ effodiant, si ad conuellendum manus præ metu obtorpuerunt. Hęc quoque omnia aliunde quam à Polybio habet T. Liuius, reliqua vero plane ab ipso.

Pugnam affectat.

Flaminij temeritas.

XV. *Annibal vẽ ad lacum Thrasymenum trahit.*

INDE incedere agmen cœpit, alijs prodigio gemino territis, alijs ferocia ducis lætantibus. Eos quoque ad sese populatione, omniq; vastatione trahebat Annibal, ad Thrasymenum vsque lacum, insidijs aptissimum, vbi montes Cortonenses Thrasymenus subit: via tantum interest perangusta, velut ad idipsum de industria relicto spatio, deinde paulo latior patescit campus, inde colles assurgunt. Ibi castra in aperto locat, vbi ipse cum Afris modo, Hispanisque consideret; Baleares, cæteramque leuem armaturam, post montes circunducit, equites ad ipsas fauces saltus, tumulis apte tegentibus locat, vt postquam intrassent Romani, obiecto equitatu, clausa omnia lacu ac montibus essent. Eo se temere Flaminius inexploratis locis coniecit; ratus nihil hostium adesse, quam quod à fronte conspexisset. Accessit & orta cum luce ex lacu nebula, quæ in imis locis densior, imminentium hostium, imo & commilitonum eripiebat aspectum.

XVI. *Pugna, & clades ad Thrasymenũ.*

POSTQVAM vbi clausum lacu montibusque, & circumfusum suis copijs habuit hostem, signum omnibus dat inuadendi, illi pariter vndique irruunt, vt omnibus ex locis petiti, neque satis cohortandi milites, neque nec ordines instituendi, vix etiam arma expediendi facultatem haberent. Pugnatum est à Romanis, vt in ipsa rerum desperatione acerrime, viam ferro aperire, aut fortiter mori satagentibus; & quidem trium horarum spatio, tanta contentione ardoreq; animorũ, vt eum terrę motum, qui magnas vrbium partes prostrauit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit. Consul Flaminius dum egregie pugnat, omnemq; in partem, qua suos maxime laborare cernebat, auxilij gratia irruit, ex armis & facie agnitus, ab Insubro equite lancea transfixus occubuit; eum Rempublicam Romanam in summum discrimen, contumaci temeritate sua adduxisset: simulque debito Romæ dedecori, supplicioq; ereptus est. Quamuis autem de culpa Consulis minime dubitandum videatur, ea tamẽ odio secutæ cladis amplificata, non temere credi potest.

MAGNÆ partis fuga inde primum cœpit, vt nec lacus, nec montes, nec consterti hostes eam reprimerent. Sex millia ferme primi agminis, per aduersos hostes eruptione facta, ex saltu euasere; & cum in tumulo quodam constitissent, quæ in caligine gerebantur ignorabant, donec sole nebulã dissipante, rem Romanam perditam apparuit; statimque raptis signis quam citissimo agmine se inde proripiunt. Postero die cum super cætera extrema fames etiam instaret: fidem dante Maharbale, qui cum toto equitatu nocte consecutus erat, si arma tradidissent, abire cum singulis vestimentis passurum, sese dediderunt: sed omnes ab Annibale in vincula, Punica fide coniecti sunt; è quibus qui Latini nominis erant, sine pretio dimisit: quid autem Romanis factum sit, & quæ fuerit causa discriminis, paulo post ostendam.

XVII. *Fuga eruptio & cædes.*

HÆC est nobilis ad Thrasymenum pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades. Quindecim millia Romanorum in acie cæsa sunt, decem millia sparsa per omnem Hetruriam, fuga Romam diuersis itineribus petiere. Mille & quingenti hostium in acie, maiori ex parte Galli, vt inquit Polybius, qui & de numero quindecim millium consentit, licet Eutropius habeat 25. millia, si manuscriptis credi placet, potius quam editis libris. Certe Valerius l. 1. c. 7. quod est de prodigijs, ait in hac acie quindecim millia Rom. cæsa, 6. millia capta, 10. millia fugata: multi postea vtrimque ex vulneribus periere. Romæ qui metus, quæ lamenta, nuncio tantæ cladis excitata fuerint, facilius est æstimare, quam dicere; illis periculum publicum, his priuata damna cogitantibus.

XVIII. *Clades magnitudo & numerus.*

SED ecce alia repens ingruit, & mox nunciatur clades. Seruilius Consul quatuor millia equitum, cum C. Centronio Proprætore, mittebat ad Collegam. Qui audita clade aliò auerterunt iter, sed ab Annibale circumuenti sunt. Ita Liuius. Polybius autem. *Annibal*, inquit, *vt significatum est ei post pugnam, aduentare Romanorum subsidium, Maharbalem cum hastatis, & parte equitatus obuiam progredi iussit. Hi prælio cum Centronio commisso dimidiatam fere partem Romanorum conciderunt, reliquos in tumulum quendam compulerunt, ac postera die viuos ceperunt*, sicq; vulnus vulneri additum, non solum Romanorum dolorem amplificabat, sed desperationem propemodum, non vulgo tantum, sed ipsi quoque Senatui afferebat.

XIX. *Noua Romanorũ clades.*

DENIQVE ad remedium iam diu desideratum, nec adhibitũ, ad Dictatorem dicendũ ciuitas confugit. Et quoniam consulum alter aberat, alter occubuerat, nec iter ad consulem tutum erat, Pœnis late Italiam occupantibus, nec populus Dictatorem creare poterat, placuit ab eo Prodictatorem creari. Significat hoc loco Polybius omissa maiorum magistratuum comitia, vt maior potestas Dictatoria crearetur. Is fuit Q. Fabius Maximus, cognomento Cunctator, & Mag. equitum M. Minutius. Quibus negotium ab Senatu datum, vt muros, turresq; vrbis firmarent, præsidia disponerent, pontes fluminum rescinderent, vrbẽ denique tuerentur, quando Italiam nequiuissent. Paulo post Cn. Seruilius Coss. ad tutandam vrbem iter intendit.

XX. *Romæ Fabius Prodictator.* p. 247.

Q. Fabius postquam ceremonijs multam operam dedit, decretum est à Senatu, vt à Cneio Seruilio consule exercitum acciperet: scriberet præterea ex ciuibus socijsque quantum equitum ac peditum videretur, cætera omnia ageret, faceretque, vt è Republica duceret.

PHILIPPVS Macedonum rex Argis Nemeos ludos spectabat, quando aduenit è Macedonia tabellarius, nun-

XXI. *Romana bella Macedonum.*

ciaus

ciana victos ab Annibale Romanos in Hetruria, pugna memorabili, & Annibalem, quæcumque extra munitiones essent, obtinere. Eam rex epistolam confestim Demetrio Phario, qui ad eum confugerat victus, & quidem vni ostendit, monuitque, vt rem sileret; qui oblata occasione vtens, author Philippo esse cœpit, vt bellum contra Ætolos quam primum abijceret. Res Illyricas aggrederetur, & de traiectione in Italiam, imperioque adipiscendo serio cogitaret: occasionem ea tanta Romanorum clade accipiendam esse. Id ille Regi, & iuueni, & prosperis adhuc fortunæ flatibus vtenti, & Macedoni, id est, successori eorum, qui orbis imperium fere tenuerant, facile persuasit. At is non intellexit se regno, filiisque aditum ad interitum quærere, qui matrite potuerat, exemplo Pyrrhi erudiri. Hæc fuerunt semina belli Macedonici cum Romanis iuxta Polyb. qui tamen vno anno communē consulum chronologiam antecedit, dum ait hanc pugnam, & nuncia & pacem cum Ætolis anno 3 huius Olymp. contigisse, quem nos quartum facimus, cum Onufrio, Cuspiano, Temporario, Caluisio, alijs. Idque continuata rerum series exigit.

Ex Polyb. l. 5. p. 419. vide Iustin. l. 29.

XXII. *[illegible] ob Annibale [illegible]* ANNIBAL interim recto itinere Spoletum venit, vnde magna cum suorum cæde repulsus, in agrum Picenum omnium rerum copia abundantem auertit iter, vbi per dies aliquot statiua reficiendo militi habuit. Inde prædæ, ac populationibus operam dedit. Addit Polybius, Annibalem in eo itinere ingentem hominum numerum occidisse. Quemadmodum enim in capiendis vrbibus fieri solet, tunc præceperat, vt omnes obuios, qui ætate militari forent, obtruncarent: adeo alte erat insitum in animo Annibalis odium Romanorum. Eodem etiam tempore cum ad mare superum esset, literas de rebus à se gestis Carthaginem misit: quo nuncio exhilarati Carthaginenses, omni studio enitebantur omnia necessaria exercitibus, qui rem in Italia atque Hispania gerebant, subministrare.

Scribit Carthaginem.

XXIII. *Fabius contra Annibalem [illegible].* FABIVS duas legiones exercitui Seruiliano adiecit, (quatuor nouas legiones conscriptas habet Polybius) immunita loca quibus iter hostis faceret, deseri, commeatum vel transferri, vel cum tectis igne corrumpi iubet. Ipse via Flaminia profectus, cum obuiam Consuli, exercituique fieret, Consuli viatorem misit, qui nunciaret, vt sine lictoribus ad Dictatorem veniret. Qui cum dicto paruisset, congressus eorum ingentem speciem Dictatoriæ maiestatis ciuibus, sociisque præbuit. Inde accepto exercitu ad hostem duxit, itineribus summa cum cura exploratis, certus nullo se loco, nisi vrgente necessitate, fortunæ committere. Consulem autem terrestri militia solutum, Romam cū comitatu dimisit, dato ei mandato, vt si quid mari Carthaginenses mouerent, quo res vocaret, opem afferret. Polybius.

XXIV. *Cum [illegible]* PŒNVS vice versa, statim atque Romanus affuit, milites educere, pugnæ copiam facere, insultare, & prudentiam Dictatoris magis quam vim timere, animum eius agitando, ac mouendo crebro castra tentare, agris sociorum in eius conspectu vrendis extimulare, repente è conspectu abire, & in aliquo viæ flexu occultus subsistere, si quo modo posset incautum hostem excipere. At Fabius per alta loca, & patentia ducebat agmen, modico ab hoste interuallo, vt neque omitteret eum, neque congrederetur, & castris militem, nisi vsus necessario cogeret, contineret, pabulum & ligna nec pauci peterent, nec passim; equitū leuis armaturæ statio composita, instructaque in subitos tumultus, & suo militi tuta omnia præbebat, & effusis hostium popularoribus infesta.

Eius[que] Magister eq. Sed sanis eius consiliis, non tam infestum Annibalem, quam Minucium Magistrum equitūm habuit, hominem ferocem ac præcipitem, qui Dictatorem primo verbis carpere, affingens vicina virtutibus vitia, pro cunctatore segnem, pro cauto timidum compellabat.

XXV. *Fabius assectatur Annibalem pugnā frustra optantem. Indignante Minucio.* INTEREA Annibal alia ex aliis loca populando mutabat, assectante semper Dictatore. Quæ causa fuit, vt cum iri Campaniam ille veniret, Fabius per iuga Massici montis exercitum duceret. Cumque ad extrema ventum est montis, & Falerni agri, & Sinuessæ villæ Punico incendio flagrare in oculis Romanorum cœpere, tum demum indignati Minucius, & pugnam atroci oratione postulare concionabundus, eaque fidem apud Tribunos, equitesque inueniebat; adeo, vt si militum suffragij res foret, Minucium Fabio prælaturi viderentur. Eædem querelæ Romani peruaserant, vt Fabij cunctatio non minus in vrbe, quam in castris malè audiret. Obstinatus tamen eodem consiliorum tenore æstatu reliquum extraxit, vt Annibal, amissa spe summi cum Fabio certaminis, locum transigendæ hyemis circumspiceret, & priura hyberna repetere cogitaret. Ea res cum ad Fabium perlata esset, angustias per quas Falernum agrum intrauerat, occupare studuit, & eandem viam, reducendo per montes exercitu, remetiri.

XXVI. *Mancinus cum suis à Pœnis cæditur.* CVMQVE L. Hostilium Mancinum explorandi gratia, cum quadringentis sociorum equitibus dimisisset, ille temere, & præter Dictatoris voluntatem cum hoste congressus, cum suis interijt: angustias autem Annibal prætergressus est, in occursu octingentis suorum amissis, cum strategemate duûm millium boum ignes cornibus ferentium, Romanos nocturno spectaculo territos, ex angustiis depulisset. *Qua fraude transit angustias.* Inde pergit assectari Annibalem Fabius, donec sacrorum causa Romam est reuocatus: siue id verum, siue simulatum fuit, vt Magister equitum eo absente res gereret, quas perdere Fabius quiescendo, plerisque, etiam Romæ videbatur. *Fabius Romā reuocatur.* Abiens autem non imperio modo, sed consilio etiam, ac prope precibus agit cum Magistro equitum, vt consilio potius, quam fortunæ confidat, & se potius, quam ducem, quam Semproniuin, Flaminiumque imitetur, qui Romanam rem, tam hoc quam superiore anno, temeritate pugnandi prope perdiderant.

XXVII. *[illegible]* PRINCIPIO æstatis, qua hæc gerebantur, in Hispania quoque, terra, marique cœptum est bellum, & feliciter à Cneio Scipione gestum; nam mari ad ostia fluminis Iberi aduentu repentino classem Punicā oppresserat, vt prius pene quam pugnare inciperet, vinceretur; vt ait Liuius, repugnante Polybio, qui prouisum vtrimque, & præparatum ait certamen, in eo autem consentit, vt de triginta nauibus, ad quinque & viginti religatæ puppibus in altum extraherentur, & Romanus vnica pugna toto eius oræ mari potiretur.

Terra quoque [illegible] In terra quoque Honoscam vrbem vi ceperat, captamque diripuerat, Carthaginis nouæ agrum populatus, tecta muro portisque coniuncta incenderat, Ebusum summo labore oppugnarat, magnamque prædam in naues coëgerat, Mandonium rebellantem fregerat. Suessi quoque Romanorum Celtiberi, tria oppida Pœnis addicta vi expugnarant, duobus præliis Asdrubalē superauerant, quindecim hostium millibus cæsis, quatuor millibus, cum multis signis militaribus captis.

XXVIII. *P. Scipio fratri Cneo iungitur.* CVM P. Scipio in Prouinciam venit, prorogato post consulatum imperio, à Senatu missus, cum triginta longis nauibus, cum octo millibus militum, magnoq; commeatu. Ea classis cum magna ciuium, sociorum lætitia portum Tarraconis ex alto tenuit. Inde fratrum arma animisque coniuncti, & dum Asdrubal bello cum Celtiberis occupatur, Romani duce Iberum transgressi, Acedaeis arte, obsides Hispanorum, quos Sagunti habebat Asdrubal, receperunt, quod vnum pignus inclinatos ad Romanam societatem Hispaniæ populos morabatur, ne sanguine liberorum suorum culpa defectionis lueretur: quos cum suis Scipio reddidisset, ingentis clementiæ ac liberalitatis laude affectus est. Itaque ingenti consensu ad defectionem spectare omnes: armaq; exemplo mora forent, ni hiems, quæ Romanos quoque & Carthaginenses concedere in tecta coëgit, interuenisset.

XXIX. *Annibal Fabio [illegible].* PER absentiam porro Fabii Annibal ad augendam Fabij inuidiam, cum cæterum popularetur agrum, à fundo Fabij, quem perfugi aliqui ostenderant, penitus abstinuit, vt occulti alicuius pacti ea merces videri posset. Sed eum ille agrum misso Romam filio vendidit, pretium 247 Romanis captiuis redimendis impendit, datis in singula militum capita, duabus argenti libris cum semisse. Idque merito in maximam Fabij laudem versum est, dum

& va-

& vafrum hostis artificium elusit, & eximiam prodidit in suos charitatem, Annibalis vero circa eosdem captiuos odium. Cum enim præteritam hyemem in Gallia Cisalpina duceret, Romanos in prælijs nuper captos in vinculis habebat, modicéque illis necessaria ministrabat: sociis vero illorum, qui in eadem causa erant, postquam omnem humanitatem exhibuisset, in vnum coactis dixit, se in Italiam venisse, non vt cum ipsis, sed vt pro ipsis contra Romanos bellum gereret: se in hac expeditione id spectare, vt Italicis hominibus libertatem restitueret, deinde vt singulos eorum, in recuperandis vrbibus atque agris, quos Romani ipsis eripuissent, adiuuaret. Hęc locutus, sine pretio cunctos, domum quisq; suam remisit, vt & hoc pacto Italiæ populos sibi adiungeret, & à Romanis alienaret. Hæc Polybius. Quod ad Romanos autem captiuos attinet, tradit Liuius conuenta primo bello Punico de permutatione captiuorum, hoc quoque bello viguisse, vt scilicet corpora corporibus mutarentur, quod superesset, duabus libris argēti, & semilibra redimeretur, quo precio Fabius de suo 247. ciues redemit.

Caius sibi conciliat.

XXX. *Victoria Minucij.* E o absente Minucius exercitum è montibus in plana deduxit, & cum Annibale non infeliciter pugnauit, sex quippe hostium millia cæsa, quinque admodum Romanorum. Tamen in tam pari prope clade, fama egregiæ victoriæ, cum vanioribus literis Magistri equitum, Romam perlata est, perfectumque, annitente M. Metello Tribuno plebis, & C. Terentio Varrone, non admodum, pro ingenita lenitate, repugnante Fabio, vt ius Minucij Magistri equitum, cum iure Dictatoris æquaretur, & C. Flaminio demortuo, M. Attilius Regulus sufficeretur. Fabius in exercitum proficiscitur, & qua animi grauitate criminantes se ad multitudinem inimicos tulerat, eadem & populi in se sæuientis iniuriam tulit. Fasces cum Minucio, legionesque diuisit, dataque prima & quarta legione socio, sibi secundam, tertiamque retinuit; item equites pari numero, sociorumque auxilia diuisit; castra denique ipsa separauit duodecim stadiorum interuallo.

XXXI. *Minucius summū adit discrimen.* N E C multo post, tota re cognita lętus Annibal, Minucium ad certamen, dispositis idoneo loco insidiis, allectat. In ipsa pugna cum circumfusi Romani ab hoste, & animo ad pugnam, & sp.. ad fugam destituti essent, nihilque facto propius esset, quam vt ad vnum omnes misere cōciderentur, Fabiana se acies, velut repente cœlo dimissa, ostendit, quę Minucij milites excepit, animauit, suis adiunxit, aciem restaurauit. Sed Annibal receptui cani iussit, dicens ab se Minucium, se à Fabio victum: eamque nubem, quæ tamdiu sederet in iugis montium, solicitatā procella, tandem imbrem dedisse. Hic vero Minutius casu factus prudentior, non solum gratias seruati exercitus Fabio egit, sed potestate abdicata, se totumque exercitum in Dictatoris, quem patrem prædicabat, arbitrio esse voluit: Fabio maxima gloria in exercitu, Romæ, atque apud ipsos Pœnos conciliata est.

A Fabio liberatur.

XXXII. *Abit Fab. magistratu in manu Coss.* Is tamen Seruilium & Regulum consules, literis ad se acciuit, vt exercitum ab se, iam prope semestri exacto imperio acciperent. Eo accepto, cum iam autumnus adesset, hybernaculis mature communitis, Fabij artibus, cum summa inter se concordia, bellū gesserunt; adeoq; inopia presserunt Annibalem, vt nisi tum fugæ speciem abeundo timuisset, Galliam repetiturus fuerit, nulla relicta spe alendi exercitus in eis locis, si iisdem artibus insequentes Consules bellū gererent. Hæc paulo aliter habet Polybius: prius enim creatos nouos consules tradit, quam Dictatores abirent magistratu; proximos autem consules pro consulari potestate exercitum contra Annibalem administrasse: nec de Annibalis penuria quidquam; neque mirum. Eum enim infinitam frumenti vim collegisse, duabus exercitus sui partibus, perpetuo frumentalibus, & Geryone ad horrea congregantibus, paulo ante tradiderat.

XXXIII. *Romani donā sua pro... non accipiunt.* E O D E M tempore Neapolitani quadraginta pateras aureas magni ponderis, subleuandi ærarij gratiam Romā miserunt: gratiæ à Senatu actæ de munificentia, vnica, quę minimi erat ponderis accepta. Sequenti quoque anno ait Liuius, legatos à Pesto pateras aureas Romam attulisse: quibus gratiæ quoque actæ fuerunt, aurum non acceptum: etsi adeo pecuniæ inopes erant, vt argenteū nummum prius impermistum & purum, æri ad misto adulterarent, vt Zonaras tradit. Ne scilicet Roma rerum domina alieno ære indiguisse, & aliquid inferiori debere, & beneficium accepisse videretur. Nam, vt commode dixit M. Tullius, qui se locupletes, honoratos, & beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt: quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, cum acceperint: æque etiam à se aut postulari, aut expectari aliquid suspicantur; patrocinio vero se vsos, & clientes appellari mortis instar putāt. Et hæc quidem de hoc anno Liuius. Nam Consulum creandorum contentiosa comitia ad sequentem annum pertinent. Nec tamen illud omittendum videtur, legatos à Senatu ad Philippum Macedonum regem missos, ad deposcendū Demetrium Pharium, qui bello victus ad eum fugisset, vt ait Liuius, l. 22. Quam tamen legationem fateor, tamdiu dilatam mihi non videri. Nam tertius hic annus est, ex quo victus ad Philippum confugerat.

1. Off. n. 70.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3837.

H I C artifex fraudis, qui ad Romanos transire decreuerat, quorū res meliore loco esse animaduertebat, & defectionē suam illustri facinore commendare, Polybio Abiryx vocatur, non Acedux vt Liuio. In reliqua tota historia egregie consentiunt, vt alterum ab altero, aut vtrumque à tertio aliquo mutuatum facile agnoscas. *1 N. XXVIII*

Quæ efficiunt 28. francos cum dimidio, assignatis solidis 55. in singulas vncias, vt hactenus numerauimus. Ea summa si per 247. multiplicetur, efficies viginti millia trecentos, & septuaginta septē francos, cum dimidio, vel aureos 6792. & dimid. *2. N. XXIX.*

ANNVS MVNDI 3838. SEXTÆ ÆTATIS 322. Imperij Græcorum 96. Antiochi Magni 9. Simonis Pontificis 17. Ptolemæi Philopatoris 5. Philippi Macedonis 5. Olympiadis CXLI. An. 1. Vrbis cond. 537. Coss. L. Aemyl. Paulo II. & C. Varrone. Secundi Punici Belli 3.

ANNVS ANTE CHRISTVM 215.

C A D I T in hunc annum Olympiadicum, in quo Dorotheus Rhodius victor fuit, pugna illa inter Antiochum Magnum, & Philopatorem quam Daniel sub nominibus regum Austri & Aquilonis tanto ante prędixerat. *Et prouocatus*, inquit, *Rex Austri egredietur, & pugnabit aduersus regem Aquilonis, & præparabit multitudinem nimiam, & dabitur multitudo in manu eius. Et capiet multitudinem, & exaltabitur cor eius, & deijciet multa millia, sed non preualebit.* Hæc Propheta, cui interpretem dabimus non solum autorem tertij libri Machabæorum, qui apud Græcos habetur, sed Polybium ipsum, qui rem totam lib. 5. accurate persequitur.

I. Apparatus pugnæ inter Antiochū & Philopatorem. Dan. 11. 11. 12. 3. Machab.

Ineunte vere, inquit, Antiochus & Ptolemæus, præparatis rebus omnibus, in eo iam erant, vt expeditionem susceptam prælio terminarent. Ptolemæus igitur peditum septuaginta millia, equitum quinq;, bestias tres & septuaginta millia, equitum quinque, bestias tres & septuaginta secum trahens, Alexandria mouet. Antiochus cognito hostem aduentare, & ipse copias suas in vnum coēgit. Cuius summa erat, peditum duo & 70. millia, equitum sex; Elephanti duo supra centum: quarum omnium copiarū duces sigillatim recenset idem Polyb. pergit autem.

II. *Philopator ad hostem progreditur.* P T O L E M Æ V S Pelusium profectus, in ea primum vrbe castra posuit. Ibi assumptis qui à tergo sequebantur, postquam frumentum exercitui mensus est, Gazam venit, ibique parte exercitus assumpta; leniter vt ante processit. Quintis castris quo destinauerat, peruenit, ibique stadia quinquaginta ab Oppido Raphia signa cōstituit. Hæc vrbs Cœlesyriam ex Ægypto petenti, post Rhinocoruram prima omnium è Syriacis occurrit; scilicet è mediterraneis iuxta Ptolemæi tabulas, etsi eam maritimam faciat Adrichomius, secutus Iosephum, nimirum propter non magnam à mari distantiam.

Fundere aduersus Antiochum.

Per eosdem dies eodem Antiochus cum exercitu venit, qui vrbem Raphiam prætervectus decem ferme stadia ab hoste locum castris nocte cepit: deinde etiam propius ad quinque stadia accessit, vt animos suis adderet, & meliore loco castra poneret: ex quo pleræque velitationes, & concertationes ortæ.

III. *Audax Theodoti facinus.*

THEODOTVS Ætolus, qui à Ptolemæo defecerat, eiusque mores ac vitæ consuetudinem norat, antequam illucesceret, ignotus, insigni audacia, finem bello sine certamine impositurus si posset, Regia Ptolemæi castra penetrauit, eumq; in tabernaculo suo quæsiuit ad mortem. Verum casus, aut diuina potius prouidentia, quæ Regibus adest, tulit, vt alibi cubaret: pro eo igitur duobus vulneratis, & Andrea Archiatro occiso, incolumis ad castra rediit. Ita Polyb. l. 5. At autor l. 3. Machab. habet Theodotum facinoris ducem habuisse quendam Dositheum, genere Iudæum, qui postea à Iudaica religione defecerit, qui Regis loco ignobilem quendam decumbere fecerat in tabernaculo Regis, quem contigit eius loco interfici.

IV. *Pugna sufcipitur.*

POST dies quinq; visum est regibus prælio decernere. Instructis vtrinq; copiis vterque rex amicis, ac ducibus comitatus, aciei frontem obequitans, suos hortabatur, præmiaq; promittebat. A Ptolemæo quidē Andromachus, ac Sosibius cum Arsinoë ipsius sorore, ab Antiocho vero Theodotus, & Nicarchus, suos monendo, rogandoq; secundas agebant. Regia equitum turma classicum cecinit, prima elephantorū pugna fuit, qui inter se proboscide ac dentibus, sicut è turribus magistri sarissis acriter decertabant: sed ea paucorū Elephantorum pugna fuit. Nam Libyci Asianos atq; Indicos ferre nō possunt, qui notem certamant inuicem de more compleai, dentibus commissis quanta maxima vi pollebant, in eodem vestigio connitebantur, de statione dimicantes, donec victor tandem alter euaderet, & alterius proboscidem impulsu suo dimoueret, vbi vero semel inclinatæ bestiæ latus patebat, eum dentibus, vt tauri cornibus, vulnera inferebant.

Elephantorum proelia.

V. *Victoria in Antiochum inclinat.*

CVM ergo consternatæ Ptolemæi belluæ, quę sinistrum cornu Antiocho oppositū protegebant, Indicos elephantos metuentes in fugam auertetentur, & militum ordines, quos tutari debebāt, perturbarent, Antiochus magno impetu in turbatos irruit, omniq; ex parte in fugā compulit, rebus ita ex Antiochi sententia succedentibus, ait Author 3. Machab. Ptolemæi soror Arsinoë obambulans exercitum, crinibus solutis cū eiulatione & lachrymis hortabatur, vt sibi ipsis, & filiis, & vxoribus suis animose ferrent opem, promittens daturam se vincentibus, cuique duas minas. 1. At Ægyptiorum cornu alterum cum metū belluarum suarum videret, duce Phoxida Græcorum mercenario, eductis longo agmine equitibus, aduersus hostes qui tecti Elephantis erant, eorum latera ac terga inuadit, & extra periculum à bestiarum incursu pugnans, imprudentem Antiochi equitatum auertit, sicque dextrum cornu Antiochi vincebat, sinistrum vincebatur. Interim Ptolemæus, qui ad phalangem in media acie se receperat, vbi in vtriusq; exercitus conspectū venit, suis alacritatem addidit, pauorem inimicis, qui & fusi fugatique sunt.

I. *e.g.* *Macquit in Ptolemæum*

VI. *Qui & prælio vincuntur.*

ANTIOCHVS, qui ex cornu in quo erat victoria, totius exercitus victoriam æstimabat, hostem pergebat insequi, donec à Seniorum aliquo monitus respicere, quid in media acie ageretur, quisque esset ille puluis, qui è media acie in castra ipsius ferebatur, eo cum prætorianis accurrit, sed vbi omnes suos fugæ se mandasse comperit, etiam ipse Raphiam concessit, eo se consolans, quod sua parte vicisset, licet vniuersa dimicatione victus esset.

Ptolemæus in castris, quasi victor ea nocte mansit: postridie vero eius diei, sublatis suorum corporibus, humatisque, inimicorum autem spoliatis, mouet signa & Rhaphiam ducit; Antiochus prima luce reliquiis exercitus eductis, Gazam contendit, desideratis è suis fere decem millibus peditum, equitum amplius trecentis; viui supra 4. millia capti sunt. Elephanti in conflictu periere tres, è vulneribus postea duo. E Ptolemaicis occisi feruntur pedites 1500. equites septingenti. Ex elephantis 16. sunt trucidati, reliquorum pars magna capti.

ANTIOCHVS sepultis suis, cum reliquiis copiis Antiochiam reuersus est. Ptolemæus & Raphiam, & reliquas vrbes recepit tanta celeritate, vt certamen inter eas esset, quæ alteram hoc officij genere anteuerteret. Ita omnes mortales præsenti principum fauorum fortunæ se facile accommodant, nec illorum, sed sua ipsorum commoda fere sectantur.

VII. *Dissimulat contra regem.*

Antiochus quoque veritus ne aduersa pugna subditos à se alienaret, præsertim cum Achæum haberet in suo imperio tyrannum, de pace legatos ad Ptolemæum misit, & inducias in annum impetrauit. Is quippe Cœlesyriam recuperasse contentus, quietis amans, ad vitia sibi familiaria festinabat. Ergo firmando fœderi Sosibium misit. Ipse vero tres menses in Syria, ac Phœnicia commoratus, ad componendum singularum ciuitatum statum, mox omnibus iis relicto Prætore Andromacho Aspendio, cum sorore & amicis, ad repetendam Alexandriam castra mouet, imposito eo fine huic bello, quem subditi, reliquæ eius vitæ, atque institutorum conscij, satis mirari non poterant. Hactenus de hoc bello Polyb.

Antiochus à se alienat homines.

VIII. *Quid Hierosolymis hoc tempore contigerit.*

QVID autem illo trimestri spatio Hierosolymis memorabile contigerit, Autor l. 3. Machab. accurata narratione persecutus est: meminit & Iosephus l. 2. contra Appioné, vt Scaliger quoque notauit sed Physconi tribuit, quę Philopatori conueniunt, vt ex eod. l. 3. clarissimum est, in quo & Philopator crebro, & soror eius Arsinoë, & Pont. Simon, cuius nominis nullus deinceps legitur Pontif. aliįq; memorantur, quæ in aliud tempus quadrare non possunt. Si placet tamen diuersam ab hac historiam à Iosepho tangi, non repugnabo. Rem paucis accipe.

Philopator templū adit.

Cum Syriæ ciuitates intercipiendo Ptolemæo, & victoria gratulanda, donisque et offerendis certarent, ipseque vice versa earum delubra inuiseret, donisque honoraret. Iudæi quoque huic officio minime defuerunt: ea senioribus enim elegerunt, qui ei bene precarētur, offerrent munera, & victoriam gratularentur. Ille vrbis templique visendi desiderio incitatus, Hierosolymam venit, templum adijt, & oblatis Iudaico ritu sacrificijs, sacræ ædis pulchritudinem admiratus, etiam in templi interiora, & Sanctum sanctorum penetrare voluit.

IX. *Iudæorum Oraculū prohibent.*

HIC Iudæi legis prohibitionem opponere, & per tot secula constantem consuetudinē, vt præterquam vni summo præsuli, idque semel in anno, adyta intrare non liceret. Ille nihilominus perstare in sententia, legem contemnere, seipsum reliquis omnibus, qui excluderentur anteferre, & se omnino, sicut & in alia delubrorum prophanorum penetralia, intraturum asseuerare.

Et vrgent contentius sacr. repugnāt.

Hic sacerdotes omnes cum vestibus se in terram abijcere, Deum summa contentione orare, vt imminenti necessitati adesset, & impetum male ruentis reprimeret, templū lachrymis & eiulatu replere: ciuitas tota tumultu misceri, omnes ad templum, sparsis puluere capitibus, conuolare, fœminæ sparso crine, cum infantibus vagitu, atque vlulatu omnibus locis circumsonare. Quidam etiam arma minabantur, & mortem se potius obituros dicebant, quam templum suum contaminari paterentur. At hi à senioribus cohibebantur, qui & regem modis omnibus ab ea voluntate auertere moliebantur: sed ipse quoque tanto magis nitebatur in vetitum, cupiebatq; negata. Interea vero quasi stupens, ad ea quæ fiebant, attendebat.

X. *Pontifice orante Rex turbatur.*

HIC summus Sacerdos Simon, ex aduerso templi flectens genua, & manus extendens, orationē ad Deum contenta voce habuit, ab eo auxilium in præsenti necessitate implorans: qua finita omnium inspector Deus, inquit author, exaudita sancta supplicatione, audacia elatum regē flagellauit, hinc & inde vibrans eum, vt arundinem à vento, ita vt in solo iam immobilis, & membris resolutus, ne fari quidem posset, iusto iudicio implicatus. Quamobrem amici, & corporis eius custodes, ingenti perculsi timore, veriti ne eum vita deficeret, cito illum extraxerunt. Sequenti autem tempore cum se collegisset, nequaquam tametsi diuinitus castigatus, à proposito pœnitens destitit, sed in Ægyptum cum atrocibus in Iudæos minis discessit. Reliqua ad sequentem annum pertinent.

Et discedit in Ægyptum iratus.

XI. Romæ contentiosa fuerant consularia comitia. Æmilius vrbis Prætor ex Senatusconsulto literas ad Consules misit, vt si ijs videretur, alter eorum ad creandos Coss. Romam veniret, se in eam diem, quam iussissent, comitia edicturum. (Ex quo intelligitur non fuisse diem statum & immutabilem, quo oporteret illa celebrari, sed necessitatis rationem habitam fuisse.) Ad hæc à Coss. rescriptum est, sine detrimento Reipublicæ abscedi ab hoste non posse. Itaque per interregem comitia habenda esse potius, quam Consulum alter à bello auocaretur. Accedebant, & itinerum difficultates ne forte ab Annibale interciperetur, si paruum comitatus abiret, aut si multum, tantumdem copias minueret, quas augeri potius oporteret. Visum est Patribus Dictatorem dici comitiorum causa, isque dictus L. Veturius Philo, qui vitio creatus, quartodecimo die se magistratu abdicauit; Res ad interregnum abiit.

XII. Interrege P. Cornelio Asina Consul creatus est C. Terentius Varro, plebi charus, eique popularibus artibus, principumque insectatione conciliatus, patribus summa ope obnitentibus, ne obscuri ac noui homines se insectando sibi æquari assuescerent, & summos honores, mercedem petulantis linguæ, obtinerent. Itaque summos homines ex ordine suo, aliosque plebi alioqui charos competitores obiecit: quos tamen vicit Varro, Bibio Herennio eius cognato, Tribuno plebis annitente, & apud populum Consules, Dictatores, Augures, Patresque omnes calumniis, & malitiosa rerum gestarum interpretatione obruente. Ei Collega datus est L. Æmyl. Paulus, qui cum M. Liuio Salinatore (Liuio enim non Lælio, apud T. Liu. legendum est, vt Glareanus & Sigonius notarunt) Consul triennio ante fuerat. Alij magistratus viris fortibus commissi sunt, qui ante gesserant magistratum: quia in tali tempore nullus nouis hominibus magistratus videbatur mandandus, vt ait Liuius: & tamen præcipuum magistratum Varroni homini nouo non solum, sed etiam temerario ac præcipiti commiserunt; sed eam culpam vniuersa Respublica summa, ac prope vltima calamitate exsoluit.

XIII. De numero armatorum in castris Romanis, varia scribi à diuersis auctor est Liuius, & inter alia. Septem, loquit, & octoginta millia armatorum, & ducentos insuper in castris Romanis, cum pugnatum est ad Cannas, quidam auctores sunt. Illud satis constat maiore conatu, atque impetu rem actam, quam prioribus annis, quia spem posse vinci hostem Dictator præbuerat. Distincte Polybius l. 3. Placuit Romanis octo legionibus rem gerere, quod nunquam antea fecerant, attributis cuique legioni quinis hominum millibus, præter sociorum auxilia. Nam Romani, quod & ante diximus, quatuor quotannis legiones conscribunt: legio autem peditum 4. millia, equites ducentos capit. At quoties maior aliqua necessitas existit, vtrique legioni assignantur quina millia, & equites trecenti. In nominis Latini auxilijs peditum numerum æquant legionibus Romanis, equitum triplo maiorem, vt plurimum constituunt. Sic ibi; ex quo colligitur fuisse 80. millia peditum, equitum 9. millia sexcenta, vel vt alibi, supra 6. millia. Certe paulo post idem Polybius fatetur Romanos, plus quam dimidia parte, hostium numerum superasse.

XIV. Per eosdem dies Hiero copias auxilio misit, cum ingenti commeatu hordei triticique, & in primis signo victoriæ aureo pondo 320. id est, ducentum ac triginta millium aureorum, assignatis centenis aureis singulis auri libris. Addidit & consilium, vt prætor cui Sicilia obuenisset, classem in Africam traijceret, vt & hostes in sua terra bellum haberent, & minus possent auxilia Annibali summittere. Responsum humanissime Hieronis legatis, Victoria Ominis causa accepta, cæteraque quæ ille amantissime gratificatus misisset.

Dum coguntur copiæ, Conciones Varronis Consulis multæ ac feroces fuere, denuntiantes bellum in Italiam accersitum à nobilibus, mansurumque in visceribus Reipublicæ, si plures Fabios Imperatores haberet, se quo die hostem vidisset, profligaturum: vt nihil mirum fuerit tantam superbiam, cum pari coniunctam imperitia, breui in terram abiectam fuisse, atque prostratam.

XV. Monebat hæc publice Collega Æmilius, parum secundis populi auribus; arguit & priuatim Fabius Cunctator, monita salutaria Consuli Æmylio tradendo, de ratione Annibalis debellandi, quem mora ita fregerit, vt deficiente commeatu ei suorum defectio, ac fuga propria imminere videatur: da resistendo collegæ temeritati, & bellomature, non præcipitanter agendo. Ea consul magis vera, quam facilia factu fatebatur. Dictatori Magistrum eq. intolerabilem fuisse; quid consilij aduersus collegam, seditiosum ac temerarium visum, atque autoritatis fore? Se populare incendium priore consulatu semiustum effugisse, optare vt omnia prospere euenirent, at si quid aduersi caderet, hostium se telis potius, quam suffragiis iratorum ciuium caput obiecturum: nec aliter mox fecit, quam ante prædixerat.

Abeuntes Consules sui quique prosecuti, patricij, plebeique. Vt in castra venerunt permixto nouo exercitu cum vetere, Æmyl. consul exercitum bene animare conatus est, ostendens priores clades, ijs ex defectibus esse profectas, quæ ab hoc exercitu abessent. Proconsul Attilius Romam excusata ætate discessit. Cn. Seruilius minoribus castris, nam gemina fieri placuerat, præpositus est. Polybius vtrumque prælio interfuisse scribit, Æmilium enim dextrum cornu tenuisse, læuum Terentium Varronem, mediam aciem, M. & Cn. exconsules, qui proximo anno fuerant imperatores.

XVI. Lætatus est Annibal aduentu consulum, etsi hostem prope duplicatum animaduertebat: cum enim eius exercitus omnium rerum inopia vrgeretur, vix vt 10. dierum frumentum superesset, sperabat oblatum aliquem consulem gloriosum se nactum fore, qui de summa rerum certare acie explicata properaret. Nec minus Terentius Consul, cuius temeritati, ac præpropero ingenio materiam etiam fortuna dedit. Nam in prohibendis prædatoribus tumultuario prælio, ad mille & septingentos Pœnos Romani ceciderant, non plus centum suorum occisis. Maior Pœnorum clades futura videbatur, sed victoribus effuse sequentibus, metu insidiarum obstitit Paulus consul, cuius eo die, nam alternis imperitabant, imperium erat; Varrone indignante ac vociferante, emissum hostem è manibus, &, ni cessatum foret, debellari potuisse. Ita Liuius; quibus non admodum consentanea sunt, quæ habet Polybius.

XVII. Annibal id damnum haud ægerrime tulit, sentiens eo inescatam Consulis ferociosis temeritatem. Itaque insidias parat, ad eas se locum tempusque idoneum nactum sentiens. Noctu castra plena prædarum deserit, milites in circumpositos dextra læuaque colles deducit, & fugæ suspicionem, quantam maximam potest, relinquit; crebros ignes in castris deserit, vt videatur maius spatium fugæ præripere callide voluisse: & opinionem fugæ proxima iactura faciebat. Vbi illuxit agnita solitudo ac nunciata Coss. exercitus ad diripienda castra dimitti cum clamore postulat. Assentitur Varro, resistit Paulus, insidias reformidans, perfecitque vt ad rem explorandam aliqui mitterentur. Missus est M. Statilius cum turma Lucanorum, relatumque deserta esse castra, opes quasi de industria abiectas ad alliciendum hostem, insidias sine dubio circumpositas. Quæ ad detinendos à cupiditate animos nunciata erant, ea accenderunt; & clamore sublato à militibus, nisi signum detur sine ducibus ituros: haud quaquam dux defuit. Nam extemplo Varro signum dedit proficiscendi; sed cum auspicia pullorum non addixissent, Varro metu ac religione retentus est: moxque affuerunt fugitiui, qui circumpositos in insidiis hostes retulerunt. Hæc solus habet Liuius.

XVIII. Annibal nequicquam detecta fraude in castra redijt, & vrgente inopia, mouere inde statuit in calidiora, atque eo maturiora messibus Apuliæ loca; simul vt quo longius ab hoste recessisset, transfugia redderet difficiliora. Profectus est nocte ignibus similiter factis, tabernaculisque paucis in spem relictis; vt insidiarum par priori metus,

Roma-

Romanos contineret; sed veritate profectionis agnita, Consules ad nobilitandas Romana clade Cannas profecti sunt. Prope cum vicum Annibal castra posuerat, auersa vulturno vento, vt puluis suorum terga pugnantium, Romanorum autem ora verberaret: cumque Septemtriones Pœnus, meridiem Romanus aspiceret, futurum etiam erat, vt Romanorum in acie oculos solis fulgor perstringeret. Audi hac de re Florum. *Ibi in exitium infelicis exercitus, dux, terra, cælum, dies, tota denique rerum natura consensit. Siquidem non contentus simulatis transfugis Annibal, qui mox terga pugnantium ceciderunt, insuper callidissimus Imperator patentibus in campis obseruato loci ingenio, quod & sol ibi acerrimus, & plurimus puluis, & Eurus ab oriente semper quasi ad constitutum flaret, ita instruxit aciem, vt Romanis aduersus hac omnia obuersis, secundum cœlum tenens, vento, puluere, sole pugnaret.* Floro consentit Zonaras. Liuius & Polybius videntur negare solis radios pugnantibus obstitisse: quod de initio pugnæ intelligendum est. Nam sole pugnaque procedente necesse est respicientibus meridiem, solis radios habere obuersos, ab ijsque liberum aspectum impediri, nisi cœlum fuerit nubibus obductum.

l. 2. c. 6. Ad Cannas commodissime pugnam parat.

XIX. *Æmilius cunctatur.*

ANNIBAL idoneum nactus locum ad equestrem pugnam, qua parte virium inuictus erat, facturus copiam pugnandi Coss. dirigit aciem, lacessitque Numidarum procursatione hostes.

Consulum alius pugnam ambiebat, alter respuebat, & altercationibus inter se magis, quam consiliis tempus terebant, quod est in omni gubernatione periculosissimum. Ac primo ipso die pugnatum esset, nisi eo die imperium penes Æmylium fuisset.

Varro pugnam parat.

Postero die Varro, nihil consulto collega, signum pugnę proposuit, instructisque copijs flumen Aufidum transiuit, sequente Paulo; quia consilium magis non probare poterat, quam non adiuuare. Instructa est ad pugnam acies, Coss. cornua tenuerunt, Terentius læuum, Æmilius dexterum. Cnæus Seruilius mediam aciem tuebatur. Addit & Attilium Polybius vt dixi, Annibal Gallos, Hispanosq; læuo in cornu, ductore Asdrubale, Numidas equites in dextro constituit, quos regebat Maharbal, mediam aciem Annibal ipse cum fratre Magone tenuit; tota acies 40. millibus peditum, decem equitum constabat. Cui numero Polyb. quoque consentit.

Dispositio vtriusq; aciei.

XX. *Initur prælium, Romanus equestri cedit.*

CLAMORE sublato initum est prælium, equestre certamen antecessit, quo Romani inferiores fuerunt; eo ad finé vergente coorta est peditum grauis armaturę pugna. Romani Punicam aciem impulere, sed cornua coierunt, & mediam conclusere aciem Romanorum, quæ destitit fugaces persequi, quoniam aduersus terga cædentes arma conuertere, necesse fuit iniqua conditione, quod & inclusi aduersus circumfusos, & fessi cum recentibus ac vegetis pugnarent. Accessit & fraus Numidarum, qui transfugio simulato, in mediam aciem accepti, ductique ad vltimos, cum vndique ferueret certamen, ipsi terga Romanorum cædere cœperunt, & poplites succidere. Ergo tumultus, pauor, & fuga vndique fieri cœpta. Hoc stratagema Polybius ignorauit. Circumfusos tamen agnoscit propter incuruam Punicæ aciei dispositionem: etsi duplo fere maiores essent copiæ Romanorum, vt dictum est.

Pedites circumfusi hoste cadunt.

XXI. *Paulus Consul occumbit.*

PAVLVS quamquam primo statim prælio funda grauiter ictus fuerat, tamen & occurrit sæpe cum conferris Annibali, & aliquot locis prælium restituit, protegentibus eum equitibus Rom. Omissis postremo equis, quia Consulem ad regendum equum vires deficiebant, vehemens equitum pedestre prælium fuit, cum mori in vestigio mallent, quam fugere. Pepulerunt tamen nonnullos labore ac vulneribus fessos; inde dissipati omnes sunt, equosque ad fugam, qui poterant, repetebant. Cnęus Lentulus Tribunus mil. cum prætereuehens equo, sedentem in saxo cruore oppletum Consulem vidisset, oblato equo hortatur ad fugam. Ille recusat, & abeuntem monet nunciare Patribus, vt vrbem muniant, se moriturum, ne accusatione Collegæ innocentiam suam protegere cogatur. Mox supernenere hostes, qui ignotum telis obruerunt.

Polybius de Æmylio aliud nihil, quam multis eum vulneribus acceptis, in ipso prælio cecidisse.

XXII. *Magnitudo cladis Cannensis.*

CONSVL alter, cum quinquaginta fere equitibus, Venusiam profugit, septem millia hominum in minora castra, decem in maiora, duo ferme in vicum Cannas; qui extemplo à Cartalone, atque equitibus circumuenti sunt. Illa decem millia prælio interfuisse negat Polyb. sed destinata à principio, vt castra Pœnorum inuaderent, dum reliqui in acie pugnarent; ab ijs tamen nihil perfectum, sed parta victoria ad duo millia cæsos, reliquos in victoris potestatem venisse. Quadraginta millia peditum, duo millia septingenti equites, pari prope ciuium sociorumque numero, cæsi dicuntur: in his alter Consulum, duo præcedentis anni Consules Quæstores duo, vnus & viginti Tribuni mil. consulares quidam, prætorijque, atque ædilitij, octoginta præterea senatores. Capta tria millia peditum, & equites trecenti eo prælio dicuntur. Denique, vt ait Florus, duo maximi exercitus cæsi ad hostium satietatem, donec Annibal diceret militi suo. *Parce ferro*: & mox, *Documenta cladis cruentus aliquandiu Aufidus, pons de cadaueribus iussu ducis factus in torrente Gello, duo modij annulorum Carthaginem missi.* Sed de annulis postea, cum de legatione ab Annibale missa Carthaginem.

Polyb. ad 70. millia.

XXIII. *Superstites è prælio.*

BINIS in castris cum multitudo semiermis sine ducibus esset, nuncium qui maioribus præerant, mittunt, vt nocte hoste quiescente ad se transirent, vno agmine Canusium abituros esse. Ad maiora castra sexcenti euasere, atque inde protinus alio magno agmine adiuncto, Canusium incolumes peruenerunt: quod oppidum 25. stadiis Cannis distare Procopius tradit. Qui fugerant in hac pugna in Siciliam relegati, apud M. Marcellum, Cannensem, aiunt, exercitum quisquam fugæ, aut pauoris insimulare potest? vbi plus quinquaginta millia hominum ceciderunt, vnde Consul cum equitibus 50. fugit, vnde nemo superest, nisi quem hostis cædendo fessus reliquit. Liuius l. 25.

XXIV. *Annibal victoria vti nescit.*

ANNIBALI victori cum cæteri circumfusi gratularentur, suaderentque vt temporis aliquid quieti daret. Contra Maharbal vrget, vt quamprimum Romam petat, fore vt quinto die victor in Capitolio epuletur. Cunctante illo, *Nimirum*, inquit hic, *non omnia dij eidem dedere, vincere scis Annibal, victoria vti nescis.* Mora eius diei saluti imperio Romano fuisse creditur. Eam culpam deinde agnouisse Annibalem, ac crebro cum ea voce deplorasse. *O Cannæ Cannæ*, auror est Zonaras. Postridie lecta spolia, oppugnata minora castra, maturiorque Annibalis spe deditio facta est: pacti vt arma atque equos traderent; in capita Romana trecentis nummis quadrigatis, in socios ducenis, in seruos centenis conuentum est. 2.

Deditio minorum castrorum.

2. σχ.

XXV. *Qui transfugium cum captiuis.*

CONVENIT autem inter Romanos captiuos & Pœnum, vt eo precio persoluto, (quod tamen auxit postea, vt ab equite quingenos exigeret, trecenos à pedite, à seruo centum,) cum singulis abirent vestimentis: interim traditi sunt in custodiam, socij seorsim à ciuibus. Dum hæc ad minora castra tractantur, ex maioribus ad 4. millia hominum, & ducenti equites, alij agmine, alij palantes per agros Canusium profugerunt: debiles timidique, eadem conditione castra dediderunt. Verum Annibal Romanorum socios nunc quoque sine precio dimisit, Romanos in vinculis habuit. Canusij cum 4. tribuni mil. conuenissent, omnium consensu imperium ad P. Scipionem adolescentem, & Ap. Claudium delatum est. A quibus, Scipione maxime, reuocati, qui de Italia deserenda consultabant, & iureiurando confirmati. Eodem tempore quo hęc Canusij agebantur, Venusiam ad Consulem ad 4. millia peditum, equitumque fuga peruenere, quibus præter cæterum ornatum, dati sunt equitibus viceni quini quadrigati, id est, iuxta præcedentem æstimationem 8. Franci, 11. solidi $\frac{7}{8}$, peditibus deni, id est, 3. Franci, 8. solidi $\frac{3}{4}$.

Quingeni Franci 171 f. 17. $\frac{1}{2}$ Aurei 57. f. 17. $\frac{1}{2}$

Multi Canusium profugiunt.

Et Venusiam

XXVI. *Reliquiæ copiarum Canusij.*

FVGITIVORVM iam Canusij numerus ad 10. millia peruenerat, ad eosque Varro copias suas traduxit, indeque literas Romam de re tota dedit, quibus nonnihil leuatus est luctus, existimantium vniuersas copias internecione dele-

deletas. Is luctus SC. triginta diebus est finitus, metus autem & consternatio, ad prima cladis nuncia tanta fuit, vt nunquam salua vrbe tantum pauoris & tumultus intra mœnia Romana fuerit, vt tradit Liuius.

Vrbis tutela. Et custodia. Interea Prætores vrbani conuocato Senatu referunt de custodia vrbis, quoniam deletis exercitibus non dubitabant adfore portis Annibalem. Fabius Max. autor est dimitti certos homines, qui explorent quo statu sint foris omnia apud hostes ciuesque, ipsique Patres omnia in vrbe ad eius tutelam agitent. Illi deos primum placant, viuis hominibus in terram defodiendis, vt anno V. C. 527. scripsimus, oracula librosque consulunt, Vestalium incesta vindicant, præsidio vrbis classiarios euocant, Consulem in vrbem Canusio accersunt, cum Prætori exercitum tradidisset.

XXVII. *Volones que armantur cum Dictatore.* Dictator quoque ex autoritate patrum dictus M. Iunius Pera, & T. Sempronius Mag. eq. qui omni studio copias contrahunt, armantque, veteribus etiam spoliis è templis, porticibusque detractis: præsertim cum ad tantæ fortunæ ruinæ plurimæ vrbes, ac prouinciæ etiam integræ defecissent; de quibus T. Liuius l. 22. extremo. Nec libera solum capita ciuium ac sociorum, sed seruitia etiam armant, ad octo millia publice empta, quos milites habere maluerunt, quam captiuos, quos, vtique duri, & inconsulti, minore pretio poterant redimere.

Delegati captiuorum à me venerunt. Ij permissu Annibalis decem delegerunt, qui Romam ad Senatum irent, dato iureiurando se redituros. Missus cum ijs Carthalo nobilis Carthaginensis; qui si forte ad pacem inclinarent animos, conditiones ferret. Vbi eos Romam venire nunciatum est, Carthaloni obuiam lictor missus, qui Dictatoris verbis nunciaret, vt ante noctem excederet Romanis finibus. Ipsis captiuis Senatus datus: dictum est pro captiuis à M. Iunio, satis feliciter, contra eos à Torquato, sane crudeliter, præsertim cum omnes ignauiæ nomine abijceret, quorum plerosque vulnera & ægritudinem, ad euadendum inualidos reddidisse certum erat.

XXVIII. *Iniuste, crudeliter & tractantur. Varro tamen assumitur.* QVIN quod hęc desperatio reconciliationis, defectionem suadere poterat, hostium augere copias, & ciues in crudelem patriam non armare solum, sed etiam efferare? Quid potuit M. Coriolani virtus irritata, cum defecit ad Volscos? Quod si obuiam itum Terentio Varroni, gratięque publicæ actæ, quod de Rep. nõ desperasset, cui si Carthaginensium ductor fuisset, nihil recusandum supplicij foret, vt ait Liuius, vt qui superbia ac temeritate sua 50. hominum millia perdidisset, quare non ignoscendum saltem captiuis fuerat, qui se iterum pro Rep. pugnaturos non desperassent? Scitum est illud, ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται, & Torquatus eos vehementer prædicat, qui è castris noctu eruperunt, & Canusium euaserunt; & hos accusat, qui eis assensi non sunt. At vice versa & illi accusandi sunt, quorum fuga effectum est, vt castra defendi non possent, & isti prædicandi, qui vsque ad vltimam necessitatem, pauci contra immensam hostium multitudinem castra defenderunt.

Captiui laudandi, non puniendi.

XXIX. *Defenduntur victores.* AT etiam mori debuerunt? Cui bono tot virorum iactura? Ciuicas dant coronas ciuium conseruatoribus, hi qui tot ciues conseruarunt, non pluribus coronis digni erant? At castiganda ignauia, ne serpat exemplo. Credo, sed vera ignauia, quæ officium deserat, quæ metu minoris mali, maius bonum prætermittat, quæ publicum bonum non anteferat priuato; quæ hic non venit in contentionem. *Falsa vera ignauia.* Nam si inclusi castris non dedendo se, sed oppetendo mortem, Remp. ab interitu vindicare possint, aut insigne aliquod in eam emolumentum conferre, ignaui sane sint, si vitam suam saluti Reipub. aut emolumento anteponant; sin ista resistendi stolida atque inconsulta pertinacia nihil affert Reip. commodi, sed hoc ipso illi detrimento est, quod eius ciues sine vlla vtilitate perdit; qui eam laudat, non fortitudinis patrocinium suscipit, sed furoris; non prospicit detrimentis Reip. sed ea imprudenter amplificat. *Parua etiam imprudens.* Ignauia potius in cedendo in acie fuit, & in arripienda fuga, dum spes victorię fuit, sed ea fuga non deditios magis, quam superstites omnes reos facit. Denique si culpa fuit, eaque impune dimittenda non videbatur, potuit imponi pœna, quæ & Reip. prodesset, & eis parum noceret, qualis fuit amplificatio temporis stipendiorum legitimorum, quod ipsum aliquis factum putant. Sed de his satis.

XXX. *Captiui non redimuntur.* CVM triste responsum non redimi captiuos redditum esset, nouusque super veterem luctus, tot iactura ciuium adiectus esset, cum magnis fletibus, questibusque legatos ad portam prosecuti sunt; vnus ex ijs domum abiit, quod fallaci reditu in castra iureiurando se exoluisset; quod vbi innotuit, relatumque est ad Senatum, omnes censuerunt comprehendendum, & custodibus publice datis, ad Annibalem deducendum esse. Id tamen non vni tantum, sed pluribus contigisse mox dicetur. Quid autem factum fuerit hisce captiuis ab Annibale, vt magis inhumanam illorum temporum duritiem arguas, audi Zonaram. *Qui ab Annibale tractati.* Sed cum eos ne suum quidem redimere vellent, eos qui nominis alicuius erant Carthaginem misit, cæteros partim excruciatos necauit, partim inter sese dimicare coëgit, amicis & cognatis inter se commissis.

XXXI. *Quod factum ijs qui se sunt conseruati.* *Eutrop.* ANNIBAL, inquit Eutropius, Romanis obtulit vt captiuos redimeret, responsumque à Senatu, eos ciues nõ esse necessarios, qui cum armati essent, capi potuissent. Ille omnes postea variis supplicijs interfecit, sic Eutrop. Qui vero petendæ pecuniæ causa missi fuerant, reuersi, vt iureiurando satisfecisse viderentur, & post fuga elapsi, à Censoribus notati, semetipsos peremerunt. *Zonar.* *Liuius.* Liuius certe refert aliquorum sententiam, de quibusdam qui dediti non fuerunt, sed reuersi, quasi ex itinere regressi sese religione exoluissent, quos ait proximis Censoribus, adeo omnibus notis ignominijsq; confectos esse, vt quidam eorum mortem sibi ipsis extemplo consciuerint: cæteri non foro solum, omni deinde vita, sed prope luce ac publico caruerint. At inquies, quare illi se per se suosve, saltem plurimi eorum non redemerunt? *Cur non privatim redempti.* Existimo id factum, quia redemptione publica, nota infamiæ tollebatur, eos enim iterum allegere in ciues suos Resp. videbatur, quos negata redemptione repudiauit. Et aperte Polyb. docet Remp. *L. 6.* non permisisse eos redire ad necessarios suos. Annibalis, inquit, consilio intellecto, qui eo pacto & pecuniarũ copiam parare sibi volebat, & simul acrẽ illam pertinaciam in dimicando hostibus suis adimere, ostentata ipsis spe salutis, si vinci contingeret. At Romani contra suis persuasum esse voluerunt, aut vincendum esse pugnando, aut moriendum, nullam salutis viam aliam expectantibus.

M. XXXII. *Vide in schol. anni seq. schol. 2.* ANNIBAL, cum diuina prouidentia Romanam rem administraret, vrbem statim inuadere neglexisset, & quiete capienda victoria frui, quam vti maluisset, denique victorem magis agere quam bellatorem, confestim ex Apulis in Samnium mouit, vt ait Liuius init. l. 23. vbi Compsanam vrbem, ciuium factionibus diuisam, sine certamine recepit, eique præsidium imposuit. XXXIII. *Quod oppugnat Annibal gestum in Italia.* Ibi præda omni, impedimentisque relictis, exercitu partito, Magonem regionis eius vrbes, aut deficientes ab Romanis accipere, aut detrectantes cogere ad defectionem iubet. Ipsę per agrũ Campanum mare inferum petit. Neapolim adit, & quam vi expugnare diffidebat, arte aggreditur; insidias locis idoneis collocat, prædam portis vrbis insolentius ostentat, ciues elicit ad persequendum incompositos, donec in præparatas insidias pertraherentur, è quibus pauci præcipiti fuga, & natatione euaserunt.

XXXIV. *Capua defecit ad Annibalem.* INDE Capuam flectit iter, luxuriantem longa fœlicitate atque indulgentia fortunæ, leges, magistratus, Senatumque contemnentem: accessit post Cannensem cladem, imperij Romani, ipsius Consulis etiam confessione prostrati, contemptus. Cum enim missi Capua legati, Varronem adhuc Venusiæ cum paucis semiermibus versantem reperissent, isque cladem acceptam nimium nudasset, non misericordiam auxit, sed contemptum.

Dimissis enim, & domum reuersis legatis, vnus ex ijs Vibius Virius, tempus venisse ait, quo Campani, non agrũ solum ab Romanis quondam per iniuriam ademptum recuperare, sed imperio etiam Italiæ potiri possint. Fœdus enim cum Annibale quibus velint legibus facturos, eoq;

victore Carthaginem repetente, & exercitum deportante, fore vt Italiæ imperium Campanis relinquatur.

XXXV. *Spe imperij Italiæ.* Ascensere omnes, moxque ijdem legati, qui ad Consulem missi fuerant ad Annibalem missi sunt, qui certis conditionibus eum eo pacem fecere. In quibus illa prima erat, quæ primo violata est. Ne quis Imperator, Magistratusve Pœnorum ius vllum in ciuem Campanum haberet. Deinde ne ciuis Campanus inuitus militaret, munusve faceret; vt suæ leges, sui magistratus Campanis essent; vt trecentos ex Romanis captiuos Pœnus daret Campanis, quos ipsi elegissent, cum quibus equitum Campanorum, qui in Sicilia Romanis stipendia facerent, permutatio fieret. Addiderunt etiam alia in Romanos facinora Capuani, illudque in primis, vt plurimos eorum in balneis inclusos æstu ac feruore præfocarent.

Repugnat frustra Decius Magius. Huic defectioni Decius Magius vir Capuæ primarius summa ope restiterat, præsidium ab Annibale ne reciperetur, aperte vociferabatur, receptum vt interficerent restituendo se Romanis. Quæ cum Annibali delata essent, primo misit qui ad se Magium in castra deducerent, quod ille cũ ferociter negasset, negans ius esse Annibali in Campanum ciuem. Deinde iratus comprehendi, & vinctum pertrahi statim iubet; sed veritus ne ea res tumultu excitato, deditionem turbaret, distulit.

XXXVI. *Capuam Annibal admittitur.* Postera die, tota in occursum Prætoris iussu effusa ciuitate, vrbem ingressus, magna omnium lætitia exceptus est, Magio nec occurrente, nec domi se continente, sed cum suis in foro palam inambulante. Annibal conuocari statim iubet, sed primarijs ciuibus postulantibus, vt dies primus lætus abiret, nihilque serium institueretur, vespertino conuiuio adest: in quo parum omnino abfuit, quin ab hospitis sui Calanij filio, qui totum se Romanis, Magioque dediderat, interficeretur: sed parentis precibus à suscepto consilio deductus est filius.

Ex periculum cadu adit.

Magius Annibali deditur. Postridie Senatus frequens datus Annibali: vbi prima eius oratio perblanda ac benigna fuit, qua gratias egit Campanis quod amicitiam suam Romanæ Societati prætulissent, pollicitus breui Capuam Italiæ omnis caput fore, indeque Romam iura petituram. Vnum esse exortem Punicæ amicitiæ, fœderisque secum facti Magium Decium, quem sibi SC. dedi postulauit. Itum est ab omnibus in eam sententiam, etiamsi plerique non paruo initio iura libertatis infringi arbitrabantur.

XXXVII. *Abducitur vinctus Carthaginem.* Is comprehensus, & causam dicere iussus, eadem animi manente ferocia, negabat id lege fœderis permitti posse: nihilominus iniectæ sunt homini catenæ vociferanti, & populum ad libertatem vocanti, donec obuoluto capite extra portam raptus est, & in castra delatus, vt inde Carthaginem deferretur, ne quid eius causa Capuæ turbaretur.

Aut potius Alexandriã. Verum nauem Cyrenas tempestas detulit, vbi cum Magius ad statuam regis Ptolemæi confugisset, deportatus à custodibus Alexandriam ad Ptolemæum apud eum autorem ac vindicem suæ libertatis, vitam agere permissus est, quod neque Romæ vt transfuga, neque Capuæ sine vitæ discrimine degere posset.

XXXVIII. *Annibalis gesta Carthagine celebrantur.* Interea nuncius Cannensis victoriæ Carthaginem venit. Mago Annibalis frater, cum ei Senatus esset datus, res ab Annibale gestas In Italia, enarrauit. Eum cum sex Imperatoribus, quorum quatuor Coss. duo Dictator & Magister eq. fuerant, cum sex consularibus exercitibus acie conflixisse, occidisse supra ducenta millia hostium, supra 50. millia cepisse, ex 4. Coss. duos occidisse, ex duobus saucium alterum, alterum toto exercitu amisso, vix cum 50. hominibus effugisse. Magistrum Eq. qui consularis potestatis sit, fusum fugatumque; Dictatorem, quia se in aciem nunquam commiserit, vnicum haberi imperatorem. Brutios, Apulosque, partem Samnitum, ac Lucanorum defecisse ad Pœnos, Capuam Italiæ caput, post afflictam Romam, Annibali se tradidisse. Ad fidem deinde tam lætarum rerum, effundi in vestibulo curię iussit annulos aureos, qui tantus aceruus fuit, vt metientibus dimidium supra tres modios explesse, quidam tradant: fama tenuit, quæ propior vero est, haud plus fuisse modio: eadem habet author vitæ Annibalis apud Plutarch. Duos tamen modios Florus habet, vt supra diximus; Eutropius tres modios non improbabiles facit cum ait. Tres modios aureorum annulorum Carthaginem misit, quos è manibus Equitum Rom. Senatorum, & militum detraxerat; cui subscribit Oros. totidem pene verbis.

Annulorum acervum quanta vis.

XXXIX. *Supplementa petit, absurde.* Svmma fuit orationis legati Annibalis, quo propius spes belli perficiendi sit, eo promptius supplementa militum, pecuniarum, frumenti esse mittenda. Contra quæ Hanno elegantissime, vbi inter alia. *Vereor ne hæc quoque lætitia luxuriet nobis, ac vana euadat: quæ tamen nunc quoque qualis est? Occidi exercitus hostium; mittite milites mihi. Quid aliud rogares si victus esses? Hostium cepi bina castra, præda videlicet plena, & commeatum; frumentum, & pecuniam date. Quid aliud inquam si spoliatus, si exutus castris esses, peteres?* Nihilominus ingenti consensu factum est SC. vt Annibali 40. Numidarum millia in supplementũ mitterentur, & 40. Elephanti, & argenti multa talenta. Dictatorque cum Magone in Hispaniam præmissus est, ad conducenda 20. millia peditum, 4. equitum, quibus exercitus qui in Italia, quique in Hispania erant, supplerentur. *Et impetrat.*

XL. *Roma sceleratos armatur.* Cætervm hæc, vt in secundis rebus, segniter agebantur; Romanos & insita animis industria, & præsens fortuna cunctari prohibebat.

Consul nulli rei deerat, Dictator, etiam sceleratos, qui militare vellent, vinculis exsolutos armauit. At cur non in his sceleratis fugitiui, captiuique? num omnibus alijs criminibus capitalius fuit hoc crimen? quis non stolidam hanc cæcitatem miretur, atque condemnet? Sceleratorum ergo collecta sunt sex millia hominum, qui Gallicis spoliis, quæ triumpho C. Flaminij translata erant, instructi sunt. Itaque cum 25. armatorum millibus ab vrbe proficiscitur.

XLI. *Annibal Nola, & Neapoli excluditur.* Annibal recepta Capua, cum iterum Neapolitanorum animos, partim spe, partim metu frustra tentasset, in agrum Nolanum exercitum traducit. Nolani primores in fide populi Rom. perstabant, plebs res nouas malebat; obsidiónis mala formidans; dũ res in ancipiti est, & Senatus spe defectionis populum retinet, Marcellus Prætor Romanus accersitus aduenit, vbi L. Bantium, attentatæ defectionis reum, sed egregium bellatorem, & de Rep. Rom. bene meritum, quem Annibal sibi humanitate, donisque post prælium Cannense diuinxerat, industria atque humanitate certans, Romanis iterum fidelissimũ socium lucratus est. Porro ad Marcelli aduentũ Pœnus agro Nolano excessit, & ad mare prope Neapolim descendit, cupidus maritimi oppidi potiundi, quo cursus nauibus tutus ex Africa foret, sed Iunius Syllanus vrbem cum Romano præsidio tenebat.

XLII. *Nuceriam occupat.* Itaqve vtraque vrbe exclusus, Nuceriam petit, quam diu tentatam fame in deditionem accepit, pactus vt inermes cum singulis vestimentis abirent, nullum tamen inuenit, qui, quantislibet propositis præmijs, secum militare vellet: vacuatam viris vrbem diripuit, atque incendit. Zonaras addit eos dum obsiderentur, inutilem ætatem, ob cibariorum penuriam, expulisse; nec ab Annibale receptos, aut aliò abire permissos, sed in vrbem repulsos. Deinde vrbe potitum, senatores in balneis inclusos suffocasse, multos ciuium, quos abire permiserat, in itinere interfecisse. Quæ causa fuit vt reliqui vel pertinacius sese defenderent, vel Romanos aduocarent, quod Nolani fecerunt.

Cladẽ à Marcello ad Nolam accipit. Nam Annibal inde Nolam castra mouet, vbi plebs Nolana rursum defectionem appetit. Marcellus in vrbem exercitum recipit, vt populum in officio contineat: & inexpectatus in hostem erumpat, quod tam fęliciter factum ẽst, vt ex tribus simul portis emisso exercitu, eo præsertim tempore, quo Annibal partem exercitus in castra dimiserat, vt duo millia ac trecenti hostes cæsi sint, non plus vno è Romanis amisso.

XLIII. *Acerras capit, & euertit. Casilinum obsidet.* Annibal desperata Nola Acerras concessit. Marcellus supra 70. damnatos proditionis, securi percussit. Acertani desperata etiam ipsi vrbis custodia, & relicta, noctu huc illucque diffugere, in vrbes pręsertim Campanię, quæ in fide

in fide permanserant. Acerræ captæ, direptæ, incensæ. Inde Casilinum (Basilinum Zonaras vocat) ventum est, quod oppidum valida Romanorum ac sociorum præsidia tenebant: quæ fœliciter tentatis eruptionibus, grauia Pœnis damna intulere. Indignatus Annibal oppidum fame in potestatem redigere statuit: itaque castris ad vrbem communitis, ac præsidio modico imposito, ne omisisse res videretur, Capuam in hyberna concessit, maioremque partem hyemis exercitum in tectis habuit; sicque quos nulla vis mali vicerat, voluptates perdidere.

Capuam in hyberna concedit.

XLIV. *Magnum Annibalis errorem.* *197 habet Epitome.*

MAIVSQVE id peccatum ducis, apud peritos militiæ habitum est, quam quod non ea Cannensi acie protinus ad vrbem Romā duxisset. Illa enim cunctatio distulisse modo victoriam videri potuit, hic error vires ademit ad vincendum. Romæ interim Senatum suppleuit, M. Fabius Buteo Dictator, qui eam in rem dictus fuerat à Varrone Consule, adiectis 177. eaque re confecta, statim se magistratu abdicauit. Consul nocte insequenti ad exercitum rediit, ne comitiorum causa in vrbe retineretur.

Comitia Romana aguntur.

Postero die consulibus à M. Pomponio prætore Senatus, decreuit Dictatori scribendum, vt si è Rep. censeret esse, ad Coss. subrogandos veniret, cum Magistro equ. & Prætore M. Marcello, vt ex iis noscere patres possent, quo statu Resp. ub. esset, consiliaque ex rebus caperent. Qui acciti erant, omnes venerunt, relictis legatis, qui legionibus præessent.

XLV. *Eratosthenes floret.*

REFERT Eusebius ad hanc Olympiadem centesimam quadragesimam primam Eratosthenem Cyrenæum, historicum, chronologum, philosophum, astronomum, poëtam, de quo multa apud antiquos scriptores mentio; Dionysium Halycarn. qui eius tabulas chronologicas, incorruptas vocat; Clementem Alexandrinum, qui eum primum de Grammatica libros scripsisse refert, indeq; Grammatici nomen consecutum; Athenæum, qui eum Stoicum fuisse ait, Aristonis Chij, item Stoici discipulum: qui tamen Aristo senex ad Epicurum defecerit. Eusebium, Suidam, qui ait accersitum illum Athenis à tertio Ptolemæo, Euergete videlicet, & vixisse vsque ad quintum, cognomento Epiphanem. Natum Olympiade 126. ex quo sequitur eum hoc tempore, quo floruisse dicitur, fuisse sexagenarium. Vixit adhuc anno 20. Obijt enim, vt ait idē Suidas, anno ætatis octogesimo, ex inedia propter aciem oculorum hebetatam; vt agnoscas, ex morte vltro suscepta, Stoicæ porticus satellitem. Magna enim pars sectæ huius, orco se victimam, simul & sacerdotem initiabat.

Laertius & alij.

XLVI. *Lacydes Philosophus obit.*

OBIISSE hoc anno Lacydem Cyrenæum nouæ Academiæ principem, Arcesilai successorem, ex Laërtio liquet in eius vita. Ait enim eum obijsse cum scholam administrare cœpisset quarto anno Olympiadis 134. sex & viginti annis in schola consumptis: sextus autem & vigesimus in primū huius Olympiadis cadit. Mortuum autem ait ex Paralysi, quā ex immodica potatione contraxerat. Mirum itaque videatur, quod ait idem Diogenes, illum virum fuisse eximiæ seueritatis, non item illud, quod non paucos habuerit sui æmulos instituti.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3838.

I. N. V. ID est 250 aureos, sunt enim centum minæ in talento, quarum singulæ valent 125. aureis, talentum aut ipsum 12500. V iuxta Hebræorum æstimationem.

I. N. XXIV. l. 13. c. 3. Et archi nummi argentei, vt ex Plinio, constat, sed de pretio seu valore non constat. Certe si nummi isti sunt denarij, vt quibusdam placet, & eodem ex loco Plinij colligitur, & denarij octo vnciam argenteam 55 solidorum nostratium efficiunt, trecenti, siue trecenti denarij valent 103. Francis cum duobus solidis & dimidio: ducenti, sexaginta octo francos cum 15 solid. centum 34. franc 7. sol. cum ½ quas summas facile est in aureos nummos conuertere, datis sexaginta solidis tricon cuique nummo aureo. Polyb. l. 6. si habet teras mini quemque damna. am. quas Casaubonus drachmas vertit. Oblitus minam valere centum drachmas.

ANNVS MVNDI 3839. SEXTÆ ÆTAtis 323 Imperij Græcorum 97. Antiochi Magni 10. Simonis Pontificis 18. Ptolemæi Philopatoris 6. Philippi 6. Olympiadis CXLI. An. 2. Vrb. cond. 538. Coss. L. Posthumio Albino III. cui suffectus est Q. Fab. Maximus III. & T. Sempronio Graccho. Secundi Belli Punici 4.

ANNVS ANTE CHRISTVM 214.

I. *Asia & Antiochi res omissæ.*

HVIVS anni res Polybius maxima breuitate perstringit, sub lib. 5. finem. Ptolemæo, inquit, statim postquam hæc gesta sunt, cum Ægyptijs bellū gerere contigit. Secunda namque ad Raphiam pugna inflati, Regi dicto audientes esse non amplius dignabantur, ducem & authorem requirentes, tanquam idonei ad illi resistendū viribus præditi. Quod & ad extremū fecerunt, idq; haud ita multo post. Sic ille de Ptolemæo; de Antiocho vero. Antiochus bello per hyemē multa cura adornato, ineunte æstate Taurum superat, & facta cum Attalo societate, Achæum bello est aggressus. Sic Polyb. semina iaciens rerum deinceps fusius enarrandarū in sequentibus libris, quos nobis tempus edax rerum inuidit, vix paucis reliquijs voraces fauces euadentibus. Ex fragmento tamen libri 7. quo Sardium expugnatio continetur, perspicue constat eius vrbis oppugnationem ad secundum annum fuisse productam; ergo & hoc anno inchoatam, & quidem eo ardore animorum, vt sine vlla intermissione diu noctuq; pugnaretur, nulla vis, nullæ insidiæ ab alterutris prætermitterentur. Interea quæ nobis de Ptolemæo tertius lib. Machabæorum præterea suggerit, persequamur.

II. *Philopator Iudæos vexat.*

IS reuersus in Ægyptum, præter consuetam temulentiam, & libidines, quibus se rursum dedidit, atque immersit cum ganeonibus suis; famosis libellis Iudæorum gentem, calumnijsque appetere cœpit. Tum in turri, quæ erat ad aulam, columnam erexit, in qua scriptum erat, nemini eorum, qui non sacrificarent, licere ad sacra eorum ingredi; Iudæos omnes in vulgi censum redigi, ac seruili conditione censeri; si qui repugnarent vi cogi, ac vita priuari, omni priori dignitate, libertate, autoritate spoliatos, stigmaticos fieri, inusto hederæ folio, Liberi patris insigni. Si qui autem ex illis voluerint inter eos, qui sacris Ægyptiacis initiati essent, versari, patrijs scilicet institutis desertis, vt sequentia docent, hos æquo iure ciues cum Alexandrinis esse. Quo factum est, vt aliqui in Alexandria, ciuitatis suę Hierosolymitanæ religione odio habita, facile sese Regiæ voluntati dediderint, quasi magnæ cuiusdam cum eo gloriæ participes futuri. At plurimi generoso animo seipsos confirmarunt, nec à pietate destiterunt, seque à vitæ discrimine, & ionstione, pecuniæ largitione redimebant, apostatas abominabantur, & gentis suæ hostes iudicabant, omnique conuersatione, atque vtilitate priuabant.

Seruos, stigmaticos reddit. *Plurimi à patria pietate desciuerunt.* *Alij perstitere in fide.*

III. *Rex in supplicium vocat.*

QVÆ cum Rex compertisset, etiam in reliquos Iudæos, qui extra Alexandriam in regno suo essent, ita est iratus, vt omnes vnum in locum iuberet cogi, supplicijs vltimis afficiendos. Epistolam quippe in eorum perniciem, ad omnes suos subditos scripsit, in hanc sententiam.

Eius litteræ.

Rex Ptolemæus Philopator ijs, qui sunt in Ægypto, cęterisque locis, ducibus, & militibus S. P. D. *Si valetis bene est, Valeo autem & ego ipse, & res nostra. Post factam à nobis in Asiam expeditionem, quæ deorum beneuolentia & consilio, nostraq; virtute felicem exitum sortita est, voluimus vt habitatores Cœlesyriæ, & Phœnicis nobis subijcere, sed cum multa humanitate, indulgentia, ac liberalitate tractare.*

IV. *Regis de Iudæis querela.*

Ex cum templis, quæ sunt per ciuitates, tribuissemus reditus multos, venimus etiam Hierosolymam, honoraturi templum sceleratorum istorum, qui insanire nunquam desinunt. At illi verbis aduentum nostrum gratulati, re ipsa tamē insincere affecti, cum cuperemus adytū eorum ingredi, idq; eximiis ac pulcherrimis condecorare donarijs, antiquo fastu permoti, nos ingressu prohibuerunt, ignari potentiæ nostræ, propter eam, quam omnibus hominibus exhibemus humanitatem. Atq; inimicum suum in nos animum plane declarans, quippe

soli pro-

soli prorsus gentium contra reges, & bene de se meritos ceruicem erigentes, nihil legitimum ferre volunt. Hac ipsa calumnia vtebantur olim hostes Iudæorum, cum illi templum & ciuitatem ædificare conarentur. a

a Vt patet 1. Esdr. 4. V. Calumnia in usurpanda hostibus in reges animo.

FACILE enim euersum iri funditus sperabant eam gentem, si persuasum esset hominibus, qui Reges suos meritissimo honore, obsequio, amoreque persequuntur, eos inimico esse in reges animo, nec obtemperare eis velle. Nimirum quod iuxta ritum tam ipsorum regum, quam nationum eis subiectarum, diis eorum cultum non tribuerent: quasi ita regibus obtemperandum esset, vt cum eis collibuisset, diuinæ leges quasi stamineæ coeuculandę essent: & ad nutum eorum, qui vicariam in terris Dei potestatem gerunt, ipsius omnium regum principis Dei mandata antiquanda forent.

An ingressus regi fuerit permittendus.

Ita deinceps sanctissimi martyres ac confessores, ab infidelibus, & hæreticis, impij & inimici regum & imperatorum audierunt; in quibus calumnijs refutandis antiquorum patrum, recentiorumque scriptorum crebro desudauit industria. Cæterum an Iudæi permittere potuerint Ptolemæo hunc ingressum, alia est quæstio. Non videtur certe ea fuisse Dei legislatoris mens, vt ille templi ingressus, qui sine Dei contemptu, aut legis eius suscipiebatur, tantis malis imminentibus prohiberetur. Si tamen crediderunt teneri se potius ad acerbissima quæque patienda, quam ad illum ingressum permittendum, qui bona intentione suscipi videbatur, aut certe curiositate, in tali homine non valde criminosa, sua se ipsi conscientia in talem necessitatem coniecerunt, idemque proportione de suillæ esu dici potest.

VI. Nouum querelarum argumentum.

SED audiamus cætera. Nouũ enim querelæ argumentũ affert, & sui in Iudęos odij, & decreti crudelissimi; quod illi suos à fide apostatas, & in eo regi consentientes execrationi haberent. Cum tamen ipse in gratiam eorum iniuriæ obliuionem promulgasset, memor multorum negotiorum, quæ ipsis commissa fideliter administrassent; imo eos iure ciuitatis Alexandrinæ dignatus esset, voluissetque eos, & cum victoria domum reuerti, & in Ægypto omni iure sacerdotum Ægyptiorum frui, quod à primis seculis magnum fuisse, vel ex Genesi intelligi potest. *Illi autem, inquit, contrarium eligentes, & insita improbitate honestum repellentes, perpetuo autem ad malum proni, non solum cum ignominia repudiarunt ius ciuitatis, sed verbo etiam atque opere abominantur paucos quosdam ex eis, erga nos legitime affectos* (apostatas scil.) *semper suspicantes, ob infamem vitæ rationem, cito nos desituros à recte factis.* Sententiam videlicet mutaturos.

Gen. 47. 22.

VII. Decretum Philopatoris in Iudæos.

QVAMOBREM *argumentis etiam probe persuasi, hos omnibus modis contra nos male sentire, & prouidentes ne forte, repentina postbac turbatione nobis imminente, hos à tergo proditores, & barbaros habeamus hostes, iussimus, simul atq; allata fuerit epistola hæc, eadem die indicatos cum vxoribus & filiis cum contumelia & suppliciis mitti ad nos, vinculis ferreis vndique constrictos, ad necem, & infamem, & inimicis conuenientem cædem. His enim simul punitis, putauimus in reliquum tempus, perfecte nobis res in bono statu, & optima dispositione constitutum iri.*

Et occultatores eorum.

QVICVNQVE *autem quempiam Iudæorum texerit, à sene vsque ad infantem, vsque ad lactentes, turpissimis tormentis cum tota domo afficietur: qui autem indicare potuerit, eo ipso fortunas eius, qui inciderit in pœnam accipiet, & de regio ærario bis mille drachmas,* b *& libertate coronabitur,* id est, ius coronæ ferendæ in spectaculis, templis, alijsve publicis locis adipiscetur. Addit & execrationem loci, tanquam pestifera luce Iudæorum contactu inquinati. *Omnis autem locus, vbicunq; deprehensus fuerit absconditus Iudæus, inuius, & inaccessus, & deflagratus fiat; & omni mortali naturæ in perpetuum inutilis.*

b Id est, Franc. 687. fol. 10.

VIII. Ratio temporis.

HACTENVS Epistola Philopatoris; quã hoc anno datam putamus. Nam ait se post reditum in Ægyptum, obliuionẽ iniuriæ inducere voluisse in animũ suum, atq; adeo Iudaicam gentẽ augere priuilegiis, si à patriis institutis deficere voluissent; quod cum quidã fecissent, ab aliis hostili animo tractati sunt: quæ ex causa promulgatũ est hoc edictũ. Prius.n. illud edictũ in Iudęos columnæ insculptũ, & Iudæorum aliquorum defectio, & deinceps reliquorum in communi vitæ vsu auersio, & delata ab Apostatis ad regem querela, ex qua natum & sancitum est hoc posterius edictum in Iudæos, non exigui temporis fuerunt. Et vt demus edictum propere per Ægyptum, omnesque Philopatoris subditos delatum fuisse, non tamen breui tempore potuit tanta multitudo omnis generis hominum, ad supplicia mortemque proficiscentium, ideoque moras quantas maximas possent nectentium, breui tempore Alexandriam cogi, vt facile ad huius anni æstatem res protracta videatur.

IX. Iudæi in Ægyptum rapiuntur.

EDICTVM hoc ab Ægyptiis, alijsque hostibus Iudæorum, omni cum lætitiæ significatione acceptum est: à Iudæis autem cum luctu & lacrymis, cum gemitibus & lamentis, quibus oppida omnia, & præfecturæ, viæ omnes, domusque complebantur.

Non enim omnium est, ac multorũ quidẽ, cum gaudio, etiam in causa iustissima, ignominiam & cruciatum subire. Ergo ea faciebant, quæ consentaneum est ab ijs fieri, quibus imminet crudelis, & improuisus suus, suorumq; interitus. Accedebat & præfectorum in eos inhumanitas, quæ etiam quosdam ex inimicis ad misericordiam incitabat: cum decrepitos atq; incuruos senes, puellasq; nuper nuptui traditas, earumq. coniuges, reste in collum iniecta ferro vinciri, & in naues vi pertrahi; ibiq; alios collo, alios pedibus ad malum & transtra ferarum more alligari, & sub tenebrosa tabulata deijci animaduertebant.

X. Alexandriæ ad Hippodromum collocantur.

PERVENTVM est Alexandriam, iussique sunt à rege ad vrbem in Hippodromo castra metari, vt omnium abeuntium aut venientium probris atque irrisionibus paterent; quos cum quidam Alexandrini Iudæi ex commiseratione adirent, iratus rex eorum socios fieri iussit, ad eademque supplicia omnes destinari, describique omne genus ex nomine; non vt olim ad laboriosam operũ seruitutem, sed ad denunciata tormenta, & mortem vno eodemque die subeundam: & hæc videtur loci satis obscuri sententia.

Sit eorum descriptio.

Facta est ergo horum descriptio, cum acerba festinatione: nec tres ad 40. dies perfecta est, rege interim conuiuia ad omnia idola celebrante. Post prædictum temporis interuallum nunciauerunt scribæ regi, non posse vlterius Iudæorum descriptionem fieri, propter immensam eorum multitudinem, qui vbique locorum sparsi essent. At Rex indignans eos obiurgabat, addebatque minas, quasi corrupti muneribus, Iudęos vellent morti eripere. At illi multas chartas descriptorum nominibus plenas in medium proferebant, aiebantque chartas iam ac scriptorios calamos defecisse: quæ oratio cum probabilitate careat, ad hyperbolem confugiendum est.

XI. Iubet rex eos ligatos obteri ab elephantis.

ERGO aduocat Hermonem Elephantorum pręfectum, iubetq; sub insequentem diem, multo thure in merum infuso, potari Elephantos, numero quingentos, eaq; potione efferatos in Iudæos immitti, ab ijs proterendos, ac discerpendos. Sub vesperam immittuntur ministri, qui Iudæorum manus colligent, & reliquam circa ipsos cautionem moliantur, expectantes crepusculo matutino exitium genti ab elephantis allatum iri.

Diuinitus somno impeditur.

Sed paratis omnibus, & Iudęis omnibus diuinam misericordiam cum lacrymis implorantibus, eiusq; bonitatem indefesso clamore fatigantibus, tantum Regi soporem Deus immisit, vt ad horam decimam non expergefieret, donec cõgregatis iam qui ad conuiuium præmoniti erant, à cubiculario excitatus, ad conuiuium cum eis versus est: & Iudæorum recordatus accersit Hermonem, &, hodierno somno, inquit, illi gratiam habeant, cæterum in sequentem diem eodem modo prępara elephantos in Iudæorum perditionem: cui scilicet ipse præsens adesse volebat, & clamoribus, detruncationibus, cædibusque inimicorum suorum exaturare crudelitatem suam.

XII. Iterum iubet, & ei obliuionem Deus inducit.

ADEST secundus dies, elephanti, exercitus, & turbæ innumerę populorum, qui ad tam triste spectaculum confluxerant. Rex euigilat, amicos admittit, adest Hermon, & Regem monet parata esse omnia ad exequendam eius voluntatem. At rex diuinitus in obliuionem præteritorũ adductus, interrogabat quodnã id esset negocium, quod eum tanta festinatione ageretur. Hermon autem, & omnes re-

nes regis amici suggesserunt, bestias, & exercitus ad præceptum ab eo Iudæorum internecionem præparatos. Hic Rex ira æstuans, priorem enim cogitationem diuina prouidentia dissipauerat, ad Hermonem conuersus. Quotcunque ait, parentes adsunt aut filij, qui hunc bestijs ferocibus apparatum cibum sint pro inculpatis Iudæis, qui maioribus meis perpetuam fidem egregie præstiterunt? Atqui nisi intercederet communis educationis amor, & vtilitatis ratio, vita pro ijs priuatus esses. Ita Hermon improuisa obiurgatione ac comminatione perculsus, deiecto vultu conturbatus recessit, cęterique amici, ad sua quisque dilapsi sunt. Iudæi hanc secundam Dei gratiam cum gratiarum actione prosecuti sunt.

XIII. *Tertio iubet parari elephantos.* NEC ita multo post Rex ad se, ingeniumq; suum reuersus, instaurato conuiuio, accersit Hermonem, & rursus cũ minis. *Quoties tibi, inquit, de his ipsis præcipiendum est infælicissime? Elephantos etiam nunc arma in crastinum in Iudæorum perniciem?* Cognati autem qui simul discumbebant inconstantiam mentis illius admirati. Vsquequo Rex, inquiunt, tanquam stolidos pertentas, pręcipiens iam tertio illos deleri, & cum in rem ventum est, omnia immutas quæ ante decreueras? Quamobrem ciuitas propter expectationem tumultuatur, & plena coitionum à direptione periclitatur.

At rex quæ sibi diuinitus euenerant pro nihilo habens, impium confirmauit iusiurandum, statuens Iudęos quamprimum morti tradere, genibus & pedibus ferarum protritos: exercitu autem contra Iudæam ducto, solo secam æquaturum dixit, & templũ, cuius aditu prohibitus esset, incensurum, & sacrificantibus in omne tempus vacuum redditurum.

XIV. *Venit rex ad spectaculum.* TVNC læti discedentes amici & cognati, disposuerunt exercitus opportunissimis locis ad custodiam ciuitatis; Elephantorum autem præpositus cum feras ad insanam habitudinem præ potionibus adduxisset, circa auroram ciuitate iam turbis innumerabilibus ad Hippodromum referta, ingressus aulam ad id, quod propositum erat incitauit regem. Ille annuens, & spectator futurus crudelis spectaculi prodit foras, exeunt elephanti, procedunt armati exercitus, puluis pedũ excitatus, clamorque horrisonus Iudęos monet de imminente exitio. Illi partim ad lachrymas, gemitusque conuersi, vltimum sibi vale mutuo dicunt: partim ad preces & expertam iam semel iterumque diuinam misericordiam omni animi contentione confugiunt: & in primis Eleazarus quidam omnium nomine Deum obtestatur, vt solita magnitudinis suæ prodigia contra impios, in salutem populi sui exerat. *Iudæi ad lacrymas preces q; confugiunt.*

XV. *Rex & exercitus angelorum visione turbatur.* ELEAZARO finem imponente orationi suæ Rex cum feris, & toto exercitus horrore ad Hippodromum accedebat. Et aspicientes Iudæi vehementer exclamauerunt in cœlum; ita vt adiacentes etiam conualles, simul sonantes vniuersum exercitũ ad fletũ excitarent. Tunc visi sunt duo terribiles angeli de cœlo descendere, omnibus manifesti, prætetquam Iudæis; qui ex aduerso stantes, exercitus turbatione repleuerunt, & quasi constrictos vinculis immobiles reddiderunt. Rex quoque totus inhorruit, atque animo commutatus est, proximæ feritatis oblitus. Visionem quoq; terribilem obiectã Ptolemæo scribit Iosephus 2. contra Appionẽ; sed Ptolemæum Physconẽ illũ putat, atque precibus concubinæ à crudelitate reuocatum. Timet enim miracula profiteri, metu irrisionis Ethnicorum. Et fortassè diuersæ sunt historiæ, licet admodum similes. Sed audiamus ipsam fabulæ peripetiam, & solutionem.

XVI. *Commutatio fortuna Iudæorum.* ET ecce bestiæ in subsequentes exercitus conuersæ, conculcabant eos, & exterminabant. Et versa est regis ira in misericordiam & lacrymas, propter ea quæ antea molitus fuerat: & ad amicos conuersus, eos crudelitatis arguebat, & infidelitatis erga se benefactorem ipsorum, quasi hac via conarentur eum principatu & vita priuare, congregatis huc præsidiorum præfectis: & addit de Iudæis nominatim. Quis eos qui ab initio beneuolentia erga nos omnibus in rebus superant omnes gentes, & grauissima omnium adiere pericula, tam iniquis addixit supplicijs? *Cum laude liberantur.* Soluite, dissoluite iniusta vincula, ad propria illos cũ pace dimittite, & veniam pro commissis deprecamini. Dimittite filios omnipotentis, cœlestis Dei viuentis, qui à maioribus nostris ad hanc vsque diem incolumen cum gloria rebus nostris statum conseruat. Ita Rex loquebatur, cum puncto temporis Iudæi vinculis suis exoluti, saluatorem suum Deum benedicebant, præsenti morte euitata. *Rex Deum agnoscit.*

XVII. *Septidanum conuiuium ex[hibent]ur.* ET Rex in ciuitatem reuersus, præfectum redituum accersens, iussit & vinum & omnia ad conuiuium necessaria, præberi Iudæis ad dies septem, eodem in loco, vbi se perniciem subituros putarant; quod & factum est, pudore & ignominia tabescentibus ijs, qui eorum supplicijs hilarescebant. Rex quoque eadem de causa magno præparato cõuiuio, sine intermissione Deo cœli confitebatur, & gratias agebat, pro inopinata, quæ sibi obtigerat salute; quod scil. vel ab Angelis, vel ab Elephantis non fuisset trucidatus. Verum Iudæi in huius diuini beneficij memoriam, lege lata statuerunt in posterum hos dies cum lætitia transigere, à 25. die mensis Pachon, vsque ad quartam mensis Epiphi, ad dies 40. 3. Constituerunt & tres dies perditionis siue luctus, à quinta Epiphi, vsque ad septimam, in quibus Deus, magna cum gloria patefaciens misericordiam suam, populum suum magnificè liberauit. Epulati autem sunt à die 7. Epiphi, vsque ad decimam quartam, in qua regem adierunt pro dimissione sua. *Dies memoriales decreti.* *3. c. 7.*

XVIII. *Dimittuntur à rege cum laude.* QVOS rex collaudatos dimisit, scribens in eorum gratiam epistolam. In qua moram in Iudæos persecutionem non iræ suæ tribuit, sed quibusdam persuasionibus aliquorum, qui eos coniurasse contra Regem dicerent, & regno perniciosos calumniarentur. Suam quoque sub eorum persona ministriam damnat, qui nulla inquisitione, nullo iudicio præuio, eos morti crudelissimæ addixissent. Deinde cœlestem Deum agnoscit, ac confitetur Iudæorum protectorem, & tanquam patrem pro filijs propugnantem; laudat Iudæorum erga se, cæterosque Ægypti reges constantem beneuolentiam ac fidem: declarat à se in propria dimissos, vt scilicet in rerum suarum possessionem, quasi postliminio admittantur; ideoque in fine libri dicitur, neminem eorum à suis bonis & fortunis fuisse dimotum, sed omnes eis omnia sua cum magno timore restituisse. Vetat ne à quoquam iniuriam patiantur, aut exprobrationem propter ea, quæ contigerunt; data ratione, cum qua concludit, in hæc verba. Scitote enim, si quid contra hos machinemur mali, vel omnino eos contristemus, non hominem, sed omnis potentię Dominum Deum altissimum, aduersarium nobis ad vltionem, in omnibus perpetuo, atque ineuitabiliter habituros. Hæc Rex Ægyptius.

XIX. *Accipiunt potestatem interficiendi Apostatas.* ACCEPTA autem epistola hac, non statim inierunt profectionem suam, sed Regem obsecrarunt, vt qui ex Iudæorum genere sanctum Deum sponte deseruissent, & eius legem, ij per ipsos debitam pœnam reportarent; affirmantes eos, qui ventris gratia transgressi essent diuinas leges, ne in Regis quidem rebus vnquam bene sensuros. Ille eos vere dicere confessus, & collaudans, dedit eis potestatem eos toto in regno suo, sine alia potestate, aut iussione interficiendi. Tunc bene precantes ei, qui in eis erant sacerdotes, & tota multitudine conclamante Alleluia, abierunt; eademque die contaminatos præuaricatores supra trecentos interfecerunt, & rursus Ptolemaidem appulsi, ibidem, rege omnes viæ sumptus suppeditante, conuiuia instaurarunt, & demum suam quisque cum ingenti gaudio incolumes, nulla re diminuti, sed gloria & potestate in inimicos aucti reuerterunt. *Occidunt supra trecentos.*

XX. *Noua historia vestigia in Polybio.* CÆTERVM quod Polybius tradit Ptolemæi subditos in eum insurrexisse, non ita multo post, imo statim à victoria Raphiana, cum id deinceps ab eo non explicetur, quod quidem extet, existimauerim belli nomine hanc Iudæorum commotionem intelligi: quæ nata dicitur à Polyb. ex eo quod Regi dicto audientes esse noluissent, contendenti scilicet sibi aditum in oraculũ templi concedi. Huc etiam non inuitus retulerim, nam & tempus valde fauet, illud Eusebij anno 1. præsentis Olympiadis, vbi habetur victos Iudæos, & sexaginta millia armatorum ex numero *Et Eusebio.*

eorum

eorum cæsa fuisse. Periculum enim cædis tantæ multitudinis, imo & mandatum & præparatio toties diuersis diebus iterata, pro cæde ipsa sumpta fuerit, eoque modo rumore nuncio longè lateque fusa ac scripta; vnde Eusebius, re diligentius non examinata, acceperit; etsi tertium librũ Machabæorum non ignorauerit, vt qui illius paulò ante meminerat. Quę mea coniectura ea eo confirmatur, quod nusquam huius belli vestigium vllum extet, si Scaligero credimus, nec eius cladis vllam mentionem faciat Iosephus, nisi forte, vt dixi, sub Ptolemæo Physcone.

XXI. *Res Antiochi & Achæi.* TRANSEO ad Antiochum, de quo illud tantum habeo hoc anno dicere, Achæum, vigente Antiocho, Sardes se recepisse, prælia fortasse pugna aliqua, & clade Achæi, quæ apud Polyb. desideratur. Qui l. 7. ait circa Sardeis leues dimicationes & pugnas, sine vlla intermissione, diu noctuque commissas, militibus vtrimque omnia, in alterius partis damnum ac perniciem comminiscentibus: donec ei oppugnationi, cuius alter iam agebatur annus Lagoras Cretensis finem imposuit. Sic ipse. Sardium ergo expugnatio, & Achæi cædes in annum sequentem differenda est. Interim in Italiam transeamus, mox etiam Hispaniã adituri.

XXII. *Annona ad Casilinum fame expugnat. lib. 23* HVIVS anni initio Casilinum oppidum famo expugnatum, author est Liuius. Mitescente iam hyeme, inquit, educto e hybernis milite Annibal Casilinum redit, vbi continuata obsidio oppidanos, præsidiumque ad vltimum inopiæ adduxerat, vt eorum impatientia quidam se in præcepta darent, alij se nudo corpore in muris montium telis obijcerent. Interea Gracchus tum magister eq. absente, auspiciorum repetendorum causa, Dictatore, pugnare non poterat ad soluendam obsidionem; & Marcellus metu Campanorum, & periculo defectionis eorum, quos in officio præsentia sua continebat, opem ferre laborantibus non audebat. Sempronius tamen farre ex agris vndique conuecto, cum dolia complura complesset, nuncium ad magistratum Casilinum misit, vt exciperent dolia, quæ amnis deferret, missaque sunt atque excepta aliquot noctibus continenter; sed cum mox intumescens amnis dolia nonnulla impulisset in ripam, quam hostes seruabant, eaque inter salicta hæsissent, res patefacta est. Nuces inde fusæ ab Romanis castris cum medio amne ad Casilinum defluerent, cratibus excipiebantur.

XXIII. *Magnitudo famis Casilini.* POSTREMO eo inopiæ ventum est, vt lora, detractasque scutis pelles, vbi feruida mollissent aqua, mandere conarentur, nec muribus, aliode animali abstinerent, & omne herbarum, radicumque genus, aggeribus infimi muri eruerent; cumque hostes quidquid erat terræ extra murum obarassent, obsessi raporum semen iniecerunt. Quo cognito exclamauit Annibal. *Eone vsque dum ea nascantur ad Casilinum sessurus sum?* Itaque deinceps de pactionibus deditionis secum agi permisit. Septunces auri in singulos precium conuenit, quo persoluto cum fide dimissi Comas: quod verius est, inquit Liuius, quam equitem in abeuntes immissũ, interfectos: quod scilicet aliqui, nec Annibalis, nec veritatis amici scripserant. Vrbs reddita Annibali, & septingentorum præsidio firmata.

Redditur Annibali. Id est 58 aur. ⅟₂ quotiam libras. vn... in confusione habemur.

Alijs quoque locis in Italia, Sicilia, Sardinia, auxilium Romanorum socij plerique, & Romani eorum Præfecti frustra fidem atque opem, hac rerum necessitate implorarunt, qui sibi consulere iussi sunt.

XXIV. *Noui Romæ Consules.* INTEREA cum Romam venissent, qui accitierant ad comitia, ea Dictator habuit, quibus creati sunt Coss. L. Posthumius II. absens, qui tum Galliam prouinciam obtinebat, & T. Sempronius Gracchus, qui tum Magister equitum erat, accurrens. Statimque Dictator Theanum ad exercitum in hyberna rediit, relicto Magistro equitum, qui inito magistratu de nouo delectu Patres consuleret, quæ cum agerentur, clades Posthumij Consulis designati nunciata est, qua 25. millia armatorum, cum Posthumio duce perierant.

Clades Posthumii Consulis. Casos tradit Liuius obrutos Litanæ syluæ arboribus, cum Boij dextra læuaque ita arbores incidissent, vt licet immotæ starent, leui tamen impulsu corruerent. Cum ergo Romanus exercitus in syluam esset ingressus, Boij extremas succisarum arborum impellunt, quæ alia in aliam incidentes exercitum oppresserunt. Quicunque eam ruinam euasere, in Gallos, qui armati circumstabant, inciderunt, ab eisque occisi sunt, Posthumius quoque omni vi obnisus ne viuus caperetur, occubuit. Et quoniam valde mirum est tantum exercitum syluam ingressum, nec ab vllo fraudem animaduersam, res probabilior fiet, si noctu dicatur contigisse. Zonaras ait tantum, Consulem in transitu syluosi montis insidijs exceptum, à Boijs cum toto exercitu cæsum, perijsse, & cum eodem Liuio contendit abscissi capitis caluariam auro cælatam, instar pateræ solennibus sacrificijs vsui fuisse. Polyb. l. 3. extremo: nihil aliud affert, quam necopinantem in insidias illapsum, cum toto exercitu à Gallis esse deletum. *Eiusque mors.*

XXV. *Luctus Romanorum.* CLADIS huius nuncius valde Romanos afflixit, clausis vt tabernis, luctus, mœstitiæque publica signa, per dies multos ederentur; donec Senatus Ædilibus negotium dedit, vt ea luctus signa apertis tabernis finirentur. Sempronius Senatu habito patres consolatus est, & adhortatur, vt qui Cannensi ruinæ non succubuissent, ad minores calamitates, ne animos deijcerent: modo prospere cum Annibale ageretur, quod sperabat, cætera tuto differri posse. Contra eum ergo copiæ destinatæ, Varroni prorogatum est in annum imperium. Exercitus dictatoris Consuli decretus est, duæ legiones vrbanæ alteri Cõsuli addictæ sunt, qui in locum Posthumij suffectus est. Is fuit Q. Fabius Maximus Verrucosus III. vt mox dicetur. *Senatus Annibalem...*

XXVI. *Res in Hispania gestæ...* HOC eodem anno P. & Cn. Cornelij Scipiones præclare in Hispania rem gesserunt contra Asdrubalem. Is cũ à Senatu Carthaginiensi iussus esset exercitum in Italiam traducere, eumque ipse docuisset, nisi aperta cum totius Hispaniæ iactura fieri non posse, vt Hispania decederet, quippe cum contra strenuos Romanorum duces res esset, & ne præsens quidem satis retineret oppida, quæ in fide adhuc stabant; itaque mitterent idoneum ducem, eumque valido exercitu, cui si omnia prospere euenirẽt, non tamen otiosam prouinciam fore. Et certè vbi vulgatum est in Hispania, Asdrubalẽ dimissa Hispania Italiam cogitare, plerique ad Romanos, quasi eis iam Pœni cederent, defecerunt. Sicut nihilominus in proposito Senatus, à quo missus est Himilco cum iusto exercitu, & aucta classe, ad retinendam tuendamque terra marique Hispaniam.

XXVII. *Quo hortat.* ERGO Asdrubal discessum omni studio parat, & vice versa Scipiones non minore contentione id interpellere moliuntur, nihil dubitantes eum diem, quo se Annibali Asdrubal adiunxisset, Imperij Romani vltimum fore. Itaque Iberam vrbem opulentissimam, ad Iberum flumen, valide obsident, vt Asdrubalem ad eam obsidionem soluendam ab itinere retraherent. Ille alteram vrbem Romanis addictam obsidet: denique relicta obsidione Iberæ, Romani in ipsum Asdrubalem arma vertunt; & post aliquot dierum velitationes, velut ex composito, vtrimque signum pugnæ propositum est: sed longe dispar erat animus militũ in vtroque exercitu. Nam Romani ita erant in pugnam concitati, vt ea se pugna crederent patriæ vltimam cladem auertere, itaque obstinauerant aut vincere aut mori. Minus pertinaces viros habebat acies altera. Nam maxima pars Hispani erant, qui vinci in Hispania, quam victores in Italiam trahi malebant.

XXVIII. *Hispani ad pugnam.* PRIMO igitur concursu, cum vix pila coniecta essent, retulere pedem. Acrius in cornibus pugnatum est, quæ cum Romanam aciem circumsedissent, ab ea nihilominus, duo prælia simul hinc atque inde sustinente, profligata sunt. Magna facta est cædes, & nisi tam cito se in fugam dedissent, pauci omnino prælio superstites fuissent. Asdrubal vsque ad vltimum euentum pugnæ in acie moratus, è media cæde cum paucis effugit.

Romani castra capiunt, atque diripiunt. Ea pugna, si qua dubia in Hispania erant, Romanis adiunxit: Asdrubalique non modo traducendi in Italiam exercitus, sed ne manendi quidem satis tuto in Hispania spem reliquit. Quæ postquam literis Scipionum Romæ vulgata sunt, nõ tam victoria, quam prohibito Asdrubalis in Italiam transitu lætabantur. *Et victoria.*

XXIX. *Annibal aliquot oppida capit.* Quæ dum in Hispania geruntur, Annibal aliquot oppida, vi, fame, obsidione subigit, Petelliam in Brutijs; quæ eadem ferè, quæ Casilinum in obsidione, à fame tulit. Cōsentia, Crotone, Locrenses Pœni facti sunt, malumque defectionis etiam in Siciliam transijt, domumque Hieronis affecit. Nam Gelo eius filius natu maximus, contempta patris senectute, post Cannensem pugnam ad Annibalem defecit: sed eum repentina mors nova mulierem oppressit, cuius suspicio etiam patrem aspersit. Et hæc quidem circumacto tertio anno Punici belli acta esse tradit Liuius, proindeque anno quarto ab eo inchoato. T. autem Sempronium idibus Martijs iniisse Consulatum.

XXX. *M. Marcellus ... abiens Consul ...* Et expectabat quidem populus vt is comitia, creando Collegæ haberet: verum cum Consul non solum taceret, sed M. etiam Marcellum, quem omnes tacitè Consulatui destinabant, in exercitum ablegasset, ad vrbanas legiones eo deducendas, murmor excitatum in vrbe est. Id sentiēs Sempronius, dixit se comitia in eius aduentū differre voluisse, vt eum haberent Consulem, quem maxime cuperent. Nec mora, statim à redito suo factus est Consul M. Marcellus, ingenti omnium consensu: quippe rem in Præturæ contra Annibalem præclare gesserat. Verum cum eo Consulatum ineunte tonitru auditum esset, consulti augures vitio creatum dixere; idque creditum, quasi dijs cordi non esset, vt vterque Consul è plebe crearetur, quod tum primum futurum fuerat. Itaque abdicare se magistratu coactus est, eique Q. Fabius Maxim. III. suffectus.

Consules exercitus inter se diuisere, Fabio is obtigit, cui M. Iunius Dictator præfuerat, Sempronio Volonum quod erat, & 25. millia sociorum: reliqui duces cum suis copijs, varijs locis, præsertim Siciliæ & Sardiniæ attributi.

XXXI. *Subsidia Carthagini mittuntur.* 4.%. Mago autem frater Annibalis ad eum Carthagine mittebatur, cum 12. millibus peditum, & equitum mille quingentis, Elephantis viginti, nauibus longis 60. cum mille argenti talentis; 4. Cum Carthaginem nuncius afferret, in Hispania rem malè gestam, omnesque ferè prouinciæ populos ad Romanos defecisse. Erant qui id subsidium Hispaniæ tam grauiter laboranti mittendum censerent; alij in Sardiniam, quæ defectionem spondebat à Romanis, si haberet ducem. Itaque Mago in Hispaniam mittitur, Asdrubal Caluus in Sardiniam, cum paribus ferè vtrique copijs, sed huius classis fœda tempestate vexata ad Baleares insulas ejicitur, vbi cum reficiuntur naues, Q. Fuluius Flaccus in Sardiniam cum legione traiecit, vt Rempublicam gereret, quoad Mutius conualuisset.

XXXII. *Legati Philippi ad Annibalem.* Hoc ipso anno teste Liuio, [illegible] aquam tertia iam pugna, tertiaque victoria fauerat Pœnis, Philippus Macedoniæ Rex, qui clade Thrasymenia lætus vt diximus, & nunc Cannensi lætior Italiam spe deuorauerat, Demetrio Phario impulsore, & iuuenili ætate suadente, vigesimum enim agebat annum, fortunam secutus, legatos ad Annibalem misit, qui Capuam petentes, media in præsidia Rom. inciderunt, deductique sunt ad M. Valerium Læuinum Prætorem, qui circa Nuceriam castra habebat. Ibi intrepide Xenophanes legationis princeps à Philippo rege se missum ait ad amicitiam, societatem cum pop. Rom. *Eorum fraus* iungendam. Mandata habere ad Coss. S.P.Q.R. Valerius hac societate tam clari Regis mire lætus, hostem pro hospite accipit, dat qui comitentur, atque itinera tuta demōstrent. Xenophanes inter Romanas copias tutus, quam primum potuit ad Annibalem se contulit.

XXXIII. *Leges fœderis inter eos.* Amicitiæ aūt & societatis hæ leges fuere, vt Philippus Rex quā maxima classe, ducētas autem naues videbatur effecturus, in Italiam traijceret, & vastaret maritimam oram, bellum pro parte sua terra marique gereret. Vbi debellatum esset, Italia omnis, cum ipsa vrbe Roma, Carthaginiensium, atque Annibalis esset, prædaque omnis Annibali cederet. Perdomita Italia nauigarent in Græciā, bellumque cum quibuslibet Regibus placeret, gererent. Quæ ciuitates continentis, quæ insulæ ad Macedoniam vergunt, eæ Philippi, regnique eius essent. Hæc quidem ad verbum T. Liuius, quem Zonaras sequitur, Eutropius & Florus attingunt. At Polyb. l. 7. fœdus hoc exhibet totidē verbis quibus initum est, sed longe diuersa sententia, quæque maiorem animi moderationem sapiat, vt breuitatis causa seorsim dicemus 5.

XXXIV. *Capti ...* 5.6%. Addit Liuius missos ab Annibale legatos ad Philippū, ad Regis ipsius firmandam fidem, Gisgonem, Bostare & Magonem, qui ad Iunonis Laciniæ templum, quod ad Lacinium erat promontorium, iuxta Crotonem ciuitatem, initio sinus Tarentini, quo in terram ascenderant, progressi, nauem quæ in statione erat clam subeunt, velaque faciunt, sed à classe Romana conspecti, quæ præsidio erat Calabriæ littoribus, breuique comprehensi ad Q. Fuluiū Flaccum præfectum classis adducti sunt, cumque is quæreret, qui, & vnde, & quo cursum tenderent, Xenophanes priore mendacio iam satis fœlix, nouum struit, à Philippo se ad Romanos missum, ad M. Valerium (is erat quem Xenophanes paulo ante fefellerat) ad quem vnum iter tutū fuerit peruenisse. *Capti Romā mittuntur.* Campaniam septam hostium præsidijs superare nequisse. Verum sermo, cultusque corporis legatos Annibalis prodidit: apud quos meru retentos, etiam literæ Annibalis ad Philippum de pace repertæ sunt; mox separati omnes nauigijs, ne qua foret inter ipsos communicatio, Romam ad Senatum missi, sed nauis vna parum custodita subduxit se, & Macedoniam versus vela fecit.

XXXV. *Patres ... bello ... prouident.* Patres, qui vix se bello Punico ferendo pares esse sentiebant, ad noui belli Macedonici emergentis curam anxie descendebant; cui tamen non succubuerunt, sed extemplo deliberarunt, quomodo bello vltro Macedonibus inferendo, eum ab Italia auerterent. Ergo captiuis in vincula coniectis, comitibusque eorū sub hasta venditis, collectis 50. nauibus, iussus est Q. Fuluius non tueri modo Italiæ oram, sed explorare de bello Macedonico, si congruentia literis, legatorumque indicijs Philippi cōsilia essent, & M. Valerium prætorem literis certiorē facere, qui primo quoque tempore cum classe in Macedoniam transmitteret, daretque operam vt Philippum in regno contineret. Iustinus dissentit à Liuio: ait enim legatū regis Philippi incolumem dimissum. *Neutri beneuolentia regis, inquit, sed ne dubius adhuc, statim hostis redderetur.*

XXXVI. *Philippus de ... certior fit.* Hæc dum in Italia parantur, nauis quæ elapsa erat, dum capti Legati Romam mitterentur, ad Philippum peruenit, ex eaque didicit legatos à Romanis cum litteris interceptos. Et ignarus quid confectum esset, legationem aliam, cum ijsdem mandatis mittit, quæ feliciter cursu iter emensa, & re confecta remensa est, sed æstate iam circumacta, vt nihil hoc anno Rex moliri contra Romanos posset.

Sempronius Cumis ... Pœnos ... gerit. Cumis quoque eodem tempore feliciter rem gessit Sempronius Consul. Campanos quippe, qui Cumas fraude opprimere cogitabant, quod ad Annibalem deficere nollent, necopinantes & nocturno sacrificio operam dantes, nocturno impetu inuasit, duo eorum millia concidit, cum ipso eorum duce: signa militaria supra 4. & triginta cepit, & castris direptis, Cumas se propere recepit, ab Annibale metuens, qui non longe castra habebat.

XXXVII. *... Annibale ...* Nec sine causa. Is enim raptim exercitum auxilio Campanis ducit, existimās se Romanum in castris diripiendis, spoliandisque mortuis moras trahentem oppressurum: sed spe sua frustratus, Cumas, in ijsque Consulem obsessurus erat, nisi festinata profectio, obsidioni necessaria parare prohibuisset. Itaque regressus in castra, fatigatus Campanorum precibus, sequenti die, cum omni apparatu oppugnandæ vrbis, Cumas sedit. Verum ne illa quidem expeditio ei prospere cessit; machinæ machinis, & turres turribus resistebant. Denique obsessi improuisa eruptione, ad mille & quadringentos Carthaginienses occiderunt, vndequadraginta viuos ceperunt.

Nouam ... cepit cladem. Postera die Annibal ratus elatum secunda re Consulē iusto prælio certaturum, aciem instruxit: verum vt neminē commoueri vidit, sed custodiæ vrbis intendere, infecta re ad Tifata reuertitur.

XXXVIII. *... Hanno ...* Iisdem diebus, quibus Cumæ obsidione liberatæ sunt, alteram cladem Pœnus accepit. Nam T. Sempronius Longus cum Hannone in Lucanis ad vrbem Grumentum prosperè pugnauit; supra duo millia hominū occidit,

& ad

& ad 41. signa militaria accepit, Hannonem finibus Lucanis pulsum, in Brutios compulit, ipse 280. milites amisit. In Sardinia quoque, multa cum Sardorum, Pœnorumque cæde, res benè à T. Manlio prætore gesta, qui tota insula perdomita, Romam exercitum reduxit. In occursu maritimo Octacilij prætoris contra Asdrubalem feliciter quoque pugnatum, & naues 7. cum viris occupatæ. Denique ab vtroque Consule in Campania, res cum laude gesta. quæ fusius persequi non est necesse.

Manlius Sardiniam domat.

Res ad Nolam.

Illud tamen de Nolanis non tacendum. Hoc quoque anno Nolæ Senatus à Romanis stabat, plebs Annibalis erat; consiliaque occulta de cæde principum, & proditione vrbis inibantur: quæ ne procederent, Fabius Consul idoneo loco castra posuit, ad arcendum Annibalem, simulque Marcellum cum copijs in vrbem, ei præsidio futurum immittit.

XXXIX. *Et Samnites gesta.*

Inde crebris excursionibus, & cladibus Samnites, & Hirpinos affecit, adeoque omnia ferro ignique vastauit, vt antiquatum cladium Samnio memoriam reuocaret, & ipsi Annibalis opem, legatione missa implorarent. Extat apud Liuium oratio, in qua, quod ad rationem temporis attinet, Samnites aiunt se postquam à Pyrrho relicti essent, pacem cum Romanis fecisse, (ea inita est anno V.C. 481. Coss. L. Papyrio Cursore II. & Sp. Caruilio) in eaque per annos prope quinquaginta fuisse, aut potius vltra 50. numeratis extremis ad id tempus, quo in Italiam Annibal venit, qui fuit primus belli 2. Punici, & V.C. 535. Ab illo enim ad hunc annum, omnino 55. numerantur. Quod autem, aiunt se per centum prope annos bellum gessisse cū Romanis, id gloriose magis Samnites isti, quam vere dixerunt. Nam ad annum vrbis 481. docuimus, id vix duos & 70. annos durasse.

XL. *Annibal Samnitibus opem pollicetur.*

SAMNITIBVS prolixe auxilia pollicetur, & Cannensem cladem se altera quapiam illustriore obscuraturū, vt Trebiensem Thrasimenica, & hanc Cannensis longe superauerat. Cum hoc responso, muneribusque amplis legatos dimisit. Ipse præsidio modico in Tifatis relicto, profectus cum cætero exercitu, Nolam ire pergit. Eodem Hanno cum supplemento, & Elephantis, quos Carthagine acceperat, ab Annibale euocatus venit. Marcellus, qui cautè semper, ac velut præsente Annibale prædatum ierat, eo aduentante, in vrbem se Nolam cum copijs recepit, & quia plebi non fidebat, per muros Nolanos senatores inambulare iussit, & omnia explorare, quæ circa hostem fierent. Cumque ad muros successisset dux Hanno, senatores duos ad colloquium euocat, qui consensu Marcelli egrediuntur.

Nolam adit.

XLI. *Eam que ad deditionem sollicitat.*

ILLA monitionibus, promissis, ac minis Senatores omnem in partem versat, vt se, atque vrbem, Marcellumque Annibali dedant, pacem quibus ipsi voluerint legibus facturos. Illis contra, multos iam annos inter Romanū Nolanumque populum amicitiam esse, cuius neutros ad eam diem pœniteret, & sibi, si cum fortuna mutanda fides fuerat, sero iam esse eam mutare: si Annibalem recipere voluissent, non vltro præsidium Romanorum fuisse aduocaturos, cum ijs qui ad se tuendos venissent, omnia sibi & esse consociata, & ad vltimum fore.

Irrito conatu.

Nolam obsidet.

Hoc colloquium cum spem proditionis ac deditionis Annibali abstulisset, Nolam corona cinxit, vt simul ab omni parte mœnia aggrederetur. Quem vt successisse muris Marcellus vidit, instructa intra portam acie, cū magno tumultu erupit, fuissetque in paucis pugna memorabilis, nisi ingentibus procellis effusus imber pugnantes diremisset.

LXII. *Clades ei ibi accepta à Marcello.*

DILATA res est in diem tertium, cum Marcellus cognita alicuius partis hostilis exercitus absentia, in aciem copias educit. Nec detrectat certamen Annibal vterque dux suos ad certamen accendit; sed Romani, iam ea re feliciter inchoata hilares, & pugnæ ardore flagrabant, alij ex Capuanis luxu molles, ij vltra non erant, qui tantis cladibus Romanos attriuerant. Denique Pœni omni ex parte pelluntur, terga vertunt, in castra confugiunt, quæ oppugnare militem Romanum Marcellus non est passus, sed victoria magna exultantem Nolam reduxit; etiam gratulatione plebis; quæ fuerat in Pœnorum ante propensior. Hostium plus mille eo die cæsi, capti 1600. & signa militaria vndeuiginti, & duo elephanti, 4. in acie occisi. Romanorum minus mille interfecti; postridie sepulturæ dati, spolia Marcellus Vulcano deuota combussit.

XLIII. *Et defectionem ab equitibus pat.*

TERTIO post die, ob iram credo aliquam, & Imperatoris obiurgationem, aut spem liberalioris militiæ 1272. equites, misti Numidæ Hispanique, ad Marcellum transfugerunt, eorumque deinceps forti, fidelique opera, Romani in eo bello vsi sunt. Annibal relicta Nola, Apuliæ hyberna petijt magno dolore, ex inusitata adhuc suorum defectione affectus, vt rationi consentaneum est, & Zonaras affirmat. Absente Annibale Q. Fabius Campanum agrum laté populatur, castris prope Capuam collocatis, vbi leuibus prælijs certatum est, susceptumque à duobus singulare certamen; Romano victoria cessit.

Abit in hyberna.

In Hispania res bene gesta.

At in Hispania res felicius etiam, quā in Italia gestæ sunt. Sciplones ad Senatū perscripserunt, quas res in prouincia gessissent: iū stipendium, vestimenta, ac commeatum petebant; cui rei cura publica, & priuata publicanorum pecunia, ac liberalitate subuentum est, vt fusius explicatur à Liuio.

XLIV. *Insignis Scipionum victoria ad Illiturgum.*

CVM hi commeatus in Hispaniam venerunt, Illiturgi, oppidum nobile ab Asdrubale, Magone, & Amilcare oppugnabatur, quod à Pœnis defecisset ad Romanos. Inter hæc terna castra hostium, Scipiones per magnas strages, frumentum in vrbem intulerunt, cohortatique oppidanos, vt eodem animo mœnia tutarentur, quo pro se pugnantem Romanum exercitum vidissent, ad castra maxima, quibus Asdrubal præerat, oppugnāda ducunt: eodem & duo exercitus Carthaginensium conuenerunt, quasi de summa rei agendum foret. Eruptione è castris pugnatum est. Sexaginta hostium millia eo die in pugna fuere, sedecim circiter Romanis. Quorum victoria minime dubia fuit; plures hostium cecidere, quam ipsi Romani essent; capta sunt hostium amplius tria millia, paulo minus mille equorum, vndesexaginta militaria signa. Elephanti quinque in prælio occisi, ternis denique castris eo die Scipiones potiti sunt.

Hostium clades.

XLV. *Altera ad Incibile oppidum.*

ILLITVRGO oppido obsidione liberato, ad Incibile oppugnandum Punici exercitus traducti sunt, suppletis copijs ex prouincia, quæ belli auidior esse videbatur; quod oppidum idem videtur cum Indibili Frontini, qui ibi Hānonem à Cn. Scipione fugatum tradit. Ibi ergo iterum signis collatis, eadem fortuna vtriusque partis pugnatum est: supra 13 hostium millia cæsa, supraque tria capta, cum signis duobus & quadraginta, & nouem elephantis; quam victoriam omnium prope populorum defectio ad Romanos subsecuta est. Hæc ad hyemem vsque gesta, cum quibus Liuius librum vigesimum tertium absoluit. Quæ supersunt ante creatos consules, ad sequentem annum differenda sunt; quoniam vt non semel monuimus, annos Iulianos quantum possumus, obseruamus.

SCOLIA IN ANNVM MVNDI 3839.

NEc parua etiam Romanorum culpa fuit, & inhumanitas in eos milites, qui profligata acie è pugna fugerant, qui apud M. Marcellum in Sicilia conquerebantur, se in Siciliam relegatos, & ante Punici belli finem Italiæ ingressu prohibitos: cum tamen à principio, eos vulgo laudassent, quod se Reip. seruauissent. meritoque expostulant, quod Varroni cladis autori gratias egerint: quod cæteri, qui tum tribuni militum fuerant, honores peterent, & gererent & prouincias obtinerent; sibi ne in patria quidem viuere liceat. *An vobis, inquit vestrisq; liberis P.C facile ignoscitis, in hac vobis capita fanisti: & Consuli primoribusque alijs cunctatis fugere, cum spes alia nulla esset, turpe non fuit, milites vtique morituros in aciem misistis!* Hæc aliaque id genus psi apud Liuium l. 25. Nihil tamen impetrarunt, quod commilitones suos pugnantes deseruissent: quasi non eadem culpa, si culpa fuit, etiam locupletiorum fuerit.

N. xxxii. Pert net hic num. ad annum præced. Fugitiui etiam relegati.

Caue autem putes συγῆν esse honorari, nec grammatici id dicunt, sed interpres tertij Machab. pro odio & horrori esse, legit. apud eos honori, vt videtur.

1. N. 12.

Qualis est illa Flori, l. 2. c. 6. Opes suas libens Senatus in medium protulit. Eques secutus exemplum, imitatæque equitem Tribus, denique vix sufficere tabulæ, vix scribarum manus. &c. quę ex Liuij 26. sumpta sunt. Tanto, inquit, certamine iniectu, vt prima inter primos

2. N. 2.

nomina sua vellent in tabulis publicis esse, vt nec triumoui accipiendo, nec scribendo & referendo sufficerent.

1. N. xxii. Id est, vt ait Scaliger, à septimo Iulij ad finem decimi quarti Augusti Sed hoc etiā spatium non habet nisi 39. dies, etiam numeratis extremis, cum historia postulet 40. Idem, hoc spatium Hebraicis mensibus circumscribens, ab octaua, inquit, Tamuz vsque ad finem 17 Ab anno 18 si isti duo menses sunt quartus & quintus, & respondent Iunio & Iulio, aut Iulio. & Augusto, quibus respondent Ab & Elul.

4. N. xxxi. Si talenta libet Attica sumere, quæ sexaginta minas capiunt, quarum singulæ, valent 17. francis cum dimidio, iuxta Cenalis supputationem talentum valet mille & quinquaginta francis: mille autem talenta, Milionem vnum vt vocant, & quinquaginta millia francorum.

Sin autem Euboica talenta mauis, quorum singula fuerunt octoginta minarum, talentum respondet mille & quadringentis francis: mille autem talenta ascendent ad millionem vnum, & quadringenta millia francorum, qui sunt aurei nūmi nostrates, 466. millia, 166. & $\frac{5}{6}$

6. N. xxxiii. Principio numerantur qui vtraque ex parte fœdus hoc inierunt Hoc est fœdus, inquit, iureiurando sancitum, quod icit Annibal Imperator, ac simul cum eo Mago, Myrcal, & Barmocal, & Senatores Carthaginensium, qui aderant, & vniuersi Carthaginenses, qui in eius exercitu erant, cum Xenophane Cleomachi filio Atheniensi, quem ad nos misit Philippus Rex Demetrij filius, tam suo, quam Macedonum, & sociorum nomine. Secundo recensetur multam turbam deorum, iam Afrorum, quam Macedonum, coram quibus inirent fœdus. Tertio Annibal ex sua suorumque sententia dixit, fœdus hoc fore amicitiæ, & beneuolentiæ, vt amici, societate iuncti, & fratres in posterum essent. A Philippo, & Macedonibus, cæterisque Græcis eorum socijs, salus esset Carthaginensibus, & Annibali, eorumque subditis ac socijs: & vicissim salus Philippo, & Macedonibus a Pœnis, vtqua sibi mutuam præsidio, auxilioque forent. Non appeterent alij alios occultis consilijs, alterique alterutrius populi hostibus hostes essent. Quarto circa bellum præsens statuunt, vt bellum quod iam est Pœnis contra Romanos, sit & Macedonibus, donec vtrisque superi lætum exitum dederint: vt si deorum auxilium aduersus Romanos eorumque socios, Pœnis Macedonibusque defuerit, & amicitia cum eis iungenda fuerit, sic iuncturos, vt eadem illa Macedones comprehendantur, nec liceat bellū Romanis contra Macedones gerere, neque Corcyræos, neque Apolloniatas, neque Dyrrhachinos, neque Dimalles, & Parthinos, neque Atintaniam in potestate habeant: Reddant ijdem Demetrio Phario omnes illius propinquos & necessarios, qui intra Romanorum ditionē fuerint Quinto circa bella, quæ deinceps possent existere, statuunt vtrosque sibi auxilio futuros, si alterutros Romani aliique bello petiuerint, exceptis vtrorumque amicis ac socijs. Sexto & postremo conueniunt, si quid huic fœderi Carthaginensibus addere vel demere visum fuerit, id ex communi amborum sententia factum iri. Hæc ferè Polyb. & quidem, vt mihi videtur, probabilius.

ANNVS MVNDI 3840. SEXTÆ AETAtis 324. Imperij Græcorum 98. Antiochi Magni 11. Simonis Pont. 19. Ptolemæi Philopatoris 7. Philippi Macedonis 7. Olympiadis. CXLI. Ann. 3. Vrbis Conditæ 539. Coss. Q. Fabio Maximo Verrucos. IV. M. Claudio Marcello. III. Secundi Punici belli 5.

ANNVS ANTÈ CHRISTVM 213.

I. *Res Antiochi prosperæ.* ANTIOCHI Magni res admodum secundæ hoc anno in Asia fuerunt. Nam captis per insignem audaciam Sardibus, & per insigniorem proditionem Achæo, quidquid ipsi patebat facile in potestatem legitimi principis redactum est. Vtrumque à Polybio copiose narratur, vrbis expugnatio l. 7. Achæi pernicies octauo: ab illa ergo quæ anterior est inchoandum est. Achæum Antiochus toto hoc bello maxime persequebatur, vtque eo potiretur, Ægyptiaco bello se parum honorificè expedierat; moxque cū Attalo societatem inierat. At ille Sardeis, inque eius arcē munitissimam se receperat; vbi alterum iam annum Antiochi conatus omnes eludere, atque irritos reddere conabatur, vt superiore anno significatum est. Hoc tandem Sardeis Lagoræ Cretensis solertia in primis occupantur.

II. *Lagoras occupat vrbem ... nupta.* Is cognito partem illam mari, quæ arcem vbi iungit, & Serra dicitur (ob crebros vt videtur scopulos, quasi saxi dentes eminentes) incustoditam esse, quod locus hosti inaccessus omnino putaretur, eo in vrbem penetrare cogitat. Intellexit autem eum locum carere custodia, quod ibi interdiu coruos & vultures pastos cadaueribus; quæ ad eam partem dabantur in præceps, diu desiderie animaduertit. Noctu etiam adit propius, explorans quibus locis scalæ adhiberi possent: & loco vno animaduerso, de consensu regis, duos assumit sibi socios audacis propositi, cum quibus omnia consilia communicat. Hi quindecim de fortissimis militibus assumunt, qui in admouendis scalis, & scandenda rupe, consilij adiutores essent. Secundum hos & triginta alios designarunt, qui portas extrinsecus irruentes refringerent, tantisper dum ipsi vectem intus, & claustra discuterent. Electi sunt & bis mille milites à tergo secuturi, qui facta in vrbem irruptione, summam theatri coronam occuparent, quæ arci & vrbi opportune imminebat.

III. *Mollis per ... confunditur.* PRÆPARATIS omnibus, simul ac terram luna subijt, Lagoras & socij scalas destinatis locis applicant, supercilio saxi ab oppidi atque arcis tecti conspectu. Exorto dein die, cum illi conscenderent, & è castris sui conspicerent, magna admiratione, & metu afficiebantur. At Rex quo suorum, oppidanorumque animos, ab eo, quod agebatur, auocaret, propius vrbem copias adducit, easque portæ admouet, quam Persidē vocabant. Achæus qui diu inops consilij, quid ageretur non intelligebat, tandem ad eam portam auxiliares copias misit, quæ irrumpentibus obsisterent; verum quod per angustam & præruptam semitā descendendum erat, serum id auxilium fuit. Aribazus vero vrbis præfectus nihil mali suspectans, ad eam portam se confert, quam peti ab Antiocho videbat, & milites alios iubet mœnia conscendere, alios porta egressos appropinquantem hostem arcere.

Imprudentia ... Aribazi.

IV. *Vrbem ... conscendunt.* INTERRA Lagoras, Theodotus, & Dionysius superatis rupibus ad portam subiectam perueniunt, & erant ex illis, qui cum hoste occurrente dimicarent, alij fores effringerent, cum eodem tempore, quibus id negotij datū fuerat, extrinsecus idem facerent: mox patefactis portis irrumpūt bis mille delecti & theatri summam coronam occupant. Quo facto è mœnib' & porta Perside, quò antea præsidio venerat Aribazus, ruere omnes, signoque dato in eos ferri qui iam in vrbem irruperant. At discessu horum patefacta porta, quidam è Regijs oppidanos retrocedentes secuti, vrbem irrumpunt, alijque mox portis patefactis. Illicet omnis exercitus vrbe potitus est. Oppidanis cum Aribazo post leue certamen, in arcem se recipientibus, vrbem cædibus, rapinis, incendijs permiserunt.

Et abunde reliqua.

V. *Sosibius ... pro Achæo.* SVPERERAT Achæus in arce, quem omnibus votis Antiochus iampridem in potestate habere cupiebat, adeo vt ea vna causa fuisse videatur, non initæ pacis inter Antiochum & Ptolemæum, quod Antiochus Achæum in fœdere nolebat comprehendi: eius potiundi viam hostea sui patefecerunt. Bolis erat genere Cretensis, qui tum in Alexandria Ægypti versabatur, & longo tempore in aula Ptolemæorum magnis honoribus fuerat affectus, vt qui rerū gerendarum prudentia, audacia, atque vsu nemini secunda putaretur. Eum Sosybius adit, ille, inquam Sosibius, qui apud Philop. omnia poterat, & pro Achæo apud Antiochum vehementer laborauerat, is nunc Bolim adit, orarque vt ad eripiendum ex arce, in qua obsidebatur, Achæum comminiscatur aliquid; nihil ipsum hoc tempore Regi Ptolemæo gratius efficere posse.

VI. *Bolis ... in hac causa.* ILLA vbi multa versasset animo, negotium in se recipit, vt qui amicum, ac ciuem, atque adeo cognatum haberet Cambylum Præfectum Cretensium, in exercitu Antiochi Magni, qui ad ipsam arcem custodias agebant; modo pecunia non deesset.

Sosibius ei decem talenta interim numerat, & maiora etiam tam à Rege Ptolemæo, quam ab Achæo ipso, cuius salus quærebatur, prolixe promittit, ingentique spe plenū cum literis commendatitijs dimittit ad Nicomachum Rhodium, qui Achæum paterno affectu complectebatur, & Ephesum ad Melancomam: isti namque erant, quorum opera maxime vsus fuerat Achæus superiorib' annis,

in communicandis cum Ptolemæo cõsilijs. & quorũ mox opera Bolis ad perdendum Achæũ improbissime vsus est.

RHODVM vt venit, ac mox Ephesum susceptum de eripiendo ex arce Achæo consilium dictis viris aperuit: eosque ad postulata sua paratos nactus. Mox Arianum vnũ è suis ad Cambylum, cum hisce mandatis proficisci iubet. Ab Alexandria missum se peregrini militi conducendo, de necessarijs quibusdam rebus cum Cambylo velle conferre, si tempus ac locum idoneum constituant, in quem tuto conuenire liceat.

VII. *In quem cũ Cambylo conuenerat strat.* Arianus cum Cambylo agit, suaque illi mandata exponit. Cambylus diem locumque ambobus notum assignat, in quẽ noctu conueneirũt. Bolis epistola (Sosibij opinor ad Cambylum pro liberando Achæo) in medio posita, Creticam super ea deliberationem instituunt. Non enim de salute miseri, cui pernicies imminebat, neq; de fide sibi ab ijs habita, qui hoc ipsis negotium crediderant, sed de sua vtilitate consultabant. In eamq; sententiam conuenerunt, vt pecuniam à Sosibio acceptam inter se diuiderẽt, rẽ Antiocho aperirent, amicorum literis in arcem penetrarẽt, & Achæo fidem facerent, vt seipsis crederet: eductum ex arce, non in libertatem assererent, sed necopinantem cõprehensum, Antiocho viuum excruciendum traderent.

VIII. *Operas partiuntur inter se.* His ita constitutis, agendi cum Antiocho Cambylus curam in se recipit. Bolis post paucos dies Arianum se pollicetur missurum ad Achæum, tesseram cum literis ab Nicomacho & Melancoma afferentem, qui vt in arcem tuto ingrederetur, atque exiret, id vero Cambylo esse curandum. Quod si inceptum probaret Acheus, & Nicomacho & Melancomæ responderet, ipsum per se Bolin rem actutum, & Cambylum conuenturum.

Bolis literas amicorum Achæi obtinet in eius perniciem. Hoc modo partiti operas, Cambylus Antiocho rem aperit, qui lætitia, in re tam inopinata, desiderataque gestiẽs, omnia pollicetur: & vbi etiam rei perficiendæ vias didicit, Cambylum omnibus modis vrget ad rem perficiendam. Bolis quoque apud Nicomachum & Mesancomam operi instabat; qui fide syncera hæc agi arbitrantes; epistolas ad Achæum per notas, de quibus conuenerat, scriptas cõponunt, quibus hortantur, vt Bolidi, & Cambylo fidem habere ne dubitet.

IX. *Quas mittit ad Achæũ, & fidẽ facit.* ARIANVS Cambyli opera in arcem admissus, literas Achæo reddidit, & qui à principio cunctis quæ gesta fuerãt, interfuisset, exactam omnium rationem reddebat, constabatque sibi, vt qui ex vero affectu ageret, & præcipua, quæ inter Bolidem & Cambylum decreta fuerant, ignorabat. Cuius constantia permotus Achæus, & maxime notis illis, quas à Nicomacho & Melancoma acceperat, respondet, ac statim Arianum remittit; Itum reditumque est vltro citroque sæpius. *Eique se Achæus committere statuit.* Tandem Achæus, cui spes alia salutis nulla superetat, Nicomacho sese permittit, mandatque illi vt noctu silente luna, cum Ariano Bolim mittat, cui se traditurus sit. Interea dum Achæus meditatur quid rerum facturus sit, si eum arce elabi contingat, Melancomas Achæi literas recipit, Bolimque mittit, & multis hortatur, vt Achæo fidelem operam nauet. Ille Ariano præmisso, qui de suo aduentu Cambylum faceret certiorem, noctu ad conditum locum venit: vbi cum diem integrum colloquentes vnà fuissent; & qua ratione singula administraturi essent, de communi sententia statuissent, mox silentio noctis castra ingrediuntur.

X. *Ordo rei gerendæ.* ERAT autem ordo rei gerendæ huiusmodi. Siquidem Achæus ex arce solus, vel vno cum comite, & Bolide & Ariano exiret, facilè ab ijs, qui futuri erant in insidijs, cõprehensum iri: sin autem cum pluribus, difficilè; cum præsertim viuum capere vellent, in eoque magna pars gratiæ, quam ab Antiocho sperabant, esset posita.

Oportebat igitur vt Arianus cum Achæum educeret viam præiret, quia semitam illam; quam sæpe triuerat apprime norat, Bolim vero pone alios sequi, vt postquam ad locum illum ventum foret, vbi Cambyli opera insidiæ præsto futuræ erant, prehensum Achæum teneret; ne ille beneficio noctis, per syluas & dumeta, in ipso tumultu euaderet, vel præ dolore ex prærupto aliquo saxo præcipitem se abijceret.

Bolis regem adit. His constitutis venit Bolis ad Cambylum, à quo prima statim nocte ad Antiochum deducitur solus ad solũ, à quo benigne acceptus, & promissis oneratus in castra cũ Cambylo reuertitur.

XI. *Adit & Achæum cum famulo suo.* APPETENTE mane ascendit Bolis cum Ariano, & prius quã illucesceret, arcẽ est ingressus: & ab Achæo singulari comitate exceptus est, qui deinde multis interrogationib' explorat hominis fidem, Cumque cerneret ipsum & vultu & sermonibus grauitatẽ præ se ferre, tã:i ponderis incepto parem, modo blandiente spe salutis gestiebat lætitia; modo rursus, ob magnitudinẽ periculi, quasi attonitus hærebat; vt qui & iudicio & rerum gerendarum prudentia non mediocriter polleret. Et primum statuit non esse committendum, vt de votis Bolidis fide, vniuersa sua fortuna pẽderet, ideoque negauit Bolidi se cum eo nunc exire posse: *Achæi prudentia.* verum tres quatuorue ex numero amicorũ cum ipso missurum, qui si eum Melancoma essent collocuti, mox daturum se operam, vt ad exeundum esset paratus, (& tamen volebat exire, sed ignotus Bolidi.) Vbi nox aduenit, qua emissurum se vna cum ipsis suorum aliquos dixerat, præmissis Ariano & Bolide ad portam qua exituri erant, opperiri illos eo loco iussit, qui cum ipso erant abituri.

XII. *Archæus exit ab arce ignotus. Polyb. l. 8. p. 528.* INTEREA Achæus vxori Laodicæ discessum suum indicat, erat ea filia Mithridatis Regis, eamque rei nouitate exanimat. Verum vbi spe meliorum eam consolatus esset, mox 4. amicis comitatus, quibus mediocrem amictũ dederat, in plebeia ipse veste præire instituit. Vni suorum præceperat Achæus, vt ad omnia quæ diceret Arianus solus ipse responderet, cæteros diceret esse Barbaros. Ergo viæ se dant, præit Arianus, propter viæ notitiam, pone sequitur Bolis, plane animi anxius. Nam etsi Cretensis erat, quiduis suspicari facilis in alienam perniciem, non poterat tamen tenebris impedientibus Achæum agnoscere, nec an omnino adesset certo scire. Didicit tamen hoc modo.

Agnoscitur à Bolide. Erat via ad descendendum plerisque in locis prærupta, & inuia, alicubi etiam lubrica. Ad huiusmodi aliquẽ locum quoties accedebatur, cum alij manu prehenderent Achæum, alij rursum illum subleuarent, expectarentque, neque enim penitus continere se poterant à consuetis huiusmodi officijs, statim intellexit Bolis, quis è comitatu esset Achæus.

XIII. *Comprehenditur in insidiis. Ad Antiochum adducitur.* VT ventum est ad locum à Cambylo constitutum, dat Bolis signum sibilo, exurgunt qui erant in insidijs, alijque alios comprehendunt, Bolis Achæum ipse corripuit cum vestibus suis, intra quos manus habebat, ne sibi desperatione manus afferret; statimque ambientium corona cinctus, vinculis astringitur, & ad Antiochum cum suis è vestigio adducitur, qui cum duobus tribusue satellitibus rei exitum solicitus expectabat. Postquam subito ingressus Cambylus vinctum Achæum humi destituisset, adeo illi præ admiratione vox faucibus adhæsit, vt post diuturnũ silentium, fortem illius miseratus lachrymas funderet; & pœniteret pœnitẽtia tactus indignissimæ proditionis. Prima luce conuenientibus, vt fit, in Prætorium regis amicis, ante omnium oculos posito hocce spectaculo, idem quod regi alijs vsu veniebat, vt præ admiratione quæ suis ipsi oculis cernebant, satis vera non crederent.

XIV. *Arx Antiocho restituitur.* POSTQVAM in concilio proceres sederunt, variæ de illius supplicio dictæ sunt sententiæ; demum placuit vt miser extremis membris primum mutilaretur, deinde vt post caput amputatũ, atque vtri asinino insutum, truncus in crucem tolleretur. Quo facto, tantus motus castra inuasit, vt Laodice, quæ sciebat tantum maritum exisse, casum illius è tumultu coniiceret. Ad quam mox Caducceator aduenit, rei totius nuncius, simul iubens vt cura rerum se abdicaret, atque arcem traderet: pro responsione primo lamentis omnia personuere, tum propter suam in Achæum beneuolentiam, tum maxime propter rei admirabilitatem: qua nescio an vlla multis seculis theatro magis digna contigerit, ita tragicis affectibus admiratione, terrore, odio, commiseratione, spe, metu, desperatione, tota plena est, totaque ad tenendum auditorem accommodata, multiplici fraude, erroribus, exitu inopinato, commutatione fortunæ.t.

XV. *Arx Antiochia expugnatur.*

REX post sublatum de medio Achæum, inarcis expugnationem erat intentus, sperans disiuncta studia eorum, qui inclusi erant, huic eius desiderio seruitura: alijs cum Ariobazo, alijs cum Laodice sentientibus; nec spe sua frustratus est. Dum enim sibi inuicem diffidunt, celeriter vtraque factio & se, & arcē fidei Regis permiserunt. Ita Achæus, inquit Polybius, cum nihil eorum prætermisisset, quæ recta ratio suadebat, illorum perfidia victus, quibus fidem habuerat, diem supremum obijt. Exemplū posteris duobus modis vtile; primum vt nemini temere esse credendum discamus; deinde vt lætis spiritus ne attollamus. Addiderim libenter tertium, vt vltricem Dei agnoscamus manum, qui proditione petire permiserit, qui prodita per ambitionem fide, ætate regis sui abusus, magnam regni partem hosti sublatam sibi vsurpasset.

XVI. *Philopatoris in Ægypto vita.*

INTEREA quæ esset Ptolemæi Philatoris in Ægypto vita, Iustinus l. 30. paucis explicat. *Contentus*, inquit, *recuperatione vrbium quas amiserat Philopator, factaque pace, auide materiam quietis arripuit, reuolutusque in luxuriam, occisa Euridice, vxore, eademque sorore sua* (eam, vt dixi Arsinoēm vocat autor l. 3. Machab. Causam mortis suspicati possumus zelotypiam concubinarum; sequitur enim) *Agatoclea meretricis illecebris capitur; atque ita omnis magnitudine nominis, ac maiestatis oblitus, noctes in stupris, dies in conuiuijs insumit. Adduntur instrumenta luxuria tympana & tripudia*: quia scilicet Matris Deum sacrificulus esse voluerat, & Liberi patris sacris addici, vt supra dicebamus; pergit. *Nec iam spectator Rex, sed magister nequitiæ neruorum oblectamenta modulatur: hæc primo labentis Regiæ tacita pestis, & occulta mala fuere.* Hæc Iustinus.

XVII. *Res in Italia gesta.*

IN Italia sub ipsam hyemem & anni initium, nondum creatis nouis Coss. Sempronius Consul, qui Luceriæ in hybernis erat, & Annibal haud procul Arpis, leuibus prælijs ex occursu, aut opportunitate huius vel alterius partis, certabant, fiebatque Romanus in dies melior, & cautior. Hanno Brutiorum opera Græcas vrbes tentauit, Locros deditione accepit, dimisso furtim à ciuibus Romano præsidio. Crotonem deinde Brutij prædæ auidi occupare conantur, & plebis opera, quæ Annibalem præferebat Romanis, vt alijs quoque plerisque in vrbibus, vrbem magna ex parte desertam occupauit: arcem optimates tenebant; sed ab ea excedere à legatis Hannonis persuasi, Crotone relicta Locros translati sunt. Brutiorum Colonia in Crotonem desertam traducta.

XVIII. *Mors Hieronis.*

IN Sicilia hoc ipso tempore mortuus est Hiero, regnūque eius in Hieronymum nepotem translatum est, ex quo multa in Sicilia turbata. Quæ præuidens Hiero voluisse dicitur moriens liberas relinquere Syracusas. Sed eius consilio summa ope filiæ obsistere, nomen regiū penes puerum futurum ratæ, regimen rerum omnium penes se, virosque suos Andronodorum & Zoilum, qui Tutorum primi relinquebantur. Erant autem omnes numero quindecim, quos precatus est moriens, vt fidem erga populum Romanum, quinquaginta annos à se cultam, inuiolatam seruarent, (ab anno quo fœdus cum Hierone initum est, Vrb. Cōd. 490. Valerio Maximo & Otacilio Crasso Coss. hic annus quinquagesimus numeratur,) iuuenemque, ætatis annos natus quindecim, per vestigia ab auo trita deducerent.

XIX. *Syracusa ad Annibalem deficiunt.*

HIERONE mortuo turbantur omnia, testamentum publicè lectum improbatur, Andronodorus tutelam ficte deponit, iuuenem iam regem esse dictitans, ac regni potētem, vt eius exemplo reliquis tutela se abdicantibus, solus ipse cum puero dominetur. Hieronymus qui quamuis bonus, succedens tamen Hieroni vix tolerabilis Syracusanis videri poterat, propter eximiam humanitatem ac moderationem Hieronis, cum primo statim conspectu omnia disparia ostendisset, & Dionysium potius tyrannum, quam Hieronem exhiberet, omnia turbata sunt, multæ cædes perpetratæ, aliqui etiam è tutoribus, metu suppliciorum sibi fuga, vel voluntaria morte consuluerunt. Hieronis generi Annibali fauebant, Thraso tertius è tutoribus Romanis, qui & mox interfectus est. Statimque Hieronymus legatos ad Annibalem mittit, cum eoque

Claudio Prætore frustra tentante.

societatem init. Quæ vbi accepit App. Claudius prætor, cuius Sicilia prouincia erat, extemplo legatos ad Hieronymum mittit, qui se ad renouandam societatem, quæ cum auo fuisset, venisse dicerent; sed ab eo per ludibrium auditi dimissique.

XX. *Hieronymi fœdus cum Carthaginiensibus.*

INDE legatos Carthaginem mittit, ad fœdus ex societate cum Annibale faciendum. Pacto conuenit vt cum Romanos Sicilia expulissent (quod breui fore sperabat, si naues atque exercitum misissent) himera annis, qui ferme Siciliam diuidit, finis foret Syracusani ac Punici imperij. Assentatorum deinde vocibus flexus, aliam mittit legationem, qua equum censebat Siciliam sibi omnem cedi. Italiæ imperium Carthaginensi populo proprium quæri: quę non morabantur Pœni, modo cum nunc à Romanis auerterent.

Interfectus.

Verum ea cura quamprimum liberatus est. Nam cum Hippocratem atque Epicidem, quos materno genere Pœnos, auito Syracusanos ad eum miserat Annibal, præmisisset, cum duobus armatorum millibus, ad tentandas vrbes, quæ præsidijs Romanis tenebantur, ipse cum cætero exercitu, quindecim fere millium equitum peditumque, in Leontinos profectus est: vbi ad viæ angustias à coniuratis interfectus est. Vt iacentem videre regem, fuga satellitū facta est. Interfectores pars in forum ad multitudinem lætam libertate, pars Syracusas pergunt, ad præoccupanda Andronodori, aliorumque regiorum consilia.

Appius de re tota Senatum certiorem facit; ipse aduersus Syracusana consilia, ad prouinciam, regnique fines tutandos, omnia præsidia conuertit.

XXI. *Noui Coss. autoritate Q. Fabij.*

INTEREA comitiorum tempus aduenit; cum Q. Fabius Romam ideo venit, & in eum, quem primum comitialem diem habuit, comitia edixit: cumque iam sors prærogatiuę iuniorum exisset, eaque T. Otacilium, & M. Æmyliū Regillum Coss. dixisset, eam rem Fabius sua autoritate discussit, quod hoc tempus clarissimos imperatores, si vnquā alias exigeret, qui contra Annibalem in acie stare possent. Itaque prerogatiua Iuniorum in suffragium reuocata, quāuis obstrepente Otacilio. Q. F. Maximum IV. M. Marcellū III. dixit, quam reliquæ centuriæ sine vlla variatione secutæ sunt: nec timuit Fabius, ne ambitiosus haberetur, aut consulatu excludendo eos, qui iam propè electi erant, aut illum sibi oblatum recipiendo; quod ea essent tēpora, quæ dignitatem formidabilem potius redderent, quam amabilem. Hunc annum quintum secundi Punici belli vocat T. Liuius, insigni Tyberis eluuione notabilem, cū magna strage tectorum, pecorumque, & hominum pernicie.

Tyberis inundatio.

XXII. *Apparatus bellicus.*

CONSVLES omnium in se animos expectatione cōuerterunt: multis enim annis tale per Consulum non fuerat. Comitijs verò prætorijs, cum Q. Fuluius Flaccus iterum Prætor factus esset, etiam Senatusconsultum factum est, vt ei extra ordinem vrbana prouincia esset. Consulibus ad bellum proficiscentibus omnibus, qui ad exercitus varijs in locis erāt, prorogatum est imperiū. Duodeuiginti legionibus bellū geri placuit, quæ sub varijs ducib⁹ tota Italia, Gallia, Sicilia, Sardinia, terra mariq; dispertitę essent.

Hic maior solito apparatus Campanos præcipue conterruit, & accersere ad se Annibalem coēgit. Eū secutus Fabius, maximis itineribus ad exercitū redijt, & T. Sempronium Gracchum Beneuētum copias admouere iussit, quo tempore Cato maior Capuam miles, duce Fabio IV. consule profectus est, vt Cicero de Senectute testatur. Ex altera parte, quasi ex composita, eodem venit Hanno ex Brutijs, cum magna equitum peditumque manu.

XXIII. *Res ad Beneuentum gesta.*

SED Gracchus prior oppidum intrauit. Deinde vt Hannonem 3. millibus ferè ab vrbe ad Calonem fluuiū castra posuisse audiuit, atque inde agrum populari; & ipse egressus mœnibus, mille ferme passus ab hostibus castra locat. Ibique concione aduocata Volones suos (ij serui erant ad militiam necessitate allecti) certa spe libertatis vehementer accendit. Nam cum ea de re ad Senatum scripsisset, Senatus rem eius arbitrij esse voluerat.

Semp. Gracchus pugnam parat.

Itaque priusquam cum hoste manum conferseret, pronunciant tempus venisse eius libertatis, quā diu sperassent: postero die signis collatis dimicaturum, puro ac patenti cam-

campo, vbi sine vllo insidiarum metu vera virtute geri res posset. Qui caput hostis retulisset, eum se extemplo liberum iussurum esse, qui loco cessisset, in eum seruili supplicio animaduersurum. Suam cuique fortunam in manu esse. Libertatis auctorem non se fore solum, sed Consulem M. Marcellum, & vniuersos patres. Literas inde Consulis, ac Senatusconsultum recitauit. Ad quæ clamor cum ingenti assensu est sublatus, pugnam poscentium.

XXIV. *Pugna committitur.* Postero die vbi signa cœperunt canere, primi omnium parati, instructique ad prætorium conueniunt: sole orto Gracchus copias in aciem educit. Nec hostes pugnam detrectarunt. Decem & septem millia peditum erant, maxima ex parte Brutij ac Lucani, equites mille ducenti, Numidæ fere omnes, Mauriq; Pugnatum est, & acriter & diu, 4. horis neutram in partem inclinata est pugna, nec alia res magis Romanos impediebat, quam capita hostium, pretia libertati facta. Nam vt quisque hostem impigre occiderat, primum tempus terebat in capite, inter turbam tumultumque abscindendo; idemque mox caput pugnantibus erat impedimento. Id cum Tribuni Graccho retulissent, proiici capita iubet, hostem inuadere, claram iam ac testatam esse virtutem, non dubiam strenuis viris fore libertatem.

XXV. *Seruorum pro libertate pugnandi alacritas.* Tvm redintegrata pugna est, & eques est in hostem emissus. Quæ pugna cum dubiam iterum rem fecisset, pronunciat Gracchus nihil esse, quod libertatem sperarent, nisi eo die fusi fugatique hostes essent. Ea demum vox iterum animos accendit. Itaque renouato clamore, velut alij repente facti, tanta vi se in hostem intulerunt, vt sustineri vltra non possent. Tota acies impulsa hostium, effusaque fuga castra petit. *Ingens victoria.* Romanus in castris ipsis pugnat, & ibi captiui à tergo Pœnum feriunt, quorum ingens facta est cædes, adeo vt minus duo millia hominum ex tanto exercitu, & ea maior pars equitum cum ipso duce effugerent: alij omnes cæsi, aut capti; capta & signa duodequadraginta. Ex victoribus duo millia ferme cecidere. Gracchus Volones omnes liberos esse iussit, ignauos tamen ea mulcta affecit, vt stantes quoad stipendia facerent, cibum potumque caperent.

XXVI. *Marcellus Annibalem ad Nolam vincit.* Dvm hæc ad Beneuentum geruntur, Annibal depopulatus agrum Neapolitanum, ad Nolam castra mouet. Quem vbi aduentare Marcellus consul sensit, Pomponio Proprætore cum exercitu, cui is præerat, accito, ire hosti obuiam parat: Claudium Neronem cum robore equitum, silentio noctis per auersam maxime ab hoste portam emittit, circumuectumque occulte subsequi sensim agmen hostium iubet, & cum coortum prælium videret, à tergo se obiicere. Id errore ne viarum, an exiguitate temporis Nero exequi non potuerit, incertum est. Absente eo cum prælium commissum esset, superior quidem Romanus fuit, sed quia equites non affuere in tempore, ratio compositæ rei turbata est. Non est ausus Marcellus fugientes insequi, plus tamen duobus hostium millibus eo die cecidit, Romani ad quadringentos cecidere. Solis fere occasu Nero diem noctemque fatigatis equis atque hominibus, ne viso quidem hoste rediens, adeo grauiter est à Cos. increpitus vt per eum stetisse diceret, quo minus accepta ad Cannas redderetur hosti clades.

XXVII. *Tarentini Annibalem accersunt.* Postero die Romanus in aciem descendit, Pœnus tacita confessione victus, castris se tenuit, tertio die noctis silentio, amissa spe potiundæ Nolæ, rei nunquam prospere tentatæ, Tarentum, ad certiorem spem proditionis, proficiscitur. Nam ante paucos dies quinque nobiles iuuenes, quos dudum partim ad Thrasymenum, partim ad Cannas ceperat, domumque comiter dimiserat, ad eum venerunt, nunciantes se magnam partem Tarentinæ iuuentutis perpulisse, vt Annibalis amicitiam ac societatem, quam Romanorum mallent, legatosque ad eum missos rogare, vt exercitum propius Tarentum admoueat, si eius signa conspecta fuerint, vrbem in ipsius potestate fore. Ingens cupido tenebat Annibalem Tarenti potiundi. Vrbem enim esse videbat, tum opulentam & nobilem, tum maritimam, & in Macedoniam opportune versam; Regemque Philippum hunc portum, si in Italiam transiret, cum Brundusium Romani haberent, petiturum.

Itaqve collaudatos eos, & ingentibus oneratos promissis, domum ad cœpta maturanda redire iubet, se tempori affuturum.

XXVIII. *Opera Valerij spes frustrantur.* Nec tamen satis tempori affuit: nam triduo antequam ad mœnia accederet, à M. Valerio Proprætore, qui classi ad Brundusium præerat, T. Valerius legatus missus, vrbem in officio tenuit, nec quidquam aut hostibus, aut sociis loci reliquit ad tentandum. Cumque Annibal nullum in vrbe motum cerneret, nec quemquam eorum, qui paulo ante ipsum adierant, innoxius sicuti venerat, recessit, cum tamen aliorum agros in transitu deuastasset. Salapiam autem tendit, eumque locum, quoniam iam media æstas exacta erat, ad hyberna destinat. Itaque & frumenta eo studiose conuehit, & prædas agens ad 4. millia equorum per Apuliam capta, equitibus domanda diuisit.

XXIX. *Fabius Casilinum oppugnat cum Marcello.* Interea Consul Fabius Casilinum oppidum, quod duûm millium Campanorum, & septingentorum militum Annibalis præsidio tenebatur, occupare cupiebat. Itaque Collegam Marcellum Nola accersit, qui ibi relicto duûm millium præsidio, cum cætero exercitu Casilinum venit, cuius aduentu Campani sese iam mouentes quieuerunt. Ita à duobus Coss. Casilinum oppugnari cœptum: vbi cum multa vulnera Romani milites, temere mœnibus succedentes, acciperent, neque satis res desiderio responderet, omittendam rem paruam Fabius censebat, cum res maiores instarent, Marcellus, vt negabat multa magnis ducibus aggredienda, ita vbi semel aggressi essent, dimittenda, quia magna famæ momenta in vtramque partem fierent; itaque tenuit ne incepto abiretur.

XXX. *Qua eam vi capit.* Cvmqve machinæ omnis generis vrbi admouerentur, Campani Fabium orabant, vt abire Capuam tuto liceret: ad 50. egressi, quos Q. Fabius ad se in tumultu confugientes, tuto Capuam deduxit. Marcellus portam qua egrediebantur, occupauit, cædesque promiscue omnium circa portam primo, deinde irruptione facta, etiam in vrbe fieri cœpta est, quæ inter colloquia cunctationemque petentium fidem, per occasionem capta est. *Quid factum captiuis.* Captiui Annibalici, Campanique Romam missi, carceribus mancipati sunt. *De perfugis.* Oppidanorum turba per finitimos populos in custodiam diuisa. Inde Marcellus Nolam redit, vbi eum aduersa valetudo tenuit. Fabius multa oppida in Samnio vi cepit, in quibus ad 25. hostium millia cepit aut occidit, recepitque perfugas 370. quos cum Romam misisset, virgis in comitio cæsi omnes, ac de saxo deiecti.

Dum hæc in Italia gererentur, pleraque feliciter à Romanis in Sicilia, Hispania, & Illyrico contra Philippum Macedonem gesta sunt. De singulis pauca, quæ magis eminent, ex Liuio libabimus.

XXXI. *Diuisæ in Sicilia factiones.* Cvm magni motus in Sicilia Hieronymi mortem consecuta essent, magnaque fieret inclinatio animorum ad Pœnos, Romani M. Marcello Consuli Siciliam prouinciam decernunt. Syracusæ totæ factionibus discissæ erant, partesque vrbis aliæ aliis parere ac teneri, nunciata Regis cæde cœperant. Demarata filia Hieronis, vxor Andronodori maritum ad occupandam tyrannidem stimulabat: Polynæus ciuis Syracusanus suos ad concordiam, populique libertatem stabiliendam hortabatur, cuius dum se cupidum Andronodorus simulat, Prætor in primis creatur, cum aliis Tyranni interfectoribus. Sed mox Hippocrates & Epicides, qui ab Annibale ad Hieron. iamdudum missi fuerant, primo vt ad eum salui reuerti possent, laborabant; id dum trahitur, homines apud milites gratiosi, eos sibi conciliant, calumniis etiam apud eos Senatum & optimates onerant, quasi per speciem reconciliandæ Romanorum cum Syracusanis amicitiæ, vrbem eis dedere satagant.

XXXII. *Andronodorus tyrannidem affectat.* Ea dum fiunt Andronodorus fatigatus vxoris vocibus, tyrannidem occupare satagit, accito in consilij societatem Themistio, cui Gelonis filia nupserat. Verum re ad Prætores clam delata, in curiam euocati Andronodorus & Themistius illico interficiuntur; moxque eorum consilia ab indice proditionis Aristone aperiuntur. Inde ad multitudinem tumultuantem, & causæ ignaram, à Sopa-

tro Prætore verba facta, de iusta occisorum cæde, & affectata tyrannide, quibus regiæ coniuges regios animos fecerint: quæ vox clamore multitudinis excepta est, nullam earum viuere debere, nec quemquam stirpis tyrannorum superesse. Itaque missi à Prætoribus Andronodori coniugem Demaratam, & Themistij Harmoniam illico peremeruot. Nec parcitum innocentiæ Heracleæ, filiæ Hieronis, vxoris Sosippi, qui legatus ab Hieronymo ad Regem Ptolemæum missus, voluntarium consciuerat exilium, & patriæ libertatis vnus omnium amantissimus ferebatur. Nec audita est cum tueretur innocentiam suam, nec cum exilium pro beneficio, aut postremo vitam filiabus suis imploraret. sed morti matris, indigna filiarum cædes cumulus accessit: cædemque per se miserabilem, miserabiliorem casus fecit, quod paulo post nuncius venit, mutatis repente ad misericordiam animis, quo muri prohibebantur. Rem egregie Liuius depingit.

XXXIII. HINC etiam ira maior exorta. Nam plebs comitia prætoria haberi postulat, vt in locum Andronodori & Themistij alij sufficerentur Prætores, factique sunt Hippocrates & Epicides, à quibus mox turbata sunt omnia, quæ de pace, & renouata cum Romanis societate agi cœperant. Miserant illi ad Appium Claudium, cum æquis conditionibus de pace legatos, quos ille ad Marcellum venientem in Siciliam remiserat; Marcellus rem posse conuenire ratus, legatos etiam ipse misit Syracusas; sed sub nouis Prætoribus noua erat facies rerum. Postquam enim nouam Carthagine classem in Siciliam appulisse intellectum est, Hippocrates & Epicides deposito timore, apud milites mercenarios, transfugasque prodi Romanis Syracusas criminabantur, quod Appium ad Murgantiam classem centum nauium habere cernerent, quæ in actiones aduersariorum erat intenta.

XXXIV. IAMQVE multitudo tumultuabatur, & Romanos terra patabat arcere, cum Apollonides principum vnus sapienti oratione, primum docuit concordiæ studendum esse, & ad alterutram partem omnibus inclinandum, alioqui mutuis cædibus totam deletum iri ciuitatem, contrariis ducibus, ciuibus, militibusque inter se confligentibus. Deinde in legendis socijs, Hieronis potius autoritatem quam Hieronymi sequendam esse. Et amicitiam vel quinquaginta annis feliciter expertam, nunc incognitæ, quondam infideli præferendam. Esse etiam aliquid momenti ad consilium, quod Carthaginensibus ita pax negari possit, vt non statim bellum cum eis gerendum sit; cum Romanis extemplo aut pacem accipiendam, aut bellum gerendum esse. Itaq; secundum eius sententiam missi sunt Syracusis legati ad Consulem pacis confirmandæ causa.

XXXV. INTEREA Leontini Syracusas miserunt, qui finibus suis tuendis præsidium peterent. Datus perlibenter Hippocrates, cum turbulentis militibus, & mercenarijs, quibus quasi graui onere leuata Respublica videbatur. Erant ij ad quatuor millia, qui quamprimum finitima Romanæ prouinciæ loca furtiuis excursionibus vexare cœperunt. Deinde cum ad tuendos sociorum agros missum ab Appio præsidium esset, omnibus copijs impetum in oppositam stationem, cum cæde multorum fecerunt. Quæ cum essent nunciata Marcello, legatos extemplo Syracusas misit, qui fidem ruptam esse dicerent; nec belli causam vnquam defuturam, nisi Hippocrates & Epicides non Syracusis modo, sed tota etiam Sicilia procul ablegarentur.

Epicides interea ad Leontinos profectus erat, eosque ad defectionem à Romanis & Syracusanis impulerat. Ergo cum Syracusanorum legati ad Leontinos, de iniurijs Romanorum quererentur, & Hippocratem & Epicidem Sicilia abire iuberent, ferociter iis responsum est, fœderique Romanorum renunciatum.

XXXVI. ITAQVE integra cum Syracusanis fide, Marcellus in Leontinos mouet, Appio quoque accito, vt altera ea parte vrbem aggrederetur. Tanto ardore militum est vsus, ob iram interfectæ stationis, inter ipsas conditiones pacis, vt primo impetu vrbem expugnarent: ad duo millia transfugarum verberati, ac securi percussi. Turbarum duces, dum portas strenue refringi viderent, in arcem primò, inde noctu Herbesum profugere. Exercitus Syracusanorum interea contra Leontinos auxilio Romanis veniebat, cum nuncius refert Romanos vrbem totam cædibus repleuisse militum atque oppidanorum, nec quemquam superesse puberem. Ea res temere credita maximam iram Syracusanis militibus concitauit, prope-que ad defectionem res erat. Prætores exercitum Herbesum ducunt, vt auctoribus seditionum sublatis, quies securitasque populis daretur. Sed illi obuiam progressi militibus supplicum ritu orarunt ne se dederent Syracusanis, à quibus mox Romanis excruciandi traderentur.

XXXVII. MILITES, iam ea prodimonuncio infensi Romanis, & ex cura consuetudine Hippocrati & Epicidi addicti, eos in suam tutelam receperunt. Id mirati indignatique Prætores eos vinciri iubent, sed exoriente seditione, cedere multitudini coacti sunt, & Megaram vnde venerant signa referre: vnde etiam quamprimum, adito mortis discrimine abire Syracusas coacti sunt, Hippocrate mendaces literas Prætorum ad Marcellum Consulem fingente, quibus mercenarij omnes milites cædi destinabantur. Nec exercitum peruertisse contenti, etiam Leontinos aliquot subornarunt, qui falsum illum nuncium crudelitatis, & auaritiæ Romanorum apud Leontinos exercitæ, tanquam rem certissimam affirmarent; quo facto non vulgi solum, sed optimatum etiam, & Senatorum animi à Romanis auersi sunt, adeo vt plerique eos pro hostibus habendos esse censerent.

XXXVIII. INTEREA adueniunt seditiosi milites cum ducibus suis, & in partem vrbis, Liuio dictam Hexapylum, quamuis obnitentibus Prætoribus admittuntur, Prætores in Acradinam alteram vrbis partem, cum popularium iuuentute confugiunt, mercenarij milites, perfugæque seditiosorum numerum augent. Ita Acradina quoque primo impetu capitur, Prætoresque omnes interficiuntur, nisi qui forte per tumultum elapsi sunt: nox cædibus finem fecit.

Postero die serui ad pileum vocati, & vincti carceribus emissi, confusaq; omnis multitudo Hippocratem atque Epicidem creant Prætores. Atque ita Syracusæ breui in pristinam seruitutem reciderunt. Romani legatos semel iterumque Syracusas, pro hisce tumultibus pacifice componendis mittunt, sed vix tuto elapsi sunt.

XXXIX. INDE terra marique simul cœptæ oppugnari Syracusæ, terra ab Hexapylo, mari ab Acradina, cuius murus fluctu alluitur. Et quia nuper Leontinos terrore ac primo impetu ceperant, non diffidebant se parte aliqua vastæ vrbis ita potituros. Ergo omnem apparatum oppugnandarum vrbium muris admouerunt, quæ Archimedes vnus adeo varijs artibus & machinis, quas viuo Hierone fabricatus erat, ludificabatur, vt neq; prope, neq; longe, aut terra, aut mari vim vlla afferre possent, quę pluribus Liuius lib. 24. & ante eum Polyb. l. 8. persequitur. Addit Zonaras speculis vstoriis vsum Archimedē, in remotas naues flammas iniecisse, easque incendisse. Effecitque, vt via alia desperata, commeatu vrbem terra marique prohibere statuerent. Cæterum quod in Eusebij Chronico legitur, captas hoc anno Marcello Consule Syracusas, intelligendum est obsideri cœptas: cumque in tertium annum protracta esset obsidio, expugnatio in Marcelli consulatum non incidit. Nec prochronismus vnius anni est, vt ait Scaliger, sed duorum, et ad Varronis Palilia ei confugere non liceat.

XL. INTERIM Marcellus, cum tertia fere parte exercitus, ad vrbes, quæ sub hosce motus defecerant, recipiendas profectus est, recepitque nonnullas; Megaram etiam ei cepit, ac diruit in Syracusanorum terrorem. Carthaginienses, qui in spem potiundæ Siciliæ hoc maximè tempore venerant, nouas copias ad Himilconem, sub hoc ipsum tempus miserunt, adeo vt coniunctæ iis, quas ille prius habuit, 25. millia peditum, tria equitum, duodecimque elephantos ad Heracleā exponeret. Ei se Hippocrates, Syracusis cum decem millibus peditū, & quingentis equitibus nocte, per intermissa custodiis loca egressus, adiungere cupiebat. Cūq; castra circa Accillas vrbē poneret, superuenit

Marcel-

Marcellus, & incompositos adhuc, dispersosque nactus, plerosque etiam inermes, pedites facile profligauit, eques leui certamine inito, cum Hippocrate Acras perfugit.

Marcelli cum Hippocrate pugna, & victoria.

XLI. *Nauis pro vtrisque copia.*

NEC ita multo post aliæ classes tam Roma quam Carthagine, ad Marcellum, & Himilconem venerunt. Sed Bomilcar cum se parem non fore classe Romanis agnosceret, & Syracusanis nihil opis afferre posse, quam eorum minuere commeatum, datis in altum velis, transmisit in Africam. Et Himilco iunctus Hippocrati secutus est Marcellum, pugnandi occasionem ambiens, priusquam Syracusis maioribus copiis iungeretur, quod cum irrito conatu tentasset, ad oppida quæ præsidiis Romanis tenebantur, ad suos traducenda conuersus est. Sicque alternatim vrbes ad has illasue partes transibant, prout hæ aut illæ meliore conditione esse viderentur. Nunc autem Marcello congressum vitante, & Syracusis excluso, Pœni eminete videbantur. Ergo Pœnus Murgantiam, prodito Romano præsidio, recepit, cuius exemplum multis locis secuti Sieuli, præsidia Romanorum aut expulerunt, aut oppresserunt.

Multæ vrbes ad Pœnos desciscunt.

XLII. *Ænna seditio frustra tentata.*

IDEMQVE facturi erant Ænnenses, sed à L. Pinario præfecto præsidij occupari, in concione à milite armato maxima ex parte trucidati sunt. Ea res vulgata aliquibus terrorem attulit, & eos in fide retinuit, alios exasperauit, & Pœnis sededere persuasit. Hippocrates inde Murgantiam, Himilco Agrigentum sese recepit; cum acciti à proditoribus nequicquam ad Ænnam exercitum admouissent. Marcellus retro ad Leontinos redit, vnde commeatibus in castra connectis, relictoque ibi idoneo præsidio, ad Syracusas obsidendas venit. Inde Appio Claudio Romam ad petendum Consulatum misso, & in eius locum T. Quintio Crispino subrogato, ipse hybernacula quinque millia passuum ab Hexapylo, ædificauit atque communiit. Et hæc in Sicilia vsque ad principium hyemis Liuius gesta testatur.

Marcellus redit Syracusas.

XLIII. *Præsidium Philippi Orico eijcitur.*

EADEM æstate etiam cum Philippo Macedone res gesta est. M. Valerius Prætor Brundusinæ classi præerat. Ad eum legati ex Orico Epiri vrbe maritima, quam Zonaras Noricum vocat, venerunt, opem implorantes, quod eorum vrbem Philippus occupasset. Eo Prætor cum classe traiecit, & vrbem pulso, quod ibi Philippus reliquerat, præsidio, recepit. Eo legati ab Apollonia venerunt, nunciantes, obsideri se, quod à Romanis deficere nollent. Prætor mille milites duce Næuio Crispo ducit, qui eos procul à flumine, per viam minime à Regiis obsessam, duxit, & nocte, ita vt nemo hostium sentiret, vrbē est ingressus. Postridie agnitis vrbanis copiis, & negligentia oppugnantium, eruptionem in proximam noctem parat, quæ etiam fœliciter cessit, vt castra occuparet, hostem pro arbitrio cæderet; Rex ipse somno excitatus, seminudus ad flumen nauesque perfugeret. Paulo minus tribus hostium millibus aut cepit, aut occidit, castra diripuit, machinas vrbi capiendæ, ad eam defendendam in vrbem transtulit. Quæ cum Oricum essent nunciata, M. Valerius classem protinus ad ostium fluminis duxit, ne nauibus capessere fugam Rex posset. Itaque Philippus neque terrestri, neq; nauali certamine fidens, subductis, aut incensis nauibus, magna ex parte spoliato, atque inermi exercitu, terra Macedoniam petiit, cladium plenus, ac pudoris. Romana classis cum Prætore Orici hybernauit.

Apollonia obsidione liberatur.

Rex seminudus effugit.

XLIV. *Res in Hispania prospera.*

EODEM anno in Hispania variè res à fratribus Scipionibus gestæ. Nam à principio vlteriorem Hispaniam pene amiserunt, cum ingentem Hispanorum exercitum Pœni, duce Magone & Asdrubale, profligassent. Deinde ad Castrum, Altum cognomine, pene ad duo millia suorum amisere, incursante impune Pœnorum equitatu. Ad montem quoqne victoriæ P. Scipio in patentibus campis deprehensus, magnum discrimen adiit, nisi propinquum tumulum occupasset, vbi etiam circumsessus, à fratre obsidione liberatur.

Feliciterque gesta Illiturgi.

Vice versa Castulo vrbs Hispaniæ valida ac nobilis, ad Romanos defecit. Et cum Illiturgum, quod præsidio Romanorum tenebatur, binis castris obsiderent Pœni, inter vtraque, cum magna hostium cæde, Cn. Scipio vrbem est ingressus: & postero die eruptione æque fœlici pugnauit, vtroque prælio supra 12. millia cæsa plus decem millia capta, cum sex & 30. militaribus signis. Ita Illiturgi obsidio soluta est. Bigerra quoque sine certamine obsidione liberata.

XLV. *Pugna ad Mundam, & Romanorum victoria.*

AD Mundam exinde castra Punica mota; & Romani eo confestim secuti sunt. Ibi per 4. ferme horas collatis signis pugnatum est; egregieque vincentibus Romanis, signum receptui datum est, quod Cn. Scipionis femur tragula confixum erat, & metus erat ne mortiferum vulnus esset. Hoc quoque prælio ad 12. millia dicuntur cæsa, prope tria millia capta, cum signis militaribus septem & quinquaginta; nouem & 30. Elephanti pilis confixi, castra propemodum capta. Ad Auringem iterum male pugnatum à Pœnis, minore multo clade, quia minus adfuerant hostium qui vincerentur. Aliquanto post restauratis copiis à Magonis fratre, alea certaminis iterum tentata, iterumque in Pœnorum caput refusa est. Nam tot præliis intra paucos dies exterriti, iisdem animis quibus prius, eodemque euentu pugnauere. Plus octo millia hominum cæsa, haud multo minus quam mille capta, signa militaria 58. duo Gallorum reguli cæsi, octo elephanti capti, tres occisi.

Ad Auringem.

XLVI. *Saguntum recipitur, ac suis redditur.*

DENIQVE Saguntum oppidum, pulso Punico præsidio, primam belli causam, in potestatem redegerunt; & ciuibus, quos vis belli reliquerat, restituerunt. Id factum fuisse tradit Liuius octauo anno, ex quo in potestatem hostium venerat. Verum necesse est in numerum mendum esse illapsum: cum eodem Liuio teste, hic annus quintus sit belli Punici secundi; Saguntina vero clades vno tantum anno sit antiquior, ex omnium certo consensu. Et hactenus res hoc anno in Asia ab Antiocho; in Italia, Sicilia, Illyria, Hispania à Romanis gesta.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3841.

VBI nefarius homo amicissimorum virorum opera vtitur ad viri principis perniciem, quam illi studiosissime conferebant ad salutem; vbi vaferrimus proditor, eum ipsum, quo vtitur fraudis mediatore, atque interprete, eiusdem fraudis ignarum esse vult, ne quid male conscius, dum in omnem partem variè interrogationibus versatur, vrgente conscientia titubet. Vbi Achæi prouidentia importunis suorum officiis misere eluditur, iisdemque Bolidis proditio promouetur; quæ in illius eiusdem viri pernicie sponte terminatur, ad cuius salutem & libertatem fuerat inchoata. Sed de his, in gratiam studiosorum tragœdiæ, hæc dicta sufficiant. 1.N.XIV

ANNVS MVNDI 3841. SEXTÆ ÆTATIS, 325. Imperii Græcorum 99. Antiochi Magni 12. Simonis Pontif. 20. Ptolemæi Philopatoris & Philippi 8. Olymp. CXLI. an. 4. Vrb. Cond. 540. Coss. Q. Fabio Max. cunctatoris fil. & T. Sempronio Graccho II. Secundi Belli Punici 6.

ANNVS ANTE CHRISTVM 212.

I. *Res Philippi in Illyrico, & Peloponneso.* *Lex Oppia hoc anno lata Liuius l. 34.*

ALTVM est hoc anno, & aliquot sequentibus de Antiocho Magno, & Philopatore silentium, donec hic per immensam nequitiæ turpitudinem extinctus est. Hebraicæ quoque res, vsque ad mortem Simonis, in obscuro sepultæ iacent. Philippum in Illyrico Lissum occupasse, arcemque eius Acrolissum, putat Interpres Polybij. Rem gestam satis copiose persequitur idem Polyb. l. 8. In Peloponneso etiam contra Messenios bellum gessisse, & Aratum, qui prætura Achæorum decies & septies cum laude functus fuerat, veneno sustulisse, quod minus probasset, quæ contra Messenios ipse fecisset, satis significat Plutar. in eius vita: qui ait id contigisse postquam Philippus classem bello Romano turpissime amisisset, omniaq; ei aspera fœdaque euenissent, sicut anno superiore ex Liuio retulimus.

II. *Fit tyrannus, ac tyrannus.*

ADDIT etiam Plutarchus eum, præter omnium expectationem, ex miti rege, & adolescente modesto, castoque, in virum lasciuium, ac detestabilem degenerasse tyrannum. Agebat autem nunc vitæ annum fere vigesimum secundum: vt qui decimo quarto vitæ anno regnare cœpisset, vt supra ex Iustino dicebamus.

Interea vero Valerius Lævinus in eum erat intentus, ne quo modo Pœnis contra Romanos adesset. Quod se eo facilius perfecturum credebat, si intestina adversus eum bella movisset, & vicinos sibi populos conciliasset. Ad eam rem Ætoli maxime opportuni erant, viri iis temporibus inprimis potentes: sed illos Philippus fœdere recens inito occupaverat, ne ab iis impeditus, arma in Romanos vertere non posset. Itaque per secreta colloquia eorum principes tentare cœpit, vt scribit Liuius, idque hoc & sequenti anno factitatum.

III. *Distributio prouinciarum Romæ.* Designati autem Consules Romæ cum primum magistratum iniissent, Senatum de bello ac prouinciis suis, prætorumque, & de exercitibus, quibus quique præessent, consuluerunt. Itaque exercitus vndique prouinciæque diuisæ. Sempronius Consul in Lucanos, in Apuliam Fabius profecti sunt. Fabio Pater legatus ad Suessulam in castra venit. Cum obuiam filius progrederetur, lictoresque verecundia maiestatis eis taciti anteirent, non summouentes patrem, præter vndecim fasces equo præuectus senex, vt Consul animaduertere proximum lictorem iussit, & is vt descenderet ex equo inclamauit: Tum demum desiliens, experiri, inquit, volui, fili, satin' scites Consulem te esse. *Consularis autoritas aduersus patrem.*

Clementi prudentia in transfugas. In ea castra Altinius Arpinas venit, qui oppidi proditionem pollicebatur, qui pridem ad Pœnos à Romanis transfugerat: itaque nonnulli verberandum eum, necandumque censebant; Fabius senior in vinculis habendum censuit, idque probatum est, ne via præcluderetur desertoribus, ad pristinos socios resipiscendo redeundi; sicque tanto firmiores Annibalis vires redderentur.

IV. *Annibalis crudelitas.* Vt cognitum est in oppido adesse Altinium, nuncij ad Annibalem, metu rerum nouarum missi. Is coniugem eius ac liberos in castra accitos, viuos combussit: eos videlicet defectionis conscios arbitrabatur, aut Altinium in suis, quamuis innocentibus ritu barbarico punire cupiebat. Fabius Arpos, noctis ac pluuiæ fauore occupauit. *Fabius Arpos occupat.* Cui cum in vrbe contra tria Arpinorum millia, & quinque Pœnorum pugnandum esset, Arpinos rogarunt Romani, quam ob noxam Romanorum, quodve Pœnorum meritum, pro alienigenis ac Barbaris, ipsi Italici pugnarent aduersum Romanos veteres socios; & vectigalem ac stipendiariam Italiam Africæ facerent. *Et Arpinates reducit ad Romanos.* Purgantibus Arpinis, seque venundatos à principibus, ac pene oppressos esse: res eo denique deducta est, vt conuersis armis, tam Romani, quam Arpini Pœnos inuaderent. Hispani quoque fere mille eorum exemplum secuti sunt, ea conditione, vt sine fraude Punicum præsidium emitteretur. Itaq; factum, deincepsq; Hispani hi dediti, fortem fidelemq; operã Romanæ Reipubl. nauarunt.

V. *Incendium Romæ. Lex Oppia.* Romæ fœdum incendium per duas noctes, & diem vnum tenuit, lateque vagatus ignis, sacra multa profanaque absumpsit. Quæ clades addita publicis malis, in quibus nunc Respublica versabatur, causa esse potuerit C. Oppio Salinatori Tribuno plebis legis ferendæ de sumptu mulierum, quæ dicta est Oppia. Qua vetuit ne qua mulier auri plus semiuncia haberet, ne vestimento versicolori veheretur; neu iuncto vehiculo in vrbe oppidoue, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa veheretur. Eam hoc anno, atque his Consulibus latam affirmat apud Liuium *a* L. Valerius Tribunus plebis, cum eam abrogandam censeret, seniore Catone Consule. Quis nescit, inquit, nouam istam legem esse, Q. Fabio T. Sempronio Coss. viginti annis ante latam? Numerum dixit rotundum, cum tamen reuera fuerint tantum 18. Nam Cato Consul fuit anno V. C. 558. post enarratas autem horum temporum calamitates, subdit. *Cui non apparet ob inopiam, & miseriam ciuitatis, quia omnium priuatorum pecunia in vsum publicum vertendæ erant, istam legem scriptam, tandiu mansuram, quandiu causa scribendæ legis mansisset?* *a l. 34.*

VI. *Inita cum Syphace Numida societas.* Eodem anno P. & Cn. Cornelij, cum in Hispania res prosperæ essent, multosque & veteres reciperent socios, & nouos adiicerent, in Africam spem extenderunt. Cuius hæc occasio se obtulit.

Syphax erat Rex Numidarum, subito Carthaginiensibus hostis factus; ad eum centuriones tres legatos mittunt, de amicitia ac societate iungenda. Grata ea legatio Barbaro fuit, acè tribus legatis vnũ retinuit, qui Numidas pedestris militiæ disciplinam doceret. Cum duobus aliis suos addidit ad Scipiones legatos, societatis firmandæ gratia, & Numidas è Pœnorum castris eliciendi ad exercitum Romanorum. Tantum autem profecerunt Numidæ pedites, disciplina atq; institutione Q. Statorij, vt breui Rex non equiti magis, quam pediti fideret, collatisque ex æquo signis cum Carthaginiensibus, eos superaret.

VII. *A Masanissa semel, iterumque vincitur.* Cum autem multæ passim transitiones à Numidis ad Romanos fierent; id vbi accepere Carthaginienses, Gelam in altera Numidiæ parte regnantem, cui erat filius Masanissa annorum septemdecim, magnæ spei adolescens, Gelam, inquam per legatos adeunt, docentque Syphacem sese Romanis, in perniciem populorum Africę coniunxisse; opprimendum, antequam à Romanis, militaribus copiis iuuari possit. Gelæ facile persuasum, vt exercitũ contra eum mitteret, cui filiũ Masanissam ducẽ dedit: qui, Carthaginiensiũ legionibus coniunctis, magno prælio Syphacem deuicit, in quo 30. hominum millia desiderata dicuntur.

Syphax in Maurusios Numidas Gadibus vicinos refugit, ibiq; ingentes breui copias armauit; cum quibus in Hispaniam ad Romanos breui freto traijceret. Sed superueniente eum victore exercitu Masanissa, iterũ victus est.

VIII. *Res Hispanica, Sicula, &c.* In Hispania nihil admodum memorabile gestum. In Sicilia Marcellus in Syracusarum obsidione perseuerauit ad quam stabat Pulcher, Zonaras. Eum M. Claudium vocat Liuius, aitq; iussum ijs finibus præesse, quibus dudum Hiero præfuisset, Lentulo Proprætore veterem prouinciam gubernante. Marcello tamen, vt videtur, rei summam administrante. Certe anno seq. decretæ Marcello Syracusæ, & quã dudum Hieronis regnum fuisset. Annibal magnam anni partem, ambienda Tarenti proditione, frustra consumpsit: nonnullæ etiam vtrimque defectiones in Italia contigere.

ANNVS MVNDI 3842. SEXTÆ ÆTAtis, 326. Imperii Græcorum 100. Antiochi Magni 13. Simonis Pontif. 21. Ptolemæi Philopatoris & Philippi 9. Olymp. CXLII. an. 1. Vrb. Cond. 541. Coss. Q. Fuluio Flacco III. & Appio Claudio Pulchro. Secundi Belli Punici 7.

ANNVS ANTE CHRISTVM 211.

I. *Res anni huius.* In historiæ Græcæ silentio, hoc regni Græcorum anno seculari, & primo Olympiadis centesimæ quadragesimę secundæ, quæ Cratem Alexandrinum coronauit, historia Romana copiosam rerum gestarum syluam suppeditat: quarum illa primaria ac summa sunt capita, Tarentinorum defectio in magna Græcia, Capuæ in Campania obsidio, Syracusarum in Sicilia expugnatio, clades multiplices Romanorum in Hispania, cum vtriusque Imperatoris cæde; quibus alia minutiora coniunguntur, quæ Liuius toto 25. libro suse persequitur.

Noui Coss. Comitiorum Consularium iam appetebat tempus, inquit Liuius, *b* sed quia Coss. à bello auocare non placebat, T. Sempronius Cos. comitiorum causa Dictatorem dixit C. Claudium Centonem, qui primo comitiali die creauit Coss. Q. Fuluium Flaccum, quem paulo ante Magistrum Eq. dixerat, & App. Claudium Pulchrum, qui Siciliam Prætor administrarat. *b l. 25.*

II. *Scipio Ædilis sit ante ætatem, & populi in eum fauor.* Scipio, qui post Africanus dictus est, ante legitimam ætatem Ædilis est factus, etsi ei propterea Tribuni pleb. obstitissent: agebat tamen hoc anno ætatis 23. annum, vt qui initio belli huius annum agebat 17. vt ex Liuio, Polybioque diximus. Narratque idem Polyb. pluribus, eum se Lucio fratri ædilitatem petenti adiunxisse in veste candida, & mature cum eo in forum venisse, vbi magna cum admiratione, & propter ausi nouitatem, & quia iam omnibus erat charus, à populo exceptus, non solum ipse suffragia populi tulit, sed eius etiam frater propter

ipsum.

ipsum. Consulibus bellum cum Annibale, & binæ legiones decretæ: Marcello Syracusæ, vt anno superiore commissæ. Tres & 20. legiones Romani hoc anno in armis habuerunt, inopia tamen Iuniorum delectus ægre confectus est, triumuiris eos vbique colligentibus.

III. Fraus Publicanorum.

SVB ipsum anni initium, ante Cal. Maias, scelerata fraus M. Posthumij publicani, eiusque socij L. Pomponij, qui proximo anno temerè pugnans à Pœnis captus fuerat, ante detecta, hoc anno exilio, ac bonorum publicatione punita est. Quoniã enim publico periculo comeatũ ad exercitus nauibus deferebant, aliquando naufragia ementiebantur, aliàs ea, quæ vera enunciabant, fraude ipsorum facta erant, non casu. In veteres enim quassatasque naues, paucis & parui pretij rebus impositis, cum eas in alto mersissent, nautis in præparatas scaphas exceptis, multiplices fuisse merces ementiebantur.

Deportatio Cannensium militum.

Hoc tempore reliquiæ militum Cannensium in Siciliam deportatæ, sub Lentulo militabant: nec eis tamen in acie pugnare licebat, nec egregio facinore ignominiam delere, exiliumue terminare. Qua de re illi grauiac iusta oratione apud M. Marcellum conquesti sunt. Ille ad Senatum scripsit; à quo nihil æquum super ea re impetratum est, vti supradictum est. a

a an. V.C. 537. n. 27. & seq. & a. 538. schol. 1.

IV. Tarentinorum defectio.

INCIDIT in hunc annum Tarenti defectio, etsi nonnulli eam, vt scribit Liuius, ad præcedentem annum retulerunt. Eam fuse tradit Liuius l. 25. nec minus copiose Polyb. l. 8. tanta rerum, ac prope verborum similitudine, vt illum ab hoc eam narrationem mutuatum quiuis agnoscat. Sic ergo res habet.

Eius causa, & occasio.

Cum Tarentinorum defectio iam diu & in spe Annibali, & in suspicione Romanis esset, causa illius maturandæ, ex obsidum Tarentinorum cæde interuenit. Nam Phileas quidam Tarentinus, cum diu per speciem legationis Romæ versaretur, aditum sibi ad obsides Tarentinos aperuit, qui in atrio Libertatis minore cura custodiebantur. Hos crebris colloquiis sollicitatos, corruptis æditiuis duobus, cum primis tenebris custodia eduxisset, ipse comes furtiui itineris factus profugit. At luce prima fuga euulgata, missi qui sequerentur; qui & comprehensos, à Tarracina retraxerunt, & virgis in comitio cæsos, de saxo deiecerunt. Hęc defectionis causa apud Polybiũ nõ extat.

V. Eorum cum Annibale fœdus ad proditionem.

ATROCITAS pœnæ huius nobilissimarum in Italia Græcarum ciuitatum animos irritauit, Tarentinos in primis, quorum tredecim in defectionem ciuitatis à Romanis ad Pœnos coniurarunt, in quibus principes erant Nico & Philomenes, qui nocte per speciem venationis egressi, ad Annibalem, qui tridui itinere Tarento aberat, proficiscuntur: socios venationis procul à Pœnorum castris relinquunt, ipsi propius accedentes vltro comprehensi, ad Annibalem deducuntur; qui cum & causas consilij sui, & quid pararent exposuissent, collaudati, oneratique promissis, iubentur, vt fidem popularibus facerent, prædandi causa se vrbe egressos, pecora Carthaginiensium ad vrbem agere; itaque factum sæpius, dissimulantibus Pœnis. Congressi rursus cum Annibale, fide sanxerunt liberos Tarentinos, leges suaque omnia habituros, neque vllum vectigal Pœno pensuros, præsidiumve inuitos recepturos, prodita Romanorum præsidia Pœnorum fore. Eadem habet Polybius octauo libro.

VI. Philomenis proditoris venatio.

HÆC vbi conuenerunt, Philomenes, quem studio venationis teneri omnes norant, ad eam frequentius noctu exibat, cum canibus, & reliquo apparatu; ne scilicet hosti, id sentiret, & venationis partem sæpe ad Præfectum præsidij Romani, portarumque custodes mittebat. C. Liuium eum appellat Polybius, quem sibi cognominem T. Liuius nominare noluit, nec eum intemperantiæ arguere, cum Polybio; quem tamen infra in re læta nominat. Ex quo factum, vt quocumque noctis tempore sibilo signum dedisset, porta ei seu abeunti, seu redeunti aperiretur. Itaque tempus agendæ rei maturum Annibali visum est, cum dies dicta, qua Præfectus præsidij cum amicis conuiuio interfuturus erat, in Musæo, iuxta forum; vt mox somno vinoque sepulti, fraudi accedi opportuniores essent. Decem ergo millibus expeditorum equitum peditumque e-

l. 26.

lectis, quatuor dierum commeatum eos parare iubet; quarta vigilia noctis signa mouit, præmissisque fere 80. Numidis equitibus ad 30. stadia ante exercitum circumcursare eos iubet, & prædas agere, vt prædones crederentur, exercitus imminens celaretur.

VII. Suos ad Tarentum occultat.

QVINDECIM ferme millium spatio Tarento castra posuit, ad flumen oculis hominum prope ereptum, quod per conuallem præruptam, & confragosam labitur, vbi suos quam maxime vetat quoquam iniussu agere. Dum interea prædonum Numidarum fama Tarentum peruenit; ad quos arcendos Præfectus, qui ea de re poculis maxime feruentibus monebatur, statuit partem equitum postridie emittere: qui nuncius, securiores quam antea Romanos de Annibalis molitione reddidit.

Signum dat, accipitque.

Annibal nocte concubia mouit, & vti conuenerat, ad portam Temenida, quæ orientem spectabat, accedit; & fulgore accensæ facis ex tumulo, qui Hyacinthi dicebatur, signum dat aduentus sui; idem redditum ab Nicone & Tragisco signum, extinctæ deinde sunt vtrimque flammæ. Nico vigiles adit, eosque in cubilibus sopitos obtruncat, & portam Annibali aperit.

VIII. In vrbem admittitur.

ILLE cum peditum agmine ingreditur, & forum silentio petit, iussis equitibus foris in omnem euentum subsistere. Interea Philomenes ad alteram portam cum ingenti apro ex venatione aderat, qui solito sibilo custodem portæ euocat, dicens se vix grandis bestiæ onus sustinere, inferentes aprum duos iuuenes secutus ipse cum expedito venatore, vigilem admirantem feræ magnitudinem, ac contrectantem, venabulo traiicit. Polybius primum Philomenem ingressum tradit, ferentem ex vna parte feretrum. Ingressi deinde 30. ferè armati, cæteros milites obtruncant, refringuntque portam maximam: & confestim agmen irrumpit, & se Annibali in foro coniungit. Inde suos per vrbem dispertit, vias quæ in forum ducerent occupat, Romanos occurrentes cædi mandat, parci Tarentinis; quos etiam per vrbis proditores, quiescere iubet, & bono esse animo, sibi libertatem non perniciem adesse.

IX. Romani cæduntur.

PRÆFECTVS primo excitatus tumultu, in portum cum famulis semisomnis effugit; inde accepta scapha in arcem confugit. Terrorem & tuba Romana faciebat, quæ inscienter à Græco inflata, incertum edebat signum: eo tamen exciti Romani cum partim in Gallos, partim in Afros, varijs in locis dispositos, incompositi atque inordinati inciderent, per vrbem cædebantur. Vbi illuxit vrbem ab Annibale captam cognitum est: & qui ex cæde Romani superfuerant, cum Tarentinis, qui eis maxime addicti erant, in arcem proripuere se.

Aliqui arcem occupant.

Annibal Tarentinos ad concionem euocat, bonaque spe replet; sua in eos benefacta commemorat, & in superbam Romanorum dominationem inuectus, recipere se in domos suas quemque iubet, & foribus, *Tarentini*, nomen inscribere; minatus si quis id nomen in hospitio ciuis Romani inscripsisset, eum se pro hoste habiturum. Concione dimissa cum titulis notatæ fores discrimen pacatæ ab hostili domo fecissent, signo dato ad diripiendas Romanorum ædes discurritur; & fuit prædæ aliquantum, authore Liuio. At Polybius eam copiosam, ac variam fuisse tradit, & nihilo Carthaginiensium spe inferiorem.

Ædes Romanorum diripiuntur.

X. Tarentinis arcem consilia.

POSTERO die de arce actum est, quæ cum munitissima magnitudine esset, dedit operam Annibal muro & ingenti fossa, arcem inter & vrbem excitata, ne qui in arce erant, in oppidum improuisi impetum facere possent, sperans se eos, dum procurrerent ad opus impediendum, intercepturum, & ita paulatim præsidij vires attenuaturum, vt se facile ab ijs Tarentini tueri possent. Nec spes callidum imperatorem fefellit. Vbi cœptum opus est, patefacta repente porta, in munientes impetum Romani fecerunt; peliique se statio passa est, quæ pro opere erat, vt successu cresceret audacia, pluresque, & longius pulsos persequerentur. Tum signo dato coorti vndique Pœni sunt, quos in id instructos habebat Annibal: Nec impetum sustinuere Romani, sed ab effusa fuga tum loci angustiæ, tum impedimenta cœptæ munitionis retinebant: plurimi in fos-

Inde erumpentes male accepti.

in fossam præcipitati; pluresque in fuga, quam in pugna occisi sunt. Inde opus nullo prohibente promotum est: ac celeriter confectum.

XI. *Subsidia Metaponto accipiunt.*

IDQVE spem fecit Annibali arcem quoque expugnari posse: cumque omne machinarum genus iam mœnibus admoueret, missum à Metaponto præsidium (id oppidum maritimum est, in magna Græcia, in sinu Tarentino) animos Romanis fecit, vt nocte ex improuiso opera hostium inuaderent, quorum alia disiecerunt, alia igni corrupere. Isque finis fuit Annibali arcis ea parte oppugnandæ. Reliqua erat spes, nec ea satis efficax, eam fame ex diuturna obsidione subiugandæ. Sed cum arx in peninsula posita faucibus portus immineret, ad quem commeatus mari inferrentur, propius erat vt obsidentes, quam obsessi fame premerentur. Itaque statuit naues è portu abstractas per mediam vrbem in medium mare ante peninsulam, & fauces portus transferre, idque cum omnium applausu atque admiratione perfecit. Contracta extemplo vndique plaustra, iunctaque inter se, & machinæ ad subducendas naues admotæ, complanatę viæ, & iumentis adiuncti homines, naues per vrbem in alterum littus traduxerunt; paucosque post dies classis instructa ac parata circumuehitur arcem, & ante ipsum portum anchoras iacit. Hunc statum rerum Annibal Tarenti reliquit, ipse in hyberna regressus est.

Annibal naues per mediam vrbem traducit.

XII. *Capuanis frumentum ab Annibale petunt.*

INTEREA vterque Consul erat in Samnio, & Capuam obsessuri videbantur: iamque famem ante obsidionem Campani metuebant, quippe Romanorum exercitus eos sementem facere prohibuerant. Itaque legatos ad Annibalem mittunt, orantes vt frumentum conuehi Capuam iuberet, priusquam Consules aditus occuparent. Ea cura Hannoni ab Annibale mandata; qui ex Brutiis veniens, castra edito loco ad tria millia passuum à Beneuento posuit, ac communiuit. Illuc ex vicinis locis magnam frumenti vim datis præsidiis conuehi iussit, statimque Capuanos moneri, vt plaustra omnis generis deuehendo frumento mitterent ad certam diem; qui pro cætera socordia, paulo plus 40. miserunt, cum aliquot præterea iumentis.

Hannoni cura.

Eorum socordia.

Occasio perdita.

Hanno ob id verbis increpitos, quod eos ne fames quidem, quæ bestias stimulat, satis expergefaceret; aliam constituit diem ad frumentum maiore apparatu petendum. Sed res longe aliò, perdita occasione conuersa est.

XIII. *Consules accersuntur.*

CVM enim Beneuentani huius rei certiores facti essent, legatos decem ad Consules mittunt; eorum vnus Fuluius Beneuentum cum exercitu venit. Ibi ex propinquo agnoscit Hannonem cum parte exercitus profectum frumentatum: duo millia plaustrorum, inermemque aliam turbam aduenisse, per tumultum ac trepidationem omnia agi, castrorum formam, militaremque ordinem sublatum.

Castra Poeni ca obsident.

Ergo Consul edicit proxima nocte ad oppugnanda Pœnorum castra proficiscendum. Quarta vigilia profecti, paulo ante lucem ad castra perueniunt: tantumque pauoris hosti attulerunt, vt si in plano posita fuissent, haud dubie primo impetu capi potuerint. Verum iniquitas loci multum fauebat Pœnis, facileque contra nitentes Romanos, cum vulneribus, cædibusque repellebat. Itaque censebat Consul desistendum incœpto, resumptisque viribus castra iuxta hostium castra collocanda; ne exire inde Campani, neve Hanno regredi posset, eoque alterum etiam Consulem aduocandum, iamque receptui canere cœperat.

XIV. *Et expugnant.*

CVM militum feruor accensus in castra irrupit, hinc Vibio, inde Pedanio ducibus, quos alij atque alij deinceps certatim secuti, per tela & vulnera fossam transcendunt, vallum transgrediuntur, & quamuis eos vires sanguisque deficerent, id saltem nitebantur, vt intra vallum hostium caderent. Denique castris potiti sunt; ibi cædes non pugna fuit, supra sex hostium millia cæsa; supra 7. millia capiuntur, cum frumentatoribus Campanis, omnique plaustrorum atque iumentorum apparatu. Capta & alia ingens præda fuit, quam Hanno ex sociorum agris populabundus traxerat. Consul Beneuentum rediit, quo mox alter Consulum venit: ab iis præda partim vendita, partim diuisa est. Hanno furtim in Brutios rediit, male à Romanis, per culpam Capuanorum, acceptus.

Multa cum cade praeda quae.

Capuani rursum vrgent Annibalem.

Capuani rursum Annibalem legatione fatigant, duos Consules cum copiis ad Beneuentum esse, diei iter Capua distare, Tarentum non esse tanti, vt Capua in discrimen adducenda sit. Annibal curæ sibi fore rem Campanam pollicitus, in præsentia duo millia equitum cum legatis mittit, vt agros suos populatione prohiberent.

XV. *Metapontini Poenis se dedunt.*

INTEREA Romani de arce Tarentina solliciti, eo frumentũ deuehi curant, & in Præsidium Metapontinum, quo metu liberati ciues Pœnis se dedunt; eorumq; exemplum alij in eadem ora secuti, Thurij in primis, non tam odio præfectorum, quam dolore obsidum crudeliter interfectorum. Sed alia quoque clades Romanos afflixit. Coss. Capuam oppugnaturi erant, sed Beneuento, si desereretur, timebant: itaque eo Sempr. Gracchum Proconsulem è Lucanis accersebant. Cum Flauius quidam Lucanus, non contentus ipse ad Pœnos deficere, & ad eandem defectionem trahere Lucanos, insigni aliquo facinore statuit sese Pœnis commendare. Ad Magonem clam in colloquium venit, & suorum libertatem apud Pœnos pactus, insidias certo in loco ponere iubet, eò se Gracchum adducturum: & reuera deduxit, spe reconciliandi Romanis diuersos Lucanorum Prætores, eo in loco congregatos. Ibi autem in circumfusis hostibus fortiter pugnans cecidit: mortui corpus ab Annibale honoratum est. Volonum etiam exercitus, qui viuo Graccho summa fide stipendia fecerat, velut exauctoratus morte ducis, ab signis decessit.

Et Thurij.

Et Lucani.

Sempron. Gracchus in insidias ductus occiditur.

XVI. *Alia clades Romanorum.*

ALIVD quoque non leue damnum Consulum exercitui illatum est. Nam Coss. agrum Campanum ingressi, cum passim popularentur, eruptione oppidanorum & Magonis, vixdum instructa acie fusi, fugatique, supra mille ac quingentos milites amisere. Quo ex casu cum timidiores facti viderentur, singulare certamen Crispini & Badij, quorum ille Romanus, hic Campanus erat, Romanorum animos, Crispino victoria potito, reparauit.

In Campania.

Singulare certamen. Pugna cum Annibale dubia.

Interea in agrum Beneuentanum venit Annibal, tertioque die copias in aciem eduxit, facta Romanis pugnandi potestate. Pugnatum est, & Romana acies equitum incursu grauiter laborare cœpit: cum procul visus Sempronianus exercitus, cui Cn. Cornelius Quæstor præerat, vtrique parti parem metum præbuit, ne hostes noui aduentarent. Itaque velut ex composito signum vtrimque receptui datum est.

XVII. *Alia Romana clades in Lucanis.*

INDE Coss. vt auerterent Capua Annibalem, proxima nocte Appius Claudius in Lucanos, Fuluius in agrum Cumanum, diuersi abierunt. Annibal incertus primo vtrum sequeretur, Appium instituit sequi; ille circumducto hoste quà voluit, alio itinere Capuam rediit. Annibal in Lucanis restitit, vbi M. Centenium Penulam conturionem congredi secum ausum, acie vicit atque interfecit, cum septem millibus tam ciuium quam sociorum, vix mille fuga elapsis. Rursum paulo post. Cn. Fuluium Prætorem, qui milites suos prospero nescio quo euentu feroces, vix imperio continebat, in Apulia maiore clade atque ignominia affecit. Nam ne clamorem quidem ac primum hostium impetum Romani sustinuere. Dux stultitia, ac temeritate Centenio par, animo nequaquam comparandus, vbi rem inclinatam, ac trepidantes suos vidit, equo arrepto cum ducentis ferme equitibus effugit. Cætera acies à fronte pulsa, ab alis circumuenta, eousque cæsa est, vt ex duodeuiginti millibus hominum, duo millia haud amplius euaserint. Verum neque hi, neque dux eorum stultitiam, & temeritatem impune tulerunt, vt seq. anno dicetur.

Alia rursum in Apulia.

XVII. *Roma trepidat.*

HÆ clades alia super aliam Romam allatæ, ingentem luctum ac pauorem ciuitati attulerunt; eos tamen res à Consulibus bene gestæ, apud quos summa rerum erat, consolabantur. Nihilominus legatos ad Coss. mittunt, qui nunciarent, vt reliquias duorum exercituum cum cura colligerent; darentque operam ne per metum

ac de-

ac desperationem hosti se dederent, vti post Cannensem cladem accidisset; & vt desertores de exercitu Volonum conquirerent. Ita Liuius, ex quibus intelligis Romanos malo suo factos sapientiores, minus se deinceps rigidos suis militibus præbuisse. Et credibile est plerosque in hisce cladibus, ne fugitiui aut captiui fierent, hostili ferro misere atq; inconsulte periisse.

XIX. *Coss. & Prætor Capuam obsident.* Interea Consules Capuæ obsidionem, iam diu meditatam, atque inchoatam, summa cura aggrediuntur; frumentum ad maritima castella conuehunt, ad Vulturni ostium præsidium imponunt, vt & mare proximum, & flumen in potestate esset, & frumentum, quod è Sardinia adueheretur, tuto recipi, ac seruari posset, neque per hyemem copia militi deesset. Tria prætoria ad Capuam excitata sunt, Consulis vtriusque, & Claudii Neronis prætoris, simulque à tribus exercitibus, diuersis locis vallo fossaque vrbs circumcingi cœpit, & castella modicis interuallis excitari. Campani leues nec magnopere vtiles excursiones, ad ista opera impedienda fecerunt, simulque legatos ad Annibalem euocandum mittunt, rogantes vt ipsis non circumsessis modo, sed etiam circumuallatis opem ferat.

XX. *Annibal à Capuanis euocatur.* Annibal Tarentum copias reduxerat spe arcis occupandæ; tum re parum procedente, Brundusium quoque iter flexerat, id oppidum in suam potestatem ratus proditione venturum. Ibi quoque cum frustra tempus tereret, ad eum Capuani peruenere; quibus ille magnifice respondit, & antea Consules soluisse obsidionem, & nunc aduentum suum non laturos. Cum hac spe dimissi legati, vix regredi Capuam, iam duplici fossa, valloque cinctam, potuerunt. Priusquam tamen plane cingeretur, literæ à P. Cornelio Sulla prætore vrbano acceptæ

Quæ illis potestas ab Vrbe facta. sunt, vt potestas Capuanis fieret, Capua cum rebus suis exeundi, vsque ad idus Martias; post eam diem, quique exissent, quique ibi mansissent, hostium loco futuros; quæ illi contempserunt. Hæc porro temporis notatio monet, horum nonnulla ad initium sequentis anni pertinere, prioribus tamen cum Liuio coniunximus, quod pauca essent & incerta, atque ægrè à cæteris diuelli possent.

XXI. *Syracusana obsidio vrgetur.* Seqvitvr non minus illustris, quam luctuosa Syracusarum expugnatio, M. Marcelli auspiciis hoc anno perfecta. Et initio quidem veris incertus erat Agrigentumne armis peteret, ab Himilcone & Hippocrate occupatam, an in Syracusarum obsidione perseueraret, quas neque vi, neque fame, mari commeatum suppeditante, poterat ad deditionem compellere. Occasionem quidem bene gerendæ rei quidam profugi proditione parabant; sed re patefacta ad 80. cum cruciatu perierunt. Inde cum Damasippus quidam Lacedæmonius, missus ab Syracusis ad Philippum regem, in manus Romanorum incidisset, deque eo redimendo multum laboraret Epicides, ad colloquium de eius redemptione missi sunt vtrimque ad portum Trogilorum, vbi Romani altitudinem muri, atque ordines lapidum æstimantes, eum multo humiliorem opinione sua cognouerunt, nec difficile scalis eo conscendi posse. Res delata Marcello probataque est. Occasionem festus Dianæ dies attulit, ab transfuga proditus, scalæ in occulto comparatæ.

XXII. *Romani scalis in muros euadunt.* Cvmqve iam tempus adesse videretur, quo vino madidi, somno obruti iacerent, scalæ notato muro applicitæ. Vbi sine strepitu ac tumultu primi euaserunt, in murum, alii atque alii deinceps secuti sunt; à quibus qui in turribus, aut cubilibus reperti sunt, vino fatigati facile obtruncantur. Inde terrendi hostis causa, signum occupatæ vrbis tuba datur; dum ciues omnia ab hoste teneri existimantes, huc illucque diffugiunt, & se de muro

Vrbs occupatur. plerique præcipitant: alii nemali quidem sui magnitudinem, partim propter somnum & crapulam, partem propter vrbis magnitudinem, ad lucem vsque senserunt; cum Marcellus effracto Hexapylo omnes suas copias in vrbem induxit, & ciues, milites que Afros, & Siculos, ad opem, si quam possent, vrbe afferendam excitauit. Simul etiam vrbem è superiore loco contemplatus lacrymas tenere non potuit; videbat quippe ciuitatem nobilissimam, beneficiis in populum Romanum insignem, & omnium ferme illa tempestate pulcherrimam, tot regibus ac tyrannis inclytam, tot victoriis cladibusque celebratam, tot opportunitatibus terra marique potientem, tot vndique diuitiis circumfluentem, vnam deniq; quatuor aut quinque magis vrbibus parem, perexiguo temporis spatio tristissimo arsuram incendio, & ad cineres redituram.

XXIII. *Singulæ partes vrbis se Marcello dedunt.* Vt autem vrbs varias in partes, quasi totidem vrbes diuisa erat, Insulam, quæ & Nason dicebatur, Acradinam, Neapolim, Tychem, quibus & Epipolas quidam addunt, variisque in locis suis quasi arcibus propugnabatur, Hexapylo, Euryalo totidem, vbique nouæ obsidiones, ac prælia imminebant. Verum cum magnam partem iam teneret Marcellus, Neapolis & Tyche cum infulis ad eum veniunt, precantes vt à cædibus atque incendiis parceretur. Marcellus edixit militibus, ne quis liberum cor-

Diripiuntur Syracusæ. pus violaret, cætera prædæ futura. Signoque dato, milites discurrerunt, nec rapinis ante modus fuit, quam omnia diutina fœlicitate cumulata bona egessere. Inter

Loca munita in potestatem veniunt Romanorum. hæc Philodemus, qui munitum tumulum Euryalum tenebat, desperato auxilio, locum Romanis dedit, ipse cum præsidio ad Epicidem redit. Acradinam deinde Marcellus ternis castris vndique circumdedit, vt ad deditionem, rerum omnium inopia compelleret, nequicquam Pœnis terra marique opem ferentibus, eamq; mox in potestatem suam partim vi, partim Merici Hispani proditione redegit, eodemque tempore Naso Insula potitus est, cum enim eius milites ad opem ferendam Acradinæ concurrissent, Romani prope destitutam præsidio occuparunt.

Profvit Marcello ad victoriam pestilentia, quæ XXIV. *Auxilium Bomilcaris irritum.*
plerosq; Siculos Syracusarum propugnatores, in sua quæque oppida compulit, Pœnosq; ipsos vehementer afflixit, Romanorum quoq; multos absumpsit. Bomilcar sub ipsum expugnationis initium, cum 35. nauibus Carthaginem se contulit, edoctisque Carthaginensibus quanto in discrimine Syracusana res esset, ita tamen vt spem faceret, non ipsis modo salutarem opem ferri posse, sed Romanos quoque in capta quodammodo vrbe capi, perpulit vt classe commeatuque vehementer augeretur. Ergo centum triginta nauibus longis, & 70. onerariis omni rerum copia onustis profectus Carthagine, secundis ventis in Siciliam delatus est. Sed cum iidem venti eum promontorium Pachinum superare prohiberent, verebatur ne aduersis ventis contra Romanos classe pugnare cogeretur. Deinde cum Eurus flare desiisset, postquam tendere ad se vidit Romanas naues, incertum qua subita re territus, Bomilcar in altum vela dedit, missisque nunciis Heracleam, qui onerarias naues Africam repetere iuberent, ipse Siciliam prætervectus, Tarentum petit. Epicides à tanta spe destitutus, Agrigentum nauigat, euentum rerum expectaturus: eius præfecti à Siculis deditionem molientibus interfecti.

Inde Quæstor cum præsidio Nason missus, ad accipiendam pecuniam regiam, vrbs militi diripienda data est, XXV. *Archimedis cædes.*
custodibus per domos eorum diuisis, qui intra præsidia Romana fuerant. Cum multa iræ, multa inuidiæ, auaritiæque fœda exempla ederentur, memoriæ proditum est Archimedem in tanto tumultu, quantum capta vrbs, in discursu diripientium militum ciere poterat, intentum formis, quas in puluere descripserat, ab ignaro milite quis esset, interfectum. Ita Liuius, Valeri- l. 8. c. 7.
us autem Maximus ait Marcellum edixisse, vt capiti illius parceretur: & militi qui prædandi gratia domum irruperat, strictoque super caput gladio interrogabat, quisnam esset, nomen suum, propter nimiam inuestigandi, *Contra edictâ Marcelli.*
quod quærebat, cupiditatem indicare non potuisse: sed protecto (sic enim legendum est, non protracto) manibus puluere. Noli, inquit, obsecro istum disturbare. Ac perinde quasi negligentem imperii victoris obtruncatum, sanguine suo artis suæ lineamenta confudisse.

Verum id edictum non in vnius Archimedis gratiam, sed omnium Syracusanorum editum est, vt ex Liuio, & Plutarcho certum est: qui ait occisum, quod tardaret ipsum ad Marcellum sequi, donec demonstrationem absoluisset: aliasque de eius morte narrationes congerit, quem consule.

XXVI. MARCELLVS vbi interfectum didicit, cui maxime omnium parci voluisset, ægrè videlicet tulit, & percussorem auersatus, vt hominem nefarium, sepulturæ eius curam gessit: propinquis etiam illius inquisitis, voluit Archimedis nomen illis honori præsidioque esse. Liuius, & Plut. in Marcello.

Hoc maxime modo Syracosæ captæ: in quibus tantum prædæ fuit, quantum via capta Carthagine tum fuisset, cum qua viribus æquis certabatur. Sed in spoliis ea præcipuè eminebant, quibus Marcellus primo triumphum suum, deinde vrbem ac templa exornauit: eximia scilicet, & miranda Græcarum artium opera, signa, tabulæ, horologia, spheræ Archimedis, cæteraq; deliciosæ vrbis ornamenta, ad quæ miranda, amandaq, Romani, tum adduci cœperunt, qui ante solis barbaris armis semilaceris, & cruore respersis in triumphis, templisq; assueuerat. Liuius, & ex eo Plut. sed de his iterum anno sequenti, quo ouans vrbem ingressus est.

XXVII. CAPTIS Syracusis res in Sicilia tanta fide, atque integritate composuit, vt & suam gloriam, & maiestatem populi Romani augeret, quos cæteræ nationes insignes belli viros, & formidabiles fatebantur; sed humanitatis, clementiæ, facilitatis exempla desiderabant: quæ Marcellus non pauca demonstrauit, quæ à Plutarcho lectori suggeruntur. Cuius etiam illud iudicium est, quod legati omnium ferme ciuitatum Siciliæ ad eum venerunt, de rebus suis variè solliciti. Quos ea conditione excepit Marcellus, vt qui ante captas Syracusas, aut non desciuerant, aut in eius amicitiam redierant, tanquam socii fidelesque haberentur: quos metus post captas Syracusas dediderat, vt victi à victore, pro arbitrio leges acciperent.

XXVIII. ERANT tamen haud paruæ reliquiæ belli Siculi ad Agrigentum collectæ, Epicide & Hannone ducibus, quibus additus ab Annibale Hipponiates, vir impiger, & Annibale magistro omnes belli artes edoctus, qui statim totam Siciliam peruasit, continendis in fide sociis, auxiliisque colligendis. Cum his Marcellus non admodum fœliciter pugnauit, Hipponiatis maxime opera. Verum cum ob seditionem in castris excitatam, propter trecentos Numidas, qui Heracleam abierant; ad eos mitigandos reuocandosque Heracleam profectus esset; reliqui duces gloriæ eius inuidentes, pugnam cum Marcello eo absente commisere: sed Numidis equitibus, quos maxime timebant Romani, partim absentibus, partim ad Marcellum deficientibus, facilis fuit victoria. Primus clamor atque impetus rem decreuit. Gens fallax promissi fidem præstitit; cum in concursu quieti stetissent in cornibus, vt terga dantes suos viderunt. fugæ tantum parumper comites facti, postquam omnes Agrigentum trepido agmine petentes viderunt, ipsi metu obsidionis, in proximas ciuitates dilapsi sunt. Multa hominum millia cæsa captaque, & octo Elephanti.

Hæc vltima in Sicilia Marcelli pugna fuit; victor inde Syracosas rediit, cui etiam in annum seq. imperium prorogatum est. Liuius l. 26.

XXIX. DVM hæc in Sicilia gerebantur M. Valerius Læuinus, qui Græciæ & Philippo imminebat, non solum Ætolos sibi deuincire, & à Philippo abducere conatur, sed vltra progressus, in Asia Attalum Pergamorum regem Populo Romano socium acquirit: idque hoc facilius fuit, quo sibi ille magis ab Antiocho vicino, & recens de Achæo victore, metuebat. Duos quoque Illyriorum regulos Pleuratum, & Sardileum, populosque duos Lacedæmonios & Eleos; quos omnes fœdere, quod cum Ætolis anno proximè seq. initum est, comprehendi voluit, vt ex T. Liuio l. 26. aperte constat. Ex quo etiam intelligitur ad hunc annum pertinere legationes illas Ætolorum & Acarnanum ad Lacedæmonios, quæ à Polyb. l. 9. recitantur; in quibus Chlæneas Ætolus Lacedæmonios sibi conciliare, & à Philippo & Macedonibus auertere conatur. Et vice versa Lyciscus Acarnanum Orator Ætolis infensus, eosdem Lacedæmonios ad Philippi & Acarnanum beneuolentiam adhortatur, vt periculum quod Græciæ à Barbaris, siue Romanis imminebat, communibus armis repelleretur. Huius legationis quis exitus fuerit apud Polybium non habetur: ex dictis autem intelligitur, Lacedæmonios sese Ætolis ac Romanis coniunxisse.

RESTANT Hispanicæ res huius anni; quo egressi ex hybernis suis Imperatores, copias coniunxerunt, vt bellum, si quo modo fieri posset, in Hispania finiretur; ad quod magnum momentum allatura videbantur 30. millia Celtiberorum, ea hyeme ad arma excitata. Treserant hostium exercitus debellandi, Asdrubalis vnus, Magonis alter, tertius filii Amilcaris, qui & ipse Asdrubal dicebatur, Annibalis frater; sed duo illi coniunctis copiis quinque ferme dierum itinere à Romanis aberant. Propior erat cum exercitu ad vrbem Anitorgin Annibalis frater, quem primum opprimere Scipiones cupiebant. Sed veriti ne hoc deuicto, reliqui duo, in auios saltus, montesque recipientes se, bellum extraherent, copias suas ita diuidere statuunt, vt P. Cornelius duas partes copiarum contra duos exercitus duceret, tertiam fratri ad debellandum tertium relinqueret. Ergo simul ad vrbem Anitorgin veniunt, & in hostium conspectu, amne dirimente castra ponunt. Ibi Cn. Scipio, cum quibus dictum est copiis, substitit, P. ad destinatam belli partem est profectus. XXX.

ASDRVBAL postquam animaduertit exiguum Romanorum numerum in castris, & spem omnem in Celtiberorum auxiliis esse, per occulta colloquia cum eorum principibus magna mercede paciscitur, vt bello absistant. Illi cum ad arma in Romanos vertenda non quærerentur, sed ad quietem, eiusque par esset merces futura quam belli & insuper à paucis Romanis sibi nihil timerent, iis desertis perfide abiere. XXXI.

Scipio consilii inops cum nec pugnare posset, nec fratri iamdudum antegresso coniungi, retro vnde venerat abire constituit, in id omni studio intentus, nec vbi hosti æquo se committeret loco, qui transgressus flumen, prope vestigiis abeuntium insistebat.

PAR eosdem dies P. Scipionem periculum maius ab hoste nouo vrgebat. Masanissa Rex eo tempore Carthaginiensium socius, cum lectissimo equitatu Numidarum P. Scipioni occurrit; eique dies noctesque infestus aderat, & pene obsidebat in castris, nec vllum tempus Romanis à metu & solicitudine vacuum relinquebat. Res etiam iniquiore loco futuræ videbantur, vbi se Indibilis, quem cum 7. millibus & quingentis Suessetanorum aduentare fama erat, Pœnis coniunxisset. Itaque consilium capit illi occurrendi, & cum eo solo pugnandi, relicto modico in Castris cum T. Fonteio præsidio. Cum hoste congressus, superior, vt in tumultuaria pugna, Romanus erat; sed equites Numidæ, quos se fefellisse Scipio arbitrabatur, repente adfuerunt, & ad pugnantium latera circunfusi magnum terrorem intulere: sed tertius insuper hostis superuenit, duces Pœni, in quos vnos se pugnaturum Scipio crediderat. XXXII.

IGITVR Romani tot hostibus circumfusi, nec satis scientes quibus maxime resisterent, in cumulum malorum etiam Imperatorem lancea transfixum amittunt; statimque desperatis rebus, fuga vndique fieri cœpta est: sed ne in ea quidem multum præsidii inuenerunt, plures quippe in fuga, quam in pugna interfecti, tot equitibus, peditibusque equos velocitate æquantib. fugitiuos persequentibus: nec superfuisset quisquam, ni præcipiti iam ad vesperum die, nox interuenisset. XXXIII.

Non segniter Pœni duces fortuna vsi, confestim è prælio, via necessaria quiete concessa militibus, ad Asdrubalem Amilcaris filium concitum agmen rapiunt, copiasq; coniungunt.

XXXIV. *Instat Cn. Scipioni.*

Ad Romanos nondum tantæ cladis fama peruenerat, animos tamen tacita mali diuinatio pulsabat, facileq; Cn. suspicabatur, nisi deleto fratris exercitu, eos quibus ille bellum destinarat, contra se non fuisse venturos.

Cedit ille quidem quantum potest; sed Numidæ citato agmine persecuti, ante noctem assequuntur, nunc à tergo, nunc in latera concursantes. Scipio & procedere simul & pugnare cupiebat, priusquam pedites adessent: sed parum promouebat, & iam nox imminebat. *Is eam suis collem facit.* Scipio ergo suos è pugna reuocatos, in collem paulo editiorem subducit, vbi impedimentis & equitatu in medium receptis, circundati pedites haud difficulter incursantes Numidas arcebant. Interea tres imperatores cum suis exercitibus affuerunt. Nec habuit Romanus, vbi aut vnde vallum erigere, aut fossam ducere posset: ita nudus ab arboribus & saxosus erat locus, & hosti ad ascensum accliuis. *Milites cæduntur, aut fugiunt.* Ergo sarcinis ipsis & clitellis seipsos circundedere. Verum mox aditu vndique patefacto, pauci à multis, perculsique à victoribus passim cædebantur: magna pars tamen militum, cum in propinquas refugissent syluas, in castra P. Scipionis, quibus T. Fonteius legatus præerat, perfugerunt.

XXXV. *Ipse quoque occumbit.*

Cn. Scipionem alii in tumulo, primo impetu hostium cæsum tradunt, alii cum perfugisset in turrim cum paucis, exustis foribus vi captam, cum suis interfectum, vnde trigesimo die post mortem fratris, anno 7. postquam in Hispaniam venerat. Ita Liuius: qui annum quoq; Punici belli obiter notat. Nam sub transitum Annibalis in Italiam, P. Cornelius fratrem in Hispaniam præmiserat, ad quem anno sequenti ipse se contulit, vt suis locis dictum est. Multis eos lamentis Romani, ipsique Hispani prosecuti sunt.

Cæterum cum deletus exercitus, amissæque Hispaniæ viderentur, vir vnus res perditas restituit. Is fuit L. Martius Septimi filius eques Romanus, qui sub Cn. Scipione omnibus militiæ artibus erat instructus.

XXXVI. *L. Martius rem Romanam restituit.*

Hic ex fuga collectis militibus, & quibusdam ex præsidiis deductis, haud contemnendum exercitum fecerat, iunxeratque cum T. Fonteio P. Scipionis legato: cumque ducem ab exercitu creari placuisset, cuncti summam Imperii ad L. Martium detulerunt. Omne inde tempus castris communiendis, & commeatu comportando consumptum est. Nec ita multo post Asdrubal Gisconis filius liberum ad belli reliquias delendas transmittit, iamque ad vallum aderat, cum repente milites, qui suorum imperatorum mortem lamentabantur, à luctu ad iram versi, eam cædem vlturi, quasi accensi rabie discurrunt ad portas, & in hostem negligenter & incomposite venientem incurrunt, mirantem vnde repente aut exercitus Romanis, aut dux extitisset. *Reliquiæ copiarum Pœnos vexant.* Certe valida impressione pulsi terga vertunt, & aut fugientium cædes fœda fuisset, aut periculosus & temerarius sequentium impetus, ni Martius receptui propere signum dedisset, & in castra, cædis adhuc & sanguinis auidos, reduxisset.

XXXVII. *Eorum castra profligat.*

Inde cum in castris hostium omnia neglecta esse intellexisset, audax ex occasione consilium cepit, sociisque probauit, vt quod minime omnium timebatur, hostium castra noctu inuaderent, priusquam omnes hostium duces atque exercitus congregati essent, ab iisque in suis castris obsiderentur. Quarta vigilia mouere. Erant vltra proxima castra sex millium interuallo distantes aliæ copiæ Pœnorum, vallis caua intererat, arboribus condensa. In huius syluæ medio fere spatio cohors Romana, equitesque, arte Punica absconduntur, qui fugientes è primis castris exciperent. Itaque medio itinere intercepto, cæteræ copiæ silenti agmine ad proximos hostes ductæ, & cum statio nulla pro portis, neq; in vallo custodiæ essent, velut in sua castra, nullo vsquam obsistente penetrauere. Inde signa canunt, & tollitur clamor; pars semisopitos hostes cædunt, pars ignes tectis iniiciunt, pars portas occupant, vt fugam intercludant. Hostes simul ignis, clamor, cædes, velut alienatos sensibus nec audire, nec prouidere quicquam sinunt; si quis euaserat, ad alteram castra fugam arripiebat; sed cum in præparatas insidias armatorum, inermes inciderent, illico obtruncabantur. Itaque cæsi sunt ad vnum omnes.

XXXVIII. *Et rursum altera.*

Nec ea victoria contenti, raptim in altera castra transcurrunt; vbi neglecta magis omnia, ac soluta reperere. Cum securis ergo solutisque, Romani calentes adhuc à recenti pugna, ferocesque victoria prælium ineunt, in castrorum portis resisti non potuit; intra portas, concursu ex totis castris facto, atrox prælium oritur, diuq; tenuisset; nisi cruenta Romanorum scuta, indicium alterius cladis, ac pauorem Pœnis iniecissent. Hic terror omnes in fugam auertit, nisi quos cædes oppressit, simulque castris exuuntur. Ita nocte ac die geminis exuti castris Pœni fuerunt, dum hoste contempto, securi negligentesque degunt. Magnus cæsorum, captorumque numerus fuit, magna prædæ vis, in qua argenteus clypeus, cum imagine Barchini Asdrubalis pondo 138. quod in Capitolio asseruatum est, vsque ad eius incendium. *Clypeus argenteus.* Inde L. Martii gloriosum factum est nomen. & quietæ vtrimque aliquandiu res in Hispania fuere, post tantas clades vtrimque acceptas.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3842.

Initam cum Attalo amicitiam hoc ipso anno quo Syracusæ captæ sunt, consentit Scaliger apud Euseb. vbi male id contigisse legitur Olymp. 145. id est, metachronismo quadriennii, non triennii, vt ipse putat; nec quod idem ait culpa ea fuit D. Hieronymi, conferentis hoc fœdus in consulatum Læuini; non solum quia hoc tempore Læuinus Consul non erat, sed Proprætor duntaxat, vt ex Liuio patet. Verum etiam quia vnus tantum interiectus est annus, ad eius consulatum, & non triennium. 1. N. XXIX.

ANNVS MVNDI 3843. SEXTÆ AETAtis 327. Imperii Græcorum 101. Antiochi Magni 14 Simonis Pontificis 22. Ptolemæi Philopatoris 10. Philippi Macedonis 10. Olympiadis CXLII. An. 2. Vrb. cond. 542. Coss. Cn. Fuluio Centimalo, & P. Sulpitio Galba. 2. Punici Belli 8.

ANNVS ANTE CHRISTVM 210.

Ampla quoq; est huius anni rerum Romanarum seges, in magno reliquarum silentio. Capua ingenti ac diuturna oppugnatione pressa, Annibalem ad auxilium euocat. Is castra Romanorum perrumpere, & in vrbem iter patefacere conatus, Romam proficiscitur, omnia tumultu in vrbe, forisque replet, & irrito labore mox Romam, Capuamque deserit. Capua expugnatur, ac deletur. Scipioni Hispania demandatur, atq; aditur. Marcellus de Sicilia, aut ouat, aut triumphat. Hebræi vero hunc annum Sabbaticum centesimum & octogesimum siue celebrarunt, siue numerarunt. Mille enim ducenti & sexaginta anni à principatu Iosue ineunte reperiuntur. I. *Res anni huius.*

Iam ferme in exitu præcedens annus consularis erat, cũ Senatus Romæ decreuit, vt P. Cornelius Sylla prætor vrbanus, literas Capuam ad Coss. mitteret, dum Annibal procul abesset, nec vlla magni discriminis res ad Capuam gereretur, vt alter eorum, si ita videretur, ad magistratus subrogandos Romam veniret. Conuenit inter Coss. vt Claudius comitia perficeret, Fuluius ad Capuam maneret. Galba & Centimalus creati sunt Coss. Idibusque Martiis consulatum inierunt, vt scribit Liuius initio l. 26. idque tempus eo tempore ordinarium fuisse ineundo consulatui ostendit, quod extremo l. 25. idem scribit, iam ferme in exitu annum fuisse, cum ad Consules Capuam de celebrandis comitiis consularibus scriptum est. Idibus quoque Martiis consulatum inierat Flaminius, anno V. C. 536. autore Liuio, & sequenti anno 543. M. Marcellus. II. *Comitia Romæ consularia.* *Quod eorum tempus legitimum.*

Vt plane mirum sit apud Liuium l. 27. ita legi. *Iam æstas in exitu erat, comitiorumque consularium instabat tempus: sed literæ Marcelli negantis è Republica esse vestigium abscedi ab Annibale &c.* Quomodo in æstatis exitu instabat comitiorum III. *Dubitat in dato.*

rurum tempus, quæ à multis annis iunio vens Idibus Martiis celebrabantur? imo etiam maturius, quoniam eo die inibatur Consulatus, itaque legendum puto, *iam hyems in exitu erat* &c. aliinqui vix sex mensibus Coss. in magistratu fuissent. Sigonius significat anticipata comitia propter motus Africæ; sed id nihil vrgebat comitia, cum idem Valerius in Siciliam remissus sit, nec eò nouus consul missus. Liuius ait eum in prouinciam suam mature dimissum, nec voluisse eius reditum, vsque ad creatos consules differri, sed quid opus è pluribus? cum Liuius l. 27. perspicuis verbis affirmet illius anni Coss. Fabium & Fuluium Idibus Martijs iniisse consulatum? Sed de initio inchoandi consulatum, vide Sigonium in fastis, & Liuium l. 31. sub init. vbi agens de consulatu Galbæ, & Aurelii, quibus Coss. bellum Macedonicum inchoatum est. *Omnium primam*, inquit, *eam rem Idibus Martiis, quo die tum Consulatus inibatur, P. Sulpitius Cos. retulit.* Est autem ille annus V. C. 553.

IV. *Magistratus imperiū prorogatum.* Coss. igitur Senatu in Capitolium vocato, de administratione belli, exercitibusq; consuluerunt, prioris anni Coss. prærogatum est imperium, & exercitus quos habebant ad Capuam decreti: adiectumq; ne à Capua abscederent, priusquam expugnassent, idq; siue ob iram, quam ea ciuitas maxime merebatur, siue vt quæ exemplo suo populos aliquot ad defectionem traxerat, ita recepta, eosdem ad officium inclinaret. Marcello quoque prorogatum est imperium, vt plane in Sicilia debellaret: si supplemento opus esset, suppleret de legionibus, quibus P. Cornelius proprætor in Sicilia præesset, modo ne quē militem legeret ex eo numero, quibus Senatus missionem, reditumque negasset in patriam, ante finem belli Punici; vsqueadeo memores exercebat iras Senatus, in Cannenses illos milites, quasi iustius exarsisset in ducem. Reliquus etiam exercitus, qui duce Cn. Fuluio prætore, fœde in Apulia cæsus fugatusq; fuerat, idem militiæ finis, qui & Cannensibus datus. Additum etiam vtrorumque ignominiæ est, ne in oppidis hybernarent, neue hyberna propius vllam vrbem decem millibus passuum ædificarent. Viginti tribus legionibus, terra mariq; bellum hoc anno gestum.

V. *Cn. Fuluij ... ad causam.* AT dux ipse Fuluius C. Sempronii Blesi concionibus primum vexatus, quasi exercitum in præcipitem locum perduxisset, omnibusque vitiis corrupisset, vt feroces & inquietarent socios, ignaui & imbelles inter hostes essent; primus omnium exercitui fugæ præbuisset exemplum; negabatq; ferendum vt exercitu castigato, is immunis esset à pœna, à quo tota culpa profecta videretur; & cum primo pecuniaria mulcta plectendum crederent; postquam testes ab eo fugæ pauorisq; initium ortū dixerunt, ab eoq; desertos milites terga dedisse, capite acquirendum irata concio succlamauit. *Et pœna.* Denique nequicquam fratre Q. Fuluio, qui proconsul ad Capuam militabat, pro eo supplicante, antequam dies comitiorum iudicialium adesset, in Tarquinios vltro exulatum abiit. Id ei iustum exilium esse sciuit plebs.

Titulus Proprætoris vsurpatus, non senatus probatus. Huius ipsius anni initio acceptæ sunt ab Hispania L. Marcii literæ, cuius vt res gestæ magnificæ senatui visæ, ita Proprætoris titulus, quem sibi ipse ab exercitu delatum vsurpabat, non populi iussu, neq; autoritate patrum, plerosq; offendebat, ne res exemplo serperet, & quod alieni iuris erat, id sibi suffragia militaria inciperent vendicare. Itaque vt libenter quæ postulabat, concessa sunt, ita ei sine titulo proprætoris rescriptum est, donec ea de re amplius deliberatum esset.

VI. *Capua vrgetur obsidio.* INTER hæc vis omnis belli versa in Capuam erat, obsidebatur tamen acrius, quam oppugnabatur, vt vulgo fame grauiter laboraretur. Elapsus tamen est medios inter hostes Numida nuncius, ad aduentum Annibalis perurgendum. Is licet valde arcem Tarentinam affectabat, pluris tamen esse ratus Capuam sibi nun pente, ad eam si posset obsidione liberandam copias celeriter traduxit. Ergo castra Romanorum totis viribus aggreditur, *Annibal ... fortè satagit.* eo ipso tempore, quo Campani ex vrbe erumperent, vnaq; Punicum præsidium, cui Bostar & Hanno præerant. Diuersis hostibus diuersi ab exercitu Romano duces occurrerunt, Appius Claudius Campanis, Fuluius Annibali: ille facile Campanos vallo arcebat, Fuluius ab Annibale premebatur. Et iam sexta legio loco cesserat, eaq; pulsa cohors Hispanorum cum tribus elephantis, vsque ad vallum peruasit; & periculum erat, ne vel in castra irrumperet, vel eam legionem, à reliquo diuulsam exercitu, profligarent. *CAPVA OBSIDIO VRGETVR.*

VII. SED Q. Fuluii prouidentia, & eximia virtus Q. Nauii Centurionis periculum depulit, edita ingenti hostium, & elephantorum strage; quorum corporibus fossa oppleta, quod reliquum cohortis erat, erupit. Altera ex parte pulsis Campanis, sub ipsam Capuæ portam ab Romanis pugnabatur; sed missilibus ex vrbe propellebantur. Multa nihilominus cæde patrata, & plerisque in vrbem compulsis, Appius proconsul vulneratur, idque impetum Romanorum suppressit. Annibal animaduersa strage suorum, receptui cani iussit; Flaccus quoque ardorem militia insequentis cohibuit, satis hac pugna demonstratum ratus, quam parum ab Annibale Campanis auxilii afferri posset. Polybius l. 9. addit Pœnos eo loco diutius subsistere nequiuisse, quod antea proconsules late tota agris vastitatem intulissent, cætera eadem habet, quæ T. Liuius.

VIII. *Annibal Romam ...* CÆTERVM Annibal cum nec Romanos ad pugnam posset elicere, nec per castra eorum perrumpere ad Capuam, veritus ne suos commeatus noui Coss. intercluderēt, animo versabat, quam se in partem deserta Capua converteret. Subiit impetum animus Romam ipsam belli caput inuadendi: non esse desperandum aliquam eius partem, nec opinato pauore perculsis Romanis, occupari posse. Eo si Roma in discrimine esset, Capuam extemplo omissuros, aut alterum, aut vtrumq; proconsulem; copiisque diuisis, & sibi & Campanis bene rem gerendi copiam daturos. Id modo verebatur ne nunciato eius discessu, Campani extemplo deditionem facerent, sed eos de re tota per literas, quas fictus transfuga detulit, monitos continuit, tantæ rei expectatione suspensos.

IX. *Q. Fuluius ...* REM cum ex transfugis Q. Fuluius didicisset, mature Senatui nunciauit. Aliqui censebant omnes imperatores, copiasq; Romam euocandas; Fabius contra nihil mouēdum, nec victorem tantum asse animi, vt vrbem ausit inuadere, ad quam victor accedere formidasset. Media sententia vicit, alterum ex imperatoribus, qui ad Capuam esset, ad vrbem reuocandum videri, modo ne impar remaneret exercitus ad vrgendam obsidionem.

Hoc Senatusconsulto Capuam perlato Fuluius proconsul, quoniam Appius æger erat ex vulnere, ipse cum quindecim millibus peditum, & mille equitibus via Latina Romam petit, omnibus vbique commeatum suggerentibus. Annibal non solum terrorem infert, quacumque transit, sed Romæ etiam cuncta tumultu perturbat. Verum eos nuncius aduenientis Fuluii recreauit, cui Senatus ne præsente consule minor eius potestas, ad rem bene gerendam fieret, par cum Coss. imperium esse voluit.

XI. *Aduentus ducis vtriusque ad vrbē ex Polybio, lib. 9. p. 140. & 141. ...* POLYBIVS his, quæ de vtrinsque ducis aduentu habet Liuius non satis consentit. Nam & clam ex castris suis nocturno itinere profectum tradit Annibalem, & clam quoque itinere confecto, repente Romanis, ad quintum ab Vrbe lapidem apparuisse. Ex quo tanto maior, inquit, vrbem terror occupauit; existimantibus omnibus fieri non posse, vt nisi deletis Romanis legionibus, tantus hostis Vrbi tam vicinus adesset. Et viris in munienda vrbe vndique occupatis, mulieres omnia comploratione replebant, & in publicum effusæ, circa deûm delubra discurrebant, crinibus passis aratum verrentes pauimenta, vt in summo patriæ periculo, nixæ genibus, supinas manus ad cœlum ac deos tendentes, orantesque vt vrbem è manibus hostium eriperent, aliaque his consentanea.

Quæ autem de Fuluii aduentu tradit Liuius, longe aliter apud Polybium habentur. Nam nec diuisum exercitum memorat, qui Capuam obsidebat, neq; euocatum

XI. Sua vrbs à Coss. defensa eo anno.

Fuluium à Senatu, & Vrbem ipsam casu potius à Consulibus huius anni defensam.

A quibus legio vna dudum conscripta, ac sacramento firmata; eo die Romam venit: & altera legio recens deligebatur, militesque probabantur; quæ causa fuerat vt multi eo die viri militares Romam peropportune confluerent. Eos animose vterq; Coss. ante vrbem Annibali obiecit, sicque impetum eius repressit, & à consilio oppugnandæ vrbis auertit. Annibal autem ad prædas ac populationem conuersus est, quam maximam facile collegit, in iis scilicet locis, ad quos nunquam hostis credebatur esse venturus. Inde festinato retrocedens, vt incautum Appium ad Capuam opprimeret, sibi oblatam à Cos. pugnam detrectauit, à quibus in Anienis transitu, vbi pons fuerat intercisus, amissis trecentis de suis, magna etiam parte prædæ spoliatus est. Vtri potius habenda sit fides viderint prudentiores. Ego sane in Polybium illis temporibus æqualem, quiq; se dicat scripsisse ea quibus interfuit, aut quæ accepisset ab iis qui interfuissent, magis propendeo: præsertim cum eius narratio magis Annibalis ingenio, atq; instituto accommodata videatur; & Romanorum terror inopinato eius aduentui. Audiamus nihilominus etiam hoc loco Liuium, quamuis prodigia suspecta narrantem.

XII. Quid Fuluius & Annibal ad Vrbem.

INGRESSVS vrbem porta Capena Fuluius, mox inter Esquilinam, Collinamque portam Castra posuit. Annibal ad Anienem fluuium tria millia passuum ab vrbe castra admouit, vbi statiuis positis cum duobus equitum millibus, ad portam Collinam, vsque ad Herculis templum est progressus, atque vnde proxime poterat, mœnia situmque vrbis obequitans contemplabatur. Id eum tam licenter, atque otiose facere Fuluius indigne ferens, ad eum in castra summouendum ac compellendum equitatum immittit. Id cum magna ex parte transfugis Numidis constaret, dum ad Fuluij mandatum per vicus traosauit, insignis in vrbe trepidatio, quasi capto iam Auentino exorta est, vt amici pro hostibus saxis telisque peterentur. Alij etiam ex aliis subinde metus nascebantur, vt coactus fuerit Senatus ad eos comprimendos, omnibus qui aliquando Dictatores, Coss. Censores fuissent mandare, vt cum imperio essent, donec à muris hostis recessisset. Equestre prælium secundum fuit, summotique sunt hostes.

XIII. Pluuia dimicationem pugnæ impedit.

POSTERO die transgressus Anienem Annibal, in aciem omnes copias eduxit; nec Flaccus aut Coss. certamen detrectauere. Instructis vtrimque exercitibus in eius pugnæ casum, in qua vrbs Roma victori præmium esset, imber ingens grandine mixtus ita vtramque aciem turbauit, vt vix armis retentis in castra sese receperint. Et postero die eodem loco acies instructas eadem tempestas diremit, vbi recepissent se in castra, mira serenitas cum tranquillitate oriebatur. Qua re motus Annibal dixisse fertur, potiundæ vrbis Romæ modo sibi mentem non dari, modo Fortunam. Zonaras qui hæc ipsa paucis percurrit, exclamasse dicit. O Cannæ Cannæ. Eius quoque spem minuit, quod sub idem tempus, dum ad mœnia Vrbis armatus sederet, milites sub vexillis in Hispaniæ supplementum profectos audiuit. Et quod cognitum ex captiuo est, illum ipsum agrum, in quo castra haberet Annibal eo die nihilo minori precio, quem si ipse iam abijsset, venditum fuisse.

Ergo inde paulatim regredi cœpit, magnisq; itineribus ex Lucanis in Brutios, Rhegiumq; tanta celeritate contendit, vt eos pene incautos oppresserit. Fuluius quoq; quam primum ad obsidionem reuersus est.

XIV. [illegible] obsidio Capuæ.

CAPVA vero, etsi nihilo segnius obsessa per eos dies fuerit, tamen aduentum Flacci sensit, & admiratio orta est non simul regressum Annibalem. Polybius tamen non solum regressum Annibalem tradit, sed castra Romanorum nocte aggressum, multos occidisse, reliquos castris eiecisse; postero que die in Brutios Rhegiumque cap[t]urum peruolasse. Addit Liuius, inde intellexisse Capuanos relictos se, desertosque, & spem Capuæ retinendæ deploratam apud Pœnos esse. Accessit edictum proconsulis ex Senatusconsulto propositum, vulgatumque apud hostes, vt qui ciuis Campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset; neque tamen vlla est facta transitio, dum timent ne fidem Campanis ea religione Romani teneant, quam Romanis ipsi ad Pœnos transeundo tenuissent. Nihil priuatim, nihil in publicum salutare consulebatur, omnia tenebat desperatio. Duces præsidij Punici acerbas literas ad Annibalem scripserunt, quibus & increparent, & accerserent, & mittebantur literæ per transfugas simulatos, qui in castris Romanis opportunitatem fugæ quærebant, sed à muliere patefacti, & conuicti, ad 70. comprehensi, virgis cæsi, amputatis manibus in vrbem compulsi sunt.

XV Campanorum desperatio.

ID spectaculum fregit animos Campanorum: concursus populi in curiam factus, Senatus minis congregatus frequens affuit. Inde cum de legatis ad Imperatores Romanos mittendis ageretur, Vibius Virius, qui defectionis ab Romanis author fuerat, eum Iobium Virium vocat Zonaras, qui hæc quoq; compendio refert. Is ergo grauem orationem habuit, in qua cum nihil à Romanis gratiæ veniæque expectandum dixisset, sed mortem cum ignominia & cruciatibus, author Senatui fuit mortis sibi veneno consciscendæ. Itaq; omnes qui in eam sententiam irent, domum suam ad epulas, & venenum inuitauit, 27. assensi secutique sunt. Alij clementiam populi Romani sæpius experti, legatos de vrbe dedenda miserunt.

Senatores 27. sponte pereunt.

Ingressus est C. Fuluius legatus cum legione vna, & duabus alis; arma omnium telaque ad se deferenda curauit, custodias ad portas omnes disposuit, præsidium Punicum comprehendit.

XVI. Iudicium de Senatoribus.

SENATVM in castra ad Imperatores misit; quo cum peruenissent, omnibus extemplo iniectæ catenæ, iussiq; ad quæstores deferre, quod auri argentique haberent, auri pondo 70. fuit (id est, septem millia aureorum, centum cuique libræ assignatis). argenti tria millia & 200. id est, triginta quinque millia aureorum & ducenti, attributis vndecim aureis cuique pondo, siue libræ. Senatores quinque & viginti Cales in custodiam, duodetriginta Theanum missi; fuerunt itaque omnes numero octoginta. De eorum supplicio non satis inter Imperatores constabat: Claudius ad veniam erat propensior, & rem totam ad Senatus arbitrium reijciebat, Fuluius erat durior. Itaque Appius Romam ea de re scribit. Fuluius priusquam responsum inde acciperetur, tribunis militum ac præfectis sociorum imperauit, vti cum duobus equitum millib⁹, ad tertiam buccinam præsto essent.

XVII. A Fuluio interficiuntur.

CVM hoc equitatu noctu Theanum profectus, prima luce portam intrauit, atque in forum progressus, iussit Campanos, qui essent in vinculis produci. Producti omnes, virgis cæsi, ac securi percussi sunt. Inde citato equo Cales percurrit. Vbi cum in tribunali consedisset, productique Campani deligarentur ad palum, eques citus ab Roma venit, literasque à C. Calphurnio Pisone Prætore vrbano, populoque Romano Fabio cum tradidisset, murmur à tribunali totam concionem peruasit, rem integram de Campanis ad Patres deferri: & Fuluius id ita esse ratus, cum literas non resolutas in gremio reposuisset, præconi imperauit vt lictorem lege agere iuberet; statimq; de iis quoq; supplicium sumptum est. Tum literæ lectæ Senatusconsulti de re acta impedienda. In quo tamen etiam legebatur, si ei videretur, Romam esse mittendos.

XVIII. Alia cædes Capuæ, & in Campania.

SVB idem tempus Appius Claudius est mortuus, ex vulnere fortasse in castrorum propugnatione accepto; itaque affirmat Zonaras, qui ait quosdam è captiuis Romam missos, & Atellanos vrbe deserta cum vxoribus & liberis ad Annibalem esse profectos. Taurea Inbellius occisa coniuge, liberisque, conuicio facto Proconsuli Fuluio, se ipse interfecit.

A Calibus Capuam reditum est. Attellaque & Calatia in deditionem acceptæ, ibi quoque in eos, qui capita rerum erant animaduersum. Ita ad octoginta senatores interfecti, trecenti ferme nobiles Campani in carcerem

Vrbe desolatio.

conditi; alij per sociorum Latini nominis vrbes in custodias dati, varijs casibus interierunt, alia multitudo venundata, & in nullam spem reditus dissipata. Vrbi tectisque, propter agri bonitatem parcitum, vt esset habitatio aratoribus ac vinitoribus, quibus daretur quotannis aliquis ex vrbe magistratus. Deniq; confessio ab hoste expressa est, quanta vis esset in Romanis, ad pœnas ab infidelibus socijs expetendas, & quam nihil esset in Annibale auxilij, ad receptos in fidem tuendos.

XIX. *Fœdus à Lævino sancitum.* Sed iamdudum nos Valerius Læuinus, & Græcia ad se vocant; vt fœdus cum Ætolis initum, & res inde gestas agnoscamus. Quanquam Liuio authore constat, non prius fœdus huc initum fuisse, quam fama captæ Capuæ in Græciam peruasisset. Cum ergo iam principum Ætolorum animi, non solum tentati, sed victi etiam essent, pro sanciendo fœdere, concilium Ætolorum indictum est. Ad id Valerius cum expedita classe venit: vbi Syracusas, Capuamq; captas ostentauit, in testimonium Romanæ potentiæ, & successus rerum secundarum: morem Romanorum declarauit, in populis vel ciuitate, vel societate donandis. Ætolos eo maiore futuros honore, quod gentium transmarinarum primi in amicitiam venissent, (publico scilicet ac solenni fœdere inito: nam iam ad amicitiam receptus erat Attalus, aliiq; qui mox hoc fœdere sunt comprehensi: sed nullum erat sancitum proprium fœd', quod Læuinus commodi omnes fœdere colligari vtilius fore censebat.) Addit Philippum & Macedonas, graues eorum accolas, à se ante biennium domitos, eoque redactos, vt non solum Ætolorum vrbibus excedant, sed etiam Macedoniam infestam habeant; daturum deniq; operam vt Acarnanes, quos ægreferrent Ætoli à suo corpore diremptos, eorum ditioni restituantur. Ea spes maxime mouit Ætolos, quorum Scopas erat Prætor, Princeps vero Dorimachus, ad societatem ineundam.

XX. *Fœderis conditiones.* CVIVS hæ fuere conditiones; Ætolos amicos, sociosq; populi Romani fore, eodemq; iure amicitiæ Eleos, Lacedæmonios, Attalum Pergami Regem, Pleuratum, Scerdiletum Illyrij reges comprehensum iri. Bellum extemplo Ætolos cum Philippo terra gesturos: quibus Romanus cum viginti quinqueremibus futurus esset auxilio: vrbes ab Ætolia Corcyram vsq; Ætolorum fore; at earundem prædam Romanis cessuram: daturos operam Romanos, vt Acarnaniam Ætoli haberent. Si Ætoli pacem cum Philippo facerent, fœderi adscriberent, ita ratam fore pacem, si Philippus à Romanis eorumq; socijs abstinuisset. Item si populus Romanus fœdere iungeretur Regi, vt caueret ne ius ei belli inferendi Ætolis, eorumue socijs esset.

Extemplo Ætoli mouerunt arma aduersus Philippum, Læuinus Zacinthum, & aliquot alia loca Acarnanum capta Ætolis ex fœdere attribuit. Philippum quoq; bello finitimo satis implicatum ratus, ne Italiam Pœnosque, & Annibalem respicere posset, Corcyram ipse se recepit. Philippo Pellæ hybernanti Ætolorum defectio allata est. Quæ autem proximo vere consecuta sunt, proximo anno dicentur. Hæc fere Liuius l. 26. quæ Iustinus attingit l. 29.

XXI. *Exercitus in Hispaniam transfertur.* ROMANI Proconsules Capuana cura perfuncti, Claudio Neroni ex iis duabus legionibus, quas ad Capuam habuerat, sex millia peditum, & trecentos equites, quos ipse legisset, & sociorum Latini nominis parem peditum numerum, & equites octingentos decernunt. Eum exercitum Puteolis in naues impositum, in Hispaniam transportauit. Tarraconem appulit, expositisq; ibi copijs, ad Iberum flumen progressus, exercitũ à L. Martio, & T. Fonteio accepit. Inde perrexit ad hostem Asdrubalem Amilcaris filium, quem cum, occupatis faucibus, quibus erat transeundum, in potestate haberet, illeq; tota Hispania cessurum Romanis polliceretur, extrahendis interdiu colloquijs de conditionibus, dum noctu paulatim ex faucibus suos eiiceret, tandem cum suis omnibus euadens Neronem irrisit: eumpropterea mox Syllanus cum Scipione successit.

XXII. INTEREA Romæ, quærebatur Imperator, qui duobus Scipionibus in Hispania succederet: cumque de tot principibus viris nemo nomen suum profiteretur, mœsta ciuitas luctum de amissis duobus illis ducibus redintegrabat. Cum subito P. Cornelius illius, qui in Hispania ceciderat filius, quatuor & viginti ferme annos natus professus se petere, in superiore loco, vnde conspici posset, constitit. In quem postquam omnium ora conuersa sunt, omnes ei fausta, omnia feliciaq; cum clamore comprecati sunt. Itum inde in suffragia; vbi omnes non solum centuriæ, sed etiam homines Scipioni Hispanias decreuere. Qua de re cum in concione disseruisset, timorem omnem ciuium, ab ætate ac parentum funeribus conceptum depulerunt; & ille ingentem expectationem excitauit, quā etiam postea longe vicit.

XXIII. *Eius copiæ apparatus. Ex Zonar.* AD eas copias, quas ex vetere exercitu L. Martii Hispania habebat, quasq; paulo ante Nero Puteolis profectus aduexerat, decem millia peditum, & mille equites adduntur; & M. Iunius Syllanus ætate prouectus, ait Zonaras, Proprætor adiutor ad res gerendas datus est. Ita cū 30. quinqueremium nauium classe, Pyrenes circumuect' promontorium, Emporiis copias exposuit. Inde nauibus sequi iussis, Tarraconem pedibus profectus est, quo se omnium sociorum legationes, ad famam aduentus eius effuderant. Responsa legatis dedit in tanta casuum varietate, tanta moderatione & prudentia, nullū vt ferox verbum excederet, ingens omnibus quæ diceret, cum maiestas inesset, tum fides.

Appulsio in Hispaniam. Profectus ab Tarracone, & ciuitates sociorum, & hyberna exercitus adiit, collaudauitq; milites, quod duab' tantis cladibus deinceps acceptis, prouinciam tamen retinuissent. L. Martium summo apud se in honore habuit, nihil veritus ne suis ille luminibus officeret. Deniq; omnibus rite dispositis, Tarraconem in hyberna concessit hostes tripertito diuisis, hyemarunt.

XXIV. *Marcelli ouatio.* INTEREA sub extremam æstatem classis Punica è Sicilia Tarentum accita, ad arcem subigendam, nullo opere pretio edito, dimissa est. Marcellus quoq; Romam è Sicilia venit, eiusdem æstatis exitu, eiq; ad ædem Bellonæ senatus est datus, à C. Calphornio Pisone vrbano prætore. Ibi cum de rebus à se gestis disseruisset, questus leniter non suam magis quam militum vicem, quod prouincia rite confecta, exercitum deportare non licuisset, postulauit vt triumphanti vrbem inire liceret, nec impetrauit, quod debellatum minime videretur: quoniam successori exercitum tradere iussus esset, nec exercitus testis meriti aut immeriti triumphi adesset. Medium concessum est, vt ouans vrbem iniret; pridie tamen in Albano monte triumphauit. Hæc cū Plutarchus quoq; referat, addit, quod non pœniteat retulisse. *Ouans*, inquit, *non inuehitur curru neq; laureatus, neq; concinitur tubis, sed pedibus ingreditur, calceatus, modulantibus multis tibiis, Coronam gestat myrteam sicut pacatus, gratus aspectu, magis quam metuendus &c.*

XXV. *Ouatio Marcelli, cum præda.* OVANS ergo Marcellus multam præ se prædam in vrbem intulit, cum simulachro captarum Syracusarum: catapultæ, balistæq;, & alia omnia instrumenta belli lata, & pacis diuturnæ, regiæq; opulentiæ ornamenta, argenti æ risq; fabricata vasa, & alia suppellex, pretiosaq; vestis, & multa nobilia signa, quibus inter primas Græciæ vrbes, Syracusæ ornatæ fuerant. De hisce spoliis nonnulla declamatione Polyb. *Polyb. l. 9.* Punicæ quoque victoriæ signum octo ducti elephanti. Nec minimum fuere spectaculum Sosis Syracusanus, & Meriaus Hispanus, cum coronis aureis, quibus ciuitas data est, & quingenta agri iugera in Sicilia, ex iis, quæ aut Regis fuerant, aut hostium illi Syracusis, isti in alia parte Siciliæ. In qua tamen extremo anno à Pœnis excursum, à Romanis tumultuatum est.

Cum ambo Coss. Apuliam prouinciam haberent, quoniam minus iam terroris à Pœnis erat atq; Annibale, sortiri iussi Apuliam, Macedoniamq; prouincias Sulpitio Macedonia euenit, isque Læuino successit. Fuluius Romam comitiorum causa accersitus est.

ANNVS MVNDI 3844. SEXTÆ AETAtis 328. Imperii Græcorum 102. Antiochi Magni 15 Simonis Pontificis 23. Ptolemæi Philopatoris & Philippi Macedonis 10. Olympiadis CXLII. an. 3. Vrb. cond. 543. Coss. M. Valerio Læuino, & M. Claudio Marcello IV. 2. Punici Belli 9.

ANNVS ANTE CHRISTVM 209.

I. HAEC hic anno res in Græcia à Philippo, & Ætolis, & Læuino gestas, Iudicium de clarissimis vrbibus Capua & Syracusis, contra vtriusque victores Romæ habitum, Salapiam Pœnis ereptam, viginti naues Romanas ad Tarentum profligatas. Agrigentum in Sicilia captum, totamque insulam in potestatem Romanorum redactam. Cneo porro Fuluio consularia habente comitia, declaratus est quamprimum Consul T. Manlius Torquatus, cum collega T. Otacilio, qui paulo post mortuus in Sicilia nunciatur, absens enim erat creatus. Manlius autem Torquatus oculorum valetudinem excusauit, ne consul fieret, quod impudentis & gubernatoris, & imperatoris esse diceret, alienis oculis omnia agere. Itaq; iubebat centuriam Iuniorum in suffragium redire, quæ cum succlamaret nihil se mutare sententiæ, eusdemq; Coss. esse dicturos. Tum Torquatus, neq; vestros, inquit, mores Consul ferre potero, neq; vos imperium meum.

Tum centuria Iuniorum cum senioribus collocuta, è tribus ab ea propositis, qui eiusmodi essent, quales hæc tempora requirerent, duos elegit, vnum nouum Consulem Valerium, qui res egregie aduersus Philippum terra mariq; gessisset: & alterum veteranum, rerum gestarum gloria iampridem florentem, M. Marcellum: autoritatem prærogatiuæ omnes centuriæ secutæ sunt.

II. HVIVS anni initio, quia Philippus moturus erat in Græciam, vt Illyrios finitimosque Macedoniæ quietos haberet, subitam in Oricinos, & Apolloniates expeditionem fecit: egressosque Apolloniatas, cum magno terrore compulit intra muros. Vastatis proximis Illyrijs, eadem celeritate vertit iter in Palegoniam prouinciam Macedoniæ, quam Strabo l. 27. vocat etiam Tripolitin, à tribus vrbibus. Inde Dardanorum vrbem sitam in Macedonia, transitum Dardanis facturam, cepit. His raptim actis, memor Ætolici, Romanique cum eo iuncti belli, in Thessaliam descendit, vbi relicto ad Thessaliæ fauces Perseo, cum quatuor millibus armatorum ad prohibendos aditu Ætolos. (Si hic Perseus fuit Philippi filius, vt vult Sigonius, puer admodum fuit, quippe cuius pater vix ætatis vigesimum quintum ageret.) Philippus autem ipse in Macedoniam, atque inde in Thraciam exercitum ad Mædos eduxit, quæ gens incurrere in Macedoniam solita erat, vbi regem cerneret externo bello occupatum.

III. SCOPAS Ætolorum prætor vbi Philippum in Thraciam profectum, ibiq; bello occupatum audiuit, armata omni iuuentute Ætolorum, bellum inferre Acarnaniæ parat. Aduersus quos Acarnanes, & viribus impares, & amissis aliquot viribus debilitati, Romanaq; insuper arma ingruere cernentes, ira magis quam consilio bellum instruunt. Coniugibus, liberisque & senioribus supra 60. annos in Epirum missis, ab 15. ad 60. annos coniurarunt, nisi victores se ea bello non redituros. Qui victus acie excessisset, eum ne quis vrbe, tecto, mensa, lare reciperet, diram exsecrationem in populares, obtestationem quam sanctissimam potuerunt aduersus hospites composuerunt: simulque precati sunt Epirotas, vt qui eorum in acie cecidissent, eos vno tumulo contegerent, adhiberentque hunc titulum sepultis. HIC SITI SVNT ACARNANES, QVI ADVERSVS VIM ATQVE INIVRIAM ÆTOLORVM PRO PATRIA PVGNANTES, MORTEM OCCVBVERVNT. Ingens inter vtrumque populum odij argumentum. Itaque animati castra in extremis finibus suis hosti obuiam posuerunt; nunciisq; ad Philippum missis, qui quanto in discrimine res esset, edocerent, bellum quod in manibus erat omittere coëgerunt: Iamphorina tamen, quæ caput atq; arx erat Medicæ regionis, in deditionem accepta, aliaq; prospero successu gesta.

ÆTOLI audita Acarnanum coniuratione, & Philippi aduentu, territi in intima finium suorum regressi sunt, Philippus Pellam rediit.

IV. Læuinus autem Veris initio à Corcyra profectus, nauibus superato Leucate promontorio Naupactum venit; Anticyram inde se petiturum edixit, vt præsto ibi Scopas Ætolique essent. a Tertio ferme post die mari à Romanis, terra ab Ætolis oppugnari cœpta est, & intra paucos dies per deditionem recepta, Ætolis traditur, præda ex pacto Romanis cessit. Hic literæ Læuino redditæ Consulem eum absentem declaratum, & successorem ei venire P. Sulpicium ex consulem. At ipse diuturno ibi morbo implicitus, serius omnium spe ac desiderio Romam venit.

V. PRIORES ergo adeamus, ibi M. Marcellum offendemus Consulatum idibus Martijs ineuntem, & obtrectatores suos Siculos, ad criminationes suas promendas in Senatu, post aduentum collegæ prouocantem. M. enim Cornelius, qui ei in Sicilia successerat, & literas, & querulos de eo nuncios Romam miserat, ad Marcelli gloriam deterendam. Cumq; nihilominus factus esset Consul, reliqua eorum spes in Læuino collega fuit; cuius aduentus dum expectatur, prope iustitium Romæ fuit, quod Marcellus optaret, nihil quicquam prius agi, quam Siculi in Senatum introducti essent.

Graues quoque erant Campanorum de Flacco querelæ. Nam Læuino Consuli Capuam prætereunti, circumfusa multitudo Campanorum est, obsecrantium cum lacrymis, vt sibi Romam ad Senatum ire liceret oratum, si qua misericordia tandem flecti possent, ne se ad vltimum perditum irent, nomenq; Campanorum à Q. Flacco deleri sinerent.

VI. VERVM eorum causam valde affligebat, per eos dies Romæ excitatum incendium, à quo publica priuataq; ædificia, cum graui damno comprehensa fuerant; & Manno quodam seruo reuelante cognitum fuerat, id à Campanis, quorum parentes à Fuluio Flacco securi percussi fuerant excitatum. Itaq; comprehensi, suppliciuq; cum conscijs affecti sunt. Flaccus autem apud Læuinum Consulem negare vllam sibi cum Campanis priuatam esse simultatem: publicas inimicitias & hostiles esse, & futuras, quoad eo animo in populum Romanum esse sciret, quo nulla in terris gens acerbiore esset; eos se mœnibus clausos tenere, tanquam feras bestias, ne qua euadentes obuios quosq; lanient, ac trucident: elapsos aliquos partim ad Annibalem confugisse, partim ad Romam incendendam esse profectos. Inuenturum consulem in semiusto foro, vestigia sceleris Campanorum: nec tutum censere eos intra mœnia Romana versari.

VII. LÆVINVS Campanos iureiurando à Flacco adactos, quinto die quam à Senatu responsum accepissent, Capuam redituros, sequi se Romam iussit: hac multitudine circumfusus, simul Siculis obuiam egressis, Romam venit. Ibi in Senatu de rebus à se gestis in Græcia disseruit, classem satis esse ad arcendum Italia regem, qui se in intima regni sui receperit, legionemque inde deducendam videri. Inde cum de prouincijs, & copiis quibus obtinendæ essent, actum esset, & in sortitione consulum Sicilia & classis Marcello, Italia cum bello contra Annibalem Læuino obuenisset; ea sors, velut captis iterum Syracusis, ita exanimauit Siculos, vt comploratione dolorem animi publice testarentur, omnemque Senatum in veste sordida circumirent, orantes ne Marcello, nec ante beneuolo, & nunc irato Siculos miseré affligendos iterum dederent: tantumque perfecerunt, vt inter Coss. fieret permutatio Prouinciarum, vt Marcellus, qui primus Annibalem vinci posse docuerat, integræ de eo victoriæ laudem consequeretur.

VIII. PERMVTATIS prouincijs Siculi in Senatum introducti, vbi multa de fide ac beneuolentia Hieronis in populum

pulum Romanum meritisque disseruissent, de ipsius regno nuscre à Marcello deformato conquesti sunt, cum non ipsi vltro Romanos repulissent, sed à Tyrannis oppressi sui iuris rum vltra non essent. Itaque petere misericorditer secum agi, sibique sua si qua extarent restitui. Disseruit contra Marcellus coram, eorumque culpam patefecit, vt qui nunquam de Romanis admittendis egerint, tanto tempore obsidionis, pacem per legatos Marcello postulante, sed cum tyrannis consenserint, legatosque contumeliose tractarint. Denique non eorum opera, qui nunc queruntur, & Syracusas captas deplorant, vrbem in potestatem Romanorum venisse, quorum tamen amicitiam, & societatem, nunc sibi caram fuisse fingunt: sed eorum studio, quos sibi inuisos esse non obscure demonstrant.

IX. RES eum denique finem sortita est, vt Senatusconsulto decerneretur, quæ Marcellus gerens bellum, victorque egisset, rata habenda esse: in reliquum, curæ Senatui fore rem Syracusanam, mandaturosque Coss. Læuino, quoad sine iactura Reipublicæ fieri posset, fortunis eius ciuitatis consuleret. Missis deinde duobus senatoribus in Capitolium, quo se Marcellus receperat, vt liberiorem senatui sententiam relinqueret, vt rediret in curiam, & introductis Siculis, Senatusconsultum recitatum est. Legatiq; benigne appellati, ac dimissi: qui ne tantum virum inimicum haberent, ad genua se Marcelli consulis proiecerunt, obsecrantes vt quod deplorandæ ac leuandæ calamitatis causa dixissent, veniam eis daret, & in fidem & clientelam se, vrbemq; Syracusas acciperet. Cõsul eos clementer appellatos dimisit. Eadem fere habet Plut. in Marcello.

X. CAMPANIS deinde Senatus datus est, quorum oratio miserabilior, causa durior erat. Neque enim meritas pœnas negare poterant, nec causam in Tyrannos conferre. Verum satis se supplicii in 80. senatorum cæde, & totius vrbis clade perpessos credebant. Paucos nobilium superstites esse quos nec sua conscientia, vt de se grauius quidquam consulerent, impulerit, nec victoris ira capitis damnarit. Eos libertatem sibi suisq;, & bonorum aliquam partem orare Romanos, quorũ plerosq; iampridem connubiis, atque affinitatibus contingerent. Contra eos absente Fuluio dixit Attilius, cuius ex primoribus viris, qui ad Capuam fuerant, maxima erat autoritas. Affirmauit præter mulieres duas, omnium Campanorum eundem in Romanos animum, quem Carthaginensium fuisse. Rogatus populus quid de ijs fieri placeret, rem ad Senatum retulit. Is de Campanis seuerissime censuit, præter præcedentem omnem calamitatem, bona publicanda, ipsos liberosque cum coniugibus vendendos, aliaque id genus, quæ fusius apud L. Liuium reperies; ob quæ miseri, mœstiores quam Romam venerant, deorum iniquitatem, atq; execrabilem fortunam suam, magis quam sæuitiam Fuluii incusantes redierunt.

XI. INTEREA Annibalem angebat, quod Capua pertinacius oppugnata à Romanis, quam à se defensa multorum Italiæ populorum animos auertebat, quos neque omnes tenere præsidijs poterat, nisi vellet in multas, paucasque partes carpere exercitum, quod minime tum expediebat, aut deductis præsidiis spem suam fidei populorum committere: eoque inclinabat, vt spoliatis quos tueri nequibat, hosti vastata relinqueret. Consul autem si qua spes captandis vrbibus aliunde fulsisset, nequaquam deerat. Itaque Salapiam Apuliæ oppidum, quod valido præsidio Pœnorum tenebatur, per Blasium quendam in vrbe virum primarium Romanis amicum recepit, cæso multa cum cæde præsidio, 50. viuis in potestatem redactis: maiorem iacturam præsidium Annibali, quam ciuitas attulit; nec deinde vnquam Pœnus equitatu, quo plurimum valuerat, superior fuit. Sic Liuius l. 26. quod tamen ipse mox l. 27. in Herdonea clade videtur refutare.

XII. IDEM Marcellus sub idem tempus Maroneam etiam & Meles Samnitibus vi eripuit, vt author Liu. l. 27. vbi ad tria millia militum præsidiatiorum Annibalis oppressa, multa millia modiorum tritici atque hordei inuenta, sed id gaudium, magno constitit Romanis paulo post.

Cneus enim Fuluius proconsul spe ac desiderio tenebatur Herdoneæ recipiendæ, quæ ad Annibalem post cladem Cannensem defecerat, nec satis firmo præsidio tenebatur. Et aberat Annibal, in Brutios post amissam Salapiam profectus. Is de Fuluii conatibus per occultos nuncios factus certior, expedito exercitu magnis itineribus ad Herdoneam contendit, & acie instructa terrendi hostis causa, processit. Romanus par audacia, viribus & consilio impar, copijs raptim eductis conflixit. Verum Annibal qui equitatum prælio subduxerat, ad id vsque tempus, dum pedestres copiæ pugna inualuissent, equitem circumuectum partim castra hostium, partim terga pugnantium inuadere iussit; pars in fugam effusi; pars in medio cæsi.

XIII. IN iis Cn. Fuluius cum 12. tribunis militum Romanorum, sociorumque; aliqui 13. millia desiderata, alii non plusquam 7. scripsere. Castris prædaq; victor potitus est. Herdoneam quia defecturam ad Romanos credidit, spoliatam incendit; principes qui cum Fuluio collocuti fuerant, occidit, multitudinem Metapontum ac Thurios traduxit. Romani qui effugerant, ad Consulem profugere; qui ita de Herdonea clade ad Senatum scripsit, vt simul parem de Annibale cladem ei sponderet. Et pugnauit ille quidem ad Numistronem ad multas horas, & iterum redintegrato certamine ad noctem vsq;, quæ prælium diremit, & incertam reddidit victoriam; sed eam tacitus abscessus Annibalis reddidit certiorem: cum quo etiam deinceps aliquot excursionibus conflixit, quæ omnes fere secundæ Romanis fuere: & illo callide insidias captante, iste eas caute declinabat.

XIV. PER idem tempus, cum in arce Tarentina vix inopia tolerabilis esset, spem omnem in commeatu, quem Sicilia summittebat, Romanum præsidium reposuerat. Is vt tuto in arcem deueheretur, operam dabat T. Quintius, qui Rhegii cum classe viginti ferme nauium stabat. Huic dum onerarias naues deducit, occurrit cum pari classe Tarentinorum Democrates, animose concurritur, animos faciebat Tarentinis sperata libertas, post centesimum prope annum (vt ait Liuius, re uera autem post 61. ex quo primùm venit in potestatem Romanorum, anno Vrb. C. 481. vel 71. ex quo bellum inchoatum est: moxq; in Pyrrhi potestate fuerunt) Romanis autem animos addebat gloriosa arcis retentio, contra omnes Tarentinorum & & Carthaginensium conatus.

XV. PRÆTORIÆ naues concurrunt, in Romana erat Quintius, in Tarentina Nico, ille qui Tarentum Annibali prodiderat, qui Quintium simul pugnantem, hortantemque suos, incautum hasta transfigit; ille cum armis præceps ante proram ruit. Romani morte ducis perculsi, ad puppim, transgresso in nauim, atque vrgente Tarentino, recedunt, sed superueniente altera à puppi naui, Romana prætoria circumuenta capitur; aliæque deinceps fusæ, aliæ in alto mersæ, aliæ in terram compulsæ prædæ fuerunt: onerariæ multæ quæ sequebantur fuga lapsæ, in potestatem hostium non venere. Hunc luctum mari acceptum, læta eruptio præsidii Tarentini aliquo modo leuauit. Nam ciuibus ad quatuor millia ex vrbe ad frumentandum egressis, & per agros vagantibus, irruit improuisus Liuius arcis præfectus, multisque occisis fugientes persecutus, parum abfuit, quin eodem impetu Tarentum caperet.

XVI. EODEM tempore Læuinus Consul, magna iam anni parte circumacta, veteribus nouisque sociis expectatus venit, Syracusanisque rebus noua pace compositis, Agrigentum, quod belli reliquum erat, proditione Pœnorum accepit. Ea vrbs valido Pœnorum præsidio tenebatur, & Hannone licet Imperatore, Mutines, qui & Hipponiates omnia gerebat, totaque Sicilia prædas, ex sociis Romanorum agebat, nec intercludi, aut impediri vi vlla, aut arte poterat. Cumque eius gloriæ Hanno inuidere cœpisset, eius præfecturam filio suo dedit.

ratus

Marginalia: IX. Decretum Senatus in Siciliam vtrumque pa-. — X. Causa Campanorum. — Campani censentur. — Senatu ... — XI. Consilia Annibalis. — Marcellus Salapiam recipit. — XII. Maroneam & Meles capit. — HERDONEA ROMANORVM CLADES — XIII. Romana clades, & Oppida. — XIV. Res ad Tarentum gesta. — XV. Naualis Romanorum clades. — Læta eruptio ex arce. — XVI. Causa proditi Romanis Agrigenti.

ratus se cum imperio autoritatem quoq; ei inter Numidas erepturum. Quod longe aliter euenit; nam veterem fauorem eius sua insuper auxit inuidia, & Mutines indignitatem iniuriæ non ferens, vrbem Læuino prodidit.

XVII. *Eiusque modus.* GESTÆ rei hic modus fuit. Portam ad mare ferentem Numidæ occuparunt, pulsis inde custodibus aut cæsis, Romanos ad ipsum missos acceperunt: & cum agmine iam in media vrbis, ac forum magno tumultu iretur, ratus Hanno eum tumultum tātum Numidarum esse, ad comprimendam seditionem processit: at cum ei Romanorum etiam clamor non ignotus ad aures accidisset, priusquam ad ictum teli venisset, capessit fugam, per auersam portam emissus, & assumpto comite Epicide, cum paucis ad mare peruenit, nactique opportune paruum nauigium, relicta hostibus Sicilia, de qua per tot annos certatum erat, in Africam traiecerunt. Alia multitudo Pœnorum, Siculorumque ne tentato quidem certamine, cum cæci in fugam ruerent, clausique exitus essent circa portas, cæsa.

Læuinus recepto oppido, qui capita rerum Agrigenti erant, virgis cæsos securi percussit; cæteros prædamque vendidit, omnem pecuniam Romam misit.

XVIII. *Tota Sicilia in Romanorum potestatem venit.* FAMA Agrigentinorum cladis Siciliam cum peruasisset, omnia repente ad Romanos inclinarunt. Prodita sunt breui 20. oppida, sex vi capta; voluntaria deditione in fidem venerunt ad quadraginta. Quarum ciuitatum principibus, pro cuiusque merito, cum præmia pœnasque Consul exoluisset, coëgissetque Siculos positis tandem armis terram colere, ab Agatirna inconditā multitudinem 4. millium hominum, exulum, obæratorum, criminosorum, ad leuandam Siciliam, secum in Italiam transuexit, & Rheginis ad populandum Brutium agrum Pœnis parentem attribuit. Itaque eo anno in Sicilia debellatum est, qui fuit 55. ex quo primum Romani in eam insulam ad iuuandos Mamertinos transgressi fuerant; anno scilicet ab Vrbe Cond. 489. quo primum bellum Punicum inchoatum est. Hæc quidem Liu. l. 26. l. tamen 27. ait Læuinum comitiorum causa Romam euocatum, quod Marcellus, licet esset in Italia, ab insectando Annibale retrahendus non esset, & in Senatu dixisse, prope 60. annis terra marique in Sicilia bellatum esse, à se debellatum. Itaque hæc transuectio non nisi ad initium anni seq. contigit.

XIX. *Initia P. Scipionis in Hispania.* IN Hispania res hoc anno à Scipione feliciter gestæ. Vigesimum septimum annum egisse nunc Scipionem putat Polyb. l. 10. quod fieri nequit, vt ex ipsomet necessario efficitur. Nam cum initio Pun. belli 2. egerit 17. vt ipse asserit, & Liuius, ac reliqui tradunt: hic autem annus sit belli nonus, oportet eundem esse ætatis eius 25. aut ad summum 26. Is principio veris Tarracone, ad ostia Iberi fluminis, vniuersum exercitum conuenire iubet, eoque ipse mox cum quinq; millib⁹ sociorum venit, exercitumque concione habita, summa modestia, ac rerum bene eius auspiciis gerendarum spe sibi conciliauit: tum relicto ad præsidium regionis eius M. Syllano, cum tribus millibus peditum, & trecentis equitibus; cæteras omnes copias, erant autem 25. millia peditum, equitum duo millia, & quingenti, Iberum traiecit: de quibus copiis Poly. ad vnguem consentit.

XX. *Consilium Carthaginis nouæ occupandæ.* ET erant qui vnum de tribus Afrorum ducibus petendum bello censerent, ipse, vno C. Lælio, quem præfectum classis habebat, conscio, Carthaginem nouam non minus audaci conatu, quam felici successu, vno eodemque die, terra marique oppugnatam, cum arce expugnauit. Summum quippe momentum in ea vrbe occupanda positum arbitrabatur; siue quod media in totius Hispaniæ ora mediterranea collocata esset, vnde facilis in totam Hispaniam maritimam esset excursus; siue quod & arte, & natura ipsa firmissima esset; siue quod rebus omnibus, commeatu, diuitijs, armis, machinisque bellicis instructissima; siue denique quod cum totius Hispaniæ obsides, ibi magno numero tenerentur, facile erat totam sibi Hispaniam ijs reddendis beneuolentem, atq; amicam reddere.

XXI. *Terra marique obsidetur.* SEPTIMO die ab Ibero Carthaginem nouam ventum est, (quæ copiose à Liuio l. 26. describitur, & Polybio l. 10. ex quo ille mutuando contraxit.) Mago in vrbe præerat, & contra terræ marisque oppugnationem, omnia diligenter moliebatur. Oppidanorum duo millia ab ea parte, qua castra Romana erant, opponit, quingentis militibus arcem insedit, quingentos tumulo vrbis in orientem verso imponit, multitudinem aliam ad omnem necessitatem paratam esse iubet. Tum eos, quos in via ad castra Romanorum ferente instruxerat, aperta porta in hostem immittit. Romani ducis iussu cessere parumper, inde submissis auxilijs tam acriter instetere, vt immixti effuse fugientibus in vrbem irrupturi viderentur, nisi receptui Scipio cecinisset. Nec fugientium solum, sed mox totius vrbis trepidatio fuit, vt multæ stationes ac loca metu desererentur. Quod cum ex tumulo à Scipione animaduersum esset, omnibus viribus ad oppugnandam vrbem, & mœnia scalis vndique superanda concurrit: multis scalæ, aut nimium breues, aut pondere fractæ, multis oppugnatoribus omnibus telis instructis conscendentibus, perniciem attulerunt: cum interea classis quoque vrbem machinis verberaret, missilibusq; peteret.

XXII. *Redintegratur certamē.* FESSIS tam contentioso certamine Romanis, Scipio receptui signum dari iussit, siue vt suos pauxilla quiete reficeret, siue vt hostem desperatæ expugnationis opinione falleret.

Superata palude in mœnia euaditur. Vix prior tumultus conticuerat, cum defessis vulneratisque, recentes atq; integros scalis admouet; simul edoctus paludem æstu decedente vehementer imminuram, & per eam non difficilem transitum haberi posse; præsertim quod ea pars vrbis, quæ ad paludem versa erat, eo minus ab hominibus propugnabatur, quo magis eam palude defendi persuasum erat. Eò, quasi Neptuno duce ac fauente, armatos Scipio ducit, facileq; in muros inopinatus Romanus inuadit, quod nulla ibi armatorum statio esset opposita, intentis omnibus ad opem eò ferendam, vnde periculum ostendebatur.

XXIII. *Vrbem occupant, in eaque pugnant.* VBI vrbem sine certamine intrauere, pergunt inde cursu ad eam portam, ad quam omne certamen contractum erat; vbi omnes vsq; adeò intenti erant, vt nemo ante à tergo captam vrbem senserit, quam tela in auersos inciderunt. & vtrimque ancipitem hostem habuerunt. Tūc turbatis defensoribus metu, & mœnia capta, & porta intus forisq; pariter refringi cœpit, & ea patefacta, multitudo pugnatorum ingressa, in forum cum ducibus progressa est. Nec fere aliter Polyb.

Inde cum duobus itineribus fugientes videret hostes Scipio, alios ad tumulum in orientem versum, quem quingentorum militum præsidio incessum diximus, alios in arcem, in quam Mago cum omnibus propè, qui è muris effugerant, irruperat: partem copiarum ad tumulum expugnandum mittit, ipse ad arcem ducit. Et tumulus quidem primo impetu captus est.

XXIV. *Arx deditione accipitur.* MAGO arcem conatus defendere, cum omnia hostium plena videret, neq; spem vllam esse; se, arcemque, & præsidium dedidit. Tum demum signo dato finis cædib⁹ factus est, ad prædam victores versi, quæ ingens omnis generis fuit. Liberorum capitum virilis sexus ad decem millia capta. Ex quibus vrbis ipsius ciues dimisit, vrbemque & sua omnia, quæ bellum eis reliqua fecerat, habere iussit. Hi tam inopinata salute potiti, præ gaudio lacrymantes, Imperatorem venerati ab eo discesserunt. Sapienter sane, atque humaniter. Nam & sine culpa ciues esse videbantur, & eos sibi demereri cupiebat, quandoquidem vrbem non delere, sed populo Ro. seruare statuerat. Opifices ad duo millia, publicos fore populo Ro. edixit, cum spe propinqua libertatis, (Polyb. ait confecto bello Punico,) si ad belli ministeria enixe operam nauassent. Cæteram multitudinem incolarum, iuuenum, ac seruorum validorum, remigio addixit. Eadem Polyb. qui ait eandem spem libertatis his datam. *Scipionis in captos ciues humanitas. Polyb.*

XXV. *Scipio obsides Hispanis restituit.* EXTRA hanc multitudinem Hispanorum obsides erant, quorum perinde ac si sociorum liberi essent, Scipio

Imperii Graecorum An. 102.

curam gessit. Eos aduocatos bono animo esse iussit, venisse eos in potestatem populi Romani, qui beneficio quam metu obligare homines malit. Tum acceptis nominibus ciuitatum, quot cuiusq; populi essent, nuncios domum misit, vt ad suos quisq; recipiendos veniret, teneriori autem aetati vtriusq; sexus munuscula distribuit. Si quarum forte ciuitatum legati aderant, eis praesentibus suos restituit, caeterorum curam C. Flaminio Quaestori mandauit. Quantus autem fuerit eorum numerus, Liuio quidem non liquet. Polyb. plures trecentis fuisse scribit. In his Mandonij vxor erat, mulier grandis natu, cuius maritus frater erat Indibilis Ilergetum reguli: ea flens ad pedes Imperatoris procubuit, etiam atque etiam eum deprecans, pro filiis Indibilis sibi commissis, aliisq; pari nobilitate, qui eam pro parente colebant. Cui Scipio, Meae, populiq; Ro. disciplinae causa facerem, inquit, ne quid quod vsquam sanctum esset, apud nos violaretur; nunc vt id curem impensius, vestra quoq; virtus, dignitasque facit. Spectatae deinde integritatis viro tradidit eas, tueriq; haud min⁹ modeste ac verecunde iussit, quam hospitum coniuges, ac matres.

Polyb.

Exemplum eius moderationis.

XXVI. *Et insigne continentia.* Captiva deinde adducitur ad eum adulta virgo eximiae pulchritudinis, quae quacunq; incedebat, omnium in se oculos conuertebat. Scipio percunctatus patriam parentesque, accepit eam desponsatam principi Celtiberorum adolescenti, cui Allucio nomen erat, quique eam vehementer deperibat. Illum ergo parentesque acciuit, sponsoque in manum tradidit, testatus eam apud se, non secus atque apud soceros, parentesque fuisse: pro quo munere eam sibi gratiam rependi postulauit, vt amicus populo Ro. esset, ac sibi: persuasus nullum in terris esse populum, si eum recte norit, sua amicitia digniorem. Tũ adolescens pudore, gaudioque perfusus, dexteram Scipionis tenere, deos omnes inuocare, ad gratiam illi pro se referendam, quoniam isti beneficio reponendo imparem se agnosceret.

XXVII. *Et liberalitatis.* Parentes inde cognatique virginis appellati, qui sat magnum auri pondus ad virginem redimendam secum attulerant; hi quoniam sibi illam gratis reddi animaduertebant, orarunt enixius Scipionem, vt id aurum dono acciperet, quod fuerat redemptioni destinatum. Acquieuit vehementibus precibus, ponique ante pedes iussit, statimque Allucio sponso virginis aduocato, Super dotem, inquit, quam accepturus à socero es, haec tibi à me dotalia dona accedent, aurumque tollere, ac sibi habere iussit. Insigni profecto laude liberalitatis, qua longe maiorem illam pudoris ac continentiae laudem magnifice cumulauit: quae res vel maximam praedicationem, in victore duce, & iuuene, & si Polybio credimus φιλογύνῃ promerita est. Vt non mirum sit Deum Scipionis fauisse virtuti, & insigni deinceps gloria toto orbe decorasse.

Continentiaque.

XXVIII. *Confirmatur ex Floro.* Certum est, inquit Florus, ad profligandam prouinciam maxime profecisse singularem ducis sanctitatem, quippe qui captiuos pueros, puellasque praecipuae pulchritudinis barbaris restituerit, ne in conspectum quidem suum passus adduci, ne quid de virginitatis integritate delibasse vel oculis videretur: sic ipse amplificando, vt solet. Nam in conspectum adductas Polyb. Liuiusque affirmant. Verum Polybius hanc puellam, quam insigniter vterque laudat, ciuem videtur innuere vrbis ipsius, cuius & patrem acciuit, eique etiam reddidit. De sponsa vero, & Allucio, reliquisque consentaneis, nihil habet Polybius; aliunde ea Liuium oportet accepisse; qui addit. Allucium his donis, atque honoribus affectum dimissus, domum impleuisse, ac populares laudibus, & meritis Scipionis: venisse dijs simillimum iuuenem, omnia beneficiis armisque vincentem. Itaque delectu clientium habito, cum delectis mille quadringentis equitibus, intra paucos dies ad Scipionem redijt.

XXIX. *Praeda magnitudo.* Quod ad reliquam praedam attinet, fatetur Liuius nec de numero captarum nauium, neque de pondere auri & argenti, & redacta pecunia inter scriptores conueni-re; sed nec de magnitudine commeatus Punici, atque praesidij, & multitudine machinarum bellicarum. Ipse pateras aureas librales ferme omnes, numerat 276. quae valent 27. millibus & sexcentis aureis, centenis aureis in libras singulas attributis: argenti facti, signatique 18. millia & trecenta pondo, valent 603900. sexcentis & tribus millibus franc. & insuper nongentis, tribus & triginta Francis in singulas duodenas vncias assignatis. Polybius sexcentorum talentorum summa pecuniariam praedam aestimat: quae si Attica fuerunt, respondent 630000. francis; sin Euboica, 840000. Addit Liuius 113. naues onerarias, cum oneribus suis, & materia ad classem aedificandam idonea, & modiorum tritici atq; hordei multa omnino millia, vt minimum omnium, inter tantas opes bello captas, Carthago ipsa fuerit, quae tamen instar omnium fuit. Copias suas nauticas sesquialtera parte auxisse autor est Polybius.

Carthago nova expugnatur a Scipione.

XXX. *Militaria praemia.* Ingens certamen fuit inter milites, cui deberetur corona muralis, & gloria conscensae primum vrbis: eam sibi duo maxime vendicabant, alter è nauali, alter è terrestri milite, tantis partium studijs, vt ea contentio propinqua seditioni esset. Scipio vtroque corona donato litem diremit, aliosque omnes, pro suo quemque merito, honore praemijsque affecit. Magonem, vero cum captiuis, & quindecim senatoribus, qui simul capti fuerant Romam à C. Laelio deducendos, & nuncios victoriae misit. Omnibus autem in vrbe recte compositis, data etiam nonnulla quiete, & exercitatione militi, refectisque quos quassauerat muris, dispositis ad vrbis custodiam praesidijs, ipse Tarraconem quo conuentum edixerat, est profectus, cum obsidibus, vt inquit Polybius, idq; confirmat Liuius l. 27. qui ait Laelium Romam Tarracone cum obsidibus quarto & trigesimo die, in huius anni exitu peruenisse. Ea clades quantumuis dissimulantes Poenorum duces, atque iactutam eleuantes vehementer afflixit, teste Liuio, quem in tota historia Romana fere sequimur. *Liu. l. 27.* *L. 26. extre.*

XXXI. *Antiochus Arsacem persequitur. Olymp. 131. an. 2.* Huic historiae Polybius subdit bellum Antiochi Magni aduersus Arsacem, quem Imperium Parthorum constituisse tradit Eusebius in chronicis, quo tempore eum à Macedonibus recessisse tradit. Antiochus autem illum Media expulsum ad Hircaniam vsque per summos labores est persecutus, vt apud Polyb. leges. Nam quae de Parthis dicenda videbantur, eorumque initijs satis pro instituto superius explicauimus.

Legatio Syphacis. Huius anni aestas varijs legationibus celebrata est, vt Liuius l. 27. est author. Nam legati à Rege Syphace Romam venerunt, prospera eius contra Carthaginienses praelia referentes. Regem nec inimiciorem vlli populo quam Carthaginensi, nec amiciorem quam Romano affirmabant esse: misisse eum antea legatos in Hispaniam ad P. & Cn. Scipiones Imperatores Romanorum, nunc ab ipso velut fonte amicitiam Romanam petere voluisse.

XXXII. *Romanorum in Africam & Aegyptũ legatio.* Senatus non legatis modo benigne respondit, sed & ipse legatos cum donis misit ad Regem, quos, & alios Africae Regulos, adire cum donis, Senatus iussit. Alexand. quoque ad Ptol. & Cleopatram Reges M. Attilius, & M. Acilius legati ad commemorandam, renouandamque amicitiam missi, dona tulere; Regi togam, & tunicam purpuream, cum sella eburnea, Reginae pallam pictam cum amiculo purpureo. Verum lapsus memoria videtur Liuius, cum vxorem Ptolemaei Cleopatram vocat: nam Ptolemaei, qui nunc regnabat vxor Eurydice dicebatur, Iustini trigesimo: vel Arsinoë 3. Machab. Cleopatra vero vxor fuit Philometoris, vel etiam Epiphanis, quorum Epiphanes filius fuit Philopatoris, Philometor autem nepos, sed nomina in vxorum multitudine aegre distingui possunt. Porro amicitia cum Aegypti regibus contracta fuit anno Vrbis Conditae 480. Philadelphi autem 13. Inde post tres & sexaginta annos renouata. Denique extremo huius aestatis classis Punica nauium quadraginta cum Praefecto Amilcare in Sardiniam traiecta, Olbiensem primo agrum; dein post-

Classis Punica in Sardiniam.

quam P. Manlius Vosso Prætor cum exercitu apparuit, circumacta inde ad alterum insulæ latus, Calatitanum agrum vastauit, & cum præda omnis generis in Africam rediit. Liuius.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3842.

1. N. IV. Liuius l. 26. sitam tradit Anticyram in Locride prouincia, læua ex parte sinum Corinthiacum intrantibus. At Ptolemæus & Pausanias eam in Phocide collocant, & prope in extremo sinus Corinthiaci. Alia porro est ab ea insula, ad quam amandantur, qui Helleboro indigent, ad quam Liuium Drusum nauigasse tradit Plinius, in eaque comitiali morbo curatum. Meminit A. Gellius. (l. 21. c. 5. l. 17. c. 15.)

2. N. X. Disputatum est deinde de supplendis remigibus, stipendiisq; inueniendis: quæ res tanta cum indignatione plebis, in quam res imminebat, accepta est, vt seditioni tantum dux deesset. At Læuinus Consul postquam author fuit Magistratibus, vt primi ipsi ex mundo muliebri familiæ suæ conferrent, eorumque exemplum Senatus equitesque sponte sequerentur: tantus in omnibus, ipsaque plebe conferendi ardor iniectus est, vt nominibus in tabulas referendis, nec triumuiri, nec scribæ sufficerent. Ita omnibus ad bellum paratis, Coss. in prouincias profecti sunt.

ANNVS MVNDI 3845. SEXTÆ AETAtis, 329. Imperij Græcorum 103. Antiochi Magni 16. Simonis Pontificis 24. Ptolemæi Philopatoris & Philippi 12. Olympiadis CXLII. ann. 4. Vrb. Conditæ 544. Coss. Q. Fabio Maximo V. & Q. Fuluio Flacco IV. Secundi Belli Punici 10.

ANNVS ANTE CHRISTVM 208.

I. *Comitia consularia Læuinus habet.*

COMITIORVM Consularium tempus aduentabat, & Senatus Marcellum ad ea habenda euocabat: sed cum ex eius literis intellexisset, esse è Rep. ab Annibale non discedere, sed eius perpetuo vestigia assectari, visum est Senatui Læuinum potius Consulem ex Sicilia, comitiorum causa reuocare, id L. Manlii Prætoris vrbani literis factum est. Valerius Prouincia exercituque mandato Cincio Prætori, misso etiam M. Valerio Messala præfecto classis, cum 50. nauibus in Africam, prædatum simul, & speculatum quid rei Pœni agerent, paratentur; ipse 10. nauibus Romam profectus, cum prospere peruenisset, Senatum extemplo habuit, & res à se gestas commemorauit; Mutinem etiam, quo Authore Agrigentum Romani receperant, ciuitate donari, aliosque aliis præmiis pro meritis affici curauit.

II. *Messala Africam populatur.*

INTERIM ad eum literæ ex Sicilia deferuntur Messalam cum ante lucem ad Africam appulisset, improuiso in agrum Vticensem excursionem fecisse, & cum multa præda intra 13. dies in Siciliam redisse. Ex captiuis quæstione habita intellectum, quinque millia Numidarum, cum Masanissa Gelæ filio acerrimo iuuene Carthagine esse, & alios per totam Africam milites mercede conduci, qui in Hispaniam ad Hasdrubalem traiicerentur, vt is quam maximo exercitu, primo quoque tempore, in Italiam transgressus, iungeret se Annibali. Classem præterea ingentem apparari ad Siciliam repetendam; eamque existimari breui traiecturam. Hæc recitata à Consule cum ex captiuis quoque, quos sub idem tempus C. Lælius ex Hispania Romam deduxit, confirmarentur ita mouere Senatum, vt non expectanda comitia censeret, sed Dictatore comitiorum causa dicto, Læuino extemplo in prouinciam redeundum esse.

Consilia, & apparatus Pœnorum.

III. *Dictatoris creatio.*

SED de Dictatore aliquandiu disputatum est, cum Læuinus in Sicilia M. Valerium Messalam Classis præfectum Dictatorem dicere vellet: Patres non paterentur eum extra Italiam, quem agrum Romanum appellabant, dici. Isti vellent ea de re populum rogari; ille sui iuris eam dictionem populo non rogato censeret. Itaque cum clam in Siciliam reuertisset, Marcellus Dictatorem dixit Q. Fuluium Flaccum. Qui & ipse Consul, non sine tribunorum contentione creatus est, collega Q. Fabio Maximo: cui placuit iterum, Consulatum conferri, quoniam visum est Patribus id Reip. tempora postulare, vt per veteres & expertos, bellique peritos Imperatores Resp. gereretur. Idibus Martiis magistratum inierunt. Italia ambobus prouincia decreta. Regionibus tamen partitum est imperium, Fabius ad Tarentum, Fuluius in Lucanis ac Brutiis rem gereret. Marcello nihilominus imperium in annum prorogatum est, sicut & in Hispania Scipioni, Sylanoque, quem ei additum quasi consiliarium aut moderatorem diximus.

Noui Coss. ineunt Idib. Mart.

IV. *Duodecim colonsarum murmur in Romanos.*

CVM milites in Siciliam hoc anno transportarentur, quorum magna pars Latini nominis, sociorumque erat, fremitus inter eos extitit, decimum iam annum delectibus, & stipendiis exhaustos esse; (vides firmari annum belli Punici decimum?) quotannis ferme clade magna pugnate, alios in acie occidi, alios morbo absumi, magis perire sibi ciuem, qui à Romano lectus sit, quam qui à Pœno captus: quippe ab hoste gratis remitti in patriam; ab Romanis extra Italiam in exilium verius, quam in militiam ablegari. Itaque negandum Romanis militem, & stipendia, priusquam ad vltimam solitudinem atque egestatem veniatur; si consentientes in ea re socios Romani videant, de pace cum Carthaginensibus iungenda cogitaturos; aliter viuo Annibale sine bello Italiam nunquam fore.

V. *Aliorum exemplo sedatur.*

HÆC à 12. coloniis in suis acta conciliis, quæ primo ad Consules, deinde ad Senatum relata, mirum in modum Patres afflixere: quippe si earum exemplum reliquæ duodeuiginti sequantur, actum esse de Romano imperio, vrbem Annibali traditum iri. Verum cum hæ octodecim in officio studiose perseuerarent, quin etiam magnifice de interiore Thesauro suo, aurum argentumque in stipendia militum proferrent, ad quatuor millia pondo auri, id est, quadringenta millia coronatorum, & à Coss. & à Senatu, & ab vniuerso populo publice commendati sunt; cæteri cum taciti præterirentur, neque eorum vlla mentio fieret, in aliena laude castigati sunt; & vt apparet emendati. Cæterum coloniarum numerum valde diminuit Liuius: duplo enim fere plures ad hanc diem constitutas, certe tres & quinquaginta nominatim recenset Sigonius in hunc Liuii locum, & Paterculus ab anno septimo quam Galli vrbem cœperant, vnam & 30. colonias enumerat; quarum Gemona atq; Placentia, sub aduentum Annibalis in Italiam, deductæ fuerant. Hoc porro anno Q. Fabius Consul princeps Senatus à Censoribus lectus est.

Numerus coloniarum Romanarum.

lib. 27.

VI. *Consilium Fabij de Tarento.*

TRANSACTIS omnibus, quæ Romæ agenda erant, Coss. ad bellum profecti: prior Fuluius Capuam prægressus est, post paucos dies consecutus Fabius, qui & collegam coram obtestatus est, & per literas Marcellum, vt quam acerrimo bello detineret Annibalem, dum ipse Tarentum oppugnaret, vt ea vrbe hosti adempta, vbi in Italia consisteret non haberet. Nuncium etiam ad præfectum præsidi Rhegium misit, vt Brutios qui ab Annibale stabant, strenue popularetur, illaque perditorum hominũ manu vteretur, quam ex Sicilia Læuinus abduxerat: deinde etiam Cauloniam vrbem oppugnaret. Iussioni Consulis hi libentissime paruerunt, rapto quippe viuere assueti.

Marcellus instat Annibali.

Marcellus quoque & sua sponte, & literis Consulis excitatus, ad Cannusium, quod Pœnus ad defectionem sollicitabat, Annibali occurrit. Vbi appropinquantem Marcellum Annibal audiuit, castra inde mouit, ex planis in saltuosa loca cedens: Marcellus vestigiis instabat, castraque castris conferebat, & opere perfecto, extemplo in aciem legiones educebat.

VII. *Cum eo pugnat & vincitur.*

ANNIBAL crebris incursionibus rem agebat, casum vniuersæ pugnæ non necessarium ducebat: ad eam tamen à Marcello tractus, instante nocte, æquo marte discessum est. Postero die luce prima Marcellus in aciem copias eduxit, nec Annibal detrectauit certamen, multis verbis adhortatus milites, vt memores Thrasymeni, Cannarumque, hostis ferociam contunderent, vrgere atque instare eum, non iter quietos facere, non castra ponere pati, non respirare aut circumspicere. His irritati milites,

milites, simulq; tædio ferociæ hostium quotidie instantium ac lacessentium, acriter prælium ineunt. Pugnatum amplius duabus horis est. Victus est Marcellus, cecidere in pugna, fugaq; ad duo millia & septingenti, ciuium, sociorumq;, causam cladis ait Liuius, quod duodeuicesimã legionem (Plut. habet duodecimam) in primam aciem, quæ laborabat, iussisset inferri, eaq; motione turbata acie, victoriam hostibus esse datam.

VIII. *Redintegratur certamen.*

Marcellus postquam in castra reditum est, suos acri oratione castigauit, & ad delendam eam infamiæ notam, quamprimum redintegrato certamine, aut vincere aut mori iubet: eosque ita animauit, vt Imperatori aut morte, aut egregia victoria satisfaciendum esset, præter præter quem vnum, vix quisquam se virum in acie præstitisset. Verum & ipse dux alia ex parte non leuiter peccabat opinione sui. Notauit enim paulo ante Liuius non otiose, Marcellum ita in animum suum induxisse, neminẽ ducem Romanum tam parem Annibali, quam se esse: quem tumorem Dominus exercituum voluit ea clade comprimere.

Causa cladis superbia.

Postero die armati ornatiq; se Imperatori sistunt, quos ille collaudatos corpora curare iubet, si forte diuturnior pugna futura sit, monetque se primos eos in acie collocaturos, à quibus factum esset fugæ initium; & annitendum singulis, vniuersisque, ne prius hesternæ fugæ, quam hodiernæ victoriæ fama Romam perueniat. Inde mox aciem instruit. Quod vbi Annibali nunciatum est, cum eo sibi hoste rem esse dixit, qui nec bonam nec malam fortunam ferre queat: victorem instare ferociter, victum statim redintegrare certamen.

Liu. Plut.

IX. *Instauratur certamen.*

Signa inde canere, & certamen iniri iussit. Pugnatum vtrimque aliquanto quam pridie acrius, Pœnis ad retinendum hesternum decus annitentibus, Romanis ad demendam ignominiam. Diu pugna anceps fuit, initium victoriæ ab elephantis fuit, qui cum plurimum damni Romanis inferrent, eo vim maiorem ad resistendum contulere. Romani quippe pilis tam acriter belluas infestarunt, vt in fugam versæ, suos etiam auerterent. Tum in fugientes equitatum Marcellus immittit; nec ante finis sequendi factus est, quam in castra pauentes compulsi sunt; vbi cum in ipsa porta duo elephanti corruissent, coacti milites per fossam vallumque in castra ruere, magna cæde concisi sunt: cæsa ad octo millia hominum, elephanti quinque. Nec Romanis incruenta victoria fuit; mille ferme & septingenti de duabus legionibus, sociorum supra 1300. occisi, vulnerati permulti. quæ causa fuit, cur Annibalem, nocte proxima castra mouentem, Marcellus insequi non potuerit. Annibal Brutios petiit, vbi Cauloniæ oppugnatores in tumulum compulsos, mox deditione accepit.

Paulo aliter Plut.

Pœni suis elephantis in fugam dati.

Et ad castra concisi.

X. *Q. Fuluius multos deditione recepit.*

A Coss. quoque res bene gesta est. Nam ad Q. Fuluium iisdem fere diebus Hirpini & Lucani & Volcenses, traditis præsidiis Annibalis, quæ in vrbe habebant, dediderunt se, clementerque à Consule, cum verborum tantum castigatione accepti: Brutiis quoq; similis veniæ spes facta est.

Fabius imminet Tarento.

Q. autem Fabius Manduria oppido in Salentinis vi capto, cum 4. fere hominum millibus Tarentum profectus est, & in ipsis portus faucibus castra posuit, naues omnibus rebus ad mœnium expugnationem instruit. Instituta porro eius duo quædam non parum fauerunt. Aberat quippe classis Punica Corcyram transmissa, ad Philippum Ætolos oppugnantem iuuandum: & præfectus præsidii Punici, mulierculæ amore captus, quæ fratrem in castris Fabii habebat, in proditionem consensit.

XI. *Tarentum vi ac proditione capit.*

Itaque dato ex vna parte vrbis occupandæ signo, quam tumultuosissimo; ex altera Præfectus Fabij milites vrbem inuadere permittit, & portis perfractis hostile agmen infesta signa. Sub lucis ortum forum occupant; ibi maiore impetu quam perseuerantia commissum est prælium. Duo ex ducibus Nico & Democrates fortiter pugnantes cecidere: Philomenes, qui proditionis ad Annibalem autor fuerat, se in apertum puteum ex equo præcipitasse creditus est. Carthalonem præfectum Punici præsidij, ad Consulem venientem, miles obuius obtruncat, aliosq; multos armatos inermesq;, vt vi potius atque armis, quam proditione Tarentum captum videretur: quod Plutarch. in Fabio, non sine causa reprehendit ambitiosæ crudelitatis. Cæterum, inquit, cum eum hæc frustrata est gloria; tum perfidiæ nota & crudelitatis insuper aspersus est. Carthalo autem ille meritas interim perfidiæ nequitiæq; pœnas dedit.

XII. *Præda Tarentina.*

Signa, tabulæque prope vt Syracusarum ornamenta æquarent. Sed maiore animo ea præda Fabius abstinuit quam Marcellus. Nam interroganti scribæ quid fieri de signis vellet, deos suos Tarentinis iratos relinqui iussit. Cum eadem habeat Plutar. in Marcello & Fabio, in Fabio tamen addit Fabium Herculis signum ingentis magnitudinis Tarento auectum, posuisse in Capitolio, iuxtaque equestrem statuam suam ex ære. Murus inde, qui vrbem ab arce dirimebat, dirutus est ac disiectus. Et Annibal cum noctes diesque festinans ad opem vrbi ferendam, eam captam audisset, & Romani, inquit suum Annibalem habent; eadem qua ceperamus arte Tarentum amisimus. Pari nihilominus arte Fabium pene cepit. Cum enim Metapontum venisset, vbi primariorum eius vrbis opera, misit, qui proditionem Metaponti paratam persuaderent, cum ipse opportuno loco insidias, ad capiendum Fabium venientem parasset. Verum cum is ad præstitutam diem non venisset, siue monitus auspiciis, vt significat Liuius lib. 27. seu potius ingenita cunctatione, & fraudis metu tardatus. Nam Fabium portenta cum plerosque mouerent, quia credebat temeraria, minus terrebant, ait Plut. in eius vita, cui consentaneum est illud Catonis apud Cic. de Senect. *Augurque cum esset ausus est dicere optimis auspiciis ea geri, quæ pro Reipub. salute gererentur, quæ contra Rempub. fierent, contra auspicia geri.* Fraudis architecti remissi ad Fabium, vt cunctantem hortarentur, metu grauioris supplicii, insidias patefecerunt; Zonaras ex collatione literarum patefactas insidias putat.

Fabij abstinentia.

Periculum quo ab Annibale.

XIII. *Plurimi in Hispania ad Scipionem deficiunt.*

Hæc dum agerentur in Italia, P. Scipio in Hispania, cum hyemem totam reconciliandis barbarorum animis partim donis, partim remissione obsidum, captiuorumque absumpsisset, eius rei fructum non exiguum cepit. Nam Edisco, quem Polyb. Edeconem vocat, Indibilis, Mandonius, viri principes in Hispania, derelictis Pœnis ad Scipionem transiere. Inimico enim erant in Pœnos animo, quod post deuictos Romanos exercitus, & Romanos imperatores Cn. & P. Scipiones cæsos, suam esse iam Hispaniam absque vlla controuersia persuasi, Pœni superbe atque impotenter Hispanis dominabantur. Et Asdrubal, suspectam eorum fidem habens, grandem ab eis pecuniam, & insuper obsidum loco, vxores ipsorum, & filias acceperat; vt ait Polyb. l. 10. apud quem hæc omnia de Hispanorum regulorum defectione, & iis quæ consecuta sunt, fusius habentur: nominatim autem de recusato à Scipione regio nomine, summa omnium Hispanorum consensione oblato. Hos porro viros nobiles Lælius, qui tum forte Roma in Hispaniam reuertebatur, excepit; iis redditæ coniuges liberiq;, & in hospitium abducti.

XIV. *Cum Romanis contra Asdrubalem pugnant.*

Postero die fœdere accepta fides, dimissique ad copias adducendas. Reuersi cum copiis, duces Romanis aduersus Asdrubalem fuerunt: cuius exercitus ad Bætulam vrbem erat, (Polyb. Bæcylam, non procul ab argenti fodinis,) & pro castris equitum stationes habebat. In hos primum Romanorum agmen, ex itinere, antequam castris locus captus esset, impetum fecit, & in castra trepidos compulit. Nocte Asdrubal in tumulum copias recepit plano campo in summo patentem; fluuius à tergo, ante circaque velut ripa præceps, oram eius omnem cingebat: subera & altera interior summissa fastigio planicies, quam altera crepido, haud facilior in ascensum, ambibat. Vtramque planiciem armatis Asdrubal replet. Scipio suos ad pugnã animat, ostendens hostem non audentem æquo dimicare campo, captare tumulos, loci fiducia, non virtutis, aut

armo-

armorum; sed altiora fuisse mœnia Carthaginis quæ superassent, quid plura?

XV. Romani inferiorem primo tumulum, deinde & superiorem, præeuntibus iis, qui pridie stationem loco depulerant, aduersum saxa telaque omnia ennitendo inuasere. Scipio à læuo cornu, Lælius à dextro capto circuitu, mollioris ascensus gratia, nuda hostium latera petebant. Cumque ab omni parte cædes fieret, ne fugæ quidem patebat locus, cum stationes vtrinque Romanæ insedissent vias, & portam castrorum ducis principumque fuga clauderet, addita trepidatione elephantorum, quos territos vtrique timebant. Cæsa ad octo millia hominum; Asdrubal iam antequam dimicaret, pecunia rapta, elephantisque præmissis, quam plurimos poterat de fuga excipiens, præter Tagum fluuium ad Pyrenæum tendit. Scipio castris hostium potitus, cum præter libera capita, omnem prædam militibus concessisset, in recensendis captiuis decem millia peditum, duo millia equitum inuenit. Ex his Hispanos omnes sine pretio domum dimisit. Hæc Liuius, eademque omnia Polyb. sed de captiuis Afris quid factum sit, tacet. Liuius autem Afros, inquit, vendere quæstorem iussit.

XVI. In iis inuentus Numida puer Massiua nomine, cuius auunculus Masanissa, qui effusus equo à Romanis captus fuerat. Eum Scipio decore ornatum, in equo ad auunculum remisit, additis equitibus, qui eum quoad vellet, deducerent; reliquum æstatis tempus in recipiendis in fidem Hispaniæ populis consumpsit. Paucis post prælium diebus, serum videlicet auxilium, Asdrubal Gisconis, Mago ex vlteriore Hispania ad Asdrubalem venere, & collatis inter se de reliquo bello consiliis, Asdrubali traiciendum censuerunt in Italiam belli arcem, cum Hispanis, qui in patria facile ad Scipionem deficiebant: alteri Asdrubali & Magoni in vltimam Hispaniam, quo nondum fauor Romanus penetrarat, recedendum, eoque bellum retrahendum, dum Masanissa citeriorem Hispaniam, quæ Romanis fœderata erat, cum tribus equitum millibus fatigaret. Hæc eo anno in Hispanis gesta Liuius enarrat.

XVII. At Romæ Scipionis fama florescente, Fuluij senescebat: Marcellus autem etiam aduerso rumore erat, & quia primo male pugnauerat, & quia vagante per Italiam Annibale, media æstate Venusiam in tecta milites abduxisset. Et Bibulus tribunus pl. inimicus erat, aut certe ab inimicis eius incitatus, vt ait Plutarch. populum in eum acuebat: itaque iam illum plebi inuisum reddiderat, vt de imperio ei abrogando ageretur.

At necessarij Claudij Marcelli obtinuerunt, vt relicto Venusiæ legato, Romam purgandi sui causa veniret, nec de abrogando eius imperio, eo absente ageretur.

XVIII. Forte sub idem tempus & Marcellus ad deprecandam ignominiam, & Q. Fuluius Consul comitiorum causa venit. Actum de imperio Marcelli in circo Flaminio, maximo hominum concursu, accusauit eum Bibulus, imo & vniuersam nobilitatem, quasi eorum fraude & cunctatione fieret, vt Annibal decimum iam annum Italiam prouinciam haberet; diutius ibi iam quam Carthagine vixisset. (Alludit ad annum nonum, quo anno in expeditionem Hispanicam abductus fuerat.) Populum Romanum fructum habere imperij Marcello prorogati; bis cæsum exercitum eius, æstiua Venusiæ sub tectis agere. Criminose hæc dicuntur ad arguendam molliciem exercitus, qui æstatem, perinde ad hyemem sub tectis transigat. Valuit nihilominus hæc Tribuni accusatio ad Marcelli gloriam amplificandam, eo magis quo propior periculo fuisset.

XIX. Mora enim Tribuni orationem ita rerum suarum commemoratione Marcellus obruit, vt non rogatio solum de imperio eius abrogando antiquaretur, sed postero die Consulem eum ingenti consensu centuriæ omnes crearent. Quintum fuisse hunc eius consulatum, Plutarchus quoque in eius vita confirmat, qui ait ipsum in sui defensione pauca duntaxat, remque ipsam simpliciter dixisse. Multa autem in eo defendendo, insigni cum libertate à primoribus probatissimisque totius ciuitatis allata, vsosque ipsius hostis testimonio ex factis expresso, quo neminem Romanorum ducum magis quam Marcellum se formidasse, ac declinasse demonstrarit. Quæ res de fine huic anno imponendo nos admonet, simul etiam decimum, belli Punici annum à nobis notatum confirmat.

XX. Ptol. Epiphanes ortus. Addamus ad extremum natum hoc anno regni Ægypti hæredem, qui postea Ptolemæus Epiphanes dictus est, filius & nepos Philopatoris: ex Eurydice quippe sorore, eadem & coniuge. Eum suscepit Philopator quinque annis antequam vita fungeretur, vt testatus Iustinus l. 30. D. tamen Hieron. in cap. 11. Danielis eum quatuor tantum annorum tum fuisse tradit. Ptolemæus autem intra quintum ab hinc annum extinctus est.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3845.

Auri 27. millia pondo. Quæstori tradita, qui tunc fuisse dicitur M. Cato maior, quod apud Cic. de Sen. id affirmat. Verum is in ferius in Consulatu Cethegi & Tuditani anno V. C. 549. expendemus. Ea summa respondet octo millionibus, & septingentis millibus aureorum, centenis autem, vt sæpe diximus in singulas libras, siue pondo assignatis. Plutarchus attestatur in ærarium talentorum tria millia, id est, 1125 millionis & centum & quinquaginta millia francorum, si Attica talenta fuerint: si autem Euboica, quatuor millionis & ducenta millia francorum. t. N. xii.

ANNVS MVNDI 3846. SEXTÆ ÆTATIS, 330. Imperii Græcorum 104. Antiochi Magni 17. Simonis Pontific. 25. & vl. Philopatoris & Philippi 13. Olympiadis CXLIII. an. 1. Vrbis Cond. 543. Coss. M. Claudio Marcello V. & T. Quintio Crispino. Secundi Belli Punici 11.

ANNVS ANTE CHRISTVM 207.

I. Res temporis. Vndecimum hunc annum secundi belli Punici vocat Liuius l. 27. quo Consulatum inierunt, inquit, M. Marcellus quintum (vt numeretur Consulatus, quem vitio creatus non gessit.) & T. Quintius Crispinus, qui tum Prætor erat. Consulatus autem quem non gessit incidit in annum V. C. 528. Numeratur tamen ad illius gloriam, vt qui populi suffragio toties dignus iudicatus fuerit summo magistratu. Sed breui, atque eius collegæ funestus fuit, vt postea dicetur. Est hic idem annus initium Olympiadis centesimæ quadragesimæ tertiæ, quæ habuit Olympionicam Heraclitum Samium, vt est in eorum catalogo.

II. Rumor de Hetruria defectione. Comitiorum ipsorum diebus ciuitas de Hetruriæ defectione solicita fuit. Principium eius rei ab Aretinis fieri C. Calpurnius scripserat, qui eam prouinciam Proprætor obtinebat. Itaque confestim eo missus Marcellus Consul designatus, qui rem inspiceret; ac si digna videretur, exercitu accito, bellum ex Apulia in Hetruriam transferret. Eo metu compressi Hetrusci quieuerunt. Mox tamen cum eadem fama metusque renouaretur, Aretium præsidio tenuere, obsides 120. liberos ipsorum Senatorum accepere, & Romam abduxere; septem principes Senatus cum liberis suis nocte euasere, eorumque bona venierunt. Tarentinorum legatis pacem petentibus, cum libertate ac legibus suis, responsum est à Senatu, vt redirent cum Fabius Consul Romam venisset. Sub eius aduentum actites examinata est ea causa in Senatu, Fabio eos quos ceperat defendente, plerisque impugnantibus, & eos Campanorum noxæ, & pœnæ æquantibus. S.C. factum est, vt oppidum præsidio custodirent, Tarentini omnes intra mœnia continerentur, & cum tranquillior status Italiæ esset, res integra referretur. Causa Tarentinorum differtur.

III. Liuij causa. De M. autem Liuio præfecto arcis non minore certamine actum est, aliis hominem notantibus, quod eius socordia Tarentum proditum hosti esset; aliis præmia decernentibus, quod per quinquennium arcem tutatus esset, maximeque eius opera Tarentum receptum foret. Id cum eius amici iactarent, subiecit Fabius, fateri se id quidem, neque enim recipiendum fuisse, nisi amissum foret. Cic. de Senect. ab ipsomet Liuio Salinatore dictum refert. *Mea opera Q. Fabi, Tarentum recepisti.* Illumque respondisse, cum risu. *Certe,* inquit, *nam nisi tu amisisses, ego nunquam*

receptissem. Ex eodem etiam loco apparet Garunem hoc anno factum Ædilem, quadriennio autem post Prætorem. Eos tamen non meminit hoc anno Liuius, quamuis 4. ædiles nominet, curules duos, L. Cornelium, & Ser. Sulpicium Galbam, plebeios totidem, C. Seruilium, & Q. Cæcilium Metellum. Sed nec anno seq. in quo Ædiles curules ponit, eosdem quos ante plebeios vocarat, additque alios duos Ædiles plebis Q. Manlium & M. Cæcil. Metellum. Verum hac de re infra an. Vr. 549.

IV. VTRIQVE Coss. decreta est Italia prouincia. P. autem Scipioni, & M. Syllano suæ Hispaniæ, & sui exercitus in annum decreti. Scipio ex 80. nauibus, quas aut secum ex Italia adductas, aut captas Carthagine habebat, 50. in Sardiniam transmittere iussus est, quia fama erat magnum naualem apparatum eo anno Carthagine esse; ducentis nauibus omnem oram Italiæ, Siciliæ, ac Sardiniæ impleturos; itaque & Siciliæ prouisum est. Nam præter Cannensem exercitum, qui Sex. Iulio Cæsari prætori tributus est, M. Valerius Læuinus, cui prorogatum quoque imperium est, classem, quæ ad Siciliam erat, 70. nauium obtinuit, quibus addidit 30. quæ ad Tarentum priore anno fuerant, vt cum ea 100. nauium classe, si videretur ei, prædatum in Africam traiiceret. Et P. Sulpicio, vt eadem classe Macedoniam, Græciamque prouinciam haberet, imperium in annum prorogatum est. Deniq; ne singula curiosius persequar, quæ ex Liuio peti possunt, hoc anno vna & viginti legionibus Romanum imperium descosum est.

V. CVM Marcellus bello Gallico ædem Honori & Virtuti vouisset, dedicationem eius pontifices impediebant, quod negarent vnam cellam amplius, quam vni Deo rite dicari. Ita addita Virtutis ædes approperato opere: neque tamen ab ipso ędes ex morte superueniente dedicatę sunt.

Ambo Consules cum suo quisque exercitu in Apuliam venerunt, & inter Venusiam Bantiamque, minus trium millium passuum interuallo, consederunt; amboque ingenio feroces, prope quotidie milites in aciem excire, haud dubia spe, si duobus exercitibus Consularibus iunctis commisisset sese hostis, debellari posse. Annibal vt vni se parem, ita duobus imparem futurum credebat: itaque insidiis locum quærebat, & respondit desiderio euentus. Crispinus Locros iam oppugnare cœperat, ab eaque oppugnatione Annibalis aduentu destiterat. Cum autem videret leuibus tantum prœliis contra Annibalem agi, existimauit vterq; Consul Locros nihilominus oppugnari posse. Itaq; & classem à Sicilia, & partem exercitus Tarento euocant, vt terra marique vrbem premant.

VI. ANNIBAL re comperta mittit ad insidendam à Tarento viam; ibi sub tumulo Petelliæ equitum duo, peditum tria millia in occulto locat, in quæ inexplorato euntes Romani cum incidissent, ad duo millia armatorum cæsa, & mille & ducenti ferme viui capti, alij dissipati fuga per agros saltusque, Tarentum rediere. Vide lector an hic diuina vltio notari non possit in istos, qui nuper inermes deditiosque Tarentinos interficere malebant, quam capere: vt vi potius & armis, quam proditione captum Tarentum videretur.

Aliæ quoque insidiæ Annibali feliciter successere, fama celebriores, & quæ cladem, non multo fortasse minorem intexere. Tumulus erat syluestris inter Punica & Romana castra, à neutris primò occupatus, quia Romanis qualis pars ea esset, quæ ad hostem vergebat, inexploratum erat: Annibal locum insidiis quam castris aptiorem putabat. itaque nocte ad id missas aliquot Numidarum turmas in saltu condiderat, quorũ interdiu nemo ab statione mouebatur, ne aut arma, aut ipsi procul cõspicerentur.

VII. ROMANI fremebant eum locum occupandum esse, ne si prior eum cepisset Annibal, hostem in ceruicibus haberent. Mouit ea res Marcellum; & Collegæ: Quin imus, inquit, ipsi cum paucis equitibus exploratum? subiecta res oculis certius dabit consilium. Assentiente Crispino, cum equitibus 220. ex quibus 40. Fregellani, cæteri Hetrusci erant, proficiscuntur. Secuti M. Marcellus Consulis filius, & A. Manlius tribuni militum, simul & duo præfecti sociorum. Marcellus infinita contra Annibalem pugnandi cupiditate tenebatur, adeo vt eum Aruspices Romæ gliscentem, ardentemque detinerent, quod prodigiis ei mortem imminere dicerent, vt ait Plut. additque nullum tanto vllius rei desiderio inflammatum fuisse, vt vir ille ad decernendum acie cum Annibale; id nocte somniare, id interdiu omnibus vsurpare sermonibus, id vnum votis apud deos expetere, vt deprehenderet in prælio posset Annibalem; vt iuuenilem potius ambitionem, quam maturitatem prudentiæ agnosceret: & tum quoq; valle egrediens signum dedit, vt ad locum miles esset paratus, si collis, in quem exploratum irent, placuisset.

VIII. NON multum progressi erant, cum Numidæ ab speculatore moniti, quamuis non in spem tantæ rei, eos à tergo prius, quam à fronte circumueniunt, & sublato clamore impetum faciunt. Extrahi certamen diutius potuisset, ni cœpta ab Hetruscis fuga, pauorem cæteris iniecisset. Perstitere in certamine Fregellani, donec integri Coss. hortando, ipsique ea parte pugnando, rem sustinebant. Sed postquam vulneratos ambos Consules, Marcellum etiam transfixum lancea, prolabentem ex equo moribundum videre, tum & ipsi, perpauci autem supererant, cum Crispino Consule duobus iaculis icto, & Marcello adolescente saucio etiam ipso effugerunt. Tumultuatum etiam in castris fuit, vt Consulibus irent subsidio, cum Consulem, & filium alterius Consulis saucios, exiguasque infœlicis expeditionis reliquias, ad castra venientes videre.

IX. ITA Marcellus est mortuus, dum inconsulte munus explorandi, quod expedito militi, & leuis armaturæ, aut etiam lixæ & caloni dari solet, ipse Imperator sibi sumit, & Collegam in eandem temeritatem ferociter inducit. Sed audi Liuium hæc nequaquam dissimulantem. Mors Marcelli, ait, cum alioqui miserabilis fuit, tum quod nec pro ætate, maior enim iam 60. annis erat, nec pro veteris prudentia ducis, tam improuide se Collegamque, & prope totam Remp. in præceps dederat. Vberius etiam Polyb. l. 10. qui primo statim congressu Marcellum interfectum refert; eum imprudentiæ magnæ arguit, quia non intellexerit, si quid cum periculo experiendum sit, in Care id potissimum, iuxta parœmiam, non in Imperatore esse faciendum. Et vice versa vehementer commendat Annibalem, qui cum in hostico tot annos egerit, fortunæ tot, tamque varios casus sit expertus, sæpe aduersariorum duces in fraudem illexerit, ipse tamen nunquam deceptus, aut circumuentus est, vt qui intelligeret belli ducem longissimè à periculo abesse debere. Vtpote in cuius capite vertantur omnia.

X. ANNIBAL ne cui occasioni deesset, castra in tumulum transfert, ibi Marcelli corpus inuentum sepelit. Nec plura de eius sepultura Liuius. At Valer. Max. *a interemptum*, inquit, *legitimo iure extulit, punicoque sagulo, & corona donatum laurea, rogo imposuit, & quem Punica astu decepit Romana mansuetudine honorauit*. Autor lib. de viris illustr. quem Plutarchus in Marcello Cornelium Nepotem vocat. Quinquies Consul, inquit, insidiis Annibalis deceptus occubuit, & magnifice sepultus. Ossa Romam remissa, à prædonibus intercepta perierunt. Sed hæc plenius Plutarchus.

Annibal, inquit, cæde nunciata Marcelli, confestim properat in tumulum. Corpus contemplanti postquam diu & robur & speciem considerauit, nullum dictum excidit arrogantius, nec lætitiam vultu præ se tulit, sed ad insperatam mortem obstupescens, annulo eius ablato, corpus eximiè ornatum, & cultum honorifice cremauit. Reliquias in argenteam conditas vrnã, iniecta aurea corona, aut laurea potius, vt habet Valerius, remisit ad filium.

XI. CVM autem inferentes vrnam Numidæ quidam delati, molirentur eam auferre, repugnantibus illis vi eripuerunt, proieceruntque ossa. Quo nunciato, ad adstantes Annibal. *Quam nihil*, inquit, *potest fieri inuito Deo*. Numidas inde supplicio affecit. Neque vltra deferendorum ossium, vel colligendorum fuit ei cura; quod omnino fato quodam ita inconsulte cecidisset, vt inhumatus iaceret Marcellus. Ita Cornel. Nepos, & Valer. Max. memoriæ prodiderunt. Sic Plutarchus: quæ tamen ea istis citat,

apud

apud eos non reperi; sicut nec in Liuio, aut Cæsare quod subdit. Liuius, & Cæsar Augustus delatam ad filium vrnam fuisse, & elatum magnifico funere autores sunt.

Illud verius notatur à Liuio, Crispinum & morte Collegæ, & suis vulneribus territum, silentio insequentis noctis profectum, Romana castra alto tutoq; loco posuisse.

XII. MEMOR autem annuli Marcelli, qui vna cum corpore in potestatem Annibalis venerat, veritusque ne is eo vteretur ad literas Marcelli nomine mittendas, quamprimum dimissis nuncijs mortem vulgauit, annulique possessionem: quo facto fraudatorem in fraudem induxit. Nam paulo ante bis nuncius Consulis Salapiam venerat, cum literæ ab Annibale allatę sunt Marcelli nomine compositæ, se nocte quæ diem illum secutura erat, Salapiam venturum, parati milites essent, qui in præsidio erant, si qua re opera eorum opus esset. Et vero parati fuerunt, & cum iis omnes ciues. Nam cum venisset Annibal, & in primo agmine perfugas Romanorum posuisset, qui Latine loquerentur, & Consulem adesse dicerent, portam cataractam vigiles vectibus funibusque subducunt, in tantam altitudinem, vt subire recti possent, & cum sexcenti fere intrassent, remisso fune, cataracta magno sonitu cecidit. Salapiani omnes occiderunt, Annibal tamen ipse fraude captus, abiit.

XIII. PROFECTUS autem est ad Locrorum soluendam obsidionem, quam Cincius summa vi, operibus, tormentorumque omni genere ex Sicilia aduecto oppugnabat; & Mago de vrbis defensione iam diffidere cœperat, cum Marcelli nunciata mors, in spem primum erexit: maxime autem confirmauit nuncius de aduentu Annibalis, qui præmisso Numidico equitatu, ipse, quantum accelerare iter poterat, cum agmine peditum sequebatur. Itaque vbi primum Numidas aduentare sensit, patefacta repente porta, ferox in hostes erumpit. Et primo magis quia improuiso id fecerat, quam quod par esset viribus, anceps certamen fuit. Deinde vt superuenere Numidæ tantus pauor Romanis est iniectus, vt passim ad mare ac naues fugerent, relictis operibus, machinisque, quibus muros quatiebant. Ita aduentu Annibalis soluta Locrorum obsidio est.

XIV. CRISPINUS postquam in Brutios profectum Annibalem sensit, exercitum cui Collega præfuerat, M. Marcellum tribunum militum Venusiam abducere iussit. Ipse cum legionibus suis Capuam profectus, vix lecticæ agitationem præ grauitate vulnerum patiens, Romam literas de morte Collegæ, & suo vitæ discrimine dedit; ideoque neque Comitiis affuturum, sed legatos ad se mitterent, cum quibus de Rep. colloqui posset; timere tamen Tarento ab Annibalis vicinitate. Senatus Venusiam Q. Fabium filium misit, qui Marcelli copiis præesset, ad Crispinum legatos. Is Dictatorem comitiorum causa dixit L. Manlium Torquatum, indeque ex vulneribus Capuæ, aut vt aliis placet, Tarenti moritur: sicque Consules duo, quod nullo ante bello contigerat, sine memorando prælio interfecti, orbam quodammodo Remp. reliquerunt.

XV. EADEM æstate M. Valerius, cum classe centum nauium, ex Sicilia in Africam transmisit, & ad Clupeam vrbem escensione facta, agrum late nullo ferme obuio armato, vastabat: inde raptim prædones in naues recepti, quia repente fama vulgauit classem Punicam cum tribus & 80. nauibus aduentare. Cum his haud procul Clupea prospere pugnat Romanus. Decem & octo nauibus captis, fugatis aliis, cum magna terrestri, naualique præda, Lilybæum reuertit. Hæc fere Liuius: qui rursus in Græciam vela faciens, Eadem æstate, inquit, & Philippus implorantibus Achęis auxilium tulit, quos & Machanidas tyrannus Lacedæmoniorum finitimo bello vrebat; & Ætoli nauibus per fretum, quod Naupactum & Patras interfluit, Rhion incolæ vocant, exercitu traiecto, depopulati erant. Sic ipse. Id fretum apud Ptolemæum inter duo promontoria decurrit, quorum quod in Peloponneso est Rhium dicitur, quod in Ætolia Antirrhium. Patræ autem & Naupactus aliquanto longius ab illis promontoriis absunt, Patræ à Rhio, Naupactus ab Antirrhio.

XVI. NON tulere impune Ætoli illam iniuriam, quamuis & ab Attalo auxilia secum haberent, & mille ferme ex Romana classe à P. Sulpicio missus. Aduersus eos nihilominus Philippus feliciter semel iterumque pugnauit, admodumque multos hostium vtraque pugna occidit, adeo vt Ætoli metu compulsi, Lamiæ vrbis mœnibus se continerent. Philippus ad Phalerum exercitum reduxit. Quem ad locum legati ab rege Ægypti Ptolemęo, Rhodiis, Atheniensibus, & Chiis venerunt, vt pacem inter Philippum & Ætolos componerent. Extat apud Polybium grauis legati vnius oratio, qua ostendit Ætolos sibi, atque vniuersæ Græciæ pessime consulere, qui eam totam prædæ Romanorum exponant, specie iuuandi Ætolos; qui mox bello Annibalico expediti, totis viribus. Græciam, & omnes circumquaque regiones in seruitutem sint redacturi: sicut reuera contigit; idque etiam Philippi legati contestati sunt, negantes per regem suum stare, quo minus pax æquis conditionibus ineatur.

XVII. PHILIPPUS ergo 30. dierum inducias dedit, sed pax ab Ætolis hominibus admodum turbulentis, iniquitate postulatorum, quasi victores & non victi essent, disiecta est, postquam Attalum Æginam venisse, & Romanam classem stare ad Naupactum audiuere. Interim Philippus ad Nemæos ludos celebrandos adiecit animum, in quorum apparatu dum occupatur, & licentius quam inter belli tempora remittit animum, P. Sulpicius Naupacto profectus, classem appulit inter Sicyonem & Corinthum, agrumque nobilissimæ fertilitatis effuse vastauit. Fama eius rei Philippum à ludis exciuit, raptimque cum equitatu profectus, iussis peditibus sequi, in palantes per agros onustos præda incurrit, & in naues haudquaquam lætos compulit, & Naupactum redire coëgit. Ipse ad ludos reuersus, plurima flagitiosæ nequitię monumenta edidit, quibus se iam mature dediderat, vt supra quoque ex Plutarcho dicebamus.

XVIII. INDE & aliud certamen ad Dymas commissum est, Philippo pro Achæis contra Eleos pugnante. (Dymæ autem locus est in Peloponneso, iuxta Larissum amnem, & Araxum promontorium, quod Ithacam insulam & Cephaleniam respicit.) Cum enim Romani in vrbem Elim insciis Achæis & Rege ingressi essent, cum ad pugnam ventum est, & inter Ætolorum signa, etiam Romana iuuenta sunt, improuisa res ingentem attulit terrorem. Rex ipse recipere primo suos voluit, sed cum iam contracto certamine suos vrgeri videret, etiam ipse Rex cum equitatu in cohortem Romanam incurrit. Ibi equus pilo traiectus, cum prolapsum in caput Regem effudisset, atrox pugna vtrimque accensa est, Romanis impetum in regem facientibus, & regiis regem protegentibus. Insignis & ipsius pugna fuit, cum pedes inter equites coactus est pugnam inire. Denique cum impar iam certamen esset, raptus à suis, & alteri equo impositus fugit.

XIX. EADEMQUE die castra quinque passuum millibus ab vrbe Eleorum posuit, & ingenti præda compensauit ignominiam ad Elim acceptam. Huius prælij meminit, Pausan. in Achaicis l. 8. & Plut. in Philopœmene quem ait interfecisse in eo Magistrum equitum Eliorum Demophantum nomine, à quo ad certamen singulare fuerat prouocatus, & lancea percussum equo exanimem deturbasse, ad eiusque lapsum confestim hostes se in fugam effudisse. Plutarchus & Pausanias Achæos victores fuisse significant auxilio Philopœmenis, Liuius autem Eleos auxilio Romanorum. Philippo ad Pyrgum Eleorum castellum diuidenti prædam nuncius à Macedonia aduenit, qui res nouas ibi molitos hostes retulit, eamque ob causam omisso Achaico atque Ætolico bello, relictis tamen 2500. omnis generis armatorum, decimis castris Demetriadem in Thessaliam peruenit; vbi maiores etiam motus agnoscit, Dardanis in Macedoniam effusis, quod Philippum Barbari mortuum crederent; ex ea expeditione occisum, qua cum populatoribus agri ad Sicyonem pugnauit. Vbi in arborem illatus impetu equi, ad eminentem ramum cornu alterum galeæ perfregit. Id inuentum ab Ætolo quodam, perlatumque in Ætoliam ad Sardilerum, cui notum

erat insigne galeæ, famam interfecti regis vulgauerat.

Post Philippi ex Achaia profectionem, Sulpitius Æginam classe profectus, Attalo sese coniunxit, vbi & hybernarunt. Achæi cum Ætolis Eleisque haud procul Messene prospere pugnarunt: Liuius. Ad hunc etiam annum victoriam Antiochi magni de Euthydemo, qui defecerat, refertur in Polybij Chronologia. Ea in Bactriana regione ad Arium amnem contigit, & à Polybio in extremo lib. 10. narratur, vbi inter alia habetur. In hoc prælio occiso regis equo, regem pugnasse peditem, & accepto in ore vulnere, dentes quosdam amisisse, insignemq; fortitudinis famam adeptum esse.

Romani At[talo] coniun[gunt]ur & Ætolus. Antiochi victoria de Euthydemo.

ANNVS MVNDI 3847. SEXTÆ ÆTATIS, 331. Imperii Græcorum 105. Antiochi Magni 18. Oniæ III. Pontif. 1. Philopatoris Aegypti, & Philippi Macedonum 14. Olympiadis CXLIII. an. 2. Vrb. Cond. 546. Coss. C. Claudio Nerone, & M. Liuio Salinatore II. 2. Punici belli 12.

ANNVS ANTE CHRISTVM 206.

I. *Nouus Pontifex ad tempus.* Novvm hoc anno pontificem Iudæorum suggerit Eusebij chronicum, anno inquam secundo Olympiadis centesimæ quadragesimæ tertiæ, etsi sedem eam varient quidam codices manuscripti, quos Pontacus refert. *Iudæorum pontifex maximus*, ait Eusebius, *Onias filius Simeonis insignis habetur, ad quem Lacedæmoniorum Rex Arius legatos mittit.* Hæc ipse, vtique ex Iosepho, qui *Deinde* inquit, *vita perfuncto Simone, Onias filius eius successit, ad quem Lacedæmoniorum Rex Arius legationem misit cum literis.* Sed hæ literæ non ad tertium hunc Oniam, sed ad secundum scriptæ fuerunt, vt suo loco diligentius explicatum est. T. Liuius hunc annum belli 12. & Olympicum facit, vt notauit Onuphrius in fast. non superiorem: quem tamen nobiscum Olympico certamine insignem facit ipsemet Onuphrius, & Gordonus: Capellus item Heluicus, Buntingus, Scaliger in Olympionicis, Temporarius, Cuspinianus, Caluisius in chron. qui Olympiad. 143. ineuntem anno V. C. 545. componunt; quod facit etiam Græcum Eusebij chronicum apud Scaligerum.

Li. 12. ant. c. 4. & a. m. 3821. n. 2. 3. &c.

II. *Claudius Nero fit Consul.* Cæterum cum in Italia duo consulares exercitus, tam prope hostem, sine ducibus essent, omnibus aliis omissis, placuit Senatui creationi Coss. operam dare; & quidem huiusmodi consulum, quorum virtus satis tuta à Punica fraude foret, quæ totiam duces præpropens, ac feruidis ingeniis perdidisset. Cum ergo circumspicerent patres, quosnam Coss. facerent, longe ante alios eminebat C. Claudius Nero, vir quidem egregius, sed promptior, acriorq;, quam aut hostis Annibal, aut belli tempora postularent. Itaque temperandum acre eius ingenium moderato & prudenti viro adiuncto collega censebant. Tales quidem erant Fabius, Læuinus, Manlius, sed patricij: ne fas erat tunc vtrumq; Consulem patricium fieri. Ergo coniecti oculi in M. Liuium Salinatorem, qui duodecimum iam annum erat exconsul. Nuper autem ex diuturno luctu ob ignominiam iudicio populi acceptam, rure in vrbē, atq; adeo in Senatū reuocatus, in causa M. Liuij Macati cognati sui, de fama periclitantis, sententiam dicere cœperat.

ab an. V. C. 534.

III. *Et M. Liu. Salinator.* Tvm videlicet ex tanto interuallo auditus, conuertit ora hominum in se, causamque sermonibus præbuit, indigno iniuriam à populo factam, magnoque id damno fuisse, quod tam graui bello, nec opera, nec consilio talis viri Respublica vsa esset. Ex qua Liuij narratione intelligis alium esse hunc M. Liuium Salinatorem, à M. Liuio præfecto arcis Tarentinæ, quo Respublica in ea arce tutanda vsa est, qua in re deceptus est Cicero in Catone maiore, cum præfectum illius arcis Salinatorē vocat, quod ipsum nomen nondum fuerat inuentum: id enim ex Censura Liuio attributum est, vt postea dicetur. Adde quod Polybius l. 8. illum præfectum, non M. sed C. perpetuo vocat. Itaque illum Liuium Macatum præfectum arcis non male Glareanus suspicatur.

Erratum in eius cognomine.

Populus patrum iudicium non aspernatus, Liuium Consulem creare volebat, ratus Neronem & Liuium egregium par consulum fore: sed vnus Liuius cui is deferebatur honos abnuebat, leuitatem ciuitatis accusans.

Renuit Consulatum.

Sordidati rei consularis non misertos, candidam togam inuito offerre, eodem honores pœnasque congeri: si bonum virum ducerent, quid ibi pro malo noxioque damnassent; si noxium comperissent, quid ita male credito priore consulatu alterum crederent? Sed ista querentem arguebant Patres, docebantque vt parentum sæuitiam, sic patriæ, patiendo ac ferendo leniendam esse. Furium Camillum reuocatum de exilio, patriam pulsam sede sua, restituisse. Diceret populus, culpam tunc satis punitam; nec virtutem honoradā esse. Deniq; victus, factus est Consul.

Denique cedit.

Qvoniam vero constabat inimicitias inter Neronem & Liuium existere, de eorum reconciliatione à Q. Fabio Maximo, principe senatus actum est. Liuius nihil opus esse reconciliatione aiebat, acrius, & iurentius omnia gesturos, timentes ne crescendi ex se collegæ inimico potestatem facerent. Vicit tamen autoritas Senatus, vt positis simultatibus communi animo, consilioque Rempublicam administrarent. M. tamen Liuius postea Neronem notauit, quod non syncera fide secum in gratiam redisset, vt notauit Valerius Maximus: quæ causa fortasse fuerit, cur ipsis Prouinciæ non permixtæ regionibus, sicut superioribus annis, sed diuersæ, extremis Italiæ finibus decernerentur. Alteri aduersus Annibalem Brutij Lucanique, alteri Galliæ aduersus Hasdrubalem, quem iam Alpibus appropinquare fama erat. Nam Massiliensium legati, eum in Galliam transgressum nunciauerant, erectosque eius aduentu Gallorum animos, quia magnum auri pondus, ad conducendos milites attulisse ferebatur. Deinde per legatos Roma missos pro comperto habitum est, eum cum ingenti exercitu proximo vere traiecturum Alpes hyeme clausas.

IV. *Consulum simultas sublata.*

Eorum prouinciæ. Asdrubalo aduentus in Galliam.

Censebant omnes primo quoque tempore Consulibus eundum in prouincias: nam & Asdrubali occurrendū erat descendenti ab Alpibus, ne Gallos Cisalpinos, neue Hetruriam erectam in spem rerum nouarum sollicitaret: & Annibalem suo proprio occupandum bello, ne emergere ex Brutiis, & fratri obuiam ire posset. Nec Annibal properauit ei occurrere, tum quod experientia doctus crederet, tardiorem illum in traiectu Alpium futurum, cum tamen expeditiora iam facta essent itinera, nec Alpium viri eum retardarent, sed sequerentur ad bellum: tum quod eum in obsidenda Placentia occupari didicisset, sciretque quam lenta esset vrbium oppugnatio. Dum autem in Insubria multa armatorum millia parantur Asdrubali, multa etiam ex Hispania à Scipione missa sunt Liuio.

V. *Et transitus in Italiam.*

Cvm ex vrbe abeuntem eum Fabius moneret, ne priusquam genus hostium cognosceret temere manum consereret; respondisse adhuc ciuibus iratum ferunt, se cum primum hostium agmen conspexisset, pugnaturum. Cum quæreretur quæ causa festinandi esset. Aut ex hoste egregiam gloriam, inquit, aut ex ciuibus victis meritum gaudium, etsi non honestum capiam.

VI. *Liuius abit in prouinciam adeo iratus.*

Dum autem Claud. Nero in prouinciam proficiscitur, C. Hostilius Annibalem ducentem in Salentinos exercitum, adortus cum expeditis cohortibus, incomposito agmini terribilem tumultum intulit. Ad quatuor millia hominum occidit, nouem signa militaria cepit. Inde Capuam petens, ad Venusiam obuius fit Consuli Claudio, ibi ex vtroque exercitu electa peditum 40. millia, & 500. equites, quibus Consul aduersus Annibalem rem gereret; reliquas copias Hostilius Capuam ducere, & Q. Fuluio proconsuli tradere iussus est.

C. Hostilius feliciter contra Annibalem pugnat.

Annibal vndique contracto exercitu, quem in hybernis, aut præsidiis habebat agri Brutij, in Lucanos ad Grumentum venit, spe recipiendi oppida, quæ per metum ad Romanos defecissent. Eodem à Venusia Consul Romanus exploratis itineribus contendit, & mille fere ac quingentos passus castra ab hoste locat: interiacebat campos, cui colles nudi & aperti sinistro lateri Pœnorum,

VII. *Nero persequitur Annibalem.*

dextro

Cum eo leuibus præliis.

dextro Romanorum, neutris suspecti imminebant. Procursationibus, leuibusque præliis agebatur, non inuito Consule, quid modo quærebat, vt hostem distineret, neque elabi pateretur. At Annibal inde euadere cupiens, totis viribus in aciem descendebat.

Tum Consul ingenio hostis vsus, quinque cohortes, cum totidem manipulis nocte intempesta superare iugum collium imminentium, & in auersis vallibus considere iubet, tempusque exurgendi ex insidiis, eorum doctores edocet. Ipse prima luce copias omnes in aciem eduxit; paulo post etiam ab Annibale signum pugnæ propositum est: cuius cum turmæ aliquæ equitum, peditumque incompositæ procurrissent, Nero equitatum, quam maximo impetu potest, immittit.

VIII. *Mox legitimo pugnat & vincit.*

Annibal qui nondum castris exierat, ad pugnantium clamorem excitus, raptim ad hostem copias agit. Iam primos occupauerat terror equestris, peditum etiam prima legio, & dextra ala prælium inibant. Incompositi hostes, vt quemque aut pediti aut equiti casus obiecerat, ita conserunt manus. Et pugnantes licet, inter tumultum acertorem, instruxisset veteranum exercitum vetus imperator, ni cohortium ac manipulorum decurrentium per colles clamor à tergo auditus, metum iniecisset, ne intercluderentur à castris. Inde pauor incussus, & fuga fieri cœpta est; quæ quod propter vicinitatem castrorum breuis esset, multi tempo sunt morti; tamen supra octo millia hominum occisa, supra septingentos capti, signa militaria nouem adempta, elephanti etiam, quorum nullus vsus in repentina pugna, ac tumultuaria fuerat, quatuor occisi, duo capti. Romanorum sociorumque ducenti cecidere.

IX. *Annibal Apuliam petit.*

Non sine clade.

Et Metapontum &c.

CONSEQVENTIBVS aliquot diebus Annibal, se castris quamuis lacessitus continuit; indeque nocte profectionem ignibus & tabernaculis, portarumque custodia dissimulans, Apuliam versus iter intendit. Eum Consul persecutus, haud procul Venusia assequitur, vbi tumultuaria quoque pugna fuit, Pœnus supra duo millia suorum amisit. Inde nocturnis montanisque itineribus, ne locum pugnandi daret, Metapontum petiit, vbi Hannonis copiis ad suas additis, Venusiam iisdem itineribus repetit, atque inde Canusium procedit, Nerone vestigiis eius semper inhærente.

Asdrubalis literæ interceptæ.

Inter hæc ab Asdrubale literæ ad Annibalem missæ interceptæ sunt, & ad Consulem missæ, quibus scribebat se in Vmbria fratri occursurum. Literas hostis, suasque ad Senatum mittit, quibus mentem suam & propositum aperiebat, legionem Capua accersendam, & Vrbanum exercitum ad Narniam hosti opponendum.

X. *Nero cum parte exercitus adit Asdrubalem & Collegam.*

IPSE capto à se nata consilio, nec Senatus consensu expectato, quod roboris erat in exercitu suo deligit, sex millia peditum, equites mille, quibus se fingit in Lucanis proximam vrbem cum præsidio occupare velle: reuera autem ad alterum Consulem maximis itineribus properat, Q. Tatio legato relicto, qui castris præesset; Annibale interim & ducis absentiam, & exercitum imminutum ignorante. Magnum terrorem tam audax facinus Romanis incussit, quod planum sit separato duce ab exercitu, alterutrum manifesto exitio periturum, si id callidissimus hostis persentiscat. Multi alij quoque consulis temeritatem trepidi accusabant.

Improbatur consilium.

Nero postquam tantum processerat, vt consilium suum tuto suis pandi posse crederet, eos conuocatos alloquitur. Negat vllius Imperatoris consilium in speciem audacius, reipsa tutius fuisse quam suum. Sed ad certam eos victoriam ducere: confectissimum quippe alterius Consulis exercitum esse, hoc copiarum incrementum hostis fugam & perniciem, sibi totam victoriæ gloriam attracturum.

XI. *Ad Liuium Collegam venit.*

INDE ad Collegam præmisit, qui nunciarent aduentum, percunctarenturque clam an palam, interdiu an noctu venire sese vellet, iisdem an aliis considere castris. Nocte clam ingredi melius visum est. Tessera quoque per castra à Liu. Consule data erat, vt Tribunus Tribunum, Centurio Centurionem, eques equitem, pedes peditem acciperet, nec dilatari castra opus esse, ne hostis alterius Consulis aduentum sentiret: nec difficile eisdem castris capi posse recens aduenientes, qui nihil secum præter arma in expeditionem tulerant, cunctis in via commeatum suggerentibus, prout à Consule præmoniti fuerant.

Ad Senam castra alterius Consulis erant, & quingentos inde ferme passus Asdrubal aberat, nocte silentio cum suis Nero castra ingreditur, & à sui quisque ordinis hominibus, magna lætitia excipiuntur.

XII. *De bello committendo deliberat.*

POSTERO die concilium habitum. In quo cum viderentur plerique, vt dum fessum via ac vigiliis militem Nero reficeret, hostemque cognosceret, tempus pugnandi differretur. Nero non suadere modo, sed summa ope orare institit, ne consilium suum, quod tutum celeritas fecisset, temerarium morando facerent. Errore, qui non diuturnus futurus esset, velut torpentem teneri Annibalem; interea deleri exercitum Asdrubalis posse, & repeti Apuliam. Si prælium differant, & deleri illa castra Annibali prodi, & eidem iter in Galliam aperiri, vt fratri, vbi libuerit, coniungatur.

Concilio dimisso signum pugnæ proponitur. Iam hostes ante castra instructi stabant; sed moram pugnæ attulit, nouarum copiarum indicia ab Asdrubale notata atque alterius Consulis aduentus animaduersus. Idque sinistrum aliquid de Annibale suspicari cogebat, quem aliqui neque Consul deseruisset, neque ille Consulem abire permisisset.

XIII. *Asdrubal fugam adornat.*

ITAQVE receptui propere cecinit, & vigilia prima signo dato, vt taciti vasa colligerent, signa ferri iussit secundum Metauri fluminis ripam, expectans dum orta lux transitum opportunum ostenderet, sed cum præruptæ atque altæ vbique ripæ occurrerent, diem terendo spatium dedit ad insequendum se hosti. Nero primum cum omni equitatu aduenit; Porcius deinde prætor, assecutus cum leui armatura: qui cum fessum agmen ab omni parte carperent, incursarentque, castra metari Pœnus in tumulo, iuxta fluminis ripam volebat, cum affuit Liuius cum omnibus peditum copiis, non modo ad iter, sed ad conserendum extemplo prælium instructis, armatisque. Vbi copias omnes coniunxerunt, directa est acies, Claudius Nero dextrum cornu, Liuius à sinistro pugnam instruit; acies media Prætori tuenda datur. Et hoc videtur fuisse tempus, quo Liuius Consul ludos vouit deæ iuuentutis, quorum meminit in Bruto M. Tullius, quos vndecim post annis populo dedit, an. V. C. 556.

XIV. *Pugnatur.*

Polyb.

Res Romana fluctuat.

Neronis strategema.

ASDRVBAL omissa munitione castrorum, quia pugnandum esse vidit. In prima acie ante signa Elephantos numero decem collocat. Claudio Gallos, Liuium sibi, atque Hispanis opponit, inter quos initum certamen, atroxque pugna, ac cædes vtrinque edebatur. Ibi quippe duces ambo, ibi pars maior peditum equitumque Romanorum. Ibi Hispani, vetus miles, peritusque Romanæ pugnæ, & Ligures durum in armis genus. Eodem versi elephanti primo impetu antesignanos turbauerant, & iam signa mouerant loco, & res ibi Romana fluctuabat. Cum Nero è dextro cornu, vbi segne certamen videbat futurum, quod hostis ibi colle opposito protegeretur, cohortes aliquot subducit, & non hostibus modo, sed suis etiam inopinantibus, post aciem circumducit, & in sinistrum hostium latus incurrit; tantaque eius celeritas fuit, vt cum se ostendissent in latere, mox in terga iam pugnarent, & omnibus partibus Hispani Liguresque trucidarentur.

XV. *Romani vincunt.*

ET ad Gallos iam cædes peruenerat, sed ibi minimum certaminis fuit; pars magna à signis aberant nocte dilapsi, stratique somno passim per agros, & qui aderant, itinere ac vigiliis fessi, vix arma ferebant.

l. 4. c. 18. lib. 11.

Elephanti plures ab ipsis rectoribus, quam ab hoste interfecti. Nam fabrile scalprum cum malleo habebant, id, vbi sæuire belluæ, & ruere in eos cœperant, Magister ad aurem, quà ceruix capiti iungitur, quanto maximo poterat ictu adigebat, & moribundam sternebat humi: quod inuentum Asdrubalis fuisse scribit Orosius. Belluarum, vt ait Polybius, 6. cum ipsis viris interfectæ, 4. quæ ordines perruperant, solæ sine rectoribus captæ. Asdru-

bal &

GRÆC. AN. 105.

bal & Imperatoris, & militis munere præclare functus, cum haud dubie hostium victoriam esse cerneret; ne superstes tanto exercitui esset, concitato equo se in cohortem Romanam immisit. Ibi vt patre Amilcare, & Annibale fratre dignum erat, fortiter pugnans cecidit.

XVI. Clades magnitudo.

NVNQVAM eo bello vna acie tantum hostium interfectum est, cladesque Pœnis reddita æqua Cannensi, vel ducis interitu, vel exercituum. Quinquaginta sex millia hostium occisa, capta quinque millia supra quadringentos, præda omnis generis magna capta. Ciuium etiam Romanorum, qui capti apud hostes erant, super quatuor millia capitum recepta. Id solatio fuit, pro amissis eo prælio militibus. Nam haud incruenta victoria fuit, octo ferme Romanorum, aut sociorum millibus occisis. Hæc à Liuio amplificata iure videri possunt. Nam Polybius qui in multis aliis consentit, hic longe ab eo diuersus est. *Desiderati sunt in pugna, inquit, Carthaginensium, & Gallorum non pauciores decem millibus: Romanorum circiter duo millia. Venere etiam in potestatem è principibus Carthaginensium nonnulli, cæteri omnes perierunt.* De præda relata in ærarium ex Liuio & Polybio seorsim dicam. 1.

XVII.

POSTRIDIE cum Liuio Consuli nunciatum esset, Gallos cisalpinos, Liguresque, qui aut prælio non affuissent, aut inter cædem effugissent, vno agmine incomposito sine duce abire, sine signis, sine imperio posse, si vna equitum ala mittatur, omnes deleri. *Supersint, inquit, aliqui nuncij & hostium cladis, & nostra virtutis.* Adeo victores sanguinis cædisque satietas ceperat.

Nero Castra sua repetit.

Nero ea nocte quæ secuta est pugnam, etiam citatiore itinere ad exercitum suum, cum incredibili gaudio die sexto redijt, vt victoriæ famam anteuerterit. Caput Asdrubalis, quod seruatum cum cura attulerat, projici ante hostium stationes, captiuosque Afros, vinctos vt erant, ostendi iussit: duos etiam ex iis solutos ire ad Annibalem, & expromere quæ acta erant. Zonaras Liuium sequitur, caput tamen Asdrubalis in propinquo cruci affixum tradit.

XVIII.

ANNIBAL & publico, & familiari luctu ictus, agnoscere se fortunam Carthaginis dixisse fertur. Castrisque inde motis, omnia auxilia in Brutios, extremum Italiæ angulum contulit.

Romæ autem par lætitia timori, atque expectationi fuit, vbi primus victoriæ nuncius aures perculit: nec minus effusa est tota ciuitas in gratiarum actionem, ad omnes ædes sacras, omnesque cœlites, quam fuerat ante, dum immineret periculum, in supplicationibus & votis. Sed lætitia omnem superauit modum, cum legati à Consulibus missi certa omnia, testataque retulerunt: vt pluribus Polybius, Liuiusque testantur.

Extremo æstatis cum M. Liuius Senatum docuisset, deduci exercitum consularem posse, satisque præsidij fore Galliæ prouinciæ legiones L. Porcij; Patres non M. Liuium tantum redire ad vrbem, sed Collegam eius quoque Caium Claudium iusserunt, relicto tamen exercitu, qui Annibali esset obiectus.

XIX. Triumphus Consulum.

CONVENIT inter Coss. vt simul in vrbem ingrederentur, eodem die ambo Præneste venerunt. Triduo post eis Senatus in æde Bellonæ extra vrbem datus est, obuiam effusa vniuersa ciuitate. Ibi expositis de more gestis rebus, cum postulassent, vt pro Republica fortiter fideliterque administrata, & diis immortalibus haberentur honores, & ipsis triumphantibus vrbem inire liceret; patres supplicationem amborum nomina, & triumphum vtrique decreuerunt. Inter ipsos autem ita conuenit, vt quoniam in prouincia M. Liuij res gesta esset, eiusque auspiciis, & adesset Liuianus exercitus, M. Liuius quadrigis in vrbem prosequente exercitu sequeretur. C. Claudius equo sine militibus inueheretur. Ita consociatus triumphus vtrique gloriosus fuit; sed eius magis gloriam auxit, qui tantum honore cesserat collegæ, quantum illi & nobilitate, & merito antecibat. Ita fere Liuius.

NERONIS TRIVMPHVS, ET MODESTIA.

XX. Hanno suffectus Asdrubali in Hispania.

SVPERSVNT res in Hispania, Sicilia, ac Græcia, à Romanis hoc anno gestæ. Asdrubale Barchino ad fratrem Annibalem in Italiam profecto, suffectus est Hanno, qui cum nouo exercitu ex Africa transgressus, Magoni que iunctus, in Celtiberia magnum hominum numerum armauit. Scipio aduersus eum M. Syllanum cum decem millibus peditum, equitibus quingentis misit. Is difficillimum iter magna celeritate transgressus, adeo vt non solum nuncios, sed famam etiam aduentus sui præueniret, ad hostem peruenit, ducibus transfugis, ex Celtiberia ipsa; ex quibus didicit, bina castra hostium esse, læua Celtiberos, nouum exercitum tyronem incompositum, & se, quod in patria esset, satis tutum arbitrantem: dextra Pœnos, apud quos omnia ex militari disciplina, tuta atque firmata. Ergo in Celtiberos mouet, data quam maxime opera, vt id Pœni non sentirent: præmissi speculatores, eadem quæ transfugæ referunt.

Syllanus contra Celtiberos.

XXI. Vnum castrorum ... & fuga.

MILLIA passuum aberant, cum ab hoste conspecti sunt, trepidarique repente cœptum. Mago ex castris citato equo aduehitur, quatuor millia scutatorum, & ducentos equites, quod erat eius robur exercitus, in prima acie locat; cæteros leuem armaturam in subsidiis posuit. Pilatum alterna coniectione inchoatum ab certamen, cum manu & gladiis cominus res geri cœpta est. Asperitas locorum Celtiberis, quibus in prælio concursare mos est, velocitatem inutilem faciebat; nec iniqua erat Romanis, statariam pugnam amantibus. Quod ad fugam hostibus impedimento erat, id ad cædem eos velut vinctos præbebat. Etiam ferme omnibus scutatis Celtiberorum interfectis, & leuis armatura, & qui ex aliis castris subsidio venerant, cædebantur. Duo ferme peditum millia, & omnis equitatus, vix inito prælio, cum Magone effugerunt, & decimo die in Gaditanam prouinciam, ad Asdrubalem Gisconis peruenerunt; Celtiberorum reliquiæ in proximas dilapsæ syluas, inde domos diffugerunt.

XXII. Alterum Hannonum.

HANNO alter Imperator, cum eis qui postremi iam profligato prælio aduenerant, viuus capitur. Per opportunus victoriæ, magnam diuturni belli materiam extinxit.

Scipio contra alterum Asdrubalem.

Scipio magnifice ac copiose collaudato Syllano, quoniam in agendi celeritate spem Hispanici belli plane conficiendi positam arbitrabatur, in vltimam Hispaniam aduersus Hasdrubalem pergit, qui Bœticam præsentia sua in fide continebat. Is vt aduentantem Scipionem audiuit, signis repente sublatis, fugæ magis quam itineris modo, penitus ad Oceanum & Gadeis ducit. Cæterum ratus se propositum bello fore, quandiu tenuisset exercitum, hostili scilicet exercitu petitum iri, eum passim in ciuitates dimisit, vt & muris seipsi, & armis muros tutarentur.

XXIII.

SCIPIO vbi animaduertit dissipatum passim bellum, & circumferre ad singulas vrbes arma, diutini magis quam magni esse operis, retro vertit iter; ne tamen hostibus eam relinqueret regionem, L. Scipionem fratrem cum decem millibus peditum, & mille equitum ad oppugnandam opulentissimam in iis locis vrbem Oringin mittit, in Melessum finibus sitam. Ea vtebatur arce Asdrubal ad excursiones in mediterraneos populos. Scipio castris prope vrbem positis, priusquam circumuallaret vrbem, misit ad portas, qui ea propinquo alloquio animos tentarent, suaderentque vt amicitiam Romanorum, quam vim experiri mallent; vbi id frustra factum est, vrbs fossa, duplicique vallo circumdata, exercitum trex in partes diuisit, vt vna semper pars, quietis duabus, oppugnaret vrbem.

XXIV. Exque potitur.

PRIMA pars cum oppugnare cœpit, atrox, atque anceps prælium experta est, oppidanis recentibus, & machinis ad propugnationem egregie instructis. Vbi animaduertit Scipio nimia paucitate suorum exæquatum certamen esse, duabus simul partibus, prima recepta, vrbem est aggressus. Quæ res tantum pauoris iniecit fessis, vt & oppidani mœnia repentina fuga desererent, & Punicum præsidium, metu ne prodita vrbs esset, relictis stationibus in vnum locum se colligeret. Timor inde oppidanos incessit, ne si hostis vrbem intrasset, sine discrimine æque Hispani Pœnique cæderentur; patefacta repente porta frequentes ex oppido sese eiecerunt, scuta præ se tenentes, ne tela procul conijcerentur: dextras nudas ostentantes, vt gladios abiecisse appareret. Id vtrum parum ex interuallo

conspe-

conspectum sit, an dolus aliquis suspectus fuerit, incompertum est.

XXV. *Et caeduntur.* IMPETVS hostilis in transfugas factus, nec secus quam aduersa acies cæsi: sane crudeliter, præsertim inermes, ac dedititij, à quibus sibi cauere sine cæde facile poterant. Eadem porta infesta signa vrbi illata: alijs inde portis refractis, vrbs tota occupata est, obuij cæduntur; ac diripiuntur, si qui armis se tuebantur: Carthaginenses omnes in custodiam dati sunt. Oppidanorum quoque trecenti ferme, qui clauserant portas; cæteris oppidum traditum est, resque suæ redditæ. *Ant in vincula coniiciuntur.* Cecidere in vrbis eius oppugnatione, duo ferme hostium millia. Romanorum haud plus nonaginta. Captiui ad P. Scipionem deducti. Scipio collaudato fratre, cum quanto maxime poterat verborum honore, Oringin captam, captæ nouæ Carthagini æquabat. Et quia instabat hyems, in citeriorem Hispaniam deduxit exercitum, dimissisque in hyberna legionibus L. Scipione fratre Romam misso, & Hannone hostium imperatore, cæterisque nobilibus captiuis, ipse Tarraconem concessit.

XXVI. *Læuini maritima victoria.* EODEM anno classis Romana, cum M. Valerio Læuino proconsule, ex Sicilia in Africam transmissa, in Vticensi Carthaginensique agro, atque adeo circa ipsa Vticæ mœnia late populationes fecit. Repetentibus Siciliam classis Punica 70. longarum nauium occurrit; pugnatum est, decem & septem Africanæ captæ, quatuor in alto mersæ, cætera fusa ac fugata classis. Terra marique victor Romanus cum omnis generis præda, Lilybæum repetit. Toto inde mari pulsis hostium nauibus, magni commeatus frumenti Romam subuecti sunt.

XXVII. *Res à Sulpicio in Philippum.* RELIQVA sunt quæ à P. Sulpicio proconsule contra Philippum gesta sunt. P. ergo Sulpicius cum in Ægina insula, vna cum Attalo rege hybernasset, Lemnum ambo, cum 60. quinqueremibus, quarum 25. erant Romanæ, 35. regiæ transmiserunt. Quorum aduentu cum Ætoli animos sustulissent, vicinos omnes aut terrebant, aut populabantur. Philippus, vt seu mari, seu terra hosti obuiam eundum foret paratus esset, ipse Demetriadem ad mare descendit, Larissam ad conueniendum exercitui diem edixit. Illic vndique ab socijs ad Regem Philippum legati venerunt auxiliũ implorantes. A Macedonia quoq; res turbulentæ nũciabantur. Tot circumfusi tumultus, vel segnem ducem excitare poterant; legationes dimittit, pollicitus, prout tempus ac res sineret, omnibus laturum auxilium, in præsentia quæ maxime vrgebant res paratẽt. Ita Liuius l. 28. Addit Iustinus l. 29. Omnibus, inquit, propediem auxilia se missurum pollicetur, non quia facere posset, quæ promittebat, sed vt spe impletos, in societatis iure retineret: omnibus tamen quantum potuit malis præsentibus & futuris prouidit.

XXVIII. *Eubœã adit, Oreum proditione capit.* SVLPITIVS & Attalus classe in Eubœam transmittunt, & Oreum Romani à terra, Regij à mari obsident, vrbem duplici arce munitam, altera imminente mari altera in vrbis medio, præsidio quoque à Philippo instructam, sed Plator præpositus vrbi à Philippo, eam prodidit, & ad Attalũ se recepit. Vrbs direpta est, præda ex conuentione cum Attalo, Romanorũ fuit. Sulpicius tam felici successu elatus, Chalcidem protinus victrici classe petit, sed irrito conatu. Nam & infidam stationem in freto illo inuenit, & vrbem egregie munitam, & quod caput est, stabilem præfectorum fidem: itaque Oreum se recepit. *Attalus Opuntem.* Interea Attalus Opuntem vrbem occupauit, ac militibus suis diripiendam dedit: eum tamen Philippus pene oppressit, dũ pecunias quasdam exigit; & fecisset, nisi Cretenses quidã pabulatum progressi longius, hostem conspexissent; aut si Opuntij aliquanto amplius obsidionem traxissent. Ita quantauis celeritate vsus Philippus, nec Oreo, nec Opunti auxilio fuit, quod Orei ignes admonendo Philippo destinatos à specula, fraude Platoris tardius demõstrassent: & Opulentij opem nimium cito desperassent.

XXIX. *Asiam repetit, Sulpicius Æginam.* INDE Attalus Oreum se recepit, sed cum accepisset Bithyniæ regem Prusiam in fines regni sui transgressum, omissis Romanis, atque Ætolis, in Asiam traiecit. Sulpitius Æginam, vnde initio veris abierat, classe repetijt. Philippus vice uersa Toronem & aliquot alia oppida cepit. *Philippus aliquot ij capit. Philippus paratus ad pacem.* Inde Elatiam Phocidis vrbem venit, vbi iusserat Ptolemæi & Rhodiorum legatos, qui de finiendo Ætolico bello rursum acturi erant, & iam Heraclææ concilio Romanorum & Ætolorum adfuerant, se opperiri. Cum ecce nuncius affertur Machanidam Lacedæmoniorum tyrannum Eleos statuisse aggredi, dum illi Olympicis ludis essent intenti. Prætendendum id ratus, legatis cum benigno respõso dimissis, (se neque causam eius belli fuisse, nec moram paci facturũ, si modo æqua & honesta conditione liceat,) cum expedito agmine profectus Corinthum venit; vnde commeatibus sumptis, dum hosti propinquat, ille territus Lacedæmonem refugit.

XXX. *Irrito conatu.* PHILIPPVS irrito conatu Ægium se ad concilium Achæorum recepit, mœrens fortunamque suam incusans, quod iam tertio, qu[a]muis summa celeritate vsus esset, tẽpori tamen ad hostem opprimendum adesse non potuisset: quæ esset hostium aperta confessio sibi eos pares non esse, cum difficile dictu esset vtrum à se audacius, an ab illis fugacius bellum gereretur. Sic fere Liuius. De Olympicis porro ludis initio huius anni diximus.

Inde Oreum Philippus repetit, vrbemque vt apparet desertam, ciuibus qui fugere maluerant quam seruire Romanis, eam custodiendam committit. Casandreę operam classi fabricandæ nauar, & rebus in Græcia discessu Attali tranquillioribus, ipse retro in regnum, Dardanis bellum illaturus reuertitur. Quo tempore Antiochus Magnus contra Eurydemum Bactrianorum Dynastam, diu contentioseque pugnauit, vt anno eius vigesimo ex Polybio dicemus: Et Philopœmen Machanidam Spartanum tyrannum confecit.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3847.

Polybius idem ait relata in ærarium talenta amplius trecenta: id est, si Attica sumas, trecenta, & quindecim millia francorum, si Euboica, quadringenta & viginti millia. Liuius in quibusdam libris habet tricies sestertium, & octoginta millia æris, quod si singulos sestertios æstimes eum Cenal. totidem assibus Turonensibus, tricies sestertium, siue tricies centena millia nummorum sestertiorum, valebunt centum & quinquaginta millibus francorum: octoginta veró millia æris, quoniam mille æris eodem æstimatore valent viginti francis, siue 400. solidis, octoginta millia respondent mille & sexcentis francis. Tota ergo Liuiana summa ascendet ad 151600. francos. Porro numerum cæsorum Orosius etiam auxit. Nam l. 4. c. 18. ait 58. millia de exercitu Asdrubalis occisa, & in aliquibus libris etiam 63. millia leguntur. *L. N. xvi.*

ANNVS MVNDI 3848. SEXTAE ÆTATIS 332. Imp. Græcorum 106. Antiochi Magni 19. Oniæ III. Pontif. 2. Philopatoris Aegypti, & Philippi Maced. 15. Olym. CXLIII. an 3. Vr. Con. 547. Coss. L. Veturio Philone, & Q. Cæcilio Metello Secun. Punici belli 13.

ANNVS ANTE CHRISTVM 205.

POPVLI Rom. in vtrumq; Consulem victorem fauor fecit, vt Philo & Metellus hoc anno Consules fierent. I. *Noui Coss.* Nam illi legatos in bello suos magnis extulerãt laudibus, hortatique erant plebem, vt Consules in annum proximum crearent. Creati ergo sunt, comitia habente M. Liuio, quem ea de causa Claudius Nero Dictatorem dixerat, argumento non leui redintegratæ gratiæ, & Liuius Cæcilium Metellum Mag. eq. qui mox cum Veturio Philone factus est Consul. Vtrique Consuli Brutij prouincia decreta, vt ambo cum Annibale bellum gererent. *Eis à Senatu agricultura cõmendatur.* Simul etiam mandatum à Senatu acceperunt, vt plebis in agros reducendæ curam gererent, quoniam bellum in extrema Italię translatum, tutam in agris habitationem pręstabat, nec conueniret maiorem colendæ Siciliæ, quam Italiæ curam esse.

II. *Ingratiam Placentia & Cremona.* EI rei occasionem dederunt Placentinorum & Cremonensium legati, querentes agrum suum ab accolis Gallis incursari, ac vastari, magnamque partem colonorum suorum dilapsam esse, se vrbes infrequentes, agrum deser-

um habere. Eadem quoque erat multorum aliorum conditio. Et quamuis remedium difficile videbatur, in tanta vastitate, tot incendijs & direptionibus, magna tamen ex parte Consulum industria, atque autoritate res inchoata est. Nominatimq; Manlio prætori mandatum est, vt eas colonias ab hoste tueretur: & Coss. ex Senatusconsulto edixerunt, vt qui ciues Cremonenses ac Placentini essent, ante certam diem in colonias reuerterêtur. Inde ipsi principio veris in bellum profecti, in Consentinum agrum exercitum duxerunt: quæ tam matura profectio argumento est etiam hos Consules Idibus Martijs consulatum iniisse. Est autem Consentia in Brutijs. Illum agrum passim depopulati, cum agmen iam graue prȩda esset, in saltu angusto à Brutijs Numidisque iaculatoribus turbati sunt, ita vt non præda tantum, sed armati quoq; in periculo fuerint. Maior tamen tumultus quam pugna fuit, & præmissa præda, incolumes legiones in loca tuta euaserunt. Inde in Lucanos profecti, totam gentem sine certamine in deditionem populi Romani reduxerunt.

Coss. in Brutiis bellum gerunt.

Non sine periculo.

III. *Qui nihil effectum sit ab Annibale.*

CVM Annibale nihil eo anno gestum est. Nam neq; ipse se obtulit, in tam recenti vulnere publico, priuatoq;: neque lacesserunt quietum Romani, tantam inesse vim in vno illo duce censebant, quamuis omnia circa illum ruerent. Cuius mirabilem industriam merito Polybius lib. 11. & Liuius 28. admirantur, quæ in hostili solo per annos tredecim (sedecim habet Polybius) tam procul à domo egerit, cum exercitu ex omnium gentium colluuione concreto; quibus non lex, non mos, non lingua communis; alius habitus, alia vestis, alia arma, alij ritus, alia sacra, alij prope dij essent, ita eos vno vinculo copularit, vt nulla nec inter ipsos, neque aduersus ducem seditio extiterit: cum & pecunia sæpe in stipendium, & commeatus in hostium agro deessent: vt qui hæc atq; his similia considerauerit, non dubitanter pronunciaturus sit, si Annibal ab alijs orbis partibus exorsus, nouissimos omnium Romanos esset adortus, nihil illum frustra fuisse molitnrum. Nunc cum eos aggressus sit primos, quos debuerit postremos, ibidem præclara eius facta & principium & finem habuerunt.

Laus Annibalis.

IV. *Status rerum Hispanicarum.*

IN Hispania res quadam parte eandem fortunam, quadam longe diuersam habebant. Eandem quod prælio victi Carthaginenses, duce amisso in vltimam Hispaniæ oram, atque oceanum compulsi erant, vt in Brutios Annibal. Disparem autem quod Hispania, non quam Italia modo, sed quam vlla pars terrarum bello reparando aptior erat, locorum hominumque ingenijs. Id autem probat Liuius ex eo, quod prima Romanis prouinciarum inita, postrema omnium sua ætate, auspicijs Augusti Cæsaris, perdomita est.

Hispania sero domita.

Verum si quis animo perpenderit quingentos fere annos, quos Romani in edomanda Italia posuerunt, & millenos exercitus, quos omnes eius prouinciæ suppeditarunt, facile Liuij sententiam non solum in dubium reuocauerit, sed in gratiam Cæsaris eam vocem effusam dixerit. Certe proximis annis duodecim, Italia non solum plurima hominum millia, è Campania, Lucania, Gallia, Brutijs, alijsque prouincijs Annibali suppeditabat; sed ipsis etiam Romanis quinos senosue exercitus, multorum millium singulos præbuit; præter classicas legiones, quæ oram Italiæ ad mare superum inferumque late tuebantur, & quæ in Siciliam, Sarniam, Græciam, & Hispaniam quotannis mittebantur: nec tamen vllas extra Italiam copias mutuas acceperunt, nisi semel ab Hierone non magnam manum, ne amicitiam contempsisse viderentur.

Italia quantum bellatrix fuerit.

V. *Tanorum copia in Hispania.*

SED rem Hispanicam, vt cœpimus, quieta Italica enarremus. Asdrubal Gisconis filius regressus à Gadibus, adiuuante Magone Amilcaris filio, delectibus per vlteriorē Hispaniam habitis, ad quinquaginta millia peditum, & 4500. equites armauit. Duo duces ad Salpiam vrbem super patentes campos ea mente consederunt, ne certamen detrectarent. Eam vrbem Elingam Polybius vocat, atq; in eorū exercitu fuisse peditum 70. millia, equitum quatuor, elephantos duos supra triginta.

Scipio qui se parem tantis copijs exercitum non habere cerneret, ad auxilia barbarorum respexit; sed ita tamen vt in ijs spem victoriæ non poneret, ne eandem calamitatem eorum perfidia ipsi afferret, quam ante quinq; annos eius patri, patruoq; attulisset. Præmisso ad Colcam regulū Syllano, tria millia peditum, & quingentos equites accepit; ipse Tarracone profectus, ex socijs modicas copias ex itinere contrahit, secumque Castulonem ducit. Inde ad Bætulam vrbem, cum omni exercitu quinque & 40. millium peruenit, Polyb. l. 11. hunc omnem numerum peditum facit, additque tria equitum millia; reliqua fere omnia eadem habet cum T. Liuio.

VI. *Mutua victoria.*

VBI castra ponentem, Mago & Masanissa aggressi cum omni equitatu turbassent, ni Scipio abditos de industria post tumulum equites, in effusos improuiso immisisset: à quibus, alijsque vicissim vtrimq; superuenientibus ita pugnatum, vt Pœni denique funderentur, in omen euentus iustæ ac legitimæ pugnæ, ad quam Romani audaciores, Pœni timidiores facti sunt. Ea post varias velitationes, & aliquot dierum quietem commissa est.

In ea victoriam Scipioni dedit, non ducum solum, & militum fortitudo, sed Imperatoris etiam prudentia, quæ & aciei ordinem præter hostis expectationem mutauit, & suos mature instructos, pastos, paratosq; in aciem eduxit: & hostem minus ijs rebus paratum pugnare compulit, & ad id pugnam de industria in multā diem extraxit, vt fessi fame, labore, æstu deficerent. Denique primo verecunde referebant pedem, deinde vrgente vehementius hoste, effusa fuga castra petiere: quę ex impetu Romani petijssent, nisi tempestas receptui canere coegisset.

Et legitima pugna, vbi neque Romanorum.

VII. *Pœni deficientibus sociis fugiunt.*

POENI quamquam vulneribus, labore, inedia fatigati, veriti ne prima luce hostis in castra impetum faceret, ea intentiore cura communierunt. Sed defectio sociorum eis fugam potius, quam moram persuasit. Nam Attanes Turdetanorum regulus in Lusitania, cum magna popularium manu transfugit. Inde duo munita oppida cum præsidijs, à Præfecto tradita Romanis. Et ne latius, inclinatis semel ad defectionem animis, res serperet, silentio proximæ noctis Asdrubal castra mouet. Scipio abeuntem sequitur, & ad Bætim fluuium anteuertit, vt aggrederetur transeuntem. Asdrubal clauso fluminis transitu ad Oceanum flectit, & iam inde fugientium modo abibant; sed cum eos Romani equites, leuisque armatura carpendo, incursandoque nunc à tergo, modo à lateribus fatigarent, ac necessario defendentes se morarentur, supervenere legiones. Inde non iam pugna, sed quasi pecorum trucidatio fieri; donec ipse dux, fugæ author, in proximos colles cum septem millibus fere inermium euasit, cæteris captis cæsisue, castra editissimo tumulo communijt: obsidio in loco nudo atque inopi, vix in paucos dies tolerabilis erat; itaque transitiones ad hostes fiebant.

Romani persequuntur.

VIII. *Asdrubal Gades profugit. Scipio Tarraconem redit.*

POSTREMO dux ipse, nocte relicto exercitu Gadeis profugit. Ea re audita Scipio decem millia peditum, & mille equites Syllano relinquit ad castrorum obsidionem: ipse cum cæteris copijs Tarraconem septuagesimis castris peruenit, causas ciuitatum regulorumq; cogniturus.

Post profectionem eius, Masanissa cum Syllano clam congressus, vt ad noua consilia gentem quoque suam obedientem haberet, cum paucis popularibus in Africam traiecit, Mago remissis ab Asdrubale nauibus Gades petit. Cæteri deserti à ducibus, partim transitione ad Romanos, partim fuga in proximas ciuitates dissipati sunt. Hoc maxime modo, ductu atque auspicio P. Scipionis, pulsi sunt Hispania, Carthaginienses tertio decimo anno post bellum initum, quinto postquam P. Scipio prouinciam & exercitum accepit. Ita Liuius. Est quidem hic annus decimus tertius Punici belli: Hispanicum autem vno anno videtur antecedere Punicum, quo anno Saguntus ab Annibale expugnata, atque euersa est: sed Romani eò cum exercitu non venerunt, nisi quo anno Annibal in Italiam penetrauit, ideoque ex eo tempore Liuius annos numerat.

In Hispania debellatur.

anno 13. vel 14.

IX. HAVD multo post Syllanus debellatum referens, Tar-

GRAVES OB HISPANIS VLTIONES.

Id L. Scipio Romam nunciat.

taconem ad Scipionem rediit; L. Scipio, cum multis nobilibus captiuis, nuncius receptæ Hispaniæ Romam est missus. Quam rem cum pleriq; omnes ingenti laude vulgo efferrent, vnus eam Scipio modicam ducebat, præ iis quæ animo ac spe moliebatur, ad consummatam huius belli gloriam.

Dispensatur in Africa bellum.

Ad quam vt res mature disponeret, conciliandos sibi regum ac gentium animos in Africa duxit, & Syphacem in primis tentandum, cui tum fœdus erat cum Carthaginiensibus. Verum Scipio qui sciret barbaros fœdus & fidē veritate metiri, Oratorem ad eum C. Lælium cū donis mittit. Quibus Syphax lætus; & quia res tum prosperæ vbiq; Romanis, Pœnis in Italia aduersæ, in Hispania nullæ erāt, amicitiam Romanorum se accipere annuit, fœdere eam, nisi coram Romano duce, se firmaturum negauit.

Tentatur Syphax.

X. *Eum adit Scipio.* Non carebat periculo res, Romanum Imperatorē inexpertæ barbari principis fidei credere: dignam tamen rē esse existimans, quæ cū periculo peteretur, L. Martio Tarracone, M. Syllano Carthagine noua ad præsidiū Hispaniæ relictis, ipse cum C. Lælio duabus quinqueremibus Carthagine noua profectus, in Africam feliciter traiecit. Forte ita accidit vt eodem ipso tempore Hispania pulsus Asdrubal, septem triremibus portum inuectus, anchoris positis terræ applicaret naues, cum conspectæ duæ quinqueremes hostiles, tumultum ad eas opprimendas, priusquam portum intrarent, excitauit: sed vento obsecundāte eum in portum ingressæ essent, non sunt ausi Pœni in portu regio quicquam moliri.

XI. *Cum Asdrubale.* Itaque prior in terram Asdrubal, mox Scipio & Lælius egressi, ad regem Syphacem pergunt, gloriæ suæ ducentem quod potentissimorum populorum clarissimi duces, certatim amicitiam suam ambirent. Eos contrahere in colloquium, dirimendarum simultatum causa, ille conatus est, abnuente Scipione, qui negaret vllas sibi priuatim cū Asdrubale intercedere inimicitias, publicas autē dirimere, aut de Rep. cum hoste agere, Senatus iniussu nō posse. Id tamen impetrauit Syphax, vt eodem non solum tecto, & triclinio, sed lecto etiam ad conuiuium accumberent. Tanta autem inerat comitas Scipioni, atq; ad omnia naturalis ingenij dexteritas, vt non Syphacem modo barbarum, sed hostem etiam infensissimum sibi conciliarit; vt non dubitarit dicere, Syphacem eiusq; regnum in Romanorum potestate esse, quoniam tantam in eo viro vim, ad conciliandos animos cerneret: nec tam de recuperanda Hispania, quam de Africa retinenda à Carthaginiensibus esse cogitandum.

Scipionis humanitas.

XII. *Inito fœdere cum Syphace Hispaniā repetit.* Scipio fœdere icto cum Syphace, profectus ex Africa, die quarto nonnihil iactatus cum ventis, nouæ Carthaginis portum tenuit. Inde se ad vindicandam Castulonensium, & Illiturgitanorum noxam conuertit. Castulonēses cum prosperis rebus socij fuissent, post cæsos cum exercitibus Scipiones, defecerant ad Pœnos. Illiturgitani etiam prodendis, interficiendisq; qui ex ea clade profugerant, scelus defectionis cumulauerant. Ergo quietis iam rebus accitum Tarracone L. Martium, cum tertia parte copiarum, ad Castulonem oppugnandum mittit, ipse cum cætero exercitu; quintis ferme castris ad Illiturgim peruenit. Clausæ erant portæ, & omnia ad ferendam obsidionem parata; conscientia quippe eis pro indicto bello erat. Et hortatus est suos Scipio, vt infestioribus animis cum eis, quam cum Carthaginiensibus pugnarent: cum his enim prope sine ira de imperio & gloria certari, ab his crudelitatis, & perfidiæ pœnas expetendas esse.

Parat vltionem duabus vrbibus.

XIII. *Illi defensionem parant.* Cives vicissim se mutuo hortabantur ad fortiter vrbem defendendam; supplicium quippe ex se, non victoriā peti; id agi vt cremata ac diruta vrbe, ante ora captarum coniugum & liberorum, inter verbera & vincula, omnia fœda atq; indigna passi, expirent. Itaq; omnis ætas sexusque adsunt, & ad propugnationem saxa, telaq; omnia supra vires conferunt, tantaq; animi contentione decertāt, quasi mortem in lucro ac victoria, & suppliciorū redemptione ponerent. Quo etiam factum est vt ille Hispaniæ victor exercitus, sæpius capto impetu ad inuadenda mœnia, sæpius haud cum ignominia repelleretur. Id videns Scipio, & suos increpans, & scalas ipse ad scandendum aggrediens, pudorem & ardorem nouum iniecit, vt quasi furiosi mœnia multis ex partibus scanderent, deiectisque propugnatoribus occuparent: neq; prius vrbem cepit, ait Zonaras, quam ipse mœnia conscendere ausus, vulneratus est. Arcem quoque Afri transfugæ, qui leuitate corporum valebant, per præruptas rupes, impactis vbi res exigeret ferreis clauis, conscenderunt; indeque in vrbem, iam à Romanis captam, cum clamore descendunt. Tum vero apparuit ab ira & odio vrbem oppugnatam esse; nemo captiuorum, nemo prædæ meminerat; trucidant inermes iuxta atque armatos, feminas pariter ac viros, vsque ad infantium cædem crudelis ira peruenit. Ignem deinde tectis iniiciunt, ac diruunt quæ incendio absumi nequeunt: denique vestigia quoque vrbis extinguere ac delere conantur.

Ill. vrbs capitur, & deletur.

XIV *Castulo deditione capitur.* Castulonem inde Scipio exercitum ducit, quā partim Hispani partim Pœni, ex fuga dissipati exercitus collecti tutabantur; terror cladis Illiturgitanæ cunctos ad sibi consulendum mouebat. Scissa est bipertito ciuitas, & Hispani clam Scipioni vrbe tradita, mitiorem victoriam sunt experti. Scipio Carthaginem ad vota soluenda, munusq; gladiatorium, quod parentis patruiq; morti honorandæ parauerat, edendum rediit. In quo pleriq; etiam illustres viri, contentiones, quas iure dirimere non potuerant, Marte, vt ferebant, iudice, ferro diremerunt. Martius inde in barbaros, si qui nondum perdomiti erant, sub ius ditionemq; redigendos mittitur. Et Circio amne superato, duas opulentas ciuitates sine certamine in deditionem accepit. Verum Astapensium, non minus quam Illiturgitanorum, atrox fortuna fuit.

Certamina singularia.

XV. *Astapensium oppugnatio, ac desperatio.* Fuerant hi perpetuo Pœnis addicti, & nonnunquā Romanos, eorumue socios insidijs exceptos peremerant. Ergo crudelem veriti deditionem, crudelius ipsi facinus, ac desperatione plenum excogitant. Locum in foro destinant, quo pretiosissima quæque suarum rerum congerūt: super eum cumulum vxores, ac liberos suos considare iubent, ligna circum extruunt fascesque virgultorum coniiciunt. 50. deinde armatis iuuenibus præcipiunt, vt donec incertus euentus pugnæ esset, præsidium eo loco fortunarum suarum, corporumque carissimorum seruarent, si rem inclinatam viderent, atque in eo iam esse vt vrbs caperetur, memores libertatis suos interficerent, & flamma in paratam materiam iniecta absumerent, quæ hosti superbo ludibrio futura erant.

XVI. *& erumpentes omnes trucidantur.* Ipsi mortituri feruciter ex vrbe erumpunt, & multam edunt cædem in turmas equitum, leuemque armaturam, in occursum à castris emissam, quippe cæci furore, in ferrum & vulnera, vecordi audacia ruebant. Nec morte priorum, sequentium frangebatur audacia, omnes in vestigio obstinati moriebantur: patefacta acie in orbem circumfusi, ad vnum omnes trucidantur. Fœdior tum in vrbe trucidatio fuit inermis, imbellisque turbæ, quorum aliqui semineces flammis absumpti sunt; quinquaginta illi iuuenes miserandis suorum cæde fatigati, cum armis medio se incendio iniecerunt. Sub id tempus Romanus irrupit, & tam luctuosi spectaculi spectator fuit, prædæ flagrantis particeps non fuit. Ita ciuitas tota & parricidia ciuibus, & hosti crudeli, qui miseros in eam desperationem adigebat, funditus periit.

Ciuium vrbs quoq vltro perimunt.

XVII. *Gaditana proditio in vita.* Per eos ipsos dies perfugæ à Gadibus venerunt, pollicentes se vrbem, Punicum præsidium cum suo duce, & classem Romanis prodituros. Mago ibi ex fuga substiterat, nauibusque in Oceano collectis, aliquantum auxiliorum ex vicinis locis, per Hannonem præfectum corraserat. Eo Martius cum expeditis cohortibus, & Lælius cum 7. triremibus, & vna quinqueremi est missus, vt terra marique communi consilio rem gererent. Martius cum Hannone ad Bætim fluuium congressus, eum non solum fudit, sed etiam castris exuit; ipse cum paucis persequentem equitem effugit. Lælius interim freto in Oceanū euectus, expectabat vt Gades sine certamine proditione caperet: sed patefacta est immatura proditio, comprehensosque omnes Mago Adherbali prætori, Carthaginē deuehedos tradit.

Terrestris pugna.

tradit. Adherbal conturatis in quinqueremem impositis, præmissaque ea, quia tardius quam triremis erat, ipse cum octo triremibus modico interuallo sequitur. Sed ijs Lælius superuenit, & cunctantem ad pugnam cogit. Vtriusque partis naues æstus affligebat, & vix quidquam suæ virtuti pugnantium, aut industriæ relinquebat. Lælius nihilominus duas triremes suppressit, vnius remos detersit, cum reliquis quinque Adherbal velis in Africam transmisit. Lælius & Martius ad Scipionem redierunt.

XVIII. Hæc dum ad fretum Gaditanum aguntur, Scipio Carthagine in grauem incidit morbum; quem cum grauiorem etiam fama fecisset, adeo vt plerique moribundum, aut etiam mortuum prædicarent, nec socij in fide manserunt, nec exercitus in officio potuit contineri. Mandonius & Indibilis regnum Hispaniæ, pulsis Carthaginiensibus affectantes, Lacetanis popularibus concitatis, & iuuentute Celtiberorum, socios populi Romani hostiliter populati sunt. Milites quoque ad Sucronem octo fere millia erant, vt præsidio essent ijs gentibus, quæ cis Iberum incolunt. Hi licentia ex otio collecta iam ferociores erant: inde nunciato morbo Imperatoris, imperium detrectare, Tribunis imperare, cuncta agere pro libidine, stipendia insolenter exigere. Denique etiam principes seditionis Imperij honore afficere, eisque fasces securesque attribuere. Zonaras ait Scipionem veniam per literas exercitui promisisse, quod rerum necessariarum penuria coacti, rebus nouis studuissent. quin & collaudasse eos, qui magistratum apud eos quasi consules gessissent, ne sine imperio grauius aliquid vel designarent, vel perpetrarentur. Cætera autem non parum à Polybio & Liuio diuersis narrat; quem autorem secutus, non habeo dicere. Illa certe eximiam quandam prudentiam Scipionis, atque humanitatem prædicant.

XIX. At cum paulo post, ait Liuius, non mors Scipionis, sed incolumitas nunciaretur, omnia illico refrixere; duces destituti, sua ipsi insignia, cum iusto timore imminentis supplicij, repudiarunt: præsertim cum septem tribuni à Scipione missi superuenissent, qui exasperatos animos placido sermone leniebant, stipendia quam primum numeratum iri pollicebantur. Et reuera missis quam primum ad stipendiarias ciuitates exactoribus, edictum subinde propositum est, vt ad stipendium petendum Carthaginem conuenirent, seu carptim partes, seu vniuersi mallent; maluerunt vniuersi, idque tutius videbatur ad spem veniæ: quam augebat Imperatoris humanitas, quæ cruentis hostibus ignouisset, cum sua seditio sine vulnere & sanguine fuisset. Impellebat etiam quod iam nemo erat aut ciuis aut externus, quo cum deinceps furorem suum consociarent. Nam vbi viuere ac valere Scipionem nunciatum est, Mandonius quoque & Indibilis, omisso incepto, in fines suos redierant. Quod à Polyb. l. 11. prætermissum est.

XX. Interea Carthagine cum Scipione sententijs certabatur, vtrum in autores seditionis tantum, qui fere 35. erant, animaduerteretur, an plurium supplicio vindicanda esset hæc siue seditio, siue defectio. Vicit mitior sententia, vt multitudo verborum castigatione puniretur, autores capite plecterentur. Concilio dimisso edicitur exercitui, qui Carthagine erat, expeditio in Mandonium & Indibilem, vt id actum in concilio crederetur, nec seditiosos metus auerteret: quos is nuncius valde recreauit, quod Imperatorem potius in potestate habituri viderentur, quam in eius ipsi essent potestate futuri. Tribuni quoque qui ad leniendam seditionem iuerant, obuiam exercitui missi, seditionis principes singuli quinos ad se perhumaniter inuitarunt ad hospitium, habentes in mandatis vt sopitos vino vincirent. Sub occasum solis vrbem ingressi sunt, exercitumque alterum parantem omnia ad iter viderunt: excepti sermonibus de industria compositis, lætum opportunumque aduentum eorum imperatori esse, quod sub ipsam profectionem alterius exercitus venissent, corpora curant. A tribunis sine vllo tumultu, autores seditionis per idoneos homines inducti in hospitia, comprehensi, ac vincti sunt.

XXI. Quarta vigilia impedimenta exercitus cuius simulabatur iter, proficisci cœpere; sub lucem signa mota, & ad portam retentum agmen, custodesque circa omnes portas missi, ne quis vrbe egrederetur. Vocari deinde ad concionem qui pridie venerant, feruntur in forum ad tribunal imperatoris, vt vltro territuri succlamationibus concurrunt. Simul & Imperator in tribunal conscendit, & reducti armati à portis inermi se concioni à tergo circumfuderunt, tum omnis ferocia concidit; accedente præsertim vultu Imperatoris, qualem ne in acie quidem meminerant. Seditque tacitus paulisper, donec nunciatum est deductos in forum seditionis autores, & parata iam omnia esse. Tum facto per præconem silentio, seuera oratione totam concionem non seditionis tantum, sed perfidiæ ac proditionis in patriam accusauit.

XXII. Vt finem dicendi fecit exercitus, qui corona concionem circumdederat gladijs ad scuta concrepuit; præconis audita vox, citantis nomina damnatorum in concilio: nudi in medium protrahebantur, & simul omnis apparatus supplicij expromebatur: deligati ad palum, virgisque cæsi, & securi percussi, adeo torpentibus metu qui aderant, vt non modo ferocior vox aduersus atrocitatem pœnæ, sed ne gemitus quidem exaudiretur. Tracti inde de medio omnes, purgatoque loco, citari milites nominatim apud tribunos militum in verba Scipionis iurarunt, stipendiumque ad nomen singulis persolutum est. Hunc exitum seditio militum cœpta apud Sucronem habuit. Eam Polybius quoque l. 11. recitat, nonnullis locis diuersam. Nam morbum Scipionis nullo modo causam facit seditionis; neque eius meminit nisi leuiter initio habitæ concionis, solam cessationem ab opere, & diuturnius otium in causa ponit. Feruciam in seditiosis nullam ostendit, sed mentem in omnibus futuri expectatione suspensam. Concio fere tota diuersa est, præter veniam multitudini datam.

XXIII. Cvm Mago, reditu Lælij & Martij ad Scipionem, respirare cœpisset, qui paulo ante ancipiti metu terra marique vrgebatur, cum Ilergetum defectionem accepisset, & militum seditionem, in spem recuperandæ Hispaniæ temere veniens, nuncios Carthaginem misit ad Senatum, omnia in maius extollens; & auxilia ad recuperandum acceptum à patribus Hispaniæ imperium postulans.

Mandonius & Indibilis in fines regressi quieuere paulisper, dum scirent quidnam de seditione statuerent, si ciuium errori ignosceretur, non diffidentes sibi quoque ignosci posse. At postquam vulgata est atrocitas supplicij, suam quoque noxam pari pœna æstimatam rati, vocatis rursus ad arma popularibus, contractisque quæ ante habuerant auxilijs, in Sedetanum agrum cum viginti millibus peditum, equitum duobus millibus & quingentis transcenderunt.

XXIV. Scipio ad eos proficiscitur præmissa oratione, qua sibi suos milites dudum noxios innoxiosque conciliat, & ad vltionem perfidorum Regulorum prædonumque accendit. Cum autem contra Hispanos pugnandum sit, cum solo Romano milite rem esse gestarum, vt omnes ratores legerent Romanos sua industria tum Pœnos, tum Hispanos vicisse: & decimis castris ad Iberum peruenit; inde superato amne, die quarto in conspectu hostium castra posuit. Atrox pugna fuit, hinc ira, inde metu ac desperatione pugnantibus, duæ partes exercitus quæ in valle pugnauerant, à Lælio equitatu circumuentæ, & post multam vtrimque cædem funditus deletæ sunt. Tertia pars, quæ in colle ad spectaculum magis tutum, quam ad partem pugnæ capessendam steterat, & locum & tempus ad fugiendum habuit. Inter eos & Reguli ipsi fugerunt, priusquam tota circumueniretur acies, inter tumultum elapsi. Castra cum tribus ferme hominum millibus, præter ceteram prædam in potestatem venerunt. Romani, socijque ad mille ducenti eo prælio ceciderunt, vulnerata amplius tria hominum millia, quod loci angustiæ hostem à fuga prohibuissent.

XXV. Indibilis abiectis belli consilijs, ad fidem & clementiam P. Scipionis confugiendum ratus, fratrem Mandonium ad eum supplicem mittit. Qui aduolutus genibus fatalem rabiem temporis eius accusat, qua non Ilergetes

modo, & Lacetani, sed castra quoque Romana insanierint: orate vt seruati bis ab eo, vitam pro eo in perpetuum deuouerant; antea in causa sua habuisse fiduciam, nondum experta clementia: nunc contra nulla in causa, omnem in misericordia victoris spem repositam habere.

Scipio multis inuectus in præsentem Mandonium, absentemque Indibilem, illos quidem ait maleficio suo merito perituros; victuros tamen suo, populique Romani beneficio. Ceterum neq; se eis, ex vetusto Romano more, arma adempturum, quippe ea pignora timentium rebellionem esse, neque se in obsides innoxios, sed in ipsos etiam armatos si defecerint sæuiturum. Vtramque fortunam expertis permittere se, vtrum propitios, an iratos Romanos habere mallent. Ita dimissus Mandonius, pecunia tantummodo imperata, ex qua stipendium militi præstari posset. Ipse Syllano Tarraconem remisso, Martiũ in vlteriorem Hispaniam præmittit, breuique subsequitur, vt fœdus cum Masanissa clam ineat.

Addit Masanissam.

XXVI. *Causa fœderis cum eo.* RES ante iam fuerat inchoata, varijsque de causis dilata, quod Masanissa coram ipse cum Scipione agere, atque eius dextra fidem sancire cuperet. Aliam refert causam defectionis Masanissæ Zonaras, quod scilicet Hasdrubal Gisgonis filius filiam suam Sophonistam ei prius desponsatam, abdicata eius affinitate, Syphaci in vxorem dedisset, vt eum à Romanis alienum redderet. Verum hac de re postea cum Liuio dicemus. Masanissa igitur à Marcio factus certior adesse Scipionem, causatus corrumpi equos inclusos in insula, Magonem perpulit vt se traijcere in continentem, ad depopulandos proximos Hispaniæ agros pateretur. Transgressus tres principes Numidarum præmittit, ad tempus, locumque colloquio statuendum, duos pro obsidibus retineri à Scipione iubet, remisso tertio, qui quo iussus esset adduceret Masanissam.

XXVII. *Colloquium vtriusque.* CVM paucis in colloquium venerunt; & ceperat quidem antea Numidam Scipionis ex rebus gestis admiratio, finxeratque animo speciem quoque corporis amplam atque magnificam, sed viri præsentia omnem vicit expectationem. Gratias de fratris filio remisso agit, cupere se illi, populoque Romano eam nauare operam, quam nemo alius in Africa, quod licet iamdudum optasset, in Hispania non potuisset; si eum ducem Romani in Africam mittant, satis sperare Carthaginem non diuturnam fore. Lætus eum Scipio vidit, audiuitque; quippe qui sciret Masanissam in Pœnorum equitatu caput rerum fuisse. Fideque data & accepta, Tarraconem reuersus est Scipio, Masanissa, ne sine causa traiecisse in continentem videretur, permissu Romanorum, populatus proximos agros Gadeijs redijt. Cæterum Polybius neque hoc fœdus cum Masanissa initum memorat, neq; veniam Indibili datam, quem ipse Andobalem vocat.

XXVIII. *Mago adit Annibalem in Italiam.* MAGONI paranti in Africam traijcere, desperatis in Hispania rebus, nunciatum Carthagine est, iubere Senatum, vt classem quam Gadibus haberet, in Italiam traijceret: conductaque ibi Gallorum, ac Ligurum, quanta maxima posset iuuentute, Annibali se coniungeret: ad eamque rem pecunia Magoni aduecta est, & ipse quantam potuit à Gaditanis extorsit, sacram, profanam, priuatam, atque publicam. Cum Hispaniæ oram præteruehere tur Carthaginem nouam frustra tentauit: cum ignominia & clade repulsus, retro ad Oceanum vnde venerat, euasit, Gadesque repetijt; sed inde exclusus, ad Cimbim, locum vicinum, classe appulsa, legatos mittit, quæritque quam ob causam amicum, sociumque exclusetint. Deinde eorum magistratu summo Sufferes vocant, ad colloquium euocato, laceratos verberibus cruci affigi iussit. At Gaditani post eius discessum se Romanis dedunt. Ille inde Pityusam profectus, quam Pœni tenebant, aucta restaurataque classe, ad Baleares pergit, (Gymnæsias vocat Zonaras) sed à maiore exclusus, minorem adijt, vbi ęgressus nauibus, loco munito castra locat: ac sine certamine vrbe agroque potitus, duobus millibus auxiliarium inde conscriptis, eos ad hybernandum Carthaginem mittit.

Frustra tentata noua Carthagine.

Excluditur Gadibus & Baleartica.

XXIX. HÆC in Hispania ductu auspicioque P. Scipionis gesta. Ipse L. Lentulo, & L. Manlio Acidino prouincia tradita, decem nauibus Romam rediјt. Aliter Polyb. Ait enim Iunio Syllano, & Martio exercitum tradidisse, & cũ C. Lælio, alijsque amicis Romam cum decem nauibus venisse. Zonaras ait veritum Senatum, ne successibus prosperis elatus regnum affectaret, duos ei successores dedisse. Vt Romã attigit, Senatu extra vrbem dato in Æde Bellonæ, quas res in Hispania gessisset disseruit, quoties signis collatis dimicasset, quot oppida ex hostibus vi cepisset, quas gentes in ditionem populi Rom. redegisset; aduersus 4. imperatores, aduersus 4. exercitus se in Hispaniã iuisse, neminem Carthaginiensem in ijs terris reliquisse. Ob has res magis tentata est triumphi spes, quam petita pertinaciter. Quia neminem ad eam diem triumphasse constabat, qui sine magistratu res gessisset.

P. Scipio Romam redit.

Cur non triumpharit.

Senatu misso vrbem est ingressus, argentique præ se in ærarium tulit 14. millia pondo 342. & signati argenti magnum numerum: id est, non numerato argento signato, 473. millia Francorum, & 286. siue 157. millia aureorum, & insuper 762. aureos. Quod si ita est, mirum est profecto, nuper ob stipendia non persoluta, in Romanis castris se ditionem fuisse excitatam. Nimirum de præda non soluebantur stipendia, sed de ciuitatum & prouinciarum tributis.

ANNVS MVNDI 3849. SEXTAE ÆTAtis 333. Imp. Græcorum 107. Antiochi Magni 20. Oniæ III. Pontif. 3. Ptol. Philopatoris & Philippi 16. Olymp. CXLIII. an. 4. Vrb. Cond. 548. Coss. P. Cornelio Scipione, & P. Licinio Crasso. Secundi belli Punici. 14.

ANNVS ANTE CHRISTVM 204.

COMITIA Consularia hoc quartodecimo anno Punici belli, Romæ maiore quam vlla per hoc bellum frequentia celebrata fuisse, author est Liuius lib. 28. Conuenerant vndiq; non suffragandi modo, sed etiam spectandi causa P. Scipionis, concurrebantque & domum frequentes, & in Capitolium ad sacrificantem, eumque animo sibi despondebant bellum hoc Punicum finiturum: & vt omni iam Hispania Pœnos pepulerat, ita & Italia eiecturum; Africamque ei, perinde ac si iam in Italia debellatum esset, Prouinciam destinabant. Ergo quartodecimo belli anno, ei extra sortem Prouincia Sicilia data est; ex qua scilicet in Africam facilis traiectus esset. Crasso Brutij dati sunt, quia cura sacrorum Pontificem maximum in Italia retinebat. A qua scilicet ei abesse non licebat, qui summam gerebat sacrorum præfectutam. Sub initum Consulatum Scipio Senatum habuit in Capitolio, eoque referente SC. factum est, vt quos ludos inter seditionem militarem in Hispania vouisset, ex ea pecunia faceret, quam ipse in ærarium intulisset. I. *Noui Coss. eorumque prouinciæ.*

Pontifex max.

TVM Saguntinos 10. legatos introduxit, qui S.P.Q.R. gratias agerent, pro acceptis beneficijs, eique debellatam Hispaniam, & Italiam gratularentur, & coronam auream Ioui præsidi Capitolinæ arcis dono darent, vt à populo Saguntino iussi fuerant. Excepti perhumaniter à Senatu legati, & verbis in eos, muneribusque beneuolentia prolixe demonstrata est. II. *Legatio Saguntinorum.*

Deinde cum de exercitibus & Prouincijs relatum esset, & Africam nouam prouinciam extra sortem P. Scipioni destinari, homines fama ferrent. Et ipse nulla iam modica gloria contentus, non ad gerendum modo bellum, sed ad finiendum diceret se Consulem declaratum esse; neque aliter finiri id posse, quam si ipse in Africam exercitum transportasset, & acturum se id per populum aperte ostenderet, si Senatus aduersaretur. *Deliberatio de Scipione Africam mittendo.*

ID consilium primoribus patrum non placebat. Itaque Fabius sententiam rogatus, longa oratione Scipionis cõsilium dissuasit, volens Italiam prius hoste purgari, quam armis Africam peti, & Annibalem in Italia potius vbi sit, III. *Fabius id dissuadet.*

Imperii Graecorvm 108.

tutandam vrbem relicto, cum quibus venerat copijs Messanam traiecit.

XI. *Pleminij legati improbitas, & sacrilegium.*

At Pleminius multa auare, crudeliter, flagitiose in ea vrbe perpetrauit, vt videri posset nõ armis solum Pœnos, sed vitijs etiam superare voluisse. Deinde etiam Proserpinæ sacros thesauros, omni ætate intactos cum sacrilege violassent, milites ducesque, in seipsos furore conuersi sunt. Pleminij miles rapto argenteo poculo ex oppidani domo fugiebat: sequentibus qui damnum passi erant, obuij fiunt Tribuni militum, qui poculum raptori ereptum dominis restituunt; hinc iurgium, & rixa, postremo pugna inter milites Pleminij & Tribunorum. Victi

Eius cum Tribunis dissensio.

Pleminij milites, cum ad eum, cruorem & vulnera ostentantes concurrissent, probra in eum iactata in iurgijs referentes, accensus ira domo se proripuit, vocatosq; Tribunos nudari, ac virgas expediri iubet. Quibus repugnantibus, & militum fidem implorantibus repente omnibus ex locis milites, proxima victoria feroces cõcurrunt, quasi ad arma conclamatum esset. Cumque iam violata Tribunorum corpora vidissent, in rabiem accensi, in

Militum in eum furor.

Pleminium legatum impetum faciunt, & lictoribus prius indignum in modum mulctatis, ipsum à suis interceptum hostiliter lacerant, & naso auribusque mutilatis prope exanguem relinquunt.

XII. *Scipio litem dirimit.*

His Messanam nunciatis, Scipio post paucos dies Locros hexeri aduectus, ea vox sex remorum nauem sonat, cum causam Pleminij & Tribunorum audisset, Pleminio noxa liberato, relictoque in eiusdem loci præsidio, Tribunos in vincula conijcit, vt Romam ad Senatum mitterentur. Inde Messanam, atque Syracusas redit. Pleminius

Pleminius crudeliter adversarios necat.

impotens iræ, neglectam à Scipione iniuriam suam, nimiumque leniter castigatam ratus, Tribunos attrahi ad se iussit, laceratosq; omnibus supplicijs, quæ pati corpus vllum potest, interfecit: nec satiatus viuorum pœna, insepultos proiecit. Simili crudelitate & in Locrensium principes est vsus, quos ad conquerendas iniurias ad Scipionem profectos audiuit, & scelera sceleribus impotentius accumulauit, vt non sibi modo infamiæ atque inuidiæ, sed etiam Imperatori esset. Cæterum hæc ipse non impune tulit, vt suo loco dicetur.

XIII. *Idaea mater Pessinunte petitur.*

Eodem tempore cum Romæ ex carmine Sibyllino intellectum esset, hostem alienigenam, Annibalem scilicet, ex Italia pelli, vincique posse, si mater Idæa Pessinunte Romam aduecta esset. Romani, quasi ea res vna belli finem remoraretur, celeriter splendidam quinque illustriũ virorum legationem in Asiam decernunt, ad Regem Attalum socium & amicum, propter commune bellum aduersus Philippum. Legatorum princeps erat M. Valerius Læuinus, qui bis Coss. fuerat, ac res in Græcia gesserat. Hi cum quinque nauibus quinqueremibus, ad conciliandam in terris quas adirent nomini Romano maiestatem, proficiscuntur; & ex itinere Delphos adeunt, & oraculum de sua legatione consulunt. Responsum ferunt, per Attalum regem, compotes eius fore quod quærerent; at cum Romam Deam deuexissent, tum curarent vt eam hospitio acciperet, qui Romæ vir optimus esset.

XIV. *Deuehitur Romam.*

Pergamvm ad Regem venerunt, ab eo comiter accepti, Pessinuntem in Phrygiam deducti sunt, sacrumque ijs lapidem, quem matrem Deûm incolæ esse dicebant, tradidit, ac deportare Romam iussit. Remissus ab legatis M. Valerius Falco, nunciauit deam apportari, quærendum esse virum optimum in ciuitate, qui eam rite hospitio acciperet. Interea creandis magistratibus opera data est.

Pax Antiochi cum Euthydemo.

De re in Græcia hoc anno gesta commodius proximo anno dicetur. Hoc autem videtur pax ab Antiocho Magno cum Euthydemo satrapa Bactrianorum composita. Nam cum Antiochus multo tempore Euthydemum de regno Bactrianorum deturbare frustra conatus esset, vt ait Polyb. lib. 11. Telea regis Antiochi legato interprete, pax inter vtrunque conciliata est; post cuius multa vltro citroque relata nuncia, tandem Euthydemus Demetrium filium suum, ad sanciendum fœdus misit. Cuius indole Rex cum esset delectatus, eumque adolescentem regno dignum, & propter speciem, & propter quandam maiestatem, quam in congressibus præ se ferebat, iudicasset, primo quidem vnam è suis filiabus se ei desponsurum promittit. Deinde eius Patri regij nominis vsurpandi fecit potestatem, fœderis conditiones scripsit, & societate iureiurando firmata, castra mouit, & Elephantos omnes, quos Euthydemus secum habebat, accepit. Superato Caucaso Indorum fines ingressus, amicitiam cum Sophagaseno rege renouauit; ibi quoque elephantos alios accepit, vt iam centum & quinquaginta haberet. Deinde exercitui frumentum mensus, copias cœpit reducere, Arachosiam inde ventum, vnde traiecto amni Erymantho, itinere per Drangianam habito, in Carmaniam venit. Sic fere Polyb. Hæc autem ante Ægyptiacæ expeditionis annum contigisse, ex eo confirmatur, quod subdit Polybius. *In ea prouincia* (Carmaniæ) *Rex, quia hyems iam appetebat, in hybernis copias collocauit*, quas videlicet in Ægyptum, ære mitescente deduceret.

Philopatoris vita et mors.

ANNVS MVNDI 3850. SEXTAE ÆTAtis 334. Imp. Græcorum 108. Antiochi Magni 21. Oniæ III. Pont. 4. Ptol Philopatoris 17. & vl. Philippi 17. Olymp. CXLIV. an 1. Vrb. Con. 549. Coss. M. Cornelio Cethego, & P. Sempronio Tuditano Secundi belli Punici. 15.

ANNVS ANTE CHRISTVM 203.

Mvltis temporum notis insignis est hic annus. In eum siquidem cadit mundanus Iubilæus ordine septuagesimus septimus. Annus item Sabbaticus centesimus octogesimus primus. Olympiadis quoque centesimæ quadragesimæ quartæ primus, qui Olympionicam habuit Heraclidem Salaminium. Eclipsis denique Solis, sub finem anni primi huius Olympiadis, Cethego & Tuditano Coss vt significat Liuius, cum agit de prodigijs, quæ Romæ hoc anno contigerunt: quam affirmat Buntingus 6. die Maij contigisse. Accedat & mors Ægyptij Philopatoris. Nam decimus septimus ac postremus agitur annus Ptolemæi Philopatoris, iuxta Eusebij ac Bedæ Chronologiam: quam confirmant Clemens Alexandrinus l. 1. Strom. Tertullianus l. aduersus Iudæos, vt habetur etiam apud D. Hieronym. in Danielem; quibus recentiores magno numero consentiunt. Epiphanius tamen l. de pond. ei dat vnum & 20. annos; sed nemo quem viderim, aut recentiorum aut veterum, eam chronologiam secutus est. I. *Ratio temporum, notaq; diuersa. Dan. c. 11. 11.*

II. *Turpis vita, obitusq; Philopatoris. l. 30.*

De Philopatoris porro flagitiosa vita, & morte, hæc habet Iustinus. *Deinde crescente licentia, iam nec parietibus Regia domus contineri meretricis Agathocleæ audacia potest; quam proteruiorem sociata cum Agathocle fratre ambitiosa pulchritudinis scorto quotidiana regis stupra faciebant. Accedebat & mater Oenanthe, quæ gemina sobolis illecebris deuinctum regem tenebat. Itaque non contentæ rege, iam etiam regnum possident; iam in publico visuntur, iam salutantur, iam comitantur. Agathocles regis lateri iunctus ciuitatem regebat; tribunatus, præfecturas, & ducatus mulieres ordinabant, nec quisquam in regno suo, minus quam ipse rex poterat: cum interim relicto quinquenni ex Eurydice sorore filio, moritur. Sed mors eius dum pecuniam regiam mulieres rapiunt, & imperium inita cum perditissimis societate occupare conantur, diu occultata fuit. Re tandem cognita, concursu multitudinis & Agathocles occiditur, & mulieres in vltionem Euridices patibulis suffiguntur.* Hæc Iustinus.

Quãdo mortuus sit Agathocles. in 11. Dan.

Verum Agathocles non tam cito mortuus est, & occupatione vtitur Iustinus. D. enim Hieronymus author est Antiochum Magnum & Philippum, inter se pace facta, aduersus Agathoclem & Ptolemæum Epiphanem dimicasse, vt suo loco dicetur. Non tamen vltra sequentem annum videtur vixisse Agathocles, vt ex Polybio ostendemus.

III.

Congrvvnt huic tempori, atq; anno interprete san-

Expeditio Antiochi in Ptolemæum, ex Daniele.

cto Hieronymo, quæ habet Daniel propheta cap. 11. *Et conuertetur rex Aquilonis, & præparabit multitudinem multo maiorem, quam prius, & in fine temporum annorumque veniet, properans cum exercitu magno, & opibus nimiis. Et in temporibus illis multi consurgent aduersum regem Austri.* Antiochum Magnum significat, ait Sanctus Hieronymus, qui contempta Ptolemæi Philopatoris ignauia, eo quod deperiret Agathocleam psalteriam: fratremque eius, & ipsum Agathoclem haberet concubinum: quem postea Ægypti ducem constituit, incredibilem de superioribus locis Babylonis exercitum congregauit. Et Ptolemæo Philopatore mortuo, aduersus filium eius, qui tunc quatuor annorum erat, & vocabatur Ptolemæus Epiphanes, rupto fœdere mouit exercitum. Sic ipse. Nimirum dum cogitur ingens ille exercitus, & ex superiore Asia in Ægyptum deducitur, moritur Philopator, & bellum quod in patrem parabatur erupit in filium.

IV. Explicatur prophetia.

VIDETVR autem alludere S. Hieronymus ad ea, quæ paulo ante ex Polybio dicebamus. Ex quo lux aliqua Prophetæ afferri potest. Nam conuersio illa regis Aquilonis, est reditus ex maiore Asia, & restauratio expeditionis in Ægyptum. Nam prius anno regni sui nono, & Philopatoris quinto in Ægypto pugnauit, & re infecta, victus potius quam victor abierat. In fine autem temporum annorumque, post 12. videlicet annos, quoniam hic est Antiochi vigesimus primus, & Philopatoris decimus septimus, eodem cum maioribus copiis reuersus est. Magnitudinem autem copiarum eius indicant non solum illi 150. Elephanti, quos anno præcedente ex Polybio recensuimus, sed illa quæ statim subiicit. Hunc habuit exitum suscepta ab Antiocho in superiores prouincias expeditio; cuius ille hunc fructum tulit, vt non solum illarum regionum superiorum satrapas imperio suo obtemperare cogeret, verum etiam vrbes maritimas, & omnes cis Taurum Dynastas. Postremo vt perculsis audacia eius, & naturitate vniuersis subditis, regnum non mediocriter stabiliret. Effecitque ea expeditione vt non solum Asiæ, verum etiam Europæ populis imperio dignus censeretur. Hæc ibi. Cum ergo tot tantisque prouinciis in superiore & inferiore Asia potiretur, facile ei fuit multitudinem, vt ait Hieronymus, incredibilem comparare: & multo maiorem, quam tunc cum Molone, Alexandro, Achæo, & si quibus aliis tyrannis premeretur.

V. Eiusdem loci expositio.

ILLA porro verba Danielis, in fine temporum annorumque, veniet, etsi recte explicari possunt, exacto tempore aliquot annorum, siue post annos aliquot, vt diximus cum communi expositione, non male tamen opinor, de fine annorum vitæ & regni Philopatoris explicabuntur, in quod tempus Antiochi expeditio cadit. Denique quod multos in regem Austri insurrecturos dicit, non solum innumerus populos Asianos intelligit, qui Antiocho Magno parebant, & domesticos qui in Ægypto sub Agathocle seditionibus vexabantur, vt ait hoc loco Hieron. sed etiam Europæos, qui suberant Philippo regi Macedonum. Nam hi duo reges pace facta, vt ait idem Hieron. aduersum Agathoclem & Ptolemæum ea conditione dimicaturi erant, vt proximas ciuitates regno suo, singuli de regno Ptolemæi iungerent.

VI. Tacita belli quædam pax inter Antiochum & Philippum.

HVIVS belli inter Antiochum & Philippum, videtur testis esse Liuius l. 32. vbi Senatus vocat Philippum communem hostem iam Antiocho quam populo Romano, pax tamen aperte facta non est, sed inuum occultum fœdus in perniciem Regni Ægypt. Ideoque Iustinus cum hanc rem attingit, non pacem vllam memorat, sed pactionem. Orabant, inquit, vt tuerentur regnum Ægypti, quod iam Philippum & Antiochum, facta inter se pactione, diuisisse dicebant. Et Liuius l. 31. de Philippo agens, animos ei faciebat, inquit, præter ferociam insitam, fœdus ictum cum Antiocho Rege Syriæ, diuisæque iam cum eo Ægypti opes, cui, morte audita Ptolemæi regis ambo imminebant. Sic Liuius. Polyb. etiam sub init. l. 3. Post hæc inquit, de Ægypti tumultu subiiciemus, quoue modo à morte Ptolemæi conspiratione inita, de relicti pupilli regno inter se diuidendo, qua dolis eum sint aggressi, qua armis trucidaverint; Philippus quidem Ægyptum & Cariam, Antiochus vero Syriam cauam & Phœnicem. Quæ autem ibi se explicaturum pollicetur, postea lib. 15. tractauit, ex quo nonnihil, de fragmento quod superest, paulo ante retulimus. Ad hæc porro concilia, Philippo vel causam vel opportunitatem dedit pax hoc anno cum Romanis inita, vt mox ex T. Liuio referemus.

VII. Noui Coss. creantur.

IAM appetebat Romæ comitiorum tempus, cum à P. Licinio Consule literæ Romam allatæ sunt, se exercitumque suum graui morbo afflictari; itaque quoniam venire ipse ad comitia non posset, si ita patribus videretur, se Q. Cæcilium Metellum Dictatorem comitiorum causa dicturum, eius exercitum dimitti posse, ac debere, quod alioqui vigente vi morbi, nemo omnium superfuturus videatur. Consensit Senatus; Cæcilius in Brutiis à Consule Dictator comitiorum causa dictus est: exercitus eius dimissus, L. Veturius Philo Magister eq. à Dictatore factus. Comitia per Dictatorem habita: Creati Coss. Cornelius Cethegus, & Sempronius Tuditanus absens, cum prouinciam Græciam haberet. Porro Liuius hunc annum 17. numerat, ex quo M. Claudius Marcellus primum Consul fuerat, qui fuit Vr. C. 531. ideoque intersectos tantum annos numerauit, vtroque extremo prætermisso, recte autem decimum quintum belli hunc annum vocat.

VIII. Philippus pacem init cum Ætolis.

NEGLECTÆ porro biennio res in Græcia à Romanis fuerunt. Itaque Philippus Ætolos ab eis desertos, quibus voluit conditionibus ad pacem subegit: quod nisi omni vi perficere maturasset, bellantem eum cum Ætolis oppressisset, P. Sempronius Proconsul, successor imperii missus Sulpicio, cum decem millibus peditum, & mille equitibus, & 35. rostratis nauibus, haud paruum momentum ad ferendam opem sociis. Vixdum pace facta nuncius Regi venit, Romanos Dyrrhachium venisse, Dymalum vrbem Illyriorum oppugnare, Ætolis iratos, quod sine autoritate sua aduersos fœdus cum Rege pacem fecissent. Ea cum audisset Philippus, ne qui motus maior in finitimis gentibus oriretur, magnis itineribus Apolloniam contendit, quo Sempronius se receperat, misso Lectorio legato cum parte copiarum, & 15. nauibus in Ætoliam, ad pacem si posset disturbandam.

Bellum Sempronium disturbare nequit.

IX. Quam mox generalem facit.

PHILIPPVS agros Apolloniatum vastauit, & ad vrbem admotis copiis, potestatem pugnæ Romano fecit, qui cum se quietus muris contineret, destitit ab oppugnatione Philippus, sine diffidens viribus, sine pacem cum Romanis aut certe inducias fieri posse sperans. Itaque nihil vlterius iritatis nouo certamine odiis, in regnum se recepit.

Cum omnibus vtrinque regibus ac populis.

PER idem tempus Epirotæ diutini belli tædio, tentata prius Romanorum voluntate, legatos de pace communi ad Philippum misere, eorumque persuasu Phœnicem Epiri vrbem venit. Ibi cum Sempronio collocutus est, paxque his conditionibus conuenit vt aliquot Illyrica oppida Romanorum essent. Eodem fœdere à Philippo rege sunt inclusi Prusias Bithyniæ Rex, Achæi, Bœoti, Thessali, Acarnanes, Epirotæ: ab Romanis Ilienses, Attalus Rex, Pleuratus, Nabis Lacedæmoniorum tyrannus, Elei, Messenii, Athenienses. Hæc conscripta consignataque sunt, & in duos menses induciæ factæ, donec Romam mitterentur legati, vt populus in has conditiones pacem iuberet. Iusserunt eam omnes tribus, quia verso in Africam bello, omnibus aliis bellis in præsentia leuari volebant. Nec minus Philippus res in Ægyptum ac Syriam cum Antiocho magno transigere festinabat.

Quæ Romæ confirmatur.

X. Scipioni imperium prorogatur.

SEMPRONIVS pace facta ad Consulatum Romam decessit, eique Brutii, ad bellum cum Annibale gerendum, obuenerunt. P. Scipioni cum eo exercitu, cumque ea classe quam habebat, imperium in annum prorogatum est; omnibus in eam spem in vrbe erectis, hoc anno in Africa debellatum iri, finemque bello Punico adesse, etsi aperte prouincia Africa ei decreta non esset.

Idæa mater Romam vehitur.

Consultatum est de matre Idæa accipienda, quæ Tarracinæ iam esse, quinquagesimo ab vrbe milliario nunciabant. Nec paruæ rei iudicium Senatum tenebat, qui

vir

P. Scipio Cn. fil. adolescens vir optimus.

vir optimus in ciuitate esset; quam victoriam quisque omnibus impetijs antesertet. P. Scipionem Cn. filium, eius qui in Hispania ceciderat, adolescentem nondum quæstorium, iudicauerunt in tota ciuitate virum optimum esse: quibus virtutibus inducti ita iudicauerint, memoriæ proditum non est. Is cum omnibus matronis Ostiam deæ obuiam ire iussus, cum nauis ad ostium amnis Tiberini accessisset, in salum naue euectus ab sacerdotibus deam accepit, extulitque in terram, & matronis sibi inuicem succedentibus ferendam dedit, omni ciuitate obuiam effusa, cum thuribulis accenso thure precantibus, vt volens propitiaque vrbem Romam intraret. In ædem victoriæ, quæ est in palatio, pridie Idus Aprilis deam pertulere.

XI. *Locrensium legatio, & querela.*

SEQVITVR Locrensium legatio, quæ ignotas in eam diem eorum clades vulgauit. Decem legati obsiti squalore & sordibus, in comitio sedentibus Coss. velamenta supplicum ramos oleæ, vt Græcis mos est, porrigentes, ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt. Quærentib. Coss. Locrenses se esse dixerunt, ea passos à Q. Pleminio legato, quæ pati ne Carthaginienses quidem velit populus Ro. orare vt sibi Patres adeundi, deplorandique ærumnas suas potestatem facerent. Quod cum grauissima oratione fecissent, & totum Senatum ira atque indignatione in Q. Pleminium incitassent, eiusque nonnulla pars in P. Scipionem vel negligentiam vel ambitionem aspergeret, quæsiuit ab eis Fabius detulissentne eas querelas ad P. Scipionem; idque legati affirmarunt, sed eum apparatu belli occupatum, minus operæ ei rei dare potuisse, Pleminij tamen quanta esset apud ipsum gratia expertos esse, cum inter eum & tribunos cognita causa, tribunos in vincula coniecerit, legatum, qui vtique in pari, aut maiori culpa esset, in ea potestate reliquerit.

XII. *Pleminij causa in Senatu agitatur.*

IVSSIS templo excedere legatis, multa in Pleminium, atque adeo in Scipionem iactari cœperunt, atque à Fabio in primis principe Senatus. Cuius sententia fuit placere Pleminium legatum vinctum Romam deportari, & ex vinculis causam dicere, ac si vera essent, quæ Locrenses queterentur, in carcere necari, bonaque eius publicari. P. Scipionem, quod iniussu Senatus prouincia decesserit, reuocari, agique cum tribunis pl. vt de imperio eius abrogando ferrent ad populum. Locrensibus coram Senatu respondere: quas iniurias sibi factas quererentur, neque Senatum, neque populum Romanum factas velle, viros bonos sociosque & amicos eos appellari, sua ipsis omnia restitui, imprimisque duplam pecuniam in Thesauris Proserpinæ reponi, sacrum piaculare fieri, milites omnes, qui Locris essent, in Siciliam transportari, 4. cohortes sociorum Latini nominis in præsidium Locros adduci.

Fabij in Scipionem sententia.

Et pro Locrensibus.

XIII. *De Scipione querela.*

PERROGARI eo die sententiæ non potuere, accensis pro Scipione, & aduersus Scipionem studijs, cuius in Sicilia mollem vitam, ac dissolutam militarem disciplinam nonnulli criminabantur. Postremo vicit Q. Metelli sententia, qui de cæteris Maximo assensus de Scipionis causa dissensit. Placuit enim M. Pomponium Prætorem, cui Prouincia Sicilia obuenisset, triduo proximo in prouinciam proficisci, Consules cum eo decem legatos ex Senatu legere, quos cum Prætore mitterent, & duos tribunos pleb. atque Ædilem: cum eo concilio Prætorem cognoscere, si ea quæ Locrenses facta quererentur, iussu aut voluntate P. Scipionis facta essent, vt eum de Prouincia decedere iuberent: sin comperissent, neque iussu, neque voluntate eius facta, vt in exercitu Scipio maneret, bellumque, vti proposuisset, gereret.

Metelli de eo sententia.

XIV. *Legati Senatus sententiã exequuntur.*

PRÆTOR legatique Locros profecti, primum religionis curam habuere, omnem enim sacram pecuniam, quæque apud Pleminium, quæque apud milites erat, conquisitam, cum ea quam ipsi secum attulerant, in thesauris reposuerunt, & piaculare sacrum fecere. Inde Locrensibus sua omnia restituerunt, cum libertate legibusque suis: qui cum gratias Prætori socijsque egissent, se cũ eo vt iubebantur, Rhegium ad accusandum Pleminium ituros. De Scipione pro certo se habere, neque iussu neque voluntate eius ea facinora perpetrata; sed aut Pleminio nimium, aut sibi parum fuisse creditum: quo dicto nõ mediocre onus Prætori, eiusque concilio de Scipione cognoscendi ademerunt. Pleminium, & ad duos & triginta cum eo homines damnauerunt, & in catenis Romam miserunt. Ipsi ad Scipionem profecti sunt, vt quæ de soluta disciplina ferebantur inspicerent.

Locri Scipionis purgant.

XV. *Legati Scipionis administrationem inspiciunt.*

VENIENTIBVS Syracusas, Scipio res non verba, ad purgandum se parauit, exercitum omnem eo conuenire, classem expediri iussit, tanquam dimicandum eo die terra marique cum Carthaginiensibus esset. Quæ cum à Prætore & legatis spectata essent; tum armamentaria, horrea, aliumque omnem belli apparatum inspexerunt, tanta cũ admiratione singulorum, vt crederent eo duce atque exercitu, vinci Carthaginiensem populum, aut nullo alio posse: proptereaque & dijs bene propitijs, quamprimum traijcere iuberent, se victoriam potius, quam belli magnificum apparatum Romæ nunciaturos. Itaque fecerunt, & sparsæ in eum calumniæ in maiorem eius gloriam redundarunt. Pleminius, cum ijs qui in eadem causa erant, exemplo ac Romam venerunt in carcerem condiri, ipseque Pleminius prius in vinculis mortuus est, quam iudicium de eo perficeretur. Scipio autem iussus est à Senatu primo quoque tempore, cum quibus copijs vellet traijcere, & quas vellet præsidio insulæ relinquere.

Ac valde probant.

Pleminij mors.

XVI. *Syphax à Scipione deficit.*

INTEREA Carthaginienses haud paruum tuendæ Africæ momentum adiecerunt Syphacis regis societatem, cuius maxime fiducia Scipionem traiecturum in Africam credebant. Cum enim Asdrubal Gisconis filius ad ius hospitij, quod cum eo rege habebat, & affinitatis vinculum, data ei in vxorem filia sua adiecisset, celebratis nuptijs inter aliam gratulationem, effecit vt publicum quoque fœdus priuato adijceretur, & societas inter Regem ac populum Carthaginiensem, deque habendis ijsdem amicis atque inimicis iureiurando firmaretur. Cæterum Asdrubal memor etiam cum Scipione initæ à Rege societatis, veritus ne si traijceret in Africam Scipio, paruum vinculum eæ nuptiæ essent, etiam blanditijs puellæ apud Syphacem perfecit, vt literas ad Scipionem daret, quibus eum à traiectione auerteret, seque pro Carthaginiensibus, quibus cum fœdus atq; affinitatem contraxisset, & pro terra Africa, in qua natus esset, necessario dimicaturum.

Fœdus init cum Pœnis.

Et Scipioni traiectionem dissuadet.

XVII. *Id Scipio dissimulat, & transfretat.*

PERCVLIT ea res Scipionem, & per literas Regem grauiter monuit, ne fœdus secum sancte initũ violaret. Cæterum quia neq; celari aduentus Numidarum poterat: neque è publica re erat euulgari veritatem, Scipio vocatis in concionem militibus, euocari se in Africam à Syphace dixit, vt nuper à Masinissa; mirarique eos tarditatem profectionis; itaque se primo die ad nauigandum idoneo, vela facturum. Itaque fecit: Copias omnes in Lilybæum coegit, vbi & delectum habuit, & omnia ad profectionem summo studio per se, perq; M. Pomponium in Sicilia prætorem, & C. Lælium classis præfectum, L. Scipionem fratrem, & M. Portium Catonem, præparauit. Cato autem, vt scribit Liuius l. 29. cum quæstor erat.

XVIII. *Cato maior an nunc Prætor esset.*

IPSE tamen apud Cic. de Senectute se his Consulibus Prætorem fuisse dicit, quod errore factum, vel amanuensium, vel annalium quos secutus sit M. Tullius, fere constare video, vt supra de Liuio Salinatore, pro Liuio Macato dictum est. Certe Liuius hoc anno Prætores 4. recenset (nec plures erant his temporibus; sex quippe primum creatos, Coss. Cn. Cornelio Cethego & Q. Minucio Rufo, autor est Liuius l. 32. qui est annus Vrb. Cond. 556.) Quatuor inquam recenset. M. Martium, cui Prætura vrbana tributa fuerit, L. Scribonium, cui peregrina, cum Gallia: M. Pomponium, & T. Claudium Neronem, quorum ille Siciliam hoc anno, iste Sardiniam administrauit. Adde quod eius Præturam Liuius l. 32. refert in Consulatum T. Quintij Flaminij, & Sex. Ælij Pæti: eique tum Sardiniam prouinciam obtigisse, sexto ab hinc anno, Vrbis 555. Itaque eum Ciceronis locum quidam ita emendauit. Cumque eo quartum Consule adolescentulus, miles ad

Prætorum numerus.

Capuam profectus sum, quintoque anno post ad Tarentum. Quæstor deinde, quem magistratum gessi Coss. Tuditano & Cethego, deinde Ædilis: quadriennio post factus sum Prætor, cùm admodum quidem ille senex, suasor legis Cinciæ de donis & muneribus fuit. Verum huic emendationi non parum efficit, huius legis suasio, quæ Prætore Catone fieri non potuit. Nam vt ex Liuio dicemus anno proximo, aut sub initium subsequẽtis mortuus est Fabius. Deinde ex eodem Liuio constat M. Cincium Alimentium, eius legis autorem vt apparet, his Coss. fuisse tribunum plebis. Itaque ad persanandum hunc locum oportebit illa verba, quæ de suasione legis sunt, anteponere Ædilitati, hoc modo; Quæstor deinde, quem magistratum gessi Coss. Tuditano & Cethego, cum admodum quidem ille senex suasor legis Cinciæ de donis & muneribus fuit; deinde Ædilis; quadriennio post factus sum Prætor. Sicque Cicero cum historia Liuij rectè consentiet.

Aut potius Quæstor.

Ciceronis locus emendatur.

XIX. *Classis Romana quanta traiecit in Africam.* NVMERVM copiarum, propter scriptorum diuersitatem, T. Liuius in dubio relinquit; ait tamen præter quinquaginta longas naues, quadringentia ferme onerarijs exercitum transuexisse, & quamuis multæ classes Romanæ è Sicilia, atque ipso illo portu antea profectæ essent, nullam tamen neque hoc bello, neque præcedenti profectionem tanti spectaculi fuisse, ad quod Siciliæ vniuersa confluxerat. Scipio è prætoria naue bene precatus, tuba signum proficiscendi dedit. Prosperaque nauigatione vsus, ad Pulchri promontorium appulit (Zonaras ad promontorium Apollinis appulisse ait) copiasque omnes in terram exposuit, & in proximis tumulis castra metatus, classem Vticam cum C. Lælio misit.

Poenorum metus. Magnum id terrorem attulit vniuersæ Africæ, Carthagini præsertim, in cuius caput vibrabatur hoc telum; quæ post M. Attilium Regulum, & L. Manlium Coss. nullum Romanum exercitum viderat, nisi quam forte prædatoriam manum, annis prope 50. vt ait Liuius, aut potius quinquaginta duobus. (Fuerunt enim hi Coss. an. V. C. 497. sed Regulus Q. Cædicio suffectus est; quem annum tam victoria, quam clade Romanorum, & captiuitate Reguli illustrem fuisse, suo loco diximus.

XX. *Equitum conflictus.* AVGEBAT metum, quod neminem ducem præter Asdrubalem habebant, quem Scipio toties in Hispania fuderat, nec exercitum nisi tumultuarium, quem Romano florentissimo opponerent. Itaque velut si vrbem aggressurus esset extemplo Scipio, ita ad arma conclamatum est, portæque raptim clausæ, & armati in muris, vigiliæque & stationes dispositæ. Proximo die quingenti equites ad mare progressi ad exscensionem prohibendam, in stationes Romanorum inciderunt: cum quibus inito certamine, Poeni aliqui in ipsa pugna, plures in fuga ceciderunt; in quibus eorum præfectus Hanno iuuenis nobilis. Scipio late vastatis agris, vrbem etiam satis opulentam occupauit, atque diripuit, vbi præter cætera, quæ extemplo in naues onerarias imposita erant, missaque in Siciliam, octo millia liberorum capitum, seruorumque sunt missa.

Equestre certamen cū cade ducis.

XXI. *Aduentus Masanissæ.* LÆTISSIMVS etiam initio rerum gerendarum Masanissæ aduentus fuit, cum ducentis equitibus: neque enim maiorem copiam eius tum fortunæ suppeditabat, quam fusius enarrat Liuius lib. 29. Carthaginienses altero equitatu per nouum delectum comparato, ei Hannonem filium Amilcaris præficiunt; inde Asdrubalem, & Syphacem, per nuncios & legatos accersunt, alterum opem ferre prope circumsessæ patriæ iubent, alterum orant, vt Carthagini ac vniuersæ Africæ subueniat. Hanno aucto equitum suorum ad 4. millia numero, cum Salecam vrbem occupasset, à Masanissa pertractus ad certamen, & vsque ad insidias à Romanis positas allectus, cum mille equitibus interfectus est, duo millia in fuga aut capta, aut interempta, in quibus ducentos Carthaginensium equites esse constabat. Zonaras hunc Hannonem Hasdrubalis filium vocat, nec occisum, sed redemptum, cum Masanissæ quippe matre permutatum. Eodem die naues, quæ alteram prædam in Siciliam auexerant, cum commeatu rediere, vt hanc secundam prædam efferent, quam copiosam, addita 7. dierum populatione remisit.

Alterū certamen equestre cū maiori cade, etiam ducis.

XXII. *Scipio Vticā frustra obsidione oppugnat.* INDE omissis populationibus Vticam expugnare aggressus est, eam deinceps belli sedem habiturus. Classe igitur eam mari cingit, terra castris, omnisque machinarum generis ad vrbem potiendam, tam ex Italia, quam nuper cum commeatu ex Sicilia aduecta præparat. Vticensibus spes in Carthagine, Carthagini in Asdrubale, Asdrubali in Syphace: sed desiderio indigentium auxilia cuncta tardius mouebantur. Asdrubal intentissima conquisitione cum ad 30. millia peditum, tria equitum effecisset, non tamen ante aduentum Syphacis castra propius hostem mouere ausus est. Syphax cum 50. millibus peditum, decem equitum aduenit: confestimque motis Carthagine castris, prope Vticam munitionesq; Romanas consedit. quorum aduẽtu Scipio cum 40. ferme dies omnia expertus, nequicquam Vticam obsedisset, inde abiens in idoneo ad hyemandum promontorio, castra vtrique exercitui tuta communiuit. Hæc in Africa ad extremum autumnum gesta.

Asdrubalis & Syphacis copiæ.

XXIII. *In Italia geritur cum Annibale prælium.* IN Italia vero, dum hæc in Africa geruntur, P. Sempronius Consul, cui Brutij prouincia erat, in agro Crotoniensi cum Annibale, in ipso itinere tumultuario prælio conflixit. Romani pulsi, & tumulto verius quam pugna de exercitu Consulis ad mille ducentos cecidere, reliqui trepide ad castra rediere. Proxima nocte consul, præmisso nuncio ad P. Licinium proconsulem, vt suas legiones admoueret, copias iunxit: ita duo duces cum duobus exercitibus ad Annibalem rediere. Nec mora dimicandi facta est, cum Consuli duplicatæ vires, Poeno recens victoria animos faceret. Consul ædem Fortunæ primigeniæ vouit, si eo die hostes fudisset, composque voti fuit, fusi ac fugati Poeni: supra quatuor millia armatorum cæsa, paulo minus trecentis viui capti, equi quadraginta, & vndecim militaria signa. Perculsus aduerso prælio Annibal, Crotonem exercitum abduxit.

XXIV. *Cornelius Hetruriam continet.* EODEM tempore M. Cornelius Consul, alteram partem Italiæ Hetruriam, totam ferme ad Magonem inclinantem, non tam armis, quam iudiciorum terrore continuit. Censores interim M. Liuius & C. Claudius Nero, dudum collegæ in consulatu, Senatum recitarunt; princeps iterum lectus Q. Fabius Maximus, notati septem; nemo tamen qui sella curuli sedisset. Vectigal etiam nouum ex salaria annona statuerunt. Id vectigal Liuij commentum populus credebat, populo irati, quod iniquo iudicio quondam damnatus esset, ideoque in pretio salis maxime onerasse ab eo tribus, quæ cum damnarant; viliori enim pretio Romæ, quam per totam vbique Italiam vendi à publicanis iusserunt; ideoque Salinatoris cognomen accepit.

XXV. *Censorum libertas.* CVM ab ijs equitum census ageretur, vterque Censorum collegam ignominiæ causa publicum equum vendere iussit; Nero Liuium, quia populi iudicio esset condemnatus; Liuius Neronem, duarum rerum causa, vnius quod falsum aduersum se testimonium dixisset; alterius quod non syncera fide secum in gratiam redijsset. Quatuor etiam & triginta tribus in Ærarios retulit, quod & innocentem se condemnassent, & condemnatum Consulem & Censorem fecissent; neque inficiari possent, aut iudicio semel, aut comitijs bis à se peccatum esse: solam tribum Metiam Ærariam non fecit, quod neque condemnasset, neque condemnatum, Consulem aut Censorem fecisset. Qua ille nota non tam ignominiam afferebat populo, vel damnum, quam animi sui dolorem & sensum prodebat. Decebat enim populus damnatum prius vt reum, honoratum postea, vt egregium ciuem & vtilem Reipublicæ.

M. Liuius 34. tribus facit ærarias.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3850.

Idque probabilius videtur, etsi non ignorem Eusebium in chronico ponere victum Philopatorem ab Antiocho, & Iudæam sibi sociasse Olympiad. 142. an. 2. parachronismo septem annorum: quo loco longius etiam à vero aberrat Emendator temporum, qui ad bellum

1. Reg. 11.

lum putat esse illud, quo Scopas ab Antiocho victus est, quod bellum Eusebius refert in vltimum annum Olympiadis centesimæ quadragesimæ quintæ, quatuordecim annorum parachronismo. Est autem error perspicuus, non enim Scopas pro Philopatore pugnauit, sed pro eius filio Epiphane. Nec potuit eo tempore bellum gerere contra Philopatorem, qui ad Bactrianos, & Indos tunc longinqua & diuturna bella gessit, vt mox ex Polybio l.11. referemus. Idque idem l.15. apertius docet. Quis mortalium inquit, non admiretur Antiochum & Philippum Ptolemæo, dum erat in viuis, paratos fuisse opem ferre: postea vero quam fato esset functus, pupillo relicto, cui suum conseruare regnum iure naturæ tenebantur mutuis hortatibus sese inuicem concitasse, vt diuiso inter sese pupilli imperio, ipsum tollere aggrederentur.

2.N.III. Huc faciunt quæ habet Appianus Alexandrinus init. l. de bellis Syriacis. *Antiochus*, inquit, *Seleuci* (Callinici) *filius, Antiochi* (Dei) *nepos, Syrorum, Babyloniorum, & cæterarum gentium Rex, sextus ab eo Seleuco, qui post Alexandrum in Asia circa Euphratem regnauerat*, numerato Seleuco Cerauno eius fratre, qui biennium regnauit, cui proxime successit hic Antiochus, de quo agimus, *aggressus Mediam & Parthiam cæterasque prouincias, quæ à progenitoribus eius defecerant, & post multas res gestas Magnus cognominatus; elatus tum successibus, tum cognomine Cœlesyriam, partemque Ciliciæ Ptolemæo Philopatori Aegypti regi, etiam tum puero violenter abstulit.* Sic ipse. Vtrique corrigendus in Ptolemæo, & pro Philopatore substituendus Epiphanes, qui tum erat infantulus, vt ex Iustino & Hieronymo diximus, & series rerum necessario exigit.

ANNVS MVNDI 3851. SEXTAE ÆTATIS 335. Imp. Græcorum 109. Antiochi Magni 22. Oniæ III. Pontif. 5. Ptolemæi Epiphanis 1. Philippi Maced. 18. Olym. CXLIV. an 2. Vr. Con. 550. Coss. Cneo Seruilio Cæpione, & C. Seruilio Nepote. Secun. Punici belli 16.

ANNVS ANTE CHRISTVM 202.

I. *Regnum Ptolemæi Epiphanis.* in c.11. Dan.

ÆGYPTI regno succedit hoc anno Ptolemæus Epiphanes, Philopatoris ex Eurydice sorore filius, ætate quinquennis, vt scribit Iustinus l.30. Agathocle regnū, sicut & viuo patre, administrante, vt ex D. Hieronymo dicebamus. Cum Antiochus & Philippus conspiratione facta, & neglecta filij infantia, sicut nuper Patris ignauia ac nequitia, bellum Ægypto inferunt. Ea re moti Alexandrini legatos Romam mittunt. Sed hanc legationem, vt arbitror, antecessit Tutorum regiorum cædes, aut expulsio; domesticis enim sublatis, ad externos respicere oportuit; de illa ergo primum dicamus.

Hoc primo anno Ptolemæi Epiph. mortuus videtur Agathocles, vnus de tutoribus eius, qui vt scribit lib.15. Polyb. à Philopatore cum omnium admiratione ad rerum administrationem acceptus est, quod ipse regendo suo regno parum esset idoneus, & similis simili gauderet. Verum Agathocles hac dignitate auctus, ac postea tempus accommodatissimum nactus, rege defuncto, conseruandæ suæ potentiæ, propter ignauiam & socordiam omnibus exosus, & rerum administrationem, & vitam breuissimo tempore amisit. Sic Polybius: ideoque non vltra hunc annum deferenda est mors eius, quam fusius eodem loco enarrat Polybius.

ἐν πάνυ βραχεῖ χρόνῳ.

II. *Seditio aduersum Agathoclem.*

SEDITIONEM scilicet intestinam exortam Alexandriæ, inter tutores regis, Agathoclem præsertim, & Tlepolemum. Agathoclem communi ciuium odio flagrasse; ideoque conuocatis primum Macedonibus, qui Alexandriæ præsidium habebant, eos cum infantulo rege, & Agathoclea sorore adijsse; & cum multis lachrymis ad eos dixisse. *Accipite hunc quem moriens pater isti quidem* (sororem simul ostendebat) *in vlnas tradidit, vestræ vero, viri Macedones, fidei permisit.* Deinde criminari cœpit Tlepolemum de ambita tyrannide. Quibus similia cum in alijs quoque cœtibus concionabundus diceret, ab omnibus contemptus est. Paulo post à Mocragene quodam initium seditioni datum, cum à tormentis miro modo nudus euasisset. Oenante quoque Agathoclis & Agathocleæ mater, mulieres in se concitauit, cum in Thesmophoris ad eam consolandam accessissent. Nam & conuitijs affecit, & minata est se adacturam eas, ad comedendos filios suos.

CVMQVE iam circa regiam omnis generis virorum ac mulierum seditio feruet, Agathocles cum suis ad Regem venit, & suam sortem conquestus, eius apprehensa manu, ad Syringem se cum eo abdidit, triplici portarum obice munitam. (est is locus porticus quædam in regia.) Primo aditu portatum à Macedonibus occupato, puerum cum conuitio efflagitant, & illum paratum tutela, honoribus, potentia cedere, reijciunt: & altero aditu patefacto, Regem sibi tradere cogunt. Acceptum Macedones in publicum educunt, & in Regio throno collocant, populo lætitia gestiente. Statimque produci iubent ad supplicium malorum authores Agathoclem cū suis. Iam in sua se illi hospitia receperant; dum autem queruntur, ad cædem incitatus est populus, qui adhuc ab ea temperauerat.

III. *Agathocles se cum rege abscondit.*

IV. *Populus ad cædem excitatur.*

QVIDAM enim Philo de ministris Agathoclis, plenus crapula in stadium exiuit, & populi motum animaduertens. *Si Agathocles*, inquit, *exierit, futurum est vt vos, sicut antea pœniteat.* Hæc qui audierant, alij differre hominem conuicijs, alij protrudere: conanti se defendere ab alijs laceratur vestis, ab alijs hastarum mucronibus configitur. Nec multo post adest Agathocles in vinculis, statimque confoditur, leuiore quam pro criminibus supplicio. Secundum hunc ductus est Nico, inde Agathoclea cum sororibus, ac dein vniuersa cognatio. Nouissima omnium Oenanthe, ex Thesmophorio auulsa, nuda, equo vecta in stadium inducta est. Quibus simul omnibus populo traditis, alij mordere, alij mucronibus configere, alij oculos eruere, & vt quisque illorum ceciderat, iacentis membra distrahebant, donec artus omnium detruncassent.

Cædes Philonis, & Agathoclis.

V. *Philammonis cædes cū tota familia.*

EODEM tempore puellæ, quæ cum Arsinoë fuerant educatæ, cum audissent aduenisse ante triduum Philammonem, cui reginæ occidendæ negotium commissum fuerat, in eius domum per vim irruperunt, Philammonem saxorum fustiumque ictibus occiderunt; filium ætate plane puerum strangularunt, vxorem nudam traxerunt in plateam, ibique trucidarunt. Et sic Agathocles cum tota cognatione perijt. Hæc pluribus Polybius: quibus non admodum consentiunt, quæ supra ex Iustini libro trigesimo retulimus; nisi quod vterque hæc in vltionem interfectæ Eurydices à rege, illecebris Agathocleæ, & propinquarum eius capto, contigisse significat. His de medio sublatis, cum Regis infantia tutoribus carere non posset, nec regnum eius propugnatoribus, Alexandrini vt dixi legatos Romam miserunt. vt inquit Iustinus, vt tutelam pupilli susciperent, tutarenturque regnum Ægypti, quod iam Philippum & Antiochum, facta inter se pactione diuisisse dicebant.

VI. *Romani sunt Tutores regū Ægypti.*

GRATA legatio Romanis fuit, causam belli quærentibus aduersus Philippum, qui insidiatus eis, temporibus belli Punici fuerat. Ita scribit Iustinus, quasi iam peracū esset secundum bellum Punicum, quod tamen sequenti tantum anno absolutum est, vt cum Tito Liuio dicemus; ex quo etiam retulimus pacem superiore anno à Sempronio factam, & à populo confirmatam. Alludit autem ad subsidium virorum, ac pecuniarum clam à Philippo Carthaginensibus in exitu huius anni summissum, de quo postea. Accedebat ad bellum optandum, quod vbi Pœni & Annibal superati essent, nullius magis arma Romani metuebant: reputantes quantum motum Pyrrhus parua manu Macedonum in Italia fecisset, quantasque res Macedones in Oriente gessissent.

VII. *Pro eo legatio mittitur.*

MITTVNTVR igitur legati, qui Antiocho & Philippo nuncient, vt à regno Ægypti abstineant: mittitur & M. Lepidus in Ægyptum, qui tutorio nomine regnum pupilli administret. Sed Lepidus non est missus pupilli tutor, nisi post biennium, absoluto iam bello Punico secundo. Lib. autem 31. de Antiocho distincte ac seorsim, sic ait. Mortuo Ptolemæo Philopatore rege Ægypti, contemptaque paruuli filij eius ætate, qui in spem etiam regni relictus, præda domesticis erat, Antiochus Rex Syriæ occupare Ægyptum statuit; itaq; Phœnicem, cæterasq; Syriæ quidem, sed iuris Ægypti ciuitates cū inuasisset,

uasisset, legatos ad eum Senatus mittit, qui denunciarent ei, abstineret regno pupilli, fidei suæ postremis patris precibus traditi. Quibus spretis interiecto tempore alia legatio superuenit &c. sed de ea legatione postea. Ex his autem apparet Antiochum Magnum Syriam sub initia regni sui fere receptam, atque mox amissam, hoc denique tempore plane recuperasse.

VIII. Ad hoc tempus pertinent illa Diui Hieronymi. *Pugnantibus contra se Magno Antiocho, & ducibus Ptolemæi, in medio Iudæa posita in contraria studia scindebatur, aliis Antiocho, aliis Ptolemæo fauentibus. Denique Onias sacerdos, assumptis Iudæorum plurimis, fugit in Ægyptum, & à Ptolemæo honorifice susceptus accepit eam regionem, quæ Heliopoleos vocabatur, & concedente rege templum extruxit &c.* Verum hæc templi constructio longe post contigit, sub Ptolemæo Philometore, Epiphanis huius successore, cum templum Hierosolymitanum ab Antiocho esset euersum, vt scribit Iosephus: idque sonuit illud *denique*, quo Hieronymus vtitur. Cætera quæ ex Diuo Hieronymo retulimus, sumpta ex Iosepho videntur. Antiocho Magno, inquit, in Asia regnante, in continua vexatione tam Iudæa fuit, quam Cœlesyria, quod eo bellum gerente cum Philopatore Ptolemæo, huiusque filio, qui Epiphanes cognominatus est, siue vinceret, siue vinceretur, male mulctarentur, non aliter quam nauis fluctibus vtrimque oppugnata, inter prosperam & aduersam Antiochi fortunam iactabantur. Tandem victor Antiochus Iudæam suæ ditioni adiecit. Defuncto vero Philopatore, filius eius magnum exercitum duce Scopa misit in Cœlesyriam &c. Ita Iosephus; sed hanc expeditionem Scopæ nulla temporis nota signauit. Eusebius in Chronico in sequentem annum refert; interim Romana videamus.

IX. *Nouus annus Coss.* Cvm comitiorum tempus appeteret, Cornelium Consulem ad ea habenda ex Hetruria acciri placuit; nihil quippe ibi belli erat, alter Annibali erat intentus. Creati sunt Cn. Seruilius Cæpio, & Cn. Seruilius Geminus, vtrumq; enim Cn. appellat Liuius, verum non posterior dicitur C. vt in fastis Capit. vbi hic C. non Geminus, sed Nepos appellatur. Et forte Gemini nomen adiectiuum est, eo quod vterque Consul diceretur Seruilius, & posterioris cognomen ignotum erat. Coss. cum de Republica, belloq;, ac prouincijs ad Senatum retulissent, erat is Punici belli annus sextus decimus, censuerunt Patres, vt Consules inter se compararent, sortirentúrue vter Brutios aduersus Annibalem, vter Hetruriam ac Ligures prouinciam haberet. Cui Brutij euenissent, exercitum à P. Sempronio ex consule acciperet. Is fuit Seruilius Cæpio. Sempronio nihilominus prorogatum est imperium, eique exercitus P. Licinij datus.

X. *P. Scipioni singulari modo prorogatur.* P. quoque Scipioni imperium, sed nouo modo prorogatum est. Nam cæteris in annos singulos, ipsi donec debellatum in Africa foret; decretumque vt supplicatio fieret, quod is in Africam prouinciam traiecisset, vt ea res salutaris populo Romano, ipsique duci, atque exercitui esset. Ex quo intelligitur, quam propensus esset in pietatem populus, si quidem veram in Deum pietatem nosse potuisset, vt qui non tam à viribus suis, ab Imperatore fortissimo, à lectissimis exercitibus, quam à superis victoriam expectaret. Et quoniam quam in regionem irruptura esset Carthaginensium classis ignorabat, Siciliam, Sardiniam, Italiæ oram, Hispaniam, tum nouis, tum veteribus legionibus, & classibus instruxit, præter duas legiones vrbanas, ad incerta belli. Viginti omnino legionibus, & centum sexaginta nauibus longis Romana res hoc anno gesta.

XI. Consvles Prætoresque in prouincias suas profecti sunt, omnes tamen Africæ curam gerebant, perinde ac si eis sortito contigisset; seu quia ibi summam rerum, bellique verti cernebant, seu vt Scipioni gratificarentur, in quem videbant omnem ciuitatem esse conuersam. Itaque ex Sardinia, Sicilia, Hispania eò vestimenta, arma, frumentum, & omne genus commeatus comportabantur. Nec Scipio vllo tempore hyemis, belli opera remiserat, quæ multa simul vndique eum circumstabant.

Vticam obsidebat, castra in conspectu Asdrubalis erant; Carthaginenses deduxerant naues, classem instructam ad excipiendos commeatus habebant: curam etiam reconciliandi Syphacis non dimiserat, si forte enim satietas vxoris nouæ cepisset. At Syphax, nisi pace inter Romanos & Pœnos inita, à fœdere suo non videbatur discessurus. Pacis autem eam conditionem proferebat, vt Romani Africa, Pœni Italia excederent, & quæ vtermis populus nunc possideret, ea deinceps retineret, vt addit Polybius. *Syphax pacem offert.*

XII. *Scipionis cum eo dissimulatio.* Eas conditiones Scipio primum vix auribus admisit. Postea vt causa probabilis suis foret commeandi in castra hostium, eaque cognoscendi, mollius eadem illa abnuere cœpit, ac spem facere sæpius vltro citroque agitantibus, rem conuenturam. Et retulerunt ad Scipionem sui, castra hostium magna ex parte non solum lignea esse, sed etiam storea atque arundine temere tectis obtegi: passim hostem nullo ordine, nonnullos occupatis pro arbitrio locis, extra fossam vallumque degere. Hæc spem fecerũt Scipioni castra hostium incendendi. Cum legatis quos mittebat ad Syphacem, calonum loco ementito habitu mittebat primos ordinum milites, qui aditus omnes, exitusque castrorum, formamq; curiosius inspicerent, moremque stationum ac vigiliarum, & quo tempore insidijs essent opportuniores.

XIII. *Explorat iterum castra hostium.* Cvm sæpius agitata res esset, misit Scipio legatos qui dicerent, prohibitos se reuerti, donec certum responsum ferrent. Dum consulitur Asdrubal ab Syphace & ab Asdrubale Carthaginenses, speculatores omnia visendi, Scipio omnia parandi, quæ animo versabat, tempus habuit: & spe pacis negligentius à Pœnis cauebatur, ne quid interea hostile paterentur. Tandem relatum responsum est. Eo porro iniquiores fiebant conditiones pacis, quod eam nimium Romani appetere videbantur: quod Scipioni causam tollendi inducias opportune dedit: negauit enim nuncio Regis, eas conditiones concilio probari; itaque nullam spem pacis superesse vt scilicet sublatis inducijs incepta exequeretur.

XIV. *Scipio Pœnorum castra incendere parat.* Iam veris principium erat, naues, quasi Vticam vt superiore anno oppugnaturus, deducit, tumulumque eundem vrbi imminentem occupat, vt longe ab eo, quod parabat, hostium animos abduceret, & simul vt eruptio ex vrbe in castra à se relicta impediretur, dum in aliena castra ipse grassaretur.

His paratis conuocato concilio, ab exploratoribus referri iubet, quæ comperta haberent, maximeque à Masinissa, cui omnia hostium comperta erant; postremo quid ipse pararet in proximam noctem exponit. Tribunis edicit, vt ligna sub occasum solis efferrentur, ad primam vigiliam agmen explicaretur: ita factum; media nocte ad hostium castra, quæ septem millibus aberant, modico gradu peruentum est. Ibi Lælio partem copiarum attribuit, ac Masinissam cum Numidis castris Syphacis ignes multis ex locis injicere imperat, & flammarum metu fugientes, vel ad restinguendum incendium accurrentes, ad omnes aditus, exitusque militibus collocatis obtruncare. Masinissam ac Lælium seorsim obtestatur, vt quantum nox prouidentiæ adimat, tantum cura ac diligentia expleant: se non prius in castris Punicis incendium excitaturum, quam vidisset regia conflagrare. *Castra Syphacis incenduntur.*

XV. *Et castra quoque Punica.* Itaqva ordine facta sunt omnia, & gemina castra, à gemino simul hoste, & vtroque improuiso, Romano scilicet milite, atque incendio absumpta sunt: duces tamen ambo, & ex tot millibus armatorum, duo peditum millia, & quingenti equites semiermes, magna pars saucij, afflatique incendio, effugerunt. Cæsa sunt, aut hausta flammis ad quadraginta hominum millia; capti supra sex millia, multi Carthaginensium nobiles, senatores vndecim, signa militaria 178. Equi Numidici supra duo millia septingenti; elephanti sex capti, octo flamma, ferroque absumpti, armorum vis magna Vulcano sacrata, incensa est. Hęc copiose lib. 30. Liuius, copiosius etiam Polyb. l. 14. ex quo Liuius accepit. *Magnitudo cladis visa.*

Asdrubal ex fuga cum paucis Afrorum vrbem proximã *Asdrub. fug.*

petierat, eoq; omnes qui supererant, vestigia ducis secuti, se contulerant. Metu deinde ne dederetur Scipioni, vrbe excessit, & mox eodem patentibus portis Romani accepti, nihil hostile admiserunt. Paulo tamen post duas alias captas diripuerunt, præda militi concessa. Syphax octo inde millium spatio loco munito consedit, Polybius Albam vocat Carthagini vicinam.

XVI. *Noua Pœnorum belli consilia.* ASDRVBAL Carthaginem contendit, ne quid per metum ex recenti clade mollius consuleretur. In Senatu trib. dictis sententijs, vna de pace legatos ad Scipionem decernebat, altera Annibalem ad tuendam ab externo bello patriam reuocabat, tertia Romanæ in aduersis rebus constantiæ exemplo, reparandum exercitum, Syphacemq; orandum ne bello absisteret, censebat. Hæc sententia propter Asdrubalis præsentiam, eiusque fautorum, quæ Barchina factio dicebatur, vicit. Polybius addit sententiam de classe mittenda aduersus eos, qui Vticam obsiderent, & de Vrbe ad tolerandam obsidionem paranda. De Syphace autem tacet, & addit cum plurimæ essent dictæ sententiæ, omnes quodammodo à Carthaginiensibus esse probatas: & alios statim in Italiam ad Annibalem profectos, alios ad naues, vt nauali prælio cum hostibus ab ea parte imparatis, certaretur, alios ad vrbem probe rebus omnibus communiendam. Sed redeamus ad Liuium, qui eadem, sed post alteram pugnam facta contendit.

XVII. *Redintegratur certamen.* INDE, inquit, delectus in vrbe agrisq; haberi cœptus, & ad Syphacem legati missi, quem vxor ad reparandum bellum, non solitis modo blanditijs, sed precibus ac lachrymis obtestans impulit, ne patrem suum patriamq; prodidisse videretur, & Carthaginem ijsdem flammis, quibus paulo ante castra ardere pateretur. Spem quoq; opportune oblatam afferebant legati, quatuor millia Celtiberorū circa Olbam in Hispania, à suis conquisitoribus mercede conductam. Denique paucis post diebus conuenere Syphax & Asdrubal, quorum totus exercitus triginta ferme millium armatorum fuit. Scipio qui, quasi iam debellatū esset, Vticæ expugnandæ machinas admouebat, ad nuncium redintegrati belli, certamen parat, aciem in magnos, qui vocantur campos ducit.

XVIII. *Scipio vincit.* IBI magnis animis viribusque, à sæpius iam victore exercitu pugnatum est. Syphax atque Asdrubal cito fusi fugatique sunt: quo autem minus ijs à Romano exercitu instaretur, Celtiberi causa fuerunt, quorum acies, licet vtrinque nudata fugitiuis, stabat, quod nec in fuga salus vlla ostendebatur, locis ignotis, neque spes veniæ à Scipione erat, quem bene meritum de se, & gente sua, mercenarijs armis in Africam oppugnatum venissent. Itaque circumfusi vndique hostibus, alij super alios cadentes, protracta ad noctem vsque pugna, tutam cæteris fugam præstiterunt. Postero die Scipio Lælium, Masanissamque cum omni Romano & Numidico equitatu, & militum expeditissimis, ad persequendos Syphacem, atq; Asdrubalem mittit.

XIX. *Scipio Tunetum castra occupat.* INTEREA Scipio grauem iam spolijs multarum vrbium exercitum trahens, captiuis, aliaque præda in vetera castra ad Vticam missis, iam in Carthaginem intentus, occupat Tunetum fuga custodum relictum, Carthagine duodecim millia passuum distans, vel centum viginti stadijs, vt habet Polybius. Is locus & natura sua, & opere militari munitus erat, quique & à Carthagine conspici, & præbere ipse prospectum, tum ad vrbem, tum ad mare vrbi circumfusum, potest. Inde, cum maxime vallum Romani iacerēt, conspecta est classis Punica, Vticam Carthagine petens.

Nauale ad Vticam prælium. Terruit ea res Scipionem, qui naues haberet non ad certamen nauale præparatas, sed tormentis & machinis ad vrbium oppugnationem instructas: & si classis hostilis celeritate vsa, impetum quamprimum fecisset in Romanorū naues, insigni haud dubie clade eos affecisset: nunc tot cladibus timidiores effecti, retardato conflictu, & præparata pro tempore classe à Scipione, vix quidquam damni acceperunt, excepta sex onerariarum iactura, quas harpagonibus correptas, rostratæ in portum Carthaginiensem, maiore quam pro re lætitia, pertraxere.

XX. *Pugnatur in Numidia Lælio & Masanissa.* LÆLIVS & Masanissa in Numidiam decimo quinto fere die peruenerunt, Masæsylam in regnum paternum, vt ad regem diu desideratum, læti concessere. Syphax, quem ægrum amore vxor socerque stimulabant, in vetere suo regno breui tempore magnas copias contraxit: magnæ enim erant regni multos iam annos florentis vires. Exercitum ad pugnam instruit, atque Romano more distribuit: varijs primo excursionibus pugnatum est, deinde ventum ad legitimum certamen, in quo Romanæ legionis stataria pugna Numidarum equitum procursiones fregit, & ad nouum pugnæ genus, pauefactos in fugam auertit. Ibi Syphax dum obequitat hostium turmis, si pudore, si periculo suo fugam suorum sistere posset, equo grauiter icto effusus opprimitur, capiturq; & viuus lætum ante omnes Masanissæ præbiturus spectaculum, ad Lælium attrahitur. *Syphax victus capitur.*

XXI. *Venitur ad vrbem Syphacis Cirtam. / Cirta ad urbem Syphacis ducitur.* CIRTA caput regni Syphacis erat: eo se ingens vis hominum ex fuga contulerat: cædes enim minor in eo prælio quam victoria fuit, quia equestri tantummodo prælio certatum fuerat. Non plus quinque millia hominum occisa, minus dimidium eius hominum captum est. Inde persuasit Lælio Masanissa, vt secum equitatu victoq; Syphace, Cirtam præcedere sinat, trepida omnia metu se oppressurum, Lælium cum peditibus modicis itineribus subsequi posse.

Quæ deditione capitur. Assentiente Lælio, apud Cirtam, ignaram adhuc Regi casus, & eorum quæ acta fuerant, nihil neque minis, neq; suasionibus ante valuit, quam Rex vinctus in conspectum datus est. Tum ad spectaculum tam miserum orta est cōploratio, & partim pauore mœnia sunt deserta, partim repentino consensu, gratiam apud victorem quærentium, patefactæ sunt portæ.

XXII. *Sophonisba fit uxor Masanissæ.* MASANISSA ad portas, & idonea loca posito præsidio, ad Regiam contendit. In ipso limine occurrit Sophonisba vxor Syphacis, & genibus eius aduoluta, per omnia sacra profanaq; orauit, vt ipse de captiua, quo modo placeret, statueret, neq; in cuiusquam Romani superbum ac crudele arbitrium venire sineret, sed ab eo, si nulla alia re posset, etiam morte liberaret. Forma erat insignis, & florentissima ætas, itaque data quamprimum dextera supplici, testis cōcessæ gratiæ. Deinde non in misericordiam modo prolapsus est animus victoris, sed amore captiuæ captus, non alia se ratione liberam posse efficere à Romanorum seueritate credidit, quam si eam sibi coniugio sociaret. Itaq; eodem die mulier ē regina, captiua, rursumque ex captiua regina facta est: eodem die & vxor & vidua, & iterum vxor, si tamen vxor, & non potius adultera facta est.

XXIII. *Syphax ad Scipionem adducitur.* FACTIS nuptijs superuenit Lælius, factumque vehementer improbauit, eamque, nisi victus Masanissæ precibus, toro geniali detractam, ad Scipionem misisset. Misso ergo interea Syphace rege, cum reliquis captiuis, cæteras vrbes Numidiæ, quæ præsidijs regijs tenebantur, adiuuante Masanissa recepit.

Syphacem in castra adduci cum esset nunciatum, omnis velut ad spectaculum triumphi, multitudo effusa est. Præcedebat ipse vinctus, sequebatur grex nobilium Numidarum, & cum multis circumstantium, de vtraque eius fortuna sermonibus, in prætorium ad Scipionem est perductus. *Cum exprobratione excipitur.* Quem etiam non parum ista fortunæ commutatio, & memoria hospitij veteris, datæque fidei commouit. Quærebat Scipio quid sibi voluisset, qui non solum societatem Romanam abiecisset, sed bellum insuper intulisset: ille non solum peccatum fateri, sed insaniam, culpam tamen in mulierem, à qua dementatus esset reijcere, à qua in eandem mox dementiam Masanissa, de hoste sponsus repente factus, dandus esset præcepe.

XXIV. *Scipio Masanissa abstrahit Sophonisbam.* EA res, quia probabilitate non carebat, commotus Scipio, cum aduenientes Lælium & Masanissam benigno vultu excepisset, & egregijs laudibus frequenti prætorio celebrasset, seductum Masanissam varie sermonibus versat, primum de præterita continentia laudat: deinde docet victo captoque Syphace pop. Rom. auspicijs, eum & omnia quæ ad ipsum pertinerent, iuris atque arbitrij Romani esse, etiam ipsam coniugem, quæ ciuis Carthaginensis sit, quæ filia imperatoris Carthaginis, quæ fax belli contra Romanos, quæ amicum ac fœderatum Romanis regem

alienasset, atque in arma præcipitem coegisset, itaq; Romam illam cum coniuge mitti oportere, vt Senatus, populiq; Ro. iudicio sistatur. Postremo hortatur, vt animum suum vincat, nec egregias eius virtutes vno incontinentiæ vitio deformet, ac perdat.

Masanissa fletus. Masanissæ hæc audienti non rubor solum suffusus, sed obortæ etiam lachrymæ. Et cum se quidem in potestate futurum Imperatoris dixisset, orauit eum vt quantum res sineret, fidei suæ temere mulieri obstrictæ consuleret, qui se in nullius eam potestatem traditurum spopondisset.

XXV. *Mittit Sophonisbæ venenum.* INDE in tabernaculum suum confusus concessit, & post multos gemitus, suspiriaque luctantis animi inter amorē mulieris, & Romanorum metum, fido seruo accito, in cuius custodia erat venenum, ad incerta fortunæ præparatū, mistum in poculo ferre ad Sophonisbam iubet, ac simul nunciare, Masanissam libenter ei primam fidem præstiturum fuisse, quam vir vxori debuerit. Quoniam arbitrium eius, qui possint, adimant, secundam fidem præstare, ne viua in potestatem Romanorum veniat. Memor patris Imperatoris, Patriæque, & duorum Regum quibus nupta fuisset, sibi ipsa consuleret.

Quod illa exhaurit. Hunc nuncium ac simul venenum ferens minister, cum ad Sophonisbam venisset. Accipio, inquit, nuptiale munus nec ingratum, si nihil maius vir vxori præstare potuit, hoc tamen nuncia melius me morituram fuisse, nisi in funere meo nupsissem. Nec locuta est ferocius, quam acceptum dirum poculum sine trepidatione hausit, & prætereius flagitijs hoc omnium teterrimum infelix adiunxit.

XXVI. *Tragica vitæ catastrophe.* TRAGICA plane vitæ mortisq; catastrophe, & theatro in mortalium institutionem non indigna, historia vtique tragica, in qua tot casus, commutationesque fortunæ agnoscas, tot tamque varios, in Masanissa, in Syphace, in Lælio & Scipione, in Sophonisba motus animorum, terroris, admirationis, amoris, inuidiæ, verecundiæ, timoris, & feriæ commiserationis, quot vix in ficta narratione reperiantur. In qua Sponsus dilectissimæ sponsæ venenum, sciens prudensque præbeat. Illa beneficij loco accipiat, volensq; exhauriat. Vbi hostis moratam repente fidem coniugis videat, eamque in hostis æmulis potestate non inuitam agnoscat, pro qua tantas clades perpessus sit. In qua amicus amico dilectissimam vxorem eripiat, & amicitia illibata perseuerante, ad mortifera in eam consilia compellat. Sed hæc poetis relinquamus.

XXVII. *Scipio Syphacem cum Lælio Romā mittit.* VBI nunciatus est Scipioni tam luctuosus casus, veritus ne ferox animi iuuenis, æger animo grauius aliquid in se consuleret, extemplo accitum, nunc consolatur, nunc leniter castigat, quod temeritatem alia temeritate luerit, tristioremque rem fecerit, quam necesse fuerit. Postero die vt à præsenti motu auerteret animum eius, concione aduocata in tribunal ascendit, & eum egregie laudatum, regio titulo ac vestitu insignibusque ornat, & in spem propinquam erigit, sublato Syphace omnis Numidiæ potiundæ. Lælium deinde, reliquosq; pro suo quemq; merito, muneribus donat. Inde C. Lælio cum Syphace, alijsq; captiuis Romam misso, cum quibus & Masanissæ legati profecti sunt, ipse rursum ad Tunetum castra refert, & quæ monimenta inchoauerat, permunijt.

XXVIII. *Pacem petunt Scipione ponunt.* CARTHAGINIENSES post famam victi captique Syphacis, in quo maiorem prope quam in Asdrubale spem posuerant, nullo autore belli vltra audito, oratores ad pacem petendam mittunt, triginta seniorum principes. Qui vbi in castra Romanorum, & Prætorium peruenerunt, adorantium more ex gentis suæ ritu procubuerunt. Polyb. lib. 15. *In concilium*, inquit, *non solum tellure adorata dijs libauerant, qui mos est etiam aliorum hominum, sed hoc amplius humili, atque abiecta animo in terram procubuerunt, & eorum qui in concilio erant pedes sunt exosculati, deinde se humo erexissent*, Conueniens oratio, inquit Liuius, tam humili adorationi fuit, non culpam purgantium, sed in Annibalem, eiusque fautores transferentium: veniam ciuitati petebant, quæ sua temeritate euersa, hostium beneficio futura esset incolumis, obedientiam imperantis spondebant.

XXIX. *Conditiones pacis proposita à Scipione.* SCIPIO ea se spe in Africam venisse ait, vt domum victoriam non pacem reportaret: tamen cum victoriam prope in manibus habeat, pacem non abnuere, eius leges se has dicere: Captiuos & perfugas, & fugitiuos sine precio restituant: Exercitus ex Italia & Gallia deducant, Hispania abstineant, Insulis omnibus, quæ inter Italiam & Africam sunt, decedant, naues longas, præter viginti, omnes tradant, tritici quinquaginta, hordei trecenta millia modiorum. Pecuniam quantam imperauerit, parum conuenit. Apud Polybium l. 15. quinque millia talentûm reperiuntur, alibi quinque millia pondo argenti: alibi duplex stipendium militibus imperatum inuenitur. His conditionibus pacem offert, & triduum ad deliberandum, si placuerit inducias fore, dum legati Romam ad Senatum mittantur.

XXX. *Admittuntur à Tarentin legati. Romā mittunt.* ITA dimissi Carthaginenses, cum nullas pacis conditiones recusandas duxissent, quippe qui moras téporis quærerent, dum Annibal in Africam traijceret, legatos alios ad Scipionem, qui inducias facerent, alios Romam ad pacem petendam mittunt.

Quid Romæ Lælius. Iam Lælius Romam cum Syphace, captiuisque nobilibus venerat, resque gestas cum magna omnium lætitia, & in futurum spe Senatui exposuerat. Masanissæ quoque legati, omnia quæ in dominum suum à Scipione collata essent probata à Senatu, confirmataque acceperant, captiuos insuper Numidas, libertate donatos habebant, in gratiam Masanissæ, inde sibi popularium beneuolentiam conciliaturo, & ipsi priuatim donis affecti fuerant, præter ea quæ regi Masanissæ delaturi erant, cum legatos Carthaginensium aduentare auditum est. Consultique patres Syphacem in custodiam Albam mittendum censuerunt, Lælium retinuerunt, dum legati Carthaginensium venirent. *Syphax in custodia.* Supplicatio in quatriduum decreta est.

XXXI. *Res in Liguria contra Magonem gesta. Romani q victorum cruenta.* EADEM æstate, qua hæc decreta Romæ, & in Africa gesta sunt, in Liguria à Quintilio Prætore, & Cornelio Proconsule bene gesta res est. In agro Insubrium Gallorum postquam diu victoria fluctuasset, turbatis denique, atque auersis telorum multitudine elephantis, hostes quoque turbati effusique sunt: sed donec stetit ante signa Mago, gradum sensim referentes ordines, tenorem pugnæ seruabant, posteaquam vero femore transfixo cedentem, auferrique ex prælio prope exanguem viderunt, extemplo in fugam conuersi sunt. Ad quinque millia hostiū eo die cæsa, & signa militaria duodeuiginti capta. Nec Romanis incruenta victoria fuit, duo millia & treceni de exercitu Prætoris, pars multo maxima ex legione 12. amissa, cum aliquot tribunis, & illustribus equitibus, qui ab elephantis obtriti perierunt.

XXXII. *Mago Carthaginem reuocatur. In mari moritur.* MAGO inde proximæ noctis silentio ad maritimos Ligures peruenit, Ibi eum legati Carthagine missi adierunt, iubentes primo quoq; tempore in Africam traijcere, idem & fratrem eius Annibalem facturum: nam ad eum quoq; iuisse legatos eadem iubentes.

Mago & suo, & patriæ periculo, & Senatus Imperio motus, impositis in naues copijs, vix dum superata Sardinia, ex vulnere moritur, naues dispersæ, à Romana classe, quæ erat circa Sardiniam capiuntur. Ijsdem forte diebus legati ad Annibalem eadem iubentes venere. Is frendens gemensque, ac vix lachrymis temperans, dicitur legatorum verba audisse, Senatumque incusasse, qui iampridem supplementum & pecuniam non misisset, *Reuocatur quoque Annibal.* suo reditu non tam Scipionem, quam aduersam sibi Hannonis factionem gauisuram, quæ Annibalis domum, quando alia re non potuerit, Carthaginis ruina oppressisset.

XXXIII. *Redit inuitus.* IAM hoc ipsum animo præsagiens præparauerat naues, & in speciem præsidij inutili turba nonnullis locis relicta: occisis quoque in Iunonis templo nonnullis Italici nominis, qui in Africam abire nolebant, quod reliquum erat roboris in nauem impositum in Africam transuexit, sæpe Italiæ littora respiciens, deos hominesq; accusans, se quoque ac suum caput execrans, quod non cruentum ab Cannensi victoria militem Romam duxisset.

Legati Pœnorū Romam veniunt. Interea Q. Fuluius Gillo, legatus Scipionis Carthaginenses Romam adduxit: quibus vetitis ingredi vrbem, hospitium in villa publica, Senatus ad ædem Bellonæ datus est. Orationem eandem fere quam apud Scipionem

habuere

habuere. Sententijs varie certatum est, cum alij inclinarent ad pacem, alij ea de re Scipionis ipsius sententiam accipiendam, sequendamque arbitrarentur. Alij speculatores non legatos venisse dicebant, omnia simulantes, dum noui duces cum suis copijs in Africam traiecissent. Id cum nonnullis indicijs cognitum esset, aut potius ex ingenio, & perfidia Punica creditum, legati pace infecta, ac prope sine responso dimissi.

Earum fraus agnoscitur. Nec quidquam impetrant.

XXXIV. *Tamen induciæ violant.* VERVM longe his diuersa scribit Polyb. l. 15. Ait enim populum Romanum pacis conditiones probasse, eaque de re Scipionem literas Roma paulo ante accepisse, quam induciæ nouo scelere à Carthaginiensibus violarentur. Per induciarum enim tempus, ex Sardinia à Lentulo Prætore centum onerariæ naues cum commeatu, & 20. rostratarum præsidio, tutò & ab hoste, & à mari, in Africam transmiserunt. At Cn. Octauio ex Sicilia cum maiore apparatu traijciente, & venti aduersi disiecere naues, & Carthaginenses in eas, quasi in legitimam prædam inuolarūt, cum nondum legati Roma reuertissent, nec sciretur quid Romæ actum esset. Misit Scipio legatos, qui fractas inducias, iniuriamque acceptam expostularent. At Pœni vix ab ijs manus continuerunt: quin & reuertentes in quinqueremi, tres quadriremes repente adortæ, eam propemodum oppresserunt.

XXXV. *Scipionis humanitas hosti laudata.* CVM ergo iam nō vno scelere bellum renouaretur, superuenere Roma legati, omnia hostilia nunciātes, vt Liuio placet. Apud eos questus Scipio de recentibus iniurijs, bellum parauit, nec acceptam in suis legatis iniuriam in alienis vlcisci voluit. Imo omni officij genere eos prosecutus est, vt Polybio placet: eoque facto, tum eorum qui Carthagine erant, tum ipsius Annibalis, quod Scipio Pœnorū amentiam virtute ac probitate sua superauerat, animos hoc facinore mirum in modum infregit. Annibal ad Leptim appulit classem, atque ibi copias exposuit, auersatus pro malo omine locum, cui Sepulchrum dirutum erat nomen.

Annibal appellit in Africam.

XXXVI. *Semina belli Romanorum in Græcia.* IN huius anni exitu legati sociarum vrbium ex Græcia questi sunt, vastatos agros à regijs præsidijs, missosque in Macedoniam legatos ad res repetendas, non admissos apud Philippum regem. Simul nunciarunt 4. mill. militum, cum Sopatre duce, in Africam traijcere, vt essent Carthaginensibus præsidio, & pecuniæ aliquantum vna missum. Senatus legatos misit, qui Regi nunciarent, hæc aduersus fœdus patribus facta videri: tres in eam legationem, cum totidem quinqueremibus missi.

Mors Q. Fabij. Sub huius anni extremum, aut certe sub initium sequētis Liuius 30. l. tradit mortuum fuisse Q. Fabium, re & nomine maximum, difficillimis Reip. Romanæ temporibus à diuina prouidentia concessum: ex quo intelligitur, quod supra notauimus, eum legem Cinciam de muneribus Catone Prætore non suasisse, cuius prætura toto hinc quadriennio disiuncta est, sed Quæstore.

ANNVS MVNDI 3852. SEXTÆ ÆTATIS 336. Imperij Græcorum 110. Antiochi Magni 23. Oniæ III. Pont. 6. Ptolemæi Epiphanis 2. Philippi Macedonum 19. Olymp. CXLIV. Ann. 2. Vrb. Cond. 551. Coss. M. Seruilio Gemino, & T. Claud. Nerone. Secun. Punici Belli 17. & vlt.

ANNVS ANTE CHRISTVM 201.

I. *Scopas dux Ptol. Epiph. vide a. m. 3187. n. 6. lib. 12. c. 3.* PTOLEMÆVS Epiphanes Scopa principe militiæ destinato Iudæam cæpit, & plurimas Syriæ ciuitates. Ita Eusebius in chronico hoc anno, quod videtur ex Iosepho, mutuatus. *Defuncto, inquit, Philopatore, filius eius magnum exercitum, duce Scopa misit in Cœlesyriam, qui & multas eius vrbes, & nostram gentem vi in potestatem suam redegit,* Hæc Iosephus, vtiq; ex Polyb. l. 16. quem citat in hæc verba. *Scopas copiarum Ptolemæi dux, ad mediterranea versus impetu, per hyemem Iudæorum gentem subegit.* Nec plura de his Polybius: quin ne hæc quidem ipsa extant apud Polybium, sed apud Iosephum tantum. Ciuitate Hierosolymorum, atque ipsa arce potitum esse, in eaque posuisse præsidium, intelligetur ex ijs, quæ post aliquot annos ab Antiocho, in recuperanda Iudæa, gesta sunt: quæ Euseb. in vlt. annum seq. Olymp. refert.

II. *Noui Coss. & eorum prouinciæ.* PRINCIPIO huius anni, cum de prouincijs à Coss. ad Senatum relatum esset, amboque Africam cuperent, Populus Scipionem in Africa bellum gerere iussit. Nihilominus cum voluntate patrum Italia, atque Africa in sortem coniectę essent. T. Claudio Africa euenit, decreuitq; Senatus, vt in Africam cum quinqueremium classe traijceret, patiq; imperio cum Scipione imperator esset. Sexdecim legionibus hoc anno imperium Romanum defensum est.

Dictatura cessat. Hoc quoq; anno creatus est Dictator comitiorum habendorum causa C. Seruilius Nepos, cum Magistro equitum P. Ælio Nepote: cessauitq; is magistratus Romæ per centum viginti annos, vsq; ad Syllæ Dictaturam, vt notauit Plut. in Sylla, & Paterculus l. 2. quod contigit anno V. C. 671. Porro hunc annum, quo pugna à Scipione contra Annibalem in Africa commissa est, Polyb. 17. belli huius vocat.

III. *Sollicitudo Romanorum pro Africano bello.* DISCESSVS Annibalis ex Italia, Romanos non exiguo liberauit metu, gaudioque affecit, sed quod nulla ratione cum eo terrore conferri posset, qui Rempublicam Romanam perculit, cum eum Alpes transgressum, in campestria Italiæ penetrasse auditum est, segnius quippe bona quam mala sentiuntur, vt recte dixit Liuius. At nunc cum Romę constaret eum incolumen exercitum in Africam traiecisse, & Fabium sapientem virum nuper mortuum dicere solitum, grauiorem in sua terra futurum hostem Annibalem, quam in aliena fuisset, magna vrbem sollicitudo tenuit, ne qua Scipionem in Africa, contra tantum Imperatorem pugnantem, clades affligeret, & pristina omnia decora pessumdaret. Nec minor formido Carthaginienses concutiebat, cum bis iam se acie victos, captum Syphacē, eiusq; viribus armatum contra se Masanissam animaduerterent. Deniq; ingenito quodam sensu Scipionem, velut fatalem ducem, in exitium suum natum horrebant.

IV. *Annibalis speculatores capti.* IAM Adrumetum peruenerat Annibal, vbi paucis diebus militem ex maritima iactatione refecerat, cum pauidis excitus nuncijs, omnia ad Carthaginem armis circumquaq; obtineri, magnis itineribus Zamam venit, inde præmittit speculatores ad castra hostium, qui cum excepti à custodibus Romanis ad Scipionem deducti essent, iussit eos à tribunis militum per omnia circumduci castra, & cūcta pro arbitrio explorare, indeq; tuto ad Annibalem remitti. Addit Polybius eis viaticum dedisse, δὺς ἐφόδια, quod Liuius, quia non probauit, prętermisit. Eutropius id interpretatus est, prandium. Zonaras ait tres missos fuisse, sed duos vltro apud Romanos mansisse. Et forte etiam contigerat eo die Masanissam cum sex millibus peditum, quatuor equitum in Romana castra peruenire: ea fiducia perculsus est Annibal vt qui non dubitaret eam magnis viribus esse nixam.

Masanissa aduentus.

V. *Pacē quærit à Romanis.* ITAQVE licet se causam belli huius esse intelligeret, & aduentu suo turbatas inducias, & spem fœderum: tamen æquiorem pacem ratus obtineri posse, si integer, quam si victus eam peteret. Nuncium ad Scipionem colloquii impetrandi causa misit, & obtinuit: destinatusq; est colloquio locus, ab omni insidiarum suspicione immunis, summoris pari spatio armatis, congressi sunt per interpretes potentissimorum populorum clarissimi duces.

Eius cū Scipione de ea colloquium. Qui colloquium expetierat Annibal, prior locutus, ad pacem Scipionis animum inclinare conatus est inconstātia fortunæ, vel Attilii Reguli, vel suo ipsius exemplo demonstrata. Conditiones pacis offert vt Sicilia, Sardinia, Hispania, Romanorum sint, & quidquid insularum toto inter Africam Italiamq; mari continetur, Carthaginienses Africæ littoribus inclusos fore. Excusat parum syncere petitam nuper pacem, aut parum fideliter obseruatas inducias, spondens se illius nunc mediatorem, atque interpretem, daturum operam vt sancte ac religiose obseruentur.

VI. *Ferociter Scipionis responsio.*

SCIPIO respuit has conditiones pacis, vt quę iniquiores sint Romanis, quam quæ proxime propositæ fuerant, antequam induciæ à Pœnis violarentur, ex quo fieret, vt perfidiæ suæ præmia se acquisisse iactaturi essent. Itaq; ad superiores conditiones, adijci vult mulctam nauium cum commeatu, per inducias expugnatarum, legatorumque violatorum, vt referat ad Concilium: alioqui bellū, inquit, parate, quoniam pacem pati nō potuistis. Polyb. l. 15. Quia igitur nostræ etiam orationis erit finis? Nimirum vt vos patriamq; vestram fidei nostræ permittatis, aut prælio dimicantes vincatis. Ita infecta pace ad suos ex colloquio se recipiunt: armis decernendum esse nunciant, itaq; arma, animosq; ad supremum certamen expediant, in quo agatur Romane an Carthago iura gentibus datura sit, victoriæ præmium orbem terrarum fore. Victis Romanis in alieno solo, nullum effugium expectari poterat, Carthagini supremo conatu in interitum effuso, certum excidium adesse videbatur. Sed interim tam læto erat vultu Scipio, tam erecto animo & corpore, vt iam vicisse videretur.

Paratur prælium.

VII. *Et decretorium certamen.*

POSTERA die vtrinq; à suo Imperatore scientissime acies instructa est. Annibal ad primum terrorem, octoginta elephantos, aut etiam plures, vt vult Polyb. instruxit, vt ab ijs turbatæ Romanæ legiones, irruentem insuper impressionem ferre non possent. Deinde auxilia Ligurum, Gallorum Balearibus, Maurisque admistis, qui cum & fugaces esse solerent, & mercede conducti, promtiores ad fugam futuri erant. Id ne facere eis liceret, & si nihil aliud, vulneribus suis hostile ferrum hebetarent. In secunda acie Afros, & Carthaginienses, quorum de re agerentur, collocauit, modico deinde interuallo relicto, subsidiariam aciem Italicorum militum, qui eum ex Brutijs, seu vi seu voluntate secuti erant, instruxit.

Dispositio aciei Punicæ.

Ac Romanæ.

At Scipio primos hastatos instituit, deinde principes, triarijs postremam aciem clausit: illud autem diligentissime prouidit, ne confertę vndique cohortes essent, sed manipuli aliquantum inter se distarent, vt esset spatium, quo elephanti hostium accepti, nihil ordines turbarent. Eaq; spacia velitibus compleuit, dato præcepto vt ad impetum elephātorum, aut in rectos ordines refugerent, aut in dextram leuamq; antesignanis se applicarent. Lælium cum Italico equitatu ab sinistro cornu, Masanissam Numidasq; à dextro opposuit.

VIII. *Pugnatur.*

A PRINCIPIO pugnæ turbæ, cornuaq́. à Romanis cecinerunt, tantusque sublatus clamor, vt Elephanti in suos Mauros ac Numidas, sinistro maxime cornu verterentur: quibus perculsis addidit terrorem Masanissa, nudauitque ab ea parte aciem equestri auxilio, paucæ tamen belluarū intrepidæ in hostem actæ sunt, sed in destinatas receptæ vias, vtrinque telis petitæ, ex acie Romana exactæ; in Carthaginiensium cornu dextrum effusæ, eos in fugam verterunt. Quibus Lælius terrorem etiam insequendo addidit. Iam ad aciem ipsam ventum erat, in qua Romanus impetu facto mercenariorum locum mouit, nec ei per secundam aciem, quæ in tergo erat, fugere licebat: vis tamen atq; impressio hostis maior fuit, quam vt ferri posset. In secundam se aciem recipiunt, eamque non solum turbant, sed etiam cædunt, quod ab ea excluderentur: ita Carthaginienses simul cum hostibus, & mercenarijs suis pugnare cogebantur.

Romani suo loco ...

IX. *Redintegratur certamē.*

DEINDE subductis ab imperatore voluntatis, qui primā impressionem fecerant, nouum certamen redintegratum est, quippe ad veros hostes peruentum erat, vel rerum gestarum gloria, vel spei & periculi magnitudine pares. Sed Romanus & numero superior erat, & animo, quod iam equites & elephantos fuderat, & prima acie pulsa, in secundam pugnabat. Vltimum ad victoriam momētum attulere Lælius & Masanissa, qui pulsos per aliquantum spatium equites secuti erant, reuertentes in auersam hostium aciem incurrere. Is demum impetus hostem, cum vtrimq; cæderetur, perculit, totis campis cædes & fuga late vagata est. Carthaginiensium, sociorumq; cæsa eo die supra 20. millia, par fere numerus captus est, cum signis militaribus 133. elephantis vndecim, victorum ad duo millia ceciderunt.

Dant terga ...

Magnitudo ...

TOTAM hanc pugnam haud dubie à Polybio mutuatus est Liuius: de numero cæsorum nonnulla est differentia. *Ceciderunt*, inquit, *Romanorum supra mille quingentos*. De captis autem signis vel elephantis tacet. Multa de hoc bello aliter tradit Zonaras: puta Annibalem populatum esse regnum Masanissæ, Masanissam de pace cum Scipione, non Annibalem esse collocutum, nihil impetrasse. Annibalem incommodo loco habuisse castra, & suos in fodiendis puteis tota nocte occupasse, eaque ærumna fatigatos, & sitientes ad pugnam à Scipione coactos fuisse. Deniq; & defectu Solis totius Pœnos esse conterritos: etenim deinde Annibalē cum equitatu suo in fugam actum, ac pene interfectum. Nam cum Massanissam, inquit, laxis habenis acerrime se persequentem vidisset, eius impetu nonnihil declinato, cursuque inhibito prætervectum à tergo adortus vulnerauit, itaq; cum paucis euasit. Hæc & alia id genus cum Zonaras narret, aliter quam ab Antiquioribus scripta legamus, satis apparet quibus maior debeatur fides: præsertim cum is nullum laudet autorem.

a *Evidenti ... Polybio & Zonara.*

XI. *Annibalis fuga Carthaginem ... Romanis agenda.*

ANNIBAL cum paucis equitibus inter tumultum elapsus, Adrumetum perfugit, sapientis Imperatoris laudem eo prælio ab ipso Scipione, & vice versa Scipio ab Annibale consecutus. Accitus Carthaginem, post sextum ac trigesimum annum, ex quo puer inde cum Patre discesserat, in curia fassus est se non solum prælio, sed etiam bello victum esse: nec spem salutis alibi, quam in pace impetranda esse.

Scipio confestim à prælio expugnatis hostium castris, direptisque, cum ingenti præda ad mare ac naues redijt. Eam prædam Eutropius æstimat hoc modo. Inuenta, inquit, in castris Annibalis argenti pondo 20. millia, (id est, 220000. aurei) auri octingenta pondo (id est, 8000) cum cætera supellectili copiosa. Interea nuncius affertur. P. Lentulum cum 50. rostratis, & centum onerarijs, cum omni genere commeatus Vticam peruenisse.

XII. *Carthaginē terra marique Scipio ...*

AD MOVENDVM igitur vndiq; terrorem perculsæ Carthagini Scipio ratus, misso Lælio Romam cum victoriæ nuncio, Cn. Octauium terrestri itinere ducere legiones Carthaginem iubet: ipse ad suam veterem, noua Lentuli classe adiuncta, profectus ab Vtica, portum Carthaginis petit, vt belli caput terra mariq; potens, terra mariq; quassatum prosterneret.

Pœni pacem ... petunt.

Haud procul aberat, cum velata infulis, ramisq; oleæ Carthaginiensium nauis occurrit. In qua decem erant legati principes ciuitatis ab Annibale missi, veniam à Scipione ac misericordiam implorantes, sed ij sine alio responso Tunetum venire iussi sunt.

XIII. *Syphacis copiæ a Romanis deletæ.*

INTEREA nuncius affertur Scipioni Verminam Syphacis filium, cum equitibus pluribus quam peditibus, venire auxilio Carthaginiensibus. Aduersus eum para exercitus, cum omni equitatu missa. Illa primum Numidas lenites fudit, deinde intercluſa fuga, à partibus omnibus circumfusi, perierunt telis obruti, gladijsque cæsi: ad quindecim hominum millia cæsa, mille & ducenti viui capti sunt, & equi Numidici mille & quingenti, signa militaria 72. Regulus ipse inter tumultum cum paucis effugit. Ea etiam clades spem omnem Pœnorum prostrauit. Huius Verminæ non meminit Polyb. l. 15. sed eius loco Tychæi cuiusdā, Syphacis familiaris, à quo Annibal, qui equitatu deficiebatur, & hunc didicerat vnum ex omnib. Afris aptissimos ad pugnam equos habere, petiit vt equestri auxilio Reip. Carthag. adesset, qua cadente res eius stare nō possent, imo & de vita eum à Masanissa periclitaturum. Ea re motus ille cum bis mille equitibus ad Annibalem venit, & quidem vt apparet ante confectam pugnam. Sed Liuius alios autores sequi maluit.

XIV. *Scipio non à ... abhorret.*

LEGATI Tunetum ad Scipionem venerunt 30. numer. & illi quidem multo miserabilius quam antea egerunt, sed minore cum misericordia, à recenti memoria perfidiæ, auditi sunt. Nec pacis spes omnis interclusa: etsi enim omnes in concilio iusta ira ad delendam Carthaginem stimulabat, tamen cū & longitudinē obsidionis vrbis munitissimæ animo reputarent, & ipsum Scipionem ille metus angeret, ne ipsi successor mitteretur, qui victoriam, & finiti bello

gloriam

gloriam suo periculo partam, sibi vendicaret, ad pacem omnium animi versi sunt.

Conditiones pacis matiores. Liu. l. 30. Postera die aduocatis legatis, & de perfidia vehementer increpitis, hæ pacis conditiones positæ sunt. Eas Polybius habet & Liuius eadem prope sententia, sed ille accuratius hoc modo. *Quas vrbes in Africa prius tenuissent, quam vltimum hoc bellum populo Ro. inferrent. Quos item agros antea possedissent, quæ pecora, aut quas alias facultates, omnia tenerent. Immunes ab omni damno hostili Carthaginienses ab eo die essent, vt liberi institutis legibusq; suis viuerent, neq; vllo præsidio tenerentur.* Et benigniores quidē cōditiones huiusmodi erāt, duriores aūt istæ.

XV. *Aliæ asperiores.* QVAECVNQVE per inducias Carthaginienses maleficio abstulissent, omnia Romanis restituerent: captiuos item & fugitiuos, sine vlla temporis præscriptione redderent. Naues longas omnes, præter decem triremes traderent, eadem lex de Elephantis esset. Bellum extra Africam nemini sam omnino inferrent, ac ne in Africa quidem vlli, iniussu populi Rom. Quas domos, agros, vrbes, aut quodcunq; aliud tenerent, quod Massanissæ fuerit, aut maiorum eius intra fines ipsis demonstrandos omnia Masanissæ redderent, frumentum exercitui, stipendiumq; auxilia præstarent, donec Romæ super conditionib. pacis responsum foret. Decem millia talentûm argenti, descripta pensionibus æquis, ducentum Euboicorum Talentum in annos quinquaginta soluerent, 1. Obsides fidei causa darent centum, *L. 30.* Appianus addit 50. quos recepturos Scipio pcomittit pace facta, quos Scipio è Carthaginiensium pube elegisset, ne minores 14. annis, neu 30. maiores. Hactenus conditiones pacis apud Polybium, Liuius omisit illa ducenta talenta Euboica, quorū annua solutione intra an. 50. tota summa 10000. talentorum exhauriretur. Nam quinquagies ducenta talenta, efficiunt decē mill. talentûm. Addit autem æstimata fuisse, quæ in nauibus Romanis tempore induciarum sublata fuerant à Carthag. 25. millia pondo argenti: valeut singula pondo 11. coronatis, tota summa efficit 275000. nummorum aureorū, quæ summa præsenti pecunia mox persoluta est.

XVI. *Annibal suadet admissionem.* HAS conditiones legati cum domum ferre iussi in concione ederent, & Gisco ad dissuadendam pacem processisset, audireturque à multitudine inquieta, eadem & imbelli, indignatus Annibal dici eam tali tempore audiriq; arreptum Gisconem manu sua ex superiore loco detraxit: quæ insueta liberæ ciuitati cum fremitum populi mouissent, excusans Annibal, Nouem, inquit, annorum à vobis profectus, post 36. an. redij, militares artes, quas me à puero fortuna nunc priuata, nunc publica docuit, probe scire videor, vrbis ac fori iura non didici. Excusata imprudentia de pace disseruit, eamq; hoc rerum statu nec iniquam, & *Polyb. maior 41. an.* necessariā cum ante paucos dies si quis eum earum interrogasset, vbi Romani vicissent, ecquid mali putarent patriam passuram, longe ijs acerbiora fuisse eos dicturi, imo ne dicere quidem potuissent, præ magnitudine malorum quæ animis obuersabantur, vt ait Polyb.

XVII. *Hoc statim à prælio aufugit.* LIVIVS addit quosdam scripsisse Annibalem ex acie ad mare peruenisse, inde præparata naue extemplo ad Antiochum esse profectum, postulantique ante omnia Scipioni, vt sibi Annibal traderetur, responsum esse Annibalem in Africa non esse. Scipio victor recedit, ait Eutropius, pene ipso Annibale capto, qui primum cum multis equitibus, deinde cum viginti, postremo cum 4. euasit. At hanc fugam posteriorem esse necesse est, si is in Carthaginiensi Senatu author fuit Senatui, populoq; Carthaginiensi, vt conditiones pacis admitterentur. Petitio vero Annibalis, etsi alioqui est valde probabilis, ex formula tamen pacis, quam edit Polyb. constat non esse veram. Induciæ Carthag. in tres menses datæ sunt, & additum ne per induciarum tempus, vsquam alio quam Rom. mitterent legatos: & si qui legati Carthag. venissent, nec inconsulto Rom. Imperatore dimitterentur.

Legati ex Africa Romam veniunt. CVM legatis Carthaginiensibus tres Romam Scipio misit, & in ijs Lucium fratrem, & L. Veturium Philonem, qui sub ipsa comitia consularia Romam peruenerunt, vt auctor est Liuius, ideoq; de ijs anno seq. dicemus.

XVIII. *Claudius Nero in Africam traiectu tempestate vexatur.* CAETERVM Romæ ad primum nuncium defectionis Carthaginiensium trepidatum fuerat; iussusque erat T. Claudius Consul mature in Siciliam classem ducere, atq; inde in Africam traijcere. At is segniter omnia confecit, eo quod Patres de pace Scipionis potius arbitrium esse, quibus legibus daretur, quam Consulis censuerant. Verum huius negligentiæ non exiguas pœnas dedit. Nam tempestate varie multumq; iactatus est, naues disiectæ, quassatæ, armamentis spoliatæ, quædam etiam fractæ sunt. Ita vexata ac lacerata classis Carales tenuit, (id oppidum Sardiniæ est, quod frequentius Calaris dicitur, in cognomine promontorio meridiano situm, quod Siciliam ab oriente respicit.) Vbi dum subductæ reficiuntur naues, hyems oppressit, circumactumque est anni tempus, & nullo prorogante imperiū, priuatus T. Claud. classem Rom. reduxit. *Mox Romam redit.*

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3853.

Iamdudum talenta Euboica 80. minarū, æstimata diximus 1400. Francis, ducenta ergo talenta Euboica, valent ducenta & octoginta millia francorum quæ in annos 50. ducta efficiunt omnino quatuordecim milliones francorum. Quibus si addas 25 millia pondo argenti, quæ præsenti pecunia persoluere coacti sunt, addenda erunt octingenta & 25 mill. francorum.

ANNVS MVNDI 3853. SEXTÆ ÆTATIS 336. Imperij Græcorum 111. Antiochi Magni 24. Oniæ III. Pont. 7. Ptolemæi Epiphanis 3. Philippi 20. Olymp. CXLIV. An 4. Vrb. Cond. 552. Coss. Cn. Cornelio Lentulo, & P. Aelio Pæto Punica Pax.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 200.

HVNC Punicæ pacis annum, ab inchoato bello 18. celebrat Liuius, eundemq́, quadragesimum à pace postremo facta, Q. Luctatio, & A. Manlio Coss. cuius initium tribus & viginti post annis factum sit, P. Cornelio, & T. Sempronio Coss. Denique hoc anno 18. finitum. Cn. Cornel. & P. Ælio Pæto Coss. quo acta Scipionis Romæ probata ac confirmata sunt: quæ omnia cum nostra Chronologia ad amussim conueniunt. Itaque corrigendus est Zonaras, qui hunc ann. 16. vocat, & Eutropius qui decimum nonum. Rursus cum Liuius initio lib. 31. numerat annos 63. à primo bello Punico ad secundum finitum, cum non oportet non numerare præsentem annum, qui nihil hostile habuit, qui est 64. quibus adde 488. qui primum bellum Punicū antecesserunt, & occurret præsens an. Vr. Cōd. 552. I. *Ratio temporis.*

M. SERVILIVS superiore anno Consul, cui Hetruria obuenerat, ne comitiorum causa ad vrbem reuocaretur, Dictatorem dixit C. Seruilium Geminum, is Magistrum eq. dixit P. Ælium Pætum. Sæpe comitia indicta perfici tempestates prohibuerunt, adeo vt præter Idus Martias veteres magistratus progressi fuerint, aut potius nondum creatis nouis, Resp. sine curulibus magistratus aliquandiu fuerit. Sub idem tempus legati Ro. cum Carthag. Rom. venerunt. Senatus ad ædem Bellonæ habitus est. Vbi L. Veturius Philo retulit supremam pugna cum Annibale, & Pœnis esse pugnatum, finemq; tandem lugubri bello impositum. Verminam quoq; Syphacis filium bello victum. Ea lætitia populo quoq; in concione communicata. Tum omnia in vrbe templa patefacta sunt, gratulationes vbique factæ, supplicationes in triduum decretæ. II. *Comitia Romæ tardiora.* *Legati ex Africa veniunt.* *Publica lætitia.*

LEGATIS Carthaginiensium, & Philippi regis, nam ij quoq; venerant, petentibus vt Senatus sibi daretur, responsum iussu Patrum à Dictatore est, Consules nouos eis Senatum daturos esse. Comitia inde habita, creati Coss. Cn. Cornelius Lentulus, & P. Ælius Pætus. De prouincijs Cōsulum nihil ante placebat agi, quam legati Philippi Regis, & Carthag. audiuissent, præsagientibus animis belli vnius finem, alterius principium fore. III. *Noui Coss. dant Senatum legatis.*

Priores introducti sunt Macedones, qui primo conati sunt purgare, quæ questi erant Roma missi legati de populatione sociorum: tum eos accusarunt, in primisq; M. Aurelium vnum de legatis, qui Macedonas bello contra fœdus lacessisset: postremo petebant vt Macedones, duxque eorum Sopater, qui apud Annibalē mercede militassent, captique in vinculis essent, sibi restituerentur. *Primi Macedonibus, auditi oratio.*

Ad quæ Furius pro Aurelio ex Macedonia missus respōdit, relictum in prouincia M. Aurelium, ne socij fessi populationibus, ad Philippum deficerent, finibus sociorum IV. *Responsio Romanorum.*

non excessisse, dedisse operam ne impune in agros eorum populatores transcenderent. Sopatrum ex propinquis Regis esse, cum, cum 4. millib. Macedonum & pecunia, missum nuper in Africam vt esset Annibali & Carthaginienfibus auxilio. De quibus rebus cũ rogati Macedones perplexe responderent, responsum acceperunt, Regem bellũ quærere, si pergat, propediem inuenturum, dupliciter ab eo fœdus violatum, & quod Socios populi Ro. iniurijs & damnis affecerit, & quod hostes Romanorum auxilijs & pecunia iuuerit. P. Scipionem recte fecisse, & facere, quod eos in vincula coniectos retineat, M. item Aurelium, qui Socios, quos fœdere tueri non possit, armis tueatur. Ita Macedones dimissi sunt. Nec Philippus propterea desijt bello vexare Athenienses, & populato agro, obsidionem parare, vt ex Liuio anno seq. patet.

V. *Legatorum Carthaginiensium oratio.* Inde Carthaginienses vocati, quorum ætatibus, dignitatibusq; conspectis, nam longe primi ciuitatis erant, tum pro se quisq; dicere, vere de pace agi, nihil vt pridem fictũ atq; simulatum. Insignis inter cæteros Asdrubal, qui semper pacis auctor fuerat, primum belli culpam à Rep. in paucorum cupiditatem transferebat. Deinde partim purgando crimina, partim fatendo, partim monendo P.C. vt reb. secundis modeste ac moderate vterentur, laudando etiam clementiam populi Rom. qui plus pene parcendo victis, quam vincendo imperium auxisset, effecit vt ad pacem omnium animi propenderent: præsertim cum ab alijs legatis damna, & luctuosus Carthaginiensis Reip. status exponeretur: tum Senatorũ vnum infestum perfidiæ Carthag. succlamasse ferunt. Per quos deos fœdus icturi essent, cũ eos per quos ante ictum esset fefellissent? Per eosdem, inquit Asdrubal, qui tam infesti sunt fœdera violantibus.

VI. *Senatus pop. Rom. pacem probat cum Pœnis.* Inclinatus omniũ ad pacẽ animis, Cn. Lentulus Coss. qui Africã cum classe petiturus erat, intercessit: itaq; re ad populũ euocata, pacẽ tribus oẽs iussere, & P. Scipionẽ victorem exercitum in vrbem deportare. Ex hac rogatione Senatus decreuit vt P. Scipio, ex 10. legatorum sententia, pacẽ cum populo Carth. quibus legibus ei videretur faceret. Gratias egere legati, tum etiam petiere vt vrbẽ ingredi, & suos captiuos inuisere liceret, orauerunt. Consensit Senatus vt in Africam deportarentur, & si pax conuenisset, Scipio eos sine precio Carthag. redderet. Ita dimissi legati, & pax in Africa cum Scipione perfecta est.

VII. *Executioni mandatur.* Naves longas, elephantos, perfugas, fugitiuos, captiuorum 4. mill. tradiderunt. Naues prouectas in altum Scipio, magno cum luctu ciuitatis, incendi iussit. De perfugis grauius, quam de fugitiuis consultũ. Latini nominis qui erãt, securi percussi. Romani in crucem sublati. Sæpe postea Scipionem dixisse ferunt T. Claudij primum cupiditatẽ, deinde Cn. Cornelij fuisse in mora, quo minus id bellũ exitio Carth. finiretur. Hi nimirum Scipionis æmuli, vt ex Liuio aperte constat gloriam suam ex alieno periculo ac labore captabant, quod prospiciens Scipio, maluerat pacem dare Carth. quam eam obsidere. Porro ex voluntate S.P.Q.R. Masanissam in omnia Syphacis bona, præter regnũ paternum immisit: legatos ad pacẽ confirmandã Romam misit.

VIII. *Magna cum gloria Scipio Romã venit. Coronat. Mors Syphacis.* Ipse terra mariq; parta pace, exercitu in naues imposito, in Siciliam Lilybæum traiecit. Inde magna parte militũ in nauibus missa, ipse per lætam pace, nõ minus quã victoria Italiam, non vrbibus modo effusis ad habendos honores, sed agrestium etiam turba obsidente vias, Romã peruenit, triumphoq; omniũ clarissimo vrbem est inuectus. In ærarium Rom. Scipio intulit argenti pondo centum millia, & 33. Syphax autẽ morte subtractus est spectaculo magis hominum, quam Triumphantis gloriæ, Tybure paulo ante mortuus. Mors tamen eius publice conspecta est, publicè quippe elatus Scipionis gloriã in pheretro celebrauit. Verũ Pol. ait, vt fatetur ipsemet Liuius, Syphacẽ in triumphũ à Scipione traductũ. Verba eius ex l. 16. hęc sunt. *Tunc etiam Syphax Masæsyliorũ Rex, cum captiuis per vrbẽ ductus est in triũpho, qui & post tempus aliquot in carcere diem supremum obijt.*

IX. *Triumphus Scipionis.* Huius triumphi speciem, & eius occasione cæterorum triumphantium, paucis describit Appianus in fine huius 2. belli Punici, quem incidisse ait in Olymp. 144. Nimirum exeuntem, quẽ locum placet lectori describere. *Scipio fœdere isto ex Africa totum exercitũ deportauit in Italiam, vrbemq; triũphans inijt, illustriore pompa quã vllus ante eam diem. Fuit autem eius forma, qua etiam nunc vtuntur, huiuscemodi. Coronantur vniuersi, præcedunt tubicines, & plaustra spolijs onusta. Traducuntur & captarum vrbiũ simulacra, & tabulæ quæ res gestas exprimant: deinde aurum argentumq; tam rude quã signatum, & siquid est huiusmodi præterea*, vt pictæ tabulæ, signa egregij operis, & materiæ, aliæq; principum virorum deliciæ. *Tum coronæ Imperatori ob virtutem datæ à ciuitatibus, aut socijs, aut ab ipso exercitu. Sequuntur deinceps boues candidi, post eos Elephanti: mox Pœnorum, Numidarumq; duces captiui.* Et hæc prima pars pompæ.

X. *Triumphus Romanorum.* Ipsum *Imperatorẽ præcedunt lictores paludati, & chorus cytharistarũ, ac satyrorũ Etrusco more cinctorũ, ornatorumq; coronis aureis: qui pariter ordine incedunt, cũ cantu & tripudio. Ludiones ipsi vocant, opinor quia Etrusci Lydorum coloni sunt. Horũ in medio quidã stolatus ac purpuratus, ornatusq; monilib. ac torquib. aureis, gesticulatur ad mouendum risum, tanquam insultans hostib. Sequuntur deinceps qui suffitũ faciunt. Mox ipse Imperator inuehitur curru picturato, redimitus gemmata corona aurea, amicitur autẽ toga clauata purpurea: manu gestat sceptrum eburneum, & virgam laureã, quæ apud Romanos signum est victoriæ. Vehuntur eodem curru pueri, virginesq;, & in iugalibus equis vtrinq; eadem ex gente adolescentes.* Et hæc altera est pars pompæ.

XI. *Tertia pars pompæ.* Iuxta *currũ & deincepi incedunt militiæ socij, scribæ, apparitores, armigeriq;. Sequuntur milites distincti per turmas ac centurias, laureati omnes, & fortissimus quisq; ornatus donis militaribus.* quibus ab imperatore, alijsve ducibus, honoris ergo, & in testimonium virtutis donatus fuerit. *Hi alios principes laudant, in alios cauillantur, quosdam vituperant. Est enim rex simplex triũphus, ac minime seuera & seria, in eo quippe magna est iocorũ licentia. Vbi vero Capitoliũ ascendit Scipio, finita pompa epulũ amicis ex more in templo præbuit.* Hæc fere Appianus, qui addit Masanissam, fretum Rom. amicitia, magnam sibi agri Carthag. partem vendicasse, & eorũ opera obtinuisse, moxq; cũ eis fœdus inijsse, quod per an. 50. durauit: disceptatio aũt cum Masanissa à Liuio ad 8. an. differtur. Primus hic Imperator nomine victæ à se gentis est nobilitatus, vt Africanus diceretur, siue id militaris primum fauor, siue popularis aura celebrauerit, nisi forte, sicut Felicis Syllæ, Magniq; Pompeij, ab assentatione familiari id nomen cœptum est. Id enim sibi parum compertum esse scribit Liu. l. 30. extremo, nec distinctius ab alijs relatum inueni. *Eutrop. Zonar.*

XII. *Exordia, & causa belli Macedonici.* Pacem Punicam bellum Macedonicum excepit, periculo haud quaquam comparandum, aut virtute ducis, aut militum robore, sed claritate regum antiquorũ, & magnitudine imperij prope nobilius. Cœptum hoc bellum decẽ ferme an. ante scribit Liuius, & triennio prius depositum, cum Ætoli & belli & pacis causæ fuissent, quæ pax facta est à P. Sempronio Proconsule, an. Vr. C. 549. Cæterum prius illud bellum à M. Valerio Læuino prætore gestum est, an. V.C. 539. ex quo hic an. 13. num. vt non sine causa illud (ferme) Liuius adiecerit: qui & belli huius occasionem refert, quod Romani, pace cum Pœnis facta vacarent, causam autem, quod Philippo infensi essent, cum ob infidam pacẽ, aduersus Ætolos, aliosq; eiusdem regionis socios, tum ob auxilia nuper cum pecunia in Africã Annibali missa, quo cũ ante an. 14. societatẽ inierat, an. Vr. C. 538. Accesserunt etiã preces Atheniensiũ, quos Philippus agro peruastato, in vrbẽ compulerat. Eorum legati Romæ hoc tẽpore querelas de Philippo referebant, & Ro. auxilium implorabãt. *Querela Atheniensium de Philippo.*

XIII. *Attali quoque & Rhodiorum.* Sub idem fere tẽpus & ab Attalo Rege, & Rhodijs legati venerunt, nunciantes Asiæ quoq; ciuitates solicitari. A Philippo nimirum vehementer affligebantur. Nam pręter Cianos perditos etiam Prinassum vrbẽ ad deditionẽ compulerat, dum fingit se ad duo iam murorum iugata sublicis suspendisse. Attalũ, & Rhodios nauali prælio ad Chiũ vicerat, & illo in fugam compulso, & horum Imperatore Theophilisco interfecto. Nec mirum esteodem tempore Philippum copias in Græcia & Asia habuisse. Nam Peloponnesus, cum tota pene Græcia, ei patebat, vt ait P. Sulpicius Galba in concione ad populum. His legationibus Romæ responsum est, curæ Senatui fore rem Asianam. Consultatio vero de bello Macedonico integra ad Coss. qui tunc in prælio cum Boijs erant, reiecta est. *Philippi potentia. Liuius l. 31.*

IMPERII GRÆCORVM AN. 112

XLV. Legati tur. . Ægypti . . . a Romanis.

INTERIM ad Ptolemæum Ægypti Regé legati tres missi, vt & Annibalem Pœnosq; victos regi nunciarent, & gratias agerent Regi, quod in rebus dubijs, cum finitimi etiam socij Rom. desererent, in fide mansisset, & peterent vt si coacti iniurijs bellum aduersus Philippum suscepissent, pristinum animum erga populum Ro. conseruaret. Legationem pro Rege puerulo in Aegypto suscipiebat, vt arbitror Sosibius, Sosibij filius, qui Remp. sub Philopatore bene gesserat. Eius autem filius, in tumultu quo cæsus est Agathocles cum suis, Regem Agathocli ereptum accepit, & approbationem illius cædis eliciuit, vt recitat Pol. l. 15. Cæterum legatos in Ægyptū missos Liuius nominat C. Claudium Neronem, M. Æmylium Lepidum, P. Sempronium Tuditanum. Nec est apud eum, aut Polyb. aut Appianum, vllum vestigium missi Lepidi, ad regnum pupilli tutoris nomine administrandum, quod asserit Iustinus: quod vt Romano populo valde gloriosum, minime prætermissurus erat Liuius; præsertim cum res inter Ægyptios & Romanos gestæ eius rei crebram mentionem requirant. Sed hac de re iam supra diximus.

Nō vt iutores essent.

XV. Res cū Boiis male gesta.

INTEREA P. Ælius Consul cum audisset, à Boijs ante suū aduentum incursiones in agros sociorum factas, duabus legionibus subitarijs, tumultus eius causa scriptis, additisq; ad eas 4. cohortib. de exercitu suo, C. Appium Præfectum socium hac manu, per Vmbriam agrum Boiorum inuadere iussit: sed is improuiso Gallorum impetu circumuentus, cum 7000. suorum interfectus est: pauci elapsi, rebus suis magna ex parte amissis, per inuios saltus, sine duce, nocte ad Consulem profecti sunt. Nec Consul, præter populationem hostici agri, memorabile quidquam gessit, nisi quod fœdus cum Ingaunis Liguribus fecit.

Lauinus in Macedoniā transmittit.

Romæ cum primum Consul Senatum habuit, exéplo de Philippo retulit. Decreuitq; frequens Senatus, vt P. Ælius Consul, quem videretur ei, cum imperio mitteret, qui classe accepta, quam ex Sicilia Cn. Octauius reduceret, in Macedoniam traijceret. M. Valer. Lęuinus Proprætor missus, cum 38. nauibus in Macedoniam transmit. Ad quem cum M. Aurelius legatus venisset, edocuissetq; eum quantos exercitus, quantum nauium numerum Rex comparasset, maiore conatu id bellum capessendum esse censuit, idemque Senatui per literas persuasit, ne idem auderet Philippus, quod Pyrrhus pridem ex minore regno ausus fuerat. Nec res vltra hoc anno progressa est.

Cum modicis copiis.

ANNVS MVNDI 3854. SEXTAE AETATIS 338. Imper. Græcorum 112. Antiochi Magni 25. Oniæ III. Pontif. 8. Ptol. Epiphanis 4. Philippi 21. Olymp. CXLV. An. 1. Vrb. Cond. 553. Coss. P. Sulpitio Galba. C. Aurelio Cotta Belli Macedonici I.

ANNVS ANTE CHRISTVM 199.

I. Ratio temporu.

REPVGNARE vtiq; videtur nobis Liuius, qui cum initium belli Macedonici, in hosce Consules conferat, vrbis tamen conditæ an. hunc vocat 540. Sic enim legunt Cuspin. & Glarean. Sigon Budæus, qui nobis est 553. atque adeo Sigonio, Gordono, Stephano Pighio, marmorib. capitolinis. Cuspiniano, Temporario, Casaubono, Heluico, Buntingo, Beroaldo, alijs. Verum erratum illapsum in numeros, ipsemet Liuius hoc ipso libro docere potest, qui, vt præcedēti an. diximus, 400. & 88. an. ab Vrbe condita numerat ante bellum primum Punicum, inde 63. ad finem 2. qui efficiunt 551. Adde his annum pacis initæ cum Pœnis, & præsentem, omnino efficies 553. Etsi Onuphrio, Glareano, Greillio, Caluisio, Functio, Capello, Emmio, est 554. quæ est differentia Palilium Varronis & Catonis. Fuit autem in Olympico puluere victor hoc anno Pyrrhias Ætolus. De hac porro Olympiade 145. ita scribit Pausanias. a Posthæc Olympiade 145. puerile institutum Pancrarium, in quo vicit Phœdimus Æolensis ex vrbe Troade.

418. 63. 1 1

553.

a l. 5. p. 335. græ.

II. De bello Philippico agitur in Senatu.

HIS ergo Coss. quod omnes consentiunt, bellum cum rege Philippo initum est, quod & Philippicum propterea dictum est, siue Macedonicum primum, paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam. Omnium primum eam rem Idibus Martijs, quo die tum Cōsulatus inibatur, P. Sulpicius Consul retulit, Senatusque per sacrificia diuinam de hoc bello voluntatem exquiri iussit. Renunciatū à Coss. precationi annuisse deos. Interea literæ Aurelij legati, & M. Valerij Læuini cum noua Atheniensium legatione venere, * quibus animi ad hoc bellum magis irritati sunt. Sententiam literarum iam ante in fine anni præced. retuli: legati nunciarunt Philippum appropinquare finib. suis, breuique non agros modo, sed vrbem etiam in ditione eius futuram, nisi quid in Romanis auxilij esset. Ijs gratiæ à Senatu actæ ob fidei cōstantiam, de auxilio autē tum responsum iri, cum Consules prouincias sortiti essent.

SVSCIPITVR BELL. MACEDONICVM.

III. Id bellū populus improbat.

OBVENIT Macedonia Sulpicio Galbæ, Aurelio Italia. Sulpitius rogationem ad populum promulgauit, Vellent, iuberent Philippo Regi, Macedonibusq;, qui sub regno eius essent, ob iniurias, armaq; illata socijs populi Romani bellum indici. Sed ea rogatio ab omnibus ferme centuriis antiquata est, siue id diuturnitate belli fessi, tędio laborum ac periculorum fecerunt, siue Q. Bædij tribuni plebis concionibus incitati, qui patres criminabatur, & incusabat quod bella ex bellis sererent, ne pace vnquam plebs frui posset. Id ægrè tulere Patres, & tum Tribunum pleb. in Senatu probris lacerārunt, tum pro se quisque Sulpicium hortati sunt, vt de integro comitia rogationi ferendæ ediceret, castigaret segnitiem populi, & quam esset id bellum necessarium saluti ac dignitati Reipublicæ edoceret.

IV. Galba Consulo ad concionem.

CONSVL in campo Martio comitijs habitis, priusquam centurias in suffragium mitteret, concione aduocata docuit non id agi, bellumne placeat gerere, an pace frui, sed bellumne contra Philippum gerere, translatis in Macedoniam legionibus, an hostem in Italiam admittere, quandoquidem ille bellum ingens contra Rom. terra mariq; moliatur, & iam pactus fuerat cum Annibale in Italiam traijcere, quando misso Valerio Læuino in Macedonia terētus est. Non admittendum idem crimen in Athenienses, quod in Saguntinos perpetratum est, ne inte Sociorum desertores audiant, & ille quinto die à deuictis Athenis in Italiam impetum faciat. Maiore quippe esse potentia Philippum quam Pyrrhum, qui totam Italiam aduenēn suo, armisque contremuit: qui si ingressus in eam fuerit, multos ad se populos qui deficiant habiturus sit, Lucanos, Brutios, Samnites. Adhuc in Italia Annibalem hæsurum fuisse, si piguisset in Africam bellum transferre. Satius esse Macedoniam bello adire, quam Italiam. Denique hanc esse patrum, & deorum annuentium voluntatem. Ite, inquit, in suffragium bene iuuantibus dijs, & quę patres censuerunt, vos iubete.

V. Quo bellum populo persuadet.

AB hac oratione in suffragium missi, bellum, vti Consul rogarat, Quirites iusserunt, rursumque Patres supplicationibus & votis diuinum auxilium, vt sibi videbantur, in bellum Macedonicum implorarunt, non exiguo religiosę pietatis argumento, etsi parum notant vnde diuinum petendum esset auxilium.

Quod legati a Ptolemæo rogant.

In ipso apparatu belli legati à rege Ptolemęo venerunt, nunciantes, Athenienses à rege suo auxiliū petijsse, ipsum, licet cōmunes socij sint, auxilium, si aliter Romanis videatur, non laturum, sed id Romanis permissurum. Siu minus placeat Romanis ferre Atheniensibus auxilium, eum missurum, quod facile Athenas aduersus Philippū tueri posset. Gratiæ Regi à Senatu actæ, responsumque, Romanis in animo esse tutari socios, si qua re ad id bellum opus fuerit, regi indicaturos. Munera deinde legatis data, quina millia æris in singulos, id est, centum franci Gallici æris, æstimatore Cenali.

VI. Insubres &c. Amilcare duce, Placētiā vastant.

OMNIVM animis in bellum Macedonicum versis, repēte Gallici tumultus fama exorta est. Insubres, Boij, Cenomani, Ligures, Amilcare Pœno duce, qui in iis locis de Asdrubalis exercitu substiterat, Placentiam inuasere, & direpta vrbe, ac per iram magna ex parte incensa, vix duobus millibus hominum inter incendia, ruinasque relictis, traiecto Pado ad Cremonam diripiendam perexere. Cre-

Cremona imminent. monẽses vicinæ vrbis ruina territi, L. Furium, qui pro Romanis circa ea loca, cum quinq; millibus sociorum versabatur, de suo periculo per legatos admonent. Ille ad Senatum rem defert, negatq; satis in suo exercitu præsidij esse, vel ad protegendam, & obsidione liberandam coloniam, vel ad hostilem exercitum delendum. Nisi forte quinque hominum millia, 40. hostium millibus trucidanda objicere velit: præsertim victoria, & excidio nobilis Romanæ coloniæ inflatis.

VII. *Auxilium paratur.* SENATVS his cognitis iubet C. Aurelium Consulẽ exercitum Hetruriæ destinatum Ariminum cogere, & eum eo, vel ipsum per se, vel per eundem L. Furium cum hoste confligere, & coloniam obsidione liberare.

Querela Carthagine deferuntur. Quæ dum parantur decreto Senatus mittuntur legati Carthaginem, qui Amilcarem nuncient Gallos ad arma conciuisse contra populum Romanum, fœdus violare, eũ, si pax placeat, reuocandum illis, & dedendum populo Rom. Simul nunciare iubentur, non omnes perfugas sibi redditos esse, magnam partẽ Carthagine obuersari palam, qui comprehendi conquirique debeant, vt sibi ex fœdere restituantur. *Eorum responsum.* Responsum à Carthaginiensibus est, nihil vltra se facere posse, quam vt eum exilio mulctarent, bonaq; publicarent: de perfugis misisse, quos potuissent inquirendo vestigare. Verum missuros Romam, qui ea de re Senatui satisfacerent. Ducenta millia modiûm tritici Romam, ducenta ad exercitum in Macedoniam miserunt non dono, vt arbitror, sed in solutionem annuorum talentûm Euboicorum.

VIII. *A L. Furio profligatur hostis.* VERVM Carthaginienses labore comprehendendi, & dedendi Amilcaris liberati sunt, vt qui mox in bello perierit. Cũ enim L. Furius magnis itineribus Arimino Cremonam, cum sibi assignato exercitu venisset, castra 1500. passuum interuallo ab hoste posuit: & occasio rei bene gerendæ fuit, si protinus ex itinere ad castra oppugnanda esset profectus, hostibus vage ad populationem, prædamq; dispersis. Verum Furius lassitudini militum timuit, raptim quippe agmen duxerat. Galli omissa præda castra extemplo repetiere. Postridie in aciem progressi sunt, nec Romanus moram pugnandi fecit, sed vix spatium instruendi fuit, eo cursu hostes in prælium venerunt. Nec minus ferociter pugnarunt. Etsi enim industriæ ac fortitudini Romanorum cesserunt, diu tamen anceps prælium fecere, vt L. Furius prætor suorum periculo vel præuiso, vel iam animaduerso, ædem vouerit Ioui, si eo die hostes fudisset. Fudit, fugauitque partem non exiguam, & factus est voti reus.

IX. *Magnitudo victoriæ.* MINVS sex millia hominum effugisse ait Liuius, cæsa & capta supra quinque & triginta millia, cum signis militaribus 70. carpentis Gallicis multa præda oneratis plus ducẽtis. Amilcar dux Pœnus eo prælio cecidit, & tres imperatores nobiles Gallorum. Zonaras negat Amilcarem mortuum, quippe quem & alijs deinceps prælijs non solum superstitem, sed etiam ducem facit, sed placet Liuium potius audire. Placentini captiui, ad duo millia liberorum capitũ redditi colonis. Romanorum sociorumq; ad duo millia cecidere, plurimi dextræ alæ, in quam primus hostium impetus incubuit. Quamquam autem à Prætore prope debellatum erat, Consul eam sibi gloriam vendicare cupiens (eius quippe erat exercitus, & maiore imperio potiebatur) profectus in Galliam victorem exercitum à Prætore accepit, iratus quod se absente rem gessisset. Ipse autem Gallico triumpho imminens, quem absente Consule irato, atque inuidente, facilius impetrari posse ratus, Ro. inopinato cũ venisset, & in æde Bellonæ Senatui exposuisset, quæ gesserat, acriter in vtramq; partẽ disputatũ est: vicit tamen Furius, quod Furiæ genti Gallica bella conficere fatale videretur. *Vide Liuiũ in 6 Lib.* Diminutus tamen triumphus fuit, cum neq; captiui vlli ante currum ducti fuerint, neq; spolia prælata, neque milites secuti: omnia præter victoriam penes Consulẽ esse apparebat. *Triumphat inuito Cõsule, & Senatu.* Triumphauit ergo de Gallis in magistratu L. Furius, inuito fere Senatu, siue quod alieno exercitu Aurelij Consulis rem gessisset, siue quod prouinciam auiditate triumphi reliquisset.

X. *Legati Romani ad Masanissam.* SED iam ad paulò superiora redeamus. Qui legati Carthaginem de Amilcare & perfugis missi sunt, ijdem in Numidiã ad Masanissam abire iussi, eidemq; gratulari, quod non patrium modo regnum recuperasset, sed parte florentissima, quæ Syphacis fuisset auxisset. Nunciare quoq; susceptum à Romanis bellum contra Philippum, eiusq; causas iustas atq; legitimas, & ad id conficiendũ equestre Numidarum auxilium petere, vicissimq; auxilia, ad firmandũ angendumq; regnum, si quid opus foret, prolixe polliceri. Dona denique regia conseruandæ augendæq; beneuolẽtiæ regi dare. *Equestre auxiliũ requirunt.* Masanissa duo millia equitum obtulit, in bellum Macedonicum, mille à legatis accepti sunt, quos in naues impositos in Græciam misit, cum ducentis millibus modiûm tritici, ducentis hordei.

XI. *Verminæ ad Senatum legati.* PER eos dies Verminæ filij Syphacis legati Senatũ adiere, excusantes errorem adolescentiamq; , & in fraudem Carthaginiensium, auertentes. Spondebant regem suum annixurum, ne officijs in populum Rom. aut à Masanissa, qui & ipse hostis pridem fuisset, aut ab vllo alio vinceretur: postulare: vt Rex & amicus, ac socius populi Ro. à Senatu nominetur. *Senatus responsum Senatus.* Responsum legatis est, & Patrem eius Syphacem sine causa ex socio & amico repente hostem populi Ro. factum, & eum ipsum rudimentum adolescentiæ bello lacessentẽ Romanos posuisse. Itaq; pacem illi prius petendam esse, quam ea nomina, quæ Senatus, nõ nisi bene de populo Ro. meritis principibus conferre consueuerit. Romanos legatos in Africa fore, à quibus leges pacis accipiat, quarum confirmationem sit postea à Senatu postulaturus. *Missi ad eũ legati.* Legati eum ijs mãdatis in Africam missi C. Terentius Varro Sp. Lucretius, & Cn. Octauius: qui delati in Numidiã beneuole à Vermina, ad primos regni fines obuiam progresso accepti sunt, & pacis legibus scriptis, eas Romam confirmandas ipse misit.

XII. *Sulpicius Consul ad Macedoniã.* P. SVLPICIVS Consul, secundum vota in Capitolia nũcupata, paludatus cum lictoribus profectus ab vrbe, Brũdusium venit: indeq; in Macedoniam traiecit. Ibi ei præsto fuere Atheniensium legati orantes, vt se obsidione eximeret. *Mittit Athenas copias.* Missus extemplo Athenas est C. Claudius Centho cum 20. longis nauibus, & militum copijs. Neq; enim Rex ipse Athenas obsidebat, eo quippe maxime tempore Abydum oppugnabat: iam cum Rhodijs & Attalo naualibus certaminibus, neutro fœliciter prælio vires expertus. Innuit his verbis Liuius eam pugnam, quam præcedente anno ex Polybio attigimus, in qua licet magna clade affectus sit (Macedones quippe circiter mille ducẽti perierant, socij nauales ad sex millia, viui capti tum Macedones tũ socij, circiter bis mille, Ægypti ad septingentos, cum magno numero nauium, cum pauci omnino ex Rhodijs & Attalicis desiderati fuissent, ex illis scilicet ad 60. ex his 70. vt scribit Polyb. l. 16. *Philippi nauale certamen, cruenta victoria.* victoriam tamen sibi attribuit, eo maxime titulo, quod Attalum in prælio longius ab suis nauib. incaute abductum persecutus, cõpulisset ad terram, eiusq; nauem prætoriam cepisset: etsi nunquam vno tempore neque terra neq; mari tantum virorum amisisset, vt idem ait.

XIII. *Abydeni deditionẽ offerunt Philippo.* IAM vero quod ad rem ad Abydũ gestam attinet, eam diligenter Pol. l. 16. explicauit, quam fas non est intactam relinquere. Ea vrbs est in Hellesponto in Asiæ littore, quã Philippus terra mariq; oppugnabat. Diu tulerant obsidionem oppidani, & mari facile irritam reddebant. At postquam à terra exteriore muro cuniculis subruto, Macedones ad interiorem, qui eius loco fuerat excitatus, appropinquatunt: oppidani legatos ad Philippum mittunt, petuntq; vt vrbẽ acciperet, milites à Rhodijs & Attalo præsidio missos data fide dimitteret, liberos homines sineret cum vestimentis quo placeret abire. Attalus trecentos tãtum milites in præsidium miserat; Rhodij quadriremem vnam ex classe, vt habet Liui. l. 31. Iubet contra Philippus oppidanos sibi omnia permittere, aut fortiter sese defendere. Ea res non solum in desperationem, sed in furorem etiam Abydenos egit.

XIV. *Abydenorũ desperatio.* ITAQVE se suaque omnia perdituri, primum seruos libertate donant; vt eos ad exequenda consilia habeant obsequentes, deinde matronas omnes in templo Dianæ congregant, infantes cum nutricibus in Gymnasio, aurum

omne

omne & argentum in forum deferunt, pretiosam vestem in quadriremem Rhodiam, & triremem Cyzicenam. E senioribus quinquaginta deligunt, eo robore tamen præditos, qui possent exequi quod mandaretur. Hi coram vniuersis ciuibus iureiurando adacti sunt, vbi interiorem murum ab hoste occupatum viderent, infantes & coniuges interficere, naues modo dictas incendere, argentum & aurum, sicut decreuissent in mare proijcere. Secundum hæc, præeuntibus sacerdotibus iurarunt omnes, aut hostem superaturos se, aut in pugna pro patria mortem oppetituros. Ita deinceps negligunt cuniculis cuniculos hostium irritos reddere, certi ad ruinam murorum contra irrumpentem hostem in vestigio occumbere. Nec aliter fecere.

XV. Etiamdum pugnant strenue.

COLLAPSO interiore muro, militaris ætas ruinis insistens, tam ferox in hostem fuit, vt Philippus, qui fessis Macedonibus recentes subinde ad noctem vsque submittebat, à pugna tandem destiterit, de exitu totius incepti pene desperans. Nam illi non solum cum gladijs, & hastis, super suorum, & Macedonum aceruos pugnabant, & intolerabiles reddebantur, sed etiam si quem arma fracta defecissent, tum fragmentis ipsis pugnabant, tum telarum mora inuertentes arma hostibus eripiebant, & negligentes sui, quacumque parte poterant, eos impetu facto confodiebant. Donec nox prælium diremit: eademque aliquibus meliorem mentem dedit, statuerunt enim liberis ac coniugibus vitam seruare, & prima luce sacerdotes vtriusque sexus ad Philippum mittere, qui vrbem illi tradentes, vltimum durata ad exitium deprecarentur.

XVI. Quod Polyb. ... reprehendat. ...

Id factum Polybius non erubescit aperta reprehendere, quasi gloriosissimum facinus ignauia sua impedierint. Ait enim eos spe ductos propriæ salutis, decus illud ingens & admirabile ciuium suorum de liberis ac coniugibus interficiendis, abstulisse. In quo videtur maiore etiam crimine se obstringere, quam Abydeni ipsi, qui rerum omnium desperatione efferati, summa sibi affinitate & consanguinitate iunctos, & quod caput est innocentes, perire iusserint. Hic autem tam inmane facinus prædicat, etiam sanus, si tamen sanus. Tanta fuit hominum, etiam eruditorũ in illa infidelitate cæcitas. Nec minus scelerate eodem loco ait de Abydenorum casu, maxime fas esse cum Fortuna expostulare, quæ Phocensium & Acarnanum calamitates miserata, in meliorem repente statum eos restituerit, Abydenos contra viros permiserit occumbere, vrbem capi, liberos cum matribus in potestatem hostium venire.

XVII. Fortunæ ... diuinitatem ...

VTRIQVE Fortunæ nomine diuinitatem rebus humanis præsidentem intelligit, contra cuius prouidentiam impiorum ora laxat in querelas, & expostulationes, eamq; quasi iniustam & immisericordem, iniuste ac sacrilege criminatur. Quis tu es qui nõ alienum seruum, sed proprium Dominum iudices? & improbus atque imperitus, sapientissimum atque sanctissimum? nec videas misericorditer liberare quos liberat, & iuste, etiam per deteriores, castigare quos deserit. Ita contenebratæ erant hominum mentes, vt contra Deũ blasphemare iustum censerẽt, & cruentissimos parricidas, etiam cõmendatione prosequerentur. Liuius, qui eandem historiam à Polybio mutuatus est, sapientior viruniq; illum scopulum declinauit, qui etiam iusiurandum illud, exsecrabile carmen vocat, & eorum desperationem rabiem Saguntinam, quam etiam æquiparare potuit Astapensium in Hispania furori, quem supra an. V.C. 547. ex Liuij 28. retulimus, & Punici belli 13.

XVIII. ...

SED redeo ad Abydenos, in quorum pernicie id maxime deplorandum videtur, quod omnibus non fuerit persuasum, ab illa plusquam ferina suorum cæde temperare. Nam Philippus postquam vrbe potitus est, facile congestas opes inuenit, vt ait idem Scriptor. Deinde impetum ferociorum ciuium conspicatus, qui sese, liberos suos, coniuges iugulabant, incendebant, suspendebant, in puteos conijciebant, de tectis præcipites dabant, eo spectaculo obstupefactus, & rem ægre ferens, edixit, triduũ spatium se illis concedere, qui laqueo vitam finire, aut iugulare se vellent. Verũ Abydeni, qui iam ita de se statuerant, & alioqui proditos à se illos existimabant, qui pro patria strenue dimicantes occubuerant, viuere diutius non sustinebant, nisi forte

vinculis aut alia vi prohiberentur. Reliqui sine vlla cunctatione, per cognationes ad mortem ruebant, manu videlicet, ferro, opera cognatorum.

XIX Æmylius legatus ... Philippo ... Romanorum ...

SVB hoc tempus Rex Attalus audita Abydenorum obsidione, cum M. Æmylio Lepido, qui erat vnus de tribus legatis, qui ad reges Ptolemæum & Antiochum missi erãt minimus natu, ad ipsam Abydum nauigauit. Nouus interpres addit Polybio hos legatos ad Ptolemæum & Antiochum fuisse missos. Nec Polyb. id habet, & legatio, vt ex Liuio in fine præcedentis anni diximus, ad Ptolemæum solum pertinebat, ad Antiochum vero, alij postea missi sunt legati, & alijs omnino de reb. Reliqui autem legati Rhodi substiterunt. Æmylius ergo cum Philippo collocutus, dixit visum esse Senatui eum hortari, ne quem Græcorum bello impeteret, neue rebus Ptolemæi manus iniceret, & pro iniurijs Attalo, & Rhodijs illatis iudicium subiret. Hæc si faceret, pacem retineret, sin minus bellum illi à Romanis esse paratum.

XX. Quid ad ... Philippus ...

ILLE contra, maxime se optare dixit ne fœdus Romani violent, & bellum contra ipsum suscipiant: si tamen id fecerint, fortiter se ad arma pro se sumturum, defensione vẽturum. Animos ei faciebat, inquit Liuius, præter ferociam insitam, fœdus ictum cum Antiocho rege Syriæ, diuisæque iam cum eo Ægypti opes, quibus ex quo Ptolemæi regis mortem audiuerant, ambo imminebant. Inde Philippus, imposito Abydi præsidio, in regnum redijt, vbi nuncii retulerunt Consulem iam in Epiro esse, & Apolloniam terrestres copias, nauales Corcyram in hyberna deduxisse. Nam autumno ferme exacto in prouinciam venerat, vti à Liuio scriptum est.

Causa belli Philippi cum Athen.

Causam porro contracti à Philippo cum Atheniensibus belli, hanc pluribus enarrat Liu. ... Acarnanes duo iuuenes non initiati, templum Cereris imprudentes religionis, cum cæteris ingressi erant, ... sermo prodidit, dum absurde quædam percunt... deductiq; ad antistites templi, cum palam esset ... gressos, tanquam ob infandum scelus interfecti sunt. Sed hoc eorum peccatum Acarnenses alio longe grauiori ac publico vlcisci aggressi sunt.

XXI. ...

In enim factum querul... ad Philippum detulere, postularuntque ab eo, vt datis Macedonum auxilijs, bellum à se Atheniensibus inferri pateretur, dedit, passus est. Hic exercitus Atticam ferro igniq; depopulatus, ingentem prædam in Acarnaniam deuexit. Tum Athenis iustum contra eos bellum decretum, incitante Attalo & Rhodiis, qui & reliquos populos, quantum potuere, ad bellũ contra Philippum incitarunt: sed eius gesti perfectiq; gloriam imprudentes Romanis concessere, quam, si acriter Philippo institissent, nec eum vires colligere passi fuissent, facile erant occupaturi. Philippus etsi à Romanis bellũ sibi imminere sentiret, Philoclem tamen vnum de suis ducibus, cũ duobus millibus peditum, equitibus ducentis, ad populandos Atheniensium agros mittit, variaq; castella ipse cum alijs copijs, partim vi, partim proditione, ac deditione accepit. Abydenos inde adijt, de quibus diximus, qui ne legatis quidem admissis, portas regi clauserunt, & cessantibus Attalo, Rhodijsque misere periere.

Attalus & Rhodij ... Athen.

XXII. ...

PER idem tempus L. Cornelius Lentulus Proconsul ex Hispania redijt, qui cum res ab se per multos annos præclare gestas in Senatu enarrasset, postularetq; vt triũphanti sibi in vrbem inuehi liceret, res triumpho dignas censebat Senatus, verum id moris esse negabat, vt qui sine magistratu res gessisset, triumpharet. Itaq; ouatio permittebatur, nisi Tribunus pleb. T. Sempronius Longus obstitisset, qui etiam ouationem Romani moris esse negaret, nisi res à magistratu gestæ essent. Victus tamen consensu patrum Tribunus cessit, & ex SC. Cornelius ouans vrbem est ingressus. Argenti tulit ex præda quadraginta quatuor millia pondo. a Auri 2000. quadringenta 50. b Militibus ex præda 120. asses diuisit.

a 1452000 franc. Gal. b 73... franc. Gal. Rom... pon...

Superfuit fere hoc anno, quæ à C. Claudio Cotcyra Athenas misso gesta sunt. Cætera animo omnia, quæ reliquo lib. 31. à Liuio recensentur, ad sequentem annum pertinent, nec id dissimulat Liuius, qui & quæ vere ac æstate

consequentē contra Philippum gesta sunt, eodem narrationis tenore perteauit, antequam ad nouos Consules gradum faceret, quos initio l. 32. Idibus Martijs Consulatum inijsse profitetur. Id ergo erudite lector obseruа, ne gesta vnius anni in duos temere dissecuisse videamur.

XXIII. *Claudius Cento fert opē Atheniensib.* P. ERGO Sulpicius Consul cum autumno ferme exacto in prouinciam venisset, circa Apolloniam in Illyrio hybernabat. C. autem Claudius Cento cum 20. Romanis triremibus Athenas missus, cum Piræeum peruenisset, despondentibus iam animos socijs spem ingentem attulit. Nam & terrestres ab Corintho incursiones, quæ per Megaram in Atticum agrum fieri solebant, cessarunt, & prædonum à Chalcide naues, quæ non mare solum infestum, sed omnes etiam maritimos agros Atheniensibus fecerant, non modo Sunium superare, (id vltimum est Atticæ ad meridiem promontorium) sed nec extra fretum Euripi cōmittere se aperto mari audebāt. Superuenerunt his tres Rhodiæ quadriremes, & erant Atticæ tres apertæ naues, ad tuendos maritimos agros comparatæ. Hac classe si vrbs agrique Atheniensium defenderentur, satis esse in præsentia existimanti Claudio, maioris etiam rei fortuna oblata est.

XXIV. *Chalcidem occupat, & populatur.* EXVLES à Chalcide, Macedonum iniurijs pulsi, referebant occupari posse Chalcidem sine vllo certamine. Nam & Macedonas, quia nullus sit in propinquo hostium metus, vagari passim, & oppidanos præsidio Macedonū fretos, custodiam vrbis negligere. Ergo Claudius maturè Sunium cum classe peruenit, & ibi ne conspiceretur, nocte expectata, primis tenebris mouit, & tranquillo mari vsus, Chalcidem paulo ante lucem peruenit, vrbem scalis conscendit, & custodib. si qui aderant interfectis, refracta porta totum agmen vrbe recepit, & flāmis circa forenses domos iniectis, eo incendio regia quoque horrea, & armamentarium, cum ingenti copia machinarum, tormentorumque, conflagrauit, cædes inde passim non repugnantiū tantum, sed & fugientium facta est: in quibus fuit Sopater Acarnan, præsidij Chalcidensis præfectus. Præda omnis in forum, inde in naues comportata. Carcer quoq; à Rhodijs refractus, emissiq; captiui, quos Philippus illic, tanquā in munitissima custodia abdiderat. Statuis inde regis deiectis truncatisq;, signo receptui dato conscenderunt naues, & Piræeum vnde profecti erant, redierunt.

XXV. *Philippus frustra accurrit.* DEMETRIADE tum Philippus erat, quo cum nunciata esset clades sociæ vrbis, quamquam serum erat auxilium perditis, vltionem tamen auide capetens, cum expeditis quinq; millibus peditum & trecentis equitibus extemplo profectus, cursu propere Chalcidem contendit, si quomodo posset Romanos opprimere, sed ea spe frustratus, ad deforme spectaculum semirutæ ac fumantis adhuc sociæ vrbis venit, & paucis qui mortuos sepelirent relictis, æque raptim ac venerat Euripum ponte transgressus, per Bœotiam Athenas ducit, eamq; improuisus sine dubio occupasset, ni speculator agmen regium à longe intuitus, prægressus nocte media Athenas peruenisset, vbi idē somnus, *Athenas pene occupat.* ac negligentia, eandem calamitatem Atheniensibus, quæ Chalcidenses perdiderat, intulisset. Sed statim ad magnitudinem imminētis periculi exciti, omnia ad vrbis defensionem comparant. Paucas post horas Philippus venit, & patefactum aduentum suum agnoscit.

XXVI. *Pugnatque non sine periculo.* ERGO quoniam dolus non profecisset, vim parat. Ad Dipylō portam accedit, ab ea ad Academiam aciem suam instruit. Athenienses aciem quoq; ab ea porta interius, ad forum late via componunt. Philippus pugnæ auidus hortatus suos vt se intuentes pugnarent, equum in hostes cōcitat, non ira tantum, sed gloria etiam elatus, quod ingenti turba completis etiam ad spectaculum muris, conspici se pugnantem, egregium ducebat. Aliquantum ante aciē cum paucis equitibus in medios hostes inuectus, cum ingentem ardorem suis, tum pauorem hostibus iniecit, plurimos manu sua eminus cominusq; vulneratos, compulsosq; in portam, consecutus & ipse, cum maiorem in angustijs trepidantium edidisset cædem, in temerario incepto, tutum tamen receptum habuit.

XXVII. *Abit cū* IPSE intra muros tenentibus militem Atheniensibus, Philippus signo receptui dato, quidquid circa vrbem erat sancti amœnitate, in vindictam incensæ Chalcidis succendit, ac diruit. Et quia præsidium Attali ab Ægina, Romanumq; à Piræeo intrauerant vrbem, castra longius ab vrbe retulit. Inde Eleusinem profectus, spe templi & castelli improuiso capiendi, cum haud quaquam neglectas custodias animaduertisset, & classem à Piræeo subsidio venire, omisso incepto Megarem, ac protinus Corinthum ducit. Et cum Argis Achæorum concilium esse audisset, inopinantibus Achæis concioni ipsi superuenit.

In Nabin Spartanorum tyrannum. Consultabant illi de bello aduersus Nabin Lacedæmoniorum tyrannum, qui post Machanidam tyrannidem inuaserat, & Achæis, qui imperium à Philopœmene ad Cycliadem transtulerāt, damna plurima inferebat, nec agros tantum vastabat, sed vrbibus quoq; erat terribilis. Aduersus hunc hostem cum quantum ex quaq; ciuitate militum conscriberetur consultarent.

XXVIII. *Philippus Achæos bello contra Romanos implicare studet. Frustra.* PHILIPPVS dempturum se eis curam, quod ad Nabin & Lacedæmonios attinet, pollicetur, & terrorem omnem belli in ipsam Laconicam, ducto illuc exercitu translaturū si tantum illi militum parent, quantū ad Oreum, & Chalcidem, & Corinthum tutandam necesse sit, vt suis à tergo tutis, securus Nabidi & Lacedæmonijs bellum inferret. Honesta erat oratio, sed animaduerterunt Achæi, velle Philippum ipsos bello contra Romanos suscepto implicare. Itaq; negarunt licere Achæis de alijs rebus in concilio agere, quam de ijs propter quas conuocati essent: & decreto de exercitu parando aduersus Nabin facto, concilium, non sine Regis offensione dimiserunt.

XXIX. *Athenas iterum frustra tentat.* PHILIPPVS magna spe depulsus, voluntarijs paucis militibus conscriptis, Corinthum atq; in Atticam redijt, & cū Philocle præfecto suo, qui Eleusinem iterum, & vi & fraude tentauerat, & inde cum pudore ac vulneribus repulsus fuerat, copias suas coniunxit, & tertio conatu Eleusinem tentauit, sed superuenientes Romani, eum incepto tertio desistere coegerunt. Ille diuiso rursum exercitu Philoclem vrbis oppugnationem præ se ferre iubet, dum ipse desertū propugnatoribus, vt sperabat, Piræeum, vrbis defendendę causa, occuparet. Sed irrita spes eius fuit, ijsdem Piræeum, qui Eleusinem paulo ante, defendentibus. Ille rursum à Piræeo Athenas repente duxit, iterumq; repulsus, ad omnia circumquaq; vastanda conuertitur. Et cum priorem populationem sepulcbris circa vrbem diruendis exercuisset, ne quid inuiolatum relinqueret, templa quæ pagatim sacrata habebant, quib. insigniter exornata erat Attica, di- *Fana sacra demolitur.* rui atq; incendi iussit, & simulacra ipsa, marmore natiuo, & artificum ingenijs visenda, confringi: tum relicta Græcia in Bœotiam, hyemandi vtique causa, concessit.

ANNVS MVNDI 3855. SEXTAE AETATIS 339. Imper. Græcorum 113. Antiochi Magni 26. Oniæ III. Pont. 9. Ptol. Epiphanis 5. Philippi Macedonum 22. Olymp. CXLV. An. 2. Vrb. Cond. 554. Coss. L. Cornelio Lentulo, & P. Villio 2. Belli Macedonici.

ANNVS ANTE CHRISTVM 198.

I. *Romani Macedoniā populantur.* IPsis huius an. initijs, cum primum tempus rei gerendæ facultatem dedit, Sulpicius, qui inter Apolloniā & Dyrrachium & Apsum flumen habebat castra, T. Apustium legatū, ad populandos Macedonię fines, emittit, isq; aliquot vrbes partim vi, partim deditione accepit. Eum ad Consu- *Prælium cū Athenagora.* lem cum magna præda reuertentem adortus est Athenagoras regius Præfectus, & in transitu fluminis turbauit, sed acie mox in pugnam directa, non tulerunt impetum Romanorum Macedones, multi ex iis occisi sunt, capti plures, legatus exercitum incolumem ad Consulem reduxit, à quo extemplo ad classem remissus est.

II. *Subsidia belli pro Romanis.* HAC satis felici expeditione bello inchoato, Reguli ac principes accolę Macedonū, qui inimico erāt in eos animo,

ad castra Romanorũ venere, operamq; suã Consuli obtulere, qui eorum se opera vsurum dixit, cum in Macedoniã exercitum induceret. Animandro Athamanum Regulo Ætolorum vicino, Ætolos concitandos ad bellum attribuit. Attali legatis, qui per id quoque tempus aduenerant, mandauit vt Attalus Æginæ vbi hybernabat, classem Romanam opperiretur, qua adiuncta, bello maritimo sicut ante Philippum vrgeret, ad Rhodios quoq; missi legati, vt eius belli partem capesserent.

III. *Philippi ad bellum apparatus.*

NEC Philippus segnius, in Macedonia, quo iam peruenerat, bellum apparabat, filium Perseum, puerum admodum, datis ex amicorum numero, qui ætatem eius regerẽt, cum parte copiarum mittit ad angustias, quæ ad Palegoniam sunt obsidendæ: diruit etiam aliquot vrbes non ignobiles, ne classi hostium prædæ essent. Ad Ætolorum cõcilium legatos mittit, qui eos in fide retinerent, quo etiam Sulpicius L. Furium legatum misit. Macedones, cum quibus recentissimũ erat Ætolorum fœdus, primi auditi sunt, dum ad fidem conseruandam Aetolos hortantur, & à Romanis quantum possunt, auertũt, qui ita populorum amicitiam quærant, vt eos in seruitutem redigant, eisq; superbe dominentur: sero socium Philippum quæsituros, cum dominos Romanos habuerint.

Concilium Aetolorum.

IV. *Multa ibi de Philippo disceptatio.*

IN eodem Panætolio deinceps dixerunt Athenienses, qui grauia ab eo passi, iustius in crudelitatem Regis inuehi poterant. Itaq; eas vastitates & clades, & sacrorum in primis euersiones deplorarunt, & qualem Atticam fecerit Philippus talem eum, si licuerit Aetoliam, Græciamq; omnem facturum. Tum Romani eadem confirmant, & se à Macedonum criminationibus purgant, & Aetolos monẽt, ne pacem metu nuper factam cum Philippo, ratam esse velint, & amicitiam cum Romanis, quando tuto licet, redintegrent, nisi perire cum Philippo, quam vincere cum Romanis malint.

Hic Damocritus Prætor, Ætolorum animos in Romanos propendentes, callida cunctatione auertit, pecunia, vt fama est, à Rege accepta. Et dimissis suspensa re legatis, genti suæ consuluit, vt mox ad eam partem se conferrent, in quam melior belli fortuna vergere videretur.

V. *Classem parat.*

INTEREA Philippus terra, mariq; impigre bellum parabat, naualesque copias Demetriadem in Thessalia contrahebat, cui vna cum maritima ora Heraclidem præfecit, ratus primo vere Romanos Attalumque classem ab Aegina moturos. Ipse copias terrestres sibi assumpsit, lætus se Romanis duo magna auxilia detraxisse, Ætolos & Dardanos, quibus Persei præsidio aditum obstruxerat.

Consul ad Regẽ mouet.

Consul per Dassaretiorum fines exercitũ ducebat, quos Ptolemæus Deparetios vocat, oppida viciq; partim metu, partim vi in potestatem veniebant, quædam deserta, in montes propinquos refugientibus barbaris, inueniebantur. Mox etiam alam equitum misit, qui exquirerent, quo loco Rex, quem ex hybernis mouisse sciebat, versaretur. Rex quoq; idem de Consule satagens, equitum turmam dimisit.

VI. *Exploratores vtrinq; pugnant.*

HÆ aliæ cum diu diuersis itineribus vagatæ essent in vnum iter conuenerunt, vtriq; maturè ad pugnam equos & arma comparant, & numero & virtute prope pares concurrunt, & ad aliquot horas pugnant, fatigatio ipsorum equorumq; prælium incerta victoria diremit. Macedonum quadraginta equites, Romanorum 5. & 30. ceciderunt.

Incerta victoria.

Philippus dum honorifice suos sepulturæ mandari curat, vt funeris honore viuos ad fortiter pugnandum, & gloriose moriendum accenderet, suos è contrario immanitate vulnerum, quibus occisi fuerant à Romanis vehementer exterruit, cogitantes aduersus quæ tela, quosq; viros sibi depugnandum esset. Ipsum quoq; Regem, nondum cum Romanis iusto prælio congressum, terror cœpit, adeo vt filium suum, præsidiumq; ad se reuocaret, eademq; opera Dardanis iter in Macedoniam patefaceret.

VII. *Altera velitatio cum Macedonũ fuga.*

IPSE cum viginti millibus peditum, equitum quatuor millibus, ducibus transfugis ad hostem profectus, in quodam tumulo, ducentis circiter passibus à castris Romanis, castra communijt, vnde eorum ordinem cum admiratione contemplatus, noluit vniuerso certamine de summa rei aleam iacere, sed Athenagoram, vnum de purpuratis suis, virum fortem, & industrium cum septingentis equitibus, totidemq; peditibus, ad lacessendos hostium equites misit: pari quoq; numero suos Consul misit. Verum cum statariam & constantem Romanorum pugnam, longe à fugaci illa & cursoria certandi ratione diuersam, regij milites experirentur, non tulere diu dimicationem, nec alia re quam velocitate tutantes se, in castra refugerunt.

VIII. *Tertia pugna & infelix Macedonum victa.*

VNO deinde intermisso die, cum omnibus copijs Rex pugnaturus esset, nocte cetratos, quos peltastas vocant, loco opportuno inter bina castra in insidijs abdiderat, præceperatque Athenagoræ & equitibus, vt si aperto prælio res procederet vterentur fortuna, si minus, cedendo sensim ad insidiarum locum hostem pertraherent. Et equitatus quidem cessit, verum duces cetratæ cohortis, non satis expectato signo, ante tempus excitatis suis, occasionem bene gerendæ rei amisere. Romanus & aperto prælio victor, & tutus à fraude insidiarum, in castra se recepit. Postero que die eductis omnibus copijs, pugnandi copiam fecit, qua non admissa à Rege, exprobrato metu longius, frumentationis commodioris gratia, profectus est.

Romanorum frumentatores inuadit.

REX aliquandiu dissimulans suos in castris tenuit, dum hosti negligentia ex audacia cresceret, moxq; summa celeritate frumentarios à reliquo exercitu interclusos, ad Octolophum inuasit, multosq; rum pugnantes, tum etiam fugiẽtes oppressit, priusquam fama cladis ad Consulem perueniret, tandem elapsi quidam inter tumultum euasere ad castra, & trepidi turbatique, rem incertam Consuli detulere.

IX. *Inde pugna equestris, & clades Romanorum. Regis imprudentia. Stataria pugna vincitur.*

Is iubet equites qua quisq; posset, opem extemplo ferre laborantibus: ipse legiones educit, & quadrato agmine in hostem ducit. Equites dum effusi per agros pugnant, contra equites talium pugnarum scientissimos, deteriore conditione fuerunt. Regia statio atrocissimum prælium ciebat, quod & Rex ipse hortator aderat, & Cretensium auxiliares multos ex improuiso vulnerabãt, conferti præparatique, in dispersos & effusos pugnantes. Quod si modum in insequendo tenuissent, & in præsentis prælij gloriam, & in summam totius belli non mediocriter profecissent. Nunc auiditate cædis intemperantius secuti, Romanos equites eo vsq; fugauere, dum antegressa peditum signa ijs occurrerent, quibus conspectis animosiores facti, conuerso vultu eos fugare cœperunt, à quibus in fugam acti fuerant: multi in congressu, pleriq; in turbida fuga, non pauci in paludes ingressi periere.

X. *Magnũ adit periculum.*

REX ipse graue periculum adijt. Nam ruente saucio equo, præceps ad terram datus, oppressus fuisset, nisi proximus eques in terram desiliens, pauidum regem in equum subleuasset: sed ipse pedes cum fugientes equites cursu æquare non posset: confossus perijt, magna laude seruati regis sui, longe dignissimus. Denique victoria Romanorum fuit, etsi plures ipsorum, equitum præsertim, in acie desiderati videantur, quorum numerum Liuius prætermisit, qui tamen modicum Macedonum recensuit.

Philippus caduceatorem ad Consulem mittit, vt suos sepelire impune liceret: sed dum differtur responsum, ipse nocte castra mouet, & montana petit, quo grauem Romanorum militiam ægre venturam sperabat, & dum transitũ in Erduçam impedire parat, occupato iugo, & varijs obstaculis impedito: inde tamen cum multa cæde deturbatur, & post aliquot oppida partim vi à Consule, partim metu occupata, peragratis hostium agris, ad Appolloniam, vnde bellum orsus erat, copias reduxit.

XI. *In Dardanos pugnat.*

INTEREA Philippus aduersus Dardanos iam ex Macedonia recipientes sese misit Athenagoram cum expeditis peditibus, & maiore parte equitatus, qui eos ad Macedoniæ fines adeptus, postremum agmen primo turbauit, deinde cum ijs æquo certamine pugnauit, postremo non magnis damnis affecit.

Et Aetolos satis feliciter.

Felicius contra Ætolos pugnatum est. Qui cum audita ad Octolophum pugna, rem ad Romanos inclinare iudicassent, ad eos relicto Philippo rediere, & aliquot repente oppidorũ potiti sunt. Inde vage populabundi, semiermes,

nullo

nullo metu, nullo pene ordine in hostico excurrebant, cum ijs Philippus superuenit, sub ipsum tempus meridianum. Ætoli tum tandem à ducibus educti, vix tentato certamine, turpi fuga se in castra recipiunt, cæsis captisq; nonnullis, quos equites interclu serant: & poterat occupare castra Rex, nisi fatigato ex itinere militi parcere voluisset.

XII *Ætoli cæsi, fugat, captiq; fugantur.* POSTRIDIE castra sine certamine occupat, effusis per auersam portam in fugam militibus, in qua tamen multi cæsi captique: qui euaserunt ad castra Athamani perfugerunt, quæ ille diligentius in tumulo muniuerat. Sed Ætoli præsentientes Regem proxima luce eadem castra aggressurum, ipsa nocte dispersi fugerunt, & deuijs itineribus in Ætoliam peruenerunt. Ita Dardanis Ætolisq; coercitis, Philippus incepto forti, prosperoque euentu, damna Romano bello accepta restituit. Hæc cum Liuius ea æstate à Romanis, Philippoque gesta esse dicat, non dubium est eadem ad hunc annum pertinere, in quo noui Coss. ab ipsis Idibus Martijs consulatum inierant. Sed narrationem inchoatam rerum in Macedonia gestarum noluit interrumpere.

XIII. *Scopas copias Ægypto parat.* ADDIT hoc loco T. Liuius Scopam Ægyptium principem gentis, ab Alexandria magno cum pondere auri à rege Ptolemæo missum, 6000. peditum, & equites mercede conductos in Ægyptum auexisse, nec ex iuuentute Ætolorum quemquam reliquisset, ni Damocritus Prætor partem iuniorum castigando domi continuisset. Senserat enim Scopas Antiochum Magnum animos in recuperandam Syriam intendisse, quod sequenti anno contigit, vt dicemus.

Romana classis Attalo iuncta. Atheniensium leuitas. Eiusdem æstatis principio classis Romana à Corcyra cū L. Apustio legato profecta, Malea superata (id promontorium Peloponnesi Cretæ proximum est) circa Scyllæum Attalo regi coniuncta est.

Tum vero Atheniensium ciuitas, quæ adhuc Philippi metu retenta erat, in odium in illum suum plane prodeter, id omne præsentis auxilij spe nixa profudit. Placet Rogationem ex Liuio describere, vt gentis leuitatem, & muliebrem vlciscendi modum, ac libidinem agnoscas.

XIV. *Decretum contra Philippum.* ROGATIONEM ergo, inquit Liuius lib. 31. *extemplo tulerunt, plebesq; sciuit, vt Philippi statuæ, imagines omnes, nominaque earum, item maiorum eius virilis ac muliebris sexus omnium tollerentur, delerenturq;, dies festi, sacerdotes, sacra, quæ ipsius, maiorumue eius honoris causa instituta essent, omnia profanarentur. Loca etiam, in quib. positum aliquid, inscriptumue honoris eius causa fuisset, detestabilia esse, neq; in ijs quidquam postea poni, dedicarine placere eorum, quæ in loco puro poni, dedicarine fas esset. Sacerdotes publicos, quotiescumq; pro populo Atheniensi, socijsq;, & exercitibus, & classibus eorum precarentur, toties detestari, atq; execrari Philippum, liberos eius, regnumque, terrestres, naualesq; copias, Macedonum genus omne nomenq;. Additumq; decreto, si quis quid postea, quod ad notam ignominiamq; Philippi pertineret, ferret, id omne populum Atheniensem iussurum. Si quis contra ignominiam, proue eius honore dixisset, fecissetue, qui occidisset eum iure cæsurum. Postremo inclusum, vt omnia quæ aduersus Pisistratidas decreta quondam erant eadem in Philippo seruarentur. Sic Athenienses, litteris verbisque, quibus solis valent, bellum aduersus Philippum gerebant.* Hæc Liuius.

XV. *Mira eorum inconstantia, & vanitas.* SED ignominiosius prope elogium meretur, tam leuis, tam prorsus, tamque muliebris in odium, atque adulationem impetus Græculorum, qui nihil moderatum retineant: nuper Attalum immodicis honoribus, aut lenocinijs potius putide ornauerunt. Nunc Philippum non secus ac teterrimum monstrum, quod inferis erupisset, funditus proscindunt, parati si leni momento res conuertantur, Attalum Philippo, & Philippum Attalo substituere. Id Demetrius ille Poliorcetes huius proauus, in primis expertus est, id Socrates, id Phocio, id Alcibiades, itemq; Themistocles: qui negabat Athenienses se in honore vel admiratione habere, sed sicut ad densam platanū in tempestate, sic ad se profugere: mox autem serenitate restitura ramos rescindere, & Themistoclem iniurijs decretisq; vexare, vt notauit Plutarchus in Themistocle. Sed redeamus ad Liuium.

Classis magnam Ægæi partem magis circumlata, aliquanta oppida insulasque subegit, diripuit, alibi re infecta discessit. Quæ cum minoris momenti sint, quam vt in ijs operæ pretium videatur diutius immorari, ex Liuio petenda relinquimus. Illud tantum addam, quod ad stabiliendam temporis rationem pertinet, Attalum Romanosque Oreum, iterum terra marique diutius oppugnatum, tandem expugnasse, vrbem Attalo, captiua corpora Romanis cessisse. Cumque iam autumnale æquinoctium instaret, vt inquit Liuius, propter sinum Euboicum nautis suspectum, ante hyemales motus euadere cupientes Piræeum, vnde profecti erant ad bellum repetiere. Apustius autem legatus triginta nauibus ibi relictis, longe maximam Peloponnesi partem circumuectus, Corcyram petit. Attalus peractis Cereris sacris, & Rhodijs remissis, in Asiam se recepit.

XVI. *Quæ reliquo anno in Græcia gesta, sub finem lat.*

XVII. *Querela Aurelij Consulis contra Fortunam.* IAM vero Liuius ad comitiorum tempus reuersus, quod Macedonicis rebus eadem serie narrationis recensendis prætergressus erat, C. Aurelium Consulem ex prouincia reducem conquestum ait, non tam se ab Senatu non expectatum, vt cum Prætore Consul de triumpho disceptaret, sed ita triumphum ei decretum fuisse, vt nullius, nisi eius qui triumphaturus erat, verba audita essent, nec rerum gestarum veritas vllius testimonio explorata esset.

Huius anni Coss. Comitijs deinde diem indixit, quibus creati sunt Coss. L. Cornelius Lentulus, & P. Villius Tappulus, quem Cuspinianus mauult nominare Iulium, reliquis passim antiquis, nouisque repugnantibus. Illi Italia prouincia, huic Macedonia obtigit, iussusque est à Sulpicio exercitum accipere, & in eius supplementum quantum videretur militum scribere. Annonam tam vilem hoc anno Romæ factam scribit Liuius, propter magnam frumenti vim ex Africa allatam, vt modium binis æris Ædiles diuiserint. *I.* Vnde autem tantum frumenti ex Africa post diuturna funestaque bella, longe lateque peruagata, mirum profecto videri potest, nisi eam copiam ex vicina Ægypto dicamus acceptam. *I. 72.*

XVIII. *Seditio in exercitu ad Consule sedata.* P. Villius cum in Macedoniam venisset, seditionem in exercitu excitatam inuenit. Nam duo militum millia, quæ ex Africa, post deuictum Annibalem, in Siciliam, inde anno fere post in Macedoniam, pro voluntarijs transportata esse querebantur, militiæ finem poscebant. Consul causam probabilem videri dixit postulandæ missionis, si modeste peteretur: seditionis, nec eam, nec vllam aliam satis iustam causam esse. Itaque si manere ad signa, & dicto parere velint, se de missione eorum ad Senatum scripturum: modestia facilius quod velint, quam pertinacia impetraturos.

Quæ ab eo gesta. Villium Consulem nihil memorabile hoc anno in Macedonia egisse, plerique cum Liuio tradiderunt, etsi Valerius Antias fusum ab eo, fugatumque Philippum, & magna clade affectum tradat, sed plurium testimonio rectius stabimus. forte pleraque eorum, quæ Liuius ad Sulpicium consulem retulit, ad Villium pertinent, quomodo enim Villius Consul, tam tarde in prouinciam venerit, autumno scilicet, cum non appareat, qua in re in vrbe fuerit occupatus.

XIX. *Alia Philippi gesta.* Hoc tempore Thaumacon, siue Thaumasiam vrbem in sinu Maliaco Philippus oppugnabat, aggeribus, vineisque. Et iam arietem muris admoturus erat, cum Ætoli duce Archidamo in vrbem, per medias Macedonum munitiones ingressi, nec die nec nocte finem vllum erumpendi faciebant, nunc in stationes, nunc in opera Macedonum, ipsa etiam natura loci illos adiuuante, itaque Philippus cum iam instaret hyems, nec locus tantum vel laboris vel periculi mereretur, ab incepto destitit, & quiete data exercitui, ipse licet multis itineribus, prælijs, periculisque fatigatus, animo tamen totius belli summam cum ingenti cura versabat. Et præter hostes tam multos, terra marique vndique imminentes, etiam sociorum, imo & subditorum Macedonum, dubia fides angebat. Itaque & Achæos sibi solito iureiurando firmauit, eisq; demerendis aliquot oppida reddidit, Macedones autem ingenti gaudio affecit, cum Heraclidem multis criminibus oneratum in vincula *Et cura de summa belli.*

conie-

conieeit. Deinde bellum, si quando vnquam alias, cum magna cura præparauit, exercuitque in armis Macedonas, mercenariosque milites: deinde principio veris in Chaoniam per Epyrum Athenagoram misit. Sed eam expeditionem in annum sequentem reseruare par est.

XX. *Romana clades in Gallia Cisalpina.* EODEM anno C. Bæbius Pamphilus Prætor, qui à C. Aurelio exercitum, cum prouincia Gallia acceperat, temerè ingressus Gallorum Insubrium fines, prope cum toto exercitu circumuentus est: supra sex millia, & sexcentos milites amisit. Tanta ex eo bello, quod iam timeri desierat, clades accepta est.

Ea res L. Lentulum Consulem ex vrbe exciuit: qui vt in prouinciam plenam tumultus venit, trepido exercitu accepto, Prætorem multis probris increpitum, prouincia decedere, atque abire Romam iussit. Neque ipse Consul memorabile quicquam gessit, Romam comitiorum causa reuocatus.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3855.

t. N. XVII. IDest nomen denariolis Turon. & $\frac{3}{5}$ si bina æra cum dimidio valent assem vnum Gallici æris, & mille æris quadringentos asses fiue solid. Turon. idest, viginti francos nostrates, iuxta æstimationem Cenalis.

ANNVS MVNDI 3856. SEXTÆ AETATIS 340. Imperij Græcorum 114. Antiochi Magni 27. Oniæ III. Pont. 10. Ptolemæi Epiphanis 6. Philippi Macedonum 23. Olympiadis. CXLV. Ann. 3. Vrbis Conditæ 555. Coss. T. Quintio Flaminino & Sex. Aelio Pæto. Tertio belli Macedonici.

ANNVS ANTE CHRISTVM 197.

I. *Expeditio Antiochi in Aegyptum.* HABET hic annus expeditionem Antiochi Magni aduersus Ptolemæum filium Philopatoris, cuius rei testem idoneum habemus Liuium, vbi res sub sequentis anni Consulibus gestas in Macedonia explicans ait; *Antiochus cum priore æstate omnibus, qui in Cælesyria sunt, ciuitatibus Ptolemai in suam potestatem redactis, in hyberna Antiochiam concessisset, nihilo quietiores postea res habuit.* Explicat deinde quæ ab initio veris gessit in Asia, sub idem tempus, quo Philippus victus est à Romanis, quod sequēti anno contigit, idq; series rerum gestarum deinceps multipliciter cōfirmabit, vt cōfirmant etiā copiæ Ætolorum proximo anno à Scopa mercede conductæ, vt ex eodem Liu. diximus. Necesse est igitur ad hunc annum referre, quæ in Iudæa gesta sunt ab Antiocho, etsi ea in sequentem annum ab Eusebio referantur. Verum tres M. S. codices apud Pontachum, in hunc annum rectius referunt.

II. *Ex Daniele Eusebio, Iosepho. c. 11. v. 15.* REM breuissime more suo attingit Eusebius in hæc verba. *Antiochus Scopa superato Syriæ vrbes recepit*; quas scilicet Scopas nomine regis sui Ptol. Epiph. occuparat aliquot annis ante, vt mox dicetur, *Et Iudæis voluntate coniungitur*, quæ obscurius habentur in Daniele, prophetico videlicet stylo. *Et veniet rex Aquilonis, & comportabit aggerem, & capiet vrbes munitissimas, & brachia Austri non sustinebunt, & consurgent electi eius ad resistendum, & non erit fortitudo. Et faciet, veniens super eum, iuxta placitum suum & non erit qui stet contra faciem eius, & stabit in terra inclyta, & consumetur in manu eius.* Hæc Propheta; quæ ex Iosepho lucem accipient, vbi ait; l. 12. Antiq. c. 3. *Aliquanto autem post* quarto scilicet anno, *Antiochus ad fontes Iordanis cū Scopa prælio congressus, fit superior.* Ad radices Libani collocat vtrumque fonte Adrichom. quorū alter Ior, alter Dan dicitur, qui in vnum confluunt ad vrbem; quæ prius Dan, postea Cæsarea Phil. & Paneas dicta est, & Iordanem fluuium terræ sanctæ maximum efficiunt. Pergit Iosephus.

III. *Iudæi se Antiocho dedunt.* CVMQVE *recepisset occupatas à Scopa vrbes Cœlesyriæ simul; & Samariæ, Iudæi quoque vltro deditionem fecerunt; receptumque intra mœnia eius exercitum, & elephantos liberaliter aluerunt, & oppugnantibus præsidium in arce à Scopa relictum, impigre auxilium tulerunt. Quamobrem Antiochus æquum ducens aliquam Iudæis pro studio suarum partium referre gratiam, scripsit ad amicos suos, & duces literas, &c.* De quibus suo loco dicemus. Nominatim autem Iosephus ex Polybio l. 16. refert Antiochum victo Scopa, vrbes recepisse Batanæā, Samariam, Gadara, & Abilam, moxque Iudæos Hierosolymitanos ad eum defecisse. Refert etiam ex epistola Antiochi Magni, quomodo exceptus sit à Iudæis hoc tempore Antiochus in hæc verba. Quoniam Iudæi mox, vt eorum regionem sumus ingressi, studium erga nos suum declarauerunt, & in vrbem suam venientes splendide exceperūt, Senatu obuiam progresso, exercituique nostro & elephātis copiose victum præbuerunt, & cum eo simul præsidiū Ægyptiorum in arce expugnauerunt, visum est nobis gratiam eis aliquam reponere, & quæ sequuntur.

ADDIT D. Hieron. in citatum Dan. locum, Antiochi pugnam cum Scopa commissam, *vbi nunc Paneas condita est,* ait, *& cum 10. millibus armatorum obsedit clausum in Sidone. Ob quem liberandum misit Ptolemæus duces inclytos Eropum, & Menecleam, & Damoxenum; sed obsidionem soluere non potuerunt, donec fame superatus Scopas manus dedit, & nudus cum socijs dimissus est.* Hæc Hieron. aperte explicans illa *Austri brachia*, & illos electos eius. Illa etiam verba Danielis, *& comportabit aggerem*, significare inquit præsidium Scopæ, in arce Hierosolymorum, annitentibus Iudæis, multo tempore oppugnatum. Verum hæc oppugnatio ad alias quoque vrbes tam in Syria hoc tempore, quam in Asia seq. anno oppugnatas pertinet, vt ex Liuio docebimus. Ex quo perspicuū omnino est Ciliciam & Cariam in Asia tentatam, ab Antiocho Magno, anno postquā Syria potitus est. Nec repugnat sanctus Hieronymus, licet tempora non distinguat.

Illa denique verba. *Et faciet veniens super eum iuxta placitum suum, & non erit qui stet contra faciem eius,* sine dubio de de Syria intelligenda sunt. Nam pro ciuitatibus Ptolemæi, quæ erant in Asia steterunt Rhodij contra Antiochum, ait enim Liuius Rhodios, audita Philippi clade, non omisisse curam tuendæ libertatis ciuitatum sociarum Ptolemæi, quibus bellum ab Antiocho imminebat; sed auxilijs iuuisse, & irritos circa plerosque eius conatus fecisse: vt plenius postea dicetur. Illa vero sunt de Iudæa; *& stabit in terra inclyta, & consumetur in manu eius*: consumptis videlicet, vel refugientibus in Ægyptum ijs, qui Ptolemæi partibus fauebant; nam Iudæam hoc tempore consumptam, aut afflictam ab Antiocho non legimus: & vt ait B. Hieronymus cum Iosepho, Iudæa in medio posita in contraria studia scindebatur, alijs Antiocho, alijs Ptolemæo fauentibus. Et forte non ante hoc tempus Onias sacerdos, assumptis Iudæorum plurimis, fugit in Ægyptum, & à Ptolemæo honorificè susceptus est.

PETEBAT Romæ consulatum T. Quintius Flamininus Patricius, sed comitia per M Fuluium & M. Curium impediebantur, nec Flamininum Consulatum ex Quæstura petere patiebantur. Iam Ædilitatem, Præturamque fastidiri, nec per honorum gradus documētum sui dantes, nobiles homines tendere ad Consulatum, sed trānscendendo media, imis summa continuare. Res ex campestri certamine in Senatum venit. Patres cēsuerunt; qui honorem peteret, quem sibi capere per leges liceret, in eo æquum esse populo potestatem fieri creandi quem vellet. Tribuni parum authoritati acquiescentes intercedere desierunt. Sic Liuius: ex quo intelligitur hos honorum gradus legib⁹ non fuisse constitutos, sed consuetudine potius; iusque fuisse populo eos ordines non seruare.

ILLE quoque ordo in Sex. Ælio Pæto non est seruatus, vt qui proxime Ædilis curulis fuerat, cū M. Claudio Marcello, vt constat ex l. 35. Liuij. Qui etiam parum sibi videtur constare, cum à Flaminio Præturam, & Ædilitatem præteritam significat, quem tamen ipsemet init; eiusdem lib. 31. Ædilem curulem fuisse tradit, cum L. Valer. Flacco, & ab ijs ludos Romanos scenicos magnificè; apparateque factos Sulpitio Galba; & Aurelio Cotta Coss. Cui difficultati non video posse commodius responderi, quam

quam dicendo illum ædilem fuisse Flaminium plebeium, hunc autem Consulem esse Flamininum, qui nec Ædil. fuerit, nec Prætor. Sublata ergo intercessione, Flamininus, & Ælius Pætus facti sunt Coss. Inde Prætorum comitia sunt habita, creatique Prætores quatuor, in quibus fuit M. Porcius Cato, qui Ædil. pleb. fuerat, non tamen proxime, vt quis suspicari ex Liu. posset, sed quadriennio ante, vt ipse diserte testatur. Ei obtigit Sardinia prouincia, Flaminino Consuli Macedon. Ælio Pæto Italia.

Catonis Prætura.

in l. de Senect.

VIII. *Querela legatorum Attali.* ATTALI deinde legatos in Senatum Coss. introduxere, qui retulere Antiochum regnum Attali, terrestribus naualibusque præsidijs destitutum, inuasisse, dum ijs Romanum Consulem in bello Maced. contra Philippum iuuat. Itaque orarunt aut ei præsidium ad tutandum regnum mitti, aut eum cum copijs suis ad sua defendenda dimitti. Responsum est à patribus, grata fuisse auxilia, quæ hactenus Attalus præstitit pop. Rom. nec ea retenturos, vltra quam Regi commodum esset. Auxilia aduersus Antiochum socium & amicum pop. Rom. non missuros, sed legatos qui nuncient, Attali copijs pop. Rom. vti aduersus Philippum communem hostem, gratum eum facturum Senatui, si regno Attali abstineat, belloque abstitat: æquum esse socios, & amicos populi Romani reges, inter se quoque ipsos pacem seruare. Quid Antiochus fecerit, in gratiam Senatus Rom. colligi potest, ex eo quod Attalus hoc ipso anno cum Rom. contra Philippum classe pugnauit, vt infra cum Liu. dicemus. Sed nihil est necesse conijcere, scribit Liu. hoc anno ijsdemque consulibus legatos ab Attalo Romam missos, cum corona aurea 246. pondo, id est 24. millium & sexcentorum aureorum, datis centum aureis in singula pondo, quam in Capitolio posuerunt, gratiasque Senatui egerunt, quod Antiochus, legatorum Romanorum autoritate motus, finibus Attali exercitum deduxisset.

Legati Romani præeo ad Antiochum.

Quis euentus.

IX. *Antiochus cum Philippo fœdus post init. l. 33.* CÆTERVM quomodo communem hostem vocet Philippum Senatus hoc loco, cum Liuius ipse paulo superius, dixerit animosiorem fuisse Philippum ad hoc bellũ, propter fœdus ictum cum Antiocho Syriæ rege, facile intelligitur ex ijs, quæ supra vltimo anno Philopatoris diximus: nimirum hoc fœdus secretum fuisse, proptereaque à Polybio conspirationem vocari, quam Senatus se ignorare simulat, ne vtrumque simul pro hoste habere videatur. T. Quintius Consul maturius quam cæteri solebant, cum Brundusio soluisset Corcyram tenuit, cum octo millibus peditum, equitibus octingentis, & quidem adactus tempestate, vt videtur; nam mox ad castra, quæ iuxta Apolloniam erant, itinere pedestri profectus est. Corcyra in Epirum cum quinqueremi traiecit, & in castra Romana magnis itineribus contendit. Inde Villio Exconsule dimisso, paucos moratus dies, dum copiæ Corcyra veniunt, concilium habuit vtrum recto itinere per castra hostium viam facere conaretur: an ne tentata quidem re tanti laboris ac periculi, per Dassaretios potius, tuto circuitu in Macedoniã penetraret, quod iter dudum Sulpitius Galba Consul primus inierat.

Consul transit in Epirum.

De via deliberat.

X. *Bello tendit in Philippum.* VICISSET QVE ea sententia ni timuisset, ne cum à mari longius recessisset, misso è manibus hoste, æstas inutiliter extraheretur. Locus autem quem Rex obsederat, & per quem rectum erat iter in Macedoniã, erant fauces ad Antigoniã, quæ Stena Græci vocant, ad quæ occupanda primo vere Philip. Athenagoram miserat, eum secutus ipse, cum situm omnem regionis circumspexisset, maxime idoneum ad muniendum crediderat; Aous amnis angusta valle decurrit inter montes duos, Æropum & Asnaum, iter exiguum super ripam præbens; Athenagoram cum leui armatura tenere Asnaum, ac communire iubet, ipse in Æropo castra posuit: qua rupes erant abscissæ, statio paucorum armatorum tenebat; quæ minus tuta erant, alia fossis, alia turribus muniebat: magnã etiam tormentorum vim locis idoneis disposuit, vt missilibus procul hostem arceret; tabernaculum etiam regium in conspecto maxime tumulo collocarat, vt terrorem hostibus, suis spem ex fiducia faceret.

Quam difficilis ibi transitus.

XI. *Philippus ... tendit.* TRANSITVM hunc Villius anxie librabat, cum successorem Quintium Consulem aduenisse accepit. Is quoque etsi ei certum erat illac iter habere, tamen quomodo id perficere posset non inueniebat. Iamque dies quadraginta sine vllo conatu, sedentes in conspectu hostium absumpserant, cum spes Philippo data est per Epirotarum gentem tentandæ pacis. Electi Pausanias Prætor, & Alexander Mag. equitum, qui Consulem & Regem, vbi in artissimas ripas amnis cogitur, in colloquium adduxerunt. Vbi cum eas pacis conditiones Consul proponeret, quas Philippus aferre non posset, nec duriores victo impositum iri diceret, ira se ex colloquio proripuit, vt vix missilibus temperatum sit, quoniam medio amne diuiserant. Inde leuibus inter se prælijs aliquoties dimicauere.

XII. *Homo transfuga ... pastore duce.* CVM hoc in statu res esset, pastor quidam à Charopo principe Epirotarum missus, deducitur ad Consulem. Is se in eo saltu, qui nunc regijs castris tenebatur, armentum pascere ait, omnes eorum montium anfractus, callesque perno, si secum aliquot mittere velit, non iniquo nec perdifficili aditu, supra caput hostium deducturum. Consul cum magis credere vellet, quam auderet, mistumque gaudio ac metu animum gereret, experiri statuit; si millia peditum legit cum trecentis equitibus, quos tribuno tradit: nocte iter facere iubet, interdiu quiescere, vbi ad summa peruentum fuerit, fumo signum dare, nec clamorem ante tollere, quam pugna iussu Consulis inchoata fuerit: ducem ingentibus onerat promissis, si fidum se præbuerit, & tamen vinctum tribuno tradit. Interea leuibus semper agebatur prælijs, ne qua suspicio hostis animum subiret.

XIII. *Macedones à tergo & fronte.* TERTIO die Romani cum suo duce ad summa euasere, & signum quod conuenerat, dederunt. Tum Consul media valle progreditur, dextra læuaque regis castra adit, illi progressi pugnant; & Romani iniquitate loci valde laborant, cum exortus à tergo clamor, & cœpta pugna regios terrore prope amentes reddidit, vt qui nec inopinantes à à tergo & fronte cæderentur, quod natura loci fugæ perincommodum præberet locum. Deleri totus exercitus poterat, nisi per iam aspera ac confragosa loca, & eques insequi non posset, & pedes armis grauis tardaretur.

Rex fugit, castra diripiuntur. Rex ad quinque millia fuga progressus, suos collegit, duobus fere millibus amissis; & Thessaliam frequentis agmine petijt, castraque sua Romanis reliquit diripienda. Oppida per quæ sublimitus esset hostis incendebat, iussis dominis cum rebus suis, quas ferre possent, sequi. Inuitus ille quidem, sed hosti quæ poterat præripiebat. Denique in Macedoniam se recepit.

XIV. *Multi vndique Philippum inuadunt.* Ætoli audito aduerso Philippi ad amnem Aoum prælio, contra eum processit, & pleraque Thessaliæ loca populantur, & vt capiunt. Idẽ altera ex parte Amynander Athamanum regulus strenue exequitur, præsidio Romanorum adiutus. Idem & Flamininus Consul, qui Phaleriam duûm millium Macedonum præsidio munitam, tandem expugnat, ac diripit: quo metu pleraque oppida deditionẽ fecere, sicque Thessali, præterea damna quæ à Philippo ipso patiebantur, tribus simul exercitibus prædæ fiebant. Rhagen tamen oppidum, super Peneum amnem in Thessalia situm, Consul, quantouis conatu adhibito, irrito labore deseruit, veritus ne incommodissimo loco hyemare cogeretur. Ergo vicina maris, vnde commeatum capiebat, nec admodum à Thessalis remota loca Phocidia, non magno labore occupat Anticyram, Ambrysum, Hyampolim &c. Philippus autem intra Tempe statiuis positis, vt quisque locus ab hoste tentabatur, præsidia per occasiones summittebat.

XV. *Tres classes in vnum conueniunt.* INTEREA L. Quintius frater Consulis, L. Apustio legato in classis præfectura successerat, & in Piræeum portum Atheniensium peruenerat, cum duæ ex Asia classes profectæ vna cum Attalo rege, ex quatuor & viginti quinqueremes erant, Rhodia altera viginti nauium tectarum, cui Agesimbrotus præerat. Hæ circa Andrum insulam classes coniunctæ in Eubœam, inde exiguo distantem freto traiecerunt, & Carysto frustra tentata ad Eretriam accesserunt, eoque L. Quintius cum sua classe venit. Diu tribus classibus omnibus rebus instructis, & eã summa vi oppugnantibus Eretria restitit: tandem à Philocle, qui

spem frustra ex Chalcide faciebat, deserta, dum de pace cum Attalo agit, à Rom. noctu inuaditur, atque diripitur. Carystus reperta per deditionem accipitur., inde classes Cenchreas Corinthiorum emporium petierunt.

XVI. *Consul ambit Achæorum amicitiam.* PER eos dies Elateam Phocidis consul oppugnabat, cum spes ei affulsit Achæorum gentē ab societate regia, ad Romanorum amicitiam auertendi. Nam Cycliades princeps factionis, quæ Philippo studebat, aberat, Aristhenus, qui Achæos Romanis iungi volebat, Prætor erat. Classis Romana cum Attalo & Rhodijs Cenchreis stabat, parabantque communi omnes consilio Corinthum oppugnare. Optimum igitur ratus est, priusquam eam rem aggrederentur, legatos ad gentem Achæorum mitti, pollicentes si ab rege ad Romanos defecissent, Corinthum ijs attributuros, in antiquum gentis concilium. Autore Consule legati à fratre eius L. Quintio, & Rhodijs, & Atheniensibus ad Achæos missi; adfuerunt etiam & à Philippo legati; erat enim rebus suis valde intentus ille rex, quorum princeps erat Cleomedon.

XVII. *Sicyone maxima disputatio.* SICYONE datum est ijs concilium. Pro se quisque legatorum Achæos à Philippo auertere conatus est, Athenienses maxime, qui ab eo maxima damna acceperant. Cleomedon autem id saltem requirebat, vt pro iureiurando, quo adstricti erant Macedonibus, mediam sequerentur viam, & ab armis abstinerent. Achæi quo se verterent nesciebant. Nam hinc tyrannus Lacedæmonius eos vexabat, Romanorum arma horrebant, Macedonum beneficijs, & veteribus & recentibus obligati erant, Regem ipsū suspectum habebant, & pro eius crudelitate grauiorem post bellum dominum futurum cernebant. Itaque quid vellent, quid dicerent, quid optarent non inueniebant. *Achæi valde ancipites.* Diuque aliorum aliosintuentium silentium fuit. Cum Aristhenus Prætor Achæorum orationem habuit, qua Philippi impotentiæ ad socios iuuandos, moribusque eius insultauit. Romanorum potentiam amplificauit, & occasionem oblatæ eorum amicitiæ, quæ summa ope ambienda erat, arripiendam docuit, qui quod rogant cogere possint, cupiantque ab Achæis non fieri, quæ ipsi mox vlcisci cogantur. Negauit, integrum Achæis esse neutrorum arma sequi, oportere Philippo, aut Romanis hostes esse; ne si neutrum secuti fuerint, ab vtrouis eorum victore perdantur. Orauit postremo; ne quod votis omnibus expetendū erat, vltro oblatum ipsi autē fastidiant.

XVIII. *Philippum deinque deserunt.* EIVS oratio non singulorum modo, sed populorum ipsorum altercatione excepta est, quoniam tamen pauciores in Philippum propendebant, priusquam decretum de societate Achæorum cum Attalo & Rhodijs fieret, qui maiore aliquo beneficij vinculo, cum Philippo & Macedonibus coniuncti erant, è concilio excesserunt; e æteri decretum confirmarunt. Cum Romanis tamen, quia iniussu populi non poterat rata esse societas, id id tempus, quo Romam mitti legati possent dilata est. In præsentia tres legati ad Quintium Consulem missi, qui captis Cēchreis, *Legatos ad Consulem mittunt.* id est Corinthiorum nauale, ipsam Corinthum oppugnabat. Eodem accesserunt omnes copiæ Romanorum, Attali, Rhodiorum: qui primum segnius oppugnabant, sperantes dissidium oppidanos inter & regios exorturum; sed postquàm vtrique magna concordia vrbem, *Qui Corinthum oppugnant.* tamquam communem patriam tuebantur, omnis spes oppugnantium in vi & armis esse cœpit.

XIX. *Irritus conatus.* ROMANI ex ea parte quam oppugnabant ariete crebro partem aliquam muri deiecerunt: eò cum Macedones cōcurrissent, atrox prælium cum Macedonibus commissum est. Aderat & magna multitudo perfugarum Italicorum, qui cum Annibale in Africa pugnauerant; deinde metu pœnæ se Philippo dediderant, hi quia nihil præter crucem sperabant à Romanis, si vicissent, ad rabiem magis, quam ad audaciam accendebantur. Sed cum Philocles præfectus *Corinthus Philippo seruatur.* regius per Bœotiam mille & quingentos milites Corinthū introduxisset, & ijs eruptionibus vrgerentur obsessi, vt facile sustinere non possent, Attalo primum, deinde etiā Quintio omittendam oppugnationem visum est. Itaque irrito incepto dimissis Achæis, in naues reditum est. Attalus Piræeum, Romani Corcyram petierunt. Ita Corinthum primo concordia incolarum, deinde propugnantium copia, postremo salus desperata seruauit.

Argos acquiritur. QVÆ etiam Corinthi fortuna Argos Philippo per eosdem dies acquisiuit, deditione Philoclis per primarios ciuitatis facta. Vrbem tenebat Ænesidemus, cum quingentis militibus Achæis, flore iuuentutis; qui cum proditionem sensisset, obuiam hosti cum præsidio venit. Mittitur à Philocle, qui vrbe excedere iubeat: quod ille primo contempsit, mox autem cernens se tam multis partibus numero cedere oppidanis, qui cum Macedonibus sentirent; tā multos præterea adesse Macedones, quos Romani ad Corinthum sustinere non potuissent, ne vrbem simul cum aliquot è suis clientibus, in præsidio creditæ sibi vrbis armatum moriturum dixit: tum iussu Præfecti Thracum telis confixi, omnes interfecti sunt. Sed ne vni parti omnia, aut læta essent, aut tristia, Elatia Romanorum mœrorem, & Philippi gaudia temperauit.

CONSVL enim ad Elatiam redijt, & re per colloquia frustra tentata, omni ex parte vrbem, operibus armisque aggressus est: & cum partem muri, vna ex parte ariete conquassatam, magno fragore deiecisset, illuc videlicet vim omnem resistentium adduxit. Interea alijs ex partibus scalis in muros euasit, & vrbe potitus est, ciuibus cum præsidio in arcem euolantibus; quæ ipsa post vrbem direptam, deditione in Consulis potestatem venit. Hæc à Romanis in Græcia hac æstate, terra marique gesta. XXI. *Elateam Romani capiunt.*

Interea nihil memorabile in Gallia, ab altero Consule, cum gemino licet exercitu, gestum est, Placentinos & Cremonenses, quos proximum bellum dissipauerat, in colonias suas reduxit.

SED quieta Gallia, seruilis tumultus prope vrbem erupit, aut potius cum erupturus esset, indicio seruorum duorum, & vnius liberi patefactus, & studio ac diligentia L. Cornelij Lentuli Prætoris vrbani, primo Setiæ cōpressus, principibus coniurationis comprehensis: deinde Præneste quingentorum supplicio. Erant hi ferè Africo bello capti, partim etiam Africanis obsidibus, qui erant ex claris familijs, seruiebant, & Setiam, Norbam, Circeios, per eædem populi spectaculis intenti, occupare decreuerant. Et quoniam timuit ciuitas, ne obsides, captiuique Pœnorum ea moliri essent, intentiore deinceps cura, arctioreque custodia seruati sunt. XXII. *Seruilis Romæ tumultus.*

M. Porcius Cato Sardiniam obtinebat, vir sanctus & innocens, ait Liu. asperior tamen in fœnore coërcendo habitus, fugatique ex insula fœneratores, & sumptus quos in cultum Prætorum socii facere soliti erant, aut circumcisi, aut sublati. *Cato in Sardinia Prætor.*

SCOLIVM IN ANNVM MVNDI 3856.

NAm Flamininum, non Flaminium dicendum, Sigonius, Onuphrius, alijque contendunt, itaque legitur in fastis capitolinis, & in Eusebij chronico Græco Scaliger edidit Φλαμινῖνος; & Flamininos patricios esse volunt, Flaminios autem plebeios, reprehenduntque autorem l. de vir. ill. qui hunc T. Quintium dixerat filium Flaminij. (idem legitur in vita Annibalis apud Plutarchum in fine,) qui ad Thrasimenum perijt, quod patricius plebei filius esse non possit: idque probabile admodum puto, & paulo post non infirmo, vt arbitror argumento solidabo. In hoc Flaminino deceptus est etiam Plutarchus in eius vita. Nam eum plebeium fuisse arbitratus est, quem ait tribunatum plebis, præturam, ædilitatem prætermisisse: atqui patricij tribunatu plebis non fungebantur. Addit etiam nondum 30. annos natum consulem factum, non repugnante Liuio, qui anno quo pacem cum Philippo fecit, trium ferme & 30. annorum fuisse dicit. l. N. vi.

* *
*

ANNVS MVNDI 3857. SEXTÆ AETATIS 341. Imperij Græcorum 115. Antiochi Magni 28. Oniæ III. Pont. 11. Ptolemæi Epiphanis 7. Philippi 24. Olympiadis. CXLV. Ann. 4. Vrbis Conditæ 556. Coss. Cn. Cornelio Cethego, & Q. Minucio Ruffo. Belli Macedonici 4.

ANNVS ANTE CHRISTVM 196.

I. *Series rerum & temporũ.* IN huius & superioris anni rebus ab Antiocho gestis explicandis fidum habemus ducem T. Liuium l. 33. ea quo discimus, Antiochum, (cum priore æstate omnibus, quæ in Cœlesyria sunt, ciuitatibus Ptolemæi in potestatē redactis, Antiochiæ hyemem transegisset) his Consulibus, omnibus regni viribus aduersus Epiphanem connixum, cũ ingentes copias terrestres maritimasq; comparasset, principio veris præmisisse terra cum exercitu filios duos Arduē ac Mithridatem, iussisseque Sardibus se opperiri. *Antiochi expeditio in Epiphanem.* Ipse autem, inquit, cum classe centum tectarum nauium, ad hoc leuioribus nauigijs, cercurisque ac lembis ducentis proficiscitur, simul per omnem oram Ciliciæ & Cariæ tentaturus vrbes, quæ in ditione Ptolemæi essent: simul Philippũ, necdum enim debellatus erat, exercitu nauibusque adiuturus.

II. *Cur Rhodij obuiam per legatos.* TVM Rhodij, pro egregia sua in Pop. Rom. fide, nihil tā tamen male imminentis belli territi, legatos ad Regē miserunt Nephelida, (promontorium id Ciliciæ est, inclytũ fœdere antiquo Atheniensium) si eo non contineret copias suas, se obuiam ituros, non ab vllo odio, sed ne cõiungi Philippo paterentur, & impedimento esse Romanis liberantib' Græciam. quam legationem ne stultam dicamus, oportet Rhodios eo tempore fuisse admodum potentes. *Multas accepit vrbes.* Coracesium tunc Antiochus oppugnabat, Zephyrio, & Solis, & Aphrodisiade, & Coryco, & superato Anemurio, promõtorium id quoque Ciliciæ est, Selinunto recepto; omnibus his, alijsque eius oræ castellis, aut metu aut voluntate, sine certamine in deditionem acceptis: Coracesium præter spem clausis portis tenebat eum. Hæc ferè Liuius, quæ omnia loca apud Ptolemæum in Asiæ tab. 1. reperies, & apud D. Hieron. in c. 11. Dan. sed addit Mallon in Cilicia, in Lycia vero Andriacem, & Patram siue Pataram & Xanthũ, & ad extremum Ephesum.

III. *Antiochus prudenter respondet legatis.* An Coracesium (quod oppidum in Cilicia aspera ponit Ptolem. & vicinum Pamphiliæ, totiusque Ciliciæ postremum) legatos Rhodiorũ audiuit Antiochus; & quamquā ea legati berat, quæ accendere animum posset, temperauit irā, & legatos se Rhodum missurum respondit, qui vetusta iura sua, maiorumque suorum cum ea ciuitate renouerent, vetarentque eos aduentum Regis pertimescere, qui nihil ipsis, eorumue socijs damni allaturus sit; nec Romanorum se amicitiam violaturum, qui recens legationem suam honorificè recepissent, à quibus honorificis decretis ornatus esset.

IV. *Rhodiorum Antiochum arma parant.* HÆc dum Regis legati in concione Rhodiorum agerent, nũcius venit debellatum ad Cynoscephalas esse (postremo scilicet prælio victum Philippum, ad illos Thessaliæ montes; qua de re paulò post.) Quo nuncio accepto Rhodij omni metu à Philippo deposito, obuiam ire Antiocho cum classe statuerunt; curam tamen non omiserũt tuendæ libertatis ciuitatũ Sociarũ Ptolemæi, quibus bellũ ab Antiocho imminebat. Nā alias auxilijs iuuerunt, alias prouidendo ac præmonendo conatus hostis: *Et ciuitates contra eum tuentur.* causaque libertatis fuerunt Caunijs, Myndijs, Halicarnassensibus, Samijsque. Non operæ est persequi, vt quæque acta in his locis sint, cum ad ea quæ propriè Romani belli sunt vix sufficiam. Hæc Liuius. Illæ porro vrbes quas nominat, in Caria sunt, præter Samum insulam Epheso propinquam, & ad Cariam pertinent prouinciam Rhodo vicinam. Sed iam tempus est, vt ad Romanos & Philippum transeamus.

V. *Noui Coss. Quintio prorogatum imperium.* CVM Sex. Ælius Consul ea Gallia Romam comitiorũ causa reduxisset, creauit Coss. Cn. Cornel. Cethegum, & Q. Minucium Rufum. Biduo post comitia Prætorum habita, in quibus sex Prætores primum creati sunt, vt alibi ex causa notauimus, crescentibus scilicet prouincijs, & latius Romano Imperio se diffundente. Coss. autem parantibus Italiam & Macedoniam prouincias sortiri, Tribuni plebis obstiterunt, quod longinqua prouincia Macedonia esset, nec aliam magis rem impedimento fuisse, ne bellum iam confectum esset, quam quod vix dum inchoatis rebus, in ipso conatu gerendi belli prior Cons. reuocaretur. Quartum iam annum esse ab Decreto Macedonico bello, Sulpicium quærendo Regem & exercitum eius, maiorem anni partem absumpsisse. Villium congredientem cum hoste re infecta reuocatum. Quintium rebus diuinis maiorem partem anni retentum. (Idem tamen Liuius maturius cæteris Consulibus profectum dixit) ita gessisse tamen res, vt si aut maturius in prouinciam venisset, aut hyems magis sera fuisset, potuerit debellare: nunc ita parasse bellum, vt nisi successor impediat, perfecturus æstate proxima videatur.

VI. *Et impetratur.* HÆc aũt Quintius Romæ per amicos satagebat, paratus aut pacem aut bellũ conficere, prout de successore decretũ à Senatu fuisset, ne scilicet proprij laboris laudem & fructum alteri concederet. Quæ etiam causa fuit Scipioni pacis in Africa conficiendæ, vt supra cum Liuio diximus: in quo propriam gloriam Reip. vtilitati anteferebant. *Vt Metellus Mommio in bello Achaico.*

Cum supplemento militari. Patres ambobus Coss. Italiam prouinciam decreuerũt, T. Quintio prorogarunt imperium, donec successor ei venisset. Eidemque supplementum decretum est, peditum quinque millia & trecenti equites, & sociorum naualium tria millia. Classis etiam præfectura L. Quintio eius fratri prorogata est. Interea Quintius capta Elatia, in Phocide, ac Locride hyberna habebat: cum Opuntij seditione laborare cœperunt, alijs Ætolos, alijs Romanos præferentibus, & Opunte ciuitate sua potiri cupientibus, cuius arcē Regium præsidium tenebat. Cum caduceator à Philippo rege venit, locum ac tempus colloquio petens: quæ res oppugnationem Opuntiæ arcis retardauit.

VII. *Colloquium Regis cum Consule.* In grauate Regi concessum est à Quintio, qui nondũ sciebat sibi imperium esse prorogatum; concessum est tamen; locus electus est littus prope Nicæam in sinu Maliaco, inter Demetriadem vbi erat Philippus, & Elatæam in qua Consul morabatur, quasi media. Eo Demetriade venit Philippus cum suis, & Consul cum Animandro Regulo, & Atalo legato, & præfecto Rhodiæ classis, Achæorum quoque ac Ætolorum legatis. Ibi post plurimam aliquot dierum altercationem, quam accurate Polyb. l. 17. & Liuius l. 32. tradiderunt, eo denique descendit Philippus, vt se promitteret Romanis tota Illyrici ora cessurum, perfugas captiuosque remissurum. *Et conditiones parat.* Attalo naues naualesque socios, Rhodijs regionem, quam Peræam vocant, redditurũ, Iasso, & Bargyllis non cessurum: Ætolis Pharsalum & Larissam, non tamen Thebas redditurum: Achæis non Argis modo, sed etiam Corintho cessurum. Quæ cum partibus non probarentur, postremo perijt tempus, quo legatos Romam ad Senatum mittere posset, aut his conditionib' se pacem impetraturũ, aut quascunque Senatus dedisset, leges pacis accepturum.

VIII. *Legati Romā missi.* In cæteris haudquaquam placebat, quod dicerent moras tantum ad colligēdas vires quæri. Restitit eis Quintius, quod nec id tempus rebus gerendis idoneum esset, nec pax nisi conscio Senatu confici posset. Cæteris in eam sententiam adductis, induciæ in duos menses concessæ sunt, ea tamen lege vt Regia præsidia Phocide ac Locride extēplo deducerentur. Misit Philippus Romam legatos, misit & Quintius, ac cæteri populi, qui cum Philippo contendebant.

Romæ agunt. Vt ventum est Romam priua sociorum legati, quam Regis auditi sunt; quorum cætera oratio conuitijs in regē consumpta est. Mouerunt maximè Senatum demonstrādo maris terrarumque eius regionis situm, vt omnibus appareret si Demetriadem in Thessalia, Chalcidem in Eubœa, Corinthum in Achaia Philippus retineret, non posse liberam esse Græciam: & ipsum Philippum non con-

Compedes Græciæ. tumeliosius quàm verius, compedes eas Græciæ appellare. Legati deinde Regis intromissi, quibus longiorem orationem exorsis, breuis interrogatio sermonē incidit, cessurusne esset ijs tribus vrbibus Philippus; cum negarēt quicquam sibi de his nominatim esse mandatum.

IX. *Infecta pace redeunt.* SIC infecta pace regij dimissi, Quintio liberum arbitriū pacis ac belli permissum est. Qui vt intellexit non tædere belli Senatum, ipse victoriæ quàm pacis auidior, neque colloquium postea Philippo dedit, neque legationem aliam admissurum se dixit, quam quæ omni Græcia decedi nunciaret: Hæc Liuius omnia ex Polybio.

Philippus Nabidi Argos committit. Philippus cum acie decernendum videret, & vndique ad se contrahendas vires; de Achaiā plurimum à se remota, in primisque de Argis solicitus, quæ vrbs nuper ad eum defecerat, eam Nabidi Lacedæmoniorum tyranno fiduciarum dare constituit, vt victori sibi restitueret; si quid aduersi accidisset, ipse retineret sibi: idque negotium Philocli, qui Argis & Corintho regis nomine præerat, committit.

X. *Qui eo se grassatur.* NABIS negat aliter se vrbem eam accepturum, nisi Argiuorum ipsorum decreto accersitus ad auxilium vrbis esset: vt scilicet eius diripiendæ occasionem haberet, satis enim sciebat se ciuibus perquam infensum esse. Itaque vt frequenti concione non aspernatos modo, sed execratos nomen Tyranni audiuit, causam se spoliandi eos nactum ratus, Philocli se paratum exhibuit ad vrbem accipiendā. Nocte ignatis omnibus in vrbem acceptus est tyrannus: qui primâ luce superiora omnia loca occupat, portasque claudit, paucis principum, inter primum tumultū elapsis, quorum absentium fortunæ direptæ, præsentibus aurum atque argentum ablatum; pecuniæ ingentes imperatæ: qui non cunctanter contulere, sine contumelia & laceratione corporū sunt dimissi; quos occulere, aut retrahere aliquid suspicio fuit, seruilem in modum lacerati atque extorti sunt. Inde faces duas accendit ad plebem in optimates accendendam, tabulas nouas, & agrorum diuisionem.

XI. *Et Philippo defertur ad Romanos transfit.* VBI vrbem in potestate habuit, immemor à quo, & qua conditione eam accepisset, amicitiam Romanorum expetijt, quam concedebat Quintius, modo is bellum cum Achæis finiret, & sibi auxilia contra Philippū mitteret. Pro pace inducias cum Nicostrato Achæorum prætore in 4. menses fecit, auxilio autem misit Romanis sexcentos Cretenses. Ea Nabidis à Philippo defectio Philoclem labefecit; hortanti quippe Quintio vt ad se transitet, vrbemque Corinthum traderet, ita respondit, vt rem distulisse magis, quam negasse videretur. Quintius à Corintho Antycytā traiecit, & inde fratrem ad tentādam Acarnanum gentem *Vxorem prædatricem Argos mittit.* misit; Argis autem firmato præsidio Nabis Lacedæmonē regressus, cum ipse viros spoliasset, ad fœminas spoliandas vxorem Argos remisit. Ea nunc singulas illustres, nunc simul plures genere inter se iunctas domum accersendo, blandiendoque ac minando, non aurum modo, sed vestē quoque, ac postremo mundum muliebrem eis omnem ademit. Ita Liuius; quæ reuocant in memoriam, tum aliam huius Nabidis in Lacedæmonios crudelitatem, tum eam quam specie vxoris suæ in eos exercuit; quam Polyb. extremo l. 13. retulit.

XII. *Simulacrum vxoris eius, tormenti genus.* SIMVLACRVM mulieris construxit, veste ac cultu pretioso, formæ similitudine, vxorem suam eximia arte referens. Quoties autem ciuium aliquos ad se euocasset, vt pecunijs emungeret, eis accurata oratione sumptus bellicos exponebat in defendenda ab Achæis ciuitate, & reliqua omni administratione Reipublicæ. Si quis nihilominus ad expromendam pecuniam non flecteretur, equidem, inquiebat, quod cupio tibi persuadere non possum, Apegam vero hanc, id Nabidis coniux habebat nomen, puto tibi persuasuram. Statimque aderat simulacrum quod diximus. Tum tyrannus vbi è sede sua mulierem excitasset, per speciem comitatis dextram prehendens, vtraque manu collocutorem amplectebatur, ac paulatim ad pectus admouebat, erant autem illi cubiti ac brachia ferreis clauis plena, quos vestis occultabat, similiter etiam in mammis infixos habebat clauos. Quādo igitur brachia impresserat dorso mulieris, organis quibusdam attrahebatur ad eius mammas, & compressus miserabiles voces edere cogebatur. Eoque modo plerosque sustulit, qui pecunias dare recusabant. Ita Polybius.

XIII. *Præludia ad summa pugnæ.* SED iam tempus est vt ad certamen, quo à Romanis cū Philippo debellatum est veniamus. Id T. Liuius initio l. 33. tradidit, vt ex eiusdem libri Epitome constat; sed quia ea pars illius libri desideratur, eam pugnam ex Polybij 17. cōmodum mutuabimur.

Sequebatur Quintius Philippum, qui, vt dudum Fabius contra Annibalem, potius ex occasione hostem clade aliqua afficere, quam de summa rei iusto prælio decertare cupiebat; quod è contrario Romanus optabat. Vterque exercitus erat in Thessalia ad Pelasgicum sinum, Romani Larissā profecti, circa Thebas consederant; Philippus, Pheras duxit, præmissis qui summos colles occuparent; præmiserant & Romani, nec se propter cœli caliginem, nisi iam iacet se vicini animaduerterunt, statimque ad duces suos, ipsis reuocantibus sunt regressi. Postridie eius diei duces vtrique speculandi gratia tricenos equites, totidēque velites miserūt; in his dux Ætolorum turmæ pro Romanis erant, propter locorum peritiam electæ. Pugna inter eos commissa est atrox & diuturna, tandem Macedonū deterior conditio fuit.

XIV. *Exercitus insciis propinquant.* INDE Philippus Scotussam iter flectit, eodem & Quintius ad segetes corrumpendas properat, sed vterque exercitus altis collibus separatus, alter alterum videre non poterat, vt bidui iter ambo de altero ignari conficerent. Philippus interea ad locum destinatum peruenire cupiēs, motis castris copias circumducebat: sed propter diei præcedentis effusos imbres, tanta se caligo terris effuderat, vt vix quisquam alium ante pedes stantem cerneret. Itaque postquam non multum viæ confecisset, vallum castris circundedit, vnde præsidium idoneū emisit, dato præcepto, vt tumulorum intermediorum vertices insiderent. Quintius quoque anxius vbi castra haberet hostis, decem equitum turmis antecedentibus, velites ad mille dimisit, iussos caute explorare loca, & agros incursare. Illi dum ad iuga collium ire pergunt, imprudentes, propter eius diei tenebras, in stationes Macedonum incidunt, manusque cōserunt.

XV. *Pugnare incipiunt.* IN eo concursu Romani cum laborare inciperent, subsidium è castris suis acciuerunt: summittit Quintius duo peditum millia cum quingentis equitibus, quo auxilio recreati animose pugnant; Macedones cedere incipiunt, & à Philippo interim curriculo opem petunt. Ille, qui nunquam futurum cogitarat, vt eo die de summa rei dimicaretur, bonam partem è castris eductam pabulatum miserat: nihilominus laborantibus suis Thessalicum equitatum, & Macedonicum auxilio summisit, quib* aucti Macedones hostibus incumbunt, & Romanos de summis collibus depellunt; & nisi per pertinax Ætolorum propugnatio obstitisset, terga penitus vertere hostes coēgissent: sed *Varia mutatio.* Ætoli dum hostium impetum audacius sustinent, Romani ex fuga sese colligunt, & in hostem rursum obuersi consistunt. Hic Quintius, videns ex illorum fuga totum exercitum affectum metu, copias omnes educit, aciemque ad pugnam instruit, & adhortatione animos ad victoriam, de toties iam superato hoste accendit.

XVI. *Toto copiis pugnatur.* PHILIPPVS viceuersa excitus à suis, lætum nuncium de fuga Romanorum cursu afferentibus, & ipse licet displiceret pugnæ locus, (tumuli erant, quos capita canum ob similitudinem vocabant,) tamen inchoatam victoriam vrgere cupiens, toto exercitu prælij aleam subit, & occupato celeriter superiore loco, ex quo Romani depulsi fuerant, cum ingenti clamore vtrinque concurritur; Regios iuuabat inchoata victoria, & loci conditio, Romanos cōscia virtus. Dextera pars Regiæ aciei secundam pugnam ex superiore loco ciebat, & sinistram Romanorum aciem *Pars vna vtrinque victrix, altera vincitur.* multis occisis impulerat. Id T. Quintius animaduertens, & totam spem salutis in dextera parte positam cernens, eo se maximo cum impetu contulit; & hostem parum expeditum ad pugnam inueniens profligat; & fugientes insequitur, ita vtroque in exercitu pars vna vincebat, altera vincebatur.

XVII. *Victores victi vincuntur.*

Hic Tribunus militum cum 20. signis consilium è re nata capit. Cernens enim Philippum longè vltra reliquam aciem suam progressum, læuam Romanæ aciei partem obterentem, in terga victorum cum suis sæuire infestus cœpit. At quoniam Phalangis ea ratio est, vt retrorsum cõuertere se, & viritim prælium capessere non possit, facilè cædebantur; donec proiectis armis fugam arripere coacti sunt: præsertim cum Romani conuerso vultu eos, à quibus nunc fugabantur inuaderent. Quæ cum Philippus animaduertisset, congregata subito Thracum & Macedonũ manu, fugæ se dedit.

Titus fugientes persequitur, & dum in colles aciem erigit, sinistros Macedonum ordines eo tantum peruenisse offendit; à quibus cędendis abstinuit, quia sarissas tenebãt non demissas, quasi pugnaturi, sed in altum erectas, quasi deditionem, aut transitionem facturi. Philippus versus Tempe se recepit, suos ex fuga collecturus.

XVIII. *Quintii victoria.*

Quintius castris, victoriaque potitus est, amissis circiter septingentis. E regijs verò desiderata sunt circiter octo millia, nec pauciores quinque millibus viui capti. Hæc de bello Polybius. Addit ijs Zonaras, Philippum victum & profligatum, cum Larissam, & circumiacentes ciuitates in victoris partes concessisse audisset, caduceatoribus missis, pecuniaque, & præter alios filio Demetrio obside dato, inducias à Flaminio impetrasse, & legatos Romã pro pace misisse, qui cũ legatis Flaminini, sub ipsa comitia consularia in vrbem venerunt: itaque & pax in annum sequentẽ differenda est. Hæc quoque à Iustino l.30. tanguntur, sed pleraque omnia perturbatè. Illa autem vix ferenda, quod Philippum hoc tempore puerum vocet immaturæ ætatis Flamininus, qui 24. regni agebat, & ætatis 38. cum ipse hoc tempore vix 32. ageret, vt ex Liuio constat, & Plutarcho. Nec illud scienter dictum, omnibus eum Thraciæ vrbibus, velut regni membris spoliatum; cum nulla fiat Thraciæ mentio in omnibus conditionibus pacis, sed Thessaliæ, & vrbium tota Græcia, & Peloponneso sparsarum, vt anno seq. patebit.

Legati de pace. Iustini argutiae. Melius in Iust. quidã legunt Græciæ.

XIX. *Leucas expugnatur à Romanis.*

Dum T. Quintius in Thessalia Philippum vincit, L. Quintius eius frater in Acarnania bene rem gerit. Vrbem oppugnat Leucadem Acarnaniæ caput, vt Florus in epit. 33. tradit: (Liuius tamen Acarnaniam à Leucadia separat, eique air ex parte cohærere) oppugnat autem non difficilem illam quidem, quod ad muros attinet, expugnatu, sed inexpugnabiles erant ciuium animi, ita die nocteque, si qua in muris quassabantur reficiebant, patefacta obstruebant, & armis magis muros, quam seipsos mœnibus tutabantur. Diutiusque spe Romanorum obsidionem illã extraxissent, ni exules quidam Italici generis Leucade habitantes, ab arce milites accepissent: quos tamen è superiore loco decurrẽtes, Leucadij, acie in foro instructa, iusto prælio aliquandiu sustinuerũt: interim & scalis in summa muri euaserunt, & per ruinas in vrbem vniuersæ copiæ irrupere; tum denique Leucadij, qui reliqui erant, deditionem fecerunt. Et post paucos dies audito prælio, quod ad Cynoscephalas commissum fuerat, omnes populi Acarnanię in deditionem legati venerunt.

Acarnania deditionem facit.

XX. *Rhodii Peræam occupant.*

Iisdem diebus Rhodij Peræam regionem continentẽ, à Philippo occupatam, à suis maioribus possessam armis sibi vendicarunt, Pausistrato prætore, fusis fugatisque Macedonibus, cum regio præfecto Dinocrate. Ita, vt est in prouerbio, nunquam vnico ictu hominem fortuna pulsat. Quod si confestim victores Stratoniceam petissent, poterant eam quoque vrbem sine certamine recipere: at quia in castra receperunt se, Dinocrates cum reliquis copiarum eam firmauit, frustraque mox oppugnata est; donec eam Antiochus aliquanto post cœpit.

Interea dum audisset Philippus Dardanos transgressos regni fines, superiora Macedoniæ euastare, quamuis toto prope orbe terrarum, vndique se suosque profligante fortuna vrgebatur, tamen morte tristius ratus Macedoniæ etiam possessione pelli, delectu raptim per vrbes Macedonũ habito, cum sex millibus peditum, & quingentis equitibus, circa Stobos Pelagoniæ improuiso hostes oppressit: qua expeditione refectis suorum animis Thessalonicam recepit sese. Et de Asianis, Macedonicisque rebus huius anni satis.

Philippus Dardanos opprimit.

XXI. *Noui in Hispania motus.*

Cum hic esset rerum ad Orientem status, vixdum terminato cum Philippo bello, certe pace nondum perpetrata, vt ait Liuius, ingens in occidente, Hispania videlicet vlteriore, coortum est bellum. Eam M. Seluius prouinciam Prætor obtinebat, sicut citeriorem Cn. Sempronius Tuditanus. Seluius literis Senatum certiorem fecit, Colcam & Luscinum Regulos in armis esse, cũ Colca decem & septem oppida, cum Luscino validas vrbes Cardonem & Bardonem, & maritimam oram omnem, quæ nondum animos nudauerat, ad finitimorum motus consurrecturam. His literis à Sergio prætore recitatis, decreuerunt Patres vt comitijs prætorum perfectis, quamprimum ad Senatum de Hispania referretur, quod & factum est: sed ea res in annum sequentem, in qua huic malo prouisum est, etiam cadit. Super est vt aliquid de rebus in Italia hoc anno gestis dicamus.

XXII. *Res in Italia gestæ.*

Consules ambo in Galliam profecti sunt. Cornelius recta ad Insubres, qui tum in armis erant: Q. Minucius in læua Italiæ ad inferum mare flexit iter, Genuamque exercitu abducto, ab L guribus orsus est bellum: vbi sine certamine 15. oppida, & ad 20. millia virorum dediderunt se. Inde Boiorum agros exercitu vastauit. Ea res Boios ad sua defendenda celeriter exciuit, etsi Padum traiecerant, vt coniunctis cum Insubribus, & Cenomanis copijs, Romanis resisterent, quos simul contra se venturos crediderant. Ita diuisis copijs facilior victoria fuit. Boijs ad suum agrum tutandum profectis, Insubres atque Cenomani super amnis Mincij ripas consederunt. Infra eum locum quinque millia passuum Consul Cornelius castra applicuit. Et cum didicisset Cenomanicam iuuentutem non missu seniorum ac Magistratus, sed sponte sua Insubribus auxilio venisse, excitis eorum principibus, id moliri cœpit, vt desciscerent ab Insubribus Cenomani, & signis sublatis, aut domos redirent, aut se Romanis adiungerent. Id modo impetratum est fore vt in acie quiescerent, aut si qua etiam occasio fuisset, adiuuarent Romanos.

Boii abducuntur ab Insubribus.

Cenomani mutant.

XXIII. *Insubres à Romanis magna clade victi.*

Ea de re nonnihil suspicantes Insubres, nõ in alterutro cornu, vel in acie, sed in subsidijs eos collocarunt. Concursum est vota æde à Consule pro victoria: vix Insubres primum impetum tulere; aliqui etiam addunt à Cenomanis repente initam fugam. Cæsa dicuntur 35. millia hostiũ, quinque millia & 700. viui capti. In ijs Amilcarem Pœnorum imperatorem, qui belli causa fuisset: signa militaria 130. & carpenta supra ducenta. Oppida verò, quæ defectionem secuta erant, dediderunt se Romanis. Ita Liuius; nesciò an oblitus quod supra l.31. dixerat, Amilcarẽ, qui belli dux fuerat, in acie cecidisse, contra L. Furium, in obsidione Cremonæ: nisi forte hic alius est Amilcar, quem mox Cornelius duxit in triumphum.

Alter Consul Minucius ad reditum Boiorum continebat se castris, expectans vt cum ijs acie decerneret: sed nũciata Insubrum clades animos eorum fregit: itaque relicto duce, castrisque, dissipati sunt per vicos, sua vt quisque defenderet, & bellum per vicos circumlatum est. Deditionẽ & Ligustici Iluates secuti sunt, eodem quo Boij nuncio metuque deterriti. Lætæ inde literæ Romam delatæ, & supplicatio in quatriduum decreta. At cum postea triumphum ambo peterent, vt qui eandem ambo prouinciam decreto accepissent, iunctique rem gessissent. Tribuni pleb. postularunt, atque adeo perseuerantia obtinuerunt, vt Coss. seorsim triumphum peterent: & Cornelio quidẽ facile concesserunt, Minucius cum à triumpho repelleretur, se in monte Albano triumphaturum dixit; quod & fecit, non multo minore triumpho.

Boii aliique populi deditionem fecere.

Triumphus Coss.

* * *

ANNUS

ANNVS MVNDI 3858. SEXTÆ ÆTATIS 342 Imperij Græcorum 116. Antiochi Magni 29. Oniæ III. Pontificis 12. Ptolemæi Epiphanis 8. Philippi 25. Olympiadis CXLVI. Ann. 1. Vrbis conditæ 557. Coss. L. Furio Purpureone, & M. Claudio Marcello.

ANNVS ANTE CHRISTVM 195.

I. *Ratio temporis. Pax Aegypt. & Macedonum. Dan. 11. 17.* GEMINA pace insignis est hic annus, (qui Olympiadem inchoat centesimam quadragesimam sextam, & Olympionicam nominat Mnesonem Bœotium,) altera Philippi cum Romanis, altera Antiochi & Epiphanis. Vtramque pacem ad hunc annum, hosque Consules pertinere optimus testis est Liuius l. 33. qui primam illam sub Consulatu Furij & Marcelli fuse exponit; posteriorem vero memorat, vbi Antiochus legatis Romanis, à quibus pax Philippica tractata fuerat, respondet, sibi cum Ptolemæo amicitiam esse, & id agere se, vt breui etiam affinitas iungatur. Ex quo intelligitur pacem Macedonicam priorem fuisse pace & affinitate Antiochi cum Ptolemæo. Eusebius quoq; anno primo 146. Olymp. ait Romanos, Græcos liberos esse iussisse. De Olympiade quoque consentit Onuphrius, cæterique passim chronologi. Res Antiochi, quia à Daniele tangitur, primo loco explicabitur. Eius verba hæc sunt.

II. *Pax Antiochi cum Aegypto.* Et ponet faciem suam (Antiochus) *vt veniat ad tenendum vniuersum regnum eius, & recta faciet cum eo, & filiam fœminarum dabit ei, vt euertat illud, & non stabit, nec illius erit.* Vbi Hieronym. volens Antiochus non solum Syriam, & Ciliciam, & Lyciam, & alias prouincias, quæ Ptolemæi fuerant partium, possidere, sed in Ægyptum quoque regnum suum extendere, filiam suam Cleopatram, per Euclem Rhodium, septimo anno Regni adolescentis, despondit Ptolemæo, & tertiodecimo tradidit, data ei dotis nomine omni Cœlesyria, & Iudæa. Ita D. Hieronymus. Quæ ex Iosepho *ob l. 12. c. 4.* confirmabuntur, cum de nuptijs agetur. Cæterum hic annus fœderis, & promissarum nuptiarum vocatur ab eo septimus, quod de exeunte intelligendum est. Nam toto ferme anno superiore eius vrbes in Cilicia, Lycia, Caria bello cepit: nisi malis pro septimo octauum substituere, iuxta ea quæ ex Liuio retulimus.

III. *Quo cum consilio & fine.* Hic ergo annus paci datus est. Quā ad rem victus iam & profligatus à Romanis Philippus multum profuit; iuncti enim cum eo viribus, Ægypti se compotem fore sperabat: ea spe frustratus, aliam inise viam molitur, & per speciem affinitatis, dum escam Cœlesyriam offert, totam Ægyptum deuorare; sed cum hęc quoque spes fefellit.

Ad hoc ipsum tempus pertinere arbitror literas, ab Antiocho ad Ptolemæum scriptas, quas habet Iosephus l. 12. c. 3. quibus Iudæorum erga Antiochum studium cōmendatur; & gratiæ ab eo rependuntur. Hunc porro Ptolemæum non Ægypti regem, sed quempiam Antiochi subditum, Iudeæ præfectum esse, præmonet Iosephus, & breuiter ipsæ satis docent, quas apud eum leges. Addit & Antiochi decretum: quorum cum nullum proferat testem, fateor hominis fidem mihi hoc etiam loco esse suspectam.

IV. *Sortitio prouinciarum.* Consvles noui, cum de Prouincijs ageretur, & Italiam vtrique Prouinciam Senatus decerneret, petebant vt Macedoniam cum Italia sortirentur. Marcellus Prouinciæ Macedonicæ cupidior erat, ideoque pacem simulatam & fallacem dicebat, regemque extemplo rebellaturum, si inde deductus fuisset exercitus: populus tamen vniuersus pacem esse cum Philippo iussit. Ad quem omnium tribuum consensum non leue momentum attulit, tristis ex *Hispanica clades.* Hispanis nuncius allatus, vulgatæque literæ C. Sempronium Tuditanum Proconsulem in citeriore Hispania prœlio victum; exercitum eius fusum fugatumque, & illustres viros in acie cecidisse; ipsumque Tuditanum cum graui vulnere elatum ex prælio, haud ita multo post expirasse. Ergo vtrique Coss. decreta est Italia. Noui Prætores Fabius Buteo, & Minucius Thermus cum nouis copijs ad nouum bellum profecti sunt: nouum inquam bellū, quia tum primum suo nomine, nullo Punico exercitu aut duce, ad arma ierant, quinto post anno quam bellum in Hispania cum Punico bello finitū fuerat, vt ait Liuius. Quintio autē prorogatum est Imperium, vt pacem, vti cœperat, conficeret, & res Macedonicas, Græcasque componeret.

QVOD ergo ad Macedonicam attinet pacem, cum creati essent Coss. L. Furius Purpureo, & M. Claudius Marcellus, exeunte anno datæ literæ à T. Quintio Flaminino allatæ sunt, se collatis signis cum Rege Philippo in Thessalia pugnasse, hostium exercitum fusum fugatumq;. Quę literæ prius in Senatu, deinde eius autoritate in concione ad populum recitatæ, magna lætitia ciuitatem perfuderet; quæ pro solita in cœlites pietate, quinque dierum supplicationes decrauit, agnoscens diuinam in se benignitatem ac prouidentiam, quæ sicut nuper prius bellum Punicum terminauit, quam Macedonicum inchoaretur; ita & finem imposuerit Macedonico, Antiocheo iam imminente, ne simul à duobus potentissimis hostibus obrueretur. V. *Pax cum Philippo prudenter inita.* Plutarchus certe Quintium prudenter prospexisse Romanis rebus affirmat, ineunda cum Philippo pace, quam Ætoli reijciebant. vt constat ex legationibus Polyb. n. 6. volebantque bello radicitus excindere, & conculcare regnum, à quo primo Græcia fuisset iugo seruitutis oppressa. Sapienter ille tamen; ne si communibus armis duo illius ętatis potentissimi reges bellum in Romanos mouissent, eos pericula & certamina nihilo Annibalicis minora circumsisterent.

VI. *Legati de pace in Macedoniam abeunt. Eius conditiones.* Brevi post legati & à T. Quintio & à Rege venerunt, quibus ad ædem Bellonæ Senatus est datus. Nec multis verbis actum est, cum Macedones quæcunque Senatus censuisset, id Regem facturum esse dicerent. Decem legati more maiorum decreti, quorum ex consilio T. Quintius Imperator leges pacis Philippo daret: adiectumque, vt in numero legatorum P. Sulpitius & P. Villius essent, qui Coss. prouinciam Macedoniam tenuissent.

Post compressos interim aliquos à Quintio in Bœotia tumultus, decem legati Roma venerunt, quorum ex consilio pax data Philippo in has leges. *Antiquum Macedoniæ patrimonium retineret. Omnes Græcorum ciuitates, quæ in Europa, quæque in Asia essent, libertatem ac suas leges haberent, quæ earum sub ditione Philippi fuissent, præsidia ex ijs Philippus deduceret. De Cianorum libertate Quintius,* (Sic enim recte hunc locum Sigonius emendauit.) *Prusia Bithyniorum Regi scriberet, quid Senatui & decem legatis placuisset. Captiuos, transfugásque Philip.* [illegible] *Romanis redderet. Naues omnes tectas traderet. in ijsq; vnam regiam, inhabilem prope magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant,* Plut. in Flam. naues decem Philippo relinquit, cætera præter obsidem Demetrium prætermittit. At Polyb. in excerptis legationibus num. 9. quinque tantum excipit scaphas, & illam ingentem sedecim ordinum, vt rebus gerendis inutilem: *Ne plus quingentis armatorum haberet, neve elephantum vllum; bellum extra Macedoniæ fines, ne iniussu Senatus gereret, mille talentûm daret populo Rom. dimidium præsens, dimidium pensionibus decem annorum.*

VII. *Reliqua ad eandem pacem.* Valerivs Antias apud Liuium nominatim adiectum scribit, ne bellum gereret cum Eumene Attali filio, qui patri proximo anno defuncto successerat, ætatis anno altero & septuagesimo, regni quarto & 40. Plut. in Quintio Flam. ait Populum Rom. autore & annitente maxime Quintio, eam summam condonasse Philippo; ac societatem cum eo iunxisse, filiumque obsidem ei remisisse. Exegerant enim Romani obsides à Philippo, in quibus Demetrius filius eius. Magnopere quoque Cn. Cornelius legatus Philippo suasit, vt quoniam pacem impetrasset, ad societatem & amicitiam petendam mitteret Romam legatos, prius quam Antiochus quicquam moueret; quod ille se facturum recepit.

VIII. *Quid statutum de compedibus tribus.* De tribus vrbibus, Corintho, Chalcide, Demetriade, facta erat potestas legatis vt statuerent, prout Reip. cōducere iudicassent: verebantur enim ne si Antiochus, qui bellum moliebatur, eas inuaderet, totam Græciam in potestate haberet. Concilium Corinthi habebatur: in eo Quintij sententia erat, liberandam esse omnem Græciam,

si maledicorum ora obstruere, si veram charitatem, & maiestatem apud omnes nominis Romani vellent esse; si fidem facere se ad liberandum Græciam mare traiecisse, nó ad imperium à Philippo ad se transferendum. Alij legati dicebant tutius ciuitatibus esse, manere paulisper sub tutela præsidij Romani, quam pro Philippo Antiochum Dominum accipere. Tandem decretum est, vt Corinthus Achæis redderetur, imposito tamen in arce præsidio. Chalcis autem & Demetrias retinerentur, donec cura de Antiocho decessisset. Plutarchus tamen ex his tribus ciuitatibus præsidia deducta scribit, quo integro Græci beneficio fruerentur, quorum aliqui dicebant Græciæ compedes (sic eas vrbes Philippus vocabat) in collum translatos. Liuij tamen sententiam integram habet Polybius in excerp. legat. n. 9.

IX. *Libertas Græciæ promulgatur.*

SVPERERAT vt res promulgaretur: commodissima se occasio ludorum Isthmicorum obtulit, ad quæ semper ingens populorum multitudo affluebat, propter Isthmi Corinthi opportunitatem: hoc autem maxime tempore, quo tota Græcia expectatione erecta erat, quis futurus esset Græciæ status. Vbi Romani ad spectaculũ consedere, præco cum tubicine in mediam arenam, vnde solemni carmine ludicrum indici solet, processit, & tuba silentio facto ita pronunciat, *Senatus Romanus, & T. Quintius Imperator, Philippo Rege, Macedonibusq; deuictis, liberos, immunes, suis legibus esse iubet Corinthios, Phocenses, Locrensesq; omnes, & insulam Eubœam & Magnetas, Thessalos, Perrhæbos, Achæos, Phthiotas*, Quæ omnes gentes sub ditione Philippi regis fuerant, ideoque nominatim fuerunt recensitæ.

X. *Cum summo eorum gaudio.*

TAM lætus tamque inopinatus nuncius, propemodum attonitos præ gaudio reddidit. Vt rediere ad se, vix auribus ipsi suis credere, & socium quisque suum interrogare: deniq; præconem eadem iterum pronuntiare voluerunt. Tum ab certo iam gaudio tantus cum clamore plausus est ortus, totiesque repetitus, vt facile appareret, multitudinem nihil æquiparare libertati. Ludicrum deinde raptim atque obiter peractum est, nullius oculis animisue ad spectaculum intentis, adeo vnum gaudium sensum aliarum omnium voluptatum præoccupauerat. Plutarch. tantum hunc ait fuisse clamorem, vt non solum ad mare vsq; peruaserit, id enim non admodum mirum fuerit in perangusto Isthmo Peloponnesi, sed corui etiam superuolitantes in stadium delapsi fuerint. Cuius rei Plut. ibidem rationes exquirit, quas lectori expendendas relinquo.

Vide Polyb. in legat. n. 9

In Quintio.

XI. *Et gratulationibus.*

DIMISSIS ludis tantus fuit congratulantium concursus, vt eo pene oppressus fuerit Quintius: simul & admirantium esse aliquam in terris gentem, quæ sua impensa, suo labore, ac periculo bella gerat pro libertate aliorum, longinquas terras adeat, maria traijciat, ne quod toto orbe terrarum iniustum sit imperium. Vna voce præconis liberatas omnes Græciæ atque Asiæ vrbes! hoc spe concipere audacis animi fuisse, ad effectum adducere, virtutis ac fortunæ Romanæ. Hæc Græci, in laudando & vituperandu, in odio & amore, omnibusque affectibus, in vtramque partem semper effusi; quæ fuse etiam Polybius inculcat.

Romanorum intentio in hoc facinore.

Neque tamen existimandum est plane synceram fuisse in hoc beneficio Romanorum intentionem. Nam præter gloriæ fructum, quem maximum colligebant, & totam Illyrici oram occupatam, etiam Græciæ sibi compedes retinebant, vt Liuius testatur; & sibi vniuersam Græciam, contra imminens bellum in Magnum Antiochum, tanto beneficio deuinctam tenebant. Purior longe est illorum charitas, qui nullo suo in terris emolumento, apostolico spiritu, atque instituto, maria omnia terrasque percurrunt, vt homines à vitijs, & erroribus absolutos in libertatem filiorũ Dei vindicent, & participes immortalium bonorum efficiant. Qualem nuper celebrauimus Franciscum Xauerium, vnaque eius in Christo parentem Ignatium Loyolæum, Ordinis nostri fundatorem, viros sanctissimos, & in salutem innumerabilium toto oriente atque occidente populorum natos, quos hoc ipso anno in cœlitum numerum rite adscripsit summus Pontifex Gregorius XV. a

Et nobilem.

a 12. Mart. 1622.

SECVNDVM ista Quintius, & decem legati legationes Regum, gentium, ciuitatum adiere. Primi omnium Regis Antiochi legati vocati sunt, quibus eadem fere quæ Romæ iactantibus, nihil iam perplexe vt ante, cum dubiæ res incolumi Philippo erant, sed aperte pronunciatum vt excederet Asiæ vrbibus: quæ aut Philippi, aut Ptolemæi regum fuissent, liberas relinqueret, sicut & Græcas omnes. Ante omnia denunciatum ne in Europam aut ipse transiret, aut copias traijceret.

XII. *Romani ea Antiocho mandata.*

Hæc dum in Græcia fierent, Antiochus longe alia in Asia meditabatur. Nam cum hybernasset Ephesi, vt ait Liuius, omnes Asiæ ciuitates in antiquum imperij formulam redigere est conatus; & alias quidem videbat facile iugum accepturas, de Smyrna in Æolide, & Lampsaco in Hellesponto cum dubitaret, monita simul & vim afferebat, ne exturum vrbium exemplum, reliquæ in repugnando sequerentur. Hortabatur autem vt se vltro darent, nihilominus liberi futuri, libertatem tantum à Rege acceptam agnituri, quod tamen officij genus potentissimi Regis protectione compensaretur magno fœnore. Illi responderunt nihil neque mirari, neq; succensere Antiochum debere, si spem libertatis differri non satis æquo animo paterentur. Misit ergo ex Epheso qui Smyrnam, & ex Abydo qui Lampsacũ obsiderent.

Quæ Græcas in Asia vrbes sibi subiugat.

Vel obsidet.

IPSE initio veris nauibus Epheso profectus Hellespontum petit, eoque traiecto, naualibus terrestribusque copijs iunctis, Chersonesi vrbes deditione accepit. Inde Lysimachiam venit, quam cum desertam ac stratam prope ruinis inuenisset (ceperant autem, direptamque incenderant Thraces paucis ante annis) cupido eum cepit nobilem vrbem, & opportuno loco sitam restituendi. Itaque omni cura simul est aggressus tecta, murosque restituere, & veteres ciues, nouosque incolas eo loco congregare, multisque beneficiis excitare: simul autem vt Thracum summoueretur metus, ipse parte dimidia terrestrium copiarum, ad depopulandum proxima Thraciæ profectus est, partem, naualesque socios omnes in opere reficiendæ vrbis reliquit. Horreum se ibi apparatibus quos destinabat commodum habiturum sperabat, vt ait Appianus in historia Syriaca.

XIII. *Res ab eodem in Thracia gesta.*

Lysimachiã reparat.

SVB hoc tempus & L. Cornelius missus à Senatu, ad dirimenda inter Antiochum Ptolemæumque certamina; simulque alij tres legati ex ijs, qui pacem Philippicam fecerant, Lysimachiam petiere, quo mox Antiochus ipse ex Thracia conuenit, hunc congressum Liuius ex 17. Polybii mutuatus est, qui ad eundem etiamnum extat. Primus congressus, inuitatioque benigna & hospitalis fuit. At vbi de mandatis, statuque præsenti Asiæ agi cœptum est animi vtrinque exasperati sunt. Illi docebant ingratum Senatui, populoque Romano esse captas ab eo vrbes, quæ Ptolemæi in Asia fuissent; aut quas Philippo eripuisset, dum contra eum Romani pugnabant, neque ferendum esse Romanos per tot annos terra marique tanta pericula exhausisse, Antiochum belli præmia habere. Et vt ea dissimulentur, certe quod in Europam cum omnibus copiis traiecerit, parum ab aperto bello contra Romanos abesse.

XIV. *Conuentus ibi celebratus.*

Romanorum querela.

AD ea Rex, satis iam ante videre se Romanos inquirere, quid Regi Antiocho faciendum sit; nec tamen cogitare quousque terra marique eis progrediendum fuerit. Asiam nihil ad pop. Rom. pertinere; nec magis illis inquirendum esse quid Antiochus in Asia, quã Antiocho quid in Italia populus Rom. faciat. Quod ad Ptolemæum attineat, cui ademptas ciuitates querantur, sibi cũ Ptolemæo & amicitiã esse, & id agere se, vt breui etiam affinitas iungatur, (iuncta est hoc ipso anno, vt diximus, sed reliqua videamus, illustrant enim statum rerum præsentium, & futurarum.) Nec ex Philippi quidem aduersa fortuna spolia vlla petijsse, aut aduersus Romanos in Europam traiecisse; sed vt Chersonesi vrbes, Thraciæque recuperaret. Eorum enim locorum imperium in primis ad se pertinere, quippe quæ ab initio Lysimachi regnum fuerint, quo victo omnia quæ illius fuissent, quod iure belli Seleuci facta sint, existimare suę ditionis esse, (ita hunc locum mancum

XV. *Antiochi purgatio.*

Thraciam sibi vendicat.

apud Liuium, recte ex Polybio suppleuit Sigonius. Significat autem bellum, quod ann. V. C. 472. tetulimus,) eis deinceps ab alijs occupata fuerint. Denique se Lysimachiam deletam Thracum impetu, de integro condere, vt Seleucus filius eam sedem regni habeat. 4.

XVI. *Rumor de morte Ptolemæi.* HIS disceptationibus per aliquot dies habitis, rumor incerto autore increbuit, mortuum esse Ptolemæum, quod quicquam certi definiri prohibuit, vtrisque rem auditam dissimulantibus, & in Ægyptum peruenire festinantibus, Antiocho præsertim, qui sperabat, si occasio ferret, se eam occupaturum. Itaque dimissis Romanis & Seleuco cum terrestribus copijs ad Lysimachiam instaurandam; legatis item ad Quintium missis, qui de belli societate agerent, ad fidem faciendam nihil se hostile in Romanos versare animo, ipse cum classe omni nauigat Ephesum, & oram Asiæ legens peruenit in Lyciam, Patarisque cognito viuere Ptolemæum, omisso nauigandi in Ægyptum consilio, tetendit in Cyprum. In itinere & suorū seditione, & maris tempestate iactatus, naufragium fecit, collectisque naufragij reliquijs, spe tentandi Cypri deposita, Seleuciam rediit, vbi subductis propter hyemem instantem nauibus, ipse in hyberna Antiochiam processit.

XVII. *Suspecta de morte a Scopa.* CÆTERVM de hoc rumore cogitanti, occurrit suspicari, voluerit hoc Scopas regem interficere. Nam Polybius l. 17. id obscure significat cum ait. Scopam cum & numerosam militum manum haberet, cuius auxilio vteretur, & tempus esset nactus opportunum, Rege adhuc puero, dū cunctatur, dum deliberat, fuisse præuentum. Nam vbi didicit Aristomenes amicos illum suos domum cogere, & vna cum ipsis consultare, missis satellitum nonnullis eum ad regium consilium vocauit; cumque ille inops consilij non veniret, Aristomenes vim parat; qua ille animaduersa, cum amicis ad regem venit; vbi accusatus molitionum, occultorumque consiliorum, & regiæ vocationis contemptæ, cum nihil ipse afferret, quod idoneum ad se purgandum videretur, cum amicis suis in carcerem est coniectus, & proxima nocte iussu Aristomenis veneno interfectus.

XVIII. *Dicæarchi impietas & cædes.* DICÆARCHVM etiam insignem impietate virum, tormentis excruciatum necauit. Is erat Dicæarchus præfectus nauium Philippi, in Cycladibus insulis bello vexandis, qui Deo hominibusque insultans, in portu duas excitauit aras, Impietatis alteram, alteram Iniquitatis, quas sacrificio honorauit, & quasi deos veneratur est. Significans se gloriosum putare impone, & impie in Deum, & iniuste in homines facere. Scopas ille natione Ætolus, præter ambitionē, etiam auaritia infamis fuit, cuius indicia fuerunt ingentes thesauri, apud eum post eius mortem reperti, quos exinanito rapinis regno congesserat. Hæc pluribus Polyb. quæ interpres in hunc annum refert, & confirmari tempus ex eo potest, quod ibidem subdit autor, post compressum Ætolorum motū, statim aulicos ad consueta solennia, quando aliquis Rex salutetur, quæ Anacleteria vocant celebrādæ se comparasse: ætate quidem, inquit, nondum exigente (12. fere agebat annum) sed quod existimarent vbi innotuisset sui iuris & arbitrij factum esse Regem, meliore statu regem & regnum fore.

XIX. *Seruorum coniuratio.* IN Italia (nam in Hispania vtraque apparatus ad bellū potius, quam bellum fuit, vt ex anno seq. intelligetur,) a Prætore M. Acilio coniuratio seruorum in Hetruria oppressa est; alij in pugna occisi, alij capti, partim affixi crucibus, partim dominis restituti. Marcellus autem Consul Boiorum ingressus fines, castra fatigato exercitu ponebat, cum Boiorum Regulus Corolanus incautum occupauit, & ad tria hominum millia occidit, in ijsque nonnullos illustres viros, castraque via retinuit. *Marcelli clades a Boiis, & victoria de Insubrib.* Inde autem transgressus Padum contra Insubres, quibus se Comenses adiunxerant, prælium in ipso itinere commissum est. Et primo iam acriter inuasit hostis, vt antesignanos impulerit: deinde cū aliam copiarum partem eo addnasset Consul, hostem ferociter se inferentem repressit, suosque ita confirmauit, vt hostem funderet, cæderetque ad quadraginta hominum millia, vt scribit Valerius Antias, referente vtique, & subdubitante Liuio, quia videtur ille res fere nimium exaggerare, vt laudem Romanorum amplificet.

ALTER Consul L. Furius in Boios venit, & iuncto cum Collega exercitu, Boij ex præda reuertentes in eos incidunt. Celerius prælium actumque commissum, quam si tempore locoque, ad certamen destinatis, præparatis animis concurrissent. Ibi quantam vim ad stimulandos animos ira habeat apparuit. Nam ita cædis magis, quam victoriæ auidi Romani pugnarunt, vt via nuncium cladis hosti relinquerent. Stimulabat autem eos ira, & pudor acceptæ paulo ante cladis. Marcellus Romam venit, de Insubribus, & Comensibus magno consensu Patrum triumphauit, 4. nonas Mart. vt habetur in Fastis Capitolinis, extremo scilicet tempore sui consulatus: Burior, vbi ipse male pugnarat, Collegæ reliquit, cuius ibi melior fortuna fuerat, nec tamen de ijs reperio triumphasse. *De eorum victoria ... cladem.*

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3858.

EMENDANDVM est, erat enim Prætor, & prouinciam obtinuerat citeriorem Hispaniam, quando & M. Heluius vlteriorem, anno superiore, quo primum sex Prætores creati fuerunt, & duo Hispanijs attributi. 1. N. IV.

Dum legati sunt in via, Thebani Bœotique tumultus excitant, & in latrocinia vertuntur: sed a Romanis compressi, mulctā, quæ fuit triginta talentis, si Euboicis, 42000 francis, si Atticis, 31500. Nam vt alibi diximus, Talentum Euboicum 80. minarum, valet 1400. francis, Atticum vero 60. min. 1050. 2. N. VI.

Mille talenta Euboica iuxta prædictā rationem, valent 1400000. id est, millionem vnum francorum, & quadringenta millia: Attica vero 1050000. id est, vnum millionem & quinquaginta millia. Media pars primo summæ debuit dari in præsentia, alterum dimidium in decem annos diuidi debuit, sic vt quotannis septuaginta millia francorum, vel 52 millia & quingenti persoluerentur. Vide Polybium excerptis legationibus numero 9. vbi eædem pacis conditiones leguntur. Apud Liuium etiam diuersi argenti summæ, quæ admodum perturbatæ sunt. 3. N. VI.

Eadem omnia habet Polyb. etiam de affinitate Ægyptiaca: addit que autem nihil de legatis Smyrnæis & Lampsacenis, contra Antiochū apud Romanos quasi iudices agentibus, eamque ob causam conuentam a Rege eam indignatione fuisse. Verum Appianus hanc historiam valde perturbat, dum quæ Ptolemæo Epiphani Polybius, Liuius, Iosephus, Iustinus, Hieronymus in com. in Dan. Eusebius in chronico, aliique omnes attribuunt, ipse patri eius Philopatori dedit, qui iam ante octo annos erat mortuus. Et certum est Philopatorem non fuisse generum Antiochi, sed Epiphanem. Itaque eum male secutus Scaliger in Euseb. in varios errores labitur; aut certe lectori tenebras de industria offundit, (homo tenebrarum amans, & obscuritatis affectator) Illud tamen proprium est eius erratum, quod ait tamdiu recreatum ab Antiocho Annibalem, dum sese sciret talium fuisse de obitu Philopatoris nuncium. Neque enim id habet Appianus nec vllus alius, imo omnes consentiunt illum deinceps apud eum perpetuo commoratum, & in primis eius consultoribus fuisse. 4. N. XV.

ANNVS MVNDI 3859. SEXTÆ ÆTATIS 343 Imperij Græcorum 117. Antiochi Magni 30. Oniæ III. Pontificis 13. Ptolemæi Epiphanis 9. Philippi 26. Olympiadis CXLVI. Ann. 2. Vrbis conditæ 558. Coss. L. Valerio Flacco, & M. Porcio Catone.

ANNVS ANTE CHRISTVM 194.

I. *Noui Coss. Sortitio Prouinciarum.* HABVIT hoc anno comitia Consularia M. Claudius Marcellus Consul, quibus creati sunt Consules Valerius Flaccus, & Porcius Cato, qui postea Censorinus est appellatus. Hi cum de prouincijs ad Senatum retulissent, Patres censuerunt, cum in Hispania tantum glisceret bellum, vt iam consulari & duce & exercitu opus esset, placere Consules Hispaniam citeriorem & Italiam prouincias, aut comparare inter se, id erat amicè inter se transigere, & conuenire, aut sortiri. *Res bene gestæ in Hispania.* Catoni sorte Hispania obtigit, Valerio Gallia, cui duæ legiones datæ ad retinendam prouinciam, in qua hostes proximo anno fuerant vehementer attriti. Catoni datæ legiones duæ, & quinque millia sociorum Latini nominis, cum quingentis equitibus, & longis nauibus viginti. Cui etiam in citeriore Hispania adiutor est datus P. Manlius, cum duobus millibus peditum, & ducentis equitibus, & legione quæ fuerat sub Minutio Prætore. Appius autem Claudius Nero, cui obuenerat vlterior

Græco. An. 117. terius Hispania, præter legionem, quam Q. Fabius habuerat, duo millia peditum, & ducentos equites conscribere permissum est. Refrixit tamē aliquanto post hoc studium, & metus Hispanici belli, cum literæ à Q. Minucio allatæ sunt, quibus ferebatur ipsum ad Turbam oppidum, cum Budare & Besaside imperatoribus Hispanorum, signis collatis prospere pugnasse, 12. millia hostium cæsa, Budarem captum, cæteros fusos, fugatosque.

II. Quintij res in Græcia. Ergo omnes curæ in bellum Antiochenum conuersæ; T. Quintio, suspectis non solum Antiocho, & Ætolis, sed etiam Nabide Lacedæmoniorum tyranno, prorogatū in annum imperium est, duas legiones vt haberet. In eas si quid supplementi opus esset, Coss. scribere, & mittere in Macedoniam iussi sunt. Id q; maiore studio factum, postquam decem legati ex Græcia reuersi, expositis quæ cum Philippo gesta essent, & quibus conditionibus data pax, non minorem belli molem restare ab Antiocho docuerunt. Ingenti illum classe, egregio terrestri exercitu in Europam traiecisse, nisi vana eum spes, Ægypti inuadendæ, ex vaniore orta rumore auertisset, mox bello Græciam arsuram fuisse: Sed ne Ætolos quidem quieturos, gentem & ingenio inquietam, & Romanis iratam.

III. Nabis tyrannus. Hæsisse & aliud in visceribus Græciæ ingens malum Nabin nunc Lacedæmoniorum, mox, si liceat vniuersæ Græciæ futurum tyrannum, auaritia & crudelitate omnes fama celebratos tyrannos æquantem; cui si Argos, velut arcem Peloponneso impositam tenere liceat, deportatis in Italiam Romanis exercitibus, nequicquam liberatam à Philippo Græciam fore; pro longinquo Rege, vicinum tyrannum Dominum habituram.

Senatus decreta. Censebat Senatus rem contra tyrannum esse maturandam, præsertim cum Antiochus in Syriam esset profectus, nec impediturus eam expeditionem: rem tamen T. Quintij arbitrio permiserunt, quod eam rem non tam magni momenti ad summam Reip. esse docerent. Illud potius animaduertendum putabant, quid Annibal & Carthaginienses, si cum Antiocho ortum foret bellum, acturi essent.

IV. Strateg. de Annibale. Nam aduersarij Annibalis principibus Romanis, amicis quisque suis scribebant, nuncios literasque ab Annibale ad Antiochum missas, & ab Rege ad eum clam legatos venisse: implicabilem eius viri animum in Romanos esse.

Hæc credibilia faciebant bella præcedentia; quia tamē ab inferis in eum animus veniebant minorem merebantur fidem. Nam præter antiquum odium aduersariæ factionis in eius familiam, accesserat noua offensio quam contraxerat Annibal, dum perpetuos in Rep. iudices, annuos facit, & vectigalia quę male administrabantur, & primarijs viris ac magistratibus prædæ erant, eis eripit. Nam isti quos per aliquot annos pauerat publicus peculatus, velut bonis erepti, non furto eorum manibus extorto, infensi Annibali, Romanos in eum instigabant. Id cum Scipio Africanus sentiret, diu calumnijs restitit.

V. Missi de eo in Africa legati. Tandem hoc malum suspicione credebatur, siue prudenter cauebatur, visum est Carthaginem legatos mittere, qui apud Senatum eorum arguerent, Annibalem cum Antiocho rege faciendi belli consilia inire. Tres numerat legatos Liuius l. 33. C. Seruilium, M. Claudium Marcellum, & Q. Terentium Culleonem. Vnius tantum Seruilij meminit Iustinus l. 31. quem ait à Senatu missum ad speculandos actus Annibalis: eique tacitis mandatis præceptum, vt si posset, eum per æmulos eius interficeret, metuque inuisi nominis tandem populum Rom. liberaret. Et quamuis alia eorum aduentus causa fingeretur, Annibal tamen se vnum peti sentiebat, & pace cum populo facta, aduersus se vnum bellum manere. Itaque cedere tempori, & fortunæ statuit. Et præparatis iam omnibus ad fugam, obuersatus eo die in foro auertendæ suspicionis causa, primis tenebris vestitu forensi ad portam cum duobus comitibus, ignaris consilij eius egressus. Cum equi quo loco iusserat præsto fuissent, nocte confecto terrestri itinere Thapsum peruenit, vbi parata naui ex Africa in Cercinam insulam, inde Tyrum prospero cursu peruenit: vbi paucos

Annibal adit Antiochum Magnum. moratus dies, Antiochiam nauigat. Ibi profectum iam Regem cum audisset, filium eius solenne ludorum ad Daphnem celebrantem conuenit: comiter ab eo acceptus, nullam moram nauigandi fecit.

VI. Ephesi Regem consequitur. Ephesi Regem est consecutus, fluctuantem adhuc animo, incertumque de Romano bello. Sed haud paruū momentum ad id suscipiendum aduentus Annibalis attulit. Hæc T. Liuius hoc anno, atq; his Consulibus. Ex quibus intelligitur Antiochum regem ex hybernis Ephesum repetijsse hoc tempore, de Lysimachia quam condebat, Thraciaque cogitantem: vel certe præcedente anno Annibalem ex Africa excessisse, eamque narrationem paulo serius à Liuio fuisse institutam. Eam etiam Iustinus lib. 31. perstringit. Appianus aduentum Annibalis ad Antiochū, ante eius naufragium commemorat. in primo scilicet eius ad Ephesum aduentu. Interea T. Quintius, (Nam cœptas Græciæ res prius expediam, quam Italas, aut Hispanas attingam, ne lectoris memoriam crebriore traiectione confundam,) Quintius inquam, in hybernis gaudio pacis cum vniuersa Græcia fruebatur; exceptis Ætolis, quibus nec pro spe victoriæ præmia contigerant, nec diu quies placere poterat; cum SC. de bello aduersus Nabin Tyrannum affertur. Quo lecto Quintius conuentum omnium sociarum ciuitatum Corinthum indixit, vbi Ætoli quoque affuerunt.

Conuentus in Nabidem. VII. Atheniensis de re sententia. Vbi proposita consultatione de Argis Nabidi eripiendis, & in libertatem, sicut & reliquas vrbes Græciæ vindicandis; Imperatoris orationem excepit Atheniensium legatus, qui & de præterito beneficio gratias ingentes egit, & de ope vltro oblata ad liberandos Argiuos laudauit, vehementerque assensus, etiam eos perstrinxit, qui futuram eorum gratiam calumniando carperent. Quo verbo cum se peti sentirent Ætoli, Alexander princeps gentis in Athenienses primo est inuectus, qui olim libertatis autores & duces, nunc eam assentatione proderent: inde in Achęos, qui à Philippo transfugæ, cum Corinthum obtinuissent, etiam Argos appeterent: postea in Romanos, quos fraudis insimulat erga Achæos, & cupiditatis, qui Græciam adhuc compedibus vinctam tenerent, & specie belli in ea perdurare vellent; deportarent legiones in Italiam, Ætolos polliceri se Argos Nabidis præsidio liberaturos.

VIII. Explodantur Ætoli. Cum conuitio explosa est Ætolorum oratio, ab Achęo præsertim Prætore Aristęno, ab eoque oratus Quintius, vt & à Nabide Argos reciperet, & Græciæ res ab Ætolorum latrocinio pacatas relinquat. Itaque decretum communi sententia bellum, auxiliaq; ex vrbibus libenter summissa. Castra posita sunt quarto fere ab Argis milliari. Vbi præpropere ab aliquibus ciuibus coniuratio facta, à Pythagora, qui Argos cum valido præsidio tenebat, oppressa est, multis interfectis, nonnullis in carcerem coniectis, aliquibus etiam, nocte funibus per murum demissis, ad Romanos confugientibus. Ea res cognita Quintium mouit, vt vrbi exercitum admoueret, præmissis equitibus expeditisque peditibus, qui cum erumpentibus ex porta Lacedæmonijs congrederentur, quos etiam in vrbem compulerunt.

Quintius Lacedæmonem adit. Deinde censens vtilius Lacedæmonem ipsam, vbi erat Tyrannus, bello vexare, quam Argos, cuius libertas & salus ex debellato tyranno pendebat, Lacedæmonem infestus petit; quo à Philippo ad T. Flaminium Macedones mille quingenti venerunt, & Thessali equites quadringenti. Nauales quoque copiæ L. Quintij, & Rhodiæ & Eumenicæ confluebant: nec minus Lacedæmoniorum exules duce Agesipoli, qui regiæ familiæ cum esset, à Lycurgo tyranno pulsus fuerat, in castra Romana spe recuperandæ patriæ conueniebant.

Philippi auxilia, & naualis copia.

IX. Immanitas Tyranni. Nihilominus Tyrannus, etsi tanto se imparem exercitui cerneret, bellum tamen non omisit. Domesticas & externas copias habebat non pœnitendas, sed à domesticis metuens, vt eas terrore sibi redderet obsequentes, facinus est aggressus crudelissimo tyranno dignum. Ciues in concionem vocat, positis armis adesse iubet, eosque armatis satellitibus circumdedit, & pauca præfatus cur sibi omnia timenti, cauentique ignoscendum in tali tempore foret,

quos-

quosdam se in custodia habiturum ait, donec hæc tempestas prætereat; hostibus repulsis extemplo eos emissurũ. Sub hęc citari nomina octoginta ferme principum iuuentutis iussit, atque eos, vt quisque ad nomen responderat, in custodiam tradidit, & nocte insequenti omnes interfecit. Deinde Ilotarum quidam transfugere voluisse insimulati, per omnes vicos verberibus acti necantur. Quo terrore animi multitudinis ab omni conatu nouorum consiliorum abstinebant.

X. Leuiora ad Spartam prælia. INTEREA propinquior vrbi factus Quintius, aliquot leuioribus præliis erumpentibus hostibus, secunda vsus fortuna pugnauit, donec nullus ex vrbe pedem auderet efferre; tum agrum perpopulatus, maritima oppida deditione recepit, per fratrem nauali rei præpositum. *Gythæum obsidetur.* Sed in Gythæo oppido, quod erat maritimarum omnium rerum Lacedæmonijs receptaculum, laboratum est; erat quippe rebus omnibus egregie munitum. L. Quintio Eumenes & Rhodii auxilio venerunt: ita triplici classe obsessi, omnique machinarum genere pulsati, per ruinam etiã iuri erant Romani: sed eorum incepta spes deditionis tardabit. Vnus è præfectis oppidum prodebat Romanis; re ab altero præfecto cognita, ille occiditur, & oppidum maiori contentione ac fide defenditur, & oppugnatur: donec T. Quintius superueniens cum 4. millibus delectorum militum, territum præfectum id facinus aggredi cogit, quod idem ipse in socio morte vindicarat. *Traditione capitur.* Et pactus vt cum præsidio exire liceret, oppidum Romanis tradidit.

XI. Nabidis cum Quintio colloquium. HIC Nabis cum nihil spei à terra aut mari ipsi superesset, vndique circumclusus, cedendum fortunæ ratus, colloquium cũ Imperatore expetiit, & impetrauit. In eo purgare se conatus est, & iniuste bello petitum ostendere. At Quintius multis modis eum in Romanos, Græcosque omnes, nominatim vero in Spartanos, atque Argiuos multorum criminum reum esse demonstrauit.

Pacem petit. Sub hæc Aristænus Prætor Achæorum Nabin monet, vt rebus suis dum adhuc licet, prudenter consulat, nox colloquium diremit. Postero die Nabis spopondit se præsidium Argis deducturum; captiuos & perfugas redditurum; si quid præterea peteretur, postulauit scriptum vt ederent, vt deliberare cum amicis posset.

Quam omnes respuunt. Quintius ea de re concilium habuit: omnium sententia erat perseuerandum in bello esse, & tollendum tyrannum, nunquam aliter tutam libertatem in Græciæ fore. Satius multo fuisse non moueri bellum aduersus eum, quam omitti motum.

XII. In eam Quintius inclinat. AT Quintius in pacem inclinatior erat, qui videbat nihil nisi diuturnam oppugnationem Spartæ superesse, vrbis vtique validissimæ, ad quam dum starent copiæ, non erant quibus, si ab Antiocho bellum ingrueret, resisteretur: sed priuatim sua ipse commoda spectans, in transuersum actus est. Nam metuebat ne sibi à nouo Consule succederetur, & sic omnem laborum suorum fructum alter decerperet. Cum nihilominus perstarent omnes in sententia; simulando se quoque in eam transire, omnes in assensum consilii sui traduxit. *Aliosq; arte traducit.* Tot enim res sumptusque ad Spartæ obsidionem ab omnibus exegit, vt omnes eum facere, quod è communi re fore duceret, permiserint.

Inde Quintius adhibitis legatis tantùm, tribunisq; militum, conditiones in quas cum Tyranno pax fieret, has conscripsit. Sex mensium induciæ vt essent Nabidi, Romanisque, & Eumeni regi, & Rhodiis. Legatos extemplo mitterent Romam T. Quintius & Nabis, vt pax ex autoritate Senatus confirmaretur. Ex qua die scriptę conditiones pacis editæ Nabidi forent, ea dies vt induciarum principium esset; & vt ex ea die intra decimum diem ab Argis, cæterisque oppidis, quæ in Argiuorum agris essent, præsidia omnia deducerentur, vacuaque & libera traderentur Romanis; & ne quod inde mancipium regium publicumue aut priuatum educeretur; etsi qua ante educta forent, dominis recte restituerentur.

XIII. Reliqua conditiones. NAVES quas ciuitatibus maritimis ademisset, redderet, neue ipse nauem vllam præter duos lembos, qui non plus quam sedecim remis agerentur, haberet. Perfugas & captiuos omnibus socijs populi Romani ciuitatibus redderet, & Messenijs omnia quæ compararent, quæque domini cognoscerent. Exulibus quoque Lacedæmonijs liberos & coniuges restitueret, quæ viros sequi voluissent. Addit & alia in gratiam mercenariorum & Cretensium, cum prohibitione vllum oppidum castellumue muniendi. Denique obsides quinque, in quibus Tyranni filium exigit, & argenti talenta centum in præsenti, & 50. in singulos annos per annos octo. Vniuersa autem summa, qua mulctatus est scelestissimus tyrannus, fuit quingentorum talentorum: ad quam summam corradendam, quousque posset per vim fraudemque omnibus fortunis erat euersurus; quanto satius fuisset infandum caput, tarde licet, ense reuelli, aut comprehensum potius modis omnibus excruciatum necari! Verum satis magna tormentorum moles eum manebat in Tartaro.

XIV. Nabidi improbata. CONDITIONES pacis varijs de causis tum Nabidi, tum cæteris Lacedæmonijs displicebant, adeo vt bellum omnes præoptarent. Quibus vocibus incitatus Tyrannus, & Antiochum Ætolosque adiuturos pronunciat, & sibi ad obsidionem sustinendam affatim esse copiarum. Ergo ad arma recurritur, eruptiones fiunt, leuia prælia per quatriduum committuntur, quinto die prope iusta pugna adeo pauentes in vrbem compulsi sunt, vt simul etiam Romani aliqui fugientium tergo hærentes, se in vrbem inferrent. *Ad arma curritur.*

Denique Imperator inspectam diligenter vrbem omnibus copijs, ea circiter erant quinquaginta millium, circumcinxit. Alij scalas, alij ignem, alij alia quibus non oppugnarent modo, sed etiam terrerent, portabant. *Vrbs oppugnata capitur.* Iussi clamore sublato subire vndiq; omnes, vt qua primum occurrerent, quave opem ferrent, ad omnia simul pauentes Lacedæmonij ignorarent. Restitere aliquandiu, & Tyrannus studiose vndique opem ferre laborantibus satagebat; donec circumfuso vndique pauore ita obtorpuit, vt vix mentis compos esset. Et Lacedæmonij in angustijs Romanorum impressionem vtcumque sustinebant: verum vt paulatim cedentibus in patentiora ventum erat, non vltra ferri vis potuit.

XV. Incendio conseruatur. ET iam terga verterant Lacedæmonij, Nabis circumspectabat fugam, Romanus prima vrbis tenebat, cum Pythagoras vrbem tantum non captam retinuit. Ædificia omnia muro proxima succendi iussit: quæ cum momento temporis arsissent, ruere in Romanos tecta, nec tegularum modo fragmenta, sed ambusta etiam tigna ad armatos peruenire, flamma late fundi, fumus oculos extræcare. Ita & qui extra vrbem erant Romanorum recedere, & qui intrauerant metuere ne flammis à tergo includerentur à suis, receperunt sese. *Romani recepti in castra.* Quintius receptui cecinit, & ab vrbe prope capta redit in castra. Deinceps etiam per triduum varie territatus Nabis, Pythagoram oratorem ad Quintium mittit; qui primo repulsus, deinde auditus, cum omnia Romanorum arbitrio permitteret, ad easdem quas supra retulimus pacis conditiones, admissus est; statimq; pecuniæ & obsides accepti. *Nabis conditiones pacis accipit.*

XVI. Argiui liberantur. NON fuit autem necesse eum Argis præsidium deducere. Nam Argiui, nunciis aliis super alios afferentibus tantum non iam captam esse Lacedæmonem, erecti & ipsi, maxime quod Pythagoras præsidij validissimam manum secum ad tutandam Spartam abduxerat, præsidium expulerunt, ciues vndique quamprimum hinc inde confluxere. Huic lætitiæ Quintius pace Tyranno data superuenit: læta ciuitas præsente ac præsidente Imperatore, Nemea celebrauit, in quibus præconis voce Argiuorum libertatem in publico cœtu pronunciauit.

Achaia gaudent. Achæis quantum restituti Argi in commune Achaiæ concilium lætitiæ afferebant, tantum serua Lacedæmon relicta, & lateri adhærens Tyrannus de vera lætitia decerpebant. *Aetoli maledicunt Romanis.* Ætoli vero eam rem omnibus conciliis lacerare, non vtique nullo fundamento. Eos qui libertatem Græcis omnibus reddere se gloriarentur, nobilissimam ciuitatem in manu teterrimi tyranni relinquere, cõtempto rege legitimo, qui iampridem exul, nuper in ipsis Romanorum castris fuisset; cæterosque nobilissimos ciues in exilio victuros. Hæc hisque similia illi iactabant, quæ iustis sine

dubio aculeis Romanum imperatorem figebant. At is ab Argis Elatiam, vnde ad bellum Spartanum profectus erat, copias reduxit, & literas de rebus ad Spartam gestis Romam misit. Nos quoque vrbem atque Italiam adeamus. Inde gradum in Hispaniam cum Catone facturi.

XVII. *Ver sacrum Romæ.* Coss. priusquam ab vrbe proficiscerentur, ver sacrum, ex Pontificum iussu fecere, quod C. Cornelius Mammula Prætor vouerat de Senatus sententia, populique iussu, Cn. Seruilio C. Flaminio Coss. Annis post viginti vno factum est, quam votum fuerat. Sic Liuius: hic tamen tertius & vigesimus annus numeratur, vt dicendum sit, vel errorem in numeros illapsum, vel Liuium annos tantum intermedios, & non extremos numerasse.

Quid esset. Verum l. 22. vbi huiusmodi ver votum legimus, M. Æmylius Prætor legitur, non Cornelius, & votum videtur à L. Cornelio pontifice emitti. Ex quo etiam loco habetur, ver sacrum dici, quando Ioui sacrificabatur, quod vere natum esset, ex suillo, ouillo & caprino grege, & quæ profana fuerint. Sigonius addit etiam bouillo, ex Plutarcho. Quæ autem profana hæc fuerint nemo explicat: existimo autem intelligi profanas hostias, quæ vitio aliquo affectæ, alias à fano repellebantur: nunc propter tempus, in quo natæ essent, non censeri vitiosas & profanas. Ita in Leuit. Sanctum opponitur profano, & mundum polluto: neque id à latina consuetudine alienum est.

Id est, à Chal. Martiis, vsque ad prid. Cal. Maias, vt est apud eundem Liuium lib. 34. c. 10.

Hostia profana.

XVIII. *Lex Oppia abrogatur.* SVB idem tempus, antequam Cato in Hispaniam traiiceret, Romæ de lege Oppia magna contentione certatum est. Tulerat eam C. Oppius Trib. pl. Q. Fabio & T. Sempronio Coss. in medio ardore Punici belli, V.C. 540. octodecim ab hinc annis, licet viginti in Valerij legem abrogantis oratione legantur: qua vetabatur, ne qua mulier plus semuncia auri haberet, neu vestimento versicolore vteretur, neu iuncto vehiculo in vrbe oppidoue, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa veheretur. Quidam ex Tribunis eam antiquari volebant, alij eam tuebantur: mulieres tota vrbe discurrebant, orantes, prensantes, vt ea lex antiquaretur, & pristinus ornatus matronis redderetur. Cato pro lege ne abrogaretur grauem orationem habuit, sed probabiliorem Valerius Tribunus pl. Cuius etiam sententia vicit, tribunis qui intercedebant, mulierum importunitate intercessionem remittentibus.

XIX. *Originum libri Catonis.* IN oratione sua Valerius Trib. pl. aduersus Catonem eius reuoluit Origenes, & ex ijs exempla mutuatur. Id vereor, vt satis prudenter scriptum sit. Nam M. Tullius in Catone eum scribit septimum Originum librum habere in manibus, cum quartum & octogesimum ætatis annum ageret: hic autem annus erat vitæ eius 38. aut certe trigesimus nonus, quomodo iam Originum libros ediderat, quadraginta sex annis antequam eos absoluisset? Vide lector vtri malis derogare fidem, certe vtrique habere mihi difficile videtur, & fateor me in Liuium libentius inclinare. Alia quoque sunt in eo libello errata chronologica, & senes memoria labuntur, & Tul. dum causæ seruiat, mendaciunculis narrationem aspergere, minime criminosum putat, vt ex eius Rhetoricis libris constat. *2. de Orat.*

XX. *Catonis aduentus in Hispaniam.* OPPIA lege abrogata, Cato extemplo cum 25. longis nauibus ad Lunæ portum profectus, (is in Liguria est, & Erices à Ptolemæo dici putatur, apud quem tamen & Luna oppidum, cuius etiam Liuius hic meminit, & Lunæ promontorium in eadem ora inuenimus.) Inde Emporias, vltra Pyrenæos montes, classe peruenit: indeque omnia fuga & terrore complet, agros vrit, vastatque. Æger admodum erat tum Hispaniæ status, maiorque incumbebat Romanis difficultas, quam annis superioribus. Nam ad ipsos tum Hispani tædio Carthaginensium facile deficiebant: nunc ex vsurpata libertate, iterum velut in seruitutem asserendi erant. Itaque mota erant omnia, vt alij in armis essent, alij obsidione ad defectionem cogerentur, & nisi in tempore subuentum foret, omnia Romanis peritura viderentur.

XXI. *Res ab Heluio gesta.* EODEM tempore M. Heluio decedente ex vlteriore Hispania, cum præsidio sex millium, dato ab Appio Claudio Prætore, Celtiberi ingenti agmine ad oppidum Illiturgi occurrerunt, viginti millia armatorum fuisse Valerius Antias scribit, ex ijs duodecim millia cæsa, oppidum Illiturgi receptum, & puberes omnes interfectos. Inde ad castra Catonis Heluius peruenit, & quia tuta iam ab hostibus regio erat, præsidio in vlteriorem Hispaniam remisso, Romam profectus est, & ob rem feliciter gestam, ouans vrbem est ingressus. Argenti infecti tulit in ærarium quatuordecim millia pondo 732. Causa triumphi negati fuit, quod alienis auspiciis, & in aliena prouincia pugnasset. Diu autem morbo detentus in Hispania, in vrbem tardius venit. Itaque *Id est 100. millia & 32. aureos.*

Duobus post mensibus eius successor Q. Minucius triumphauit. Hic quoque tulit argenti pondo 34. millia & octingenta. *quæ sunt 371800. aureos.*

XXII. *Cato socios fame tuetur, cum re non potest.* INTEREA Cato haud procul Emporijs castra habebat; cum ad eum legati tres ab Ilergetum Regulo Bilistage, in quibus vnus filius erat, venerunt, querentes castella sua oppugnari, nec spem vllam esse resistendi, nisi præsidio Romanorum, 3. millia militū satis esse ad hostem abigendum. Cato negare sibi tutum esse, cum hostis immineat, copias suas imminuere. Illi ad eius prouolui genua, fidemque implorare, ne socios desertos perire patiatur, qui in tuto forent, si cum aliis deficere voluissent. Consul animi anceps erat, quippe nec socios deserere cupiebat, nec copias diminuere, nisi magna cum temeritate ac periculo poterat: spē eis auxilij pro auxilio dare constituit. Postridie legatis respondet, quanquam vereatur ne suas vires alijs commodando minuat; tamen illorum se temporis ac periculi magis, quam sui rationem habiturum, idque legatos Bilistagi nunciare iubet, vulgarique. Itaque tertiæ parti exercitus profectionem in diem tertiam denunciat, omnemque commeatum apparari, & in naues deferri iubet: necdum abiere legati, quam impositos in naues milites viderunt. Id pro haud dubio iam nunciantes, non suos modo, sed etiam hostes, fama Romani auxilij iam aduentantis, impleuerunt. Consul vbi satis quod in speciem erat, ostentauit, reuocari militē ex nauibus iubet. Quo id fructu factum sit, significat Frontinus. Naues, inquit, ascendere iussit, dato præcepto, vt cursu ventos retro redirent. Præcedens interim aduentantis auxilij rumor, vt Ilergetū excitauit animos, ita hostium consilia discussit. *L. 4. c. 7. Strat.*

XXIII. *Pugnat cum hosti.* INTEREA Consul vbi varijs excursionibus, prædonum magis quam militum more fatigasset hostes, statuit iusto cum ijs prælio concurrere, mediaque nocte, cum auspicio operam dedisset, profectus suos præter hostium castra circumducit, & prima luce acie instructa, sub ipsum vallum tres cohortes mittit, suos cohortatus ad fortiter agendum, quippe quibus nulla nisi in virtute spes esse posset, castris hostium inter se, suaque castra interiectis. Mirantes barbari hostem à tergo apparuisse, ad arma discurrere. Consul eos fugæ simulatione foras elicit, & dum aciei instruendæ occupantur, incompositos inuadit, nec minus tamen equitatus Romanorum repulsus, etiam pediti terrorem intulit. Ei malo vt mederetur Consul, duas cohortes delectas circumducit, & à tergo hostem petere iubet: qui vbi se à tergo ostenderunt, æquatus est vtrinque pauor, pugnaque anceps fuit; donec missis iam telis, ad gladios ventum est, & cominus res agi cœpit; & mature fessis integri ex secunda acie subsidiaria substituti sunt. *Res sine periculo.*

XXIV. *Vallum adoritur.* TVM demum nouæ aciei nouum impetum hostes non tulere, sed primum valida impressione perculsi, deinde in fugam auersi ac dissipati, castra vndique repetebant. Nec segnius instat Romanus, castraque obsidet. Consul secundam legionem, quæ in subsidio posita erat, eò ducit, hostis missilibus se strenue protegit, arcet hostem. Imperator omnia lustrans oculis, qua parte minore vi castra defendantur, notat, ad secundam portam infrequentes videt, eoque principes secundæ legionis, hastatosque ducit. Non sustinuit eorum impetum statio, quæ portæ opposita erat, & cæteri posteaquam intra vallum hostem videre, signa armaque abijciunt, & fuga saluti suæ consulunt: plerique in angustijs nihilominus portarum turmatim cæduntur, Romani castra diripiunt. Valerius Antias supra quadraginta hostium millia cæsa eo die tradit: at Cato, haud sa- *Castra oppugnat.*

ne de-

ne detrectator laudum suarum, multos cæsos ait, numerum non scribit. Ea pugna, & subsecuta effusior agrorum populatio, multa oppida ad deditionem compulit, quorum aliqua cum eadem facilitate iterum defecissent, cives iterum domiti partim sub corona veniere, partim muris armisque spoliati sunt; plerique doloris impatientia sibi manus consciuerant.

XXV. *Qualis in bello Cato.*

Vniversis autem quomodo se in provincia Cato gereret, audi Livium.

Magna in his Consulis animi vis atque ingenij fuit, vt omnia maxima, minimaque per se adiret, atque ageret; nec cogitaret modo, imperaretque quæ in rem essent, sed pleraque ipse per se transigeret: nec in quemquam omnium grauius seueriusque, quam in semetipsum imperium exerceret: parcimonia & vigilijs, & labore cum vltimis militum certaret, nec quicquam in exercitu suo præcipui, præter honorem atque imperium haberet. Sic Livius. Frontinus ait ipsum eodem vino, quo remiges fuisse contentum. Hæc autem vitæ in seipsum seueritas, & laboris amor, facilem reddebat omnibus disciplinæ militaris obseruationem, quæ etiam victorias pariebat. Idē Frontinus ait, M. Catonem ab hostili litore, in quo per aliquot dies manserat, cum tradito profectionis signo classem soluisset, & relictus è militibus quidam elata voce & gestu expostularet, vti tolleretur, circumacta ad littus vniuersa classe comprehensum supplicio affici iussit; & quem occisuri per ignominiam hostes fuerant, exemplo potius impendit. Hæc Frontinus neque loco, neque tempore gestæ rei explicato.

Laboris tolerantia.

XXVI. *Res ab eo, Manlio apud Turdetanos gestæ.*

Interim P. Manlius Prætor exercitu vetere à Minutio accepto, altero ab Appio Claudio Nerone, in Turdetaniam proficiscitur, Lusitaniæ prouinciam, quo auxilia Celtiberorum aduocata fuerant; Manlius etiam Consulis auxilia expetit. Nec cunctatus vbi eo venit, leuibus statim prælijs hostem fatigare cœpit. Et cum castra Celtiberorum à Turdetanis separata essent, Cato ad colloquium Celtiberorum tribunos militum misit, eisq; trium rerum optionem dedit, vt transire ad Romanos cum duplici stipendio vellent; vt domum abirent fide publica data, culpæ non fore quod se Romanorum hostibus adiunxissent; denique si bellum placeat, diem locumque constituant, vbi secum armis decernant.

Celtiberi diem ad consultandum petunt: concilium cum tumultu propter immistos Turdetanos habitum est, nec quicquam decerni potuit.

XXVII. *Historia de Catone & Celtiberis.*

Alia vtique est historia, quam de Catone & Celtiberis narrant Plutarchus & Frontinus, nec tamen hoc loco prætermittenda. Ait enim Plutarchus à Celtiberis Catonem petijsse auxilium; quibus auxilij ferendi mercedem ducenta talenta postulantibus, cum alij omnes fœdum dicerent esse Romanos cum Barbaris de opis ferendæ mercede pacisci, negauit Cato quicquam esse incommodi, quippe si vicissent, soluturos ab hostibus non ab se; sin essent victi, non fore qui exigerent, nec à quibus exigerentur. Paulo aliter Frontinus; M. Cato pollicentibus barbaris duces itinerum, & insuper præsidium, si magna summa eis promitteretur, non dubitauit polliceri; quia aut victoribus ex spolijs hostilibus poterat dare, aut interfectis exoluebatur promisso.

l. 4. c. 7. n. 35.

XXVIII. *Cato ad Iberum regreditur.*

Vt autem redeamus ad Livium, cum Cato Celtiberos frustra ad pugnam varie tentasset elicere, relicta maxima copiarum suarum parte Manlio, ipse cum septem cohortibus ad Iberum est regressus. Et cum tam exigua licet manu aliquot oppida vi, alia deditione recepit. Memorabilis fuit de Lacetanis victoria. Eam gentem cum insita feritas continebat in armis, tum conscientia sæpius violatorum sociorum. Igitur ad eos oppugnandos Consul copias suas adducit, vnaque iuuentutem sociorum, qui ad eorum præsidium confugiebant. Ad vnam oppidi partem cohortes suas ad quadringentos passus collocat, ibique quietas esse iubet, donec eas ipse ad pugnam vocet. Ex altera socios constituit, quorum vbi arma signaque Lacetani cognouere, memores quam sæpe in agro eorum impune persultassent, patefacta repente porta vniuersi in eos erumpunt, illi in effusam vertuntur fugam. Consul vbi quod sperabat euenisse animaduertit, ad cohortes suas tacitus aduolat, & in desertam vrbem introducit, priusque omnium potitus est, quam se Lacetani reciperent; mox ipsos, nihil præter arma habentes, in deditionem accepit.

XXIX. *Bergium Vergestanum.*

Confestim inde victor ad Vergium castrum ducit. Eius præfectus ad Consulem transfugit, & eius consilio in castrum reuersus, arcem occupat, dum mœnia Romani adoriuntur, ita ancipiti certamine distenti barbari victi sunt. Eo loco potius Consul, liberos esse iussit eos, per quos arx occupata esset, Vergestanos Quæstori vt venderet, imperauit, de prædonibus supplicium sumpsit.

Pacata prouincia, vectigalia magna instituit ex ferrarijs argentarijsque fodinis, quibus tum institutis, locupletior in dies prouincia fuit.

XXX. *Val. Flacco Consule de Boijs victoria.*

Eadem æstate alter Consul L. Valerius Flaccus in Cisalpina Gallia, cum Boiorum manu, propter Litanam syluam, signis collatis secundo prælio conflixit. Octo millia Gallorū cæsa traduntur, cæteri omissu bello, in vicos suos agrosque dilapsi sunt. Consul reliquum æstatis circa Padum, Placentiæ & Cremonæ exercitum habuit, restituitq; quæ in ijs oppidis bello diruta fuerant. Iodē comitiorum causa Romam venit.

Eodem fere tempore, & à T. Quintio de rebus ad Lacedæmonem gestis, & à M. Porcio Consule ex Hispania literæ allatæ: vtriusque nomine supplicatio à Senatu decreta est.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3859.

Centvm talenta valent, si sint Attica 105000 franc. si Euboica 140000 franc. Debuit soluere annuatim dimidium eius summæ, omnino autem quingenta talenta, si Attica, quingenta, & insuper viginti quinque millia francorum; si Euboica, septingenta millia. *1. M. XXIII.*

ANNVS MVNDI 3860. SEXTAE ÆTAtis 344. Imperij Græcorum 118. Antioch Magni 31. Oniæ III. Pontificis 14. Ptolemæi Epiphanis 10. Philippi Macedonum 27. Olympiadis CXLVI. An. 3. Vrbis conditæ 559. Coss. P. Cornelio Scipione Africano II. & T. Sempronio Longo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 193.

I. *Legatio Nabidis.*

Horvm Consulum patres collegæ fuerunt in Consulatu, anno primo secundi belli Punici, Vrb. Cond. 535. Principio anni huius vt inquit Titus Livius l. 34. legati duo Nabidis tyranni Romam venerunt, quibus extra vrbem in æde Apollinis senatus datus est, & pax quæ cum T. Quintio conuenisset, vt rata esset, petierunt, & impetrarunt. Hæc quia ad res Græcas pertinent, quæ sunt eiusdem argumenti ac prouinciæ persequamur. De prouinciarum distributione cum relatum esset, Senatus frequens in eam sententiam ibat, vt quoniam in Hispania, & Macedonia debellatum foret, Coss. ambobus Italia prouincia esset. Scipio satis esse Italiæ vnum Consulem censebat, alteri decernendam esse Macedoniam; Bellum graue ab Antiocho imminere, iam ipsum sua sponte in Europam transgressum, quid deinde facturum censerent, cum hinc Ætoli haud dubie hostes vocarent ad bellum: illinc Annibal Romanis cladibus insignis, Imperator stimularet. Apparebat Scipionem Africanum, ambire bellum Asiaticum; non placuit tamen Senatui nouum exercitum in Macedoniam transportari, quin potius eum qui ibi esset, reduci in Italiam à Quintio, ac dimitti.

Cur Scipio ambit prouinciam Macedoniam.

II. *Quintius ea iubet in Græcia.*

Interea Quintius, qui hyemem Elatiæ transegerat, totumque tempus iure dicundo consumpserat, mutandisque ijs, quæ aut ipsius Philippi, aut præfectorum eius licentia in ciuitatibus perperam facta fuerant, cum suæ factionis hominum vires augendo, ius ac libertatem aliorū deprimeret. Veris initio cum de repetenda vrbe cogitaret,

conuentu edicto Corinthum venit, ibi omnium ciuitatũ legationes in concionis modũ circumfusas est allocutus, orsus ab initia primo inita à Romanis amicitia cum Græcorum gente. Et Imperatorum qui ante se in Macedonia fuissent, & suis rebus gestis.

Omnia cum approbatione ingenti sunt audita, præterquam cum ad mentionem Nabidis ventum esset. Vt enim minime conueniens liberanti Græciam videbatur, tyrannum reliquisse, non suæ tantum patriæ grauem, sed omnibus circa ciuitatibus metuendum, hærentem, visceribus nobilissimæ ciuitatis. Quæ tamen Quintius cum animo sentiret, excusabat, negans tyrannum sine grauissima ruina ciuitatis opprimi potuisse. Ideoque satius visum fuisse tyrannum relinqui, sed debilitatum, ac totis prope viribus, quibus nocere posset, spoliatum; cum tamen relicti tyranni causa primaria fuisset, successionis metus. Addit Plutarchus, æmulationẽ Philopœmenis, quem Achæi Quintio æquare videbantur.

III. INDE subiecit sibi in animo esse proficisci in Italiam, eoque omnem exercitum deportare. Demetriadis Chalcidisque præsidia, intra decimum diem audituros deducta: Acrocorinthũ ipsis exemplo videntibus vacuam Achæis traditurum, vt omnes scirent Romanis an Ætolis mentiri mos esset, & quam falsa calumniati essent, qui dixerant pro Macedonibus Romanos dominos fuisse mutatos. Hortatur ad modestum ac moderatum libertatis vsum, ad concordiam inter optimates & inferiores ordines ciuitatum; ad beneuolentiam & fidem erga populum Romanum, vt is datam dignis libertatem, ac munus bene positum sciret. Accepta sunt ea monita tanquam ab amantissimi parentis pectore effusa, manantibus præ gaudio lachrymis. Et sane non Imperatorem apud eos egerat, sed beneficum parentem; nisi Spartanam illam maculam ab ambitione contraxisset.

IV. Petijt deinde vt ciues Romanos, si qui apud eos in seruitute essent, conquisitos intra duos menses mitterent ad se in Thessaliam: ne ipsis quidem honestum esse, in liberata terra liberatores eius seruire. Omnes conclamarunt, gratias se inter cætera etiam ob hoc agere, quod admoniti essent, vt tam pio ac necessario officio fungerentur. Ita Liuius. At Plutarchus vltro id factum ait ab Achæis.

Ingens numerus erat bello Punico captorum, quos Annibal, cum à suis non redimerentur, venumdederat. Multitudinis eorum argumentum est, quod Polybius scribit centum talentis eam rem Achæis stetisse, cum quingenos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, statuissent. Mille enim & ducentos ea ratione Achaia habuit. Adijce nunc pro portione quot verisimile sit totam Græciam habuisse. Ita Liuius. Plutarchus in Flamin. ait in Græcia fuisse mille ducentos captiuos. Liuius autem in Achaia sola, ab Achæis tamen redemptos, contractosq; in vnum locum, omnes iam paranti conscendere Quintio obtulisse, eumque gaudio delibatum, egregijsque muneribus donatum discessisse. Verum addenda ex Liuio deducta præsidia, quæ summam Quintio beneuolentiam conciliauerunt.

V. NONDVM conuentus dimissus erat, inquit, respiciunt præsidium ab Acrocorintho deduci, quorum agmen Imperator secutus, prosequentibus cunctis seruatorem, liberatoremque acclamantibus, Elatiam rediit: inde cum omnibus copijs Appium Claudium legatum dimittit, per Thessaliam, atque Epirum ducere Oricum iubet, atque ibi se opperiri: inde namque in animo esse exercitum in Italiam traijcere. L. quoque Quintio fratri legato, & præfecto Classis scribit, vt eo naues ex omni Græcia contraheret. Ipse Chalcidem profectus, deductis non à Chalcide solum, sed ab Oreo, atq; Eretria præsidiis, conuentum ibi Euboicarum ciuitatum habuit, commonitosq; in quo statu rerum accepisset eos, & in quo relinqueret, dimisit. Demetriadem inde proficiscitur, deductoque præsidio, prosequentibus cunctis, sicut Corinthi & Chalcide, pergit ire in Thessaliam, vbi omnia confusa erant & perturbata, cum ingenio gentis, tum temporum iniquitate. Quintius à censu, & Senatum & Iudices legit, potentioremque eam partem ciuitatum fecit, cui magis expediebat omnia tranquilla, & salua esse.

VI. *Traijcit in Italiam.* QVIBVS expeditis in Oricum Epiri vrbem venit, indeque Brundusium copias omnes transportauit: quæ per totam Italiam ad vrbem vsque prope triumphantes venerunt.

Romæ triumphat. Posteaquam Romam ventum est, Senatus extra vrbem Quintio ad res gestas edisserendas datus est: triumphusq; meritus ab lubentibus decretus. Triduum triumphauit, die primo arma, tela, galeas Græcas, parmasque Macedonicas, & statuas, signaque ærea & marmorea transtulit, quorum plura Philippo, quam ciuitatibus ademerat. Secundo die aurum & argentum factum infectumque, & signatum. Infecti argenti 18. millia pondo, & 270. facti. Vasa multa omnis generis, cælata pleraque, quædam eximiæ artis, & ex ære multa fabrefacta. Ad hæc clypea argentea 10. signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum. l.

Tertio die coronæ aureæ 114. quas ciuitates Quintio dono dederant, & hostiæ ductæ sunt, & ante currum multi nobiles captiui, obsidesque; inter quos Demetrius Regis Philippi filius fuit, & Armenes Nabidis tyranni filius Lacedæmonius. Ipse deinde Quintius in vrbem est inuectus, milites secuti currum frequentes, vtpote omni exercitu ex prouincia deportato.

Denique speciem triumpho præbuerunt, qui seruitute exempti fuerant, capitibus rasis secuti: addit Plutarchus fuisse pileatos. Hæc de Græcia, rebusque Macedonicis.

VII. QVOD ad Hispanicas, quia à Catone in citeriore Hispania debellatum erat, censuit Senatus Catonis exercitum, sicut & Quintij, deducendum ex prouincia, ac dimittendum. Venit ergo Cato Romam, ac de Hispanis hoc anno triumphauit, vt autor est Liuius: etsi tam Catonis, quam Quintij triumphum fasti Capitolini prætermittant. De triumpho Catonis addit Plutarchus, ipsum dicere, & videtur in referendis quoque rebus gestis ad Senatum, petendoq; triumpho dixisse, plures se vrbes recepisse, quam egisset in Hispania dies: neque est hæc iactantia, ait, siquidem quadringentas fuisse verum est. Tulit eo triumpho argenti infecti 25. millia pondo. Auri vero mille & quadringenta pondo. In singulos pedites diuisit 270. æris, triplum equiti dedit. Aliter sensit ac scripsit Plutarchus eius vita. Militibus, ait, præter compendium ex bello magnum, libram argenti in singulos diuisit, addens satius esse multos Romanos cum argento, quam paucos cum auro domum regredi. Ad se vero præter esculenta & poculenta, negauit ex præda quicquam redisse.

VIII. IN vrbe inter alia illud notat Liuius, hoc anno Sex. Ælio Pæto, & C. Cornelio Cethego Censoribus, principem Senatus lectum fuisse Scipionem Consulem, quo eum honore prius etiam Censores affecerant. Gratiam quoque ingentem sibi apud Senatum pepererunt, quod ludis Romanis Ædilibus curulibus imperarunt, vt loca Senatoria, quæ antea promiscua erant, secernerentur à populo. Id factum Marcus Tullius in oratione de Aruspicum responsis P. Africano iterum Consuli tribuit: & in Oratione pro Cornelio perduel. reo apud Pædianum, P. Africanus cum Consul esset cum Tito Sempronio Longo passus est à populari consessu senatoria subsellia separari. Id factum hoc anno notat Asconius, quem dicit esse septimum à pace cum Pœnis facta, quæ Vrb. Cond. 552. inita est. (Notauit Cuspinianus, & post eum Sigonius & Pighius) Id factum Liuius ait P. Scipioni apud populum inuidiam aliquam conflasse. Audi etiam Valerium Maximum. Per quingentos, inquit, & quinquaginta octo annos (præsentem non numarat, quo id fieri desijt) Senatus populo mixtus spectaculo ludorum interfuit. Sed hunc morem Atilius Serranus, & L. Scribonius Ædiles, ludos Matri Deûm facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis Senatus & populi locis, soluerunt: eaque res auertit vulgi animum, & fauorem Scipionis magnopere quassauit. Ita Valerius. Ex quo liquet apud Liuium legendum annum vrbis quingentesimum quinquagesimũ

octauum, non quingentesimum octauum. Q. etiam Pleminius, de quo supra fusius, hoc anno cum incendiarios in vrbe comparasset, vt in nocturno ciuitatis tumultu refringi carcer posset, & hoc quoque scelera priora, quæ in prouincia patrat, cumulare voluisset, re patefacta in inferiorem dimissus est carcerem, necatusque.

IX. In Cisalpina Gallia L. Valerius Flaccus proconsul circa Mediolanum, cum Gallis Insubribus, & Boijs, qui Dorulaco duce ad concitandos Insubres Padum transgressi erant, signis collatis depugnauit, ad decem millia hominũ sunt cæsa. At Titus Sempronius Consul in prouinciam profectus, in Boiorum primum agrum legiones duxit. Boiorix tum Regulus eorum, cum duobus fratribus, tota gente concitata ad rebellandum, castra locis idoneis posuit. Consul vbi magnitudinem copiarum animaduertit, Scipionem Collegam accersiuit, dum tergiuersando pugnam in eius aduentum extraheret. Qua re cognita Boij pugnare festinabant, ac conuocationem vtriusque Consulis antevertere.

X. Itaqve cum copias non educeret Sempronius, castra eius oppugnare aggressi sunt, ancepsque diu pugna, ac triplex in angustijs portarum fuit. Quin etiam in castra per Quæstoriam portam irruperant, ibique L. Posthumium Quæstorem, ac ducentos milites occiderant: sed mox inde pulsi partim, partim occisi sunt extraordinaria cohorte à Consule subsidio missa. Denique cum vsque ad meridiem æquis viribus, ac prope pari spe pugnatum esset, siti ac labore fracti Galli ex pugna decedunt. In paucos restantes impetum Romani fecerunt, fusosque compulerunt in castra. Signum inde receptui à Consule datum est. Quidam dum pertinacius ad hostium vallum pugnant, nec reuocanti è pugna Consuli obtemperant, ab erumpentibus Gallis male mulctati, in castra sua compulsi sunt. Ita varie hinc atque illinc nunc victoria, nunc fuga fuit: Gallorum tamen ad vndecim millia, Romanorum quinque millia sunt occisa. Galli in intima finium, Consul Placentiam recepit sese. P. Cornelius Scipio Romam comitiorum Consularium causa venit.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3860.

Tetradrachmam vocant: ... in singulis argenti est pondus, quatuor drachmæ semiunciam efficiunt, id est, viginti septem solid. cum dimid. Ergo octoginta quatuor millia argenteorum Atticorum efficiunt, 125 millia, & quingentos francos, siue 1860 coron.

Pergit Liuius, auri pondo fuit 1714. & clypeum vnum ex auro totum: cuius clypei pondus tacetur, reliquum aurum æstimatur 17140. coron. datis centenis aureis in singula pondo. Philippi autem nummi quatuordecim millia quingenti quatuordecim, porro singuli drachmales erant; cumque singuli coronati fere drachmæ pondus obtineant, Philippæus paulo amplius quam duobus coronatis valebit. Ergo illa 14514. Philippæorum respondebunt circiter viginti nouem millibus, & viginti octo coronatis. Addit Plutarchus mille talenta, quæ Philippus debebat. Verum quingenta tantum soluere debuerat in præsentia, vt ex Liuio & Polybio diximus, & eam summam inclusam arbitror superioribus.

Hi ducenti quinquagenos æris in pedites diuisi id est, quinque francos, siue centum solidos. Nam mille æris valent viginti libras Turonicas, vt tradit Cenalis. Centurioni duplex summa data est, id est, quingenos æris, siue decem libræ Turonicæ. Equiti autem quindecim.

ANNVS MVNDI 3861. SEXTAE ÆTATIS 345. Imperij Græcorum 119. Antioch Magni 32. Oniæ III. Pontificis 15. Ptolemæi Epiphanis 11. Philippi Macedonum 28. Olympiadis CXLVI. An. 4. Vrbis conditæ 560. Coss. L. Cornelio Merula, & Q. Minucio Thermo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 192.

I. Legati e Græcia. QVÆ ad Antiochum Magnum pertinent, & quæ ille cum Romanis gessit per internuncios, ea prima ponemus. Inde Hispanica, Italicaque subdentur. Quod ad rationem temporis attinet, præter Eusebium, qui nobiscum de Coss. & anno Olympiadis consentit. Meminit huius anni Æmylius Probus in Annibale, quem loquitur esse tertium postquam domo profugerat, eodemque, vt post ea dicemus, illum cum quinque nauibus Africam accessisse. Postquam Coss. Cornelius Merula, & Minutius Thermus in prouincias suas profecti sunt, T. Quintius Flamininus postulauit, vt quæ ipse in Græcia cum legatis decẽ transegisset Senatus audiret, & si videretur, confirmaret: id facilius fore, si legatos ipsos audiret, qui ex vniuersa Græcia, & magna parte Asiæ, & Regibus secum venissent.

II. Disceptatio Romanorum cum Antiochenis. HÆ legationes à C. Scribonio Prætore vrbano in Senatum sunt introductæ, benigneque omnibus responsum. Cum Antiocho, quia longior disceptatio erat, decem legatis, quorum pars in Asia, aut Lysimachiæ apud Regem fuerant, delegata est. Quintio autem mandatum, vt is in consilium adhibitis, responderet Antiochi legatis, quæ ex dignitate atque vtilitate populi Romani responderi possent. Appianus legatis Senatum respondisse scribit (cum eos tentatum se venisse animaduerteret) Si Antiochus Græcos Asiaticos sineret esse liberos, & ab Europa abstineret, fore amicum populi Romani, si voluisset; nec aliam adiecisse causam. Nihilominus Liuium audiamus.

Menippus Romanos arguit. Menippus & Hegesianax principes Regiæ legationis erant, Addit Appianus Lysiam. Ex ijs Menippus, qui videbat anxiè à Romanis, & quasi suspenso gradu secum agi, ignorare se dixit quid perplexi legatio sua haberet, cum simpliciter ad amicitiam petendam, iungendamque societatem venissent: & cum nunquam hostes fuissent, neque alterutri aut victores, aut victi, neutrorum esse decere aut accipere leges amicitiæ, quales victores dicere soleant, victi accipere. Itaque mirari se, quod Romani æquum censerent leges dicere, quas Asiæ vrbium liberas & immunes, quas stipendiarias esse velint; quas intrare præsidia regia, Regemque vetent: sic enim cum Philippo pacem, non cum Antiocho fœdus amicitiæ sanciendum esse.

III. Quintij pro Romanis responsio. Respondet Quintius etiam ineundæ amicitiæ conditiones poni; seque duas conditiones offerre, extra quas nulla possit cum Rege iniri amicitia: vnam, si nihil Romanos curare velit, quod ad vrbes Asiæ attinet, vt & ipse omni Europa abstineat. Alteram, si se ille Asiæ finibus non contineat, & in Europam transcendat, vt & Romanis ius sit Asiæ ciuitatum amicitias & tueri, quas habent, & nouas amplecti.

Improbatur a legato. Hic Hegesianax. Indignum etiam auditu esse dicere Thraciæ & Chersonesi vrbibus arceri Antiochum, quæ proauus eius Seleucus, Lysimacho rege bello victo, per summum decus parta reliquerit; eademque postea à Thracibus possessa, partim armis receperit Antiochus, partim deserta, sicut ipsam Lysimachiam, & reuocatis cultoribus frequentarit, & quæ strata ruinis atque incendijs erant, ingentibus impensis ædificauerit. Quid igitur simile esse ea ea possessione ita parta, ita recuperata deduci Antiochum, & Romanos abstinere Asia, quæ nunquam eorum fuerit?

IV. Et merito. Et recte ille quidem. Nam posito iustum fuisse tunc Seleuci filiũ cũ Lysimacho bellũ, recte nunc Antiochus sibi acquisita recuperat: nec licuit Romanis in alieno regno publicas ambire amicitias, quæ sunt nouandarum rerum inuitamenta, inscio aut inuito principe; multo autem minus earum prætextu, quod ruerta agebatur, in illum arma moliri, aut eum adigere, vt cedat auitis bonis. Quis enim constituerat Romanos Antiochi iudices? Cæterum labitur memoria Liu. dum semel iterumque vocat Seleucum Antiochi proauum, fuit enim abauus. Nam Callinicus fuit Pater Antiochi Magni, Antiochus Deus, auus, Antiochus Soter proauus, Seleucus Nicanor, qui vicit Lysimachum abauus, vt perspicue ex stemmate familiæ Seleucidarum agnosci potest.

V. Vrget Quintius pro Romanis. Instat Quintius, honestius esse liberas velle omnes, quæ vbique sunt, Græciæ vrbes, quam seruas facere, & vectigales. Itaque si pulchrum putat Antiochus repetere in seruitutem vrbes, quas proauus occupauit, etiam populum Romanum, suæ constantiæ, fideique esse censere, susceptum patrocinium libertatis Græcorum non deserere,

quorum plerique in Asia habitant, qui non in seruitutem regiam in Ioniam, & Æolidem venerint, sed stirpis augendæ causa, gentisque vetustissimæ per orbem terrarum propagandæ. Hic hæsitauit Hegesianax, inquit Liuius, vt qui inficiari non posset honestiorem causam libertatis, quam seruitutis prætexi titulo: & videlicet bene de hominibus mereri, quicumque eis libertatem, ab omnibus mortalibus, etiam ratione carentibus expetitam, egregio beneficio restituat. Ita quidem T. Liuius.

VI. VERVM nulla est hæsitandi materia. Nam Dominum legitimum sua repetere, siue in libertatem, siue in seruitutem, pro conditione personarum, iustum & rationi consentaneum est: At externum principem eximere velle subditos aliquos à subiectione Regis sui, titulo specioso libertatis, iniquum atque iniustum est: præsertim cum Antiochus, neque Traces, neque Ionios, neque Æolios seruos habere vellet, sed subditos, vt antea, retinere. Neque enim credibile est Græcos, cum primum in Asiam deductis coloniis penetrarunt, non etiam subditos principis Asiæ esse voluisse, & verò etiam esse debuisse. Nisi forte peregrini plus iuris in regno habere debeant, quàm indigenæ. Ex quibus perspicuum esse arbitror, iniustum fuisse Romanorum contra Antiochum bellum. Iuste tamen in eum Dominus per Romanos animaduertit, sicuti & in Philippum, vt qui aliena inuadunt, vel ambiunt, amittant sua. Nam vterque, vt supra diximus, Ptolemæum Ægypti regem spe deuorauerat. Philippus autem etiam totam pene Græciam occupatam tenebat.

VII. COLLOQVII cum legatis finis fuit, Romanos amicitiam Antiochi nolle, nisi prædictis conditionibus; Antiochi autem legatos nec velle, nec posse pacisci quicquam, quo regnum Domini sui minuatur.

Postero die Quintius legationes vniuersas Græciæ, Asiæque cum in Senatum introduxisset, vt scirent quali animo populus Romanus, qualique Antiochus erga Græciæ ciuitates essent, postulata sua & Regis exposuit, ad iniustum scilicet odium Antiocho conflandum, & deliberatiâ Romanis in eum belli iustitiam ostendendam, & eos sibi conciliandos, vt susceptum pro se bellum, ipsi postea omni studio promouerent: cum tamen Romani iniustissime Antiocho subditos eriperent, & ille iuste suos sibi subditos retinere vellet: sed ad fucum faciendum nominibus seruitutis & libertatis abuterentur, loco subiectionis atque rebellionis; cuius se fautores & protectores fore Romani pollicebantur, cum iuberent Græcis ciuitatibus renonciari, populum Romanum qua virtute, quaque fide libertatem eorum à Philippo vindicauerit, eadem ab Antiocho, nisi decedat Europa, vindicaturum. Sic illi ratiocinabantur.

VIII. VERVM non erat par ratio Philippi & Antiochi; nam Philippus Græcos inuaserat, & sibi inuitos subegerat. Antiochus sibi suisque maioribus Asiæ Regibus subditos in legitima subiectione retinebat. Satis erat Romanorũ virtuti Græcos, aliosue populos vbiuis gentium, quos liberassent ab iniusta vel seruitute, vel subiectione, contra Antiochum, aut quemuis alium, si inuasisset, defendere. Atqui Antiochus bellum contra Romanos moliebatur; audio, si iustum, Romanos iniuriæ satisfacere æquum fuit; si iniustum, eam demum belli causam ostentare oportuit, nõ Græcorum Asiaticorum, aut Thracum libertatem.

Tum Menippus deprecari & Quintium & Patres instituit, ne festinarent decernere, quo decreto orbem terrarum turbaturi essent; tempus & sibi sumerent, & Regi ad cogitandum darent. Ita integra dilata res est, placuitque legatos ad Regem eosdem mitti, qui dudum Lysimachiæ apud eum fuerant, P. Sulpicium, P. Villium, & P. Ælium.

IX. VIX DVM ij profecti erant, cum Carthagine legati attulerunt, bellum ab Antiocho, ministro Annibale, haud dubie apparari. Annibal enim patria profugus ad Antiochũ peruenerat, idque ante triennium, vt diximus, anno Vrbis Conditæ 558. & erat apud Regem in magno honore, nulla alia arte, nisi quod volutanti diu consilia de Romano bello, nemo aptior super tali re particeps sermonis esse poterat.

ANNIBALIS DE BELLO ANTIOCHENO CONSILIA. Sententia eius vna atque eadem semper erat, vt in Italia bellum gereretur, Romanis extra Italiam bellum gerentibus, nullam gentem, aut Regem parem fore. Sibi centum tectas naues, sedecim milia peditum, mille equites deposcebat; ea se classe primum Africam petiturum, & confidere Carthaginienses ad rebellandum ab se compelli posse; si illi cunctentur, se in aliqua Italiæ parte bellum Romanis excitaturum. Regem cum ceteris omnibus transire in Europam debere, & in aliqua parte Græciæ copias continere, expectantem rei bene gerendæ occasionem.

X. HÆC nonnihil mutat Appianus. Nam apud eum pro sedecim millibus, decem tantum petit Annibal, & obliuiscitur equitum, nec se in Africam iturum dicit, sed missurum qui moneant amicos, vt quamprimum ipse inuasisset Italiam, populum concitarent ad expetendam vltionem ob acceptas iniurias. Æmilius autem Probus ait Annibalem, his ipsis Coss. cum quinque nauibus Africam adijsse, in finibus Cyrenæorum, si forte Carthaginienses ad bellum, Antiochi spe fiduciaque, inducere posset. Sed misisse potius, hoc quidem tempore, credamus Appiano, aut potius Liuio.

In eam sententiam, belli scilicet contra Romanos gerendi, Pœnis in belli societatem adductis, cum Regem adduxisset, præparandos sibi ad id animos popularium suorum ratus, literis agere, ne deprehenderentur, & omnia vulgarent, noluit: sed Aristonem quendam Tyrium, promissis oneratum, quibus etiam Rex annuebat, in Africam mittit cum mandatis; edit nomina eorum, quibus conuentis, opus esset: instruit etiam secretis notis, per quas illi agnoscerent sua esse mandata.

XI. ILLE profectus Carthaginem, cum factionis Barchinæ hominibus tantum conueniret, res suspecta esse cœpit, & ab inimicis aperte iactari Annibalem concitare bellum. Vocatur in Senatum, Ariston purgare se, & firmissimo propugnaculo vti, quod nihil literarum attulisset: cumque aliqui comprehendendum hominem, & Romam cum legatis mittendum dicerent, vt Remp. suspicione noxæ liberarent: alij negarent tam facile in hospites, leui ex suspicione manus inijci oportere. Idem Tyrios suis esse facturos: eo die dilata res est. Ariston Punico ingenio inter Pœnos vsus, tabellas conscriptas celeberrimo loco, supra sedem quotidianam magistratus, prima vespera suspendit. Ipse tertia vigilia nauem conscendit & profugit. Postero die cum Suffetes ad ius dicendum consedissent, in tabella legerunt Aristonem priuatim ad neminem, publice ad Senatum mandata habuisse. Eo facto minus intentam de priuatis hominibus quæstionem effecit, & populo Senatum suspectum reddidit: sicut & Senatui factionem Annibalis suspectam fecerat.

XII. MITTI tamen legatos Romam placuit, qui rem ad Coss. & Senatum deferrent, simulque de Masanissæ iniurijs quererentur, qui sui regni fines transgressus, Carthaginiensium occuparet. a Audito de Tyrio aduena primum Carthaginienses, curam iniecere patribus, ne cum Antiocho simul & Pœnis bellandum esset; eaque suspicio crimen vigebat, quod quem comprehensum Romam mitti placuisset, nec ipsum, nec nauem eius custodissent. De finium querela disputatum est Romæ, & missi in Africam legati, in quibus ipsemet Africanus, qui fines vtrorumque in exitu belli Punici constituerat. Res tamen in dubio atque integro certamine relicta est, Romanis vtiq; in Masanissam magis, quam in æquitatem propensis. Alioqui vt ait Liuius, vnus Scipio vel notitia rei, vel autoritate ita de vtrisque meritus, finire nutu disceptationem potuisset: sed vel indigne ferebat Aristonem non comprehensum, & ideo Pœnorum iniuriam, quam vindicatam oportuit, neglexit: vel cetera iussit Senatus, in dubia Carthaginiensium fide, amicitiæ Masanissam, socium longe fidelissimum: & recte id quidem, si eum maluisset sine alterius iniuria retinere.

XIII. PRINCIPIO anni, quo hæc gesta sunt, Sex. Digitius Prætor in Hispania citeriore, cum ciuitatibus ijs, quæ post profectionem M. Catonis permultæ rebellauerant,

crebra

crebra magis quam digna dictu prælia fecit; & adeo pleraque adversa, vt vix dimidium militum quos acceperat, successori reliquerit: nec dubium est quin omnis Hispania sublatura animos fuerit, ni alter Prætor P. Cornelius Cn. F. Scipio trans Iberum multa secunda prælia fecisset; quo terrore non minus quinquaginta oppida ad eum defecerunt. Idem Proprætor anno Lusitanos pervastata vlteriori provincia, cum ingenti præda domum redeuntes, in ipso itinere aggressus, ab hora diei tertia ad octavam incerto eventu pugnavit; etsi contra fatigatos ex itinere, & præda impeditus pugnarit. Tandem post votos Iovi ludos, gradum acrius intulere Romani, cessitque Lusitanus; deinde prorsus terga dedit, & cum institissent fugientibus victores, ad duodecim hostiũ millia sunt cæsa; capti quingenti quadraginta, omnes ferme equites, & signa militaria 134. de exercitu Romano septuaginta & tres amissi, præda quæ agnosci potuit suis dominis restituta, reliqua militi divisa.

Et à Scipione Cn. filio.

Difficilis de Lusitanis victoria.

XIV. *Et à Flaminio Prætore.*

NONDVM ab vrbe profectus erat C. Flaminius Prætor, cum hæc in Hispania gerebantur, & magnis sermonibus circumferebantur per ipsum, eiusque amicos, vt maiores ei copiæ à Senatu decernerentur: non plane irrito conatu, sed effectu non magno. Nam oppidum tantum Ilunciam in Oretanis cepit; deinde in hyberna milites deduxit. Nam totum fere tempus in delectu habendo in Italia, & Sicilia, atque etiam in Africa, cum eo tempestate delatus esset, consumpserat: per hyemem vero aliquot prælia, aut excursiones potius contra prædones, non sine suorum iactura confecit.

Et à M. Fulvio Nobil.

Maiores res gestæ à M. Fulvio Nobiliore in vlteriore Hispania. Nam apud Toletum cum varijs gentibus signis collatis dimicante, eorum exercitum fudit fugavitque, regem Hilermum vivum cepit.

XV. *Terræ motus crebri.*

PRINCIPIO anni, quo L. Cornelius & Q. Minucius Coss. fuerunt, terræ motus ita crebri nunciabantur, vt non rei tantum ipsius, sed feriarum etiam ob id indictarum populũ tæderet, & nunciari Coss. quadantenus vetarent, quod nec Senatus haberi, nec Resp. administrari posset, Coss. sacrificando expiandoq; occupatis. Cornelius Galliam provinciam, Minucius Liguriam sortiti sunt.

Ligurum motus bellici.

Nihil hoc anno belli expectantibus Coss. literæ Pisis allatæ sunt, Ligures ad 20. millia in armis esse, coniuratione per omnia eorum conciliabula facta: deinde etiam multo plures spe prædæ, Pisas ad eos confluxisse, omnemque maris oram populando peragrasse. Itaque Minucius cuius ea erat provincia, magna cura delectum habuit, cum etiam Boij tumultuari dicerentur, Et Aretio quem locum indixerat ad conveniendum militibus, quadrato agmine exercitum Pisas ducit, & vrbem adventu suo servatam est ingressus.

XVI. *... gesta à Minucio contra eos.*

POSTERA die castra posuit, quingentos fere passus ab hoste; nec milites in aciem eduxit, quos scilicet & novos habebat, & ad hostium multitudinem paucos. At Ligures multitudine freti, & in aciem exibant, parati de summa rerum decernere, & manus ad prædandum varijs locis emittebant, & prædam, parato præsidio, tutò ad vicos suos, castellaque deducebant.

Paulo tamen post idem Q. Minucius in agro Pisano cũ Liguribus feliciter pugnavit, novem millia hostium cæsa, castra deinde ad noctem vsque oppugnata, & nocte ab hoste deserta, prima luce à Romanis occupata sunt: statimque hostem persecuti, Liguriam late pervastarunt, & prædam à populatoribus abductam multo cum fœnore, & prædonum clade receperunt. Livius l. 35. quæ dilata ab eo, suo tempori restituimus.

XVII. *Itemque à Cornelio Merula.*

CVM bellum Ligusticum ad Pisas constitisset, Consul alter Cornelius Merula, per extremos Ligurum fines, exercitum in agrum Boiorum induxit; vbi contraria quam apud Ligures ratione, Consul in aciem exibat, hostes pugnam detrectabant, & sua impune diripi patiebantur. Postquam omnia iam ferro ac igni evastata essent, Consul agro hostium excessit, & Mutinam incautius ducebat. Boij vbi egressum finibus senserunt, silenti agmine secuti, nocte Romanas copias transgressi, saltum per quem iter Romanis erat futurum, occuparunt. Id cum parum occulte fecissent, Consul re intellecta lucem ad profectionem præter morem suum expectavit, & præmissa equitum turma, exploravit copias hostiles, moxque instructo exercitu duxit in hostem: idem fecerunt & Galli, quoniam locum insidijs non esse animadverterunt.

BOII CRVENTA VICTORIA SVPERATI.

XVIII. *Obstinata cum Boiis pugna.*

HORA ferme diei secunda concursum est, & diu admodum ingenti vtrimque ardore pugnatum. Acies prima Romanorum cum succumberet, legio altera submissa pugnam redintegravit, & constanter stetit, donec eductu ex acie alari equitatu, ductu C. Livij Salinatoris, eum cursus concitatissimo impetu in hostem emitti iubet, ad hostium ordines perturbandos.

Hæc procella equestris primo confudit, & turbavit, deinde dissipavit aciem Gallorum; non tamen ita vt terga darent: obstabant enim duces hastilibus cædentes terga trepidantium, & redire in ordines cogentes. Sed id interequitantes alarij non patiebantur. Hic Consul hortari suos ne restitui ordines sinerent, ne novo postea prælio dimicandum esset: victoriam in manibus esse, si paululũ conitantur. Omnes conati, tandem averterunt hostẽ, & in fugam effusum legionarij equites consecuti, magnam cædem edidere. Quatuordecim millia Boiorum eo die cæsa dicuntur, vivi capti mille 92. equites 221. tres duces eorum, signa militaria 212. carpenta 63.

Et victori

Nec incruenta.

Nec Romanis incruenta victoria fuit: supra quinque millia militum ipsorum, aut sociorum amissa sunt: centuriones tres & viginti, præfecti sociorum quatuor, Tribuni militum secundæ legionis duo. Itaque cum ad Senatum de victoria scripsisset, non defuerunt, qui eius culpa tantã iacturam in exercitu Romano factam criminarentur, in quibus M. Marcellus consularis fuit.

XIX. *Comitia consularia.*

INTER hæc comitiorum tempus adventabat. Scripsit Minucius se Romam ad subrogandos magistratus, sine exardenti pernicie sociorum, & Reipublicæ damno venire non posse; etsi comitia eius sortis essent, inquit Livius, significans Consules, sicut provincias sorte capiebant, ita & de habendis comitijs sortiri solitos esse, idque clarissimum est in Livio, vt sequenti anno patet. Ita eius Collega à Senatu evocatus est, qui relicto ad exercitum M. Claudio Marcello, in vrbem venit, & quasi re bene gesta, & supplicationem dijs, & sibi triumphum decerni postulavit. At repulsam est passus, quod diversa ab eius literis, ab eius legato scripta essent.

Merula non obtinet triumphum.

ANNVS MVNDI 3862. SEXTÆ ÆTATIS 346. Imperij Græcorum 120. Antiochi Magni 33. Oniæ III. Pontificis 16. Ptolemæi Epiphanis 12. Philippi 29. Olympiadis CXLVII. An. 2. Vrbis conditæ 561. Coss. L. Quintio Flaminino, & Cn. Domitio Ænobarbo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 191.

I. *Ambitio pro consulatu.*

CONSVLARIBVS comitijs magis quam vnquam alias exarsit ambitio, vt scribit Livius l. 35. Multi enim & potentes petebant, patricij, plebeijque. Sed omnium oculi maxime coniecti erant in L. Quintium, qui classi in Græcia præfuerat, & P. Cornelium Cn. F. qui ex Hispania provincia nuper decesserat, magnis rebus gestis: quos præ cæteris dignitas, & rerum gestarum gloria commendabat. Sed ante omnia certamen accendebant fratres Candidatorum, duo clarissimi ætate sua Imperatores, Scipio Africanus, & T. Quintius Flamininus. Cuica gratia à populo deberi videbatur, qui nihil nec petierat à populo post triumphum, nec adeptus erat; pro fratre germano, non patruele se petere aiebat, pro collega & participe administrati belli, se terra, fratrem mari rem gessisse. Ita Scipionem vicit, etsi virum optimum à Senatu indicatũ; nec potuit vterq; creari Consul, quoniam alterum plebeium esse oportebat. In quo etiam Africani fuuor pro C. Lælio

Odium Africani ...

victus est, haud dubie populo ob sedes Theatri discretas, in illum nonnihil infenso.

II. *Ætoli ad arma contra Romanos concitant.* Hoc anno quo in Olympicis coronatus est Agemachus Cyzicenus, Græciæ res, Asiæque vehementer turbari cœperunt, Ætolis bellum vbique contra Romanos excitantibus. Ij post deportatos ea Græcia Romanos exercitus, in spe fuerant, Antiochum in vacuam Europæ possessionem venturum, nec Philippum, aut Nabin quieturos. Verum vbi nihil vsquam moueri viderunt, homines inquieti atque turbulenti, concilio Naupacti habito, vbi Thoas prætor iniurias Romanorum conquestus est, statumque Ætoliæ, cui victoria, cuius ipsi causa fuissent, dedecori esset, legatos ad Nabin, ad Philippum, ad Antiochum miserunt, & idoneis singulos rationibus ad arma Romanis mouenda commouerunt. *Nabin sollicitant.* Nabin quod ademptis maritimis ciuitatibus, eneruatam ei tyrannidem Romani reddidissent, quas Romanis absentibus facile esset recuperare, nec metuendum esset, ne propterea in Græciam cum classe traijcerent.

III. *Philippum Macedonem.* Philippvm, quod tantis bonis spoliatos in ordinem redegerint Macedonas, qui victoriis suis orbem terrarum peragrassent: suadere vt iunctis cum Antiocho & Ætolis in Græcia viribus, Romanum iugum excutiat. Id perfacile fore. Nam qui sine Antiocho, aduersus Romanos Ætolosque tamdiu sustinuerit bellũ, ei adiuncto Antiocho, sociis Ætolis, qui tum grauiores hostes, quã Romani fuerint, Romanos nullis viribus restituros. *Antiochum magnum.* Antiocho societatem armorum, aut potius principatum, vt habet Appianus, offerebant, & qui Romanis victum Philippum dedissent, se vice versa Romanos ei victos præbituros. Iactabant copias suas, Philippum & Nabidem paratus ad rebellandum mentiebantur, dicebantq; eos oblatam occasionem recuperandi sua arrepturos, vrgebantque adeo vt nõ sinerent, vt ait Appianus, eum expectare dum ipsius exercitus ex mediterraneis Asiæ regionibus descenderet. Ita illi operam dabant vt omnia bello conflagrarent, & infestis gladijs Asia atque Europa concurrerent.

IV. *Nabis ad arma concitat.* Reges tamen aut non moti, aut tardius moti sunt: idque probabilius est, quã quod habet Appianus, Antiochũ temere irritatum, ne nuncio quidem de filio in Syria defuncto, institutam expeditionem tardasse, appulisse in Eubœam; sed de huius filij morte postea cum Liuio. Nabis tamen ex templo vicos maritimos seditionibus agitat, & à Romana societate precio metuque abducit, sibique subijcit: Gytheum oppugnat: qua de re Achæi ad eum primo, deinde Romam per legatos querelas detulerunt.

Interea Antiochus ea hyeme Raphiæ in Phœnice Ptolemæo Regi Ægypti filia in matrimonium data, cum Antiochiam se recepisset, per Ciliciam Tauro monte superato, extrema iam hyeme Ephesum peruenit. Ita Liuius. Hęc porro hyems, qua celebratæ sunt nuptiæ vel ad finem præcedentis anni pertinet, vel ad initium præsentis, qui est 12. regni Ptolemæi Epiphan. vt propterea minus assentiar D. Hieronymo, qui refert filiam Antiochi Cleopatram Ptolemæo desponsatam septimo anno regni adolescentis, traditam vero 13. cum desponsatio in octauum potius annum, nuptiæ in duodecimum, vt diximus referendæ sint; quippe quæ prælium anteccesserint, quod in sequentem annum cadit; etsi eas Scaliger ad decimum quartum retulerit.

V. Prius etiam Eusebius, quod iste non animaduertit, victum Antiochum facit à Romanis ad Thermopylas ante has nuptias; contra Liuium, & Appianum, qui eas initas ait quasi præparationem ad bellum. Iamq; certus Antiochus (inquit Appianus) bellum aduersus populũ Rom. gerere, propinquos reges adiungebat sibi connubijs; mittitq; Ptolemæo in Ægyptum Cleopatram, Syram cognomine, in dotem addens Cœlesyriam, quam ei prius ipse ademerat, demulcens adolescenté, vt in bello Romano quiesceret; Antiochidem vero misit Ariarathi regi Cappadocum, & reliquam Eumeni Regi Pergami. At ille qui a videbat eum iam bellum contra Romanos instituere, & in hunc vsum affinitatem quærere, excusauit; mirantibusque fratribus Attalo & Philetæro, aspernari eum affinitatem tanti regis vltro inuitantem, ostendit imminere bellum, primum quidem æquo marte gerendum; sed tandem victores fore Romanos propter generositatem, & laborum tolerantiam: quibus vincentibus, inquit, ego regnum meum firmiter obtinebo. Quod si Antiocho victoria contingeret, aut à præpotente vicino spoliarer bonis, aut si regnum mihi maneret, parendum esset maioris Regis imperio. His de causis ille nuptias renuit. Sic Appianus, quibus non dissimilia habet hoc loco Liuius, l. 35. Accedebat & contracta cum Romanis ab Attalo patre amicitia, quæ regno eius & honori fuerat, & vtilitati. Et hæc quidem vna causa Antiocho contrahendæ cum Ptolemæo affinitatis fuit, alteram autem ex Daniele supra retulimus octauo anno regni eius.

VI. *Dos Cleopatræ ab Antiocho data. a L. 12. c. 3.* Qvod de dote ait Appianus, distinctius explicat Eusebius, & ante eum Iosephus. a Post hæc amicitia inquit, Ptolemæo coniunctus est, & fœdere, data in matrimonium Cleopatra filia, & concessa dotis nomine Cœlesyria, vna cum Phœnice, Iudæaque, & Samaria; diuisisque inter vtrunque regem vectigalibus, optimates suæ quisque patriæ exactionem eorum redimebant, & collecta quæ imperata esset pecunia, conferebant eam in regium ærarium. Sic Iosephus, ex quo intelligitur, ita traditam Ptolemæo Syriam, vt Antiochus in ea dimidiam partem vectigalium, quasi pensionem sibi retineret: vt præter præsens emolumentum, etiam aditum ad eam prouinciam aliquando recipiendam paratum haberet. 1. *1. 67.*

Hæc igitur mulier data est Ptolemæo, vt euerteret illud regnum, siue interuerteret, & à marito ad patrem transferret; sed irritus is conatus fuit. Neque enim obtinere potuit Ægyptum: quia Ptolemæus Epiphanes, & duces eius sentientes dolum cautius egerunt, & Cleopatra magis viri partes quam parentis fouit, vt ait D. Hieronymus in eundem Danielis locum.

VII. *Antiochus ad Pisidas.* Sed redeamus ad Liuium, qui ait Antiochum initio veris misisse filium Antiochum in Syriam ad custodiam vltimarum partium regni, ne quid absente se à tergo moueretur: ipse autem cum omnibus terrestribus copijs ad Pisidas, qui circa Selgam incolunt oppugnandos est profectus. Hos Pisidas Ptolem. in Pamphylia, & Selgam ad oram Cestri fluuij collocat. *Asiæ tabu.*

Legati Romani Antiochum adeunt. Eo tempore legati Romani P. Sulpicius, P. Villius, & P. Ælius, nuper ad Antiochum, iterum Roma missi sunt à Senatu ad tentandum vice versa Antiochum, vt tradit Appianus, qui & addit Africanum in legatis; ad Eumenem, vti iussi fuerant, prius venerunt. Qui belli aduersus Antiochum cupidus erat, vt qui eum propter potentiam sibi grauem fore, si pax esset, vereretur; bello autem victum iri, sicut Philippum sperabat, & si victo pax daretur, multa illi detracta, sibi accessura sperabat: & in omnem euentũ satius esse ducebat Romanis socijs, quamcunq; fortunam subire, quam solum aut imperium Antiochi pati, aut abnuentem vi atque armis cogi. Ob hæc quantum autoritate, quantum consilio valebat incitabat Romanos ad bellũ.

VIII. *Legati Romani cum Annibale colloquuntur.* Interea Sulpicius æger Pergami substitit, Villius cũ Pisidiæ bello occupatum Regem audisset, Ephesum profectus, cum Annibale crebro sermone congressus, metum ei demere à Romanis conatus est, & eius animum si qua posset pertentare. Ex quo sermone, id sua sponte secutum est, perinde ac si consulto quæsitum esset, quod affirmat Iustinus, vt Annibal regi vilior atque suspectior fieret. Refert ex aliorum scriptis Liuius, quod ab ipso deinceps alij tradidere, in quibus Appianus in Syriacis, Zonaras, Valerius Max. P. Africanum in ea legatione fuisse, eumque Ephesi cum Annibale collocutum, quæsisseque inter alia, quem fuisse maximum Imperatorem Annibal crederet; *Maximus Imperator Annibalis iudicio.* respondisse, Alexandrum Macedonum regem, qui parua manu maximos fudisset exercitus, & totum Orientem victorijs peruagatus esset; quærenti deinde quem secundum poneret, Pyrrhum dixisse, castris metandis, & hominibus sibi conciliandis insignem. Pergenti quærere quem tertium crederet? haud dubie semetipsum dixisse; tum risum obortum Scipioni, & subiecisse, quidnam tu diceres, si me vicisses? Tum me vero, inquit, & ante Alexandrum,

& ante Pyrrhum, & ante omnes alios Imperatores esse, Arguto responso propter laudis offensionem, Scipionis laude, atque assentatione temperauit. Ei enim blanditus est, quasi is Alexandro præstantiorem vicisset. Nec sine causa fortasse. Asiani enim populi molles ac fugaces, ab Alexandro victi sunt: Romani autem, quibus nulla gens vnquam bello fortior fuit, ab Annibale.

IX VILLIVS ab Epheso Apameam processit: eo & Antiochus, audito Romanorum legatorum aduentu, occurrit. Apameæ cōgressis eadē ferme disceptatio fuit, quæ Quintium inter & legatos Regis fuerat. Sed mors nunciata Antiochi filij regis, quem missum in Syriam paulo ante diximus, repleta luctu regia colloquia diremit. Eius mortis suspectum ipsum parentem Liuius inuria opinor facit. Per Eunuchos sublatum ait veneno, quasi grauē suæ senectuti successorem timeret: vel quod idoneum locum, in quo regnaret, sicut dedisset Seleuco primogenito, ei dare non posset, sed hæc frigidissima sunt, ad tantum regem, ad tam immane scelus adigendum. Quid enim timeret grauē successorem, iuuenem in primis amabilem, & quem, eodem teste Liuio, omnes diligerent, vt in quo magni, iustique Regis indoles appareret? Aut quomodo in tam multis totius Asiæ regnis atque prouincijs, quæ ei parebant, nulla erat ciuitas idonea, cuius alteri filio daret imperium?

X. REX omisso bello, quod cœperat, Ephesum venit. Ibi per Minionem quēdā legatum cum Romanis egit. Is accusare cœpit Romanos, qui prætextu liberandi Græcos, Antiocho regi bellum parent: cum ipsi tam multos populos, claraśque vrbes sibi subiectas habeant, & vectigales, quæ olim liberæ, ac sui iuris erant: nec decere iis Antiocho accusare, quæ in ipsis æquè argui poterant. Respondit Sulpicius, disparem esse rationem; quod Neapolitani, verbi gratia, & Tarentini, ex quo in Romanorum venerant potestatem, perpetuo subditi fuerint, & vectigal dependerint. At ciuitates Asiæ non perpetuo in maiorum Antiochi potestate mansisse, sed tum Philippo tum Ptolemæo paruisse, alias etiam sui iuris fuisse.

XI. VERVM hæc interrupta possessio non adimit ius legitimo principi: neque iniusta inuasio ius præbet in eos, qui vim perpessi sunt. Rectius fortasse fuisset ostendere, & Romanos iusto bello sibi eos populos, aliosue subiecisse, & Antiochum nullum vnquam in eos Græcos Asiaticos ius dominij habuisse. Neque enim possessionis interruptio, aut continuatio violenta, iusti dominij naturam mutat. Itaque si Philippi Macedonis, quem nuper tota Græcia Romani expulerunt, legitimum in eos ius fuisset, iniurij in eum Romani sine dubitatione fuissent, & Philippi posteri dominium in eos postliminio sibi asserere potuissent. Admissi deinde sunt aliarum ciuitatum legati, ab Eumene instructi. Appianus ait regem promisisse se permissurum Rhodios, & Byzantios, Cyzicenosque, & quicunque Græci alij Asiam incolerent, fœdere Romanis iungi. Æoles autem & Ionas eodem iure esse noluisse, vt qui Asiæ Regibus parere assueti essent: quæ cum Romani non probarent, post multas disceptationes, nihil denique decretū est. Romani re infecta Romam rediere.

XII. REGEM autem sui ad bellum contra Romanos varie instigabant. Alexander in primis Acarnan, Philippo quondam amicus, qui iam certam animo victoriam comprehendebat, si in Europam mature transisset, & loca opportuna, locosque præoccupasset. Nam in Græciæ quasi vmbilico Ætolos habiturum, quasi mediam aciem, alterum cornu Nabidem ducturum, Philippum alterum, qui omnes Romanis infensi, multum eis nocere velint & possint: accessurum Annibalem, qui Africam quoque in Romanos moueat. Aberat à concilio Annibal, suspectus regi factus à frequenti cum Romanis colloquio: sed ille probato suo in Romanos odio, etiam inter iurando firmato, reconciliatus est regi. Ex concilio autem, decreto in Romanos bello, discessum est. Rex aliquanto post Hellespontū cum exercitu traiecit.

In vtraque Hispania res hoc anno prospere gestæ. Nam & C. Flaminius oppidum Litabrum munitum, opulentumque vineis expugnauit, & nobilem Regulum Corribilonem viuum cœpit, & M. Fuluius Proconsul, cum duobus exercitibus hostium, duo secunda prælia fecit; oppida 4. & castella multa expugnauit, alia deditione accepit. Denique etiam Toletum, deuictis auxiliaribus Vectonum copijs, operibus cepit.

XIII. AD Italiam quod attinet, diu in Liguria nihil memoria dignum gestum erat, extremo eius anni bis in magnū periculum res adducta est. Nam & Castra Cos. oppugnata ægrè sunt defensa; & non ita multò post, per saltum angustum, cùm adduceretur agmen Romanum, ipsas fauces, exercitus Ligurum insedit: qua cum exitus non pateret, conuerso agmine redire instituit Consul, sed à tergo quoq; fauces ab hoste repente occupatas; ita vt Caudinæ cladis memoria non animis modo, sed oculis etiā obuersaretur. At Numidæ equites octingenti spondent se erepturos, & incendio in hostium vicos iniecto, hostes ab ea obsessione educturos, modo qua parte vici eorum proximi essent didicissent. Laudatos & promissis oneratos Consul dimittit.

Hi ludibundi in equis, quibus nihil esset contemptibilius, exibant. Equi enim ait Liuius, hominesque paululi & graciles erant, discinctus & inermis eques, præterquam quod iacula secum portat; equi sine frenis, deformis ipse cursus, rigida ceruice, & extento capite currentium, deinde referebant pedem, sursumque progrediebantur, hostibus spectaculo ac ludibrio de industria facti. Denique serio excurrunt per mediam hostium stationem, & festini tectis flammas iniciunt; ad quas extinguendas à suis domesticis exciti, trepidi, omnisque moræ impatiētes in suos vicos aduolant: Romanique obsidione liberati, quo intēderant peruenerunt.

XIV. SVB idem tempus legati à Regibus reuersi, nihil maturum ad bellum esse nunciarunt, nisi Lacedæmone, quod Nabis tyrannus oram maritimam cōtra fœdus oppugnaret. Eo Atilius Prætor cum classe missus ad tutandos socios. Consules, quando nihil ab Antiocho instare videretur, in prouincias profecti sunt. Domitius ab Arimino, qua proximum fuit, Quintius per Ligures in Boios venit. Duo Consulum agmina diuersa, late agrum hostium peruastarunt. Itaque Boij pertæsi belli, primo equites eorum pauci cum præfectis, deinde vniuersus Senatus, postremo in quibus fortuna aliqua aut dignitas fuit, ad mille & quingentos ad Coss. transfugerunt. Hoc quoque anno L. Quintio Consule, teste Liuio vrbem duo maximi terrores tenuerunt, terræmotus per duodequadraginta dies, & incendium quod ortum à foro Boario, diem noctemque ædificia ad Tyberim versa exussit, conderoque tabernæ preciosæ conflagrarunt.

XV ACCESSERVNT varij rumores de Antiocho sparsi, isq; in primis, quo ex Ætolia in Siciliam traiecturus dicebatur, qui multam curam patribus attulerunt. Sed addidit alimenta rumoribus, aduentus Attali Eumenis fratris, qui nunciauit Antiochum regem Hellespontum cum exercitu transisse. Ætolos ita se parare, vt sub eius aduentū in armis essent. Et Eumeni absenti, & præsenti Attalo gratiæ actæ, & munera data. Coss. quoque primo tempore designari visum est. Propere euocatus Senatusconsulto Consul, qui ex itinere præmisit edictum, quo comitia Coss. creandis edixit. Et mature quidem designati sunt Cōsules, suo tamen tempore inire magistratum: idque lectori T. Liuij studiose animaduertendum est, ne res vnius anni alteri inconsultè attribuat. In ijs comitijs magna fuerunt studia candidatorum, quod patricij tres Consulatū peterent, Scipiones duo, alter Africani frater, alter eiusdem patruelis, & Cn. Manlius Volso. P. Scipioni datus est Consulatus, vt dilatum tali viro, non negatum honorem appareret: sed & reliqui duo, duobus annis proximis facti sunt Consules. Qui etiam è plebe superiore anno eodem honore certabant, Acilius Glabrio, C. Lælius, Liuius Salinator, proximis annis eundem magistratum obtinuerunt.

XVI. INTEREA verò dū Populus Romanus ad omnes se Antiochi conatus, rumoribus commotus, in omnem euentū præparat, & Prætor Atilius Classem in Græciam parat, eoque proficiscitur, res in Græcia vehemēter turbatæ sunt,

Nabis aliquandiu prospera vsus fortuna, ab Ætolis per fraudem occiditur, Sparta nihilominus & Lacedæmonij Achæis adiungũtur, Demetrias ab Ætolis occupatur, Antiochus in Græciam venit, & Chalcidem atque Eubœam occupat: quæ omnia reliquo lib. 35. à Liuio traduntur pluribus: ea nos more nostro contractiora trademus.

Nabis tyrannus Gythæum oppugnat.

Nabis non differebat bellum, neque id cunctanter vt Antiochus, & Romani aggrediebatur; sed dudũ inchoatũ vrgebat, & dum querelæ Romam deferuntur, summa vi Gythæum maritimũ oppidum validum ac munitũ oppugnabat; eoque Achæi præsidium summiserãt: qua re infensus Achæis Nabis eorum agros peruastabat. Achæi & ipsi cunctati sunt bellum Nabidi inferre, quod monitus per literas Quintius, aduentum Romanæ classis expectandũ censuisset, à qua Gythæum mari defenderetur.

XVI. *Philopœmen ab ea classe victus.*

ERAT tum Achæis Prætor Philopœmenes vir terrestribus prælijs clarus, naualium insolens. Is cum videret omnium suorum studia ad hoc bellum prona, etsi consilium Quintij placebat, veritus tamen ne dilationem res nõ pateretur, & non Gythæum solum, sed præsidium quoque missum ad tuendam vrbem amitteretur, naues Achæorũ deduxit. Cõparauerat & tyrannus modicã classem ad prohibenda auxilia Gythæorũ, quæ Philopœmenem à nauib' male paratum, & tamen congredi ausum, perculit & in fugam egit. Sed id gaudiũ breue tyranno fuit. Is statiua habebat ad Pleias, vt terrestres aditus impediret Gythæo subueniendi: ea noctu improuisus inuasit Philopœmenes, & flammis omni ex parte castrorum iniectis, vt erãt plurimæ casæ fronde & arundinibus textæ, omnes conflagrarunt; perpauci ex tam ancipiti peste ad Gythæum in maiora castra perfugerunt. Inde cum consilium cœpisset Spartam obsidendi, vt Gythæi obsidionem solueret, quo primum die Lacedæmoniorum agrum est ingressus, Gythæum expugnatum est. Inde tyrannus conuerso Lacedæmonẽ versus itinere, aliquot prælijs à Philopœmene fractus est, adeo vt vix quarta pars exercitus cum Tyranno in vrbem penetrarit. Inde insequentibus triginta diebus Laconicum agrum perpopulatus, magna cum Achæorum laude domũ reuersus est.

Vicissim ab eo cladem accepit.

Gythæum expugnatur.

XVII. *Quintius cũ cæteris legatis confirmat socios.*

HÆc dum in Peloponneso geruntur, Romanorum legati ad confirmandos autoritate sociorum animos nuper missi, post digressum Attilij Prætoris cum classe modica, in quibus princeps erat T. Quintius, populos vrbesque socias circumibãt, veriti ne quos Ætoli ad Antiochum traherẽt. Athenas quippe, Chalcidem, Thessaliam adiere, indeque Demetriadem, vbi plus erat periculi, & eo concilium Magnetum indictum erat, quorum plerique primarij Romanis erant infensi, totique Antiochi, & Ætolorum erant: quia cum reddi filium obsidem Philippo allatum esset, stipendiumque impositum remitti, etiam addebatur Romanos ei Demetriadem reddituros, quod ne fieret, Eurylochus eorum princeps omnia nouari malebat.

Aduersus eos ita disserendum erat, ne timorem vanum ijs demendo, spes incisa Philippũ abalienaret, in quo plus erat ad omnia momenti, quam in Magnetibus.

XVIII. *Eorum contentio pro Demetriade.*

DOCVIT ergo Romanus, cum totam Græciam beneficiò libertatis obnoxiam esse Romanis, tum eam præcipue ciuitatem, in qua nõn præsidium modo Macedonum, sed regia etiam erat, vt præ oculis semper habendus esset Dominus. Id autem beneficium frustra collatũ, si pro Philippo nouus Rex Antiochus eo ab Ætolis introducatur. Eurylochus, qui tũ Magistratu fungebatur, nõ dubitauit publicè dicere, omnia Magnetibus audenda esse, priusquam Demetrias Philippo, quod fama ferebat, redderetur, & Demetriadem specie quidem liberam esse, re autem ipsa omnia ex Romanorum nutu pendere. Hic multitudine partim assensu, partim indignatione fremente, Quintius cum ira manus ad cœlum tendens, deos testes ingrati ac perfidi animi Magnetum inuocauit.

Magnetes Romanis ad...

Tum Zeno vnus de principibus, & cum magnæ apud suos autoritatis, tũ præcipuè erga Romanos beneuolentiæ, à Quintio, legatisque alijs flens petijt, ne vnius amentiam ciuitati assignarent, suo quemque periculo furere: Magnesiam & libertatem, & omnia quæ hominib' cara & sancta sunt, debere Romanis, & in corpora sua citius per furorem sæuituros, quam vt Romanam amicitiam violarent. Eam orationem cum multitudinis preces ei consentaneæ subsecutæ essent, Eurylochus ex concilio ad Ætolos protinus profugit, qui defectionem suam magis in dies nudabant.

XIX. *Aetolorum concilium.*

PER eos forte dies Thoas princeps gentis, quem miserant ad Antiochum redierat, indeque Menippum regis legatum secum adduxerat, qui, priusquam concilium eis daretur, omnium aures vana copiarum Antiochi amplificatione repleuerant. Quæ cum ad Romanos legatos deferrentur, visum est Quintio aliquos è Romanorum socijs Panætolico adesse conuentui, qui liberam aduersus Regis legatos orationem proferrent, & retinendæ Romanorum amicitiæ, agnoscendique beneficij admonerent. Electi sunt Athenienses propter ciuitatis dignitatem, & antiquam cum Ætolis societatem. Ij recte suo munere functi, etsi Antiochi tota erat multitudo rerum nouandarum auida, obtinuerunt vt Romani participes publici concilij fierent.

Hoc decretum Athenienses cum retulissent, eundum in Ætoliam Quintio visum est: aut enim moturum aliquid, aut omnes homines testes fore, penes Ætolos belli culpã esse, Romanos iusta ac necessaria arma sumpturos.

XX. *Adest ... Quintius.*

IN eo Concilio conatus est Quintius à bello suscipiẽdo Ætolos auocare, & à fœderibus violandis: satius esse dicẽs, si quid disceptare vellent, apud Romanum Senatum agere, quam bellum, quod cum pernicie Græciæ, & in primis eorum, qui illud mouissent, futurum erat, inter Romanos & Antiochum accendere. Nihilominus agente Thoante, decretum est vt accerseretur Antiochus, ad liberandam Græciam, & disceptandandum inter Romanos & Ætolos, id decretum cum posceret Quintius, à Damocrito Ætolorum Prætore cũ superbia ac cõtumelia reiectus est. Quintius & legati Corinthum redierunt. Ab eorum discessu, ne Ætoli omnia ab Antiocho expectare, nihil ipsi per se agere viderentur, per Apocleros, ita sanctius concilium appellant, agitant quomodo res in Græcia nouarentur. Statuerunt, audaci plane consilio, vno die Demetriadem, Chalcidem, Lacedæmonem occupare; Thoas Chalcidem Alexamenus Lacedæmonem, Diocles Demetriadem missus est. Hunc Eurylochus exul adiuuit. Nam eius literis admoniti amici, propinqui, & qui eiusdem cum eo factionis erant, liberos & coniugem eius, cum sordidis vestibus in concionem adduxerunt, à populo rogantes ne innocẽtem, atque indemnatum exilio affligi paterentur. Populus partim misericordia motus, partim Ætolorum fauore, ac rerum nouarum desiderio reuocari iussit.

Decretum fit pro Antiocho.

XXI. *Demetriadẽ Aetoli occupant.*

His præparatis Diocles cum omni equitatu, specie reducentis exulem hospitem profectus, die ac nocte ingens iter emensus, cum sex millia ab vrbe abesset, luce prima tribus electis turmis, cætera multitudine equitum subsequi iussa, præcessit. Postquam portæ appropinquauit desilire omnes ex equis iussit, & loris ducere equos, vt comitatus magis præfecti videretur, quam præsidium. Ibi vna ex turmis ad portam relicta, ne excludi subsequens equitatus posset, media vrbe ac per forum manu Eurylochum tenẽs, multis occurrentibus & gratulantibus domum deduxit. Mox equitum plena vrbs fuit, & locis opportunis occupatis, principes aduersæ factionis interfecti sunt, & Demetrias Ætolorum facta est.

Qua via ...

XXII. *Nabidem interficiunt.*

NON ita res ipsis Lacedæmone, aut Chalcide successit ex voto. Lacedæmone tyrannus callidissimus dolo capiẽdus erat. Mille pedites Alexameno dati sunt, & triginta delecti ex iuuentute equites, quibus à magistratu studiose mandatum est, vt ad omne Alexameni imperiũ essent parati. Is Tyrannum adit, & extemplo spei replet, adesse Antiochum cum infinito apparatu, Ætolos in armis esse, ac tempori affuturos. Nabidi quoque faciendum esse, vt quas habebat copias educeret ex vrbe, atque exerceret. Id dum fit sæpius ad Eurotam flumen, Alexamenus nihil suspectus, monitis suis adesse tempus perficiendi negotij, cuius causa venissent. Appropinquantem tyrannum equo transfixo deturbat, iacentem equites confodiunt. Statimque ad regiam occupandam properant.

Spartam recipiunt. TYRANNI milites, tam inopinatæ rei miraculo defixi, aliquandiu constiterunt, inde ad tyranni corpus adeunt. Nec se quisquam mouisset in vrbe aduersus Ætolos, si non ad rapinam versi, concionem potius Alexamenus ad condocendum populum habuisset. Itaque in eos populus, tanquam in prædones, efferatus insurgit: Laconicum regiæ stirpis puerum in equum imponunt, & armis arreptis Ætolos vagos per vrbem cædunt: tum Alexamenum in regia cum paucis resistentem obtruncant. Mox collectos in Chalciœcum Mineruæ templum cædunt; fugitiui Megalopoli à magistratu comprehensi, sub corona veniere. *Ex quo mox dicti sunt.*

Eam Philopœmen Achæis adiungit. Philopœmenes audita cæde Tyranni profectus Lacedæmonem, cum omnia turbata reperisset, conuocatis principibus, & oratione habita præsenti rerum statui congrua, qualē ab Alexameno haberi oportuisset, societati Achæorum Lacedæmonios adiunxit; eo etiam facilius, quod ad idē forte tempus A. Atilius, cū quatuor & viginti quinqueremibus, ad Gythæū accessit. Sic Ætoli inconsulta temeritate, gentē in Græcia bellicosissimam ita tyrannide liberarunt, vt eam aduersarijs suis acquisierint.

XXIV. *Chalcidem frustra aggrediuntur.* THOANTI quoque conatus occupandæ Chalcidis, ea qua totius Eubœæ possessio pendebat, & vnde facillimus erat in Atticam traiectus, parum feliciter successit. Quānis enim diligenter apparatis copijs, quibus ea vrbs ex improuiso expugnanda erat, cum tamen res ab principibus ciuitatis, qui rerum potiebantur, cognita fuisset, accitis ex vicinis vrbibus Carysto & Eretria auxilijs, & pro mœnibus vrbis dispositis, ipsi Euripum cum omnibus copijs transgressi, & obuiam hosti progressi, caduceatorem primum ad eos mittunt; deinde legatos qui rogent, quo suo delicto socij amicique arma in ipsos mouerint. Respondit Thoas, se ad liberandos à Romanis venisse. Illi negare seruire se vlli, aut præsidio cuiusquā egere; ità digressi ex colloquio legati ad suos. Thoas & Ætoli qui spem in eo habuerant, vt vrbem ex improuiso occuparent, vbi ad resistendum egregie instructos viderunt, nec se satis habere virium ad munitissimam vrbem terra marique obsidendam, domū re infecta redierunt.

XXV. *Quo Romani firmant. Demetriadē frustra tētat.* His auditis T. Quintius Corintho cum nauibus Chalcidem venit, & Eumenes in Euripo occurrit; placuit quingentos milites ab Eumene præsidij causa Chalcide relinqui, simul etiam tentari Demetriadem, si forte ope eorum qui in vrbe Romanis erant addicti, vrbs liberari ab Ætolis posset. Eo missus Villius irrito negotio ad Quintium rediit, qui & ipse cum nauibus Corinthum se recepit.

Apparatus Romanorū in Antiochum. Iam ferè in exitu annus erat, & in dies magis fama & cura de Antiochi bello crescebat. Itaque de prouincijs magistratuum designatorum, vt paratiora essent omnia, agitari cœptum est. Decreuere vt Consulibus Italia, & quo Senatus censuisset, prouinciæ, essent: intelligebant autem omnes expeditionem in Antiochum intelligi; cui ea sorte obtigisset, quatuor millia peditum ciuium Romanorum, & trecenti equites, sex millia sociūm Latini nominis cum quadringentis equitibus sunt decreta. Eorum delectum habere iussus est L. Quintius Cōsul, ne quid noui Consulis profectionem moraretur; parata etiam est classis, vt nauigaret quo, & quando Senatus censuisset. Ingentes etiam copiæ, viginti millia peditum & octingenti equites Liuius recenset, & qui prætor futurus erat Brutijs designatæ sunt, quæ traiectum Græcorum & Afranorum in Italiam prohiberent.

XXVI. *Antiochum quæ morentur.* INTENTIS in apparatum noui belli Romanis, minime ab Antiocho cessabatur, tres eum ciuitates tenebant, Smyrna, Alexandri Troas, & Lampsacus, maximæ ciuitates, quarum Lampsacus & Troas in aditu & exitu Hellesponti erant, Smyrna in Ionia, quas neque vi expugnare ad eam diem poterat, neque conditionibus in amicitiam pellicere: neque eas à tergo relinquere, traijciens ipse in Europam, volebat. Tenuit eum & de Annibale deliberatio, & primo naues aperte, quas cum eo in Africam missurus erat, moratæ sunt: deinde etiam an omnino mittendus esset consultatio mora est, maxime *Annibale Thoantem sententia...* à Thoante Ætolo, qui omnibus in Græcia tumultu complētis, Demetriadem afferebat in potestate esse, & quibus mendacijs de Rege, multiplicando verbis copias eius, multorum animos in Græcia erexerat, ijsdem & regis spem inflabat.

Annibalis consilium deseritur. Hic ergo neque dimittendam partem nauium à regia classe censebat; neque si mittendæ naues forent, ei classi Annibalem esse præficiendum, hominem exulem, & Punico ingenio, & in quem gloria bene gestarum, quæ deberetur Regi, transfundenda esset: nihil eo duce Regi opus esse, consiliario, & comite ad bellum vti posse. Sic consilium mittendi Annibalis, quod vnum in principio belli vtiliter cogitatum erat, abiectum est. Sicut olim Architophelis consilium ab Absalone, magno eius malo, Deo vltore repudiatum fuerat.

XXVII. *Antiochus venit Demetriadem.* REX Demetriadis defectione à Romanis ad Ætolos elatus, non vltra profectionem in Græciam distulit; & facto ad Ilium Mineruæ sacrificio, profectus est cum quadraginta tectis nauibus, apertis sexaginta, & ducentis onerarijs, cum omnis generis commeatu, bellicoque alio apparatu, vt ait Liuius; qui tamen decē millia peditum dūtaxat, quingentos equites, & sex elephantos ea posuisse ad Demetriadem autor est. Itaque cum primum ad Ætolorum concilium admissus est, prima eius oratio fuit excusantis, quod tanto minoribus spe omnium copijs venisset. Id summæ in eos beneuolentiæ tribuendum esse; quod nec satis paratus vlla re, & tempore ad nauigandum immaturo, hyeme enim erat in ianuis, vocantibus eorum legatis iter accelerasset. Verum satis superque desideria expleturum, cum primum se mare nauigabile præbuisset; omnem se Græciam armis, viris, equis; omnem oram maritimam classibus completurum, nec vlli se labori aut operæ parsurum, donec depulso ceruicibus eorum Romanorum iugo, Græciam verè liberam, & in ea Ætolos principes reddidisset. *Eius ad Ætolos oratio.*

XXVIII. *Cū eo Chalcidē tentat. Deditionem suadent.* ÆTOLI non arbitrum difficultatum suarum cum Romanis, sed belli Imperatorem esse decreuerunt, & triginta ei consiliarios attribuerunt: cum quibus capto consilio, visum est Chalcidem nuper frustra tentatam primum aggredi. Et rex cum Ætolis profectus, cum ad Salganeam, quæ Bœotiæ vrbs est ad Euripum, castra posuisset, nauibus ipse cum principibus Ætolorum Euripum traiecit. Magistratus quoque Chalcidensium ante portas ad colloquium progressus est. Ibi Ætoli hortari vt salua Romanorum amicitia, Regem quoque, qui liberandæ Græciæ causa in Europam venisset, vrbe reciperent: sic fore ab vtrisque tutos, cum alter alterius iniuriam reprimeret; Romanorū auxilium procul esse, Antiochum cum viribus, quibus resisti non posset, in portis esse.

A Magistratu contemnuntur. Ad hæc Mictio vnus de principibus, mirari se dixit ad quos liberandos Antiochus, relicto regno suo, in Europā traiecisset: se quidem nullo libertatis vindice indigere, cū liberi sint: neque præsidio, cum pace ac libertate, populi Romani beneficio perfruantur: se Regia, & Ætolorum amicitiam non aspernari: id autem maximum expetere beneuolentiæ argumentum, si insula quamprimum excedant. Hæc cum Regi, qui ad naues substiterat, nunciata essent, Demetriadem reuerti placuit: neque enim cum ijs copijs venerat, vt vi agere quicquam posset.

XXIX. *Conuentus Achæorum, cum vtriusque partis legatis.* INDE in Achaia coactum est Concilium, vbi legati Antiochi, & Ætolorū cum Achæis, & T. Quintio cōuenerūt. Regis legatus, vt ij solent, quos regiæ opes alunt, vaniloquus, maria terrasque inani sonitu verborum compleuit, amplificandis regijs copijs, opibusque, quibus ad Græciā in libertatem, asserendam vsurus sit. Id autem duntaxat ab Achæis petere, ne utri vt parti sese cōiungant, sed ab vtrisque pacem operiantur. Idem ferme & Ætolorum legatus Archidamus petijt: deinde prouectus intemperantia linguæ, in Romanos, & ipsum Quintiū inuectus est, ingratos appellans, & exprobrans non victoriam modo de Philippo, virtute Ætolorum partam, sed etiam salutem. Quę Quintius eleganter in concilio ipso refutauit, vt apud Liu. l. 35. extremo videre est. Omitto enim, veritus ne hæc ipsa quæ affero lōgiora videantur. In summa concludēs monet, ne

Regia

Regis vel Ætolorum vanitati, ſed expertæ Romanorum fidei ac fortitudini ſeſe committant. Quod enim illi ſuadeant neutri ſe parti addidere, id non ſolum vanum, ſed etiam pernicioſum fore, quippe ſine gratia, ſine dignitate vtriuſlibet victoris prædam fore.

XXX. *Achæi ſtant à Romanis.* ASSENSERE Quintio Achæi, & ex eius voluntate quingentos milites in Chalcidem, totidem in Pyræeum miſerunt. Athenis quippe res fluctuabant, & quidam largitione plebem ad Antiochum trahebant, donec Quintius à primoribus vrbis accitus, res compoſuit, motumque compreſſit, eiecto in exilium Apollodoro.

Chalcidem tentat Antiochus. Antiochus cum ad Chalcidis præſidium & Achæos & Eumenem milites miſiſſe didiciſſet, maturandum ratus, vt & præuenirent ſui, & venientes ſi poſſent exciperent, Menippum cum tribus ferme millibus militum, & cum omni claſſe Polyxenidam mittit. Ipſe paucos poſt dies ſex millia ſuorum militum, & quod Lamiæ repente colligi potuit, cum paucis Ætolis eodem deducit.

XXXI. *Achæorum auxilium firmorum.* ACHÆI quingenti, & modicum auxilium ab Eumene miſſum, nondum obſeſſis itineribus; duce Xenoclide Chalcidenſi, Chalcidẽ peruenerũt. Romani milites quingenti ferme, & ipſi Mictione duce, occupatis iam ab hoſte faucibus, omiſſo ad Aulidem itinere, Delum adiere, inde in Eubœã tranſmiſſuri. Ibi palatos milites, & quaſi in Aſylo ſecuros, Menippus repente adortus cecidit, ad 50. viuos cœpit: perpauci effugerunt; in quibus Mictio parua oneraria naue exceptus, triſtitiam Quintio de amiſſo milite attulit, etſi ea res ad ius inferendi Antiocho belli aliquantũ adieciſſe videbatur. Sed ea triſtitia maior fuit, cum & Chalcidem, & totam Eubœam mox amiſſam audiuit. Nã Antiochus admoto ad Aulidem exercitu, ea eſt è regione Chalcidis in Bœotia, cum rurſus oratores Chalcidem miſiſſet, qui eadem illa quæ nuper cum minis grauioribus agerent, nequicquam contra Mictione & Xenoclide tendentibus, obtinuit vt portæ ſibi aperirentur. *Eamq; deditionem capit.* Qui Romanę partis erant ſub Regis aduentum vrbe exceſſerunt, & vicina quædam loca occuparunt, vnde mox excedere coacti ſunt. *Zonar.* Antiochus Romanos quoſdam inter captiuos repertos, omnes dimiſit: totaque inſula, vbi animaduertit Antiochum, quod erat caput Eubœæ, tenere, eius imperium non abnuit.

XXXII. *Hyemem ibi agit.* MAGNO principio Rex bellum orſus ſibi videbatur, quod tanta inſula, & tot oportunæ vrbes in ſuam ditionẽ, nullo ſuo damno veniſſent. Inde Chalcidem mature ad hyberna conceſſit: vbi ne interea ceſſaret; partim ipſe mittendis legatis ciuitatum animos ſolicitabat, partim vltro ad eum veniebant; vt Elei, qui auxilium contra Achæos petierunt, & impetrarunt; vt Epirotæ, qui callide ita Regis gratiam inire volebant, vt tamen Romanos non offenderent. *Et legationibus vacat.* Hi, vt ait Polyb. in excerptis legat. n. 12. initiũ ſub hyemis ad Antiochum venere, poſtulantes ne ipſos ante tempus in bellum contra Romanos conijceret, quos videbat vniuerſæ Græciæ verſus Italiam præiacere, & primos Romanorum armis ac furori expoſitos. Quod ſi poſſet ipſe Epiro præſidens, ſecuritatem ipſis præſtare, ſe illum vrbibus & portubus excepturum; ſin hoc non ſtatuerit facere in præſentiarũ, veniam ſibi dari æquum cenſebant, ſi bellũ à Romanis ſibi inferendum metuerent.

XXXIII. *Epirotarum legatio ad Antiochum.* HAC legatione, inquit Liuius l. 36. id agentes, vt ſiue, quod magis credebant, abſtinuiſſet Epiro, integra ſibi omnia apud Romanos eſſent, & conciliata eſſet apud Regẽ gratia; quem accepturi fuerant venientẽ; ſiue veniſſet, ſic quoque ſpes veniæ à Romanis foret, quod non expectato longinquo auxilio, præſentis viribus ſuccubuiſſent. Antiochus reſpondit Epirotis ſe ad eos legatos eſſe miſſurum, qui de re communiter ſtatuerent. Ipſe in vicinam Bœotiã traiecit, & omnibus obuiam effuſis Thebas venit, vbi tota gente ſibi facilè adiuncta, Chalcidem redijt, indeque miſſis literis concilium ad Demetriadem indixit, quo & Annibal accitus venit. Ibi conſultatum eſt de Theſſalorum gente, quorum voluntatem tentandam eſſe omnium erat ſententia, ſed aliqui ſtatim, alij ex hyeme, quæ tunc media erat, in veris principium differendum.

XXXIV. *Annibalis ſapiens conſilium.* ANNIBAL nominatim ſententiam interrogatus, cenſuit inanem atque irritam eſſe harum vrbium aut populorum conquiſitionem, qui in vtramlibet partem facile defecturi erant: ſed Philippi potius ſocietatem captandam, qui ſi in eam deſcenderit, totam belli molem ſuſtinere poſſit; ſi non deſcenderit, eſſe Lyſimachiæ Seleucum Antiochi filium, qui ſi extrema Macedoniæ depopulari cœperit, eum ad ſua defendenda, ab auxilio ſuggerendo Romanis abducet. De ratione vniuerſi belli iterum cenſuit copias in Italiam vtilius traiecturas fuiſſe; quin & nunc traijci oportere; aliaque id genus, quæ fuſius commemorare non eſt neceſſe. Nã neq; Teucris Caſsãdra, neque Annibal Antiocho creditus eſt; niſi quod copias maiores ex Aſia, quod ille cenſuerat, acciri iuſſit. Eadem habet Appianus. Inde legati Lariſſam ad concilium Theſſalorum miſſi ſunt, & Ætoli ad exercitum Pheras acciti.

XXXV. *Antiochus Philippum à ſe auertit.* INTEREA leui quadam re Antiochus à ſe Philippum alienum reddidit. Dum enim Ætolos operitur, miſit Cynocephalas, vbi debellatum cum Philippo fuerat, duo millia ſuorum, qui oſſa Macedonum, qui ibi ceciderant, ſepulturæ mandarent. Verum dum beneuolentiam ſibi Macedonum conciliare parat, neglecti officij Philippum accuſat, & à ſe ad Romanos penitus auertit, qui ante conſilium ex fortuna, & euentu belli capturus eſſe videbatur. Zonaras aliam etiam rationem affert cur in fide Romanorum Philippus ſteterit; quod Antiochus ei quædam loca Thraciæ eripuerat. Itaque extemplo ad M. Bœbium Proprætorem miſit, Antiochum in Theſſaliam impetum feciſſe: ſi videretur ei moueret ex hybernis, ſe obuiam proceſſurum, vt quid agendum eſſet conſultarent. Interea Antiochus Pheras, poſt inania colloquia, qualia Chalcide habita erant, oppugnat, atque ad deditionem cogit: ſimiliter & Scotuſſam cum Lariſſæorum præſidio. Lariſſæos inuiolatos Rex dimittit, vt ea gratia Lariſſam ad deditionem adduceret; ad quam priuſquam accederet, pleraſque minores vrbes tam ipſe quam Ætoli, in ſuam poteſtatem redegerunt.

XXXVI. *Lariſſam fruſtra obſidet.* INDE Lariſſam aggredi ſtatuit, ratus vel terrore cæterarum expugnationum, vel beneficio præſidij dimiſſi, vel exemplo tot oppidorum, quæ deditionem fecerant, in pertinacia non manſuram. Elephantos agi ante ſigna terroris cauſa iubet, & quadrato agmine ad vrbem incedit: Ibi Lariſſæi animis fluctuant inter metum præſentium hoſtium, & verecundiam abſentium ſociorum. Antiocheni in varias ſententias diſtrahuntur, alijs vim Lariſſæ ſtatim afferendam cenſentibus, alijs aduerſam hyemis tempeſtatem cum omni bello, tum maxime vrbium oppugnationibus inimicam referentibus: ſed M. Bœbius conſultationem diremit. Is cum Philippo in Daſſaretis collocutus, Appium Claudium ad præſidium Lariſſæ per Macedoniam miſit. Qui ad 20. millia ab Lariſſa caſtra metatus, latius quam pro copijs, & pluribus quam in vſum erat neceſſe ignibus accenſis, ſpeciem quam quæſierat hoſti fecit, omnem ibi Romanum exercitum cum rege Philippo eſſe. Itaque hyemem Rex apud ſuos cauſatus; relicta Lariſſa Demetriadem redit. Appius, etſi ſolutam cernebat obſidionem, tamen Lariſſam ad confirmandos ſociorum animos deſcendit. Rex Chalcidẽ à Demetriade profectus, ineptis nuptijs & Rex & ſenex, quinquagenario maiorem fuiſſe tradit Appian. filiæ hoſpitis ſui coniungitur: inde tempus in conuiuijs & voluptatibus tranſegit, duciſque exemplum exercitus non difficulter ſecutus eſt. Hæc apud Antiochum ad principium vſque veris acta; quæ magna ex parte habet etiam Appianus.

* * *

SCHO-

SCOLIVM IN ANNVM MVNDI 3862.

HAnc Cleopatram vocat filiam fœminarum Scriptura Dan. 11. 17. id est, vt plerique exponunt, pulcherrimã fœminam, quomodo & vetus Tigurina, & habet Vatabl. aut pulchram inter fœminas: sicut canticum canticorum dicitur nobilissimum canticũ, quod superlatiuis Hebræis careant, & quæ Can. 1. 7. dicitur pulcherrima inter mulieres, in Hebræo dicitur pulchra in mulieribus. D. Hieron. per pleonasmum filiam fœminarum dici ait pro fœmina, vel virgine, quomodo etiam aliqui verterunt. — I. N. VL.

ANNVS MVNDI 3863. SEXTÆ AETATIS 347. Imperij Græcorum 121. Antiochi Magni 34. Oniæ III. Pont. 17. Ptolemæi Epiphanis 13. Philippi 30. Olympiadis CXLVII. Ann. 2. Vrbis Cõditæ 562. Coss. P. Cornelio Scipione Nasica, & M. Acilio Glabrione.

Polyb. Appian. Zonar. M. id est Manio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 190.

I. *Ratio temporis, & apparatus ad bellũ.* ERVPIT hoc deniqne anno bellum inter Antiochum & Romanos, vbi diu inter vtrosque varijs dissimulationibus, legationibus, apparatibus tractatũ fuisset. Confirmat hanc Chronologiam M. Cato, apud Tullium de senectute, vbi ait se ad Thermopylas Acilio Glabrione Consule, quarto à suo consulatu anno, Tribunum militum, aut potius legatum, pugnasse. Timor porro, & cura Antiochini belli effecerat, vt præmature Coss. designarentur. Cum primum autem magistratum ineunt, Patres priusquam de prouincijs agerent, Consules res diuinas agere maioribus hostijs iusserunt: cumque omnia sacrificia læta essent, aruspicesque respondérent, eo bello terminos populi Romani propagari, victoriam ac triumphum ostendi, Patres rogari iusserunt populũ, vellent iuberẽtue cum Antiocho, & qui eum assectarentur, bellum geri. Rogauit Cornelius Consul, & populo probauit, quod suadebat.

II. *Prouincia & copia destinatam.* TVM Senatus decreuit vt Coss. Italiam, & Græciã prouincias sortirentur, & cui Græcia euenisset, vt præter eum numerum militum, quem L. Quintius nuper in eam prouinciam, ex autoritate Senatus scripsisset, imperassetue, M. etiam Bæbij Prætoris copias, quæ essent in Græcia acciperet; eidem extra Italiam permissum, vt si res postularet, auxilia à socijs, ne tamen supra quinque millia, acciperet. L. etiam Quintium superioris anni Consulem, legari ad id bellum placuit.

Alter Consul cui Italia prouincia euenisset, cum Boijs iussus est bellum gerere, vtro exercitu mallet ex duobus, quos superiores Consules habuissent; alterum vt mitteret Romam: eæque Vrbanæ legiones essent paratæ, quo Senatus censuisset. Si qua nimirum accepta clades repente nouum delectum exigeret.

III. *Pietas ac prudentia Senatus.* Ex his facilè intelligitur egregia quædam Senatus pietas, atque prudentia, quando tanto studio diuinam conatur de bello suscipiendo exquirere voluntatem: & illa quantum licuit explorata, omnia nihilominus ingenii cura ac studio præparat ad victoriam necessaria, omnesque euentus præcauet. Prudenter quoque Consulis alterutrius inuidiam sortitione vitat: & ne quid cuiuspiam gratiæ dedisse videatur, ante sortitionem, quæ in bellum necessaria sunt, destinat: vt rem ipsam non personas considerasse intelligatur.

IV. *Reliquus belli apparatus.* His paratis Acilio Græcia, Cornelio Italia sortitione obtigit. Certa deinde sorte SC. factum est, vt supplicationes huius belli causa Consules imperarent, vota etiam Ioui facerent, quæ Consul nuncupauit Pontifice max. de more in verba præeunte.

AD eundem Græci belli apparatum pertinuerunt copiæ. priore anno ex Senatusconsulto à L. Quintio Brutijs destinatæ, quæ A. Cornelio Mammulæ, cui ea prouincia obuenerat, traditæ sunt. Classis quoque C. Liuio Prætori obtigerat. Is iussus est cum triginta nauibus paratis traijcere in Græciam primo quoque tempore, & ab Attilio naues, quibus in Græcia præerat, accipere. Veteres etiam naues, vt reficeret & armaret, M. Iunio Prætori negotium datum est, legati etiam frumenti causa non in Siciliam modo, & Sardiniam, sed in Africam quoque & Numidiã missi.

Omnibus iam satis comparatis M. Acilius consul edixit partem vnam copiarum Brundusium Idibus Maijs cõuenire, is est eiusdem mensis 15. ipse ad quintum nonas Maias, is est 3. eiusdem, paludatus vrbe egressus est.

V. *Auxilia Romanis offerunt à Ptolemæo.* SVB idem tempus legati à duobus regibus Philippo, & Ptolemæo Ægypti rege Romam venerunt, pollicentes ad bellum auxilia, pecuniam, frumentum; ab Ptolemæo etiam mille pondo auri: nihil tamen est acceptum, gratiæ regibus actæ: & cum vterque se cum omnibus copijs in Ætoliam venturum, belloque interfuturum polliceretur: Ptolemæo id remissum. *Et Philippus.* An quia dubium erat auxilium, & aliquis præuaricationis metus, in eo bello, quod contra Socerum eius Antiochum gereretur? Etsi autem auxilia extra Italiam vix accipiebant, Philippi tamen legatis responsum est, gratum eum Senatui populoque Romano facturum, si M. Acilio Consuli non defuisset. *Carthaginenses.* Sub idem tempus Carthaginiensiũ & Masanissæ legati Romam venerunt, ingentem vtrique vim frumenti dono offerentes, quod Romanus se accepturum negauit, nisi pecuniam reciperent. Carthaginenses classem suo sumptu comparaturos pollicebãtur, & pecuniam quam aliquot adhuc annos deberẽt, præsentem numeraturos spondebant. Romani de classe remiserunt, nisi quod nauium ex fœdere deberent, pecuniã nullam se ante diem accepturos. *Masanissa.* Masanissæ tamen quingentos equites, & elephantos viginti, quos se ille ad Consulem in Græciam missurum dicebat, non recusarunt.

VI. *Vterq; pars aliquot vrbes facit.* SVB veris initium Antiochus Naupactum Ætoliæ venit, ibique concilio habito, magnam Acarnaniæ partem, vel fraude, vel deditione accepit, indeque Chalcidem repetijt. Philippus viceuersa, & M. Bæbius alias vrbes tum occupauerunt, tum occupatas deditione receperunt. Per eos forte dies M. Acilius Consul cum decem millibus peditum, duobus millibus equitum, quindecim elephantis mari traiecto (Appianus ait traiecisse Brundusium, cum duobus equitum millibus, peditum viginti millibus, & aliquot elephantis) pedestres copias Larissam ducere iussit militum tribunos, ipse cum equitatu Limnæam ad Philippum regem venit. *Larissa deditur.* Aduentu Consulis deditio sine cunctatione est facta, traditumque præsidium regium, & cum ijs Athamanes. Idem Bellinæi factum, & præsidij præfectus Philippus Magalopolitanus, in vincula coniectus, mox & Romam missus est, Consul Philippo ad 3000. captiuos dedidit.

VII. *Philippus Athamaniam obtinet.* PHILIPPVS, Athamanum præcipue captiuis indulgenter habitis, vt per eos conciliaret gentem, nactus spem Athamaniæ potiundæ, exercitum eo duxit, præmissis in ciuitates captiuis, qui liberalitatem & clementiam regis erga se commemorantes, populares suos ad Philippũ inclinarunt. Quod animaduertens Amander eorum Regulus Philippo & Romanis ob defectionem infensus, cum coniuge & liberis regno excessit, Ambraciamque se contulit. Atque ita Athamania omnis in ius ditionemque Philippi concessit.

Consul Larissam est profectus, de summa belli consultaturus, vbi paucis diebus exercitui reficiendo datis, Cranonem adijt. In via nonnulla Thessaliæ oppida, præsidiaque sese ei dediderunt: ex militibus mille volentes Philippo dedidit, reliquos inermes Demetriadem remisit: inde alia etiam oppida & castella, aut vi, aut deditione accepit.

VIII. *Antiochi circa bellum fere pæniteat.* CVM hæc agebantur, Chalcide erat Antiochus, qui iam tum cernens nihil se ex Græcia præter amœna Chalcide hyberna, & infames nuptias perijsse, Ætolorum vana promissa incusare, & Thoantem: Annibalem verò non vt prudentem tantum virum, sed vt prope vatem omnium quæ tum euenirent, admirari. Ne tamen temere cœpta, ipse segnitia euerteret, nuncios in Ætoliam mittit, vt omni contracta iuuentute conuenirent, & ipse eo decem millia

peditum,

peditum, & quingentos duxit. Cumque aliquanto pauciores quam vnquam antea conuenissent, nec principes eorum quidquam, aut gratia, aut autoritate, aut imperio erga detrectantes militiam valerent, ipse & à socijs in Græcia, & à suis in Asia destitutus, intra saltum Thermopylarũ sese recepit, locum insigni Lacedæmoniorum contra Xerxem pugna, & morte nobilitatum.

IX. Ibi castra ponit, expectaturus exercitum ex Asia, quem frequentibus nuncijs efflagitabat, maxime Polixenidam classi præpositum. Castra vallo fossaque duplici & muro etiam, qua res postulabat, permunit. Appianus ait regem duplicem murum ædificasse circum castra, ne scilicet inuitus ad pugnam cogeretur. Naturam etiam loci paucitati suorum militum subsidio fore sperabat. Zonaras. Ætolorum 4. millia, partim ad Heracleam, quæ ante ipsas fauces posita est, præsidio obtinẽdam, partim Hypatã mittit; quam vicinam Heracleæ significat Titus Liuius, Ptolemæus in extrema Thessaliæ occidentẽ versus collocat; Cõsul vtriusque agrum depopulatus, inutili vtrobique auxilio Ætolorum, in ipsis faucibus, prope fontes calidarum aquarum, aduersus regem castra posuit: vtraque Ætolorũ manus Heracleæ se inclusit. Ad eos misit Rex, vt iuga mõtium, qui Thermopylis imminent, occuparent, ne vt olim Persæ, cum Leonidas cum trecentis Lacedæmonijs fauces occupasset, transire Romani possent. Duo millia Heracleæ substiterunt, duo trifariam diuisa; Callidromum, Rhodũtiam, & Tichiunta, quæ nomina cacuminibus indita sunt, occupauere. Secundum illud cacumen missum facit Appianus, & locum quo Persæ transcenderant vocat Atrapõ, reliqua eadem habet.

X. Consvl posteaquam insessa superiora loca ab Ætolis vidit, M. Porcium Catonem, & L. Valerium Flaccum consulares, legatos cum binis millibus delectorum peditum, ad castella Ætolorum in illis iugis posita emittit. Cato tamen ipse tribunum se in hoc bello fuisse memorat apud M. Tullium, vt ante diximus.

Ipse priusquam ad hostem copias admoueret, vocatos in cõcionem milites cohortatus est ad fortiter pugnandũ, ijs recensitis, quæ eos animare, & in hostium contemptũ adducere possent. Adiecit maxime huius victoriæ præmia: non solum enim regiorum castrorum, quæ præsentia sunt, spolijs, quæque ventura ab Epheso expectantur in dies, ditatum iri, sed etiam omnia regna orientis imperio Romano aperturos: fore denique vt omne humanum genus, secundum deos nomen Romanum veneretur.

XI. Lvce prima instruit aciem Consul, vt arcti loci natura postulabat. Rex quoque copias suas educit, qui, vt superiore loco pugnabat, & Macedonum robur pro vallo locauerat, facile Romanos tentantes ab omni parte aditus, sustinebant; iuuantibus in primis, qui è superiore loco missilis omnis generis in eos vibrabant; pertinacius tamen cum ingruerent Romani, loco pulsi in munitiones suas recepti, hostem vallum subire satagentem prælongis hastis transfigebant. Et aut incepto irrito recessissent, aut plures cecidissent, ni M. Porcius, nam L. Valerius Tichiunte ab Ætolis repulsus fuerat, ni Porcius inquam Cato ab iugo Callidromi, deiectis inde Ætolis, & magna ea parte cæsis, incautos enim & plerosque sopitos oppresserat, super imminentem castris collem apparuisset. *Appian.*

XII. Hos à longe conspicati Macedones, alijque Regij, Ætolos credebant, & pugnæ subsidium venire. Et sane Ætoli erant plerique, sed à Catone fusi regis castra petebant. Vt primum autem signa & arma ex propinquo agnita errorẽ aperuerunt, tantus repente pauor omnes cepit, vt abiectis armis fugerent. Plutarchus in Catone ait Antiochum lapide in os ictum fuisse, excussisque dentibus retro equum ingenti oppressum dolore conuertisse. Qui non prius ab effuso cursu constitit, quam Elatiam perueniret, vbi fugæ & pugnæ reliquijs collectis, cum exigua manu semiermiũ militum Chalcidem se recepit. Nec facile fuit Romanis persequi fugientes: nam & munimenta, & vallis angustiæ fugientes à tergo tardabantur, maximeque elephanti, qui nouissimi agminis erant, quos pedes ægrè præterire, eques ne adire quidem poterat, equis ad visum & odorem elephantorum, cum magno fremitu tumultuãtibus. Castrorum etiam direptio Romanos remorata est. Deniquę regios ad Scarphiam vsque vrbem persecuti, inde in castra sua redierunt, quæ Ætoli, qui erant Heracleæ, sub ipsum pugnæ tempus, nullo effectu tentauerant. *Appian.* *Cum ipso rege.*

XIII. Consvl noctis insequentis tertia vigilia præmisso equitatu, ad persequendum hostem, signa legionum prima luce mouit. Equitatus regem assequi non potuit, sed magnam partem agminis aut lassitudine subsistentis, aut errore viarum dissipati oppresserunt: nec præter quingentos, qui circa regem fuerunt, ex toto exercitu quisquam superfuit. Numerum cæsorum Valerius Antias vehementer auget, adeo vt Liuius dicat nullum alium eo intemperantiorem in augendo, quem tamen sequitur Paulus Orosius, sed Liuius mauult Polybium sequi, qui decem tantum millia peditum, & quingentos equites Antiochum secum habuisse scripsit. Eadem habet Appianus, atque ducentos Romanorum cecidisse. De hac pugna duo habet Eutropius, in quibus à cæteris dissentit: nam & in Achaia cõmissam scribit, & noctu. Consule per Phocidem, & Bœotiam exercitum ducente, consciæ defectionis ciuitates cũ velamentis ante portas earum stabant, metu ne hostiliter diriperentur: sed metus tantum fuit: castigati sunt tantum verbis Bœoti, ob ingratum, in tantis tamque recentibus beneficijs, in Romanos animum.

XIV. Inter ipsum pugnæ tempus decem naues regiæ, cum præfecto Isidoro, ad Thronium in sinu Maliaco stabant: eo grauis vulneribus Alexander Acarnan, nuncius aduersæ pugnæ cum perfugisset; trepidæ inde recenti terrore naues, Cenæum Eubœæ petierunt, vbi mortuus sepultusque est Alexander. Tres naues, quæ ex Asia profectæ eundem portum tenuerant, audita exercitus clade Ephesum redierunt. Isidorus ab Cenæo Demetriadem traiecit, si fortè eo Regem fuga deferret. Sed ad terrestrem Antiochi cladem accessit etiam maritima.

Nam per eosdem dies A. Attilius præfectus Romanæ classis magnos Regis commeatus, iam fretũ quod ad Andrum insulam est, prætereuectos, excepit; alias mersit, alias cepit naues; quæ nouissimæ agminis erant, cursum in Asiã verterunt. Attilius Piræeum, vnde profectus erat, cũ agmine captiuarum nauium reuectus, magnam vim frumenti, & Atheniensibus, & alijs eiusdem regionis socijs liberaliter diuisit.

XV. Antiochvs sub aduentum Consulis à Chalcide profectus, Tenum primo tenuit, inde Ephesum transmisit. Consuli Chalcidem venienti portæ patuerunt, cum appropinquante eo Aristoteles præfectus regis vrbe excessisset, & cæteræ vrbes in Eubœa sine certamine traditæ; paucisque post diebus omnibus perpacatis, sine vllius vrbis noxa, exercitus Thermopylas reductus, multò modestia post victoriam, quam ipsa victoria laudabilior.

Inde Consul M. Catonem Romam misit, vt per eum S.P.Q.R. quæ gesta erant certo cognosceret. Ipse quippe non exigua victoriæ pars fuit. Scripsit enim, teste Plutarcho, illos qui consectantem & cædentem se viderant hostes confessos fuisse, nõ tantum pop. Romano debere Catonem, quantum Catoni populum. Ipsum quoque Consulem Attilium, adhuc à victoria calentem, in complexu Catonem diu tenuisse: & præ gaudio exclamasse, neque ipsum, neque populum totum esse Catonis meritis gratiæ referendæ parem. Hunc ergo Consul victoriæ nuncium esse voluit. Eodem etiam aliquanto ante L. Corneliũ Scipionem præmiserat: ambo sub idem fere tempus Romam peruenerunt, & Senatum primo, inde populum in concione prosperæ pugnæ nuncio exhilararunt; non oblitos supplicationibus, & maioribus hostijs dijs suis gratias agere, quæ debebantur Deo.

XVI. Inde etiam Acilius Consul à Thermopylis Heracleam ad Ætolos præmisit, vt tunc saltem experti regiam vanitatem resipiscerent, traditaque Heraclea cogitarent de petenda à Senatu venia, seu furoris, seu erroris sui. Sed cum nihil pacati responderetur, & appareret rem armis gerendam, quod scilicet Ætoli nimium de Romanis male meriti, & tanti belli duces atque incentores, veniã se posse

Impetra-

Et obsidet Heracleam.

impetrare diffidebant. Ergo Consul castra ab Thermopylis ad Heracleam mouit, in radicibus Oetæ montis sitam, eamque contemplatus, quatuor simul locis aggressus vrbem est; singulis locis singulos duces præfecit, qui variatis militum suorum stationibus, dies noctesque vrbem, ipsos quatuor & viginti dies oppugnarunt. Aetolos rerum desperatio fatigari non patiebatur, sed addidit fraudem Attilius, qua vrbe potitus est.

XVII. *Quam etiam expugnat.*

MEDIA nocte receptui signum dedit, & ab oppugnatione simul omnes milites vsque ad tertiam vigiliam deduxit. Id cum aliquoties factum esset, Aetoli rati quiescentibus Romanis, se quoque posse quiescere, stationem deserebant, nec ante horam tertiam in muris apparebant. Tandem ex tribus partibus renouata oppugnatione, vna quiescere iussa, ad signum vsque datum, Aetoli ad eas partes, quæ oppugnabantur feruidi concurrebant; quarta nec oppugnabatur, nec defendebatur; donec appetente die signum Consul dedit, & sine vllo certamine, partim per semiruta, partim scalis integros muros transcendere.

Et arcem deditione accepit.

Simul atque clamor, index capti oppidi, est exauditus, vndique Aetoli desertis stationibus in arcem fugiunt, oppidum diripitur, moxque arx ipsa Romanis dedita est, Deditur etiam Damocritus, qui à principio belli admodum superbe T. Quintio responderat, imo & minas de locandis ad Tiberim castris intentarat. Eadem Zonaras, & Appianus, de quo iterum anno seq. Interea Philippus, qui Lamiam expugnare conabatur, cessare ab oppugnatione iussus est, ne præmium Romanæ industriæ ac laboris ipse acciperet: quo parente obsessi fugerunt, ciuitas deserta in potestatem Romanorum venit.

XVIII. *Aetoli vrgent Antiochum.*

PAVCIS diebus priusquam Heraclea caperetur, Aetoli concilio Hypatæ coacto, legatos ad Antiochum miserunt, inter quos & Thoas idem, qui ante missus fuerat. Mandata erant, vt ab rege primum peterent, vt ipse coactis iterum terrestribus, naualibusque copiis, in Græciam traiiceret, aut certe pecuniam & auxilia mitteret; ni faceret, Romanos deuictis Aetolis nemine repugnante in Asiam traiecturos. Vera vtique dicebant, quod Rex quoque satis intelligebat. Itaq; primum pecuniam misit, mox etiam

Mox pacis consilium ineunt.

se copias missurum spopondit, quas & Thoas in Asia retentus expectauit. Cæterum Heraclea capta fregit tandem animos Ætolorum: & paucos post dies à legatis missis, abiectis belli consiliis, pacis petendæ oratores ad Consulem miserunt, qui rem agitandam L. Valerio Flacco, datis decem dierum induciis commisit. Is Aetolis autor fuit, omissa omni fœderum, & antiquorum meritorum memoria, vt toti ad culpæ confessionem, & preces conuerterentur; in sola quippe populi Romani clementia salutem ipsorum sitam esse, supplicitur agentibus, se eis & apud Consulem, & in Senatu Romæ adfuturum.

XIX. *Legatio ad Consulem missa.*

POSTEA quam ad Consulem ventum est Phaneas legationis princeps, longam orationem, & ad iram victoris mitigandam compositam, ita finiuit vt diceret, *Aetolos se suaque omnia fidei populi Romani permittere*, existimans id esse, optare se victoris clementiam experiri, non autem eius se arbitrio permittere; vt clarius explicat Polybius in legationibus n. 13. Iraque Acilius, qui posteriorem sensum accipiebat. *Etiam atque etiam videte*, inquit, *Aetoli, vt ita per-*

Se Romanis permittunt.

mittatis. Tum Phaneas decretum, in quo id diserte scriptum erat, ostendit, (nimirum phrasim eam ex L. Valerio acceperant.) Quando ergo, inquit Consul, ita permittis, postulo vt mihi Dicæarchum ciuem vestrum, & Menetam Epirotam (Naupactum is, cum præsidio ingressus ad defectionem compulerat) & Animandrum cum principibus Athamanum, quorum consilio à nobis defecistis, sine mora dedatis. Addit Polybius prohibitos Aetolos in Asiam transire, neque publice, neque priuatim. Nonnulla est etiam in propriis vocabulis diuersitas. Nam Consulem Polybius vocat Manium, & Epirotam illum Menestratum, regem, Aminandrum, oratorem, Phæneam.

XX. *Qua ab eis Consul exigat.*

PROPE dicentem interfatus Romanum Phaneas, non in seruitutem, inquit, sed in fidem tuam nos tradimus; & certum habeo te imprudentia labi, qui nobis imperes, quæ moris Græcorum non sunt. Ad hæc Consul, nec Hercule, ait, magnopere nunc curo, quid Aetoli ex more Græcorum factum censeant, dum ego more Romano imperium id habeam in deditos modo decreto suo, ante armis victos. Iraque ni propere fit quod impero, vinciri vos iam iubeo. Afferrique catenas & circumsistere lictores iussit: addit Polybius, & boiam ferream cuiusque illorum collo aptari. Territus Phaneas, dixit ad hæc decernenda concilio Aetolorum opus esse, & ad id 10. dierum inducias petiit, quas annitente Flacco impetrauit. Ea res cum Hypatæ à delectis audita esset, ingemuere videlicet conditioni suæ: parendum tamen victori censebant, & ex omni Aetolia conuocandos ad consilium.

XXI. *Bellum iterum publice decernunt.*

ID cum factum esset, sæuitia imperij, atque indignitate exasperati multitudinis animi bellum malucrunt; præsertim cum Regem Animandrum in sua potestate non haberent. Ad bellum autem magnum momentum attulit Nicander eo tempore ab Antiocho rediens, cum pecunia, quam detulerat Lamiam, & affirmans terra marique ab eo bellum parari. Philippi etiam erga Aetolos animum placatum esse experientia ipse sua, & eius affirmatione demonstrauit. In eius quippe manus Lamia digressus inciderat, qui suo nomine Aetolis mandarat, vt se ipsi tandem respicerent, post longam amantiam; quæ eos primo ad accersendos in Græciam Romanos, deinde Antiochum impulerat: & præteritorum obliti amicitiam mutuo colerent, neque vellent aduersis rebus suis inuicem insultare, atque insidiari. Hæc Polybius in Legat. quæ paulo aliter habet Liuius: neque enim significat Philippum Aetolis aditum ad amicitiam suam patefecisse, & quodammodo mutuam ambiuisse. Idem significat etiam Zonaras, cum ait Philippum Romanorum amicitiam simulasse, cum Antiocho clam studeret.

XXII. *Naupactum se muniunt.*

ERGO proximo decreto antiquato, Ætoli Naupactum concurrunt, illudque ad sustinendum Romani belli impetum vndique communiunt.

Vbi à Romanis obsidentur.

Quibus cognitis, Consul præmisso Appio Claudio cum quatuor millibus militum, ad occupanda montium iuga, quà difficiles erant transitus, Oetam ascendit, in qua crematus fuerat Hercules. Inde ad Coracem venit montem inter Naupactum & Callipolin, vbi & iumenta multa cum oneribus præcipitata, & homines vexati. Ex quo satis apparebat, quam inerti cum hoste res esset, qui tam impeditum saltum nullo præsidio, vt clauderet transitum, insedisset. Tum quoque vexato exercitu ad Naupactum descendit, & vno castello aduersus arcem posito, cæteras partes vrbis diuersis copiis, pro situ mœnium, circumsedit. Interea Quintius Messenem, soluta iussu eius obsidione, Achæorum societati aggregat, quæ ante Ætolis fauebat, & Zacynthum insulam Romanis, quasi belli præmium, vendicat ab Achæis.

XXIII. *Philippus aliquot loca recipit, et iam Demetriadem.*

PHILIPPVS Romanorum permissu, cum aliquot alia oppida, quæ à Romana societate defecerant, tum in primis nobilem Thessaliæ vrbem Demetriadem recepit, omni quippe spe destituta erat. Antiochus fugiens eos deseruerat, Ætoli nihil tum poterant, & dies noctesque aut Philippi hostis aduentum, aut infestiores etiam, quo iustius irati erant, Romanos expectabant. Itaque præmissis à Philippo, qui spem veniæ ostendebant, responderunt portas Regi patere. Ad primum eius ingressum quidam principum vrbe excessere. Eurylocus mortem sibi consciuit: Antiochi milites ex pacto Lysimachiam deducti, naues quæ aderant dimissæ.

XXIV. *Quintius Aetolorum miseretur.*

INTEREA Quintius Zacintho Naupactum traiicit, quæ iam per duos menses, sed imminebat excidium, oppugnabatur, & si capta vi foret, omne Aetolorum nomen ad internecionem peribat. Iraque suæ gloriæ interesse ratus nullam gentem liberatæ à se Græciæ funditus euerti, etsi causas iratum habebat iustissimas, tamen misericordia etiam motus, dum muris obambulabat, agnoscitur, & concursu facto consono clamore Quintium obsecrant, vt opem ferat, ac seruet. Is Consulem adit & monet male poni tempus in duabus vrbibus tanto tempore oppugnandis, Heracleam & Naupactum intelligebat, dum Philippus plures iam sibi gentes adiunxisset; neque tam inter-

quorum plerique in Asia habitant, qui non in seruitutem regiam in Ioniam, & Æolidem venerint, sed stirpis augendæ causa, gentisque vetustissimæ per orbem terrarum propagandæ. Hic hæsitauit Hegesianax, inquit Liuius, vt qui inficiari non posset honestiorem causam libertatis, quam seruitutis prætexi titulo: & videlicet bene de hominibus mereri, quicumque eis libertatem, ab omnibus mortalibus, etiam ratione carentibus expetitam, egregio beneficio restituat. Ita quidem T. Liuius.

VI. *Non fuit legitimus.* VERVM nulla est hæsitandi materia. Nam Dominum legitimum sua repetere, siue in libertatem, siue in seruitutem, pro conditione personarum, iustum & rationi consentaneum est: At externum principem eximere velle subditos aliquos à subiectione Regis sui, titulo specioso libertatis, iniquum atque iniustum est: præsertim cum Antiochus, neque Traces, neque Ionios, neque Æolios seruos habere vellet, sed subditos, vt antea, retinere. Neque enim credibile est Græcos, cum primum in Asiam deductis colonijs penetrarunt, non etiam subditos principis Asiæ esse voluisse, & verò etiam esse debuisse. Nisi forte peregrini plus iuris in regno habere debeant, quā indigenæ. Ex quibus perspicuum esse arbitror, iniustum fuisse Romanorum contra Antiochum bellum. *Bellum in Antiochum iniustum fuisse.* Iuste tamen in eum Dominus per Romanos animaduertit, sicuti & in Philippum, vt qui aliena inuadunt, vel ambiunt, amittant sua. Nam vterque, vt supra diximus, Ptolemæum Ægypti regem spe deuorauerat. Philippus autem etiam totam pene Græciam occupatam tenebat.

VII. *Romani Antiocho se infensos constare.* COLLOQVII cum legatis finis fuit, Romanos amicitiam Antiochi nolle, nisi prædictis coditionibus; Antiochi autem legatos nec velle, nec posse pacisci quicquam, quo regnum Domini sui minuatur.

Postero die Quintius legationes vniuersas Græciæ, Asiæque cum in Senatum introduxisset, vt scirent quali animo populus Romanus, qualique Antiochus erga Græciæ ciuitates essent, postulata sua & Regis exposuit, ad inistum scilicet odium Antiocho conflandum, & deliberatā Romanis in eum belli iustitiam ostendendam, & eos sibi conciliandos, vt susceptum pro se bellum, ipsi postea omni studio promouerent: cum tamen Romani iniustissime Antiocho subditos eriperēt, & ille iuste suos sibi subditos retinere vellet: sed ad fucum faciendum nominibus seruitutis & libertatis abuterentur, loco subiectionis atque rebellionis; cuius se fautores & protectores fore Romani pollicebantur, eum iuberent Græcis ciuitatibus renunciari, populum Romanum qua virtute, quaque fide libertatem eorum à Philippo vindicauerit, eadem ab Antiocho, nisi decedat Europa, vindicaturum. Sic illi ratiocinabantur.

VIII. *Diuersa causa Philippi, & Antiochi.* VERVM non erat par ratio Philippi & Antiochi; nam Philippus Græcos inuaserat, & sibi inuitos subegerat: Antiochus sibi suisque maioribus Asiæ Regibus subditos in legitima subiectione retinebat. Satis erat Romanorū virtuti Græcos, aliosue populos vbiuis gentium, quos liberassent ab iniusta vel seruitute, vel subiectione, contra Antiochum, aut quemuis alium, si inuasisset, defendere. Atqui Antiochus bellum contra Romanos moliebatur; audio, si iustum, Romanos iniuriæ satisfacere æquum fuit; si iniustum, eam demum belli causam ostentare oportuit, nō Græcorum Asiaticorum, aut Thracum libertatem.

Legati Romani ad Antiochū mittuntur. Tum Menippus deprecari & Quintium & Patres instituit, ne festinarent decernere, quo decreto orbem terrarum turbaturi essent; tempus & sibi sumerent, & Regi ad cogitandum darent. Ita integra dilata res est, placuitque legatos ad Regem eosdem mitti, qui dudum Lysimachiæ apud eum fuerant, P. Sulpicium, P. Villium, & P. Ælium.

IX. *Annibal tum ad bellum attulit.* VIX DVM ij profecti erant, cum Carthagine legati attulerunt, bellum ab Antiocho, ministro Annibale, haud dubie apparari. Annibal enim patria profugus ad Antiochū peruenerat, idque ante triennium, vt diximus, anno Vrbis Conditæ 558. & erat apud Regem in magno honore, nulla alia arte, nisi quod voluntati diu consilijs de Romano bello, nemo aptior super tali re particeps sermonis esse poterat.

In Italia gerendum. Sententia eius vna atque eadem semper erat, vt in Italia bellum gereretur, Romanis extra Italiam bellum gerentibus, nullam gentem, aut Regem parem fore. Sibi centum tectas naues, sedecim millia peditum, mille equites deposcebat; ea se classe primum Africam petiturum, & confidere Carthaginienses ad rebellandum ab se compelli posse; si illi cunctentur, se in aliqua Italiæ parte bellum Romanis excitaturum. Regem cum cæteris omnibus transire in Europam debere, & in aliqua parte Græciæ copias continere, expectantem rei bene gerendæ occasionem.

X. *Et Tyrum ad bella sollicitatum mittat.* HÆC nonnihil mutat Appianus. Nam apud eum pro sedecim millibus, decem tantum petit Annibal, & obliuiscitur equitum, nec se in Africam iturum dicit, sed missurum qui moneant amicos, vt quamprimum ipse inuasisset Italiam, populum concitarent ad expetendam vltionem ob acceptas iniurias. Æmilius autem Probus ait Annibalem, his ipsis Coss. cum quinque nauibus Africam adijsse, in finibus Cyrenæorum, si forte Carthaginenses ad bellum, Antiochi spe fiduciaque, inducere posset. Sed misisse potius, hoc quidem tempore, credamus Appiano, aut potius Liuio.

Per nuncium Aristonem. In eam sententiam, belli scilicet contra Romanos gerendi, Pœnis in belli societatem adductis, cum Regem adduxisset, præparandos sibi ad id animos popularium suorum ratus, literis agere, ne deprehenderentur, & omnia vulgarent, noluit: sed Aristonem quendam Tyrium, promissis oneratum, quibus etiam Rex annuebat, in Africam mittit cum mandatis; edit nomina eorum, quibus conuentis, opus esset: instruit etiam secretis notis, per quas illi agnoscerent sua esse mandata.

XI. *Quid ille Carthagini egerit.* ILLE profectus Carthaginem, cum factionis Barchinæ homines tantum conueniret, res suspecta esse cœpit, & ab inimicis aperte iactari Annibalem concitare bellum. Vocatur in Senatum, Ariston purgare se, & firmissimo propugnaculo vti, quod nihil literarum attulisset: cumque alij qui comprehendendum hominem, & Romam cum legatis mittendum dicerent, vt Remp. suspicione noxæ liberarent: alij negarent tam facile in hospites, leui ex suspicione manus inijci oportere. Idem Tyrios suis esse facturos: eo die dilata res est. Ariston Punico ingenio inter Pœnos vsus, tabellas conscriptas celeberrimo loco, supra sedem quotidianam magistratus, prima vespera suspendit. Ipse tertia vigilia nauem conscendit & profugit. Postero die cum Suffetes ad ius dicendum consedissent, in tabella legerunt Aristonem priuatim ad neminem, publice ad Senatum mandata habuisse. Eo facto minus intentam de priuatis hominibus quæstionem effecit, & populo Senatum suspectum reddidit: sicut & Senatui factionem Annibalis suspectam fecerat.

XII. *Legati Tyri Romam mittuntur eo de re.* MITTI tamen legatos Romam placuit, qui rem ad Coss. & Senatum deferrent, simulque de Masanissæ iniurijs quererentur, qui suis regni fines transgressus, Carthaginiensium occuparet. a Audita de Tyrio aduena primum Carthaginienses, curam iniecere patribus, ne cum Antiocho simul & Pœnis bellandum esset; eaque suspicio etiam vigebat, quod quem comprehensum Romam mitti placuisset, nec ipsum, nec nauem eius custodissent. *a Hanc historiam tā... Liu. lib.* *Et de finibus Masanissa.* De finium querela disputatum est Romæ, & missi in Africam legati, in quibus ipsemet Africanus; qui fines vtrorumque in exitu belli Punici constituerat. Res tamen in dubio atque integro certamine relicta est, Romanis vtrique in Masanissam magis, quam in æquitatem propensis. Alioqui vt ait Liuius, vnus Scipio vel notitia rei, vel autoritate ita de vtrisque meritus, finire nutu disceptationem potuisset: *Cur Romani rem incertam fecerint.* sed vel indignè ferebat Aristonem non comprehensum, & ideo Pœnorum iniuriam, quam vindicatam oportuit, neglexit: vel certe timuit Senatus, in dubia Carthaginiensium fide, amittere Masanissam, socium longe fidelissimum: & recte id quidem, si eum maluisset sine alterius iniuria retinere.

XIII. *Res à Digitio in Hispania gesta.* PRINCIPIO anni, quo hæc gesta sunt, Sex. Digitius Prætor in Hispania citeriore, cum ciuitatibus ijs, quæ post profectionem M. Catonis permultæ rebellauerant, crebra

crebra magis quam digna dictu prælia fecit; & adeo plerаque adversa, vt vix dimidium militum quos acceperat, successori reliquerit: nec dubium est quin omnis Hispania sublatura animos fuerit, ni alter Prætor P. Cornelius Cn. F. Scipio trans Iberum multa secunda prælia fecisset; quo terrore non minus quinquaginta oppida ad eum defecerunt. Idem Proprætor anno Lusitanos pervastata vlteriori provincia, cum ingenti præda domum redeuntes, in ipso itinere aggressus, ab hora diei tertia ad octauam incerto euentu pugnauit; etsi contra fatigatos ex itinere, & præda impeditos pugnarit. Tandem post votos Ioui ludos, gradum acrius intulere Romani, cessitque Lusitanus; deinde prorsus terga dedit, & cum institissent fugientibus victores, ad duodecim hostiũ millia sunt cæsa; capti quingenti quadraginta, omnes ferme equites, & signa militaria 134. de exercitu Romano septuaginta & tres amissi, præda quæ agnosci potuit suis dominis restituta, reliqua militi dimisa.

Et à Scipione Cn. filio.

Difficilis de Lusitanis victoria.

XIV. *Et a Flaminio Prætore.* NONDVM ab vrbe profectus erat C. Flaminius Prætor, cum hæc in Hispania gerebantur, & magnis sermonibus circumferebantur per ipsum, eiusque amicos, vt maiores ei copiæ à Senatu decernerentur: non plane irrito conato, sed effectu non magno. Nam oppidum tantum Iluciam in Oretanis cepit; deinde in hyberna milites deduxit. Nam totum fere tempus in delectu habendo in Italia, & Sicilia, atque etiam in Africa, cum eò tempestate delatus esset, consumpserat: per hyemem vero aliquot prælia, aut excursiones potius contra prædones, non sine suorum iactura confecit.

Et à M. Fulvio Nobil. Maiores res gestæ à M. Fulvio Nobiliore in vlteriore Hispania. Nam apud Toletum cum varijs gentibus signis collatis dimicauit, earum exercitum fudit fugauitque, regem Hilermum viuum cepit.

XV. *Terræ motus crebri.* PRINCIPIO anni, quo L. Cornelius & Q. Minucius Coss. fuerunt, terræ motus ita crebri nunciabantur, vt non rei tantum ipsius, sed feriarum etiam ob id indictarum populũ tæderet, & nunciari Coss. quadantenus vetarentur, quod nec Senatus haberi, nec Resp. administrari posset, Coss. sacrificando expiandoq; occupatis. Cornelius Galliam prouinciam, Minutius Liguriam sortiti sunt.

Ligurum motus bellici. Nihil hoc anno belli expectantibus Coss. literæ Pisis allatæ sunt; Ligures ad 20. millia in armis esse, coniuratione per omnia eorum conciliabula facta: deinde etiam multo plures spe prædæ, Pisas ad eos confluxisse, omnemque maris oram populando peragrasse. Itaque Minucius cuius ea erat prouincia, magna cura delectum habuit, cum etiam Boij tumultuari dicerentur. Et Aretio quem locum indixerat ad conueniendum militibus, quadrato agmine exercitum Pisas ducit, & vrbem aduentu suo seruatam est ingressus.

XVI. *Res gestæ à Minutio consule.* POSTERA die castra posuit, quingentos fere passus ab hoste; nec milites in aciem eduxit, quos scilicet & nouos habebat, & ad hostium multitudinem paucos. At Ligures multitudine freti, & in aciem exibant, parati de summa rerum decernere, & manus ad prædandum varijs locis emittebant, & prædam, parato præsidio, tutò ad vicos suos, castellaque deducebant.

Paulo tamen post idem Q. Minutius in agro Pisano cũ Liguribus feliciter pugnauit, nouem millia hostium cæsa, castra deinde ad noctem vsque oppugnata, & nocte ab hoste deserta, prima luce à Romanis occupata sunt: statimque hostem persecuti, Liguriam late peruastarunt, & prædam à populatoribus abductam multo cum fœnore, & prædonum clade receperunt. Liuius l. 35. quæ dilata ab eo, suo tempori restituimus.

XVII. *Itemque à Cornelio Merula.* CVM bellum Ligusticum ad Pisas constitisset, Consul alter Cornelius Merula, per extremos Ligurum fines, exercitum in agrum Boiorum induxit; vbi contraria quam apud Ligures ratione, Consul in aciem exibat, hostes pugnam detrectabant, & sua impune diripi patiebantur. Postquam omnia iam ferro ac igni euastata essent, Consul agro hostium excessit, & Mutinam incautius ducebat. Boij vbi egressum finibus senserunt, silenti agmine secuti, & nocte Romanas copias transgressi, saltum per quem iter Romanis erat futurum, occuparunt. Id cum parum occulte fecissent, Consul re intellecta lucem ad profectionem præter morem suum expectauit, & præmissis equitum turma, explorauit copias hostiles, moxque instructo exercitu duxit in hostem: idem fecerunt & Galli, quoniam locum insidijs non esse animaduerterunt.

XVIII *Obstinata cum Boiis pugna.* HORA ferme diei secunda concursum est, & diu admodum ingenti vtrimque ardore pugnatum. Acies prima Romanorum cum succumberet, legio altera submissa pugnam redintegrauit, & constanter stetit, donec educto ex acie alari equitatu, ductu C. Liuij Salinatoris, eam cursus concitatissimo impetu in hostem emitti iubet, ad hostium ordines perturbandos.

Et victoria. Hæc procella equestris primo confudit, & turbauit, deinde dissipauit aciem Gallorum; non tamen ita vt terga darent: obstabant enim duces hastilibus cædentes terga trepidantium, & redire in ordines cogentes. Sed id interequitantes alarij non patiebantur. Hic Consul hortari suos ne restitui ordines sinerent, ne nouo postea prælio dimicandum esset: victoriam in manibus esse, si paululũ connitantur. Omnes connixi, tandem auerterunt hosté, & in fugam effusum legionarij equites consecuti, magnam cædem edidere. Quatuordecim millia Boiorum eo die cæsa dicuntur, viui capti mille 92. equites 721. tres duces eorum, signa militaria 212. carpenta 63.

Nec incruenta. Nec Romanis incruenta victoria fuit: supra quinque millia militum ipsorum, aut sociorum amissa sunt: centuriones tres & viginti, præfecti sociorum quatuor, Tribuni militum secundæ legionis duo. Itaque cum ad Senatum de victoria scripsisset, non defuerunt, qui eius culpa tantã iacturam in exercitu Romano factam criminarentur, in quibus M. Marcellus consularis fuit.

XIX *Comitia consularia.* INTER hæc comitiorum tempus aduentabat. Scripsit Minucius se Romam ad subrogandos magistratus, sine euidenti pernicie sociorum, & Reipublicæ damno venire non posse; etsi comitia eius sortis essent, inquit Liuius, significans Consules, sicut prouincias sorte capiebant, ita & de habendis comitijs sortiri solitos esse, idque clarissimum est in Liuio, vt sequenti anno patet. Ita eius Collega à Senatu euocatus est, qui relicto ad exercitum M. Claudio Marcello, in vrbem venit, & quasi re bene gesta, & supplicationem dijs, & sibi triumphum decerni postulauit. At repulsam est passus, quod diuersa ab eius literis, ab eius legato scripta essent.

Merula ... obtinet triumphum.

ANNVS MVNDI 3862. SEXTÆ ÆTATIS 346 Imperij Græcorum 120. Antiochi Magni 33. Oniæ III. Pontificis 16. Ptolemæi Epiphanis 12. Philippi 29. Olympiadis CXLVII. An. 1. Vrbis conditæ 561. Coss. L. Quinctio Flaminino, & Cn. Domitio Ænobarbo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 191.

I. *Ambitio consularis.* CONSVLARIBVS comitijs magis quam vnquam alias exarsit ambitio, vt scribit Liuius l. 35. Multi enim & potentes petebant, patricij, plebeijque. Sed omnium oculi maxime conuersi erant in L. Quintium, qui classi in Græcia præfuerat, & P. Cornelium Cn. F. qui ex Hispania prouincia nuper decesserat, magnis rebus gestis: quos præ cęteris dignitas, & rerum gestarum gloria commendabat. Sed ante omnia certamen accendebant fratres Candidatorum, duo clarissimi ætate sua Imperatores, Scipio Africanus, & T. Quintius Flamininus. Cui ea gratia à populo deberi videbatur, qui nihil nec petierat à populo post triumphum, nec adeptus erat; pro fratre germano, non patruele se petere aiebat, pro collega & participe administrati belli, se terra, fratrem mari rem gessisse. Ita Scipionem vicit, etsi virum optimum à Senatu iudicatũ; nec potuit vterq; creari Consul, quoniam alterum plebeium esse oportebat. In quo etiam Africani fauor pro C. Lælio

Etiam Africani fauor ... irritus.

victus est, haud dubie populo ob sedes Theatri discretas, in illum nonnihil infenso.

II. *Aetoli ad arma omnes in Romanos excitant.* Hoc anno quo in Olympicis coronatus est Agemachus Cyzicenus, Græciæ res, Asiæque vehementer turbari cœperunt, Ætolis bellum vbique contra Romanos excitantibus. Ij post deportatos ex Græcia Romanos exercitus, in spe fuerant, Antiochum in vacuam Europæ possessionem venturum, nec Philippum, aut Nabin quieturos. Verum vbi nihil vsquam moueri viderunt, homines inquieti atque turbulenti, concilio Naupacti habito, vbi Thoas prætor iniurias Romanorum conquestus est, statumque Ætoliæ, cui victoria, cuius ipsi causa fuissent, dedecori esset, legatos ad Nabin, ad Philippum, ad Antiochum miserunt, & idoneis singulos rationibus ad arma Romanis mouenda commouerunt. *Nabin tyrannum.* Nabin quod ademptis maritimis ciuitatibus, eneruatam ei tyrannidem Romani reddidissent, quas Romanis absentibus facile esset recuperare, nec metuendum esset, ne propterea in Græciam cum classe traijcerent.

III. *Philippum Macedonem.* PHILIPPVM, quod tantis bonis spoliatos in ordinem redegerint Macedonas, qui victoriis suis orbem terrarum peragrassent: suadere vt iunctis cum Antiocho & Ætolis in Græcia viribus, Romanum iugum excutiat. Id perfacile fore. Nam qui sine Antiocho, aduersus Romanos Ætolosque tamdium sustinuerit bellū, ei adiuncto Antiocho, socijs Ætolis, qui tum grauiores hostes, quā Romani fuerint, Romanos nullis viribus restituros. *Antiochum magnum.* Antiocho societatem armorum, aut potius principatum, vt habet Appianus, offerebant, & qui Romanis victum Philippum dedissent, se vice versa Romanos ei victos præbituros. Iactabant copias suas, Philippum & Nabidem paratos ad rebellandum mentiebantur, dicebantq; eos oblatam occasionem recuperandi sua arrepturos, vrgebantque adeo vt nō sinerent, vt ait Appianus, eum expectare dum ipsius exercitus ex mediterraneis Asiæ regionibus descenderet. Ita illi operam dabant vt omnia bello conflagrarent, & infestis gladijs Asia atque Europa concurrerent.

IV. *Nabin ad arma concitat.* REGES tamen aut non moti, aut tardius moti sunt: idque probabilius est, quā quod habet Appianus, Antiochū temere irritatum, ne nuncio quidem de filio in Syria defuncto, institutam expeditionem tardante, appulisse in Eubœam; sed de huius filij morte postea cum Liuio. Nabis tamen extemplo vicos maritimos seditionibus agitat, & à Romana societate precio metuque abducit, sibique subijcit: Gytheum oppugnat: qua de re Achæi ad eum primo, deinde Romam per legatos querelas detulerunt.

Antiochus Cleopatram filiam Ptolemæo. Interea Antiochus ea hyeme Raphiæ in Phœnice Ptolemæo Regi Ægypti filia in matrimonium data, cum Antiochiam se recepisset, per Ciliciam Tauro monte superato, extrema iam hyeme Ephesum peruenit. Ita Liuius. Hęc porro hyems, qua celebratæ sunt nuptiæ vel ad finem præcedentis anni pertinet, vel ad initium præsentis, qui est 12. regni Ptolemæi Epiphan. vt propterea minus assentiar D. *In c.11. Dan.* Hieronymo, qui refert filiam Antiochi Cleopatram Ptolemæo desponsatam septimo anno regni adolescentis, traditam vero 13. cum desponsatio in octauum potius annum, nuptiæ in duodecimum, vt diximus referendæ sint; quippe quæ prælium antecesserint, quod in sequentem annum cadit; etsi eas Scaliger ad decimum quartum retulerit.

V. *Non post prælium, sed prius ante.* PERVS etiam Eusebius, quod iste non animaduertit, victum Antiochum facitā Romanis ad Thermopylas ante has nuptias; contra Liuium, & Appianum, qui eas initas ait quasi præparationem ad bellum. Iamq; certus Antiochus (inquit Appianus) bellum aduersus populū Rom. gerere, propinquos reges adiungebat sibi connubijs; mitiq; Ptolemæo in Ægyptum Cleopatram, Syram cognomine, in dotem addens Cœlesyriam, quam ei prius ipse ademerat, demulcens adolescentē, vt in bello Romano quiesceret; Antiochidem vero misit Ariarathi regi Cappadocum, & reliquam Eumeni Regi Pergami. *Eumenes affinitatem Antiochi recusat.* At ille quia videbat eum iam bellum contra Romanos instituere, & in hunc visum affinitatem quærere, excusauit; mirantibusque fratribus Attalo & Philetæro, aspernati eum affinitatem tanti regis vicini, & vltro inuitantis, ostendit imminere bellum, primum quidem æquo marte gerendum; sed tandem victores fore Romanos propter generositatem, & laborum tolerantiam: quibus vincentibus, inquit, ego regnum meum firmiter obtinebo. Quod si Antiocho victoria contingeret, aut à præpotente vicino spoliarer bonis, aut si regnum mihi maneret, parendum esset maioris Regis imperio. His de causis ille nuptias renuit. Sic Appianus, quibus non dissimilia habet hoc loco Liuius, l. 35. Accedebat & contracta cum Romanis ab Attalo patre amicitia, quæ regno eius & honori fuerat, & vtilitati. Et hæc quidem vna causa Antiocho contrahendæ cum Ptolemæo affinitatis fuit, alteram autem ex Daniele supra retulimus octauo anno regni eius.

VI. *Dos Cleopatræ ab Antiocho data. a Lib. 12. c. 3.* QVOD de dote ait Appianus, distinctius explicat Eusebius, & ante eum Iosephus. a Post hæc amicitia inquit, Ptolemæo coniunctus est, & fœdere, data in matrimonium Cleopatra filia, & concessa dotis nomine Cœlesyria, vna cum Phœnice, Iudæaque, & Samaria; diuisisque inter vtrunque regem vectigalibus, optimates suæ quisque patriæ exactionem eorum redimebant, & collecta quæ imperata esset pecunia, conferebant eam in regium ærarium. Sic Iosephus, ex quo intelligitur, ita traditam Ptolemæo Syriam, vt Antiochus in ea dimidiam partem vectigalium, quasi pensionem sibi retineret: vt præter præsens emolumentum, etiam aditum ad eam prouinciam aliquando recipiendam paratum haberet. 1. *I. 67.*

Hæc igitur mulier data est Ptolemæo, vt euerteret illud regnum, siue interuerteret, & à marito ad patrem transferret; sed irritus is conatus fuit. Neque enim obtinere potuit Ægyptum: quia Ptolemæus Epiphanes, & duces eius sentientes dolum cautius egerunt, & Cleopatra magis viri partes quam parentis fouit, vt ait D. Hieronymus in eundem Danielis locum.

VII. *Antiochus ad Pisidas.* SED redeamus ad Liuium, qui ait Antiochum initio veris misisse filium Antiochum in Syriam ad custodiam vltimarum partium regni, ne quid absente se à tergo moueretur: ipse autem cum omnibus terrestribus copijs ad Pisidas, qui circa Selgam incolunt oppugnandos est profectus. Hos Pisidas Ptolem. in Pamphylia, & Selgam ad oram Cestri fluuij collocat. *Ag. tabu.*

Legati Romani Eumenem adeunt. Eo tempore legati Romani P. Sulpicius, P. Villius, & P. Ælius, nuper ad Antiochum, iterum Roma missi sunt à Senatu ad tentandum vice versa Antiochum, vt tradit Appianus, qui & addit Africanum in legatis; ad Eumenem, vti iussi fuerant, prius venerunt. Qui belli aduersus Antiochum cupidus erat, vt qui eum propter potentiam sibi grauem fore, si pax esset, vereretur; bello autem victum iri, sicut Philippum spectabat, & si victo pax daretur, multa illi detracta, sibi accessura sperabat: & in omnem euentū satius esse ducebat Romanis socijs, quamcunq; fortunam subire, quam solum aut imperium Antiochi pati, aut abnuentem vi atque armis cogi. Ob hæc quantum auctoritate, quantum consilio valebat incitabat Romanos ad bellū.

VIII. *Legati Romani cum Annibale colloquuntur.* INTEREA Sulpicius æger Pergami substitit, Villius cū Pisidiæ bello occupatum Regem audisset, Ephesum profectus, cum Annibale crebro sermone congressus, metum ei demere à Romanis conatus est, & eius animum si qua posset pertentare. Ex quo sermone, id sua sponte secutum est, perinde ac si consilio quæsitum esset, quod affirmat Iustinus, vt Annibal regi vilior atque suspectior fieret. Refert ex aliorum scriptis Liuius, quod ab ipso deinceps alij tradidere, in quibus Appianus in Syriacis, Zonaras, Valerius Max. P. Africanum in ea legatione fuisse, eumque Ephesi cum Annibale collocutum, quæsisseque inter alia, *Maximus imperator Annibalis iudicio.* quem fuisse maximum Imperatorem Annibal crederet; respondisse, Alexandrum Macedonum regem, qui parua manu maximos fudisset exercitus, & totum Orientem victorijs peruagatus esset; quærenti deinde quem secundum poneret, Pyrrhum dixisse, castris metandis, & hominibus sibi conciliandis insignem. Pergenti quærere quem tertium crederet? haud dubie semetipsum dixisse; tum risum obortum Scipioni; & subiecisse, quidnam tu diceres, si me vicisses? Tum me vero, inquit, & ante Alexandrum,

& ante Pyrrhum, & ante omnes alios Imperatores esse, Arguto responso propriæ laudis offensionem, Scipionis laudis atque assentatione temperauit. Erenim blandiens est, quasi is Alexandro præstantiorem vicisset. Nec sine caussa fortasse. Alienienim populi mollesac fugaces, ab Alexandro victi sunt: Romani autem, quibus nulla gens unquam bello fortior fuit, ab Annibale.

IX *Legatorum cum rege colloquium.* VILLIVS ab Epheso Apameam processit: eo & Antiochus, audito Romanorum legatorum aduentu, occurrit. Apameæ cōgressis eadē ferme disceptatio fuit, quæ Quintium inter & legatos Regis fuerat. Sed mors oborta Antiochi filij regis, quem missum in Syriam paulo ante diximus, repleta luctu regia colloquia diremit. *Mors filii Antiochi.* Eius mortis suspectum ipsum parentem Liuius minime opinor facit. Per Eunuchos sublatum ait veneno, quasi grauē suæ senectutis successorem timeret: vel quod idoneum locum, in quo regnaret, sicut dedisset Seleuco primogenito, ei dare non posset, sed hæc frigidissima sunt, ad tantum regem, ad tam immane scelus adigendum. *Refutatur Liuius.* Quid enim timeret graué successorem, iuuenem in primis amabilem, & quem, eodem teste Liuio, omnes diligerent, vt in quo magni, iustique Regis indoles appareret? Aut quomodo in tam multis totius Asiæ regnis atque prouincijs, quæ ei parebant, nulla erat ciuitas idonea, cuius alteri filio daret imperium?

X. *Disceptatio legatorum inter se.* REX omisso bello, quod cœperat, Ephesum rediit. Ibi per Minionem quendē legatum cum Romanis egit. Is accusare cœpit Romanos, qui prætextu liberandi Græcos, Antiocho regi bellum parent: cum ipsi tam multos populos, clarasque vrbes sibi subiectas habeant, & vectigales, quæ olim liberæ, ac sui iuris erant: nec decere in Antiocho accusare, quæ in ipsis æquè argui potera(n)t. Respondit Sulpicius, disparem esse rationem; quod Neapolitani, verbi gratia, & Tarentini, ex quo in Romanorum venerant potestatem, perpetuo subditi fuerint, & vectigal dependant. At ciuitates Asiæ non perpetuo in maiorum Antiochi potestate mansisse, sed nunc Philippo nunc Ptolemæo paruisse, aliasetiam sui iuris fuisse.

XI. *Corrigitur.* VERVM hæc interrupta possessio non adimit ius legitimo principi: neque iniusta inuasio ius præbet in eos, qui vim perpessi sunt. Rectius fortasse fuisset ostendere, & Romanos iusto bello sibi eos populos, alios ne subiecisse, *Quod sit in possessione.* & Antiochum nullum vnquam in eos Græcos Asiaticos ius dominij habuisse. Neque enim possessionis interruptio, aut continuatio violenta, iusti dominij naturam mutat. Itaque si Philippi Macedonis, quem nuper tota Græcia Romani expulerant, legitimum in eos ius fuisset, iniurij in eum Romani sine dubitatione fuissent, & Philippi posteri dominium in eos postliminio sibi asserere potuissent. Admissi deinde sunt aliarum ciuitatum legati, ab Eumene instructi. Appianus ait regem promisisse, si permitterent Rhodios, & Byzantios, Cyzicenosque, & quicunque Græci alij Asiam incolarent, fœdere Romanis iungi. Æolensautem & Ionas eodem iure esse noluisse, vt qui Asiæ Regibus parere assueuissent: quæ cum Romani non probarent, post multas disceptationes, nihil demque decretū est. Romani re infecta Romam redière.

XII. *Consilium Antiochi de bello gerendo.* REGEM autem sui ad bellum contra Romanos varie instigabant. Alexander in primis Acarnan, Philippo quondam amicus, qui iam certam animo victoriam comprehendebat, si in Europam maiore transisset, & loca opportune, sociosque præoccupasset: Nam in Græcia quasi vmbilico Ætolos habiturum, quasi mediam aciem, alterum cornu Nabidem ducturum, Philippum alterum, qui omnes Romanis infensi, multum eis nocere velint & possint: accessurum Annibalem, qui Africam quoque in Romanos moueat. Aberat à concilio Annibal, suspectus regi factus è frequenti cum Romanis colloquio: sed illa probato suo in Romanos odio, etiam iureiurando firmato, reconciliatus est regi. Ex concilio autem, decreto in Romanos bello, discessum est. Rex aliquanto post Hellespontū cum exercitu traiecit.

In Hispania res prospere gestæ. In vtraque Hispania res hoc anno prospere gestæ. Nam & C. Flaminius oppidum Litabrum munitum, opulentumque vineis expugnauit, & nobilem Regulum Corribilonem viuum cœpit, & M. Fuluius Proconsul, cum duobus exercitibus hostium, duo secunda prælia fecit, oppida 4. & castella multa expugnauit, alia deditione excepit. Denique etiam Toletum, deuictis auxiliaribus Vectonum copijs, operibus cepit.

XIII. *Mors in Liguria.* AD Italiam quod attinet, diu in Liguribus nihil memoria dignum gestum erat; extremo eius anni bis in magnū periculum res adducta est. Nam & Castra Cos. oppugnata ægrè sunt defensa; & non ita multò post, per saltum angustum, cùm educeretur agmen Romanum, ipsas fauces exercitus Ligurum insedit: quæ cum aditus non pateret, conuerso agmine redire instituit Consul, sed à tergo quoque fauces ab hoste reperit occupatas; ita vt Caudinæ cladis memoria non animis modo, sed oculis etiā obuersaretur. At Numidæ equites octingenti spondent se erupturos, & incendio in hostium vicos iniecto, hostes ab ea obsessione educturos, modo qua parte vici eorum proximi essent, didicissent. Laudatos & promissis oneratos Consul dimisit.

Romani ope Numidarum liberati. Hi ludibundi in equis, quibus nihil esset contemptibilius, ecibant. Equi enim ait Liuius, homines que pauculi & graciles erant, discinctus & inermis eques, præterquam quod iacula secum portat; equi sine frenis, deformis ipse cursus, rigida ceruice, & extento capite currentium, deinde referebant pedem, sursumque progrediebantur, hostibus spectaculo ac ludibrio de industria facti. Denique serio excurrunt per mediam hostium stationem, & tectis flammas iniiciunt; ad quas extinguendas à suis domesticis acciti, trepidi, omnisque moræ impatiētes in suos vicos aduolant: Romanique obsidione liberati, quo intēderent peruenerunt.

XIV. *Redeunt legati Romam.* SVB idem tempus legati à Regibus reuersi, nihil maturum ad bellum esse nunciarunt, nisi Lacedæmone, quod Nabis tyrannus oram maritimam cōtra fœdus oppugnabat. Eo Atilius Prætor cum classe mittitur ad tutandos socios. Consules, quando nihil ab Antiocho instare videretur, in prouincias profecti sunt. Domitius ab Arimino, qua proximum fuit, Quintius per Ligures in Boios venit. *Res ad Boios gesta.* Duo Consulum agmina diuersa, late agrum hostium peruastarunt. Itaque Boij pertæsi belli, primo equites eorum pauci cum præfectis, deinde vniuersus Senatus, postremo in quibus fortuna aliqua aut dignitas fuit, ad mille & quingentos ad Coss. transfugerunt. Hoc quoque anno L. Quintio Consule, teste Liuio vrbem duo maximi terrores tenuerunt, terræmotus per duodequadraginta dies, & *Terræ motus et incendia.* incendium quod ortum à foro Boario, diem noctemque ædificia ad Tyberim versa exussit, eodemque tabernæ preciosæ conflagrarunt.

XV *Rumores de Antiocho.* ACCESSSARVNT varij rumores de Antiocho sparsi, isque in primis, quod eū Ætolis in Siciliam traiecturus dicebatur, qui multam curam patribus attulerunt. Sed addidit alimenta rumoribus, aduentus Attali Eumenis fratris, qui nunciauit Antiochum regem Hellespontum cum exercitu transisse. Ætolos ita se parare, vt sub eius aduentū in armis essent. Et Eumeni absenti, & præsenti Attalo gratiæ actæ, & munera data. Coss. quoque primo tempore designari visum est. Propere euocatus Senatusconsulto Consul, qui a e itinere præmisit edictum, quo comitia Coss. creandis edixit. *Candidati Consulatus.* Et maturè quidem designati sunt Cōsules, suo tamen tempore intere magistratum: idque lectori T. Liuij studiose animaduertendum est, ne res vnius anni alteri inconsultè attribuet. In ijs comitijs magna fuerunt studia candidatorum, quod patricij tres Consulatū peterent, Scipiones duo, alter Africani frater, alter eiusdem patruelis, & Cn. Manlius Volso. P. Scipioni datus est Consulatus, vt dilatum tali viro, non negatum honorem appareret: sed & reliqui duo, duobus annis proximis facti sunt Consules. Qui etiam è plebe superiore anno pro eodem honore certabant, Acilius Glabrio, C. Lælius, Liuius Salinator, proximis annis eundem magistratum obtinuerunt.

XVI. *Res Græcorum.* INTEREA verò dū Populus Romanus ad omnes se Antiochi conatus, rumoribus commotus, in omnem euentū præparat, & Prætor Atilius Classem in Græciam parat, eoque proficiscitur, res in Græcia vehemēter turbatæ sunt,

GRÆCORVM 120.

Nabis aliquandiu prospera vsus fortuna, ab Ætolis per fraudem occiditur, Sparta nihilominus & Lacedæmonij Achæis adiunguntur, Demetrias ab Ætolis occupatur, Antiochus in Græciam venit, & Chalcidem atque Eubœam occupat: quæ omnia reliquo lib. 35. à Liuio traduntur pluribus: ea nos more nostro contractiora tradem⁹.

Nabis Gythæum oppugnat.

Nabis non differebat bellum, neque id cunctanter vt Antiochus, & Romani aggrediebatur; sed dudũ inchoatũ vrgebat, & dum querelæ Romam deferuntur, summa vi Gythæum maritimũ oppidum validum ac munitũ oppugnabat; eoque Achæi præsidium summiserãt: quare infensus Achæis Nabis eorum agros peruastabat. Achæi & ipsi concitati sunt bellum Nabidi inferre, quod monitus per literas Quintius, aduentum Romanæ classis expectandũ censuisset, à qua Gythæum mari defenderetur.

XVI. *Philopœmen ab eo victus.*

ERAT tum Achæis Prætor Philopœmenes vir terrestribus prælijs clarus, naualium insolens. Is cum videret omnium suorum studia ad hoc bellum prona, etsi consilium Quintij placebat, veritus tamen ne dilationem res nõ pateretur, & non Gythæum solum, sed præsidium quoque missum ad tuendam vrbem amitteretur, naues Achæorũ deduxit. Cõparauerat & tyrannus modicã classem ad prohibẽnda auxilia Gythæorũ, quæ Philopœmenem à nauib⁹ male paratum, & tamen congredi ausum, perculit & in fugam egit. Sed id gaudiũ breue tyranno fuit. Is statiua habebat ad Pleias, vt terrestres aditus impediret Gythæo subueniendi: ea noctu improuisus inuasit Philopœmenes, &

Vicissim ab eo cladem accepit.

flammis omni ex parte castrorum iniectis, vt erãt plurimæ casæ fronde & arundinibus textæ, omnes conflagrarunt; perpauci ex tam ancipiti peste ad Gythæum in maiora castra perfugerunt. Inde cum consilium cœpisset Spartam obsidendi, vt Gythæi obsidionem solueret, quo primum die Lacedæmoniorum agrum est ingressus, Gythæum expugnatum est. Inde tyrannus conuerso Lacedæmonẽ versus itinere, aliquot prælijs à Philopœmene fractus est, adeo vt vix quarta pars exercitus cum Tyranno in vrbem penetrarit. Inde insequentibus triginta diebus Laconicum agrum perpopulatus, magna cum Achæorum laude domũ reuersus est.

Gythæum expugnatur.

XVII. *Quintius & alij legati in confirmatione sociorum.*

HÆC dum in Peloponneso geruntur, Romanorum legati ad confirmandos autoritate sociorum animos nuper missi, post digressum Atilij Prætoris cum classe modica, in quibus princeps erat T. Quintius, populos vrbesque socias circumibãt, veriti ne quos Ætoli ad Antiochum traherẽt. Athenas quippe, Chalcidem, Thessaliam adiere, indeque Demetriadem, vbi plus erat periculi, & eo concilium Magnetum indictum erat, quorum plerique primarij Romanis erant infensi, toti que Antiochi, & Ætolorum erant: quia cum reddi filium obsidem Philippo allatum esset, stipendiumque impositum remitti, etiam addebatur Romanos ei Demetriadem reddituros, quod ne fieret, Eurylochus eorum princeps omnia nouari malebat.

Aduersus eos ita differendum erat, ne timorem vanum ijs demendo, spes incisa Philippũ abalienaret, in quo plus erat ad omnia momenti, quam in Magnetibus.

XVIII. *Eorum concio pro Demetriade.*

DOCVIT ergo Romanus, cum totam Græciam beneficio libertatis obnoxiam esse Romanis, tum eam præcipue ciuitatem, in qua non præsidium modo Macedonum, sed regia etiam erat, vt præ oculis semper habendus esset Dominus. Id autem beneficium frustra collatũ, si pro Philippo nouus Rex Antiochus eo ab Ætolis introducatur. Eurylochus, qui tũ Magistratu fungebatur, nõ dubitauit publicè dicere, omnia Magnetibus audenda esse, priusquam Demetrias Philippo, quod fama ferebat, redderetur, & Demetriadem specie quidem liberam esse, re autem ipsa omnia ex Romanorum nutu pendere. Hic multitudine partim assensu, partim indignatione fremente, Quintius contra manus ad cælum tendens; deos testes ingrati ac perfidi animi Magnetum inuocauit.

Magnetes Romanis addicti.

Tum Zeno vnus de principibus, & cum magnæ apud suos autoritatis, tũ præcipuè erga Romanos beneuolentię, a Quintio, legatisque alijs flens petijt, ne vnius amentiam ciuitati assignarent, suo quemque periculo furere: Magnetiam & libertatem, & omnia quæ hominib⁹ cara & sancta sunt, debere Romanis, & in corpora sua citius per furorem sæuituros, quam vt Romanam amicitiam violarent. Eam orationem cum multitudinis preces ei consentaneæ subsecutæ essent, Eurylochus ex concilio ad Ætolos pretinus profugit, qui defectionem suam magis in dies nodabant.

TVRBÆ AB ÆTOLIS IN ROMANOS.

XIX. *Antiochi oratio.*

PER eos forte dies Thoas princeps gentis, quem miserant ad Antiochum redierat, indeque Menippum regis legatum secum adduxerat, qui, priusquam concilium eis daretur, omnium aures vana copiarum Antiochi amplificatione repleuerant. Quæ cum ad Romanos legatos deferrentur, visum est Quintio aliquot è Romanorum socijs Panætolico adesse conuentui, qui liberam aduersus Regis legatos orationem proferrent, & retinendæ Romanorum amicitiæ, agnoscendique beneficij admonerent. Electi sunt Athenienses propter ciuitatis dignitatem, & antiquam cum Ætolis societatem. Ij recte suo munere functi, etsi Antiochi tota erat multitudo rerum nouandarum auida, obtinuerunt vt Romani participes publici concilij fierent.

Hoc decretum Athenienses cum retulissent, eundum in Ætoliam Quintio visum est: aut enim moturum aliquid, aut omnes homines testes fore, penes Ætolos belli culpã esse, Romanos iusta ac necessaria arma sumpturos.

XX. *Ad Ætolos Quintius.*

IN eo Concilio conatus est Quintius à bello suscipiẽdo Ætolos auocare, & à fœderibus violandis: satius esse dicẽs, si quid disceptare vellent, apud Romanum Senatum agere, quam bellum, quod cum pernicie Græciæ, & in primis eorum, qui illud mouissent, futurum erat, inter Romanos & Antiochum accendere. Nihilominus agente Thoante, decretum est vt accerseretur Antiochus, ad liberandam Græciam, & disceptandum inter Romanos & Ætolos, id decretum cum posceret Quintius, à Democrito Ætolorum Prætore cũ superbia ac cõtumelia reiectus est. Quintius & legati Corinthum redierunt. Ab eorum discessu, ne Ætoli omnia ab Antiocho expectare, nihil ipsi per se agere viderentur, per Apocleros, ita sanctius concilium appellant, agitant quomodo res in Græcia nouarentur. Statuerunt, audaci plane consilio, vno die Demetriadem, Chalcidem, Lacedæmonem occupare; Thoas Chalcidem Alexamenus Lacedæmonem, Diocles Demetriadem missus est. Hunc Eurylochus exul adiuuit. Nam eius hortatu admoniti amici, propinqui, & qui eiusdem cum eo factionis erant, liberos & coniugem eius, cum sordidis vestibus in concionem adduxerunt, à populo rogantes ne innocẽtem, atque indemnatum exilio affligi paterentur. Populus partim misericordia motus, partim Ætolorum fauore, ac rerum nouarum desiderio reuocari iussit.

Decretum pro Antiocho.

XXI. *Demetriadem Ætoli occupant.*

HIS præparatis Diocles cum omni equitatu, specie reducentis exulem hospitem profectus, die ac nocte ingens iter emensus, cum sex millia ab vrbe abesset, luce prima cum tribus electis turmis, cætera multitudine equitum subsequi iussa, præcessit. Postquam portæ appropinquauit desilire omnes ex equis iussit, & loris ducere equos, vt comitatus magis præfecti videretur, quam præsidium. Ibi vna ex turmis ad portam relicta, ne excludi subsequens equitatus posset, media vrbe ac per forum manu Eurylochum tenẽs, multis occurrentibus & gratulantibus domum deduxit. Mox equitum plena vrbs fuit, & locis opportunis occupatis, principes aduersæ factionis interfecti sunt, & Demetrias Ætolorum facta est.

Quod ita gestum.

XXII. *Nabidem interficiunt.*

NON ita res ipsis Lacedæmone, ant Chalcide successit ex voto. Lacedæmone tyrannus callidissimus dolo capiẽdus erat. Mille pedites Alexameno dati sunt, & triginta delecti ex iuuentute equites, quibus à magistratu studiose mandatum est, vt ad omne Alexameni imperiũ essent parati. Is Tyrannum adit, & extemplo spei replet, adesse Antiochum cum infinito apparatu, Ætolos in armis esse, ac tempori affuturos. Nabidi quoque faciendum esse, vt quas habebat copias educeret ex vrbe, atque exerceret. Id dum fit sæpius ad Eurotam flumen, Alexamenus nihil suspectus, monitis suis adesse tempus perficiendi negotij, cuius causa venissent. Appropinquantem tyrannum equo transfixo deturbat, iacentem equites confodiunt. Statimque ad regiam occupandam properant.

TYRANNI milites, tam inopinatæ rei miraculo defixi, aliquandiu constiterunt, inde ad tyranni corpus adeunt. Nec se quisquam mouisset in vrbe aduersus Ætolos, si non ad rapinam versi, concionem potius Alexamenus ad condocendum populum habuisset. Itaque in eos populus, tanquam in prædones, efferatus insurgit: Laconicum regiæ stirpis puerum in equum imponunt, & armis arreptis Ætolos vagos per vrbem cædunt: tum Alexamenum in regis cum paucis resistentem obtruncant. Mox collectos in Chalciœcum Mineruæ templum cæduot; fugitiui Megalopoli à magistratu comprehensi, sub corona venierunt.

Spartam occupant. *Ex quo necati sunt.*

Philopœmenes audita cæde Tyranni profectus Lacedæmonem, cum omnia turbata reperisset, côuocatis principibus, & oratione habita præsenti rerum statui congrua, qualē ab Alexameno haberi oportuisset, societati Achæorum Lacedæmonios adiunxit; eo etiam facilius, quod ad idē forte tempus A. Atilius, cū quatuor & viginti quinqueremibus, ad Gythæū accessit. Sic Ætoli inconsultis temeritate, gentē in Græcia bellicosissimam ita tyrannide liberatuot, vt eam aduersarijs suis acquisierint.

Eam Philopœmen Achæis adiungit.

XXIV. *Chalcidem frustra aggrediuntur.*

THOANTI quoque consilium occupandæ Chalcidis, ex qua totius Eubœæ possessio pendebat, & vnde facillimus erat in Atticam traiectus, parum fœliciter successit. Quâdo enim diligenter apparatis copijs, quibus ea vrbs ex improuiso expugnanda erat, cum tamen res ab principibus ciuitatis, qui rerum potiebantur, cognita fuisset, accitis ex vicinis vrbibus Carysto & Eretria auxilijs, & pro mœnibus vrbis dispositis, ipsi Euripum cum omnibus copijs transgressi, & obuiam hosti progressi, caduceatorem primum ad eos mittunt; deinde legatos qui rogent, quo suo delicto socij amicique arma in ipsos mouerint. Respondit Thoas, se ad liberandos à Romanis venisse. Illi negare seruire se vlli, aut præsidio cuiusquā egere; ita digressi ea colloquio legati ad suos. Thoas & Ætoli qui spem in eo habuerant, vt vrbem ex improuiso occuparent, vbi ad resistendum egregie instructos viderunt, nec se satis habere virium ad munitissimam vrbem terra marique obsidendam, domū re infecta redierunt.

XXV. *Quo Romanus præfirmat. Demetriadē frustra tentat.*

His auditis T. Quintius Corintho cum nauibus Chalcidem venit, & Eumenes in Euripo occurrit; placuit quingentos milites ab Eumene præsidij causa Chalcide relinqui, simul etiam tentari Demetriadem, si forte ope eorum qui in vrbe Romanis erant addicti, vrbs liberari ab Ætolis posset. Eo missus Villius irrito negotio ad Quintium rediji, qui & ipse cum nauibus Corinthum se recepit.

Apparatus Romanorū in Antiochum.

Iam ferè in exitu annus erat, & in dies magis fama & cura de Antiochi bello crescebat. Itaque de prouincijs magistratuum designatorum, vt parationa essent omnia, agitari cœptum est. Decreuerat vt Consulibus Italia, & quo Senatus censuisset, prouinciæ, essent: intelligebant autem omnes expeditionem in Antiochum intelligi; cui ea sorte obtigisset, quatuor millia peditum ciuium Romanorum & trecenti equites, sex millia sociûm Latini nominis cum quadringentis equitibus sunt decreta. Eorum delectum habere iussus est L. Quintius Consul, ne quid noui Consulis profectionem moraretur; parata etiam est classis, vt nauigaret quo, & quando Senatus censuisset. Ingentes etiam copiæ, viginti millia peditum & octingentos equites Lutius recensuit, ei qui præfuturus erat Brutijs designata sunt, quæ traiectum Græcorum & Alianorum in Italiam prohiberent.

XXVI. *Antiochum quo mouetur.*

INTENTIS in apparatum noui belli Romanis, minime ab Antiocho cessabatur, tres eum ciuitates tenebant, Smyrna, Alexandri Troas, & Lampsacus, maritimæ ciuitates, quarum Lampsacus & Troas in aditu & exitu Hellesponti erant, Smyrna in Ionia, quas neque vi expugnare ad eam diem poterat, neque conditionibus in amicitiam pellicere: neque eas à tergo relinquere, traijciens ipse in Europam, volebat. Tenuit eum & de Annibale deliberatio; & primo naues aperte, quas cum eo in Africam missurus erat, moratæ sunt: deinde etiam an omnino mittendus esset consultatio mota est, maxime

Annibalē Thoantis ... suspectum.

à Thoante Ætolo, qui omnibus in Græcia tumultu completis, Demetriadem afferebat in potestate esse, & quibus mendacijs de Rege, multiplicando verbis copias eius, multorum animos in Græcis erexerat, ijsdem & regis spem inflabat.

Hic ergo neque dimittendam partem nauium à regis classe censebat; neque si mittendæ naues forent, ei classi Annibalem esse præficiendum, hominem exulem, & Punico ingenio, & in quem gloria bene gestæ rei, quæ deberetur Regi, transfundenda esset: nihil eo duce Regi opus esse, consiliario, & comite ad bellum vti posse. Sic consilium mittendi Annibalis, quod vnum in principio belli vtiliter cogitatum erat, abiectum est. Sicut olim Architophelis consilium ab Absalone, magno eius malo, Deo vltore repudiatum fuerat.

Annibalis ... deseritur.

XXVII. *Antiochus venit Demetriadem.*

REA Demetriadis defectione à Romanis ad Ætolos elatos, non vltra profectionem in Græciam distulit; & facto ad Ilium Mineruæ sacrificio, profectus est cum quadraginta tectis nauibus, apertis sexaginta, & ducentis onerarijs, cum omnis generis commeatu, bellicoque alio apparatu, vt ait Liuius; qui tamen decē milia peditum dōtaxat, quingentos equites, & sex elephantos exposuisse ad Demetriadem autor est. Itaque cum primum ad Ætolorum concilium admissus est, prima eius oratio fuit excusantis, quod tanto minoribus spe omnium copijs venisset: Id summæ in eos beneuolentiæ tribuendum esse; quod nec satis paratus vlla re, & tempore ad nauigandum immaturo, hyems enim erat in ianuis, vocantibus eorum legatis iter accelerasset. Verum satis superque desideria expleturum, cum primum se mare nauigabile præbuisset; omnem se Græciam armis, viris, equis; omnem oram maritimam classibus completurum, nec vlli se labori aut operæ parsurum, donec depulso ceruicibus eorum Romanorum iugo, Græciam verè liberam, & in ea Ætolos principes reddidisset.

Eius ad Ætolos oratio.

XXVIII. *Cū eo Chalcidē tendit. Duces ... sunt.*

ÆTOLI non arbitrum difficultatum suarum cum Romanis, sed belli Imperatorem esse decreuerunt, & triginta ei consiliarios attribuerunt: cum quibus capto consilio, visum est Chalcidem nuper frustra tentatam primum aggredi. Et rex cum Ætolis profectus, cum ad Salganeam, quæ Bœotiæ vrbs est ad Euripum, castra posuisset, nauibus ipse cum principibus Ætolorum Euripum traiecit. Magistratus quoque Chalcidensium ante portas ad colloquium progressus est. Ibi Ætoli hortari vt salua Romanorum amicitia, Regem quoque, qui liberandæ Græciæ causa in Europam venisset, vrbe reciperent: sic fore ab vtrisq; tutos, cum alter alterius iniuriam reprimeret; Romanorū auxilium procul esse, Antiochum cum viribus, quibus resisti non possit, in portis esse.

Ad hæc Mictio vnus de principibus, mirari se dixit ad quos liberandos Antiochus, relicto regno suo, in Europā traiecisset: se quidem nullo libertatis vindice indigere, cū liberi sint: neque præsidio, cum pace ac libertate, populi Romani beneficio perfruantur: se Regis, & Ætolorum amicitiam non aspernari: id autem maximum expetere beneuolentiæ argumentum, si insula quamprimum excedant. Hæc cum Regi, qui ad naues subsisterat, nunciata essent, Demetriadem reuerti placuit: neque enim cum ijs copijs venerat, vt vi agere quicquam posset.

A Magistratu ... excluditur.

XXIX. *Conuentus Achaicus, cum vtriusque partis legatis.*

INDE in Achaia coactum est Concilium, vbi legati Antiochi, & Ætolorū cum Achæis, & T. Quintio côuenerūt. Regis legatus, vt ij solent, quos regiæ opes alunt, vaniloquus, maria terrasque inani sonitu verborum compleuit, amplificandis regijs copijs, opibusque, quibus ad Græciā in libertatem, asserendam vsurus sit. Id autem duntaxat ab Achæis petere, ne vtri vt parti sese adiungant, sed ab vtrisque pacem petant. Idem ferme & Ætolorum legatus Archidamus petijt: deinde prouectus intemperantia linguæ, in Romanos, & ipsum Quintiū inuectus est, ingratos appellans, & exprobrans non victoriam modo de Philippo, virtute Ætolorum partam, sed etiam salutem. Quæ Quintius eleganter in concilio ipso refutauit, vt apud Liu. l. 35. extremo videre est. Omitto enim, veritus ne hæc ipsa quæ affero lōgiorā videantur. In summa concludēs monet, ne

Regis vel Ætolorum vanitati, sed expertæ Romanorum fidei ac fortitudini sese committant. Quod enim illi suadeant neutri se parti addidere, id non solum vanum, sed etiam perniciosum fore, quippe sine gratia, sine dignitate vtriuslibet victoris prædam fore.

XXX. *Achæi stant à Romanis.*

ASSENSERE Quintio Achæi, & ex eius voluntate quingentos milites in Chalcidem, totidem in Pyræeum miserunt. Athenis quippe res fluctuabant, & quidam largitione plebem ad Antiochum trahebant, donec Quintius à primoribus vrbis accitus, res composuit, motumque compressit, eiecto in exilium Apollodoro.

Chalcidem oppugnaturus Antiochus.

Antiochus cum ad Chalcidis præsidium & Achæos & Eumenem milites misisse didicisset, maturandum ratus, vt & præuenirent sui, & venientes si possent exciperent, Menippum cum tribus ferme millibus militum, & cum omni classe Polyxenidam mittit. Ipse paucos post dies sex millia suorum militum, & quod Lamiæ repente colligi potuit, cum paucis Ætolis eodem deducit.

XXXI. *Achæorum Romanorum strages.*

ACHÆI quingenti, & modicum auxilium ab Eumene missum, nondum obsessis itineribus, duce Xenoclide Chalcidensi, Chalcidē peruenerūt. Romani milites quingenti ferme, & ipsi Mictione duce, occupatis iam ab hoste faucibus, omisso ad Aulidem itinere, Delum adiere, inde in Eubœā transmissuri. Ibi palatos milites, & quasi in Asylo securos, Menippus repente adortus cecidit, ad 50. viuos cœpit; perpauci effugerunt; in quibus Mictio parua oneraria naue exceptus, tristitiam Quintio de amisso milite attulit, etsi ea res ad ius inferendi Antiocho belli aliquantū adiecisse videbatur. Sed ea tristitia maior fuit, cum & Chalcidem, & totam Eubœam mox amissam audiuit. Nā Antiochus admoto ad Aulidem exercitu, ea est è regione Chalcidis in Bœotia, cum rursus oratores Chalcidem misisset, qui eadem illa quæ nuper cum minis grauioribus agerent, nequicquam contra Mictione & Xenoclide tendentibus, obtinuit vt portæ sibi aperirentur. Qui Romanę partis erant sub Regis aduentum vrbe excesserunt, & vicina quædam loca occuparunt, vnde mox excedere coacti sunt, Antiochus Romanos quosdam inter captiuos repertos, omnes dimisit: totaque insula, vbi animaduertit Antiochum, quod erat caput Eubœæ, tenere, eius imperium non abnuit.

Eumq; dedi tionem capit.

Zonar.

XXXII. *Hyemem ubi agit.*

MAGNO principio Rex bellum orsus sibi videbatur, quod tanta insula, & tot opportunæ vrbes in suam ditionē, nullo suo damno venissent. Inde Chalcidem maturè ad hyberna concessit: vbi ne interea cessaret, partim ipse mittendis legatis ciuitatum animos solicitabat, partim vltro ad eum veniebant; vt Elei, qui auxilium contra Achæos petierunt, & impetrarunt; vt Epirotæ, qui callide ita Regis gratiam inire volebant, vt tamen Romanos non offenderent. Hi, vt ait Polyb, in excerptis legat. n. 12. initiū sub hyemis ad Antiochum venere, postulantes ne ipsos ante tempus in bellum contra Romanos conijceret, quos videbat vniuersæ Græciæ versus Italiam præiacere, & primos Romanorum armis ac furori expositos. Quod si posset ipse Epiro præsidens, securitatem ipsis præstare, se illum vrbibus & portubus excepturum; sin hoc non statuerit facere in præsentiarū, veniam sibi dari æquum censebant, si bellū à Romanis sibi inferendum metuerent.

Et legationibus vacat.

XXXIII. *Epirotarum legati ad Antiochum.*

HAC legatione, inquit Liuius l. 36. id agentes, vt siue, quod magis credebant, abstinuisset Epiro, integra sibi omnia apud Romanos essent, & conciliata esset apud Regē gratia, quem accepturi fuerant venientē; siue venisset, sic quoque spes veniæ à Romanis foret, quod non expectato longinquo auxilio, præsentis viribus incubuissent. Antiochus respondit Epirotis se ad eos legatos esse missurum, qui de re communiter statuerent. Ipse in vicinam Bœotiā traiecit, & omnibus obuiam effusis Thebas venit, vbi tota gente sibi facilè adiuncta, Chalcidem redijt, indeque missis literis concilium ad Demetriadem indixit, quo & Annibal accitus venit. Ibi consultatum est de Thessalorum gente, quorum voluntatem tentandam esse omnium erat sententia, sed aliqui statim, alij ex hyeme, quæ tunc media erat, in veris principium differendum.

XXXIV. *... consil.*

ANNIBAL nominatim sententiam interrogatus, censuit inanem atque irritam esse harum vrbium aut populorum conquisitionem, qui in vtramlibet partem facile defecturi erant: sed Philippi potius societatem captandam, qui si in eam descenderit, totam belli molem sustinere possit; si non descenderit, esse Lysimachiæ Seleucum Antiochi filium, qui si extrema Macedoniæ depopulari cœperit, eum ad sua defendenda, ab auxilio suggerendo Romanis abducet. De ratione vniuersi belli iterum censuit copias in Italiam vtilius traiectas fuisse; quin & nunc traijci oportere; aliaque id genus, quæ fusius commemorare non est necesse. Nā neq; Teucris Cassādra, neque Annibal Antiocho creditus est; nisi quod copias maiores ex Asia, quod ille censuerat, accersiuisset. Eadem habet Appianus. Inde legati Larissam ad concilium Thessalorum missi sunt, & Ætoli ad exercitum Pheras acciti.

XXXV. *Amittit Philippum & ...*

INTEREA leui quadam re Antiochus à se Philippum alienum reddidit. Dum enim Ætolos operitur, misit Cynocephalas, vbi debellatum cum Philippo fuerat, duo millia suorum, qui ossa Macedonum, qui ibi ceciderant, sepulturæ mandarent. Verum dum beneuolentiam sibi Macedonum conciliare parat, neglecti officij Philippum accusat, & à se ad Romanos penitus auertit, qui ante consilium ea fortuna, & euentu belli capturus esse videbatur. Zonaras aliam etiam rationem affert cur in fide Romanorum Philippus steterit; quod Antiochus ei quædam loca Thraciæ eripuerat. Itaque extemplo ad M. Bœbium Proprætorem misit, Antiochum in Thessaliam impetum fecisse: si videretur ei moueret ex hybernis, se obuiam processurum, vt quid agendum esset consultarent. Interea Antiochus Pheras, post inania colloquia, qualia Chalcide habita erant, oppugnat, atque ad deditionem cogit: similiter & Scotussem cum Larissæorum præsidio. Larissæos inuiolatos Rex dimittit, vt ea gratia Larissam ad deditionem adduceret; ad quam priusquam accederet, plerasque minores vrbes tam ipse quam Ætoli, in suam potestatem redegerant.

XXXVI. *Larissam frustra obsidet.*

INDE Larissam aggredi statuit, ratus vel terrore ceterarum expugnationum, vel beneficio præsidij dimissi, vel exemplo tot oppidorum, quæ deditionem fecerant, in pertinacia non mansuram. Elephantos agi ante signa terroris causa iubet, & quadrato agmine ad vrbem incedit. Ibi Larissæi animis fluctuant inter metum præsentium hostium, & verecundiam absentium sociorum. Antiocheni in varias sententias distrahuntur, alijs vim Larissæ statim afferendam censentibus, alijs aduersam hyemis tempestatem cum omni bello, tum maxime vrbium oppugnationibus inimicam referentibus: sed M. Bæbius consultationem diremit. Is cum Philippo in Dassaretis collocutus, Appium Claudium ad præsidium Larissæ per Macedoniam misit. Qui ad 50. millia ab Larissa castra metatus, latius quam pro copijs, & pluribus quam in vsum erat necesse ignibus accensis, speciem quam quæsierat hosti fecit, omnem ibi Romanum exercitum cum rege Philippo esse. Itaque hyemem Rex apud suos causatus, relicta Larissa Demetriadem redit. Appius, etsi solutam cernebat obsidionem, tamen Larissam ad confirmandos sociorum animos descendit. Rex Chalcidē à Demetriade profectus, ineptis nuptijs & Rex & senex, quinquagenario maiorem fuisse tradit Appian. filiæ hospitis sui conuingitur: inde tempus in conuiuijs & voluptatibus transegit, ducisque exemplum exercitus non difficulter secutus est. Hæc apud Antiochum ad principium vsque veris acta; quæ magna ex parte habet etiam Appianus.

SCOLIUM IN ANNUM MUNDI 3862.

HAnc Cleopatram vocat filiam fœminarum Scriptura Dan. 11. 17. id est, vt plerique exponunt, pulcherrimã fœminam, quomodo, & vertit Tigurina, & habet Varabl. aut pulchram inter fœminas: sicut canticum canticorum dicitur nobilissimum canticũ, quod superlatiui Hebræis careant, & quæ Cant. 1. 7. dicitur pulcherrima inter mulieres, in Hebræo dicitur pulchra in mulieribus. D. Hieron. per pleonasmum filiam fœminarum dici ait pro fœmina, vel virgine, quomodo etiam aliqui verterunt. (1. N. vi.)

ANNUS MUNDI 3863. SEXTÆ AETAtis 347. Imperij Græcorum 121. Antiochi Magni 34. Oniæ III. Pont. 17. Ptolemæi Epiphanis 13. Philippi 30. Olympiadis. CXLVII. Ann. 2. Urbis Cōditæ 562. Coss. P. Cornelio Scipione Nasica, & M. Acilio Glabrione.

(Polyb. Appian. Zonar. M. id est Manio.)

ANNUS ANTE CHRISTUM 190.

I. *Ratio temporis, & apparatus ad bellum.* ERupit hoc deniqne anno bellum inter Antiochum & Romanos, vbi diu inter vtrosque varijs dissimulationibus, legationibus, apparatibus tractatũ fuisset. Confirmat hanc Chronologiam M. Cato, apud Tullium de senectute, vbi ait se ad Thermopylas Acilio Glabrione Consule, quarto à suo consulatu anno, Tribunum militum, aut potius legatum, pugnasse. Timor porro, & cura Antiochini belli effecerat, vt præmature Coss. designarentur. Cum primum autem magistratum inierunt, Patres priusquam de prouincijs agerent, Consules res diuinas agere maioribus hostijs iusserunt: cumque omnia sacrificia læta essent, aruspicesque responderent, eo bello terminos populi Romani propagari, victoriam ac triumphum ostendi, Patres rogari iusserunt populũ, vellent iuberẽtue cum Antiocho, & qui eum affectarentur, bellum geri. Rogauit Cornelius Consul, & populo probauit, quod suadebat.

II. *Prouinciæ & copiæ definiuntur.* TUM Senatus decreuit vt Coss. Italiam, & Græciã prouincias sortirentur, & cui Græcia euenisset, vt præter eum numerum militum, quem L. Quintius nuper in eam prouinciam, ex autoritate Senatus scripsisset, imperassetue, M. etiam Bœbij Prætoris copias, quæ essent in Græcia acciperet; eidem extra Italiam permissum, vt si res postularet, auxilia à socijs, ne tamen supra quinque millia, acciperet. L. etiam Quintium superioris anni Consulem, legari ad id bellum placuit.

Alter Consul cui Italia prouincia euenisset, cum Boijs iussus est bellum gerere, vtro exercitu mallet ex duobus, quos superiores Consules habuissent; alterum vt mitteret Romam: eæque Vrbanæ legiones essent paratæ, quo Senatus censuisset. Si qua nimium accepta clades repente nouum delectum exigeret.

III. *Pietas ac prudentia Senatus.* Ex his facilè intelligitur egregia quædam Senatus pietas, atque prudentia, quando tanto studio diuinam conatur de bello suscipiendo exquirere voluntatem: & illa quantum licuit explorata, omnia nihilominus ingenti cura ac studio præparat ad victoriam necessaria, omnesque euentus præcauet. Prudenter quoque Consulis alterutrius inuidiam sortitione vitat: & ne quid cuiuspiam gratiæ dedisse videatur, ante sortitionem, quæ in bellum necessaria sunt, destinat: vt rem ipsam non personas considerasse intelligatur.

IV. *Reliquum belli apparatus.* His paratis Acilio Græcia, Cornelio Italia sortitione obtigit. Certa deinde sorte SC. factum est, vt supplicationes huius belli causa Consules imperarent, vota etiam Ioui facerent, quæ Consul nuncupauit Pontifice max. de more in verba præeunte.

AD eundem Græci belli apparatum pertinuerunt copiæ. priore anno ex Senatusconsulto à L. Quintio Brutijs destinatæ, quæ A. Cornelio Mammulæ, cui ea prouincia obuenerat, traditæ sunt. Classis quoque C. Liuio Prætori obtigerat. Is iussus est cum triginta nauibus paratis traijcere in Græciam primo quoque tempore, & ab Atilio naues, quibus in Græcia præerat, accipere. Veteres etiam naues, vt reficeret & armaret, M. Iunio Prætori negotium datum est, legati etiam frumenti causa non in Siciliam modo, & Sardiniam, sed in Africam quoque & Numidiã missi.

Omnibus iam satis comparatis M. Acilius consul edixit partem vnam copiarum Brundusium Idibus Maijs cōuenire, is est eiusdem mensis 15. ipse ad quintum nonas Maias, is est 3. eiusdem, paludatus vrbe egressus est.

V. *Auxilia Romanis offerri à Ptolemæo.* SUB idem tempus legati à duobus regibus Philippo, & Ptolemæo Ægypti rege Romam venerunt, pollicentes ad bellum auxilia, pecuniam, frumentum; ab Ptolemæo etiam mille pondo auri: nihil tamen est acceptum, gratiæ regibus actæ: & cum vterque se cum omnibus copijs in Ætoliam venturum, belloque interfuturum polliceretur: Ptolemæo id remissum. (*Et Philippo.*) An quia dubium erat auxilium, & aliquis præuaricationis metus, in eo bello, quod contra Socerum eius Antiochum gereretur? Etsi autem auxilia extra Italiam vix accipiebant, Philippi tamen legatis responsum est, gratum eum Senatui populoque Romano facturum, si M. Acilio Consuli non defuisset. Sub idem tempus Carthaginiensiũ & Masanissæ legati Romam venerunt, ingentem vtrique vim frumenti dono offerentes, quod Romanus se accepturum negauit, nisi pecuniam reciperent. (*Carthaginenses.*) Carthaginenses classem suo sumptu comparaturos pollicebãtur, & pecuniam quam aliquot adhuc annos deberẽt, præsentem numeraturos spondebant. Romani de classe remiserunt, nisi quod nauium ex fœdere deberent, pecuniã nullam se ante diem accepturos. (*Masanissa.*) Masanissæ tamen quingentos equites, & elephantos viginti, quos se ille ad Consulem in Græciam missurum dicebat, non recusarunt.

VI. *Vterque pars aliquas occupat.* SUB veris initium Antiochus Naupactum Ætoliæ venit, ibique concilio habito, magnam Acarnaniæ partem, vel fraude, vel deditione accepit, indeque Chalcidem repetijt. Philippus viceuersa, & M. Bæbius alias vrbes tum occupauerunt, tum occupatas deditione receperunt. Per eos forte dies M. Acilius Consul cum decem millibus peditum, duobus millibus equitum, quindecim elephantis mari traiecto (Appianus ait traiecisse Brundusium, cum duobus equitum millibus, peditum viginti millibus, & aliquot elephantis) pedestres copias Larissam ducere iussit militum tribunos, ipse cum equitatu Limnæam ad Philippum regem venit. (*Larissa deditur.*) Aduentu Consulis deditio sine cunctatione est facta, traditumque præsidium regium, & cum ijs Athamanes. Idem Bellinæi factum, & præsidij præfectus Philippus Magalopolitanus, in vincula coniectus, mox & Romam missus est, Consul Philippo ad 3000. captiuos dedidit.

VII. *Philippus Athamaniam obtinuit.* PHILIPPUS, Athamanum præcipue captiuis indulgenter habitis; vt per eos conciliaret gentem, nactus spem Athamaniæ potiundæ, exercitum eo duxit, præmissis in ciuitates captiuis, qui liberalitatem & clementiam regis erga se commemorantes, populares suos ad Philippũ inclinarunt. Quod animaduertens Animander eorum Regulus Philippo & Romanis ob defectionem infensus, cum coniuge & liberis regno excessit, Ambraciamque se contulit. Atque ita Athamania omnis in ius ditionemque Philippi concessit.

Consul Larissam est profectus, de summa belli consultaturus, vbi paucis diebus exercitui reficiendo datis, Cranonem adijt. In via nonnulla Thessaliæ oppida, præsidiaque sese ei dediderunt: ex militibus mille volentes Philippo dedidit, reliquos inermes Demetriadem remisit: inde alia etiam oppida & castella, aut vi, aut deditione accepit.

VIII. *Antiochi circa bellum socordia.* CUM hæc agebantur, Chalcide erat Antiochus, qui iam tum cernens nihil se ex Græcia præter amœna Chalcide hyberna, & infames nuptias petijsse, Ætolorum vana promissa incusare, & Thoantem: Annibalem verò non vt prudentem tantum virum, sed vt prope vatem omnium quæ tum euenirent, admirari. Ne tamen temere cœpta, ipse segnitia euerteret, nuncios in Ætoliam mittit, vt omni contracta iuuentute conuenirent, & ipse eo decem millia

peditum,

Et obſidet Heraclea.

impetrare diffidebant. Ergo Conſul caſtra ab Thermopylis ad Heracleam mouit, in radicibus Oetæ montis ſitam, eamque contemplatus, quatuor ſimul locis aggreſſus vrbem eſt; ſingulis locis ſingulos duces præfecit, qui variatis militum ſuorum ſtationibus, dies noctesque vrbem, ipſos quatuor & viginti dies oppugnarunt. Aetolos rerum deſperatio fatigari non patiebatur, ſed addidit fraudem Atrilius, qua vi be potitus eſt.

XVII. *Quam etiam expugnat.*

MEDIA nocte receptui ſignum dedit, & ab oppugnatione ſimul omnes milites vſque ad tertiam vigiliam deduxit. Id cum aliquoties factum eſſet, Aetoli rati quieſcentibus Romanis, ſe quoque poſſe quieſcere, ſtationem deſerebant, nec ante horam tertiam in muris apparebant. Tandem ex tribus partibus renouata oppugnatione, vna quieſcere iuſſa, ad ſignum vſque datum, Aetoli ad eas partes, quæ oppugnabantur feruidi concurrebant; quarta nec oppugnabatur, nec defendebatur; donec apperente die ſignum Conſul dedit, & ſine vllo certamine, partim per ſemiruta, partim ſcalis integros muros tranſcendere.

Et arcem deditione accepit.

Simul atque clamor, index capti oppidi, eſt exauditus, vndique Aetoli deſertis ſtationibus in arcem fugiunt, oppidum diripitur, moxque arx ipſa Romanis dedita eſt, Deditur etiam Damocritus, qui à principio belli admodum ſuperbe T. Quintio reſponderat, imo & minas de locandis ad Tiberim caſtris intentarat. Eadem Zonaras, & Appianus, de quo iterum anno ſeq. Interea Philippus, qui Lamiam expugnare conabatur, ceſſare ab oppugnatione iuſſus eſt, ne præmium Romanæ induſtriæ ac laboris ipſe acciperet: quo parente obſeſſi fugerunt, ciuitas deſerta in poteſtatem Romanorum venit.

XVIII. *Aetoli vrgent Antiochum.*

PAVCIS diebus priuſquam Heraclea caperetur, Aetoli concilio Hypatæ coacto, legatos ad Antiochum miſerunt, inter quos & Thoas idem, qui ante miſſus fuerat. Mandata erant, vt ab rege primum peterent, vt ipſe coactis iterum terreſtribus, naualibuſque copiis, in Græciam traiiceret, aut certe pecuniam & auxilia mitteret; ni faceret, Romanos deuictis Aetolis nemine repugnante in Aſiam traiecturos. Vera vtique dicebant, quod Rex quoque ſatis intelligebat. Itaq; primum pecuniam miſit, mox etiam ſe copias miſſurum ſpopondit, quas & Thoas in Aſia retentus expectauit. Cæterum Heraclea capta fregit tandem animos Ætolorum: & paucos poſt dies à legatis miſſis, abiectis belli conſiliis, pacis petendæ oratores ad Conſulem miſerunt, qui rem agitandam L. Valerio Flacco, datis decem dierum induciis commiſit. Is Aetolis autor fuit, omiſſa omni fœderum, & antiquorum meritorum memoria, vt toti ad culpæ confeſſionem, & preces conuerterentur; in ſola quippe populi Romani clementia ſalutem ipſorum ſitam eſſe, ſuppliciter agentibus, ſe eis & apud Conſulem, & in Senatu Romæ adfuturum.

Mox pacis conſilia ineunt.

XIX. *Legati ad Conſulem miſſi.*

POSTEA quam ad Conſulem ventum eſt Phaneas legationis princeps, longam orationem, & ad iram victoris mitigandam compoſitam, ita finiuit vt diceret, *Aetolos ſe ſuaque omnia fidei populi Romani permittere*, exiſtimans id eſſe, optare ſe victoris clementiam experiri, non autem eius ſe arbitrio permittere; vt clarius explicat Polybius in legationibus n. 13. Itaque Acilius, qui poſteriorem ſenſum accipiebat. *Etiam atque etiam videte*, inquit, *Aetoli, vt ita permittatis.* Tum Phaneas decretum, in quo id diſerte ſcriptum erat, oſtendit, (nimirum phraſim eam ex L. Valerio acceperant.) Quando ergo, inquit Conſul, ita permittitis, poſtulo vt mihi Dicæarchum ciuem veſtrum, & Menetam Epirotam (Naupactum is, cum præſidio ingreſſus ad defectionem compulerat) & Animandrum cum principibus Athamanum, quorum conſilio à nobis defeciſtis, ſine mora dedatis. Addit Polybius prohibitos Aetolos in Aſiam tranſire, neque publice, neque priuatim. Nonnulla eſt etiam in propriis vocabulis diuerſitas. Nam Conſulem Polybius vocat Manium, & Epirotam illum Meneſtrarum, regem, Aminandrum, oratorem, Phæneam.

Se Romanis permittunt.

XX. *Qua ab eo Conſul exigat.*

PROPE dicentem interfatus Romanum Phaneas, non in ſeruitutem, inquit, ſed in fidem tuam nos tradimus; & certum habeo te imprudentia labi, qui nobis imperes, quæ moris Græcorum non ſunt. Ad hæc Conſul, nec Hercule, ait, magnopere nunc curo, quid Aetoli ex more Græcorum factum cenſeant, dum ego more Romano imperium id habeam in deditos modo decreto ſuo, ante armis victos. Itaque ni propere fit quod impero, vinciri vos iam iubeo. Afferrique catenas & circumſiſtere lictores iuſſit: addit Polybius, & boiam ferream cuiuſque illorum collo aptari. Territus Phaneas, dixit ad hæc decernenda concilio Aetolorum opus eſſe, & ad id 10. dierum inducias petiit, quas annitente Flacco impetrauit. Ea res cum Hypatæ à delectis audita eſſet, ingemuere videlicet conditioni ſuæ: parendum tamen victori cenſebant, & ex omni Aetolia conuocandos ad conſilium.

XXI. *Bellum iterum publice decernunt.*

ID cum factum eſſet, ſæuitia imperij, atque indignitate exaſperati multitudinis animi bellum maluerunt; præſertim cum Regem Animandrum in ſua poteſtate non haberent. Ad bellum autem magnum momentum attulit Nicander eo tempore ab Antiocho rediens, cum pecunia, quam detulerat Lamiam, & affirmans terra marique ab eo bellum parari. Philippi etiam erga Aetolos animum placatum eſſe experientia ipſe ſua, & eius affirmatione demonſtrauit. In eius quippe manus Lamia digreſſus inciderat, qui ſuo nomine Aetolis mandarat, vt ſe ipſi tandem reſpicerent, poſt longam amantiam; quæ eos primo ad accerſendos in Græciam Romanos, deinde Antiochum impulerat: & prætertotum obliti amicitiam mutuo colerent, neque vellent aduerſis rebus ſuis inuicem inſultare, atque inſidiari. Hæc Polybius in Legat. quæ paulo aliter habet Liuius: neque enim ſignificat Philippum Aetolis aditum ad amicitiam ſuam patefeciſſe, & quodammodo mutuam ambiuiſſe. Idem ſignificat etiam Zonaras, cum ait Philippum Romanorum amicitiam ſimulaſſe, cum Antiocho clam ſtuderet.

XXII. *Naupacti ſe muniunt.*

ERGO proximo decreto antiquato, Ætoli Naupactum concurrunt, illudque ad ſuſtinendum Romani belli impetum vndique communiunt.

Vbi à Romanis obſidentur.

Quibus cognitis, Conſul præmiſſo Appio Claudio cum quatuor millibus militum, ad occupanda montium iuga, quà difficiles erant tranſitus, Oetam aſcendit, in qua crematus fuerat Hercules. Inde ad Coracem venit montem inter Naupactum & Callipolin, vbi & iumenta multa cum oneribus præcipitata, & homines vexati. Ex quo ſatis apparebat, quam inerti cum hoſte res eſſet, qui tam impeditum ſaltum nullo præſidio, vt clauderet tranſitum, inſediſſet. Tum quoque vexato exercitu ad Naupactum deſcendit, & vno caſtello aduerſus arcem poſito, cæteras partes vrbis diuerſis copiis, pro ſitu mœnium, circumſedit. Interea Quintius Meſſenem, ſoluta iuſſu eius obſidione, Achæorum ſocietati aggregat, quæ ante Ætolis fauebat, & Zacynthum inſulam Romanis, quaſi belli præmium, vendicat ab Achæis.

XXIII. *Philippus aliquot loca recipit, et iam Demetriadem.*

PHILIPPVS Romanorum permiſſu, cum aliquot alia oppida, quæ à Romana ſocietate defecerant, tum in primis nobilem Theſſaliæ vrbem Demetriadem recepit, omni quippe ſpe deſtituta erat. Antiochus fugiens eos deſeruerat, Ætoli nihil tum poterant, & dies noctesque aut Philippi hoſtis aduentum, aut infeſtiores etiam, quo iuſtius irati erant, Romanos expectabant. Itaque præmiſſis à Philippo, qui ſpem veniæ oſtendebant, reſponderunt portas Regi patere. Ad primum eius ingreſſum quidam principum vrbe exceſſere. Eurylocus mortem ſibi conſciuit: Antiochi milites ex pacto Lyſimachiam deducti, naues quæ aderant dimiſſæ.

XXIV. *Quintius Aetolorum miſeretur.*

INTEREA Quintius Zacintho Naupactum traiicit, quæ iam per duos menſes, ſed imminebat excidium, oppugnabatur, & ſi capta vi foret, omne Aetolorum nomen ad internecionem peribat. Itaque ſuæ gloriæ intereſſe ratus nullam gentem liberatæ à ſe Græciæ funditus euerti, etſi cauſas irarum habebat iuſtiſſimas, tamen miſericordia etiam motus, dum muris obambulabat, agnoſcitur, & concurſu facto conſono clamore Quintium obſecrant, vt opem ferat, ac ſeruet. Is Conſulem adit & monet male poni tempus in duabus vrbibus tanto tempore oppugnandis, Heracleam & Naupactum intelligebat, dum Philippus plures iam ſibi gentes adiunxiſſet; neque tam

interesse Reip. Rom. Aetolos exscindere, quam non permittere Philippum nimium crescere. His auditis, etsi pudebat Consulem irrito incepto Naupacto discedere, totam tamen rem Quinctio permisit.

XXV. *Eum adeunt consiliarii.*

Ille ad eosdem rediens muros, audit vociferantes Ætolos, vt gentis suæ misereretur; & exire aliquos ad se iussit. Phaneas ipse, principesque alij egressi, ad eius pedes prouoluuntur. Quibus leniter pro præsentis fortunæ conditione increpitis, monet vt oratores ad Consulem, induciarum causa mittant, in id tempus, quo mittere legatos Romam possent, per quos Senatui sese permitterent. Ita factum, & impetratum deprecatore Quinctio,

Legati ab Epirotis, & Philippo.

certi dies ad legationem dati, obsidio soluta est, exercitus in Phocidem missus. Eodem tempore & legati ab Epirotis reconciliationis causa missi, Philippus autem gratulatoriis misit. Oraruntque vt sibi sacrificare in Capitolio, donumque ex auro liceret ponere in Æde Iouis. Permissione Senatus habita, legati coronam auream centum pondo posuerunt, id est, decem millium coron. Nec responsum solum benigne legatis est, sed Philippi quoque

Philippo filius Demetrius redditur.

filius Demetrius, qui obses Romæ erat, ad patrem deducendus legatis datus est. Hæc Acilius contra Antiochum, & Ætolos hoc anno. Nunc quæ contra eundem mari à C. Liuio gesta sint, videamus. Habet ea Liuius lib. 36. extremo.

XXVI. *Annibal persuadet Antiocho Romanorum transitum in Asiam.*

Antiochvs ex Græcia elapsus securus admodum de Romano bello agebat, tanquam non transituris in Asiam Romanis, & illam securitatem ipse sibi, adulatoresque fingebant. Annibal vnus, qui maximæ rum autoritatis erat, Regem ab ea spe deterrebat. Id duntaxat mirari se dicens, quod tandiu distulissent. Fide habita, Rex ipse, cum nauibus quæ instructæ, & paratæ erant, Chersonesum petiit, vt ea loca, si forte terra venirent Romani, præsidiis firmaret: cæteram classem Polyxenidam parare, & deducere iussit, speculatorias naues per omnes insulas, ad omnia exploranda dimisit. Huic classi interfuisse etiam Annibalem, imo & cum Polyxenida præfuisse autor est Florus,

l. 4. c. 20.

cui assentitur Orosius: sed hanc pugnam naualem Florus cum alia cui præfuit, nam C. Liuius, sed Æmylius Regillus videtur confundere.

XXVII. *Liuius Romanæ classi praefectus.*

At C. Liuius præfectus Romanæ classis, cum 50. nauibus tectis Roma profectus est Neapolim; quo ab sociis eius oræ conuenire iusserat apertas naues, quæ ex fœdere debebantur. Siciliam inde petit, fretoque Messanam prætervectus, cum sex Punicas naues ad auxilium missas accepisset, Corcyram venit: vbi de belli statu percunctatus, postquam audiuit Thermopylarum statum, in statione Consulem ac regem esse, Classem Pyræei stare, maturandum ratus, pergit protinus nauigare Peloponnesum: a &

a ea Cephalenia en Ptol. & Ortel.

Samum, Zacynthumque, quia partis Ætolorum maluerant esse, depopulatus, Maleam petit; indeque paucis diebus ad veterem classem Piræeum peruenit. Ibi ab Attilio Romam repetente, quinque & viginti tectas naues accepit. Moxque cum vna & octoginta rostratis nauibus, & multis aliis minoribus Delum traiecit, vbi eum aduersi venti per aliquot dies tenuerunt, quo tempore Naupactum Consul oppugnabat.

XXVIII. *Regis de pugna naualis deliberatio.*

Id cum per speculatorias naues Polyxenidas didicisset, nuncios ad regem misit; qui omissis, quæ in Hellesponto agebat, cum rostratis nauibus, quantum accelerate potuit, Ephesum rediit, & concilium extemplo habuit, faciendumne periculum naualis certaminis foret. Polyxenidas censuit pugnandum, & vtique prius, quam naues Eumenis, & Rhodiorum iungerentur Romanis. Ita numero non fore se eis impares, cæteris autem rebus superiores; celeritate nauium in primis, cum Romanæ commeatu grauarentur, atque inscite fabricatæ essent, minusque eis nota essent loca terrarum atque marium, vbi concurrendum esset. Mouit omnes autor consilij, quod ipsemet executurus erat. Biduum in apparatu morati, tertio die C. nauibus, ducentas habet Appianus, quarum 70. tectæ, cæteræ apertæ, ac minoris formæ erant, profecti Phocæam petierunt. Est ea vrbs in Æolide, iuxta Smirnam apud Ptolemæum.

Inde cum audisset Rex appropinquare iam classem Rom. quia non interfuturus erat nauali certamini, Magnesiam concessit, ad terrestres copias comparandas. Classis ad Cyssuntem portum Erythræorum, tanquam ibi aptius hostem expectatura contendit. Romani quoque

XXIX. *Conueniunt ambæ classes.*

vbi primum aquilones cecidere, à Delo Phanas, (Phaneam extremam insulæ Chiorum vocat Ptolem.) petierunt, vbi sumpto commeatu Phocæam traiiciunt. Eo venit etiam Eumenes ab Elæa cum 24. nauibus tectis, & pluribus apertis, dum Romani nauale certamen instituunt. Appianus ei 50. naues attribuit, quarum media pars stratæ erant.

XXX. *Præludium pugnæ.*

Postqvam vtraque acies in conspectum venit, duæ naues Punicæ antecedebant Romanam classem, quibus obuiæ fuerunt tres regiæ naues, & vt in numero impari duæ regiæ vnam circumsistunt; & primum ab vtroque latere remos detergunt, deinde transcendunt armati, & deiectis cæsisque propugnatoribus nauem capiunt: vna quę compari marte concurrerat, priusquam à tribus circumueniretur ad suos se recepit. Appianus ait vtramque nauim captam, sed inanem, Afris in mare prosilientibus. Liuius indignatione accensus, prætoria naue in hostes tendit, aduersus quam eadem spe duæ, quæ Punicam circumuenerant, cum inferrentur, demittere in aquam remos ab vtroque latere remiges, stabiliendæ nauis causa iussit, & in aduenientes hostium naues ferreas manus iniicere, & meminisse Romanæ virtutis. Ita factum, & facilius vna duas naues expugnauit, & cepit, quam paulo ante duæ regiæ vnam vicerant. Et hoc pugnæ quasi præludium fuit.

XXXI. *Pugna & fuga nauium regiarum.*

Et iam classes quoque vndique concurrerant, cum Eumenes qui postremus inchoato certamine aduenerat, vt vidit læuum cornu hostium à Liuio turbatum, dextrum ipse, vbi æqua pugna erat, inuadit; nec ita multo post primum à læua fuga cæpit. Polyxenidas enim vt virtute militum superari se vidit, sublatis dolonibus effuse fugere intendit: idemque mox fecerunt, qui cum Eumene ad dextrum cornu prope terram contraxerant certamen. Romani & Eumenes, quoad sufficere remiges potuerunt, satis pertinaciter secuti sunt: at pugna superiores, fugiendi celeritate victi sunt; nec prius regii fugiendi finem fecerunt, quam in portum Ephesinum peruenirent. tredecim tamen naues Romani, cum milite ac remige ceperunt, decem demersę vna tantum Punica nauis è classe Romana à principio pugnæ à duabus circumuenta periit.

XXXII. *Accedunt Rhodia classis.*

Manservnt eo die Romani vnde egressa regia classis erat. Postero die cum hostem persequi intenderent, medio fere in cursu, obuiæ fuerunt quinq; & viginti tectæ Rhodiæ naues, cum Pausistrato præfecto classis: his adiunctis hostem Ephesum persecuti, ante ostium portus acie instructa steterunt. Postquam confessionem victis satis expresserunt, Rhodii & Eumenes domos dimissi, Liuius Canas ad hyberna concessit.

Regij frustra prouocantur ad pugnam.

Hoc anno M. Fuluius Nobilior, qui biennio ante Prætor in vlteriorem Hispaniam erat profectus, ouans vrbem est ingressus, indeque multum auri argentique præ se tulit.

XXXIII. *Scipio Nasica contra Boios feliciter pugnat.*

Alter Consul P. Cor. Scipio Nasica, in prouinciam profectus, Cn. Domitio ei exercitum tradente, in agrum Boiorum legiones induxit, & cum iis signis collatis egregie pugnauit; duodetriginta millia hostium cæsa Antias Valerius scribit, capta tria millia & quadringentos, signa militaria 124. equos 1230. carpenta 247. Ex victoribus 1484. cecidisse. Vbi vt in numero scriptori parum fidei sit, ait Liu. l. 36. quia in augendo non alius eo intemperantior, magnam tamen victoriam fuisse apparet, quod & castra capta sunt, & Boii post eam pugnam extemplo dediderunt sese, & quod supplicatio eius victoriæ causa, decreta à Senatu, & maiores hostiæ cæsæ. Obsides à Boiorū genteConsul accepit, & agri parte fere dimidia eos mulctauit, quo Romani colonias si vellent traducerent.

XXXIV. *Triumphum petit.*

Ipse dimisso exercitu ad diem triumphi Romam venit, petiitque expositis de more in æde Bellonæ Senatui rebus à se gestis, vt triumphanti in vrbem inuehi liceret, Sempronius Blęsus non negandum triumphum, sed differendum putabat, donec à Q. Minucio, qui tertium iam

annum

Imperii Græc. an. 522. *Et imperat.*

annum apud Ligures moras trahebat, debellatum esset; iunctas esse prouincias hostesque, conuenire vt vtriusque honor victoriæ ingereretur, nec triumphi sine causa multiplicarentur. Consul tamen cum consentientem sibi haberet Senatum, cumque docuisset res plane disparatas esse, & ea gesta à se, quæ triumphum summo iure postularent, & militem victorem ea fraudatione honoris, nequaquam alteri bello conficiendo operam daturum, eius autoritate Tribunus pl. intercessionem remisit.

XXXV. *Triumphus.*

Ergo Scipio de Boiis triumphauit. Postero die concione aduocata de rebus ab se gestis, & de iniuria Tribuni, bello alieno se alligantis, vt suæ victoriæ fructu se defraudaret, cum disseruisset, milites exauctoratos dimisit.

Res à Minucio in Insubres gesta.

Nec tamen nihil agebat Q. Minutius proconsul apud Insubres. Nam cum hi lege sacrata coacto exercitu (ea maxima vis erat ad cogendum ad militiam, vt docet Liuius l. 34.) nocte improuisa castra eius aggressi essent, Minucius vsque ad lucem intra vallum milites instructum tenuit, intentus ne quà hostis munimenta transcenderet. Prima luce duabus simul portis eruptionem fecit. Nec primo impetu, quod sperauerat, Ligures pulsi sunt. Duas amplius horas dubium certamen sustinuere. Postremo cum alia ex aliis agmina erumperent, & integri fessis succederent ad pugnam, tandem Ligures, inter cætera etiam vigiliis confecti, terga dederunt. Cæsa supra quatuor millia hostium; ea Romanis, sociisque minus trecenti perierunt.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3863.

L. N. xxxv. Scipio cum triumpho Gallicis carpentis arma, signaque, & spolia omnis generis transuexit, & vasa ænea Gallica & cum captiuis nobilibus, equorum quoque captorum gregem traduxit. Aureos torques transtulit 1470. Ad hæc auri pondo 245. id est, viginti quatuor millia, & quingentos coron. Argenti facti infectique 2340. id est, 23740. coron. Militibus, qui currum secuti sunt, trecentos viginti quinque asses singulis distribuit. id est, centum tredecim solid. nouem den. vt Cenalis computat, qui istiusmodi asses æstimat quatuor den. ½. duplex dedit centurioni, id est, vndecim franc. 7. solid. triplex equiti, id est, 17. franc. 1. solid. 3. den.

ANNVS MVNDI 3864. SEXTÆ ÆTATIS, 348. Imperii Græcorum 522. Antiochi Magni 35. Oniæ III. Pontific. 18. Ptolemæi Epiphanis 14. Philippi Macedonum 31. Olympiadis CXLVII. an. 3. Vrbis Cond. 563. Coss. L. Cornelio Scipione & C. Lælio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 193.

I. *Res anni breuiter.*

Præcedens annus Antiochini belli præludium fuit; hic habet consummationem, & variarum rerum, variante fortuna concursionem. Ætoli Antiochi socij male à Romanis accipiuntur; Aegyptij Romanis contra Antiochum quantumuis coniunctum fauens; Rhodia classis à Polyxenida Rhodio, eodemque regiæ classis præfecto profligatur; Hellespontus à Romanis metu deseritur; Seleucus Eumenem vexat, & vicissim ab Achæis vexatur; Consilia pacis frustra ab Antiocho tentantur. Phœnicia classis Antiochi, in qua erat Annibal, tota ferme à Rhodiis profligatur. Idem Antiochus Prusiam Bithyniæ sibi adiungere regem frustra conatur, & insuper ingenti clade nauali afficitur, & Thracia temere deserta ingressum in Asiam Romanis permittit: vbi pacem iterum iis conditionibus petit, quas ab ipso belli initio Romani postularant; sed eum longe duriores proponerentur, vltimum prælium parat, easque victus libenter admittit. In harum rerum compendiosam narrationem vt ingrediamur, ab ipsa vrbe ducamus initium.

II. *Consules anni.*

Superioris anni exitu creati sunt Coss. L. Cornelius Scipio frater Africani, & rerum gestarum socius; sicut & C. Lælius, quem Nepotem nonnulli cognominant, et torä opinor ex Fastis otto, vbi C. Lælius dicitur C. F. C. Nepos; cum N. tantum esse debuerit, iuxta communem aliorum morem: forte quia vacuum erat spatium; certe nullus antiquiorum id cognomen agnoscit; cui id Scaliger antiquitate donauit in Eusebio Græco. In recent. ne Onuphrius quidem, aut Sigonius, qui maxime Fastis addicti sunt, neque ante eos Cuspinianus, Glareanus, Functius; neque post Gordonus, Greillius, Genebrard. id cognomen recepere. Nec possunt id probare recentiores aliquot sectarij, nisi ex lapide mendoso. Cassiodorus & Marianus eum vocarunt Africanum, quos secutus est Functius. Quid si legendum est Africani, vt sicut dicitur Euseb. Pamphili, sic dicatur Lælius Africani, nimirum amicus ac comes in Hispania, & Africa: quod probat Pighius.

L. Scipio in Antiochum proficiscitur. *Scal. Tempor. Caluis. Casaub. Capel.*

III. *Ætoli Romæ male excipiuntur.*

Cum primum Coss. magistratum inierunt, nulla prius, secundum legiones acta in Senatu res est, quam de Ætolis, vt scribit Liuius, vrgentibus eorum legatis, quia breuem induciarum diem habebant, & à T. Quintio, qui tum Romam redierat, adiuti sunt: postquam variis interrogationibus in Senatu fatigati sunt, excedere Curia iussi, magnum certamen præbuere. Plus iræ quam misericordiæ eorum causa suggerebat, quia non vt hostibus modo Patres, sed tanquam indomitæ, & insociabili genti succensebant. Ad extremum cum per aliquot dies certatum esset, neque dari, neque negari pacem placuit: duæ conditiones eis datæ sunt, vel Senatui liberum arbitrium de se permitterent, vel mille talentûm darent, eosdemque haberent amicos & inimicos. Exprimere cupientibus, quarum rerum in se arbitrium Senatus postularet, nihil certi responsum est, ita infecta pace dimissi, vrbe eodem die, Italia intra quindecim dies excedere iussi sunt. Eadem fere habet Polybius, in Legat. n. 16.

Euboics 1400000. franc. Attica 1050000. franc.

IV. *Bellum Antiochenum L. Scipioni committitur.*

Tum de Consulum prouinciis cæptum est agi, ambo Græciam cupiebant; & quia Lælius multum in Senatu poterat, à Collega petiit, vt id arbitrio Senatus, quam sorti mallet permittere. Scipio respondet, se cogitaturum quid sibi faciendum esset; fratrem autem Africanum vnum consuluit, qui ei autor fuit rem Senatui permittere. Renunciat Collegæ facturum se, quod is censeret. Senatu in re aut noua, aut obsoleta suspenso, Africanus dixit, si L. Scipioni fratri suo Prouinciam Græciam decreuissent, se ei legatum iturum. Hæc vox magno assensu audita sustulit certamen: itaque prope omnes Scipioni Græciam, Lælio Italiam decreuerunt. Appianus ait L. Scipionem inexercitatum fuisse, & rerum bellicarum imperitum: quod nequaquam dici potest, qui tot annis cum fratre in Hispania, & Africa militasset, & res præclare gessisset; vt ex Liuio l. 28. & 29. constat. Eodem modo ait Romanos nondum fuisse rei nauticæ peritos, cum nauali certamine contra Polyxenidam pugnarunt; cum iam ab initio primi belli Punici, tot classibus victores fuerint, & illum ipsum Polyxenidam superiore anno ad fugam compulerint.

V. *Romana classis Præfectus.*

Classis porro L. Æmylio Regillo Prætori obtigit, isque C. Liuio Salinatori successit. Ad eum autem exercitum, quem Scipio ab Acilio Glabrione exconsule accepturus erat, qui erat duarum legionum, in supplementum addita peditum ciuium Romanorum tria millia, equites centum, & sociûm Latini nominis quindecim millia equites ducenti: & adiectum vt cum in prouinciam venisset, si è Rep. videretur esse, exercitum in Asiam traiiceret.

Copiæ huius belli.

Sub illud porro tempus, quo prouinciæ Romæ distribuebantur, principes Ætolorum tres & quadraginta, inter quos Damocritus, & frater eius erant, qui in expugnatione Heracleæ capti fuerant, Romam deducti sunt, à duabus cohortibus à M. Acilio missis, & in Latomias coniecti: cohortes inde ad exercitum redire L. Cornelius Consul iussit.

Alteri Consuli totus nouus exercitus decretus, duæ legiones Ro. & sociorum Latini nomine 15. millia, equites sexcenti. Exercitum ex Liguribus Q. Minucius traducere in Boios, & P. Cornelio proconsuli tradere iussus est, iam enim confectum in prouincia bellum scripserat, & Ligurum omne nomen in deditionem venisse.

VI. *Legati Ægypt. ad Romanos.*

Legati quoque ab Ptolemæo & Cleopatra regibus Ægypti venerunt, gratulantes quod M. Acilius Consul Antiochum regem Græcia expulisset, adhortantesque vt in Asiam exercitum traiicerent; omnia perculsa metu esse,

erit, non in Asia modo, sed etiam in Syria. Reges Ægypti ad ea quæ censuisset Senatus, paratos fore. Gratiæ regibus actæ, legatis munera dari iussa, in singulos quaterna millia æris. Cæterum non sine causa miratur Glareanus generum & filiam Romanis gratulari soceri, & patris cladem, & hortari ad regnum eius inuadendum. Nimirum, vt scribit D. Hieron. affinitas hæc in ruinam Ægypti contracta erat; sed Cleopatra maluit coniugi fauere quam patri. Itaque eius consilia marito patefecit: ex quo alienati sunt animi, & iure affinitatis, & consanguinitatis violato, procuratum vt Romani, eius viribus debilitatis, impotentem ad inuadendam Ægyptum redderent.

Gener in socerum.

VII. *Aetoli bellum in Romanos instaurant.*

P. Cornelius edixit pro concione militibus, vt Idibus Quintilibus Brundusium conuenirent. Tantus autem fuit huius expeditionis fauor, præsertim Africano in ea legatum fratris agente, vt ad 5. millia voluntariorum, ex Romanis sociisque, qui emerita stipendia sub P. Africano habebant, præsto fuerint exeunti consuli & nomina dederint. Ipse omnibus paratis paludatus ex vrbe est profectus, eodemque tempore ad quintum Idus Quintiles, qui est dies vndecimus Iulij, cælo sereno interdiu obscurata lux est, cum luna sub orbem Solis subisset, vt ait Liuius l. 37. 1.

VIII. *Aetoli bellum in Romanos instaurant.*

POSTQUAM autem legati Ætolorum Roma retulerunt nullam spem pacis esse; cum crederent Romanos principio veris ad oppugnationem Naupacti esse redituros, vt eis iter intercluderent, Coracem montem præsidio occupauerunt. At Acilius qui id expectari sciebat, maluit inopinatam rem aggredi, & Lamiam oppugnare. Itaque cum vrbem necopinantem corona cinxisset, primo die nihilominus vis Romanorum à ciuibus summa omnium contentione repulsa est: postero die redintegrato certamine, cum ciues iam arma, tela, vires, animique deficerent, in Romanorum potestatem venerunt. Inde Amphissam itum est, quæ in Locride Ozolorum est apud Ptolemæum. Eam vrbem operibus oppugnare statuit Acilius, pluribusque locis admoto ariete muri quassabantur; cum tamen oppidani nihil aduersus huiusmodi machinas molirentur, sed spem omnem in armis & audacia haberent, crebrisque eruptionibus hostem vexarent, tam qui ad machinas, quam qui in stationibus versabantur.

Qui Lamiam occupant.

Amphissam oppugnant. l. 6%.

IX. *Consulis aduentus in Græciam.*

INTEREA allatum est Scipionem consulem successorem, Apolloniæ exposito exercitu, per Epirum ac Thessaliam venire, cum tredecim millibus peditum, & quingentis equitibus: is præmisit Hypatam, qui tradere vrbem iuberent. Postquam responsum est nihil nisi de communi Ætolorum consilio facturos; ne duarum simul vrbium oppugnatio eos teneret, Amphissam consul veniens Africanum fratrem præmisit: sub eius aduentum relicta vrbe oppidani in arcem, quam habent inexpugnabilem confugiunt. Athenienses pro Ætolis deprecaturi ad Romana castra veniunt, & primo Africanum, deinde Consulem ipsum adeunt. Mitiora respondebat Africanus, qui honestam soluendi Ætolici belli causam quærebat, in Asiam ac regem Antiochum intentus: at Consul eadem ipsa respondit, quæ Romæ Senatus. Illi autem vel minui tam ingentis pecuniæ summam postulabant, vel permissionem explicari, extra ciuium corpora, in quæ sæuire non liceret, Polybius, extra eorum, qui Rempublicam administrabant, & mulierum corpora. Consul nihil mutare in responsione Senatus voluit. Ita crebris legationibus nihil effectum est, nisi quod impetratæ sunt, sex mensium induciæ, vt iterum Romam legatio mitteretur, si forte interea aliquis casus Ætolorum conditionem leuare posset. Interea Amphissæ obsidio soluta est, Acilius exercitum Consuli tradit, ac prouincia decedit. Eadem cum Liuio habet Polybius.

De Aetolis susceptatio

lo. cit.

X. *Scipio transitum in Asiam molitur.*

CONSUL ab Amphissa Thessaliam repetit, vt per Macedoniam, Thraciamque duceret in Asiam. Illud iter etsi probabat Africanus, suspectum tamen habebat, si forte Philippus in fide erga populum Romanum nutaret. Itaque visum est mittere aliquem, qui summa celeritate ad Philippum profectus, eius apparatum in bellum agnosceret, si forte defectionem ille meditaretur. At cum omnia rata ac quieta, nihilque suspectum deprehendisset, imo omnia ad excipiendum, ac iuuandum exercitum præparata, ad Scipiones pari celeritate reuertitur. Inde certiore ac maiore spe lætus exercitus, ad præparata omnia in Macedoniam peruenit. Venientes regio apparatu accepit, ac prosecutus est Rex. Inde nō per Macedoniam modo, sed etiā Thraciam ad Hellespontum peruentum est, prosequente ac præparante omnia Philippo. Quam ob causam Scipiones statim ei reliquum pecuniæ debitæ remiserunt, vt Senatus mandarat.

A Philippo iuuatur.

XI. *Antiochi apparatus naualis.*

ANTIOCHUS post naualem ad Corycum pugnam, cum totam hyemem liberā in apparatus maritimos terrestresque habuisset, classi tamen maxime reparandæ intentus fuerat, ne tota maris possessione pelleretur. Et quoniam meminerat se, etiam in Rhodiæ classis absentia, superatum, intelligebat ea Romanæ sociata, neque enim iterum tarditate abfuturam apparebat, magno sibi nauium numero opus, vt viribus & magnitudine classem hostium æquaret. Itaque & Annibalem in Syriam miserat, ad accersendas Phœnicum naues, & Polyxenidam iussit, quo minus prospere gesta res erat, eò enixius, & eas quæ aderant reficere, & alias præparare. Ipse in Phrygia hybernauit, & vndique auxilia accersens, etiam in Gallogræciam miserat, viros, bellicosiores animos, nondum exoleta stirpe gentis, adhuc retinentes. Filium Seleucū in Æolide Antiochus reliquerat cū exercitū, ad maritimas vrbes continendas, quas illinc à Pergamo Eumenes, hinc à Phocæa Erythrisque Romani sollicitabant.

XII. *Classis Romana Hellespontum petit.*

CLASSIS enim Romana, vt ante dictum est, ad Canas hybernabat. Ad eam media ferme hyeme Rex Eumenes cum duobus millibus peditum, & centum equitibus venit. Rhodij quoque priorem tarditatem compensaturi, æquinoctio verno eundem Pausistratum classis præfectum, cum sex & triginta nauibus miserunt. Liuius autem à Canis cum 30. nauibus & 7. quadriremibus Hellespontum petiit, vt ad transitum exercitus, quem terra venturum opinabatur, præpararet quæ opus essent. Irtinere Regulos aliquot, per legatos tradentes in fidem ciuitates suas, benigne audiuit; Seston deditione accepit, postquam fanatici matris deûm sacrificuli, eiusdem iussu cum solenni habitu ad portam Romanis occurrissent, ad precandum vt mœnibus vrbique parceret. Abydi oppugnationem parauit.

XIII. *Polyxenidas simulat proditionem.*

INTEREA Polyxenidas Regiæ classis præfectus genere Rhodius, vnde & exulabat, cum Pausistrato Rhodiorum præfecto inimicitias gerebat, Pausimachum vocat Appianus, cumque audisset eum de se verbis in concione superbe obloqui, statuit non verbis, sed factis vltionem reponere. Fingit se ingenti edito facinore, paratum in gratiam redire cum patria, si per Pausistratum liceat, eamque rem ei per certum hominem vtrique notum nunciat. Regiam videlicet classem, aut totam, aut maiorem eius partē rem Polyxenidam traditurum, eius rei premium nullum aliud, quam reditū in patriā, velle pacisci. Addidit etiā post varias vtrinque nunciorū excursiones, literas sua manu, ac sigillo munitas, quibus proditionē confirmabat. Tū demū Pausistratus certo credere proditionē, neque enim credebat fieri posse, vt deinceps Polyxenidas sub Antiocho viuere posset, qui proditæ classis, propriis tabellis argui posset.

XIV. *Et classem Rhodiorum vincit.*

ERGO Polyxenidas insignem in classe negligentiam pollicetur, vt ad diem dictum Pausistratus veniens facile classe regia potiretur: sed simulatam Polyxenidæ negligentiam, ipse vera socordia imitatur, partem nauium aliam alio dimittit, nec periculi admonitus sapit. At Polyxenidas occulte omnia, diligenterque parauerat, & ad tempus constitutum post solis occasum, cum 70. nauibus tectis profectus, hostem iuxta Samum intercipit, & terra marique circumclusum inuadit, Pausistratum erumpere per fauces portus in apertum mare conantem, Polyxenidas tribus quinqueremibus circumsistit. Nauis rostris icta supprimitur, telis obruuntur propugnatores, inter quos & Pausistratus impigre pugnans interficitur; nauium reliquarum aliæ ante portum, aliæ in portu deprehensæ, captæque; quinque tantum Rhodiæ, cum duabus Cois effugerunt, via sibi inter confertas naues facta, terrore micantis flammæ. Contis enim binis à prora prominenti-

nentibus, trullis ferreis multum conceptum ignem præferebant.

XV. *Inde Abydi ded... impedita.* ERYTHRÆÆ naues, quæ Rhodiis subsidio veniebant, cum fugientibus occurrissent, in Hellespontum ad Romanos cursum tenuerunt. Vbi Abydus obsidione per aliquot dies tolerata de conditionibus deditionis agebat; at intellecta Rhodiorum clades, rem è manibus excussit. Metuens enim Liuius ne Polyxenidas, tantæ rei successu elatus, classem Romanam, quæ ad Canas erat, opprimeret, Abydi obsidione, custodiaque Hellesponti extemplo relicta, classem petit. Phocæam recuperare volens, quam his ipsis diebus Seleucus proditione receperat. *Phocæa à Romanis defuit.* Sed intelligens eam valido præsidio regio teneri, depopulatus maritimam oram, quæ ad eundem defecerat, cum Eumenis classe Samum tendit, sed tempestate agitata dispergitur, Polyxenida eam frustra vexare conante. Rhodij ingenti luctu affecti, nec minore vindictæ cupiditate, viginti naues magno studio instruunt, & Eudamo committunt præfecto, virtute bellica Pausistrato impari, sed cautiori, qui se Romanis Sami coniungit. *Rhodij classem reparant.*

XVI. *Liuius pugnam Ephesi ...* CVM iis statim Ephesum adeunt, vt aut decernerent nauali certamine, aut si detrectaret pugnam hostis, timoris confessionem exprimerent. Contra fauces portus instructa acie stetere, nemine prodeunte, classe diuisa, pars in salo ad ostium portus in anchoris stetit, pars in terram milites exposuit; in eos iam ingentem prædam late populato agro agentes, Andronicus Macedo è præsidio egressus irruit, exutosque magna parte prædæ ad naues compulit, qui mox inde Samum reuersi sunt, quò & L. Æmylius Regillus Prætor, in Romanæ classis præfectura, C. Liuij successor peruenit. *Accipit successorem.* Ibi concilio de bello nauali habito, Æmylius cum tota classe Ephesum frustra tentauit, & Liuius Pataram Lyciæ adit, quo dum pergit, ex itinere Miletum, Myndum, Halicarnassum, Cnidum, Coum deditione accepit. Sed in Lycia male à tempestate, atque ab hoste acceptus, prætereuectus Asiam, in Græciam transmisit, vt conuentis Scipionibus, qui tum circa Thessaliam erant, in Italiam traiiceret.

XVII. *Antiochus Eumenem vexat.* INTEREA Seleucus Antiochi filius Eumenis socij populi Romani fines aggreditur, Elæam oppugnat, & mox omissa oppugnatione vrbis, agros hostiliter depopulatus, ad caput arcemque regni Pergamum oppugnandam ducit. Attalus Eumenis frater stationibus extra vrbem positis, primo fatigare hostem excursionibus cœpit: deinde vt se infirmiorem vidit, mœnibus se continuit, & vrbs obsideri cœpta est; quo & Antiochus Apamea profectus venit. Quæ cum Sami Eumenes didicisset, auocatus domestico bello, cum classe Elæam petit; inde priusquam hostes sentirent, Pergamum contendit, ibique rursus leuia prælia per excursiones fieri cœpta, Eumene summæ rei discrimen haud dubie detrectante.

XVIII. *Et Romani & Rhodij opem ferunt.* PAVCOS post dies Romana Rhodiaque classis, vt Eumeni opem ferrent, Elæam ab Samo venerunt. Eos vbi copias Elææ exposuisse, & tot classes in vnum conuenisse portum Antiocho allatum est: & sub idem tempus audiuit Consulem cum exercitu iam in Macedonia esse: paratique quæ ad transitum Hellesponti opus essent, tempus venisse ratus, priusquam terra marique simul vrgeretur, agendi de pace, tumulum quendam aduersus Elæam castris cepit, ibi peditum copiis relictis, cum equitatu, erant autem sex millia equitum, in campos sub ipsa Elææ mœnia descendit, misso caduceatore ad Æmylium Prætorem, velle se de pace agere. *Antiochus de pace agit.* Æmylius Eumene Pergamo accito, adhibitis & Rhodiis concilium habuit. Nec Rhodij aspernabantur pacem, sed Eumenes, etsi tum magnam belli molem eius regnum ferebat, paci restitit, quæ nec honeste fieri, nec rata esse posset, nisi Consulis & Senatus autoritate firmata; nec vtilis, quippe interim socios fugerendis commeatibus exhaustum iri, & hostem bellum restauraturum. Satius esse vrgere bellum, quod, si nihil cœptus impetus prolatando remittatur, possit ante hyemem perfici.

XIX. *Ea displicente populationib. ...* HÆC sententia vicit, responsumque Antiocho est, ante Consulis aduentum de pace agi non posse. Spe pacis discussa Antiochus Elæorum & Pergamorum agro vastato, Adrymetrum venit, vrbem agrumq; opulentum, relicto in regno Eumenis Seleuco: sed ad propugnandum Adrymetrum classis Romana cum Eumene venit. Polyb. in excerpt. legat. n. 20. scribit Eumenem ad Achæos legationem, societatis & auxilij causa misisse, eamque in publico concilio firmatam: à quo missus Diophanes cum mille peditibus & centum equitibus Pergamum venerunt, vbi, vt erant omnes veterani, peritique militiæ, & Diophanes ipse Philopœmenis institutione militari edoctus, non minus audacibus, quam fœlicibus & gloriosis excursionibus, quas fusius exequitur T. Liuius l. 37. & Appian. in Syriacis, Seleucum ex agro Pergameno mouere castra coëgerunt: qui nihilominus in maritima ora permanens, aliis terrori, aliis præsidio erat. Antiochus Peræam Mitylenæorum coloniam expugnauit, & aliquot vicina oppida primo impetu cepit. Romani Eumenem domum dimittunt, vt Consuli atq; exercitui præpararet, quæ ad transitum Hellesponti erant necessaria: ipsi autem cum Rhodiis Samum repetunt, atq; ibi in statione degunt, ne Polyxenidas ab Epheso moueret. Ibi M. Æmylius prætoris frater moritur.

XX. *Naualis pugna ad Eurymedontem.* CONTIGIT hoc tempore naualis pugna regios inter & Rhodios, cum vtriq; parati essent, & rei bene gerendæ occasionem quærerent, quæ se ad Eurymedontem fluuium Pamphyliæ obtulit. Classis regiorum septem & 30. nauibus maioris formæ constabat, Rhodiorum autem duabus & triginta quadriremibus, & 4. triremibus. Vt classes in conspectum venere, è portu quasi pugnaturæ prodiere. Sinistrum cornu ad altum mare regebat Annibal, dextrū Apollonius, & iā in fronte directas habebant naues. Rhodij longo agmine veniebant. Prima prætoria nauis Eudami erat, Pamphilidas mediæ classi præerat, Charicltus colligebat, & claudebat agmen. Eudamus cum hostilem aciem instructam vidit ad prælium, & ipse in altum euehitur, & deinceps quæ sequebantur seruantes ordinem, in frontem dirigere iubet, & festinans ipse præpropere cum quinq; solis nauibus Annibali occurrit, & prius pugnare cœpit, quam reliquæ naues locum suum caperent. Verum Rhodiæ naues vsu rei maritimæ citò metum deposuere. Nam & in altum celeriter euectæ sequentibus locum dedere, & si quà rostro concurrerat cum hostium naui, aut proram lacerabat, aut remos detergebat, aut libero inter ordines discursu, in puppim impetum dabat.

XXI. *Et victoria ... Rhodiorum.* MAXIME exterruit Hepteris regia, à multo minore Rhodia naue, vno ictu demersa. Itaq; iam dextrum hostium cornu in fugam inclinabat, cum in sinistro Annibal multitudine nauium maxime vigebat Eudamum, & circumuenisset, ni signo sublato ex prætoria naue, quo dispersam classem in vnum colligi mos est, naues omnes, quę in dextro cornu vicerant, ad opem suis afferendam concurrissent. Tum & Annibal, & quæ circa eum erant naues, fugam capessunt; nec insequi Rhodij, ægris magna ex parte remigibus, longius potuerunt. *Annibalis fuga.* Inde Rhodum non tam victoria læti, quam mœrentes quod totam classem non pessundedissent reuerterunt. Ibi Annibalis transitum ad veterem classem peruenire cupientis obseruabant, & ne id ei facere liberum esset, Carichtum cum 20. nauibus rostratis, ad Patara & Megistem portum miserunt, quo etiam mox Pamphilidas cum 4. nauibus tectis missus est.

XXII. *Antiochus Prusiam contra Romanos sollicitat.* INDE cœpit Antiochus Prusiam Bithyniæ Regem literis, nunciisque in Romanos incitare, quasi in regum perniciem intentos: & Philippum in primis eius socerum proferebat, Syphacem, Nabidem; ipsi quoque mox, si deuictus fuerit Antiochus, perniciem quam primum allaturos. Et iam fluctuabat animo Prusias, cum eum literæ Consulis, atque in primis Africani, à tali suspicione abduxerunt; quibus & Philippus regno suo seruatus etsi bello victus, narrabatur; cui etiam proximo anno tributum remissum erat, & filius obses redditus parenti, & ciuitates aliquot extra Macedoniam haberi permissæ: & in Hispania Indibilis & Colchas, & in Illyrico Pleuratus, & in Africa Masanissa regnis suis conseruati, restituti, auctique ostendebantur. Nabin quoq;, etsi scelestum tyrannum in regno à Quintio relictum, adhuc superstitem futurum, nisi eum *A Romanis confirmatur.*

suus primò furor: deinde fraus Ætolorum absumsisset. Maxime autem confirmatus est animus regis, posteaquam ad eum C. Liuius, qui prætor antè classi præfuerat, legatus Roma venit, & edocuit quanto & spes victoriæ Romanis certior quam Antiocho, & amicitia sanctior firmiorque apud Romanos futura esset.

XXIII. *Antiochus Notium oppugnat.* ANTIOCHVS postquam à spe societatis Prusiæ decidit, Ephesum ab Sardibus est profectus ad classem, quam aliquot iam menses parabatur, visendam. Et in ea spei aliquid erat, quod magna pars Rhodiæ classis circa Pataram erat, Eumenes in Hellespontum ad traiectum terrestribus copiis parandum abierat. Ergo Notium oppidum Colophoniorum Epheso vicinum omni ope oppugnare aggreditur, vt dum Romani sociam vrbem obsidione liberare parant, occasio rei bene gerendæ Polyxenidæ detur.

Vnde occasio naualis victoriæ. Colophonij opem Romanorum implorant. Æmylius qui non sperabat Polyxenidam potestatem pugnæ facturum, vt qui bis iam nequicquam prouocatus fuerat, indignabatur dum Eumenes Consulem traiicit, se oppidulo liberando cum incerto rei exitu alligari. Tandem ab Eudamo Rhodio, qui eum à profectione Hellesponti reuocauerat, persuasus, egregiæ naualis victoriæ occasionem nactus est.

XXIV. *Romani portum adeunt ad portum Teium.* MAGNAM vini vim Teios Regiis promisisse accepit; eò cum classe venit, eum commeatum interuersurus. Ergo agrum populatur, & pro hostibus habiturum omnes affirmat, nisi promissum hosti vinum sibi tradant. Illi dum deliberant, Polyxenidas in vicina insula, quam Macrin nautici vocant, anchoras portu occulto iecit. Erant Romani in Teiorum portu, cuius angustæ fauces ægre duabus simul nauibus transitum præbebant. Polyxenidas in animo habebat noctu occupare fauces, & denis nauibus ad promontoria, quæ portui vtrimque imminebant, & coeuntia eas angustias efficiebant, stantibus quæ ab vtroque cornu in latera exeuntium nauium pugnarent, ex cætera classe, sicut ad Panormum fecerat, armatis in littora expositis terra marique simul hostes opprimere. Nec vanum id consilium futurum erat, nisi cum Teij facturos se imperata promisissent, ad accipiendos commeatus aptius visum fuisset Romanis, in eum portum, qui ante vrbem est, classem traducere. Eius periculi etiam Eudamus Rhodius monuerat, cum forte duæ naues in arcto ostio remos implicitos fregissent.

XXV. *Eorundem commeatum ad oppugnatam ... * IAM ad alterum portum transierant, & commeatus diuidebatur in naues, cum agrestis quidam captus, & ad prætorem adductus, nunciat classem alterum iam diem ad Macrin stare & profectionem parare. Re subita perculsus prætor, tuba milites omnes in naues inducit, turbatumque fuisset aliquid, nisi Æmylius cum prætoria naue primus è portu in altum euectus, excipiens insequentes, suo quamque ordine in frontem instruxisset, Eudamus, Rhodiaque classis substitissent ad terram, vt & sine trepidatione conscenderent, & vt quæque parata esset nauis exiret. Ita instructa acies in altum processit; cum ecce hostis binis in ordinem nauibus longo agmine veniens, amplecti dextrum cornu Romanorum parabat. Id animaduertens Eudamus Rhodius celeritate suarum nauium visus, eò accurrit, & prætoriæ naui, in qua Polyxenidas erat, suam obiecit.

XXVI *... Appian. 90.* IAM totis classibus simul ab omni parte pugnabatur; ab Romanis 80. naues pugnabant, ex quibus Rhodiæ duę & 20. erant (Appianus 83. pro Romanis stetisse ait, quarum 25. erant Rhodiæ:) hostium classis vndenonaginta nauium fuit, & maximæ formæ naues tres hexeres habebat, duas hepteres. Robore nauium & virtute militum Romani præstabant, Rhodij agilitate nauium, scientia gubernatorum, & arte remigum. Maximo terrori hosti fuerunt naues, quæ incendium, qua arte nuper euaserant, in contis præferebant. Nam eo terrore plurimas naues turbarunt, fugarunt, incenderunt. Denique cum mediam hostium aciem Romani perrupissent, circumuecti à tergo pugnantibus aduersum Rhodios, regiis sese obiecere; momentoq; temporis & media Antiochi acies, & læuo in cornu circumuentæ naues mergebantur.

DEXTERA pars integra, sociorum magis clade, quam suo periculo terrebatur: cæterum posteaquā alias circumuentas, Prætoriam nauem Polyxenidæ relictis sociis vela dantem videre, sublatis raptim dolonibus, secundo vento Ephesum fuga petunt, quadraginta duabus nauibus in ea pugna amissis. Quarum tredecim captæ in potestatem hostium venere, cæteræ incensæ, aut demersæ. Romanorum duæ naues fractæ sunt, vulneratæ aliquot, vna Rhodia casu à Sidonia capta est. 3. Hoc maxime modo ad Myonnesum nauali prælio pugnatum est. XXVII. *Romanorum victoria.* 3. ex.

XXVIII. *Antiochi insigne imprudentia, deserendo Lysimachia, &c.* EA clade territus Antiochus, quia possessione maris pulsus, longinqua tueri se posse diffidebat, præsidium ab Lysimachia, ne ibi à Romanis opprimeretur, prauo, vt res ipsa docuit, concilio deduci iussit. Non enim tueri solum Lysimachiam, à primo impetu Romanorum facile erat, sed obsidionem etiam per totam hyemem tolerare, & obsidentes quoq; ad vltimam inopiam adducere, extrahendo tempus, & interim spem pacis per occasiones tentare. Appianus hac de re agens ait Antiochum deum sibi aliquē insidiari existimasse, quod omnia Romanis feliciter succederent, sibi omnia præpostere. Itaq; & Deo illi mentem adimente, Lysimachiam, non expectato conspectu hostis deseruisse, ac ne apparatu quidem translato aut incenso, quem magno studio cumulauerat; magno inquam numero frumenti, armorum, pecuniæ, machinarum: sed ea omnia in vsum hostium reliquisse. Lysimachenses quoque ad eum, tanquam vrbe capta, cum vxoribus, ac liberis flentes contemptim repulisse, in vnam curam intentum, quomodo Romanos Abydo arceret; vbi tamen nullum præsidium reliquit. Lysimachia hosti relicta, etiam Colophonis obsidione abscessit, & Sardeis se recepit, & ad copias vndique contrahendas incubuit.

XXIX. *Æmylius Prætor Phocæam oppugnat.* ÆMYLIVS autem Prætor post victoriā naualem Ephesum profectus, quasi insultans hosti, & liberam maris possessionem ostentans, ante portum naues aliquot diripuit. Inde Chium, quo ante prælium nauigare statuerat, profectus, quassatas naues refecit, moxq; Phocæam traiecit, quę dudū à Romana societate defecerat. Eā gemino portu instructā Pretor ad hyberna Romana destinabat; & misit qui ciuiū animos tentarent; obstinatos duobus simul locis ariete verberat. Et iā vtrimq; sternebātur muri, ad quorū casum per ipsas ruinas transgressi Romani, ab oppidanis tanta cōstantia repulsi sunt, vt Pętor receptui cani iusserit, ne furentibus desperatione & rabie incautos obiiceret.

XXX. *Et deditione recepit.* DIREMPTO prælio, omnes vndique ad munienda, quæ ruinis strata erant, conuersi sunt. Huic operi intentis superuenit Q. Antonius à Prætore missus, qui castigata eorum pertinacia, curæ Romanis esse ostendit ne in perniciem vrbis pugnaretur. Si absistere furore vellent, eadem conditione, qua dudum à C. Liuio, acceptum iri. His auditis quinque dierum spatio ad deliberandum sumpto, tentata interim spe auxilij ab Antiocho, postquam legati nihil in eo esse præsidij reuersi retulerūt, portas aperuerunt, pacti ne quid hostile paterentur.

Et inuito Pratore diripitur. Signa in vrbem inferuntur, & Prætor edicit militi parci se deditis velle: contineri tamen à diripienda vrbe non potuit, ira & auaritia imperio potentiora fuerunt. Prætor tamen missis præconibus, omnes liberos ad se in forum conuenire iussit, ne violarentur: dum scilicet suorum rapinam indigne ferunt, vrbem que, & agros, & leges suas eis restituit, & quia iam hyems appetebat, Phocææ portus ad hybernandum classi delegit.

XXXI. *Consul occupat Lysimachiam.* PER idem fere tempus Consuli transgresso Æniorum, Maronitarumq; Thraciæ populorum fines, nunciatur victam classem regiam, & Lysimachiam à præsidio relictam esse: quod multo quam victoria naualis lætius fuit. Refertam quippe omnium rerum commeatibus vrbem inuenerunt, velut in aduentum exercitus præparatis, vbi vltimam inopiam, laboresque in obsidenda vrbe, se perpessuros crediderant.

Traiicit Hellespontum Eumene opera. Inde post aliquot dierum quietem, per Chersonesum ad Hellespontum perueniunt; vbi omnibus cura Regis Eumenis ad traiiciendum paratis, velut in pacata littora, nullo prohibente, sine tumultu traiecerunt. Quam

IMPERII GRÆCORUM AN. 122.

rem magni certaminis futuram crediderant, & esse oportuerat, si rex suis reb' sapienter consuluisset. Sed vide Romanorum studium, erga ea quæ pietatis esse putabant. Totus enim exercitus Statiua ad Hellespontum aliquandiu habuit, quia dies forte quidam, quibus Ancilia mouentur, religiosi ad iter inciderant. Iidem etiam dies P. Scipionem ab exercitu disiunxerant, quia Salius erat. Erat autem moribus Saliorum receptum, vt ait Polyb. vt quocunq; in loco fuissent deprehensi Salij tempore sacrificij, ex eodem 30. dierum spacio ne abirent. Quo factum est vt L. Scipio in Asiam iam transisset, cum P. adhuc in Europa versabatur. Quanto conuenientius est à Christianis religiosos aut Christi, aut Sanctorum dies obseruari, & à non necessarijs itineribus abstineri, & rebus interim piis ac diuinis operam dari.

Pietas Romanorum. *Mos Saliorum. e in légat. n. 23.*

XXXII. *Antiochus de pace legatos mittit.*

PER eos forte die, legatus ab Antiocho in castra venit Heraclides Bizantius, à rege suo mandata de pace afferens. Et primo, vt iussus fuerat, P. Scipionem adiit, virum clementiæ, & fortitudinis fama celeberrimum; cui etiam præter ingens auri pondus, quod regis nomine obtulit, & regni sui societatem, excepto tantum Regio nomine, captum à Rege, ignotum quo casu, filium eius, & apud eundem regem semper humanissime habitum, gratis restituendum spōdebat. 4. Scipio aurum respuit, de filio gratias egit, spondens se priuatim gratiam cum liceret, beneficiumque repositurum: publice autem suadere, vt pacem, quibuscumque tandem conditionibus, cum Romanis faciat.

4. χ.

Quas urbes conditiones offerat.

Inde Consulem de pace legatus adit, & coacto Concilio pacis impetrandæ causa, ait dominum suum Lysimachia cessisse, ne quid in Europa retinere videretur, quod ptius Romani desiderauerant: Asiæ ciuitatibus, de quibus disceptatum fuerat, cessurum, Smyrna, Lampsaco, & Alexandria Troadis, quam Appianus vocat Alexandriam ad Granicum, & si quas alias Romani à Regis imperio ad vendicare voluerunt, quod ipsorum partes secutæ fuerint, sponte traditurum: impensarum quoque in bello factarum dimidium Romanis persoluturum. Quod si Asiæ quoque partem aliquam abstrahere velint, dummodo non dubiis regionibus finiant, vire suam temperantiam Romana cupiditate, pacis & concordiæ causa Regem passurum.

XXXIII. *Quas Romani requirerent.*

AT Romani omnem belli impensam à Rege præstari æquum censebant, quando eius culpa bellum excitatum esset. Asiæ autem vrbes liberas reddi non posse, nisi Rex omni Asiæ possessione cis Taurum cederet. Priuatim autem P. dixit Heraclidi: Rex dum Lysimachiam & Chersonesum tenebat, has conditiones Romanis obtulisset, libenter accepturos fuisse; fortassis etiam si prohibiti fuissent Hellespontum traiicere: concesso vero in Asiam transitu, & non solum frenis, sed etiam iugo accepto, ex æquo disceptationem esse non posse. Ita Liuius, Appian. & ante vtrumque Polybius.

Hæc responsio Regem à spe pacis abductum, ad bellum summa contentione parandum conuertit. Consul in Asiam progreditur, Ilium Romanæ gentis originem adit, ibiq; Mineruæ præsidi sacrificat. Iliensium & Romanorū congressus lætos tangit Liuius, Iustinus amplificat. Iuuabat, inquit, Ilienses nepotes suos, Occidente & Africa domita, Asiam vt auitum regnum vendicare, optabilem Troiæ ruinā fuisse dicentes, vt tam feliciter renasceretur, &c. Inde profectus sextis castris ad caput Caici amnis peruenit, quod Ptolem. ad montem Temnon constituit.

XXXIV. *Antiochus filium Africano reddit.*

REGIA castra circa Thyatiram erant. Ibi cum audisset Antiochus P. Scipionem ægrum Elæam delatum, erat ea vrbs nauale Regis Eumenis, legatos qui ad eum filium reducerent misit. Non solum animo patrio gratum munus, sed corpori quoque salubre gaudium fuit; satiatusque tandem complexu filii, Renunciate, inquit, gratias regi me agere, referre gratiam aliam nunc non posse quam vt suadeam, ne ante in aciem descendat, quam vt in castra me redisse audierit. Et quamquam 70. millia peditum, plus 12. millia equitum animos interdum ad spem certaminis efficiebant; motus tamen Antiochus tanti auctoritate viri, in quo ad incertos belli euentus omnis fortunæ subsidia posuerat, Phrygium amnem transgreditur, (Hermum sine dubio intelligit, in quem Pactolus effunditur) circaq; Magnesiam, quæ ad Sipylum montem est, castra posuit, ibiq;, ne cogeretur inuitus ad pugnam, ingenti fossa sex cubitis alta duodecim lata, & insuper duplici vallo sua castra circumdedit.

ULTIMA ANTIOCH PUGNA *Eius consilium pugnam differt.*

XXXV. *Romani instant vehementius.*

EVM secutus Consul, 4. millia ab hoste circa eundem amnem posuit castra, & per aliquot deinde dies, partim quies ab armis, partim excursiones leuiaque prælia commissa sunt, Antiocho certamen de summa rei detrectante, si forte Africanus interea aliquid in rem communem boni moliretur. Consul, aut, vt Appianus scribit, Cn. Domitius legatus, quem suo loco æger Africanus reliquerat postea quam detrectari certamen vidit, postero die concilium cogit quid faciendum videatur, si Antiochus pugnæ copiam non faciat; instare hyemen, aut sub pellibus habendos milites, aut si concedere in hyberna vellent, bellum in æstatem esse differendum. Contemptu hostis conclamatum vndiq; est, duceret extemplo, & vteretur ardore militum, qui per fossas, per vallum castra inuadere parati erant, si in prælium hostis non exiret. Exploratis hostium castris Consul tertio die in medium campum signa profert, & aciem instruit.

XXXVI. *Antiochus pugnæ copiam facit.*

NEC Antiochus vltra tergiuersandum ratus, ne & suorum animos minueret detrectando certamen, & hostium augeret, & ipse copias eduxit. Pudore victum ait Appianus, si tanto superior numero prælium recusaret. Romana acies quatuor legionibus constabat, quarum singulæ quina millia & quingentos habebant: erant ergo duo & viginti millia armatorum: Romani mediam aciem, cornua Latini tenebant. Accesserunt Achæorum & Eumenis tria millia peditum: tum equitatus minor tribus millibus fuit, octingenti Eumenis erant, reliqui Romanorum; vt totus exercitus fere 28. millium esset. Appian. 30. millia recenset: quia nimirum duo millia mistorum Macedonum Thracumque relicta sunt in castris, qui magnum ad victoriam momentum in fuga Romanorum attulerunt; sexdecim elephantos post triarios subsidio reliquit.

Quæ copiæ Romanæ aciei.

XXXVII. *Quantus Antiochi exercitus.*

NAM præterquam quod multitudinem regiorum elephantorum, erant autem 4. & 50. 5. sustinere non videbantur posse; nam ne pari quidem numero Indicis Africi resistunt, siue quia magnitudine, siue quia animi robore vincuntur. Militum vero regiæ aciei tanto maior erat numerus quanto minor virtus. Totum exercitum fuisse tradit Appianus 70. millium. At Liuius ad hunc peditum numerum, etiam 12. millia equitum addit, vt paulo ante retulimus. Ipsum autem robur exercitus erant decem & sex millia peditum, Macedoniæ more armatorum; quæ in decem partes diuisa, in media acie collocauit. Partes autem illas interpositis binis elephantis distinxit: deinde reliquas omnes copias, quam aptissimo potuit modo, ad victoriam digessit, vt accurate Liuius explicauit: & post eum Appianus.

5. χ.

XXXVIII. *Quæ regis prælio nocuerint.*

NONNULLA fuerunt, quæ ad regis cladem valuerunt, primùm nebula, quæ late patentem exercitum ne à medio quidem satis videri patiebatur. Deinde illi adiunctus humor, qui & arcus & fundas & iaculorum amenta emollierat: falcatæ quoque quadrigæ, quibus se perturbaturum hostium aciem Antiochus crediderat, in suos terrorem verterunt. Armatæ autem, vt ait Liuius, in hunc maxime modum erant: cuspides circa temonem ab iugo decem cubita extantes, velut cornua habebant, quibus, quidquid obuium daretur, transfigerent: & in extremis iugis binæ circa eminebant falces, altera æquata iugo, altera inferior in terram deuexa; illa vt quidquid ab latere obijceretur abscinderet, hæc vt prolapsos subeuntesq; contingeret: item ab axibus rotarum vtrimq; binæ eodem modo diuersæ deligebantur falces. Sic armatas quadrigas, in prima acie collocauit, quia si in extremo aut medio locatæ fuissent, per suos agendæ erant: iussitq; vt post turbatos hostium ordines, ex medio campo secederent, vt ait Appianus.

Falcatæ quadrigæ.

XXXIX. *Eumenes rationibus mutilis.* CONTRA illum quadrigarum apparatum, Eumenes terrorem equis eas trahentibus inijci iubet, vt retro ex metu conuersæ, suis cladem hosti paratam afferrent. Ergo contra eos Cretenses sagittarios, funditoresque maxime dispersos cum ingenti clamore ferri iussit, simulque omnia ex parte tela ingerere. Hæc velut procella partim vulneribus missilium vndique coniectorum, partim clamoribus dissonis consternauit æquos, vt repente velut effrenati passim incerto cursu ferrentur, quorum impetus leuis armatura, & velox Cretensis facile declinabat. Ita medio ex campo quadrigæ, nullo operæ pretio edito, subductæ sunt, & ad iustum prælium signo vtrimq; dato concursum est. Rem paulo aliter explicat Appianus. Vulneratis equis, & currus in suum equitatum vertentibus, primi cameli turbati sunt, qui proxime post currus constiterant, deinde loricati equites, qui præ armorum pondere non facile falces declinare poterant. Itaque totum læuum cornu, ex consternatione quadrigarum, inclinauit ad fugam. Postquam auxilia subsidiaria, eodem pauore dispersa sunt, & Romanus equitatus ad cataphractos equites impetum fecit, terror vsque ad mediam aciem peruenit. Hanc impressionem & fugam in læuo cornu Appianus Eumeni tribuit, sicut & conuersionem quadrigarum in suos.

XL. *Antiochus à dextro cornu vincit.* INTEREA à dextro cornu pugna Antiocho fœliciter cedebat. Nam cum auxilijs & cataphracto equitatu irruens, non à fronte tantum instabat, sed circumito à flumine cornu, iam ab latere vrgebat. Et fugati primum equites, deinde proximi peditum, effuso cursu in castra compellebantur: donec M. Æmylius tribunus militum, qui cum duobus millibus Macedonum, Thracumque, præsidio relictus erat castris, fugientibus occurrit cum suis, eosque tum precibus & adhortationibus, tum cæde etiam proposita, ferro & vulneribus fugientes in prælium iterum compellunt, simulque Regi acriter instanti resistunt. Accessit & Attalus Eumenis frater à dextro cornu, à quo primo impetu læuum hostium cornu fugatum erat, & cum ducentis equitibus valide in regios impressionem facit. *Romanorum fuga repressa.*

XLI. *Antiochus fugam init.* ANTIOCHVS cum eos, quos ad fugam compulerat, repetentes pugnam vidit, & nouam è castris aciem, aliam à dextris victricem turbam ingruentem, in fugam vertit equum; ita vtroque cornu victores Romani, per aceruos corporum, quos in media maxime acie cumulauerant, vbi phalanx Macedonica arctiore loco imperite posita, nec vulnera declinare, nec inferre potuerat, pergunt ad castra diripienda. *Multi in fuga pereunt.* Eumenis equites fugitiuos persequuntur, quorum plerique gladio absumuntur, alij in quadrigas & elephantos cæco impetu irruentes discinduntur & obteruntur. *Magna in castris cædes.* In castris quoque grauis pugna cædesque edita est. Nam fugitiui adiuti eorum auxilio, qui castris præsidio relicti fuerant, diu restiterunt, tandem vbi perruperunt victores, maiorem ab ira cædem ediderunt. Ad 50. millia peditum cæsa eo die dicuntur, equitum quatuor millia; mille & 400. capti, & quindecim cum rectoribus elephanti. Romanorum aliquot vulnerati sunt; ceciderunt non plus trecenti pedites, quatuor & viginti equites, & de Eumenis exercitu quinque & viginti. Eo die victores direptis hostium castris cum magna præda in sua reuerterunt, regi insultantes, & prouerbij loco vsurpantes, Fuit Rex Antiochus Magnus. Appianus. *Appian.* Postero die spoliabant cæsorum corpora, & captiuos colligebant.

XLII. *Regis fuga, & vrbium deditio.* ANTIOCHVS cum paucis fugiens in ipso itinere pluribus aggregantibus se modica manu armatorum, media ferme nocte Sardeis concessit. Ibi cum audisset Seleucum filium, & quosdam amicorum Apameam prægressos, & ipse quarta vigilia cum coniuge ac liberis Apameam petit: inde etiam in Syriam profectum addit Appianus. Zenoni tradita vrbis custodia; & Timone Lydiæ præposito: quibus tamen spretis, consensu oppidanorum, & militum qui in arce erant, legati ad Consulem deditionis causa missi sunt. Idem à Trallibus & à Magnesia, quæ supra Mæandrum est, & quæ ad Sipylum, & Thyatira, & ab Epheso factum est. Nam Polyxenidas audita pugna, Epheso relicta, & classe vsque ad Patara Lyciæ peruectus, metu Rhodiorum cum paucis itinere pedestri in Syriam venit. Denique omnes Asiæ ciuitates in fidem Consulis, ditionemq; populi Ro. sese tradebant.

XLIII. *Rex pacem petit.* SARDIBVS iam Consul erat, eo & Africanus ab Elæa, cum primum pati laborem viæ potuit, venit, & caduceator (Musæum vocat Polyb. *a*) ab Antiocho qui per P. Scipionem à Consule petijt, impetrauitq;, vt oratores mittere liceret Regi. *a in legat. n. 24.* Paucos post dies Zeusis, qui præfectus Lydiæ fuerat, & Antipater fratris filius venerunt, & Consulem interueniente Africano adierunt, ac pacem veniamq; rogauerunt.

Conditiones pacis. Iis respondere Africanum placuit. Romanos clementiæ memores non alias Antiocho victo, veniæ & pacis cōditiones dare, quam quas post traiectum Hellespontum obtulerant. *Europa, inquit, abstinete, Asiaq; omni, quæ cis Taurum montem est, decedite. Pro impensis deinde in bellum factis quindecim millia talentûm Euboicorum dabitis* (id est, 21. miliones francorum) *quingenta præsentia, duo millia & quingenta cum S. P. Q. R. pacem comprobauerint, mille deinde talentûm per 12. annos* (id est, duodecim millia talentûm intra annos duodecim.) *Eumeni quoque reddi placet quadraginta talenta* (quæ communia, id est, Attica intelligi possent, quoniam Euboica non appellantur, eruntque 42. mil. francorum) *Et quod frumenti patri debitum erat.* Petierunt deinde 20. obsides arbitratu suo dari sibi, & in primis Annibalem, & Thoantem concitatorem Ætolici belli, & Mnasimachum Acarnanem, & Philonem, & Eubulidam Chalcidenses.

XLIV. *Alia conditiones.* ADDIT Appianus iussos tradere quotquot haberent Elephantos, & quotcumque naues præbere iuberentur in posterum: nec naues Antiocho habere liceret vltra statutum numerum. Nauium etiam Iustinus l. 31. meminit, qui etiam addit iussum tota Asia cedere, & Syriæ regno contentum esse. Verum Liuius conditiones pacis à Polybio petitas, fideliter expressit. *in leg. n. 24* Ex dictis corrigendus est Plutarch. si tamen Plutarch. in vita Scipionis, qui in 20. annos tributum imperatum dicit. Nec recte Euseb. in chron. & eum secutus Theodoretus in Daniel. ait post prælium quo in Thermopylis victus est Antiochus, hoc inter Romanos & eum conuenisse, vt mille talenta per annos singulos, vectigalis nomine solueret. Duorum enim annorum res confundit nec post cladem ad Thermopylas in Thessalia ab Acilio Glabrione acceptam, sed postquam victus est ad Magnesiam in Asia à L. Scipione tributum soluere iussus est.

XLV. *Varij legati Romam petunt.* LEGATI potestatem à Rege habebant omnem pacis conditionem accipiendi. Itaque Romam legatos mitti placuit; Consul in hyberna exercitum Magnesiam ad Mœandrum, & Tralleis, Ephesumque dimisit. Ephesum ad Consulem paucos post dies obsides ab Rege adducti sunt, in quibus fuit Regis filius iunior nomine Antiochus, & cum eo legati, qui Romam irent, venerunt. *Appian.* Eumenes quoq; eodem tempore profectus est Romam quo legati Regis; secutæ eos sunt legationes omnium Asiæ populorum. Sic Liuius: sed de ijs quos sibi dedi, vtique ad supplicium, postulabant Romani, tacet; nec eorum vllam mentionem facit Appianus. In vita Scipionis apud Plut. legimus Annibalem se manibus Romanorum surripuisse, & ad Prusiam Bithyniæ regem perfugisse. Antiochus autem acceptis conditionibus pacis, benigne sibi à populo Ro. factum dixisse fertur, quod magna cura liberatus, modicis Regni terminis vteretur.

XLVI. *Amynander Ætolia pulsus restituitur.* DVM hæc in Asia geruntur, in Ætolia res minime quietæ erant, vt T. Liuius init. l. 38. exponit. Nam Athamania pulso Amynandro rege, qui Ætolis contra Romanos fauerat, sub præfectis regio Philippi tenebantur præsidio; qui superbo atque immodico imperio, desiderium Amynandri fecerant. Exulanti in Ætolia Amynandro literæ suorum indicantium quo in statu Athamania esset, spem regni recuperandi attulerunt: & eorum conspirationibus adiutus, & auxilio mille Ætolorum, pulsis Macedonibus in patrium regnum restitutus est: & Philippus

cum auxilio suis venisset in Macedoniam, cum dedecore & damno repulsus est.

Amynander recuperato regno, legatos Romam ad Senatum, & ad Scipiones in Asiam, Ephesi post magnum cum Antiocho prælium morantes, misit; pacem petebat, excusabatque sese, quod per Ætolos recuperasset paternum regnum, & Philippum incusabat. Idem Polyb. in legat. n. 26.

XLVII. Ætoli in Athamaniam expeditio. ÆTOLI ex Athamania in Amphilochiam profecti sunt, & maioris partis voluntate, totam gentem in ius ditionemque suam redegerunt. Amphilochia recepta, nam fuerat quondam Ætolorum, eadem spe in Aperantiam transcenderunt: ea quoque magna ex parte sine certamine in deditionem venit. Dolopes quoque animaduersa Philippi fuga, vicinorum exempla secuti, Ætolis se dedidere. Quibus circumiectis gentibus, cum se tutos à Macedonibus Ætoli crederent, fama affertur Antiochum in Asia victum à Romanis. Nec ita multo post legati sine spe pacis Roma rediere, nunciantes Consulem Fuluium cum exercitu traiecisse: sed quæ deinceps sequuntur ad annum sequentem pertinent. Eadem de Ætolis habet Polyb. *a* Additque in hoc suo metu Ætolos rogasse Rhodios & Athenienses, vt suo nomine legatos mitterent Romam, ad Romanorum iram mitigandam. (a in legat. n. 26.)

XLVIII. Romam legati a missis, & quid iis contigerit. IPSI pariter tres legatos Romam proficisci iusserunt, in quibus erat quidam Alexander cognomine Isius. Hi legati cum ab Epirotis comprehensi fuissent, & in vinculis haberentur, iussi sunt singuli quina talenta libertatis causa dare. Cum reliqui legati precio subscriberent, solus Alexander omnium ditissimus repugnauit, & noctes diesque quinque talenta lamentabatur. Epirotæ veriti ne Romani legatos ad se proficiscentes comprehensos indignarentur, & liberos dimitti iuberent, remissa precij parte terna talenta exigebant. Quam conditionem cum reliqui libenter accepissent, datis prædibus domum redierunt. Alexander negans se amplius talento daturum, in carcere mansit, homo senex, ducentorum amplius talentorum censum habens, sed qui pluris pecuniam, quam vitam ac libertatem faceret. Nihilominus ei pertinacia profuit, atque auaritia. Nam postea allatæ sunt Roma de eorum liberatione literæ, & ipse vnus sine precio dimissus est. Hactenus ex Polybio. (Vnius senum auaritia.)

XLIX. Minucius, & Acilius triumphum postulant. DVO proconsules fere sub idem tempus, cum triumphi spe, de prouincijs Romam redierunt, Q. Minucius ex Liguribus, M. Acilius ex Ætolia. Auditis vtriusque rebus gestis, Minucio negatus triumphus, Acilio magno consensu decretus; isque triumphans de Rege Antiocho & Ætolis, vrbem est inuectus. Prælata sunt in eo triumpho signa militaria ducenta 30. & argenti infecti tria millia pondo, 6. Vasa insuper argentea cælata multa, magnique ponderis. Tulit & supellectilem regiam argenteam, ac vestem magnificam. Coronas aureas 45. dona sociarum ciuitatum, spolia omnis generis; captiuos nobiles Ætolos, & regios duces sex & triginta duxit in triumphum. Damocritus Ætolorum dux abfuit; paucos enim ante dies, cum è carcere nocte effugisset, in ripa Tiberis consecutis custodibus, priusquam comprehenderetur gladio se transfixit. Milites qui currum sequerentur, defuerunt, quia successori Scipioni traditi fuerant. Et cum tam multa in triumphum tulisset, proximo tamen anno cum Censuram peteret, repetundarum à tribb. plebis postulatus est: vbi Marcus Cato auditus est testis, qui vasa aurea atque argentea, captis regiis castris, se vidisse diceret, quæ se in triumpho negabat vidisse. Et cum ei mulcta irrogaretur, cum à petitione Censuræ desisteret, etiam à mulcta liberatus est. Liuius infra anno seq. (6. X. — Acilius triumphat.)

L. Æmylius Paulus malè rem gerit in Hispania. HVIVS triumphi lætitiam minuit, tristis ex Hispania nuncius, L. Æmylium Paulum Proprætorem aduersa pugna, apud oppidum Lyconem, cum Lusitanis conflixisse, sex millia de exercitu Romano cecidisse; cæteros pauentes intra vallum compulsos, ægre castra defendisse, & ad modum fugientium magnis itineribus in agrum pacatum reductos. Sed eam maculam non multo post deleuit, vt anno seq. dicetur. Sub idem tempus L. Æmylij Regilli Prætoris literæ allatæ de nauali pugna ad Myonnesum facta, victoque Polyxenida Regiæ classis præfecto. Aliæ item quæ ferebant L. Scipionem Coss. exercitum in Asiam traiecisse: pro vtraque re, & supplicationibus, & sacrificijs solennibus superis gratiæ actæ. Quo tempore Iudæi celebrarunt annum Sabbaticum 183.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3864.

ETSI Caluisius, Buntingus, & Temporar. eam eclipsim 14. Martij contigisse dicant: & culpam in luxatum eo tempore calendarium referant: sed vereor ne luxata sit eorum supputatio. Nam ludi Apollinares, sub quorum tempus ea Eclipsis contigit, semper Quintili mense fiebant, vt patet ex l. 27. Liuij, vbi P. Licinius Varus Prætor vrbis, (is fuit annus V. C. 541. Coss. Q. Fuluio & App. Claudio,) eos ludos primus vouit, fecitque ad 3. nonas Quintil. qui est 5. Iulij dies, isque dies solennis deinde seruatus est. At incredibile dictu est totis quatuor mensibus Calendarium perturbatum. Itaque considerandum ipsis est, ex quo errore factũ sit, vt ecclipsin in Martio inueniant, quæ reuera incidit in Iulium. Certe Capellus Caluinista contigisse scribit Iulii 17. feria quarta, cum latitudo Lunæ esset gradnum 87. 42. 53. Male vtrique consentiunt isti Astrologi. 1. N. VII.

Hanc historiam habet Polyb. in legat. nu. 21. sed nouo hil. diuersus est; & emendandus videtur vbi dicit, ante Proconsulis aduentum pacem fieri non posse: legendum enim est ante Consulis aduentum, qui erat L. Scipio, & ipsemet Polybius, paulo ante ὕπατον posuit, non ἀνθύπατον, vt hoc loco. 2. N. XVIII.

Diuersum edit hunc numerum, vt reliquos fere Appianus, aitque amissas in ea pugna ab Antiocho naues, vndetriginta. Is tamen Liuii numerus confirmatur ex eiusdem lib. 40 sub fi. vbi habetur L. Æmylium Regillum vouisse sub huius prælij tempus ædem Laribus permarinis, siue per mare vagantibus, aut naues inhabitantibus, vt penates domos; vbi tamen pro quadraginta. siue LX. legendum est XL. vt Glarean. & Sigonius notarunt, & rursum naues XLII. non LXII. 3. N. XXVII.

Captus autem fuerat, vt ait Iustinus libro 31. & autor de Vir. ill. n. 54. inter nauigandum. Polyb. tantum ait captum initio belli. Appianus, in Græcia, cum à Chalcide peteret Demetriadem; aut Oreum, vt refert Liuius: qui etiam aliam tradit sententiam, captum in Asia cum regia castra exploratum missus esset. Cæterum Appianus ait hunc fuisse Scipionem, qui postea captam Carthaginem diruit, Pauli Æmylij filium, & Scipionis ex filia nepotem, ab eoque adoptatum in filium: verum ætas rem dubiam facit. Nam Africanus annũ agebat nunc 45. quippe 17. agebat initio 2. belli Punici, vt ex Polybio, & Liuio diximus; quomodo tam maturè filium habere potuit ex filia, qui eques iam hostilia castra exploraret. Verum audiamus Cicer. in Cat. Quam fuit imbecillis P. Africani filius, is qui te adoptauit. Non ergo à maiore Africano, sed ab eius filio adoptatus est. Idem habet Plut. in P. Æmylij vita initio. 4. N. XXXIX.

In lib. 1. Mach. c. 8. 6. 120. elephantos dicitur habuisse: quem numerum non est necesse ad præsentem pugnam tantum pertinere; & potest in numeros irrepsisse mendum. 5. N. XXXVI.

Id est 33000. coron. tetradrachmum Atticorum 113. millia. Singuli tetradrachmi æstimantur Cenal. 14. solidis Turon. Itaque tota summa est 26366. ⅔ coron. 60. solidorum. 6. N. XLIX.

ANNVS MVNDI 3865. SEXTÆ AETATIS, 349. Imperij Græcorum 123. Antiochi Magni 36. Oniæ III. Pontificis 19. Ptolemæi Epiphanis 15. Philippi 32. Olympiadis CXLVII. ann. 4. Vrbis Conditæ 564. Coss. M. Fuluio Nobiliore, & Cn. Manlio Volsone.

ANNVS ANTE CHRISTVM 188.

I. Annus tempus. TRIGESIMVM sextum Antiochi magni annum, plerique Eusebium secuti, faciunt vltimum eiusdem regni annum. At nos cum Polybio, Appiano in Syriacis, & Sulpit. Seuero lib. 2. sacræ hist. et etiam sequentem tribuimus; idque & T. Liuij historia l. 38. aperte demonstrat, & Eusebij quoque Chronologia postulat, qui Seleucum huius filium post sequentem annum in regno collocat. Olympiad. 148. 2. Cuius toto regno perseuerat in pontificatu Onias tertius eius nominis, vt patet ex 2. Machabæorum. (Cap. 4. v. 7.)

II. Ætoli pacem a Senatu. CVM sub initium Consulatus Fuluii & Manlii rumor percrebuisset Romæ, vt ex Valerio Antiate refert Liuius, Romanos imperatores in Asia captos ab Antiocho

Æmylius Paulus bene rem gerit in Hispania contra Lusitanos.

prouinciam veniret, L. Æmylius Paulus, qui postea bellum Macedonicum confecit, cum præcedenti anno infeliciter rem gessisset, tumultuario exercitu collecto cum Lusitanis pugnauit: fusi fugatique sunt hostes, cæsa decem & octo millia armatorum, tria millia trecenti capti, & castra expugnata: eius victoriæ fama tranquilliores res in Hispania fecit. Eius rei causa supplicationes in vrbe SC. decretæ.

XI. *Noui Censores.*

SVB id tempus Censores magna contentione creati sunt T. Quintius Flamininus, & M. Claudius Marcellus, repulsu à Censura cum contumelia Acilio Glabrione, vt anno superiore dictum est. Marcellus, inquam, filius eius, qui quinquies Consul in 2. bello Punico cæsus est. P. Scipio Africanus iam tertium princeps Senatus lectus est. Per eosdem Censores L. Æmylio Regillo, qui classe præfectum Regis Antiochi deuicerat, cum Senatus extra vrbem in æde Apollinis datus esset, auditis rebus gestis eius, quantis cum classibus hostium dimicasset, quot inde naues demersisset, aut cepisset, magno consensu Patrum triumphus naualis est decretus. Triumphauit Calend. Febr. vt ait Liuius; quod sine dubio mirum est. Cum enim iam noui Consules profecti essent in prouinciam, oporteret eum mense Ianuario in esse magistratum, & classe in Epirum traiecisse, & ne mendum in mensis nomen irrepsisse dicamus.

Triumphus Æmylii Regilli.

XII. *Ratio temporis.*

SEQVITVR alius triumphus L. Scipionis, qui mense intercalario pridie Cal. Martias factus sit. Vtrunque Sigonius in hunc annum cum Liuio refert, Plin. tamen a ait Scipionem Asiaticum triumphasse anno V. C. 565. nec improbat Cuspin. credens ei triumphum esse decretum vno anno postquam de rebus à se gestis in Senatu disseruisset: quod mihi probari non potest, & facilius sit dicere Plinium alios annales esse secutum, sicut in multis alijs locis: quam etiam Chronologiam sequitur Onophrius. Sed dicamus licet, hæc, quæ maturius à Liuio narrantur, sub finem anni horum Consulum contigisse. Neque opus est dissoluere, cum T. Liuius aperte dicat triumphasse Scipionem, anno fere postquam consulatu abiit. Aliuqui dicendum esset eos tota hyeme ex Asia profectus; nec vllum tempus appareret, quo apparatissimi triumphi præparati essent. Et in hanc sententiam trahere Plinium licet, si eum anni Iuliani, qui tum in vsu iam erat, rationem habuisse dicamus. 1.

a lib. 33. c. 12.

1. e%.

XIII. *Triumphus Scipionis Asiatici.*

DE triumpho L. Scipionis hæc habet Liuius. Haud ita multo post L. Scipio ad vrbem venit, qui ne cognomine fratri cederet, Asiaticum se appellari voluit, & in Senatu & in concione de rebus à se gestis disseruit, ostenditque quantum victoriæ ad Thermopylas de Antiocho, aut de Ætolis partius reportata, huic Asiaticæ cederet, in qua, totius Asiæ vires in acie steterunt, ab vltimis orientis omnium gentium contractis auxiliis. Triumphauit mense intercalario, prid. Calend. Martias. Intercalarius mensis quis esset, audi Censorinum de die natali cap. 20. Cum intercalarium mensem viginti duûm, vel 23. dierum alternis annis addi placuisset, vt ciuilis annus ad naturalem exæquaretur; in mense potissimum Februario, inter Terminalia & Regifugium intercalatum est: idque diu factum, priusquam sentiretur annos ciuiles aliquanto naturalibus esse maiores. Hæc Censorinus.

Intercalarius mensis.

XIV. *Eius pompa.*

PARVM detriumpho dicere Liuius, ait q; Lucii Scipionis triumphum oculorum spectaculo maiorem fuisse, quam Africani fuerat, sed æstimatione certaminis atque periculi tanto minorem, quanto minor belli dux Antiochus quam Annibal fuit. Qui etsi prælio ad Magnesiam interfuit, Imperator tamen belli non fuit. Quæ autem fuerit spectaculi pompa, ne res pecuniaria spinusior sit, seorsim dicam. 2. Illud tamen hoc loco dicam, tulisse eum in triumpho signa militaria 234. Oppidorum simulacra 134. Eburneos dentes mille 231. aureas coronas 234. Duces, regios præfectos, & purpuratos duos & triginta ante currum ductos. Verum ad anni principia redeamus, quandoquidem ista nos Liuium secuti, mensibus aliquot occupauimus.

2. %.

Prætor Cretam adit.

CVM Consules in prouinciam quisque suam peruenisset. Prætor quoque classis præfectus ad classem Ephesum venit. Sed cum Antiochino bello confecto, mare pacatum inuenisset, ne otiosam haberet prouinciam, in Cretam insulam venit, vbi captiuorum Romanorum, atque Italici generis magnus numerus per totam insulam esse dicebatur. Ibi belli metu ex tota insula ad quatuor millia captiuorum recepit, quæ ei naualis triumphi causa fuit, vt scribit Valer. Antias apud Liuium l. 37. extremo. A Creta Ephesum rediit, inde tribus nauib. in Thraciæ oram missis, ab Æno, & Maronia præsidia Antiochi deduci iussit, vt eæ quoq; ciuitates data Græciæ libertate fruerentur.

XV. *Fuluius Consul cum Ætolis pugnat.*

QVOD ad res à Coss. huius anni gestas attinet, M. Fuluius, vt ab eo sumamus initium, cuius propter erat Ætolia prouincia. Apolloniam exercitu traiecto cum Epirotarum principibus consultabat, vnde bellum inciperet. Epirotæ persuaserunt vt Ambraciam aggrederetur, vbi & obsidio non difficilis foret, & aperti ad decertandum campi, si Ætoli auxilio obsessis venirent. Eadem habet Polyb. b Ad famam oppugnationis Ambraciæ, Ætoli primo copijs omnibus ad prohibendam obsidionem venire cupiebant: deinde postquam vrbem maluti iam ex parte circundatam viderunt, diuidere copias placuit. Eupolemus cum mille expeditis Ambraciam profectus, per nondum commissa inter se munimenta intrauit. Nicander cum cætera manu ad depopulandam Acarnaniam iter conuertit.

b in Legat. n. 27

Ambraciæ obsidio.

Consul perfectis iam munimentis quibus sepienda vrbs erat, & operib⁹ quæ admouere muris parabat, quinque simul locis mœnia est aggressus; quæ oppidani strenue propugnabant, & nihilominus diurnis nocturnisque eruptionibus, & custodijs operum, & stationibus terrorem vltro inferebant.

XVI. *Ætoli obsidionem soluere conantur.*

NICANDER cum ex populatione redijsset, audaci conatu soluere obsidionem aggressus est. Nicodamum quendam cum Ætolis quingentis Ambraciam intromittere statuit, qui ad certam constitutam noctem, cum Eupolemo ex vrbe erumperent in Romanos, quibus pugnantibus ipse Nicander cum suis à tergo superueniret; sicque Romani vtrimque cæsi delerentur, aut certe obsidionem turpi & cruenta fuga finirent. Et Nicodamus cum suis intempesta nocte partim fraude, partim vi facta in vrbem penetrauit, & constituta nocte Romanorum opera disturbare, propugnatores cædere animose aggressi sunt; & omnino perfectum fuisset aliquid, si Nicander promissis stetisset. Sed is plane abfuit, siue Romanorum metu deterritus, siue ratus satius esse Amphilochis nuper receptis opem ferre, quos Perseus Philippi filius summa vi oppugnabat: qui vbi Ætolos in se armatos adesse audiuit, omissa obsidione vrbis, in Macedoniam suam, depopulatus agros reuersus est.

XVII. *Irritus labor.*

CVM ergo Ætoli diu pugnantes frustra Nicandrum expectarent, & iam via tutus in vrbem eis receptus esset, in vrbem compelluntur, parte operum incensa, & pluribus aliquanto quam ipsi ceciderant, interfectis: & in reliquum tempus, velut proditi à suis, ad pericula segniores fuerunt; eruptionibus quippe abstinentes, turres & mœnia propugnabant, ad murorum ruinas occurrebant armati, & nouis quamprimum excitatis, accepta damna reparabant. Inde cuniculis tentata res est, non magno aut obsessorum damno, aut obsidentium emolumento.

Rursum pacem quærunt.

Cum hoc in statu ad Ambraciam res essent, & Pleuratus Illyriorum Rex oram maritimam Ætolorum vastaret, Perseus quoque Amphilochiam vexaret & Dolopiam, tribus simul locis bello fatigati, pacis iterum consilia repetunt. Omnium consensus fuit, vt pax si posset æquis, sin minus tolerabilius conditionibus peteretur. Res omnis permissa est Damoclis & Phaneæ prudentiæ, vt agerent quod hoc rerum statu è re Ætolorum esse censerent.

CVM his mandatis legati missi, orare Consulem vt pateret vrbi, misereretur gentis quondam sociæ, miseriis

merus fuit, quorum partem gladius, partem tela, partem præcipitia, & locorum abrupta ruentes hauserunt. Quin etiam è monte elapsos equites, qui ad radices steterant, consecuti passim obtruncarunt. Captiuorum numerus, nam cæsorum iniri via potuit, quadraginta millia dicitur expleuisse; quia omnis generis, ætatisque turbam secum traxerant, demigrantium magis, quam in bellum euntium modo. Hoc bello Tolistubogii, ac Trocmi fracti erant.

Tectosagæ. Bellum integrum cum Tectosagis supererat, quos Tectosacas vocat Ptolemæus, mediosque collocat inter Tolistobogios, & Trocmios, quorum Trocmii cum maxime omnium orientales essent, mirum est non cum vicinis potius Tectosacis fuisse coniunctos: sed harum rerum testem præter Liuium habemus, quod sciam neminem.

XXVII. *A Consule aduentur.* AD Tectosages ergo Consul profectus, tertiis castris Ancyram, nobilem in illis locis vrbem peruenit. Ptolem. Galatiæ Metropolim facit, multumque ab Hali fluuio seiungit, sicut & Liuius, vt mox patebit; cui tamen quidam proximam faciunt. Ancyræ cum statiua essent, vxor Reguli cuiusdam facinus memorabile edidit, cum vim à quodam centurione pertulisset, isque ad leniendam indignitatem iniuriæ, spem reditus ad suos fecisset; illa talentum auri Attici pacta, nuncium ad suos multus permissu mittit, & aurum ad certum locum à duobus famulis deferri iubet. *Facinus mulieris egregium.* Ibi hominem pensantem aurum, mulier lingua sua, quam Romanus non intelligebat, interfici iubet. Tum caput resectum ad maritum defert, acceptæ iniuriæ vltionem. Hæc priuata fraus fuit, quam aliquanto aliter refert liber de vir. ill. c. 55. publica mox altera secuta est.

XXVIII. *Tectosagæ pacem ficte petunt.* EODEM Tectosagum oratores ad Consulem venerunt, orantes ne ante ab Ancyra castra moueret, quam collocutus cum suis regibus esset, omnes eis conditiones pacis bello fore potiores. Tempus in posterum diem constituitur, locusque qui maxime medius inter castra Gallorum, & Ancyram est visus. Quo cum Consul ad tempus præstitutum cum quingentis equitib. venisset, nemine ibi Gallorum inuento, in castra rediit. Eodem redeunt oratores excusantes, religione obiecta reges venire non posse; principes gentis venturos, cum quibus res æque transigi posset. Consul se quoq; Attalum missurum dixit.

Ad hoc colloquium vtrimque ventum est, trecentos equites Attalus præsidij causa cum adduxisset, dictæ sunt pacis conditiones, sed quia absentibus ducibus, finis rei imponi non poterat, conuenit vt postridie Consul, regesque eodem loco congrederentur. Ita belli tempus terere volebant, dum res suas, cum quibus periclitari nolebant, trans Halyn fluuium traijcerent, & quod caput est, ipsi Consuli insidias specie colloquii struerent.

XXIX. *Romanis ex insidijs eua-dunt.* MILLE ad eam rem expertæ audaciæ equites elegerunt; Consul cum eodem quo ante quingentorum equitum præsidio venit. Iamque quinque millia passuum processerat, nec multum à constituto loco aberat, cum repente concitatis equis, hostili impetu ferri Gallos videt: ipse sese ac suos in certamen parat, pugnatur, deinde cum prægrauaret multitudo, cessere sensim, deinde palam in fugam effusi sunt; tum vero instare dissipatis Galli & cædere, magnaque pars oppressa foret, ni statio pabulatorum sexcentorum equites, ad clamorem & cædem fugientium occurrissent; *Cæduntur.* quoniam Tribuni versus ea loca pabulatores, lignatoresq; de industria, cum eo sexcentorum præsidio miserant. Hi arma expedita, profligatam pugnam integri accipiunt, & terrorem à victis ad victores conuertunt, in fugam compellunt, & maximam partem cædunt, reliquos fuga seruauit. Priorem huius historiæ partem habes apud Polyb. in Legat. n. 34. sed Liuius ea posuit.

XXX. *Pugnatur in monte contra Tectosagas.* POSTERIORE Romani ardentibus ira animis, cum omnibus copiis ad hostem peruenerunt, & ne fraus subesset, montem biduo explorans: tertio die Consul in quatuor partes copias diuidit, duas vt medio monte duceret, duas à lateribus, vt aduersus cornua Gallorum erigeret, qui media in acie 50. millia habuisse dicuntur, præter auxilia equitum, qui dimissis equis, quorum nullus inter rupes inæquales erat vsus, in lateribus locati erant, in dextro decem millia, in sinistro quatuor. Prælium Consul eodem modo, quo in altero monte iniit, & à partibus initiis superatus, eundem exitum habuit. Nam à principio velut nubes telorum coniecta ruit aciem Gallorum, nec aut procurrere quisquam ab ordinibus suis audebat, ne vndique corpus ad ictus nudaret; & stantes quo densiores erant, hoc plura, velut destinatum petentibus, vulnera accipiebant.

XXXI. *Et fuga præcipitans.* HINC Consul hoste turbato, receptis intra ordines velitibus, aciem promouet, legiones ostentat. Galli vulneribus fessi, ne primum quidem Romanorum clamorem tulerunt. Pars fuga in castra intra munimenta receperunt sese, pars maior dextra læuaq. effusi, qua quemque impetus tulit, fugerunt. In qua non plus octo millia ceciderunt, reliqui flumen Halyn traiecerunt.

Præda capitur. Eadem breuius Appia. & Zonar. Romanorum magna pars ea nocte in castris hostium mansit, cæteros in sua castra Consul reduxit. Postero die captiuos, prædamque recensuit, quæ tanta fuit quantam auidissima rapiendi gens, cum cis montem Taurum omnia armis per multos annos tenuisset 2000. coaceruare q; potuit. Hæc Liuius: quæ de præda ex Galatarum vrbibus capta, potius intelligenda sunt: nam iam ante hic idem historicus dixit hostem transtulisse res suas trans fluuium Halyn. Nec credibile alioqui est, quamuis Liuius id tacuisset, iam insanum fuisse populum, vt pugnæ incertam aleam subiturus*, imo propemodum certam & exploratam cladem, qualem cognati nuper, ipsi ante triduum senserant, omnia sua hosti in prædam offerre voluerit, & non potius domesticis, & necessarijs seruanda & vtenda relinquere.

XXXII. *Legati de pace mittit.* ILLVD multo probabilius subditur, Gallos ex dissipata fuga in vnum locum congregatos, magna parte saucios aut inermes, oratores de pace ad Consulem misisse. Eos Manlius Ephesum venire iussit, ipse, iam enim medium autumni erat, locis gelidis propinquitate Tauri montis excedere properans, victorem exercitum in hyberna maritimæ oræ reduxit. Ita Liuius; sed huic propinquitati Tauri montis non consentiunt geographicæ tabulæ Ptolemæi, quæ Taurum longo interuallo infra Galatiam ad meridiem collocant, Pamphyliam & Ciliciam, littorales Asiæ prouincias, à superioribus separantem. Sed nec Antitaurum, quem vocant, intelligere potuit. Nam is multo etiam longius à Galatia distat orientem versus; Cappadociam quippe, vastam ac late patentem regionem, intersectam habet.

XXXIII. *Legati Ephesi consulem adeunt. n. 15. Legat.* DVM Consul Cn. Manlius hyemem Ephesi transigit, anno, vt notat Polybius vltimo huius Olympiadis, scilicet 147; (ex quo vides chronologiam nostram adamussim Polybii chronologiæ respondere) legationes vndique ex omnibus ciuitatibus gentibusque, quæ cis Taurum montem incolunt, conueniebant; & vt clarior nobiliorque victoria Romanis de rege Antiocho; quam de Gallis fuit, ita lætior socijs de Gallis fuit, quam de Antiocho. Tolerabilior quippe Regia seruitus fuerat, quam feritas immanium barbarorum, & imminens semper terror: ita illo pulso libertatem sibi natam, istis domitis pacem datam. Propterea non gratulatum modo venerunt, sed coronas etiam aureas, pro suis quæq; facultatibus, attulerunt.

XXXIV. *Quæ illis data responsa.* EODEM & ab Antiocho legati, & ab ipsis Gallis, & à rege Cappadociæ venerunt. Antiochi legati (vnicum tamen Musæum legatum ponit Polybius n. 35.) iussi sunt pecuniam in Pamphyliam; frumentumq;, ex pacto cum L. Scipione fœdere, aduehere, eo se cum exercitu venturum. Gallis responsum, cum Eumenes venisset, tum se eis leges daturum. Legati Ariarathis veniam petebant, quod auxilijs Antiochum iuuissent; ob eam culpam ducenta talenta argenti sunt imperata, ita Liu. sed Polyb. habet sexcenta talenta, estq; id probabilius. Nam hic Ariarathes late in Cappadocia imperabat, & Romani satis laxi

Oroandis Pisidiæ vrbs. Plin.

erant in imperanda pecunia: Liuius ipse paulò ante Oroandensium nescio quorum legatis, imperata ducenta talenta scribit, cum amicitiam peterent. Sexcenta porro talenta Attica respondent 210. millibus coron. Hæc vsq; ad veris initium Ephesi gesta, Liuius l. 28. & Polyb. in legationibus n. 35. testantur.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3865.

t. N. xii. IN triumpho Æmylij Regilli vndequinquaginta coronæ aureæ translata sunt, tetradrachma Attica 34700. quæ diximus 14. solid. Turon à Cenali æstimari, efficient 8096. cor. & 40. solid.

a. N. xiv. Argenti pondo 137420. id est, 1511. millia 620. coron. Tetradrachmum Atticorum 224. millia, id est, eadem qua supra æstimatione, 52266. coron. & quadraginta solid. Cistophorum 331070. quorum valor ignoratur.

Nummos aureos Philippæos 140000. quibus singulis dando 3 aureos, fiunt 420000. coron.

Valorum argenteorum, quæ omnia cælata erant, mille pondo & 424. id est, 15664. coron. Aureorū mille pondo & 24. id est, 101400. coron. Militibus quini viceni denarij, quos Cenalis æstimat quatuor solid. Turon. ergo singulis dati 5. franci, duplex centurioni, & triplex equiti, id est, illi decem, & huic quindecim.

t. N. xvii. In Polybio ita habetur, pro tertia argenti parte, si aurum dare maluerint, dent, modo pro argenteis decem minis vnam auri pendant. Apud eundem totum hoc fœdus copiosius etiam, quam apud Liuium leges. Communis tamen valor auri ad argentum est vnius ad duodecim. Voluerunt forte Romani libram auri decem argenti libris, nec pluribus respondere, vt hoc lucro, decessionem quingentorum talentorum aliqua ex parte compensarent. Nam in singulis auri libris, duas argenti libras lucrabantur. Quamquam id Romani in eorum arbitrio posuerunt.

ANNVS MVNDI 3866. SEXTÆ AETATIS 350. Imperij Græcorum 124. Antiochi Magni 37. & vltimus. Oniæ III. Pontificis 20. Ptolemæi Epiphanis 16. Philippi Macedonum 33. Olympiadis CXLVIII. An. 1. Vrb. cond. 565. Coss. M. Valerio Messala, & C. Liuio Salinatore.

ANNVS ANTE CHRISTVM 187.

I. Finis tempo- ris Antiochi Magni.

ANTIOCHVM Magnum hoc quoque anno vixisse (quo in Olympico ludicro Acesilaus Megalopolites coronatus traditur) iam initio præcedentis anni docuimus: non vltra etiam regnando progressum probat sequens annus apud Eusebium, qui ponitur primus Seleuci; nec quicquam vltra de Antiocho à Liu. aut Polyb. traditur, licet nouus interpres in quartos ab hinc Consules eius regni finem differat, tum ex aliis erratis, tum quia prædecessorem Antiochi diutius regnasse voluit quam veritas patiatur, vt suo loco docuimus: admisso autem vno absurdo, multa alia necessario sequuntur. Eum nihilominus pene secutus est alius sectarius, qui differt eius mortem ad biennium, in Consulatum Albini & Philippi. Sed nostram chronologiam plane certam reddit l. 1. Machab. vbi initium regni Antiochi Epiphanis ponitur anno 137. regni Græcorum, ad quem vsq; annum intercedunt duodecim anni Seleuci, quos illi cum Eusebio omnes tribuunt. At ille cogitur ei vnum annum detrahere, & præterea ei dare successorem non anno 137. regni Græcorum, vt requirit Scriptura, sed 139. in quem cadit quartus annus Olymp. 151. quo ille in primum ponit Antiochi Epiphanis.

C. Inif. c. r. n. 11. Calui.

II. Noui Consu- les creati.

SED priusquam redeamus in Asiam, pauca de creatis Coss. dicamus. M. Fuluius post Achæorum & Lacedæmoniorum apud se disceptationem, quia iam in exitu annus erat, comitiorum causa Romam profectus est, creauitq; M. Valerium Messalam, & C. Liuium Salinatorem, cum M. Æmylium Lepidum inimicum, eo quoque anno petentem deiecisset. Comitiis perfectis M. Fuluium proconsulem in prouinciam redire placuit, eique & collegæ Cn. Manlio imperium in annum prorogatum est. Consules cum Idibus Martiis Consulatum iniissent, cum de Repub. ad Senatum retulissent, nihil de Ætolia vel Asia mutatum est. Consulum alteri Pisæ cum Liguribus, alteri Gallia prouincia decreta est; illa Messalæ, ista C. Liuio euenit. Lustrum à Censoribus proditum edidit hoc anno ciuium Romanorum capita 258. millia & 308.

III. Proconsul ro- dit in prouin- ciam. Regiam pe- cuniam recipit.

CNÆVS Manlius proconsul lustrato primo vere exercitu Epheso profectus, die octauo Apamæam venit. Ibi triduum statiuis habitis, tertiis rursus ab Apamæa castris in Pamphyliam peruenit, quo pecuniam frumentumque regios conuehere iusserat. Mille & quingenta talenta argenti Apamæam deportantur, frumentum exercitui diuiditur. Ita Liuius, sed sine dubio corrigendus est locus, scribendumque bis mille & quingenta; tum quia ita habet Polybius, in Excerpt. legation. n. 35. vnde hæc ipsa mutuatus est Liuius, & Appianus in Syriacis: tum quia Liuius ipse l. 37. in conuentione facta inter Antiochum & Africanum, habet bis mille quingenta talenta datum iri ab Antiocho, cum S. P. Q. R. pacem comprobassent.

Et Pergam Pamphyliæ vrbem adit.

Inde ad Pergam proconsul ducit, quæ vna vrbs in iis locis præsidio regio tenebatur. Appropinquanti Præfectus præsidii obuius fuit, triginta dierum tempus petens, vt regem Antiochum de vrbe tradenda consuleret: eadem habet Polybius. Viuebat ergo etiam hoc anno trigesimo septimo regni Antiochus, vtriusq; historici manifesto testimonio; accedet etiam comprobatio fœderis initi cum Romanis, missis ad eum legatis: sed pergit Liuius; dato tempore ad eam diem, quantum scilicet ad profectionem Syriacam, vbi Rex erat, & reuersionem necesse erat, præsidio decessum est.

IV. Redit inde Apamæam.

A Perga L. Manlio fratre cum 4. millibus militum Oroandam ad reliquum pecuniæ pactæ exigendum misso (pepigerant autem ducenta talenta, vt supra dictum est.) Ipse, quia Eumenem regem, & decem legatos Roma Ephesum venisse audierat, iussis sequi Antiochi legatis, Apamæam exercitum reduxit. Ibi ex decem legatorum sententia, fœdus in hæc fere verba cum Antiocho conscriptum est, quod non pigebit describere, & alicubi cum opus erit, ex Polybio in primis, ex quo desumptum est, illustrare.

Fœdus recognoscitur.

Prima pars lex.

Amicitia regi Antiocho cum pop. Rom. his legibus & conditionibus esto. Ne quem exercitum, qui cum populo Romano sociisue bellum gesturus erit, Rex per fines regni sui, eorumue, qui sub ditione eius erunt, transire sinito, neu qua alia ope iuuato. Idem Romani, sociique Antiocho, & iis qui sub eius imperio erunt, præstent. Hæc est prima lex, fideliter ex Poly. reddita. Altera est

V. Altera.

BELLI *gerendi ius Antiocho ne esto, cum iis qui insulas colunt, neue in Europam transeundi;* belli scilicet gerendi causa: à Polybio enim repetitur, μὴ πολεμεῖν. Intelligit autem insulas maris Ægæi maxime, sed indistincte posuit, vt Rhodum etiam, & quæ ad Cariam, & Lyciam sunt, comprehenderet, quod infra distinctius attinget.

Tertia.

Excedito vrbibus, agris, vicis, castellis, cis Taurum montem, vsque ad Tanaim amnem; & valle Tauri, vsque ad iuga, qua in Lycaoniam vergit. Hæc lex apud Polyb. vitio temporum diminuta est, quam ex Liuio supplemus. Est autem Tanais amnis, qui in Mæotidem paludem influit, & maiorem Asiam ab Europa septentrionem versus disterminat: vt Antiochus intelligat se ab Europa penitus exclusum, in primisque Lysimachia, & Chersoneso: & omnibus quæ in Thracia, & Hellesponto habuerat esse priuatum. Vallem Tauri intelligo, quæ respicit Lyciam, vbi Taurus Lyciam à Pamphylia disterminat, à meridie septentrionem versus. Iuga vero quibus Taurus vergit ad Lycaoniam, sunt quæ in Orientem recta linea feruntur; & separant à septentrione Pamphyliam ab Oroandica Isauria, Lycaonia, vt clare perspici potest apud Ptolemæum in Asiæ tab. 1.

VI. Quarta.

NE *qua arma efferto ex iis oppidis, agris, castellisque quibus excedat: si qua extulit, quæ & quo oportebit, recte restituito.* Aliter hæc quarta lex habetur apud Polyb. *Ne quidquam abducat, præter arma, quæ milites ferunt, si quid extulerit, in easdem vrbes referto.* Non vult inermes exire milites ex præsidijs, sed relinquere machinas, & id genus alia, quæ milites

Imperii Græcorvm An. 124.

Leges pacis cvm Antiocho. Vide Villal. tom. 3. p. 2. l. 2. c. 19.

non solent ferre; sequitur quinta, quæ integra atq; inuariata est in Polybio.

Quinta. *Ne militem, neu quem alium ex regno Eumenis recipito*, vt scilicet inimicitiarum, & proditionum causæ præcidantur: eodem & sexta pertinet.

Sexta. *Si qui earum vrbium ciues, quæ regno abscedunt, cum rege Antiocho, intraque fines eius regni sunt, Apamæam omnes ante certam diem redeunto* clarius, sed odiosius dixit Polyb. *vrbes quas Romani auferunt*, nec certæ diei meminit. Septima. *Qui ex regno Antiochi apud Romanos, sociosq; sunt, iis ius abeundi manendiq; esto.* Idem habet Polyb. Pertinet hæc conditio ad minuendas vires Antiochi, etiam in eo regno quod ei relinquitur.

VII. Octaua. Servos, *seu fugitiuos, seu bello captos, seu qui liber captus, aut transfuga erit, reddito Romanis, sociisq;*. Eadem extat apud Poly. sed sequens inseritur, à Liuio prætermissa, aut suo loco emota. Habetur enim apud eundem l. 37. vbi primũ ab Africano, victo regi conditiones pacis proponuntur.

Nona. *Reddito Antiochus, si in eius potestate fuerit, & Annibalem Amilcaris filium Carthaginiensem, & Mnesilochum Acarnanem, & Thoantem Ætolum, Eubulidem & Philonem Chalcidenses, & quicumque Ætolorum Magistratum gesserint*, qui scilicet omnes belli contra Romanos, tam in Græcia, quam Asia fuerant incentores. Annibalem autem in primis deposcebant, quia certum habebant ibi Romanos pacem habere non posse, vbi esset Annibal, in cuius pectore immortale in Romanos odium viueret.

VIII. Decima. Elephantos *tradito omnes*, addit Polyb. quos in Apamæa habet, *neq; alios parato.*

Vndecima. *Tradito & naues longas, armamentaq; earum, neue plures, quam decem naues actuarias, nulla quarum plus quam triginta remis agatur, habeto; neue minorem ex belli causa, quod ipse illaturus erit: neue nauigato citra Calycadnum, neue Sarpedonem promontoria, extra quam si qua nauis pecuniam, stipendium, aut legatos, aut obsides portabit.* Polyb. non habet minorem, neq; maiorem, quod vnius remi nauigium sonat, sed tantum, neque id belli causa, nec Sarpedonis promontorii meminit; sed tantum Calycadni; quem fluuium facit Ptolem. Appianus Liuium sequitur, potest à fluuio nomen promontorio esse datum. Mirum porro est tanto minorem maris, quam terræ possessionem Antiocho à Romanis concedi: hoc enim promontorium Calycadni vltra terminos Tauri montis, quos ei præfixerunt in terra, & vbi Lycia à Pamphylia separatur, longissime abest, vt ex tabula Ptolem. perspicuum est.

IX. Duodecima. Milites *mercede conducendi ex iis gentibus, quæ sub ditione populi Romani sunt, Antiocho regi ius ne esto; ne voluntarios quidem recipiendi.* Polybius habet fugitiuos, pro voluntariis. Φυγάδας.

Decima tertia. *Rhodiorum, sociorumue quæ ædes, ædificiaq; intra fines regni Antiochi sunt, quo iure ante bellum fuerunt, eo Rhodiorum, sociorumue sunto.* Eadem est in Polybio sententia, licet textu aliquantum corrupto.

Decima quarta. *Si qua pecuniæ debentur, earum exactio esto: si quid ablatum est, id conquirendi, cognoscendi, repetendiq; ius item esto.* Hæc Polyb. de Rhodiis nominatim habet, quæ Liuius de omnibus vniuersè.

Decima quinta. *Si quas vrbes quas tradi oportet, ii tenent, quibus Antiochus dedit, ex iis præsidia deducito, vtiq; recte tradantur curato.* Addit Polyb. si quis præsidiariorum illorum ad eum velint confugere, ne eos illi excipere liceat.

X. Decima sexta. Argenti *probi duodecim millia Attica talenta dato: intra duodecim annos pensionibus æquis: talentum ne minus pondo 80. Romanis ponderibus pendeat, & tritici 140. millia modiûm.* Ambiguam rem facit Liuius, qui videtur octoginta pondo, hoc minas tribuere talento Attico, cum id esset talenti Euboici, quod viginti minis superabat Atticum. Deinde cum supra l. 37. hæc talenta dicta sint Euboica, quomodo nunc Attica vocantur? Verum tota difficultas facile exhauritur ex textu Polybij, vbi habetur ad verbum; nam nouus interpres magis respexit ad textum Liuij, quam Polybij. *Antiochus dato Romanis argenti Attici optimi talenta mille ducenta, in annis duodecim. Dans in singulos annos mille, non minus vero pendat talentum ponderibus Rom. octoginta.* Exigunt Romani argentum ab Antiocho, non qualecumq; sed optimum & purissimum, quale est Atticum: at quod ad pondus attinet, volunt esse Euboicum, quod respõdet octoginta Romanis libris.

XI. Decima septima. Evmeni *Regi talenta 350. intra quinquennium dato, & pro frumento, quod æstimatione fiat, talenta 127.* Polybius habet 359. talenta, quæ solui debeant eodem tempore, quo Romanis. Frumentum autem, vt ab Antiocho rege æstimetur, addit etiam, quod prætermissum est à Liuio; illis 127. talentis, drachmas mille ducentas & octo, quas permisit, inquit, Eumenem accipere, ipsi placitam & probatam pecuniam.

Decima octaua. *Obsides Romanis viginti dato, & pro triennio mutato; ne minores octonûm denûm annorum, neu maiores quinûm quadragenûm.* Appianus addit excepto Antiocho filio; quod ad mutationem & ætatem pertinere potest. Addit & Polybius aliam legem à Liuio prætermissam, quæ sic habet.

Decima nona. *In singulorum annorum pensionibus, si quid à pactis discrepauerit, si qua pecunia resectitia erit, anno proximo pendito.* quæ lex videtur appendix decimæ septimæ, eique immediate subdenda.

XII. Vigesima. Si *qui sociorum populi Romani vltro bellum inferrent Antiocho, vim vi arcendi ius esto. dum ne quam vrbem aut belli iure teneat, aut in amicitiam accipiat; controuersias inter se iure ac iudicio disceptent; aut si vtrisq; placebit, bello.* Hæc postrema verba Liuius addit, prima vero contraxit, Polybius enim habet. *Si quæ vrbes aut gentes, aduersus quas scriptum est, ne bellum gerat Antiochus, priores bellum intulerint &c.*

Vigesima prima. Polyb. *Si quid addi, detrahiue, de communi sententia placuerit, id saluo fœdere liceat.* Hanc legem sicut & illam, quæ est de certis personis dedendis, Liuius seorsim apposuit, suis potius verbis, quam ipsius fœderis.

Hic autem subdit Consulem, aut potius Proconsulem, nam iamdudum creati erant Romæ noui Consules, iurasse in hoc fœdus, & misisse in Syriam, qui à Rege Antiocho iusiurandum exigerent, Q. Minucium Thermum, vnum de decem legatis, & L. Manlium fratrem suum, qui tum forte ab Oroandis redierat.

XIII. Naues Antiochi incensæ. Q. etiam Fabio Labeoni, qui classi præerat, scripsit, vt Patara extemplo proficisceretur; quæq; ibi naues regiæ essent, concideret, cremaretq;. Profectus ille ab Ephesò quinquaginta tectas naues, aut concidit, aut incendit, exemplo obedientiæ in Fabio memorabili, sed in Proconsule consilio vtiq; parum probabili, vt apparet; quas satius erat in Piræeum, aut Romam deducere, & idoneis vsibus reseruare. Voluit forte Manlius eo facto belli finem impositum demonstrare, bellicis nauibus incensis, & terrorem Romani nominis augere.

Fabius classem Romam deducit. Fabius eadem expeditione Telmessum (Lyciæ vrbem à Pathatis Xantho fluuio separatam,) subito aduentu classis territis oppidanis, recepit. Ex Lycia protinus, iussis ab Epheso sequi, qui ibi relicti erant, per insulas in Græciam traiecit. Athenis paucos moratus dies, dum Pyræeum ab Epheso naues venirent, totam inde classem in Italiam reduxit.

XIV. Elephanti redditi Eumeni. Cn. Manlius proconsul cum inter cætera, quæ ab Antiocho accipienda erant, elephantos quoq; accepisset, dono eos Eumeni omnes dedit: & in eius gratiam Ariarathem regem Cappadociæ, non tantum in amicitiam pop. Rom. accepit, sed remisit etiam ei partem dimidiam pecuniæ imperati. Ariarathes in gratiam receptus. Eumeni quippe desponderat per eos dies filiam suam Ariarathes. Deinde cum decem legatis Apamææ causam ciuitatum, Eumenis quoque ac Rhodiorum constituerunt iuxta ea, quæ à Senatu Romæ definita fuerant. Quæ fusius Polyb. n. 36. & Liuius l. 38 referunt. Manlium & Asia decessisse.

His fœderibus decretisq; datis Manlius, cum 10. legatis, omniq; exercitu ad Hellespontum profectus, euocatis eo regulis Gallorum, leges quibus pacem cum Eumene seruarent, dixit; denunciauitq; vt morem vagandi cum armis finirent, agrorumque suorum terminis se continerent. Et reditum parat. Contractis deinde ex omni ora nauibus, & Eumenis etiam classe, per Athenæum eius fratrem ab Elæa adducta, copias omnes in Europam traiecit. Inde per Chersonesum modicis itineribus, graue præda omnis generis agmen trahens, Lysimachiæ statiua habuit, vt quam

maxime recentibus, & integris iumentis Thraciam, per quam iter vulgo horrebant, ingrederetur.

XV. IN itinere, cum iter difficile, atque impeditum occurrisset, diuisis copijs pars vna cum Imperatore antecedebat, altera longo interuallo sequebatur, in medio erant impedimenta, prædaq; omnis cum pecunia. Thraces numero 10. millia, cum primum agmen præteriisset, nec adesset adhuc extremum, prædam in locorum angustijs adoriuntur, cæsisque custodibus, partim ea quæ in plaustris erant diripere, partim sub oneribus iumenta abstrahere. Ad vtrumque agmen perlatus est clamor, vtrimque in medium concurritur, & inordinatum simul pluribus locis prælium conseritur, alibi prædo, alibi prædæ vindex cadit, prout locus iniquus æquusue his aut illis facit, prout numerus & animus pugnantium fuit; multi vtrimque cadunt; nox prælium diremit. Thraces non fuga mortis, aut vulnerum prælio excesserunt, sed quia prædæ satis habebant. In eo prælio mortuus est Q. Minucius Thermus vnus de decem legatis, & Philippus reus creditus est non ignarus huius cædis.

XVI. ALIVS deinde etiam contigit ab iisdem Thracibus, sed quia nudus erat locus, & minus idoneus insidijs, ferè innoxius Romanis fuit. Inde in Macedoniam, ac Thessaliam traductus exercitus: postremo per Epirum cum Apolloniam peruenisset, non ausus traijcere imminente hyeme, Apolloniæ hybernauit. Superest vt de Antiochi morte dicamus: verum prius aliquid de afflicta Lacedæmoniorum ab Achæis Rep. ex Liuio dicendum. Superiore anno iussu Fuluij consulis ab vtrisq; legati Romam missi fuerant. Romani, apud quos gens Achæorum magnæ autoritatis tunc erat, eos offendere nolebant, nihil tamen nouari de Lacedæmonijs placebat. Itaq; responsum dederunt ita perplexum, vt Achæi suæ potestati traditos Lacedæmonios interpretarentur, hi autem non omnia eis in se concessa crederent.

XVII. HAC potestate Achæi superbe vsi, initio veris continuata Philopœmeni prætura exercitum cogunt, in fines Laconum inducunt, autores defectionis deposcunt, pollicitis nihil illos indicta causa passuros. Qui nominatim deposcebantur, spoponderunt se ituros, fide accepta à legatis vim abfuturam, donec causam dixissent. Iuere cum ipsis & alij viri illustres, quia causam Reip. agi videbant.

Cum ad portam castrorum ventum esset, & Spartanis occurrissent exules ipsorum, quos illi pessime oderant, res facile ad iurgia & vim processit: & cum nominis isti deos legatosque testarentur, & Philopœmen vim prohiberet exules tamen concitatis locis, septemdecim, in quos vincula coniecerant, interfecerunt. Sexaginta tres postero die comprehensi, à quibus Prætor vim arcuerat, quia perire indicta causa nolebat, iratæ multitudini obiecti, cum auersis auribus pauca locuti essent, damnati omnes, & traditi sunt ad supplicium.

XVIII. Hoc metu territis Spartanis, Imperatum vt muros diruerent, mercenarios & externos auxiliares terra Laconica exigerent, seruos à tyrannis libertate donatos, ante diem certam abigerent. Lycurgi leges moresque abrogarent, Achæorum legibus assuescerent, exules denique ciuitati redderentur. Quæ cum facta essent, Sparta eneruata Achæis obnoxia facta est, & leges Lycurgi, quibus per octingentos annos assueuerant antiquatæ sunt, vt tradit Liuius l. 38. At in nostra chronologia, si sumas latas leges anno 3153. sunt 714. sin autem, quoniam res incerta est, 3170. sunt 697. constatq; sæpius interruptam eam disciplinam, vt ex vita Agidis & Cleomenis apud Plutarchum intelligi potest: qui in vita Philopœmenis, ait ex Polybio 80. Spartiatas ab illo occisos, vt vero tradidit Aristocrates 350. & reliquam historiam ex iis, quæ ex Liuio tradidimus, pertexit: additq; Spartanos aliquanto post, beneficio pop. Rom. relictis institutis Achaicis, pristina & sua quantum fieri potuit restituisse ac stabiliuisse. Cæterum Lacedæmonii iis de rebus querelas Romam detulerunt, & sequenti anno literas à M. Æmylio consule expresserunt, quibus Achæos increpabat ob male administratas res Spartæ, vt author est Polyb. n. 37.

XIX. *Mors Antiochi Magni.* INTEREA mortuus est Antiochus Magnus anno 37. regni sui, vt iam semel iterumq; docuimus: sed mortis aut locus aut modus parum est compertus. Daniel cum exposuisset irritum eius conatum in obtinenda Ægypto, per filiam suam Cleopatram, Ptolemæo Epiphani matrimonio traditam; subdit. *Et conuertet faciem suam ad insulas, & capiet multas*, opera scilicet vsus Polyxenidæ, quem classis suæ præfectum habuit. Intelligit autem Antiochi expeditionem in Græciam, qua Eubœam primum insulam, Delum, magnamq; partem Thessaliæ, & Bœotiæ, in suam potestatem redegit, de quibus Liuius l. 35. Minutas autem insulas Ægæi maris, quas plurimas nullo negotio habuit consentientes, Liuius omisit. Aurel. Victor ait Antiochum Græciam, insulasque eius occupasse, D. Hieron. ait cœpisse Rhodum, Samum, Colophonem, & Phocæam, quod nusquam in Liuio, vel Polybio inuenio, præterquam de Phocæa ad Antiochum, imo Seleucum filium eius, deficiente, qua de re Liuius l. 37. & naualem Rhodiorum cladem, duce Pausistrato & irritam Colophonis obsidionem. *l. de vir. ill. n. 54.*

XX. *Ex Danielis Prophetia.* PERGIT Daniel, *Et cessare faciet principem opprobrij sui*, quæ verba per obscura sunt, vt patet ex varijs expositionib. quas hic affert Pererius, quibus hæc addi potest. Antioch. multas ciuitates in ora totius Asiæ, partim metu, partim voluntate in deditionem acceperat, propositum habens se Phil. coniungere, quem Romani bello vexabant; cum Rhodij non deterriti tanta mole imminentis belli, legatos ad Regem mittere ausi sunt, nunciantes si non contineret copias suas, se obuiam ituros, non ab odio vllo, sed ne coniungi cum Philippo paterentur, & impedimento esse Romanis liberantibus Græciam. *Rhodiorum legatio in Antiochum.* Et quamquam ea erat legatio (ait Liuius l. 33.) quæ accendere regium animũ posset, temperauit iræ, & legatos se Rhodum missurum respondit &c. Hoc ergo opprobrium suum, & contumeliam exigui populi, minas intentantis Monarchiæ potentissimo vltus est, & cessare fecit, cum euocatus ab Ætolis in Græciam, magnam illius partem subiugauit: præsertim cum illos ipsos, cum eorum duce Pausistrato per Polyxenidam classis suæ præfectum, ingenti clade affecit. *Liu. l. 37.* Dicitur autem princeps opprobrij, quia primus ausus est hic populus Antiochum parui facere, quem vniuersus oriens, Syria, Ægyptus, Græcia, imo & Romani ipsi formidabant. Et adiuuat hanc interpretationem textus græcus, qui habet cessare faciet principes, quia scilicet hic populus non à rege vno, sed à magistratibus, & concilio publico regebatur.

XXI. *Expositio S. Hieron.* DIVVS Hieronymus hunc principem videtur intelligere Romanum Imperatorem. Ait enim occurrisse Antiocho L. Scipionem Nasicam, à quo is victus est: sed ea expositio nec facile textui aptari potest, nec Nasica bellum gessit contra Antiochum, vt notauit Perer. dudum ante Scaligerum, nec is dictus est Lucius, sed P. & consobrinus fuit Africani ex Patruo, non frater, cui ex victoria, ad L. Cornelij Scipionis nomen, cognomen Asiatici adiectum est.

Omnes Antiochi clades. Illa autem verba Prophetæ, *& opprobrium eius conuertetur in eum*; comprehendunt omnes eius terrestres maritimasque clades, quibus & à M. Acilio Glabrione Coss. ad Thermopylas, & à C. Liuio Præfecto Romanæ classis ad Corycum, & à Rhodijs ad Sidam promontorium, vbi Annibal cum Phœnicia classe victus est, & à L. Æmylio Regillo prætore ad Myonnesum promontorium, & à L. Scipione Consule ad Magnesiã afflictus est, & compulsus in Syriam fugere, non exigua regni sui parte mulctatus: insuper grauissimum tributum Romanis pendere, & leges victus accipere coactus est, vt fusius ex Liuio l. 37. & 38. intelliges.

XXII. RELIQVA Danielis de Antiochi morte verba sunt, *Et conuertet faciem suam ad imperium terræ suæ, & impinget, & corruet, & non inuenietur.* Ea verba sic explicat D. Hieronym. Victus ergo Antiochus, intra *vel vltra* Taurum regnare iussus est; & inde fugit ad Apamiam ac Susam, & vltimas regni sui penetrauit vrbes. Cumque aduersus Elymæos pugnaret, cum omni est deletus exercitu. Hæc Hie-

ronymus, quem hallucinatum scribit Scaliger in Euseb. quod ille interitus ad Elymæos Antiocho Epiphani conueniat, non Antiocho Magno. D. tamen Hierony. videtur secutus Strabonem qui de Elymæis agens, Antiochum quidem Magnum, inquit, Beli templum spoliare conatum, finitimi barbari, absque aliorum ope adorti, interemerunt. Nec Antiochus Epiphanes ab Elymæis interfectus est, sed fugatus. a [lib. 16.] [a vt patet ex 1. Mac. 6. & 2. Machab. 9.]

EADEM videtur Iustini sententia l. 32. Interea, inquit, in Syria Rex Antiochus, cum graui tributo pacis à Romanis premeretur, & victus oneratusque esset, seu inopia pecuniæ compulsus, seu auaritia sollicitatus, qua sperabat se, sub spem tributariæ necessitatis, excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercitu nocte templum Dyndimæi Iouis aggreditur. Qua re prodita, concursu incolarum cum omni militia interficitur. Sic ipse; vbi vides in templo tantum Iouis, aut Beli esse discrimen. Sunt qui Antiochi magni mortem describi putent, cap. 1. lib. 2. Machab. sed ille sub annum 188. regni Græcorum mortuus est, annis ab hinc 4. & sexaginta, vt suo loco ostendemus. Deniq; ne hoc etiam omittamus, licet parum scriptis aliorum consentaneum, Aurelius Victor, ait eum à Sodalib', quos tumulentus in conuiuio pulsauerat, occisum fuisse. Eius mortem vt incompertam Liuius & Appianus prætermiserunt. Polybius imperfectus est. [De ea Iustini opinio.] [vt ex eod. loco patet v. 10. l. de vir. illu. c. 14. de Aurelij Victore.]

ANNVS MVNDI 3867. SEXTÆ AETATIS, 351. Imperij Græcorum 125. Seleuci Philopat. 1. Oniæ III. Pontificis 21. Ptolemæi Epiphanis 17. Philippi 34. Olympiadis CXLVIII. ann. 2. Vrbis Conditæ 566. Coss. M. Aemylio Lepido, C. Flaminio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 186.

I. [Noui Coss.] EXSTV prope anni, inquit Liuius l. 38. M. Valerius Consul ex Ligurib' ad Magistratus subrogandos Romam venit, nulla memorabili re in prouincia gesta, vt ea probabilis moræ causa esset, quod solito serius ad comitia venisset. Comitia Coss. rogandis fuerunt ad duodecimum Cal. Mart. Ita Liuius; ex quo intelligitur, maturius etiam designari solitos hoc tempore Coss. licet inirent Magistratum Idibus Martijs. Creati porro sunt M. Æmylius Lepidus, & C. Flaminius, quem Nepotem quidā cognominant, eodem opinor errore quo supra C. Lælium. Itaq; cognomine abstinent Sigonius & Onophrius, & Gordonus, Greillius, nec vllus antiquorum vsurpat. Pighius in ambiguo ludit. Hic Flaminius esse dicitur ab Onuph. & qui eum sequitur, Greillio, qui à Catone Censore Senatu ignominiæ causa motus est. Verum is dictus est est L. Flamininus, & frater fuit T. Flaminini Censoris, vt patet ex Cic. de senectute. Cæterum M. Æmylius iam bis repulsam passus erat in petendo Consulatu, tum annitente inimico eius M. Fuluio, tum quod Prouinciam Siciliam, quam Prætor administrabat, petendi causa, inconsulto Senatu, reliquisset. Ita præpropera ambitio, repulsā ac tarditate punita est. Consul tamen iterum deinde factus est, & Censor, & sexies princeps Senatus. [[illegible]]

II. [[illegible]] Hoc anno secundo huius Olympiadis, initium regni Seleuci Philopatoris ponit Eusebius, in Chronico tam Græco quam Latino. Zonaras autem sub huius anni Cōsulibus eum Parenti demortuo successisse tradit. Sulpitius Seuerus l. 2. ait eum natu minorem fuisse, successisse autem regno propter absentiam Antiochi, qui Romæ obses erat: eique assentitur Sigonius, & Genebrard. in in Chron. Repugnat Appianus in Syriacis, vbi Antiochum, qui datus est obses, iuniorem vocat, & Liuius Seleucum vt egregium belli ducem contra Romanos describit. Et Temporar. in Chron. ait Antiochum Epiphanem post Seleucum impubem adhuc regem constitutum esse; quod non probatur. Oportuisset enim eum anniculum aut ad summum bimulum, Romam obsidem esse missum, nec credibile est Antiochum senem, immediatū regni hæredem obsidem dedisse. Quare autem dictus sit Philopator non reperio. Id nomen videtur consecutus in bellis contra Romanos pro patre gestis. Iosephus, b vocat eum Soterem. [Natu maior Antiocho Epiphane.] [b [illegible]]

III. [Gesta eius obscura.] APPIANVS ait eum vixisse otiosum, nec admodum potentem, propter cladem quam pater acceperat. Regnasse tamen affirmat annis duodecim, idemque affirmat Eusebius, & Sulpitius Seuerus. Zonaras quoque ait eum multo tempore regnasse. Iosephus c ei videtur septennium regni tribuere, vbi ait Hyrcanum quendam Iudæum præfuisse per septennium tractui cuidam trans Iordanem, toto tempore quo Seleucus regnauit in Syria, post cuius obitum, Antiochus Epiphanes eius frater in regnum successerit. Sic ille. qui licet nihil certi habet in Chronol. tamen multos ei annos regni tribuit, sed de rebus ab eo in regno gestis, nullum verbum aut ipse affert, aut Poly. Liuius, Appianus, Eusebius, Zonaras, Iustinus, nisi quod fratrem, dato in eius locum filio suo Demetrio, obsidione Romana eduxerit. [c l. 12. c. 5.] [Regni tēpus.]

IV. [Quid de eo Daniel d c. 11. 20.] DE eius in regnum successione Daniel d ita scribit. *Et stabit in loco eius vilissimus, & indignus decore regio, & in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio.* Quæ explicans D. Hieronym. ait. *Seleucum dicit cognomento Philopatorem, filium Magni Antiochi, qui nihil dignum Syria & patria gessit imperio, & absque vllis prælijs inglorius perijt.* In Græco quemadmodum agnoscit idem S. Doctor. *Et surget de radice eius planta regni*; ex quo refutatur Porphyrius, qui hic non Seleucum, sed Ptolemæum Epiphanem regem Ægypti intelligi putabat: refutantur & Iudæi qui Tryphonem; neuter enim de radice Antiochi Magni surrexit. Pergit, *in præparationem eius transferent*, scilicet tributum, *facient gloriam regni*, quod alioqui à Romanis ederetur. *Et in diebus illis*, postremis videlicet imperij sui, *conteretur*, & *non in facie*, id est, coram hoste, *neque in prælio stabit*.

V. [Ex Hebræo textu.] IN Hebræo habetur ad verbum. *Et stabit super basi eius, transferens exactorem gloriæ regni, & in diebus vnis*, id est paucis, *conteretur, & non in faciebus, & non in prælio.* Vbi Vatablus, Auferet exactores tributorum, quasi dicat, à bello alienus erit, cuius nerui sunt pecunia. Non recte, vt opinor: non enim abstulit exactores, sed potius transire fecit per regnum suum ad colligenda tributa, vt explicat Genebr. in chron. vbi versionem vulgatam non probat. Tigurina habet, circum mittet exigentem tributa. Placet etiam illud Pagnini, *transferens exactorem*: eos enim transtulit, cum mitteret Romam, ad soluendum quotannis mille talenta, simulq; regni sui gloriam, & magnificentiam in Italiam transferebat. Vnde maiestatem dignam imperio orientis, dignam Antiochi Magni filio tenere non poterat.

VI. [Quomodo paucis diebus conteratur.] ET sub reditum fratris ex Vrbe, intra paucos dies ab Heliodoro insidijs oppressus est, vt in fine regni eius dicemus. Itaque paucos dies, non ad regni durationem refero, sed ad tempus, quo insidijs appetitus & oppressus est. Nisi malis durationem regni Seleuci dici paucos dies, comparatione 37. annorum patris eius. Sicut Liuius l. 41. perbreue tempus dixit regni Persei, quod decem annorum aut amplius fuit, ad 4[illegible]. quib. regnauit pater eius Philippus. Si quis rectius textum Latinum cum Græco & Hebræo, & ipsa historia concionauit, perlibenter eius sententiæ subscribam.

Hoc anno Ptolemæus Epiphanes, legatum misit Demetrium Atheniensem, vt amicitiam & fœdus cum Achæis & Prætore Philopœmene renouaret; qui fœdere libenter renouato, legatos in Ægyptum, qui id ibidem iureiurando firmarent, miserunt, in quibus fuit Lycortas pater Polybij, vt ipse in legat. testatur. e Vbi aliquid de huius Ptolemæi moribus & industria, sed res non caret suspicione adulationis. Nunc ad rem Romanam transeo. [e n. 13.]

VII. [Deditos [illegible] qui [illegible] pulsarant.] ET statim huius anni initio tradit Liuius L. Minutium Myrtilum, & L. Manlium, quod legatos Carthaginienses pulsasse dicebantur, iussu M. Claudij Prætoris

vrbis, per feciales traditos esse legatis, & Carthaginem auectos. Non erat hoc anno Prætor Vrbanus M. Claudius Marcellus, sed Ser. Sulpicius: itaq; dicendum eos damnatos à Claudio superiori anno, isto autem iudicium executioni mandatum.

Manlius & Fuluius de prouinciis decedunt. In Liguribus cum magni ac gliscentis fama esset, visum est Senatui vtrumque Consulem cum exercitu eo destinare. Sed ei SC. intercedebat Æmylius Lepidus, indignum esse prædicans Consules ambos in Ligurum valles includi, interim M. Fuluium, & Cn. Manlium alterum in Europa, alterum in Asia, quasi Philippo & Antiocho substitutos regnare: vagari eos cum belli terrore per nationes, quibus bellum indictum non sit, pacem pretio venditantes. Senatus in sententia perstitit. Manlium autem & Fuluium, qui biennio ante Consules, imperium habuerunt prorogatum, decedere de prouinciis, & Romam exercitus transportare iussit.

VIII. *Æmylius Fuluium insectatur.* ÆMYLIVS Consul deiectus spe succedendi M. Fuluio aut Cn. Manlio, Fuluium inimicum vlcisci parat; & ad inuidiam ei faciendam legatos Ambracienses in Senatum inducit, qui quererentur sibi bellum illatum cum in pace essent, & imperata à Consulibus facerent: terrore subitæ populationis clausisse portas, inde omnia hostilia expertos. Æmylij collega Flaminius Fuluij causam suscepit: docuit nihil esse noui quod victi querantur, & in inuidiam victores trahant, ita M. Marcellum à Syracusanis accusatum, Q. Fuluium à Campanis; nihil mirum si hostilia passi sint, qui cum Ætolis facerent, sentirentque, eosque haberent vrbis suæ propugnatores. *Defenditur à collega Flaminio.* Itaque negauit se passurum quidquam absente Fuluio de Ambraciensibus, aut Ætolis decerni. Aliquanto tamen post cum per ægritudinem abesset à Senatu, Æmylius occasione vsus à Senatu obtinuit, vt Ambraciensibus res suæ redderentur, in libertate essent, ac legibus suis vterentur. *Decretum de Ambraciensibus.* Fuluium nihilominus triumphasse, infra ex Liuio dicemus.

IX. *Cn. Manlius triumphum petit.* PROFECTIS in prouinciam Consulibus Cn. Manlius Proconsul Romam venit. Cui cum à Ser. Sulpicio Prætore Senatus ad ædem Bellonæ datus esset, & ipse, commemoratis rebus à se gestis, postulasset vt triumphanti sibi in vrbem inuehi liceret. Pars maior legatorum ei contradixerunt, accusantes quod iniussu S.P.Q.R. bellum contra Gallos gessisset, quod prædatorio more exercitum Attalo duce circumduxisset, quod sua temeritate cladem à Thracibus accepisset.

Docet bellum recte susceptum. Respondet Manlius, questus primum legatos suos, quos honoris sui socios, ac testes habere ipsum oportuisset, inuidia stimulante in accusatores esse versos. Docet legitimum bellum in Gallos fuisse, & à Senatu decretum, atque à populo iussum, hoc ipso quod bellum Antiocho indictum est, eisque qui eius partes tuerentur. Gallos autem in acie in vtroque cornu contra Romanos stetisse. Quod si ad protegendas, & liberandas seruitute Asiæ vrbes, bellari oportuit contra Antiochum; omnium ciuitatum Asiæ vnam esse vocem, grauiori seruitute liberatos se Gallis edomitis, quam Antiocho trans Taurum emoto. Nec possessionem Eumenis, & Rhodiorum, aut aliarum vrbium libertatem tutam esse potuisse, nisi Gallorum ferocia compressa.

X. *A se purgat.* SIC suscepti belli purgato crimine, etiam gesti reddit rationem. Diis scilicet autoribus gessisse, & fauentibus geminam victoriam retulisse. Hostem etiam iniquo loco superasse, idq; ad augendam suam gloriam, non ad deterendam valere debere. Thraciæ saltus complanare non potuisse, nulliq; vt latrones incurrerent prohibere: eos tamen semel, iterumq; fortiter profligasse: neq; prohibere potuisse, ne qui de Romano exercitu caderent, ne quid de præda exercitus, à tanto latronum numero raperetur. Tantumq; abesse vt Thracum incursio res in Asia gestas obscurare debeat, vt si nihil ibi gestum esset, gemina tamen de Thracibus victoria triumphum mereatur. Hæc pro se in Senatu Cn. Manlius.

Impetrat triumphum. Videbatur nihilominus repulsam passurus Manlius, ni altercatione in noctem ea die pertracta, amici Manlii gratia precibusq; Senatorum suffragia eblandiri fuissent, & pudorem eis iniecissent de non concedendo triumpho illi imperatori, qui perduellibus deuictis, conuecta prouincia, exercitum reportasset.

XI. *Africanus accusatur male accepta pecunia.* SED hanc contentionem, clarior contra Scipionem Africanum disceptatio oppressit. In hunc enim annum eam refert T. Liuius, sicut eius mortem, & fratris eius damnationem. Et quamuis variantibus veterum scriptis, dubiam rem esse velit, eius tamen facto plerique omnes deinceps subscripsere, & in hunc annum retulere.

P. ergo Scipioni Africano, post fratris triumphum, duo Q. Petilii Tribuni plebis diem dixere, pecuniæ captæ reum fecerunt; filium captum sine pretio redditum, ab Antiocho Scipionem omnibus rebus cultum, tanquam in illius manu pax Romana, bellumq; esset, aliaque multa in eum inuidiæ conflandæ causa coniecerunt. Appianus autem, *Hic fuit finis*, inquit, *belli inter Antiochum & Romanum populum, quod quidam putant non processisse vlterius, propter beneficium collatum in Scipionis filium. Nec defuerunt qui reuerso Scipioni ea de causa negotium facesserent, die ei dicta à duobus trib. pl. quod largitionibus corruptus, publicam vtilitatem prodidisset.* Eamque in rem argumentum sumebant, vt ait Zonaras, quod nihil grauius Antiocho imperasset, postquam victus est, quam ante certamen transito Hellesponto exegisset.

XII. *Defendit se.* TVM Scipio iussus causam dicere, sine vlla criminum mentione orationem adeo magnificam de rebus ab se gestis est exorsus, vt satis constaret neminem vnquam neque verius neque melius laudatum esse. Dicebantur enim ab eodem animo ingenioque à quo gesta erant, & aurium fastidium aberat, quia pro periculo, non in gloriam referebantur. Orationibus in noctem perductis producta dies est. Vbi ea venit, Tribuni in rostris prima luce consederunt. Citatus reus magno agmine amicorum, clientumque, per mediam concionem ad rostra subijt, silentioque facto, Tribunos, populumque Rom. monuit illum ipsum esse diem, quo cum Annibale, & Carthaginiensibus fœliciter in Africa pugnarat. Itaque se inde recta in Capitolium ad gratias superis agendas proficisci, autoremque esse ipsis omnibus, vt eodem gratulabundi ipsi procedant, deosque orent, vt multos sibi similes principes concedant.

XIII. *Abducit concionem à iudicio.* INDE recta in Capitolium profectus, totam secum concionem abduxit, solis tribunis cum pudore derelictis. A Capitolio, per totam vrbem omnia templa Deûm cum populo Rom. circumiit, maiore prope gloria, quam cum triumphans de Syphace rege, & Carthaginiensibus vrbem est inuectus. Aurelius Victor in viris illust. ait eum antequam ascenderet in Capitolium, librum rationum in conspectu populi conscidisse, indignantem, vt ait Liuius, quod cum bis millies in ærarium intulisset, quadragies ab se posceretur, quinquagesima scilicet pars totius summæ. Appianus ait festo habitu illum in iudicium venisse, non reorum more sordidatum. Post eum diem cum inuidiam & certamina cum Tribunis prospiceret, die longiore producta in Liternum concessit, (ea erat colonia Romana, in littore Campaniæ, non longe à Neapoli,) ne ad dicendam causam adesset. *Abit ab vrbe.* Maior quippe animus & natura erat, ac maiori fortunæ assuetus, quã vt reus esse sciret, & summittere se in humilitatem causam dicentium.

XIV. *Citatur absens.* VBI dies venit, citariq; absens est cœptus, L. Scipio morbum absentiæ causam excusabat. At illi excusationem non accipere, sed superbiam accusare, quæ cum nunc declinare iudicium, vt nuper ciderem insultare coëgisset: nec tamen ausi sunt in villam eius mittere, qui eum inde ad causam dicendam extraherent, qui septemdecim annis ante, *a* in Siciliam miserant, qui eum prehenderent, & Romam reducerent.

Diesque producitur fauente Tib. Graccho. Tandem statuerunt morbi causam accipere, diemque producere; eique in primis fauente Tib. Sempr. Graccho licet inimico; quod vel admiratione captus esset magnitudinis animi Scipionis, vel commotus rei indignitate, vt is Reus adolescentium conuitijs exponeretur,

a anno sic. V.C. 549

qui

qui Romanam Remp. rebus vbique gentium præclare gestis ad tantam dignitatem extulisset: Cui Senatus eo nomine gratias egit, quod inimicos Africani repressisset; & ipse Reipub. maiestatem, quæ in Africano violari videbatur, priuatis simultatibus potiorem habuisset. Petilios autem vexauit probris, quod splendere aliena inuidia voluissent, & spolia superba ex Africani triumpho peterent.

XV. *Reliquam vitam Literni agit.* SILENTIVM deinde de Africano fuit, vitam Literni egit sine desiderio vrbis; morientem rure, eo ipso loco sepeliri se iussisse ferunt, monumentumque ibi ædificari, ne funus sibi in ingrata patria fieret. Id eum ab vxore petiisse scribit Aurelius Victor. *a* Plutarch. ait eum annos 4. & quinquaginta vixisse. Quod si verum est, & stare volumus quæ Liuius & Polybius asserunt, de anno eius 17. initio 2. belli Punici, oportebit eum vsque ad annum Vrbis 572. viuendo peruenisse. Liuius tamen cum tradit eius mortem L. Scipionis damnationem antecessisse, quæ hoc ipso anno creditur contigisse, oportet etiam vt ei tantum annos vitæ tribuat duodequinquaginta. Verum ipse se hæc incerta tradere profitetur. Imo sub finem l. 39. eum paulo ante Censuram Catonis mortuum existimat: idque Cic. in lib. de Senect. confirmat: qui ait eum mortuum anno ante Catonem censorem, & nouem annis post eius Consulatum: is autem annus est V.C. 568. vt dicemus.

a l. de vir. ill. c. 49.

Quandiu vixerit.

XVI. *Cato curat accusari L. Scipionem Asiaticum.* PONAMVS ergo eum vitam, vel potius patriam hoc anno deseruisse. Eius absentia creuere inimicorum animi: quorum princeps fuit M. Porcius Cato, qui eius solebat allatrare magnitudinem, vt ait Liuius, eoque autore existimantur Petilij, & præsente Africano rem aggressi, & exule rogationem promulgasse, qua iussit populus inquiri de pecunia bello Antiocheno quæsita; qua rogatione & L. Scipio, & Cn. Manlius petebantur. Eius rogationis suasor fuit M. Cato, dissuasor Scipio, intercedebant Q. & L. Mummij Tribuni plebis, sed Catonis autoritate deterriti, cesserunt. L. Scipio, Q. Terentio Culleone prætore, factus est reus, & cum A. Hostilio legato, & C. Furio damnatus acceptæ & interuersæ ingentis pecuniæ Antiochenæ, de qua satis paulo ante diximus; præsertim cum eas pecuniarum summas parū certas esse Liuius ipse fateatur, sicut & diē, & annū, & locū mortis, & sepulturæ Africani.

XVII. *Damnatus peculatus adit periculum carceri.* ADDIT etiam Tib. Gracchum, cum L. Scipio in vincula duceretur, nec quisquam collegarum auxilio esset, intercessisse, quamuis inimicum, vt qui assereret indignum esse, in quem carcerem vidisset reges & imperatores hostium ab Africano duci, in eum fratrem eius detrudi permittere; eamque indignitatem luculenta oratione Scipio Nasica demonstrauit. Permisit tamen Gracchus in bona L. Scipionis Quæstores inuadere: in quibus cum nullum vestigium pecuniæ regiæ inuentum esset, & cum eius patrimonium vehementer amplificatum eo peculatu fuisse oporteret, impar tamen summæ qua damnabatur esse apparuisset, intellectum est eum non furti, sed fraternæ esse damnatum inuidiæ causa. Itaque Scipionum inuidia in Prætorem, & concilium eius, & accusatores conuersa est. Quæ Scipioni necessaria erant ad vitæ cultum, à proximis cognatis ei redempta sunt.

Militat in Asiam legatus. *b l. 39.* Addit his Liuius, *b* ex Valerio Antiate, L. Scipionem post damnationem & bona vendita, legatum in Asiam missum, ad dirimenda inter Antiochum regem, & Eumenem certamina; tumque ei collatas pecunias, ex quibus ludos, quos bello Antiocheno vouerat, per dies decem fecerit. Ex quo intelligitur vel Antiochum ad aliquam huius anni partem pertinere, sicque tanto magis confirmantur eius anni triginta septem: vel Antiatem de Antiocho retulisse, quæ ad eius filium Seleucum pertinebant.

XVIII. *Res in Liguribus gestæ.* DVM hæc Romæ aguntur, si modo hoc anno acta sunt, ait Liuius l. 39. Ambo Consules in Liguribus bellum gerebant, qui hostis de industria exoriri videbatur, vt militarem disciplinam, quæ in Græcia, atque Asia soluebatur, retineret, atque exerceret. Quibus similia sunt, quæ Iud. c. 3. scribuntur de Chananæis ad exercitationem Israëlitarum relictis. Cum Liguribus vterque Consul pluribus prælijs secundis certauit, eos in deditionem accepit, armis spoliauit, cis trausque Apenninum perdomuit.

Et in Cenomanos. In Gallia M. Furius Prætor insontibus Cenomanis, in pace materiam belli quærens, ademerat arma. Id Cenomani Romæ apud Senatum conquesti, reiectique ad Æmylium Consulem, vt ea de re cognosceret, statueretque; magna contra Prætorem contentione obtinuerunt, vt sibi arma redderentur, ipseque Prætor decedere prouincia iussus est.

Latini domū redire iussi. Legati etiam Latini nominis, cum multos è suis Romam commigrasse questi essent apud Senatum, iussus est Prætor inquirere: conquisitione facta ad duodecim millia Latinorum domum rediere.

XIX. *Fuluius Proconsul petit triumphum.* PRIVSQVAM Coss. Romam redirent, M. Fuluius Proconsul, quem absentem Æmylius Consul iam vexauerat, ex Ætolia redit. Cumque de rebus à se in Ætolia & Cephalenia gestis, in Senatu ad Ædem Apollinis disseruisset, petiit à Patribus triumphum. M. Aburius tribunus pleb. intercessurum se ostendit, si quid ea de re, ante aduentum Æmylij Consulis decerneretur; quippe ita sibi ab eo in prouinciam abeunte mandatum, quòd contradicere vellet. M. Fuluius contra contendebat, non permittendum Consuli ita inimicitias exercere, vt pro arbitrio suo, etiam absens honorem superis debitum, & hominibus bene de Rep. meritis impedire, aut retardare posset. Præsertim cum ab inimico nihil æqui aut iusti in aduersarium expectari posset, qui iam Senatum in fraudem, falsa de Ambracia relatione induxerit. Itaque P. C. orabat, & à Tribunis petebat, ne se superbissimo inimico ludibrio esse sinerent. *Intercedunt.*

XX. *Euincitur.* HIC omnes vndique, alij deprecari Tribunum, alij castigare. Tib. Gracchus in primis, qui negabat conuenire, irato Consuli tribunitiam potestatem famulari, quæ pro auxilio & libertate priuatorum, non pro Consulari regno data esset. Nec decere, cum vnus Tribunorum pl. suas inimicitias Reip. remisisset, alterum alienas & mandatas exercuisse. His victus castigationibus cum templo excessisset, referente Ser. Sulpicio vrbano Prætore, triumphus M. Fuluio est decretus. Cum gratias egisset, petiit vt ludos magnos à se votos, celebraret, & centum pondo auri, id est, decem millia coron. quæ sibi in id à ciuitatibus collata essent, ex pecunia, quam illaturus esset in ærarium, secernere liceret. Permissum est vt quantum vellet impenderet, dum ne summam octoginta millium excederet: id est mille & sexcentarum libr. Tur. Nam mille æris valet libris Tur. 20. iuxta supputationem Cenalis. *Etiam ludorum celebrationē obtinet.*

XXI. *Triumphi laudatum tempus.* TRIVMPHAVIT ad 10. Cal. Ianuar. de Ætolia & Cephalenia: destinatum enim triumpho tempus anteuertit, ne plus in triumpho certaminum, quam in bello haberet; quod accepisset Æmylium, ad turbandum eius triumphum, venire, sed ægrum in via substitisse. Nobilissima huius triumphi pompa, sitne præda fuit, in multitudine coronarum, aurearum, auri facti infectique, signorum æneorum & marmoreorum, armorum, captiuorum, de quibus distinctius ex Liuio seorsim dicam. 1. Nec ita multo post ludos apparatos per dies decem fecit, quos vouerat Ætolico bello, multi artifices ex Græcia venerant honoris eius causa. Athletarum quoque certamen tum primum spectaculo Romanis fuit, & venatio data Leonum & Pantherarum, & prope huius seculi copia, ac varietate ludicrum celebratum est. Ita Liuius, quæ tamen refert anno seq. quæ nos triumpho iungenda putauimus. 1. ẋ.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3868.

AVreæ coronæ 112. pondo, ante currum latæ sunt, id est 11200 coronatorum. Nisi legas coronæ aureæ centum, & 12. pondo singulis tribubus; efficient enim 120. millia coron. Argenti pondo 83. millia, id est, nongenta tredecim millia coronat. Auri pondo 243. id est 24. millia & 300. coronat. Tetradrachma Attica 118. millia, id est 27. millia 533. $\frac{1}{3}$ coron. datis 14. solidis cuique tetradrachmo, ex eodem Cenali. Philippæi nummi 12. millia 422. quos quidam æstimant 37266. coronat. assignando singulis Philippæis tres coronatos. Signa ænea 285. signa marmorea 230. arma, tela, & tormenta omnis generis, captiui duces 27. Militibus singulis vicenos quinos denarios ex præda diuisit, id est 5. libr. Turo. datis 4. solidis cuique denario, ex eodem: duplex autem præmium datum est centurioni, & triplex equiti. 1. N. XXI.

ANNVS MVNDI 3868. SEXTÆ ÆTAtis, 352. Imperii Græcorum 126. Seleuci Philop. 2. Oniæ III. Pontif. 22. Ptolemæi Epiphanis 18. Philippi 35. Olympiadis CXLVIII. an. 3. Vrb. Cond. 567. Coss. Spu. Posthumio Albino, & Q. Martio Philippo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 185.

I. Ortus Demetrij. NATVS est hoc anno Seleuco regi Demetrius filius, qui postea tredecim annis Romæ obses fuit, loco patrui Antiochi Epiphanis, sub cuius mortem trium & viginti annorum fuit, vt ex Polybio n. 107. perspicuum est, & nos infra in morte Antiochi dicemus. Romæ autem iam Consularium comitiorum appetebat tempus, quibus quia M. Æmylius, cuius sortis ea cura erat, propter ægritudinem occurrere non potuit, C. Flaminius Romam venit, à quo Posthumius & Martius creati sunt Coss. Extremo anni magistratibus iam creatis ad 3. non. Mart. Cn. Manlius Volso de Gallis, qui Asiam incolunt, triumphauit; serius et triumphandi causa fuit, ne Q. Terentio Culleone Prætore causam diceret, & incendio alieni iudicij, quo L. Scipio damnatus erat, conflagraret: eo infensioribus in se quam in illum iudicibus, quod disciplinam militarem seuere ab eo conseruatam, successor ipse omni genere licentiæ corruperat. Nam luxuriæ peregrinæ origo ab eius exercitu Asiatico inuecta in vrbem est, vt pluribus persequitur Liuius, sub init. l. 39. de pompa hic quoque seorsim dicam. 1.

II. Nefanda Bacchanalia. ANNVS hic Consules ab exercitu, & bellorum cura, ad intestinæ coniurationis vindictam auertit. Bacchanalia illa erant, in quibus omnia flagitiorum genera perpetrabantur. Modum proditæ & extinctæ nefariæ coitionis fusius persequitur Liuius l. 39. In quibus agnoscas repræsentata Ammonitarum, imo & Israëlitarum ad idolum Moloch, & in Tophet sacrificia. Argumento sunt illa verba. *Stupra promiscua ingenuorum fœminarumque erant*, & mox, *venena indidem intestinaque cædes, ita vt ne corpora quidem interdum ad sepulturam extarent, multa dolo, multa per vim audebantur.* Sed attende Tophet. *Occulebat, inquit, vim quod præ vlulatibus, tympanorumque, & cymbalorum strepitu, nulla vox quiritantium inter stupra & cædes exaudiri poterat.* Et iterum infra. *Iam biennio constare, neminem initiatum ibi maiorem annis viginti. Vt quisque introductus sit, velut victimam tradi sacerdotibus, eos deducere in locum, qui circumsonet vlulatibus, cantuque symphoniæ, & cymbalorum & tympanorum pulsu, ne vox quiritatu, cum per vim stuprum inferatur, exaudiri possit: obsecrare ne se eo præcipitaret, vbi omnia infanda patienda primum, deinde facienda essent.* Denique, *qui nos singulis mensibus initiationum dies esse: ex quo in promiscuo sacra sint, & permisti viri mulieribus, & noctis licentia accesserit, nihil ibi facinoris, nihil flagitij prætermissum: si qui minus patientes dedecoris sint, & pigriores ad facinus, pro victimis immolari, raptos à diis homines dici, quos machina illigatos ex conspectu in abditos specus abripiant.*

III. Hæc, & plura Liuius: ex quo agnoscas infernum illum, atque impurissimum patricidam sibi semper similem fuisse, esseque nunc etiam, nec deesse proh pudor! etiam Christianis temporibus, luce euangelij vbique fulgurante, qui iis similia, aut teriora etiam cum dæmonibus perpetrent. Iisdemque hortatoribus horribilia criminum portenta suscipiant, atque exequantur, quæ Deus opt. max. ne apud eorundem quidem dæmonum cultores inulta esse permisit. Rem muliercula ad adolescentem Ebutium detulit, ille ad Ebutiam amitam atque ad Consulem, Consul ad Senatum, atque ad populum. Magistratus, omnes coniuratos omnibus vestigiis odorati, comprehendere, suppliciis addicere: illi dissimulare, fugere, sibi manus consciscere. Denique indicibus decreta præmia, tota fœdissimorum scelerum officina oppressa est. Quod vtinam aliquando de similibus magorum, sortilegorum, & dæmonibus initiatorum horrendis sabbatismis audiamus.

IV. Martius Consul cæsus, & fugatus à Liguribus. PERFECTIS quæstionibus Q. Martius Consul in Ligures Apuanos est profectus. Quos dum penitus in saltus abditos, quæ latebræ, receptaculaque illis semper fuerant, persequitur, in præoccupatis angustiis, loco iniquo est circumuentus; quatuor millia militum amissa, & legionis secundæ tria signa; vndecim etiam vexilla sociûm Latini nominis in potestatem hostium venerunt, & arma multa, quæ quia fugientibus per syluestres semitas impedimento erant, passim iactabantur. Consul vbi primum ex hostium agro euasit, ne quantum diminutæ copiæ forent appareret, in locis pacatis exercitum dimisit, nec tamen malè gestæ rei famam obliterare potuit. Nam saltus vnde eum Ligures fugauerant, Martius est appellatus.

V. Prospere cũ Lusitanis pugnatum. HÆC dum Romæ nunciantur, mistæ gaudio tristitiaque literæ ex Hispania feruntur, C. Catinium, qui biennio ante Prætor in vlteriorem Hispaniam erat profectus, cum Lusitanis in agro Astensi signis collatis pugnasse; ad sex hostium millia cecidisse, reliquos fudisse, fugasseque. Inde ad oppidum Astam oppugnandum legiones duxisse, idq; non multo maiore certamine, quam castra ante cepisse, sed dum incautius subit muros, ictum, ex vulnere post dies paucos mortuum esse. Sub idem tempus in citeriore Hispania L. Manlius cum Celtiberis acie conflixit, ex qua incerta victoria discessum est; nisi quod Celtiberi castra inde nocte mouerunt, Romanis & suos sepeliendi, & spolia legendi ex hostibus potestas facta est, non leui concessæ victoriæ argumento, & confessione. Paucos post dies instauraro exercitu, in maioribus copiis ad Calagurrim oppidum maiorem cladem acceperunt: & quidem tantam, vt nisi successoris aduentus victoris impetum repressisset, Celtiberi plane subacti forent.

Opinio de morte Annibalis. His Consulibus mortuum esse Annibalem apud Prusiam Bithyniæ regem tradit Eutrop. l. 4. Verum tardiorem eius mortem, sicut & Philopœmenis, facit Liuius, quem potius sequimur: nam fide digniorem habemus neminé.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3868.

1. N. I. Manlij Vulsonis. IN triumpho tulit coronas aureas ducentas, duodecim pondo, singulas scilicet mille ducentorum coronatorum. Quæ ducenties multiplicata, efficiunt 240. millia coronar. Argenti pondo 220. millia, id est, duos milliones quadringenta & 20. millia coron. Auri pondo duo millia centum & tria, id est 210. millia & 300. cor. Tetradrachmum Atticum 127. millia, id est 29. millia 633. cor. cum $\frac{1}{3}$. Philippæorum aureorum 16320. id est 48900. coron. Præter arma, spoliaque multa Gallica, transuecta carpentis, duces hostium duo & quinquaginta ducti ante currum. Militibus quadragenos binos denarios diuisit, id est octo libr. Tur. & octo sol. duplex centurioni, triplex in equites; multiq; omnium ordinum, donati militaribus donis, currum secuti sunt, carminaque à militibus ea in Imperatorem dicta, vt facile appareret in ducem indulgentem, ambitiosumque ea dici.

ANNVS MVNDI 3869. SEXTÆ AETAtis 353. Imperii Græcorum 127. Seleuci Philop. 3. Oniæ III. Pontificis 23. Ptolem. Epiphanis 19. Philippi 36. Olympiadis CXLVIII. an. 4. Vrbis Conditæ 568. Coss. Appio Claudio Pulchro, & M. Sempronio Tuditano.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 184.

I. Origo belli Macedonici. IACTA sunt hoc anno semina belli Macedonici renouati. Non enim à Perseo, sed à Philippo ipso inchoatum est, & id ipsemet, si diutius vixisset, erat gesturus, vt autor est T. Liuius l. 39. Dolebat, cum victo sibi leges imponerentur, ademptum ius sæuiendi in Macedones, qui à se in bello defecerant; Lamiam permissu Consulis oppugnatam, cum iam expugnanda esset, sibi ignominiose ereptam. Sed habuerat vice versa Romanorum indulgentia, quæ non minoris æstimari poterant, Demetriadem, Athamaniam, & vrbes quas Ætoli Thessalis ademerant. His sedata in præsentia Regis ira in Romanos est. Nunquam tamen remisit animum à colligendis in pace viribus, quibus si quando fortuna id ferret, ad bellum vteretur.

II. Et quæ eius causæ. REDIERE deinde causæ, quæ de integro iram mouerent in Romanos. Thessalorum & Perrhæbiorum querelæ de vrbibus suis ab eo possessis; & legatorum Eumenis regis, de Thraciis oppidis per vim occupatis, quæ ipse sibi donata à Romanis, vnà cum Lysimachia, contendebat,

debat, traductaque Thracum in Macedoniam multitudine: quas querelas Romani ita audierant, vt eas non viderentur neglecturi. Maxime autẽ mouerat Senatum quod iam Æni, & Maronææ possessionem præsidiis regiis affectam audierant. Venerunt etiam Romam à Philippo legati, qui omnes in Regem criminationes diluere conarentur, nihilque, nisi Romanorum imperatorum consensu, factum affirmarent. *Legati vtrorumque missi.* Quibus audita Senatus, ne quid absente Rege statueret, legatos ad eas controuersias disceptandas misit. Coram quibus ad Thessalica tempe disceptatum est non modica Regem inter & legatos contentione, adeo vt Philippus etiam minas intentare videretur. Huius legationis meminit etiam Polybius legat n. 40. vterque Q. Cecilium Metellum principem legationis facit.

III. Legatorum Romanorum sententia. Cavsa cognita pronunciauerunt legati, placere deduci præsidia Macedonum ex iis vrbibus, & antiquis Macedoniæ terminis regnum finiri. Quod ad iniurias, quas vltro citroq́; illatas querantur, ad eas dirimendas formulam iuris inter ipsos constituendam esse. Inde grauiter offenso Rege, Thessalonicen ad cognoscendum de Thraciæ vrbibus proficiscuntur. Ibi legati Eumenis omni arte ac studio contendere, vt Ænum & Maroneam, Lysimachiæ vicinas recuperent, quasi sibi in belli Antiocheni præmium à Romanis concessas. Accessere & Maronitarum de sua per Philippum seruitute querelæ. *Philippi querela de ciuitatibus Thraciæ.* Ad eas ita à Philippo responsum est. vt tota eius oratio, in querelis de populi Romani erga se acerbitate atque ingratitudine consumeretur; à quo non vt Rex socius & amicus, sed quasi hostis tractaretur, contendens Ænum, & Maronæam, & Thraciæ ciuitates in decreto, quod à decem legatis in gratiam Eumenis factum fuerat, non contineri.

IV. Decretum legatorum de præsidio deducendo. Movit aliquantum oratio Regis legatos. Itaq; rem totam distinctione suspenderunt; si decem legatorum decreto eæ ciuitates Eumeni datæ essent, nihil se mutare. Si Philippus bello cepisset eas, præmium victoriæ iure belli habiturum: si neutrum eorum foret, placere cognitionem Senatui reseruari, & vt omnia in integro manerent; interea præsidia, quæ in iis vrbibus sint, esse deducenda. Hæ causæ animum Philippi alienarunt à Romanis, vt non à Perseo filio eius nouis causis motum, sed ob has à patre bellum relictum filio videri possit.

Interea Romam L. Manlius ex Hispania redierat, In quam prætor profectus erat, M. Valerio Messala, & C. Liuio Salinatore Coss. Itaque hic, loco proconsulis proprætoris legendum est. Ei à Senatu, in Æde Bellonæ triumphum postulanti, permissum est, vt ouans vrbem iniret. Etsi enim rerum gestarum magnitudo digna triumpho videbatur, negabatur tamen, quod nec victorem exercitum deportasset, nec pacatam prouinciã successori reliquisset.

V. Seruorum motus. Eodem anno L. Posthumius Prætor in Apulia seruorum ac pastorum motus, seuere exercita quæstione compescuit; L. Calpurnius & L. Quintius Prætores in Hispania varia fortuna iactati sunt. *Varia Prætorum fortuna in Hispania.* Nam primo vere in Carpetaniam, vbi hostium castra erant, iunctis copiis progressi, cum haud procul Hippone & Toleto vrbibus, inter pabulatores pugna orta esset, dum vtrimque subuenitur à castris, paulatim omnes copiæ in aciem eductæ sunt. In eo tumultuario certamine duo exercitus Romani fusi, atque in castra compulsi sunt; hostes non institere perculsis. *Clades.* Prætores Romani ne postero die castra oppugnarentur, silentio proximæ noctis exercitum abduxerunt: hostis castra vacua postridie inuenit.

VI. Et victoria ad Tagum. Post aliquot dies reparato exercitu hostem vltro ad Tagi ripam adorti sunt. Atrox à principio prælium fuit, hinc Hispanis recenti victoria inflatis; inde Romanis insueta ignominia, quam delere cupiebant, accensis; & metu Hispaniæ amittendæ, si hæc secunda clades contigisset. Hispani mediam aciem Romanorum, quod erat robur exercitus, facto cuneo perrumpere cupiebant, sed legionibus nusquam loco cedentibus, & insuper equitum turmis in cuneum vtrinque irruentibus, perruptus est cuneus; hostis fusus, fugatusque, magna cæde affectus, & castris eodem impetu exutus est. Nec plus quam quatuor millia de triginta quinque effugerunt, quorum tria millia fere, qui arma retinuerant, montem propinquum cepe.unt. Signa capta 133. Romani socilque paulo plus sexcentis, & prouincialium auxiliorum 150. ferme ceciderunt: quinque tribuni militum amissi, & pauci equites Romani, cruentæ victoriæ speciem fecerunt. Victores in castris hostium, quia sua communiendi spatium non fuerat, manserunt, vbi à ducibus pro meritis laudati, præmiisque affecti sunt.

VII. Res in Liguria gesta. In Liguria vterque Consul prosperis aliquot pugnis hostem afflixit, vicos atque oppida cepit, agros vastauit, alios incendio aperuit, captos belli autores securi percussit. Inde prior Claudius comitiorum causa Romam venit, quoniam fratrem candidatum consulatus habebat.

Mors Africani hoc anno. Sub huius anni finem mortuum esse Scipionem Africanum, antequam M. Cato Censor crearetur, autor est T. Liuius sub fi. l. 39. quod alioqui si viuus adhuc fuisset, nemo alius in eius locum princeps Senatus electus fuisset. Inuenitur autem L. Valerius Flaccus. Verum dici posset eum, quasi exulem & damnatum, habitum fuisse. propterea que lectum Valerium, à Catone præsertim, qui & Scipionem oderat, vt supra ex Liuio diximus, & Valerium tanquam secundùm collegam diligebat. Sed Ciceroni resistere non possumus lib. de Senect. dicenti annis ante Catonem Censorem mortuum esse: non quidem toto anno, sed intra curriculum anni, quo Appius Claudius & M. Sempronius Consules fuerunt. Ait enim Liuius eum intra tres primos menses tribunatus M. Næuij mortuum esse, id est, à decimo Decembris, ad Idus Martias, id est 15 Martij, vt vixerit in tribunatu Næuij, à quo accusatus est Scipio, & in quem tum extabat Scipionis oratio. Itaque ad initium sequentis anni Iuliani facile pertinere potest. An autem eodem anno P. Scipio, Annibal & Philopœmen mortui sint, post sequentem annum cum Liuio dicemus.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3870.

Tvlit coronas aureas quinquaginta duas. Auri præterea pondo 132. id est, 13200. coronatos. Argenti pondo 16300. valent 179. mill. & trecentas coron. & pronunciauit in Senatu, decem millia pondo argenti, id est, 110000. cor. & octoginta auri, quæ sunt 8. millia coron. Q. Fabium Quæstorem adducere, id quoque se in Ærarium illaturum. 1. N. IV.

ANNVS MVNDI 3870. SEXTÆ ÆTATIS, 354. Imperii Græcorum 128. Seleuci Philop. 4. Oniæ III. Pontific. 24. Ptolemæi Epiphanis 20. Philippi 37. Olympiadis CXLIX. ann. 1. Vrb. Cond. 569. Coss. P. Claudio Pulchro, & L. Porcio Licinio.

ANNVS ANTE CHRISTVM 183.

I. Ambo ex vno Consulatu. Petebant in hunc annum Consulatum è patriciis viri clari, iam aliquoties repulsam passi, eoque intentius Claudio Consuli pro fratre nouo candidato ambiendum fuit. Ergo Consul ipse sine lictoribus, cum fratre toto foro volitando, suffragia emendicabat, clamitantibus competitoribus, & maiori parte Senatus, meminisse eum debere Consulem se populi Romani esse; & non tantum P. Claudij fratrem; coërceri tamen ab effuso studio nequiit. Denique peruicit Appius, vt deiecto competitore Fabio, fratrem crearet Consulem, præter spem ipsius atque cæterorum. Ex plebeiis multi gratiosi ambiebant, obtinuit L. Porcius Licinius, eodem anno quo Græci Olympiadem 149. inchoarunt, in qua victor extitit Hippostratus Seleuciensis, vt est apud Collectorem Olympionicarum. Quod ipsum tempus nobis aliquid ex sacra historia, post diuturnum silentium suggerit, tanquam nonnullam in æstuosa siti refrigerationem.

II. Historia Heliodori ... tempora. Sub his enim Consulibus, atque huius Olympiadis anno primo, Græcum & Latinum Eusebij chronicon historiam Heliodori ponit, quæ accuratè traditur tertio capite secundi Machabæorum; neque de tempore est vlla dissensio. Posteriores enim omnes Eusebio acquieuerunt. Græca Eusebij verba, in Latinum ad verbum conuersa

OLYMPIC. GRÆC. AN. 128.

ne habent. Simon quidam præpositus templi Hierosolymitani confugit ad Apollonium ducem Phœnicis, Templi pecunias se traditurum promittens; quæ cum Seleucus ab Apollonio didicisset, mittit Heliodorum rerum suarum præfectum, qui diuinis flagellis eruditus vacuus reuersus est. Onias vero pontifex operam dedit, vt Simon in exilium pelleretur. Hæc ibi; à quibus cum non parum differant Latina verba S. Hieronymi, videtur in alia quædam Græca, quam quæ habet Scaliger, incidisse. Historia porro hæc ab ipsa origine turbatum Iudaicarum à morte Antiochi Magni petita est.

III. Templum quo in pace, pietate Oniæ illustratum. a 2. Mach. 3. 1. 2. &c.

CVM sancta ciuitas habitaretur in omni pace, ait Scriptor canonicus, a leges etiam adhuc optime custodirentur, propter Oniæ pontificis pietatem, & animos odio habentes mala; Græce habetur μισοπονηρίαν in singulari, & ad vnum Oniam refertur: nec tamen male Vulgata. Nam alicuius animos & spiritus etiam M. Tullius agnoscit: idq; conuenit eius in Simonem istum zelo, de quo paulo post. Huius autem Oniæ pietas, sanctiq; mores, etiam infra ab hoc ipso Scriptore commendantur. b Pergit. Fiebat autem vt & ipsi reges, & principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent. Ita vt Seleucus Asiæ rex de reditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. Imitatus videlicet patrem suum Antiochum Magnum, qui apud Iosephum c inter alia ita scribit Ptol. Syriæ præfecto. At primum decreuimus pietatis ergo præberi eis in pretium pecudum mactandarum, vini, olei, thuris, argenteorum viginti millia, & ad similem secundum prouincialem legem, tritici medimnos mille quadringentos sexaginta, & salis medimnos 375. voloque vt hæc eis præbeantur, ita vt mandaui; & quod deest templo absoluatur, siue porticus, siue quid aliud ædificare opus fuerit. Lignorum autem materies comportetur, tam ex ipsa Iudæa, quam ex aliis gentibus, & ex Libano, immunis à vectigalibus; quæ immunitas & aliis rebus conceditur ad apparatum, atque ornatum templi pertinentibus.

Seleuci. b 2. Mach. 15. 12.

Antiochi Mag. c l. 12. Ant. c. 3.

IV. Philadelphi. d l. 12. c. 2. Euergetis. e a. m. 3775. Philopatoris. f l. 2. co. 1 a Appionem.

PHILADELPHVS quoque apud eundem d argenti talenta centum Eleazaro misit in templi donaria & victimas, de quibus suo loco fusius. e Adde Ptolemæum Euergetem, ex eodem, f qui recuperata Syria Hierosolymam venit, multas hostias Iudaico ritu immolauit, dignissimaque dicauit ornamenta victoriæ. Sed ea de Philopatore potius vera sunt, vt ex libro 3. Machab. patet. De Euergete id ipse vnus tradit, & prætermittit Philopatorem. Adde Alexandrum Magnum, qui & in templo sacrificauit, & immunitatem Iudæis concessit, & quidquid pontifex ab eo postulauit. g Sed multo & certiora & maiora sunt quæ de Cyro initio libri Esdræ legimus. & de Dario Hystaspide libro primo, h & tertio, i & de Artaxerxe Longimano, apud Esdram k & Nehemiam. l Nec mirum beneficos fuisse plerosq; principes in templum Hierosoly. quod ipsi Deo cœli excitatum audiebant, cum iidem in deos suos Iouem, Apollinem, cæterosq; essent profusissimi. Pergamus ad cætera.

Alexandri Magni. Cyri. g l. 11. ant. c. vlt. Hystaspidis. h l. 1. c. 6. v. 8. & 9. Longimani. i & l. 1. c. 4. v. 11. 12. &c. k l. 1. c. 7. 14. 15. 25. 26. &c. l l. 2. c. 2.

V. Simonis cum Onia contentio.

SIMON autem de tribu Beniamin præpositus templi constitutus, contendebat, obsistente sibi principe sacerdotum, iniquum aliquid in ciuitate moliri. Apud Eusebium legimus, eum voluisse sibi sacerdotium vindicare, quod in Græco textu nõ habetur, neque eo potuit aspirare, cum ad familiam Eleazari, ac ne Aaronis quidem pertineret, imo ne Leuita quidem esset, vtpote de tribu Beniamin. Nisi forte Beniaminita fuit habitatione, Leuita autem genere, quandoquidem Leuitæ per omnes tribus sparsi erant. Quod tamen parum probabile est: habitabat enim Hierosolymis, atq; adeo in templo, vel iuxta templum, vt qui alicui officio in illo præfectus esset. In Græco habetur excitatum dissidium inter ipsum & summum pontificem, super iniquitate quadam, aut legum transgressione, quæ in vrbe patrabatur. Qualia forte postea ab impio Iasone, fratre pontificis Oniæ perpetrata legimus in hoc ipso libro. In bibliis regiis legitur ἀγορανομίας nõ παρανομίας, quasi cõtentio fuerit inter eos de ciuili quopiam officio, aut vrbana ædilitate.

περὶ τῆς κατὰ τὴν πόλιν παρανομίας. 2. Mach. 4. 10. & seqq.

VI. Adit Apollonium.

QVÆCVNQVE tandem de re contentio fuerit ea improbo Simoni causa fuit, vt cum vincere Oniam non posset veniret ad Apollonium Tharsææ filium, qui eo tempore dux erat Cœlesyriæ, & Phœnicis, vt eius opera obtineret quod optabat; & quidem interuentu multarum pecuniarum, quas cum ipse suppeditare non posset, aperiebat viam, qua alienæ in eius aut regis potestatem venirent. Nuntiauit enim ei pecuniis innumerabilibus plenum esse ærarium Hierosolymis, & communes copias, collectas scilicet ex vectigalibus, tributis, & id genus aliis prouentibus, quæ communes, siue profanæ dicuntur, & opponuntur sacris pecuniis, vnde sequitur, quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum, quas scilicet Seleucus suppeditabat, vt dictum est. Esse autem possibile sub potestate regis cadere vniuersa, & scilicet regis beneuolentiã fructuoso sacrilegio acquirere: & ex ea gratia votorum compotẽ fieri.

SVSCEPTVM AD HELIODORO SACRILEGIVM. 2. Mach. 3. 10. 14. 15.

VII. Seleucus mittit Heliodorum. προχειρισάμενος.

CVMQVE retulisset ad regem Apollonius, de pecuniis quæ delata erant, ille accitum, siue electum, designatum, Heliodorum, qui erat super negotia eius, misit cum mandatis, vt prædictam pecuniam transportaret. Statimque Heliodorus iter est aggressus, specie quidem quasi per Cœlesyriam & Phœnicem ciuitates esset peragraturus, reuera autem regis propositum perfecturus. Sed cum venisset Hierosolymam, & benigne à summo sacerdote in ciuitate esset exceptus, narrauit de dato indicio pecuniarum; & cuius rei gratia adesset, aperuit. Interrogabat autem si vere hæc ita essent. Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse hæc, & victualia viduarum & pupillorum, siue has pecunias repositas esse viduis pupillisque subleuandis, siue ab ipsismet, siue ab aliis, qui pauperibus benigne facere vellent, per manum pontificis. Quædam vero esse Hircani Tobiæ, viri valde eminentis, qui eas loco propter religionem omnium tutissimo reposuerat. Has ergo esse pecunias in ærario sacro repositas, non autem quales calumniatus erat impius Simon.

VIII. Hircanus Tobiæ quis.

HIRCANVM hunc valde eminentem sanctitate fuisse existimauit S. Ambrosius. Sed audi Iosephum. Hircanus autem videns prapotentem Antiochum, scilicet Epiphanem, qui huic Seleuco fratri successit, & veritus ne in potestatem eius redactus, pœnas daret eorum, quæ contra Arabas ausus fuerat, ipse sibi manus intulit, possessionem vero eius vniuersam occupauit Antiochus. Sic ipse. Capite autem 4. ait eum fuisse Iosephi filium, & Tobiæ nepotem, qui Tobias Oniæ II. Pontificis sororem duxit vxorem. Propterea que hoc loco Scripturæ, cum dicitur, Hircanus Tobiæ, non filius, sed nepos intelligendus est. Quanta vero fuerit in sacro ærario summa pecuniæ ita subditur. Vniuersa autem argenti talenta esse quadringenta. & auri ducenta. Decipi vero, id est, fraudari deposita pecunia, id enim Græcus textus exigit, eos qui credidissent loco, & templo, quod per vniuersum mundum honoratur, pro sui veneratione & sanctitate, omnino impossibile esse. Vel, vt alij vertunt, omnino indignum esse templi maiestatem, & asyli securitatem violari.

Quæ ærarij pecunia. ἀδικηθῆναι ἀδύνατον.

IX. Heliodorus pecuniam immunit.

AT ille, pro his quæ habebat in mandatis à rege, dicebat omni genere regi esse deferenda, vel, omnino in regium ærarium esse inferendas omnes hasce pecunias. Constituta autem die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica vero per vniuersam ciuitatem erat trepidatio. Sacerdotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus iactauerunt se, & inuocabant de cœlo eum, qui de depositis legem posuit, vt his qui deposuerunt ea, salua custodiret. Iam vero qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur. Facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorem; circumfusa enim erat mœstitia quædam viro, & horror corporis, per quem manifestus aspicientibus dolor cordis eius efficiebatur. Alij etiam gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes, pro eo quod in contemptum locus esset venturus. Accinctæque mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant. Sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, in Græco est ad ianuas: agit autem de virginibus in templo conclusis, m quæ ad templi ianuas progrediebantur, vbi apparet fuisse Pontificem cum Heliodoro disputantem.

Populus tumultuatur. ἐπὶ τοὺς πυλῶνας. m Vide hic Serar.

X. Pontifex orat.

ALIÆ autem ad muros procurrebant, vtique templi, vbi tota res agitabatur, & in quo illæ conclusæ erant, vt inde pedem efferre non liceret, donec coniugio traderentur, vt contigit beatissimæ virgini. Quædam vero per fenestras aspiciebant. Vniuersæ autem protendentes manus in cœlum deprecabantur. Erat enim misera commissæ multitudinis prolapsio: abijciebant videlicet se in terram, cum orantes manus in cœ-

προπίπτουσα.

lum protenderent: erat & misera summi sacerdotis, in magno agone constituti, expectatio. Timebat enim ne populus ad seditionem concitatus, Heliodorum cum suis trucidaret, eaque clades in totius populi ruinam, rege vlciscente redundaret; aut in motibus cædibus ciuium & regiorum, templum Domini pollueretur. Et ciues quidem inuocabant omnipotentem Deum, vt credita sibi, iis qui crediderant, cum omni integritate conseruarentur: vel securitate, est enim in Græco ἀσφαλείας. *Heliodorus autem quod decreuerat perficiebat.*

XI. Omnes prodigio perculsi. QVÆ deinceps consequuntur nouam habent in Græco texto periodum, in hunc modum. Ibi autem ipso cum satellitibus ad ærarium iam præsente spirituum Dominus, & omnis potestatis dominator magnam fecit suæ ostensionis euidentiam. Epiphaniam vocat miraculum siue ostentum, quo se præsentem, & propugnatorem sancti loci ostendit, *ita vt omnes qui ausi fuerant parere ei*, aut conuenire ad obtemperandum, *ruentes Dei virtute in dissolutionem, & formidinem conuerterentur*. Vel, vt est in Græco, obstupescentes Dei virtutem animo viribusque destituerentur: aspectu scilicet equitis, & duorum iuuenum, sequitur quippe. Apparuit enim illis quidam equus, terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit. Significat equum insurrexisse in Heliodorum, & anterioribus vngulis impulsum prostrauisse in terram. Sic enim in Græco legitur: inuectus autem cum impetu incussit Heliodoro anteriores vngulas, & forte in vulgata legendum est, illisit. *Qui autem ei insidebat videbatur arma habere aurea*, vt oculi fulgore perstringerentur ad terrorem, sicut & angelorum duorum ornatus de quibus subditur.

XII. Grauiter verberatur. Cap. 3. v. 26. ALII *etiam apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu, qui circumsteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant sine intermissione multis plagis verberantes. Subito autem Heliodorus concidit in terram*, nimirum statim atque impulsu vngularum equi euersus est, & proiecto in terram, ingestæ sunt vtrinque plagæ, quas sentiret ipse, alij non viderent. *Eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum eiecerunt.* A quibus raptus & eiectus sit Scriptura non dicit. Iosephus Gorionis ait miserum illum à sacerdotum famulis, humeris è sanctuario elatum, & satellitibus qui fugerant traditum, suo in hospitio, seu tabernaculo iouturn lecto decubuisse. Verum ei videtur repugnare scriptura, quæ ait in sella gestatoria positum: nec sanctuarium memorat, sed ærarium, quod erat extra domum sanctam. Nam gazophylacia, in quibus asseruabantur pecuniæ, in circuitu sanctuarij erant. Quamquam potest sanctuarium accipi latius, vt omnia atria, omniaque circumposita ædificia comprehendat. Nam David ait Salomonem à Deo electum, vt ædificaret domum Sanctuarij, qui tamen vniuersæ author fuit.

1 Paral. 28. 10

XIII. Vulneratus liberatur. INDE autem Scriptura diuinam victoriam celebrans, & superbo ac sacrilego Heliodoro insultans ait. *Et is qui cum multis cursoribus & satellitibus prædictum ingressus est ærarium portabatur, nullo sibi auxilium ferente*, vel qui nihil sibi ipsi auxilij afferre poterat, omni armorum suorum ope destitutus, *manifesta Dei cognita virtute. Et ille quidem per diuinam virtutem iacebat mutus, atque omni spe, & salute priuatus. Hi autem* Hierosolymitæ *Dominum benedicebant*, quia magnificabat locum suum: & templum, quod paulo ante timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino, gaudio & lætitia impletum est. *Tunc vero ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, vt inuocaret altissimum, vt vitam donaret ei, qui in supremo spiritu erat constitutus. Considerans autem summus sacerdos, ne forte rex suspicaretur malitiam aliquam ex Iudæis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salutarem*: qua illi salus, & sanitas alioqui perdita, ac deplorata restitueretur, Dei misericordia precibus & sacrificio pontificis propitiata.

Onia pro eo orante restituitur.

XIV. Monetur Heliodorus diuinitus. CVMQVE *summus sacerdos exoraret*, vel vt est in Græco, faciente autem summo sacerdote propitiationem, siue sacrificium offerente pro peccato, vt ei Deus propitius fieret, *ijdem iuuenes*, rursus apparuerunt Heliodoro, *eisdem vestibus amicti, astantes Heliodoro dixerunt. Multas Oniæ sacerdoti gratias age*, ne forte tibi in eum irascendum putes, tanquam huius tibi cladis auctorem. *Nam propter eum Dominus tibi vitam donauit*, cum esses mortis reus, & plagis ad limina mortis deductus. *Tu autem* non ab homine, sed *ab ipso Deo flagellatus, nuncia omnibus magnam Dei potestatem*, cui in promptu sit omnem deijcere superbiam, & armatam obterere potestatem. *Et his dictis non comparuerunt.* Heliodorus autem hostia Deo oblata, quam scilicet sacerdoti obtulit, offerendam Deo; & votis magnis promissis Deo, qui ei vitam concessit, & Oniæ gratias agens, vt iussus fuerat, ad regem cum exercitu reuersus est. Obsecutus quoque mandatis eorum, qui eius castigationem volebant in communem aliorum vtilitatem redundare, testabatur omnibus ea, quæ sub oculis suis viderat, atque adeo corpore suo senserat opera magni Dei.

XV. Rex monetur. MAXIMA autem testificatus est regi, à quo iussus fuerat hoc facinus exequi. *Cum enim rex* Seleucus *interrogasset Heliodorum*, & ab eo totius rei gestæ historiam didicisset, & irritum primum hunc conatum videret, existimabat in tam fructuoso negotio, non esse difficultatibus cedendum, sed tentandum an cuiuspiam alterius industria res confici posset. Itaque interrogabat Heliodorum, ecquem censeret idoneum qui rursum Hierosolymam mitteretur. Cui Heliodorus, *si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte eum illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen euaserit mortem: eo quod in loco sit vere Dei quædam virtus. Nam ipse qui habet in cælo habitationem visitator, & adiutor*, seu protector *est loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit ac perdit. Igitur de Heliodoro, & ærarij custodia ita res se habet.* Hactenus Scriptura exhibens hominem diuino verbere castigatum resipiscentem, & exacte iis obtemperantem, à quibus quasi magistris fuerat castigatus. Et vice versa vt diuina iudicia admirere, Simon non Ethnicus, sed Iudæus, tam illustri miraculo admonitus, non resipiscit, sed deterior euadit, & præcedentia crimina nouis accumulat: vsque adeo verum est neminem posse corrigere, quem Deus despexerit. Sequitur enim.

Simon obduratur.

XVI. Et Pontificem calumniatur. SIMON autem prædictus pecuniarum ac patriæ delator, male loquebatur de Onia, tanquam ipse Heliodorum instigasset ad hæc, & ipse fuisset inuentor malorum, & bene merentem de ciuitate, curatorem gentis suæ, *& æmulatorem legis Dei, audebat insidiatorem regni dicere.* Non est nouum perditis hominibus, vt viros bonos, quos verorum criminum insimulare non possunt, eorum infamia per calumniam conentur aspergere, & ecclesiasticos viros laicæ potestati obnoxios, aut inuisos reddere; quamquam in Græco textu, non regni dicitur insidiator, sed rerum subintellige, regiarum; quomodo habet Vatabli versio, & aliæ quædam præter vulgatam. Quæ autem de progressu inimicitiarum, & cædibus subduntur, ad annos sequentes manifestò pertinent, quibus Seleucus superstes fuit.

Errauit Iosephus hoc loco. Hanc historiam contentionis Oniæ cum Simone, habet Iosephus in libello de Machabæis. Sed errat manifeste cum omnia quæ ad Heliodorum pertinent tribuit Apollonio, & ei comitem addit Simonem: de verberibus autem tacet, veritus opinor ethnicorum irrisionem, vt alibi non semel. Ab Apollonio rogatum dicit Oniam, vt Deo pro se preces funderet. At id factum ab Heliodori amicis Scriptura prodit. Eo quippe erat statu, vt sui compos non esset, in supremo spiritu constitutus. Sed nos è Syria transeamus in Græciam.

XVII. Romani legatio in Macedoniam. PRINCIPIO huius anni, legati qui in Græciam ad disceptandum inter Philippum & Eumenem, reliquosque eius aduersarios missi fuerant, legationem renunciarunt, simulque vtriusque partis legatos in Senatum introduxerunt: quibus auditis decreuit Senatus aliam legationem in Macedoniam & Græciam, ad visendum redditæne ciuitates Rhodiis, Thessalis, Perrhæbis essent. Eius princeps Appius Claudius exconsul fuit. Idē mandatum, vt ab Æno & Maronæa præsidia deducerentur, maritimaq; omnis Thraciæ ora à Philippo, & Macedonibus liberaretur. Peloponnesum quoq; adire iussi, vnde prior legatio sine responso dimissa fuerat, cum mandato Senatus, vt Romanis legatis semper potestas fieret concilium gentis adeundi,

quem-

in leg. n. 43.

quemadmodum & illis quoties vellent Senatus daretur. Huius legationis meminit Polyb. sed de cogendo concilio non loquitur. Id enim tantum habet, monuit vero vt Romanos legatos, qui in Græciam mitterentur, obseruarent, & quanto par est cum honore susciperent, vt Romani eos, qui ad ipsos venirent.

XVIII. Philippus cædem facit in Maronitas.

DIMISSIS iis legationibus Philippus à suis certior factus cedendum ciuitatibus, deducendaque præsidia, infensus omnibus, in Maronitas iram effudit. Onomasto, qui præerat maritimæ oræ, mandat vt partis aduersæ principes interficeret. Ille per Casandrum quendam, vnum ex Regiis iam diu Maroneæ habitantem, nocte Thracibus intromissis, velut in bello capta vrbe cædem fecit. Paulus Oros. fallitur, dum pro occisis Maronitis legatos Romani populi ponit occisos. (l. 4. c. 20.) Id factum cum Maronitæ apud legatos Romanos quererentur, negabat Philippus rem ad se suosue pertinere; seditionem excitatam, dum alij ad Eumenem, alij ad Philippum traherent: ipsos etiam Maronitas interrogari iubebat, ratus perculsis omnibus recentis cædis terrore, neminem inuentum iri, qui vel hiscere auderet. Negare Appius vicissim rem euidentem pro dubia quærendam, si ab se culpam remouere vellet, Onomastum & Casandrum per quos res acta diceretur, Romam mitteret ad Senatum.

XIX.

EA postulatione perculsus Philippus hærere, vt non color ei, aut vultus constaret. Tandem collecto animo, Casandrum se si vellent missurum dixit, ad Onomastum nihil eam rem pertinere, vt qui non in vrbe tum, sed ne in propinqua quidem regione fuisset. Verebatur nimirum ne hunc virum clariorem, & multorum consiliorum conscium amitteret: illum misit, quem etiam in itinere, vt opinio fuit, veneno tolli curauit. Hæc Liuius habet à Polyb. (in leg. n. 44.) Legati à Philippo ita discedebant, vt parum sibi ab eo satisfactum ostenderent. Ille minime dubius quin rebellandum esset, quia tamen res nondum maturæ erant, ad moram interponendam Demetrium minorem filium, qui dudum obses Quintio Flaminino datus fuerat, & postea vltro à Senatu Patri redditus, Romam mittere statuit, simul ad purganda crimina, simul ad deprecandam iram Senatus. (Et filium Demetrium.) Satis credens iuuenem, qui iam specimen regiæ indolis Romæ dederat, aliquod in eam rem momentum allaturum. Eadem habet Polyb. (n. 44. & 46.) & socios legationis datos tradit Apellem & Philoclem, qui ea tempestate principem locum in amicitia Philippi obtinebant.

XX.

INTEREA aduentus legatorum in Peloponneso expectabatur, aduersus quos Lycortas Prætor Achæorum concilium indixerat, vt præparata consilia haberent; in eoq; Spartani duo Areus & Alcib. ambo iamdudum exules, deinde opera Achæorum restituti, querelas de ipsis Romam detulerant, propterea que capite damnati sunt in eodem concilio. Paucos post dies Romani legati venerunt & cum iis Areus & Alcib. ex quo territi, ne hiscere quidem audebant. Appius Spartæ querelas displicere Senatui ostendit, cædem in primis eorum, qui à Philopœmene ad causam dicendam euocati venissent. Deinde quod non in homines solum sæuitum esset, sed muros etiam nobilissimæ vrbis diruissent, leges vetustissimas, Lycurgiq; disciplinam abrogassent.

XXI. A Lycorta defendantur.

QVÆ Lycortas Prætor forti atque eleganti oratione defendit. Docuit enim cædem illam iustam fuisse, factam contra violatores fœderis Romani, in maritimis vrbibus per vim occupandis, quam cædem ab ipsis Romanis, si adfuissent, factam oportuisset. Deinde nec ab Achæis quidem factam esse, sed ab exulibus Lacedæmoniorum, qui nunc crimen Achæis obiiciunt, quod ipsi perpetrarent. De muris quoque recte factum, & ex Lycurgi disciplina, ex qua Sparta octingentis fere annis mœnibus caruerit, quæ à tyrannis, vt suo seruitute Lacedæmonios opprimere possent, excitata fuerint. Itaque reddita Lacedæmoniis libertate, & muros, & reliqua tyrannidis vestigia fuisse extirpanda. Quod ad leges attinet Lacænas, eas non ab Achæis, sed à tyrannis Nabide, Machanida, Lycurgo, Cleomene fuisse sublatas. Achæos proprias eis communicasse, vt communi cum ipsis iure viuerent, & vnum corpus ac concilium totius Peloponnesi esset.

XXII. A Romanis terrentur.

POSTREMO post carptam obiter Romanorum potentiam, rogat legatos, ne apud eos deteriore conditione sint Achæi, quam Lacedæmonij, qui se violantis sacrosanctis fœderibus hostes reddiderunt. Addit postremo ea verba, quibus similia sacris quoque literis consignata legimus. *Veremur quidem vos Romani, & si ita vultis, etiam timemus, sed plus & veremur, & timemus deos immortales*; qui scilicet violatorum fœderum vindices ipsos constituissent. Cum vehementer maximę parti probata fuisset oratio, respondit Appius se Achæis magnopere suadere, vt gratiam inirent, vltro ea faciendo, quæ mox inuiti & coacti facturi essent. Quæ vox cum omnium gemitu audita, metum iniecit imperata recusandi. Itaq; petierunt vt Romani ipsi per se de Lacedæmoniis, quæ viderentur, mutarent; ipsi damnationem Arei & Alcibiadis antiquarent.

XXIII. Contentio Romæ de Prætore. Liuius l. 39.

CONSVLIBVS hoc quoque anno Liguria prouincia data est, quoniam nusquam alibi bellum erat. De prætoribus certatum est, cum enim vnus eorũ defunctus esset, Q. Fuluius Flaccus, qui ædilis curulis designatus erat, in eius locum sufficí, summa contentione, repugnante Senatu conabatur, & populum fauentem habebat; cumque voluntati Senatus non cederet, censuit Senatus nullum in de mortui locum subrogandum, sed vnum eundemque Prætorem, vtramque in vrbe iurisdictionem habiturum.

Et Censoribus.

Huic contentioni maior alia, maiori quippe de re, & inter clariores viros contentio successit. Quinque patricij, quatuor plebeij Censuram petebant. In illis erant Scipiones duo, P. & L. & L. Valerius Flaccus: in his M. Cato, & Sempronij duo, ac Fuluius Nobilior.

XXIV. Cato Censura candidatus. Qualis vir esset.

PATRICIOS plebeiosque omnes Cato anteibat, vir in quo tanta vis animi ingeniique fuit, vt ad omnia æque factus appareret, & ad id vnum natus videretur, quod susciperet: belli pacisque artibus eximie clarus. Eum tamen fatetur Liuius l. 39. asperi animi, & linguæ acerbæ, & liberioris fuisse; itaq; multis simultatibus, nobilium præsertim, & patriciorum virorum exercitum fuisse, & alios exercuisse vicissim. Sed inuicti cupiditatibus animi, & rigidæ innocentiæ, contemptoremque gratiæ & diuitiarum extitisse: in parcimonia, in patientia laboris, periculique, ferrei propę corporis animique, vt nonagesimo etiam anno Sergium Galbam ad populi iudicium adduxerit.

Censuram licet formidatam obtinet.

Hunc ergo virum Censuram tum petentem premebat nobilitas, consenserantque, præter L. Valerium Flaccum, qui collega eius in Consulatu fuerat, candidati omnes ad deiiciendum honore eum; non solum vt ipsi potius adipiscerentur, sed quod tristem Censuram, periculosamque multorum famæ expectabant. Etenim tum quoque minabundus petebat, eosque sibi refragari dicebat, qui liberam & fortem censuram timebant. Et simul L. Valerio suffragabatur, illo vno collega castigare se noua flagitia, & priscos mores reuocare posse.

Cum Valerio in consulatu collega.

His accensi homines, aduersa nobilitate non M. Porcium modo Censorem fecerunt, sed collegam etiam ei L. Valerium Flaccum adiecerunt.

XXV. Prætores de Hispania triumphi.

SECVNDVM comitia Censorum, Consules Prætoresq; in prouincias profecti sunt: nihil hoc anno memorabile à Consulibus, vel domi, vel foris gestum est. Veteres Prætores ex Hispania redierunt. C. Calphurnius Piso, & L. Quintius: vtrique magno Patrum consensu triumphus est decretus, vterque de Celtiberis & Lusitanis triumphauit, Prior coronas aureas tulit 83. & 12. millia pondo argenti, quæ respondent 132. millibus coronatũ. Posterior tantumdem auri argentique in triumphum tulit.

XXVI. Flamininus Consularis à Catone Senatu motus.

CENSORES metu mista expectatione Senatum legerunt, 7. mouerunt Senatu, in quibus L. Quintium Flamininum consularem. Causam diuersimode ex diuersis enarrat Liuius: satius est M. ipsum Catonem apud Ciceronem audire. *Inuitus feci, inquit, vt fortissimi viri T. Flaminini e Senatu eiicerem fratrem annis, postquam Consul fuisset,* (septem totiannis interiectis, fuit Consul enim hic cum Domitio Ænobarbo anno 561.) *Sed notandam putaui libidinem. Ille enim cum esset Consul, in Gallia exoratus in conuiuio à scorto est,*

vt securi feriret aliquem eorum, qui in vinculis essent damnati rei capitalis &c. Liuius ex ipsius oratione Catonis, nō damnatum exhibet hominem rei capitalis, sed nobilem Boium transfugam, cum liberis ad fidem populi Romani confugientem, eamque implorantem, & ipsius Consulis manu interemptum. Hoc porro scortum masculum fuisse, nomine Philippum, genere Pœnum tradit ex ipsius Catonis oratione in Flamininum Liuius. In eos enim quos notauerat, ad præsentem ignominiam addebat styli acerbitatem, vt ijdem infamia laborarent in omnes annos consequentes.

XXVII. *Ob eam ob culpam, Flamininus Herodi similis, aut potius minus nocens.* VALERIVS Antias Placētinam mulierē famosam fuisse tradit, non lecta, vt ait Liuius, oratione Catonis. Antias cætera Ciceroni consentit, sicut & Valer. Max. & maxime Plut. in Quintio & Catone, qui etiam historiam ex Liuio memorat, & cum malit Ciceroni assentiri, putat Catonē exaggerandi causa, pro damnato transfugam posuisse, & reliqua quæ retulimus: & fieri potest, vt idem reus esset, & transfuga: nec facile crediderim Catonem tāta calumnia facinus L. Quintij hominis patricij ac Consularis augere voluisse, aut impune potuisse. Et addit Liuius, facinus siue eo modo quo Censor obiecit, siue vt Valerius tradit cōmissum est, sęuum atque atrox, inter pocula atque epulas, vbi libare dijs dapes, vbi bene precari mos esset, ad spectaculum scorti procacis, in sinu Coss. recubantis, mactatam humanam victimam esse, & cruore mensam respersam. Quanto iustior esset hæc Liuij in Herodē indignatio, non scelestum aliquem hominem, sed sanctissimum Dei Prophetam, ad procacis mulieris vocem, inter festas epulas obtruncantem? Nam iusta cædes, alieno tantum loco, vel tempore perpetrata, videri poterat in viro patricio, Consulari, bene de Rep. merito, clarissimi Imp. fratre, dissimulanda.

XXVIII. *Cato nota. Scipionem.* NEC Flamininam solum gentem Catonis censura vexauit, sed Corneliam. Nam in equitatu recognoscendo L. Scipionem Asiaticum equo priuauit, cum eius fratrē Africanum ante mortē odio prosecutus esset adeo, vt Petilios tribunos pl. accusatores aduersus eū instigasse diceretur, vt supra ex Liuio retulimus. Nimirum verebatur fortasse, ne illa magni Africani claritas, exemplo noceret in Rep. nisi reprimeretur. Cic. quidem in Catone eas inimicitias dissimulat, memor scilicet decori, quod Catonem cum eiusdem nepote loquentem inducat. Deniq; Censura Catonis rigidior, multas ei simultates conciliauit, quibus per totam deinde vitam fuit vehementer exercitus.

XXIX. *Annibal Prusiam adit.* HOC circiter anno bellum gessit Prusias Bithyniæ rex contra Eumenem, vt sequentis anni querela ad Senatum delata docet. Id bellum, vt ait Iustinus, Prusias Annibalis fiducia, rupto fœdere, prior intulit. Namque Annibal, inquit, cum ab Antiocho Romani inter cæteras conditiones pacis deditionem eius deposcerent, admonitus à rege, in fugam versus Cretam defertur. Ibi cum diu quietā vitam egisset, inuidiosumque se propter nimias opes videret, amphoras plumbo repletas in templo Dianæ, quasi fortunæ suæ præsidia deponit: atque ideo nihil de illo sollicita ciuitate, quoniā velut pignus opes eius tenebat, ad Prusiam cōtendit, auro suo in statuas, quas secum portabat infuso, ne conspectæ opes vitæ nocerent. Hæc consentanea sunt vasto Annibalis ingenio, & à Plutarcho in eius vita confirmantur, & ab Æmylio Probo in Annibale.

XXX. *Prusia bellum in Eumenem.* lib 32. DEIN cum Prusias terrestri bello ab Eumene victus esset, & prælium in mare transtulisset, Annibal nouo commento author victoriæ fuit. Quippe omnium serpentiū genus in fictiles lagenas conijci iussit, medioque prælio in naues hostium mitti. Id primum Ponticis ridiculum visum, fictilibus dimicare qui ferro nequeant. Sed vbi serpentibus repleri naues cœpere, ancipiti periculo circumuenti, hostili victoriam cessere. Ita Iustinus, eademque Æmylius Probus.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3870.

1 N. i. Quod autem non contentus hic sancti Hieronymi versionem arguere, etiam Eusebium Græce loqui docet, negatq; recte ab eo dici πέμπει τὸν ἐπὶ τῶν πραγμάτων: quod Græci dicant ἐπὶ τὰ πράγματα: neque modeste facit, neque erudite. Græce opinor sciebat Demosthenes, apud quem legimus, διαφθείρειν τοὺς ἐπὶ τῶν πραγμάτων; quamuis idem Criticus dicat τὸν ἐπὶ τῶν πραγμάτων esse summum officium Palatinum. Quod vt posterioribus Imperatorum orientis temporibus quadrare possit, id certe à Seleuci temporibus alienum est. Lucianus quoq; græce notat, cum diceret, ἐπὶ τοῦ νέκταρος τέταξη, quod Budæus vertit, Eris à cyathis. Et Polybius: Λεόντιος ἐπὶ τῶν πελταστῶν, Μεγαλέας δ' ἐπὶ τοῦ γραμματείου, Ἀλέξανδρος δ' ἐπὶ τῆς θεραπείας, vbi ἐπὶ officiū significare vulgata lexica, & cum ijs Stephanus notat, additq; illud ex Luca Act. 8. 27. ὃ ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς. Sic Budæus pap. 488. ἐπὶ τῶν ἀπορρήτων à secretis & οἱ ἐπὶ τῶν ἐπιστολῶν ab epistolis: οἱ ἐπὶ τῶν ξενίων, qui diuersoriis præsunt, οἱ ἐπὶ τῶν ἀποκριμάτων à responsis. Deniq; non sunt ea verba Eusebii, sed Scripturæ quæ vocat Heliodorum τὸν ἐπὶ τῶν πραγμάτων. Sed mittamus ista diuinis grammaticis.

Si Attica sumamus, erunt quadraginta & viginti millia francorū nostratiū: si Euboica, quingenta & sexaginta millia. Si Hebræa, erunt 500. & quinquaginta millia aureorum. *Et auri ducenta*, vtique Hebraica, quorum singula respondent duodecies mille & quingentis aureis: quæ summa ducenties multiplicata, ascendit ad duos milliones & quingenta millia coronatorum. Quam summam nō sine causa Simon vocauerat, χρήματα ἀμύθητα, & τὸ πλῆθος ἀναρίθμητον. 2. N. viii.

ANNVS MVNDI 3871. SEXTÆ ÆTAtis 355. Imperii Græcorum 129. Seleuci Philopatoris 5. Oniæ III. Pontif. 25. Ptolemæi Epiphanis 21. Philippi Macedonum 38. Olympiadis CXLIX. an. 2. Vrbis Conditæ 570. Coss. Q. Fabio Labeone, & M. Claudio Marcello.

ANNVS ANTE CHRISTVM 182.

I. *Simon pulsus in exilium.* AD hunc annum Sabbaticum ordine 184. consentaneum est pertinere illud, quod in Eusebij chronico legimus, Oniam pontificem curasse Simonem extorrem patria fieri; à Seleuco scilicet, & quidem interuentu Heliodori ipsius, quem ille non solum in spem inanem, sed ad vltimum vitæ discrimen adduxerat: nec est cur huic Eusebij assertioni Scaliger temere deroget fidem, licet id scriptura non dicat; nec alibi id legatur: non enim extant libri omnes, quos Eusebius vidit: & rem probabilem faciunt inimicitiæ, quas Scriptura deinceps vlterius processisse docet. *Sed cum inimicitiæ, inquit, in tantum procederent, vt etiam per quosdam Simonis necessarios homicidia fierent*; In Græco habetur, per quendam ex ijs, qui Simoni accepti erant. Innuitur vtique absentia Simonis, qui per suos cędes patraret: confugisse autem ad Apollonium, sequentia significant.

II. *Onias adit Seleucum.* CONSIDERANS, inquit, *Onias periculum contentionis, & Apollonium insanire, vtpote ducem Cœlesyriæ & Phœniciæ, ad augendam malitiam Simonis, ad regem se contulit.* In Græco est συναύξοντα augentem malitiam Simonis, mutuo se videlicet acuebant ad furorem, & vindictam de Onia sumendam, qui vtrosque Regi ingratos de vana promissione reddiderat. Oniæ autem ad regem profectio, ad quem regni eius annum pertineat, non apparet. Profectus est autem, *non vt ciuium accusator, sed communem vtilitatem apud semetipsum vniuersæ multitudinis considerans*; vt summum magistratum decebat, duplici nomine ciuium suorum parentem. *Videbat enim sine regali prouidentia*, quā turbarum autor eijceretur foras, vel in carcerem daretur, aut necem, *impossibile esse pacem rebus dari, nec Simonem*, hominem turbulentum, seditiosum, atque sacrilegum, *posse cessare à stultitia sua.*

III. *Liguria Coss. destinatur.* HVIVS anni Consules Idibus Martijs de more Consulatum inierunt, eademque Liguria prouincia eis assignata est, ita tamen vt si necessaria vis esset, ad prohibendos Gallos transalpinos, qui in Aquileiensi agro ædificabant, vnus eorum è Liguria cum exercitu accerseretur. Priusquam autem in prouincias proficiscerentur, legationes transmarinas, quæ querelas de Philippo referebant, in Senatum introduxerunt. Cum enim intellectum esset cri-

Legationes & querelæ de Philippo.

nuna, quermonialque de Phil. non negligenter à Rom. audiri, multisq; operæ precium fuisse queri, pro se quisq; Romam publice priuatimque, aut ad spem leuandæ iniuriæ, aut ad deflendæ solatium venerunt. Polybius in Legat. n. 46. ait Olymp. 149. Romam conuenisse legatos ex Græcia, tanto numero, quantus vix vnquam antea fuerat conspectus: eademq; cum Li. refert.

IV. *Querela Eumenis.*

QVEREBATVR Eumenis frater cum legatis, non solum præsidia ex Thracia non deducta, sed etiam auxilia contra se à Philippo, ad Prusiam Bithyniæ regem missa esse. Attulerat autem ab Eumene donum coronam auream quindecies mille aureorum. Horum, aliorumque multorum ratio exigebatur à Demetrio, quibus cum impar esset ad respondendum, Senatus eius perturbatione & tyrocinio motus, quem commentarium his de rebus à patre accepisset, exigebat; & vt ex eo responderet, permisit. Cumque in eo commentario non pauca irritati eius animi signa collegisset, Iuuenis tamen excusatione, moderatione, ac promissione plurimum lenitus est. Adeo vt scripserit ad Philippum, nihil eum magis è re sua facere potuisse, quam quod Demetrium filium ijs, quæ perperam facta esse dicebantur, defendendis, vel excusandis misisset; honorisque eius causa, quem salua in parentem pietate, populi Romani amicum esse agnoscerent, missuros iterum legatos in Macedoniam, vt si quid minus factum sit, quam debuerit, dissimuletur, & vel nunc sine piaculo fiat. Velle etiam sentire Philippum, integra omnia sibi cum pop. Romano Demetrij filij beneficio esse. Hæc eadem cum Liuio habet Polybius in Legati. n. num. 46. Itaque Demetrius cum legatis ad parentem remissus est.

Demetrij ad Senatum gratia.

V. *Eidem pro perniciosa.*

SED ea Demetrij apud populum Romanum gratia primo illi inuidiam, deinde etiam perniciem attulit. Nam Senatus, qui vni Demetrio hoc beneficium voluit imputari, & adolescentis animum inani spe sustulit, & Perseum, Philippumque grauiter offendit, quod non propter se, sed propter Demetrium populi Romani benignitatem viderentur experiri. Accessit & cuiusdam colloquium, quod in spem iuuenem induxit, quasi eum Romani regem non multo post essent constituturi. Et Philippum quoq; non mediocriter irritauit, hortatus eum per literas vt iterum Romam Demetrium cum amicis mitteret, magno namque ipsi vsui, & commodo futurum. His siquidem occasionibus impulsus Perseus, mox patri persuasit, vt in Demetrij mortem consentiret. Hæc Polybius, quæ postea pluribus suo loco tradentur.

in except. leg. n. 46.

VI. *Legati in Asiam.*

IN Asiam missus est legatus ad Prusiam T. Quintius Flamininus, cum L. Scipione Asiatico, & P. Scipione Nasica, tum vt controuersias eius cum Eumene componeret; tum vt deditit ium Annibalem reposceret, vt paulo post intelligetur; & Iustinus affirmat missos à Senatu legatos, qui vtrumque regem in pacem cogerent, Annibalem deposcerent.

in fi. l. 39. ex Antiate.

Et Macedoniam.

In Macedoniam legatus missus est Q. Martius, qui etiā iussus est Peloponnesi res inspicere. Nam nondū satis cōpositæ res Lacedæmoniorum erant cum Achæis; & insuper Messenij ab eorum societate & concilio desciuerant, id agente Dinocrate, homine improbo, & multis ob nequitiam inuiso; priuatim etiam Philopœmeni infenso. Agebat tum Philopœmen, vt autor est Plutarch. annum vitæ septuagesimum, & octauam Achæorum præturam.

VII. *Postrema pugna Philopoemenis.*

DINOCRATES cum occupare vellet Coronam Messeniæ vrbem (Colonidem Plutarchus appellat, at illo modo Liuius & Ptolemæus) nuncius ea de re ad Philopœmenem venit Argis tum febri laborantem, qui propere Megalopolim vno die contendit, stadia amplius quadraginta distantem. Inde celeriter suppetias venit cū equitibus. Erant hi ciuium nobilissimi, sed admodum iuuenes, beneuolentiaq; ducti Philopœmenis, & laudis amore, vltro eum sequebantur. Cum prouecti prope Messenem essent, circa Euandri tumulum, occurrentem Dinocratem facile auerterunt. Sed cum quingenti, qui in statione Messeniorum erant, superuenissent, ad eorum conspectum, qui iam in fugam compulsi erant, pugnam redintegrarunt. Hic Philopœmen veritus ne circumueniretur, simul parcens equitibus, qui eum secuti erant, per loca impedita recipiebat se, & extremum claudebat agmen, subinde in hostem irruens, vt tutum interea receptum daret suis.

VIII. *Dum parcit suis capitur.*

ID dum sæpius facit, longius se abductum à suis in medio hostium animaduertit, & licet nemo propius accedere auderet, metu & reuerentia clarissimi bellatoris per loca tamen confragosa, abruptaq; ægre tractabat æquum, corpore præsertim & morbo affecto, & ex itinere languescente. Itaq; prolapsus equus hominem in terram effudit: & capite ad durum casum afflicto iacuit sine voce, vt hostes mortuum putarent, ac spoliare aggrederentur: Tandem cum apertis oculis caput attolleret, conferti, manibus post terga ligatis, abduxerunt eum, nec vllo cōtumeliæ genere abstinuerunt. Inde in cameram subterraneam, quem Thesaurum vocant, lucis, aerisq; expertem demittunt, & ingenti saxo machina superposito claudunt, & locum vndique armata statione cingunt.

Lapsus equi.

IX. *Veneno necatur.*

ACHÆI quamprimum eum reposcunt, simulque bellum parant. Dinocrates veritus ne qua forte pactione redderetur, primis tenebris in apertum carcerem cum veneno carnificem demittit, iussum inde non exire, donec ille poculum exhausisset. Ille & morbo & mœrore animi iacebat, & animaduerso homine cum virulento poculo, erexit se ad sedendum, acceptoque poculo rogauit hominem, ecquid de equitibus, præsertim de Lycorta accepisset: quo respondente maximam partem saluam esse. *bene habet*, inquit, *quod non vndequaque fuerimus infelices*, & statim ebibit venenum, eoque mox ob imbecillitatem extinctus est. Deceptus est Paulus Orosius, dum scribit Philopœmenem in Sicilia occisum, Messanam quippe Siciliæ pro Messene Peloponnesi accipiens in fraudem inductus est.

X. *Achaeorum victoria, & Philopoemenis funus.*

NEC diuturnum de eius interitu hostibus gaudium fuit, Achæi Lycorta duce fines Messeniorum inuadunt, eosque fœde vastant, donec illi consensione Achæos recipiūt, Dinocrates sibi manus infert, & quicunq; in mortem eius consenserant; qui torquendum censuerant, à Lycorta vinculis constricti sunt. Philopœmenis corpus combusserunt, & reliquijs in vrnam conditis, cum funebri pompa domum repetierunt. Eam ferebat Polybius Lycortæ filius, cuius historiam legimus, vittis coronisque varie ornatam, ac redimitam, hinc amicis lachrymantibus, inde hostibus catenatis funus prosequentibus. Milites quoque armati, equis speciose instratis, triumphi quandam speciem referebant. Sed hæc pluribus Plutarchus in eius vita, qui ait sepultum ab vniuerso Achaico concilio, adeo omnibus humanis congestis honoribus, vt ne diuinis quidem abstineretur: pauca quædam habet Polybius in Legat. n. 52.

XI. *Tempus mortis Annibalis.*

Hoc ipso anno mortuum Annibalem, pleriq; scriptores Græci, Latiniq; tradiderunt, qui hunc annū trium clarissimorum virorum funere insignem fuisse dicunt, Annibalis, Philopœmenis, & Scipionis Africani, vt refert Liuius, in ijsq; memorat Polybium & Rutilium, & vt videtur Valerium Antiatem: quos secutus est Iustinus l. 32. extremo, Zonaras & Paulus Orosius: verum de Africano dissentit Liuius, vt ante diximus; de Annibale non repugnat. Æmylius Probus refert Atticum scribentē in Annali suo, his Consulibus (Marcello scilicet, & Fabio Labeone) esse mortuum; Polybium autem scripsisse eum sub proxime sequentibus Consulibus Æmylio & Bœbio (cui consentit Valerius Antias teste Liuio in fi. l. 39.) Sulpicium vero dicere vno etiam anno tardius vita defunctum esse. Nos neminem Liuio ducimus certiorem.

XII. *Mortis eius modus.*

AD Prusiam regem, inquit Liuius, legatus T. Quintius Flamininus venit, quem suspectum Romanis, & receptus post fugam Antiochi Annibal, & bellum aduersus Eumenem motum faciebat, cætera fusius explicat: breuius autem Æmylius in eandem sententiam. Legatos, inquit, in Bithyniam miserunt, in his Faminium, (lege Flamininum cum Liuio) qui à rege peterent, ne inimicissimum suum secum haberet, sibique vt dederet. His Prusias

sias negare ausus non est. Illud recusauit, ne id à se fieri postularent, quod aduersus hospitij ius esset; ipsi si possent, comprehenderent: locum vbi esset facile inuenturos. Annibal enim vno se tenebat in castello, quod ei ab rege datum erat muneri, idque sic ædificarat, vt in omnibus partibus ædificij exitus haberet, num. 7. vt ait Liuius, & ex ijs quosdam occultos, ne custodia sepirentur.

XIII. *Varia eius de morte sententia.*

Pergit Probus. Huc cum legati Romanorum venissent, ac multitudine domum eius circumdedissent; puer ab ianua prospiciens Annibali dixit, plures præter consuetudinē armatos apparere. Qui imperauit ei, vt omnes fores ædificij circumiret, ac propere sibi renunciaret, nū eodem modo vndiq; obsideretur. Puer cum omnes exitus occupatos renunciasset, sensit id non fortuito factum, sed se peti, neq; diutius sibi vitam esse retinendam; quam ne alieno arbitrio dimitteret, venenum quod semper secum habere consueuerat, sumpsit. Sic vir fortissimus multis varijsq; perfunctus laboribus, anno acquieuit septuagesimo. Hactenus Æmylius.

Eadem fere habet Plutarchus in eius vita. *Alij tamen, inquit, seruum ab eo iussum compressa gula spiritum interclusisse tradunt. Quidam sanguinem tauri, sicut Clitarchus Stratoclesque de Themistocle finxit, bibisse eum dicunt, atque eo potu mortuum concidisse.* Ipse tamen, sicut & Iustinus, Eutropius, Autor lib. de vir. illustr. qui ipsum ait venenum sub annuli gemma habuisse, aliique Liuio assentiuntur. Valer. Max. & Zonaras voluntariam mortem referunt, veneni non meminerunt.

XIV. *Quandiu vixerit, & quibus moribus.*

Mortvvm ætatis anno 70. Plutarch. ex quibusdam refert, forte Æmyl. Probum intelligit, ex quo id retulimus; & citatur à Plutarcho in Annibale, si tamē Plutarchi est ille Annibal. Verum si nonum agebat annum, cū eius pater Amilcar, finito bello Lybico, eum in Hispaniam duxit, vt ex Polybio anno V.C.515. diximus, necesse est eum nunc quartum tantum & sexagesimum vitæ annū egisse, vel iuxta Polybij, & Sulpicij, quam citauimus chronologiam, quintum aut sextum suprà sexagesimum. Scribit Iustinus constare, Annibalem, nec cum Italia Romanumq; imperium eo bellum gerente contremuit, nec cum reuersus Carthaginem summum imperium tenuit, aut cubantem cœnasse, aut plus sextario vini indulsisse, pudicitiamque eum tantam inter tot captiuos habuisse, vt in Africa natum negarent. Moderationis certe eius fuit, ait, vt cum diuersarum gentium exercitus rexerit, neque insidijs suorum militum sit petitus vnquam, neque fraude proditus; cum vtrumque hostes sæpe tentassent. Sic ipse, quæ fere ex Liuio & Polybio, eius industriam, ac imperatorias virtutes prædicantibus, supra retulimus.

XV. *Reditus Demetrij, aduentus legatorum. L.39. fin.*

Dvm hæc in Peloponneso & Asia geruntur, reditus Demetrij in Macedoniam, & aduentus Q. Martij, aliorumque legatorum varie hominum animos affecit, vt tradit Liuius. Nam vulgus Macedonum quos iamdudum belli à Romanis imminentis metus terruerat, Demetrium vt pacis autorem cum ingenti fauore conspiciebant, eique regnum haud dubie post mortem patris destinabant. Nam etsi minor ætate quam Perseus erat, ille tamen ex iusta matre familias, hic ex pellice natus erat. Plutarchus in Æmylio Paullo, & in Arato in fine, vocat Gnathenium Argiuam saltatricem, cuius fœtum vxor Philippi sibi supposuerit: ille insignem Philippi similitudinem præ se ferebat, hic, vt ex vulgato corpore genitus, nullam certi patris notam habebat. Ille in magna apud Romanos gratia erat, hic in nulla. Itaque verebatur ne ab eis in regio solio collocaretur, cum ætate tantum Demetrium antecederet. Sed hoc ipsum de ætate non probat Pausanias, qui in Corinthiacis Perseum diserte natu minorem vocat è Philippi filijs, Demetrium autem maiorem. Iuuat tamen communionem, quæ Liuij est, & Polyb. n. 50. sequi sententiam.

Demetrius cur Perseo inuisus. Istius genus.

l. 2. p. 52. gē.

XVI. *Et Philippo ipsi grauis.*

Qvin & Philippus ipse, vix sui arbitrii fore credens, quem hæredem regni relinqueret, illum iam sibi grauem esse censebat, & concursum Macedonum ad ipsum, & legatorum Romanorum cum ipso familiaritatem, non sine inuidia intuebatur; præsertim cum, iuuenis Roma inflatior redijsset, subnixus iudicijs Senatus erga se; & sibi concessis, quæ patri negata fuerant. Vide etiam Polyb. n. 50 ex quo vtiq; Liuius. Nihilominus Philippus mœrens sílicet & gemens, Romanorū præceptis obtemperabat, præsidia ex Thracia deducebat, aliaq; quæ Senatus per legatos non semel mandarat, ne quam eis causam bellum ex templo mouendi præberet: quod ne parare crederetur mediam in Thraciam duxit exercitum, vbi etiam vrbem condidit, quam Perseida ex nomine maioris natu filij sui appellari voluit; aliaque nonnulla gessit, quæ ex Liuio l. 39. extremo disces, & Polyb. n. 48.

Interea consules in Liguriam profecti erant, & Marcellus nuncium præmisit ad L. Porcium proconsulem, vt ad nouum Gallorum oppidum legiones admoueret. Aduenienti Consuli Galli sese dediderunt; à quo spoliati armis legatos Romam misere, qui Senatum docuere, se ex Gallia superante multitudine profectos, in loco inculto ac deserto consedisse, & sine cuiusquam iniuria oppidum quoque ædificare cœpisse, nec agro nec vibi vlli vim attulisse: nuper M. Claudium Marcellum ad se nuncium misisse, bellum se cum ijs ni dederentur gesturum, se pacem quam bellum præoptantes, deditionem fecisse: post paucos dies iussos agro & vrbe decedere, in animum induxisse tacitos abire, quo terrarum possent, sed arma sibi, atque omnia alia, quæ apud se haberent, erepta. Orare S.P.Q.R. ne in se innoxios deditos, acerbius quam in hostes sæuirent.

Senatvs respondit, neque illos recte fecisse, qui locum ad ædificandum in Romano agro iniussi occuparint, neque Senatui placere deditos spoliari. Itaque iussu Senatus sua ei reddita, ipsi trans Alpes remissi cum legatis, quos beneuole transalpini Galli excepere; suorum temeritate damnata, Romanaque clementia ac moderatione laudata, Legatos cum donis prosecuti sunt. Romani coloniam Aquileiam Mutinam ac Parmam deduxere: Consul Gallis ex prouincia exactis, Senatus consensu in Istriā legiones traduxit, indeque reuocatus, exercitu dimisso Romam comitiorum causa redijt. Nihil in Liguria ab altero Consule, nihil in vtraque Hispania à Proprætoribus memorabile gestum est.

ANNVS MVNDI 3872. SEXTÆ ÆTAtis 356. Imperii Græcorum 130. Seleuci Philopatoris 6. Oniæ III. Pontif. 26. Ptolemæi Epiphanis 22. Philippi Macedonum 39. Olympiad. CXLIX. an. 3. Vrbis Con. 571. Coss. Cneo Bæbio Tamphio, & L. Aemylio Paulo.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 181.

Hos Coss. agnoscit, & refert ex Polybio Æmylius Probus, quibus ille mortuum putauit Annibalem, vt proximo anno diximus, & notauit hoc anno Pighius, alijque multi apud Carolum Sigonium. Consulibus anni huius Liguria prouincia decreta est, nouique delectus habiti, non solum qui in Liguriam, sed etiam qui in Hispaniam mitterentur. Nam & Apuani Ligures ad defectionem spectabant, periculumque erat ne in agrum Pisanum impetum facerent. Et ex Hispanijs citeriorem in armis esse, & cum Celtiberis bellare constabat: & in vlteriore, quia diu Prætor P. Sempronius æger erat, luxuria & otio solutam esse disciplinam militarem. Quin & literis A Terentij Proprætoris cognitum est Sempronium in vlteriore prouincia mortuum esse, cum plus annum ibi æger fuisset. Eo maturius Prætores Q. Fuluius Flaccus, cui citerior obtigerat, & P. Manlius, cui vlterior, iussi sunt in suas prouincias proficisci.

Legationes transmarinæ deinde in Senatum introductæ. Prima Eumenis & Pharnacis regum, & Rhodiorū querentium de Sinopensium clade. Eam cladem memorat quoq; Polyb. n. 51. sed non explicat, significat tamen eam ad Rhodios tantum spectasse. Eumenis autem & Pharnacis Ponti regis alias fuisse contentionis causas, ex quibus

Græcorum 130.

quibus inter eos diuturna bella sunt exorta, quæ Romani opprimere conati sunt. Et oone vtrorumque legatis responsum est. Senatum ad res Sinopensium, & regum controuersias cognoscendas missurum legatos. Cæterum Polybij chronologia nostræ non repugnat, quamuis has legationes anno secundo huius Olympiadis contigisse scribat. Constat enim annum Olympicum tribus fere mensibus tardius incipere, quam consulatem, quo temporis spatio obitæ sunt hæ legationes.

III. Achæorum & Laced. Afvervnt sub idem tempus Achæorum & Lacedæmoniorum legati, quibus dunus à Senatu responsum est. eo quod Q. Marcius, qui receos ex Græcia legatus redierat, Senatui nunciarat Achæos nihil ad Senatum referre velle, sed subiaris spiritibus id agere, vt omnia per se administrent. Itaque si in præsentia negligenter solum audiantur, & significetur facta ipsorum Senatui non probari, extemplo Lacedæmonem & Messenem inter se cōtra Achæos consensuras, eoque facto Achæos statim ad Romanos, vt ad perfugium venturos. Itaque Lacedæmonijs respondit se illos antea omni ope iuuisse, nunc vero ita existimare Senatum, ad curam suam id negotium non pertinere. Similiter Achæis petentibus auxilia, secundum fœderis leges, aduersus Messenios, aut certe ne quis eos ex Italia armis vel commeatu adiuuaret: respondit etiam si Lacedæmonij, aut Corinthij, aut Argiui, ab ipsis separarentur, non debere Achæos mirari, si nihil eam rem ad se pertinere Patres ducerent: quo responso quasi præconis voce, edixerunt, si quis vellet ex Achæorum concilio abscedere, id per Romanos eis licere. Ita fere Polybius nu. 51. At 52. refert Romanos, cum res Achæis opera Lycortæ, cum Messenijs ex animi sententia cecidissent, aliud eisdem legatis responsum dedisse; Senatum prouidisse, ne quisquam ea Italia, aut arma aut frumentum Messenam importaret.

IV. Philippi Macedonum. Philippi quoque legati auditi suot, sed eis sicut & Peloponnesijs responsum, iuxta ea quæ Senatus à Q. Marcio acceperat, qui de Philippo referebat, fecisse illum quidem imperata, sed grauate admodum; ac data occasione quiduis eum aduersus Romanos moliturum. Propterea Philippi legatis respondens Senatus, ita Philippum laudauit, ob ea quæ iussus fecerat, vt cauendum illi in posterum diceret, ne quid aduersus populum Romanum faceret. Ita Polybius n. 51. quæ Liuius initio l. 40. auget. Ait enim omnia quæ sum ageret Philippus ad rebellandum spectasse. Illudque in primis, quod omnem fere multitudinem ciuium cum familijs suis, ex maritimis ciuitatibus in Emathiam traduxisset, & in eorum locum Thraces, aliosque barbaros induxisset: fidiora hæc genera hominū ratus fore in Romano bello: quæ populorum transmigrationes ingens Macedonum in Philippum odium accenderunt.

V. ... crudelitas. Deinde ne quando liberi eorum quos interfecerat, vindictæ auidi ad Romanos perfugerent, aut qui in custodijs eius clausi tenebantur, aliquid machinarentur, eos omnes, alium alio tempore, interficiendos curabat: qua crudelitate ita efferauit aliquos, vt parentes aliqui suos ipsi liberos, aut ferro, aut veneno tollerent, vt regiam crudelitatem effugerent. In quibus insigne fuit facinus, ad grane Philippo cōflandum odium, Thessalæ mulieris Theoxenæ nomine, quæ plurimos sororis filios, tragico scelere ad mortem sibi, partim ferro, partim veneno inferendam adduxit; tum semianimes è naue in conspectu regiorum satellitum, qui immiuebant, præcipitauit: postremo virum comitem mortis complexa, in mare sese deiecit.

VI. Perseus fratrem reddit odiosum patri. Hvivs atrocitas facinoris nouam velut flammam Regis inuidiæ adiecit, vt vulgo ipsum liberosque eius execrarentur: quæ diræ breui, inquit Liuius, ab omnibus dijs exauditæ, vt sæuiret ipse in suum sanguinem, effecerunt. Perseus certe Demetrij fratris insidiabat vitam, quem in dies cernebat apud omnes fauore ac dignitate crescere, & ei parentis odium quantum poterat, conflabat, eiusque amicos ad sese pertrahere conabatur, non irrito vtique conatu: vt qui cernerent incautum Demetrium fraternæ fraudi succubiturum, eo quod amore in Romanos suo patefaciendo, obuium se criminationibus fratris, & parentis suspicionibus faciebat; adeo vt experiem eum omnium de Romanis consiliorum Philippus haberet, totus in Perseum versus, cum eo cogitationes eius rei dies noctesque agitaret, ab eo non sine fide audiret Demetrium, si non proditorem, certe speculatorem regni pro Romanis esse, qui ex quo Romæ fuisset obses, apud ipsos animum, apud suos corpus tantum haberet. Calvmnia, et svspicio in Demetrivm.

VII. In eundem calumniam struit. In lustratione deinde exercitus Macedonici Perseus nactus quandam criminis probabilitatem, fratrem apud Philippum accusauit, quod se interficere voluisset, eamque ob causam in suam domum cum armatis venisset. Sed ea calumnia etsi depulsa verissima defensione fuit, non tamen ex Senis animo, extracta suspicio est de coniunctione Demetrij cum Romanis. Eam vt illustraret Philoclem & Apellem legatos Romam misit, non vt aliquid à Senatu peterent, sed vt inquirerent de ijs, quorum Perseus Demetrium insimulabat, quasi cum T. Quintio, alijsque Romanis de regno fratri eripiendo transegisset. Et eos quidem medios, nec in alterutram partem inclinatos Philippus arbitrabatur; sed eos Perseus fraudis suæ habebat participes & administros: qui & maximum momentum ad cædem innocentis principis attulerunt, vt seq. anno dicetur. Hæc fuse apud Liuium declamantur.

VIII. ... ex Hispania ouatio. Res autem hoc anno in Liguria & Hispanijs gestæ breui oratione ab eo perstringuntur, quod nihil insigne habeant. Terentium ait ex Hispania re bene gesta reducem, ouantem in vrbem ingressum: transtulisse argenti pondo nouem millia 320. id est, centum & duo millia quingentos & 40. coron. Auri 80. pondo, quæ valent 8. millibus aureorum præter aureas coronas duas, quæ erant pondo 67. siue sex millium & septingentorum coronatorum.

Contentio de finibus in Africa. Eodem anno inter populum Carthaginiensem & Masanissam regem, de finibus agitatæ sunt controuersiæ apud Romanos legatos in Africa. Carthaginienses, quod primo maiorū suorū fuisset, deinde à Syphace ad se peruenisset, repetebant. Masanissa paterni regni agrum se recepisse, & habere iure gentium aiebat, & causa & possessione potiorem esse. Legati possessionis ius non mutarunt, causam integram Romam ad Senatum reiecerunt.

ANNVS MVNDI 3873. SEXTAE ÆTATIS 357. Imperij Græcorum 131. Seleuci Philopatoris 7. Oniæ III. Pontif. 27. Ptolemæi Epiphanis 23. Philippi Macedonum 40. Olymp. CXLIX. an. 4. Vrbis Con. 572. Coss. P. Cornelio Lentulo, & M. Bæbio Pamphilo.

ANNVS ANTE CHRISTVM 182.

I. Hyrcanus filius Iosephi publicani ... Ad hæc tempora Eusebius refert res ab Hyrcano gestas. Hyrcanus, ait, Iosephi ducis Iudææ filius, cum ad Ptolemæum perrexisset, honorifice ab eo susceptus est. Verum fratres eius seditione contra eum mota magnarū calamitatum Iudææ genti causa extiterunt. Huius est mentio 2. Machab. & res gestæ fuse traduntur à Iosepho, cap. 3. ... vbi tamen Iosephus ille non dux Iudææ describitur, sed publicanus, qui à rege Ptolemæo vectigalia Cœlesyriæ Phœniciæ, Iudææ, ac Samariæ redemisset, & per duos & 20. annos collegisset. Missus est à patre eius filius Hyrcanus Regi Ptolemæo gratulaturus, & munera oblaturus, in filij eius natiuitate, vtique non Philometoris, lib. 12. c. 5. qui iamdudum natus erat, & post biennium paterno regno successit, sed iunioris, quem Iosephus Physconem vocat, Pausanias Alexandrum, vt suo loco dicetur. Verum dicendum est, vel hanc natiuitatem ad anteriora tēpora pertinere, cum hic sub mortem patris, qui imminet, ea ætate esset, vt studijs matris adiutus, locū primogeniti regnare posset: quod bimulo non conuenit; vel certe hanc temporis circumstantiam à Iosepho additam, vt

idoneam ad incitãdam munerum oblationem. Ergo Hircanus Regi magnificentia oblatorum numerum factus est charus, patri autem suo ac fratribus inuisus, qui tantũ pecuniarum, mille talenta scribit Iosephus, profudisset, quod cæteris Iosephi commentis aggregari potest. Tam immanis enim pecuniæ vis magnorum regum est, non priuati hominis, atque adeo filij familias. *2. Mac. 1.*

Eius reditus ad suos. INDE cum commendatitijs à Rege literis in patriam redijt, eo tempore, quo regnabat hic noster Seleucus Antiochi Magni filius. In via cum fratribus armis congressus, duos eorum occidit, aliosque ex eorum comitatu; Hierosolymam vt venit, cum exciperetur à nemine, tertius secessit trans Iordanem fluuium, & illic vitam egit, tributa à barbaris exigens, & assiduum bellum cum Arabibus gerens; vbi & arcem extruxit, quam vocauit Tyrũ, eique tractui ad mortem vsque Seleuci præfuit. Seditio porro cuius meminit Eusebius, contigit sub eius in vrbem aduentum, de qua Iosephus. *Li. 12. c. 5.* Iosepho, inquit, mortuo, populus seditionibus agitatus est, propter eius filios, dum maiores fratres Hyrcano natu minimo bellum inferunt; plerique enim fauebant senioribus, & in his Simon pontifex propter cognationem. Sic ipse: sed profecto de Simone pontifice valde fallitur. Nam ex secundi Machabæorum tertio constat regnante Seleuco, imo & multis annis ante, Oniam eius nominis tertium, illius Simonis filium pontificatum apud Iudæos administrauisse.

III. *Pestilentia Romæ. Bellum in Sardinia.* Hoc anno terra Italica pestilentia, mare piratarum latrocinijs infestum fuit. Pestilentiæ tanta vis erat, vt cum propter defectionem Corsorum, belluumq; ab Iolaensibus concitatum in Sardinia, delectus in Latio habendus esset, vt octo millia peditum, & trecenti equites à M. Pinario prætore in Sardiniam traducerentur, is numerus militum effici non potuerit: tantum vbique vel mortuorum, vel ægrorum erat. In vrbe quoque tanta vis eius erat, vt vix mortuis Libitina sufficeret.

Demetrij periculum & cautio. In Macedonia res in deterius hoc anno sunt prolapsæ, vsque adeo vt Demetrius Persei artibus, Philippi vel iussu vel consensu interfectus sit. Et erat quidem Demetrius omnium, quæ in ipsum parabantur ignarus, neminemq; præter vnum Perseum, cuius calumnia, atq; improbitas nuper eruperat, suspectum habebat; & sperabat patris animum sibi placari posse. Itaq; circumspiciens dicta, factaq; sua, ne cuiusquam suspiciones augeret, ab omni mẽtione, & communicatione Romanorum abstinebat, nec scribi ad se volebat, quia hoc præcipue criminum genere exasperari erga se patris animum sentiebat.

IV. *Philippus cũ Perseo Æmũ scandit.* INTEREA Philippus ne miles otio deterior fieret, & simul vt opinionem parandi in Romanos belli auerteret, exercitum in Pœoniam proficisci iussit. Cupido eum ceperat in verticem Æmi montis præcelsi conscendendi; quia vulgaræ opinioni crediderat, Ponticum simul, & Adriaticum mare, & Istrum amnem, & Alpes conspici posse, quæ subiecta oculis, haud parui sibi momẽti futura, ad bellum Romanum sperabat. Percunctatus regionis peritos de ascensu Æmi, didicit non solum exercitui, sed vix singulis hominibus, aut certe paucis expeditis eius aditũ patere. Cum tamen eo penetrare statuisset, Demetrium ab se in Maced. ablegauit, ea specie, ne si quid aduersi cõtingeret, totam spẽ regni pater per imprudentiam perdere voluisse videretur; re autem vera volebat vnũ Perseum adesse consilio, cum in conspectu locorum consuliaret, quæ itinera proxime in mare Adriaticum, atque Italiam ducerent, quæque belli ratio esset futura.

V. *Demetrius remissus in Macedoniam.* ET quamuis Demetrius hæc sentiret, voluntati patris facile assensus est, ne inuitum parere suspicionem faceret. Vt tamen iter ei tutum esset in Macedoniam, Didas ex regijs prætoribus vnus, qui Pœoniæ præerat, iussus est prosequi Demetrium cum modico præsidio. *Cum Dida comitatu.* Hunc quoque Perseus inter coniuratos in fratris perniciem habuit. In præsentia dat ei mandata, vt per omne obsequium se quam maxime in intimam eius familiaritatem insinuaret, vt elicere arcana eius omnia, abditosque sensus speculari posset.

Rex interim in incepto progreditur, & montem Æmũ multo labore transcendit, & temerario incepto exercitũ in solitudine, inopia ac fame fatigatũ, cogit sociorũ agrũ, non secus atq; hosticum populari: mox Petram Mædicæ regionis vrbem oppugnat, & ad deditionem cogit. *Philippus temere vexat exercitum suum.*

VI. *Demetrius fugam meditatur.* AT Didas cum simplicitatem incauti iuuenis, & suis haud immerito succensentis, assentando, indignandoq;. & ipse vicẽ eius captaret, in omnia vltro suam offerens operam, fide data arcana eius elicuit. Fugam ad Romanos meditabatur, sibique gratulabatur, ac superis agebat gratias, quod is sibi oblatus esset fugæ adiutor, per cuius prouinciam tuto elabi posset. Verum hoc consilium extemplo fratri proditur, & autore ipso indicatur patri per literas, quæ primum ad obsidentem Petram allatæ sunt. Inde Herodorus, qui amicorum Demetrij princeps erat, in custodiam est coniectus, & Demetrius dissimulanter asseruari iussus. *Res innotescit Philippo.* Ipse rex aduentum legatorum suorum ex vrbe expectabat; qui post aliquot menses reuersi, literas, iam in Macedonia ante profectionem meditatas, T. Quintij nomine, eiusque signo adulterino signatas ad Regem afferunt. *Falsæ in Demetrium literæ ab vrbe.* Deprecatio erat in literis, si quid adolescens cupiditate regni prolapsus secum egisset; nihil eum aduersus quemquam suorum facturum, neque se eum esse, qui vllius impij consilij autor atque adiutor fieri vellet.

VII. *Accusatur apud patrem.* HÆ literæ fidem Persei criminibus fecerunt. Itaq; Herodorus extemplo diu excruciatus, sine indicio rei vllius, in tormentis moritur. Demetrius apud Patrem de captata fuga accusatur, eaque subornatis itineris comitibus probatur, falsis autem Quintij literis in primis vrgetur. *A quo occulta morte adducitur.* Philippus dolo eum potius interficiendum censet, ne pœna eius, consilia aduersus Romanos nudaret. Itaq; ipse Thessalonica Demetriadem profectus, Demetrium ad Æstræũ Pœoniæ mittit, eodem comite Dida, Perseum Philippopolin, ad obsides Thracum accipiendos. Digredienti à se Didæ mandata dedisse dicitur de filio occidendo. Sacrificium à Dida vel institutum, vel simulatum est; ad quod celebrandum inuitatus Demetrius, ab Æstræo Heracleã venit. In ea cœna venenum dicitur datum. *Veneno potatus.* Poculo epoto extemplo fraudem sensit, & mox coortis doloribus relicto conuiuio, cum in cubiculum recepisset sese, crudelitatem patris conquerens, parricidium fratris, ac Didæ scelus incusans, iniectis in caput tapetibus, ne forte à veneno reualesceret, intercluso spiritu suffocatur. *Suffocatur. l. 4. c. 20.* Hæc Liuius pluribus, Paulus Orosius paucis, & eam cædem refert ad Consulatum Labeonis & Marcelli ante biennium. Eandem tangit etiam Iustinus, sed admodum confuse, vt ex eius l. 32. intelliges.

VIII. *Ingauni Ligures consilium fallunt.* DVM hæc in Macedonia geruntur, L. Æmylius Paulus prorogato ex Consulatu imperio, principio veris in Ligures Ingaunos exercitum duxit. Statimque hostis legatos de pace ficte mittit; negante Æmylio pacem se, nisi deditione facta, initurum, illi decem dierum inducias petunt, vt deditionem suis persuadere possint. Interea exorant ne trans montes castris proximas pabulatum, lignatumq; milites irent, quod ea loca culta essent. At ipsi interea in iisdem locis exercitum ingenti cura præparant, & repente multitudine ingenti Romanorum castra portis omnibus adoriuntur, summaq; vi diem totum oppugnant, vt nec signa efferendi, nec instruendi aciem Romanis spacium darent. Sub vesperam Æmylius ad vicinos circa Imperatores Romanos, nuncios mittit, qui obsidionem nuncient & auxilium exposcant; *Eiusdem periculum.* sed varij casus omnes auxilium ferre prohibebant: & insuper Consules non comparatis adhuc, propter pestem, copijs, profectionem tardabant, quamuis Senatu vociferante.

IX. *Resumpto animo pugnat, & vincit.* ÆMYLIUS postquam nihil vsquam spei ostendebatur, per se fortunam tentare statuit, præsertim cum iam segnius ab hoste oppugnaretur: & instructa diligenter acie, atque ad cupiditatem incitata vlciscendæ ignominiosæ obsidionis eorum, quos iam toties fudissent, fugassent, & ad satietatem cecidissent, certamen init; Liguribus nihil minus quam certamen expectantibus: vino quippe mádidi, cibo exsaturati, incompositi, & tepidi erant, quasi in

paratas insidias incidissent. Exiguo tempore aliqua forma pugnæ fuit, fuga deinde effusa, & fugientium passim cædes erat. Equitibus dato signo vt conscenderent equos, nec effugere quemquam sinerent, in castra omnes trepida fuga compulsi sunt: deinde ipsis exuti castris. Supra quindecim millia Ligurum eo die occisa; capta duo millia & quingenti. Triduo post Ligurum Ingaunorum omne nomen, obsidibus datis in deditionem venit. Piratæ autem è Liguria effusi, omnes capti & in vincula coniecti; naues piraticæ duæ & triginta in Ligustina ora à C. Matieno duumuiro captæ sunt.

Piratæ capti à Romanis.

X. *Æmylius triumphat.*

His ad Senatum relatis, concessum Æmylio vt confecta prouincia decedere, & deducere secum milites liceret, atque dimittere. Itaque in vrbem triumphans ingressus est, transtulit coronas aureas quinque & viginti, nec præterea quidquam auri atgenriue in eo triumpho latum: neque mirum, cum ea prouincia tot annis varijs deprædationibus fuisset exinanita; æris trecenos militibus diuisit, id est sex libras Turon. siue coronatos duos, quia mille æris 20. libris Turon. æstimantur apud Cenalem: captiui multi Ligurum principes ante currum ducti. Auxerũt legati Ligurum eius triumphi famam, pacem perpetuam orantes; quod tota gens in animum induxisset, nulla vnquam arma, nisi imperata à populo Ro. sumere. Respondit Senatus, orationem meam non nouam Liguribus esse, mens vero vt noua & orationi conueniens esset, ipsorum id plurimum referre. Inde ad Consules reiecti sunt, quibus solis super ea re Senatus crediturus esset. 3.

Ligures pacẽ perpetuam petunt.

XI. *Libri Numæ reperti.*

Eodem anno in agro L. Petilij scribæ, sub Ianiculo dũ cultores agri altius moliuntur terram, duæ lapideæ arcæ, octonos ferme pedes lõgæ, quaternos latæ inuentæ sunt, operculis plumbo deuinctis. Literis Latinis, Græcisque vtraque arca inscripta erat, in altera Numam Pompilium Pomponis filium Regem Romanorum sepultum esse, in altera libros Numæ Pompilij inesse. Eas arcas cum ex amicorum sententia dominus aperuisset, quæ titulum sepulti Regis habuerat inanis inuenta, sine vllo vestigio corporis humani, aut vllius rei, per tabem tot annorum omnibus consumptis. In altera duo fasces candelis inuoluti, septenos habuere libros, non integros modo, sed recentissima specie. Septem Latini de iure pontificio erant, septem Græci de disciplina sapientiæ, quæ illius ætatis esse potuit.

Duæ arcæ.

XII *Libri à Prætore lecti, damnatiq;.*

Hi libri cum multorum lectione vulgarentur. Q. quoque Petilius Prætor vrbanus eosdem summatim legit, cumque animaduertisset pleraque dissoluendarum religionum esse, L. Petilio dixit sese eos libros in ignem coniectum esse. Re ad Senatum delata, Prætor se iusiurandum dare paratum esse dixit, libros eos legi, seruarique non oportere. Senatus censuit satis habendum, quod Prætor iusiurandum polliceretur, libros primo quoque tempore in comitio cremandos esse: idque in conspectu populi à victimarijs factum est. Egregio exemplo, & condemnatione eorum qui libros damnatis artibus, hæresi aut turpitudine infames retinere, legere, aut scribere etiam, & in vulgus edere sibi religioni non ducunt, vt innumerabilium peccatorum alienorum pondere degrauati profundius in tartara descendant. Surget vtique aliquando Senatus ille vniuersus, & condemnabit generationem istam.

Publicè comburuntur. l.1 c.22. l.1.c.1.

Illa fere Liuius, & ex eo Lactantius, & Valer. Max. qui à Liuio dissentit, quod ait Larinos libros magna diligentia asseruandos curatum esse; cum Liuius sine discrimine omnes eos libros igni traditos dicat, vt & Plut. in Numa, vbi ex Valerio Antiate non septenos, sed duodenos memorat libros. Plinius tamen ex eodem Antiate binos tantum. In eo etiam dissentit à Liuio Plutarchus, quod ait tumulum, in quo erant defossæ arcæ, magnis imbribus perruptum fuisse, eluuiem eas arcas eruisse; earum opercula defluxisse. Cum Liuius eum annum siccitate & inopia frugum dicat insignem fuisse, vt sex totos menses non pluisse, memoriæ proditum sit, & opercula plumbo vincta fuisse.

Li.13.c.13.

XIII. Multa hac de re disserit S. Augustinus in Ciuitate Dei, vbi ait inter alia, Regem ea secreta, quæ illicita curiositate à dæmonibus acceperat, consumere ausum non fuisse, ne dæmones iratos haberet; neminem tamen scire voluisse, ne homines nefaria doceret: ideoq; obruisse vbi tutum putauit, cum sepulchro suo aratrum crederet propinquare non posse. Senatum autem, cum religiones timeret damnare maiorum, illos libros tam perniciosos esse iudicasse, vt nec obrui rursus iuberet, ne humana curiositas multo vehementius rem iam perditam quæreret, sed flammis aboleri nefanda monimenta. Et cap. seq. Aut ergo dæmonum illicitam sordidæ, & noxiæ cupiditates erant conscriptæ, vt ex his tota Theologia ciuilis, etiam apud tales homines execrabilis appareret: aut illi omnes nihil aliud quam homines mortui credebantur. Hæc & plura D. Aug. eo loco: vbi cum Numam magna dæmonũ familiaritate vsum, artibusq; nefarijs tradat, nihil admodum absurdũ videtur existimare, etiam corpus eius à dæmonibus retecto operculo asportatum, vt arca lapidea penitus vacua reperiretur. Non enim fieri potest, vt integrum hominis cadauer in aerem ita resoluatur, nihil vt ossium aut pulueris appareat, præsertim cum ex altera parte libri non incorrupti modo, sed recentissimi etiam inuenti perhibeantur. Sed de his hactenus, Hispaniam cum Liuio adeamus.

Quid de his S. August. li.7.c.34. & 35.

Quid corpore Numæ factũ.

XIV. *Rerũ Celtiberis gesta.*

Celtiberos Q. Fuluius Flaccus ingenti prælio vicit. Ad 35. millia hominum Celtiberi, quantum nunquam antea, in armis habere dicebantur. Fuluius quoque quantas maximas potuit copias contraxit, sed nequaquam numero pares. Principio veris exercitum in Carpetaniam duxit, & castra locauit ad oppidum Eburam, modico præsidio in vrbe posito. Celtiberi quoque sub vicino colle castra posuerunt, quos cum Romani sæpius ad pugnam equitatu suo inuitare viderentur, nec tamen oblatam, quamuis instructi ad pugnam acciperent, vtrique in castris quieuere, donec spes facta est hosti, Romanum priorem non moturum. Tum Prætor L. Acilium cum ala sinistra, & sex millibus prouincialium auxiliorum circumire montem iubet, qui à tergo hostibus erat; inde vbi clamorem audisset, decurrere ad castra eorum iubet; & nocte proficisci ne conspici posset.

Insidiæ hosti à Fuluio positæ.

XV. *Paratur pugna.*

Prima luce Flaccus mittit qui hostem adeant, & è castris de more ad insequendum educant, egressi sunt equites primo, deinde peditum exercitus omnis è castris effunditur, quingentorum armatorum præsidio castris relicto, haud dubia spe, se eo die Romanorum castra oppugnaturos. Non plus quingentis passibus à vallo Romano aberant, cum Flaccus existimans eos satis abstractos à præsidio castrorum suorum, omnes suos instructos tribus simul partibus educit, & ingentem clamorem tollere iubet: quo audito, qui in monte latuerant, ad hostilia castra decurrere; quibus facile expugnatis flammas iniiciunt, indeque ad hostem à tergo cædendum procedunt. Illi vtrimque in medio cæsi diu sunt, quoniam desperatio receptus in castra, quæ ardere videbant, animos afferebat. Et iam sinistrum cornu pellebant loco, cum laborantibus septima legio successit, simul ab oppido Ebura, qui in præsidio relicti erant, in medio ardore pugnæ aduenerunt.

Hostes vtrinq; cæduntur.

XVI. *Victoria Romana, & hostium clades.*

Itaque omnem in partem Celtiberi fugam capessunt, Romani equites bipertito diuisi, in eos emissi magnam fugitiuorum cædem edidere. Ad 23. millia hostium eo die cæsa, capta 4800. cum equis plus quingentis, & signa militaria 88. Romani partim è suis sociisque, partim de auxiliaribus, ad 3450. amiserunt, ne incruenta victoria gloriarentur.

Contrebia obsidetur, & deditur.

Prætor victorem exercitum in castra reducit, Acilius manere in castris à se captis iussus est. Inde ad Cõtrebiam legiones ducit, & vrbem circumsedit. Ea quamprimum auxilia à Celtiberis accersit, quæ cum propter viarum difficultates, ingentes imbres, & tumentes amnes tardarentur, vrbs in deditionem venit.

XVII. *Auxilia tarda, & improuidè trucidantur.*

Eius rei ignaræ copiæ auxiliares, cum nulla extra mœnia castra viderent, aut abijsse hostes, aut translata in partem alteram castra existimantes, per negligentiam effusi

ad

ad oppidum accesserunt. In eos duabus portis Romani eruptione facta, facile incompositos fuderunt; & quamuis nullo loco conferres circumuenire licuit, tamen ad duodecim millia sunt cæsa, capta plus quinque millia hominum, equi quadringenti, signa militaria 62. Qui palati è fuga domum se recipiebant, alteri agmini Celtiberorum obuij fiunt, quibus dum Contrebiæ deditionem, & suam cladem referunt, eos extemplo in castella sua, vicosque auerterunt. Flaccus à Contrebia profectus, per Celtiberiam populabundus legiones ducit, & maximam partem Celtiberorum in deditionem adegit.

XVIII. Res gestæ in Lusitania, Corsica, Sardinia, Carthagine.

HÆc dum in citeriore Hispania Flaccus gerit, in vlteriore Manlius Prætor cum Lusitanis aliquot secunda prælia commisit. Pinarius in Corsica feliciter pugnauit, ad duo millia eorum in acie occidit; qua clade compulsi obsides dederunt, & ceræ centum millia pondo. Inde in Sardinia cum Iliensibus secunda prælia facta. Carthaginiensibus eodem anno centum obsides redditi, & bellum inter eos & Masanissam, de finibus iam dudum controuersis, compositum est. Otiosam prouinciam in Liguria Consules habuerunt, M. Bæbius comitiorum causa Romam reuocatus est.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3873.

Tamphilum potius hunc, sicut & fratrem eius, qui superiore anno Consul fuerat Sigonij & Onuphrij fasti appellant. Eos sequuntur Temporar. Gordon. Scaliger, Greillius, Genebrardus, Pighius. Alij Pamphilum retinent; quomodo in Liuio, Valer. Max. Plinio, Obsequente, alijsque antiquis legitur. Quos sequitur Cuspin. Functius, Capellus, Caluisius. Cornelium autem Cethegum cognominat Sulpicius, apud Æmylium Probum in Hannibale, Plinius, l. 13. c. 13. Tabulæ Capitolinæ, apud Sigonium, Onuphrium, & Pighium, quos illi ipsi sequuntur, & Eusebius in Chronico Græco, quos recentiores sequuntur, Gordonus, Greillius, Temporar. &c. Lentulum habent Liuius, Cassiodorus, Cuspin. Pighius vtrumque ei cognomen attribuit. — 1. N. a.

2. N. b. Nam cum talentum Hebræorum, æstimatore Epiphanio, sit 125. librarum, & singulæ libræ centum aureorum, mille talenta auri ascendent ad duodecim milliones & quingenta millia coronatorum. Sin autem mille talenta argenti intellexit, tota summa perueniet ad millionem vnum trecenta & septuaginta quinque millia nummorum aureorum; aut ad 4. milliones 125. millia francorum.

3. N. c. Deuictis ab Æmylio Liguribus Plutarchus in eius vita, non plura habet quam Liuius, sed ampliora. Ait enim eum contra 40. millia Ligurum pugnasse, cum octo millibus suorum: idque tandiu inclusorum in castris timor probabile reddit. Nihilominus Liuius vix eis 18. millia tribuit, neminem quippe fuga euasisse significat. Consulibus autem quatuor legiones, quæ quina millia ducenos Romanos pedites, trecenos haberent equites, & quindecim millia sociorum ac Latini nominis; & equites octingentos. Tota summa ascendit ad 35. millia peditum & octingentos. Equitum vero duo millia. Dimidia vero pars, quæ Æmylio competebat, erat 17900. peditum, & equitum mille.

22000. 15000. 800. 37800.

ANNVS MVNDI 3874. SEXTÆ ÆTATIS 358. Imperii Græcorum 132. Seleuci Philop. 8. Oniæ III. Pontif. 28. Ptolemæi Epiphanis 24. Philippi 41. Olympiadis CL. an. 1. Vrbis Conditæ 573. Coss. A. Posthumio Albino Lusco, & C. Calphurnio Pisone.

ANNVS ANTE CHRISTVM 179.

I. Anni regni Ptol. Epiphanis.

VLTIMVM hunc Ptolemæi Epiphanis annum facit Eusebij Chron. illi quippe 24. annos tribuit: quem de more sequitur Beda in lib. de sext. ætat. & ante vtrumque Tertul. l. aduersus Iudæos & Clemens lib. 1. Strom. quibus passim recentiores omnes assentiuntur, (potius quam Epiphanio, in lib. de pond. qui ei tantum dat 22.) in quibus est Genebrard. lib. 2. Chron. Functius Casaub. in Synopsi Polyb. Gordon. Sichardus in Synopsi Iustini, Freigius in sua. Henricus Samerius in Chron. & Bellarminus. Nonnulli tamen recentiorum Ptolemæum, vt putant, secuti, ei 23. tantum annos assignant, & hunc volunt esse primum Ptolemæi Philometoris, vt Temporar. Caluis. Capellus, & vt videtur Scalig. Torniellus autem vtramque sententiam conciliare nititur, cũ ait Ptolemæum Philometorem quinque fere menses huius anni regnasse, ita vt primus eius annus ad hunc & sequentem annum pertineat. Nos in re non magni momenti, plurium, & antiquiorum vestigijs tritam viam, vt tutiorem sequimur. — a. 6. at. 427.

II. Philometor eius filius ablegatur in Cyprum.

IN hunc annum Olympiadis centesimæ & quinquagesimæ primum, in qua coronatus est Onesicritus Salaminius, referre possumus Philometoris expulsionem in Cyprum. Nam Pausanias l. 1. autor est Philometorem viuo patre in Cyprum, Cleopatræ matris odio, ablegatum fuisse. Cumque nullam temporis afferat notam, extremo id tempori Epiphanis videtur congruere, quoniam eum illa pellebat, vt morienti marito minorem natu filium regno substitueret: qua de re vberius ex eodem Pausan. anno seq. Meminit mortis eius Polyb. *a* vbi ait eum renouare cupientem cum Achæis societatem, misso legato decem naues obtulisse omnibus rebus instructas, quæ 50. remis agerentur, quarum sumptus ad summam decem talentorum accederet. Achæos autem legatos elegisse Lycortam Polybij patrem, qui dudum cum esset Prætor, eandem societatem cum eodem rege renouarat; & ipsum Polybium in gratiam parentis, itemque Aratum Arati Sicyonij filium; eosque misisse ad regem, vt & de præterita pecunia, & armis gratias agerent, & naues acciperent, & in Peloponnesum deuehendas curarent. Verum legatio ista patriæ fines non excessit, Ptolemæi morte sub idem tempus interueniẽte. Hæc ex Polyb. sed mortis genus autem modum non explicat, sicut nec Iosephus, qui eam tangit. *b* — a in legat. n. 17. — b Lib. 12. c. 5.

III. Piso Consul ab vxore necatur.

ROMANORVM Consulum Calphurnius Piso domestico scelere intra duos fere menses mortuus est. Necatus enim à Quarta Hostilia vxore dicebatur, vt filius ipsius Q. Fuluius Flaccus, qui in comitijs Consularibus iam tertiũ repulsam tulerat, Consul fieret per vitrici mortem. Nam erant qui testarentur, post declaratos Consules Albinum & Pisonem, auditam Hostiliam Fuluio dicentem, pararet se ad petendum Consulatum, effecturam se intra duos menses vt Consul fieret. Cum sceleratas minas crudelior effectus confirmasset, nefaria mulier supplicio affecta est. Fuluius nihilominus Consulatum adeptus est, vitrico suo suffectus. A principio ea mors pestilentiæ tribuebatur, quæ nouum quoque Prætorem T. Minutium sustulit, multosque alios omnium ordinum illustres viros: & iam tertium annum vrbem Romanam, atque Italiam late vastabat, Romanis nequicquam libros inspicientibus, & vota supplicationesque valetudinis causa Apollini, Æsculapio, Saluti facientibus. Nimirum veræ Salutis autorem nesciebant, & eius loco pestiferum dæmonem signis, lauro, coronis honorabant. — Pestilentia perseuerat.

IV. Ligures Apuani demigrant è sedibus suis.

LIGVRES Apuani post multas antiquas clades sese populo Rom. hoc anno sine certamine dediderunt, oppressi inopinato Cornelij & Bæbij aduentu: imitati videlicet sunt Ligures Ingaunos, qui præcedenti anno Æmylio Paulo, post magnam acceptam cladem, deditionem fecerant. Isti autem Apuani ex auitis sedibus ac montibus abducti sunt. Consultus enim Senatus à Procoss. censuit deducendos ex montibus in agros campestres procul à domo, ne reditus spes esset, nullam alioqui finem fore Ligustini belli. Grauis erat Liguribus ea transmigratio; itaque per legatos sæpe deprecati sunt, ne penates, ne sedem, in qua geniti essent, ne sepulchra maiorum relinquere cogerentur, arma, obsides pollicebantur. Postquã nihil impetrabant, & vires ad rebellandum deerant, edicto paruerunt. Traducti sunt publico sumptu ad 40. millia liberorum capitum, cum fœminis, puerisque, & translati in agrum Samnitium, qui Taurasinorum fuerat. Argenti data 150. millia sestertiũ, vnde in nouas ędes compararent, quæ opus essent. i. Ager ab eisdem diuisus est, qui eos traduxerant, Cornelio scilicet & Bæbio. — i. x.

V. Proconsules sine bello triumphant.

QVIBVS, cum veterem exercitum Romam deduxissent, triumphus ab Senatu est decretus. Hi omnium primi nullo bello gesto triumpharunt, ait Liuius, tãtum hostes ducti ante currum, quia nec quid ferretur, nec quid duceretur, aut daretur militibus captum fuerat. Neq; tamen nihil hostium apud Ligures deinceps fuit. Contra eos quippe alij etiam exercitus consulares in posterum missi sunt

Graecorum 133.

Propraetor Fuluius cum bene gerit in Celtiberia. Hoc ipso anno à Q. Fuluio Flacco Proprætore cum ex Prouincia decessurus esset, res præclare contra Celtiberos gesta est. Nam cum ex noui Prætoris Sempronij Gracchi mandato, Fuluius Tarraconem exercitum duceret, Celtiberi Manlianum saltum, quà transeundum erat, obsederunt, & in eum intrantes Romanos, duabus simul ex partibus exorti, repente inuaserunt. Fuluius quantum locus & tempus patiebantur, suos instruxit atq; ad pugnã hortatus est. Acies concurrerunt, atrox vbique prælium fuit, auxilia Romanorum cedebant Celtiberis, legiones Romanæ eos virtute superabant.

VI. *Hispanorum [...] cuneus.* Earum vim vt perrumperent, cuneo impressionem fecerunt: quo genere pugnæ tantum valent, vt quam in partem cuneus impactus fuerit, sustineri non possit, sed medios diffindat globos. Tunc quoque turbatæ sunt legiones, & acies media prope interrupta: cum iussu Fuluij equitum turmæ, vtraque ex cunei parte, in eum equis immissis, bis vltro citroque, cum magna hostium strage, infractis omnibus hastis transcurrerunt. *Dissipatur.*

Victoria, & magnitudo [...] victoriæ. Dissipato cuneo, in quo omnis spes fuerat, Celtiberi trepidare, & locum fugæ circumspicere: moxque alarijs equitibus, in perturbatos irruentibus, omnes effunduntur in fugam, & per totum saltum, dissipati cæduntur: cũ imperator ædem Fortunæ equestri vouisset, Iouique ludos. Decem & septem hostium millia cæsa eo die traduntur, viui capti plus tria millia ducenti 77. cum signis militaribus, equis prope mille & centum. Nullis castris eo die victor exercitus mansit: victoria non sine iactura militum fuit. 472. milites Romani, Sociũ ac Latini nominis 1019. cum his tria millia militum auxiliariorum perierunt, omnes 4491. Ita victor exercitus, renouata priore gloria, Tarraconem est profectus. 472 1019 3000 4491

VII. *Fuluius Romam redit.* Venienti Fuluio Tib. Sempronius Prætor, qui biduo ante venerat, obuiam processit, gratulatusque est quod Rempub. egregie gessisset: mox cum summa concordia, quos dimitterent, quosue retinerent milites composuerunt. Inde Fuluius exauctoratis militibus in naues impositis, Romam est profectus, Sempronius in Celtiberiam legiones duxit.

Res in Liguria gesta. Coss. ambo in Ligures exercitum induxerunt diuersis ex locis. Posthumius Balistam, & Suismontium obsedit, & premendo præsidijs angustos saltus, eorum commeatus interclusit, vineas excidit, frumenta decussit, donec omnibus belli cladibus coacti, in deditionem venerunt, armaque tradiderunt. Calphurnius adortus à Pisis Ligures Apuanos, qui circa Macram fluuium incolebant, in deditionem acceptos, ad septem millia hominum in naues impositos, præter oram hetrusci maris, Neapolim transmisit; inde in Samnium traductis inter populares ager diuisus est.

VIII. *Querela de Gentio rege Illyriorum.* Eodem anno L. Duronius in Senatu de Gentio Illyriorum Rege questus est, omnes latrocinantium naues, & oram infestam habentium ipsius esse. Nec legatis ad eum missis conuenienti sui potestatem fecisse. Multis ciuibus Ro. & socijs Latini nominis, in regno eius factas iniurias, & ciues Romanos dici Corcyræ retineri. Aderant & à Gentio Legati, orantes ne confictis in se criminibus crederetur, Regem ægrum in intimo regno. Legatis operam dare nequiuisse. Senatus omnes qui retineri dicebantur, quiue de iniurijs quererentur, Romam adduci placuit, & apud Prætorem vrbanum disceptare, nec ante Gentio eiusue legatis responsum dari.

Fuluius de Hispania triumphat, & fit Consul. Interea Q. Fuluius Flaccus Romã ex Hispania rediit, cum magna rerum gestarum fama; qui cum extra vrbem Triumphi causa esset, Consul est creatus cum L. Manlio Acidino, & post paucos dies cum militibus, quos secum deduxerat, triumphans vrbem est inuectus, tulit in triumpho coronas aureas 124. præterea auri pondo 31. valent coronatis ter mille centum, præter aliam pecuniam: militibus autem quinquagenos denarios de præda distribuit, id est, decem francos, siue libras Turonicas, si placet cum Cenali vnumquemque denarium 4. solidis nostratibus æstimare: quæ summa duplicata est centurionibus, triplex equiti data: tantumdem proportione socijs Latini nominis concessum est, & stipendium omnibus duplex.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3874.

Cenali sunt 7500. franci siue libræ Turo. vult enim sestercios singulos singulis nostratibus solidis respondere, quæ summa cum permodica sit, in tantam Ligurum multitudinem, ea æstimatio Cenalis non parum hoc exemplo infirmari potest.

ANNVS MVNDI 3875. SEXTAE ÆTAtis 359. Imperij Græcorum 133. Seleuci Philopatoris 9. Oniæ III. Pontif. 29. Ptolemæi Philometoris 1. Philippi Maced. 42. & vlt. Persei 1. Olymp. CL. an 2. Vrbis Con. 574. Coss. Q. Fuluio Flacco, & L. Manlio Acidino.

ANNVS ANTE CHRISTVM 178.

Initium regnandi Philometori hoc anno tribuunt, Eusebio duce, plerique omnes, qui eius Patri 24. annos regni concedunt; vitæ autem 28. aut 29. prout placet D. Hieronymo, vel Iustino consentire, quorum Hieron. filium ait quadriennem à Philopatore patente relictum; hic autem l. 30. quinquennem: ex quo etiam intelligitur Philometorem tenera adhuc ætate regnare cœpisse. Certe Iosephus, a *Moritur, inquit, Ptolemæus, & ipse eodem cognomento Epiphanes dictus, superstitibus duobus filijs impuberibus: quorum grandiori Philometor cognomen inditum, minori vero Physcon.* Teneræ autem ætatis etiam indicium est, quod post 6. annos eius auunculus Antiochus Epiphanes tutor eius esse voluit, vt sub specie tutelæ, regnum eius inuaderet. I. *Initium regni Philometoris* In c. 11. Dan. a Li. 12. c. 5.

Porro de Philometoris regni initio, & causa nominis hæc habet Pausan. lib. 1. *Qui Philometor est dictus, octauus est à Ptolemæo Lagi filio* (imo sextus: primus enim est Ptolem. Lagides. 2. Ptol. Philadelphus. 3. Ptol. Euergetes, 4. Philopator. 5. Epiphanes, cui successit sextus Philometor. Quam seriem omnes plane antiqui, recentioresque comprobant, nec est qui vllum alium inserat, vt propterea in Pausania error in numerum irrepsisse videatur, sed pergit.) *Id autem cognominis per illusionem nactus est, neque enim regum quisquam fuit vnquam ex omnibus, quem maiori mater odio prosecuta fuerit. Hunc enim maiorem quamuis natu, regem salutari non est passa, & vt in Cyprum viuente patre ablegaretur effecit.* II. *Quare Philometor dictus.*

Cvivs *in filium acerbitatis cum alias fuisse causas Cleopatræ memorant, tum quod Alexandrum natu minorem sibi obsequentiorem fore sperabat.* b *Eamque ob rem primum vt eum Ægyptij regem crearent suadebat; deinde cum repugnante plebe id assequi nequiuisset, in Cyprum Alexandrum misit, Imperatoris quidem nomine, reipsa vero, vt per eum Ptolemæo formidolosior esset ipsa* Sic Pausanias, subdit autem & alium eius conatum, ad eum regno depellendum, de quo posterius dicendum erit. Fallitur autem Genebr. in l. 2. chro. vbi ait eum Philometorem ab occisa matre dictum. Nam Pausanias eodem loco affirmat illam ab ipsius fratre Alexandro, siue Physcone interfectam; etsi illius opera è Cypro reuersus Ægypti regnum pulso Philometore obtinuisset. III. *Cur odiosus matri.* b *Eum Philometorem Iosephus l. c. & l. 2. contra Appionem vocat.*

Hoc ipso anno, atque his consulibus mortuum Philippum Macedoniæ regem testatur Liuius l. 40. extremo: & l. 45. non longe ab init. & his eisdem Consulibus Perseum regnare cœpisse. Nimirum patri mortuo filius illico successit in regnum. Ait enim Liuius Philippum senio & mœrore consumptum. Sed mœrore magis, ob indignissimam Demetrij cædem, quam seniu. Nam vix agebat annum ætatis sextum & quinquagesimum, anno quippe ætatis decimo quarto regnare cœpit, vt autor est Iustinus l. 28. & 29. & diximus an. V. C. 520. Modum autem mortis ita narrat. IV. *Mors Philippi.*

Demetriade hybernabat cum desiderio filij anxius, tũ pœnitentia crudelitatis. Sic enim legendum est, non c. udelitatis, quod nimium fidei calumnijs adhibuisset. Augebat mœrorem Perseus, iam se pro Rege, propemodum contempto *Calumnia in Demetrium manifesta.*

contempto patre, gerens. Affuit mœrenti Antigonus, Antigoni Tutoris ex fratre nepos, qui vnus ex honoratis Philippi amicis ei fidus remanserat, propterea que eum Perseus pessime oderat. Is apud Philippum operam dabat, vt quæ contra Demetrium fuerant perfide atque calumniose gesta innotescerent Seni. Maxime autem fictas ab Apelle & Philocle literas, nomine T. Quintij. Philocles indicante Xycho, qui fuerat legatorum scriba, vt ex ijs verbis, *omnem ordinem facinoris legatorum, ministerijque sui exposuit*, Sigonius collegit. Philocles inquam comprehensus, aut in tormentis, aut tormentorum metu rem omnem patefecit: Apelles cum tunc à Rege abesset, audito indicio in Italiam traiecit.

V. *Perseum ex pit regno primare.*

PHILIPPO redintegratus, ac geminatus est luctus. Perseus certior factus omnia detecta esse, potentior quidem erat, quam vt fugam necessariam duceret, tantum curabat, vt procul abesset à patre.

Et sufficere Antigonum Tutoris nepotem.

Philippus spe potiundi corporis eius amissa, id studebat, ne præter impunitatẽ, etiam præmio sceleris frueretur. Itaq; Antigonum regno destinat, in locum Demetrij: nam regno dignum, & vita faciebat innocens ac fidelis, & genus, vt cuius patruus Antigonus regnum fideliter Tutor administrasset, atq; auxisset: & si neminem haberet, dicebat perire illud & extingui malle, quam Perseo sceleratæ fraudis pretium esse. Inde eum omni genere honoris afficere non destitit, & circumiens Macedoniæ vrbes, cum in Thracia esset Perseus, principibus eum præfectisq; commendabat; & si vita longiore frui licuisset, haud dubium erat, quin eum in possessione regni relicturus esset.

A Demetriade profectus Thessalonicam, inde Amphipolim venit; vbi graui morbo implicitus, cum identidem species insontis filij interempti occurreret, agitaretque, curis, vigilijsq; confectus moritur, Antigono tum Philippi iussu ad Bastarnarum gentem legato.

VI. *Perseus statum de patris morte docetur.*

ADMOVERI poterat regno Antigonus, nisi Philippi mors nimium cito à Calligene medico, Perseo patefacta esset. Is enim curationi præerat, & non expectata morte regis, à primis desperationis notis, nuncios prædispositos misit ad Perseum, & mortem Regis in eius aduentum celauit omnes, qui extra regiam erant. Oppressit itaque necopinantes, ignarosque omnes Perseus, & regnum

Regnumque inuadit.

scelere partum inuasit, tenuitque vt Eusebio placet, alijsque multis annis decem: nec dissentiunt, qui annos vndecim regnasse dicunt. Nam illi hunc annum totum Philippo tribuunt, alij primum Persei numerant, quod patrem eius regnarit, & præterea solidos annos decem. Certe Liuius initium regni eius, vt diximus, sub huius anni Coss. collocat, quem nos libenter sequimur. Sub Philippi mortem gens Bastarnarum diu à Philippo solicitata à suis sedibus, magna peditum equitumque manu, Istrum traiecit. Inde progressi qui nunciarent regi Antigonus & Cotto, nobilis is erat Bastarna, & vterque Philippi iussu legatione ad concitandam eam gentem crebro functus fuerat.

VII. *Quod Romæ confirmatur.*

HAVD procul Amphipoli fama regis mortui nunciata est, quæ res consilia omnia belli turbauit. Perseus Antigonum interfici iussit, & dum firmaret res suas, legatos Romam ad amicitiam paternam renouandam misit, petendumque vt Rex ab Senatu appellaretur; quod & impetrauit, vt ex 41. Liuij in Arconis Achæi oratione patet. Cæterum quod ad Bastarnas attinet, Philippi mors Macedonici belli dilationem attulit. Compositum fuerat cum ijs, vt tutum eis per Thraciam transitum, & commeatus præstaret. Idque principes Thracum Philippi

Philippi de Bastarnis consilium.

donis deliniti ei promiserant. Inde Dardanorum gentem Macedonibus semper infestam disperdere, eorumque agrum Bastarnis tradere. Ibi liberis vxoribusque derelictis, per Scordiscos, & cum ipsis iter in mare Adriaticum, Italiamque capessere. Et in omnem euentum res Philippo bene cessuræ videbantur. Nam siue deleti essent à Romanis, liberata Dardania solatio futura erat; siue Romanis resisterent, illis in eo bello occupatis se Græciæ vrbes recuperaturum.

VIII. SED Bastarnæ in Thracia contentione orta hospites bello vexant, & magnam partem in montem altissimum, quem Donucam vocant, fuga compellunt, vbi dum fugitiuos persequuntur, cœlo contra eos pugnante tempestatibus non solum repulsi, sed pene contriti sunt. Inde in castra reuersi, consultant quid agendum sit: magna pars patriam sibi repetendam duxit. Triginta ferme hominum millia duce Claudico, in Dardaniam penetrandum censuerunt. De Bastarnarum aduentu longe alia narrat Paul. Oros. Nam primo id attribuit Lepidi & Mutij consulatui, anno 578. quadriennio post: deinde à Perseo euocatos dicit; postremo fracta Danubij glacie periisse tradit. Quem autorem secutus nescio, certe Liuius maiorem sibi omniũ confessione vendicat fidem, præsertim cum Polybium habeat consentientem, qui res sui temporis scribit, cuius testimonium suo loco trademus.

Partim domum se affl. ... reuertuntur.

Partim in Dardaniam penetrant.

IX. *Lepidus & Nobilior in Censura reconciliantur.*

INSIGNIS hic annus Romæ fuit reconciliatione duorum virorum, principum ciuitatis, M. Æmylij Lepidi, & M. Fuluij Nobilioris, quorum vterque consularis, hic etiam de Ætolis triumpharat, ille erat Pont. Max. Cum ambo in censorum comitijs Censores creati essent, ad eos principes Senatus venere, vt mutuas multorum annorũ inimicitias, in noui magistratus honore, in gratiam Reip. & Senatus, noua gratia terminarent, idq; in primis Q. Cæcilij Metelli interuentu perfectum est: cuius breuem, sed perelegantem orationem apud Liuium l. 40. inuenies. In qua illud & ad mores, & ad cognitionem prisci ritus valet. Has vt hodie, inquit, vt in isto templo finiatis simultates, quæsumus vos vniuersi. Et quos coniunxit suffragijs suis populus Romanus, hac etiam reconciliatione gratiæ coniungi à nobis sinatis; vno animo, vno consilio legatis Senatum, equites recenseatis, agatis censum, lustrũ condatis. Quod omnibus fere precationibus verbis nuncupabitis, *vt ea res mihi, Collegæque meo, bene & feliciter eueniat*, ita vere & ex animo velitis euenire, efficiatisque vt quod deos precati eritis, id vos velle etiam homines credamus. Hæc & plura Cæcilius.

Metelli interuentu.

X. *Reconciliationis modus.*

POST aliquam vt fit, vtriusque de altero querelam, ambo significauerunt, si alter vellet, se in potestate tot principum ciuitatis futuros. Omnibus instantibus qui aderant, dexteras fidemque dedere, mittere vere se, ac finire odium. Collaudantibus cunctis deducti sunt in Capitolium, & cura super tali re principum, & facilitas Censorum egregie à Senatu laudata est. Inde fideli concordia Senatum legerunt, princeps electus est M. Æmylius Lepidus Pontifex Maximus, tres eiecti de Senatu, retinuit quosdam Lepidus à Collega præteritos. Multis deinde publicis operibus censuram suam illustrẽ, & posteritati celebrem reddidere, quæ à Liuio recensentur, in quibus est ædes vota Laribus permarinis, siue per mare vagantibus, L. Scipione Asiatico, & C. Lælio Coss. vt suo loco significauimus.

Quæ in Censura gesta.

XI *Res à Coss. apud Ligures gesta.*

EO biduo quo Senatum legerunt Censores, Q. Fuluius Consul profectus in Ligures, per inuios montes vallesque, saltus cum exercitu transgressus, signis collatis cũ hoste pugnauit; nec tantum acie vicit, sed castra quoque eodem die cepit. Tria millia ducenti hostium, omnisque ea regio Ligurum in deditionem venit. Consul deditos in campestres agros deduxit, præsidiaque montibus imposuit: res ea cum gaudio Romæ supplicationibus, & maioribus hostijs celebrata. Ab altero Consule L. Manlio nihil memoria dignum apud Ligures gestum est. Et profecto mirum est tot annis iam, post tot hominũ millia cæsa in Liguribus, tot dedi[t]iones, tot emigrationes, tot incendia & vastitates, tot prædas, vlla ibi non dicam hostium, sed hominum vel animalium vestigia inueniri potuisse. Cæterum Fuluius de Liguribus hoc anno triumphauit, eumque triumphum magis gratiæ, quam rerum gestarum magnitudini datum constabat, contigitque eius triumphus eodem die, quo priore anno ex P. æ- tura triumphauerat.

XII. *Res à Proconsulibus in Hispania à Gestis.*

IAM vero quod ad res in Hispania gestas attinet. L. Postumius & Tib. Sempronius, quibus imperium in Hispania prorogatum erat, ita inter se conuenerunt, vt in Vaccæos per Lusitaniam iret Albinus, inde in Celtiberiã reuer-

GRÆCORVM AN. 134.

teretur. Gracchus quod maius ibi bellum esset, in vltima Celtiberiæ penetrauit. Mundam vrbem vi cepit, nocte ea improuiso aggressus: acceptis deinde obsidibus, præsidioque imposito, castella oppugnare, agros vrere, donec ad prævalidam aliam vrbem. Certimam appellant Celtiberi, peruenit, vbi cum iam opera muris admoueret, legati ea oppido venerunt, quibus mira simplicitate cum Romanis agentibus, facile ad deditionem ventum est: quater & vicies sestertium ab eis exactum est, id est duo millia & quadringenta sestertia, siue centum viginti millia librarum Turonicarum, quæ sunt quadraginta millia coronat. Exacti etiam quadraginta equites qui simul obsides essent & milites.

Munda capta.

Certima dedita.

XIII. *Celtiberi ad Alcem deleti.*

INDE ad Alcem vrbem duxit, vbi erant castra Celtiberorum, quos cum crebro elicuisset ad certamen Romanus equitatus, monque vt illi infesti aderant, reciperent se, tandem effusi omnes persequendis Romanis de industria cedentibus, Gracchus instructos suos è castris occupinatò educit, & incompositos inuadit, & perculit; sic vt qui ad Romanorum castra oppugnanda venerant, ne sua quidem defendere potuerint. Nam fusi fugatique, & castris exuti sunt. Eo die nouem millia hostium cæsa, capti viui 320. equi 112. signa militaria 37. de exercitu Romano 109. ceciderunt.

Ab hoc prælio Gracchus legiones per Celtiberiam circumduxit, & 103 oppida intra paucos dies in deditionem accepit; præda potitus ingenti.

XIV. *Alces deditur.*

INDE ad Alcem reuersus, quam post aliquam oppugnationem in deditionem accepit. Magna inde præda facta est, multi captiui nobiles in potestatem venerunt, inter quos & Thurri Reguli filij duo, & filia. Is audita suorum clade, ad Gracchum venit, eiusque permissu Romanis se socium ac commilitonem dedit, fortique ac fideli opera aduersus veteres socios suos, multis locis rem Romanam iuuit. Ergauia inde nobilis, & potens ciuitas, aliorum circa populorum cladibus territa, portas aperuit Romanis; sed eam deditionem haud cum fida factã, quidam authores sunt; aiuntq; mox abductis legionibus rebellasse, nec pacem vere & constanter fecisse, nisi post acceptam vnam, atque alteram cladem, amissa, direptaque castra, viginti duo millia hostium cæsa, trecentos captos, parem que fere equorum numerum, & signa militaria septuaginta duo.

Et Ergauia.

Eiusdem rebellantis clades.

XV. *Bellum ad Vaccæos a Posthumio gesta.*

EADEM æstate etiam L. Posthumium in vlteriore Hispania bis cum Vaccæis egregie pugnasse scribunt; ad 35. millia hostium occidisse, castra oppugnasse. Propius vero est serius in prouinciam peruenisse, quam vt ea æstate potuerit res gerere. Ita Liuius l. 40. Qui addit hoc anno Gallorum transalpinorum tria millia in Italiam transgressa, neminem bello lacessantes, agrum à Consule & Senatu petijsse, vt pacati sub imperio populi Romani essent. Eosque Senatum excedere Italia iussisse, & Consulem Q. Fuluium quærere, eumque animaduertere in eos, qui principes & autores transcendendi Alpes fuissent.

ANNVS MVNDI 3876. SEXTÆ ÆTATIS 360. Imperii Græcorum 134. Seleuci Philopatoris 10. Oniæ III. Pontif. 30. Ptolemæi Philometoris 2. Persei 2. Olympiadis CL. an. 3. Vrbis Conditæ 575. Coss. M. Iunio Bruto, & A. Manlio Volsone.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 177.

I. *Eumenis ac eius fratrum legatio ad Romanos contra Pharnacem.*

SVb hoc tempus, atq; hunc ipsum annum, aut certe non tardius, contigisse existimo, quæ à Polybio in Excerptis legationibus habentur, ab numero 56. vsq; ad 60. in quo sequentis anni Consules nominatim relati, tam his, quam illis loco proprio & suo collocandis lucem aliquã præbent Eumenem scilicet tam bello cum Pharnace, quã morbo releuatum, fratres omnes suos Romam misisse legatos, vt eorum studio bellum eius cum Pharnace plane finiretur: eos enim plurimum gratia valituros sperabat, apud plerosq; Romanorum principes, sibi ex bello Antiocheno cognitos. Excepti sunt Romæ, tum ab his magnifice priuatim, tum publice ab ipso Senatu. In quo Attalus & pristina suorum merita in populum Ro. cum retulisset, & de Pharnacis iniurijs questus, patres orasset, vt negotium susciperent, & Pharnacem castigarent: respondit Senatus, missurum se legatos, qui bello huic finem essent imposituri. Id autem quibus conditionibus factum sit habes apud Polyb. num. 59. Historia tota cum mutila sit, & per fragmenta tantum apud eum extet, perspicua esse non potest.

PERSEI MAGNIFICENTIA.

II. *Perseus sibi conciliat Rhodios. In Leg. n. 60.*

PERSEVS regni possessioné adeptus, firmandi eius causa Laodicem, Rhodiam vt arbitror, duxit vxorem, & Rhodiorum, qui mari potentes erant, beneuolentiam quæsiuit, & quia in Rom. perturbato erant animo, quod ij statuissent Lycios, quos bello Rhodij oppresserant, essendos Rhodiorum socios non famulos pro munere datos. Ergo eorum beneuolentiam muneribus sibi conciliabat. Eis enim ingentem copiam naualis materiæ elargitus est; ijq; mox, insigni ac magnifico classis apparatu, sponsam eius ad eum deduxerunt, ab anque singuli aurea tænis donati sunt. Hæc Poly. N. 60. quæ ad hoc tempus pertinere idem docet, cum rem aliquanto ante seq. anni Consules contigisse tradit: cuius rei occasione addere possumus ex Liuio l. 41. quæ de eius magnificentia, tam in eosdem Rhodios, quam in alios tradit.

III. *Eius magnificentia in populos.*

IN duabus, inquit, magnis honestisq; rebus vere regius erat animus; in vrbiũ donis, & deorum cultu. Megalopolitanis in Arcadia murum se circumdaturum vrbi est pollicitus, maioremq; parté pecuniæ dedit. (Carebat quippe muris, ex quo eam Cleomenes Lacedæmonius iratus deformauerat, vt est apud Plut. in eius vita.) Thegeę theatrũ magnificum è marmore facere instituit. Cyzici in Prytanæum, id est, penetrale vrbis, vbi publice, quibus is honos datus est, vescuntur vasa aurea mensæ vnius posuit. (In Acradina quoq; Syracusarũ memorat Prytanæum M. Tullius. Et alterum Athenis, quod fortassis origo cæterorum fuit, in quo se publice alendum Socrates dixit, cum ad pœnę sibi debitę æstimationem adigeretur) pergit Liuius, Rhodijs vt nihil vnum insigne, ita omnis generis dona dedit, vt quæque vsus eorum postulauerunt.

Act. 6. in Verr. n. 119.

IV. *Et donaria in superos.*

MAGNIFICENTIÆ vero in deos, vel Iouis Olympij templum Athenis, vnum in terris inchoatũ pro magnitudine Dei, testis esse potest. Sed & Delon maris insignibus, statuarumq; copia exornauit. Et Antiochiæ Iouis Capitolini magnificũ templum non laqueatum auro tantum, sed parietibus totis lamina inauratũ, & alia multa in alijs locis pollicitus, quia perbreue tempus regni eius fuit, non perfecit. Spectaculorũ quoq; omnis generis magnificẽtia superiores reges vicit, &c. quæ omnis magnificentia non male credi potest, relata ad promerendã & retinendã populorum beneuolentiam aduersus Romanos. Mirum autem videtur omnium istorum munerum, siue in superos, siue in homines nullam à Pausania, cuius est id argumentum, fieri mentionem. Cæterum exigit rerum series, vt Bastarnæ hoc anno Dardanos vexare cœperint, dissimulante, aut clam id potius agente Perseo, qui patris sui consilia non ignorabat, eaque exequebatur.

V. *Manlius ob-tra Histros expeditionem suscepta.*

CONSVLIBVS anni huius prouinciæ decretæ sunt Manlio Gallia, Iunio Bruto Liguria. Verũ Manlius cum aduersum Histrorũ sensisset, non expectato super ea re decreto Senatus, ac ne consulto quidem, ab Aquileia profectus, castra ad lacum Timaui, mari supero imminenté posuit, vt ait Liuius, eius tamen vel laci, vel fluuij, vel fontis nullum est in Ptol. vestigium. Quinque millibus à mari castra distabant, in portum ad Histriæ fines. Eo C. Furius duumuir naualis, cum decem nauibus oneratijs, & magno cõmeatu venit; quæ tamen naues, cum totidem alijs quibus prę-positus erat L. Cornelius, aduersus Illyriorum classem destinatæ erant. Ab eo portu ad castra omnia supportabantur. Id vt tutius fieret, stationes ab omnibus castrorum partibus circumpositæ sunt. Histrorum tria ferme armatorum millis duce Carmelo occulto loco sub vnum tem consederunt, in omnem occasionem intenti.

VI. *Trepidatio Romanorum post Istros.*

POSTQVAM stationes inualidas esse pro castris animaduerterunt, & frequentem turbam inermem inter mare & castra vltro citroque commeantem, duo simul præsidia aggressi sunt. Nebula matutina texerat inceptum, qua dilabente ad primum teporem Solis, incerta adhuc lux speciem rerum omnium multiplicem intuenti reddens, non solum hostem patefecit, sed multo maiores copias, quam res ferebat, adesse persuasit. Ergo territi vtriusq; stationis milites, ingenti tumultu cum in castra cōfugissent, haud paulo ibi plus, quam secum ipsi attulerant, terroris fecerunt. Nam neq; dicere poterant, quid fugissent, nec percontantibus reddere responsum: & clamor in portis & incerta concursatio erat, quasi iam deletę stationes, iam hostis in vallo esset. Inde ad mare ex castris sese pars armati, maior pars inermes proripiunt: cumq; eos nec autoritate, nec precibus Consul retinere potuisset, ipse quoq; castris desertis ad mare profectus est, vbi non minor trepidatio fuit, pauorque in naues à terra prosilientium, & commeatum expositum è terra in naues conijcientium.

Et fuga deserta castra.

VII. *Istri vacua castra occupant.*

INTEREA Histri in vacua castra impetum faciunt, ibi paucos, qui substiterant ad defensionem castrorum, obtruncant: inde cum rerum omnium paratam expositamq; copiam inuenissent, epulari omnes, hostium, armorumque obliti, affatim cœperunt: & poterant inermes, pauidos, dissipatos opprimere, si belli inter epulas recordari potuissent. Tum demum nuncius ad tertiam legionem, quæ in via quæ Aquileiam fert posita, expers pauoris fuerat, ad eam euocandam, & præsidium Gallorum opprimendum venit: & simul ex omnibus locis ad castra recipienda, demendamque ignominiam rediri cœptum est. Omnia incustodita, plurimos somno, vinoque sepultos inueniunt, passimque omnes quotquot offendunt magna indignatione perimunt: ad octo millia cæsi, captus nemo, quia ira & indignatio immemores prædæ fecit. Ita Liuius; verum aut lapsus est memoria Liuius, aut error in alterutrum numerum irrepsit. Nam paulo ante Carmelum cum tribus fere millibus venisse dicit, nec apparet vnde venerint quinque millia vt necarentur: vt taceam eos qui fugerunt. Nam Rex Histrorum temulentus, ex conuiuio raptim à suis in equum impositus fugit. E Romanis 37. periere.

Romani redeunt.

Et suam vlciscuntur fugam.

VIII. *Et nunciata Romam perturbat.*

PRIORIS fugæ nuncius primo Aquileiam, deinde Romam trepidatione compleuit, & ad delectus nouos, copiasq; vndiq; contrahendas adduxit; donec rei totius euentus innotuit, literis Iunij Bruti, qui & ipse ex Ligura, quasi ad restinguendum incendium in Galliam, indeque Aquileiam traiecerat, & Senatum de re tota docuit.

Interea cum Histri castra haud procul castris Consulis haberent, postquam alterum Consulem eum nouo exercitu aduenisse audierunt, passim in ciuitates dilapsi sunt. Consules Aquileiam in hyberna legiones reduxerunt. Sedato tandem Histrico tumultu SC factum est, vt Consules inter se compararent, vter eorum ad comitia habenda Romam rediret. Iunius venit.

IX. *Eius in Manlium inuidia.*

NAM Manlius Romæ ardebat inuidia, ob cladem, atque ignominiam acceptam: & Tribuni pleb. eum mox abire magistratu cupiebant, vt eius accusari temeritas posset, rationemque redderet populo Ro. cur prouinciam Galliam, quam sortitus esset, reliquisset, iniussus in Histriam transisset, bellum suscepisset, quod nec decreuisset Senatus, nec populus iussisset; & male susceptum peius administrasset. Stationes duas quippe ab Histris oppressas fuisse, castra Romanorum capta, fusas fugatasque inermes magna ex parte legiones, & ante omnes primum ipsum Consulem ad mare ac naues fugisse: priuatim rationem redditurum earum rerum esse, quoniam Consul noluisset. Vtrique nihilominus Consuli imperium prorogatum est.

X. *Gracchus & Albinus de Celtiberis & Lusitanis triumphant.*

PER hosce dies Sempron. Gracchus, & L. Posthumius Albinus ex Hispania Romam cum reuertissent, eisque Senatus à Prætore in æde Bellonæ datus esset, triumphum impetrarunt, & continuis duobus diebus egerunt. Prior Sempronius Gracchus de Celtiberis, eorumque socijs ad quadraginta millia pondo argenti transtulit, id est 440000. coron. Postero die Albinus de Lusitanis, alijsque eiusdem regionis Hispanis, deduxit in triumphum argenti pondo duodecim millia, id est 220. millia coronat. Militibus denarios quinos vicenos ambo diuiserunt, id est quinque lib. Tur. duplex centurioni, triplex equiti, id est decem, vel quindecim libras Tur. iuxta Cenalis æstimationem. Prius tamen quam rediret Gracchus, monimentum rerum à se gestarum, oppidum Gracchurim condidit; pro tam multis quæ ante vastarat. Illud prius dictum fuisse Illurcim Festus tradit, & post eum Sigonius & Ortelius. In Hispania Tarraconensi Ptolemæus collocat.

Gracchurk.

Gracchurim

XI. *Motus in Sardinia.*

EODEM tempore literis T. Ebutij Prætoris cognitū est, magnum in Sardinia belli tumultum exortum esse, Ilienses Balarosque agros depopulatos, Romanum exercitum inualidum, ac magna ex parte pestilentia absumptum, eadem & Sardorum legati nunciabant, & opem implorabant. Senatus rem ad nouos magistratus reiecit.

Æque miserabilis erat legatio Lyciorum, quam paulo ante attigi, qui crudelitatem Rhodiorū, quibus à L. Cornelio Scipione attributi fuerant, querebantur, & se ab ijs publice, priuatimque seruilem in modum tractari.

Motus his Senatus, literas pro Lycijs ad Rhodios dedit, nec Lycios Rhodijs, nec vllos, qui liberi nati sint, alicui in seruitutem dari placere. Lycios ita sub Rhodiorum simul imperio ac tutela esse, vt in ditione populi Romani ciuitates sociæ sint. Verum hęc quoque legatio & responsio ad sequentes consules dilata videtur, ad quos eam Polyb. n. 60. retulit.

ANNVS MVNDI 3877. SEXTAE ÆTATIS 361. Imperij Græcorum 135. Seleuci Philopatoris 11. Oniæ III. Pontif. 31. Ptolemæi Philometoris 3. Persei 3. Olympiadis CL. an 4. Vrbis Conditæ 576. Coss. C. Claudio Pulchro Tib. Sempropronio Graccho.

ANNVS ANTE CHRISTVM 176.

I. *Noui Coss. eorumque prouinciæ.*

CONSVLARIBVS comitijs creati sunt Claudius & Sempronius consules, Sardinia & Histria prouinciæ consulares factæ propter belli magnitudinem: Histriam sortitus est Claudius, Gracchus Sardiniam, Idibus Martijs magistratum inierunt. In Sardiniam duæ legiones scribi iussæ, quina millia in singulas, & duceni pedites, triceni equites; duodecim item millia peditum sociorum, ac Larini nominis, & sexcenti equites, & decē quinqueremes naues, si deducere ex naualibus vellet. Tantumdem peditum equitumque in Histriam, quantum in Sardiniam decretum: vtrobique enim magnitudo belli par ostendebatur.

II. *Querela Lyciorum de Rhodiis.*

VERVM Polybius in Legat. n. 60. alias prouincias assignat. Postquam, ait, Tiber. & Claudius Coss. in expeditionem contra Istros & Agrios profecti sunt, Senatus exeunte iam æstate Lyciorum legatis operam dedit; legatorum princeps Nicostratus, Romam autem iamdudum venerant, intereaque Lycij à Rhodijs bello victi fuerant. Hi Romam vt venerunt, multos patrum ad misericordiam commouerunt, exposita crudelitate, qua eos Rhodij affligebant, eoque Senatum adduxerunt, vt legatos Rhodum mitteret, qui inspectis commentarijs, quos decem legati in Asia fecerant, quo tempore cum Antiocho res composuerunt, significarent repertum esse Lycios Rhodijs fuisse concessos, non pro munere, sed tanquam amicos & socios: qua in re etiam Rhodiorum potentiam imminuere velle Romani videbantur, quam apud Perseum ostentasse audiebant.

Legati ab vrbe Rhodū veniunt.

Cum legati Rhodum venissent, & Senatus mandata exposuissent, tumultuati sunt Rhodij, qui animaduertebant turbatum iri, quæcumque iam de Lycijs ipsi statuissent; quos etiam nixos Romanorum gratiæ, facile rebellaturos sentiebant; quippe qui significabant tam legatis ac Rhodijs, se omnia pati paratos esse, vt legibus suis li-

bertatique redderentur. Rhodij autem Romanos à Lycijs deceptos arbitrantes, Lycophronem legatum ad Senatum de omnibus edocendum miserunt. Hæc Polyb. Num. 61.

III. *Seleucus repetit Romam fratrem Antiochum.* Hoc ipso anno missam à Seleuco Romam legationem, Antiochi fratris repetendi causa, qui ibi obses iam decimum tertium annum agebat, vt supra dixi, satis constat: sequenti quippe anno dimissus est à Romanis, accepto in eius locum Demetrio Seleuci Philopatoris filio, & Antiochi ex fratre nepote. Id affirmat Appianus in Syriacis, tangit Epito. 41. in Liuio autem desideratur; sicut & altera legatio à Dardanis missa de Bastarnis, Thracibus, & Perseo querelas apud Romanos depositura, quæ ad annum sequentem pertinet.

Res apud Histros gesta. M. autem Iunius & A. Manlius, qui priore anno Coss. fuerant, cum Aquileiæ hybernassent, principio veris in fines Histrorum exercitum introduxerunt: vbi cum effuse popularentur, dolor magis & indignatio Histros exciuit, diripi res suas cernentes, quam certa spes satis sibi virium contra duos exercitus fore. Concursu facto iuuentutis ex omnibus populis, repentinus & tumultuarius exercitus, acrius primo impetu, quam perseuerantius pugnauit; ad 4. millia eorum in acie cæsa, cæteri omisso bello, in ciuitates passim diffugerunt. Inde legatos primum ad pacem petendam, in castra Romanorum, deinde obsides imperatos miserunt.

IV. *Claudius præceps in prouinciam venit.* HÆC cum Romæ cognita litteris proconsulum essent, C. Claudius Consul veritus, ne forte ea res prouinciam exercitumque sibi adimeret, non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus, vno omnium certiore facto collega nocte profectus, præceps in prouinciam abijt, vbi inconsultius etiam quam venerat se gessit. Exprobrauit quippe in concione superioris anni fugam, & proconsules quoq; verbis increpitos prouincia decedere iussit. Sed eis tam exercitus, quam Imperatores se passuros negarunt, donec more maiorum in prouinciam venisset. Itaque ille coactus Romam, ad ea explenda quæ temere omiserat, rediit magnaque celeritate reuersus est, cum mature edixisset, vt nouus exercitus Aquileiam conueniret.

V. *Nesatium oppugnatur.* INTEREA proconsules Nesatium in Istria, quo se Istrorum principes, & regulus ipse receperat, summa vi oppugnabant; cum Claudius eo cum nouo exercitu superuenit, & vetere exercitu cum ducibus suis dimisso, ipse oppidum circumsedit, & vineis oppugnare intendit, amnemq; præterfluentem mœnia, qui & impedimento oppugnantibus erat, & aquationem Istris præbebat, multorum dierum opere in nouum alueum auertit. *Et capitur. Feritas Histrorum.* Ea res barbaros miraculo terruit, & ne tum quidem memores pacis, in cædem coniugum, ac liberorum versi, palam in muris trucidatos, cum spectantium hostium horrore, præcipitabant. Inter complorationem puerorum ac fœminarum, nefandamque cædem milites transgressi murum, oppidum intrauerunt. *Ipse rex se iugulat.* Eius capti tumultum, vt ex pauido clamore fugientium accepit Rex, traiecit ferro pectus, ne viuus caperetur; cæteri capti, aut occisi. Duo deinde oppida Mutila, & Faueria vi capta & deleta. Præda, vt in gente inopi, spe maior fuit, & tota militibus concessa est, quinq; millia capitum 632. sub corona venierunt. Auctores belli virgis cæsi, & securi percussi. Istria tota trium oppidorum excidio, & morte Regis pacata est: omnes vndiq; populi, obsidibus pop. Ro. datis in deditionem venerunt.

VI. *Liguria motus.* INDE confecta prouincia mandato Senatus in Liguris, vbi consilia de bello habebantur, traduxit exercitum. Ad Scultennam flumen in campos progressi, castra Ligures posuerant; cum ijs Consul feliciter acie pugnauit, quindecim millia cæsa, plus septingentia in prælio, aut in castris, nam ea quoque expugnata sunt, capti, cum vno & quinquaginta militaribus signis, reliqui in montes refugere, populantique campestres agros Consuli, nulla vsquam arma apparuerunt. *Et vincuntur à Claudio.* Claudius duarum gentium vno anno victor, duabus, quod raro alius, pacatis prouincijs, Romam reuertit; & postulanti triumphus decretus est, vbi de rebus in Istria, ac Liguria gestis disseruisset. Nec tamen illi minus, post Romani exercitus discessum, conuenientes in populationem agri Mutinensis, etiam repentino impetu coloniam ipsam ceperunt, ne vllus deesset annus, quo miseri Romanorum armis non mactarentur.

VII. *Sempronius in Sardinia vincit.* IN Sardinia quoque res à Sempronio prospere gesta est, cum Iliensium & Balarorum gente acie conflixit, quam fudit fugauitque, & ad 12. millia armatorum cecidit, castris exuit, arma eorum in aceruum congesta Vulcano sacra cremauit, victorem exercitum in hyberna sociarum vrbium reduxit. Nec minus tamen habuit, quod ageret in Sardinia anno sequenti, quo ei imperium prorogatum est, cum nouus Prætor iustam Senatui excusationem attulisset, causamque non succedendi.

ANNVS MVNDI 3878. SEXTÆ ÆTATIS 362. Imperii Græcorum 136. Seleuci Philopatoris 12. Oniæ III. Pontif. 32. Ptolemæi Philometoris 4. Persei 4. Olympiadis CLI. an. 1. Vrbis Conditæ 577. Coss. Cn. Cornelio Scipione Hispalo, Q. Petil. Spurino.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 175.

I. *Antiochus Romæ remouetur, Demetrius ei sufficitur. n.10.* DVODECIMVS est idemque postremus annus regni Seleuci Philopatoris, Asiæ ac Syriæ regis, cum domestico scelere interfectus esset, anno ætatis 44. vt qui anno regni patris sui sexto natus est, vt eodē anno diximus. Rem magnam paucis perstringit Appianus in Syriacis. *Antiocho Magno defuncto*, inquit, *in regnum successit Seleucus filius, qui fratrem Antiochum obsidem à Romanis recepit, dato in eius vicem suo filio Demetrio.* Res proximo anno Romæ agitata, hoc denique confecta est: missum autem apparet hoc anno Demetrium puerum decennem. Is enim, apud Polybium, ait se Romam venisse, ἐννέμωρ, aut si mauis sub finem anni præced. *n.107.* Nam Antiochus hoc anno in Syriam peruenit, nec credibile est Antiochum, post aduentū Demetrij, non cupide datam libertatem quamprimum apprehendisse. Quod si Demetrius hic sub mortem Antiochi, & initium regni filij eius, id est, post annos fere tredecim, agebat annum vigesimum tertium, vt ait eodem loco Polybius, vtiq; sequitur eum decennem nunc fuisse. Quā consulte autem Seleucus fratrem filio prætulerit, ipse viderit. Voluit forte eum iā à puero Romanorū moribus assuescere, & fieri apud eos, qui omnia poterant gratiosum, sicut alterum Demetrium, Persei fratrem, Philippi filium.

II. *Seleucus moritur sub reditum Antiochi. 2. Mach. 4. 5.* REDEAMVS ad Appianum. *Peruenerat iam Athenas Antiochus, cum Seleucus insidiis Heliodori cuiusdam amicorum suis oppressus interijt.* Sic ipse. Hunc fuisse Heliodorum, qui super regni negotia erat, missusq; est ad ærarium sacrum expilandum, pleriq; merito censent; nam & personæ dignitas, & nomen, & tempus recte consentiunt. In qua etiam re obiter diuinum agnoscas iudicium. Nam cuius manu Rex vti voluerat, ad perpetrandum sacrilegium, eadē Deus ad illud vindicandum est vsus. Causam porro cædis in ambitionem Heliodori refert Appianus. Qui enim hactenus regis sui nomine regnabat, proprio & suo regnare cupiebat, præsertim cum regni hæres Romam ablegatus esset, & Antiochus regis frater, qui regnum sibi vendicare poterat, abesset adhuc. Itaque maturè parricidium regis ante illius aduentum occupauit, sed irrito conatu: nullū enim ex tanto facinore, nisi facinus ipsum, accepit emolumentum. Nam Eumenes Pergami Rex cum fratre Attalo Heliodorum regni affectatorem expulerunt, deducto in possessionem eius Antiocho, vt eum sibi amicum hoc beneficio redderent, vt ait idem Appianus, idque sub finem anni huius contigit.

III. *Dardanorū Romam contra Perseum legatio.* DARDANORVM legati Romam veniunt, querentes Perseum inter se Bastarnasq; miscere certamina, eam procellam post afflictos Dardanos in Illyricum, atq; Italiam deuolaturam. Romani qui iamdudum Philippum ac Perseum suspectos haberent, legatos ad res visendas in Macedoniam mittunt, vt tradit Liuius l. 41. Cum Dardani, ait Polybius, legati Romam venissent, & de Bastarnis exposuissent, quanta eorum multitudo, quam ingentia corpo-

ra, quãta in periculis audacia: Docuiſſent etiam de ſocietate cum ijs à Perſeo inita & Gallis, dixiſſentq́; maiori ſibi Perſeum, quam Baſtarnos eſſe terrori, ac propterea opem poſtulaſſent, & Theſſali, quæ à Dardanijs dicta fuerant, confirmaſſent, & auxilium ipſi quoq; popoſciſſent, decreuit Senatus quoſdam mittere, qui res inſpicerent. Statimque A. Poſthumio negotium datum, vt eo cum aliquibus Iuniorum proficiſceretur. Videtur hic A. Poſthumius, qui cum Calphurnio Piſone Conſul fuerat, anno Vrb. Cond. 573.

IV. *Mors Seleuci ex Daniele. c. 11. 20.*

PORRO antequam à Seleuco abeamus, operæ pretium eſt quæ de eius morte apud Danielem habentur referre. Cum enim dixiſſet. *Et ſtabit in loco eius viliſſimus, & indignus decore regio*, quæ verba initio regni eius expoſita ſunt, ſubdit. *Et in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio.* Quomodo paucos dies vocat propheta annos ferme duodecim? quos etiam Appianus agnoſcit, qui & regnum gubernaſſe ait ἀπράκτως καὶ ἀσθενῶς. Non videtur improbanda illa quorundam interpretatio; quæ paucos illus dies ab eo tempore numerat, quo Heliodorum ad ſpoliandum templum Hieroſolymitanum miſerat, quod quarto regni eius anno diximus contigiſſe; forte paucos dies, id eſt, annos videtur Propheta dicere, comparatione annorum regni patris eius, qui fuerunt triplo plures. Mortuus eſt autem, vel occiſus non ex apertis odijs, aut in certamine bellico, ſed veneno in cibo potuue ab Heliodoro propinato.

V. *Res ad Mutinam a Claudio proconſule geſta.*

ROMÆ creatis Coſſ. C. Claudius, cui prorogatum eſt in annum imperium, & Gallia prouincia, ad recuperandam Mutinam reuerſus eſt. Vrbi admouit exercitũ, eamq; oppugnare cœpit; ante triduum ex hoſtibus receptam, colonis reſtituit. Octo millia ibi Ligurum intra muros cæſa: literaſq; extemplo Romam ſcripſit, quibus non modo rem exponeret, ſed etiam gloriaretur, ſua virtute ac felicitate, neminem cis Alpes iam hoſtem populi Romani reperiri. Sed non diu poſt, ad ſpiritus hominis comprimendos, illi ipſi Ligures rebellarunt.

Et in Sardinia a Sempronio Graccho.

In Sardinia Sempronius in debellanda prouincia vtiliter laborauit: multis quippe ſecundis prælijs Sardos perdomuit; quindecim millia hoſtium ſunt cæſa; omnes Sardorum populi, qui defecerant, in ditionem redacti. Stipẽdiarijs veteribus duplex vectigal imperatum exactumque: cæteri frumentum contulerunt. Pacata prouincia, obſidibuſque ex tota inſula 230. acceptis, legati Romam miſſi, qui ea nunciarent, quique ab Senatu peterent, vt ob res auſpicijs Sempronij in Sardinia proſpere geſtas, dijs honos haberetur, & victorem exercitum deportare Sempronio ad triumphum liceret.

VI. *Neque reditum obtinet.*

VERVM Senatus, crebris defectionibus rebellantium motus, eum cum exercitu eo anno in prouincia remanere iuſſit. M. quippe Popilij Prætoris noui, cui Sardinia obuenerat, excuſatio probata eſt. Docebat enim Senatũ Gracchum eam prouinciam pacare, & inſuper Ebutium Prætorem adiutorem ei à Senatu datum, interrumpi tenorẽ rerum minime conuenire. Ipſam enim continuationem rebus peragendis efficaciſſimam eſſe. Inter traditionem imperij, nouitatemq; ſucceſſoris, quæ noſcendis, priuſquam agendis rebus imbuenda ſit, ſæpe bene gerendæ rei occaſiones intercidere. Prætores quoq; duo, quibus vtraque Hiſpania obuenerat, profectionem excuſarunt: proprætoribus, qui eas prouincias tenebant, prorogatum eſt imperium, & militum ſupplementum tranſmiſſum.

VII. *Cornelio Conſuli demortuo ſufficitur Læuinus.*

RES porro Conſulum hoc anno valde turbatæ ſunt; ijs Piſæ, & Ligures prouinciæ aſſignatæ ſunt. Cneo Cornelio Piſæ, Ligures Petilio obuenerunt. Sed omnia prodigijs & ſuperſtitionibus impedita ſunt. Præſertim cum Cn. Cornelius Conſul ex Albano rediens concidiſſet, & parte membrorum captus, ad aquas Cumanas profectus, ingraueſcente morbo Cumis deceſſiſſet. Vnde mortuus Romam allatus, & funere magnifico elatus, ſepultuſque eſt. Eius collega comitia ſubrogando Conſuli in locum demortui habuit, ad diem tertium nonas Sextiles, qui eſt 2. Auguſti; creatuſque eſt M. Valerius Læuinus, qui extemplo magiſtratum incepit.

Ligures rebellant & ſe in montibus abſcondunt.

Is iam diu cupidus erat prouinciæ, cum opportunè cupiditati eius literæ allatæ ſunt Ligures rebellaſſe. In quos dum expeditionem parat, C. Claudius Proconſul ad eos aduolat, ad cuius aduentum hoſtes territi, ab eo quippe nuper ad Scultennam fluuium magna clade affecti fuerant; locorum præſidio magis aduerſus infeliciter expertam vim, quam armis ſe defenſuri, duos montes Letum & Baliſtam ceperunt, muroque inſuper amplexi ſunt; ſed qui tardius ex agris demigrarunt oppreſſi, mille & quingenti periere. Cæteri montibus ſe tenebant, & ne in metu quidem ingenitæ feritatis obliti, ſæuiunt in prædam, quæ Mutinæ parta erat; captiuos quippe cum fœda laceratione interficiunt.

VIII. *Conſul vterque in eos mouet.*

Q. PETILIVS Conſul ne abſente ſe debellaretur, literas ad C. Claudium miſit, vt cum exercitu ad ſe in Galliam veniret, campis Macris ſe eum expectaturum. Literis acceptis Claudius ex Liguribus caſtra mouit, exercitumque ad campos Macros Conſuli tradidit. Eodem paucis poſt diebus C. Valerius Conſul alter venit. Ibi luſtrato communiter exercitu, diuiſis copijs in diuerſas regiones abeunt. Petilius aduerſus Baliſtæ & Leti iugum, quod eos montes perpetuo dorſo inter ſe iungit, caſtra habuit. Ibi adhortantem eum pro concione milites, immemorem ambiguitatis verbi, ominatum ferunt, ſe eo die Letum capturum eſſe. Duabus ſimul partibus ſubire in aduerſos montes cœpit, ea pars, in qua ipſe erat, impigre ſuccedebat. Alteram hoſtes cum propuliſſent, Conſul vt reſtitueret rem inclinatam, equo aduectus, ſuos quidem à fuga reuocauit, ſed ipſe cum incautius ante ſigna obuerſatur, miſſili traiectus cecidit.

Montes oppugnant.

Alter eorum cadit.

IX. *Montes capiuntur, Ligurum cades.*

NEC hoſtes ducem occiſum ſenſerunt, & ſuorum pauci qui viderant, corpus occultauere, quia in eo victoriam verti intelligebant. Alia multitudo peditum equitumque, deturbatis hoſtibus, montes ſine duce cepere. Ad quinque millia Ligurum occiſa: ex Romano exercitu duo & quinquaginta ceciderunt. In tabulis Capitolinis apud Sigonium & Onuphrium legimus Petilium mortuum, poſteaquam ſibi Collegam ſubrogaſſet. Quid autem Collegæ Læuino contigerit in Liuio deſideratur: ſicut & proxima comitia Coſſ. ac Prætorum, vna cum ſortitione prouinciarum, & rebus ab his Conſulibus in Gallia, Liguribuſque geſtis; vt notauit Sigonius in hunc locum. Ex Capitolinis autem tabulis apparet eum anno ſequenti triumphaſſe.

Meminit porro huius anni, qui eſt Ptolemæi Philometoris quartus, vndecimum caput Eſtheris, vbi dicetur Doſithæus in Ægyptum tuliſſe illam hiſtoriam à Lyſimacho interpretatam, 276. annis poſt rem geſtam, *a* proxime ante initium Antiochi Epiphanis.

a Vide an. m. 1602. n. 15

X. *Concluſio quinti Tomi.*

QVI nobis ſextæ atque vltimæ parti huius operis initium dabit; vbi Deo opt. max. Ieſu Chriſto, eiuſque parenti ſanctiſſimæ gratias egerimus, quod quintum ſtunc ſeneſcentis naturæ partum, obſtetricante ſuauiſſima eius manu, edamus in lucem. Poſt decurſam Perſicam, Græcam & Romanam hiſtoriam, ad annos duos ſupra trecentos & ſexaginta; ſtylumque toto Oriente & Occidente, Septentrione ac Meridie laborioſe circumlatum: Sub ſignis clariſſimorum imperatorum Cyri Magni, cæterorumq; Perſarum; Alexandri Magni, reliquorumque ſiue Macedonum ſiue Græcorum; Scipionum denique; aliorumque ducum, à quibus hactenus Africa, Aſiaque perdomita, Romanum imperium maximis incrementis amplificatum eſt.

XI. *Hiſtoria exotica cur tradita.*

ET fuit fortaſſe tibi, erudite lector, qui eccleſiaſticos à nobis veteris Teſtamenti Annales requirebas, nonnulli aliquando cauſa faſtidij, in tot profanis cruentiſq; bellis; in quibus exponendis cruentus quodammodo ſtylus vitari non potuit, niſi caſtris acieque, ac ſacramento militari perfidioſe deſertis. Memento enim ſi placet promiſſos; ab ipſo limine operis, ſacris Annalibus connexos profanos, ſine quibus inanes paſſim titulos, immaneſue ſaltus ſine vtilitate percurreres. Quin & illud meminiſſe potes, vix vllum in ſacra hiſtoria, ex quo Reges aut Iudices eſſe cœperunt, ad templi vſq; deflagrationem, annum

abijſſe,

ubi ille, si paucos Salomonis exemeris, qui non maxima grauissimaq; bella contineat. Neque tamen vbique, hoc quinto volumine, bellatrices tubæ classico cantu tonant; neque semper

- - - Minaci murmure cornuum
Pulsantur aures, aut litui strepunt,
Aut fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.

XII. CYRVM magnum diximus, tot seculis ante prænũciatum, cuius auspicijs populus Dei, in desolatam patriam cum sacra supellectili reuersus, Templum Dei cultumq; redintegrare cœpit. Diximus Darium Hystaspidem, cuius beneficio interruptum sacrosanctum opus, ad summã vsque coronidem perductum est, in gratiam victricis, atque increatæ Veritatis. Diximus Danielis extrema vaticinia, mortemque sanctissimam, & quicunque prophetæ illis temporibus oracula sudere, Aggæum, Zachariam, Malachiam; vt Esdram taceam, Nehemiam, Iesumq; Syracidem. Diximus Longimanum illum Artaxerxem, cuius benignitate & optatissimo decreto, muri ciuitatis sanctæ intra duos & quinquaginta dies excitati sunt, quantumuis frementibus inimicis. Decreto, ex quo Septuaginta illæ Hebdomades diuinæ œconomiæ petebantur, ne illam infidelis atque ingratus populus ignorare posset. In cuius imperio, mandante rege, annitente Esthere regina gloriosissima, in ignominiam posteriorum temporum, superbissimus ille Aman summo primum pudore turbatus, deinde etiam in crucem actus est, populo Dei immenso gaudio, & incredibili gloria triumphante.

Artaxerxes.

VIDIMVS Magnum illum Macedonem, qui cum per innumeras gentes, ad extremum vsq; Orientem fulguris instar peruolaret, substitit tamen Hierosolymis, & victoriarum suarum authorem Deum, in eius pontifice Ieddoa, pie religioseq; veneratus est: & augustissimum eius templum donarijs, & sacrificijs, populumq; totum immunitatibus & priuilegijs decorauit. Vidimus denique Ptolemæum illum Philadelphum, qui diuina sanctorum virorum monimenta, verissima Dei oracula, alienis à vero Deo nationibus, Græca interpretatione communicauit, in figuram patefaciendæ aliquando toto terrarum orbe veritatis. Quam multorum hic habes philosophorum, oratorum, poëtarum ortus, eruditionem, mores, interitum, suis quæque temporibus consignata? quam multos pacis togæque artibus clarissimos duces, quorum industriæ, non minus quam armis, regna atq; imperia acquisita tribuuntur. Sed iam finis sit, ad illius laudem & gloriam, qui famulos suos ijs præmijs liberalissime afficit, quorum nullus vnquam futurus est finis.

Alexander Macedo. *Philadelphus.*

XIV. VISVM est nihilominus huc referre stemmata aliquot illustrium familiarum, quæ sparsim toto hoc quinto volumine celebrantur, neque commodiorem locum inuenire potuerunt; quæ in re præire nobis nonnulli, neque sine laude laborarunt, nec tamen passim, vt alieni à fide Catholica, in manibus habentur. Spero rem ordine digestam illustrandæ ac firmandæ Lectoris memoriæ vtilem fore.

Stemmata familiarum. Tempor. Reinec. Sueto. &c.

FAMILIA ANNIBALIS.

Amilcar cognomine Barcas, Pœnus liberos suscepit:
- Annibalem, qui natus est an. Vrb. Cond. 507. vide illum annum n. 6. centum annis ante excisam Carthaginem. An. V. C. 515. nouennis erat, Polyb. l. 3. vide illum an. n. 2. & 3. Vxorem habuit Hispanam ex oppido Castulone, Liuius l. 21. & 24. de vitæ eius periodo, rebusque gestis, vide Indicem tomi huius.
- Sororem Annibalis, quæ nupsit Desalci regi Numidiæ, & mox Mezetulo. Liuius lib. 29. p. 349. edit. Basil. fol.
- Asdrubalem, qui traiecit & ipse Alpes cum exercitu, cæsus Liuio & Nerone Coss. Vrb. Cond. 546. n. 4. 10. & seqq. caput amputatum, & proiectum ad stationes Annibalis. Liuius l. 27. fi.
- Filiam, quæ nupsit alteri Asdrubali, qui à barbaro obtruncatus fuit, sub quo Annibal ipse triennio meruit. Liu. lib. 21.
- Magonem quoque fratrem Annibalis memorat Polyb. lib. 3. militaris spiritus iuuenem, qui victoriæ de Romanis ad Trebiam fratris socius fuit. ibid.

Stemma Philippi Regis Macedonum, & filij eius Alexandri Magni.

Philippus Amyntæ filius regnare cœpit an. m. 3694. Olymp. 105. a. 1. desiit Olym. 111. a. 1. regnauit 25. Regnum Macedoniæ valde nobilitauit. Thebis obses Epaminondæ familiaris visus est. Diodorus l. 16. init. pida. Iustinus l. 7. Plutar. in Pelo. genuit multam sobolem ex diuersis.

- Ex Olympiade filia Neoptolemi Æacidæ Molossorum regis genuit. Eam interfecit Cassander Diodor. p. 698. & 699. a. m. 3739. nu. 11. & 12.
  - Alexandrũ Magnũ, qui regnare cœpit Olym. 111. a. 1. desijt Olymp. 114. a. 1. a. m. 3730. n. 1. & seqq. genuit.
    - Herculem ex Barsine Artabazi filia, quem annos natum 17. cum Polysperchon in regnum paternum inducere conaretur, à Cassandro persuasus illum interficit, a. m. 3744. n. 2. & 3745. n. 2. & 3. Diodor. lib. 20. Olympiad. 117. a. 3.
    - Alexandrum posthumum ex Rhoxane Oxiartæ filia: matrem cum filio Cassander indigne tractat occisa Olympiade, Diodor. l. 19. Amphipoli custodiæ tradit, p. 699. Græ. Deinde Olympia. 117. a. 2. à Glaucia arcis præfecto iugulari vtrunque præcipit, Diodor. p. 728. gr. an. Regni Græc. 1. nu. 4.
  - Cleopatram, quæ nupsit Alexandro patruo Amyntæ primogenito, vel vt ait Diodorus lib. 16. fi. Alexandro Epirotarum regi germano eius fratri, in quibus nuptijs occisus est Philippus, a. m. 3718. num. 3. Cum eam multi duces ambirent, iussu Antigoni necatur. Diod. l. 20. Olymp. 118. an. 1. Mundi 3746. n. 6.
- Ex Cleopatra Attali nepte, Diodor. l. 16. fine p. 558. gr. Pausanias in Arcadicis, p. 242. gr. suscepit filium quem
  - Caranum aliqui vocant, quem Philippo interempto adhuc infantem Olympias æmula Cleopatræ crudeliter cum matre interemit, vtroque in vase æneo incluso, & igni apposito, vt in tauro Phalaridis Pausan. l. 8. p. 242. gr.
- Ex Philinna concubina saltatrice Larissæa suscepit filium
  - Aridæum, qui Alexandro superstes inter eius successores quoquo modo regnauit, an. m. 3730. n. 31. 32. 33. & 35. Philippus vocatur. ibid. Diod. lib. 18. init. Ei regnum confirmat Ptolemæus Lagi. Diodor. l. 18. p. 647. gr. Vxorem habuit Eurydicem neptem suam, virilis animi mulierem, sicut & Cynna mater. Cum venisset in potestatem Olympiadis cum marito, in vincula coniecti, inde hunc sagittis configi iussit, illam vero ad laqueũ compulit. Diodor. l. 19. p. 676. cum regnasset annos sex menses quatuor, aut potius annos 7. & menses aliquot, a. m. 3737. n. 1. & 2. Euseb. in chron.
- Ex Nicasipolide Pheræa, Iasonis tyranni sorore filiam suscepit Pausanias l. 9. p. 287. gr.
  - Thessalonicem, quæ Cassandro nupsit, ex quo & liberos suscepit, qui & misere periere. Pausan. l. 8. p. 242. Per vim ab eo ductam in regni prætextum ait Diodor. l. 19. p. 704. à filio Antipatro interfecta est. Pausan. l. 9 p. 287.
- Ex Arsinoe, quæ ex Philippo pregnans data est Lago genitus est.
  - Ptolemæus, qui Lagides siue Lagi filius dictus, quam rem vt dubiam scribit Pausanias, libro 1. pag. 6. & suspicionem confirmat ex Ptolemæi intemperantia, Philippicæ simili.

Stemma Seleucidarum.

STEMMA SELEVCIDARVM.

Antiochus inter Regis Philippi duces clarus ex Laodice coniuge genuit.

1

Seleucum primum Aſiæ & Syriæ regẽ, quod regnũ occupata Babylone fundauit, q; regnum Græcorum dictũ eſt, cuius initiũ incidit 10 an. mun. 3743. Olym. 117. a. 2. regnauit annis 31. genuit, Vixit 77. moritur a. m. 3773.

Ex Apame Perſide.

2

Antiochum Soterẽ qui regnare cœpit an. regni Græcorũ 32. regnauit annis 19. & genuit

Apamen, quæ nupſit Magæ Bereoices filio.

3

Antiochum cognomento Deum, ex Stratonice nouerca ſua. Regnare cœpit, an. Græcorum 51. regnauit annis 15. duxit vxores duas vtramque Philadelphi filiam. A Laodice vxore veneno ſublatus eſt.

Berenicem, quæ à Sorore zelotypia flagrante, cũ filio ſuo necata eſt. an. m. 3808. Græcorum, a. 66. n. 3.

Laodicem, quæ maritum regem veneno ſuſtulit, an. Græc. 65. de ea Prole. Euergete, ſumpſit ſupplicium ib. n. 2. & 67. n. 2.

Ex Stratonice filia Demetrij Poliorcetæ, nullum genuit, ſed eã filio ſuo, & eiuſdem pnuigno ceſſit.

5

Seleucum Ceraunũ, qui regnare cœpit, an. reg. Græcorum 86. triennium regnauit, dolo Apaturij & Nicanoris occiditur, regni Græc. 88. n. 2. Hic *

* Antipatrum vnicum filium habuit, quem Polyb. n. 24. 25. legat. & Liuius lib. 37. verſus fin. vocant fratris Antiochi filiũ, qui pro Antiocho Magno Romæ legatus fuit. Vide a. m. 3865. nu. 8.

Antiochus quem pater miſit ad Syriã cuſtodiendam, quem putabant grauẽ regni ſucceſſorem; veneno ſublatum nõ ignaro patre ſuſpicabantur. Hic videtur is cuius nuptias cum Laodice celebrauit pater in Seleucia Syriæ. Appian. in Syriacis a. m. 3862. n. 3. 7. & 9.

4

A. Antiochus Deus ex Laodice genuit.

Seleucum Callinicum, qui regnare cœpit, an. Græcor. 66. & 20. annis regnauit, cum Euergete Ægyptio infeliciter pugnat. Reg. Græc. 67. num. 1. an. 70. num. 1. genuit.

Antiochum Hieracem, qui fratri regnum eripere voluit, à quo victus captusq; fugiens à latronibus interficitur, an. regn. Græc. 85.

Nicæã, quæ nupſit Demetrio regi, filio Antigoni Gonatæ regis Maced.

6

Antiochũ Magnum, qui fratri ſucceſſit, an. Seleucidarum 88. nu. 4. regnauit annis 37. ad an. 124 regni Græcorum. Multos genuit liberos, quorũ primogenitus videtur ex Liuio l. 35. Quinquagenario maior Chalcide vxorem duxit virginẽ, in medio belli feruore, Liu. li. 35. & 36. Appianus in Syriacis, qui eam vocat Eubiam.

7.

Seleucus, qui dictus eſt Philopator; regnare cœpit anno regni Græ. 125. & 12. annis regnauit. Licet eſ Ioſephus ſeptẽnium tantum tribuat, l. 12. c. 5. B.

8

Antiochus Epiphanes, qui Romæ obſes fuerat, & inde reuerſus regnum callide occupauit anno Reg. Græc. 137. tenuitque ad an. 149. 1. Mach. cap. 1. v. 11. Hic grauiſſime afflixit Iudæos, Ægypto bellum bis intulit, miſere perijt. 1. Machab. 6. l. 2. c. 9. C.

Ardues & Mithridates à Liuio lib. 33. memorantur, quos Antiochus bellũ moliens in Romanos præmiſit cum copijs & iuſſit operiri ſe Sardibus. Id factum an. Regni Græ. 115. vide a. m. 3857. n. 1.

Tres Antiochi Magni filias memorat Appianus in Syr. Certus, inquit bellũ aduerſus populum Romanũ gerere propinquos reges adiungebat ſibi connubijs, miſitq; Ptolemæo Epiphani in Ægyptum Cleopatram Syram cognomine, in dotem addens Cœleſyriã, ex qua nati { Philometor / Euergetes

Antiochidem vero miſit Ariarathi regi Cappadocum, & reliquã Eumeni regi Pergami. A qua ille ſe affinitate excuſauit, ne bello Romano implicaretur.

B. Seleucus Philopator filius & ſucceſſor Antiochi Magni genuit

10.

Demetrium Soterem, qui Romæ obſes fuit regnante Epiphane, ad an. 12. vnde & clã fugit, anno regni Gr. 151. 1. Mach. 7. 1. Polyb. legat. n. 107. 114. regnauit an. vndecim ab Alexandro Bala occiſus in prælio. Anno Græc. 161. nu. 3. Laodicem vxorem habuit quã Ammonius interfecit. Epit. 50. Tres eius filios reperio.

Antigonũ, quẽ Ammonius cũ matre interfecit, Epit. 50. vide a. m. 3908. n. 5. & 6. de quo Ammonio eiuſq; tyrannide & morte vide Ioſephum l. 13. c. 8.

12.

Demetrium Nicanorem iuniorem qui occiſo Alexandro Bala regnare cœpit, an. Græc. 168. 1. Mach. 11. 19. a. m. 3903. regnauit annis 19. ad annum regni Græc. 185. Quo adhuc regnante inuaſit regnum eius frater ad annos octo. D.

12

Antiochum Sidetem, regnauitque ab anno regni Græcorũ 174. l. 1. Mach. 15. 10. ad 181. apud Parthos victus, regnum amiſit & vitam, & regnum ad fratrem redijt.

8

C. Antiochus Epiphanes filios habuit duos, priorẽ certũ, qui ei proxime ſucceſſit, alterũ dubium, ſiue illegitimum.

9

Antiochum Eupatorem, qui regnum occupauit dum Demetrius Soter eius patruelis adhuc Romæ eſſet, & regnare cœpit mortuo patre a. 149. regni Græc. 1. Mach. 6. 16. 17. à Demetrio cum Lyſia interficitur. 1. Mach. c. 7. 2. 3. regnauit biennio.

11

Alexandrum Balan ſiue Velem, qui regnare cœpit anno Græcorũ 160. 1. Mach. 10. 1. vel 161. a. m. 3903. occiſo Demetrio Sotere. ib. n. 3. Obtinet vxorem filiam Philometoris Ægyptij n. 6. & a. 3904. n. 1. quã ei ſocer poſtea eripit, & regno pellit, & ſexto regni anno ab Arabe occiditur, a. m. 3908. n. 12. reliquit filium. Epit. 52. & 1. Machab. c. 11. v. 39.

12

Antiochũ, quẽ Tryphon iratus in Demetrium, in regnum euexit 1. Mach. 11. v. 54. eumq; occidit c. 13. 31. regnauit fere triennũ. Vide a. m. 3910. ad 3912. n. 25. Ioſephus cognominatum dicit Deum, c. 13. c. 12.

D. Demetrius Nicanor filios habuit ex Cleopatra improbiſſima filia Philometoris.

Seleucum, quem regnare incipientem mater interfecit, a. reg. Græ. 186.

13

Antiochum Gryphum qui regnare cœpit a. Græc. 187. & deſijt a. 15. a. agẽs 45. Ioſeph. l. 13. c. 21. venenum à matre ſibi paratum bibere coegit. Filiam habuit quam Phrahates rex Parthorum duxit vxorem. Iuſt. l. 38. fine.

Imparii Græcorum 136.

Stemma Ptolemæorum, siue Lagidarum regum Aegypti.

Lagus vnus de illustrioribus Philippi ducibus, & intimæ cum eo familiaritatis, ex quo Ptolemæus Lagi nomen habuit, quem dicimus.

1 Ptolemæum primum, qui & Magnus, & Soter dictus est, ex Arsinoe Philippi dudum concubina, & ex eo veterum iam ferente, susceptus. Vxores habuit Ptolemæus, præter Thaidem Alexandri concubinam, ex qua nihil prolis suscepisse legitur. Ægypti regnum fundauit, rexitque annis 40. ad a. m. 3769. n. 3. & 4.

Euridicem Antipatri filiam, ex qua nati

- Ptolemæus Ceraunus, qui regnauit in Macedonia ad menses aliquot, Euseb. Pausan. lib. 1. p. 14. fi. Seleucum Antiochi filium, ad quem ante supplex confugerat, dolo occidit, ipse à Gallis duce Bolgio cæsus. Pausan. l. 10. p. 335. init.
- Arsinoë nupta Lysimacho. deinde Ptolemæo fratri, à quo liberis & fortunis perfide spoliata est. Iustin. lib. 24. Maritum Sororis Agathoclem occidit. Pausan. l. 1. p. 9. gr.
- Lysandra nupta Agathocli, Lysimachi filio. Pausan. l. 1. p. 8. & 9. ad Seleucum Babylonem confugit.
- Ptolemais nupta Demetrio Poliorcetæ.

Berenicem, quã Eurydices comitem pater in Ægyptũ miserat; ex qua suscepit, apud Pausan. lib. 1. p. 6.

- 2 Ptolemæum Philadelphum, quem pater morti vicinus successorem regni delarauit. Pausan. l. 1. p. 6. A
- Argæum, quem vt insidiatorem Philadelphus interfecit. Pausan. ibid.
- Arsinoëm, quæ Philadelpho soror & coniux, obiit ante quam pareret. Pausa. ibid.


2 A. Ptolemæus Philadelphus. regnauit viuo patre biennium, ab an. m. 3768. Solus 38. vsque ad an. m. 3807. n. 2. & 3. Ex Arsinoe filia Lysimachi (Pausa. l. 1. p. 7.) suscepit

- 3 Ptolemæum Euergetem, qui regnare cœpit, an. mun. 3808. qui fuit regni Græ. 66. & post 26. regni annos obiit, an. Græc. 91. Num occisus à Philopatore filio. 92. n. 1. vxores habuit duas
  - Cleopatram apud Iosephum l. 12. c. 4. ex qua genuit
  - Berenicen, Polybius li. 5. vbi Sosibius de eius cæde consultat. Ex ea Euergetes suscepit
    - 4 Philopatorem, qui regnare cœpit, a. m. 3834. regni Græc. 92. luxu perditus, nu. 2. & 3. regnauit an. 17. ad reg. Græc. 108. genuit
      - 5 Ptolem. Epiphanem ex sorore sua Eurydice. Regnare cœpit anno regni Græc. 109. cum esset quinquennis: desiit, an. 132. cum regnasset ann. 24. vxorem habuit filiã Antiochi Magni Cleopatram, cognomento Syriam. apud Appian. B.
    - Eurydicen, quã Philopator frater & coniux occidit, captus Agathocleæ illecebris. Iustin. l. 30.
    - Arsinoen, de qua Polyb. l. 15. & l. 3. Mach. c. 1. init.
    - Magam, Plutarchus in Cleomene, qui à Philopatore occisus est. Polybius lib. 5. Iustin. lib. 30.
- Laodicen, & Berenicem sorores, vtraque nupsit Antiocho Deo, quem illa interfecit, sororem quoque, & eius filium. Moxque à fratre Euergete occisa est, a. m. 3809. n. 2.

B. Ptolemæus Epiphanes duos reliquit liberos superstites impuberes, qui partim simul, partim alternatim regnarũt, maior natu dictus est (propter odium quo eum Cleopatra Syra mater eius prosequebatur)

- 6 Ptol. Philometor, qui regnare cœpit, an. m. 3875. Regni Græc. 133. vsque ad 166. id est annis 34. triduo mortuus post Alexandrum, quem generum repudiarat, & regno expulerat. Vide an. m. 3908. & 9. ei successit frater Euergetes.
  - Filiam genuit ex Cleopatra sorore & coniuge, dictam & ipsam Cleopatram quam primum Alexandro Balæ dedit, eique mox ereptam, tradidit Demetrio Nicanori.
  - Filium, à Physcone patruo occisum.
  - Filiam, quam idem Physcon accepit vxorem repudiata matre.
- 7 Prolem. Euergetes Eusebio, Physcon Iosepho, l. 12. c. 5. qui regnare cœpit, a. m. 3909. reg. Gr. 167. vsq; ad 195. an. 29. de cuius progenie tom. 6. dicetur.

Quinti voluminis Annalium Veteris Testamenti finis.



INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,
QVÆ PRÆCIPVE VISA SVNT SEORSIM INDICANDA STVDIOSO LECTORI.

Ex libris Machab.

Ex nouo Testamento.

FINIS.





INDEX
COPIOSVS ET ACCVRATVS
RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ HOC
QVINTO ANNALIVM ECCLESIASTICORVM
Veteris Testamenti Tomo continentur.

Qui instar Epitomes, vel Locorum communium studioso lectori esse possit.

A.

Agesi-

ALEXAN-

32. 33. de-

Ægæum

B.

CEL-

Cometa apparet, ann.m.3624. n.8.

Comatis, siue Prexaspes magus ad interimẽdum Smerdem à Cambyse mittitur, an.m.3529.n.1.

Comitia Corinthi à Græcis habita sub Xerxis trãsitum, anu.mun.3573.nu.3.vbi Vnio, & discessus à priuatis odijs statuitur, ib. Tributa Romæ à Volerone flagitaotur, an.m.3583.n.9.& 3584.n.10. lex ea de re post seditionem facta, ibid. Comitia Latinorum apud Fereutinos, 3557. 2.

Comitia Romæ tardiora, 3853.n.2. sorte habita, 3861.un. 19. Lysimachiæ habita, 3858. u.14. in Nabidem tyrannum, 3859.n 6. conuentus Achaicus in quo Antiochus Ætoli, Achæi & Quintius, an.m.3862.n.29.

Concordiæ templum vouetur à Dictatore, & seditionem sedat, 3688.n.3. Rursus ædem Concordiæ vouisse, ac dicasse dicitur, C.Flauius à Plinio, l.33.c.1.a.m.3750. n.10. sed ea fuit ædicula ærea missa in tabella, vt ait Plinius, ib.

Conditiones, siue leges pacis, vide *fœdus*. Inter Antiochum & Romanos, an.m.3864.n.43.& 44.& an.3866. n.5.& seqq.

1. Conivratio cognatorũ Lucretiæ contra Tarquinium, an.m.3545.n.7.& 8. Coniuratio pro restitutione Tarquinij, 3546.n.6. patefit, n.7.8. rei puniuntur, n.8. & 14. Coniurati 300. iuuenes in Porsenam, 3548.n.6.

2. *Coniurant* Romæ Latinorum Legati, pro Tarquinijs, a.m. 3555.n.4. ea patefit diuinitus consuli, n.3. comprehensi supplicio afficiuntur, fuse, n.6.7.8. Ludi gratulatorij exhibentur, n.8. coniuratio 24. populorum in Romanos, an.m.3557.n.2.

3. *Coniuratio* Thebanorum exulum, 3676.n.2. illustris coniuratio in Aristotimum tyrannum, 3785. nu.4. Romæ seruilis coniuratio, 3554.n.8.& 3795.n.4. Decemuirorum, 3605.n.3. Spartana, 3657.n.2.

4. *Coniuratio* Philotæ in Alexandrum, ann.m.3725. n.3. patefit, Philotas eam cruciatu perimitur, n.5. triennio ante Lycostes delatus fuerat coniurationis, & in vinculis erat, nunc occiditur, Parmenio Philotæ pater occiditur, n.6.

5. *Coniuratio* Pausaniæ in Philippum, 3718. n.3. & 6. Olympias eius particeps, n.8.& 3725.nu.5. Domestica Ephebotum in Alexandrum conspiratio, 3728.5. patefit regi, & sontes puniuntur, ib.

Connvbia malè contracta apud Iudæos, an.3596. n.16. & seqq. Confitetur Esdras peccatum 81. promittit Diuortium, n.24.& deinceps fuse dirimuntur, n.30. vide rursum, an.3558.n.2.& 3. 3629.n.6. ea distraxit Nehemias, n.8.

1. Conon à Callicratida Spartano Lysandri successore 30. nauibus spoliatur, 3648.n.13. accepta classe ab Atheniensibus ad Ægus potamo acum 9. nauibus euadit, 3649.n.8. cum octo in Cyprum ad Euagoram profugit, ib.

2. *Conon* suasu Pharnabazi fit à Rege Artaxerxe Nauarchus Persarum, an.m.3635.n.3. cum 40. nauibus in Ciliciam deuehitur, ib. vide & 3657.n.3. Rhodus ad eum deficit, vbi anna Ægypti recipit, 3638.9.

3. *Conon* in Spartanos copias à Persis parat, 3658. nu.9. quos cum Pharnabazo classe vincit, eisque 50. triremes eripit, ann.3639.nu.3. atque adeo totius maris imperium, nu.3. & 6. maritimis ciuitatibus ad eum deficientibus, ibid.

4. *Conon* maris imperio potens longos muros Athenis & Piræum instaurat, 3660.n.2. à Teribazo in vincula conijcitur, n.3. finis eius incertus.

Constantia sicarij in tormentis, an.3833.7.

Conscientia rea animus debilitat, ann.m.3640.n.3.

1. Consvles primum creati, A.M.3545. num.10.& 15. quam longus is primus annus, n.14. quinq; Coss. habuit, nu. 16.& 3546.n.18. quod tempus initi magistratus, 3545.n. 14.& 16.& 3561.n.11.& 3362.n.10. A Tribunis in vincula conijci potuisse, an.m.3624. n.7.

2. *Consules* primi duorum regum inuidiam vitant, 3545. 19. inuita plebe Coss. fact. 3571. nu.1. contentio de Coss. plebis, vel optimatum fautoribus, 3573.n.1. & 2. Coss. seueritate ægram Remp. turbant, 3600.num.9.10.11.

3. *Consules* cessant facto SC. de decemviris consulari potestate, a.m.3603.n.7.& 3604.n.1. restituuntur Coss. an. 3606.n.31. qui anno V.C.310.& 316. Tribunis consulari potestate interrumpuntur, idque sæpius deinceps contigit ad an.v.386.

4. *Coss.* securibus intra vrbem non vsi, an.3546. n.18. Consulatus à plebeis quæritur, an.3678.n.5. vnde orta anarchia per 5. annos, n.6. Vrgent rursum Tribuni, an.3685. n.4.& 86.n.11. vide 3687.n.3.

5. *Consul* primus è plebe creatur L.Sextius, an. V.C.387.an. mu.3688.nu.3. Consulatus plebi restituitur, ann.3702. num.7. deinceps perseuerant Coss. annus tamen V.C. 444. sine Coss. fuit, vt etiam 452. sub Dictatore & Mag. eq. & item, a.V.C.429. mundi 3730. n.40. & 3729.nu. 27. & 3745.7. inde Coss. ad bella ciuilia, quando res turbata est.

6. *Consulatus* decennio interrumpendus lege cauetur, an.m. 3757.n.3. Consulatum Marcello tonitru abstulit, a.m. 3839.nu.30. Consularis autoritas aduersus patrem, an. 3841.n.3.

Contentio Romæ de Prætore, a.m.3870.n.23. & Censoribus, ib.& Consulatu, 3862.nu.1. & alias sæpe. Vide *Consul*.

Continentiæ exemplum singulare in Alexandro, ann. 3721.n.12.& 13.& in P.Scipione in Hispania, a.m.3844. n.26.& 27.28. violata à Vestalibus diutinitus punitur, an.m.3778.n.6. Vide *Vestalis*.

Continentia Zenonis in victu, a.m.3790.nu.13. & legatorum Romanorum à muneribus, 3781.n.3.3764.5. Curij Dentati.

Conventvs, vide *Comitia*.

Convivivm Assueri quam diuturnum, a.m.3392.n.2. & 3. toti populo exhibetur, n.4. ornatus conuiuij, n.5.6. 7.8. Alexander dat epulum 9. millibus conuiuarum, an.3730. n.10.

1. Corcyra insula vbi sita, 3588. num.1. recipiunt Themistoclem Corcyræi, vt bene de se meritum, nec retinere audent, ibidem, metu Atheniensium & Lacedæ. ibid.& 3627. n.5. quando res eorum perturbatissimæ, ibid.

2. *Corcyræum* bellum contra Corinthios, an. m.3616. num.1. diuturnum, & bello Peloponnesiaco terminatum, ib. quæ belli causa, n.2. vide *Corinthij* legati Corcyræorum ad Corinthios, 3617. 1. quos nauali mox prœlio vincunt, n.3.

3. *Corcyræorum* & Corinthiorum à bello quies 3618. num.2. Corcyræi societatem cum Atheniensibus ineunt, sed subsidiariam duntaxat, 3619.n.1.& 2.& 3. post pugnam finitur, neutris victoribus, n.4.5.6.

4. *Corcyram* Spartani occupant ac vastant, a.3682.nu.3. Corcyrenses auxilium Athenis petunt atque impetrant, 4. interim fame premuntur, ib. Eruptione hostium cæso duce victoriam obtinent, n.5.

5. *Corcyram* Romani classe petunt, 3825.n.1. quæ se eis dedit, ibid.

1. Corinthios inter & Athenienses odium, & qua ex causa, an.m.3393.n.17. iuncti Epidaurijs Athenienses prælio vincunt, 3594. num.4. mox ab eisdem ad Cecryphalæam vincuntur, 4. & rursum ad Megaram, 3593. nu.23.24.

2. *Corinthij* Epidamnios recipiunt à Corcyræis desertos, an. m.3616.n.2. inde bellum inter eos, ib.& num.3. classem mittunt Epidamnum, 3617.n.2. & vincuntur, n.3. naualem expeditionem parant, 3619.n.1.

3. *Corinthij* Athenienses Epidamniorum adiutores oderunt, an.m.3619.n.6.& vindictam expetunt, 3620.nu.1. eorum coloni Pondæates ab Atheniensibus vexantur, n. 1.2.& deficiunt, n.4. Corinthij eis opem ferunt, n.5.& 3621.n.12.

4. *Corinthiorum* querelæ priuię bello Peloponnesiaco, 3622. 3. corrogant suffragia contra Athenienses, n.6. qui eis Potidæam eripiunt, 3624.nu.6. pacem initam inter Atheniens. & Lacedæm. turbant cum Argiuis, 3633.nu.3. & seqq.

Cvna-

D.

Prole-

E.

 c 3 Lon-

H.

L.

Leui-

Lvta-

tunt,

P.

POLE-

Q.

R.

17. *Romani* Gallos dedititios spoliant, a.m.3871.nu.17. in maiorem Africanum ingrati, a.m.3867.n.11.12.&c. grati & benefici in Eumenem & Rhodios, an.m.3865.nu.9. Roma afflicta veneficijs, 3723.n.13.

ROXANE Cambysi filium sine capite parit, an. mu.3531. num.5.

ROXANES pater Oxyattes Indorum regulus Alexandro dedititius, an.m.3730.n.36. moriente Alexandro sextum iam mensem prægnans erat, nu.30. eius proli regnum tribui vult Perdiccas, resistit Ptolem.ib.

Roxane vna cum filio suo Alexandro, Alexandri Magni filio à Cassandro Amphipoli clauditur, an.mu.3739. num.12. quibus aufert cultum regium, ibid. vtrumque mox interfici curat, an.mun.3743.nu.4. & qua de causa, ibid.

RVINAS domorum mures & mustellæ præsentiunt, a.m. 3681.n.2.

RVMOR de Etruriæ defectione, an.mu.3846.num.2. Rumor post acceptas clades quos Romæ motus excitarit, vide *Clades* Rumores de morte Ptolemæi Epiphanis, an.m.3858.n.16. de Antiocho magno, an.m.3862. num.14.

RVPES inaccessa apud Sogdianos ab Alexandro mirabiliter expugnatur, a.m.3726.n.18.

S.

SABBATI profanatio, an.mun.3629.num.4. corrigitur à Nehemia, nu.5. exclusis mercatoribus, ib. Sabbato quiescentes Iudæi à Ptolemæo Lagida capti sunt, ann. m.3732.n.12.

SABBATICVS an.171. cadit in an.mu.3780.n.2.fin. & 787. 794. & 801. vt in schol. eius anni, & 3808. & sic deinceps, vide & 3815.nu.4. & 3822.nu.1. primus in tom.5. & 134. a.m.3521.n.3.fin.

1. SABINI detrectant imperium Tarquinij Superbi, an.mu. 3523.num.8. & 24.nu.10. Eos concidit, deque ipsis triumphauit, ann.mu.3525.num.3. & 4. ann. mun.3516. num.5. Sabini belli initium sub Coss. ann. mun.3550. nu.1. & 3.

2. *Sabinum* bellum renouatur, ann.mu.3551.num.3. incitante Sex. Tarquinio, ibid. deseruntur ab App. Claudio, num.3. iterum vincuntur, numer.4. & pœnas dant defectionis, ibid. & secundum de se dant triumphum, num.4.

3. *Sabini* tertium victi, triumphatique, an.mu.3552. num.2.3. & seqq. cum ipsis debellatum, an. V.C.252. an.m.3553. n.3. Senatus ijs pacem ægre dedit, de ijs Sp. Cassius triumphauit, ib.

4. *Sabini* se Volscis contra Romanos adiungunt, a.m.3560. nu.2. à Seruilio vincuntur, nu.8. iterum rebellant, an. mu.3561.nu.5. à Valerio Dictatore victi, num.7. Deficiunt iterum, an.mu.3597.num.6. à Naucio Cos. vincuntur, n.10.

5. *Sabini* & Æqui iterum in armis, an.mu.3598.num.4. quos euastauit Minucius Consul, num.6. pestis per Sabinos grassata, an.mu.3602.num.30. qui cum Æquis iterum in armis, a.m.3606.num.7. decemviri in eos male rem gerunt, n.16.

6. *Sabinos* Horat. Cos. compressit, & prædas recepit, an.m. 3608.nu.35. & inuito Senatu triumphauit, num.36.fi. Sabini etiam à Curio Dentato victi leguntur, an. mu. 3764.nu.4.

SACÆ populi in Oriente se Alexandro subijciunt, 3726. num.16.

SACRIS rebus honos habitus Romæ, a.m.3665.n.8. & Sacerdotibus ab Alcibiade, etiam hostibus, ann.mund. 3646.nu.3.

Sacerdotum Romæ immunitas, a.3829.n.3.

SACRIFICIA Hierosolymis instaurantur, an. mun.3517. num.21.

1. SACRIFICIVM 307. captiuorum Romanorum à Tarquiniensibus, an.mun.3696. num.5. vide an. mun. 3700. nu.7. & 3761. nu.4. & 6. sacrificium humanum Romanorum Gallis, & Græcis viuis defodiendis, an.m.3828. num.4. & rursum post cladem Cannensem, ann.mu. 3838.nu.26.

Sacrificium Xerxis 9. puerorum, & totidem puellarum, 2.
qui viui defossi, a.m.3574.n.5. Amestris vxor eius bis septem viuos quoq; defodit, ibid. & Græci tres iuuenes regios immolarunt, ib.

SACRILEGIVM terræ motu punitum, a.m.3591.n.13. Mil- 1.
tiadis, vide *Miltiades*, n.2. Æginetarum in violando asylo, 3555. n.2. Arcades sacras pecunias in profanos vsus vertunt, 3690.n.5. indeque bellum exsuscitant, num.6. Phocenses Philomelo suasore Apollonem deprædati sunt, a.m.3697.n.3. Ionathas fratrem in 2. templo interficit, 3690.n.2.&3.

Sacrilegos Phocenses, eorumque fautores, Thebani, alij- 2.
que Græci bello quod dictum est sacrum, periere, an. m.3699.n.1. durat decennium, ib. belli flabellum Philomelus, socius Archidamus, num.2. Sacri belli incrementa, 3700.n.1.

SACRVM bellum quo Delphi à Phocensibus templum Delphicum ope Lacedæmon. sibi vindicarunt, ann. mu.3604.num.2. quod mox Atheniensibus restituerunt, ibid.

Sacrum bellum sub Onomarcho, an.mu.3701.num.1.2.3. 3.
redintegratur sub Phyllo, 702.num.1. sub Phaleco, num.3. & an.mun.3707.num.1. sacrilegos sacrilegi male perdunt, ibid. & num.2. eius belli finis, an.m.3708. nu.1.&2.

Sacris Atheniensium illudit Demetrius, ann. mun.3752. 4.
num.4. vt Cumæorum oraculo Aristodicus, an.mun. 3520. num.3. Sacrilegium cladem Romanis attulit, ann.mu.3805.num.5. vide etiam, 3831.num.7. & supra *Asylum*.

Sacrilegi etiam Ethnici iuste à Deo puniti, a. m. 3776. n.4. 5.
& 3779.n.4.&5. Sacrilegium attentatum in Heliodoro grauiter punitur, a.m.3870.n.11.&12. Sacrilegij vindex Philippus, a.m.3701.n.4.

SAGVNTINI Romanos auxilij causa euocant, ann. mun. 3834. num.12. qui pro eis legatos ad Annibalem mittunt, 3835.nu.18. ab eo arcte obsidentur, 20.21. de pace colloquia, & eius acerbæ conditiones, nu.22. Vrbem expugnat, nu.23. inde secutum primum bellum Punicum, ibid.

SAGVNTVS recipitur à Scipionibus, suisque redditur, an. mun.3840.nu.46. eorum legatio gratulatoria, an.mu. 3849.n.2.

Ad SALAMINAM insulam classis Græca contra Xerxem confluit, an.mu.3574.num.29. ibi pugnam parat, 30. pugnantque, & vincunt Græci, Themistoclis prudentia, num. 31. & 32. in ea pugna Iones proditione vsi, 3575.num.3. Atheniensibus victoria in primis debita, num.4.

SALAMINA gemina, an.mu.3603.num.3. geminaque ad eam pugna Cimonis & Atheniensium cum Cyprijs & Phœnicibus, ib. Spartani Salaminam vastant, an.mu. 3625.n.8. Leo Salaminius à 30. tyrannis Athenis occisus, a.m.3650.n.7.

SALIORVM in itinere mos, a.m.3864.n.31.

M.L. SALINATOR Coss. an.m.3835.num.17. post Consulatum à populo damnatur, ibid. præ mœrore multos ann. Vrbe caruit, n.17. à Coss. Marcello & Læuino reducitur in vrbem, a.m.3844. fit iterum Consul, a.m. 3847.nu.2.

SALINATOR, M. aut C. Liuium Macatum cognatum defendit, a.m.3847.n.2. aut potius, an.mu.3846.num.3. Salinator non fuit præfectus arcis Tarentinæ, sed eius aduocatus, a.m.3847.num.2. vnde dictus Salinator in Censura, 3850.n.24.

SALINATOR cædibus parcit, ann.mund.3847. num.17. triumphat collega ouante, num.19. in Censura quæ gesserit, ann.mund.3850. numer.24. & 25. vide supra *M. Liuius*.

SALENTINVM bellum, an.mu.3787.num.2. regionis caput Brundusium, ibid. quid Sallentini à Calabris differant, & quæ belli causa, nu.2. quis victoriæ modus, n.3.

dam

cum

X.

F I N I S.

